R. P.

MICHAELIS ALFORDI

ANNALES
ECCLESIASTICI
ET CIVILES
BRITANNORVM,
SAXONUM, ANGLORUM.

CVM QVINQVE INDICIBVS ACCVRATISSIMIS

Chronologico, Rerum hodie Controversarum, Sanctorum Angliæ, Virorum Apostolicorum, & Rerum præcipuarum.

TOMUS TERTIUS.

FIDES REGIA
ANGLICANA
SIVE
ANNALES
ECCLESIÆ ANGLICANÆ.
UBI POTISSIMUM
ANGLORVM
CATHOLICA, ROMANA, ET ORTHODOXA
FIDES
AB ANNO DOMINI 800. AD 1066.

E REGVM, ET AVGVSTORVM FACTIS,
Et aliorum Sanctorum rebus è virtute gestis, asseritur.

TOMUS TERTIUS.

AUCTORE
R.P. MICHAELE ALFORDO aliàs GRIFFITH,
Anglo Societatis IESV Theologo.



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JO. MATHIÆ HOVII,
Ad insigne Paradisi Terrestris. M. DC. LXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ANNALES ECCLESIÆ ANGLICANÆ SIVE FIDES REGIA ANGLORUM.

TOMUS TERTIUS.

ANNUS CHRISTI 800.
LEONIS III PAPÆ 5.
EGBERTI OCCID. SAX. REG. 1.
KENULPHI MERC. REG. 4.
CUTHREDI CANTII REGIS 3.

I. EGBERTUS MONARCHA.

CUM Anglo-Saxonum Heptarchia, ab Heogisto nata, per annos trecentos, ad summum adolevisset: & accisis undique Britannorum rebus, novus incola, omni Insulâ potiretur; facta est iterum rerum conversio. Et quemadmodum ab uno Principatu, per varia incrementa, in septem regna surrexerat; divisâ in plures Majestate: ita per varia decrementa, paulatim cæptus est minui regnorum numerus; rerum summâ ad paucos contractâ: donec Egberto, apud Occiduos Saxones regnante, heptarchia tandem in monarchiam desiit, sub novi sæculi initium. Ille enim, omnium qui præcesserant Regum potentissimus; cum Principes cæteros, quà armis, quà terrore, obsequeotes effecisset; novam Reipublicæ faciem inducere, minorum gentium Reges, in ordinem cogere; eorumque Regium nomen obliterare, conatus est. Quòd ubi uno, alteróve prælio, præstitisset, & coronas per Insulam sparsas, in unam ferè collegisset: novâ etiam appellatione, monarchiam suam efferre, & exteris regnis distinctiùs voluit innotescere. Insula ergò, quæ olim à vetere Incola, BRITANNIA dicebatur; cum gentem aliam, vario nominè, Anglos, Saxones, Jutas, admisisset; dudum cæperat, misso Britanniæ nomine, à Saxone, SAXONIA appellari: Ita *nuper Kenulphus Rex, & Leo Romanus Pontifex, in literis scripserunt. Sed & priùs distinctiùsque, Sanctus Bonifacius, ad veteris Saxoniæ differentiam, TRANSMARINAM Saxoniam appellarat, cum Zachariæ Papæ rationem reddidit Apostolatus sui. Verùm, ne hæc nominum, & provinciarum confusio, obscuritatem pareret, aut umbram aliquam novæ monarchiæ, quam Egbertus meditatur: edixit ille publico mandato, jussitque, tacito Britannorum, & Saxonum nomine, Insulam hanc, à Saxone, Anglis, & Jutis occupatam, ANGLIAM vocari.

BRITANNIÆ NOMEN MUTATUR.

*an 797. n. 6 & 11.

Bonif. Epist 152.

INSULA VOCATUR ANGLIA.

II. ET QUORSUM?

Cur autem, ab Anglo potiùs, quàm ab aliis; Insulam nuncupaverit; illa ratio non malè redditur: quòd Angli, non solùm in Oriente, Icenorum regionem occupaverant; sed in Merciis etiam, & Northumbriâ, amplissimis provinciis, latè dominati sunt. Eo verò eorum nomen, ad provincialium discrimen, notius erat, & foris illustrius: Inde Magnus Gregorius, ad totius Insulæ conversionem erectus est: & Beda omnem heptarchiæ Anglo-Saxonum historiam complectens; inscripsit tamen librum, *Historiam gentis Anglorum.* Licet ergò Jutæ, Cantium, & Vectam Insulam insederint: licet Saxo provincias in Oriente, & Occidente; addo, & ad Austrum habuerit: licet etiam Egbertus ipse, à Cerdicio Saxone, in Occidentis regnum descenderit: Angliæ tamen appellatio placuit, quia numerosior Anglorum populus, & provinciæ ditiores. Hanc novam Insulæ appellationem, authores passim ad Egbertum referunt, & Camdenus, in ultimâ Britanniæ suæ editione, eam consignat ad an. Christi octingentesimum. In primâ tamen, & latinâ editione, refert ad an. octingentesimum decimum. Joannes Spedus paulò posteriùs, verùm; non ad exordium regni ejus, (triginta sex annos regnabit) sed potiùs ad monarchiæ explicatam primo potestatem, poni potest non immeritò. de quo infrà ad an. 827. Nec obstat Westmonasteriensis, qui non tam Egbertum, quàm alios Anglo-Saxonum Reges, oovi decreti authores faciens, ita scribit *Vnde communiter statuerunt Reges, quatenùs Insula, non à Bruto Britannia, sed ab Anglis, Anglia vocaretur.* Quia quantumvis cum aliis, quod probabile est; præ aliis tamen, quia viribus major, & potentiâ, Dictator fuit Egbertus. Quem ego secutus, hunc tertium Annalium Ecclesiasticorum volumen, Anglicanæ Ecclesiæ Annales voco. Exordio sumpto ab eo, qui ita Insulam vocari jussit.

ET QUANDO?

Sped. in Egberto. n. 10.

Westmon. an. 880.

III. EGBERTI EXORDIA

Igitur elato Brithrico, qui nuper in Occidente regnabat: civium suffragiis, Egbertus regno sufficitur, anno Salutis nostræ octingentesimo, ut antiquiores nostri Malmesberiensis, Wigorniensis, & Huntindonius consignant. Sed & Ethelwerdus Saxo, de Regum & Egberti sanguine, author nobilis, ita Egberti ingressum notat, cæteris accuratiùs: Ex quo, inquit, *ceperat regnum Ecgbyrhe; impleti sunt anni ab origine mundi sex millia, exceptis annis quinque, & ab Incarnatione Dominicâ anni octingenti, & ab adventu in Britanniam Hengest & Hersa, trecenti & quinquaginta anni: & à principatu Cerdic, ex quo subjugavit partem Britanniæ Occidentalem (qui fuit Ecgbyrhtii Regis genitor decimus) transacti sunt anni trecenti; & ab adventu Augustini missi à Beato Papa Gregorio, cum baptismo, ad gentem Anglorum, ducenti anni & quatuor.* Cum itaque prioribus tomis dixerimus, Hengistum & Horsam in Britanniam descendisse, sub annum * quadringentesimum quadragesimum nonum: Cerdicium Occidente potitum, anno Christi * quingentesimo primo. Augustinum denique à Magno Gregorio missum; anno quingentesimo nonagesimo sexto; sequitur omninò Egberti Regis ingressum, ad hunc annum, consignandum esse. Quo jacto historiæ fundamento, cum Egberti genus & indolem recensuero, lustrabo paucis omnium Insulam, & utriusque Reip. faciem, genuino, quoad potero, penicillo depingam.

Ethelwerd. l. 3. c. 2.

* vide an. 449. n. 1. &c.
* v. an. 501. n. 4. & 6.

IV. EJUS GENUS ET PARENTES.

Fuit Egbertus, è Regio West-Saxonum sanguine, Alkmundi filius, qui recto nascentium ordine, ab Inæ Regis fratre descendit. Inas enim, quem * supra posui Romæ addictissimum, Ingildo fratri, suscipiendæ prolis, curâ relictâ; sibi cœlum, & immortalem gloriam, nepotibus verò regnum & monarchiam meruit. Egberti natales, & adolescentiæ ejus prospera & adversa, ita narrat Malmesberiensis. *Egbertus, Regis Inæ de fratre Ingildo abnepos, amplo apud suos loco natus, & ingenuè educatus à pueritia, inter West-Saxones emicuit. Continuata virtutum incendit invidiam; & quod ferè à natura comparatum est; ut Reges iniquo intuitu aspiciant, si quos in spem regni adolescere videant; Brithricus, suspectum habens memorandæ indolis juvenem, è medio tollere cogitabat. Quod Egbertus præsentiens; ad Offam, Regem Merciorum, fuga lapsus est. Quem dum ille, sedula diligentia obumbraret; consecuti sunt Brithrici nuntii, qui perfugam ad supplicium repeterent; habentes in manibus traditionis pretium. Ita Offa connivente, Egbertus transnavigato mari, Franciam venit. Quod Dei consilio factum intelligo; ut vir ille ad tantum regnum electus, regnandi disciplinam à Francis acciperet. Est enim gens illa, & exercitatione virium, & comitate morum, cunctarum Occidentalium facilè Princeps.* Hæc ille: planè significans Egbertum, insigne apud Magnum Carolum, regnandi tyrocinium posuisse. Ille enim Francorum & Gallorum provincias, tam armorum peritiâ, quàm morum elegantiâ, egregiè composuerat; & Egbertus feliciter utrumque assecutus, non solùm Occidentalium Saxonum coronæ, sed totius etiam Insulæ imperio, succedere meruit.

* vide an. 726. n. 37.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 1.

A BRITHRICO VEXATUS.

IN GALLIAM FUGIT.

V. ALCUINUS IN GALLIIS DOCUIT.

Quoniam verò Francorum industriæ debemus Egbertum, benè doctum Regem, non erit alienum ab instituto quærere; unde Francorum Resp. in eam laudem creverit, ut omnium in Occidente provinciarum, facilè Princeps, tunc habita sit, cum Carolus ibi regnaret, & exul esset Egbertus. Indubiè hanc morum nobilitatem conciliaverant literæ, quas eodem tempore Alcuinus noster Gallos docuerat. Ille enim à M. Carolo, è Britanniâ vocatus, anno 797. insigne opera in omni re literariâ, magno studio, & cum ingenii laude, posuerat: non solùm Carolum ipsum, dialecticis, & mathematicis disciplinis imbuendo; ut * supra dictum est, sed plures alios, ex omni ordine: ut patet è discipulorum numero, quem recensuit Gaspar Quercetanus, in præfatione, Alcuini operibus præfixâ, ubi sic loquitur. *Alcuini commendatio tanta fuit, apud Carolum Regem, ut non solum ejus præceptor deliciosus nominaretur; sed ab illo quoque potissimum eligeretur, qui Ludovicum ac Pipinum filios, literarum præceptis informaret. Quod partim ex Radulpho Decano Tungrensi l. 1. de Canonum observantiâ, partim ex eâ, quam Alcuinus ipse, cum Pipino nobilissimo, ac Regali puero, instituit disputatione, discitur. Et quia Magister totius Regionis peritissimus, ac doctissimus erat, (Hoc enim Amalbarii Fortunati de eo elogium docet.) magno etiam aliorum virorum concursu; & admiratione, auditus est; plurimosq́ue, eruditionis famâ insignes discipulos habuit. In quorum numero, præcipui fuerunt Amalbarius ipse, tunc puer, Trevirensis deinde Episcopus, Rhabanus Maurus, & ipse puer, ad quem exstat epistola 95. sed magnus ac celebris postea vir, Archiepiscopus enim Moguntiacensis tandem factus est. Haymo Episcopus, Usvaldus Abbas S. Salvatoris, qui Martyrologium Sanctorum scripsit: Richbodus cognomento Macharius, Episcopus Trevirensis ante Amalarium: Petrus Archiepiscopus Mediolanensis: Sanctus Aldricus Ferrariensis Abbas, & alii complures.*

* an. 778. n. 13.

ALCUINUS QUOS HABUERIT DISCIPULOS?

VI. QUO IN LOCO DOCUERIT ALCUINUS?

Ut certum est, Alcuinum in Galliis plures docuisse: ita satis controvertitur; quem in locum discipulos collegerit. Trithemius putat in Fuldensi monasterio, commorantem, plures ibi docuisse; & eos inter, Haymonem, Usvardum, & Rabanum. Alii volunt, illum, apud S. Gallum, nobili discipulorum auditorio claruisse. Plures affirmant Lutetiæ scholas aperuisse, & Parisiensis Academiæ fundamenta jecisse. Existimo tamen, licet pluribus in locis, vir omniscius docuisse potuerit, & doctrinæ semina per plures Galliæ provincias spargere; potissimùm tamen, in Turonensi cœnobio, ipsum consedisse, & inde dictata ejus discipulos excepisse. Utrumque colligo ex epistolâ, quam scribit ad Carolum; ubi inter cætera, cum dixisset: *Mane florentibus per ætatem studiis, seminavi in Britanniâ: nunc verò frigescente sanguine, quasi vespere, in Franciâ seminare non cesso.* Enumerat varia disciplinarum genera, quæ variis hominum, & ætatum gradibus instillare meditaretur, modo pueros in Britanniam mittere posset: qui descriptos inde libros referrent. Et solùm Turonensis scholæ mentionem ingerit. Nam ita scribit: *Ego verò Flaccus vester, exhortationem, & bonam voluntatem vestram; aliis, per tecta S. Martini, sanctarum mella scripturarum, ministrare satago. Alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo. Alios grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam. Quosdam stellarum ordine, ceu picta cujuslibet magna domus culmine illuminare gestio: plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad decorem Imperialis regni vestri erudiam. Ne sit vacua Omnipotentis Dei in me gratia, nec vestra bonitatis largitio inanis. Sed ex parte desunt mihi*

Alcuin. Epist. 1.

EJUS STUDIA ET CONATUS IN DOCENDO.

IN TURONENSI MONASTERIO POTISSIMUM.

eruditionis

eruditionis scholasticæ libelli; quos habui in patriâ, per bonam, & devotissimam magistri mei industriam, vel etiam meipsius qualemcumq; sudorem. Imò hæc vestra Excellentiæ dico; ne fortè vestro placeat totius sapientiæ desiderantissimo consilio, ut aliquos ex pueris nostris remittam, qui excipiant inde nobis necessaria quæq;, & revehant in Franciam flores Britanniæ, ut non sit tantummodò in Eboricâ, hortus conclusus; sed in Turonica, emissiones paradisi, cum pomorum fructibus: ut veniens Auster perflare hortos Ligeris fluminis, fluant aromata illius; & novissimè fiat, quod sequitur in Cantico, unde hoc assumpsi paradigma: Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum, & dicat adolescentulis suis: Comedite amici mei, bibite, & inebriamini charissimi, &c. Hæc sunt, quæ vestra nobilissima intentio non ignorat; quomodo per omnes sacræ Scripturæ paginas exhortamur, ad sapientiam discendam: SCIENTIARUM UTILITAS. *Nihil esse ad beatam vitam sublimius adipiscendam; nihil ad exercitium jucundius, nihil contra vitia fortius, nihil in omni dignitate laudabilius; & secundùm Philosophorum dicta, nil ad regendum populum magis necessarium, nil ad componendam in optimos mores vitam melius; quàm sapientiæ decus, & disciplinæ laus, & eruditionis efficacia.*

VII. EGBERTUS IN GALLIIS DOCTUS.

Hæc & plura Alcuinus de studio, conatuque suo, ad poliendos Francorum animos, iis artibus, quæ utramque Remp. benè componerent. Nihil ergò mirum; si audiat Francorum provincia, *omnium Occidentalium facilè Princeps*, cum Egbertus exilii ærumnas, in illâ humanitatis, & optimorum morum palæstrâ, detersit. Inde ergò prodiit vir dignus imperio, quem Occidens noster, missâ legatione, Regem expetivit. Et ille provincialium votis felicissimè respondit. De quo Malmesberiensis: *Defuncto*, inquit, *Brithrico, frequentibus suorum nunciis, Britanniam reversus, mox*q; *imperare jussus; patriæ desideriis satisfecit, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo, regnante in Franciâ Carolo Magno.* A quo nimirùm Egbertus, regnandi peritiam, & Fidem orthodoxam discere, ac inde, cum opus, docere potuit. Cæterùm Caroli Fides, quam ab Alcuino magistro didicit, eminentissima fuit; cum hoc anno, à Leone Papâ, dictus est Occidentis Imperator. Tunc enim se hujusmodi juramenti formulâ, Romanæ Fidei, Ecclesiæque professorem exhibuit. *In Nomine Christi, spondeo atque polliceor, ego Carolus Imperator, coram Deo, & beato Petro Apostolo, me protectorem, & defensorem fore hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in omnibus utilitatibus; quatenus divino fultus fuero adjutorio, prout scivere, potero*q;. Et verò quod spopondit, præstitit integerrimè. Nam inter leges ab eo postea latas, extitat una, quâ honorari, colique jubet Romanam Ecclesiam; quæ ita loquitur. *In memoriam beati Petri Apostoli, honoremus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem; ut quæ nobis sacerdotalis mater dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis.* Hæc est, fuitque semper, Regum nostrorum Fides; ex quo Lucius Rex, Eleutherium, piâ legatione veneratus, baptismum petiit; Romanoque more accepit. Hinc etiam fluxit Fidei unitas, cum ab uno semper, eodemque Capite, Fidei influxum hausit provincia. Unde hoc ipso anno, congregatis in unum Episcopis; & Ethelardo Dorovernensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Synodi Præside, quærente; *Qualiter Fides Catholica, apud eos haberetur: & quomodo Christiana Religio exerceretur: Unâ omnium voce ita responsum est: Notum sit Paternitati tuæ, quia sicut primitùs, à Sanctâ Romanâ, atque Apostolicâ Sede, beato Papa Gregorio dirigente, exarata est, ita credimus; & quod credimus, absque ambiguitate, quantum possumus; exercere satagimus.*

Malmesb. de Reg. l. 2 c. 1.

FIDEM ORTHODOXAM

M. CAROLI JURAMENTUM. Apud Baro. hoc.

Baron. an. 801.

Apud Spelman in Conciliis, fo. 310.

VIII. INTEMERATA FIDES SEMPER MANSIT IN INSULA, NON OBSTANTE RERUM VICISSITUDINE.

Recensui hujus Synodi acta tomo superiori, ubi octavum sæculum clausi, certâ constantique laude: quòd Christiana Fides, quam initio ex Urbe accepit Insula, una semper, eadem, & illæsa, eo usque permanserit. Nec potest alia ratio assignari, quàm quod ab eodem cœlo, soleque, eosdem lucis radios, ingenti beneficio, semper derivarit. Quo supposito indubiæ veritatis principio, procedamus ulterius, & Ecclesiarum nostrarum œconomiam per tria adhuc sæcula deducentes, eâdem operâ probemus; quantumvis in alterâ Rep. variatio contigerit, & rerum vicissitudo, nunc Britanno, nunc Saxone, nunc Anglo, Danove, rerum summâ potito; Romanam tamen, & Virginem Fidem, perspicuè posse demonstrari, Regiæ coronæ, inter alia virtutum decora, semper insertam. Quod in Egberti factum sequentes anni, & rerum ab eo gestarum series, ostendent. Interim Britanniæ statum, & utriusque Reipublicæ Principes, qui novum sæculum inchoarunt, in lucem profero. Quod enim ad hujus anni reliqua spectat, superiore tomo conclusimus. Ibi dixi quæ Alcuinus scripsit, digna immortali memoriâ; ut sacræ Scripturæ libros magnâ industriâ recensuerit; ut Felicianam hæresim jugulaverit; ut libros de Trinitate doctissimè scripserit: ut demum hoc an. 800. Carolo author fuerit, Leonem Romanum Pontificem sollicitandi, ut Sanctissimæ Trinitatis festum, particulari cæremoniâ, ab universâ Ecclesiâ coleretur. Nunc ergò ad sequentem annum, & novi sæculi initium.

FESTUM SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

ANNUS CHRISTI 801.

LEONIS III. PAPÆ 6.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 2.

KENULPHI MERC. REG. 5.

CUTHREDI CANTII REGIS 4.

I. BRITANNIÆ STATUS.

BRITANNIÆ status hic erat, anno Christi octingentesimo primo. Merciorum Rex Kenulphus, Principem inter Reges locum tenebat: nam non solum Cantium nuper* expugnaverat, & amoto Ethelberto, cognomento Pren, Cuthredum substituerat, Merciorum regno subditum, sed eâ victoriâ, etiam Orientales Saxones, qui* dudum Cantium secuti sunt; sub imperio tenebat. Unde monarchæ prærogativâ tamdiu gavisus est, donec Egbertus, accisis aliorum Regum viribus; pomerium suum ampliavit, ut infrà. Northumbriæ principatus dudum in factiones desierat, post mortem Ethelredi; & Ducum ferè nomine contenti; ad funestum Regis nomen horrebant, quod ita expressit Malmesberiensis. *Post Ethelredum nullus ad regnum ascendere ausus est; dum quisq; superiorum sibi casum timeret; & otio inglorio tutus victitare, quàm ancipiti discrimine pendulus regnare mallet.*

IN MERCIIS MONARCHIA.
* an. 798 l.
* vide an. 597. n. 45.

IN NORTHUMBRIA INTERREGNUM.

Malmesb. de Reg. l. 1. c. 3

Plerosque enim Regum Northanimbrorum penè famulari exitio vitam exisse. Ita cessante Rectore, per triginta tres annos, provincia illa risui, & prædæ, finitimis fuit. Ita ille. Fuerunt tamen aliqui, hoc anarchiæ tempore, qui pro principatu certantes, conati sunt aliquando thronum ascendere. Sed fallente vestigio statim lapsi, timorem aliis incusserunt. Oswaldus quidam, viginti octo dies pro Rege habitus, descendere mox jussus, ad Pictos aufugit. Felicior Edvvinus, vir Princeps inter Northumbrios, qui cum monasterium præ regno elegisset; hoc anno piè moritur. De quo sic scribit Rogerus Hovedenus. *Anno octingesimo primo, Edvvinus, qui & Eda dictus est: quondam Dux Northan-humbrorum: tunc verò per gratiam Salvatoris mundi, Abbas in Dei servitio roboratus, diem clausit ultimum in conspectu fratrum, decimo octavo Kalend. Februarii.*

Oswaldus Northumbriæ Rex, paucorum dierum.

Edwinus Princeps, piè mortuus.

Hoveden, fol. 407.

II.

Eadulfus Northumbriæ Rex

Personam Regis, in Northumbrorum provinciâ, cæteris illustrius sustinuit Eardulfus, qui hoc ipso anno, Kenulphum Merciorum Regem bello aggressus, quod profugos è provinciâ excepisset; eundem ad æquas pacis conditiones coegit. quod quomodo factum sit, Rogerus qui supra, ita ad hunc annum expressit. *His temporibus*, inquit, *Eardulfus Rex Northan-humbrorum, duxit exercitum, contra Keuvvlfum Regem Merciorum, propter susceptionem inimicorum ejus: Qui & ipse congregans exercitum secum, aliarum provinciarum promovit auxilia plurima. Longâ inter eos expeditione factâ; tandem cum consilio Episcoporum, & Principum Anglorum; ex utrâque parte, pacem inierunt, per gratiam Regis Anglorum; factaq; firmissimâ pacis concordiâ inter eos, quam sub jurejurando in Evangelio Christi, ambo Reges confirmaverunt. Deum testem, atque fidejussorem interponentes: ut in diebus eorum, quamdiu vitâ præsenti potirentur, & regni essent insulis suffulti, pax firma, veraq; amicitia, inter eos inconcussa, & inviolata persisteret.* Non ita ergò Regia dignitas apud Northumbrios emarcuerat, quin aliqui, pro re natâ, fortiter pro Rep. steterint, fecerintque.

Hoveden. fol. 407.

In Kenulphum pugnat, Merciorum Regem.

Pax iuramento firmata.

III.

De Gallovidia et Laudonia.

Fortè tamen hoc interregni tempore, cum viri Principes, aut Regis nomen fastidiunt, aut cum vicinis altercantur; alii opportunitatem nacti sunt, colonias in Septentrionem deducendi. Sic enim, & Hiberni Gallovidiam, & Picti Laudoniam, quæ hactenus ad Northumbriæ coronam spectabant; occupare fortè potuerunt hoc tempore, cum Northumbriæ Principes, tuendorum finium causâ, ad austrum pugnarent. Quod omninò dicendum est, si Laudonia fuit aliquando à Pictis Pictlandia appellata: quod putat Hector Boëthius, probatque ex eo quod montes ibi *Pithlandici* vulgò nuncupentur. Verùm Penthlanticos montes rectiùs appellari, & non à Picto, sed Pentho potiùs derivandos esse: & nomen illud posterioribus temporibus ab Anglis, aut certè Scotis, Anglicum sermonem usurpantibus, inditum fuisse, credit Georgius Buchananus. Unde dicendum est, multò probabiliùs Gallovidiam & Laudoniam Northumbrorum adhuc juris fuisse; cum longè posteriùs, nimirùm sub an. Domini 975. Edgarus Rex Laudoniam, Kennetho, tertio Scotorum Regi concesserit; *hâc conditione* (inquit Westmonasteriensis) *ut singulis annis, in festivitatibus præcipuis, quando Rex, & ejus successores, diadema portarent, veniret ad curiam; & cum cæteris regni Principibus, festum cum lætitiâ celebraret.* Hoc ideò observandum, ut Anglicanæ Ecclesiæ, cujus annales scribimus, termini sciantur. Numeramus enim hac ratione, inter Northumbriæ Episcopos, non solùm Eboracensem, ubi hoc anno, Eanbaldus, eo nomine secundus, sedem habet: Lindisfarnensem, ubi Higbaldus, & Hagustaldensem, ubi Eanbertus, sed Witernensem etiam, seu Candidæ Casæ Episcopum, qui ab anno Christi 790. ibi sedit Eadulfus nomine, Episcoporum illius Sedis ultimus, & incertum quo anno mortuus. Hi omnes Eboracensem primatem audiebant: & quotquot inde ad Septentrionem consecrandi erant Antistites; ut supra * Romanorum Pontificum oraculo, cautum Sanctumque diximus.

Pictlandia et montes ibi

Boeth in Scotia regionum nominibus.

Buchanan. rerum Scoticarum l. 2.

Westmonast. an. 975.

Anglicanæ Ecclesiæ fines.

Eanbaldus II. Episcopus Eboracensis.

Episcopus Candidæ Casæ.

* vide an. 185 n. 7

IV.

Cujus juris Gallovidia & Laudonia?

Sed quoniam de Candidâ Casâ controvertitur à quibusdam, jurisnè Anglo-Saxonum fuerit, an Scotorum? & quia in Laudoniâ atque Gallovidiâ provinciis, sederunt Antistites numero multi, virtute magni, & sanctitate illustres Ninianus, Kentigernus, Pecthelmus, aliique. Quia denique Patricius, Hibernorum Apostolus, in eâ Britanniæ parte, natus ab Hibernis asseritur Ideò non parum ad historicæ veritatis puritatem refert, Northumbrorum limites nosce; & in quam revera classem, patriamque referendi sint illi, qui sanctitatis opinione provinciam impleverunt. Si enim aut extra Anglo-Saxonici imperii terminos nati, aut Ecclesias alibi illustrarunt; cur lectorem fatigat Anglo-Saxonicæ Ecclesiæ Annalium scriptor, importunâ rerum præter institutam narratione? Hanc ob causam; licet alibi, ut se ferebat occasio, quæstionem hanc non semel moverim, hic tamen, quia brevi Egbertus, totius Insulæ monarchiam, pleniore jure, quàm hactenus Anglo-Saxones, possidebit: debeo Anglicani imperii pomerium definire, ut omnis impostèrum de Sanctis altercandi, præcidatur occasio. Thomas Dempsterus, prono admodum in patriam affectu, ita scripsit. *Hoc certo liquet, Candidæ Casæ Episcopatum, semper ditionis fuisse Scoticæ, nec unquam Anglico juri subjectum.* Eodem ferè modo Hector Boëthius. Unde si horum duorum suffragio standum; supradicti Sancti Annalibus istis παρέργως inseruntur: & debent, vel nostratibus Scotis commendari, vel quia Scotorum patria Hibernia, illius Insulæ cives esse. Utrumvis ego non illibenter concederem; nisi me veritatis æque ac patriæ, & Sanctorum amor teneret. Hoc triplici funiculo, quæstionis fundum dimensus; quid antiquiores nostri, quid etiam externi, in eâ re senserint, paucis aperiam.

Dempster. Hist. Eccles. Scotor. l. 13. num. 1026.

Dempsteri opinio.

V.

Rejicitur.

Jacobus Usserius, qui hodie Armachanam Sedem, primam in Hibernia, & à Patricio fundatam, occupat: graviter sanè, & doctè, hanc controversiam tractans, ita Dempsteri confidentiam, & Hectoris Boëthii suffragium evertit: de sancti Niniani sede disputans. *Illud*, inquit, *certum est, inter Britannos suos, sedem Episcopalem constituisse Ninianum, in loco olim Candida Casa, hodie (à candido quoq; colore appellatione retenta) Whitherne nominato. Unde ad Ecclesiam Glascuensem, in Glotta, sive Cluda fluvii (qui ditionis Romanorum, & relictorum ab eis Britonum, extremus erat terminus) ripâ sitam, a Kentigerno translata fuisse videtur. Glascuensem enim diœcesim, eo tempore, eosdem cum Cumbrensi illo regno, limites habuisse, & ad murum illum celeberrimum, protensum fuisse, & quod hinc est consequens, complexu suo Candidam Casam continuisse, in Kentigerni vitâ pariter legimus.*

Usser. fol. 665 in Primord. Britan. Ecclesiarum

Ulterius

Ulterius etiam, ejus versus Austrum Episcopatus, tunc temporis, ultimum finem fuisse ad Crucem Regiam, infra Stanemore, in Scotichronico traditum invenimus. Quòd autem Hector Boethius Candidam Casam, sub mordaci Scotorum Regis ditione fuisse vult. quem an. Septingentesimo trigesimo primo (in quo Ecclesiasticam suam historiam terminavit Beda) defunctum fuisse notat; tam verum est, quàm quod de Beda statim subdit. (Barth l. 9. Hist Scotorum.) *[Beda locum Pectinmiam vocat, Accamq; Antistitem, qui sub id tempus, sacræ sedi in Candidâ Casâ præfuit: cumq; virum primum post D. Ninianum, ibidem gessisse Episcopatum.] Nam neque locum hunc ita usquam vocavit Beda, neque illum loci illius nominavit Antistitem: & in Anglorum, non in Scotorum potestate. Candidam Casam eo tempore fuisse, clarissimè confirmat.* (Beda l. 5. c. 24.) *Anno enim illo Septingentesimo trigesimo primo, præsulatum tenuisse scribit Accam, in Hagustaldensi Ecclesiâ, Pecthelmum, in eâ, quæ Candida Casa vocatur: quæ nuper, inquit, multiplicatis fidelium plebibus, in sedem Pontificatus addita, ipsum primum habet Antistitem. Hanc verò jam tunc Anglorum gentem obtinuisse, & ad provinciam Berniciorum pertinuisse: & ipse apertissimis verbis antea scripserat, & Ioannes Major ingenuè agnoscit. Quò magis Thomæ Dempsteri confidentiam & temeritatem demirari liceat, tam audacter asseverantis, hoc certò liquere, Candida Casa Episcopatum, semper ditionis fuisse Scoticæ, nec unquam Anglico juri subjectum* Hæc omnia Usserius Hibernus.

VI. Bedæ locus exponitur.

Bedæ locus de Anglorum jure in Candidam Casam, est è libro tertio cap. 4. ubi de Sancto Niniano, quem Niniam vocat, & Pictorum provincia, ita loquitur. *Australes Picti, qui intra eosdem montes habent Sedes, multo ante tempore, (ut perhibent) relicto errore idololatriæ, Fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Nynia Episcopo, & reverendissimo, & sanctissimo viro, de natione Britonum, qui erat Romæ regulariter fidem, & mysteria veritatis edoctus. Cujus sedem Episcopatus, Sancti Martini Episcopi nomine, & Ecclesiam insignem (ubi ipse etiam corpore, unà cum pluribus Sanctis requiescit) jam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad provinciam Berniciorum pertinens, vulgò vocatur ad Candidam Casam: eo quod ibi Ecclesiam de lapide insolito Britonibus more, fecerit.* Itaque non est dubium, quin Bedæ tempore, omnis Berniciorum provincia, quam dudum Romani, submoto hoste, inde Britanni, cedentibus Romanis, postremò ad Saxonem, pulso Britanno, descenderat: & quò major erat Northumbriæ Regum potentia, quam in Edvvino & Osvvaldo, amplissimam fuisse diximus; eò minor fuit ad Septentrionem hostis, & impar viribus. Quòd si Pictus superavit aliquando, Berniciorum fines ingressus, elucidat id potiùs quàm elidit Saxonum jus; qui quod à Britonnis acceperant, injuria amiserunt. Sanè, cum Picti Britanni fuerint, ut sæpius dictum probatumque supra.* (*videan 56 n. 4 & 57.1. & 82. 2 & 210.2 & 360 1 & 393. 1.& 421. 3.& 501. n. 5.) Nihil Scoto accedit, qui ex Hibernia profectus, quantumvis uno alterovè impetu, provincias aliquas, & inde tractu temporis linguam clepserit; non debet tamen aras tangere, quas aut Britanni, aut Saxones erexerunt. Cæterum quòd ad Episcopales Sedes attinet; quæ jure ad Eboracensem spectabant, doctè Guilielmus Malmesberiensis illa delineat, ita scribens: (Malmesb de Reg. l. 1. c. 6.) *Reges Northanimbrorum dominabantur in omni regione, quæ ultra Humbram est flumen usque ad Scotiam. Erantq; ibi Archiepiscopus Eboracensis, Episcopus Hagustaldensis, & Ripensis, & Lindisfarnensis, & de Candida Casa. Hagustaldensis & Ripensis defecerunt, Lindisfarnensis translatus est in Dunelmum.* Hæc Malmesberiensis de suo tempore: qui moritur an. Domini 1142.

VII. Episcopi sub Doroverensi & Lichfeldensi Episcopis.

Lustratis ad Septentrionem Ecclesiis, ad Austrum redeo: ubi primam Insulæ Sedem, omni merito Ethelardus tenet, in urbe Dorobernia, quæ statim ab Egberti monarchia, mutato nomine, Cantuaria appellabitur. Multis Ecclesiam illam privilegiis auxerat M. Gregorius, & consequentes eum Rom. Pontifices; subjecerantque illi quotquot per reliquum Insulæ, erant Antistites: donec Hadrianus Papa, Offæ Merciorum Regis importunitate victus, æmulam illi sedem inter Mercios indulsit, sub annum 788. Tunc Lichfeldensis Episcopus, Merciorum Episcopos subjectos habuit, & Anglos Orientales. Dorovernensi hi solùm remanserunt. Londinensis, ubi hoc anno Heathobertus sedit; & si Rogerum sequimur, hoc anno sedere desiit. Wintoniensis, ubi Kinebertus; Roffensis, ubi Weremundus; Selesciensis, ubi Osa; Schirnburnensis, ubi Winbertus Sedem, hoc tempore impleverunt. Aldulfus autem Lichfeldensis Episcopus, pallio auctus, hos habuit, Offæ beneficio, suffraganeos; Wigorniensem, ubi Denebertus; Legecestrensem, ubi Unvvona; Herefordensem, ubi Wulfhardus; Lindesiensem, qui & Lindisfarorum, ubi Ealdulfus; Domuicensem, ubi Tidfridus; Helmhamensem, ubi Alherdus hoc anno Ecclesiis præsidebant. Hi, nec plures erant per Britanniam sparsi Episcopi, sub novi sæculi initium. Et fortè etiam, quâ Kenulphi Regis pietate, quâ Ethelardi Dorobernensis industriâ, quo Leonis Papæ imperio, Lichfeldensis Ecclesia, Dorovernensi se submiserat; & Aldulfus nudo Episcopi nomine contentus, nihil in alios juris arrogaverat. Vidimus enim sub finem superioris sæculi; non semel Apostolicam Sedem, à Rege, & Episcopis appellatam, ut sicut Fides integra, ita Ecclesiarum remanerent illibata privilegia. Et Leo Pontifex, Gregorii, aliorumque Pontificum vestigiis insistens; illud dudum concesserat. Sed quia primæ sedis negotium erat, & vivæ vocis oraculo, necdum pontificiæ literæ, necdum Synodus aliqua, accesserant; ideò iterùm hoc anno Ethelardus videtur à Romanâ Curiâ, controversiæ finem postulasse: ut patet è datis à Leone literis, anno sequenti.

ANNUS CHRISTI 802.

LEONIS III. PAPÆ 7.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 3.

KENULPHI MERC. REG. 6.

CUTHREDI CANTII REGIS 5.

ANNO Christi octingentesimo secundo, cum Ethelardus Dorovernensis Archiepiscopus diu Romanam Sedem fatigasset. Tandem Leo Pontifex, scriptis ad eum literis, Ecclesias omnes Britanniæ illi subjecit; in hunc modum. I.

LEO Episcopus, servus servorum Dei.

Ethelardo Archiepiscopo Dorovernensis Ecclesiæ, in perpetuum.

LEONIS PAPÆ LITERÆ, AD ETHELARDUM DOROVERNENSEM.

DOROVERNENSIS ECCLESIÆ PRIVILEGIA CONFIRMANTUR.

Pontificali discretioni præcipuè convenit; præsulibus Ecclesiarum, secundùm eorum irreprehensibilem Fidem, audientiam præbere: & eorum, qui per beatum Petrum, Apostolorum Principem, & nos gerere desideraverint; quæ Canonicis non refragentur Sanctionibus, effectum concedere. Ut cum id quod desiderant, obtinuerint; flagrantiores erga religionis amorem existant. Exhortanda itaq; nobis est, ac prædicanda fraterna almitas, pro diœcesibus Angliæ, tibi commissis; videlicet Episcoporum, seu monasteriorum, tam monachorum, quàm clericorum, & puellarum. Quæ sicut ab Olitanis temporibus tua Ecclesia tenuit, ac in sacro scrinio nostro, requisita cognovimus: ita tibi, tuisq; successoribus, tenenda confirmamus. Omnes Anglorum Ecclesias, sanctus, ac egregius Prædicator Gregorius ordinavit, atque catholicè confirmavit beato Augustino Archiepiscopo, sincello suo, subjectas fore in ævum; per sacrum usum pallii: & ideò ex authoritate beati Petri Apostolorum Principis, cui à Domino potestas ligandi, atque solvendi concessa est, dicente: (Tu es Petrus: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis) imò & secundùm instituta sacrorum Canonum, censuram, licèt immeriti, ejusdem Petri clavigeri regni cœlorum vicem gerentes: tibi Ethelardo, tuisq; successoribus, omnes Anglorum Ecclesias, sicut à priscis temporibus fuere; in perpetuum, in ipsâ tuâ Metropolitanâ sede, per subjectionis cognitionem, irrefragabili jure, concedimus obtinendas.

II. PŒNA IN VIOLATORES.

Si quis verò, quod non optamus; contra hanc definitionis nostræ, vel apostolici privilegii authoritatem, venire tentaverit: ex Apostolicâ authoritate statuimus, ut si Archiepiscopus, vel Episcopus fuerit, ex ordine præsulatus sit dejectus: similiter Presbyter vel Diaconus, vel alius quislibet minister sacri ministerii si fuerit, ab ordine sit depositus. Si autem ex numero laicorum fuerit, tam Rex, quàm Princeps, aut qualibet, sive magna, sive parva persona, à sacra communionis participatione, se noverit alienum. Hanc privilegii paginam, authoritate beati Petri Apostolorum Principis, cujus ministerio fungimur; tibi Ethelardo, tuisq; successoribus, in perpetuum concedimus obtinendam. Ad cujus firmitatem manibus nostris subscripsimus, illudq; nomine nostro signari mandavimus. Quam etiam à Sergio scriniario scribi præcepimus, mense Ianuario. Data decimo quinto Kalend. Februarii, per manum Primicerii, Eustathii sanctæ Sedis Apostolicæ; imperante Domino Carolo, piissimo Consule augusto, à Deo coronato, Magno, pacificoq; Imperatore, an. secundo, post Consulatum ejusdem Domini, Indictione decimâ.

Malmesb. de Pont. lib. 1. fol. 210.

Ita refert has literas Malmesberiensis: quas ad hunc annum referendas esse, non solùm decima Indictio suadet, sed secundus etiam annus Imperatoris Caroli. Qui licet coronatus sit anno 800. quia tamen sub Christi Natalitia, hoc est, sub finem ejus anni, coronam induit: inde ad Januarium hujus anni, numerari solùm potest secundus Imperii. Quid ab Ethelardo factum, acceptis his literis, & quomodo Synodum collegerit, fecerítque illas publici juris, dicam anno sequenti.

III. MORITUR HEATHOBERTUS LONDINEN. EPISCOPUS: OSMUNDUS SUCCEDIT. *Godwin. in Londinen.*

OSA SELESIEN. MORITUR: SUCCEDIT WIGHTUNUS.

Moritur hoc anno Londinensis Episcopus Heathobertus, & successorem habuit Osmundum, quem Fasti post Malmesberiensem, malè collocant post annos decem: cum enim sequenti anno Synodo subscripserit, ut mox videbimus, prædecessor ejus, mori hoc anno potuit; quod & Godwinus affirmat. Malè etiam in Fastis, Beornmodus ad hunc annum scribitur Roffensis Episcopus; cum Weremundus, ibi hoc anno sederit, & Synodo subscripserit anno sequenti. Eodem argumento probari posset, Osam Selesiensem Episcopum, sub hæc tempora mortuum esse, & Wighunum ei successisse; quia sequenti anno, in prædictâ Synodo, cum Episcopis nominatur. Sed quia ab omnibus authoribus, post duos alios ejus Sedis Antistites recensetur, & in Fastis consignatur ingressus ejus ad annum octingentesimum septuagesimum tertium, videant doctiores; dicendúmne sit, duos fuisse in eâ sede cognomines: unum, qui Osam secutus sit hoc anno; alium, qui Totæ successerit, post annos septuaginta. Id certè è Synodi subscriptionibus, quas mox subjiciemus, dicendum esse videtur.

ANNUS CHRISTI 803.

LEONIS III. PAPÆ 8.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 4.

KENULPHI MERC. REG. 7.

CUTHREDI CANTII REGIS 6.

I. SYNODUS CLOVESHOENSIS SUB ETHELARDO.

Sequitur Christi annus octingentesimus tertius, quando Ethelardus Britanniæ Primas, quo æterna esset Dorovernensis Ecclesiæ dignitas, nec ullis Regum cupiditatibus imposterùm substernenda, Provinciales Episcopos, eos nimirùm, quos olim Gregorius ejus sedi subjeceras, in unum convocat; Romani Pontificis mandatum exponit, & cavet imprimis nè ullus imposterùm Metropolitanæ Sedis prærogativam, aut minuere, aut delibare præsumat. Refert hanc Synodum Spelmannus, quam ita inscribit: *Concilium apud Clovesho, anno Domini octingentesimo tertio, id est, Kenulphi Regis Merciorum septimo: ab Athelardo Archiepiscopo Dorovernia, cum duodecim Episcopis celebratum. In quo exuto Lichfeldensi Archiepiscopo, Sedes Cantuariensis, ex præcepto Leonis Papæ III. pristino suo juri restituitur.* Inde recitat acta Synodi ex Archivis Cantuariensis Ecclesiæ, quæ sunt hujusmodi.

ACTA SYNODI.

Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo tertio, congregatum est Synodale Concilium in loco, qui dicitur Clovesho: cui præsidebat Athelardus Archiepiscopus, cum duodecim Episcopis.

I. Gloria in excelsis Deo, in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Scimus dilectissimi fratres, quod multis in Deum fideliter confidentibus, notum & manifestum est, qui in gentibus Anglorum commorantur: licet in eo factum nihil placabile visum sit: quod Offa Rex Merciorum, in diebus Iamberti Archiepiscopi, cum maximâ fraude, honorem, unitatem, & sedem Metropolitanam, in Dorobernensi civitate, dividere & scindere præsumpsit.

III. Restituitur dignitas Dorovernen. Ecclesiæ.

Ego autem Ethelardus Archiepiscopus, cum duodecim Episcopis, ex præcepto Domini Apostolici Leonis Papæ, unanimo consilio totius sanctæ Synodi, præcipimus in Nomine Dei Omnipotentis, & omnium Sanctorum illius, & per tremendum judicium, ut nunquam Reges, neque Episcopi, neque Principes, neque ullius tyrannicæ potestatis homines, honorem Metropolitanæ Sedis minuere, vel in aliquantulâ particulâ dividere præsumpserint: sed per omnia, in eo dignitatis honore, plenissimè semper permaneat, quo in constitutione beati Gregorii, & in privilegiis Apostolicorum, suorum successorum, habetur, in Dorovernia Civitate, habeatur & custodiatur; ubi Christi Ecclesia est, & ubi prima in hâc Insulâ, Catholica Fides emicuit; & à S. Augustino sacrum baptismum celebratum est, & Evangelium Christi prædicatum, & inde per gratiam Sancti Spiritus, latè diffusum.

IV. Anathema in violatores.

Si quis verò, quod omninò absit, contra Apostolica præcepta, & nostrorum omnium, ausus sit tunicam Christi scindere, & unitatem ejus Sanctæ Ecclesiæ dividere: sciat se esse æternaliter damnandum, nisi ante mortem, quod iniquè contra sacros Canones fecit, eidem Ecclesiæ dignè satisfecerit. Hactenus Synodi acta. Sequitur in eisdem Archivis Decretum ab Ethelardo conceptum, probatum ab Episcopis, & majoris, minorisque Cleri; addo etiam Abbatum subscriptionibus munitum. In quo illud singulare; nec quod facilè alibi inveniri potest, post diœcesani Episcopi subscriptionem, subscribunt ejus Clerici, hunc in modum.

Decretum Adelardi Archiepiscopi, de libertate Ecclesiarum.

V. Ecclesiæ non tradendæ Laicis.

Ego Æthileardus, gratiâ Dei humilis sanctæ Ecclesiæ Dorobernensis Archiepiscopus, unanimo consilio totius sanctæ Synodi; congregationibus omnium monasteriorum; quæ olim à fidelibus, Domino Christo perpetuam in libertatem dedita fuerant: In nomine Domini Omnipotentis, & per tremendum judicium præcipio; sicut & ego mandatum à Domino Apostolico Leone Papa percepi: ut ex hoc tempore, nunquam temerario ausu, super hereditatem Domini: laicos & sæculares sibi præsumant dominos eligere. Sed sicut in privilegiis ab Apostolicâ Sede datis habetur; seu etiam, ut ab Apostolicis viris, in initio nascentis Ecclesiæ traditum est, per sacros Canones; vel etiam à propriis monasteriorum possessoribus constitutum, ea regula, & observantia disciplinæ, sua monastica jura studeat observare. Si ergo, quod absit, ipsi hoc nostrum mandatum, & Domini Apostolici Papæ spreverint, & pro nihilo duxerint: sciant se, a sancta Dei Ecclesiæ communione sequestratos; & in tremendo judicio, ante tribunal Christi, nisi ante emendare voluerint, rationem reddituros.

VI. Hæc sunt nomina Episcoporum sanctorum, & venerabilium Abbatum & Presbyterorum, & Diaconorum; qui cum totius sanctæ Synodi consensu, pro confirmatione prædictæ rei, signum sanctæ Crucis subscripserunt.

† Ego Athelheardus, gratiâ Domini, Archiepiscopus Dorovernensis civitatis, signum sanctæ Crucis subscripsi.

† Ego Æthilheah Abbas. Feologeld Abbas. Wulfheard Presb. VVernoth Presb. Beornmod Presb. VVulfrad Archidiaconus.

† Ego Alduulfus Lyceldfeldensis Ecclesiæ Episcopus, signum Crucis subscripsi. † Hygbert Ab. Lulla Pr. Monn Pr. VVigferth Pr. Eadbere Pr. Cuthberht Pr.

† Ego VVerenbertus Legorensis civitatis Episcopus, signum Crucis subscripsi. Eallmund Pr. Ab. Beonna Presb. Ab. Forthred Pr. Ab. VVigmund Pr. Ab. Eadberth Pr.

† Ego Eadulf Syddensis civitatis Episcopus, signum sanctæ Crucis subscripsi. Eadred Pr. Ab. Dogelm Pr. Ab. Plegberth Pr. Eadunlf Pr. Hereberht Pr.

† Ego Danebrehe VVegorarensis civitatis Episcopus, signum Crucis subscripsi. Hygberth Abbas. Thyneferth Ab. Pega Ab. Freothomund Ab. Pr. Coenferth Pr.

† Ego Wlfheard Herefordensis civitatis Episcopus, signum Crucis subscripsi. Cuthrad Abbas. Strygol Pr. Dygoga Pr. Mon Pr. Heathobald Diac.

† Ego VVigberht Sciraburnensis civitatis Episcopus, signum Crucis subscripsi. Muda Abbas. Eadberth Ab. Beorthmund Ab.

VII. *† Ege Albmund VVintanæ civitatis Episcopus, signum Crucis subscripsi. Cuthberth Abbas. Marcus Ab. Cumba Ab. Lulla Ab. Northeard Pr. Vngthe Pr.*

† Ego Ealbeard Elmhamis Ecclesiæ Episcopus, signum Crucis subscripsi. Folcberht Pr. Frithobert Pr. Eadberht Pr. VVilflab Pr. Hunfrid Diac.

† Ego Fidfrith Dammacæ civitatis Episcopus, signum Crucis subscripsi. VVlfheard Ab. Lulla Ab. Ceolhelm Pr. Cynuulf Pr. Tydberth Pr. Eadberht ....

† Ego Osmund Lundonensis civitatis Episcopus, signum Crucis subscripsi. Heahstan Ab. Plegberht Ab. VVigheard Pr. Tidhun Pr. Eithorad Pr. Ethelhelm Presb.

† Ego VVærmund Hrofensis civitatis Episcopus, signum Crucis subscripsi. Lullingo Pr. Tuda Pr. Beagnoth Pr. Heathoberht Pr. VVigheard Pr.

† VVeohthun Scolesegiæ Ecclesiæ Episcopus, signum Crucis subscripsi. Ceolmund Ab. Dudd Pr. Eadberht Pr. Beorcol Pr. Heahfrid .... Cynebald.

Actum est in celebri loco, qui vocatur Clofeshoas, Anno ab Incarnatione Christi octingentesimo tertio, Indictione undecimâ, die quarta, Id. Octob.

VIII. Excutiuntur subscriptiones.

Sunt hic aliqua, quæ tam in nominibus Episcoporum, quam Sedium eorundem, Lectorem meritò morari possunt. Verùm ea ipsa, quæ difficultatem pariunt, satis significant Synodi Acta, ac suffragantium Episcoporum nomina, & antiqua, & genuina esse. Quem enim nos Legecestrensem, Wigorniensem, Dunuicensem vocamus; hic, & olim fortè Legorensis, Wegorarensis, & Dammacæ Civitatis, Episcopus quandoque audiebat. Difficilior nodus, quis ille Syddensis Antistes: quem expedire nescirem, nisi Eadulf diceretur: Tunc enim occurrit eum esse, quem suprà vocavi Ealdulfum, Lindesiensem, seu Lindisfarorum Episcopum. Nam cum ille; in uno loco vix Sedem haberet, & aliquando Sidnacestriæ, ut dixi ad annum 678. n. 2. conjectura est Syddensem pro Sidnacestrensem, contractè poni. Cæterùm qui Fidfrith appellatur, ab aliis communiter Tidfrithus dicitur. Quoniam verò Almundus scribitur Wintanæ civitatis, hoc est Wintoniensis Episcopus: dicere necessum esset, Kinebertum priùs mortuum, illi locum fecisse: licet Fasti paulò posteriùs, nimirùm post annos quatuor, Almundum inauguratum ponant. Eodem argumento dicendum, Unwonam Legecestrensem, vitâ, officioque functum esse; cum ejus loco Werenbertum legamus in Sede substitutum, quem Fasti posteriùs collocant. Sed quia utrumque, hoc est, Kinebertum & Unwonam, invenio subscripsisse Regio diplomati, an 806. quod

Syddensis Episcopus: Quis?

Kenulphus

Kenulphus pro Croylandiâ dictavit; opinor hos duos adhuc sedisse, & Werenbertum atque Almundum, ooo hoc anno, sed posteriùs sua nomina adjecisse, quod sæpè factum in chartis Regiis. De Selesciensi Antistite Weohthuno, * suprà dixi communiter poni Sedis ejus initium, ad annum 873. quod potiùs ad hunc annum referendum est, nisi duos ejusdem Ecclesiæ Episcopos cognomines dicimus.

* an. 802 n. 3.

IX. MORITUR WEREMUNDUS ROFFENSIS, ET SUCCEDIT BEORMODUS.

Wigorn an. 802. Westmon. an. 804.

Weremundus Roffensis, non videtur ultra hunc annum superstes. Nam dudum Authores, alium in eâ Sede locaverunt. Unde ad annum 802. scribit Wigorniensis: *Weremundo Roffensis Ecclesiæ Præsule, defuncto; Beornmodus consecratur pro eo.* Hunc alii Beornredum vocant, & Westmonasteriensis sequenti anno mortuum affirmat. Unde conjectura est, eum sub hujus anni finem, Roffensis Ecclesiæ Sedem ascendisse: cum priùs Alcuinus noster vitam S. Willibrordi eidem dedicasset. Hunc enim illum putamus, qui Alcuino Author fuit, vitam illam conscribendi: & cui ipse, ubi opus absolvit, has literas inscripsit; malè tamen Archiepiscopum vocans, quod ab alio additum, quia necdum erat ad majus sacerdotium provectus; si verum est, quod habet Quercetanus, compositum ab Alcuino libellum, priusquàm in Galliam trajecisset.

X. ALCUINI LITERÆ, AD BEORNREDUM.

Apud Alcu. in præfa. ad vitá S. Willibrordi.

Domino eximio, venerabili atque laudabili BEORNRADO Archiepiscopo, humilis Levita Alcuinus, Salutem.

DElatis ad nos vestra Excellentia literis, in quibus vestrum agnoscens in Domino studium, & diuturnam in lege ejus meditationem, magno me gaudio affectum esse fateor. Sed tamen longè imparem me petitioni vestræ considerans, utpote nullo prærogativæ munere eloquentiæ suffultus, ad implendum quod jussistis. Ac nisi me charitas urgeret, quæ nulla negare solet; non auderem, ultrà mea paupertatis vires, negotium attingere. Tamen vestris orationibus, divinâ donante gratiâ, & sanctissimo Patre Willibrordo intercedente, cujus me vitam, mores, & miracula scribere sic studiosè rogas; tuis parui, Pater sancte, præceptis, & duos digessi libellos. Unum prosaico sermone gradientem, qui publicè fratribus in Ecclesiâ, si tua dignum videtur sapientia, legi potuisset. Alterum pierio pede currentem, qui in secreto cubili inter scholasticos tuos tantummodo ruminari debuisset. Uterque tamen, propter occupationes diurnas, furtivis noctium lucubratiunculis, dictatum est; & eò magis vestra indigent defensionis, quò minus ab Authore proprio expoliti sunt. Meum fuit præcipientis non spernere authoritatem, tuum est, obedientis defendere imperitiam. Unam quoq; priori libello superaddidi homiliam, quæ utinam digna esset, tuo venerando ore populo prædicari. Item secundo adjeci sermonis elegiacum carmen, de viro venerabili Wilgiso, patre scilicet sanctissimi Pontificis Willebrordi, cujus corpus requiescit in cellulâ quondam maritimâ: cui ego, indignus licet, legitimâ, Deo donante, successione deservio. Sed & omnia, quæ vel prosâ gradiente, vel versu currente dictavi, tuæ Sanctitatis spectant judicium; utrùm digna memoria, an pumice radenda feroci, nec nisi tuo roborata examine, procedent in publicum. Hæc ad Beornradum Alcuinus, qui indubiè is fuit, qui Roffensi Episcopo successit, Beornmodus etiam dictus: & fortè idem, qui inter Dorovernensis Ecclesiæ Clericos, suprà scribitur ita: *Beornmod Presb.*

XI. ALIA CONCILII ACTA.

Licet Cantuariensis Ecclesiæ Archiva, nihil aliud referant de Cloveshovensi Synodo: ex aliis tamen vetustis manuscriptis colligitur plura ibi, quæ Ecclesiarum, & monasteriorum procurationem spectabant, transacta esse. Nam præter Analecta Ecclesiæ Wigorniensis, ubi mentio est chartæ donationis, eidem Ecclesiæ factæ, apud Cloveshoum, anno 803. Indict. II. Anno septimo Kenulphi Regis Merciorum, die 4. Iduum Octobrium, feriâ quintâ; cui octo è supradictis Episcopis subscripserunt. Actum quoque est, de jure Wigorniensis Episcopi, in monasteria quædam, quæ olim ad Herefordensem Ecclesiam spectantia, Wigorniensis videtur occupasse; quam controversiam Patres in Synodo componunt in hunc modum, quem à vetustis membranis refert Spelmannus.

XII. LIS COMPONITUR INTER WIGORNIENSEM ET HEREFORDENSEM EPISCOPOS.

Anno Domini 803. qui est annus septimus Cenulfi Regis Merciorum, factum est Synodale Conciliabulum, apud Cloveshoum, præsidente Æthelheardo Archiepiscopo. Ibi inter alia, fuit contentio inter Denebertum Wigorniensem Antistitem, Wulfeardumq; Herefordensem Præsulem, Sunt autem monasteria in parochiâ Deneberts, Celtenham, Beccanford, quæ olim, antiquis diebus, ad Herefordensem Ecclesiam spectabant, in quibus postulabat suum pastum Denebert sibi reddi. Wulfeard autem è contra narrabat, quod ei nullum daret, quia ejus antecessores nullum unquam habuerunt. Denebert verò narrabat, quod [a] *Weremundus Episcopus pastum acceperet, apud Beccanford.* [b] *Hathoredus similiter apud Celtenham. Convenit tandem quod Denebertus haberet dimidium pastum, altero anno apud Beccanford, & altero apud Celtanham, rogante Archiepiscopo.*

[a] fuit Wigorniensis Episcopus ab an. 775. ad an. 799
[b] fuit Wig. Ep. ab a 782 ad an. 798

XIII. EPISCOPI RECONCILIANTUR.

Eodem die, simili contentione placati sunt, Werenbertus Mediterraneorum Anglorum Episcopus: & Adulfus Hatfeldensis præsul; Wigbertus Schriburnensis, & Almundus Wintanus Episcopus.

Ego Athelheard Episcopus. Werenbert Episcopus. Denebert Episcopus. Tidferd Episc. Aldulf Episcopus. Eadulf Episcopus. Albeard Episcopus. Wigbert Episcopus. Illi nimirùm, qui Wigorniensis Ecclesiæ donationi subscripserunt. Habes quidem utrobique eadem Episcoporum nomina, sed Sedes eorum paululùm diversas; Werenbertus, qui suprà scripsit se Legorensem, sive Legecestrensem Episcopum; hic non malè vocatur Episc. Mediterraneorũ Anglorum, qui cum vicino Episcopo Aldulfo Lichfeldensi, controversiam habuisse videtur, quam solvit Synodus. Sed quorsùm ille Adulfus Hatfeldensis, in posteriore actione vocetur, necdùm causam didici: nec forsan est pretium operæ, cum urbium nomina, adde & virorum, diverso sæpè modo, interdùm vitioso, ab Antiquariis scribantur.

XIV. HIGBALDUS LINDISFARNENSIS EPISCOPUS MORITUR: SUCCEDIT EGBERTUS.

In Northumbriæ regno, ad Lindisfarnensem Ecclesiam, ab anno Christi septingentesimo septuagesimo octavo, sederat Higbaldus Episcopus, qui Eanbaldum juniorem, Archiepiscopum consecravit, nunc autem post quatuor & viginti annos Sedis, moritur, cessitque locum Egberto. De cujus ingressu, egressuque Higbaldi, ita Westmonasteriensis: *Anno gratiæ octingentesimo tertio, defuncto Higbaldo Lindisfarnensi Episcopo, Egbertus successit.* Eundem annum consignant Fasti. Wigorniensis etiam Egbertum vult Higbaldo mortuo successisse, eo anno quo Wermundo

Roffensi,

Roffensi, Beornredus successit. Sed quia consignat annum 802. constat è supradictâ Synodo, corrigendum esse.

ANNUS CHRISTI 804.
LEONIS III. PAPÆ 9.
EGBERTI OCCID. SAX. REG. 5.
KENULPHI MERC. REG. 8.
CUTHREDI CANTII REGIS 7.

I. MORITUR ETHELARDUS DOROVERNEN.

ANNO Christi octingentesimo quarto, moritur Ethelardus Dorobernensis Episcopus: cum plures annos, ingenti cum laude, publicam Ecclesiæ suæ rem procurasset. De eo superiori tomo* plura dixi: nunc solum elogium ejus, è Malmesburiensi attexam: *Fuit*, inquit, *Ethelardus unus, qui nobis, non cunctando, sed satagendo, restituit rem: licet enim nobis mutuari dictum Ennii de Fabio. Et non solum Cantia, ingentis beneficii est obnoxia; quod eam ad pristinam dignitatem laboribus suis suscitaverit: verum etiam tota Anglia, quam degeneri sedi substerni, passus non fuerit. Vir post primos Doctores, summis Pontificibus comparandus, & penè. dixerim præferendus: Atque haud scio, si dicto delinquo: cum profectò excellentius videatur, restaurasse dignitatem amissam; quam conservare passam: quamvis & illud nonnullæ laudis habeatur. Quod si alicui in quæstionem venerit; quantæ sanctitatis & reverentiæ fuerit, legat Epistolam Leonis Papæ, Kenulfo Regi missam; in qua vocat eum sanctissimum, dignissimum, charissimum, peritissimum: quæ nimirum verba, summus ille & sanctus Papa non iteraret, nisi cata esse constaret.* Hæc ille: Et ego integras Leonis literas, ad Kenulphum Regem dedi supra* suo loco. Hunc in Martyrologio Leiphardum vocari, Sanctum & Martyrem suspicio esset, nisi authores nostri ejus in Insulam reditum, & mortuum in Dorovernensi Sede ponerent. Vide annum 688. num. 7.

* vide an. 790 n 8 & 791. n. 1 & 79- n 8 & 793 n 20 & 790. n 8

* an. 797. n. 12.

II. WULFREDUS DOROVERNENSIS EPISCOPUS.

Successit in ejus locum, & primam in Britannia Sedem ascendit Wulfredus, quem etiam Wilfredum vocant. Quod ad tempus spectat, licet Wigorniensis ad superiorem annum 803. consignet Ethelardi mortem, & Wilfredum successorem: licet etiam Westmonasteriensis; ad annum 805. utrumque referat. Placet tamen quod Fasti, Huntindonius, & Rogerus habent, affirmantes hujus sæculi anno quarto, tam Ethelardum vixisse, quàm Wilfredum Dorovernix sedisse. Cæterùm quod ad novum Antistitem spectat, quia passim dicitur à Leone Papâ pallium accepisse, idque in Galliis, nimirum cùm Leo Carolum inviseret, oportuit hoc anno illud contigisse. Cùm enim Leo in Gallias descenderit, sub finem anni, hoc est ad Christi natalitia, cum Carolo, celebranda, octingentesimo tertio, ut statim è Ludgeri Episcopi literis dicam: melius ejus acta, & quæcumque Pontifex, ad Ecclesiæ utilitatem fecit, ad sequentis anni initium referuntur: nisi velis cum Baronio dicere, aut Leonem in Gallias venisse, sub finem anni octingentesimi quarti, aut (quia octiduo tantùm apud Carolum mansisse dicitur) quæ fecit, ad alium ejus in Gallias adventum, consignari debere. Quicquid sit, Wigorniensis noster, ita loquitur ad hunc annum octingentesimum quartum. *Leo Papa venit in Franciam, VVulfredus Archiepiscopus à Papâ Leone pallium suscepit*; & addit Harpesfeldus, *datum VVilfrido pallium in Galliâ.* nimirum cùm eo tempore, Suibertum Episcopum, Anglo-Saxonem, virum Apostolicum, multis clarum miraculis, Sanctorum catalogo adscripsit: de quo quia maximè spectat ad Annales nostros, nunc agendum.

LEO PAPA VENIT IN GALLIAS.

Baron. an. 804.

SUIBERTUM CANONIZAT.

III.

Dixi suprà* Suibertum ab Egberto missum, cum aliis in Germaniam, multam animarum messem fecisse: dixi [a] inclusum carcere mirabiliter ab Angelo liberatum. Dixi [b] consecratum ab Eboracensi Wilfrido, [c] Ecclesias construxisse; [d] mortuos suscitasse; [e] Hollandiam & Frisiam ad Fidem convertisse; [f] Werdensem Ecclesiam fundasse. Denique cum magnâ sanctitatis opinione [g] mortuum. Cujus ope postmodum Pipinus, militari victoriâ Westphalos [h] prostravit, egitque propterea cum Stephano Papa, de eo inter Sanctos referendo, quem in cœlo potenter regnare, divinis sæpissimè probatum erat argumentis. Dixi etiam M. Carolum, parentis pietatem secutum, [k] Suiberto supplicem; Ecclesiam illi, monasteriumque restituisse; magnis sumptibus. Nunc ergo idem Carolus, virum cœlo terrâque notissimum, altius efferre, & super candelabrum poni, ut universæ Ecclesiæ præluceret, instanter à Leone petiit; quem toti Ecclesiæ præsidere, & hujusmodi honores dispensare posse, credebat. Leo igitur in Galliam veniens, auditâ miraculorum famâ, lectâque ejus vita, sanctitatis operibus, & plurimarum gentium conversione illustrissimâ; eum Sanctum esse; & pro Sancto colendum, religiosâ cæremoniâ solenniter dixit. Quid in sacrâ illâ actione factum; & quomodo Deus, ingenti rursum miraculo, Suiberti sanctitatem asseruerit, ex Epistolâ sancti Ludgeri, quam refert Surius, optimè colligitur: ubi hæc habentur

* v an 790. n 7. [a] 795 n. 5. 6. [b] 695 n 8. [c] 696 n 4. [d] 696. n. 9. & 711 n. 3. 4. [e] 697. n 6. & 705. n. 22. &c. [f] 708. n 16. [g] 717. n 1. [h] 749 n 12. [i] 754. n 4.

[k] 783. n. 5. 6.

IV.

Apud Surium ad 1. Martii. * 804.

LEO QUID IN GALLIIS FECERIT?

Idem S. Leo anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo tertio, cum magnâ solennitate suorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum & Prælatorum, & Primatum, ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens; & ab eodem Imperatore, imperialiter cum suis susceptus; inter multa pietatis suæ opera, instantia ejusdem serenissimi Imperatoris, & Regis, Aquisgrani, in palatio; dedicavit Ecclesiam perpetuæ Virginis Mariæ; donans eandem Ecclesiam multis indulgentiis. Deinde humili petitione, & instantiâ venerabilis Patris Gerbaldi Episcopi Leodiensis, consecravit Ecclesias gloriosæ Virginis Mariæ, tam in Tungris, quàm in Viseto. Et in Coloniâ Agrippinâ, tam ad S. Martinum, quàm in Capitolio, altaria consecravit: & multa alia monasteria, & altaria, & capellas, per Alemanniam & Galliam, consecravit; ubique multas Indulgentias conferendo. Tandem devotâ instantiâ gloriosissimi Imperatoris Caroli, & venerabilis viri Hildebaldi Archipræsidis Coloniensis; venit à Coloniâ idem sanctus Papa Leo navigio, in Werdam, stipatus Imperatoriâ majestate, ac sacrato choro sanctorum Cardinalium, & Archiepiscoporum, & multorum procerum. Cui occurrunt usque ad Rhenum, devoti fratres conventus Sancti Suiberti, processionaliter, cum incolis ejusdem oppidi, de Werdâ;*

introducentes eum cum Imperatore, & ceteris, in Ecclesiam sancti Suiberti, multum devotè ac honestè: & die illo quo intravit, jejunaverunt incolæ de VVerdâ, cum toto conventu, authoritate Apostolicâ.

V. *Altero verò die, qui fuit pridiè Nonas Septembris, tam Papa sanctus Leo, quàm Carolus Imperator, & alii; convenientes in Ecclesia, & conventu S. Suiberti: ibi oratione finita, omnium convenientium in Ecclesia, statim celebrante solenniter summam Missam Felice Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo: & sanctissima vita ipsius Suiberti, cum innumeris miraculis conscripta per venerabilem presbyterum Marcellinum, socium, & conterraneum ipsius Sancti, ibidem lecta: Papa Sanctus Leo, de assensu pariter, & consensu suorum Cardinalium, cæterorúmque Prælatorum, illic coram astantium; solenniter Catalogo Sanctorum Confessorum ipsum adscripsit. Quo facto, pulsata Campana conventus per aliquot horas, ad honorem Dei, & gloriam ipsius Sancti, cùm per dulcia modulamina laudum fratres devotissimè Deo rependissent gratias, cantando humiliter hymnum, Te Deum laudamus; & reliquiæ sive ossa ipsius, ex monumento in præsentia sanctissimi Apostolici Leonis, & Caroli Imperatoris, cæterorumq́, per præfatum Archiepiscopum Coloniensem colligerentur devotè, maxima dulcissimi odoris, in eodem loco, cælitus effusa est fragrantia, cujus suavitas, omnium ora, & corda adstantium reficiebat; ita ut nullus ambigeret; ibidem adesse Angelorum choros.*

Suibertus Sanctorum Catalogo ascribitur.

VI. *Facta sunt hæc, pridie nonas Septembris, præsentibus ibidem victoriosissimo Carolo, semper Augusto, Romanorum Imperatore, & Francorum Rege, venerabilibusqúe Patribus Cardinalibus, Archiepiscopis, Bernardo Ostiensi, & Fortunato Treverorum, Theodoro Sabinensium, Nicolao tituli S. Crucis in Hierusalem, Eustochio S. Praxedis, Bonifacio tituli Sanctorum Marcellini, & Petri, Presbyteris Cardinalibus: Gerbaldo Leodiensi, Volquino Normensium Episcopis: & præsertim Felice Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo, cujus industria, & pia instantia, S. Leo Werdam navigavit: & S. Suibertum in Divos retulit, cum multis aliis Prælatis, & proceribus. Statuit insuper sanctissimus Papa Leo, illum diem canonizationis, & exaltationis S. Suiberti egregii Episcopi, perpetuis temporibus per totum oppidum, à cunctis incolis VVerdæ celebrandum, ob honorem S. Suiberti, Apostolici Episcopi. Obtulit autem idem Sanctus Papa, eidem Ecclesiæ speciales indulgentias, cunctis fidelibus celebrantibus festum S. Suiberti Episcopi, & ad divina confluentibus. Item idem Papa obtulit parvam auream Crucem, refertam particulâ S. Crucis Domini nostri IESV CHRISTI.*

Festum S. Suiberti instituitur.

Oblatio Leonis Papæ S. Suiberto.

VII. *Imperator verò Carolus obtulit duos aureos Calices, ex auro puro, & totidem ampullas ejusdem auri, cum multis aliis Ecclesiarum clenodiis pretiosis: ut dum divinum mysterium in VVerdensi conventu perageretur, cum eisdem ipsius Imperatoris jugis fieret memoria. Obtulerunt pariter omnes, à majori, usque ad minorem, juxta devotionem, & inspirationem spiritus, & pro facultate; ut fieret solennis capsula, & pretiosum feretrum, in quo collocarentur sacrosancta ossa Sancti Suiberti Episcopi, ad laudem & gloriam Domini nostri IESV CHRISTI, qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, per omnia secula seculorum. Amen.* Hæc omnia Ludgerus: Quæ si quis cum prioribus sæculis conferat, (& conferendum necessariò est, ob ingens de Fide litigium) si quis, inquam, hanc Caroli Imperatoris pietatem, cum Constantino Imperatorum prototypo, contulerit. Qui dona Ecclesiis, ab utroque data composuerit, qui Calices aureos, & sacra ministerii vasa, tam in Oriente, quàm in Occidente, divino mysterio utrobique servire viderit: Qui δώδεκα θήκας, quas Eusebio teste*, M. Constantinus erexit duodecim Apostolis; cum solenni capsulâ, quam Magnus Carolus, & omnis hic populus paravit, Apostolici Suiberti sacrosanctis ossibus reponendis: facilè perspiciet unam & eandem utriusque Principis fidem esse, nec aliam ab eâ quam hodie Romanam & orthodoxam dicimus. Unde certo argumento concludet; eum in Regiam, hoc est, omnium sæculorum fidem pugnare, qui sanctorum sepulchra dehonestat, capsulas demolitur, sacro-sancta Apostolicorum virorum ossa deturpat: qui denique calices aureos, & ipsum divinum mysterium, cui omnis templorum apparatus, & omnis Angelorum chorus ancillantur, evertit. Sed redeo ad priora sæcula, & Werdam; ubi Deus Suibertum honorabit, & confirmabit supradicta insigni miraculo; quod ejus sæculi author S. Ludgerus in hunc modum narrat, & nefas est omittere. nam Suibertus, in ordine primus est, qui à Romano Pontifice in Sanctorum album relatus est, ut è Baronio & Bellarmino, refert Cornelius à Lapide in cap. 44. Ecclesiastici. fol. 118.

Caroli dona S. Suiberto.

* vide an. 337. n. 4.

Comparantur cum donis M. Constantini.

Cum rumor adventus S. Leonis Papæ, & Caroli serenissimi Imp. cæterorumq́, Prælatorum, & Principum, in VVerdam, ad canonizandum sanctum Suibertum; ubique per vicinam provinciam pervolasset: confluebant multi populi, utriusque sexûs, cum filiis & filiabus suis, VVerdam: ad percipiendam à sancto Papa remissionem suorum peccatorum, & Apostolicam benedictionem: & ad intuendum tantæ celebritatis actum. Inter quos erat quædam nobilis Domina Irmgardis, mulier honesta, & proba, germana Venerabilis Patris Hildebaldi Coloniensis Archiepiscopi, uxor strenui Bartoldi, domicelli de Geisbergem, habitans & residens, illo tempore, in Troja, sive Xantis. Quæ domicella, cum duabus solummodò pedissequis, & primogenito suo Gocellino, octo cum dimidio annorum puero, & cum multis aliis honestis personis; ex Xanthis, VVerdam navigans, eidem celebritati, consensu mariti sui interesse voluit, & decrevit: Et appropinquantes VVerdæ, cùm nauta propter multas alias naves ibidem congregatas, subitò amplustre mutaret, ut convenientius litore navim applicaret: Gocellinus stans propè matrem, in prorá navis, ex collusione navium cespitans pedibus, corruit extra navim, in Rhenum, & submersus est. Quod mater ejus videns (quæ etiam cecidit ex collisione navium in navim) & puerum suum juvare non valens; seipsam in Rhenum præcipitare conabatur: sed tenta & impedita per pedissequas, & alios probos homines; scisso velamine capitis sui, præ nimio dolore inconsolabiliter flens, magno ejulatu, & lamentis implevit litora Rheni. Erat autem hora ferè quinta vespertina. Archiepiscopus verò frater ejus, illa audiens ingemuit, & multùm tristabatur: pedissequa quoque concita denuntiavit Bartoldo discrimen submersi pueri sui.

VIII. *Apud Surium sup.*

Concursus Werdam ad solennitatem Canonizationis.

Gocellinus in Rheno mergitur.

IX. *Domicella itaque complosis manibus, tanquam mulier vesana, intrans Ecclesiam S. Suiberti, cum magno ululatu, & gemitu, Dei exoravit pietatem; ut meritis S. Suiberti, filium suum sibi restituere dignaretur. Consolata denique à multis honestissimis matronis, &*

Irmgardis orat et S. Suibertum.

præcipuè

præcipuè ab Archiepiscopo fratre suo, ducente eam in hospitium suum, ut eam refocillando consolaretur. Sed ipsa quiescere nullatenus valens, noctem illam totam insomnem ducens, imploravit assiduè, devoto & tribulato corde, S. Suibertum; petens, ut qui dudum multis in tribulationibus subveniebat; sibi istam desolatam, solitâ pietate subvenire non dedignaretur: vovensq; si ipsum suis suffragantibus meritis, vivum recipere posset, perpetuis temporibus suo ministerio assignaret.

Votum ejus.

X. *Alterâ die, cùm aurora imminentibus radiis illucesceret: quidam honesti viri, amore Dei, & petitione Archiepiscopi, amotis navibus, cœperunt submersum domicellum Gocelinum quærere, sagenis, & uncis, & aliis opportunis instrumentis. Tandem horâ ferè octavâ, ante Missarum solemnia, quidam dictus Lambertus Dobol, de Embricâ, unco sentiens, & tangens ipsum veste, vocatis aliis sociis, sagaciter ex profundo Rheni, per vestem sursum trahens, & elevans defunctum, matri præsentavit. Quæ ipsum defunctum videns, exanguis effecta, & in extasi posita stupuit. Sed ad se reversa, puerum ulnis amplectens, sequentibus eam multis honestis utriusq; sexus personis flentibus, & ei condolentibus, deposuit illum ante sepulchrum Sancti Suiberti, factâq; ab omnibus devotè oratione, spiritus in illum rediit, oculos aperuit, & revixit: surgensque stetit supra pedes suos, admirans multitudinem, & frequentiam populorum, ipsum intuentium, loquebatur matri suæ dulciter. Statimq; exuentes eum madidis vestibus propter compressionem hominum; de consilio quorundam, posuerunt in eminentiori loco, ut ab omnibus posset videri. Quo viso, factus est clamor omnium, Deum in Sancto Suiberto laudantium, de tantâ, tamq; manifestâ gratia, ibidem meritis Sancti Suiberti, palam omnibus ostensa.*

Puer mortuus revixit.

XI. *Eâdem verò horâ, venit festinanter equester pater ejus Bartholdus, cum decem tantum vernaculis, multùm nimirùm tristis, & dolens de perditione dilecti filii sui: erat enim Præfectus Imperatoris Caroli in illis oris. Intrans verò Ecclesiam, cùm audisset, & vidisset eum à morte resuscitatum; glorificavit Deum in Sancto suo Suiberto. Igitur sanctissimus Apostolicus, & Imperator Carolus, ista percipientes, ab Archiepiscopo Coloniensi, avunculo Gocelini resuscitati, eundem puerum ad se accersiri, & adduci præceperunt. Quem vivum videntes, qui per quindecim ferè horas, sub aquis in profundo Rheni jacuerat; laudaverunt pietatem Dei, qui semper diversis signis, dilectos suos magnificat & honorat. Archiepiscopus verò consensu parentum, depositâ argenteâ torque, quam circa collum gessit idem Gocelinus resuscitatus, ipsum clericum ordinavit, mutatoque nomen ejus, ipsum Suibertum nominavit: qui intra monasterium S. Suiberti intrans, eidem Sancto semper humiliter servivit. Assignavitq; domicellus Bartoldus eidem monasterio, amore Sancti Suiberti, & filii sui, certa prædia, perpetuis temporibus possidenda.* Ita Sanctus Ludgerus Frisiorum Apostolus, qui olim in Britanniâ Alcuinum habuit Præceptorē, ut dixi ad annum 778. n. 11. Inde factus Monasteriensis Episcopus, sanctissimè vitam conclusit, anno 809. Martyrologiis omnibus Sancti nomine inscriptus.

Bartoldus Caroli præfectus in provincia.

Filium Deo et S. Suiberto consecrat.

Gocelinus monasteriū intrat, et Suibertus appellatur.

XII. Hæc si vera sunt, parùm oculati fuerunt Magdeburgici quatuor, quorum nemo videre potuit, quod in tantâ luce populorum, & Principum virorum, tanti viri, tam constanti assertione confirmatur. Sic enim de Suiberto scribunt: *Suidbertus miraculis claruit, Sed quorum, nullum indicatur.* Immò plurima, non solùm indicantur, sed apertissimè demonstrantur, & nos * superiori tomo aliqua retulimus; cum Pipinus Caroli parens, in Westphalos, & Saxones pugnavit. Sed non est mirum, eos, qui Sanctos aversantur, & eorum cultum, in veritate indagandâ, ita oscitari, & cæcutire in meridie, quia miraculorum majestate ubique opprimuntur. Pipinus & Carolus, & quotquot superiori sæculo vixerunt; Templa, & monasteria Werdæ tunc instituta, & restituta, altaria, & anathemata Suiberto posita: non solùm eum Sanctum, sed miraculorum gloriâ eximium fuisse vocaliter eloquuntur. Sed quia Sanctorum invocatio novæ factioni displicet: ideò scilicet Sanctorum operatio, aut Dei potiùs in Sanctis opera, aut neganda sunt, aut silentio tegenda. Videamus lætiora.

Magdeburgensium cæcitas.

* An. 749 & 778. 7. &c.

Quia displicet Sanctorum invocatio, eorum negatur operatio.

XIII. Albinus Flaccus, sui sæculi, & Insulæ nostræ singulare ornamentum; cùm Britannias, Gallias, & universam Christi Ecclesiam, variâ doctrinâ, & pietate illustrasset; in Turonensi monasterio, sanctissimè moritur, plenus dierum, ibique sepultus est. Nam quod Malmesburiensis habet: *Iacet in Francia apud Sanctum Paulum de Cormarico: quod cœnobium Carolus Magnus ejus consilio construxit: unde hodieque quatuor Monachorum victus & potus, pro ejusdem Alcuini anima, quotidiana infertur eleemosyna in eadem Ecclesia:* id aliis non probatur. Et probabilius est, anniversariam illam eleemosynam, non depositi ibi corporis ejus, sed grati animi argumentum esse, quod fundationem procuraverit. Quod ad tempus spectat, varii sunt Authores, his nimiùm festinantibus, illis verò nimiùm differentibus funus ejus. Joannes Pitseus, illustres Britanniæ Scriptores recensens, hæc habet de ejus obitu. *Demum eximius hic Doctor, in cœnobio Cormaricensi, quod ad S. Paulum dicitur, & situm est in ditione Turonensi, animam efflavit, corpus deposuit, & ad meliorem vitam transivit, decimo quarto Kalend. Iunii, circa annum Verbi Incarnati 798. Offa apud Mercios in Anglia regnante.* Verùm qui in Galliis vivere primùm cœpit anno 793. qui Danorum incursionis in Britanniam, meminit, in variis literis ad Higebaldum Lindisfarnensem, & Ethelredum Regem datis, quas suo loco posuimus: Qui à M. Carolo, Romam invitatus est anno octingentesimo. Qui Carolum, Augustum, & Imperatorem, multis literis, non semel vocavit; necessariò vidisse debuit novi sæculi saltem initium. Hinc fortè Martyrologii nostri Author, in postremâ editione, Alcuinum mortuum ponit, circa annum Domini 860. Sed nimiùm producit annos, & ætatem ejus: qui enim, sub primum in Gallias ingressum, senex fuit, & in ætatis suæ vespere; non potuit ad sexaginta amplius annos superesse. Cæterùm quod ipse senex in Gallias venerit, clarè ipse significat, in primâ ad Carolum Regem epistolâ. *Mane,* inquit, *florentibus per ætatem studiis, seminavi in Britannia. Nunc verò frigescente sanguine, quasi vespere in Francia seminare non cesso. Utraq;, Dei gratiâ breri optans, mihi fracto corpore, solatio est sententia S. Hieronymi, qui ait in Epistolâ ad Nepotianum: Omnes penè virtutes corporis mutantur in senibus: & crescente solùm sapientiâ, decrescunt cætera.* Hinc etiam comitari non potuit Carolum Romam euntem, sub annum Domini 800. infirmitatem suam, & fractum laboribus corpus causatus Epist. 12.

Moritur B. Alcuinus.

Malmesb. fol. 24.

De tempore mortis.

Pits. de Scriptor. in Alcuino.

XIV. Vera sententia.

Baron. hic

Clem. Reyner fol. 54. Quercetan. in Præfat.

Melius ergò, ex Antiquorum scriptis colligit Cæsar Baronius ita: *Hoc eodem anno octingentesimo quarto, Alcuinus, qui & Albinus Flaccus cognomento, de quo plura superius, idemq; Abbas S. Martini, ex hâc vitâ migravit; ut Odoranus est Author.* Eundem annum consignat Clemens Reynerus; sed & Gaspar Quercetanus, qui ejus scripta accuratè collegit, & excudi fecit; ita in præfatione loquitur: *Tot igitur, ac tantorum ingenii monumentorum laude clarus, sub umbrâ potentiæ, & sub tegmine pietatis Caroli, religiosam ducens vitam, totam infirmitatis senectutisq; suæ consolationem in Deum intendens; inter fratres, in Ecclesiâ S. Martini, Deo fideliter servientes; tandem sicut desiderabat, feliciter requievit, anno Christi octingentesimo quarto, secundùm omnium penè Antiquorum testimonium: & ad cœli præmia evolans XIV. Kalend. Iunias, in eâdem Ecclesiâ, cum epitaphio, quod ipse sibi vivens posuerat, à suis sepultus est.* Benè citat Antiquorum suffragia, quia mediæ ætatis hominum, antiqua componentium, magna interdùm est oscitantia, vel par huic vitium, credulitas. Unde aliqua de Alcuino dixerunt; quæ Recentiores incautè primùm hauriunt, mox mordicùs defendunt. Verùm quis, quantusque Alcuinus fuerit? non aliunde meliùs, quàm ex ejus scriptis, veluti ex ungue Leo, agnoscitur. Inde eum non solùm doctissimum, & variæ eruditionis virum fuisse; sed religiosissimum etiam, & communem Ecclesiæ, adeoque orthodoxæ Fidei caussam promovisse affirmamus. Unde Quercetanus qui suprà, præfationem ita concludit. *Denique Alcuinus, post extremum vitæ diem, Beati quoque sive Sancti titulum promeruit; ut docent Anonymus in ejus vitâ, Flodoardus lib. 3. histo. Rhemen. cap. 21. Canonicus S. Martini in Chronicis: & Rhabanus Archiepiscopus Moguntinus in Martyrologio.*

Alcuinus a morte Sanctus.

XV. * an. 710. n. 4. &c.

Beda l. 5. c. 21.

Asserto mortis anno, *ex omnium penè Antiquorum testimoniis* confirmari possunt illa, quæ * suprà dixi, de Dorobernensis monasterii Antistite, Adriani successore, quem quia Beda Albinum vocavit, cum hoc elogio: *In tantum studia scripturarum institutus fuit, ut græcam quidem linguam, non parvâ ex parte, latinam verò, non minùs quàm Anglorum, quæ sibi naturalis erat, noverit.* Ideò scilicet, Alcuinum hunc fuisse, quem Flaccum nominamus, sub initium hujus sæculi mortuum, putaverunt aliqui: inde etiam inferentes, in Cantio quoque natum. Sed qui Alcuini scripta, ætatem, mortem, accuratiùs inspiciunt; facilè vident παράδειγμα esse, quicquid de Cantio dicitur. Albinus enim Hadriano successit in Dorovernensis cœnobii præfecturâ, anno Christi 710. ut Beda testatur, & nemo diffitetur; & fuit, eodem Bedâ teste: *In Ecclesiâ Cantuariorum à beatæ memoriæ Theodoro Archiepiscopo, & Adriano Abbate, viris venerabilibus, atque eruditissimis, institutus.* Alcuinus hic noster, alibi doctus, alibi institutus: locorum ubi didicit docuitque, nunquam Dorverniæ, aut Cantii, meminit. Enimverò in Eboracensi agro natus; in Eboracensi Ecclesiâ tam discendo, quàm docendo ætatem ferè omnem trivit: ut testis est, ejus jam senis Epistola, ad Eboracensis Ecclesiæ fratres, quæ sic loquitur inter cætera: *Vos semper in corde, & primo inter verba precantia in ore; Vos, piissimi Patres, seu in communibus sanctæ orationis horis, vel in secretis deprecationum vestrarum intercessionibus, Alcuinum filium vestrum, per Dei deprecor caritatem, jugiter in corde habete, & in ore: Vos quoque qui estis ætate filii, sed meritorum sanctitate, Patres, per divinam obtestor clementiam; nunquam eruditionis vestræ, in sanctis orationibus obliviscamini magistrum. Testis enim cordis mei mihi est inspector; quia devotè vestrum semper, in Ecclesiasticâ disciplinâ, & spiritali doctrinâ, desiderabam profectum. Et si quid minus accepistis, non mea, credo, culpa, deputari debet.*

Beda ad præfat. ad historiam.

Alcu. Ep. 98.

XVI. De vitæ instituto.

Restaret dicendum, quale vitæ genus: quod, inquam, regularis vitæ institutum, sive in Britanniâ Alcuinus, sive in Galliâ, subiverit; sed quia recentiores ipsum variè trahunt, distrahuntque in partes suas, difficile est arbitrium interponere. Crusenius vir doctus, è magni Augustini familiâ, in opere quod *Monasticon Augustinianum* inscripsit; Alcuinum putat M. Augustini regulam professum, ideóque Augustinianum Eremitam fuisse: fortè quia Augustiniani apud Dorovernenses, monasterii Abbatem legerat. Huic assertioni Clemens Reynerus intercedit, dicens Crusenium, *sui ordinis zelo, ultra metas scientiæ & veritatis abreptum.* qui certè venialis est error, & facilè etiam peritissimus quisque peccat eo impetu: qui licet laude dignus non sit, est tamen professione pietatis excusandus. Quis enim eos arguat, qui operosè defenderent Alcuinum nostrum, monachum, Benedictinum, Congregationis Girebennæ, Bedæ discipulum fuisse? quorum tamen vix umbra in ejus scriptis reperitur. Qui enim diceret: antiquos omnes, qui nono, decimo, aut undecimo sæculo scripserunt, & Alcuini elogia texuerunt: Alcuinum nunquam, ne monachum quidem appellasse: offendere fortasse posset eos, qui contra sentiunt; vix tamen potest solidè constanterque redargui. Eginardus, Paulinus Aquileiensis patriarcha, Sangallensis monachus, Amalarius Fortunatus, Lupus Abbas Ferrariensis, Rabanus Maurus, qui Alcuini tempore fuerunt, Alcuinum non semel cum honore nominant: nunquam, quod mireris, monachum appellantes. Eginardus *Diaconum* vocat, *De Britanniâ, Saxonici generis hominem virum undecumq; doctissimum.* Paulinus, *Reverendissimum virum, & in divinis rebus peritissimum, & summæ religionis perspicuum oratorem.* Amalarius, *doctissimum magistrum totius regionis nostræ.* Rabanus, *Dominum Alcuinum.* Sunt authores alii, supra viginti, è quorum scriptis Alcuini elogia texuit Gaspar Quercetanus: unde tamen, quod monachus fuerit, probari non potest.

Reyner. fol. 34.

Eginard. in vitâ Caroli. Paulin. in fragmen. Epist. ad Carol. M. Amal. de ordin. Antiphon. c. 58. Rabau. in Martyrol.

XVII. Alcuinus fuit monachus.

* an. 803. n. 10.

Sed quoniam in Britanniâ, sanctissimam vitam egit, & Cellæ præfuit, quam S. Wilgisus, Willibrordi parens, fecit; ut ipsemet Alcuinus testatur in epistolâ ad Beornredum, quam * suprà dedi. Et quoniam in Galliam veniens, à Carolo Abbatias plures obtinuit; ac passim audit Turonensis monasterii Abbas: non solùm monachum fuisse, sed monachos, tam verbo, quàm exemplo, perfectionem docuisse, semper opinatus sum. Licet in quo loco, monachum induerit, aut cui à principio fuerit monasterio addictus; aut sub cujus Abbatis, aut Præpositi disciplinâ tyrocinium posuerit; sit admodum difficile invenire. Ex ejus scriptis hoc solùm colligitur. Quòd in Eboracensi Ecclesiâ eruditus, in eâ, Levita, sive Diaconus factus, sub Egberto Archiepiscopo, famam collegerit; inde Romam missus, (quod Diaconorum Episcopo ministrantium munus fuit) à

Carolo

Carolo humaniter, in Galliâ exceptus, cum Sedem ibi figere rogaretur, humiliter religioséque sedis mutationem excusavit, negans id fieri posse, injussu Regis sui, & Episcopi; nullâ Abbatis, aut monasterii factâ mentione. Unde qui pro Clericorum ordine pugnare vellet, colligere poterit satis probabiliter; Alcuinum Eboracensis Ecclesiæ Clericum, Diaconi ibi munere functum, illius denique Ecclesiæ Scholasticum fuisse: nec cum claustris, aut monasterio, commune aliquid habuisse.

Monachi in Ecclesiis Cathedralibus.

Sed quoniam præter claustrales monachos, sub Abbatis Præpositique regimine; compertum est, alios fuisse cathedrales, in solius Episcopi curâ, ab omni Abbatis imperio absolutos; æquè monachorum nomen sortitos, (undè cathedrales Ecclesiæ, ab eorum domicilio Minster hodiéque vocantur.)

Ecclesiæ Cathedrales cur Minster dictæ.

Ideò probatu admodum difficile est, solidâ constantique assertione, quo tempore, quo sæculo, sub quo primum Episcopo; religiosi hi clerici, qui non solùm Apostolorum tempore, & deinceps; sed sub initium Ecclesiæ Anglorum, in Britanniâ fuerunt, in sæculares desierint. Cæterùm quamdiu Eboracenses Episcopi, è monachis lecti sunt; quod factum in primis, sanctissimisque Episcopis, Paulino, Ceadda, Wilfrido, Joanne Beverlacensi, quos monachos fuisse, omnium penè authorum suffragio constat: tamdiu eos in monachorum contubernio vixisse; hoc est, monachos in Cathedralibus, choro deputatos secum habuisse, ex præcepto Gregorii, necessum est affirmare. Quid iis decedentibus, & aliis succedentibus actum, qui monachi ab authoribus non vocantur; non potest certò constare.

XVIII. Dico tamen; quicquid sit de Episcoporum ordine, cùm à Regibus legi cœpti sunt, alii clerici Episcopis proximi, è quorum plerumque numero Ecclesiarum Præsides assumpti sunt; longè probabilius, suum locum, regulam, institutum, diu servasse. Quis enim eos, vel loco, vel munere cedere aut posset, aut vellet cogere? sed quoniam refrixit aliquando charitas, pietasque: & notati sunt illi, qui manum in alienam messem, conati sunt mittere: inde non improbabiliter concludimus, priùs alios non fuisse, qui in monachorum cœnobiis, sæculariter vixerint. Alcuinus ergò, quem eximia doctrina, vitæque integritas, Britanniæ, Galliæque notum fecit; licet ab aliquis, monachus nunquam appelletur; non aliud in causâ videtur fuisse, quàm quia Ecclesiæ Cathedrali adscriptus; in eâ consecratus Diaconus, ibi doctus, Doctorque; nunquam cum Claustralibus in Britanniâ vixit. Quod enim de Wilgisi cellulâ, ipse scripsit; non omninò convincit ipsum, in eâ commoratum esse: nam procurare, administrare, curamque loci suscipere potuit. Sic cellam S. Judoci, ad hospitium peregrinis præstandum, Alcuino Carolus commendavit. Sic Abbatiam Ferrariensem, in Wastinensi pago possedit: & aliam Sancti Lupi Trecensis, ejusdem Caroli munere accepit: in quibus tamen locis, nullam Sedem fixisse legitur.

Alcuinus plura loca habuit in commendam.

Ideò notandus est antiquorum dialectus, in Cellarum & Abbatiarum hujusmodi traditione. Nam aliud erat monasterium alicui exstruere; aliud ei cellam committere: illud proprius incolatum, habitationemque; istud curam, regimen, & præfecturam significat: ut è Lupo Ferrariensi colligitur, qui epist. 11. ad Lotharium Regem, cùm eandem ipse cellam, à Caroli M. filio, Ludovico Imperatore accepisset, ita scripsit: *Cellam S. Iudoci quam M. Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat; beatæ memoriæ pater vester, nobis, ea ratione concessit; sicut edictum illius attestatur, ut quod eleemosynæ superesset, in nostrum usum cederet.*

Lupus Ferrar. Epist. 11.

Ex hac ergo locorum, & Abbatiarum traditione; licet pro Alcuini monachatu trahi possit argumentum aliquod: inde tamen descendere non possumus in aliud controversum: cuinam ille instituto: cui, inquam, regulæ, aut congregationi ascriptus & conscriptus sit.

XIX. Cujusnam instituti monachus, Alcuinus?

Unde qui Benedictinum impensè faciunt, congregationis Girebennæ; cum Cruschio fortè componi possunt, hoc est, pietatis professione excusari. Enimverò cùm nemo antiquorum id affirmet; sed potius contrarium innuant penè omnes; ita zelo dandus est locus, ut veritas etiam suum retineat. Quod tunc solùm fit, quando certa certis; probabilia colliguntur, probabilibus tantum argumentis. Si quid autem in re hac obscurâ certum est, aut lucis aliquid ministrans: illud mihi videtur, quod suprà ad annum 710. operosè satis probavi. Alcuinum Flaccum, hoc anno mortuum, Adriani successorem non fuisse in cœnobio Dorovernensi (quod tamen multarum assertionum fundamentum est.) Fuisset enim annosissimus, & centum ferè annorum Abbas. Quis autem fuerit Albinus, Adriani successor, & quo etiam anno mortuus; suo loco ostendi.

710. n. 1. 2. &c.

Hoc posito, probabile saltem redditur, quod habet Anonymus, Alcuini vitæ scriptor; quem Quercetanus è vetusto Codice S. Mariæ Remensis edidit, quique à Sigulfo, Alcuini intimo, narrata digessit, ubi inter cætera: *Cum igitur*, inquit, *senectute, unàque infirmitate plus solito se sentiret affectum; diu ut secum tractaverat, velle se significavit sæculum relinquere, postulans licentiam, apud S. Bonifacium, monasticam vitam, secundum regulam S. Benedicti ducere: monasteriáque sibi commissa, suos ut inter discipulos divideret, si fieri posset. Sed rex terribilis: & pius, unum cum omni postulationis affectu denegavit: alterum libenter audivit: flagitans, quietissimus Turonis, æquè honorificentissimè, ut resideret, sibiq. & omni sanctæ Ecclesiæ commissa non detrectaret.** *Onera verò sæculi, quæ ipse habuerat; discipulis, ut petierat, dispertiit. Fecit ergo & ipse Albinus, ut Rex sapientissimus rogaverat; non quærens quod sibi foret utile; sed quod multis, ac Turonis diem novissimum præstolatus fuit. Vita denique ejus, non monastica inferior fuit. Nam qualis in patribus superius nominatis (Elberium & Eanbaldum Eboracenses Antistites suprà nominaverat) præcesserat; talis & in illo durabat, in jejuniis scilicet, in orationibus, in carnis mortificatione, in eleemosynis, in Psalmorum & Missarum multâ celebratione; & in aliis virtutibus, quibus possibile est humanam ornari naturam.*

Anonymus in vitâ Alcuini.

Alcuinus gestit sæculum relinquere?

* ita ibi.

Innominatus est author, qui ista scripsit; ita tamen præfatur: *Scribam fideliter, quæ ab ejus fidelissimo tantum didici discipulo, Sigulfo scilicet, institutore meo, dilectissimum quem tu etiam habuisti patrem, qui præ cunctis mortalibus, post S. Elberti discessum solus ipsius meruit nosse secreta eximia.* Si ergo supra dictorum fides aliqua est: Alcuinus in fine vitæ, in ipsâ senectute, quâ crescente solum sapientia, decrescunt cætera: ut ipse nuper dixit*; Benedictinum institutum, & Fuldensem congregationem voto subivit. Eoque non immerito,

XX. Alcuinus Benedicti Ordini aggregatus.

* hic n. 13.

amplissimo ordini potest aggregari. Licet enim Carolus voti executionem, materialiter suspenderit: Deus tamen, sanctique, qui cordis oorunt, & pensant suspiria; affectum, effectum putant. Scio aliquos aliter philosophari; quod sæculum relinquere, & monasticam vitam, apud S. Bonifacium ducere, secundùm regulam S. Benedicti: sit depositis solum Abbatialibus officiis, oneribusque, privatam monachi vitam instituere. Verùm hic supponitur, quod probandum erat: & zelo forsan, quàm plano verborum sensui, potius servitur. Magis facit ad Congregationis Gerebennæ probationem, quod haberi dicitur, in Alcuini Epistolâ centesimâ quinquagesimâ, ad Eadbaldum Gerwicensem Abbatem: ubi hæc referuntur: *Non ignotum esse tuæ dilectioni, venerande frater, credo: quod olim Sancti Patres, antecessores tui, mihi licet indigno familiaritatis vestræ gratiam perdonaverunt: & in albo beatitudinis vestræ, meæ parvitatis nomen conscribi jusserunt; ita ut unus essem ex vobis, ubicumque Deo volente, essem.* Ita habet Reynerus, & infert: Alcuinum, Girwicensi cœnobio jam olim aggregatum fuisse: quod omninò dicendum est: & urgere adhuc cuperem, si exstaret illa ad Eadbaldum centesima quinquagesima epistola. Sed quia Quercetanus illam omisit, recensuitque tantum centum & quindecim, dico eleganter confirmari id, quod suprà dixi: Alcuinum instituto illo addictum imprimis fuisse: & obtinuisse per gratiam, quod alii professionis suæ jure impetraverant. Quod magnis viris, & monasteriorum Fundatoribus, singulari privilegio conceditur. Sic Offa Merciorum Rex; cùm Albanense cœnobium nobiliter erexisset, scripto diplomate, Albanenses Monachos suos fratres nuper appellavit, ob jus fraternitatis eo modo acquisitum. Non quod Offa Benedictini instituti monachus; sed quod orationum, sacrificiorum, suffragiorum omnium, optimo jure particeps esset. quod ipse ab Albanensibus, in Regiâ chartâ fundationis * postulaverat. Hinc Reynerus doctè probat: *longe aliud esse conjungi, aut uniri fraternitate, ab eo quod est uniri congregatione.* Sed quicquid sit de particulari instituto. Gallicanum Martyrolog. hoc elogio Alcuinum ornat, ad 19. Maii. *Turonis transitus B. Alcuini Abbatis & Levitæ, discipuli Venerabilis Bedæ, præclarè scriptis, & piè gestis illustris. Hic à Carolo M. in Galliam, è Britanniâ evocatus, magna lumina sanctitatis & sapientiæ prodidit, miraculisque etiam, ac spiritu prophetico, divinitùs dotatus, ac meritorum plenus expiravit ipso die sacratissimo Pentecostes. Cujus anima carne soluta, ministerio Levitarum cælestium, quorum duces erant beatissimi Archidiacons, Stephanus & Laurentius, Angelorum cum exercitu, ad Christum, quem amavit, quem quæsivit, feliciter perduci visa est.*

Apud Reyner fol. 34.

vide an. 793. n. 24.

* Ibid. n. 21.

Reyn. docep. historica fol. 30. & latè fo. 104.

ANNUS CHRISTI 805.

LEONIS III. PAPÆ 10.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 6.

KENULPHI MERC. REG. 9.

BALDREDI CANTII REGIS 1.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus quintus, quo Cantii Rex Cuthredus octavo sui regni anno, vitam cum morte commutavit: quod & alii fecerant, quos Wigorniensis enumerat, ad hunc annum ita scribens: *Rex Cantuariorum Cuthredus, & Eabrihtus Comes, & Ceolburga Abbatissa obierunt.* Successit in Cantii regnum, jam ruinæ proximum, Baldredus. Nec enim, aut ipse, aut Cuthredus prædecessor, pleno & avito jure, sed Merciorum tantummodo arbitrio, regnaverunt. unde de utriusque regno, ita loquitur Malmesberiensis: *Ejusdem factionis, & calamitatis hæres, Cuthredus; solo nomine, octo annis regnavit. Hinc regiæ dignitatis abortivum Baldredus posquam Cantiam octodecim annis obsederat potius, quam rexerat; ab Egberto West-Saxonum Rege prælio pulsus, in exilium concessit.* Nec aliud hoc anno occurrit dignum Annalibus. Quod enim refertur huc à Baronio, de regni Merciorum depressione, Burrhedo Rege, Romæ mortuo, sepultóque ibi ad Scholam Anglorum, non hoc tempore, sed post quinquaginta annos contigisse, dicam suo loco.

Malmes. de Reg. l. 1. c. 1.

ANNUS CHRISTI 806.

LEONIS III. PAPÆ 11.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 7.

KENULPHI MERC. REG. 10.

BALDREDI CANTII REGIS 2.

PATUIT Kenulfi Regia Fides, monasteria, Sanctos, Sanctorumque reliquias colentis: cùm anno Christi octingentesimo sexto; unà cum Wilfredo, Dorovernensi Archiepiscopo, sancti Guthlaci corpus, peregrino more, invisit. Extat ejusdem Regis diploma, pro Croylandensi monasterio; quo ipsius, & provincialium, in eo genere, pietas elucescit. Lateret illa, tenebris oblita, nisi tertius Croylandensis cœnobii Abbas, Siwardus, Kenulpho Regi supplex, privilegia suis monachis impetrasset. De quo hæc habet Ingulphus, illius loci Abbates recensens. *Ad Abbatiæ*, inquit, *Croylandensis monasterii officium pastorale, post Kenulphum, primum ejus Abbatem, successit Patricius. Et illi, tempore Kenulphi Regis, tertius dicti monasterii Abbas, nomine Siwardus; qui Regi Kenulpho carne propinquus, & multa religione confessor familiarissimus, ex munificentia Regia, duodecimo anno regni sui* (puto tamen decimo anno legendum) *chartam hujusmodi impetravit.*

1. KENULFUS CROYLANDIAM PROFECTUS INVISIT CORPUS S. GUTHLACI.

Ingulf. fol. 854.

KENULPHUS, Dei misericordia, Rex Merciorum, omnibus Mediterraneis Anglis, per universam Merciam Fidem Christianam confitentibus, pacem perfectam, sempiternamque Salutem.

II. CHARTA KENULFI REGIS PRO MONASTERIO CROYLANDENSI. *Omnes & singuli scitote, quia Dominus sanctum suum mirificavit signis celeberrimis, & præclaris prodigiis, beatissimum Christi confessorem Guthlacum, in monasterio Croylandensi corporaliter quiescentem: & novis, & innumeris miraculis, prout ego, & Regina mea, in nostrâ peregrinatione, nuper oculis nostris vidimus; quotidiè clarius, ad totius mundi notitiam coruscantem. Unde ad supplicationem religiosissimi viri, ac spiritualis patris, & consiliarii nostri, Domini Sivvardi Abbatis dicti monasterii, consulente idem ac commovente venerabili patre Domino Wilfredo, Archiepiscopo Dorobernensi, tunc nostræ peregrinationis comite; dictum monasterium Croylandia, * in tota Insula adjacente; sicut in charta quondam Regis Ethelbaldi, fundatoris sui, per limites est distincta, monachos etiam ejusdem monasterii, & conversos, ac servos universos; in custodiam capio meæ protectionis. Insuper peregrinos omnes, illuc causâ devotionis accedentes; & cum signo sancti Guthlaci, in suis capiciis, vel capellis recedentes, liberos, & solutos ab omni passagio, & telonio, ubicumque venerint, per totum regnum Merciæ, perenniter esse volo. Sed & eleemosynam, quam Thoroldus vicecomes Lincolniensis dedit dictis monachis, in Botenhale: Item eleemosynam, quam Geolphus, filius Malti, dedit in Halington: item eleemosynam, quam Algarus miles etiam dudum meus, dedit illis, in Baston, & in Repingale, Deo ac sancto Guthlaco, dictóque monasterio, ac monachis in eo Deo servientibus, in perpetuam possessionem, concedo, confero, & confirmo.*

*forte cum

III. *Anno Incarnationis Christi octingentesimo sexto, illud chyrographum ego Kenulfus Merciorum Rex signo sanctæ Crucis consignavi.*

- † *Ego Wilfredus, Archiepiscopus Dorobernensis, fieri consului.*
- † *Ego Kinevertus, Episcopus Winchester, subnotavi.*
- † *Ego Wonwona, Episcopus Leicestrensis, consensi.*
- † *Ego Celredus, Abbas de Medeshamsted, germanus frater Domini Siwardi Abbatis, multum procuravi.*
- † *Ego Enthredus, Rex Cantuariorum, ad imperium Domini mei Regis Kenulfi, assensum dedi.*
- † *Ego Celvval frater Domini Regis Kenulphi approbavi.*
- † *Ego Algarus minister affui.*
- † *Ego Sigga presbyter, præcipiente Domino, ac Rege Kenulfo, hoc chirographum manu meâ scriptum, in præsentiâ dictorum venerabilium Patrum, & Dominorum meorum, præfato Venerabili Domino Sivvardo, Abbati Croylandiæ commendavi.*

IV. Qui scribitur *Enthredus* Rex Cantuariorum, Baldredus debet intelligi; Cuthredus enim dudum obierat, si Fastos, Joannem Spedum, & Wigorniensem sequimur; sed quia Westmonasteriensis, post authores alios aliquando claudicans, biennio post, Cuthredi obitum consignat, & annum Christi 807. & quia Huntintonius, ad quartum Wilfredi Dorovernensis Episcopi annum, ejus mortem refert; ideo non improbabiliter Ingulphus, qui Regium diploma refert, per Enthredum Cuthredum intellexit, deceptusque est amanuensis exiguâ duarum literarum inflexione En pro Cu. Quicquid sit; hic habes Cantii Reges, ad Merciorum Regum imperia, assensum dantes: & ideo non mirum accuratam dari non posse annorum regni rationem.

V. MORITUR S. ODWALDUS. *Marty. Angl. 7. Decemb. Tri. l. 3. c. 120. Wion append. ad l. 3. lig. vitæ.* Moritur hoc anno, & cum sanctis numeratur, Odwaldus, Abbas Lindisfarnensis, qui in nostro Martyrologio, vir magnæ integritatis scribitur, vitamque finivisse sanctitate plenam, sub annum Christi octingentesimum sextum. Ejus mentionem præterea faciunt Thrithemius, & Arnoldus Wion.

MORITUR UNWONA LEGECESTRENSIS EPISCOP. SUCCEDIT WERENBERTUS. Qui superiori diplomate scribitur, Wonwona Leycestrensis Episcopus, ab aliis communiter Unwona dictus; moritur anno Christi octingentesimo septimo, & successorem accipit Werenbertum. Sederat ab anno 784. interfuit inventioni corporis S. Albani, & Offam Regem juvit in monasterii Albanensis, & in conscientiæ regimine. Nam ut alibi dixi, Offæ Confessarius aliquando appellatur. De Werenberto nihil proditur; nisi quod ab hoc anno, Legecestriæ sedisse putetur ad annum usque 814. licet aliqui apud Godwinum affirmeot, eum ante Unwonam Episcopum fuisse, inter Mediterraneos fortè, quia subscripsisse legitur, anno 803. ut ibi.

ANNUS CHRISTI 808.

LEONIS III. PAPÆ 13.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 9.

KENULPHI MERC. REG. 12.

BALDREDI CANTII REG. 4.

I. EARDULFUS REX DEPONITUR. TURBÆ in Septentrione fuerunt, anno Christi octingentesimo octavo: Nam scissâ, in varias ibi partes, Northumbriæ coronâ; ansam provinciales habuerunt, modò huic, modò illi principi viro, pro factionis studio adhærendi. Eardulfus ibi rerum summâ potitus, hactenus Regis nomen præsumpserat. Sed inquieta popularium ingenia, facilè dominationem spernunt; & regiæ dignitati; veróque Regis nomini irata, malunt Regis simulacrum, hoc est, sub ipso, quem arbitrio eligunt; & cujus potestatem, eodem arbitrio, circumcidunt; Dictatores esse. ALFWOLDUS SUCCEDIT. Eardulfum ergo, qui hactenus regnaverat, pertæsus populus; Alfwoldo magis favet; ipsum Regem deposcit, & effert tandem. Auctus viribus Alfwoldus in Eardulfum surgit; quem non regno solum, sed omni pellit Insulâ. Sic paucis rem & annum tangit Westmonasteriensis: *Anno gratiæ*, inquit, *808. Eardulfo Northumbrorum Rege, a regno fugato; Alfvvoldus ei, duobus annis successit. fugaverat autem illum idem Alfvvoldus, & regnum ejus occupavit.* *Westm. hic*

II. EARDULFUS REX NORTHUMBRIÆ ROMAM APPELLAT. Quò fugerit Eardulfus, non produnt authores nostri: aliunde tamen scimus, Romanam Sedem, ab eo appellatam esse. Cùm enim primò ad Carolum Imperatorem, in Germaniam trajecisset; inde Romam profectus, causam suam Leoni Papæ permisit; qui intellecto populi suffragio, eum quondam Regem eligentis, & cognito quod ab

Eanbaldo

Eanbaldo Archiepiscopo, & tribus aliis, consecratus in Regem fuisset; reprobatâ vulgi inconstantiâ, eum regno suo, regiisque titulis restituit. Missis in Britanniam à suo latere nuntiis, qui exutum, & exauctoratum Principem, Romanâ authoritate in pristinum locum reponerent. Francorum Annalibus hujusce rei memoriam debemus; qui quod nostri tacuerunt, in Magni Caroli gratiam, ad posterorum notitiam transmiserunt: de quibus ita Baronius.

III. *Baron. hic*

Adolfus Saxo legatus Apostolicus.

Quod verò ad res pertinet Occidentales hujus anni (808.) *illud accidit memoriâ dignum, quod in Annalibus quibusdam Francorum, præsertim veteribus, scriptum fideliter reperitur: Regem nempe Nordanhumbrorum, à suis è regno pulsum; per Legatum Apostolicæ Sedis, & Caroli Imperatoris, in regnum fuisse restitutum.* In Annalibus enim Francorum, sub Ludovico, Caroli Magni filio scriptis, hæc leguntur: *Interea Rex Nordhumbrorum de Britanniâ Insulâ veniens, nomine Ardulf, regno & patriâ pulsus; ad Imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit. Et patefacto adventus sui negotio, Romam proficiscitur. Româque rediens, per Legatos Romani Pontificis, & Domini Imperatoris; in regnum suum reducitur. Præerat eo tempore, Romanæ Ecclesiæ Leo tertius; cujus Legatus in Britanniam directus est, Adolfus Diaconus, de ipsâ Britanniâ, Saxo: & cum ipso missi ab Imperatore duo Abbates, Ratfridus Notarius, & Nazarius Abbas de sancto Audomaro.* Hæc Francorum Annales. *Secuta est* (pergit Baronius) *absque obstaculo ejus in regnum restitutio nefas omnes ducentes non parere Romano Pontifici, atque tanto Imperatori resistere. Porrò cœpta sunt ista, hoc anno; sequenti perfecta, cùm & reversus est Romam Adolfus, Apostolicæ Sedis Legatus, à piratis est captus; sed redemptus, à Kenulpho Rege, ut iidem Annales testantur.*

Eardolfus Rex restituitur.

IV. Rom. Ecclesia a Principibus merito colitur.

Benè Carolus Northumbriæ controversias, & juris dubia, Romanæ Ecclesiæ arbitrio submisit; quia Provinciæ, & Principes omnes, Sedem illam, seu communem omnium parentem, semper venerati sunt. & ingenti suo commodo, Angliæ Reges, sequentibus sæculis, Romanum Pontificem coluerunt. Nam inde in dubiis consilium, in difficultatibus subsidium, in externo, internóque hoste propulsando, frequentissimè auxilium acceperunt. Unde & ipsi vicissim Romani Pontificis jura, Fidemque illam pro viribus defenderunt. Quod & à M. Carolo factum, hoc tempore, cùm testamentum scribens, regnumque inter tres filios dispensans; hæc habet inter cætera. *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres fratres, curam & defensionem S. Papæ simul suscipiant: sicut quondam ab avo nostro Carolo, & beatæ memoriæ genitore, Pipino Rege, & à nobis postea suscepta est; ut eum, cum omni adjutorio, ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam; quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulat, habere faciant.* Quo nihil ad Gallicæ coronæ immortale decus, Regiæque Fidei ornamentum, dici potest illustrius. Cùm viri ibi Principes, & nativo impetu, & veluti hæreditario jure, in Rom. Ecclesiæ patrocinium succedunt. Certè ad monarchiam in utrâque Rep. firmandam, ingens compendium est; si una manus, alteram tueatur. Nam dato dissidio omni vulneri patet corpus. Unde qui hodie Europam lustrare, & Regiam majestatem cupit cernere, genuinâ suâ luce fulgentem: vix aliam inveniet præter eam, quæ à Romano sole, orbéque illo, influxum habet, & commercium. Ubi Reges ab eo cœlo divertunt: vel ipsi in Ecclesiam arrogant: quod nullus Constantinus, nullus Carolus M. unquam attentavit, vel illud jus, imperiumque permittunt populo; quod omni miseriâ miserius est: (ut hodiernâ, tristique heu nimiùm experientiâ discimus) ibique Regiæ majestatis deliquium est.

Baron. 806.

Carolus M. jubet coli Ro. Pontificem.

V. Anglo-Saxonum Regum pietas in Ecclesiam.

Benè ergò Carolum Alcuinus docuit Ecclesiam revereri: non illam solùm primam, Principemque Sedem, quam Lucius, Ethelbertus, Inas, Offa, omnesque Anglo-Saxonum Reges, omni honoris significatione coluerunt; sed sparsas ubique per Provinciam Ecclesias, in quas Ecclesiastici tantummodò proceres, tribunal haberent, jurisque dictionem. Id sæpè suprà cautum vidimus, in Regum nostrorum diplomatibus; cùm Ethelbertus & Wihtredus in Cantio, Osvvaldus & Alfvvoldus in Nortumbriâ, Inas & Offa ad Occidentem, denique Merciorum, & Orientalium populorum Reges, Episcoporum arbitrio, omnem Ecclesiæ œconomiam permiserint. Horum exemplo, Magnus Carolus, cùm filios docuisset Romanam Ecclesiam revereri; mox de aliis Ecclesiis hæc subjungit. *Similiter & de cæteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus; ut justitiam suam, & honorem habeant: & Pastores, & Rectores venerabilium locorum, habeant potestatem rerum, quæ ad ipsa pia loca pertinent; in quocumque de his tribus regnis, illarum Ecclesiarum possessiones fuerint.* Ita scripsit Carolus, ita fecit, ita fieri mandat; jubetque hæredes suos: Atque eo modo assecutus est omni merito cognomentum Magni. Quod illi nunquam assequentur, qui Ecclesiam vulgò prostituunt.

apud Baron. sup.

VI. Kinebertus moritur Wintoniensis Episcopus. Succedit Almundus.

Moritur hoc anno Kinebertus, Wintoniensis Episcopus, cùm decennio sedisset: & Almundus succedens, Ecclesiam illam administrandam suscepit. Sub idem tempus, si Fastos sequimur, Orientalium Anglorum Episcopus, qui Dumwici sedebat, Tidfridus nomine; sedendi, & vivendi finem fecit, & Weremundum habuit successorem, cujus nudum nomen, posterorum memoriæ commendatur. Verùm quia post annos octo, Tidfridus Episcopus, Merciorum Synodo subscribet, conjectura est, vel Fastos errasse, vel nomina interdùm Synodorum actis perperam apponi.

ANNUS CHRISTI 809.

LEONIS III. PAPÆ 14.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 10.

KENULPHI MERC. REG. 13.

BALDREDI CANTII REGIS 5.

I. Britanni & Saxonum dissidio, spem concipiunt.

Fervebat Insula ingentibus odiis, & Britanni priores incolæ, cùm cernerent minores esse Anglo-Saxonum coronas, quàm olim fuerant, omnemque Septentrionem, vario impetu, Austrum quoque, & Orientem; Cantii etiam regnum infirmiter stare: surrexerunt & ipsi, in spem aliquam recuperandæ Provinciæ, quam nullo juris

titulo,

titulo, Saxo tenebat. Sed contrà Saxo, qui armorum jure olim pugnaverat, nunc possessionis titulo auctior; doctusque duorum sæculorum experientiâ, æternos fore bellorum motus, quamdiu divisa essent sceptra: nec provincialium animos, in unum coituros; nisi ab uno capite mentéque regerentur: credidit enimverò quietam fore Insulam, si sceptra omnia in unum coalescerent. Unde acuebat quisque impetum in illam gloriam, cupiebatque, tam Britanno, quàm alio Saxone, in ordinem redactis, solus regnare. Sed uni Egberto destinata est divinitùs illa Provincia, ob majorum suorum Fidem, qui Romam præ cæteris amaverunt: ut nuper Magno Carolo destinatum est Occidentis imperium, eam ob causam. Egbertum ergò manet hæc gloria, sparsa per Insulam sceptra, in unum colligendi. Quod cæptum anno Christi octingentesimo nono: cum factâ in Britannos expeditione, Egbertus prima monarchiæ fundamenta posuit, non sine sanguine. Sic enim breviter Westmonasteriensis: *Anno gratiæ 809. Egbertus Rex Occidentalium Saxonum, ad illam regionem, quæ Cornubia dicitur, hostiliter accedens; subjugavit eam sibi, & suo adjecit regno, multis hinc inde interfectis.*

Egbertus in Britannos pugnat.

II. * [illegible] 17 & 29. Britanni in Cornubia Reges habuerunt.

Dixi suprà*, Cerdicium, cum in Occidentem pugnavit, provinciam illam quæ Cornubia dicitur (Malmesberiensis infrà citandus Cornugalliam vocat) Britannis permisisse, & Christi legem imponè colere. Cæterùm habuerunt illi Rempublicam suam; imò Principes & Reges. Unde superius Aldelmi literas dictavimus, ad Gerontium, ibi Regem, & Britannos heteroclytè Pascha celebrantes. Qui nunc fortè res novas moliti, Egberto ansam præbuerunt, inde Monarchiæ exordium petere; unde heptarchiæ ceperat: ab excidio, inquam & victoriâ Britannorum. Nam iis primùm victis, profligatisque, qui Occidentem incolebant; facilius inde potuit in vicinas provincias, vires suas, virtutémque explicare: quod & factum ab Egberto: anno sequenti, cum porrò in Septentrionem pergens, Britannorum reliquos devicit.

III. Elbodius Archiepiscopus moritur. Bala. l. 1. c. 72. Usser Primord. f. 87.

Moritur hoc eodem anno, si Caradoci Lancarvanensis chronico credimus, Elbodius quidam; quem Joannes Balæus, Northwalliæ Archiepiscopum facit. Unde, quia in Britannorum Republicâ sumus, dubium oritur: quis ille, & cujus Sedis Episcopus? Licet enim, procul omni dubio sit, Britannos, Episcopos habuisse: tamen in hac ultimâ rerum omnium ruinâ; difficile admodùm est, Ecclesiasticam eorum œconomiam, aut Episcoporum Sedes distinguere. Usserius putat Elbodium hunc, Elbodum esse, sive Elvodugum, cujus se discipulum Ninius confitetur. Sed ratio temporis adversatur. Nam Elbodus ille, cum Augustino nostro vixisse, ab eo rectum Paschatis diem didicisse, claruisse denique dicitur, circa annum Salutis 610. Dicitur ille quidem ab ipso Augustino, creatus Venedotarum Archiepiscopus: quâ voce Northwalliam intelligimus. Sed nullo modo potuit ad hunc annum superesse. Melius ergò iterùm putat Usserius, Elvodium hunc, eum esse, quem Godwinus, & alii, Landavensem Episcopum faciunt, numero decimum sextum.

Londavensis Episcopus vocatur aliquando Archiepiscopus.

Cæterùm, cur Archiepiscopus vocetur, dixi ad annum Christi sexcentesimum quartum. Quia nimirùm, Davide Sancto Meneviam secedente, Legionensis Ecclesia, cum Landavensi coaluit. Unde Britanni, in vitâ S. Oudocei, scripserunt: *Sicut Romana Ecclesia excedit dignitatem omnium Ecclesiarum Catholicæ Fidei: ita Ecclesia illa Landavia excedit omnes Ecclesias totius dextralis Britanniæ in dignitate, & in privilegio, & in excellentia.* ubi licet dextralis solùm Britannia, hoc est Australium Britannorum Provincia nominetur: aliunde tamen discimus, omnem Britannorum Ecclesiam intelligi, nam Dubritius, & Theliaus ejus sedis Antistites: *in omnes Ecclesias Occidentalis Britanniæ principatum obtinuisse scribuntur*, ut suprà etiam monui. In quem etiam sensum scripsit Huntindonius ita: *In Occidentali*, inquit, *parte Britanniæ, quæ vocatur Wallia, tres supersunt Episcopatus: Unus apud sanctum David; alius apud Bangor; tertius apud Lamorgan.* Per *Occidentalem partem*, Britannos omnes intelligit, tam Australes, quos hoc anno, quàm Septentrionales, quos sequenti, Egbertus bello superavit.

Apud Usser sup. fo. 80. Dextrales Britannia. In vitâ Samson. in regist. Landav.

IV. Ad hunc annum, consignant Fasti mortem Wulfhardi Herefordensis Episcopi, & successorem ejus Beonnam vocant, alii Bennam. Verùm superstitem adhuc Wulfhardum faciunt acta Synodi, cui interfuit, anno 816. ut ibi dicetur.

ANNUS CHRISTI 810.

LEONIS III. PAPÆ 15.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 11.

KENULPHI MERC. REG. 14.

BALDREDI CANTII REGIS 6.

I. Egbertus vincit Britannos Aquilonares. Westm. hîc.

EGBERTUS victoriam prosecutus, anno Christi octingentesimo decimo, pugnavit iterum in Britannos, qui ad Septentrionem erant, & communem cum aliis sortem subire fecit. De hac victoriâ, ita Westmonasteriensis: *Anno gratiæ 810. Rex Egbertus, Aquilonares Britannos subjugavit, & tributarios fecit.* Ubinam sederint Britanni illi, qui Aquilonares dicuntur, ex aliis authoribus facilè colligitur: nec enim opus in ultimum Septentrionem, aut Northumbriæ regnum descendere. Nam quotquot trans Sabrinam fluvium sedes fixerant, in variis ibi Silurum, Dimetarum, & Venedotarum provinciis; ut posteri, Wallos. sic primi Scriptores Britannos Aquilonares appellabant. Sic intellige Malmesberiensem, qui utriusque anni victorias complexus, quam Egbertus obtinuit, hæc habet: *Interea Egbertus, cum clementiâ & mansuetudine, subjectorum amorem redemisset; prima virium documenta in Britannos, qui eam Insulæ partem inhabitant, quæ Cornugallia dicitur, dedit. Quibus subjugatis, Aquilonares Britannos, qui à prædictis brachio maris dividuntur, tributarios fecit.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 1.

II. Eardulfus moritur. Eandredus regnat in Northumbria.

Eardulfus, quem nuper Leo Pontifex Northumbriæ regno restituit, hoc anno mortuus creditur: nam Eandredus quidam ibi regnare incipit, & summâ rerum potiri. Sic debet intelligi Westmonasteriensis, qui ad hunc annum scribens, dicit, Eandredum Alfwoldo successisse. Constat enim è supradictis, Eardulfum injuriâ pulsum,

à Leone restitutum esse. Unde illi potiùs, quàm Alfwoldo, dicendus est Eandr-dus successisse.

III. Eanbertus Hagustaldensis Episcop. moritur.

Succedit Tiffridus.

Malmesb. de Pont. l. 3. fol. 272.

Moritur in eodem Septentrione, Haugustaldensis Episcopus, Eanbertus; & illi in Sede successit Tiffridus, hoc anno octingentesimo decimo, ut signant Fasti. Hic quamdiù Sedem impleverit, incertum; constat solum ipsum ultimum ejus Ecclesiæ Antistitem fuisse. Nam Danorum inundatione, paulò post factum, ut plures Ecclesiæ, Hagustaldensis imprimis, Pastoribus viduatæ, solo æquarentur: de quibus Malmesberiensis, cùm Tiffridum dixisset Hagustaldensem Episcopum. *Exercitus*, inquit, *Danorum, qui jam tempore Alcuini, metuebatur; veniens habitatoribus extinctis, vel effugatis, habitaculorum tecta succendit, & secreta cælo exposuit, nunc est Haugustaldum villa Archiepiscopi Eboracensis.* hæc ille. De Danorum incursu, de Ecclesiarum ruinis, de causâ tantæ calamitatis; infrà dicam, cùm Dani tragœdiam inchoabunt. Nam adhuc Ecclesia stetit, & elegans monasterium: & per annos duodecim Tiffridus audire, & esse potuit Haugustaldensis Episcopus.

Ecclesiarum subordinatio.

Reges in Ecclesiam pii, Magni vocantur.

dor, vitiosos oculos offendit: unde gradu facto, Ecclesias alias illi conferre; imò præferre cæptum, specie pietatis: nemo enim derepentè fit impius. Verùm oppidò inconstanter stat particularis Ecclesia, nisi primæ subdatur; & quicquid decoris habet: fucus est, & minimè diuturnum. Ita descensum est in hodiernum statum Ecclesiarum, quem oculi omnium vident: & calamus ad posterorum memoriam transmittere erubescit. Verè Magnus Constantinus, verè Magnus Carolus, verè Ethelberti, Edwini, Oswaldi. Inæ & Offæ suprà; verè Alfredi, Edgari, Edoardi, infrà, cognominari possunt Magni; qui Ecclesias omnes, sed Romanam ante omnes, ornaverunt, amaverunt, coluerunt; & posteros suos ita facere exemplo, scriptis literis, diplomatis, testamento, docuerunt. Nec hæc solùm Magni vocantur; sed juxta Christi oraculum: Qui ita fecerit & docuerit, Magnus vocabitur in regno cælorum. Videamus nunc ut Romanam Ecclesiam Egbertus coluerit.

II. Ad hunc annum vixisse putamus Eadulfum, Candidæ Casæ Episcopum; à cujus morte vacat Ecclesia: Nam Danis provinciam depopulantibus, sacra siluerunt.

ANNUS CHRISTI 811.
LEONIS III. PAPÆ 16.
EGBERTI OCCID. SAX. REG. 12.
KENULPHI MERC. REG. 15.
BALDREDI CANTII REG. 7.

I. Carolus Magnus pie condit Testamentum.

* *vide an. 337. n. 4. &c.*

Annus Christi octingentesimus undecimus, non aliâ re clarior; quàm facto Caroli Magni; cum triennio ante mortem, pium testamentum scripsit: eoque se orthodoxum, Catholicum, & Romanum Principem scripsit. Hoc merito, Annalibus suis Wigorniensis noster eum inseruit; quia centies Anglo-Saxonum Principes morti vicini, pro remedio animarum suarum idem fecêre; quos omnes Constantinus noster exemplo præcessit, ut suo * loco demonstratum est. Benè ergo egregia Principum facta componuntur: & inde eruitur, ac illustratur Fides Regia. Carolus cum mobilia bona in portiones tres distinxisset; earum duas, metropolitanis Ecclesiis, & Romanæ imprimis pientissimè legavit. quo Reges scirent, se Ecclesiæ nutritios & alumnos esse: & tunc hæredes in paterna bona, feliciter firmitérque succedere: cum Ecclesia, inter hæredes, primo loco scribitur. Sic Angliæ & Galliæ regna florentissimè steterunt, per plura sæcula; quamdiu nimirùm, in ornando ditandóque Ecclesias, omnis ordo, uterque sexus, & Reges imprimis certando conspirasse quodammodo videbantur. Quid sit futurum, cum versâ vice, expilantur Ecclesiæ & Ecclesiasticorum bona, Christi patrimonium, laicorum cupiditati, serviunt; postera nos ætas docebit; sed & etiamnum docet Anglia, exauctoratis Episcopis, miscentur sacra prophanis, & Ecclesiastica bona, causæque omnes, fidem & dogmata spectantes, plebiscito stant vel cadunt. quo funestius nescio-quid dici, aut excogitari possit. Scio nos, non uno impetu, eò impietatis venisse. Nam primo Romanæ Ecclesiæ splen-

ANNUS CHRISTI 812.
LEONIS III. PAPÆ 17.
EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 13.
KENULPHI MERCIORUM REG. 16.
BALDREDI CANTII REG. 8.

I. Wulfredus Episcopus Romam vadit.

Wigorn. an. 812. Godwin. in Wulfredo.

Idem in Sarisbur.

Westmon. an. 814.

Wulfredus Dorobernensis, cum novem annos Ecclesiam administrasset, Romam cum Wiberto Schirburnensi Episcopo proficiscitur, anno octingentesimo duodecimo; ut Wigorniensis consignat. Quò etiam referri potest, quod habet Godwinus in Wulfredo: *De illo*, inquit, *qui successit Wulfredo, nihil aliud memoratu dignum reperi, nisi monachum adhuc ædis Christi Cantuariæ ad Archiepiscopatum assumptum, per Leonem tertium Papam; deinde annis postea novem, Romam, nescio quam ob causam profectum.* Ita de anno profectionis. Unde non placet quod habet Westmonasteriensis, consignans an. 814. nec quod habet Godwinus in Wiberto, quem Wilbertum vocat, aitq; *cum Wulfredo Archiepiscopo Cantuariensi Romam profectum anno 815.* Wulfredus enim, juxta Fastos, & veriorem Chronologiam, Dorovernensem sedem ascendit, anno quarto hujus sæculi; unde hunc nonum sedis annum vocamus. Quid duos Episcopos ex Insulâ Romam traxerit, Godwinus fatetur se nescire. Westmonasteriensis tamen paullò explicatius. *Wulfredus*, inquit, *Cantuariensis Archiepiscopus, & Wibertus Schirneburnensis Episcopus, Romam pro negotiis Anglicanæ Ecclesiæ profecti sunt.*

II. Cur Romam iverint?

Wulfredus ergò, penes quem omnium Ecclesiarum solicitudo erat; multa habuit summo Pontifici, pro suæ, aliarumque Sedium commodo, proponenda. Wibertus autem, Occidentis Episcopus, Egberti Regis Orator fuisse; & Occidentis regni Fidem explicuisse videtur. Nec mirum id fieri solitum ab Episcopis, qui in Romano

orbe

orbe versabantur; cùm hoc ipso anno, ab Imperatore Orientis, ita factum esse sciatur. Ibi enim Michael Curopalata, quantumvis Leo Orientem ab Occidente distinxisset, initio imperii sui, Oratores in Urbem misit, Episcopos duos, Michaëlem Alsaphium, & Theognostum Protospatharium: Qui Romam revertentes, *ut habuerunt in mandatis, venerunt ad Leonem, Romanum Pontificem, atque in Basilicâ Sancti Petri, fœderis libellum, nempè communicatorias literas, ab eodem Pontifice acceperunt*, ut Francorum Annales tradunt apud Baronium

Baron. hic

Qui factum ita commentatur. *Miserat enim EX MORE Catholicus Imperator, ad Romanum Pontificem, Catholicæ Fidei professionem; ut Catholicæ Ecclesiæ communionem consequi mereretur; à qua divisi fuerant prædecessores, Orientis Imperatores.* Hunc ergo MOREM, Egbertus observat, & mittit è provinciâ unum saltem Episcopum: qui suam & provincialium fidem exponat, petatque ex illâ petrâ, Fidei firmitatem.

III. Egbertus majores sequitur in cultu R. Sedis

Viderat enimverò solertissimus Princeps, quibus gradibus Occidentalium Saxonum Provincia, in maximam amplitudinem crevisset: legerat Inæ & Offæ pietatem, quâ regnum, & coronas suas, ad Petri & Apostolorum pedes, è more priorum sæculorum, religiosissimè posuissent. Demùm recenti memoriâ perspexerat; Carolum magnis à Deo victoriis auctum, donatum etiam Occidentis imperio; nihil in omni re antiquius habuisse, reverentiâ in Romanam Sedem: itaque assecutum cognomentum Magni. Ille ergò, qui Caroli industriam imitari, & Insulæ monarchiam adipisci cupiebat; eadem vestigia premere, Romanam Sedem revereri, denique quod ubique in more positum: cum Rnmano Pontifice Fidem profiteri, putavit operæ pretium. Et verò, ut nuper Brithricus, in regno prædecessor, per Kinebertum Wintoniensem Episcopum, eundem Leonem, tributo coluerat, ab Occidenos regno pendi solito, ut * suprà diximus, exeunte superiore sæculo: na novum R'egem, novum sæculum, eâdem pietate, auspicióque inchoare par erat. Hæc ergò Fidei professio, hæc in Sedem illam reverentia, dicto, factóque expressa, inter Ecclesiarum negotia, primum & maximum negotium, jure censendum.

* an. 799. 5.

ANNUS CHRISTI 813.

LEONIS III. PAPÆ 18.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 14.

KENULPHI MERC. REG. 17.

BALDREDI CANTII REGIS 9.

I. Wulfredus in Britanniam revertitur

Anno Christi octingentesimo decimo tertio, redierunt in Britanniam, qui Romam superiori anno profecti sunt. Wulfredus Dorovernensis, & Wibertus Schumburnensis Episcopi; cùm Anglicanæ Ecclesiæ negotia feliciter peregissent. De Wulfredi reditu hæc habet Wigorniensis: *Wulfredus Archiepiscopus, cum benedictione sancti Papa Leonis, ad sui præsulatus Sedem revertitur.*

Wigorn. hic.

a Æth.

Quod idem de Wiberto dicendum, per quem Egbertus, & Occidentis regnum, ejusdem Leonis benedictione munitur. Cæterùm licet Annales nostri, Wiberti ex Urbe reditum tacuerint; aliunde tamen scimus illum rediisse, & post annos tres, Chalcytensi Synodo adfuisse; ubi Catholicam, & orthodoxam Fidem, cum Wulfredo, & aliis Episcopis stipulatus est, ut dicetur.

II. Britanni iterum ab Egberto premuntur.

Interim Egbertus, juratus Britannorum hostis, cùm eos superioribus annis, bellis fregisset; iterùm eorum Provincias hostiliter ingressus, tributi solutionem, vel ab invitis extorsit. Sic intelligo Wigorniensem, qui cùm Wulfredum in Insulam reduxisset, addit: *Eodem anno, Egbertus Rex West-Saxonum, Occidentales Britones devastavit.* quod Rogerus, & Huntindonius ita paullò latius explicant. *Egbricht decimo quarto anno regni sui, prædavit in regnis Britonum, ab Oriente usque ad Occidentem; nec fuit, qui ejus immanitati, vel conaretur resistere.* Benè prædationem vocant, & vastitatem, cum inermis populus, ab armato milite petitur, & prædæ patet, atque hostium injuriis, qui agros & tecta perscrutati, quicquid cupiditati lenocinatur, avehunt, suique juris, nullo jure, faciunt. Fortè Britanni, novi tributi, & servitutis impatientes; vel jugum subire, vel istud demùm excutere conati sunt: & tandem ferro docti, parere didicerunt. Ita eorum spoliis auctus, & agrorum vastatione ditior Egbertus, ad majora audendum, animum erexit: brevi, Kenulpho Merciorum Rege potentiâ viribusque par, mox major futurus:

Wigorn. hic
Huntin. l. 4. fol. 344.
Hovedon. hic fol. 411.

ANNUS CHRISTI 814.

LEONIS III. PAPÆ 19.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 15.

KENULPHI MERC. REG. 18.

BALDREDI CANTII REGIS 10.

I. Moritur Carolus Magnus.

Annus Christi octingentesimus quartus-decimus, principum morte funestus fuit. Magnus Carolus alios præcessit, sub anni initium, mense Januario mortuus. Cujus quia sæpè superius facta mentio, & quia passim à nostris authoribus, ejus mors consignatur; non debent taceri mortis circumstantiæ. Coriolanus ita mortem recitat compendio. *Anno 814. mense Ianuario, septimo die, quâ decubuerat, Carolus Magnus, perceptis ritè Sacramentis, moritur anno ætatis 72. Talis ac tantus fuit Imperator, ut nullus fortè illi æquari possit, sive rerum gestarum magnitudinem, sive religionem spectes.* Cæterùm relictâ rerum gestarum magnitudine, Germanorum Francorúmque Annalibus, libentius religionem ejus intueor: tum quia Alcuinum è Britanniâ Magistrum habuit; tum quia Egbertum profugum, qui Caroli magisterio componere didicit utramque Remp. Itaque libenter eas mortis circumstantias lego, unde Magni Caroli religio colligi, & Regia Fides illustrari possit. Nec abeo à sensu authorum nostrorum, qui fortè ob rationes dictas, Caroli mortẽ suis Annalibus consignarũt. Hæc uter, Wigorniensis ita loquitur;

Perceptis rite Sacramentis.

Wigorn. an. 813.

Eucharistiam sumit.

Imperator Carolus, mense Ianuario, post balneum, febre corripitur. In quâ, cum septem dies laborasset, septimo die, accepto Corpore & Sanguine Domini, ut confortaret exitum suum; laboravit ipso die ac nocte sequenti. Sequenti verò die, luce adveniente, sciens quid facturus erat, manu dextrâ, ut potuit, signo sanctæ Crucis, totum corpus suum signavit: Deinde colligens pedes, ac brachia, super corpus extendens, clausisque oculis, hunc versum psallens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum; in senectute bonâ obiit quinto Kalend. Februarii. Indictione 7. anno ætatis suæ 72. Incarnationis Domini secundum Dionysium 813. ibique Aquisgrani eâdem die in Basilicâ Salvatoris, sanctæque MARIÆ, semper Virginis, quam ipse ex fundamento, mirifico opere construxit, sepultus est.

Signat se Cruce.

II. Wigorniensis supputatio annorum.

Non differt hic author, in anno mortis, ab iis, qui mortuum ponunt anno Christi 814. Sed solum, more patrio, auspicatur annum à mense Martio, ante quem, cùm Carolus mortuus sit; mori debuit, ex eo calculo, sub finem anni 813. & hæc est causa, cur Wigorniensis, cæteroquin accuratus annorum supputator, differt aliquando ab aliis authoribus, unius solummodò anni spatio. Porrò quod Carolus se moriturum Cruce signaverit; ejusdem temporis scriptor Theganus affirmat, & inquit: *Extensa manu dextra, virtute quâ poterat, signum sanctæ Crucis fronti imprimens, & super pectus, & omne corpus, consignavit.* Voluit etiam Magnus Carolus, ut ex tum confirmaret, alio Sacramento, quod extremam Unctionem dicimus, muniri: de quo Monachus Engolismensis, ejusdem sæculi author: [illegible] *autem sancto*, inquit, *inunctus Carolus ab Episcopis, & Viatico sumpto, & omnibus suis dispositis, commendans Domino spiritum suum, obiit in pace anno 814. ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi.* Et quoniam in mundi pulvere versanti obvium fuit etiam religiosa corda sordescere: ideo opportunè Baronius: *Maculas istas, jugis Caroli pænitentia abstersit, dum carnem suam, senilem licet, cilicio, super nudum corpus inhærente, jugiter indumento attrivit.* Ita pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis Sacramentis munitus, Carolus, Christiano, Catholico, & Romano more, moritur. Quo etiam modo, mori solitos Anglo-Saxonum Reges, retuli suprà*; quando cum ingenti animæ dispendio, privatum eo beneficio, Merciorum Regem Ceolredum, diximus.

Apud Baro. hoc.

Oleo sancto ungitur.

Anud eund. sup.

Idem supra.

Pænitentiæ opera.

* an. 716. n. 4. &c.

III. Novatores quid de Carolo.

Cent. 9. fol. 19.

Conantur Novatores, Magnum Carolum ad partes suas trahere; quasi semi tantum Catholicus, & Romanus esset. Ita enim scribunt Magdeburgici: *Fuit prudens & pius Imperator, & de plerisque capitibus doctrinæ, rectius sensit quàm multi alii. Imaginum adorationem, tanquam tetram idololatriam improbavit, ut patet ex libris ejus, contra Synodum Nicænam scriptis, & evulgatis.* Imò patet ex illis libris, impostores esse Magdeburgicos, qui Carolo libros imponunt, quos nusquam & nunquam scripsit. Evulgavit quidem ille, & ad Alcuinum nostrum misit, librum sibi ex Oriente transmissum: & Francofurtensis Synodi, ac Romanæ Ecclesiæ arbitrio submisit; ut pluribus ostendi suo loco.* Carolus tamen integerrimè cum orthodoxis fuit, & nunquam dixit tetram idololatriam esse, Imagines colere. Unde qui se, frontem, pectus; imò totum corpus, Crucis imagine signavit: totus Romanus est, & nihil habet factionis nuperæ, quæ Crucem, & imagines aversatur: Ludunt ergo Novatores operam, dum virum illustrissimum, & Romanæ Fidei addictissimum; inani fuco, fictisque coloribus, conantur denigrare. Et eo ferè modò ludunt operam, quo lusum à Cacodæmone, qui Caroli animam à corpore solutam, ad se pertinere, & sui juris esse, hoc anno contendebat.

Fides Caroli.

* an. 792.

IV. *Westm. hic.* Dæmon pro anima Caroli contendit; sed frustra.

Rem à Turpino Archiepiscopo Rhemensi proditam, sic refert Westmonasteriensis, ad annum gratiæ 814. *Post exiguum verò tempus, Caroli Regis mors ita mihi demonstratur. Cùm igitur apud Viennam in Ecclesia ante altare, die quadam, raptus in extasi, precibus insisterem, psalmumque, Deus in adjutorium meum intende, cantarem, teterrimorum agmina innumerabilia militum, ante me præterire, ac versus Lotharingiam tendere, agnovi. Qui cùm omnes pertransirent, intuitus sum quendam illorum, Æthiopi consimilem, retrò, lento gradu eos insequentem: cui dixi: Quo tenditis? Aquisgranum, inquit, ad Caroli mortem tendimus, ut ejus spiritum ad tartara rapiamus. Cui dixi, Adjuro te per nomen Domini nostri IESV Christi, ut peracto itinere tua dispositione, ad me reverti non renuas. Tunc modicum commoratus vix expleto psalmo, eodem ordine ad me redierunt. Et dixi novissimo, cui primum locutus fueram; Quid egistis? Et dæmon: Libravimus facta Caroli; sed Galletianus sine capite, tot & tantos lapides, ligna innumerabilia basilicarum suarum, in statera suspendit, quod magis appenderunt bona, quàm ejus mala: & idcirco ejus animam a nobis abstulit: & his dictis dæmon evanuit. Tali ergo intellexi, eadem die, Carolum ex hac luce migrasse, & subsidio Beati Iacobi, cujus Ecclesias multas ædificaverat, ad superna regna meritò transvectum.* Hæc Turpinus.

V. Excutitur Caroli Fides.

Ut falsi sunt Cacodæmones, juris aliquid in Caroli animam prætendentes, & Sacramentorum vim, quâ ille peccata deleverat enervantes, operumque bonorum efficaciam: ita falsi sunt Magdeburgici, dum Carolum conantur trahere in partes suas, qui omni jure aliò spectat, & Romano cœlo debetur. Nam per me licet, appendatur iterùm ejus anima in staterâ, librentur opera, excutiantur pondera, & momenta singula: integra Fides ejus, Catholica, orthodoxa, Romana, eminebit adeò; ut nulla nuperæ factionis macula, nullus eam fucus obscurare possit. Esto peccaverit aliquando Carolus: si tamen delicta juventutis, fertâ pœnitentiâ, aspero cilicio, Sacramentorum frequentiâ, templorum ædificio, sanctisque operibus expiavit: quid lucrantur dæmones in examine, judicióque factorum ejus: cùm bona magis longè præponderent. Nec magis, imò minus lucrantur Sectarii, dum sibi & factioni suæ asserere conantur Carolum: cujus opera omnia, quæ sequuntur illum, illum Romanum, & orthodoxum esse vocaliter clamant. Si invento Jacobi Apostoli corpore (quod Leonis hujus tempore factum omnes agnoscunt) thesaurum illum insigni basilicâ adornavit, coluitque. Si Aquisgrani aliam, mirifico opere, ut modò dictum, erexit Salvatori nostro, Virginique Deiparæ, si altaria ibi posuit. (nusquam & nunquam, non solùm à Christo nato, sed nec ab orbe condito, templum sine altari erigitur.) Si altaria, sacrificium necessariò inferunt, ut græcum θυσιαστήριον & hebræum מזבח disertè probant: si sacrificium aliud ostendi non potest, quàm incruentum illud à cruento derivatum, ubi Christi corpus conficitur

& reco-

& recolitur memoria passionis ejus: denique si Romanam Ecclesiam impensè coluit, jussitque posteros colere: manifestè patet, Carolum hæc omnia jubentem, facientem, credentem, nullam cum illis Fidei societatem commerciumque habere; qui inventos Sanctorum cineres dehonestant, qui templa illis posita, aut evertunt, aut pervertunt, qui altaria demoliuntur, omnia denique quæ Sanctum, aut sacrificium, aut Rom. Ecclesiam sapiunt, aversantur. Sed missâ cacodæmonum, & Magdeburgensium lite, redeamus in Britanniam, ubi Cathedrales aliquot Ecclesiæ lugent ob mortem Prælatorum.

VI. Aldulf. Lichfel. moritur.

Aldulfus Lichfeldensis Episcopus, cùm Ecclesiam piè, prudenterque rexisset, ab anno septingentesimo nonagesimo quinto; naturæ debitum solvit; vir pacis cultor, & humilitatis, qui ita Archiepiscopi pallium aliquandò induit, ut illud iterùm ponere, & exuere paratus fuerit, publici potiùs, quàm privati boni æmulator. Successorem habuit hoc anno Herewinum, qui in actis Synodi Chelchitensis, post annum sequentem, librariorum opinor vitio, Heremmius scribitur, inter Merciorum Episcopos. Sub idem tempus, & Fasti hunc annum signant, Werenbertus Legecestrensis Antistes sedere desiit, & Sedem Rethuno reliquit, qui in modo dictâ Synodo, Rathunus scribitur: fuitque (ut vult Godwinus) Abendonensis Abbas: inde suo merito, ad regendam Merciorum Ecclesiam assumptus. Denique Alhmundus Wintoniensis Episcopus, eodem anno moritur: Et Wightenius in ejus locum succedit, numeraturque Wintoniensium Episcoporum decimus quartus.

Succedit Herewinus.

Werenbertus Legcest. moritur. Succedit Rethunus. *Godwin in Lincoln.*

Alhmundus Winton. moritur. Succedit Wightenius.

ANNUS CHRISTI 815.

LEONIS III. PAPÆ 20.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 16.

KENULPHI MERC. REG. 19.

BALDREDI CANTII REG. 11.

I. De Ethelstano, quid narrent Scoti?

ANNUS Christi octingentesimus decimus quintus, nihil habet singulare, quod utramvis Remp. spectat: nisi velim incertis rerum narrationibus, historiam vitiare. Quod enim Scoticarum rerum scriptores aiunt: Hungum Pictorum Regem, insigni victoriâ Anglos profligasse, non procul ab amne Tina, in Merchiæ & Laudoniæ confiniis, & Ethelstanum quendam, belli ducem, Saxonici generis, ibi mortuum, nomen loco dedisse Ethenstanford: quod ad annum Christi 815. refert Camdenus, tenebræ sunt. Quod si Ethelstanus ille, Ethelwulfi filius fuit; ut Fordonus in Scoti chronico, & alii passim affirmant, proculomni dubio, somnium est cùm eum in Septentrione ducem exercitus constituant, qui vix hoc anno natus sit. Athelstanus enim ille, Egberti in Occidente nunc regnantis, ex filio nepos fuit: & avus needum in Septentrionem pugnaverat; needum Humbrum fluvium, aut Nurthumbriæ regnum ingressus, Britannos solùm occidenti conterminos, uno, alteróque prælio fregerat. De Ethelstano igitur Ethelwolfi filio, posterius* dicendum: postquam avus Insulæ monarchiam adeptus, nepoti ansam dare potuit, in Pictos, Scotosque surgendi.

Camden in Scotiâ fo. 18.

Scotichron. l. 4. c. 13. &c.

* *an. 857. n. 6.*

II.

Melius ergo Georgius Buchananus, hunc belli ducem in Laudoniâ occisum, non Æthelwulfi Occidentalium Saxonum Regis filium opinatur fuisse; *sed Danicæ gentis Imperatorem*: cui Angli, inquit, affirmant Northumbriam, *ab Aluredo, concessam*. Sed, ut id fuerit: non debet hæc victoria in annum Christi 815. cadere; quia needum nascitur Aluredus, qui Northumbriam Danis concessisse dicitur. Cæterùm, quia addunt authores, Crucis beneficio, mirabiliter partam esse Victoriam: & quia Boethius affirmat, Pictorum, Scotorumque nobiles tunc, *pollicitos, Hungo authore, se suamq; posteritatem, signo Crucis D. Andreæ, quoties ad prælium fuerit proficiendum (ut tam insignis victoria parta divinitùs, gratâ recordatione, semper haberetur) pro insigni semper usuros.* Misceri puto multa, præter historiæ decorum, & in unum annum congeri, quæ melius in plures; imò plura fortè sæcula digeruntur. Ut Crucis beneficio pugnatum sit, Ungo Rege, dixi ad annum 395. ubi Andreæ Apostoli pietas, & Pictorum in Deum religio eminuit. Ex eo tempore, Andreæ Crux, Scotorum Principibus adeo placuit; ut illam deinceps, pro gentilitio signo, usurpaverint. Illud ergo Crucis miraculum prius contigit: hæc de Athelstano victoria, longè posterius, nunc videamus certiora.

Buchan. l. 5. in Rege 62.

Boethius, Leo fo. 190.

Crux S. Andreæ, a Scotis usurpata.

ANNUS CHRISTI 816.

STEPHANI V. PAPÆ 1.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 17.

KENULPHI MERCIORUM REG: 20.

BALDREDI CANTII REG. 12.

I. Leo Papa moritur.

ANNO Christi octingentesimo decimo sexto, moritur Leo tertius, Romanus Pontifex, postquam Christi Ecclesiam, inter prospera, & adversa, prudenter rexerat, annos viginti. In ejus locum, eodem anno electus est Stephanus, eo nomine quintus; licet quartus etiam nonnunquam appelletur; quia secundus eo nomine, triduo tantum vel quatriduo, Sedem occuparat. Sed nec iste diù vixit. Nam septimo ab inito Pontificatu mense, moritur; sub anni sequentis initium.

Succedit Stephanus V.

II. Wulfredus Synodum vocat

Interim Wulfredus, Dorovernensis Archiepiscopus, ut primam in Britanniâ Sedem decebat, omnes Anglo-Saxonum Ecclesias componere, monasteriorum quieti commodisque prospicere, vitia quæ irrepserant, emendare studens; Synodum vocat, & omnem clerum Dorovernensi Sedi subjectum. Qui, ut commodius conveniret in Merciorum Provinciâ, hoc est, ipsius Diœceseos meditullio, locus indicitur, quem Celchyth vocant. Eò Kenulphus Rex, & proceres plurimi; eò Episcopi cum suo clero; eò Abbates denique, & monasteriorum præfecti, convenientes; multa dixerunt, pro Sanctiore Republicâ, quæ è Synodi Actis Spelmannus collegit, atque ita Synodum

Apud Celchyth.

Spelman. fo. 327.

inscripsit. *Synodus apud Celichyth, die 6. Kal. Augusti, Anno Domini 816. Indictione 9. Kenulfi Regis Merciorum, qui ibidem interfuit, vigesimo præsidente vero Wulfredo, Archiepiscopo Cantuariæ, qui Sedis suæ annum jam decimum-tertium agebat. In quâ retinentur fides orthodoxa, & præcepta Canonica * eduntur, novi aliquot Canones, ad res & mores Ecclesiasticorum gubernandum.* Subjicit inde Synodalium Capitulorum Synopsim a se additam. Ego, illâ omissâ, tantum gesta recenseo, quæ sic se habent.

III. Acta Synodi Celchytensis

Regnante, ac gubernante Deo, & Domino nostro IESV Christo. qui dispensat orbem terrarum in æquitate, quique cælum, & omnem creaturam, sua virtute, penetravit. nec non cuncta patris imperio, ac pariter Sancti Spiritus gratia, sursum atque deorsum mirabilem in modum perficit, atque discernit. Et eodem Domino donante, Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo decimo sexto, Indictione nonâ, hæc Synodus congregata fuerat, die sexto Kal. Augusti, in loco famoso, qui dicitur Celichyth: præsidente vero Wulfredo Archiepiscopo, cæterisq; adsidentibus, Australibus Anglorum Episcopis, id est, Beornmodo, Rofensis Ecclesiæ, Æthelvulfo, Selesege Episcopo nec non Wigthegn, & Wigberto Occidentalium Saxonum Episcopo, Deneberto Wicciorum Episcopo. Wulfheard quoque Herefordensi Antistite: simul etiam reverendissimis Merciorum Episcopis, Heremundo, & Rathuno. insuper Eadwulfo, Lindisfarorum Episcopo. Honorabilibusq; Orientalium Anglorum Episcopis, Sibbano, & Tidfritho, seu Æthelnoto, Londoniæ civitatis Episcopo. Porrò Cenulfi Regis Merciorum, anno vigesimo, qui tunc tempore præsens adfuit, cum suis Principibus, Ducibus, & Optimatibus: dum undique sacri ordines Præsides, cum Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, pariter tractantes de necessariis & utilitatibus Ecclesiarum. Hactenus proœmium.

IV. De subscribentibus Episcopis.

In quo, si Episcoporum præsentium nomina, & Sedes rectè scribuntur, dicendum est, Osmundum Londinensem sedere desiisse, & illi Æthelnothum suffectum esse. Unde corrigendi essent Fasti, qui ingressum ejus multò posterius: hoc est, ad annum octingentesimum trigesimum quintum consignarunt. Sed quoniam Osmundus Londinensis Regiæ chartæ subscripsit, anno octingentesimo trigesimo tertio: & quia Ethelvulfus etiam adfuisse dicitur, Selesciensis Episcopus, quem Fasti, Godwinus & Malmesberiensis; non Osæ, seu Bosæ successorem, (quem ultimo in eâ Sede collocavimus, anno 790.) sed post Giselherum, Totam, & Wihtunum, quarto demùm loco nominant, post annos septuaginta. ideò cogor opinari, inaccuratè aliquando Episcoporum nomina, Synodorum actis apponi; quo etiam modo Orientalium Anglorum Episcopi, Sibbaous & Tidfridus, fortè irrepserunt; quorum ille, anno 788. iste 808. vivere desiisse, ab aliquibus putantur. Tidfridus certè, si hucusque vixit, nunc locum dedit Weremundo successori, ut dictum anno 868 num 6. Osmundus Londinensis non videtur Ethelnotho locum dedisse, ante annum 835. ut ibi. Demque Beornmodus, hoc primùm anno, vel sequenti, locum dare potuit Burrhico; quem Fasti tamen, ante annos duodecim, in Roffensi sede locaverant. Hunc Malmesberiensis Burrhicum vocat: illum Westmonasteriensis Beornredum. Unde ego si p... picatus sum, illum ipsum esse ... Alcuinus inscripsit, dedicavitque vitam S. Willibrordi. Verum rectè monet hoc loco Godwinus, Roffensium Episcoporum seriem, vel mutilam, vel interruptam esse. Unde quod de Burhrico, Beornmodi successore dicitur, non satis constat cum Regiis chartis, quæ infra citabuntur. Nunc Synodi Acta, ordine quo illa Spelmannus recitat, videamus. Monito Lectore, incmendate satis illa produsse; quæ ideo aliquoties correximus, ut patet e notis in margine. Puto tamen Wulthardum Herefordensem adhuc in vivis fuisse; & jam primùm Ecclesiam Beonnæ cessisse, qui passim ejus successor ponitur.

Beornmodus Roffensis moritur: Succedit Burhricus.

Cap. 1. De Fide & Canonibus retinendis.

V. Fides illibata.

Primo in loto exposuimus fidem Catholicam, & Orthodoxam quoque Christianam Legem, atque præcepta Canonica, quæ à Sanctis Patribus fuere constituta. [a] dicimus nos velle, cum omni diligentiâ, illa inlibata, & incorrupta custodire fatemur: & alios hoc idem docere, instruere, atque firmare. ut per hoc mereamur nostrorum percipere indulgentiam peccatorum.

[a] didicimus

Cap. 2. De modo consecrandi Ecclesias.

Ecclesiarum consecratio cum aqua benedicta

Secundo: Ubi Ecclesia ædificatur, à propriæ diœcesis Episcopo sanctificetur. Aqua per semetipsum benedicatur, spargatur; & ita per ordinem compleatur, sicut in libro ministeriali habetur. Postea Eucharistia, quæ ab Episcopo, per idem ministerium consecratur, cum aliis reliquiis, condatur in capsula, ac servetur in eadem basilicâ. Et si alias reliquias intimare non potest, [b] tamen hoc maxime proficere potest, quia Corpus & Sanguis est Domini nostri IESV Christi. [c] Sic enim præcipimus unicuique Episcopo, ut habeat depictum in pariete oratorii, aut in tabulâ, vel etiam in altaribus, quibus Sanctis sint utraque dedicata.

Eucharistia, cum SS reliquiis servata.

[b] tam

[c] Seu

Cap. 3. Ut concordes omnes invicem diligant.

VI. De Charitate.

Tertiò confirmavimus: ut undique inter nos stabilis permaneat concordia, & intima pacis, charitatisque devotio. Ut una sit omnium voluntas, in opere & in sermone, vel in judicio; sine cujusquam adulatione & disceptatione, quia unius ministerii sumus conservi, unius fabricationis cooperatores, unius corporis membra, cujus caput est Christus. Ideo sicut conjuncti sumus, in uno spiritu, per fidem & dilectionem: ita condecet actus nostros, atque verba, sine simulatione servare, in timore & amore Dei Omnipotentis. atque diligenter, pro invicem orare, ut per illud mereamur accipere coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Cap. 4. Ut Abbates & Abbatissæ probi eligantur per Episcopum, & conventum.

Episcopi Abbates eligunt cum consensu familiæ.

Quartò consideravimus decreto: ut habeat unusquisque Episcoporum potestatem in suâ propriâ diœcesi, Abbatem vel Abbatissam eligere. & hoc cum consensu & consultu familiæ, & ab omnibus diligenter inquiratur, & investigetur castitas hujusmodi, ut ab omnibus capitalibus delictis immunis [d] habeatur. Id est, ut nec in occisione hominum, aut procreandis filiis, vel etiam in graviore & publicè furto, sit coinquinatus; sed inter claustra monasterii regulariter suam vitam duxerit. Prudens & acutus in sermone, ne per ejus instantiam, & taciturnitatem, grex ei commissus [e] . Et iterum aspiciat Episcopus, ne pro illius amore, vel competentis pecuniâ, aut ex propinquitate, quis

[d] habetur

[e] Aliquid deesse videtur.

plus

plus eligatur, quàm decet. Hæc ullatenus sine consensu familiæ, nec familia, sine concordiâ Episcopi: sed in unum conjunctis, & secundùm ordinem per omnia increpare permittatur, & habeatur.

Cap. 5. Ut Scoti, non admittendi sacra ministrare.

VII. SCOTI ARCENTUR A SACRIS MINISTRANDIS.

Quintò interdictum est, ut nullus permittatur, de genere Scotorum, in alicujus Diœcesi, sacrum sibi ministerium usurpare: neque ei consentire liceat, ex sacro ordine aliquid attingere; vel ab eis accipere in Baptismo, aut in celebratione Missarum, vel etiam Eucharistiam populo præbere; quia incertum est nobis, unde, & an ab aliquo ordinentur. Scimus quomodo in Canonibus præcipitur, ut nullus Episcoporum, vel Presbyterorum, invadere tentet alterius parochiam, nisi cum consensu proprii Episcopi. Tantò magis respuendum est, ab alienis nationibus, sacra ministeria percipere, cum quibus, nullus ordo Metropolitanis, nec honor aliis habeatur.

CUR SCOTI PROHIBENTUR SACRAMENTA MINISTRARE.

E quinto hoc capite, satis apertè colligitur; Scotorum & Anglo-Saxonum Fidem, Ecclesiam, & sacra eadem fuisse. Solùm ergo hic Canonum observantia præcipitur, ut quilibet Sacerdos, in suâ parochiâ ministret. Notatur tamen imprimis Scotorum natio; quia illi fortè præ cæteris, extra provinciam vagari, nec suis contenti esse sedibus, videbantur. Quâ locorum inconstantiâ (ut olim in Pelagio) colligebant sordes, in Fide, moribusque maculas, & trahebant alios in ruinam. Observaverat hoc Bonifacius, Germaniarum Apostolus monueratque Zachariam, anno septingentesimo quadragesimo quinto Clementem quendam genere Scotum, in Germaniâ vagari, cum multorum periculo: objiciens illi hæc crimina: *Contra Catholicam*, inquit, *contendit Ecclesiam, abnegans scilicet, & refutans Canones sacros, tractatus, & expositiones sanctorum Patrum, Hieronymi, Augustini, Gregorii, Synodalia etiam jura spernens: affirmat se, post duos filios, in adulterio natos, esse posse legis Christianæ Episcopum: præterea Iudaismum introducens*, &c. quæ superiori tomo * notavimus. Bonifacius noluit, his tenebris, obscurari in Germaniâ Fidem; quam ibi cum ingenti fructu seminabat: corripuit ergo hominem; jubet secessere, aliò mandat acriùs puniendum. Simili pietate M. Carolus, presbyterum infamiâ laborantem, quod in Coloniensi diœcesi carnem comedisset, magni jejunii tempore, in patriam remittit, scriptis * ad Offam Merciorum Regem literis, & exposito subversionis periculo. Sanctè ergo ab Episcopis cautum, ne Britannia, Ecclesiasticos mores, Fidemque his vitiis corrumperet; & benè, præmittentes Canonum observantiam, legémque Castitatis, concludunt vagos homines extra Ecclesiæ nostræ pomœrium, ablegandos.

Bonifacii Epist. 139.

* v. an. 745. n. 31.

* v. an 795. n. 11.

Cap. 6. Ut judicia Episcoporum, & quæ signantur vexillo Crucis, firma sint: & de vocato ad Synodum.

VIII. *a* *fringantur.* JUDICIA EPISCOPORUM, ET CRUCE MUNITA, FIRMA SUNT.

Sextò sancitum: ut non [a] *infringantur judicia Episcoporum, quæ à nobis nostrisq́; prædecessoribus, Synodali decreto constituta sunt; sed firma, & irrefragabilia ita permaneant. Seu etiam de omni re, quæcumque cum vexillo Sanctæ Crucis Christi roborata est, sic stare, servaréque præcipimus: nisi forsan Rex, vel Princeps, antecessorum suorum manuum impositiones, pro nihilo ducant, & illud non emendare, neque* [b] *cassare pertimescant, id ipsum in se, suisq́; hæredibus, sustineant. Sicut scriptum est: in quocumque judicio judicaveritis, judicabimini. Et iterum: Si quis ab accusatoribus suis invitatur ad Synodum; & ei obviantis, non tardaverit semel, secundò, tertiâ vice, paratus rationem ponere, & accusator renuit, & suam causam movere differat, postea judicabimus, nihil ab eo plus exigatur, sed suo proprio sit contentus.*

b *cessare*

Cap. 7. Ut prædia, & telligraphia monasteriorum, non alienentur.

ALIENATIO PROHIBETUR RERUM ECCLESIÆ.

Septimò constitutum est: ut nec Episcopi, nec Abbates, Abbatissæve, qui regimina, vel territoria monasteriorum percipiunt ad servandum, ut nulli eorum licitum sit, aliquid de possessione agrorum Ecclesiarum minuere, vel alicui in hæreditatem deputare; nisi in dies, & spatium unius hominis, & hoc, cum consensu, & licentiâ familiæ: Et iterum reddatur Ecclesiæ. Tamen serventur libri primordiales, cum aliis telligraphiis, ne imposterum [c] *aliquem scrupulum contradictionis immittere conentur; quia valdè periculosum est illis, qui deputantur custodes cœnobiorum, & defensores constituti sunt, illud distribuere, ac auferre, quod ab aliis, pro suarum animarum salute, Deo Omnipotenti, & Sanctorum reliquiis, in propriam hæreditatem conceditur: nisi rationalis causa poposcit, adjuvari contra invasionem famis, & deprædationem exercitus, & ad libertatem obtinendam. Alioquin indisrupta, & integrè serventur, ne inopiâ despoliati periclitentur, sed magis unusquisque sit suo proprio contentus, & illud distribuat propinquis, vel alienis, secundùm meritum qualitatis.*

c *aliquod*

IX. CUR CRUCE PRIVILEGIA MUNIUNTUR.

Ex his duobus capitulis, religiosa Majorum nostrorum consuetudo deprehenditur, muniendi monasteriorum & Ecclesiarum privilegia, datáque illis prædia, signo Sanctæ Crucis: & ratio ita faciendi aptè colligitur; quia nimirùm Ecclesiæ, ac monasteria, Christo militabant: & omnia ad illa spectantia, ita in ejusdem Christi dominium, proprietatémque transibant, ut in nullius hominis potestate esset, dominium illud, in alium transferre. Ut autem quæ ejusdem generis essent, ab omnibus certò sciretur; placuit proprium Christi insigne, quo nimirùm se hominem mortalem, & rerum omnium hujus mundi Dominum probarat; vexillum, inquam, Sanctæ Crucis apponere, quo mundum triumpharat. Hoc Apostolorum inventum fuisse, dixi ad annum Christi sexagesimum, num. 12. & olim non alio magis signo, fidelem ab infideli, Christianum à pagano distingui solitum, anno 64. n. 12. anno 203. num. 7. anno 183. num. 2. anno 542. num. 5. anno 560. num. 13. anno 598. num. 20. & anno 602. num. 2. Cæterùm, ut res Cruce signata, in Christi peculiare dominium semper transeat, ideóque sacra & sacrosancta censeatur, dixi ad annum 694. num. 4. & latiùs numero 9. Ut videas omnia sæcula conspirare, & pro Cruce loqui; quam solùm moderni sæculi vitia, in omnium sæculorum Fidem peccantia, aversantur, eradunt, atque proscribunt. Cæterùm quamvis impiè, id tamen consequenter faciunt, ad sua nequissima principia. Qui enim sacros Canones, & Ecclesiæ legem respuunt, inde facto gradu, Ecclesiam ipsam audire nolunt, per-

gunt

gunt inde, descenduntque profundiùs, & miscent universa: quod facere, stante Cruce, quia impiissimum esset, Crucem tollunt: quâ sublatâ, cedire putant rem ad priorem Dominum: Ita saltem putavit Julianus Apostata, cùm Crucem in labaro, quem noster Constantinus fixerat, primus refixit; ejusque loco Jovis simulachrum substituit. Quo facto Romanum orbem à Christi cultu, ad idolorum cultum traduxit, ut monui suo loco.

X. Quemadmodum igitur Crux Christi, unicum redemptionis nostræ fundamentum est, & lapis primus sacri ædificii, quo homo per baptismum in Christi militiâ scribitur, ut dixi anno 183. n. 20. cùm Lucium Baptizavi: ita fundamentum primusque lapis contrariæ factionis, est Crucem abjicere, ut dixi ad an. 228. n. 1. & an. 286. n. 39. Et ejus rei eloquens argumentum dedi anno 351. cùm Julianum Apostatam appellavi. Nam illa cognomina, quæ tredecim sæcula servaverunt, non otiosè esse putandum est. Et piè quæritur: Quid Julianus imprimis, & ante omnia fecit, cur illi cognomen illud adhæserit? Cui aliud responderi non potest, quàm quod ibi dixi; nimirum, Constantinum Magnum à Crucis signo, prima fidei elementa didicisse, inde Cruce labarum signasse, denique Christianum Imperatorem appellatum esse. Julianum contra, à dæmone doctum Crucem abjicere, tunc primùm à Christi fide recessisse; hoc est, Apostasiæ suæ fundamentum jecisse: primúmque vocatum inter Reges Apostatam, quod tredecim sæcula toties crediderunt, quoties illum Apostatam appellarint. Sanctè ergo, & primis Apostolorum temporibus conforme, jusserunt majores nostri, hominem baptizandum Cruce signari cùm Christum induit. Et benè Zacharias Papa, ad Bonifacium nostrum scribens; qui Sampsonem Scotum accusaverat, quod de Baptismi necessitate perperam sentiret, respondet, signaculum Crucis in baptismo omittentes, *ministros Satanæ, non Christi, esse*, ut habes anno 748. num. 7. Sic habes compendio, duorum capitulorum sensum, quæ Ecclesiæ bonis ita prospiciunt, ut telligraphia, hoc est, authentica scripta, quibus Ecclesiarum jura & prædia probantur, illibata serventur, quo juris evidentia pateat, & quæ cruce munita sunt, *firma & irrefragabilia permaneant*: quia nihil erit, in terris, sanctum, nihil poterunt Reges ad posteros transmittere, nulli juris apices vim habebunt, si Christi Cruce munita, transire possunt ad alium Dominum. Quod etiam sentire videntur Calvinistæ, qui Crucem ubique obliterantes; tunc primùm, nec priùs; Ecclesiarum bona prostituta, communia, & primi capientis esse, credunt. Cujus contrarium senserunt Episcopi, hoc anno in Synodo congregati, qui jubent iterum, Deo dedicata, nullis nisi lege expressis, usibus applicari, átque ita loquuntur, Canone 8. nimis corrupto.

Julianus cur dicitur Apostata?

Telligraphia quænam sint?

Cap. 8. Ut Deo dedicata, sic perpetuè maneant.

XI. *Octavò statutum est: monasteria, quæ semel dedicata sunt, cum concilio Episcoporum, & in quibus statuitur regularis vita, seu etiam Abbas, vel Abbatissa, ab Episcopo benedicantur. Sicq; in perpetuo permaneant monasteria, & res, quæ ad eum pertinent: nisi causa penuriæ, pro rapacitate Sacularium, ita * inviolabiles stare non possunt, indicabimus Episcopo, cum suâ authoritate magis liceniisse ovile Christi defendere, quàm luporum faucibus, in prædam dimittere. Et hoc fieri præcipimus, pro magnâ necessitate familiæ, ne ex cupiditate, avaritia causa intelligatur. Ac etiam ubi investigatur primitùs constituta regularis vita, & in eâ electio Abbatum, vel Abbatissarum, & eorum consecratio, à suorum Episcoporum ([a] aliquo fiat) Nec ultra ullatenus fieri ([b] debet) dominium nec habitatio Sacularium. Quia hoc capitulum nullos æstimet noviter à nobis constitutum. Sed si quis desiderat, in Synodo Chalcedonensi reperire non pigeat. Ideò ex nostrâ authoritate, id ipsum confirmamus: & in nomine Omnipotentis Dei, ita servare præcipimus, sicut in antiquis Canonicis capitulis constitutum reperimus; & ab Apostolicis viris, initio primitivæ Ecclesiæ, mandatum esse didicimus. Sic ea regula, & observantia, monastica sua disciplina, & Ecclesiastica jura, sine maculâ observare præcipimus. Si autem aliquis, quod non optemus, presbyter aut diaconus, vel aliquis ex numero clericorum, sive ancillarum Dei, ausi fuerint, hoc nostrum mandatum, & Apostolicorum virorum institutiones spernere, & pro nihilo ducere: sciant se suo gradu privari, & à sancta Dei Ecclesia participatione sequestratos, & à communione electorum omnium, eos esse anathematizandos, vel etiam in tremendo judicio ante tribunal Domini nostri JESU Christi, rationem esse reddituros; nisi antea cum humili satisfactione, voluerint emendare.*

Conservanda bona Ecclesiastica.

* locus corruptus.

[a] electione
[b] additum

Conc. Chalcedonens. actione 15. can. 10. 25. &c.

Cap. 9. Ut describenda sint judicia Synodorum.

XII. *Nonò sancximus, in illâ præfatâ Synodo, ut unusquisque Episcoporum debeat describere judicium illud, quod in qualicumque Synodo constitutum est, vel ad illius parochiam pertineat. Sic enim constituimus, ut cum ratione & ordine describat, qualis annus Domini computatur, aut à quali Archiepiscopo, & aliis adsidentibus Episcopis investigatum & confirmatum sit illud judicium, ne fortè aliquis homo, in suâ parochiâ, cui rectum sit judicium constitutum, per falsam machinationem, & malam versutiam, à recto judicio declinet. Sed semper maneat firma atque immobilis, in conscientiâ illius Archiepiscopi, & illius Episcopi, cujus sit diœcesium, & ille habeat aliam chartam, ad suam sedem Episcopalem, aliam ille, ad quem judicium illud pertineat, ne imposterum aliquod scrupulum iniquitatis adplicetur.*

Describenda Synodorum Acta.

Cap. 10. Ut Episcoporum fient exequiæ.

XIII. *Decimò jubetur: & hoc firmiter statuimus adservandum, tam in nostris diebus, quàm etiam futuris temporibus; omnibus successoribus nostris, qui post nos illis sedibus ordinentur, quibus nos ordinati sumus, Ut quandocumque aliquis, ex numero Episcoporum, migraverit de sæculo, tunc pro animâ illius præcipimus, ex substantiâ uniuscujusque rei, decimam partem dividere, ac distribuere pauperibus, in eleëmosynam: sive in pecoribus, & armentis, seu de ovibus, & porcis, vel etiam in cellariis. Necnon omnem hominem Anglicum liberare, qui in diebus suis sit servituti subjectus; ut per illud sui proprii laboris fructum retributionis percipere mereatur, & indulgentiam peccatorum. Nec ullatenus ab ullâ personâ, huic capitulo contradicatur; sed magis, prout condecet, à successoribus augeatur, & ejus memoria semper imposterum, per universas Ecclesias nostræ ditioni subjectas, cum Dei laudibus habeatur, & honoretur. Prorsus orationes & eleëmosynas, quæ inter nos specialiter condictam habemus;*

Exequiæ Episcoporum.

id est,

*id est, ut statim per singulas parochias, in singulis quibusq; Ecclesiis, pulsato signo, omnis famulorum Dei cætus, ad Basilicam conveniat, ibiq; pariter XXX. Psalmos, pro defuncti animâ decantent. Et postea unusquisque Antistes, & Abbas, DC. Psalmos, & CXX. Missas celebrare faciat, & tres homines liberet: & eorum cuilibet tres solidos distribuat. & singuli servorum Dei, diem jejunent, & triginta diebus Canonicis horis expleto Synaxeos, & VII. * beltidum Pater noster pro eo cantetur: & hoc expleto, tricesimâ item obitus sui die, tam benè reficiantur, sicut in cujuslibet Apostolorum natali die refici soleant, & per omnes Ecclesias tam fideliter pro eo agant, sicut moris habent, pro eorum domestica fidei exorando facere. Ut communis intercessionis gratiâ, commune cum Sanctis omnibus regnum percipere mereantur æternum.*

Orationes pro defunctis.

* *obscurum.*

XIV. Obscurè, fateor, redduntur hi Canones; clarè tamen Anglicanæ Ecclesiæ sensus eruitur, nimirùm pro defunctorum animis orandum, cantandum, sacrificandum esse. Quod* suprà primò sæculo ostendimus, Apostolicâ Traditione descendere. Et quoniam Missæ sacrificium quotidie offerebatur (ut dictum anno 300. n. 9.) idcò tot numero Missæ assignantur, quot triginta dierum spatio, commodè poterant celebrari. Enimverò triginta dierum curriculo, solenniores exequias circumscripsisse videtur Magnus Gregorius, Anglo-Saxonum Apostolus; è cujus mente hic Canon dictatur. Cæterùm longè priùs, pro animâ Magni Constantini sacrificatum esse, anno trecentesimo trigesimo-septimo, num. decimo-septimo perspicuè cernitur. Monicam etiam Sacrificium apud altare, pro suæ animæ requie, à Magno Augustino filio suo postulasse, anno trecentesimo octuagesimo nono, num. quarto, & anno quadringentesimo, n. 29. &c. ipsius Augustini verbis asseritur. Hinc factum posterioribus sæculis, ut eleemosynæ frequentes, Ecclesiarum & monasteriorum donationes, aliæque largitiones amplissimæ, pro *Animarum*, à corpore solutarum, *remedio* scriberentur. Sic Aldibergæ nostræ mater Ingoberga, teste Gregorio Turonensi, moriens fecit, ut dixi anno quingentesimo septuagesimo, numero sexto, ubi etiam habes Radegundem Clotarii uxorem, Ingobergæ aviam, cum monialem induit, monasterium dotasse, *pro remedio animæ suæ.* Et verò Missæ sacrificium mederi posse, & animam à pœnis liberare, probavit Deus mirabiliter, vinculorum solutione, cùm Tunna Presbyter & Abbas, pro fratre quem mortuum putavit, fecit. cujus memini anno 679. n. 13. Hinc orta consuetudo, non solum domi, & in provinciâ; sed foris, & peregrè, emendicandi suffragii, pro animis defunctorum; quo nihil frequentius in Bonifacii nostri literis, quas superiori sæculo recitavimus, legitur. Horum omnium ratio redditur ab Alcuino, cum dixit: *Suffragia viventium prosunt morientibus, vel ad veniam peccatorum; vel ad majoris gloriæ augmentum. Qui non seminat, non metit.*

* vide an. 100. n. 17.

Trigesimus dies obitus.

Epist. 92.

XV. Quis non videt, Episcopos in Synodo congregatos, optimè sequi sensum mentemque majorum suorum; cùm Missas, psalmos, eleemosynas, aliaque misericordiæ & pietatis operâ, præscribunt, pro defunctorum animis remedia: hesterni ergo sunt & ignorantes, qui relictis horum vestigiis, nolunt defunctorum animis benè precari: quo licentius in Ecclesiarum bona involent, quæ ferè, eo titulo, hoc est, pro animarum beneficio, collata sunt: & ideò fortè *beneficia* appellantur. Si viventium suffragia morientibus prosunt, ut suprà dixit Alcuinus, & omnia priùs sæcula crediderunt: illi non intrant per ostium, sed aliunde ascendunt, qui Ecclesiastica bona, præter legantis mentem invadunt; & omni remedio mortuos privant. Unde rectè vocari possunt, non tam bonorum fures, quàm carnifices animarum: & beneficia quæ possident, maleficia. Ad Synodum redeo, & ultimum ejus Canonem, qui sic se habet.

Cap. 11. Ut nec Episcopi, nec Presbyteri alterius parochiam aut munus, invadant.

XVI. Episcopi servent parochiam.

Undecimò præcipimus; sicut priscis temporibus à Sanctis Patribus traditum esse reperitur: Ut nulli Episcoporum liceat, alterius parochiam invadere; vel etiam aliquid alterius ministerii, ad se pertrahere, in aliqua consecratione Ecclesiarum, vel Presbyterorum, Diaconorumq;, nisi solus Archiepiscopus; qui caput est suorum Episcoporum. Sed & alii, suo proprio sint contenti, aut cum licentiâ, & consensu illius Episcopi, in cujus Diœcesi est, & ministrat. Si quis ultra fecerit, emendet judicio Archiepiscopi: nisi ante propriæ Diœcesis Episcopo reconciliari voluerit. Et id ipsum Presbyteris præcipimus; ne nullus majora negotia ad se desideret, quàm à proprio Episcopo concedatur: nisi in solo baptismo, & ægritudine infirmorum tantùm. Sed tamen omnibus Presbyteris præcipimus; ut nulli denegetur ubique baptismi ministerium præstare: & si quis per suam negligentiam, renuerit; cesset à ministerio, usque ad tempus correctionis: & cum humili satisfactione reconciliatus fuerit proprio Episcopo concedatur: Sciant etiam Presbyteri, quando sacrum baptismum ministrant; ut non effundant aquam sanctam super capita infantium: sed semper mergantur in lavacro. Sicut exemplum præbuit per semetipsum Dei Filius omni credenti: quando esset ter mersus in undis Iordanis. Ita necesse est secundùm ordinem servari & haberi. Hactenus Synodi acta, & decreta.

In Baptismo immersio præcipitur: infusium prohibetur.

XVII. Locus Synodi.

Locus in quo habita Synodus, ubique à Spelmanno Celichyth appellatur, & vix dubium, quin ibi coacta fuerit, ubi superiore tomo Synodum collegimus anno 787. & 793. Quem locum tunc Spelmannus modò Chalchuth, modò Calchuth, modò Celchyth, modò Cealtide nominavit: Ego verò suspicatus sum ibi, vicum intelligi in Trinobantibus, non procul à Londino, qui, teste Camdeno, olim Chelchchith, nunc Chelsey dicitur.

ANNUS CHRISTI 817.

PASCHALIS PAPÆ 1.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 18.

KENULPHI MERC. REG. 21.

BALDREDI CANTII REGIS 13.

I. Stephanus Papa moritur.

Sequitur Christi annus octingentesimus decimus septimus, quo Stephanus Papa,

Succedit Paschalis.

naturæ debitum solvit; cum Romanam sedem occupasset menses septem, & dies paucos. Successit illi, miro populi, clerique consensu, Paschalis, de quo ita Anastasius: *Erat vir sanctus, castus, pius, & mitescens, loquelâ devotus, pudicitia plenus. Sed & nimis hilariter jucundéque in eleemosynis pauperum cuncta quæ habebat, opportunè distribuens. Qui etiam gratiam hospitalitatis, peregrinis, qui ob amorem beati Petri Apostoli, de longinquis regionibus ad ejus limina accurrebant, utiliter præparatus necessaria ministrabat, & ecconitrò, quibus egebant, hilariter erogabat.* Intelligit Anastasius, Anglo-Saxones nostros, qui frequentes ad limina Apostolorum itabant: quos ille, priusquam Pontifex esset, eximiè fovebat: & statim ac Romanam Sedem ascendit, compensasse videtur hanc ejus pietatem, Deus: cum excitatum in Urbis suburbio incendium, mirabiliter, suâ solum præsentiâ stitit, & extinxit. Huc enim referendum est, quod scribit Westmonasteriensis in hunc modum:

II. *Westmon. hic.* Anglorum schola Romæ comburitur. *Anastasius in Paschale. Apud Baro. an. 823.*

Anno gratia octingentesimo decimo septimo, defuncto Papa Stephano, Paschalis successit ei, in Cathedra Romana, & sedit annis septem, diebus septendecim. Eodem anno schola Anglorum Romæ igne combusta est. Nec plura addit, de Paschale, annum incendii tantum designans. Verùm Anastasius, rem paulò latius explicans, hæc habet: *Sed neque silentio prætereundum esse, arbitramus; quod eodem tempore, diabolicâ operante versutiâ; per quorundam gentis Anglorum desidiam; ita est omnis illorum habitatio, quæ eorum linguâ Baxus dicitur; flammâ ignis exundante combusta, ut nec etiam vestigia pristinæ habitationis in eodem loco inveniri potuissent: ut ex eisdem incendiis, penè tota porticus, quæ ducit ad basilicam Principis Apostolorum, devastata fit. Et dum hæc ter beatissimus Pontifex, quasi hora noctis conticinio persentisset: subitò propter honorem Ecclesiæ Beati Petri Apostoli; atque tantam peregrinorum devastationem, nudis pedibus, discalceatus, pedester cucurrit. Cui tanta Omnipotentis Dei, in ejus adventu, misericordia affuit: ut locum, in quo primum idem coangelicus Pontifex, constitit; nequaquam ulterius impetus ignis transgredi potuerit; sed ipsam Dei clementiam exorando, & multitudine fidelium, quæ aderat, cooperante, flamma ignis, Deo miserante extincta est. Sicq; peractum est, ut totius noctis spatium, usque ad auroram perseverans, in eodem loco persisterit. Unde postmodùm, ter beatissimus Pontifex, miseratus illorum peregrinorum inopiam; quæ ob desidiam, & diabolicam fraudem, irrepit, tanta dona, tantaque beneficia (sicut semper solitus erat in eorum necessitatibus) impertivit in auro atque in argento; tam vel indumentis, quam in alimentis omnibus uberius ministrabat. Sed & lignorum copiâ, eorum domicilia sicut ante fuerant, restauravit. Porticum etiam, quæ ob eandem cladem vastata est decentius quàm fuerat, & melius, firmissimè restauravit.* Hæc omnia Anastasius.

III. De loco Scholæ Anglorum.

Cum superiori tomo, Anglorum scholam, ab Ina Occidentalium Saxonum Rege positam, dixi: recensui hunc locum Anastasii; ut ubinam loci, fixa fuerit Anglorum sedes, ostenderem. Ibi etiam conjeci minùs correctè legi in Anastasio: *habitatio quæ eorum linguâ Baxus dicitur.* Sed legendum potius: *quæ eorum lingua, Saxons dicitur.* Nam hodiéque locus ille *Saxia* appellatur; tam à gente nostrâ, cui primum ibi erecta est Schola, quàm ab antiquo Saxone, quem eò misit Magnus Carolus, cum Saxones debellavit. Cæterum ex hac incendii narratione, apertè satis colligitur, scholam Anglorum, non in Urbe Româ; sed in Urbis suburbio erectam esse. quod Beda probè intellexit, cum Inam, & *plures de gente Anglorum nobiles, ignobilesq;*, ait cupivisse, *in vicinia Sanctorum locorum, ad tempus peregrinari in terris; quo familiarius à Sanctis recipi mererentur in cælo.* Plura in hanc rem vide suprà anno septingentesimo vigesimo-septimo, & infra, anno octingentesimo quadragesimo septimo. Et interim puta, Paschalem, hoc anno creatum Pontificem, Magni Gregorii viscera induisse, cujus sedem ascenderat: adeò Anglorum commodis prospexit; adeò pius in eos, & liberalis fuit. & nota Anglorum in Petrum Apostolorum Principem, pietatis studium, atque reverentiam: cum ejus amore, peregrè morari, & ad ejus limina mori, in votis haberent, nobiles, & ignobiles. *Beda l. 5. c. 7.*

IV. Giselherus Selasiensis Episcopus. Wightunus moritur. **v. an. 802. 3. & 803. n. 5.*

Novus hoc anno, in Selesciensi Ecclesiâ Episcopus consecratur, Giselherus nomine, unde mortuum esse prædecessorem ejus, argumentum est. Quis ille fuerit? an Osa, seu Bosa, ut Fasti, aliique Authores affirmant: an Weoghiunus, qui Cloveshovensi Synodo sub Ethelardo subscripsit anno 803. dubium est, quod * suprà movi plus, quàm amovi.

ANNUS CHRISTI 818.

PASCHALIS PAPÆ 2.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 19.

KENULPHI MERC. REG. 22.

BALDREDI CANTII REGIS 14.

I. Wibertus Schirnburneñ. moritur. ** an. 812. n. 1.*

Succedit Alstanus.

ANNO Christi octingentesimo decimo octavo, Wibertus Schirnburnensis Episcopus, qui * nuper Romam cum Wulfredo Dorovernensi iverat, sedendi, & vivendi finem fecit, & locum Alstano, qui post eum, annos omninò quinquaginta, Schirnburnensem Ecclesiam gubernavit; nescio an bellicâ laude, an infulâ, illustriùs. de quo ita Malmesberiensis: *Alstanus, tempore Egbriti Regis West-Saxonum, & Adulfi filii ejus simul & ultra, magna in seculo potentia, & ingens in consiliis author fuit. Egbrito Regi Cantuaritas, & Orientales Anglos, bellicis subegit laboribus.* Plura de illustri hoc Antistite, cum ejus gestis recenseo. Nam si non author, magnus certè adjutor Egberto fuit, ad imperium Insulæ, subactis primùm minorum gentium Regibus, obtinendum. Nam satis Egberto ad laudem videbatur, Britannos, qui Occidentis regno imminebant, domuisse: docet Alstanus illi animos, viresque suggessit, in Cantium primò, inde in Orientem Insulæ, pugnandi.

II. Moritur Alheardus,

Ad hunc eundem annum, Humbritus in Fastis scribitur Helmhamensis Episcopus, moritur ergo Alheardus, qui ab anno Christi 788. sedem illam

occupaverat,

SUCCEDIT HUMBRITUS. * an. 803. * vide an. 836. n. 2.

occupaverat, & * nuper in Synodo scripserat: † *Ego Ealheard Elmhamensis Ecclesiæ Episcopus*, &c. De Humbritho plura inferius. Nam in magnâ Sedis inopiâ diu vixit, Edmundum Regem unxit, & feliciter tandem vitam consummavit.

ANNUS CHRISTI 819.

PASCHALIS PAPÆ 3.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 20.

KENELMI MERCIORUM REG. 1.

BALDREDI CANTII REG. 15.

I. MORITUR KENULPHUS REX

NON potuit Egbertus, gradum porrò ad Monarchiam facere; quamdiu Kenulphus Merciorum Rex, rerum summâ potiretur. Eo verò è vivis sublato, cum Merciorum provincia, è parricidii crimine fatisceret: occidentis regnum potentius cœpit emergere, anno Domini octingentesimo decimo-nono. Tunc enim Kenulphus, cùm tres & viginti annos regnasset, satis ad utramque gloriam feliciter; regnum vitamque deposuit: vir sanctis componendus, ut censuit Wigorniensis, ita scribens ad huoc annum: *Rex Merciorum, sanctus Kenulphus, post multa bona (quæ in vitâ suâ gessit) opera; ad beatitudinem, quæ in cælis est transivit perennem, filiumque suum Kenelmum, septennem, regni reliquit hæredem.* Alii etiam Regem à pietate commendant, & cum honore sepeliunt. Ita Ingulphus Abbas: *Anno*, inquit, *Christi Domini octingentesimo decimo-nono, iste inclytus Rex Merciorum Kenulphus, exactis in regno viginti sex annis, post multa bona opera, quæ in vitâ suâ, tam sanctè, quàm strenuè gesserat; hujus temporalis vitæ, cum omnium dolore, finem fecit. Et & Winchelcumba monasterio nigrorum monachorum; quod à fundamentis construxerat, corpus traditur sepulturæ. Sed felix anima celestia regna petivit.* De Ecclesiâ, quam Kenulfus erexit apud Winchelcumbam (ita rectiùs scribitur) & de solenni ejusdem dedicatione; dixi ad annum 798. ubi legere quoque est Kenulphi pietatem; cum captivum Regem ad altare manumittens, multâ largitione, populum ad plausus, & gaudia excivit.

Wigorn. hic.

Ingulf. fol. 855.

II. EIUS FIDES EXCUTITUR.

Ut etiam Croylandenses Monachos foverit, & Sanctum Guthlacum ibi quiescentem, peregrinorum more, coluerit; habes suprà, anno sexto hujus sæculi. Denique ut Romanam Ecclesiam impensè amaverit, scriptisque ad Leonem Papam literis, officiosissimè se, operamque omnem, in ejus obsequium devoverit, dixi ad annum 797. Unde Regia Kenulfi Fides eleganter ostenditur, & totius Occidentis nostri, nimirùm orthodoxa & Romana esse. Quam ab Orientis Fide nihil differre (quicquid sibi Sectarii blandiantur) manifestum est. Enimverò hoc ipso tempore Orientalis Ecclesia, tam Romam coluit, quàm Kenulfus, & Majores nostri. Unde ubi primùm Paschalis electio, Orienti innotuit; Theodorus Studita, aliique ibi orthodoxi, missâ solenni legatione, literisque Paschali *religiosissimo Patri, supremo luminis, universali, Domino nostro Apostolico Papæ*, inscriptis, ita ordiuntur: *Respexit nos oriens ex alto Christus Deus noster, tuam in Occidente beatitudinem, tanquam facem quandam divinitus lucentem, ad Ecclesiæ, quæ sub cælo est, illuminationem, in Apostolicâ primâ Sede constituens*, &c. *Vos igitur, illimis ac sincerus ab initio fons orthodoxæ Veritatis; vos adversùs omnem hæreticam, procellam tranquillus sepositus portus Ecclesiæ universæ. Vos à Deo electa civitas refugii Salutis.* Hic sensus Orientis de Romanâ Sede.

III. MERITO ROMAM COLUERUNT MAIORES NOSTRI.

Benè igitur factum à Principibus hujus Insulæ: sive cùm Lucius & Constantinus regnarunt: sive cùm Ethelbertus, & Regia Saxonum progenies: quod omissis alibi stagnantibus aquis, illimem hunc, & sincerum Fidei fontem appellaverint. Nec adeò mirari debemus Britannorum reliquias, aliquando Pelagianâ hæresi infectas, quia ob Saxonum injurias, hunc portum omni ex parte tenere minimè potuerunt. Cæterùm ubi Augustino interprete, stationem hanc intellexit novus incola; tum enimverò, tam firma semper stetit in unâ Fide, quàm tuta ab erroribus, donec ob nescio quas nuptias, & carnis lenocinia, illimis hic fons, defecatusque, desipuit; & alium fodere placuit, tot aquis varium, quot gustus sunt hominum. Tunc turpi leprâ inficitur Insula, tunc quisque suo sensu ducitur, cùm duci non vult ad fontem aquæ vivæ. aut descendere & lavari in Jordane: sed præfert suum Abana, & Pharphar omnibus aquis Damasci. Verùm videamus sanctiora. Kenulphus Romam colens, pulcherrimè eluctatus est errorum scopulos, & feliciter tenuit salutis portum. Elogium ejus, hoc est, rerum ab eo benè, fortiter, pièque gestarum breve compendium, ita texuit Malmesberiensis.

IV. ELOGIUM KENULPHI REGIS. Malmesb. de Reg. l. 1. c. 4. fol. 33.

Kenulphus imprimis magnus vir, & virtutibus famam supergrediens; nihil quod livor dignè carperet unquam admisit: domi religiosus, in bello victoriosus, vir, cujus merito laudes attollantur in altum, quamdiu æquus arbiter in Anglia invenietur: laudandus tum regni sublimitate, tum mentis humilitate, quâ enituit amplissimè; quando dignitatem Cantuariæ labefactatam refecit: pariùm faciens Rex mundanum, in suâ provinciâ supercilium: dummodo antiquitùs statutum non transgrederetur tramitem Canonum. Contra Cantuaritas, successivum ab Offâ suscipiens odium; Regionem illam valdè afflixit: Regemque eorum Edbrithum, cognomine Pren, vinctum abduxit. Sed non multò post, humanâ miseratione mollitus, solvendum curavit. Nam apud Winchelcumbam; ubi Ecclesiam, quæ adhuc superest, Deo exædificaverat, ipsâ dedicationis die, Regem captivum ad altare manumittens, libertate palpavit, memorabile clementiæ suæ spectaculum exhibens. Aderat ibidem Regiæ munificentiæ applausor Cuthredus, quem ille Cantuaritis Regem præfecerat. Sonabat basilica plausibus, platea fremebat discursibus: eo quod ibi, in conventu tredecim Episcoporum, decem Ducum, nullus largitatis pateretur repulsam, omnes suffarcinatis marsupiis abirent. Nam præter illa xenia, quæ magnates susceperant, inæstimabilis scilicet pretii, & numeri, in utensilibus, vestibus, equis electissimis; omnibus, qui agros non habebant, libram argenti, Presbyteris marcam auri, Monachis solidum unum, postremò toti populo multa erogavit. Idem cum monasterium magnis redditibus, quantum hoc tempore incredibile videatur, ampliasset; vigesimo quarto anno regni, funere suo honoravit.

V. De regni tempore.

Quod spectat ad regni annos, Ingulfus suprà, & Westmonasteriensis in eo consentiunt, sex & viginti annos Kenulfum regnasse, sed cùm Ingulfus scribat ipsum mortuum anno Domini 819. & duodecimum regni conjecerit in annum 806. ut ibi dictum. planè significat Kenulphum regnare cæpisse anno septingentesimo nonagesimo quinto. quod Authoribus omnibus, & ipsi Westmonasteriensi adversatur, qui regni initium in annum 797. referunt: à quo tempore ad præsentem annum, viginti tres, ad summum quatuor, annorum fractiones computando, numerari debent. Unde Westmonasteriēsis, qui diu post Ingulfum scripsit, cùm in eo legisset, 26. annorum Regem fuisse, mortuum dixit anno Christi 821. biennio nimirùm post Ingulfi calculum. Sed melius Huntindonius, cùm Paschalem Papam Stephani successorem nominasset, addit: *post parvum verò spatium, Cenwlf Rex Merce. morti datus est:* & eodem modo loquitur Hovedenus. Hanc ob causam, Wigorniensem, Fastos, Capgravium, & Recentiores ferè omnes sequimur; qui Kenulfum hoc anno mortuum dixerunt. Pitseus enim, qui vult eum claruisse *anno gratia 830.* vel mortuum tunc intelligit, vel sine teste pronuntiat.

Pitseus in Kenulfo.

VI. Kenelmus regnat.

Kenulphus, in regni spem, filium reliquit, Kenelmum nomine, quem ante septennium, ex Alfredâ conjuge susceperat. Hic modo, utroque parente orbatus, duarum sororum natu majorum tutelæ committitur. Imbecille admodùm regni fundamentum, ac teneræ ætati malè cautum: cum masculâ potiùs fortitudine opus, ubi regnum infanti, & infans regno paratur. Erant Kenulpho superstites, duæ filiæ, Kenelmo natu majores, Quendreda & Brugenilda. Hæc fratrem amplexa, formabat ejus indolem, ad utramque fortunam; & magnâ spe fructus, ætatem fovebat. Illa, quæ Quendredæ Merciorum olim Reginæ nomen acceperat, ejusdem etiam impietatis, nequitiæque heres; coronam fratri vitamque invidebat. Inde gradu facto, regnare ipsa, sceptrumque tractare, fœminea aviditate cupiebat. Cumque nihil esset uno dempto septenni puero, quod intercedere posset, decrevit planè unicum illud ardentis sibi fortunæ impedimentum, amoliri. Cum hoc animo sedisset: sedit etiam, accelerandum esse consilium; ne adolescens postea puer, minus ad injuriam obvius esset. Siquidem facili operâ semen evulseris, quod duratum in arborem non evelles majori industriâ.

Kenulfi filiæ, Quendreda et Brugenilda.

Quendreda in fratrem impia.

VII. Kenelmi necem meditatur.

Hoc impium mortis decretum, cum vellet exequi, timeretque manum fraterno sanguine inficere: vocat in societatem sceleris unum è ministris; exponit secretum, acuit ad crudelitatem ingentibus promissis: & quò præcipitaret magis, consortium regni pollicetur. Sed vilis ille (ut in aulâ plurimi) minore conditione vendidisset animam, nisi timuisset Quendreda non regnare. Interim Kenelmus puer, necdum doctus insidias suspicari; eximiæ pietatis scintillas, emisisse, & jucundè lusisse pueritiam suam, dicitur. Imò Deus, cum eo lusisse (ut ludere ferè solet in orbe terrarum cum filiis hominum) dicendus est: si verum est quod Kenelmo dormienti objectum est insomnium. Recitat illud Capgravius in ejus vita, quam ita auspicatur: *Rex Merciorum Kenulphus, anno Domini octingentesimo nono-decimo, regni sui vigesimo-quarto, mundum relinquens; Kenelmum*

Kenelmi pueritia insignis.

Capgra. in Kenelmo.

heredem reliquit, &c. eâ tempestate vidit Kenelmus per somnium visionem, quam nutrici suæ Wlwennæ referens dixit: Visum est mihi, ô mater charissima! quod ante cubiculum meum arbor altissima, usque ad sidera stabat: me verò videbam stare in ejus arduo vertice: unde latè poteram omnia conspicere. Erat autem pulcherrima, & latè effusis ramis spatiosa, ab imò ad summum, omnibus floribus refertissima. Videbam quoque innumeris luminaribus totum ardere: Mihi verò tres partes hujus terræ, prona curvari devotione. Cumq; de tantâ speculâ mirarer visionem: quidam meorum subter irruentes, succiderunt arborem: & illa, ingenti ruinâ cecidit. Ego vero protinus efficiebar aviculâ candidâ, & libero volatu æthera penetravi.

Kenelmi insomnium.

VIII. Ascebertus impietatis minister.

Vix quintum regnarat mensem Kenelmus, cum Quendreda, moræ impatiens, Ascebertum urget (erat id servo nomen, tenebris quàm luce dignius) ut sceleri & parricidio finem, felicitati suæ exordium daret. Ille, à naturâ ad malum promptus, non egebat stimulo, si fœmina quiescere scivisset. Pudebat ergo eum; fœminâ pudentiorem esse: & vinci noluit. Itaque pro ratione officii (Kenelmi pueritiæ ductor erat) puerum in silvam, feras venandi specie, comitatur; sed reverâ, ut puer ipse, præda esset sororis ambitioni, atque cupiditati: Cum enim aliquamdiu lusum esset in ferarum capturâ, sessum ex itinere Regem, ad quietem servus componit, & suadet dormire. Ipse interim, modicum progressus; excavare terram, fossamque ad obruendum puerum educere cæpit. Creditur, Kenelmum in somno Asceberti facinus, & præparatas sibi insidias mirabiliter edoctum esse. Nam experrectus monuit, non benè operam poni, in illâ fossâ eruendâ: cum Dominus Deus sibi aliam ostenderit. Ministrum etiam hac voce castigatum, novo ostento confudit, infixâ terræ virgâ, quam manu tenebat, quæ statim floruerit: quo argumento tacitè docuit, mortuum se, & terrâ obrutum; mirabilius quàm antea, & floridius victurum.

Aliud Kenelmi insomnium.

IX. Refert id Sarisburiensis Ecclesia

Omisissem hæc naturæ prodigia, nisi Deus, innocentiæ author, & restitutor, mirabilis esset in Sanctis suis. Et nisi Sarisburiensis Ecclesia, quæ Kenelmum coluit Sanctum; ita olim, ad decimum-septimum Julii legere, & cantare consuevisset. *Cum puer septennis somno prægravante fessus soporaretur, à crudelissimo carnifice fossa paratur; in quâ parvulus obruatur. Beatus igitur Kenelmus expergiscens, & consilium divinitùs intelligens. frustra, inquit, hanc mihi molitus es speluncam. Non enim hîc, ut putasti; sed in remotiori loco, ubi Dominus providit, occumbam. Unde certum tibi dabit signum hæc virga (nam virgam manu gestabat, & terræ affixerat) si modò plantata frondeat. Hæc eo pronuntiante, statim radicata virga cæpit frondescere. Unde adhuc ingens fraxinus ostenditur, quæ in memoriam B. Kenelmi celebris habetur.* Ascebertus ergo, cum ultra fraudem non posset tegere: abductum puerum in profundam vallem, quæ vulgò, Clent dicebatur, obtruncat. Cæsum in densissimam spinam projicit, & excavatâ subitus terrâ, in imo occultat: tutus ne sceleris quidem vestigium posse apparere. Et verò latuit aliquantulum fraus. Nam credebatur Rex, vel errasse ab itinere, vel fallente vestigio lapsus in foveam, adeóque à feris comestus. Unde Quendreda, de sceleris silentio secura; Merciorum regnum avidissimâ spe

Breviar. Sarū 17. Iul. Lect. 1. 2.

Kenelmus obtruncatur.

devorarat: cum ecce tibi innocens sanguis, qui clamare in cælum vindictam dicitur: advocavit primùm è cælo lucem; inde Romanam Urbem appellavit, non tam vindicaturus injuriam, quam habiturus utrobique suffragium sanctitatis.

X. LUX OCCULTATUM CORPUS MANIFESTAT. *Harpesfeld. sæc. 8. c. 14.*

Sed quia in miraculorum narratione, debeo esse paulò scrupulosior, nolo illa sine teste proferre. Ita ergò Harpesfeldus, cùm Kenelmum innocenter cæsum dixisset: *Kenelmi corpus*, inquit, *occultissimis latebris abditum, postea lux cælitùs in eum locum demissa, ad intuentium stuporem prodidit; defossique corporis locus innotuit.* Wigorniensis illo quadringentis annis senior. *Verum*, inquit, *qui solo teste cælo, est jugulatus; cælo teste, per columnam lucis, postmodum est revelatus.* Ingulphus adhuc antiquior (moritur anno Domini 1109.) hoc ipsum affirmat. *Puer innocentissimus*, inquit, *crudelissimè martyrizatus est, & divino demum miraculo, radio lucis immensa, totâ nocte super caput Martyris rutilante, repertus est.* Addit Westmonasteriensis, Romæ rem gestam mirabiliter indicatam esse: *Mirum dictu*, inquit, *quod res tam celate in Angliâ perpetrata, Romæ innotuit, divinitus revelata. Siquidem super altare B. Petri Apostolorum Principis; charta quædam, perferente candidâ columbâ, cadens, necis Sancti Kenelmi Regis & Martyris, & sepulchralis loci, per ordinem index fuit. Quæ scedula, quoniam Anglicis, & aureis literis fuerat exarata, à Romanis & aliis qui aderant clericis, Papâ jubente, frustra legi tentatur. Sed salubriter Anglus illis astitit, qui latinæ linguâ scedulam involvens; fecit, ut Romani Pontificis Epistola, Regibus Angliæ compatriotam martyrem indicaret. Habebatur autem inter cætera contentum in chartâ: In Clenc, pasturâ vaccarum, Kenelmus Regis filius, jacet sub spina, capite privatus.* Hæc ille.

Wigorn. hic.

Ingulf. fo. 855

Westmon. an. 821.

ROMÆ MARTYRIUM INNOTESCIT.

XI. *Malmesb. de Reg. l. 2. fol. 08.*

Eadem habet Guilielmus Malmesberiensis, ita de Kenelmo scribens: *Quid sancto Kenelmo, teneræ ætatulæ puero, stylus hic communiscetur dignum. Hunc pater Kenulphus, Rex Merciorum, septennem Quendridæ sororis fidei educandum reliquit. Sed illa falso sibi regnum præsagiens; fraterculum tollendum de medio, satelliti, qui alumnus erat, commendavit. Is insontem, causa remittendi animum, vel recreandi, quasi venatum ducens: inter frutecta obtruncatum occuluit. Et mirum dictu, quod scelus tam celatè in Anglia commissa, Romæ divinitus innotuit. Siquidem membrana super altare sancti Petri supernè, columba ferente, delapsa, necis & sepulchralis loci per ordinem index.* Narrat inde, quæ suprà habet Westmonasteriensis: peregrina verba, à Romanis nec legi, nedum intelligi potuisse: quæ Anglus expedivit. Voces ille non apposuit, sed sensum benè reddidit Poeta, qui dixit:

In Clenc, sub spinâ, jacet in convalle Bovinâ,
Vertice privatus Kenelmus, Rege creatus.

XII. KENELMI CORPUS EFFERTUR.

Obstupuit Insula ad immanitatem sceleris: & vario miraculo didicit, sanctum esse, & cultu dignum; quem nec cælum celare, nec terra diutius in obscuro esse, patiebatur. Quamobrem sancti corpus efferre, in loco sanctiore condere, ipsumque duliâ venerari; hoc est, congruo Sanctis honore decrevit. Quod licet malus genius, & ejus alumna Quendreda, impedire conantur: Deus tamen, & Angeli, novo miraculo approbarunt. Quod mallem in Malmesberiensi, quàm in alio legere, qui ante annos quingentos ita scripsit. *Quapropter*, inquit, *frequenti cætu, innocentis corpus levatum, Winçhelcumbam vehebatur. Ita clericorum vocali cantu, & laicorum alacri plausu, parricidalis fœmina commota; è fenestra cænaculi, in quo stabat, caput extulit, & fortè psalterium præ manibus habens, continuatione lectionis, ad psalmum pervenerat: Deus laudem meam; quem à fine nescio quo præstigio, retrogrado dicens, nitebatur lætitiam cantantium infirmare. Tum verò, vi divina, lumina venefica, cavis orbibus evulsa, cruore versum polluerant. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum: & qui loquuntur mala adversus animam meam. Cruoris signa extant hodiè, immanitatem mulierculæ, & Dei ultionem spirantia. Corpusculum Sancti, celebriter colitur. Nec ullus ferè locus in Anglia, majori ad festum, advenantium venerarum frequentia. Exigit hoc, & antiqua Sanctitatis persuasio, & miraculorum crebra exhibitio.*

Malmesb. suprà.

QUENDREDA PUNITUR.

KENELMUS COLITUR SANCTUS OB MIRACULA.

XIII. CONFIRMANTUR MIRACULA.

Scio: miracula hæc, Sectarii stomachum movebunt: quibus ego medendo non sum par, nisi placet aliò respicere, & Christianum orbem lustrando, quærere. Num culti solùm in Angliâ, Sancti; an verò etiam alibi, Deus eorum corpora, ad cultum revelaverit. Si enim id multis magnisque testibus, ostendi, probarique potest: cur negant factiosi, Deum, qui alibi mirabilis est in Sanctis suis, in solâ hac Insulâ mirabilem non fuisse. Paschalis in Romanâ Ecclesiâ sedebat Pontifex, cum Deus Romanam Virginem Cæciliam, simili miraculo honorare, ejus corpus è tenebris educere, & publici juris, cultusque esse voluit. Enimverò Paschali Pontifex, dum Virginis ædem templumque restituit; quod fideles jam olim erexerant, apparet Cæcilia; securumque Pontificem facit, non ablatum à Longobardis, quod aliquando opinatus fuerat; sed intra Romanæ Urbis pomerium, suum corpus conditum esse. Quid plura? Paschalis quærit, invenit *aureis illud vestitum indumentis, unà cum corpore venerabilis sponsi sui Valeriani, pariterq; linteamina Martyris illius, sanguine plena; quando ab impio percussa carnifice, Christo in cælo regnanti, Martyr est consecrata. Quibus linteaminibus, sanguis sanctæ Martyris, tertiò à carnifice percussa, est abstersus, quæ ad pedes ejus reperta sunt. Ea cuncta suis manibus tractans, Paschalis Pontifex collegit, & cum magno honore, intra muros hujus Romanæ Urbis, in Ecclesiam ejusdem Martyris nomine dedicatam, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, ejusdem Virginis corpus, cum charissimo Valeriano sponso, & Tiburtio & Maximo Martyribus, sub sacro-sancto altari collocavit.* Ita refert Anastasius, qui adesse, videre, & tractare etiam, omnia potuit, anno quo hæc omnia acciderunt, octingentesimo vigesimo-primo.

INVENTIONE CORPORIS S. CÆCILIÆ.

Anastasius in Paschali.

XIV. ET ITERUM, ALTERA EIUSDEM INVENTIONE.

Anastasium vera scripsisse, certo omnium sensuum argumento cognitum est, post annos septingentos, septuaginta octo: cum Paulus Sfrondeatus titulo sanctæ Cæciliæ, presbyter Cardinalis; eâdem quâ Paschalis, in Deum Fide, & simili in Virginem pietate, post exornatam ejus Ecclesiam, locum sepulchri illustrare, & ampliare, conatus est. Dum enim in eo pietatis opere laboratur, denuò Virginis corpus lucem aspexit, inventumque est, Anastasium benè dixisse. Oculatus horum omnium testis Baronius, quem Clemens VIII. ad recognoscendum, suo nomine delegavit: qui ita scribit: *Vidi quæ in marmoreo monumento posita erat, arcam cupressinam, quâ sacra membra Cæciliæ claudebantur, operculo ductili clausam, eandemq; modicè læsam: ut vehementer fuerim admiratus, quomodo*

Baron. an. 821.

modo post octingentos (legerem septingentos) *septuaginta octo annos potuerit arca lignea, humectante illam, marmoreo, sui naturâ, sepulchro, subtus terram, absque ullâ aeris participatione locata, ita integra, & illæsa servari, & non penitus tanta humiditate laxata, jam dissoluta marcuerit; sed fortis solidaque perstiterit, ut absque læsione tangere, contrectare, amplexari quis tam pro arbitrio posset & stringere, integrum adhuc usum, ipso ejus operculo ductili retinente: ut ad ostensionem duci posset pariter & reduci. Quod sæpè sæpius fieri contigit, pluribus diebus illis, quibus antequam eodem in loco, in Confessione iterum conderetur, dum idem venerandum corpus intus clausum quàm plurimi videre cuperent, & venerari. Cùm nos ista de ligneâ arcâ, non sine magna admiratione vidissemus: ad id quod intus detinebatur, sacrum Martyris corpus intuendum, devenimus. Ac planè secundùm illud Davidicum: sicut audivimus, ita & vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. Etenim ut à Paschali Papa inventum, & reconditum fuisse legimus, venerandum Cæciliæ corpus, ita invenimus: nempè ad pedes ejus, quæ fuerant madida sanguine vela, & serica filo auro obducta, quæ visebantur jam vetustate soluta vestis illius auro texta, indices erant.*

XV. SANCTORUM CORPORA MIRACULIS HONORANTUR.

Pluribus Author prosequitur quàm solenni cæremoniâ Clemens Pontifex, inventum thesaurum iterùm condiderit: & demùm concludit: *Dicenda adhuc plurima essent de miraculis his diebus, quibus magno populi concursu, eadem frequentabatur Ecclesia, editis. Sed quod longiori ea indigeant narratione, hæc satis sunto.* Si Deus in Cæciliæ Virginis inventione, hæc mirabilia, non semel, sed sæpius operari dignatus est: cur non antiquis testibus credendum, quod eadem aliquando in Angliæ Sanctis operatus sit? Si Cæciliæ Virginis templum, & monasterium, ornatáque altaria; eloquens argumentum est, & cultus ejus & miraculorum, quæ cultum probaverunt. Winchelcombense quoque templum & monasterium, quod fuit olim in Dobunis & Glocestrensi agro celeberrimum; eâdem ratione, Kenelmo sancto asserere potest cultum, & miracula, quæ cultum induxerunt. Porrò, quod ad locum spectat, ubi sancti Regis corpus, magno apparatu, hoc anno, conditur, ita Camdenus: *Winchelscombe oppidum,* inquit, *satis frequens, ubi Kenulphus Mercius, monasterium erexit,* &c. *Vix credas in quanta celebritate hoc monasterium jam pridem fuerat, ob reliquias Regis Kenelmi, pueri septennis: quem soror, ut hereditatem interverteret, clanculum è medio sustulit: & sacrifici in Martyrum catalogum retulerunt.*

KENELMUS WINCHELCUMBÆ SEPELITUR.

Camden. in Dobunis. fol. 213.

Si quæras, unde loco, reliquiisque pueri septennis tanta celebritas: & quorsum sacrifici illum cum Sanctis numerarunt: illud indubiè responderi poterit: ut Roma Cæciliæ Virginis corpus, mirabiliter inventum, & mirabilius assertum, coluit: eâdem in Deum Fide, eâdem in Sanctos pietate, Anglia Kenelmi pueri corpus, divinitùs repertum, & variâ rerum supra naturam gestarum serie, probatum, coluit: Et quemadmodum orthodoxus orbis, illam inter Virgines & Martyres, sic istum inter Sanctos Anglia numeravit.

XVI. KENELMUS IN ANGLIA COLITUR.

Exigit hoc, & antiqua sanctitatis persuasio, & miraculorum crebra exhibitio, ut suprà dixit Malmesberiensis. Hinc ortum, ut ad decimum-septimum Julii, solemnem ejus memoriam servarent Anglo-Saxonum Ecclesiæ. Qui mos ad Polydori Virgilii sæculum permansit, ita enim ipse: *Corpus S. Kenelmi inventum multo cum honore & cæremoniis, in cœnobio Winchelcombensi funeratum: ubi hodie ipse sanctissimus Martyr religiosissimè colitur. Quippe multa eduntur ibidem miracula.* Quod ergo sacrifici fecerunt, in cultu Martyris; id factum ubique in orbe Christiano; præsertim ubi Deus eorum sanctitatis assertor, vel testis esse voluit. Juvat ergo cum Baronio concludere, qui cum Cæciliæ Virginis duplicem inventionem, & miracula recensuisset, ita perorat: *Audiant mansueti & lætentur. Confundantur autem & convertantur retrorsùm omnes qui oderunt Sion, impii novatores, Apostatæ, hagiomachi, consortes Apostatæ Iuliani, quem una cum ipsis, Theologorum antiquorum vertex Gregorius, ejusmodi exagitat invectiva. Non victimas pro Christo cæsas veritus es? non magnos pugiles extimuisti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, &c. Quibus præclari honores, & festa constituta sunt: à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones, & prædictiones; quorum vel sola corpora idem possunt, quod anima sancta: sive tangantur, sive honorentur. Quorum vel sola sanguinis gutta, atque exigua passionum signa, idem possunt, quod corpora. Ista Theologus, & cum eo omnes pariter Patres, Ecclesiastici Tractatores, & universa demum cum eis Ecclesia: quibus sicut una eademq́ inest communicatio Fidei; ita & certa expectatio Spei, & cum Deo fruitio, quæ nunquam excidit, caritatis.* Hæc & plura, acerbius in eos, qui Sanctorum honoribus detrahunt, Baronius, quæ non exscribo.

Polydor. fol. 72.

Baron. 821.

PRO RELIQUIARUM CULTU PRÆCLARA SENTENTIA.

Orat. 3. in Iulian.

Facit ad Kenelmi sanctitatem Quendreda soror, quam Deus oculorum luce privasse dicitur; quia æquis oculis videre noluit fratris gloriam, quam plausus populorum, & multa lætitiæ signa illustrabant. Et eo planè modo castigat Deus, & privat Fidei lumine eos, qui Sanctis detrahunt, quod Deus, & omnia sæcula Sanctis contulerunt cultum & honorem. Quod ergò Quendredæ accidit, anno 819. id ipsum, hoc sæculo multis accidisse; æque dolendum, non magis mirandum est. Qui enim videre nolunt, quod factum à Majoribus, probatum à sæculis, & Christi oraculo confirmatum; nihil mirum in tenebris esse, atque in meridie cæcutire. Psalterium Quendredæ, quod tenens legebat, cùm Kenelmi corpus efferetur, ad Posterorum memoriam, & notitiam miraculi, & argumentum Regiæ sanctitatis, servatum est ad Giraldi Cambrensis tempora: (claruit sub annum Domini 1210.) de quo ita scribsit. *Liber autem ille, adeò in veneratione magna Winchelcombæ tenetur: quia cùm corpus Kenelmi exanime deferretur; & clamarent turbæ, Martyr Dei est, est verè, Martyr Dei est. Respondit Quendreda, fratricidii rea, & conscia: adeò verè Martyr Dei est, sicut verum est, quod oculi mei super Psalterium istud eruti jaceant, ea enim hora Psalterium fortè legebat. Et statim oculi ejus ambo, à capite divinitùs avulsi, in librum apertum, ubi & vestigia sanguinis adhuc apparent, ceciderunt.*

XVII. DE QUENDREDA, ORBATA LUMINE.

Girald. itin. Cambr. l. 2. fol. 824.

Quid demùm Quendredæ contigerit, pauci explicant. Harpsfeldus ita de illâ: *Nefaria mulier, non modò regno, ad quod tam sceleratè aspirabat, excidit: sed variis priùs cruciatibus, tormentisq́ divinitùs excarnificata, miseram miserè animam, non ita multò post exhalavit.* Idem ferè Polydorus, Virgilius. Ego verò castigatam à Deo fœminam, sanctiorem mentem induisse, & captam oculis,

XVIII. UT INOBIERIT?

Harpsfeld. sæc. 9. c. 14.

Polydor. fo. 72.

MONASTERIUM INGREDITUR.

vidisse tamen interiùs, & horruisse sui sceleris atrocitatem puto. Nam superstitem adhuc invenio, post annos quatuor, monasterium ingressam, verè pœnitentium carcerem: & ibi peccatum eluisse. Enimverò Cenedrytha illa, quæ à Wulfredo Dorovernensi ad concilium vocabitur, illam ipsam existimo, quam alii passim Quendredam, vel Quendritam vocant. Nam in actis Concilii, quæ suo loco ponentur, hæres dicitur, & filia Kenulphi Regis Merciorum. Cùm igitur monasterii Abbatissa non semel ibi nominetur, & humiliter obediat decreto Synodi, argumentum est, recepisse interius, quod externus amiserat; & factum piis operibus expiasse: quod frequens in Regibus.

XIX. CEOLULFUS MERCIORUM REX.

*Kenulpho, & Kenelmo mortuis, Merciorum regnum in occasum tendit: Deo non uni solùm fœminæ, sed omnibus irato. Et verò id sceleri debebatur; ut qui sancto Principi subesse noluerunt, servirent externis. Ceolulfus tamen Kenulphi frater, jure sanguinis proximus, conatur aliquamdiu Merciorum Provinciam, ab externorum incursibus servare: sed malè materiatam Sedem, & innocenti sanguine madidam, non potuit diù tenere. Ita enim Malmesberiensis. *Post Kenelmum, regnum Merciorum nutabundum, & ut ita dicam exangue; nihil quod litera dignetur, meruit comminisci. Sed ne quis nos arguat semimutilatam historiam interrumpere; Regum succedentium nomina transcurram. Ceolulphus, frater Kenulphi, uno anno regnans, altero a Bernulpho expulsus est.* Factum igitur; quà intestino dissidio, quà Egberto cervicibus imminente: ut Anglo-Saxonum Principatus, qui in Merciis fuerat, continuâ Regum serie, ab anno sexcentesimo sexagesimo, in Egbertum transierit, West-Saxonum Regem, quem ille, multò, quàm alii, qui præcesserant, illustrius gessit; vix passus ullum secum regnare, ut inferiùs patebit.

Malmesb. de Reg. l. 1. c. 4.

XX. MORITUR EGBERTUS LINDISFARNENSIS EPISCOPUS: SUCCESSIT EATHOREDUS.

Interim hoc anno moritur Lindisfarnensium Episcopus, Egbertus; qui anno octingentesimo tertio, Higbaldo successerat, & nunc successorem & ipse accipit Eathoredum, quem alii Heathedum vocant. Ita Fasti annum consignant, & Wigorniensis. Errasse ergò videntur, qui Malmesburiensem impresserunt. Nam lib. 3. de gestis Pontificum, cùm Higbaldum dixisset Lindisfarnensem Episcopum, mox addit: *Successere*, inquit, *Egberth, Eardulf, Cutheard*: cùm dicere potiùs debuisset: Successere Egberth, Eathoredus, Egredus, Egberthus, Eardulfus, Cutheard, &c. Duo igitur in Episcoporum serie omissi sunt, quos ex aliis Authoribus supplemus.

ANNUS CHRISTI 820.
PASCHALIS PAPÆ 4.
EGBERTI OCCID. SAX. REG. 21.
CEOLULFI MERC. REG. 1.
BALDREDI CANTII REGIS 16.

CEOLULFUS HOC SOLUM ANNO REGNAT.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus vigesimus, quo Ceolulphus, in Merciis rerum summâ potitur. Nam rebus undique quietis, permissus est, hoc anno, regnare. Porrò licet authores aliqui innuere videantur, triennio ipsum Mercios rexisse. hoc ita intelligendum est, ut qui sub finem superioris anni factus est Rex; sub sequentis tamen initium exauctoratus sit, atque hoc solum anno plenè regnaverit: sic conciliari possunt authores, qui videntur duorum annorum differentiâ discrepare.

ANNUS CHRISTI 821.
PASCHALIS PAPÆ 5.
EGBERTI OCCID. SAX. REG. 21.
BEORNULFI MERC. REG. 1.
BALDREDI CANTII REG. 17.

I. CEOLULFUS DEPONITUR: REGNAT BEORNULFUS.

ALFREDA WIMUNDE UXOR, FILIA CEOLULFI.

PIUS IN ECCLESIAM.

ANNO Christi octingentesimo vigesimo primo, Ceolulphus Merciorum Rex, optimatum factione, populari tumultu, & simultate civium, è regno pulsus, locum Beornulfo fecit; non aliâ re celebris, quam quod Kenulfi frater, & Alfredæ parens fuerit; quam Wimundus, Withlafii Regis filius, in uxorem duxit. Cæterùm Beornulfus, manu fortis, regni sceptrum tenuit paullò diutiùs; sed dum vicinorum Principum provincias invadit, & Egberto Principatum eripere conatur; se, regnum, vitamque, perdidit. In eo certè laudandus, quod Ecclesiam honoraverit, & bonorum eò spectantium protector, & patronus fuerit. Nam cum quatuor tantum annis regnaverit, totidem eo tempore, Concilia celebrari, Episcopos quotannis, ad Ecclesiastica tractanda convenire, & Ecclesiæ bonis prospicere, non permiserit solùm, sed præsentiam quoque suam plerumque accomodaverit. Si vera narrant innominati authores, de quibus infrà.

II. SYNODUS SUB BEORNULFO REGE, PRIMA.

Spelman. fol. 331.

QUENDREDA ABBATISSA FILIA KENULFI.

Meminit Concilii Beornulfo Rege habiti, Spelmannus: quod breviter ita refert. *Concilium sub Wulfredo Archiepiscopo Cantuariæ, anno Christi 820. Beornulfi Regis Merciorum (qui eidem aderat) primò. In quo Cenedrutha Abbatissa, filia, & hæres Kenulphi Regis Merciorum, reconciliationem facit cum præfato Archiepiscopo, pro terris, quas pater ejusdem Cenedrytha, injustè abstulerat ab Ecclesia Christi Cantuariensi.* Hæc est illa, quam suprà Quendredam appellavi, S. Kenelmi sororem: quæ licet regno privata, paternorum tamen bonorum hæreditatem adiit: & eo jure prædia videtur possedisse, quæ nullo jure Dorovernensi Ecclesiæ pater substraxerat, & Winchelcumbensi addixerat. Wulfredus illam ad Synodum citavit: decretumque est, reddendum esse Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Cui Abbatissa libens obedivit.

III. DE TEMPORE HUJUS SYNODI.

Quod ad tempus spectat, legerem in Spelmanno annum Christi 821. potiùs, quàm an. 820 nam ille, non iste, primus est Beornulfi Regis: quod nec Spelmannus ipse diffitebitur, qui in nota ad Concilium Cloveshovæ, quod recitat sub annum Christi 822. dicit Concilium illud, rectius ponendum ad annum tertium Beornulfi Regis, hoc est annum Christi 823. quod necessariò dicendum videtur, ob ea, quæ in eodem Concilio nar-

rantur, de Cenedrythâ Abbatissâ, sæpius conventâ ut Dorovernensi Ecclesiæ faceret satis: prout ibi paullò latius exponetur. Nam hoc anno, licet illa humiliter spoponderit Archiepiscopo reddere, quæ parens abstulerat; dilata tamen restitutio, Synodum aliam sequenti anno coegerat; sed nec ibi omninò contestata lis est: donec iterum, coacti Ecclesiarum antistites, & Abbates; omnes juris apices enodantes, controversiam finierunt, anno 823. ut infra. Interim Rethunus Legecestrensis Episcopus, & Abbas Abbintoniensis, Romam proficiscitur, Ecclesiæ suæ cœnobiique causâ. De eo hæc habet Harpesfeldus: *Ad tempora verò Kenulphi Regis, Rethunus Episcopus Abbatis Abingdoniensis locum obtinuit: & circa annum octingentesimum vigesimum primum, Romam profectus; Pontificia authoritate, privilegia cœnobii communivit.* (Harpesfeld. sæc. 10. f. 203.) Tiffridum hoc anno mortuum putamus, cùm prius Haugustaldensis Ecclesia Danorum furias experta, & penitus destructa, nullam Episcopo sedem dare posset. ut suprà ad an. 810. n. 3.

ANNUS CHRISTI 822.

PASCHALIS PAPÆ 6.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 23.

BEORNULFI MERCIORUM REG. 2.

BALDREDI CANTII REG. 18.

I. SYNODUS APUD OSLAVESHLEN.

ITERUM ergò, anno Domini octingentesimo vigesimo secundo, Wulfredus Dorovernensis, pro Ecclesiâ suâ advocat, causatur Cenedritham Abbatissam, promissorum fidem violasse, eoque nomine Episcopos ad Synodum vocat, in locum, quem Oslaveshlen vocant; cujus mentio in Synodo, sequenti anno celebratâ, nec alibi facilè reperitur. In Oslaveeshlenensi Concilio, non aliud legitur, quàm quod Cenedritha, ob dilatam satisfactionem, se purgaverit; & plura adjecerit prioribus promissis, in pœnam tarditatis. Hanc Synodum ita inscribit Spelmannus: (Spelman. fol. 032.) *Concilium apud Oslaveshlen, sub Wulfredo Archiepiscopo Cantuariæ, Anno præcedens Concilium sequenti, Bernulfi scilicet Regis Merciorum, secundo. In quo prædicta Cenedrytha, priorem suam, cum Wulfredo reconciliationem redintegrat: addito etiam Corollario.* Nec plura refert Synodi acta. Cæterùm quicquid de his duabus Synodis dicitur; non aliundè, quàm è tertiâ Synodo colligitur, cujus acta, è manuscripto Codice, nuper in lucem prodierunt. Eò igitur propero, additurus lucem supradictis.

II. MORITUR DENEBERTUS WIGORNIENSIS: SUCCEDIT HEABERTUS. (Godwin. in Wigorn.)

Hoc eodem anno octingentesimo vigesimo secundo, moritur Wigorniensis Episcopus Denebertus, qui ab anno septingentesimo nonagesimo octavo, Sedem tenuerat. In ejus locum substituitur Heabertus, sive Eadbertus, quem Godwinus etiam Habertum vocat; & addit ipsum Ecclesiæ contulisse Croleiam; & fato functum, anno octingentesimo quadragesimo octavo. de quo ibi.

ANNUS CHRISTI 823.

PASCHALIS PAPÆ 7.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 24.

BEORNULFI MERC. REG. 3.

BALDREDI CANTII REG. ultimus.

I. SYNODUS CLOVESHOVENSIS SUB BEORNULFO.

ANNO Christi octingentesimo vigesimo tertio, Wulfredus tertiò Synodum cogit, ad Dorovernensis Ecclesiæ damna sarcienda, quæ Kenulphus intulerat, Wincheleumbense monasterium dotans, è dote Dorovernensis Ecclesiæ. Quid in eâ actum, è Manuscripto codice, ita recitat Spelmannus; titulum (opinor) de suo præfigens, in hunc modum: (Apud Spelm. fol. 332.) *Concilium Synodale, in claro loco, qui vocatur Clovesho; circa annum Christi octingentesimum vigesimum secundum, Beornulfi Regis Merciorum tertio. Præsidentibus in eodem, dicto Rege, & Wulfredo Archiepiscopo Dorobernia, cum cæteris Episcopis, Abbatibus, omniumq; dignitatum optimatibus. In quo, post aliquot ad Ecclesiarum utilitatem, vitæ monasterialis regulam, & regni stabilitatem pertinentia; de injuriis agitur Dorobernensi Ecclesiæ, per Kenulphum Regem Merciorum (jam inde mortuum) illatis.*

II. ACTA SYNODI.

1. Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo vigesimo secundo, Indictione tertiâ; de diversis Saxoniæ partibus, congregatum est Synodale Concilium, in loco præclaro, qui nominatur Clovesho: præsidenti huic venerabili Concilio, Beornulfo Rege Merciorum, & Wulfredo Archiepiscopo, cæterisq; Episcopis, & Abbatibus, omniumq; dignitatum optimatibus; Ecclesiasticarum scilicet, & sæcularium personarum, utilitatem, & necessitatem Ecclesiarum, monasterialisq; vitæ regulam, & observantiam, stabilitatem quoq; regni pertractantes.

III. (Idem suprà fol. 214.)

Hic notat Spelmannus, *erratum* aliquantulùm à Scriptoribus, in dato hujus Concilii denotando. *Non enim*, inquit, *conveniunt annus Christi octingentesimus vigesimus secundus, & annus Indictionis tertia. Et apparet in ipso hoc Concilio, duo alia fuisse celebrata, tempore Beornulfi Regis (qui ne quatuor integros regnavit annos) huic præcedentia: eorumq; unum, duodecim, vel supra, menses, ante alterum. Sic ut hoc Concilium, ad annum tertium istius Regis, hoc est, annum Christi octingentesimum vigesimum tertium, Indictionis primum, referendum videatur.* Et ita dicendum, scribendumque censeo, ob superius dicta: licèt Florentius Wigorniensis, Synodum in Clovesho; signatè ponat, ad annum Domini 822. Quicquid sit, ita pergunt Acta.

IV. WULFREDI QUERELA DE REGE KENULFO.

*2. Interea ab omnibus, in eâdem Synodo residentibus, quæsitum est; quomodo quis cum justitiâ sit tractatus, seu quis injustè sit spoliatus? Inter multa itaque, quæ ibi acta, & dicta sunt, monstratum est: quia præfatus Archiepiscopus Wulfredus, per delationem, & inimicitiam, & violentiam, avaritiamq; Coenulfi Regis; multas injurias perpessus, & de suâ justâ dominatione injustissime privatus; tam per ea, quæ hic inter nos scilicet in Angliâ illi sunt illata; quàm per illa quæ per *visionem prænominati Coenulfi Regis, ad Apostolicam Sedem perlata sunt. Nec ille solummodo sæpè nominatus Archiepiscopus; sed per easdem accusationes, & discordias, tota gens Anglorum, per sex annorum fermè*

* fortè missionem.

curricula,

curricula, suâ primordiali authoritate, sacriq; baptismatis ministerio, privata sit. Super hæc omnia, quâdam vice, idem Rex Ceonulphus, cum suis Consiliariis, veniens ad villam Regalem Lundoniam, constituit diem (cum magnâ indignatione) quò idem Archiepiscopus, veniret ad eum. Quò cùm venisset; præcepit Rex, ut relictis omnibus rebus suis, citissimè de Angliâ decederet, nec aliquam spem haberet redeundi amplius: nec per præceptum Domini Papæ, nec pro precibus Imperatoris, nec alicujus alterius personæ; nisi consentiret voluntati ejus, dimittendi ei villam trecentorum manentium, nomine Leogenesham: insuper daret sibi, videlicet Regi, centum viginti libras denariorum.

V. *3. Hanc autem reconciliationem prædictus vir VVulfredus diu recusans, contradixit. Cumq; amici viri Dei, & optimates Regis, qui illum plurimùm dilexerunt; viderent rapacitatem, & violentiam Regis, instigabant Archiepiscopum, ut regiæ voluntati, eo tenore pareret: quatenus idem Rex, discordiam, quam per nuntios suos, inter Apostolicum, & Archiepiscopum composuerat, dissiparet. Omnem quoque potestatem, & dignitatem, quæ ad primatem sedem pertinebat; eidem Patri, juxta authoritatem, quam Antecessores ejus, priscis temporibus, excellentius habuerant, ei restitueret. Quodsi hoc Rex facere nequivisset, pecuniam, & terram, quam ab Archiepiscopo exigebat, iterum ei redderet. Hâc igitur conditione assensum Pater reverendus præbuit. Sed nihil hujus prædictæ conditionis impletum est. Nam tribus integris annis, post eandem reconciliationem, potestate, quam Antecessores ejus, & ipsemet ante illam discordiam habuerint, super Suthmenstre, tam in pastu, pecuniâ, vestimentis, quàm obedientia, quæ ad Sedem Metropolitanam pertinebant, privatus remansit.* Ita Manuscriptus Codex, innominato Authore. Quæ quia factioso hoc sæculo, primùm in lucem prodeunt: videndum est, an cum antiquis Scriptoribus, & ab omni lite remotioribus, consentiant.

VI. EXCUTIUNTUR ACTA. Enimverò dialectus illa, quâ præcipit Rex Archiepiscopo Dorovernensi, ut relictis omnibus suis rebus, citissimè de Angliâ decedat; nec eò redeat per præceptum Domini Papæ, aut preces Imperatoris; aliquid habet ab Anglo-Saxonum Regum consuetudine stylóque, & ab illorum sæculorum Fide, dissonum. Hactenus enim nunquam ita locutus est Rex, aut in scriptis diplomatis, quæ plurima referuntur, aut in publico Procerum conventu; ubi regiam prærogativam urgere mos est: aut etiam (quod notandum) cùm nequior impetus (ut in causâ * Wilfridi) Regem ab æquitatis orbitâ aliquandò abripuit. Sed Kenulphus fortè, cæteris Regibus scelestior fuit, & in Ecclesiam, plusquam illi, præsumpsit. Si ita quisquam ex Antiquioribus dixisset, confirmassem eorum sententiam, hujus Synodi authoritate, nec vocassem in dubium acta Concilii. Sed cùm Kenulphum suprà laudaverim, ex ore, scriptisque Romanorum Pontificum, & Authorum omnium: cùm denique Malmesburiensis dixerit: *Kenulphus vir magnus, & virtutibus famam supergrediens, nihil quod livor dignè carperet, unquam admisit, domi religiosus,* & cætera, quæ * nuper retuli, cùm illum sepelivi. Mihi persuasissimum est, nihil Malmesberiensem inaudiisse, de hoc Kenulfi scelere. Nec enim patienter tulisset, primam in Britanniâ Sedem, Romanam etiam, omnium Ecclesiarum Principem, illâ verborum acerbitate lædi. Videtur ergò silentio dicere, irrepsisse aliqua Synodorum actis, & Normannorum potiùs, quàm Anglo-Saxonum Regum dialectum esse, ita intemperanter Ecclesiam premere. Profectò, cùm Kenulphus Dorovernensem Ecclesiam adeò coluerit, ut scriptis ad Leonem Papam literis, pro illâ piè advocaverit; cùm Wigorniensis etiam mortuum laudet, & vocet SANCTUM, ut * suprà ostendi. Nutare proculdubiò debent, quæ è Manuscripto Codice, & innominato Authore produntur. Tunc fortè ab Aulicis confecta, quando illustrissimus Martyr Thomas Cantuariensis simili impietate, exulare coactus est.

* vide an. 702. n. 4.

* an. 819. n. 4.

* an. 819. n. 4.

VII. Non sum nescius, potuisse fortè Kenulphum, prædia aliquot Dorovernensis Ecclesiæ, ad Winchelcumbæ Ecclesiæ fabricam conferre, quæ hæredibus litem moverent: & illa potuit Wulfredus, ab ejus morte repetere. Sed pleraque, quæ superiori paragrapho referuntur, de recessu ex Angliâ, & Pontificii præcepti contemptu, adscititia puto; & tam à dialecto hujus sæculi, quàm à Kenulphi pietate aliena. Prosequamur ergò reliqua, quæ paulò probabilius dicuntur.

VIII. *4. Post mortem autem Ceolulfi Regis, cum Beornulfus Rex regnaret, idem Pater Archiepiscopus VVulfredus, invitabat Cenedrytham Abbatissam hæredem, filiamq; Cenulfi Regis, ad prædictum Concilium. Quò cùm pervenisset, omnibus in Concilio audientibus, conqueritur Archiepiscopus, de injuriis, & molestiis, sibi, & Christi Ecclesiæ, à patre suo illatis: emendationemq; ab eâ (si justum est) postulat. Tunc omne Concilium, pro justitiâ invenit, & hoc unanimo consensu decrevit: ut illa omnia, quæ Pater ejus Archiepiscopo injustè abstulerat, justè eidem in illo spatio * præfatus pater perdiderat. Quod ipsa humiliter spopondit.*

* locus corruptus.

IX. *5. Placuit itaque Beornulfo Regi, cum suis sapientibus, pro amicitiâ Ceonulfi Regis, & hæredum illius; prænominato Archiepiscopo supradictarum rerum diligentissime, reconciliationem & emendationem facere. Quia autem hoc prænominato Regi Beornulfo placuit; & humili prece id deposcebat, pro amore & amicitia illius consensit. Heres enim sæpè nominati Regis Ceonulfi, expetiverat eundem Patrem, patronum & intercessorem habere, * deprecabatq; humili devotione, ut pro plenâ reconciliatione, susciperet, in quatuor locis terram centum manentium, idest, Hareghes, Heferdingland, VVambelea, Gedding. Tunc Archiepiscopus, pro amore Dei, & amicabili amicitiâ Regis Beornulfi, huic reconciliationi consensit: eâ conditione, ut præfata Abbatissa, prænominatam terram eidem Archiepiscopo: illam terram scilicet centum manentium, cum libris quos Angli dicunt Landboc, & cum eâdem libertate, quam ante habuerat, in perpetuam hæreditatem traderet. Beornulfus autem Rex, cum testimonio totius Synodi, liberam omninò proclamavit.*

* deprecabantq;

6. Ista quoque reconciliatio, nec hac vice rata fuit; quia post hoc ista promissio, duodecim mensibus imperfecta remansit. Retenti sunt enim tres manentes, de prædictâ conditione, & libri quadraginta septem manentium. Scilicet lib. de Bocland. lib. de VVambelea, liber etiam de Herferdingland.

X. *Sequenti verò anno, hæc eadem Abbatissa flagitabat colloquium cum sæpè nominato viro; qui tunc temporis erat in regione, in loco, qui dicunt Oslaveshlen; ibi enim tenebat Concilium. Ubi cùm virum Dei invenisset, confessa est insipientiam tardatæ reconciliationis. Archiepiscopus verò cum magnâ dulcedine, ostendebat se esse omninò liberum de sæpè nominatâ reconciliatione. De suâ autem parte (id est Abbatissæ) plura deesse*

*quæ reddere debuisset: at illa coram posito Concilio, suffusa leni pudore, omnia quæ deerant humiliter promisit se reddituram. Libros etiam quarundam terrarum, quos ante non promiserat, cum terris in eodem Concilio, Archiepiscopo libenti animo reddebat. Agellum quoque quatuor manentium, pro ejus amicitiâ adjecit, apud Hergam. Terram quoq; triginta manentium, ubi dicitur Cumbe; cum libello ejusdem terræ, pro emendatione, Archiepiscopo dedit; ut firma amicitia, inter omnes hæredes Cenulfi Regis, & Archiepiscopum * stabilem permaneret. Archiepiscopus autem his omnibus assensum præbuit, hâc conditione; ut nomina prædictorum Agellorum sint abrasa de antiquis privilegiis, quæ pertinent ad Winchelcumbe: nè imposterùm aliqua controversia excitetur, de hoc, quod Synodali authoritate finitum est, & signo Crucis firmatum.*

* fortè stabilis

XI. QUID DE ACTIS SENTIENDUM?

Hactenus Synodi acta, de quorum authoritate, non aliud pronuntio, quàm quod Spelmannus, illa è Manuscripto Codice, & innominato Authore, protulerit. Quæ quoniam, sine Episcoporum subscriptionibus recensentur, & Synodo præfuisse scribitur Beornulfus Rex, qui hoc ipso anno classicum canens, in Egbertum surrexit; adde his sententias aliquando sine sensu mutilas, annum, indictionemque vitiatam: timendum sanè, nè antiquorum Regum factis, novæ factionis commenta, interdum affuantur, in rem notam. Certè Regum & Pontificum diplomatis, hujusmodi nævos inspersos, nemo, qui paulò curiosius antiqua scrutatus fuerit, aut sæculi stylum inspexerit, opinor dubitabit. Sed videamus, certioribus testibus, quid hoc tempore Beornulfus Rex fecerit; an ita in colligendis Synodis religiosus, potuerit Ecclesiæ patrocinium suscipere; & Kenulfum in eo pietatis genere transcendere. Ingulfus Croylandensis Abbas, ita de illo: *Ceolwulfus*, inquit, *secundo anno regni sui, à Bernulfo quodam fastuoso, & divitiis, ac potentiâ, pollenti, in nulloq; lineam Regalem contingenti, expulsus. Bernulfus verò, tertio anno regni, ab Egberto Rege West-Saxonum, bello victus & fugatus est.*

Ingulf. fol. 855.
BEORNULFUS QUALIS FUERIT?

XII.

Sed fortè occupatum in Ecclesiâ componendâ Regem Egbertus invasit; & coegit fugere? non est ita: Beornulfus primò in arenam descendit, & Egbertum ad prælium lacessivit. Viderat enim illum, Provinciarum accessione, pomerium dilatasse; & monarchiam auspicari, quam Merciorum Regibus deberi, certo juris factique argumento didicerat. Hoc enimverò sibi injurium, si permitteret; ingens fore decus, si averteret, opinatur. Quare Egbertum impetere, & gloriæ cursum sistere, vir animo plenus decrevit. Quid plura? ad Ellandunum concurritur (hodie Wilton dicitur) magnis utrimque viribus pugnatur: & demum penes Egbertum victoria, & victi infamia penes ipsum fuit. Rem, ut gesta est, ita narrat Malmesberiensis: *Egberti victoriarum fama, cùm reliquos territaret; Bernulfus Rex Merciorum, tumidum quid spirans, gloriosumq; arbitratus, si audaciâ suâ, cæterorum metum demeret; bellum Egbirtho indixit. Ille gloriæ damnum ducens, si cederet, occurrit alacriter, consertaq; pugnâ, fugit Bernulfus, victus miserabiliter.* Ita ille. Cruentum fuisse prælium, Etherwerdus sanè affirmat: *Egbyrht*, inquit, *Rex contra Beornulf Regem Myrciorum, instituit bellum, in Ellandune, & Egbyrht victor exstitit: attamen in utraq; parte, ruina facta est magna: & Hun ibi occiditur, Dux Provinciæ Sumersæton, requiescitq; nunc in Vrbe Wentanâ.*

AB EGBERTO VINCITUR

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 2.

Ethelwerd. l. 3. ad hunc annum.

XIII. TEMPORIS RATIO.

Huntin. l. 4.

Quod ad tempus spectat, benè annum consignavit Huntindonius: *Egbright*, inquit, *anno vigesimo quarto regni sui, commisit prælium contra Beornulf Regem Merce, apud Ellendune. Vnde dicitur: Ellendune rivus cruore rubuit, ruina restitit, fœtore tabuit. Ibi autem maximo gemitu exterminio, utrinq; peracto, Egbricht victor funestus extitit.* Erravit itaque, qui Malmesberiensem impressit, ita: *Factum est hoc bellum, apud Hellendune, anno Domini octingentesimo sexto.* Nam reponi debuit octingentesimo vigesimo tertio. quod * mox, non alio, quàm ipso Malmesberiensi teste, probabitur. Qui recitans eodem capite hujus anni gesta ab Egberto, vocat illum regni annum vigesimum quartum. Et quia paullò ante dixerat: ipsum regnum inchoasse, anno Christi octingentesimo, luce clarius est, vigesimum quartum regni annum non cadere in Christi annum octingentesimum sextum, sed reverâ in annum octingentesimum vigesimum, & eo Egberti victoriam referendam; ut Ethelwerdus, Wigorniensis, & alii passim expresserunt. Malè ergò Camdenus, dum Ellandunum exponit, Beornulfum ibi fusum scribit anno reparatæ Salutis octingentesimo vigesimo primo.

Malmesb. de Reg. l. 2. fol. 37.
* vide n. 14.

XIV.

ETHELWOLFUS EGBERTI PRIMOGENITUS IN CANTIUM MITTITUR.

Malmes. suprà.

Egbertus hac victoriâ elatus, cùm fractis Merciorum viribus, nihil sibi ad imperium Insulæ obstare videret, eodem anno Cantium expugnare, viamque sibi aperire cœpit ad domandos Saxones qui ad Austrum & Orientem erant: quorum Provinciæ, olim Occidentali Saxoni paruerant. Quamobrem, Ethelwolfum, quem è Redeburgâ conjuge susceperat primogenitum filium, in Cantium mittit, & unà Ealstannum Schirneburnensem Episcopum, qui armatâ manu Provinciam invaderent, suique juris facerent. Quod ab utroque impigrè factum, testatur Malmesberiensis. *Hoc eventu*, (inquit) *West-Saxo elatus; & animum ad altiora extendens, fervente adhuc victoriâ, Ethelwlfum filium, cum Alstano Episcopo Scireburnia, & electâ manu, in Cantium misit: qui Provinciam seu longo sopitam otio, seu virtutum suarum exanimatam nuntio, Dominatus West-Saxonum adjicerent. Missi efficaciter imperatis institerunt, regionemq; quaque versum, finibus suis cingitur, pervagati, minimèque labore, Baltredo Rege, ultra Thamesim fluvium expulso; Cantiam, Southeriam, Australes, & Orientales Saxones, qui quondam ad Antecessorum suorum jus pertinebant, suæ parti subdidere, anno regni ejus vigesimo quarto.* Ita ille. Egberti victoriam in duos Reges, Beornulfum, & Baldredum, in unum annum conjiciens; quod & Huntindonius, Wigorniensis, aliique passim fecêre. Unde Malmesberiensis suprà, cùm dixit, ad Ellandunum pugnatum, anno Christi 806. per hunc locum corrigi debet, restituique anno 823. ut patet calculanti annos viginti quatuor, ab anno, quo juxta Malmesberiensem Egbertus regnum auspicatur, octingentesimo.

CANTIUM EXPUGNATUR.

XV. CANTIANI REGNI PERIODUS.

Baldredo Rege, trans Thamesim fugato; Cantii regnum, quod ab Hengisto primo Conditore steterat, ab anno Domini quadringentesimo quinquagesimo sexto, per annos trecentos sexaginta octo, Occidentalium Regum Provinciis, imperioque annectitur. Nec differt ab hâc Cantiani regni epochâ, Malmesberiensis, qui ita scribit

Malmesb. de Reg. l. 1. c. 1.

Regia dignitatis obtentorum Baldredus, postquam Cantiam octodecim annis obsederat potius, quam rexerat; ab Egberto Rege West-Saxonum prælio pulsus, in exilium concessit. Ita regnum Cantiæ, quod ab anno Domini quadringentesimo quadragesimo nono steterat, annis trecentis septuaginta quinque, alterius potestati accessit. Non, inquam, differt; quia non à conditione regni, sed à primo Hengisti ingressu in Insulam, annos computat. Deme ergò ab ingressu illo, ad annum 456. annos septem (tot enim annis sine regno fuit Hengistus) & habes integram Cantiani regni periodum, annos 368. cujus ut prologum egit Hengistus, ita Baldredus egit Epilogum. Qui priusquam regno pelleretur, manerium, sive prædium, Mallinges dictum, in regione Australium Saxonum, Dorobernensi Ecclesiæ donavit. Quod quia regni Proceres confirmare noluerunt; contentionis ansam præbuit, donec Egbertus moriens, & Ethelwolfus filius, altero sui regni anno, illud in plenâ Synodo Ecclesiæ, concesserunt, ut infrà*. Sunt qui putent, Egbertum, avito jure, Cantii regnum, & vicinas Provincias adiisse. Nam Huntindonius, cùm Baldredum ultra Thamesim fugatum dixisset, mox addit: *Tunc ergo populus Cantiæ, & Sudriæ, & Sudsexe, & Estsexe, Rex Egbricht in dominium suscepit; quos prius cognatus suus Pren, injustè amiserat.* Id fortè de Canoi regno dici potest probabiliter, quia Ethelbertum cognomento Pren, ex privatum diximus: qui tamen in Orientales, & Australes Saxones, nihil juris, nullum imperium habuit. Egbertus ergò, non inde, sed potiùs à Cerdicio, Kenrico, & Ceaulino, qui Monarchæ olim fuerant, & Reges in Occidente, juris sui principium petiit: quamvis gladio magis disputandum, quàm de jure litigandum censuerit. Quicquid sit, Baldredus, & Swithredus Reges, è Provinciis fugati, Victori regna permiserunt.

* an. 838. n. 7.

Huntind. l. 4.

XV. Egbertus in Britannos pugnat.

Ethelvverd. l. 3. an. 823.

Dum Ethelwolfus in Cantium pugnat, & Orientem illum, Egbertus in Occidente, Britannos res novas molientes, pressit: quod Ethelwerdus sic expressit. *Cooptatum est*, inquit, *bellum adversus Britannos, in Provincia Defna in cognominato loco Gafulforda.* Quod paulò melius ad hujusce sæculi phrasim, Huntindonius refert in hunc modum. *Eodem anno (Egberti Regis 24.) prælium fuerat inter Britones, & gentem Davenescire, apud Gavelford; ubi multa millia utrinque corruerunt.* Quod ad tempus spectat, Wigorniensis, & Ethelwerdus, hoc prælium referunt ad annum octingentesimum vigesimum tertium. alii ad sequentem, quo nimirùm Beornulfus Rex occiditur. Sed quia Ethelwerdus id recitat ante pugnam ad Ellandunum, puto Egbertum voluisse prius, rem domi componere, quàm foris pugnare. Et ideò fortè Etelwolfum filium, in Cantium amandavit; ut ipse ad omnem Britannorum motum, Occidentis regno præsentior esset.

ANNUS CHRISTI 824.

EUGENII II. PAPÆ 1.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 25.

BEORNULFI MERC. REG. 4.

I. Paschalis Papa moritur: Succedit Eugenius II.

apud Baron. hic.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus vigesimus quartus; quo Paschalis Papa, cum Romanam Ecclesiam administrasset annos septem, & menses aliquot, vivendi finem fecit. In cujus locum decimo-quarto Kal. Junias electus est Eugenius, eo nomine secundus. de quo Anastasius: *Hic venerabilis, & præclarus vir, magnæ simplicitatis, ac humilitatis fuit; doctus scientia, & sermone præcipuus; formâ decorus, largus petentibus, mundi contemptor; sola, quæ Christo essent placita, diebus, ac noctibus cogitabat.*

II. Beornulfus in Merciis adest Synodo.

Ad Anglo-Saxonum Rempublicam quod attinet; Beornulfus licet superiore anno ab Egberto victus, fususque; mansit tamen in Merciorum provinciâ: & solùm ab Ellanduno, hoc est, ab Occidente fugit, redutque ad Mercios: ubi ferè quartum regni annum absolvit. Si verum est, quod vetus Wigorniensis Ecclesiæ Manuscriptus Codex, de Concilio Cloveshoviæ habito refert, Beornulfo Rege: cujus titulum Spelmannus ita recitat: *Synodale Conciliabulum Cloveshoviæ celebratum 3. Kal. Novembrium, anno Domini octingentesimo vigesimo quarto, sub Beornwulfo Rege Merciorum, Wulfredo Archiepiscopo Doroverniæ, assidentibus Episcopis, Abbatibus, & Principibus Merciorum universis, in quo contentiones & colloquia plurima dirimuntur.* ita ille. Sed quomodo in Cantio celebrari Synodus potuerit, hoc anno, & præsens adesse, imò præesse Synodo Beornulfus Rex, difficultatem habet, & supradicta infirmare videtur: ubi diximus Cantium ab Ethelwolfo devictum; fugatoque inde Baldredo Rege, Egberti juris fuisse; nec ultra Merciorum Regi subditum. Addo, cum bello omnia ferverent; & hoc ipso anno authores passim Beornulfum in acie constitutum, ab adversario milite occisum narrent, & Ludecanum eodem anno in Merciorum provinciâ regnasse. Pendeo enimverò, quid de hac Synodo dicendum sit, & actis ejus: quæ nec silentio præterire possum, ne Wigorniensi Manuscripto videar omnem fidem detrahere: nec admodum illa probare, ne oscitantiæ condemnem Scriptores alios, qui nullâ Synodi mentione factâ, ita alteri Reip. animos intenderint, ut sanctiorem neglexerint. Acta autem sunt hujusmodi, satis incorrecta.

apud Spelm. fol. 334. Synodus Cloveshoviæ sub Beornulfo.

Cujus Fidei?

III. Acta Synodi.

Spelman. fol. 334.

Regnante in perpetuum Domino nostro JESV Christo, qui mundi monarchiam, suâ semper virtute gubernat, in æternum. Anno ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi, octingentesimo vigesimo quarto, Indictione autem secundâ, regnante Beornwulfo Rege Merciorum; factum est Pontificale, & Synodale conciliabulum, in loco, qui dicitur Clofeshoas. præsidente ibi Rege præfato, ac venerando viro Wulfredo Archiepiscopo, illo conventu regente ac moderante. Illic omnes Episcopi nostri, & Abbates, & universi Mercensium Principes, & multi sapientissimi viri congregati adessent: ubi inter alia plura colloquia, aliqua

contentio illata est, inter Heaberhtum Episcopum, & illam familiam at Berclea, de hereditate Æthelrici filii Æthelmundi: hoc est, monasterium, quod nominatur VVestburhy. Habuit autem Episcopus terram illam, cum libris, sicut Æthelricum ante praecepit; ut ad VVeorgernensem Ecclesiam redderetur.

IV. *Statuta autem, atque decreta ab Archiepiscopo, & ab omni sanctâ Synodo illa consentiente; ut Episcopus, qui monasterium, & agellum, cum libris haberet, cum juramento Dei servorum, Presbyterorum, Diaconorum, & plurimorum Monachorum, sibi in propriam possessionem, terram illam, cum adjuratione adjuraffet. Et ibi finitâ & profcripta illa contentione, coram Episcopo, post triginta noctes* * *illud juramentum eo VVestmynstre deductum est. Quapropter si quis hunc agrum, ab illâ Ecclesia, in Ceastre nitieur evellere, contra decreta sanctorum Canonum, sciat se facere: quia sancti Canones decernunt: quicquid sancta Synodus universalis, cum Catholico suo Archiepiscopo adjudicaverit; nullo modo fractum, aut irritum esse faciendum. Hæc autem gesta sunt. Hi sunt testes, & confirmatores hujus rei, quorum nomina hic infra notantur, à die tertiâ Calend. Novemb.*

* illud

V. *Ego Beornvvulf Rex Merciorum, hanc synodalem sententiam cum signo gloriosæ Crucis Christi confirmavi.*

Ego VVulfred Archiepiscopus, hanc synodalem sententiam cum signo gloriosæ Crucis corroboravi.

Ego Æthelwold Episcopus consensi.

Heredhim, Eadvvulf, Heaberht, Beonna, Wigthegn, Cioberht, Wermund, Cynred, Hunberht } *Episcopus consensi.*

Beornoth, Eadberht, Sigered, Ecgberht, Eadvvulf, Alheard, Mucel, Uhtred, Ludica } *Duces.*

Eadmund, Cuthwulf, VVihtred, VVilfred } *Abbas consensi.*

Northelm praco à Domino Eugenio Papa.

Bynna, frater Regis.	*VVigbelm*
Bola	*Beardheard*
Aldred thelonius Cons.	*Cyneberht*
Pios Presbyter.	*Eadbald.*

VI. EXCUTIUNTUR EPISCOPORUM NOMINA.

Episcopi omnes, Dorovernensi excepto, sine Sede consignantur, & difficile est omnibus suam apponere. Qui primus post Wulfredum nominatur Æthelwaldus, nullum hoc anno inter Anglo-Saxones Episcopos locum habet, præsertim si is, qui illum sequitur Hredhim, Herewinus scribi debeat: quod aliquandò opinatus sum. Cum enim ille Lichfeldensis Episcopus sit, ab anno octingentesimo decimo-quarto, sederitque (ut habent Fasti) usque ad annum octingentesimum trigesimum quintum, & tunc demum Æthelwaldum successorem acceperit, non potest hoc anno scribi, Æthelwaldus Lichfeldensis Episcopus: quod vel inde constat; quia anno octingentesimo trigesimo tertio, Regio diplomati subscriptus legitur Herewinus Lichfeldensis Episcopus; ut dicam ibi, Ingulfo teste. Unde probabilius est Hredhim, qui post Ethelwaldum scribitur, Rethunum esse Legecestrensem Episcopum, de quo supra*. * vide an. 814 n. 6.

VII. Qui tertio loco ponitur Eadwulf, si Margini credatur, quem opinor, Spelmannus adjecit, Lindisfarnensis Episcopus fuit. Sic enim ibi vocatur. Sed cùm inter Lindisfarnenses, non sit Eadwulfum Episcopum invenire; longe probabilius dici potuisset Candidæ Casæ Episcopus. Nam anno septingentesimo nonagesimo, eum ibi sedisse, Eanbaldum Eboracensem consecrasse post quinquennium, & diu superstitem fuisse dixi. Verùm cùm huic Synodo, nulli adhæserint Northumbrii Episcopi; sed ii tantùm, quos Wulfredus Dorovernensis vocaverat. Ego dicerem Eadulfum hunc, Lindisfarorum potiùs Episcopum fuisse, qui anno 796. Ceolulfo successit, ut * ibi & cui demum mortuo, sub hæc tempora, nemo successit per annos ferè quinquaginta. Qui sequuntur, Heaberth, Beonya, Wigthegn, sine difficultate Sedem inveniunt. Nam primus Wigorniensis Episcopus, pro quo in Synodo disputatum. & quem anno octingentesimo vigesimo secundo, in eâ sede locavi. Alter (sed Beonna rectius scribitur) Herefordensis de quo anno * octingentesimo nono. Wighten, denique Wintoniensis fuit, ut dictum * suprà. Cioberh, & Cynred, obscura nomina, & ignota Sedes. Notiores multò Weremund, & Humberht; nam ille anno octavo hujus sæculi, consecratus est Dumuicensis; iste post annos decem Helmhamensis Episcopus. Cæterum Weremundus hoc anno mortuus videtur, & Wiledum accepisse successorem. Nam ita Fasti consignant.

vide an. 790 n. 1 & an. 796. n. 10.

* an. 796. 10.

* 814. n. 4. * 809 n. 4.

WEREMUNDUS DUMUICENSIS MORITUR: SUCCEDIT WILREDUS

VIII. De aliis nihil occurrit dicendum, nisi quod, qui ultimo loco, inter Merciorum Duces, nominatur, Ludica; opinor ille ipse est, qui mortuo Beornulfo, successit in regnum hoc ipso anno, ut mox dicetur. Enimverò minorum gentium provinciæ; dum orientem Egberti gloriam contemplantur, & accisas ferè regum cæterorum vires, sub ejus potius patrocinio vivere, quàm suis stare viribus incipiunt. Australes Saxones, facile ad Egbertum transierunt; illos enim olim Occidentalium Saxonum Rex Cedwalla, sui juris fecerat; occiso eo qui regnum postremus præsumpserat; sed postea, quà occupatis alibi Regibus Occidentis, quà vicinorum Principum injuriâ, subduxerant sese: donec Egberti majestate deliniti, se nunc ultro illi permiserunt. Secuti sunt eos, qui ad Orientem sunt Saxones; quos anno superiore Swithredus regebat; sed fusus ab Egberto, fugatúsque, provinciam victori cesserat. De eo ita Malmesberiensis: *Principatus est Orientalibus Swithredus, qui eodem anno, quo Cantuaritas Egbertus Rex VVest-Saxonum debellavit; ab eodem expulsus, regnum vacuefecit. Lundonia tamen, cum circumjacentibus Regionibus, Merciorum Regibus, quamdiu ipsi imperitaverunt, paruit.* Hæc ille.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

Sed

IX. Orientales Angli, Occidenti surduntur. *Wigorn. an. 823.*

Sed & Orientales Angli, qui ab Ethelberti Martyris innocenti cæde, Merciorum Regibus servierant; servitutem illam nunc exuere, & Egberto subesse, non dubiis animis, motibúsque cupiebant. *Quare cum suo Rege*, inquit Wigorniensis, *legatarios miserunt ad Regem West-Saxonum Egbertum; supplicantes, ut patronus illis, & fortis esset murus, contra infestationem, & impetum Mercensium. Qui petitioni illorum acquievit, & se libenter eos adjuturum in omnibus spopondit.* Hoc enimverò indignissimè tulit Beornulfus, qui studiosius aliquandò regnum ampliare satagens, deficientibus ubique provinciis, ludibrium Principibus futurus erat, nisi brevi in ortum sisteret. *Exercitum* ergo *collegit non modicum*, inquit ille *, *illorumq; fines hostiliter intravit; atque nece optimum quemque tradere festinavit. Contra quem Rex eorum, cum suis ascendit, initoq; prælio, illum cum magnâ parte sui exercitus interfecit.* Ita ille.

Beornulfus in Egbertum pugnat. * *Wigorn. sup.* et occiditur.

LUDICANUS MERCIORUM REX.

X.

Beornulfo è vivis sublato, licet Egbertus provincias omnes spe devorasset. Mercii tamen, è suo corpore Regem creaverunt, Ludicanum, Beornulfi propinquum, qui biennio satis infeliciter regnum occupavit: tenuisset tamen diutius, nisi vindictæ impetus, ad ulciscendam Beornulfi mortem, cum ultra regni sui metas rapuisset. Brevi igitur regnum illud, communem calamitatis sortem subibit: & nemo ibi, nisi precario, & sub Egberti imperio regnabit.

ANNUS CHRISTI 825.

EUGENII II. PAPÆ 2.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 26.

LUDICANI MERCIORUM REG. 2.

I. Ludicanus pugnat in Orientales Anglos.

Vix integrum annum in Merciorum provinciâ Ludicanus regnaverat, cum anno Christi octingentesimo vigesimo quinto, experiri fortunam suam, & Beornulfi mortem ulcisci decrevit. Itaque Orientales Anglos aggressus; qui nuper à Merciorum imperio defecerant: in eos iræ impetum, & vires omnes effudit. Sed citò didicit, firmandum esse prius domi regnum, quàm foris pugnandum: & faciliùs servari parta, quàm recuperari amissa. Etenim dum Anglos in Oriente persequitur, & regnum quod ampliare cupiebat; & vitam, quam servare poterat, amisit. Wigorniensis ita infelicitatem ejus explicat. *Rex Merciorum*, inquit, *Ludecanus, suâ militiâ coadunata, ad ulciscendum prædecessorem suum Regem Beornulfum, in Anglorum Orientalium provinciam movit exercitum. Cui provinciales illi, cum Rege suo, festinatò occurrerunt: consertóque gravi prælio, illum, & quinque duces ejus exercitus, cum aliis quàmplurimis occiderunt, reliquos verò fugaverunt.* (*Wigorn. hic.*) Quis Ludicano successerit, dicam anno sequenti.

II.

Interim lugebat Orientalium Anglorum Ecclesia, nam Regibus inter se pugnantibus, inermis clerus injurus patebat. Hinc vacuæ, vel inopes Episcoporum Sedes, infelicitatem temporis senserunt; quod Malmesberiensis rectè expressit, si rectè impressus esset: ita loquitur, vel ita saltem in eo legitur, de hoc tempore. *Tempore*, inquit, *Ludican Regis, & Egbirthi Regis West-Saxonum, Humbrithus, & Wilredus fuerunt Episcopi Orientalium Anglorum. Sed eodem Ludicano, & Antecessore ejus Burhredo infestante provinciam; etiam Episcopi, necessariorum copia destituti sunt. Et quidem, utrique Reges, intra Regionem, provincialium incursu extincti. Cessarunt tamen Episcopatus, & ex duobus unus factus, sedem apud Helmaham villam non adeo magnam accepit.* (*Malmesb. fol. 237.*) Palam est, Beornulfum, pro Burhredo legendum: ille enim Ludecanum præcessit, & intra Regionem extinctus est, ut suprà. Burhredus, Ludecanum in Merciorum regno secutus est, & Romæ moritur, ut infra. Corrige ergo Harpesfeldum, qui Malmesberiensem incautè secutus, dicit Burhredum & Ludicanum Orientalem provinciam infestasse. (*Harpesfeld. sæc. 9. c. 8.*) Cæterum hic notant Fasti, ab Humbrithi & Wilredi tempore, Episcopos in Eastangliâ defecisse, usque ad Edwinum Regem. Verum Humbrithus adhùc diu superfuit.

ANNUS CHRISTI 826.

EUGENII II PAPÆ 3.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 27.

WITLAFII MERC. REG. 1.

I. Witlafius Merciorum Rex. *Ingulf. fol. 855.*

Anno Christi octingentesimo vigesimo sexto, regnum in Mercios cœpit Witlafius, potiori jure, quàm qui eum præcesserant, si Ingulfo credimus ita de Witlafii exordio scribenti. *Sublato ergò in brevi tyrannis, qui contra fas purpuram induerant: & regno vehementer oppresso; totam militiam ejus, quæ quondam plurima extiterat, & victoriosissima, suâ imprudentiâ perdiderant: omnium consensu, Witlafius, Dux Merciorum, cujus filius VVimundus, Alfledam filiam Celwol, quondam Regis nobilissimi, duxerat in uxorem, in Regem levatus est; & tredecim annis regnavit, sub ditione tamen, & tributo Egberti Regis West-Saxonum.* Incepit quidem regnum Witlafius, ab omni Egberti imperio absolutus, voluitque ita regnare. Verùm Egbertus, in omnem ampliandi regni occasionem intentus, Merciorum Provinciæ ita imminebat; ut nullam Witlafio colligendi militem, conscribendi exercitum, aut se contra hostem tuendi, moram permiserit. Unde vix regnum ingressus, regno egredi, ad tempus secedere, & omninò latere cogitur. Sic enim loquitur Huntindonius. *Egbright vigesimo septimo anno regni sui, fugavit Wilaf, Regem*

Huntind. l. 4.

Merco, qui Regi Ludecen successerat, regnumq; sibi acquisivit. Ita tamen acquisivit; ut sequenti anno regnare permiserit, quem hoc anno è regno fugavit.

II. Witlafius in Croylandia latuit.

II. Witlafius enim regno pulsus, latebras quærere, Dei, Sanctorumque patrocinia implorare, omnem denique lucem fugere cogitur. Ad Croylandensem itaque paludem divertit, & secreta illius monasterii, ubi Siwardus Abbas, exulem Regem, in Alfredæ Virginis cellâ reclusit. Alfreda adhuc in vivis erat, Witlafii cognata, Offæ Regis filia, quæ Ethelberto Martyri in uxorem promissa; cùm sponsum crudeliter à parente occisum conspexisset; mundum, mundique amores pertæsa, Croylandense monasterium petiverat, & ibi Deo, Sanctisque conjuncta, Angelicam vitam æmulata, seipsam ab omni virorum contubernio sequestrarat; ut dixi ad annum septingentesimum nonagesimum tertium *. Admisit tamen Witlafium Regem, quò tutior insequentium insidias declinaret. Et quia Deus his latebris favit, & Witlafium inde ad solium evexit; quia etiam Alfreda omnem vitam sanctissimè egit, & Author Regi fuit ad opera pietatis. meritò affirmare possumus, quatuor mensium moram (tot enim Witlafius in Alfredæ cellâ remansit) innocentem fuisse, & ab omni criminis suspicione liberam. Interim Siwardus Abbas, Witlafii rem cum Egberto egit, atque ita controversiam de regni jure composuit: ut Witlafio regnum, Egberto supremum regni dominium maneret. Sed erit fortè, qui Ingulfum libentiùs audiet, ista exponentem, dum monasterii sui historiam accuratè texuit.

* a. 1. 9.

III. Ingulf. f. 851.

Siwardus Abbas eius causam agit apud Egbertum.

III. Mox, inquit iste, *ut Rex factus est Witlafius; & antequam exercitum poterat colligere, à Ducibus Egberti, per totam Merciam quæsitus; industriâ Domini Siwardi Abbatis, quatuor mensium spatio, in cellâ sanctissimæ Virginis Etheldritha (Offæ quondam Regis Merciorum filia, sponsæ sancti Martyris Ethelberti, quondam Regis Estangliæ: in cujus nomine jam Sedes Episcopalis Harfordiæ dedicatur; sed tunc pro Christi sponsi sui amore, in australi parte Ecclesiæ Croylandensis, contra magnum altare, in quâdam parte cellæ reclusa) nullo alio conscio, abscondebatur: tutasq; latebras illic agens, quousque mediante dicto Abbate venerabili Siwardo, cum dicto Rege West-Saxonum concordatum est, & promissiô tributi annualis pensione, ad regnum redire pacificè permissus* Factum id anno sequente. Cùm interim Witlafius, loci sanctitate captus, Deo, Sancto Gutlaco, & Virgini Etheldrithæ (quam Authores cæteri Alfredam vocaverunt) multa promisit, quæ postea fidelissimè solvit, in illius Ecclesiæ, & Monachorum commodum.

ANNUS CHRISTI 827.

VALENTINI PAPÆ 1.

EGBERTI OCCID. SAXON REG. 28.

WITLAFII MERC. REG. 2.

I. Eugenius Papa moritur: Succedit primò Valentinus.

I. Anno Christi * octingentesimo vigesimo septimo, moritur Eugenius Papa cum sedisset annos tres, & totidem ferè menses. In ejus locum sufficitur Valentinus. Apostolicæ sedis Archidiaconus: sede quidem illa dignissimus; quam tamen cœlo maturus, non diu tenuit. Nam vix quadraginta dies sederat, cum ingenti bonorum luctu, moritur: & eodem anno Gregorius eligitur Romanus Pontifex, eo nomine quartus: cujus vel solum nomen multa Ecclesiæ pollicetur. Ejus elogium ita refert Anastasius: *Gregorius quartus, natione Romanus, ex Patre Ioanne; vir strenuus at benignissimus, sanctitate & pietate plenus, ornatus scientiâ, verbo facundus, modestus præ omnibus, firmissimus fide Catholica, justus operibus semper fuit, & divinarum literarum solertissimus inquisitor. Ecclesiarum quoque sanctarum infatigabilis visitator, pater pauperum, nutritor viduarum extitit; terrenum nihil appetens, nihil transitorium concupiscens: præsentis hujus vitæ lucra deserens, æterna præmia, in cœlis, dignus sibi meritu, acquisivit.* Ego addo, verè dignus nomine Gregorii.

Inde Gregorius IV. Papa. Eius elogium.

II. Witlafius tributo regnat.

II. Witlafius hoc anno, è Croylandensi cellâ, in regni solium effertur, & sub Egberto regnat; qui jam Regium nomen ferè solus assumpserat, in omnibus passim provinciis supremus Dominus. Soli Northumbri, sub vario Principe, tres & triginta annos, nullum cis Humbrum superiorem agnoscebant. Et eos sub commune jugum mittere, Egberto gloriosum, cæteris provinciis commodum videbatur. Movit ergo in eos exercitum, qui precariò collum subdere noluerunt; Sed illi tot victoriis illustrem virum formidantes: cum paratum in se militem conspexissent, animo cadere, nolle resistere, se tandem dedere, tutius putaverunt. Wigorniensis ad hunc annum ita scribit: *Egbertus suam movit expeditionem, ultra Humbri flumen. Cui Northimbrenses (in loco qui Dor vocatur) occurrentes pacificè, ei concordiam, humilemq; subjectionem obtulerunt. Et sic ab invicem divisi sunt, magna mentis alacritate.* Malmesburiensis etiam, cum dixisset; Witlafium in fidem tributarium ab Egberto receptum, principatum West-Saxonicum ampliasse; mox addit: *Eodem anno Northanimbri, qui se solos remansisse, & omnium digito notari cernerent: timentes ne diu conceptam iram in eos effunderet, tandem, vel serò, datis obsidibus faverunt deditioni. Ita tota Britannia potitus. Egbertus reliquum vitæ, per annos novem, tranquillè cucurrit.*

Egbertus in Northumbrios movet.

Wigorn. hic.

Et illi se dedunt.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 1.

III. Ratio temporis.

III. Verùm quod ad temporis rationem spectat, idem Author, dum Northumbriæ Reges recenset, & eorum ultimum Ethelredum: *Post quem,* inquit, *nullus ad regnum ascendere ausus est: ita cessante Rectore per triginta tres annos, Provincia illa risui, & prædæ finitimis fuit.*) mox addit, paulò clariùs. *Transactis enim triginta tribus annis, hanc*

Malmes. de Reg. l. 1. c. 3.

quoque

quoque regionem, cum ceteris, obtinuit Rex Egbertus, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo vigesimo septimo, regni sui vigesimo octavo. Unde Egberti monarchiæ habemus certa initia. Cùm enim suprà Ethelredum ultimum Northumbriæ Regem, mortuum dixerimus, anno Christi septingentesimo nonagesimo quarto, ab eo tempore, si annos subduxeris ad præsentem annum, tres & triginta numerabis, & tunc demum, omnium opinione, Egbertum Monarcham. Etenim qui priùs, plenum Dominium in Occidentales, Australes, & Orientales Saxones, atque Anglos obtinuerat, qui Canoum, fugato Rege, possederat, & supremam in Mercios potestatem; deinque qui Northumbrios, hoc anno, sub jugum miserat: nihil erat in Anglo-Saxonum Rep. reliquum, quod ejus juris non esset. Quare legem dare toti Insulæ, eamque pro libito nominare potuit. Et Eandredus Northumbriæ Rex, ut nuper Witlafius, tributum solvit.

Egbertus Monarcha.

IV. Angliæ appellatio nunc incipit.

Usser, in Indice ad an. 827.

Huc ergo Angliæ appellatio referenda: quam ut ab Egberto inditam authores passim fatentur; ita prius ab eo vocatam, quàm principatum accepisset in omnes provincias, non est verosimile. Placet ergo quod habet Usserius in Indice Chronologico, ad hunc annum octingentesimum vigesimum-septimum. *Receptâ*, inquit, *post triginta trium annorum* ἀναρχίαν, *Northumbria; Egbertus Occiduorum Saxonum Rex, Monarchiam Angliæ, quæ nomen illud eo tempore putatur accepisse, primus sibi vindicavit.* Placet, inquam, quia cum Northumbri, præ cæteris provinciis, Anglorum nomine censerentur; ut patet è pueris Romæ venalibus, Magni Gregorii tempore; & è Bedâ qui historiam inscripsit *Gentis Anglorum*. cum Mercii etiam passim Mediterranei Angli nominentur; denique in Oriente provincia esset ab eis dicta: nec alii præter eos, Angli audirent: argumentum inde sumitur, Egbertum non prius Insulam ab Anglis nominasse, quàm Mercios & Northumbros, sibi subdidisset. Tunc ergo primùm, latâ lege edixit, Insulam quæ olim à Britannis, Britannia; & nuper à Saxone, Saxonia dicebatur; ad alterius Britanniæ, Saxoniæque discrimen; Angliam imposterum appellandam esse: quæ vox, jam octo sæculorum suffragio, authoritatem præscripsit.

V. Quid Angliæ nomine comprehensum?

Cæterùm quid Angliæ nomine hoc ipso tempore, censendum sit, è supradictis; ubi Deirorum & Berniciorum provincias. quæ sine dubio Northumbriæ juris erant, exposui: dixique Laudoniam, & Gallovidiam ad Anglo-Saxones, à primo eorum ingressu, ad annum nonagesimum septuagesimum, spectasse. Licet non iverim inficias, Scotos, qui ad Septentrionem sedem fixerant; pomerium aliquando suum dilatasse: Berniciorum agros interdum delibasse, & vel belli jure, vel injuriâ, possedisse: quod omnibus provinciarum confiniis obvium, magnam contentionis materiam subministrat; non iis solum, qui pro terminis olim pugnaverunt; sed posteris Scriptoribus, qui quidlibet ferè asserendi, argumentum inde acceperunt. Misso igitur, eo contentionis fune, qui finem non habet; & de jure gentium loquendo: dicimus ad Northumbriæ Reges pertinuisse id omne, quód olim Britannorum, à Romanis relictorum, juris erat. Cæterum Britanni illi, non solùm Severi vallum, regionem cis illam, insidebant; sed longè ulteriùs ad Septentrionem, terras occupabant, ad Caledoniæ montes usque: quas Scotos, ex Hiberniâ profectos, pro locorum, & temporum opportunitate invadere, deprædari, & aliquando possidere solitos, ut nullum est dubium: ita indubium quoque est, florente Anglo-Saxonum imperio, loco pulsos, & ad ultimum Septentrionem fugere, coactos esse.

Northumbriæ Regnum.

VI. Caledonii et Meatæ.

Quare, qui Britannorum in eo tractu, & Scotorum, differentias probè nosse, & integrè componere vult: debet opinor, à nupero Scotorum, aut Anglorum suffragio (nam pronior est in patriam animus) eos Scriptores provocare, qui Romanorum res gestas in Britannia, nullo partium studio, descripserunt. Eos inter Xiphilinus: *Britannorum*, inquit, *duæ sunt nationes amplissimæ, Caledonii & Meatæ. Nam cæterorum nomina, ad hos ferè referuntur. Habitant Meatæ, juxta eum murum, qui Insulam in duas partes dividit. Caledonii post illos sunt. incolunt utrique montes asperos, & inaquosos: itemque campos desertos, plenosq; paludibus.* Quibus omnino significat, Caledonios, Britanniæ populum fuisse. Cæterùm quod Meatæ Romanis subditi fuerint, Beda insinuat lib. 1. cap. 11. ubi dicit, Romanos intra vallum Severi habitasse, *ad plagam Meridianam.* & iterum eos, *ulteriores Britanniæ partes, jure dominandi possedisse.* Quem Bedæ locum, benè commentatur Usserius, Scotus ipse ex Hiberniâ Insulâ: *per ulteriores*, inquit, *Britanniæ partes, Beda, ni fallor, intelligit, inter Vallum & Caledoniam positas terras; quas à Britannis Meatis insessas, Dio significat in Severo.* & Beda Romanos jure dominandi possedisse. Hoc jure, Saxones Berniciorum regnum fundaverunt. Et eodem jure, Anglo-Saxonum Ecclesia Candidæ Casæ Episcopum, inter suos Antistites semper recensuit, ut supra * sæpè dictum. Quamobrem, si Angliam velis circumscribere, illamque referre ad Egberti sæculum, atque monarchiam. Quicquid à Meridie, quo Galliam prospicit; longè, latéque in Septentrionem porrigebatur ad Glottæ Cluidæque æstuaria: Angliæ appellatione claudebatur.

Xiphilin. in Excerp.

Usser fo. 684.

* vide an. 565. num 4. & 715. n 21. & 763. n. 23.

VII. Scotiæ varia definitio.

Sequitur è dictis; aliter modernam Scotiam, hoc moderno sæculo; aliter olim, cum Scotia primùm dici cœpit, definiendam esse: & inde etiam sequitur, quod pro componendis controversiis necessariò observandum est: hallucinari eos omnes, qui aut Scotiæ, aut Angliæ terminos, indistinctè, nulla temporum, Regum, vicissitudinum, habitâ ratione definiunt. Nos dicimus Edenburgum Laudoniæ Metropolim, Egberti Regis tempore, Egberti juris fuisse, & probamus argumento amissionis ejus. Nam annum, Regemque nominamus, quo desiit esse Anglorum juris; & inde concludimus, prius fuisse. Camdenus, locorum & regionum diligens illustrator, ita scribit de Edenburgo: *Longo tempore hæc Urbs in Anglo-Saxonum nostrorum potestate fuit: qui hanc Orientalem Scotiæ partem insederunt; demumq; in Scotorum nostrorum imperium cessit; circa annum scilicet salutis nongentesimum sexagesimum: cum Anglicum imperium Danicis bellis convulsum, quasi exanimatum jaceret. Vetustus enim liber de Scotiæ divisione, qui in bibliothecâ honoratissimi Domini Burghlei, summi thesaurarii Angliæ latet: Indulphus, inquit, regnavit octo annis. Hujus tempore oppidum Eden vacuatum est, & relictum Scotis, usque in hodiernum diem.* Ita ibi.

Edenburgum Laudoniæ Metropolis Egberti juris.

Camden. in Scotid.

Amissum

Amissum igitur Edenburgum, sub initium Edgari Regis qui sub finem vitæ, Laudoniam etiam cessit certâ lege, Kennetho Scotorum Regi. Amissio Urbis, & cessio provinciæ, juris prius habiti probatio est. Hæc libuit, hoc loco, adnotare; quò nova Insulæ nuncupatio, & Egberti ditio, illustrior esset: & quò suum cuique, quod justitia lex habet; sine lite imposterum tribuatur.

VIII. Wightenius moritur, Succedit Herefridus Wintonien.

Moritur sub hunc annum Wightenius Wintoniensis Episcopus: & mox Ecclesiam illam administrandam suscepit Herefridus, qui dum Danorum impetus, post annos aliquot conatur sistere, à Danis interemptus, & boni pastoris officio functus, dicitur.

ANNUS CHRISTI 828.

GREGORII IV. PAPÆ 1.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 29.

WITLAFI MERC. REG. 3.

I. Ordovices in Egbertum surgunt.

Vix Egberti monarchia cœperat, & Angliæ nomen emerserat, cum veteres incolæ Britanni, ægrè ferentis obliterari Britanniæ nomen, novumque succedere, animos sumunt, ad Egberti fortunam indignantes. Ordovices, gens valida, quæ montibus inhæret, & solo animatur suo; orientem novum Solem adorare noluerunt. & qui olim Romanis Imperatoribus fortissimè restiterant; nec nisi Julii Agricolæ industriâ domari poterant: de quo vide annum octuagesimum. Egbertum, supra Romanos, in ipsum Britanniæ nomen sævientem, pessimè habuerunt. Verum ille, tot provinciarum dominator, facilè potuit toties profligatas hominum reliquias, ad obsequium flectere. Nam anno octingentesimo vigesimo octavo, superatis illis montibus, Britannos ibi, animo magis, quàm viribus fidentes: imperium suum accipere coegit. Intellexit hoc Wigorniensis, cum scripsit ad eum annum: *Egbertus Rex VVest-Saxonum in terram Septentrionalium Britonum exercitum duxit: & eos, licet invitos, suo dominio subjugavit.* Per Septentrionales Britones, Ordovices intelligit; non illos, quos supra Northumbriæ regno accensui, Mæatas, aut Caledonios. Nam Huntindonius expeditionem illam, ita breviter explicat, ad moderni sæculi phrasim. *Inde Rex Egbright duxit exercitum in Nordwales, & eam sibi patrocinio armorum subdidit.* Ita factum, ut nullus in regno Angliæ hostis, provinciæ quietem, aut Egberti Regis felicitatem, turbaret.

Wigorn. hic. — *Huntind. fol. 845.*

II. Nec quies periculo vacat.

Sed nunquam magis periculum, quàm cum periculum nullum timetur. Mortalia enim omnia casibus obnoxia, aguntur in orbem: & ubi felicitatis culmen tangitur; inde felicitatis declinatio incipit. Sine incremento illo, & decremento, sine ortu & occasu, nec cœli orbes, nec orbis in quo vivimus, vertuntur. Si domi non est hostis, qui Insulæ pacem turbet; brevi externus aderit, qui Egberti posteros, & quem adepti sunt Angliæ Principatum, infinitis calamitatibus involvent: & miseriarum Oceanum, Anglicano Oceano multis rerum turbinibus miscebit: fundatamque nuper novam monarchiam adeo concutiet; ut diu illa vacillans & nutabunda, ruinam sæpè minari, aliquando etiam ad terram prostrata, rerum omnium, regnorumque etiam, inconstantiam manifestò probatura sit. Ego Danorum tempestatem intelligo, quæ Egberti cursum morabitur, de qua Malmesberiensis: *Egbertus, totâ Britanniâ potitus, reliquum vitæ, per annos novem, tranquillè cucurrit: nisi quod extremis ferè diebus Danorum piratica litoribus ejus appulsa; otium regni fœdavit. Ita versatur humanarum rerum alea; ut primus omnibus Anglis imperitans, cognatorum obsequia posset parvipendere; dum externus hostis, se, suosque hæredes, non desineret incessere.* Ut id acciderit, & quare Deus Insulæ iratus, procellam illam immiserit, dicam paullò inferius, cum Dani tragœdiam inchoabunt.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 2.

III. Moritur Eathoredus Lindisfarnen. Succedit Egredus.

Interim moritur Eathoredus, sive Heathedus Lindisfarnensis Episcopus; qui in Septentrione sederat, ab anno Domini octingentesimo decimo nono; & in ejus locum Egredus sufficitur. Ita Fasti, & Wigorniensis ad hunc annum. Nescio cur Godwinus in Catalogo, Egredum hunc, Egfridum vocet, &, omisso Eathoredo, Egberti successorem: cum Wigorniensis, ad hunc annum clarè dicat: *Heathedo Lindisfarnensi Episcopo defuncto, Egredus successit*: Nec refert, quod in serie Episcoporum, ab eodem authore confectâ, Heathedi nomen omittatur: quia omittitur etiam ibi Egredus, sive Egfridus; imò successor quoque ejus Egbertus, sive Eanbertus; quos tamen Lindisfarnenses Episcopos Godwinus agnoscit. Westmonasteriensis à cæteris authoribus magis dissidet; qui ad hunc annum scribit: *Defuncto Egberto Lindisfarnensi Episcopo, Eardulfus successit.* Sed verius id dicendum, post annos ferè triginta: tunc enim Egbertus, qui in Lindisfarnensi Ecclesiâ pontificem egerat, ab anno 845. moritur, sedemque resignat Eardulfo, post annos decem. Cæterum hic Egbertus ab eo differt, qui Eathoredum præcesserat, ut omnes fatentur. De Egredo, qui hoc anno successit, hæc habet Harpesfeldus: *Egredum verò*, inquit, *non natales modò illustres; sed & præclara etiam actiones, valdè nobilitarunt. Multos ille vicos ædificavit, & templa in eisdem, quæ sedi Divi Cuthberti donavit. Construxit templum in vico Northam, in honorem Petri Apostoli, Divi Cuthberti, & Ceolulphi Regis: in quod, ejusdem Ceolulphi corpus transtulit.* Hæc ille. Alii vicos nominant, Gedworth, & Gainford, & villas Ilecliffe, Wickliffe, & Billingham: loca in Dunelmensi ferè comitatu; quæ Egredus Ecclesiæ suæ acquisivit.

Godwin. in Lindisfarn. — *Wigorn. hic.* — *Westmo. hic.* — *Harpesfeld. sæc. 9. c. 24.*

ANNUS CHRISTI 829.

GREGORII IV. PAPÆ 2.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 30.

WITLAFII MERCIORUM REG. 4.

I. Wulfredus Dorovernensis moritur.

Anno Christi Redemptoris nostri octingentesimo vigesimo nono, moritur Wulfredus Dorovernensis Episcopus; ut Huntindonius, Fasti, & Wigorniensis consignant: licet Malmesberiensis annos Sedis ejus numeret viginti octo. Sepultus est in Ecclesiâ suâ Cathedrali.

An peste

ANTIQ. BRITAN. IN WULFREDO.

An peste obiecrit? nemo, quod sciam, diserè affirmat. Qui tamen Britannicarum antiquitatum Author creditur Matthæus Parkerus, dum Dorovernenses Episcopos recenset, hæc habet in Wulfredo. *Anno octingentesimo vigesimo nono, tantâ peste Ecclesia Cantuariensis laboravit, ut omnes Monachi præter quinque, morte perierunt. Per id temporis, Amalarius quidam floruit, qui in epistola ad Ludovicum, asserit Papam Rectorem non esse totius Christianæ religionis, quantum ad homines pertinet.* Ita ille. Prima Parkeri periodus ad rem facit, quia de Wulfredo loquitur in suâ Sede mortuo: sed Amalarii mentio, nec ad Britannicas antiquitates, nec ad Dorovernenses Antistites, nec ad Authoris institutum facit, sed tantum ad factionis genium demonstrandum, quo Parkerus, quæsitâ quâvis occasione, per fas & nefas, in Romanam Ecclesiam agitur.

II. PARKERI PARADOXUM EXCUTITUR.

Sed fortè Amalarius nominatur; quia olim Alcuini nostri discipulus, ab eo didicisse potuit paradoxum illud. Et Alcuinus Dorovernensis monasterii Abbas, quidni plures infecerat eo dogmate? & sic Parkerus, qui Wulfredi Sedem, non fidem occupavit; habet etiam hoc sæculo factionis socios. Simili mendaciorum centone, similibus conjecturis consuto; ornatur passim nova religio. Fuit Amalarius Fortunatus, Trevirensis Episcopus, Alcuini discipulus, ut * dictum suprà. Sed & ipsemet id fatetur, cum ait: *Studui illo conante in isto ordine, quando videbar puer esse, ante Albinum, doctissimum magistrum totius regionis nostræ: cujus authoritate delectatus, ac fretus; postquam libertate usus sum canendi, quæ congrua mihi videbantur, cœpi illos canere tempore supradicto.* Ita ille, cum libros de Ecclesiasticis officiis à se compositos, Ludovico Imperatori, & unâ, literas misit. Quod munus Imperatori gratum, cùm deesse videret aliquid, quod non nisi à Romanâ Ecclesiâ perfici, aut vellet, aut posset: *Misit* (inquit Baronius) *idem Imperator, ipsum* (*Amalarium*) *Romam, ad Gregorium Papam: ut quod deesse ad opus videretur; illic addisceret, atque scriberet ordinem Antiphonarii.* Profectus est Romam Amalarius, à Ludovico ad Gregorium legatus: doceri petiit Romanum morem, in Antiphonariis dirigendis, Doctorem accepit Theodorum S. R. E. Archidiaconum, *ut me instrueret*, inquit Amalarius, *juxta interrogationem meam, de ordine Romani officii: Sic igitur functus suo munere*, (loquitur iterùm Baronius) *quam solertissimè Amalarius commentarium illum confecit; cujus est titulus: de ordine Antiphonarii.*

Amala de ordine Antiph. c. 58.

Baron. an. 830.

III.

Hinc colliget eruditus Lector, quàm peritè scripserit Parkerus: *Amalarius quidam &c. asserit Papam non esse Rectorem totius Christianæ religionis, quantum ad homines pertinet.* Quasi verò, aut Rector esse posset, quo ad alios, aut alia: aut, quod potiùs intendit, nullo modo Rector esset. Cujus tamen contrarium, & Amalarius facto expressit, cum non nisi ab illo Rectore, Ecclesiasticum officium (quod opinor ad homines spectat, & animam, nobilissimam hominis portionem) doceri voluit. Melius hic saltem Centuriatores, Amalarii mentem assecuti sunt; cùm Centuriâ nonâ ita scripserunt. *Amalarius, de magistratu non satis commode sensit, cum dixit Ludovicum Imperatorem, totius Christianæ religionis Rectorem esse, quantum ad homines pertinet.* Ita illi. & aliud certè, nec scripsit, nec sensit Amalarius. Inde, ingeniosè, (scilicet) intulit Parkerus, Amalarium docuisse, Papam non *esse Rectorem*: quod eo modo sequitur, quo alia nuperæ factionis argumenta, è sibi tis pro libito præmissis, sequi solent. Sed vide quæso, quò tendat, à Romana Fide exorbitans sensus. Parkerus non credit Papam Rectorem esse Christianæ religionis, quantum ad homines: & Magdeburgici nolunt Imperatorem esse. Sic Christi religio, sine Rectore, sine Capite, sine Duce esse debet, *quantum ad homines pertinet.* & sic ut Poetis quidlibet fingendi, ita Christianis hominibus quidlibet credendi, datur æqua potestas. Sic popularis hæc Secta, in omni Republicâ anarchiam inducit, hoc ariete præeunte.

Cent. 9. f. 536. 25.

LUDOVICUS IMPERATOR, RECTOR.

IV. ROM. ECCLESIA DISTINGUIT IURA.

Quantò sanctius Romana Ecclesia, ita humanam œconomiam distinguit, dispensatque munia; ut cœlum à terrâ, animam à corpore, divinum ab humano jure differre, sapienter dicter, doceatque fideles; cui honorem, honorem: cui tributum, tributum: ut monuit priùs gentium Doctor Paulus. vel si mavis à Christo doceri: reddere Deo, quæ Dei sunt; & Cæsari, quæ sunt Cæsaris. E quibus verbis, ut bina servitus, ita duplex dominium eleganter colligitur. Ita benè Amalarius, ad Lodovicum scribens, vocat eum: *Rectorem Christianæ Reip. quod ad homines pertinet*, id est, jura civilia. Ita Ludovicus, ad Eugenium Romanum Pontificem scribens, ait: *Romanorum Imperatores, unà cum universo Catholico nobilissimo Senatu, ac populo, vobis à Deo ad gubernandum crediti sunt.* Nimirùm quod ad animarum salutem, rectámque Fidem, quâ salus acquiritur, pertinet. Unde in ejusdem literis addit Ludovicus: ideò Romanam Ecclesiam sine rugâ, & maculâ semper mansisse; ut rugas omnes, & hæreses ubivis nascentes, posset extinguere. *Apud omnes*, inquit, *hæc sancta Occidentalis Ecclesia, quæ se authoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, largiente Domino, Fidei, Spei, & Charitatis, sumpsisse exordium gloriatur: ita hactenus per eosdem Apostolos, protegente Spiritu sancto, & ipsis intercedentibus ac protegentibus: ab omni hæresi illibata, nunc usque conservata est; ut non solum ipsa ad quodlibet erroris diverticulum minimè declinaret; sed potius omnes à recta Fidei tramite, quoquo modo deviantes, per orthodoxos eorundem successores, toto orbe terrarum, ad rectitudinem potius revocaret. Testis enim hujus rei, non quilibet angulus; sed orbis terrarum universus: quia quoties tales per mundum persecutiones motæ sunt, quæ ad periculum Fidei universalis Ecclesiæ imminere putabantur; ob inveniendam, inventamq; custodiendam Catholicæ Fidei veritatem: semper hoc universalis Ecclesia, præsente ob hujus sanctitatem sedis Pontifice, aut certè cum consensu illius, verbis vel literis porrecto, corrigere, correctumq; ad conservandum statuere consuevit.* Hæc Ludovicus M. Caroli filius, & successor.

In literis ejus apud Baron. an. 825.

Ubi suprà.

V. PARKERUS REFELLITUR.

Habes ergo, ex Amalarii mente, Imperatorem in corpora: habes è Ludovici literis, Papam, animarum Rectorem, & correctorem esse. Utrumque conjungit Alcuinus, Amalarii magister, in literis ad M. Carolum datis, quas superiori * tomo recensui: ubi Pontificiam, à Regiâ, potestatem doctè distinguens, Reges vocat, *Rectores populi Christiani*; sed primam & Apostolicam sublimitatem vocat, *quæ B. Petri Apostolorum Principis sedem vicario munere regere solet.* Unde disertè Rectores duo colliguntur. Taceant ergo acephali,

vide an. 799. n. 2

qui nullum in homines Rectorem agnoscunt. Sed multò magis taceat Parkerus, Amalarium traducens, quasi crederet Rom. Pontificem animarum Rectorem non esse: cujus contrarium orthodoxi omnes crediderunt: & hujusce rei *testis est non quilibet angulus, sed orbis terrarum universus*, ut modo dixit Ludovicus Imperator. Si nimirùm ab historiâ digressus sum; magis à veritate digressus est ille, qui mihi digrediendi causam dedit, putavitque se, Lectori, persuasurum, aliquem fuisse ab Anglo-Saxone doctum, qui impiam in Rom. Pontificem vocem emiserit. Nunc ad historiæ filum, & Annales redeo.

VI. THEOLOGILDUS DOROVERNENSIS EPISCOPUS.

MOX MORITUR.

Wulfredo mortuo, successit in Dorovernensi Sede Theologildus, qui etiam Feologildus, & Fleogildus dicitur, tot nominum vir, quot menses in Ecclesiâ magistratum gessit. Nam ex Abbate, Dorovernensis cœnobii, in Archiepiscopum assumptus, post tres menses, magistratum deposuit, & onus Episcopi. Fortè sæviente adhuc peste, cœlo maturus. Successorem accepit anno sequenti. Sub idem, opinor, tempus, moritur Beonna Herefordensis Episcopus, & in ejus locum substituitur Eadulfus. Ita Fasti.

ANNUS CHRISTI 830.

GREGORII IV. PAPÆ 3.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 31.

WITLAFII MERC. REG. 4.

I. CEOLNOTHUS DOROVERN. ARCHIEPISCOPUS.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus trigesimus, quo in Dorovernensem Archiepiscopum Ceolnothus consecratur: qui sedem illam occupavit, non solùm annos triginta octo, ut Parkerus putat; sed potius annos unum & quadraginta. Unde sine dubio mendum in Malmesberiensis librum irrepsit, de gestis Pontificum: ubi Celnothus scribitur sedisse Doroverniæ, *mensibus 41.* Quod Godwinus legens, & errorem non videns; putat Malmesburiensem sentire eum tot menses tantum sedisse. Sed doctius ille, qui Fastos post Malmesburiensem collegit, & totidem annorum Archiepiscopum facit. Fuit ante assumptionem Dorovernensis Ecclesiæ Decanus, & difficillimo tempore, cùm Danorum tempestas Insulam inundaret, ad Ecclesiæ clavum sedit. Pauca tamen ejus gesta referuntur, quod Godwinus, & Parkerus mirantur; sed desinet mirari, quisquis noverit æquè gloriosum esse, agere atque pati; & Ecclesiam Christi, eâ semper vicissitudine crescere, & fidem suam virtutemque explicare.

II. JUS SIGNANDE PECUNIAM.

Unum tamen Ceolnothi memoriam, & Dorovernensis Ecclesiæ Majestatem perennem reddit; quod ipse, prædecessorum more, pecuniam cudendi jus habuerit. Cujus rei argumentum est quod recitat Godwinus: *Monetæ*, inquit, *cudendæ jus his temporibus Archiepiscopos Cantuarienses habuisse, imò & Episcoporum nonnullos, testantur historici: ac satis est argumento nummus argenteus, nuper repertus, Celnothi Archiepiscopi nomine impressus.* Meminit hujus nummi, jurisque Episcoporum Dorovernensium Joannes Seldenus in notis ad Edmerum (folio 217.) & prototypon servari dicit in thesauro Cottoniano.

ANNUS CHRISTI 831.

GREGORII IV. PAPÆ 4.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 32.

WITLAFII MERC. REG. 5.

I. CEOLNOTHUS PALLIUM EX URBE ACCIPIT.

LICET parùm de Ceolnotho Dorovernensi tradant Authores, & Annales nostri; unum tamen silentio non prætereunt. Nimirùm, quod altero sedis anno, & Christi Domini octingentesimo trigesimo primo; pallium à Romano Pontifice, Gregorio IV. impetraverit: eo facto significans, primam in Britanniâ Sedem, atque adeo Ecclesias omnes, supremum in Urbe dominium agnoscere; & Gregorium ibi sedentem, universæ Christianæ religionis Rectorem esse, quod ad animas hominum, ad fidem & sacramenta spectat.

PALLII USUS, PASTOREM NOTAT.

Hoc sine dubio, pallii usus & institutio notat; quod ex ovis vellere contextu, & Episcopi humeris impositu, manifestè eum docet pastorem esse, oviumque procurationem suscipere; qui Christi pastoris instar, suis humeris subditorum onera imponit. Et sicut soli Archiepiscopo, id honoris insigne, & dignitatis prærogativa datur, qui pastor est, in provinciâ Pastorum omnium, ita munus & privilegium illud dispensandi, in uno Ecclesiarum omnium, & Principe pastorum residet, Romano Pontifice. Quod hæc Insula semper credidit, & professa est; quoties ab eâ sede pallium impetravit: de quo dixi ad annum 492.n.5. Benè ergo, & signanter ad hunc annum 831. dixit Wigorniensis: *Ceolnothus Archiepiscopus, à Gregorio Papâ pallium suscepit.* Quod nec Parkerus dissimulat; licet paullò ante Amalarium traduxerit, in alium perversumque sensum.

II. DANI PRÆDARI INCIPIUNT.

APUD CARMOUTH.

Camden. in Dorset.

SED PRIUS IN CANTIO.

Nescio an hoc anno Danorum tempestas, cœperit Britanniæ excidium minari. Nam video in Durotrigibus, & Dorsetano agro, turbarum aliquid; ubi Carrus fluvius in mare se exonerat. Fortè Dani speculatum venerunt infirmiora Insulæ, ut postea redeuntes, quod sæpè factum, doctiores essent. Et verò præda, quæ hoc anno illis cessit, incitamentum videtur fuisse, ad sæpius deprædandum. De eorum expeditione hoc anno, ita Camdenus: *Iuxta Carrum fluvium, Carmouth viculus sedet: ad quem prædatoria Danorum audacia, belli navalis fortunâ prosperè usa, binas victorias ab Anglis reportavit: primum Egberto Rege, anno Salutis octingentesimo trigesimo primo; & octavo post anno Ethelwolfo Rege.* Verùm Authores cæteri hanc primam pugnam ad Carrum oppidum, referunt post annos duos; & præmittunt Danorum adventum, prædamque quam egerunt, in regno Cantii; quam primam numerant, sub Egberto Rege, ut dicam anno sequenti: ubi plura de Danis.

ANNUS CHRISTI 832.

GREGORII IV. PAPÆ 5.

EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 33.

WITLAFII MERC. REG. 6.

I. Danorum irruptio prima sub Egberto. *Hunting. l. 4. fine.*

CUM tres & triginta annos Egbertus in Occidente regnasset, secundâ semper usus fortunâ, importuna Danorum manus offuscatura ejus gloriam, descendit in Britanniam, anno Christi octingentesimo trigesimo secundo. De quo ita Huntindonius: *Egbrichti Regis anno trigesimo tertio, redierunt Daci in Britanniam, trigesimo octavo anno, postquam apud Donsmutham victi, & fugati sunt.* Cæterùm Wigorniensis Christi annum expressit octingentesimum trigesimum secundum. & congruit iis, quæ de primâ Danorum irruptione in Northumbriæ regnum, dixi, anno 794. num. 7. à quo anno, præsens annus trigesimus octavus numeratur. Sed priusquam Dani in Insulam descendant, dicam quinam illi, & unde in Angliam venerint: quantùm, & quàm immaniter, in Deum, in Sanctos, in mortales peccaverint: & quomodo tandem, quà rapinis, quà plurimis, difficillimisque præliis, in numerum, in gentem, in Reges denique creverint. Nec omittam dicere, cur Deus pestem illam immiserit Insulæ. Nam ejus injussu, nunquam regna nutant, aut mutantur: & aerem ferit, qui aliunde iratam fortunam accersit. Hæc necessariò præmittenda, quia novum Britanniæ excidium deploraturus sum: & excidii causas debeo inquirere: ut feci etiam cùm Saxones primò advenerunt.

II. Unde venerint? *Hoveden. an. 866.*

Ut certum est, Danos ingenti plagâ Insulam percussisse; ita incertum ferè unde venerint; præsertim qui, hoc anno deprædati sunt Cantium. Cæterùm de illis, qui postea venerunt, ita scribit Hovedenus. *Eodem anno (866.) magna Paganorum classis, de Danubia, Britanniam advenit,* &c. Verùm Asserius Britannus, Hovedeno multò antiquior, ita de classe illa refert: *Eodem anno magna Paganorum classis, de Danubio, Britanniam advenit,* &c. His Authoribus errorem irrepsisse, & non de Danubiâ aut Danubio; sed de Daniâ legendum, meritò quis opinari posset. Et ego aliquando in eam ibam sententiam. Sed nolui palmam illis præripere, qui in antiquis recensendis, gloriam mundinantur: Grammaticorum ea messis esto, qui aliquando antiqua nauseantes, nova comminiscuntur. Ego malo Antiquorum dicta tueri, ab illis stare, & me, sensúmque meum illis submittere. Dico igitur Asserium, & Hovedenum, Danorum primam originem indicâsse: qui olim è Valachiâ profecti sunt, & *eâ provinciæ parte, quæ Istri fontibus est conterminа,* inquit Nauclerus. Ibi autem Danubium esse, & in Istrum influere, nemo est, qui nesciat. Inde profecti, novas Sedes, Scandiam primò, inde Cimbricam, Chersonesum petiverunt. Ubi, quia piratica plerumque vivebant, quæstum ex eâ arte, & nomen habuerunt; Wicingi appellati, quod, teste Altrico, piratam denotat, linguâ Saxonicâ. Nec mirum est, aut rapto vixisse, aut *Wicingos* appellatos: quia lege latâ vetabantur, in natali solo manere, postquam promiscuis usi nuptiis, in numerum creverant. Quilibet ergò retentâ prole primogenitâ, jubebat aliam exulare.

De Danubio. *Nauclér. vol. 3 f. 56.* *apud Camd. in Dan.*

III. Danorum prima origo. *Gemiticen. de Ducibus Norman. l. 1. c. 2.*

Guilielmus, Gemiticensis Cœnobita, ita de Danorum origine scribit. *In copiosâ intercapedine, à Danubio, ad Sythici ponti usque confinium, diffusæ commorantur feræ gentes, & barbaræ, quæ ex Scanza Insulâ, Oceano hinc inde circumsepta, * vel examen apum, ex canistro, seu gladius è vagina, diversitate multimoda dicuntur prosiluisse, consuetudine barbarica. Est namque ibi tractus quamplurimus Alaniæ, situsq; nimium copiosus Daciæ, atq; meatus multum protensus Getiæ. Quarum Dacia extat medioxima, in modum coronæ, tutiatq; civitatis, præ magnis alpibus emunita. Quos protenta anfractus amplitudinis, furentes incolunt populi, prænominente marte bellicosi, scilicet Getæ, qui & Gothi, Sarmatæ,* &c. Hæc ille: & paulò inferius, Danorum Provinciam nominat, ut hodieque appellatur: *Gothorum cuneus,* inquit, *ex Scanzâ Insulâ, quæ erat quasi officina gentium, aut velut vagina nationum, cum Rege suo nomine Berig egressus; mox, ut è navibus, exeuntes terras attigerunt, nomen loco dederunt. Scanziamq; ob illius memoriam, è quo eruperant, illum vocaverunt. Inde denique prolixius tendentes, intra Germanicos fines Meotidas occupaverunt paludes, plurimas regiones diffusè metantes. Quarum in secundâ Sede Dacia, quæ & Danamarcha sistens, Reges habuit multos,* &c. *Iactant enim Troianos, ex suâ stirpe processisse; Antenoremque ab urbis exterminio, cum duobus millibus militum, & quingentis viris, ob proditionem illius, ab eo perpetratam, evasisse: ac per multitudos ponti anfractus Germaniam appulisse: atque postmodum in Daciâ regnasse; eamq; à quodam Danao, suæ stirpis Rege, Danamarcham nuncupasse. Hâc igitur de causâ Dani nuncupantur. Qui tantis post hoc adoleverunt incrementis, ut dum repleta essent hominibus insula: quàmplures, sancitâ à Regibus lege, cogerentur de propriis sedibus migrare. Quæ gens ideircò sic multiplicabatur, quoniam nimio dedita luxui, mulieribus jungebatur multis. Nam pater adultos filios cunctos à se pellebat, præter unum, quem heredem sui juris relinquebat.*

* veluti. *Idem suprà; c. 4.* Et nuncupatio.

IV. Germanorum soboles Dani & pagani.

Hos Danos, Germanorum sobolem fuisse, vel ex inquieto ingenio disce; vel ex eo quod Tacitus de moribus Germanorum tradidit: de quibus dixi tomo primo, ad annum 449. Paganos adhuc fuisse, non solùm Authores nostri suprà dixerunt: sed eorundem impia facinora, in Dei, Sanctorúmque Ecclesias, in monasteria, & omnia Christianæ religionis monumenta, vocaliter eloquuntur. Non sum nescius Arialdum, Danorum Regem (quem & Heraldum, Herialdum, & Arioldum vocant) anno hujus sæculi vigesimo sexto, unà cum conjuge, multisque aliis, ad Fidem Christi conversum esse; ut post alios narrat Baronius. Verùm cum hoc Moguntiæ factum sit: & Imperatrix ipsa, Reginam è fonte levaverit, infidelem adhuc Provinciam mansisse; vel inde probatur, quod Barbaros cives Arialdus fugerit, & baptismo initiatus, ad regnum reverti non sit ausus. Ita enim in Ludovici Imperatoris vitâ legitur. *Herialdus è Northmannia partibus, cum uxore veniens, Danorumq; non parvâ manu, Moguntiaci apud S. Albanum, cum suis omnibus, sacri baptismatis undâ est perfusus, plurimisq; muneribus ab Imperatore donatus. Verens autem pijssimus Imperator, ne ob tale factum, negaretur ei habitatio solina*

Arialdus Danorum Rex baptizatur. *apud Baron. an. 826.*

tutelis; dedit et quendam Comitatum in Frisia, cujus est vocabulum Rhustri, quò se suosque, si necessitas exigeret, tutè recipere posset.

V. QUANDO AD FIDEM CONVERSI?

Cent. 9 f. 550 fin.

Vigilaverat priùs Romanorum Pontificum cura, in Danorum conversione; & aliqui ad Provinciæ terminos, ad Fidem accesserant, sed accesserant tantùm. Unde Danorum vulgus, in Idolorum adhuc cultu, & superstitionum tenebris errabat. *Ebbo Rhemensis Archiepiscopus* (inquiunt Magdeburgici) *à Paschali Pontifice, & Ludovico pio Imperatore, ad propagandam Christi religionem, ad Danos missus, anno octingentesimo vigesimo tertio. Sed tantùm ad fines eorum accessit: & in æstate, aliquot ad Fidem venientes baptizavit: indéque in Galliam regressus est.* Hæc Ebbonis brevis apud Danos mora, in causa fuit; cur non ipse, sed qui ipsum secutus est Ansgravius, Danorum Apostolus dictus, habitúsque sit. Hic à Rom. Pontifice, in Daniam missus, consecratus est hoc anno, Hamburgensium Archiepiscopus, & pallium eodem tempore à Gregorio accepit, ut nuper de Ceolnotho Dorovernensi scripsimus. Factum ergò, horum industriâ; ut non pauci Danorum, ad Christum accesserint: mansit tamen Provincia diu infidelis: ii præsertim qui rapto vivebant, rerum semper publicarum, sordes, & excrementa, sine Deo, sine cultu, aut numine, in densâ infidelitatis caligine jacebant. Unde quicquid à barbaris in Deum, & Christianam religionem proficisci potuit impium, & sacrilegum; id omne in Insulam Dani infuderunt.

ANSGARIUS DANORUM APOSTOLUS.

PALLIUM A GREGORIO ACCIPIT.

VI. EORUM RITUS SACRILEGI.

Nec opus multis asserere, quâ ratione, Deos suos, & Idola placarent. Nam quicquid ferè de infidelium Saxonum cultu dictum est suprà, in Danos eodem ferè modo quadrare poterit. Illud tamen non omittendum; quod facere soliti sunt, cum collectâ juvenum multitudine, exteras regiones petere, & novas ibi sedes quærere laborabant. Tunc enim, Thur, Idolum suum, prece, votis, sacrificióque solicitabant; ut prosperum sibi iter, & secundam fortunam daret. Hunc morem descripsit Dudo de S. Quintino, quem, quia hoc anno, fortè secuti sunt, cùm primam sub Egberto expeditionem cœperunt, non pigeat audire. *Dani*, inquit ille, *è Scanzâ, id est, Candiâ, velut examen apum è Canistro, & gladius è vaginâ, diversitate multimodâ, consuetudine barbaricâ prosiluerunt: cum petulanti luxu exardescentes, soboles innumerabiles generavissent. Qui postquam adoleverunt, de rerum possessionibus contra patres, avosque, aut sæpius inter se ferociter objurgati, exuberantes, & terram, quam incolunt, habitare non sufficientes: collectâ sorte multitudine pubescentium, veterrimo ritu, in externa regna extruduntur nationum; ut acquirant sibi prœliando regna, quibus vivere possint. Cæterùm in expletione suarum expeditionum, atque exercituum, sacrificabant olim, venerantes Thur Dominum suum: cui non aliquid pecudum, atque pecorum, sed sanguinem mactabant hominum. Holocaustorum omnium putantes pretiosissimum, eo quod Sacerdote Sortilego prædestinante, juga boum, unâ vice feriebantur in capite, collisoque unicuique, singulari ictu sorte electo, cerebro, sternebatur in tellurem: perquirebaturque levorsum fibra cordis, scilicet vena; cujus exhausto sanguine, ex more, sua, suorum capita liniebant, & librant celeriter navium carbasa ventis, Deosque tali negotio putantes placare, velociter navium insurgunt remis.* Hæc ibi.

apud Cond. in Dan.

Eodem planè modo Guilielmus Gemeticensis, Hastingi Ducis expeditionem narrat, cum Veromanduorum agrum depopulatus est. Quod quia factum post annos ferè viginti, vel inde constat, infideles fuisse, qui hoc anno in Insulam descenderunt. *Hastingus*, inquit, *à patriâ cum suo Adolescente (Bier, filio Lothroci Regis) exul proscriptus; missa legatione, milites de finitimis provinciis, animo leves, belli cupidos, ad hanc expeditionem invitans; innumerabilem pugnantium tyronum congregavit exercitum. Quid plura? Fabricantur naves, innovantur scuta, resarciuntur thoraces, poliuntur loricæ & galeæ; acuuntur enses, & lanceæ, omnique telorum apparatu, accuratè munitur exercitus. Inde verò, statuto die, pelago impelluntur naves; ad eas properè festinant milites, elevantur vexilla, librant ventis carbasa, vehuntur lupi pernices ad laterandas dominicas oves, Deo suo Thur humanum sanguinem libantes. Cujus cruore libaminis unanimiter potati; vento flante secundo, Vermendensem aggrediuntur portum, Anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo primo: exilientésque è navibus, totum illico Vulcano tradunt Comitatum, sanctique Quintini ferali monasterium rabie comburunt, de Christiano populo nefarium exercentes ludibrium.* Quod factum tunc in Gallus, ab infideli Dano; hoc sæpius ab eodem factum in Britanniâ, & si fieri potest deterius.

VII. HASTINGI DANI EXPEDITIO.

Gemeticen. l. 1. c. 5.

Idem suprà cap. 6.

VIII. QUANTÆ DANI INSULÆ NOCUERINT?

Enimverò qui tempestatis illius atrocitatem considerat, jure existimare poterit, nunquam à Deo Britanniæ immissam majorem pestem. Quinque plagis percussam Insulam memorant authores, qui post Normannorum ingressum scripserunt. Et hanc Danorum inter eas, & præ illis eminentissimam faciunt. Huntindonius historiæ suæ librum quintum sic exorditur: *In hujus historiæ principio, quinque plagis, percussam diximus Britanniam: quarum de quartâ, quæ per Dacos facta est, longè immanior, longè crudelior cæteris fuit. Romani námque sibi Britanniam brevi subjugaverunt: & lege dominantium splendidè rexerunt. Picti vero & Scoti, crebras irruptiones è Boreali parte Britanniæ faciebant; sed nec eam ex omni parte aggrediebantur: nec nunquam perniciosè repulsi, tempore non pauco, ab invasione cessabant. Saxones autem, pro viribus paulatim terram bello capessentes; captam obtinebant. obtentam ædificabant, ædificatam legibus regebant. Nec non & Normanni citò, & breviter terram subdentes sibi, victis vitam & libertatem, legésque antiquas regni juste concesserunt. Daci verò terram undique creberrimè, diutissimè insilientes, & assidentes; eam non obtinere, sed prædari studebant; & omnia destruere, non dominari cupiebant. Qui si quando vincerentur, nihil proficiebant victores; cum alibi classis & exercitus major insurgeret. Miróque modo, cum Reges Anglorum Orientalem partem, contra eos pugnaturi, tenderent; antequam hostibus, turmis appropinquarent, advolabat nuncius, dicens: Rex quónam tendis? Classis paganorum innumerabilis, ex Australi parte, Angliæ litora occupavit, urbésque & villas depopulans, omnia cædi tradit & igni. Eâdem die accurrebat alius, dicens. Rex, quò fugam capessis? terribilis exercitus in Occidentali parte Angliæ appulit: contra quos, ni festinus reverteris, te fugisse existimantes, cæde & flammâ a tergo persequentur. Adveniebat eâdem die, vel crastinâ, nuntius alius qui diceret. Quò tenditis proceres? Daci borealibus plagis appulsi, jam domos vestras combusserunt;*

Huntind. Proleg. l. 5.

ROMANA PLAGA.

SCOTICA.

SAXONICA.

NORMANNICA.

DANICA, OMNIUM DETERRIMA.

jam

jam res vestras asportarunt: jam pueros sursum jactatos, lancearum acumine susceperunt: jam conjuges vestras, quasdam vi oppresserunt, quasdam secum abduxerunt. Sic tot rumorum miserabili plagâ percussi, Rex & populus, manibus & corde dissolvebantur, & tabescebant. Hæc ille, de quinque plagis.

IX. Sexta plaga Civilis discordiæ.

Quid porrò de sextâ dicendum sit, cujus præludia, jam triennio spectavimus; posterorum Annalibus relinquo. Adverto solùm, eodem ferè modo nasci omnes; iisdem incrementis surgere, simili impetu in provinciæ excidium ferri: & nunquam, nisi Deo miserante, planè subsidere. Etenim, ubi domi intestina odia, foris fomitem & alimenta perquirunt: quis nescit, incendium nasci, quod non nisi multo sanguine potest extingui? Missâ ergo plagâ illâ, de quartâ per Dacos plagâ inquirendum: cur Deus rerum omnium, & imprimis publicarum justissimus arbiter, gentem ab eo tam mirabiliter ante duo sæcula conversam, tam inmaniter afflixerit; tantâ clade provincias, agros, sed & Ecclesiam ipsam, ac monasteria concusserit; tanto infortunio Reges, clerum, populumque vexaverit. Nec inquisitio hæc ab Ecclesiastica historia aliena est, cum ad sæculi mores explicandos, ad exponendum Ecclesiarum statum, ad religionis denique incrementa, & decrementa pertineat: quorum tractatio instituto meo propria, hic locum habet. Henricus Archidiaconus Huntindoniensis, ante me quæstionem hanc proposuit, & compendio solvit in hunc modum: *Cur autem tanto furore Dei justitia in eos exarserit, causa hæc est. In primitivâ Angliæ Ecclesiâ, religio clarissimè splenduit: ita ut Reges & Reginæ, Duces & Episcopi, vel monachatum, vel exilium appeterent. Processu verò temporum, adeo omnis virtus in eis emarcuit, ut gentem nullam, proditione & nequitiâ sibi parem esse permitterent. Quod maximè apparet in historia Regum Nordhumbriæ. Sicut autem in regalibus gestis impietas eorum descripta est, ita uniuscujusque ordinis, & officii homines, dolo & proditione insistebant. Nec erat dedecori, nisi pietas, & causa dignissima cædis, innocentia. Immisit ergo Dominus Omnipotens, veluti examina apum, gentes crudelissimas, quæ nec ætati, nec sexui parcerent: scilicet Dacos, cum Gothis, Norwagenses cum Suathedis, Wandalos cum Fresis, qui ab exordio regni Edelwulfi Regis; usque ad adventum Normannorum, Willielmi Regis ductu; ducentis triginta annis, terram hanc desolaverunt.*

Cur Deus Danorũ plagam permiserit?

Huntind. in Prolo.

X. Ut igitur, non unus Saxo, sed varia natio, Saxonem comitata, Britannos afflixit: ita Saxonem, Insulæ imperio politum; non Daci solum, sed plures alii, ex illo Septentrione collecti, provinciâ exuere; & quod olim Britannis factum, regno pellere, laborarunt, tunc, cum refrixit pietas, & religionis fervor elanguit: cum Reges & populi, ab avorum virtute degeneres, in vitia declinarent: cum clerus, & monachi, in regularis observantiæ disciplina teperent: cum studia literarum, quæ passim animos hominum ad subliniora efferunt; prorsus jacerent. Et revera infelix hoc sæculum, vix sanctos habuit, aut in literis eruditos: quod ingens argumentum est, declinasse Insulam, ab eo virtutum & sanctitatis culmine, in quo eam superiore sæculo conspeximus. Nullus nunc Beda, qui dies noctésque in Scripturarum lectione incumbat; qui juvenes ad studia excitet, & orbem doceat fidei arcana. Nullus Bonifacius, qui orbe suo non contentus, alium quærat, quem doctrinâ, Fide, sanctitate impleat, & illuminet. Alcuinus migravit aliò, & post se tenebras & ignorantiam reliquit. Hinc Reges, qui prius ad Ecclesiarum ornatum, ad provinciæ salutem, ad mundi contemptum vigilabant: nunc tuendis nimiùm finibus, & per fas & nefas ampliandis, constantius, quam pientiùs, incumbunt. Hinc clerus, quem Reges olim ditaverunt, & monasteria principum munificentiâ nobiliter dotata; abiverunt aliquantulum ab eâ pulchritudine, quæ Sponsam Dei decebat, & decorem domus ejus. Indignè tulit hoc deliquium pietatis, Deus: & contractam inde rubiginem eluere voluit, hac calamitatis flammâ.

Omnis ordo defecerat.

Vidit, aut prævidit potius, silvescentis & senescentis Insulæ statum Alcuinus, conatúsque est omnem ordinem suo ordini restituere. Ideo monuit Edilredum, Northumbriæ Regem, & in eo Principes omnes. *Nolite*, inquit, *injustas amare divitias, quia omnis injustitia ulciscitur à Deo: Et melior est benedictio Dei, quàm omnes divitiæ mundi. Non solùm vos viri clarissimi, & filii charissimi, his meis admoneo literulis; sed & omnes dilectæ gentis principes, & diversorum nomina, seu Ecclesiasticæ pietatis ordines, seu sæcularis potentiæ sublimitates, communis caritatis intuitu; quasi alumnus vestræ dilectionis devotus deprecor, Dei diligentissimè obedire præceptis. Vidistis quomodo perierunt antecessores vestri Reges & Principes, propter injustitias, & rapinas, & immunditias vitæ. Timete flagellum, quod venit super Ecclesiam sancti Cuthberti; locum scilicet sanctissimum, & multorum Sanctorum suffragiis ditissimum. Nunc verò à paganis miserabiliter devastatum.* Hæc ille ad Reges de primo Danorum adventu, ante annos octo & triginta. Vidit enim tunc flagellum parari, quo Regum & Principum, & omnium ordinum scelera castiganda timebat: & voluit iram avertere.

XI. Alcuinus de imminente Danorũ clade, monuit Principes.

Alcuin. Ep. 29.

Quoniam verò clericorum, & monachorum vita, speculum solet esse cæterorum, in quo virtutem & pietatem legere, errores & vitia corrigere debeant; Ideò idem Alcuinus, ne quid in eorum moribus insolens, aut indecorum esset, studiosè præcavens; ita Wirensis, & Girvicensis Ecclesiæ fratres alloquitur. *Non sint schismata occultæ æmulationis inter vos; quia Deus Christus, Deus est pacis & charitatis. Regularis vitæ observationem, quam statuerunt vobis sanctissimi Patres, Benedictus scilicet & Ceolfridus, diligentissimè custodite. Nolite vos conformare sæculi hominibus, in vestimentorum vanitate, & ebrietatis luxuria; in joci lasciviâ, in briositatis petulantiâ; sed cum omni modestiâ & pietate, conversatio vestra Deo sit amabilis, & hominibus venerabilis: sicut decet filios sanctæ matris, & monasticæ vitæ alumnos. Quis non timet terrorem, qui accidit in Ecclesiâ S. Cuthberti? Corrigite quapropter mores vestros nè propter peccata sceleratorum pereant & justi: Ne vinea Domini vulpinis detur dentibus, ad derodendum: ne sanctuaria Dei, pedes Paganorum pertransceant.* Hæc & plura Alcuinus, timens quod evenit, ferientem Dei manum.

XII. Monuit et monachos.

Idem Epist. 49.

Deviaverant ergò ex omni ordine aliqui, ab eâ sanctitatis orbitâ, quam primitiæ spiritus statuerant. Nec enim hæc nuda ad virtutem parænesis fuit; nam reverà Ecclesiarum divitiæ, & amplissima cœnobiorum prædia, laxaverant animos,

XIII. Bonifacius etiam monachos monuerat.

& regularis vitæ disciplinam: quod olim Bonifacius deploravit, eâ epistolâ, quam ad Cuthbertum Dorovernensem Archiepiscopum inscripsit; ubi inter cætera, ait: *Supervacuam autem, & Deo odibilem vestimentorum superstitionem, omni intentione prohibere stude: quia illa ornamenta vestium, latissimis clavis, & vermium imaginibus clavata, adventum Anti-Christi, ab illo transmissa, præcurrunt; illius calliditate, per ministros suos introducere, intra claustra monasteriorum, fornicationem, & luxuriam clavatorum juvenum, & fœda consortia, & tædium lectionis, & orationis, & perditionem animarum. Hæc indumenta nuditatem animæ significantia, signa in se ostendunt arrogantiæ, & superbiæ, & luxuriæ, & vanitatis.* Ita Magnus Bonifacius. Quo classico, & Apostolici viri oraculo, excitatus Cuthbertus, mox coacta ad Cloveshoviam Synodo, Canone 19. ita cavit de moribus, & habitu Monachorum: *Ut Monachi, seu Nunnones, suo majori regulariter consistentes, humiliter subjecti sint: & quietam, ac regularem vitam agant, & sine dissensionibus, quæ habitus sui proposito competent, firmiter conservent: Nec pompaticis, & quæ ad inanem gloriam, more Sæcularium pertineant, utantur indumentis: sed simplici, propositóque congruenti, eorum vestiantur habitu.*

Vide integrâ Epist. ad annum 742. n. 22.

vide an. 747 n. 12.

XIV. Non est dubium, quin plures fuerint, qui intra monasteriorum septa sanctissimè vixerint, primorum Patrum charismata æmulantes. Sed ut in candidissimâ veste, vel minimus nævus cernitur, & oppositione contrarii conspicuus redditur: sic in Monachorum nitidissimâ vitâ, si labes aliqua (& sine labe non vivitur) vel externum corporis habitum inficit; valdè oculati sunt aliqui, ad illam observandam, digitóque indicandam. Quod si in simplici Monacho crimen est, nimia vestis curiositas, magis illud crimen eminet in Monachorum Præfectis, qui duces ad pietatem, & religiosæ vitæ perfectionem esse solent. Sed quia olim Reges, & plurima proles Regia, monasticum habitum sumpserant, & demum suo merito, Abbatis munere functi sunt, inde opinor, in veste luxus, & laxior aliquando regula cœpit: cum Abbatialis dignitatis prærogativâ, decoris aliquid supra communem vivendi morem petere videretur. Tunc Monachi, qui Abbatis imperio regebantur; ejus etiam exemplo, lucem, nitorémque in vestibus, curiosius quàm par erat, venati sunt. Non solùm in Septentrione, quod Bonifacius & Alcuinus potissimùm significant. Sed ad Austrum etiam, ubi nobilissimæ monasteriorum fundationes, hujusce luxus alimenta præbuerunt.

UNDE MONACHORUM VITA LAXIOR.

XV. Ibi Albanensis cœnobii Abbas, ab Albanensis cœnobii Monacho notatur; quod præter religiosi instituti rationem, Monachi vestem induerit. Texissem ego silentio hanc maculam, nisi divinæ justitiæ causa ageretur, ratióque reddenda esset acerbissimæ calamitatis, quæ utramque Anglorum Rempublicam pessundedit. Ita Gildas, Britanniæ excidium deflens; nec cleri, nec Regum vitia dissimulat: sed Deum Opt. Max. in vindicando scelere justum proclamat: & iniquos homines, qui Dei iracundiam provocarunt. Hoc ferè spiritu Matthæus Parisiensis, Abbatum sui monasterii Catalogū texens: ut bonos & sanctos à virtute laudat, ita premit aliquando aliquos, qui præter regulæ sanctitatem fecerunt. De Wulsigo, Abbate tertio, qui sub hæc tempora vixit: hæc habet: *Iste Regali stemmate procreatus, erectus est citò in superbiam, mutans habitum, tam formâ, quàm colore. Qui sericis utens vestimentis, phaleratus incessit: venatum ivit, dapsilis in esculentis & poculentis, potentum Principum magis, quàm Dei, sibi studuit gratiam conciliare. Mulierum nobilium turbas, ad mensam suam, in septa habitationis suæ multoties invitans; metas honestatis transgrediens, scandalum suscitavit: & tam sua, quàm fratrum (quamvis forte non subfuisset causa reatus) enormiter læsit integritatem. Expirante odore bonæ famæ, quo ab initio flagravit religio, charitatis igniculus refriguit: multorum & tepuit devotio. Vasa, quæ Rex Offa contulerat concupiscibilia, pallas & monilia; quorum jactura erat irrestaurabilis, alienavit.* Taceo cætera, & quæ de Wulnotho quarto Abbate scribit: quis libentius in monachorum virtutibus, & sanctitate versor: à quibus, quicquid decoris & elegantiæ, in Anglo-Saxonum Ecclesiâ uspiam repertum; id omne profectum est. Et sanè hoc loco non est dissimulanda veritas, quæ ex omnium historiarum fide colligitur: stante, per provinciam, crescente, florente regularium statu & ordine stetit: ubique crevit, floruit orthodoxa Fides, & Christiana religio pulcherrimè explicuit sanctitatis radios: qui tunc obscurari, decrescere, languere, mori denique semper cœperunt: ubi regularis ordo, vel elanguit, vel extinctus est.

WULSIGUS ABBAS ALBANIENSIS NOTATUR.

Mat. Parif. in 3. Abbate.

XVI. Ascenderat, superiore sæculo, veræ pietatis, virtutumque omnium Sol, ad summum cœli verticem, lucémque immensam; non Britanniæ modò, sed vicinis etiam provinciis, dispensaverat: cùm plures Reges, ad Ecclesiæ ornatum splendorémque, & Dei cultum promovendum, conspirarent. Nunc collectâ in unum, regni Majestate; majestas altera minui cœpit, & in postremis esse. Tunc Deus iratus, vexari permisit dominatum illum, cujus incremento decreverat pietas: & principes docere voluit, non aliâ re magis, quàm religione, justitiâque firmari regna, & imperia. Atque ut afflictio daret intellectum hujusce veritatis; miseriarum per Danos Oceanum immisit. In quo, ut iratum Deum, sine dubio legimus: ita piè osculari possumus ferientem Dei manum; quod inter Anglo-Saxonum vitia, inter Regum & populorum crimina; nihil, nihil omninò in majorum orthodoxam fidem, peccari voluerit. Quod etiam, quia in Britanniæ excidio supra spectavimus: & certum est in Anglo-Saxonum Ecclesiâ idem contigisse; amare, laudare, benedicere debemus eum, qui errantem populum, & in multis offendentem, non dereliquit usquequaque: sed mortificat, & vivificat; deducit ad inferos, & reducit: & faciem suam, fidem suam, non abscondit ab eo, quem in irâ non in furore corripuit.

CRESCENTE MONARCHIA, PIETAS DECREVIT.

XVII. Dixi Fidem in hoc cæterarum rerum omnium naufragio, naufragium nullum fecisse, sed inter undarum cumulos, & fluctuantis fortunæ ludibria, ad Normannorum etiam tempora, constanter enatasse. Quod ut in populo, & omni ordine, sexuque observare licet; ita in Regum nostrorum rebus gestis eminenter elucet. Nam illi reverà miseriis pressi, & in fundo calamitatis jacentes; per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones; ut jucundè suo loco contemplabimur. Et verè dici potest, nunquam Insula sanctiores Reges habuit, quàm quos per-

secutionis

secutionis pruina decoxit, & à quibus tribulationis fornax rubiginem absterfit. Ita hoc nonum sæculum, in hujus rei argumentum educet in stadium Ethelwolfos, Edmundos, Ethelredos, Alfredos, sanctissimos Principes; qui orthodoxam Fidem, à majoribus acceptam, fortiter tuebuntur, qui Romam colent, qui Sanctorum Patrocinia implorabunt, qui Ecclesias à Danis destructas, restituent: & denique fidem, pro quâ pugnant, suo sanguine sigillabunt: sic omni merito, inscribi possunt Annales nostri FIDES REGIA. hoc præsertim sæculo; cum gementibus monachis, tacentibus ferè clericis, civibus in armis occupatis; soli Reges pro fide loqui, & pugnare leguntur. Sed & statim Egbertus, & Witlafius, Croylandensem Ecclesiam ornabunt, eoque velati præsidio, contra Danorum impetum provinciam munient. Interim quid hoc anno à Danis factum videamus: quia satis de eorum indole, de causâ calamitatum supra jam dictum.

XVIII. In Cantio Dani deprædantur. *Wigorn. hic. Westm. an. 833.* Shepeia Insula.

Wigorniensis Danicam expeditionem hoc anno breviter sic explicat: *Danici piratæ, inhiatores prædæ Sceapege deprædati sunt.* Quod ad exscensionis locum spectat, Westmonasteriensis illum vocat, *Shepeiam, & Insulam ovium.* Est porrò in agro Cantiano Insula, quam Toliatim Ptolomæi suspicatur esse Camdenus: quamque crispantibus utrimque undis, Medweagus fluvius cingit, ad Thamesis ostium. Eò cum triginta quinque navibus Dani applicant; & inermem Insulam nullo negotio deprædantur. Egberto longius posito, nec valente laboranti provinciæ prius succurrerē; quàm Danus inde, ad alia Britanniæ litora pervenisset. Nam terram magis, quàm mare firmaverat. Fuit hoc Danicæ tempestatis præludium. Nam gustatâ Insulæ dulcedine, muscarum instar, ad prædam postea advolarunt; nec abigi nisi multo provinciarum motu, potuerunt. Unde lugubrem annalibus materiam quotannis ministrabunt,

ANNUS CHRISTI 833.

GREGORII IV. PAPÆ 6.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 34.

WITLAFII MERCIORUM REG. 7.

I. Danorum victoria apud Carrum.

QUs sequitur Christi annus octingentesimus trigesimus tertius, novâ Danorum irruptione funestus fuit. Nam classis illa triginta & quinque navium, quæ superiori anno Shepeiam depopulata est: sub hujus anni initium, in Occidente apparuit, & Durotrigum provinciam invadens, per Carri fluminis ostium, ad Carrum ostium substitit. Egbertus, in re militari doctus Princeps, cùm Occidentem suum peti vidisset, collectâ ex improviso militum manu; Dudda, & Osmodo creatis ducibus; cum duobus Episcopis in occursum ivit. Sed paratior ad pugnam Danus; cùm prædam egisset, & prædam & vitam tueri, pro viribus studuit. Concursum itaque, & post mitum certamen, quò plures & eximii quique ceciderunt, victoria penes Danum fuit. Huntindonius belli eventum sic breviter exponit: *Rex Egbricht pugnavit cum exercitu suo, contra Danos,*

Huntind. l. 4. fine.

qui triginta & quinque maximis puppibus advecti fuerant, anno sequenti (post prædam in Shepeia) apud Carrum: & ibi Dacenses aleâ belli prævaluerunt: & duo Episcopi, scilicet Herefert, & Wigfert: & duo duces, scilicet Dudda & Osmod perierunt. Eòdem ferè modo Hovedenus; qui alterum Episcopum non Wigfert, sed Wilfredum vocat: quorum tamen neuter in Episcoporum numero, hoc sæculo recensentur.

Herefridus Wintonieñ. moritur.

II. Quis Wigfert? *Westm. an. 834.*

Nec expendit nodum, sed magis impedit Westmonasteriensis, Episcoporum Sedes nominans, & ita scribens: *Rex Egbertus, ingenti exercitu congregato; contra prædictos paganos, vexilla direxit, & arma. Sed Dani, post nimiam hinc inde illatam stragem, aleâ belli prævaluerunt. Ceciderunt itaque inter cæteros, Herefridus Wintoniensis, & Sighelmus Sciteburnensis, Episcopi, cum ducibus Dudda, & Osmundo. Successit autem Herefrido Eadmundus, & Sighelmo Æthelwaldus.* Hæc, inquam, difficultatem implicant. Nam quamvis verosimile sit, Occidentalium Saxonum Episcopos fuisse; ubi Wintoniensis, & Schirneburnensis Sedes: in neutrâ tamen, hoc tempore, aut Wigfert, aut Sighelmum sedisse, ex authoribus aliis colligitur. Herefridus quidem, Wintoniensem Ecclesiam administravit, ad anno 827. n. 8. ut ibi dictum: & ei successisse Eadmundum omnes fatentur. Sed in Schirnebornensi sede collocavimus Alstanum, anno octingentesimo decimo-octavo, qui etiamnum superstes, statim se scribit Schirneburnensem Episcopum, & multa contra Danos, pro patriæ & Ecclesiarum commodo patrabit ad annum usque octingentesimum sexagesimum septimum. Cui demum, non Æthelwaldus, sed Heamundus successit. Unde ergo Sighelmi Schirnburnensis mentio? Respondet Godwinus: *Author est Florilegus, Sigelmum quendam Scherbornensem Episcopum, à Danis prælio casum anno 834. Quod alicubi mendosè scriptum reperisse auguror, ubi reponendum erat 934.* Sed quia, nec eo anno ullus legitur, illo nomine in Occidente Episcopus; dicerem potius Wigfertum illustrem fuisse ex Occidentis clero virum, qui fortiter pro patriâ pugnans hoc anno ceciderit. Et hunc cum honoris causâ aliqui Episcopum nominassent: Florilegus illi sedem vitio assignavit, mutavitque nomen in Sigelmum: qui revera post annos triginta; Schirnburnensis Antistes fuit, habuitque successorem Æthelwaldum.

Edmondus Wintoniensis Episcopus.

Godwin. in Sarisburg.

VIII. Egbertus indicit comitia.

Egbertus, hac Danorum victoriâ, & suorum civium clade fractus, invictus tamen animo fuit: visóque fugitivum hostem capi non posse; ad muniendam undequaque Insulam animum adjecit. Quod quia ad utramque Rempublicam maximè faciebat, Comitia publica indicit, vocat omnes regni ordines; & quod hactenus fortè factum non legitur, ex omni provincia, Principes viros in Consilium vocat, tam qui pro Ecclesia, quàm qui pro regni incolumitate loquerentur. Quod Senatus consultum, hodie Parlamentum dicimus: ubi quod omnes spectat, ab omnibus vel probatur, vel improbatur. Non produnt Authores, quinam è singulis convenerint, pauci solùm Duces nominantur. Cæterùm Episcopos plures, ex omni regno, Northumbriæ etiam adfuisse, certum est è Regiâ chartâ, quam mox subjicio. Et ratio reddi potest, quia primis his, & puriorisbus sæculis, res gravioris momenti, quæ utramvis

Rempubl. spectabant; vix alio quàm Regum, & Episcoporum suffragio arbitrióque agebantur. populus ab eorum ore pendebat, & non legem dare, sed accipere, docebatur. Nunc inversa sunt omnia, & plebs ad comitia, precariò aliquando admissa, cum solo intercessionis suffragio, adeò jus omne arrogat, ut exclusis Episcoporum suffragiis, de jure Regum, & prærogativa plurimum delibet.

IV. Cur Comitia coacta?

Sed inspiciamus meliora tempora, & Egbertum sanctiori consilio, Londini, cum utriusque Reip. Proceribus, patriæ consulentem. Ibi negotiorum summa fuit, de avertenda peste, quam Danorum rabies, per frequentes incursus, Insulæ minabatur. Quid in illam rem dictum factumque sit, nemo quod sciam prodidit. Nam Ecclesiastici Scriptores, ea tantùm tradiderunt, quæ Fidei, & Ecclesiarum incrementa spectabant. Unde solùm colligitur, Egbertum & Witlafium Reges, cum Episcopis omnibus convenisse, ut communi consilio statueretur; qua ratione Paganorum incursibus, qui frequentes fore credebantur; esset obviandum. Unde Spelmannus hoc Senatusconsultum vocavit: *Concilium Pan-Anglicum, Londonis habitum, in Festo S. Augustini Anglorum Apostoli, id est, die vigesimo sexto Maii, anno Domini 833. Præsentibus Egberto, Rege West-Saxoniæ, & Withlafio, Rege Merciorum, utroque Archiepiscopo, cæterisque Angliæ Episcopis & Magnatibus. In quo de cohibendis Danorum irruptionibus agitur: confirmantúrque privilegium & accessiones Withlafii Regis, monasterio Croylandiæ facta.* Ita ille. Promiserat olim Withlafius, cùm in Croylandensi secessu profugus moraretur; se, si regnum reciperet, illi loco facturum benè. Quod sanè abundè præstitit, scripsitque in dicto Concilio hanc regiam chartam, quam Ingulfus ejus loci Abbas, ita refert:

Spelman. to. 1 fo. 336.

WITLAFIUS, dispositione divinâ, Rex Merciorum; omnibus Christicolis, universam Merciam habitantibus. Salutem sempiternam.

V. Witlafii charta pro Monast. Croylandiæ.

Magnalia Dei prædicare, & publicare, minimè mihi verecundum, sed verè videtur honorificum, & gloriosum. Unde aperte confiteor Domino, qui in altis habitat, humilia respiciens, in cœlo & in terrâ: quoniam ad tempus iratus est mihi, conversus est furor suus, & consolatus est me: humilians in irâ suâ peccatorem usque ad terram, detrahens usque ad pulverem: & iterum in misericordiâ suâ suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem; ut sedeam cum Principibus, & solium gloriæ teneam. In die igitur bonorum, nè immemor sim malorum: memor ero Rahab, & Babylonis scientium me: non Rahab meretricis, sed Etheldritha sanctissima Virginis, cognata mea, pro sponsi sui agni immaculati amore, Croylandiæ reclusæ, & in tempore tribulationis meæ, me in cella sua quatuor mensium spatio diligentissimè abscondentis à facie inimici, & persequentis. Memor etiam ero Babylonis, non turris confusionis, sed sanctissimæ Ecclesiæ Croylandensis, quæ terra, turris ad cælum ascendens, vigiliis & orationibus, psalmis & lectionibus, dis. pliuis & afflictionibus, lacrymis & singultibus, eleemosynis, & innumeris aliis devotionibus, pietatisq́; operibus pro seculo peccatore, fortissimam violentiam regno cælorum ingerit die & nocte.

VI.

Itaq́; quoniam venerabilis Pater, Dominus Siwardus, Abbas Croylandiæ, protexit me in tabernaculo suo, in die malorum, celans ac salvans à facie tribulantis: ultra privilegia meorum antecessorum Regum Merciorum, qui prædictum monasterium, variis libertatibus, & donariis nobiliter illustrarunt: Offero & ego magno altari prædicti monasterii, de paupertate meâ, calicem aureum, Crucem auream, & tabulam capellæ propriæ, laminis auri deauratam, me profitens dictæ Ecclesiæ, perpetuum pro viribus defensorem. Insuper præcipio omnibus ministris meis per universam Merciam constitutis; quod Abbati Croylandiæ, Monachis, & omnibus fratribus illius sanctissimi monasterii, tum ad civitates, & castella regia, pro quocumque negotio accesserint; tanquam Wimundo filio meo, vel mihi, obediant in omnibus, & ministrent: nihil pro expensis, quas ipsi, vel sui fecerint ibidem, ab iis accipientes. sed cum literâ, vel signo dictorum Monachorum, Ærarius meus omnes expensas hujusmodi, tum dicti ministri mei, annumeraverint, pro fisco integrè acceptabit.

VII. Croylandensi Monasterium constituitur Asylum.

Volo etiam & præcipio, quod quicumque in regno meo, pro quocumque delicto reus inventus, & legibus obnoxius fuerit; si fugerit ad dictum monasterium; & coram Abbate dicti monasterii, qui pro tempore fuerit, gratiam sanctissimi Confessoris Guthlaci, ibidem corporaliter quiescentis, invocans, fidelitatem ei & servitium juraverit sempiternum, salvus & securus, protectione Abbatis, & monachorum suorum; in quocumque servitio, per totam Insulam Croylandiæ ipsum posuerint, sicut in asylo, vel in Camerâ meâ propriâ, pace meâ, & impunitate gaudeat: nullusq́; ministrorum meorum, ultra illum insequi audeat, nec in aliquo molestare: sub pœna perditionis dextri pedis, quicumque in meo regno, istud meum privilegium tentaverit in aliquo violare. Licebitq́; dicto fugitivo, in quibusque aquis, quæ dictam Insulam ambiunt, navigare & piscari; ac aliter quocumque modo, à Dominis suis assignatus fuerit, laborare: absque ministrorum meorum, vel alicujus alterius calumniâ, vel gravamine. Quod si extra dictas aquas, vel metas dicti Monasterii captus aliquando fuerit; pœnam quam quondam meruit, sive mortem, sive membrorum suorum mutilationem, si ministri mei, vel quicumque sui adversarii, per juramentum sex hominum fide dignorum, probare poterunt, quod extra metas suas inventus fuerit; absque ullâ gratiâ sustinebit. Dictas verò metas monasterii Croyland, in quinque ejus aquas prædictas, tam ministris meis, quam Abbati & monachis suis, pro suis dictis fugitivis, describi feci, & notari.

VIII. Monasterii sive Asyli termini.

*Dictæ namque aquæ vocantur istis nominibus: videlicet Schepisbee, ad Orientem, in cujus ripâ Occidentali, crux lignea stat vetusta; & distat ab ipsâ aquâ per decem pedes, æqualiter posita in medio inter duos angulos ejusdem Insulæ, scilicet Asewiktoft, qui est Angulus, & meta dictæ Insulæ, contra Vulturnum: & Tedwarser, qui est angulus, & meta dictæ Insulæ, contra subsolanum. Secunda aqua, quæ claudit dictam Insulam, ad Austrum vocatur Southee, in cujus ripa est posita Crux lapidea, distans à Normanlandhierne, per quinque perticatas, & à Southee per sex perticatas; ubi Southee intrat in aquam de Nene, quæ currit ad pontem Croyland. Sed metæ fugitivorum, in illa parte diriguntur in mariscum Occidentale, per * Einset, contra Africum: & sit usque ad Fol Iolwardstasing contra Corum; & sic divertendo ad Boream, ubi Southlake intrat in aquam, de Weland; ex opposito lapideæ Crucis, quæ stat in boreali ripa*

* Einset,

dicta

dicta aqua de Weland, distans ab ipsâ aquâ, per quinque pedes, quæ currit inde ad prædictum pontem de Croyland. Sed metæ fugitivorum ab illâ Cruce diriguntur in mariscum boreale, directè, usque ad Oggot, qui est angulus metarum contra Favonium: & sic redeundo, versus Orientem, per Wodelade. usque ad Apinholt; & ibi ascendendo, per aquam de Weland, quæ est quarta aqua claudens insulam, ex illa parte, sicut tertia aqua de Nene claudit eam ex alterâ parte pontis de Croyland, usque ad Seweram de Asendise, cadentis in Weland, ubi stans Crux lapidea, distat ab ipsâ aquâ de Asendise, per tres perticatas, in ejus ripâ australi, & ipsa aqua de Asendise, est quinta aqua claudens ab illo loco Insulam prædictam contra Aquilonem usque ad Asewiktofr.

IX. *Si extra istas quinque aquas, & metas prænotatas, fugitivus inventus fuerit; tanquam Semei extra Ierusalem, publicis legibus subjiciendus; pœnam quam meruit patietur. quod si infra prædictas metas, & prædictarum aquarum ripas exteriores, homicidium, furtum, vel aliam forisfacturam fecerit, per Balivos dicti monasterii capiendus, juxta demerita in ipsâ Insulâ, cujus immunitatem perdidit, patietur; & ibidem judicandus, in carcere Abbatis condemnabitur. Et ut istud meum privilegium, firmius, & fortius, ad posteros perseveret; per Dominum meum Egbertum, Regem West-Saxoniæ, & Athelwolfum filium ejus, obsinavi confirmari. Offero etiam secretario dicti monasterii, in ministerium sanctissimi altaris, chlamydem coccineam, quâ indutus eram in coronatione meâ, ad capam inde, sive Casulam faciendam, & in Ecclesiâ sanctissimum ornamentum, velum meum aureum, quo insuitur excidium Troiæ; in meo anniversario, (si placuerit) in parietibus suspendendum.*

X. HODIERNI ORTHODOXI PRINCIPES WITLAFIUM IMITANTUR. Hic siste Lector, & oculos recrea, quos barbararum vocum lectio fatigavit. Interim pasce animum, jucundâ Regiæ Fidei contemplatione: intuere Witlafii pietatem, & in eâ lege Fidem antiquorum Regum, à Romanâ hodie Fide, Regibúsque orthodoxis, nihil omninò differentem. Olim Ecclesia Christi sponsa, cùm cunas egressa respirare cæpit, & post infidelitatis noctem, emergere: Constantinus noster illam ornavit, in vestitu deaurato circumdatam varietate: dedit calices aureos, Cruces, & ingentia dona, quæ * supra recensui.

* vide an. 324. n. 36.

IN ORNANDO ALTARIA. Quod idem à Principibus exinde semper observatum, qui Ecclesiæ splendorem sui regni ornamentum, imò firmamentum putaverunt: Ut nuper * Offa, qui *vasa contulerat concupiscibilia, pallas & monilia, quorum jactura irrestaurabilis.*

* vide an. 832. n. 15.

Et Witlafius nunc, & sint in exemplum, qui chlamydem coccineam, quâ indutus erat in coronatione, Croylandensi Ecclesiæ consecravit in ministerium sanctissimi altaris. Descende ab ejus sæculo in nostrum decimum sextum. Germanias, Hispanias, Gallias, lustra: & videbis ubique pios principes, vestem, quâ primùm cum coronâ induuntur, Deo & sanctissimi altaris ministerio consecrantes. Sic videmus ætate nostra, Philippos & Margaritas in Hispania; & nuperiùs Ferdinandos in Germania, regia paludamenta, ipsam purpuram, ac imperii insignia, ceu sacra Deo anathemata offerentes, in usum sacrificii: Eò prorsùs modo, quo Witlafium Merciorum Regem, ante annos octingentos fecisse, ipsemet scriptis his ad posteritatem literis, opportunè testatur: & unà tacitè arguit modernam factionem pessimi erroris; quòd templorum ornatum sustulerit, quòd altaris cultum in uxores & mundum muliebrem transtulerit: quòd denique Capam & Casulam, & cum illis omnem majorum suorum fidem exuerit. Nunc ad Witlafii chartam redeo: & para, Lector, oculos ad obscuram lectionem; vel si minus curiosus es, permitte illam antiquitatis studiosis.

XI. CRUCIBOLUM WITLAFII. *Offero etiam, Refectarario dicti Monasterii, ad usum præsidentis, quotidiè in refectorio, scyphum meum deauratum, & per totam partem exteriorem, barbaris vinitoribus ad dracones pugnantibus calatum; quem crucibolum meum solitus sum vocare, quia signum Crucis per transversum scyphi imprimitur interius, cum quatuor angulis, simili impressione protuberantibus, & cornu mensæ meæ, ut senes monasterii bibant inde, in festis Sanctorum: & in suis benedictionibus meminerint aliquando animæ donatoris Witlafii. Confirmo etiam dicto monasterio, omnes terras, & tenementa, possessiones & earum pecullia, & omnia alia donaria, quæ prædecessores mei Reges Merciorum & eorum proceres, vel alii fideles Christiani, sive Iudæi, dictis monachis dederunt, vendiderunt, vel invadiarunt, aut alio aliquo modo, in perpetuam possessionem tradiderunt. Et specialiter, donum Thoroldi quondam Vicecomitis Lincoln, in Bosenhale; videlicet duas * carrucatas terræ, & dimidiam, & viginti sex acras prati, & quinquaginta acras sylvæ de Brush. Item donum Grolphi, filii Malta, in Halington: videlicet quatuor bovatas terræ de Inland: & decem bovatas in servitio, & viginti quatuor acras prati, in Grenthorp. Item donum Fregisti militis, videlicet totam villam de Langtoft; & in campis ejusdem villæ, sex carucatas terræ arabilis, habentes in longitudine quindecim quarentenas; & novem quarentenas in latitudine, & centum acras prati; & silvam & mariscum duarum leucarum in longitudine, & duarum leucarum in latitudine. Et Ecclesiam ejusdem villæ, & quadraginta acras, de eodem feodo, in campo de Deping.*

* Hydam significat, sive 120. jugera quæ Acræ dicuntur.

XII. *Item donum Algari militis, scilicet Northland, in Baston: videlicet quatuor carucatas terræ arabilis; continentes in longitudine octo quarentenas, & octo quarentenas in latitudine; & quinquaginta quinque acras prati, & mariscum continens in longitudine sedecim quarentenas in latitudine, & Ecclesiam ejusdem villæ, & unum molendinum, & dimidium alterius molendini, & totam piscariam in aquâ; a molendino versus Occidentem, usque ad finem ejusdem marisci, versus Orientem. Item donum ejusdem Algari, in Repingale, videlicet tres carucatas terræ arabilis, & quadraginta acras prati. Item donum Normanni quondam Vicecomitis in Sutton, juxta Bosworth, duas carucatas terræ, & unum molendinum venericium. Item donum ejusdem Normanni in Stapleton, videlicet manerium, & duas carucatas terræ. Item donum ejusdem in Badby: videlicet quatuor hidas terræ, cum appendiciis. Item donum Algari comitis in Holbecke, & in Cappelade: videlicet quatuor carucatas, & octodecim acras prati, & mariscum. Item donum ejusdem in villâ suâ de Spalding; tres carucatas terræ, & unam bovatam, & viginti sex acras prati, & quatuor salinas, cum Ecclesiâ ejusdem villæ. Item donum Oswii militis in Draitonâ: videlicet, & hydas terræ, & quatuor virgatas, & Ecclesiam ejusdem villæ. Item donum Asketelli coci mei, in Glapthorn, videlicet tres virgatas terræ. Item donum Wulgeti pincernæ mei: videlicet tres virgatas terræ, in Pieferf. Item donum nuncii mei in Laythrop, unam bovatam terræ. Item donum Swardi vicecomitis in Kirkby, tres bovatas terræ, unam mansionem, & tria coragia.*

Et in Standona, donum Sigburga comitissæ, quinque hidas terræ. Et donum Wulnoti dapiferi mei, in Adingtona: videlicet duas hydas terræ, & piscariam, cum advocatione Ecclesiæ ejusdem villæ: Et in aliâ Adingtona, ex dono ejusdem, unam virgatam terræ.

XIII. *Istas terras & tenementa, prædicto monasterio Croylandiæ, & monachis ibidem Deo servientibus, in pacificam & perpetuam possessionem concedo, trado, & confirmo; habenda de me, & hæredibus meis, quibuscumque Regibus Merciorum, post me successuris, in perpetuam, & puram eleemosynam, liberè, quietè, & solutè, ab omnibus oneribus secularibus exactionis, & vectigalibus universis, quocumque nomine censeantur. Quod si quis adversarius, instigante diabolo, in quibuscumque prædictis terris, & tenementis tot Regum spatio pacificè possessis, & eorum authoritate confirmatis; calumniam ponere voluerit in futurum: me, & successores meos, Reges Merciorum, profiteor præsenti chirographo, & polliceor, dicti Monasterii futuros in perpetuum defensores. Istud chirographum Domino Sigwardo Abbati, patri meo, & Ethelditha sanctissimæ Virgini, pro Christi amore ibidem reclusæ, carne quidem cognatæ meæ; sed (quod magis est) in Christo charissimæ sorori, quondam promissum; in præsentiâ dominorum meorum Egberti Regis West-Saxoniæ, & Athelwulfi filii ejus, coram Pontificibus & proceribus majoribus totius Angliæ, in civitate Lundoniâ (ubi omnes congregati fuimus pro consilio capiendo contra Danos piratos, littora Angliæ assiduè infestantes) signo sanctæ Crucis confirmavi †.*

XIV. *Ego Celnothus, Archiepiscopus Dorobernensis consului †.*
Ego Eubaldus, Archiepiscopus Eboracensis consignavi †.
Ego Osmundus, Lundoniensis Episcopus collaudavi †.
Ego Helmstanus, Wintoniensis Episc. assensum præbui †.
Ego Herewinus, Episcopus Lichfeldensis consensi †.
Ego Cedda, Herefordensis Episcopus aspiravi †.
Ego Adelstanus, Schireburnensis Episcopus procuravi †.
Ego Humbrithus, Helmati Episcopus approbavi †.
Ego Wilredus, Donmocensis Episcopus annui †.
Ego Herferdus, Wigorn. Episcopus gratum habui †.
Ego Godwinus, Roffensis Episcopus favi †.
Ego Hedda, Abbas de Medeshamsted ratificavi †.
Ego Ambercus, Abbas Ripadii interfui †.
Ego Kenewinus, Abbas de Bardeney adfui †.
Ego Egbertus, Rex West-Saxoniæ concessi †.
Ego Adelwulfus, filius Regis West-Saxoniæ consensum dedi †.
Ego Wulhardus Dux affui †.
Ego Athelmus Dux audivi †.
Ego Hecenorithus Dux acceptavi †.
Ego Swithinus Presbyter Regis Egberti præsens fui †.
Ego Bosa, Scriba Regis Witlafii, manu mea chirographum istud scripsi †.

XV. *Ego Witlafius, Domini nostri JESU Christi gratiâ, Rex Merciorum, ad sanctæ Matris Ecclesiæ honorem, & divini cultus exaltationem, anno Incarnationis ejusdem nostri Salvatoris octingentesimo trigesimo tertio, in festo sancti Augustini Confessoris, Doctoris, & Apostoli nostræ gentis, hæc pauca offero: pluraque offerrem; quin corpus meum, in morte mea, tam sancto monasterio, promitterem, nisi antea sepulturam meam Ripadio devovissem. Veruntamen spiritus meus permanebit vobiscum in æternum.* Hactenus diploma Regium, & Witlafii pietas, in Croylandenses monachos; quorum sanctitatis oculatus diu testis fuit.

Quod ad Episcoporum subscribentium nomina attinet; cum secundo loco ponatur Eubaldus Eboracensis, videtur omninò dicendum, eum hoc anno superstitem, Synodo adfuisse: quare in Malmesberiensis Fastos, error irrepsit, dum ad annum 812. Wulsius consignatur ejus Ecclesiæ Episcopus: quem errorem secutus Godwinus, scribit Wulsium obiisse anno 831. qui tamen non nisi anno sequenti, hoc est anno 834. Eanbaldo successit, ut Fasti quoque, errorem fortè retractantes, consignant. XVI. DE EPISCOPIS SUBSCRIBENTIBUS. Cæterùm quia Helmstanus Wintoniensis, cum aliis subscripsit: Edmundum, qui nuper electus ad eam Sedem fuerat, obiisse, necessum est affirmare: & illi statim Helmstanum substitutum. MORITUR EDMUNDUS WINTONIEN. ET HELMSTANUS SUCCEDIT. De Ceadda Herefordensi major difficultas: Nam præter Ceddam, qui ante annos septuaginta, in eâ Sede moritur; nullus hoc tempore, ab authoribus nominatur; qui eo nomine Antistes fuerit. Beonnam ibi sedisse, ab anno 816. suprà dixi*. cui Fasti assignant successorem Eadulfum, sub annum 829. quos ego secutus, eum adhuc sedere puto. *an. 816 n. 4. Quis ergo hoc tempore Cedda vocetur, arduum est opinari. Si Eadulfus, Cedda quoque vocabatur, potuit ille quidem ab anno 829. Beonnæ successisse, & nunc se Ceddam scribere: quod tamen, quia sine authore conjicio tantum, nolo illud affirmare. Interim quid aliud dicendum sit, nescio.

XVII. Qui sequitur Adelstanus, is est, quem anno 818. Alstanum appellavi Schirburnensem Episcopum. Sequitur Wilredus, quem Orientalibus Anglis præfeci anno 824. n. 7. Et ultimus in eâ Sede fortè sub hæc tempora mortuus: nec successum est illi ante Edwii Regis tempora *. * vide an. 955. n. 19. Unica deinceps Sedes apud Orientales Anglos Helmhamæ mansit, in Icenorum provinciâ, & Norfolciensi agro. Herferdus Wigorniensis, communius ab authoribus Headbertus, vel Eadbertus, vel etiam Hubertus dicitur. Hæc nominum declinatio à Saxonum dialecto, ad latinam vocem Lectorem distrahit, & sæpè erroris occasio est. Eabertus Wigorniæ sedere cœpit, anno 822. nec moritur ante annum 848. ut Fasti & Godwinus affirmant. De Godwino Roffensi, antiqui nihil tradiderunt. DE GODWINO ROFFENSI EPISCOPO. Unde Fasti cum Burhicum in Roffensi sede collocassent, anno quarto hujus sæculi, mox inferunt: *Post hunc multos annos Sedes vacavit.* dicendum ergo esset, nullum hoc tempore Roffensem Episcopum fuisse. Unde Franciscus Godwinus in Catalogo, de Roffensi Godwino ita scribit: *Episcoporum Roffensium seriem circa hæc tempora; si non mutilam & imperfectam, at certè incertam haberi fatendum est: nimirum a Beornmodo, ad Sivvardum, per spatium centum, & sexagintâ annorum. Malmesberiensis pro toto eo tempore, quod inter ætatem Bedæ, & Gulielmum Normannum intercessit, novem tantum recenset Episcopos: Florentius Wigorniensis eo numero unum duntaxat adjicit. Sed Catalogus quem reperi in archivis Ecclesiæ Roffensis, septem adhuc alios interserit. Quibus addendum videtur hic Godwinus, quem constat annis octingentesimo trigesimo tertio, & octingentesimo quinquagesimo primo diplomata confirmasse Merciæ Regum, alterum Witlafii, Bertulfi alterum.* Hæc Godwinus. Sed fortè nullum erit incommodum, si dixerimus, mortuo sub hæc tempora Burhico Godwinum ei suffectum esse. Aliorum Episcoporum ad suas Sedes ingressus, suo loco consignatur.

XVIII. S. Swithini exordia.

Qui, post Duces, dicitur præsens fuisse, *Swithinus presbyter* Regis Egberti; is sine dubio fuit, qui post annos quatuor Wintoniensem sedem ascendit, Vir suo sæculo sanctissimus. De quo, quia plura inferius, hic tantum ejus vitæ exordium habe. *Glorioso Rege Anglorum Egberto regnante* (ita refert Capgravius) *Beatus Swithunus pater, & pastor, in Ecclesiâ Dei futurus, cursus sui in stadio mundi hujus, divinâ misericordiâ ordinante, accepit exordium. Nam annis puerilibus in bonâ simplicitate transactis jugum servitutis dominicæ accipere festinavit; susceptumq́, humiliter, viriliterq́, portavit. Itaque suscepto * clericatus officio, de gradu in gradum, de virtute in virtutem; gressus ejus Deo per omnia dirigente, conscendens: sub Helmstano Wintano Episcopo, ad honorem Sacerdotii provectus est. Curabat enim seipsum ministrum probabilem Deo semper offerre: verbum veritatis Catholicè & rectè tractare: benignitati & mansuetudini inservire: opera pietatis super omnia exercere, inordinatè viventes virgâ correptionis increpare, humilitérque omnibus ministrare. Cujus famam Rex audiens, eum accersivit, & inter præcipuos amicos eum esse constituit, commendavitq́, filium suum, nomine Adulphum, liberalibus disciplinis erudiendum, & sanctis moribus instituendum: quem postea in Subdiaconum ordinavit.* Hic est ille Ethelwolfus, qui post Patrem regnavit, & pueritiam egerat sub S. Swithino, qui meritò inter Egberti Regis presbyteros scribitur.

* Malè legitur *claritalis*.

Ethelwolfum docet.

XIX. Quantum in ejus disciplinâ, Ethelwolfus profecerit; sequentia indicabunt; cum ille regnavit, & Romanam Ecclesiam integerrimè coluit: quod in Swithini laudibus ponendum. Unde Malmesberiensis. *In Swithino, dum vitæ religio inquit, cum simplici prudentia conquadraret; natura industriaque laudabilis Regis auditum non effugit. Quocirca illum hactenus excoluit, ut & multa negotiorum, ejus consilio, transigeret, & filium Adulphum ejus magisterio locaret. Quo facto prælusit felicitati futuræ adolescentis fortuna; ut sub sanctissimo pædagogo addisceret; qualiter non rudis olim ad gubernandam Remp. procederet. Est enim Platonis vetus & laudata sententia. Tunc forè beatam Rempublicam, si vel philosophi regnarent, vel Reges philosopharentur. Veritas dicti prodiit in effectum, per istum Adulfum; cum patre defuncto, quia alter legitimus hæres non extaret, ex gradu Subdiaconi Wintoniensis, in Regem translatus est; concedente Leone illius nominis Papa tertio.* Verùm de traslatione illâ dicam infra suo loco. Nunc redeo ad Synodum Londini coactam.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 242.

XX. Actum de munienda contra Danos Insula.

Ibi Rex & Proceres, cum Ecclesiis consultum esset (nam Ecclesiastica primùm in omnibus Comitiis tractari solita, præter alia multa, Majorum nostrorum in Deum, & Ecclesiam reverentia, facilè persuadet) tractatum deinde est, de Danorum incursu reprimendo; quibus armis, quanto milite, urbes maritimæ, & litora munirentur. Sisti quidem aliquando potuit hâc industriâ inimicus impetus: sed quia dudum Deus decreverat castigare Insulam; non potuit omninò cohiberi. Et verò Britanni, qui Insulæ mediterranea occupabant, Egberti Regis felicitati invidentes, ansam undique captabant, Danorum conatus promovendi; quorum fortè armis, se Provinciam suam recepturos sperabant. Sed malè colligit, quisquis spe externi hostis, suisdéque se domi tutiorem credit. Quod Britannus ipse argumento patrio, tristi experientiâ discere potuit; cùm Saxonem contra Pictos, Scotosque invitavit: Et quorsum Dani mitiores forent? Cautum igitur, decretúmque; ut tam mari, quàm terrâ, miles scriberetur. Quod sequentis anni gesta necessarium fuisse demonstrabunt.

ANNUS CHRISTI 834.

GREGORII IV. PAPÆ 7.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 35.

WITLAFII MERCIORUM REG. 8.

DUM publica regni Comitia Londoni aguntur; Britanni quoque consilium ineunt; qua ratione, Danis conjuncti, Insulæ pacem, & coeuntia in unum sceptra; hoc est, Egberti monarchiam, turbent. Itaque anno Christi octingentesimo trigesimo quarto, percusso cum Danis fœdere; cum tragicè aliquamdiu provinciales vexassent; Egberti Regis virtute contriti sunt. De hoc prælio Westmonasteriensis: *Wallenses,* inquit, *cum Danis, junctis viribus, igne & ferro regnum Egberti invadentes, castella ejus & mancipia diruere satagebant. Quo audito Rex Egbertus, cum exercitu copioso hostibus occurrens; maximam ex obstantibus stragem fecit: & tandem Danos, cum VVallensibus, damnosam inire fugam coegit, patriamque ab hostium irruptione liberavit.* Ita ille, ad annum 835. quem etiam annum Wigorniensis assignat, & ferè locum indicat, ubi ab Egberto, & Danis pugnatum. Nam ita scribit: *Dani, multâ cum classe, in Occidentalium Britonum terram (quæ Curvalia vocatur) appulerunt. Cum quibus Britones fœdus paciscuntur; & eos secum ducentes, fines Regni Egberti Regis depopulantur.* Dixi ferè locum indicat, quia pro Curvalia, indubiè puto legendum Cornwallia. In eâ enim Occidentis provinciâ, Britannos habitasse, jam inde à Cerdicii Regis exordio; non semel, dixi. Certè, cum ad Hengisti montem (vulgo Hengston) pugnatum sit, ut Wigorniensis, aliique testantur; & in eo agro sit Hengistodunum; sequitur typorum vitio factum, vel certè amanuensium, ut Curvalia nominetur.

I. Britanni cum Danis junguntur.

Westmon. an 835.

Vincuntur ab Egberto

Wigorn. an. 835.

videan. 519. 17. & 529 10.

II. Temporis ratio.

Verùm quod ad tempus spectat hujus prælii, rectius, opinor, Huntindonius, & Hovedenus, illud collocant sequenti anno post victum profligatúmque Egbertum, ad Carrum oppidum, & cæsos ibi Episcopos: sic enim scribunt: *Anno verò sequenti, venit exercitus Danorum navalis, in VVestvvales, & VVallenses: cum Danis coadunati sunt, & contra Regem Egbrigthum insurrexerunt. Rex verò secundâ usus fortunâ, eos gloriosè contrivit, & fortissimos fortiter effugavit apud Hengistendune.* Appulerant ergò Dani ad Tamaræ fluminis ostium: & inde Britannis juncti, in numerum creverant: & porrò in Occidentis regni Provincias irrumpere conati, Egberti virtute repelluntur; qui cum parvâ militum manu, magnam Danorum multitudinem stravit, teste Malmesberiensi. Ita alternantibus rebus, premi ad tempus Danorum rabies potuit; opprimi verò, non nisi ingenti labore, multâque civium, ac Principum patientiâ, potuit, ut dicetur.

Hoveden. fol. 412. Huntind. l. 4. fine.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 1. fine.

III. WITLAFII PIETAS IN S. GUTHLACUM.

Interea Witlafius, Merciorum Rex, qui Croylandense monasterium privilegiis auxerat; pergit explicare pietatis sinum, cum, quod nuper ore dictaverat, manúque firmaverat, opere etiam implere festinat. Guthlacum Sanctum, loci patronum, quotannis visitat, & pio semper munere ornat; eo prorsus modo, quo Romanæ hodie Fidei Cultores, Sanctorum loca, ac sepulchra venerantur. In hoc pietatis genere, Withlafius ad finem usque vitæ laboravit. *Perseveravit* (inquit Ingulfus) *iste Rex Witlafius, constantissime usque ad mortem suam, in amore, quem ad monasterium Croylandense acceperat; ita ut omni anno vitæ suæ, saltem semel, feretrum Sancti Guthlaci, cum multa compunctione visitaret, & aliquod pretiosum, notabileq; jocale offerret.* Ita olim Constantinus, Apostolorum sepulchra, ita omni post sæculo, Christiani Principes, Sanctorum corpora, magno planè cultu, donisque frequentabant. Ita denique, quia piget Insulam egredi, Anglorum Reges, S. Thomæ Cantuariensis monumentum, tam ingentibus donariis auxerant; ut unica sudes fuerit in factiosorum oculis, & præcipua causa Sanctum persequendi. Non enim à morte aliud peccaverat, quàm auri, argentique plurima, & super aurum & argentum, pretiosissima quæque possidendo: Quæ Galliarum etiam Reges auxerant: tam piè invisendo exuvias ejus, quàm religiosè muneribus cumulando: ut supra fecit Merciorum Rex.

Ingulf. fol. 858.

IV. MORITUR ALFLEDA VIRGO SANCTA.

Dum Witlafius hâc regiâ viâ gradiens, suum regnum moderatur; moritur Alfleda Virgo, Offæ Regis filia, quæ profugum Regem in Croylandensi Ecclesiâ, & cellâ suâ absconderat; cujus facta mentio in nupero diplomate, sub nomine *Etheldritha sanctissima Virginis*; adeò enim pio vitæ genere, sanctitatis famam collegerat, ut vivens, & moriens, à summis infimisque amaretur. Witlafius quanti viventem fecerit, testatur intimus dolor animi, quo mortuam prosecutus est. Qui quantus fuerit, Ingulfus expressit, & unà sepulturæ Virginis locum. Ita enim de Rege. *Cum obitum*, inquit, *sanctissima Virginis Etheldritha primitus intellexit; tanto dolore consternatus est, ut longo tempore lecto decumbentem, omnes sui jam morti proximum formidarent. Tandem favente Dei gratiâ, convalescens aliqualiter, & ad sepulchrum ejus accedens (tumulata namq; fuerat ad caput Sancti viri Tatwini, quondam Sancti Patris Guthlaci, in dictam Insulam Ductoris, & Naucleri,) quasi extasim passus, tot lacrymas, recuperato spiritu, super tumulum fudit; tanquam uxorem & filium, aut totam familiam, subito infortunio perdidisset. Donec Dominus Siwardus (quem ut patrem suum semper tenerrimè venerabatur) severius eum corripiens, invitum, & renitentem, de tumulo ad cameram suam adduxit. Non multò post, Wimundum filium suum, longâ dysenteriâ defunctum, ad latus Virginis dexterum tumulavit. Uxorem etiam Celfredam, consequenter infra ipsius anni spatium decedentem, ad latus sinistrum ejusdem virginis, regio apparatu, lacrymisq; irremediabilibus, sepelivit.* Hæc ille.

Ingulf supra.

UBI SEPULTA?

WIMUNDUS WITLAFII FILIUS MORITUR: ET CELFREDA REGINA.

V. SPIRITUALIS AMOR CARNALI MAIOR.

Habet nescio quid spiritale vinculum caritatis, carnali majus: sive quia Deus in homine potentius operatur: sive quia vitalius, & veluti in proprium objectum anima agit, cum purè, & divinæ gratiæ conformiter, fertur. Witlafius de amisso regno, nullam misisse lacrymam legitur: at in morte sanctissimæ hujus virginis, totus in lacrymas & luctus resolvitur, & nullum honorandæ Alfledæ argumentum reliquit. Ubi nescio, an miranda magis Regis pietas, an Virginis sanctitas, nisi quod ista, certiore suffragio in nostro Martyrologio asseratur, ad duodecimum Septembris, ubi Elfreda sancta appellatur. Et meritò sane ibi inter Sanctos locum meruit, quæ Deum docta diligere; mundum & omnia mundi blandimenta reliquit, ut Christo integrius frueretur. Cui cum quadraginta annos castissimè servivisset (ab anno nimirum septingentesimo nonagesimo tertio, quo Ethelbertus Rex & sponsus Martyrio coronatus est) sanctissimo virtutum odore relicto, moritur. Unde bene Polydorus dixit: *Alfleda virginitate Deo dicatâ ad locum cui nomen est Croylandia, se contulit; ibiq; sanctissimè vitam finivit.*

ALFREDA SANCTA.

Polyd. Virg. l. 4.

VI. MORITUR EANBALDUS EBORACENSIS: SUCCEDIT WULSIUS.

Moritur hoc anno Eanbaldus, Eboracensis Archiepiscopus, eo nomine secundus, qui ab anno Christi septingentesimo nonagesimo sexto, sedem tenuerat. De quo Pitsius, hoc texit elogium: *Eanbaldus junior, senioris in Archiepiscopatu Eboracensi successor, natione Anglus; prædecessori similis, in eruditione, omniq; literaria supellectilis meritissimus heres. Erat enim vir pietate, prudentiâ, doctrinâ celebris.* Successit illi, in Ecclesiæ administratione Wulsius: quem Malmesberiensis præter morem aliorum authorum Wilfridum vocat.

Pitsius in Eanbaldo.

Malmesb. de Pont. l. 3.

ANNUS CHRISTI 835.

GREGORII IV. PAPÆ 8.

EGBERTI OCCID. SAX. REG. 36.

WITLAFII MERC. REG. 9.

OSMUNDUS LONDIN. MORITUR: SUCCEDIT ÆTHELNOTHUS.

ANNO Domini octingentesimo trigesimo quinto, inter Londinenses Episcopos primus numeratur Æthelnothus: unde colligimus, Osmundum, qui nuper Regio diplomati subscripserat, & ab anno octingentesimo secundo, Londinensem Ecclesiam rexerat; sub hæc tempora obiisse. Eodem fato functus est Herewinus, Lichfeldensis Antistes, qui hoc anno, (ut Fasti notant) successorem accepit Æthelwaldum. Nec enim Godwinum sequor, qui Higbertum interponit. Cæterùm, quia Malmesburiensis, Herewini successorem vocat Herkenwaldum, & quia post annos sedecim, nomen illud in Synodo subscriptum legitur; dicamus Æthelwaldum, & Herkenwaldum, unum & eundem esse, qui hoc anno sedere cœpit, Lichfeldiæ Episcopus: & errasse Fastorum collectorem, qui post decennium putavit Æthelwaldum decessisse: quem Godwinus superstitem facit ad annum usque 857.

HEREWINUS LICHFELDEN. MORITUR: SUCCEDIT ÆTHELWALDUS.

Malmesb. de Pont. l. 4. fol. 288.

ANNUS CHRISTI 836.
GREGORII IV. PAPÆ 9.
EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 37.
WITLAFII MERC. REG. 10.

EGBERTUS DANOS FUNDIT.

ITERUM Dani fortunam experturi, Anglo-Saxonum fines tentaverunt irrumpere: sed Deus, & Egberti industria pestem avertit: *Anno gratiæ*, inquit Westmonasteriensis, *octingentesimo trigesimo sexto, idem Rex Egbertus, novum Danorum adventantem exercitum conctitione gravi conterens in fugam convertit.* taceant Authores alii hanc plagam Danorum; nisi fortè Malmesburiensis illam intellexit, cum dixit: *Sequenti planè prælio, ingentem multitudinem parvâ manu fudit.* quem ultimum Egberti conflictum numerat. Nam anno sequenti moritur. Quod enim Wigorniensis, Usserius, & Spedus, mortuum Egbertum ponant hoc anno 836. sequenti anno exponetur.

Westm. hic.

Malmes. de Reg. l. 2. c. 1.

ANNUS CHRISTI 837.
GREGORII IV. PAPÆ 10.
EGBERTI OCCID. SAXON. REG. 38.
WITLAFII MERC. REG. 11.

I. MORITUR EGBERTUS REX.

SUB initium anni octingentesimi trigesimi septimi, quarto die Februarii, moritur Occidentalium Saxonum Rex Egbertus, cùm octavum & trigesimum regni annum inchoasset. Hinc factum, ut, qui annos Christi auspicantur, ab Incarnatione Dominicâ, & fine Martii mensis, Februarium in præcedentis anni finem numerantes, dixerint eum superiore anno mortuum. Cæterùm alii, communem dialectum secuti, & à Nativitate Christi annos consignantes, mortis annum ad Christi annum 837. meliùs referunt. Videtur Deus Opt. Max. Monarchæ hujus mortem cœlesti prodigio indicasse. Nam eodem tempore, Cometa in cœlo visus, Ludovicum Imperatorem adeò terruit; ut piis operibus, anxiè se ad mortem, reddendámque Summo Judici rationem, paraverit. Rem gestam Astronomus ipse, qui à Ludovico vocatus, prodigium viderat, in hunc modum narrat. *Dirum*, inquit, *ac triste portentum, Cometa sidus, in signo Virginis apparuit, in eâ parte ejusdem signi, qua pennulam ejus, subtus caudam verò serpentis similiter cornúque constringunt. Quod cum, non more errantium septem siderum, Orientem versus peteret, per viginti quinq; dies, (quod mirum est dictu) idem sidus, & Leonis, & Cancri, necnon Geminorum transiens signa; in capite Tauri tandem sub Auriga pedes, igneum globum, jubarúmque prolixitatem deposuit, quas usquequaq; porrexerat antea. Quam rem, cum primùm Imperator talium studiosissimus, conspexisset, constitit: & antequam quieti membra committeret, accitum quendam, itémque me, qui hæc scripsi, & qui hujus rei scientiam habere credebat, percontari studuit, quid super eâ re mihi videretur.*

PRODIGIUM.

apud Baron. hic.

II. *A quo cùm tempus peterem, quo faciem sideris considerarem, ac per hac, rei veritatem investigarem, & cognitum in crastinum nuntiarem: Imperator ratus (quod erat verum) me tempus redimere velle, ne cogerer triste aliquid respondere. Perge, inquit, in mœnia huic domui contigua; & nobis quæ respexeris, nuntia. Novi enim, à me hanc stellam nequaquam præterito vespere visam, vel à te monstratam: sed scio hoc signum cometarum esse, de quo jam præteritis diebus locuti sumus. Quid autem tibi portendere videatur, edicito. Cumq; aliquid dicerem, & aliqua tacuissem. Unum est, inquit, quod adhuc silentio premis: mutationem enim regni, mortémque Principis hoc portento monstrari dicunt. Cumq; ego testimonium prophetæ in medium protulissem, quo dicitur. A signis cœli ne timueritis, quæ pavent gentes. ille solitâ usus magnanimitate, & prudentiâ: Non alium, inquit, timere debemus præter illum, qui nostri & hujus sideris creator est. Sed ejus clementiam non satis laudare, & imitari possumus; qui nostram inertiam, cum simus peccatores & impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergo, & me, & omnes communiter hoc ostentum tangit, omnes pro posse, & sapere, ad meliora festinemus: ne fortè misericordiam illo prorogante, & nostra impœnitudine impediente, nos illâ inveniamur indigni.*

III. Ita censuit Imperator, sanè prudenter: Verùm apparitor Cometa, non illum ad judicium, sed Egbertum nostrum citavit: mortemque illius Principis, indicavit. Ludovicus Imp. post triennium superstes, argumentum est, Occidentis nostri monarcham, eo signo designatum: & regni mutationem, quæ futura erat, gravissimâ Danorum irruptione. Nec dubium, quin eo modo, se ad mortem præpararit, quem Ludovicus observasse dicitur, de quo author qui suprà: *Noctem illam, inquit, pervigilem duxit, ac Dei laudibus, & obsecrationibus honoratam, luci supervenienti præsentavit. In cujus crepusculo, ministros aulicos vocavit, & eleemosynas quam largissimè pauperibus, ac servis Dei, tam Monachis, quam Canonicis porrigi jussit: Missarumq; solemnia, per quoscumque potuit, celebrare fecit: non tantum sibi metuens, quantum Ecclesiæ sibi credita prospiciens.* Ita fecit sine dubio Egbertus, nec aliter Christiani Principes, se ad expeditionem illam, mortemque parabant. Et sanè, filiorum ejus pietas, devotióque, quam infra sæpè memorabimus; arguit Egbertum patrem exemplo præivisse. Moriens, in Wintoniensi Ecclesiâ sepeliri voluit, cui olim benefecerat. Unde inter Ecclesiæ illius fundatores, & benefactores numeratur, in Catalogo ædium destructarum. Guilielmus Malmesburiensis Egbertum ita ad sepulturam ducit. Egbertus, *post annos regni triginta & septem, & menses septem, decessit, sepultusq; est Wintoniæ, magnas laudum occasiones filio relinquens, felicémque fore pronuntians; si regnum, quod multâ texuerat industriâ, ille consuetâ genti illi non interrumperet ignaviâ.* Ejus monumento hi versus inscripti, memoriam Regis, & nomen conservant.

UT AD MORTEM SE PRÆPARARIT?

apud. Sped. in Hāpshire.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 1.

Hic Rex Egbertus pausat cum Rege Kenulfo
Nobis egregia munera uterque tulit.

ETHELWOLFUS OCCID. SAX. REX.

IV. ETHELWOLFUS REGNAT IN OCCIDENTE.

Successit in regnum Ethelwolfus filius, qui à primâ ætate literis traditus, Musas adeo coluit; ut quantum in se fuit, cum eis senescere statuerit, præceptoribus usus Helmstano primùm, unde

Swithino; quorum uterque postea Wintoniensi Ecclesiæ præficitur. Ethelwolfus factus adolescentior; ut exerrantem naturæ impetum studiosius frenaret; in clerum adscriptus est, & ad subdiaconatus officium consecratus: eo tempore, quo Egbertus pater, patriæ restitutus, Occidentis regnum moderari cœpit. Qui perspectâ filii indole, cùm in se suscipiendæ iterum prolis exiguam spem cerneret: aptúmque judicaret ad regni gubernacula, qui studiis animum expoliverat: egit cum Leone tertio, Romano tunc Pontifice, cui solvendi æquè ac ligandi potestatem Christus concesserat; ut voto filius solveretur, quo se ad perpetuam castitatem consecrarat. Id cives, & patriam, & utramque Remp. postulare; nè coeuntis Insulæ pax, hæredis defectu turbaretur, & variis iterùm factionibus Provincia nutaret. Annuit Leo justissimis precibus, & censuit privata Ethelwolfi studia, affectúsque, publicis regni negotiis postponendos. Ethelwolfus voto solutus, uxorem duxit Osburgam, & quatuor ex eâ Reges genuit. de quibus ordine inferius.

SOLVITUR A VOTO CASTITATIS.

V. OSBURGA CONJUX.

Asser. in reb. gestis Alfredi Princip.

De Osburgâ conjuge, ita scribit Asserius: *Mater* (Alfredi) *Osburgh nominabatur; religiosa nimium fœmina, nobilis ingenio, nobilis & genere: quæ erat filia Oslac, famosi Pincernæ Ethelwolfi Regis; qui Oslac, Gothus erat natione. Ortus enim erat de Gothis, & Indis* (legendum opinor Jutis) *de semine scilicet Stuf & Witzar, duorum fratrum, & etiam Comitum: qui acceptâ potestate Vectæ Insulæ, ab avunculo suo Cerdic Rege, & Cynric filio suo, consobrino eorum, paucos Britones ejusdem Insulæ accolas, quos in eâ invenire poterunt, in loco qui dicitur Guit-Garaburgh, occiderunt. Cæteri enim accolæ ejusdem Insulæ, aut ante occisi erant, aut exules aufugerant.* Hæc ille. De Stufo & Witgaro, Osburgæ majoribus, plura dixi superiori tomo, * quando primùm in Britanniam appulerunt, & quo eventu pugnaverunt in Vectam Insulam. Hic solùm adverto, adfuisse Deum sanctissimis nuptiis, & probasse Leonis indultum, cùm quatuor liberos Ethelbaldum, Ethelbertum, Ethelredum, & Alfredum produxerint, omnes Reges, qui usque ad sequentis sæculi initium, multam Annalibus materiam ministrabunt. Ad Ethelwolfum redeo.

vide an. 531. n. 11.

* vide an. 514. n. 2. & 519. n. 18. & 531. n. 11.

VI. ATHELSTANUS? QUIS?

Ille imperio admotus, cùm onus honori conjunctum sciret, seu Comitem individuum, ita humeros regimini supposuit; ut alium in oneris simul, & honoris participium adsciverit. Fuit is Athelstanus, de quo variant Authores, cujus filius fuerit, Egberti, an Ethelwolfi? Joannes Spedus, Ethelstanum vocat Egberti, & Redburgæ filium, natu minorem; Huntindonium opinor, & Wigorniensem secutus, qui idem videntur asserere. Huntindonius enim ita loquitur. *Egbright Rex, & Monarcha Britanniæ, fatis concessit, regnorum, quæ in propriâ manu tenebat, filios fecit hæredes; Edelwulfum super West-Sexe, Edelstan verò super Cent, & Sud-sexe, & Est-Sexe.* Wigorniensis in hunc modū: *Egbertus, Rex Occidentalium Saxonum obiit: cujus post mortem, filius suus Æthelulfus, in West-Saxonia regnare cœpit; suumq; filium Athelstanum, Cantuariis, East-Saxonibus, Suthregiis, & Suth-Saxonibus Regem præfecit.* Sed neuter horum, eorum sententiæ suffragatur, qui Ethelstanum contendunt Egberti filium fuisse: prior enim per filium, nepotem è filio potuit intelligere; & alter potius Ethelwolfi filium,

Huntind. l. 4. fine.

ETHELSTANUS REGNO ADMOTUS.

Wigorn. an. 836.

quàm Egberti, fuisse significat. Quod omninò dicendum est: cum enim Authores passim affirment, Romanum Pontificem, ideo ab Egberto appellatum, ad voti mutationem, cui se Ethelwolfus astrinxerat; quia nimirum prolè carebat, quæ regno succederet: veram fuisse, notamque Regis petitionem, necessum est affirmare. Maximè cum cæteris antiquior Malmesberiensis, expressè vocet Ethelstanum, Ethelwolfi filium. Ita enim ejus ingressum in regnum, & provinciæ divisionem explicat.

VII.

Malmes. de Reg. l. 2. c. 2.

ETHELWOLFUS QUALIS REX.

Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo trigesimo septimo, Ethelwlphus (*quem quidam Athulphum vocant*) *filius Egberti, regnum sortitus, regnavit viginti annis, & quinque mensibus: naturâ lenis; & qui sub quiete degere, quàm multis provinciis imperitare, mallet. Denique avito West-Saxonum regno contentus, cætera quæ pater subjugaverat appendicia, Ethelstano filio contradidit, qui quando, & quo fine defecerit, incertum.* Hic si curiosus Lector quærat, cur hunc inter quatuor Ethelwolfi liberos non recensuerim? Ratio est, quia non ex Osburgâ conjuge, sed longè prius, extra (opinor) matrimonii leges nascitur, quod disertè ad hunc annum Westmonasteriensis monachus affirmat. Prius ergo nascitur Ethelstanus, quàm Ethelwolfo Osburga jungeretur; & prius etiam, quàm clero ascitus, votum emisisset. quod ideo fortè emissum, ut peccantem naturæ impetum constantius frenaret. Nec aliter solutum; quàm, ut licitis probatisque amoribus, ad prolis generationem, Reipublicæ commodum frueretur. Et verò talis fuit, omni post vita, Ethelwolfus pater: tam castè vixit, tam integrè Romanam fidem professus est; ut inter Sanctos meruerit locum, nomenque, ut infrà *. Sed & antiquiorum ea fuit de Ethelwolfo opinio. Unde cum Malmesberiensis dixisset, è Platone; tunc fore beatam Remp. cum Reges philosopharentur, mox addidit: *Veritas dicti prodiit in effectum, per istum Adulfum, cum patre defuncto, quia alter legitimus hæres non extaret, ex gradu Subdiaconi Wintoniensis, in Regem translatus est, concedente Leone illius nominis Papa tertio. Tum vero palam erat, quid eum spiritualis philosophia docuisset; dum magis famulorum Dei, quam suis utilitatibus prospiciens; omne regnum Deo decimaret: nihil faceret nisi ratum; nihil juberet nisi pium.*

* vide an. 857. n. 11.

Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 242.

VIII. DANI AB ETHELWOLFO PROFLIGANTUR.

Qui Egberto in regnum successit, successit etiam in curas ærumnasque regni, quas imminens Danorum rabies advehebat. Vix ergò regnum Ethelwolfus inchoaverat; cùm ecce Barbarorum classis, Hamptonam portum, ad Occidentem Insulæ appellit. Naves erant tres & triginta, & multitudo Paganorum maxima, quam tamen Ethelwolfus fortiter profligavit. Huntindonius hanc stragem sic narrat: *Adelwul primo anno regni sui, cum ipse adversus hostes prædictos, in unâ parte regni sui persisteret; undiq; confluente paganorum multitudine, misit Wulfheard consulem, cum parte exercitus, ad debellandum Dacos; qui cum triginta tribus navibus, apud Hantonam appulerant: ubi magnâ strage hostium patratâ clarissimè triumphavit.* Sed brevis triumphus fuit. tum quia Wulfhardus ipse, *non multo post*, inquit alter, *vitâ decessit.* Tum quia, hac suorum ruinâ irritati crabrones, ferociùs alia loca invaserunt. Nam eodem anno redintegratâ pugnâ, ad Portesmutham, sive Portus Ostium conglobati; dum cædes furori miscent;

Huntind. l. 5. Princip.

Wigorn. hic.

ATHELMUS CONSUL A DANIS OCCIDITUR.

ab Athel-

ab Athelmo Consule (quem Ethelwolfus Rex cum expedito milite miserat) prohibentur quidem indiscriminatim insanire; sed terrâ omninò prohiberi non potuerunt. *Dux Athelmus* (inquit Wigorniensis) *Dorcestrensibus sibi auxilium ferentibus, Danos diu fugere compulit: sed tamen in ipsâ fugâ, ab iis vulneratus, occubuit. Danorum verò miles victoriam habuit.*

IX. Moritur Helmstanus Wintoniensis.

Moritur hoc anno Helmstanus, Wintoniensis Episcopus; cùm quinquennio Ecclesiam gubernasset. De eo hæc habet Godwinus in Catalogo. *Obiit Helmstanus anno octingentesimo trigesimo septimo: & tumulatus jacet super parietem septentrionalem presbyterii, una cum Kenulpho, qui illi ducentos ferè post annos successit: sicut hæc carmina testantur, ibi loci inscripta.*

Godwin. in Winto.

Pontifices hæc capsa duos tenet intumulatos,
Primus Helmstanus, huic successorque Kenulphus.

Eundem mortis annum consignat Wigorniensis, quod ideò notandum; quia non desunt etiam nobiles historici, qui putent, mortuo Helmstano, Ethelwolfum successisse Regem Occidentis. Sed qui regnum ingressus est quarto Februarii, non potuit Episcopi sedem septennio occupare, ut velle videntur Authores aliqui. Benè igitur scripsit Godwinus. *Hác circiter tempestate, Athulfum, sive Atheiulfum, qui postea Rex fuit, Episcopum Wintoniensem creatum contendunt Historicorum nostrorum non pauci, Simon Dunelmensis, Henricus Huntindonius, Rogerus Hoveden, aliique, & huic sedi annos septem præfuisse. Id quod mihi nullo modo probatur.* Et sanè qui annorum seriem inspicit, qui meminerit Leonem tertium super voto dispensasse, Egberto Rege illud postulante, facilè videt Ethelwolfum, non ultra subdiaconi gradum, in clericali munere ascendisse, multò minùs ad Wintoniensem Ecclesiam administrandam, Helmstano mortuo, assumptum esse. Cæterùm quis Sedem illam tenuerit post Helmstanum, dicam anno sequenti, ut in Fastis notatur.

Godwin. suprà.

ANNUS CHRISTI 838.
GREGORII IV. PAPÆ 11.
ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 2.
WITLAFII MERC. REG. 12.

I. Swithinus Episcopus Wintoniensis.

ANNO Christi octingentesimo trigesimo octavo, vacantem Wintoniensem Sedem implevit Sanctus Swithunus, qui Ethelwolfum olim literas, & pietatem docuerat; & nunc in magisterii præmium infulam accipit. De ejus consecratione, faustisque auspiciis, ita loquitur Malmesburiensis: *Ethelwolfus Swithunum, ut altorem Doctorémque suum suscipiens (sic enim eum vocabat) non priùs allstitit, quam Episcopatu Wintoniensi honoraret, consentiente clero, ordinante Archiepiscopo Cantuariæ Ceolnotho: Lætis ergo incrementis, fundamenta bonorum in regno jacta per Regem, pullulabant per Pontificem: dum iste bonum urgeret; quod ille suis præsertim admonitionibus inciperet. Et erat quidem virtutum omnium promptuarium; sed adgaudebat duabus maximè, clementiâ, & humilitate.*

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 242.

Ejus laus

Ita ille: & his similia scribunt authores cæteri, quotquot Swithini meminerunt. Unde Harpesfeldus, ejus in pastorali munere industriam ita commendat. *In Pontificio munere obeundo inquit, nihil prætermisit; quod ad sanctum, verúmque pastorem spectaret: adeo nullo luxu, deliciisque diffluebat, ut prolixis, continuisque orationibus, & vigiliis, austera jejunia adjungeret. adeo ab omni insolentiâ, ab omni humanaque gloriâ aucupandâ, ambitiosaque omni ostentatione abhorrens; ut nihil esset eo humilius, & demissius. ut nihil magis optaret, quàm quoties quid boni ageret, secretò id, & rectè ageret; nullo, aut paucissimis certè, consciis; quàm Deum, & conscientiam testes expetebat. Diligentem adhibebat operam, ut Ecclesias sartas, tectas, conservaret.*

Harpesfel. sæc. 9. c. 9.

II. Ethelwolfus Rex a duobus Episcopis adjuvatur.

Hoc adjutore, Ethelwolfus Rex, jactatam Danorum tempestate Remp. prudentiùs solertiusque regebat. Et quamvis undarum impetus non potuit declinare; sæpè tamen furentes fluctus, aut fregit, aut subegit ope Wintoniensis hujus, & Schirnburnensis Episcoporum. quod Malmesberiensis sic expressit, de Danorum infestatione tractans. *Obsistebat tamen semper ærumnis, consiliariorum Regis vivacitas: qui nihil unquam hostes impunè delinquere paterentur; quin communis consilii umbone, in eos ulciscerentur. Habebat enim duos eo tempore præcellentes præsules: Beatum Swithinum, dico, & Alstanum Schireburniæ. Hi videntes Regem crassioris & hebetis ingenii sedulis admonitionibus ad scientiam regnandi, stimulabant. Swithunus, in terrenis nauseans, Dominum ad cœlestia informabat. Alstanus quoque forensia non negligenda ratus; eundem contra Danos animabat. ipse pecunias fisco sufficiens, exercitum ipse componens. Multa per illum inchoata, & inchoata constanter, & terminata feliciter, qui Annales legerit, inveniet.* Ita ille qui paullò infra addit: *His duobus sustentatoribus, Ethelwolfus & exteriora bene providere, & interiora non despicere.* Utrumque certè necessarium, quia non diabolus solùm, sed Danus etiam, circuit, quærens quem devoret; & utrique fortiter, tam Fide, quàm armis, resistendum. Quid a Danis factum hoc anno, ita refert Huntindonius:

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 2.

III. Herebertus Consul, a Danis occiditur.

Anno vero sequente (nimirum post primum regni annum) *Herebertus Consul pugnavit contra Danos, apud Mercswarae; Dacisque vincentibus, suisque fugientibus, occisus est.* In quâ provinciâ pugnatum sit, nemo explicat, locum pugnæ Ethelwerdus & Westmonasteriensis Mersswarum vocant: Wigorniensis populum Merseuuarios nominat, & plures eorum à Danis occisos. probabile est pugnatum in Cantio, & regiuncula illâ, quæ hodie Rumney-marsk appellatur. Nam ibi *campestris planities, luxurianti viriditate,* inquit ille*, *saginandis pecoribus aptissima, maris beneficio terra accrevit. Saxonico seculo hujus incolæ* Mersevvare, Saxonicè dicti erant: & nomen hoc sanè significatione, tum loci naturâ optimè convenit.* Camdeno non possum refragari; quia olim Kenulphus Rex, cum Cantium vastarit, cepitque captivum Ethelbertum Pren (de quo anno 798.) Ethelwerdus antiquus author, provinciam in eo conflictu nominat, *qua,* inquit, *dicitur Mersuuari.*

Hunind. l. 5 princ.

Merscuuarii quinam?

* Camden in Cant.

* Marskmen

Ethelwerd. l. 3. ad an. 796.

IV.

Si tamen Huntindonii narrationem pressè, velimus intelligere; putare meritò poterit aliquis, Mersewaros hos, extra Cantii provinciam fuisse. Nam ille Danorum incursus prosecutus, cum Mersywaros nominasset, addit: *Eodemque anno*

Huntind l. 5 princ.

peri xit

perrexit paganorum exercitus, per Orientales partes Angliæ: scilicet per Lidesie, & Eastangle, & Cantiam, gentiq; innumera, vitam ferro rapuerunt. Si Paganorum exercitus post occisum Herebertum, apud Merscware, perrexit per Orientales partes Angliæ, scilicet per Lindesiam &c. non videtur è Cantio profectus. Conjicerem ego Danos, eâ vice, vel in palustrem aliquam Merciorum Provinciam descendisse, ibi pugnasse; & post fugatos incolas, per Lincolniensem agrum in Orientem perrexisse. Vel certè ad Icenos, & agrum Norfolciensem: ubi *è regione Linni trans flumen* (inquit Camdenus) *Mershland, regiuncula palustris (quod nomen indicat) subjacet, fossis, & elicibus, ad eliciendas, & coercendas aquas, ubique distincta, gleba admodum exuberanti, & pecorum læto proventu.* Hæc ego conjectando tantum dixerim. Nam licet Danorum vestigia libenter indagarem; nollem tamen à Camdeno dissentire, qui Britanniæ loca præ cæteris illustravit. Cæterùm cum Insulam ambiat Oceanus, ut plurima passim sint æstuaria, plura per maritimas Provincias loca palustria, præsertim in Merciorum regno, (unde nomen traxit) non incommodè quis diceret, plures etiam Merscuvarios esse, sive paludem inhabitantes homines. Sed hæc fortè parergon.

Camden. in Norfolk.

V. Moritur Æthelnothus Londinensis Episcop. Succedit Ceolbertus.

Sub hunc annum, Fasti consignant ingressum Ceolberti Episcopi in Londinensem Sedem. Moritur ergò, qui eum præcesserat Æthelnothus. Uter horum Concilio interfuerit Kingstoniæ, quod hoc anno celebratum refert Spelmannus; nemo prodidit, nec licet conjecturâ assequi. quia multorum Episcoporum inauguratio, quo præcisè anno facta sit, ignoratur. Quod verò ad Synodum illam spectat, cui plures Episcopi adfuisse videntur; hoc anno celebratam esse, non inscriptio solùm, sed ipsa etiam acta significant. Inscriptio est ejusmodi, addita, opinor, à Spelmanno. *Concilium Pan Anglicum, Kingstoniæ celebratum, anno Domini octingentesimo trigesimo octavo, id est, Egberti Regis Occiduorum Saxonum trigesimo nono. Præsidente eidem Concilio ipso Egberto Rege, & filio ejus Æthelvvolfo, una cum Ceolnotho, Archiepiscopo Dorobernia, cæterisq; Angliæ Episcopis, & Optimatibus. In quo inter alia, Manerium de Mallinges in Suth-Saxonia; quod Baldredus Rex aliquando dederat Ecclesiæ Christi Cantuariensi; substractúmque postea, eo quod Magnates noluerunt donationem illam ratam fore: Nunc ab Egberto Rege, filioq; suo Athelvvulfo, consentientibus demum Magnatibus, integrè conceditur possidendum.* Hæc ibi.

Synodus Kingstoniæ.

apud. Sped fol 340.

VI. Temporis ratio excutitur.

Quod spectat ad tempus hujus Concilii, licet Epigraphe cum Actis conveniat: utrobique tamen difficultas est, quam Spelmannus benè advertit; sed malè videtur solvere: hanc enim Concilio notam adjicit. *Adscribitur*, inquit, *ut vides, hoc, Concilium anno Domini 838. cum tamen juxta Fastorum calculum, Egbertus Rex diem obierit, circa biennium, antea, & Ethelvvulfus filius ejus, regni sui annum primum egerit in anno Christi 837. secundum verò in anno Christi 838. Erratum ergo ab alterutro. reor a Fastorum Calculatore, qui tamen secutus est Florilegum. Sed Stous notat Ethelvulfum, non inisse regnum ante annum Christi 839.* Ita ille. Sed quoniam supra Egberti annos aliter recensui; & non Fastos solùm, & Florilegum secutus; sed Malmesberiensem quoque, qui cæteris disertiùs scripsit; dixi Egbertum sub initium anni 837. locum regnúmque filio cessisse: reor Egbertum nunquam pervenisse ad regni sui annum trigesimum nonum. Sed potius, cum moriens, testamento reliquisset, prædium illud (quod Saxonum dialecto Manerium est) Dorobernensi Ecclesiæ dandum: Ethelwolfus ejus filius, ultimæ voluntatis tabulas aperiens, non solùm ratam habuit Patris donationem; sed eam, altero regni anno, voluit Episcoporum, procerumque suffragio sanctam esse. Et ideo non malè tam Egberti Patris, quàm Ethelwulfi filii nomina, Actis quoque inseruntur. Sic enim Acta ab eodem Spelmanno recitantur.

Spelman. in notis.

VII. Acta Concilii.

Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo trigesimo octavo, congregatum est Concilium in loco famoso, nomine Kingstone; præsidente eidem Concilio Egberto Rege, & filio ejus Athelvulfo: Ceolnotho quoque Archiepiscopo, cum cæteris Episcopis Angliæ, & Optimatibus. Inter multa itaque, quæ ibi acta, atque dicta sunt, præfatus Ceolnothus Archiepiscopus, coram toto Concilio ostendit: quia Reges prænominati, Egbertus videlicet, & Athelvulfus filius ejus, dederunt Ecclesiæ Christi, manerium quod vocatur Mallinges, in South-Sexan, liberum ab omni servitio, & tributo Regio: exceptis his tribus, expeditione, pontis, & arcis constructione. Istam præfatam terram Rex Baldredus dedit Ecclesiæ Christi. Sed quia ille Rex cunctis Principibus non placuit, noluerunt donum ejus permanere ratum. Quapropter jam dicti Reges, perfecerunt istud donum, rogati à jam sæpè nominato Archiepiscopo Ceolnotho. Si quis hanc violare præsumpserit: ex parte Dei, & nostrâ, Regum, Episcoporum, Abbatum, & omnium Christianorum, sit separatus à Deo: & sit pars ejus cum diabolo, & angelis ejus.

VIII. Kingstoniæ oppidum.

Recensui suprà* Baldredi donationem, cum eum regno pulsum dixi. Et quia Kingstoniæ habita est Synodus; non procul inde manerium de Mallinges situm conjicio. Est enim Kingstone, in Australium Saxonum regione, & Surriensi agro, *frequens emporiolum* (inquit Camdenus) *In quo cum Anglia Danicis bellis, suis ferè sedibus convulsa esset; Athelstanus, Edvvinus, & Ethelredus Reges, regno inaugurati fuerunt. Vnde à Regibus factum nomen Kingston, id est oppidum Regium.* Ibi ergo de prædio disputatum; quod, Baldredo Rege, Ecclesiæ quidem datum; sed ob rerum regumque mutationes, necdum in Ecclesiæ Dorovernensis jura concesserat: donec Ceolnotho postulante, jusque suum prosequente, & fortè Egberti Regis ultimam voluntatem; visum est Regiæ pietati locum dandum. Ut enim moderna fæx, & Factio; quæ majorum Fidem persequitur; persequitur etiam Ecclesias, & earum prædia, bonaque expilat: Ita Saxones & Angli, qui Christum melius coluerunt; sponsam ejus, Ecclesiam, ornare, & omni donorum genere, munificentiâque augere, studuerunt.

* an 823 n.

Camden. in Surria.

Orthodoxi Principes Ecclesiam ornant.

IX. De S. Frederico, Trajectensi Episcopo

Ad hunc annum 838. omnes referunt Frederici Ultrajectensis Episcopi martyrium, quem nobili apud Frisios genere natum asserunt. Martyrii causam afferunt, quod Ludovici Imperatoris, cum Judithâ consanguineâ, matrimonium improbaverit. Quod tamen Baronius controvertit, ideò solùm, quod ab antiquioribus Scriptoribus, illa martyrii causa taceatur. *Cum nullum*, inquit, *hactenus reperirim ex Veteribus, qui testis accedat, suspecta apud me Fidei scripta illa perseverant; aliámque potiùs cædis sanctissimi Viri causam præcessisse putarim.*

Baron. hic.

Hæc ille; quia Molanus & Surius, aliique, qui inde historiam exscripserunt; nullo antiquorum suffragio, narrationem confirmant. Sed quia Guilielmus noster Malmesberiensis, aliquot sæculis eos præcessit, & apud Anglicarum rerum historicos, meritò audit secundus à Beda: Quia etiam Fredericum asserit, Bonifacii Moguntini Episcopi, & Germaniarum Apostoli nepotem & discipulum fuisse: & clarè dicit *Anglorum gloria deputandum*, quod ille alienas terras illustraverit licebit, opinor, mihi, Anglicanæ Ecclesiæ Annales scribenti, Frederici exordia & Martyrium ex eo referre, qui ante annos quingentos vivere

Malmesberiensis obiit anno 1142. desiit. Ita ergo ille, cum Eobanum à Bonifacio consecratum Episcopum *apud Trajectum*, (de quo vide an. 690. n. 10.) dixisset.

X. Fridericus è Transmarina Saxonia oriundus. *Eobano*, inquit, *non adeo festinus successor, propter ferociam gentis, apud Trajectum fuit, Fridericus. Eum sanctitas Bonifacii nectar spirantem, utpote nepotem & discipulum, Ludovicus Pius, filius Caroli Magni, eò promovit: licet multi tum pro se, tum pro suis, adniterentur: primaque ordinationis die, consessu dextra, in prandio, novum præsulem dignatus est.*

Malmesb. de Pontif. l. 1. fol. 155. *Mulca ergo edulii parte consumptâ, ad eum purpurati sermo dirigitur; ut recentis professionis memor, antecessorumq; constantiæ sequax, sine acceptione personarum, vera proponat, contemnentibus anathema indicat. At ille, pudebundo lumine, & demisso capite: Rectè, inquit, Domine Imperator, agis, qui professionis meæ teneritudinem, sanctis animas hortatibus. Sed oro te, non gravetur Majestas tua solvere, quod animi mei recessus diu volutarunt. Et ne longè exempla petantur: utrum piscem hunc mensæ appositum, honestius est à capite an a caudâ aggredi? Ille præposterus; & quantum se invisceret, nesciens; à capite respondit. Nec moratus Fridericus, rapuit verbum, dicens: Sic erat, Domine Auguste, sic erat; ut Fides & pietas*

Ludovicum Imp. arguit. *Christiana de tuis erratis te securè compellat, ne subjecti audeant spernere. Renuntia ergo incesto, quod contraxisti, matrimonio: quia illa Iudith, quam tuo federasti lateri, proximo tibi affinis est sanguine: nec decet, ut thorus Regius, infametur libidine.*

XI. *Hoc dictum licet Ludovicus agrè accepisset, modestâ tamen taciturnitate absolvit, raptimq; Episcopum ad suam Sedem ire laxavit. Veruntamen sermo in tantâ palatinorum frequentiâ effusus, occultari non potuit; quin omnium Episcoporum Regionis aures inquietaret, corda exulceraret, non frivolo dolore conscrentium: quod Episcopus novus talia, apertâ promulgasset libertate; qualia veteres ipsi, nec tacito damnassent murmure. Quare ad audiendum erecti, frequentibus egere consiliis, ut deducto connubio, cælebs viveret Imperator. Itaq; ipsum in ergastulum, fœminam in monasterium includunt; conante quam maximè, Lothario Ludovici primogenito, ut hi dictitabat, Christianitatis instinctu; sed revera invidiæ obtentu. Posteriùs verò mediante Apostolica Sedis precate, molliori consilio decretum est; ut indictâ pœnitentiâ, legitimo de cætero lætarentur conjugio: & Imperator quidem lubens cessit sententiæ, rancorem adversus omnes, benignitate mentis ejiciens. At Iudith, fœmineum virus exhalans, & in cœtu suorum de injuriis Friderici Trajectensis Episcopi conquesta; quo potissimum authore pertulisset mala; invenit duos, qui ad ejus interfectionem operam suam pollicerentur. Nec ista Præsulem latebant, qui esset ipsius Deitatis sacrarium: sed venturos operiebatur intrepidos carnifices, accusabatq; nebulonum moras, impatiens martyrii cupido. Ita ipso mane, quo venturos non nesciebat, ad Missam se parat. Iamq; albam induerat, cum ingressus puer; cujus erat officium admittere volentes Dominum convenire, nuntiat Imperatricis Legatos pro foribus astare. Ille, impedimento excusato, jubet eos interim expectare in triclinio.*

XII. Fredericus occiditur. *Missâ cantatâ, sicut erat sacris vestibus indutus, secretarium ingressus est: illucq; introduci Lictores, semotis arbitris, mandat: Ingressos ita claritate visus, & vestium reverentiâ perculit; ut animis concidentes, etiam manibus sicas amitterent. Quo ille animadverso, qui vitam præsentem spei futuræ projecerat; ultro ad perficiendum, propter quod venerant, animavit percussores, ut resumerent animos, repararent vires, hortatus. Ita (quia nequitia facilis est ad persuadendum) sedentem adorti; alter à pectore ad inguina, alter per media ilia sicas duxere. Tum ille comprehendens, & constringens ambabus manibus vitalia defluentia: abite, inquit, miseri, abite, dum res tlam meis est fidelibus; ne si vos deprehenderint, actum de vobis sit. Sicarii verò, velocitati pedum stimulos timoris addentes, decurrêre ad Rhenum, & inde brachiorum robore navem ultra impegêre. Cubicularium interea supervenientem, percunctatùmque quid ita exanguis sederet, turbide abegit; jubens citò de muro specularetur, si Imperatricis nuntii Rhenum transiissent. Compertóque quod longinquitas fugæ comprehendi illos difficultatem procurasset, clerum properè convocari jussit; totius tragediæ, integro, & sermone & sensu exposito. Impositâ igitur per se Antiphona: Aperite mihi portas justitiæ, & cætera, vivens se mausoleo composuit; pulchrâ & venerabili morte, cælum adeptus. Quod idcirco, præter materiam exterius lecturis proferre duxi non inutile; ne Anglorum deputetur gloria, quod terras alienas illustrarint, peregrinante etiam sanctitate.*

XIII. Cum hæc Malmesburiensis, de Friderici patriâ, tam clarè pronuntiet; miratus sum aliquando, cur Fasti nostri, & historici, nullam ejus mentionem fecerint: & tandem inveni Harpesfeldum, de eo

Harpesfeld. sæc. 9. c. 25. ita scribentem: *Restat, ut & alios jam aliquos Anglos, qui suâ hoc sæculo præsentiâ* (de nono sæculo loquitur) *doctrinâ & pietate, exteras quoque regiones ornarunt, & illustrarunt, recenseamus. Insigniter inter alios emicuit Fridericus Devonius, qui Trajectensi Episcopatu ornatus est: Fuit ille Bonifacii illius Moguntini discipulus, & nepos; & Romanæ, ut quidam scribunt, peregrinationis socius.* Devonium vocat, quia ex Occidentalium Saxonum provinciâ, & agro Devoniensi, vel oriundus ipse, vel parentes inde originem traherent. Quod stare potest cum eo, quod passim Legendarii referunt, ipsum in Frisiâ natum ipse. quia Bonifacium eo secuti sunt Anglo-Saxonum plurimi, & sine dubio ex consanguineis aliqui. Quare quod habent Molanus, Surius, Gallicani & Belgici Fasti; supradictis nihil contradicunt. Aubertus tamen Miræus,

Fast. Belg. 18. Iulii. ad 18. Julii, ita loquitur: *Fredericus, Episcopus Ultrajectinus VIII. nobili apud Frisios genere, in castro Adelensi, propè Franequeram natus; Zelandos Christo adjunxit. Cumq; Ludovici Pii matrimonium cum Iudithâ propinquè agnata contractum, pro muneris sui ratione, liberè improbaret, nullisq; Iudithæ lenociniis flecti posset; ejusdem impulsu impiis percussorum manibus, anno 838. trucidatus est, conditusq; in Ultrajectinâ Canonicorum S. Salvatoris, basilicâ.*

ANNUS CHRISTI 839.

GREGORII IV. PAPÆ 12.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 3.

BERTULFI MERCIORUM REG. 1.

I. Danorum nova irruptio. *Wigorn. hic.*

AD annum Christi octingentesimum trigesimum nonum, Florentius Wigorniensis hæc habet, de Danorum irruptione: *In Lundonia, inquit, & in Cuventawic in civitate Rofi, sæpe dicti pagani, quamplurimos dederunt neci.* Celebris quidem fuit hæc Danorum irruptio, quam Annales passim referunt; sed meritò curiosus Lector hærere poterit ad novam vocem, quam nemo explicat, *Cuventawic*: & benè dubitare, an oppidum aliquod, an regionem significet. (Cuventawic.) Nec clarius loquitur Ethelwerdus, qui recensitâ clade, quam superiore anno, Orientalibus Angliæ partibus Dani intulerant, addit: *Similiter post annum, hoc factum est, & in Lundonia urbe, & in Quintawic, & in oppido Rofeceastre.* (*Ethelwerd. l. 3.*) Putavi aliquando ea voce, Dorovenniam intelligi: quia Westmonasteriensis licet in anno varius; uti ferè solet: hanc tamen invasionem planè innuit, cum dicit: (Quid illud?) *Anno gratiæ 842. exercitus Danorum nefandissimus, terram Angliæ profundius ingrediens circa Doroberniam & Roffecestriam, & Lundoniarum civitatem, multitudinem hominum maximam utriusque sexus peremerunt.* Eadem ferè habent (sed rectiùs hunc annum Ethelwolfi tertium consignant) Huntindonius & Hovedenus, qui Cantuariam nominantes, omissâ mentione Cuventawic, ferè indicant, unum, eundemque locum esse.

II. Sed quoniam apud Authores inauditum est Dorovenniam ita vocari; & quia antiqua omnia illius urbis rudera diligenter moventes, omnem ejus vocis mentionem omiserunt, cogor, dicere, Wigorniensem & Ethelwerdum; qui centies Dorovenniam nominant; his certè aliud, quàm Dorovenniam voluisse. Et quia Ethelwerdus Lundoniam urbem, & Roffecestrium oppidum signatè ponit; Quintswic verò, sine illo epitheto, opinor, nec urbem, nec oppidum; sed regiunculam fuisse: (Convennon Insula.) quam, Tamesis ostium ingressi, Dani, vexarunt. Sed quænam illa? Hic fateor me ducem non habere, nec Camdenum adjutorem; qui aliàs solet hujusmodi loca illustrare. Timidè ergo pronuntio; Danos Thamesim ingressos, per Convennon Insulam (cujus Ptolomæus meminit) transire debuisse: ibique subsistentes, prædam egisse. Est insula illa, in Trinobantibus, in agro Essexiensi, è regione Cantii, & retento ferè antiquo nomine, hodie Canvey dicitur. & quia Wic Saxonicè, vel fluminis sinum significat, ut putat Rhenanus, vel stationem securam, ut vult Hadrianus Junius: (*Rhenanus & Iunius apud Camd. in Norwich*) benè Insulæ illi competit vocula; ubi sinus est Thamisis, & navium statio. Puto igitur Danos, ex utraque parte fluminis, Insulam aggressos, levorsum, Cantii provinciam, Dorovenniam, & Roffensem urbem; & dextrorsum, Essexiensem agrum, & loca ibi minus munita: tum unitis viribus, porrò Londinum progressos, & crudelitatis suæ ubique monumenta reliquisse.

III. Moritur Witlafius Rex. (*Ingulf. f. 858*)

Fractus hoc calamitatis Oceano Witlafius, Merciorum Rex; cujus juris Londinensis urbs erat; petivit animæ suæ, ut moreretur. quod illi hoc anno concessum; cùm Fidem regiam, pietatémque in Deum, ac Sanctos, multis argumentis probavisset: paucis ejus mortem explicant Authores. Ingulfus ita. *Witlafius decimo tertio anno regni sui mortuus est, & (ut antea voverat) Ripadio monasterio sepultus.* Quod locum illum (hodie Repton in Provinciâ Derbiensi) in sepulturam olim elegisset, ipse * suprà in diplomate affirmat: (Sepultus in Repton. * vide an. 838. n. 15.) & nullum mihi dubium, quin monasterium illud, quod plures Merciorum Reges amaverunt, bonis auxerit, & in eâdem, quâ vixit, Fide mortuus, in eodem cum Majoribus suis monumento, condi voluerit. Discessit sine prole, quæ in regnum succederet; nam Wimundum filium, è dysenteriâ mortuum, ante sepeliverat: & Wistanus, è filio nepos, ad clavum sedere, in tantâ Danorum tempestate, ob ætatis defectum, minimè potuit. (Wistanus è filio nepos.)

IV. Bertulfus Merciorum Rex.

Successit ergò in Merciorum regnum, Bertulfus, Witlafii frater: & Provinciam ab hostili impetu tueri conatus est: in id magis, ut apparet, quàm in Dei, & Ecclesiæ cultum intentus. Nam ut Danorum furorem sisteret, monasteriorum bona, in belli usum convertit, divisitque inde militi stipendia. (Ecclesiæ bona invadit. *Ingulf. suprà.*) quod Deo ingratum fuisse ostendit eventus, ut infra latiùs exponetur. Interim dicat Ingulfus ejus exordium. *Witlafio successit in regnum Bertulphus, frater suus; regnavitque similiter tredecim annos, Athelwulphi Regis West-Saxoniæ tributarius: sed non more, nec amore fratris sui, Sanctos Dei neque Croylandiam amplexatus.* Ita regnum incepit, sed doctior sub finem tristi experientiâ didicit, infirmiter stare, è monasteriorum ruinâ fundatum regnum. Unde sub finem vitæ chartam scripsit, restituitque omnia, quæ aut miles injuriâ, aut ipse pro imperio, monasteriis abstulerat. Chartam habes * infra, eo anno, quo data. (* vide an. 851.)

V. Wulfsius Eboracen. Episcopus moritur: Succedit Wimondus.

Wulfsius Eboracensis Episcopus, sub hoc tempus moritur; & in illam Sedem consecratur Wimundus, alias Wigmundus; ut Fasti notant ad hunc annum. De quo non aliud ab Authoribus traditur, quàm quod septendecim annos Episcopatum gesserit. Foris tamen, & extra Britanniam, notiorem illum quàm domi, invenio. Nam Lupus, Ferrariensis Abbas, qui Alcuino nostro in præfecturâ illâ, & cellæ Sancti Judoci successerat; eum per literas familiariter salutavit, quas in hunc modum inscripsit.

Reverendissimo, magnáque veneratione suscipiendo GUIGMUNDO Eboracensis Ecclesiæ Antistiti, cunctisque sub eo Deo famulantibus; LUPUS Abbas, & universa cœnobii Ferrariensis congregatio, in Domino Salutem. (*Lup. Epist. 61. To. 9. Bibl. M. P. 2.*)

VI. Lupi ad Guimundum Epistola.

INgens fluxit spatium temporis, per quod turbationibus variis crebrescentibus, Societas, quæ à prædecessoribus nostris authore Domino inita est, nulla præter orationes, protulit indicia charitatis. Nunc autem aperiente se gratiâ, & recepta cellâ S. Iudoci, unde & has scribimus; curavimus, ut par fuit, priores certare officio: vosque, sive ad repetendam, sive ad declarandam amicitiam, provocare. Ac primum illud ante omnia suppliciter poscimus, ut & in privatis, & in publicis precibus, nostri memores esse dignemini.

Deinde

Deinde volumus; ut vicissim nobis præstare studeatis, quicquid gratiosum fore literis utrinque directis constiteris, & facultas permiserit. Maturate igitur vestram nobis pandere voluntatem, ut & ad morigerandum vobis continuò præparemur, & fructu dilectionis Dominus Deus noster glorificetur, & delectetur. Cupio vos valere feliciter, amantissimi Patres.

VII. Meminit idem Lupus, in aliâ epistolâ, Guimundi Episcopi, cum scribit eodem tempore ad Altisigum Abbatem. Qui quoniam in Eboracensi Provinciâ Abbas fuit, ut patet è literis, tam Abbas ipse, quàm Lupi ad eum epistola, Annalibus nostris inserentur. Sic ergò inscribitur epistola sexagesima secunda.

Venerabili ALTISIGO Abbati, LUPUS, monasterii Bethlemitici, sive Ferrariensis, in Domino Salutem.

VIII. LUPI AD ALTISIGUM ABBATEM EPISTOLA.

INgenti clementiâ Dei nostri, discordiæ peste mitigatâ; quæ totas Gallias, Germaniamque, bacchando vexavit atrociter; inter ipsa pacis exordia, fœdus quod inter nostram, vestramque, olim fuit Ecclesiam, directis ad Guigmundum Episcopum literis, studui renovare. Quia verò, vos amore sapientiæ; cujus & ego sum avidus; flagrare comperi: vel secundùm illud Tullii, pares cum paribus facile congregantur. & juxta receptæ scripturæ assertionem, omne animal diligit sibi simile. Sic omnis homo: hac Epistolâ, meam offero, & vestram expeto amicitiam: ut nobis vicissim cùm in sacris orationibus; tum etiam in quibuslibet aliis utilitatibus prodesse curemus. Atque ut quod polliceor vos exequamini, priores obire flagito: ut quæstiones B. Hieronymi, quas teste Cassiodoro, in vetus & novum Testamentum elaboravit. Bedæ quoque vestri similiter quæstiones, in utrumque testamentum: item memorati Hieronymi libros explanationum in Hieremiam, præter sex primos, qui apud nos reperiuntur, cæteros qui sequuntur; Præterea Quintiliani institutionum Oratoriarum Lib. XII. per certissimos nuntios, mihi ad cellam S. Judoci, quæ tandem aliquando nobis reddita est, dirigatis tradendos Lantrano, qui bene vobis notus est; ibique exscribendos, vobisque quàm potuerit fieri celerius remittendos. Quod si omnes non potueritis; at aliquos non gravemini destinare: recepturi à Deo præmium impletæ charitatis. A nobis autem qualemcumque possibilem duntaxat cesseritis vicem tanti laboris. Valete, nósque ut se opportunitas obtulerit, exoptabili responso lætificate.

ANNUS CHRISTI 840.

GREGORII IV. PAPÆ 13.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 4.

BERTULFI MERC. REG. 2.

I. DE PICTORUM REGNO.

SUNT qui putent; eo tempore, quo Dani cum Anglis, de Insulæ imperio contenderunt; Scotos Septentrionem Britanniæ incolentes, pomerium, regnúmque suum dilatasse: & Pictorum Provincias ingressos; extinctis Regibus, & quotquot eis in auxilium venerant, omni agro, regnóque pulsos. Joannes Fordonus, & Hector Boethius, id referunt: vel ad annum octingentesimum (Usser. fo. 715) trigesimum nonum, vel sequentem, octingentesimum quadragesimum. Tunc scilicet, Adelstanus Ethelwolfi filius, ad Septentrionem pugnans, occiditur. *Tunc Pictorum regnandi defecit potestas: & ab iis penitus translatum est regnum, ad Regem & monarcham Scotorum Kinadum, suosque successores, & unum deinceps Scotorum regnum est effectum.* ut loquitur Scoti-chronicon. (Idem fo 714) Tunc à Kenedo septies uno die pugnatum; *& innumeris Pictorum populis prostratis, regnum deinceps, de fluvio Tine, juxta Northumbriam, ad Orcadum Insulas, totum sibi Kenedus ratificat confirmatum*, ut ibidem dicitur. Hinc versus illi. (apud Usser. fol. 710.)

Primus in Albania fertur regnasse Kenedus
Filius Alpini, prælia multa gerens.

II. REFELLITUR SCOTORUM OPINIO.

Verùm hæc omnia, cum Annalium nostrorum fide pugnant, qui tantam hominum stragem, & tantam vicini regni mutationem, cur tegerent silentio? Adde Laudoniam, & Provincias illas, ad mare usque Scoticum, Anglo-Saxonum juris fuisse, hoc, & sequenti etiam sæculo, ut * suprà demonstravi. (* vide an. 802. n. 6.) Quamobrem si Picti hoc tempore, regno exciderunt; in Anglorum, non Scotorum manus, regnum incidit. Quod non est opus Authorum nostrorum suffragio confirmare, cùm Usserius, & ipse Hybernus ita scribat. (Usser. f 710.) *Quod de Australi Kinadiani regni limite dicitur, non facile censemus admittendum; cum ad ipsum usque mare Scoticum, sive fretum Edenburgicum, veterem Caledoniæ limitem, longe post Kinadiana tempora, Anglorum imperium prolatum fuisse, prius docuerimus. Tantum abest, ut ad Scoticorum Chronographorum accedamus sententiam, qui Kinadium, sive Kenethum hunc, ab Orcadum insulis, usque ad Tinam fluvium, & Vallum Adriani, fines suos promovisse, eâque ratione totum Northumbriæ comitatum, occupasse ferunt. Quem tamen comitatum Anglici primum, & Danici generis Regibus paruisse, ac deinde Comites, ac duces suos habuisse, non est dubium.* Hæc ille. Benè ergo Annales nostri, Northumbriæ Principes adhuc recensent, ex Anglo-Saxonum genere; qui totâ Northumbriâ dominantes, Reges etiam aliquando appellantur. Sic Westmonasteriensis: (Westm. hic.) *Anno gratiæ*, inquit, *octingentesimo quadragesimo, defuncto Rege Northanhumbrorum Eandredo, Æthelredus filius ejus septem annis successit.*

III. KINEOT SCOTORUM REGIS FIDE & LEGIBUS EIUS COLLIGITUR.

Celebre quidem erat Kenethi Regis Scotorum nomen, hoc ipso anno octingentesimo quadragesimo, ut scribit Spelmannus, qui leges ab eo dictatas, ad eum annum refert. Et quia Scotorum hodie religio, heteroclita est, & multum à Majorum Fide declinans; erit pretium operæ, Kenethi Fidem, à legibus ejus colligere: & eadem operâ, quantum posteri, qui Kenetho Rege gloriantur, à Kenethi pietate recesserint. dicit ergò imprimis. *1. Aras, templa, Divorum statuas, omnesque sacra familia viros, ex animo venerator.* Nihil horum moderni Scoti venerantur: imò ea venerantes (hoc est Majorum suorum Fidem) impiè persequuntur. pergit. *2. Festos, & solennes dies, jejunia, vigilias, & omnifarias cærimonias, quas Christo Regi, & sacratissimæ ejus militiæ, decrevit humana pietas, multo honore observato.* (apud Spelm. fol. 342.) Illi nullo honore, sed multo horrore, hæc omnia proscripserunt. Iterùm dixit Kenethus Rex: *Lædere Christi Sacerdotem, dicto factòve, exitiale sit.* Illi contrà, Sacerdotem lædere, aquâ ignique interdicere, denique suspendere, pietatem putant. Et ubi sacra

omnia deleverint ex hominum memoriâ, tunc se Ecclesiam Christi integerrimè reformasse gloriantur. Pudet pergere, & noni sæculi pietatem, moderni sæculi vitiis inficere.

IV. SEDES PONTIFICIA APUD S. ANDREÆ.

Dicitur Kenethus, Pontificiam Pictorum Sedem, ab Abernethi oppido, ad S. Reguli templum (de quo dixi ad annum 495.) transtulisse. Licet alii, ab Hungo Pictorum Rege, id factum putent. factum eâ translatione, ut exinde oppidum illud, *Sancti Andreæ* nomen acceperit; & Antistes ibi sedens, prærogativam Archiepiscopi, quem sacrum magistratum, plures sanctissimique viri, diu tenuerunt. Unde qui Kennethi leges descripsit, hæc habet in fine. *Cæterum tantâ reverentiâ inter homines, tantâq; vitæ innocentiâ, & erga Deum pietate, sacer Divi Andreæ Pontificatus, ab institutione sui, longâ Episcoporum serie, ad tempus quo hæc commentabamur, est continuatus (sex enim supra triginta Antistites, & eorum complures, inter Divos relatos, illic sedisse perhibent) ut nusquam gentium, vera religionis cultus, morum consentiente probitate, magis effulserit.* Quæ si vera sunt: everso nunc Episcopatu illo, omnique alio, dicere possumus; nusquam gentium veræ religionis cultum, morum crescente improbitate, magis eversum esse. Si enim, ubi Episcopus, ibi Ecclesia, ut dixit aliquando Cyprianus: ubi nullus est Episcopus, nulla est Ecclesia, nullus Dei cultus, nulla Fides. quod utinam in modernâ Scotiâ, ubi post eversam Ecclesiasticam monarchiam, in aliam pugnatur, verum non esset. Sed missis his tenebris, ad Solem redeamus, ubi Ethelwolfi Fides, in ornandis Ecclesiis, & honorandis Sanctis; quod supra jussit Kenethus; non in Britanniâ solum, sed per Gallias, Germanias, Italiam denique: hoc est longè latéque commendatur.

apud Spelm. suprà.

V. Lupus in Galliâ Ferrariensi Abbas, muniturus Ecclesiam, quam regendam susceperat, plumbeo tecto: & inauditâ Ethelwolfi Regis pietate, scribit ad eum, precaturque, pio operi manum admoveat, & templum Apostolorum Principi sacrum, regio munere dignetur: Audi ut Regem appellet.

AD LAUDEM ET GLORIAM DEI, magnis laudibus efferendo ÆDILULFO Regi: Omnium Servorum Dei ultimus LUPUS, Abbas ex monasterio S. Judoci; præsentis temporis felicitatem, & beatitudinis æternæ Salutem.

VI. LUPI EPISTOLA AD REGEM ETHELWOLFUM.

QUoniam regiminis vestri opinionem bonam cognovimus; & vires vobis a Deo collatas, contra inimicos Christi audivimus, Omnipotentem Deum, qui easdem vires tribuit, precamur; ut contra omnes Christiani nominis hostes, vos insuperabiles faciat, qui potestate suâ incomprehensibili; sed tamen justâ, omnia semper dispensat. Verùm quia meam parvitatem à vestrâ Excellentiâ separat continens, obsequendo notus vobis fieri cupio. Maximè postquam vestrum in Dei cultu fervorem, ex Felice didici, qui Epistolarum vestrarum officio fungebatur. Præcipite igitur quicquid possibile mihi crediditis: & me in omnibus ad famulandum, paratum invenietis: Sed ut vos ad promerendum Dominum excitemus, certandi vobis prius materiam ostendimus: & in præsenti speciale, & in futuro sæculo mercedem procul dubio præbiturum. Ecclesiam in monasterio nostro, quod est a mari, fluminibusq; remotum; Mediterraneum, & Ferrariæ appellatur, ac Bethleem, à conditore impositum nomen possidet; operire plumbo molimur, post Dominum in honore Beati Petri, & omnium cæterorum Apostolorum, consecratam. Cujus operis, si dignamini vos esse participes, precamur. Estote igitur ad Dei honorem, ad hoc perficiendum adjutores; non meritis nostris, sed respectu divinæ mercedis: quia, qui sine vestrâ largitione pro vobis intercessores sumus; alacriores erimus, si vobis & nobis profuturum, ad animæ tantummodo remedium, munus acceperimus. Erimus tamen; sicut ante significavimus; in omne, quod nobis possibile injunxeritis, parati. Omnipotens Deus, ad propagationem, & conservationem suæ Fidei, vos & posteritatem vestram regionis vestræ, diutissime faciat esse participes; & quandoque sempiternæ beatitudinis heredes.

VII. QUIS FELIX?

Felix, qui hac Epistolâ nominatur, Lupo olim notus, in monasterio Ferrariensi, Ethelwolfo Regi ab Epistolis erat. extantque ejusdem Lupi, ad eum literæ, *ad Felicem Regium scribam*, inscriptæ; in quibus ei revocat in memoriam, quod Regem suum aliquando, munificum & liberalem laudaverit: suggerit inde, quid sibi & Ecclesiæ commodum foret: & ita demum scribit:

DILECTISSIMO AMICO FELICI, Lupus Abbas Monasterii Ferrariensis, atque S. Judoci, Salutem.

VIII. LUPI AD FELICEM EPISTOLA.

LIcet aliquot anni fluxerint, ex quo nos invicem, largiente Dei gratiâ, in monasterio Ferrariensi primò cognovimus; nec postea evenerit opportunitas, quod optem, ut familiariter loqueremur: tamen quia in neutro nostrum fervor caritatis refrixit; precor, ut apud laudabilem vestrum Ædilulfum, mea petitio, vestrâ diligentiâ, sortiatur effectum. Siquidem recordatur, quanta illum liberalitatis prædicaveritis. Per literas flagito; ut quoniam statui Ecclesiam B. Petri Principis Apostolorum, in monasterio Ferrariensi tegere plumbo, ad diuturnitatem contignationis; ut ad augmentum bonorum, ex eodem plumbi metallo, ad memoratum opus, quantum ei Deus inspiraverit, nobis dignetur largiri. Quod si exuberante Dei clementiâ, & vestrâ cooperante industriâ, obtinuero; vestræ rursum erit solicitudinis, ut munificentia illius beneficium, ad villam Stapulas provehatur. Nos autem, sicut & in literis, præfato Regi directis, expressimus; & pro illo semper orare parati sumus, & si quid possibile nobis injunxerit, celeriter exequi. Cupio vos valere feliciter.

IX. ETHELWULFI PIETAS IN ECCLESIAM.

Non est dubium, fecisse Regem, id omne, quod Lupus postulavit. Qui enim, ut post dicetur, adeo pius fuit, ut regnum suum in Ecclesiæ commodum decimavit: & Romam profectus, pietatis suæ monumenta passim reliquerit: libenter manum aperuit, in Petri Apostolorum Principis cultum. Nec frustra eum à munificentia Felix scriba commendaverat. Nam de illo ita Harpesfeldus: *Ethelwolfus, non tam suæ cupiditati, quam diu antea abjecerat; sed communi utilitati, & quieti inserviens; administrationem regni suscepit. Quod ita gubernavit, ut optimi sanctissimiq; Principis sempiternam laudem, ab omni postea temporum memoriâ obtinuerit. Verus orphanorum pater, viduarum strenuus assertor; quorum destitutionem & solitudinem, non solum ab omni aliorum injuriâ vindicavit; sed & de suo profuse adjuvit, atque eximie fovit.*

Harpesfeld. sæc. 9. c. 9.

fovit. Sic enim erat homo, ut inter cæteras ejus eximias dotes; eleemosynarum largitas, juvandiq́; destitutos, atque inopes, mira propensio, præ cæteris, in eo eminerent. Decimam verò omnium suarum possessionum, Deo, Ecclesiis, & monasteriis devovit, atque consecravit. Imò prudenti cautione, piáque provisione, pauperibus in perpetuum alendis, & vestiendis prospexit. Hæc omnia Harpesfeldus. Quæ non domi solùm, sed foris etiam cognita, Lupum traxere, ad eleëmosynam petendam.

ANNUS CHRISTI 841.

GREGORII IV. PAPÆ 14.

ETHELWOLFI OCCID. SAXON. REG. 5.

BERNULFI MERC. REG. 3.

I. Danorum victoria apud Carrum.

SEQUENS Christi annus octingentesimus quadragesimus primus, novas turbas aperuit: Rursum Dani Occidentis regnum invadere, Ethelwolfum è templis ad castra provocare; & victoriam olim ibi partam, prosequi statuerunt. In Durotriges & Dorsetanam provinciam, magna classe feruntur, ad Carrum oppidum, à Carro flumine dictum: unde anno 833. prædam non contemnendam avexerant. Adfuit in eorum occursum Ethelwolfus Rex, cum parte exercitus; quem ad alia munienda litora diviserat; sed à magno hostium numero superatur. *Adelwulf quinto anno regni sui* (inquit Huntindonius) *cum parte exercitus (divisi namque erant exercitus) pugnavit contra gentem triginta quinque puppium, apud Carrum; Dacique victores fuerunt. Licet enim parvus fuisset numerus puppium, magnus tamen erat puppes maximas numerus ingressorum.* Ita ille. Utramque Danorum victoriam, in eo loco, expressit Camdenus, ita: *Carrus fluvius se evomit, ubi Carmouth viculus sedet; ad quem, prædatoria Danorum audacia, belli navalis fortunâ prosperè usa; binas victorias ab Anglis reportavit. Primùm Egberto Rege anno salutis 831. & octavo post anno, Æthelwulfo superato.*

Huntind. l. 5. princ.

Camden. in Dorset.

II. Temporis ratio.

Quod ad tempus spectat, benè dicit Camdenus, post octo annos, secundò pugnatum, ad Carrum oppidum. Unde nos, cùm suprà * diximus, pugnatum ibi primâ vice, anno Christi octingentesimo trigesimo tertio, quod Wigorniensis etiam, & Westmonasteriensis affirmant. Benè alteram pugnam conjicimus in quintum Ethelwolfi Regis annum, & Christi octingentesimum quadragesimum primum: quem Huntindonius, & Hovedenus innuunt; cùm annum quintum Ethelwolfi Regis, Danorum victoriæ adscribunt.

* vide an. 833. n. 1.

III. Edmundus nascitur, Rex et Martyr.

In hâc hieme temporum, sidus oritur, quod brevi orbem nostrum, imò cœlum, suis radiis illustrabit. Edmundus à baptismo, dicitur Alcmundi filius, qui in antiquâ Saxoniâ Princeps vir, ex Orientalium Anglorum sanguine descenderat. Etenim cum Provincia illa, extincto, per vim, Ethelberto, Merciorum primò Regibus, inde Occidenti serviret; Proceres aliquot, quorum virtus, & ad coronam jus, sudes erant in regnantium oculis; quieti studentes, subtraxerunt se periculo, & in Saxoniam alteram migraverunt: ubi, quia ab Uffa Saxone, claro Regum genere, procreati, Uffingæ in patriâ dicebantur, ut * aliàs monui; ideo princeps inter eos, Uffa, vel per catechresim, Offa, dictus videtur, cum Edmundus ex Alcmundo nascitur. Quomodo ab hoc Offa (sic enim Legendaris eum passim appellant) regni Orientalis titulus ad Edmundum derivatus sit, dicam paullò * inferius; hic tantùm recenseo ejus exordia, quæ sic in Capgravio referuntur. *Rex quidam in Saxonia regno, Alcmundus nomine, ex uxore Siwarâ, prolem non habens; ab Angelo admonetur in somnis, ut Romam peregrinando proficisceretur. Quò cum pervenisset, matrona quædam sancta, spiritu prophetico plena, cum quâ pernoctare solebat; cum vice quadam ad eum accessisset; globus igneus, in quatuor partes se extendens, ab ipsius Regis pectore, exire videbatur. Quo viso, Regem à * vero illuminandum; vel stirpem divinitùs insignitam, de suo sanguine processuram, prædixit. Rediens autem Rex, prolem felicem genuit Edmundum.* Hæc ibi.

* vide an. 517. n. 2. & 575. n. 2.

* vide an. 854. n. 8.

Capgrav. in Edmundo.

Edmundi exordia et parentes.

* à Deo

IV. Eius institutio.

Hoc mirabili ostento excitati parentes, Edmundum puerum, Christiano ritu instituunt: & ut cum ætate virtus adolesceret, illi infanti adhuc, sanctissimum Christi nomen, cum lacte propinant. quod ubi per annos licuit, omni postmodum ætate, pertinacissimè retinuit, ita ut nec morienti nominis illius silentium, hostes extorquere potuerint; nec mortuo exciderit. adeo hæret collactanea pietas, & altæ mentis, corporisque medullas pervadens, sanctè cum homine consenescit. Bonam pueri indolem, sequebantur honesti placidique mores; formæ dignitas, & elegantia, sermo blandus, oris denique corporisque habitus Rege dignus. Hæc, quæ illi viam ad regnum paraverunt, breviter author vitæ complexus est, illâ sententiâ. *Sanctus Edmundus, ex Antiquorum Saxonum nobili prosapia oriundus, à primo suæ ætatis tempore, cultor veracissimus extitit Fidei Christianæ. Qui ab atavis Regibus editus, cum bonis polleret moribus, omnium comprovincialium unanimi favore; non tantum eligitur ex generis successione; quantum rapitur, ut eis præesset, sceptrigerâ potestate. Erat namque omnibus affabilis, & humilis, & in subjectos benignus, &c.* quæ suo loco exponam, cum Regem induit. Nunc quæ sunt hujus temporis propria tractemus.

Capgrav. suprà.

V. Moritur Ceolbertus, Londinensis Episcop. Succedit Ceolnulfus.

Qui ante triennium Londinensis Episcopus consecratus est, Ceolbertus, sub hunc annum moritur: Sedémque relinquit Ceornulfo, quem Malmesburiensis Cernulfum, Godwinus Renulfum, vocant; nec aliud de eo proditur, quàm quòd tredecim, vel quatuordecim annos sedisse putetur.

ANNUS CHRISTI 842.

GREGORII IV. PAPÆ 15.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 6.

BERTULFI MERC. REG. 4.

Scoti et Pictos pugn...

DUM frequentibus Danorum incursibus, Angli distrahuntur: Scotus eâ rerum declinatione usus, imperium suum, quod in Septentrione tenebat, non firmare solùm, sed augere &

proferre studuit. Hinc anno Christi octingentesimo quadragesimo secundo (ut Usserius in Indice Chronologico) *Kenedus, quinto mense regni sui anno, Pictos profligavit; tantâ in eos grassatus sævitiâ, ut neque mulieribus, neque infantibus, neque sacris parceret ordinibus.* Quæ si vera sunt, Kenedus in legem suam peccasse convincitur; qui sacra omnia, & Sacerdotes inprimis jussit honorari. Certè verum non est, quod inde Scoti-chronicon & Joannes Major inferunt, eâ Pictorum strage, Pictorum regnum penitùs extinctum, in Scotorum potestatem venisse. Forte agrum unum, aut Provinciam, Pictis hoc anno extorserint.

Usser. in Indice. ad hunc annum.

apud Usser: fol. 708.

ANNUS CHRISTI 843.

GREGORII IV. PAPÆ 16.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 7.

BERTULFI MERC. REG. 5.

MORITUR GREGORIUS PAPA

JOANNES INTRUDITUR.

ANNO Christi octingentesimo quadragesimo tertio, Vigilantissimus Ecclesiæ Pastor Gregorius, mercedem laboris à Deo accepturus, moritur; cum sedecim annos Romanam Sedem occupasset. In ejus locum, nullo juris ordine servato, intruditur Joannes quidam, Romanæ Ecclesiæ Diaconus: sed optimus quisque factionem illam aversatus, impudentis viri, primámque Cathedram præsumentis, arrogantiam fregit, digniore substituto, sub initium anni sequentis.

ANNUS CHRISTI 844.

SERGII II. PAPÆ 1.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 8.

BERTULFI MERC. REG. 6.

I. SERGIUS CREATUR PAPA.

apud Baron. hic.

EIUS ELOGIUM.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus quadragesimus quartus; quo ejecto Joanne, qui violenter Romanam Sedem invaserat, Sergius ejusdem Ecclesiæ Archipresbyter, *exultantibus omnibus Sacerdotibus*, (loquitur Anastasius) *Proceribus, & Optimatibus, omnibúsque Ecclesiæ populis, in Apostolicâ Beati Petri sacratissimâ Sede ordinatus, consecratusque est Pontifex. erat enim origine insignis, Fide purus, prædicatione liberior, Deo humilis, hominibus charus, vultu alacris, mente alacrior, Ecclesiarum gubernator, plebium cultor, pauperum fautor, viduarum pater, tegmen, & consolator, indigentium largitor, dispersorum congregator & conservator, inanium secularium que rerum contemptor, solius sapientiæ divitiarum avidus & amator.* Hæc ille de Sergio.

II. IN NORTHUMBRIA RES NOVÆ.

Qui rerum summâ in Northumbriâ potiuntur, novandarum rerum studio, hoc anno tumultus, turbásque miscent. gens inquieta, Regibus, & Principibus inimica, quâ inconstantiâ Regem, aut Ducem eligit; eâdem illum exauctorat. Quid ibi contigerit, sic explicat Westmonasteriensis: *Anno gratiæ octingentesimo quadragesimo quarto, Rex Northumbrorum Æthelredus, à regno fugatus est: cui Readwulfus successit in regnum: qui confestim diademate insignitus, cum Paganis commisso prælio, apud Alvethelie, ipse, & Consul Ælfredus, ceciderunt, cum parte maxima subditorum: & tunc iterùm Æthelredus regnavit.* Hæc intestina discordia, bellúmque cum Danis, materiam Scotis Scriptoribus ministrarunt, Pictorum regnum deprimendi, finésque suos ampliandi. Sed ex Authorum nostrorum silentio, & rebus gestis in Northumbriâ, ubi provincialium motus, morésque notantur; conjicimus multa dici, ornandæ potiùs patriæ, quam veritatis studio.

ETHELREDUS REX PELLITUR E REGNO.

ITERUM RESTITUITUR.

III. MORITUR GISLHERUS SELESIEÑ. EP. SUCCEDIT TOTA.

Moritur sub hunc annum, ut ex Fastis colligo, Giselherus Seleseiensis Episcopus; & in locum ejus succedit Tota; quorum Episcoporum nuda nomina posteris remanserunt; & sola conjectura, quo anno Sedem, aut intraverint, aut exiverint.

ANNUS CHRISTI 845.

SERGII II. PAPÆ 2.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 9.

BERTULFI MERC. REG. 7.

I. DANI PROFLIGANTUR.

ANNO Christi octingentesimo quadragesimo quinto, Danorum exercitus, in Somersetensium agrum descendit, depopulaturus Provinciam. Sed exceperunt venientes Earnulfus Dux, Ealstanus Episcopus, aliique, qui ad Pedredi fluminis ostium, quod à Ptolomæo Uzellæ æstuarium dicitur, victoriam de Danis reportarunt. *Dux Eanulfus*, inquit Wigorniensis, *cum Sumersetensibus, & Ealstanus Scireburnensis Episcopus, & Dux Osricus, cum Dorcestrensibus, ad ostium fluminis Pedredan, cum Danico exercitu pugnantes, & ex eis non modicam stragem dantes, victoriæ palmam sunt adepti.* Locus prælii fuit, ubi Pedredus fluvius, (nunc vulgò Parret) in Sabrinianum fretum, vasto ostio evolvitur: *qui nonnullis etiam hodie* (inquit Camdenus) *Evelmouth dicitur; sed Saxonibus Pedredan-mouth: ubi, ut author est Marianus, palantem Danorum exercitum, Ealstanus Episcopus Shirburnensis, circa annum Salutis octingentesimum quadragesimum quintum fudit.* Ita ille.

Wigorn. hic.

Camden. in Somerset.

Marianus apud Camd. nam in Mariano non reperio.

II. ITERUM IN CANTIO. AB ETHELSTANO REGE.

Westm. an. 846.

Nec meliùs Dano cessit in Oriente nostro, cùm Cantium ingressus, Ethelstanum obvium habuit, victúsque est. Quod ad tempus, & personas spectat, Westmonasteriensis sequentem annum designat, & Ethelstanum vocat Episcopum: *Anno gratiæ*, inquit, *octingentesimo quadragesimo sexto, Æthelstanus Episcopus, & Consul Alcherus, apud Sandwicum, contra Paganorum immensum exercitum, prælium conferentes, novem puppes maximas occupantes, cæteras in fugam compulerunt.* Verùm Ethelwerdus Author longè antiquior, qui Ethelwolfi filium Ethelredum, suum atavum vocat, aliter annum, & Ethelstanum denominat. Sic enim, cum pugnam ad Pedredi flumen narrasset, ait: *Etiam in ipso anno, Æthelstan Rex, & Ealhere Dux, bellum gesserunt, contra prædicta gentis exercitum, in Cent Provincia, juxta oppidum, quod Sandwic nuncupatur; nimiumque ab eis interimunt; fugatas turmas eorum capiunt, & novem dromones.*

Ethelwerd. l. 3. c. 3.

Sed

Sed & Asserus, qui hoc sæculo vixit, Ethelstanum, Regem, non Episcopum vocat. Unde falsi sunt Scriptores illi, qui Ethelstanum, Ethelwolfi filium, diu antea à Scotis occisum finxerunt. Hæc doplex contra Danos victoria, fortè Lupum Ferrariensem impulit, ut Ethelwolfo gratularetur per literas, quas suprà * recitavi; in quarum exordio, narrat vires ei à Deo collatas, contra Christi inimicos: contra Danos nimirùm, quos bis, hoc anno triumphavit.

Asser. ad an. 852.

* an. 840. n. 6.

III. MORITUR EGREDUS LINDISFARNEŃ. SUCCEDIT EGBERTUS.

Moritur hoc anno Egredus, Lindisfarnensis Episcopus, & Ecclesiam illam administrandam accipit Egbertus. Ita annum signant, & utrumque Episcopum nominant Fasti, & Wigorniensis. Alter tamen Westmonasteriensis. *Eodem anno* (inquit ad annum gratiæ 845.) *defuncto Egfredo, Lindisfarnensi Episcopo, Eanbertus successit.* Egbertum intelligit, & eodem modo loquitur Godwinus: unde tam Egredus hic, quàm ejus prædecessor Heathobertus, à Malmesberiensi prætermissus est, vel potiùs amanuensium vitio omissus; ut plures etiam alii; ubi duo cognomines sunt Episcopi. quemadmodum in hac Lindisfarnensium Episcoporum serie. ubi dicitur: *Hingebaldo bi successere: Egberth, Erdulf, &c.* cum dici scribique debuisset, Hingebaldo bi successere: Egberth, Heathoredus, Egredus, Egberth, Eardulf, &c.

Malmesb. de Pont. l. 3. in Lindisfarn.

IV. GALLIAM DANI INFESTANT.

Hæc Danorum strages, in causâ fortè fuit; cur omissâ paululùm Insulâ, alias ad prædandum, terras Barbari quæsierint. Galli igitur, hoc anno, eorum furorem senserunt, & ingentia damna, in privatis, publicisque tectis. Quæ quoniam nostris æqualia, & eisdem fortè de causis permissa, & demum, quia ab occultato authore conscripta, in nostrarum miseriarum cumulum componam: ut videat Lector paulò clarius, quàm immane in Britanniam grassati sint, & ut Sanctorum reliquias conculcarint; quas pia Christianorum devotio, præ aliis bonis omnibus, tueri, conservare, ac ad Posterorum pietatem transmittere conati sunt. Eadem quidem inferiùs, cum Dani mediterranea vastabunt, facta ab Anglis conspicies; sed valdè illustrat regiam Fidem, Anglos, Gallósque eundem Deum, eandem Fidem & sacra, eodem modo veneratos, ostendisse. Aimonius ergò, qui sui temporis gesta scripsit, jubente Carolo, Occidentalis Franciæ Rege, à morte Ludovici patris, & anno Domini octingentesimo quadragesimo. ita de Danis loquitur.

V.

apud Baron. hic n. 17.

Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo sexto, Regni item præcellentissimi Caroli sexto (Benè in margine scribitur annus 845. nam is revera Caroli Regis sextus) *cùm regnum Francorum, post obitum Ludovici Imperatoris, varias divisum esset in partes; & peccata populi crescerent, sanguisq; sanguinem tangeret: Deo permittente, flagitiis quidem exigentibus actum est nostris, ut exteræ nationes, è propriis egrederentur sedibus: videlicet gens Danorum, qui vulgò Northmanni, id est, septentrionales homines appellabantur: & superbo, tumenteq; corde, cum valido navium apparatu, Christianorum fines intrarent. Qui hinc illucq; furentes, atque cum magnâ superbiâ cuncta gyrantes, ceperunt vastando diversas Insulas maris, donec nemine sibi resistente, fluvium Sequanæ ingressi, Rhotomago forte incredibili applicarent. Cumq; in eâdem civitate, aliquantisper demorantes, regionis Principes (quod absque ingenti contritione cordis effari nequimus) ad bellandum pigros, timidósque adverterent; exeuntes è navibus, longè latéque diffusi, ceperunt utriusque sexus multitudinem trucidare, captivare, villas, monasteria, Ecclesiasq; depopulando cremare, totámque suæ libidinis immensitatem, cum omni crudelitate, in populum Dei debacchando exercere: quousque ad locum, qui vocatur Carolivenna; ventis, velisque suæ malignitati, justo Dei judicio secundantibus, ultra spem securi navigando pervenirent.*

VI. CAROLUS REX IN OCCURSUM VADIT, CUM S. DIONYSIUM ORASSET.

Tunc gloriosus Princeps Rex Carolus; quia propter subitaneum eorum ascensum, ex toto non poterat, convocatâ aliquâ exercitus sui parte, venit primùm ad monasterium Macarii Dionysii; ut suis orationibus fultus, securius contra Dei suósque hostes, pergeret. Denique ut accessit; paratus, non solùm dimicare; sed etiam pro Fide, próque defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, laudabiliter mori. Ejus adversarii cognoscentes adventum, diverterunt ad alteram prædicti fluminis, ripam; ubi quædam parva tantum pars populi erat. Quibus confestim in fugam versis, in Insulâ quâdam ejusdem fluvii, ad opprobrium Christianorum, plus minus, centum undecim captivos, fudibus suspenderunt: multósque alios per domos, & arbores confixerunt, atque nonnullos per villas, campósque, miserabili insecutione trucidantes peremerunt. Ipsoq; sanctissimo Paschalis festivitatis Sabbato, Parisios pervenientes; vacuam penitus ipsam Urbem, quondam populosam, & omnia in circuitu illius monasteria, suis habitatoribus deserta repererunt. Timor siquidem & metus universos invaserat; utpote merito iniquitatis, divino enudatos auxilio, atque ideo humanæ defensionis destitutos solatio.

VII. SANCTORUM CORPORA, DANORŨ FURORIBUS SUBSTRACTA.

Hæc Britanniæ, Anglisque evenisse, & supra cæpimus, & infrà pergemus manifestiùs exponere. Interim, quid Galli in hac rerum omnium turbatione fecerint; ut Deo, Sanctisque supplices, eorum potiùs quàm rerum suarum indemnitati prospexerint, videamus. *Tunc proh dolor* (pergit author) *sanctissimum B. Germani corpus, de suo effossum sepulchro, in possessionem quondam ejus Ecclesiæ, quæ Cumbrs dicitur, delatum est. Sed quæ facundia, quisve sermo, exponere posset; qualis dum hæc agerentur, quantusve in eâdem Ecclesiâ extitit luctus? senes itaque & juvenes, & pueri flebant, & infantes; utpote nemo sese à lacrymis temperare valens. Similiter & aliorum corpora Sanctorum, in eodem pago degentium, extumulata, atque per diversa sunt loca deportata: exceptis membris duntaxat Macarii Dionysii, sociorumq; ejus Martyrum: quæ licet à suis fuerint extracta sepulchris; propter tamen Regis præsentiam, non sunt tunc ad alia loca transire compulsa. Statuerat quippe; populo videlicet à se labente, ut vel jam dicti Martyris monasterium defenderet; eò quòd divæ memoriæ genitor illius, eum, cum esset parvulus, eidem Sancto speciali traditione commendasset.* Prosequitur multa, quæ in Sanctorum corporum translatione mirabiliter Deus operari dignatus est: mihi sufficiat, fecisse Gallos hac tempestate, quod superioribus sæculis factum constat à Britannis; cum Anglo-Saxo infidelis, eo ferè modo insulam hanc aggressus, Ecclesiam depopulatus est: tunc enim cum Sanctorum reliquiis, fugerunt Antistites, Thadiocus Eboracensis, & Theonus Londinensis, ut superiori tomo ex omnium Annalium Fide, demonstratum. Et paullò * inferiùs sancti Cuthberti corpus, Anglo-Saxones nostri, à Danorum rabie religiosissimè ruebuntur: ut aliorum etiam per Insulam Sanctorum corpora.

Baron. sup. n. 10.

vide an. 561. n. 1. 8.

* vide an. 875. n. 4.

Cæterùm

VIII. Cæterùm cùm Dani, qui Gallias hoc anno vastant; paullò post, in numerum gentémque crescentes, Neustriam occuparint; quæ exinde à Septentrionali hoc populo Northmannia appellata est: & inde prodierit Gulielmus, primus in Angliâ Normannorum Rex: morabor in Galliâ paullò diutiùs; & quia Dei Sanctorumque causa agitur, exponam paucis, faveritnè cœlum Barbarorum conatibus, an verò adversatum sit, cùm Sanctorum sepulchra temerantur. Aimonius, qui suprà, plura refert ex ore fatentium reorum, quo modo divinitùs castigati sint, qui Sancti Germani templum impuris manibus tractaverunt: *Ingressi*, inquit, *monasterium Beatissimi Germani, Dei famum, residuumq; Ecclesiæ apparatum contaminare, pollutisq; manibus ceperunt destruere. Sed quia Domino miserante; nec ibi virtus defuit ejusdem sanctissimi Patris, minimè debent reticeri, quæ tunc illic totius mundi Creator, ad laudem sui nominis, gratiâ ipsius Pontificis, ostendere dignatus est miracula. Quæ quia nemo nostrum interfuit, penitùs ignorabamus: posteà autem a fidelibus missis Ludovici Bavariorum Regis, Kobbone videlicet, & aliis; quos ad Principem Northmannorum, Horich nomine, legationis causâ direxerat; ea cognovimus: qui nobis ea fideliter narraverunt: quemadmodum ipsi attestati sunt coram Horich, qui præsentes ex parte fuerunt, atque ex parte, ex his, qui tunc in ipsâ Ecclesiâ, quando hæc gesta sunt, simul aderant Christianis, audierunt. Nam tum trabes Ecclesiæ, miserrimus iste populus (quæ erant abiegnæ, & idcircò habiles navigio) incidere tentavisset; tres ex maligno eorum numero, ante altaris crepidinem beati Stephani, invalidi totius virtutis robore ruentes, ceciderunt, atque confracti, odibiles animas, aliis timore perculsis, exhalantes; perpetuas descenderunt ad umbras, ubi odax vermis eorum non morietur, & nimius eorum ignis non extinguetur.* Hæc Author, qui plura addit, quæ non exscribo.

apud Baron hic n. 22.

DANI A SANCTIS PUNIUNTUR.

IX. Non possum tamen silentio premere, quid Danorum Ductori, viróque inter eos primario, acciderit; cum ad Normannorum Principem rediens, expeditionis suæ rationem reddidit; eo prorsùs modo locutus, quo Calvinistæ solent, cum Sanctos in cœlo regnantes, mortuos homines vocant. Hâc tamen differentiâ, quod infideles Dani viderint, senserint, stipulati sint, Germanum mortuum in eos pugnasse potentiùs, quàm viventes Gallos: quod Calvinistæ, sexcentis licet docti hujuscemodi argumentis, aut videre nolunt, aut fateri erubescunt. Aimonios ita refert. *Ragenarius Dux, autherque totius memorati mali, ante præfatum Horich, Northmannorum Principem, cùm ingenti superbiâ veniens, ostendit ei, quod secum hic asportaverat aurum argentumq; multum: dixitq; quod optatissimam Parisios civitatem captam haberet, quodque mansionem Germani senis, quæ in eâdem terrâ decentissima haberetur, intrasset. Insuper, & quod omne Caroli regnum, sibi ratione tributi subjugatum haberet. Horich autem, dum talia non crederet, jussit jam dictus Ragenarius, partem incisæ trabis monasterii D. Germani, seramque portæ Parisiacæ urbis, ante eum in testimonium adduci. Præterea retulit, quam bonam, quam fertilem, ut omnibus repletam copiis terram invenisset; populum vero incolentem, ad dimicandum pavidum, ac timentem. Referebatq; dicens: quod majorem ibi mortuus quam viventes haberent virtutem; nullúmque sibi invenerint resistentem, præter Germanum senem mortuum.*

Baron. hic n. 41.

RAGENARIUS DANUS, SUA FACINORA NARRANS.

Hæc cum diceret, tremens illico, ac pavens, corruit in terram; atque terrificâ cæpit voce clamare: Germanum coram consistere, eúmque se bacilo, quem manu gestabat, graviter flagellare. Quod videntes, Horich videlicet, universíque sibi astantes: ipséque Kobbo, Ludovici Regis, illuc directus Legatus; ex eo quod acciderat, stupore nimio permoti, admirati sunt. Idem verò Ragenarius sic humiliatus, ac repente contritus; aliorum manibus citò sublatus, recessit. Qui maximis per triduum tormentis, ignominiosè afflictus; præcepit tandem unam auream suæ similitudinis statuam fieri, eandémque per eundem Kobbonem, Germano seni deferri; spondens se, si evaderet, Christianum deinceps futurum. Sed quia non erat ex ovibus Christi, idcirco quod petebat, obtinere non meruit. Ita prorsus inflatus (quemadmodum idem nobis Kobbo manifestum fecit) ac totus turgidus extitit, ut nec audiens, nec visus, nec odoratus, vel gustus, in ejus corpore discerni potuerit. Sicq; diffusis ad postremum visceribus, medius crepuit, vitámque miserrimus inanem finivit. Statua verò sacris oblationibus indigna, à quibus delegata fuerant, retenta, velut immundissima a mundissimo cordium inspectore refutata remansit. Hactenus author.

X. MISERE CRUCIATUR.

ET MORITUR.

XI. Hæc ideo Annalibus insero; quia Fidem à Lectore cupio impetrare; cum infra hujusmodi prodigia narraturus sum, & Sanctorum iras; ubi eorum sepulchra à Danis violantur. Fastidiunt enim Novatores ea miracula, quibus Sanctorum cultus probatur, præsertim si domestica sunt, & nolunt credere mortuos homines irasci posse. exterois ergo doceri debent, & constantibus exemplis. Et quoniam, tam Dani, qui Gallias; quàm qui Britanniam vexaverunt, ad Fidem Christi tandem conversi sunt, ut infra videbimus: nec aliâ id ratione factum, quàm, quia miraculorum magnitudine, Christum senserunt mirabilem in Sanctis suis: ideo oppidò cæcutire oportet eos, qui rem tot tabulis testibusque consignatam, aut negare præsumunt, aut controvertere. Sed benè dixit sanctus Augustinus, *Fides est donum Dei.* quantumvis enim testimonia Dei *credibilia facta sunt nimis. & nimis honorati sint amici tui Deus*; tamen qui divinâ luce carens, aliâ luce mysteria Fidei metitur, in tenebris hæret: & claritate, gloriâque, quæ alios ad Deum & divina ducit, opprimitur; sinistro tantum oculo majestatem scrutatus. Hæc vera ratio, radixque tot errorum in Fide. Hinc stupor ille Novatorum: qui licet regnorum, & provinciarum integras conversiones, sanctorum patrocinio factas probemus: licet sexcenta templa, monasteria, authores, id proclament; licet Deus ipse dicat, *mirabilem se in Sanctis suis*: denique licet omnia sæcula ita crediderint: ipsi tamen saxis duriores, nihil moventur.

MIRACULIS TANDEM DANI CONVERSI.

XII. Quod Danorum pestem traxit in Britanniam: eandem etiam in Gallias traxit. Et Ecclesiæ proceres utrobique, eodem modo, morbo mederi conati sunt. Egbertus supra Londini Synodum habuit, ut Danorum incursibus, rapinisque occurreret. Galli etiam, hoc anno, Meldense concilium celebrant; obviaturi malis, corruptisque moribus, qui Deum ad iram provocaverant. Inter eos consuetudo pessima inoleverat, transferendi in laicos homines, Ecclesiarum bona, Christi & pauperum patrimonia. Id supra aliquoties in Britanniâ luximus; & pœnitentes Reges, se reos dixerunt; verendum ut eorum aliqui,

MELDENSIS SYNODUS.

BONA ECCLESIASTICA LAICIS DATA.

aliquando

aliquando veniam impetrarint. Galli ita etiam peccaverunt; & sancti Judoci cellam, quam olim Alcuinus, post eum Lupus Ferrariensis tenuerant, Odulphus Comes occuparat: quam vel à Britannis factam, vel ab eis saltem frequentatam conjicio; non solum, quia Alcuino commissa est à M. Carolo, ad *eleemosynam exhibendam peregrinis* ut disertè affirmat idem Lupus. Sed quia hoc anno Meldensis Synodi Patres graviter conqueruntur, hujusmodi domos hospitales, perperam in alios usus traduci: & inter cætera dicunt in hunc modum. *Admonenda est Regia magnitudo, de hospitalibus, quæ tempore prædecessorum suorum, & ordinata & exculta fuerant. & modò ad nihilum sunt redacta. Sed & hospitalia Scotorum, quæ sancti homines illius gentis in hoc regno construxerunt, & rebus pro sanctitate suâ acquisitis ampliaverunt, ab eodem hospitalitatis officio funditùs sunt alienata: & non modo supervenientes, in eadem hospitalia non recipiuntur; verùm etiam ipsi, qui ab infantiâ in iisdem locis militaverunt, ex iisdem ejiciuntur, & ostiatim mendicare coguntur.*

Lupus Ep. 1.

Conc. Melden c. 40. apud Baron. hic n. 36.

Scotorum hospitia.

XIII. Hanc Synodi sententiam, ita commentatur Cæsar Baronius. *Eò*, inquit, *progressa fuerant mala, ut quæ peregrinæ gentis erant sacræ hospitales domus, in Gallia, eadem spoliarentur bonis, quibus alendi erant peregrini. Acciderat enim, ut cum frequentissima esset peregrinatio eo tempore, ex Angliâ potissimùm, ad apostolorum limina: Scotorum nonnulli ad eos excipiendos, per eam viam, quæ ad Urbem ducit, constituerint domos hospitales cum redditibus suis. Has verò, cum invasissent impii ministri Regis; & redditus earum sibi vendicassent, nec sinerent eas ad usum, cujus causâ fuerant instituta, patere; in ejusmodi immane scelus, Episcopi declamarunt.* Benè dicit Baronius, frequentissimam fuisse hoc tempore peregrinationem ex Angliâ, ad Apostolorum limina: quod brevi confirmabit Ethelwolfus, Occidentalium Saxonum Rex, cum ipse in Urbem pietatis causâ perget. Quod & à Regibus nostris, & à civibus sæpissimè factum, suprà vidimus. Imò Britannorum tempore, qui Anglo-Saxonum conversionem præcesserunt, profectionem illam, præ omni alio peregrino labore placuisse; Antiquorum pariter & Recentiorum suffragio diximus: Hinc (ut etiam aliunde) unam semper, & eandem fuisse Britannorum, & Anglo-Saxonum Fidem, orthodoxam, inquam, Catholicam & Romanam, omnium sæculorum serie deduximus.

Baron. hic n. 36.

Anglorum frequens peregrinatio Romam.

ANNUS CHRISTI 846.

SERGII II. PAPÆ 3.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 10.

BERTULFI MERC. REG. 8.

AD Annum Christi octingentesimum quadragesimum sextum, nihil in Annalibus consignatum reperio; quod utramvis Rempublicam spectet. Fortè Danis in Galliâ occupatis; ut superiori anno diximus, Insula, ex eorum absentiâ, respiravit; ac proinde quieta fuit.

ANNUS CHRISTI 847.

LEONIS IV. PAPÆ 1.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 11.

BERTULFI MERC. REG. 9.

I. ROMANUS Pontifex Sergius, cum sedisset annos tres, & mensem unum; obiit pridiè idus Aprilis, anno Christi octingentesimo quadragesimo septimo: cum *pro remedio, & futurâ animæ suæ retributione* (ita loquitur Anastasius) multa Ecclesiis benè fecisset. Qui *cum de omnibus Ecclesiis solicitè curam gereret, etiam basilicam sancti Archangeli, quæ in cacumine Hadriani est constituta, latiorem quam pridem fuerat, à fundamentis perfecit; ac radiantibus picturis luculenter pingi jussit, ac sarta tecta ejus noviter restauravit.* Hadriani molem intelligit: ubi Archangelus Michael jam olim cultus, ædem sibi sacram habuerat: quam Sergius egregiè restituit, in *remedium, & futuram animæ ejus retributionem.* Angelis enim suis Deus mandavit de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis, & imprimis in ultimâ viâ vitæ nostræ. Bonum ergo remedium, Angelos in vitâ colere, quo mortis viam muniant. Unde de Sergio dixit Anastasius: *Hic beatissimus Pontifex, postquam Sedem Romanam annis tribus, mense uno gloriosissimè rexit, ex hac luce subtractus, in æternam migravit requiem.*

Moritur Sergius Papa.

apud Baron. hic n. 2.

ubi suprà n. 6.

II. Sergio successit Leo, ejus nominis quartus: *Vir Catholicus*, inquit ille, *& Apostolicus, multa patientia, multaq; germanitatis extitit: Largus, pius, innocens, benignus, amator justitiæ, suæ plebis serventissimus gubernator, divinarum quoque Scripturarum, indeficiens perscrutator; vigiliis & orationibus semper intentus. In cujus etiam beatissimo pectore, juxta illud quod in sancto Evangelio; & serpentis astutia, & simplicitas inhabitabat columbæ. Erat enim totius sanctitatis decore repletus, amator religiosorum hominum, Deóque in omnibus assiduè famulantium, nutritor pauperum, & contemptor sui.* Hæc Anastasius, plura addens de ejusdem Leonis exordio, & incunabulis, quæ omitto, ea solum dicturus, quæ sunt his Annalibus, & huic anno connexa.

Leo Papa IV

Anastasius apud Baron. hic n. 7.

Eius Elogium

III. Vix Leo Pontificiam Sedem ascenderat; cùm Anglorum schola, quam Inas Rex, prope urbem erexerat; & Offa postmodùm auxerat, iterùm conflagravit; eo ferè modo, quo sub Paschali Pontifice arsisse diximus. * & quemadmodum ille flammarum incendia mirabiliter temperavit: ita Leo, sanctissimæ Crucis signo, incendium hoc anno stitit. ut videas Romanorum Pontificum; nec mori unquam Fidem, nec deficere in eâ sede sanctitatem. rem gestam narrat Author ejus temporis: *Aliud miraculum* (inquit Anastasius, & refert ad hunc annum Baronius) *quod ipse almus Pontifex* (Leo) *fecit, narrare breviter inchoemus: In ipsius, quod memoravimus Pontificii sui exordio; Saxonum vicum validus ignis invasit; qui flammarum violentiâ, cuncta comburere cœpit validius: ubi populorum multa congregata sunt agmina, quæ hujus incendii flammas volebant extinguere: sed ventorum flatibus, altiùs extendebatur ignis in aëre, cuncta comburens, atque comminuens. Itaut propiùs ad Beati Petri Apostolorum Principis positas perveniret Saxonum*

Anglorum Schola comburitur.

* vide an. 817. n. 2.

apud Baron. hic n. 22.

& Longobardorum domos, porticum concremans. Quo audito, ipse beatissimus Pontifex anxius, illuc celeri cursu profectus est. Et ut ob hujus tanti ignis impetum se præpararet; Dominum deprecari cœpit, ut hujus incendii flammas extingueret, & ubi Crucis propè frequentaverit signacula digitis, amplius ignis extendere flammas non potuit: & beati viri virtutem ferre non valens Pontificis, extinctas flammas redegit in cinerem.

Leo Pontifex, signo Crucis flammam extinguit.

IV. In Saxonum vico, Anglorum scholam fuisse suprà * diximus. & hanc cum vico conflagrasse manifestum erit, cùm Ethelwolfus post annos aliquot Romam profectus, eam paulò antea incendio consumptam, reparabit anno Christi octingentesimo quinquagesimo quinto, ut ibi dicetur. Nam quod Polydorus Vergilius profectionem illam, ad hunc annum octingentesimum quadragesimum septimum referat: & fallitur ipse, & Baronium planè fefellit. Priùs enim quàm Ethelwolfus in Urbem pergat, nasci debet Alfredus filius, qui patrem comitetur; ille autem non nisi post sequentem annum nascitur. Fallitur etiam Polydorus, cum de Anglorum schola, & loco ubi posita est, ita scribit: *Ethelwolfus fertur instaurasse Romæ, scholam quandam, primò ab Offa Merciorum Rege, conditam, & paullò ante ejus adventum in Urbem, incendio ferè consumptam. Ipsam autem Scholam, ubi Romæ Angli duntaxat manebant, bonisque artibus operam dabant, eo loci fuisse opinor, quo postea hospitalis domus Divo Thomæ dedicata, posita est, ad quam Angli homines receptum habent.* Hæc, inquam, ad veritatis amussim, non benè quadrant. Nec enim Offa Merciorum; sed Ina Occidentalium Saxonum Rex, primus fuit, qui scholæ fundamenta posuit; ut suprà ostensum. Nec minùs errat, opinando, locum scholæ fuisse; ubi hodie domus est S. Thomæ dedicata.

* vide an. 727 n. 6. & 794 n. 5. & 817 n. 3.

De tempore profectionis in Urbem Ethelwolfi Regis.

Polyd. Virg. l. 5.

V. Enimverò qui paullò curiosiùs, vel primùm notæ, vel postea renascentis scholæ vestigia inquirit; facilè colliget, non in Urbe, sed in Urbis suburbio, & statutam primò, & restitutam postea fuisse. Cum enim Anglo-Saxones, non Urbis amœnitas, sed Apostolorum principis limina, Romam traxerint: cum omni sæculo, tam domi, quàm foris, Petro fuerint addictissimi; cum nobiles pariter, & ignobiles, *in vicinia sanctorum locorum* (ita dixit Beda) & vivere, & mori cupiverint: opinari quis rectiùs poterit, extra Urbis delicias, & propiùs ad Vaticanum, Reges nostros scholam posuisse. Quod si incendium ejus loci legerit, sub Paschali, & illius Pontificis pietatem; multò certiùs colliget, propè S. Petri basilicam fuisse, ut dictum ibi. Cæterùm si cum his omnibus, quod à quarto Leone factum est, composueris; vix erit ultra locus dubitandi, ubinam Anglorum scholam Reges erexerint. Cum enim Anastasius satis insinuet, Saxonum vicum, & Saxonum domus, hoc incendio periclitatas; *propius ad Beati Petri Apostolorum Principis positas*: quis existimare poterit, vicos plurimos, & ipsum Tiberim, medios fuisse. Multò minùs dubitabit, si viderit anno sequenti, Leonem incendii damna reparantem, & mœnibus basilicam Sancti Petri munientem: & completo opere, novam civitatem (nunc Burgum) Leoninam vocantem. Inclusit enim omnia Basilicæ Vaticanæ adjacentia, & cum illis, *diversarum gentium, Romam peregrinantium hospitalia habitacula*, inquit Baronius: qui cum paullò antè dixerit, Anglos frequentissimè eò peregrinari solitos; domum ibi hospitalem habuisse quâ reciperentur, sequitur satis evidenter.

De loco Scholæ Anglorum.

Beda l. 5. c. 7.

vid. an. 817. n. 3.

Baron. an. 812. n. 1.

ANNUS CHRISTI 848.

LEONIS IV. PAPÆ 2.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 12.

BERTULFI MERC. REG. 10.

I. Anno Christi octingentesimo quadragesimo octavo, moritur Eadbertus, Wigorniensis Episcopus, ut Florentius Wigorniensis affirmat; cum ab anno 822. sedem illam tenuisset, eamque auxisset terrarum latifundiis. Westmonasteriensis ejus mortem, ad annum superiorem refert; sed Wigorniensem antiquiorem plures sequuntur, ut Fastorum collector, & Godwinus: qui ita scribit: *Eadbertus alias dictus Hubertus, Ecclesiæ contulit Croleiam, & anno 848. fato functus est.* Successit in ejus locum Alwinus, ab aliis Alhunus; qui sacellum sancto Andreæ construxit Kimeseiæ, ut suo * loco adnotabo.

Eadbertus Wigorniensis Episcop. moritur. Wigorn. hic. W. st. an. 849. Godwin. in Wigorn. Dedi Croleiam hoc Crowle Ecclesiæ. Succedit Alhunus. * v. an. 868.

II. Vix Dani, à turbandâ Insula quieverant; cum Septentrionales populi, civili inter se discordiâ certant: & quod inde sequi communiter solet; externos, quantumvis inimicos, in factionis societatem vocant. Ethelredus in Northumbriâ Principatum habebat, ut dixi anno 840. n. 2. qui cum septennio imperasset, Principatum omnem, vitamque amisit, à provincialibus interfectus: in cujus locum suffectus est Osbertus, de quo hæc tantùm Westmonasteriensis: *Anno gratiæ octingentesimo quadragesimo octavo, Æthelredo Rege Northanhumbrorum interfecto, Osbertus successit pro eo, annis octodecim.*

Ethelredus Northumbriæ Rex, occiditur.

Osbertus Northumbriæ Rex.

ANNUS CHRISTI 849.

LEONIS IV. PAPÆ 3.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 13.

BERTULFI MERC. REG. 11.

I. Sequitur Christi annus octingentesimus quadragesimus nonus, quo Ethelwolfi Regi, filius nascitur, Alfredus nomine, quem etiam Aluredum vocant. Fuit ille Ethelwolfi filiorum natu minimus, sed rerum benè, & è virtute gestarum, gloriâ, maximus: nostrorum Regum deliciæ, decus & ornamentum patriæ. Ideo Annales nostri ferè omnes, non solùm in explicandis ejus virtutibus, multi fuerunt; sed singulariter, natalem annum, & ejus exordia consignarunt, in amoris reverentiæque argumentum. Asserus, hujus sæculi scriptor, qui cum Alfredo familiariter vixit, ita librum exorditur: *Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo nono, natus est Ælfred Anglo-Saxonum Rex, in villâ Regiâ, quæ dicitur Wenadinque; in illâ pagâ, quæ nominatur Berroc-scire,*

Alfredus nascitur.

Ejus genus et parentes.

Asser. Princ.

qua paga taliter vocatur à Berroc silva, ubi buxus abundantissimè nascitur; cujus genealogia talis, tali serie contexitur. Ælfred Rex, filius Æthelwolfi Regis, qui fuit Egberti, qui fuit Ealmundi, qui fuit Eafa, qui fuit Eowwa, qui fuit Ingild. Ingild & Ine ille famosus Occidentalium Rex Saxonum, germani, duo fuerunt. Qui Ine Romam perrexit, & ibi vitam præsentem finiens, honorificè cœlestem patriam, cum Christo regnaturus, adiit. Pergit author, Alfredi genus ad Adamum usque, recto nascentium ordine deducere; mihi sufficiat dicere Inam & Ingildum, Coenredi filios fuisse, qui à Ceaulino, Kenrico, & Cerdicio descendit, primis in Occidente nostro, Regibus.

II. OSBURGA EIUS MATER. * vide an. 837, n. 5.

Alfredi mater Osburga dicebatur, quam suprà* laudavi, Ethelwolfo Regi conjunctam, religiosam nimirum, & nobilem genere, fœminam; quæ priùs tres filios Regi pepererat, Ethelbaldum, Ethelbertum, atque Ethelredum, omnes successivè Occidentalium Saxonum Reges. Sed inter eos Alfredus maximè eminuit: ideo annus locusque natalis ejus, & uterque parens, tam enucleatè exponitur ab authoribus. Quod ad locum attinet, qui Asseri sæculo Wanatinge dicebatur, hodie Wantage est, oppidum in Bercheria, Alfredi incunabulis clarum; quod ipse moriens, Alfwytho cuidam legavit, una cum Lamborne oppido, ut dicam infra* cum ultimæ Alfredi voluntatis tabulas expono. Nam ejus dicta, scripta facta omnia, immortali memoriâ digna sunt; quæ singula suis locis, ut illa à variis referuntur, recensere conabor. Asserus mihi laborem minuet; quia peculiari scripto, Alfredi res gestas posteris commendavit. Quod Matthæus Parkerus dictus Archiepiscopus Cantuariensis, superiori sæculo in lucem dedit, Lectorem invitans ad ejusdem libri lectionem: & inter cætera, hæc de Alfredo, & rerum ab eo gestarum lectionis utilitate, præfatur.

* vide an. 881. n. 8.

III. PARKERI EXHORTATIO AD LEGENDUM ALFREDI GESTA.

Quæ quidem historia, inquit, *non mediocrem menti tuæ voluptatem infundet, neque minorem adferet cum voluptate utilitatem. si in præclarissimarum rerum contemplatione defixus: te ad earum imitationem, & quasi imaginem, totam effinxeris. Etenim quæ delectatio major, quàm clarorum virorum studia, res gestas, mores, vitas denique, ortus, obitus (tanquam tabulas benè pictas) quotidie intueri? Quis fructus uberior; quàm qui ex istiusmodi rerum perennis lectione percipitur? Hæc omnia (Lector erudite) tuam ob causam divulgamus: nimirum ut tibi jucunditati sint, & emolumento. Etenim cum videas Regem, summo splendore, & tantâ (quantam illa perraro videt ætas) dignitate Regem; qui non pacis solum laudibus floruerit; sed belli quoque gloriâ circumfluxerit, omnem curam, industriam, cogitationes denique omnes, in disciplinarum studium consumpsisse; adeo, ut horam fere nullam effluere sibi passus sit; quam non in literis, & in virtute, traduxerit: quo te Lector animo esse oportebit? quàm in bonarum artium studia flagrantis semper & incenso? Neque solum doctrinæ, & cognitionis desiderio, ipse mirificè afficiebatur; adeo ut omnes conatus ad eam illustrandam converterit; sed exemplo suo, alios item ad excellentem omnium artium honestarum cupiditatem incitavit, & illexit; doctósque ex omnibus locis viros asciverit; quorum præceptis institutisque, nobilium liberi, in aulâ suâ, una cum Regiis filiis; ad humanitatem, & præclarissimarum artium scientiam, quotidie informarentur. Quod eo mirabilius videri debet, quandoquidem maximis in rebus, longèque diversis, sese per omnem penè ætatem, laboriosissimè exercuerit: duasque res, specie dispares, admirabili prudentiâ conjunxerit. Quid enim tam distans, quàm pax a bello? Quis tamen unquam illo, aut pacis amantior est habitus, aut belli laude illustrior? Quid tam difficile, quàm & regni fines, contra barbararum gentium immanitatem, assiduè tueri: & doctrinæ & literarum terminos, quotidie proferre? Utrumque sanè, Rex nobilissimus consecutus est; ut & Danorum copias, perpetuo in Britanniam influentes, virtute bellicâ represserit: & in maximis semper occupationum fluctibus, liberalium disciplinarum studia non intermiserit.* Hæc omnia de Alfredo Parkerus.

IV. A FIDE ALFREDUS ETIAM COMMENDANDUS.

Eam certè laudem meruit, qui hoc anno nascitur; & longè clariorem, si de Regiâ Fide & pietate agitur. Sed noluit homo à Romanâ Sedes aversissimus, à quâ tamen omnem dignitatis suæ prærogativam accepit, à Fide & Religione, Alfredum commendare. Ratio in promptu est, quia ille, à puero, Romanam Ecclesiam summè veneratus est; eò semel iterumque profectus; ab Urbis illius Pontifice in Regem unctus; cum materno lacte, non aliàm quàm Romanam Fidem suxit. Hinc ejus in Deum, & Sanctos pietas; hinc in Ecclesiasticos viros reverentia: Unde earum virtutum exercitia, morúmque elegantia, fluxerunt, quæ meritò laudantur: quod quia fateri noluit Parkerus, missâ de Fide & pietate, quæstione; ejus tantùm moralia, virtutem bellicam, studia literarum, prudentiamque commendavit. Sed vera, Orthodoxa, Regiáque Fides; quàm ab utroque parente didicit, origo fuit, & fundamentum, earum præclarissimarum actionum, quas infra de Alfredo referemus. Ingenua ejus indoles, adeo patrem, matrem, & domesticos affecit; ut præ aliis fratribus, in animis omnium, oculisque, esset. *Nam cum ab omnibus nimium diligeretur* (inquit Asserius) *& in Regio semper curto inseparabiliter nutriretur; accrescente infantili, & puerili ætate, formâ cæteris suis fratribus decentior videbatur: vultuque, & verbis, atque moribus gratiosior; cui ab incunabulis ante omnia, & cum omnibus præsentis vitæ studiis, sapientiæ desiderium, cum nobilitate generis, nobilis mentis ingenium supplevit.* Sed satis de Alfredi exordiis.

Asser. ad an. 866.

V. WISTANUS PUER MARTYR.

Eodem anno, quo cœlum nobis Alfredum dedit; illustrissimum sidus dedit hæc Insula cœlo, Wistanum Sanctum, regii generis puerum, illustrem Martyrem. de quo Malmesburiensis, tam in Regum, quàm in Pontificum gestis hæc repetit: *Nec vacabunt laude tuâ pagina nostra, felix puer Wistane, fili Wimundi, filii Wethlafii, Merciorum Regis, & Elfleda, filiæ Celulfi, qui fuit patruus Kenelmi. Te, inquam, non tacebo, quem Berfertus cognatus nefariè interemit. Noverintque posteri, si qui has literas cognitione dignas duxerint; nihil in sæculo, indolis tuæ nobilitate gloriosius: quâ irritatus infestus latro, te mortificaverit: nihil Deo puritate tuâ innocentius; quâ invitatus internus arbiter, te honorificaverit. Nam cœlo demissa columba lucifera, densasque noctis dirumpens pallia, profunda cavea scelus detexit, carnificis nequitiam arguit. Quapropter veneranda reliquia levata, parentum officio, Rependunæ locata sunt, tunc temporis famoso monasterio: nunc est villa Comitis Cestrensis; cujus gloria pro situ vetustatis exoleta. nunc Evesthamum inhabitas, dignus qui faventium votis serenus indulgeas.* Hæc ille compendio: quæ

Malmesb. fo. 00 & fo 204.

paulò explicatiùs Annalibus inserenda sunt. Hunc Sanctum Baronius intellexit, cùm Westmonasteriensem secutus, scripsit: *Eodem anno* (849) *in Angliâ occisus asseritur Sanctus Vulstranus* (lege Wulstanus: sic enim eum Westmonasteriensis, & aliquando * Malmesburiensis appellat) *nepos duorum Regum Merciorum. De cujus sanctitate cælestia non defuere miracula indices. Nam de loco ubi innocenter occisus est, columna lucis usque ad cælum porrecta, omnibus loci illius incolis, per dies triginta stabat conspicua.* Martyrii causa, ejus probitas fuit, & passim ab Authoribus ita refertur.

Baron. hic n. 19.

* Malmesb fol. 284.

VI. Mortuo parente, de quo suprà *, & avo Withlafio; ei Merciorum regnum, natalium jure debebatur. Verùm cum per ætatem, minùs aptus ad regnum videretur; pueritiæ annos, sub Bertulfo, Withlafii fratre, & tantisper tyrocinium ponere jubetur; moresque Rege dignos induere. Quos ille, cùm ad omnem pietatem, virtutémque formasset: Berfertus, Bertulfi filius, id sibi ad coronam impedimento futurum ratus: puerum per insidias, ad colloquium invitatum, obtruncat in loco, *qui usque hodie Wistanestowe nuncupatur*, inquit Author vitæ apud Capgravium: qui pluribus narrat, ut Berfertus, Alfledam Wimundi relictam ad nuptias sollicitaverit: ut Wistanus matri, à Spiritu Sancto doctus, castitatis consilium injecerit; ut ita voto frustratus Berfertus, in Wistanum surrexerit; & letale vulnus capiti inflixerit: sed quia Wistanum ubique Regem facit, nulla Bertulfi mentione, hæc ad ornandam historiam recitari videntur. Meliùs ergò, simpliciùsque Ingulfus, & Bertulfum Regem facit, & parricidii authorem. Nam ita de illo: *Withlafio successit in regnum Bertulfus, frater suus; regnavitque similiter tredecim annos, Athelwulfi Regis West-Saxoniæ tributarius; sed non more, nec amore fratris sui Withlafii Regis, Sanctos Dei, neque Croylandiam amplexatus. Berfertus namque filius suus, in sanctâ vigiliâ Pentecostes, consensu patris sui Bertulfi, cognatum suum S. Wistanum, filium Wimundi, filii Regis Withlafii, & Alfledæ filiæ Ceolulphi, quondam Regis (tanta ferebatur ad regnandum ambitione) crudeliter ac impie interfecit. Corpus innocentissimi Martyris, tunc Ripadio delatum, juxta Withlafium avum suum, humatum; posterioribus annis, per fidelium devotionem, ad Eveshamiam est translatum.*

* vide in 834. n. 4

Martyrii causa.

Ingulf. f. 858

Corpus Eveshamiæ repositum.

VII. Hoc anno octingentesimo quadragesimo nono, Sanctæ Helenæ, Constantini matris, ossa, quæ Romæ jacuerant jam annos quingentos viginti tres, in Basilicâ Martyrum viâ Lavicanâ, inde elata per Theogisum Monachum, in Gallias deferuntur, & *in Altovillari cœnobio, ingenti miraculorum fulgore, collocantur*, ut in Gallicano Martyrologio legitur: & * suprà retuli, cùm mortem ejus recensui; ubi etiam promisi me dicturum hoc loco, quid in hâc reliquiarum ejus translatione evenerit, à Flodoardo in historiâ Remensi, posterorum memoriæ commendatum. Cum enim lectissima fœmina, in Britannis nata, in Britannorum Fide vixerit, atque senuerit; cum ipsa Sanctorum reliquias avidissimè quæsiverit; quæsitas, auro, argento, ædibúsque sacris ornaverit; voluit Deus, ipsam quoque in reliquiis piè à Fidelibus coli, atque honorari. Ut vel hinc etiam Novatores discerent, Sanctorum, & reliquiarum cultum, non unius sæculi, non unius privatæ Ecclesiæ; sed omnium sæculorum, omnium Ecclesiarum, omnium omnino fidelium, morem fuisse. Patere ergo, Lector, in Anglorum Annalibus Britannam fœminam commendari, recitarique ea quæ Deus in illâ mirabiliter operari dignatus est: præsertim cum ab externis referantur. Cum enim supradictam ex Occidente nostro in remotissimum Orientem deduxerimus: inde Romam, ut pietatis mercedem reciperet; jure possumus thesaurum repetere, & restituere Occidenti. Flodoardus, qui sequenti sæculo vixit, & mortuus anno 966. cùm Altumvillare monasterium, à sancto Nivardo constructum dixisset, de S. Helenâ hæc habet.

Helenæ ossa in Gallias translata.

Gallic. Mart. 18 Aug.

* vide an. 316 n. 67.

Sanctorum corpora coluntur omni sæculo.

VIII. *Ad prænotatum hujus Sancti viri cœnobium, Beata Helena Reginæ constat corpus ab Urbe Roma devectum. Quod quidam Presbyter Remensis parochiæ, Teugisus nomine, Romam profectus, noctu inopinus in Ecclesiâ remanens tempore; furatus cautissime secum studuit deferre. Qui dum jam secundam mansionem haberet in sylvâ, quæ civitati adjacet Sutria, in crastinum unus e Comitibus ejus, pignora sancta levare super asellum gestiens, ea nullatenus valuit movere. At stupidus, hæc magistro notificat: qui concitus pergens, thesaurum pavidus apprehensum, jumento sine gravitate ponderis imposuit; cum esset inferior repulso viribus corporis. Confessus est autem idem minister, nocturno se pollutum fuisse somnio. Venientes ad rapidissimum fluvium Taram, cum illum non auderent ingredi, propter validissimum ipsius impetum; animal, sacro tutum munere, sponte descendit in flumine. Quem secutus alter asellum ferens Presbyterum, licet undis pene videretur immersus, transiit tamen fluvium, cum latera fluctibus non attinxisse probaretur almi pignoris bajulus. Item dum superant Alpium juga quædam, Comes hujus itineris puella, in præceps labitur acta; quæ dum miserabiliter volvitur per devexa, sociis Beatæ Reginæ proclamantes, expetunt patrocinia. Cum subitò in prærupto montis basis latere delapsa: sicque, demissis fastiolis, retrahitur incolumis ad superiora; nullam, ceu visum sibi est læsionem perpessa.*

Flodoard in hist. Remensi l. 2. c. 8.

IX. *Quibus compertis, nonnulli miraculis, devotiùs hujus oneris famulabantur obsequiis. Inter quos, equo quidam desiliens, beata superimponit pignora: descensusque montis arctam ingressus semitam, propriis onus extollit humeris. At subito lubrico pede secuto, ruit in præceps: sacra tamen brachiis astricta nullatenùs omittens munera: cum protinus, turbà sequente, nomen Reginæ precibus ingeminante, equus qui sacra gesserat, suam nihili pendens ruinam, ruentem anterioribus hominem cruribus amplexus, tamdiu eum, Deo se sustinente, tenuit; donèc ab incolis subter degentibus, glacies ferro crispata, & tam homo, quam equus, in callem sunt funibus revocati. Pervenientem autem ad pagum Lingonicum, in vicum, qui vocatur Ossismus, Ecclesiæ beati Wimebaldi *; almas intulerunt reliquias: ubi quædam contracta, genibus repens muliercula; mox ut horum gestamen pignorum attigit, ad sua revocatis officia nervis; sanitati perfectissimè redditur. Inde itinere unius diei peracto; quidam omnibus jam per sexennium dissolutus artubus; lintheum Beatæ Reginæ, cum gladio, mittit in munere; sed antequam conjux ejus ad eum, qui hæc detulerat munuscula, rediret; infirmus idem membrorum omnium recuperat munia. His audites, quædam matris ab utero cæca puellula deducitur huc, ad sancta præsidia: moxque dum feretrum beata contigit Dominæ; depulsâ, lumen recepit, cæcitate. Ingressu villam Avergam, quædam muta, sed & officio manuum destituta, pro-*

* vide an. 760. n. 8.

greditur

gredient obviam, qua statim recuperatis membrorum muniis, optatam meruit invenire medelam.

X. *Deinde venerando hoc, in Ecclesia villa Falesia, posito munere; quidam Lunaticus tandem basilicam est ingressus. Tum novissimè vexatus, merito beatissima, petentibus cunctis plenissime regreditur absolutus, integrâ scilicet sospitate donatus. In eadem villa, quidam morbo arreptus, tria grabbato exegerat lustra; carne jam ita putrefactâ, ut viginti tria è corpore ipsius cecidisse feratur ossa. Qui ad divam perlatus mediatricem, virtute divinâ erectus; stupente populo redditur sanus. Quædam quoque puella, nomine Bava, genibus attracta repente, utpote utroque poplite contracto, matris ex utero; basibus hic solidatis, recto recessit vestigio: quæq; postmodum Remis in sancto permansit proposito. Accedit quoque quæ paralysi resoluta, linguæ penitus amiserat officia, laxisq; nervis, dextra manus, inutilia dependebant vincula. Cujus allatus in munere linteolus; ut thecam sacri contigit corporis, munia pristina perfecta recepit salutis. Quidam surdus a nativitate, vervecem adduxit, Ecclesiam ingressus, ad Missarum solennia stetit. Ut ad Evangelium ventum est recitandum, verba vitæ insolita cepit aure percipere. Quo perlecto curatus, confessus est, Evangelium se nunquam prius audivisse. Pater quidam [illegible] advenit pueri, quem ad exitum jamjamq; vis impellebat ægritudinis. Genitor ergo, votum pro vitâ vovens [illegible] redit, & puerum, qui per quinque jam dies fomenta spreverat mamma, reperit incolumem, lacq; sugentem. Paralyticus quidam, Treviroris [illegible] est advectus qui septem dudum ritibus, omnium membrorum soliditatem adeptus, toties carnis se prementibus depulerit, miserabiliter est recontractus. Qui postquam propria confessus est facinora: quod non egerat, cum vigesimus jam volvebatur annus, permansura est deinceps sanitate potitus. Adlata est item mulier quædam, dextro latere, pestis immanitate resoluta; quæ perfectam consecuta medelam, reversa est sana. Item adducitur mane mulier cæca, quæ horâ rutilante tertiâ, geminâ regreditur illuminata lucernâ.*

XI. CUR MIRACULA RECENSENTUR? Hæc omnia Flodoardus; quæ præter morem, miranda recensui, quia Dei Opt. Max. potentiam, & Britannæ fœminæ sanctitatem loquuntur. Et quam Deus redire voluit in nostrum Occidentem, cum honore: par est ut nos eandem etiam cum honore reducamus. præsertim quia exploratè postmodum constitit, ipsissimæ Helenæ reliquias fuisse, quæ M. Constantinum mundo primùm, inde cœlo peperit. Sic enim prosequitur Flodoardus, deponitque Helenam suo Mausolæo. *Denique, inquit, ut perlata est ad præfatum Altumvillarense monasterium sacratissima glebas quibusdam dubitantibus, an ipsa foret Helena, Constantini Augusti genitrix, vitalisq; ligni repertrix: id probabili Christus asseverare dignatur aqua indicio, triduano supplicatus jejunio. Mittuntur etiam tres fratres, ex eodem monasterio Romam; ad indagandam translationis hujus beatæ Reginæ certitudinem. Qui redeuntes, & veritatis hujus indaginem, & geminatum gaudium; corpus videlicet beati Polycarpi Presbyteri, collegæ sancti Sebastiani, huic attulere cœnobio.* De supradictorum omnium veritate, nemo fortè dubitabit; qui legerit frequentissimas sanctarum reliquiarum ex Urbe in Germanias, Galliásque, translationes, quæ hoc sæculo recensentur; & ingentia miracula, quibus earum cultum Deus probavit. De sanctorum Petri & Marcellini (è quorum Ecclesiâ Helenæ ossa elevantur) corporibus, in Gallias translatis, videatur Baronius, & Westmonasteriensis noster, ad annum 826. & dicet Lector, Deum ubique in Sanctis suis mirabilem esse.

Flodoard. suprà.

XII. TEMPORIS RATIO. Quod ad tempus spectat, annus translationis S. Helenæ, ex Urbe, in Gallias benè consignatur à Sigeberto, & Baronio, Christi octingentesimus quadragesimus nonus, quo pariter anno Fasti nostri, Cuthwulfum, in Herefordensis Ecclesiæ Sede Episcopum constituunt. Unde sub idem tempus, mortuum esse Eadulfum prædecessorem ejus, consequenter concludimus: quorum sola nomina posteritati remanserunt. Sed multò felicius obiisse credendus est Jeron Sanctus; qui inter Batavos Fidei sementem liberaliter sparsit: & circa hæc tempora, laboris fructum accepit, morte, pro Christo obitâ. qui quamvis Scotus aliquando appelletur. Alii tamen, opinor, rectiùs, Anglum vocaverunt. Sic Magdeburgici, qui alios citant. *Jerens*, inquiunt, *natione Anglus, Presbyter in Hollandiam excurrit; & Evangelium apud Northwick docuit, mercedemq; Apostolicam recepit, à Tyrannis occisus, circa annum Domini 849: Cornelius Cornipolitanus lib. de Tempore, Baleus Cent. 13. cap. 65.* Ita illi. Addunt Fasti Belgici: *Danis, ac Normannis sævientibus, Nordovici ab impiis capite plexus est. Corpus inde Egmundam, ad S. Adalberti Abbatiam Benedictinorum, per Theodoricum Comitem II. est translatum.* Idem habet Gallicanum Martyrologium ad 17. Augusti.

MORITUR EADULFUS HEREFORDENSIS EPISCOP. SUCCEDIT CUTHWULFUS.

Cent. 2 p. fol. 334.

ANNUS CHRISTI 850.

LEONIS IV. PAPÆ 4.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 14

BERTULFI MERC. REG. 12.

I. DANI ANGLIÆ ET GALLIÆ MINANTUR. ANNO Christi octingentesimo quinquagesimo, in Angliâ, Galliáque trepidatum est; Dano utrique regno imminente. Reges utrobique hostilem impetum sistere, omni conatu, industriáque connisi sunt. Et forsan è re successisset; pestem, inquam, illam avertisset; si licitis solùm armis, auxiliisque pugnassent. Sed ubi libido fuit, Ecclesiam exuere, ad in luendum militem, & Christi patrimonium, ad munienda litora, prostituere; iratior, non placatior Deus, permisit utrumq; regnum Dano in prædam cedere. Nesció uter magis, Gallúsne an Anglus, hoc peccatum peccarit: utrumque peccasse, tristissimus rerum eventus docuit. Vidimus nuper in Meldensi Synodo Patres; pro Ecclesiæ bonis, nè laicis traderentur, orasse benè. Sed non secuta est morum correctio. Hinc Dani Gallias, hoc anno insederunt, & Neustriam (quam à se post Normanniam vocaverunt) nè porrò in Gallias irrumperent, acceperunt. Sic enim Annales veteres à Pithœo editi referunt. *Hoc anno octingentesimo quinquagesimo, Northmanni, Godefrido Duce, per Sequanam ascendentes; regnum Caroli prædantur. Ad quorum expulsionem, Lotharius in auxilium vocatus, cum sibi, cum hoste pugnandum esse putaret: Carolus clam mutato Concilio, Godefridum cum suis, in societatem*

UNDE MALORUM ORIGO?

apud Baron. hic n. 5.

DANI NEUSTRIAM OCCUPANT.

regni suscepit ; & terram en ad hab.tandum delegavit. Hæc ibi.

II. Galli ab avita pietate deficiunt.

Hoc Caroli factum, ita Baronius commentatur : *Vidisti degenerem à Majorum suorum fortitudine Principem, Northmanno pirata succumbere, & ab eodem turpiter adeo redimere pacem, regni consortio ? Unde mala ista ? Non aliunde quidem, nisi quod à majorum pietate, & propenso religionis cultu; per quem sibi illi Deum conciliantes, facti sunt adversus barbaros omnes invicti, reperiuntur hi fuisse degeneres. Francorum tunc quidem enituit robur, cum in Regibus cultus pietatis excelleret : elanguit cum defecit, & Ecclesia sunt prostituta laicis. Quorum redditibus non sunt illi roborati, vel erecti; sed enervati, penitusq; depressi. Luxerunt ista, & apernerunt ea Principibus ipsis Reverendissimi Patres in Meldensi concilio: & ad putridum vulnus opportuna apposuere remedia. Sed recusavit ille ea omnia suscipere. Unde justo Dei judicio factum est, ut qui latas à Sanctis Patribus leges subire renuit ; coactus sit à Northmannis durissima recipere jura : & qui Ecclesiarum bona laicis tradebat ; coactus sit sua largire Northmannis.* Hæc Baronius, detegens malorum fontem, unde miseriarum flumina, in calamitatis Oceanum deferuntur omni sæculo.

III. Angli, ut Galli, peccant et puniuntur.

Nihil de Britanniâ nostrâ dici potest expressius, nihil disertius fontem aperit tantæ vicissitudinis, nostrorum regnorum, rerúmque publicarum. Enimverò quandiu Reges, & Principes, Ecclesiam ditaverunt; ditavit eos Deus gloriâ & honore. Sed ubi Ecclesiarum splendor, ad meridiem venit; solstitium pietatis fuit, & meridiana Lux adeò laicorum oculos perstrinxit, ut scrutari primum majestatem illam Principes cœperint ; mox illâ capi, capere, & opprimi. Hinc justo Dei judicio factum, ut Dani, hoc nono sæculo, omnia deprædati sint, ut statim apparebit. Et ubi iterum Angli, à Danorum tempestate respirantes, Ecclesiarum cultum negligent; venient denuo è Galliis Normanni, qui undecimo sæculo. Insulam (ut nunc Galliam) castigabunt. Nunc nonum sæculum repeto, & Bertulfum Merciorum Regem, cum Carolo Francorum Rege componens; ostendo eum, eodem modo peccantem, eodem modò castigatum esse.

IV. Bertulfus ex bonis Ecclesiæ, militem scribit.

Bertulfus itaque Danorum potentiæ timens, & Londinensi Urbi ; quam Danorum avaritia, spe (ut re nuper Parisios) devoraverat ; militem scribere, munire litora, loca præsidiis firmare cœpit, hoc anno octingentesimo quinquagesimo. Id quidem laude dignum, & Sancti Principis officium : si ære suo stipendium militi numerasset. Sed quia aram tetigit, & Ecclesiarum majestatem lædendo, mederi voluit malis Reipublicæ : nec à se, nec à Republicâ malum avertit. Dicat Ingulfus, quid à Bertulfo factum, pro Danorum exterminio. *Bertulfus*, inquit, *deprædator monasteriorum, etiam transiens per Croylandiam, quæcunque frater suus Witlafius, vel alii Reges Merciorum, jocalia plurima, in sancta Ecclesiæ ornamentum, largâ manu contulerant ; omnia, una cum totâ pecuniâ, quam in monasterio invenire potuit, sceleratissime diripuit : & conducens inde milites, cum bellum contra Danos qui circa Londonias debacchabantur, iniret, ab iisdem paganis superatus, & fugatus est.* En peccantem cum Carolo, & cum Carolo punitum, Merciorum Regem: Elegans argumentum, prædones, omni alio armorum genere potentius expelli, quam prædatione Ecclesiarum : & Reges regnáque florere atque ditescere, cum dives est in terris Deus: cum verò expilantur domus ejus, Reges regnáque pauperiem pati ; quod Danorum, aut Northmannorum irruptione, hodiéque cernitur.

Ingulf in histor. fo. 858.

V. Bertulfus resarcit damna Ecclesiis illata.

Vix peccarat Bertulfus, aut ejus certè nomine Regii satellites ; cum errorem culpamque deprecatus est pœnitens Rex. Nam hoc ipso anno, coacti in unum utriusque Reip. proceres, Croylandensis monasterii querelas audiverunt ; auditas è Canonum præscripto sopiverunt : denique, sequenti anno, in pleniori Concilio, Bertulfus Regium diploma scripsit, integre damna resarciens. Quod ad hujus anni conventum spectat ; fuit ille in Catticuchlanis, & Herfordiensi provincia ; ubi Bennington oppidum, post multa etiam sæcula, nomen retinuit. Quid ibi, præter dictu monasterii quærimoniam dictum, nemo prodidit. Unde Spelmannus illum, inter Synodos, referens; hanc solum ponit Epigraphen : *Concilium apud Benningdon, à prælatis, & proceribus regni Merciæ, sub Bertulfo Rege habitum, annum circiter octingentesimum quinquagesimum, vel paullò antea. In quo Askillus commonachus Croylandensis, graviter questus est, de plurimis damnis, & injuriis, per vicinos Danos, & insidiatores, suo monasterio illatis. In quorum resartionem Bertulfus Rex, non solum ubertima prædia ; sed & splendidissimas immunitates, iis concessit, ut videre est in chartâ suâ, quæ in Concilio Kingesburiensi, solenniter confirmata est.* Agam de hoc Concilio, anno sequenti, quo habitum est ; ubi Bertulfus aptissimè restituet Croylandensibus monachis, quicquid militum licentia, aut aliorum cupiditas abstulit. Sed quia tetigerat arcam testamenti ; sed quid dico arcam ? Christi sponsam & Ecclesiam : regno nihilominus minutus est, ut mox exponetur. Nam ut in humanis, læsa majestas, non inter venialia facilè computatur: ita mortalium nemo peccat, quàm qui Deum tangit, aut Sponsam ejus. Moritur, hoc opinor, anno, Ceornulfus, Londinensis Episcopus : & Switulphus in ejus locum subrogatur, de quo plura anno sequenti.

apud Spelm. fol. 344.

Ceornulfus Londinen. Episcop. moritur: succedit Swithulphus.

ANNUS CHRISTI 851.

LEONIS IV. PAPÆ 5.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 15.

BERTULFI MERCIORUM REG. 13.

I. Annus è varia materia notabilis.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus quinquagesimus primus : variâ rerum vicissitudine memorabilis ; nunc Dano vincente, & Anglos triumphante ; nunc Anglo Danos mari, terraque persequente : Deo utrobique pro se, sanctorumque suorum cultu, mirabiliter pugnante. Prodibit etiam Bertulfus Rex pœnitens, se reum dicet, pœnamque sibi & successoribus imponet, quo violatæ Ecclesiæ culpam expiet : denique probabit Deus pœnitentem Regem, augebitque pœnam regni privatione : Ethelwolfum verò virum piissimum, insigni contra Danos victoriâ coronabit. Hæc omnia præsentis anni argumenta, suo, quoad potero, ordine, exponam.

II. Bertulfus pro regno solicitus.

Vidit Bertulfus, nascituram ex Oceano nostro procellam; quæ procul omni dubio Insulam inundatura esset, nisi deus pietatis operibus ad misericordiam flecteretur. Nam præter Danorum irruptiones, quæ undique timebantur; morbum Deus omni hominum generi immiserat; qui non plebem modò, sed utriusque Reip. proceres invadens, tam sævâ paralysi membra dissolverat; ut inutilia prorsus redderentur. Quid in hoc rerum adversarum diluvio, facto opus esset; Bertulfus Rex, tunc quæsivit, cum de more, Principes congregari solerent, ad festum Paschatis celebrandum.

Conventus Regii sive Parliamentum.

Enimvero ter in anno, nimirum in Christi natalitiis, Resurrectione atque Pentecoste, ad Curiam Regis; tam cleri, quàm laicorum primi, convenire, Regem salutare, & cum eo consilia communicare, consueverunt: quæ postera ætas Parliamentum vocavit: aut certè, conventus ille, in quo Regem, coronâ redimitum, utriusque Resp. Principes honorabant, & Ecclesiæ, regnique negotia, concludebant: in ea, quæ nunc vocamus Parliamenta, desiit; quæ non statis, ut olim temporibus, sed pro Regum arbitrio, coguntur; saltem ab Edwardi III. tempore.

Locus conventus, et quinam adfuerunt?

Itaque hoc anno Bertulfus, resurgentem à mortuis Christum celebraturus; Kingesburiam proceres vocat: & illi, licet communi morbo vexarentur, adesse, & laboranti Reip. operam, opémque accommodare voluerunt. Cæterum quia Episcopi atque Abbates, conventui de more adfuere: Spelmannus illum cum Synodis recensuit, addita hac Epigraphe: *Concilium Kingesburiæ, sub Bertulfo Rege Merciorum, sextâ feriâ Paschatis, anno Christi 851. celebratum: præsentibus Ceolnotho, Doroberneusi Archiepiscopo, cæterisq; regni Merciæ Episcopis & Magnatibus. In quo præter regni negotia, amplissima munificentia charta Bertulfi Regis, monasterio Croylandiæ, cum S. Benedicti regulâ confirmatur.*

Spelman. fol. 344.

Omittit ille; & fortè nemo prodidit, varia regni negotia, quæ alteram Remp. spectabant: refert solùm Regiam chartam ex Ingulpho; quam statim subjicio: ubi insigne miraculum exposuero, quod Spelmannus tacuit: Ingulphus tamen posteritati voluit commendatum. Cur enim silentio tegerem, quod in luce publicâ gestum, Regis, Episcoporum, procerúmque omnium suffragio, & chirographo confirmatum est. Quod Spelmannus illud tacuerit, in promptu caussa est: quia miraculo illo, Sanctorum cultus eloquentissimè comprobatur: & muto dæmonio laborant factiosi, quoties Sanctorum cultus asserendus est. Loquatur ergo Deus, & tam sonorè loquatur, ut nemo negare possit Dei vocem esse.

III. Miraculo curantur morbo laborantes.

Cum Rex, & Proceres, in ipso negotiorum ingressu; de rerum agendarum serie tractarent: Ceolnothus, Dorobernensis Antistes, pro sui loci, Sedisque prærogativâ, intercessit. Dixitque Dei, & Ecclesiarum causas, omnibus regni negotiis præponendas. Hinc de Croylandensis monasterii detrimento, & injuriis agi cœptum, quas militum licentia fecerat: Cumque omnes, Episcopi præsertim, pro Sancto Guthlaco strenuè advocarent; resarcienda esse damna, restituenda privilegia, sarta, tectáque servanda omnia, quæ Majorum pietas in illum locum profuderat; Deus pro Sancto advocantibus mirabiliter adfuit: & quotquot morbo communi tacti, divinâ virtute, Sanctique Guthlaci meritis, curati sunt. Sed mallem hoc ex Ingulfo audire, qui ante annos quingentos ita scripsit, de Kingesburiensi Synodo. *Fecit Deus in isto Concilio, ad honorem sanctissimi Confessoris sui Guthlaci, celeberrimum miraculum; quo devotio totius terræ, ad peregrinationem peragendam Croylandiæ, jam plus solito tepidam; deinceps fieret frequentissima: & per omnes vias, ab omnibus Provinciis redderetur quotidie rediviva. Cum enim totam Angliam contereret hoc annò quidam morbus, quasi paralysis; nervis hominum, mulierum ac infantium, frigore repentino, & excessivo (venis durius orientibus, nullo prævalente pannorum remedio) repercussit; ac maximè brachiis, ac manibus hominum inutilibus factis, ac totaliter arefactis. Quem quidem morbum, præiens quasi nuncius ejus certissimus, intolerabilis dolor membrum sic ægrotans præoccupavit. Contigit in hoc Concilio, plures, tam majores, quàm minores, dicto incommodo laborare.*

Ingulf. fol. 801.

IV.

Cùmq; regni negotia proponerentur, Dominus Ceolnothus, Archiepiscopus Dorobernensis, qui dicto morbo vexabatur; apertè consuluit, divina negotia, debere primitùs proponi: & sic humana negotia, Christi suffragante gratiâ, finem prosperum posse sortiri. Assentientibusq; universis: cum Dominus Siwardus Abbas quereretur; eò quòd in Conciliis, & Synodis, pro magnâ facundiâ suâ, & religione sanctâ, quasi divinus interpres, & innumerabilium negotiorum totius cleri gratiosissimus expositor, ac promotor, ac pro nimiâ senectute non adesset; quin per fratrem Askillum, commonachum suum, suam absentiam, longi senii sui gravitate, humillimè, literâ excusaret: ipsemet Rex Bertulfus, querelæ Ecclesiæ Croylandensis reminiscens; coram Concilio, injurias Domino Siwardo Abbati, ac monasterio suo Croylandiæ, adversariorum suorum fatuo furore sæpiùs illatas, patenter exposuit; & ut remedium apponeretur, decerni communi concilio, imperavit. Cum ergò istud negotium, in medio versaretur: & petitio Domini Siwardi Abbatis; super hoc, per prædictum fratrem Askillum proposita; de manu; ad manum Prælatorum, ac Procerum totius Concilii incurrisset, aliúsque aliud consuleret: Dominus Ceolnothus Dorobernensis Archiepiscopus, altâ voce, de morbo suo, se sanum & incolumen exclamavit, meritis sanctissimi Confessoris Christi, beatissimi Guthlaci, cujus negotia tunc in manibus tractabantur. Exclamant item plures alii potentissimi, in dicto Concilio, tam Pontifices, quàm Magnates, se dicto morbo laborasse: sed jam per Dei gratiam, & sanctissimi Guthlaci merita, nihil doloris ex prædicto incommodo, in membris aliquibus se sentire. Omnesq; ad visitandam sacratissimam tumbam sanctissimi Guthlaci Croyland, devotâ peregrinatione, quam citiùs poterant; voto mox arctissimo, suas conscientias astrinxerunt. Quapropter Dominus Rex Bertulphus, Episcopo Londinensi præcepit (qui tunc optimus Notarius habebatur; & dictator eloquentissimus; insuper dicto morbo contactus; jam se sanatum maximo gaudio prædicabat) privilegium Croyland in manus assumere; & medicum suum, sanctum Guthlacum, chirographo suo, prout Concilium statueret; insisteret honorare: quod & factum est. Hæc omnia Ingulphus.

Ceolnothus curatur, et omnes in Synodo.

Vovet peregrinationem ad S. Guthlacum.

Londinensis Episcopus.

V. Miraculum illustratur.

Nescio quid dici possit, ad Sanctorum cultum asserendum illustrius; cùm Rex, regni Principes, cùm omnis ordo; cùm universa Synodus, miraculum contestati sint; quod, ut æternum esset, & omni Posterorum memoriæ commendandum; Bertulfus ad honorem Dei, publicum instrumentum confici jussit, chartámque regiam, quam cuncti

in Synodo, suâ manu firmantes, omnem dubitandi, aut de miraculo controvertendi ansam, etiam factiosissimis, præscindunt. Hanc chartam, in dictorum Fidem, debeo apponere; licet longiuscula sit, & Croylandensis cœnobii terminos, ac confinia circumscribat; quæ Lectorem fortè ad alia properantem, impediunt. Sed quia de Regia Fide agitur, & Ecclesiarum bonis: non possum ea omittere, quæ Bertulphum Regem, & monasteriorum jura commendant. Excuset itaque Lector barbaras voces, quas si tædet legere; non tædeat inde colligere pietatem Regiam, Insulæ sensum, Fidemque hujus sæculi, in cultu monasteriorum, in veneratione Sanctorum, atque reliquiarum: in votorum religione, in sanctæ peregrinationis studio; quæ omnia à Britannis etiam omni sæculo usurpata, centies diximus, & ideo repetimus, quia stupet adversarius, & surdaster est, ad omnem antiquorum fidem: Et quicquid in Saxone, aut Anglo nauseat ac fastidit; imperitè negat antiquum esse, aut à Britannis factitatum. Ad Bertulfum redeo: qui jussus à Synodo, damna resarcire, Croylandensi monasterio illata: *In recompensationem aliqualem* (loquitur Ingulphus) *pecuniæ direptæ, hujusmodi chartam, plurima privilegia continentem, fecit Croylandiæ, de terris suis, & libertatibus, in hæc verba:*

BERTULFUS REX MERCIORUM, Venerabili Patri, Domino SIWARDO Abbati Croylandiæ, omnibusque Fratribus suis Monachis ejusdem Monasterii, præsentibus & futuris, Salutem in Domino sempiternam.

VI. Charta Bertulphi Regis. pro Croylandia.

G*RATIAS debitas vobis omnibus dignissimè reddo; pro pecuniâ, quæ me per vos dudum prætereuntem, in mea maximâ indigentia, contra paganorum violentiam, gratissimo, & liberalissimo animo refovistis. Quo tempore, quia de injuriosis damnis, vobis per quosdam viros adversarios, malitiosè nimium illatis, mihi graviter conquesti estis; qui nequiter insidiantes in exterioribus ripis aquarum vestrarum, si dictas ripas ascenderent in piscando, qui de fugitivis servi vestri sunt effecti: & pari modo multotiès custodientes mariscorum vestrorum; si fortè oves & boves, aut cætera animalia vestra longiùs errantia revocare dicti servi vestri excederent: & eosdem servos vestros, extra vestram Insulam inventos, velut impunitatis suæ violatores, publicis legibus subjicerent & damnarent. Sicq; necesse fuit frequentissimè, vel dictos servos vestros, in manus hostium suorum incidere & perire; vel eorum labores, ad justum commodum vestrum non procedere. Propositâ ergo tali querelâ vestrâ, per fratrem Askillum, commonachum vestrum, palam coram prælatis, & proceribus totius regni mei Merciæ, apud Bennington, ultimò congregatis; omnibus tenerrimè compatientibus, super ejusmodi vobis illatis injuriis; ad honorem Dei, & sanctæ matris Ecclesiæ relationem: considerantibus etiam & collaudantibus universis, perfectionem sanctissimæ religionis vestræ; pro majore pace & quiete vestri sacri monasterii, complacuit privilegia Domini Withlafii Regis, fratris & prædecessoris mei, de impunitate vobis concessa, declarare, & dilatare, in eleemosynam animæ meæ: declarataque ac dilatata, meo chirographo confirmare.*

Withlafii privilegia confirmantur.

Quapropter præcepi Radboto Vice-domino Lincolniensi, cæterisq; ministris meis, in illâ parte constitutis; Insulam vestram Croylandiæ, ac terminos mariscorum vestrorum circumire, & describere; mihiq; & Concilio meo, ubicumque in ultimo Paschâ fuissemus, fideliter & lucidè demonstrare. Qui jussa complentes, istis nominibus Insulæ vestræ, mariscorumq; vestrorum circuitum, mihi & Concilio meo, sanctum Pascha nostrum tunc apud Kingesburii tenentibus, apertè descriptum obtulerunt.

VII. Termini Croylandiæ.

Claudit enim Insulam vestram de Croyland, ad ejus Orientem (prout antiquitus per eam dotavit monasterium vestrum inclytus quondam Rex Merciæ Ethelbaldus, fundator vester, & cæteri Reges Merciorum sui successores, suis chirographis confirmaverunt) ab Asewyktoftherne, usque ad Tedwarthar, aqua de Schepisbee, habens dictam Insulam in parte suâ Occidentali, & mariscum de Cappelade, in parte sua Orientali. Et de Tedwarthar; usque ad Namanslandberne, claudit eam aqua de Sowthee, habens dictam Insulam, in parte suâ boreali; & silvam de Ancarig in parte suâ Australi. Et de Namanslandberne, usque ad pontem de Croyland, claudit eam aqua de Nene; habens dictam Insulam in parte suâ Orientali; & mariscum vestrum, dictum Aderlound, in parte suâ Occidentali: & de ponte de Croyland, usque ad Wodelamouth, claudit eam aqua de Weland, habens dictam insulam in parte suâ Orientali; & mariscum vestrum, dictum Goggislound, in parte suâ Occidentali. Et de Wodeladmouth, usque ad communem Serveram, de Asendik, claudit eam prædicta aqua de VVeland; habens dictam Insulam in parte suâ Australi, & mariscum de Spadeling in parte sua boreali; & de prædicta Severa, usque ad Asewiktoft, claudit eam prædicta aqua de Asendik, habens dictam Insulam, in parte suâ australi, & marisco de Spadeling, VVeston, & Multon in parte suâ Boreali.

VIII.

Mariscorum verò vestrorum jacentium ex opposito Insulæ vestræ de Croyland ad ejus Occidentem, limites, & termini, per eosdem ministros meos descripti, nominibus istis mihi sunt oblati: videlicet de Namanslandberne, usque ad Finset, & inde usque ad Greynes. *& inde usque ad Folwardstaking: & inde versus boream, usque ad VVeland: & ascendendo ad Aspath; & inde versus boream, usque ad VVeland, ubi Southlake intrat in VVeland; & sic transeundo ipsam aquam de VVeland, & ascendendo ad Aspath, & inde versus boream, usque ad VVerwerlake: & sic per Harnholt, usque Ad VVengerlake: & inde, usque ad Oggot, sive Dedmanslake: & sic per Apinholt, & VVodelake, versus Orientem, usque ad VVodeladmouth, qui est terminus Insulæ vestræ, in illâ parte contra boream; sicut Namanslandberne est terminus Insulæ vestræ, contra austrum. Communia etiam pastura omnium animalium vestrorum, protenditur ultra dictos terminos mariscorum vestrorum, versus austrum, usque ad agrum monachorum de Medeshamsted; & versus occidentem, usque ad agrum monachorum Ecclesiæ sanctæ Pegæ, in australi marisco de VVeland; & in boreali marisco protenditur versus Occidentem, usque ad ædificia de Deping: & versus Boream, usque ad ædificia de Spalding, omnibus anni temporibus, prout à fundatione monasterii vestri, hactenus omnia prætacta pacificè possedistis.*

* Gremes.

Ecclesiæ S. Pegæ.

IX.

Pro servis ergo vestris; quos de fugitivis, sive piscatores, sive pastores vobis feceritis; cum communi concilio totius regni mei concedo sancto monasterio vestro, ultra exteriores ripas quinque agrorum claudentium Insulam vestram, viginti pedes in latitudine; ab ipsâ aquâ, ubicumque ascenderint, ad retia sua extrahenda,

aut

aut ad alia sua necessaria, in terrâ solide peragenda. Similiter quocumq; protenditur animalium vestrorum communia, in prædictis mariscis, illuc extendient etiam fugitivorum vestrorum licentia; ut si fortè in agros contiguos, ex tempestate, vel alio infortunio, vel latrocinio abducta fuerint: consentientibus omnibus Prælatis, & Proceribus meis, concedo ipsis fugitivis vestris, quòd sicut alii liberi homines, animalia vestra prædicta persequantur; & meliori modo, quo poterunt, repetant, & reducant: & quasi in Ecclesiâ suâ essent, pace meâ, & impunitate, per totam viam suam gaudeant: subq; mutilatione membri magis necessarii, nullus eos audeat molestare, vel in aliquo contrariari. Insuper pro dicti VVithlasii quondam Regis, fratris, & prædecessoris mei, proque redemptione meorum peccatorum, cum communi Concilio, gratuitóque consensu omnium Magnatum regni mei, concedo Deo, & beatissimo Confessori suo Sancto Guthlaco, sacratissimoq; monasterio vestro Croylandiæ, quòd per totum regnum meum Merciæ, Abbas, Monachus, conversúsque sacri monasterii vestri, qui nunc estis, & qui vobis succedent in futurum post vos, ibidem Domino servituri; pro quocumque negotio processerint, de dictis fugitivis via sua, famulos licenter sibi faciant, & producant. Inq; præsentiâ dicti Abbatis, Monachi, vel conversi, ubique per regnum meum, sicut in Ecclesiâ sua Croyland, salvi permaneant & securi, ac ab omni periculo immunes penitus, & indemnes; sub mutilatione membri magis dilecti, si quis istud privilegium meum attentaverit in aliquo temerè violare. Quod si extra prædictos 20. pedes in ripis exterioribus aquarum vestrarum, aut extra villata, quæ communia vobiscum vendicant in Occidentalibus mariscis vestris, ex utrâq; parte aquæ de VVeland, aut alibi, vobis absentibus, absq; viaticâ literâ Abbatis loci vestri, talis fugitivus repertus fuerit, juxta demerita, legali supplicio subjacebit.

X. *Declaratis namq; terminis, tam Insulæ vestræ, quam mariscorum vestrorum, declaratis etiam ad honorem Dei, privilegiis Domini VVithlasii, ac aliorum Regum Merciæ, prædecessorum meorum, vobis magnificè concessis; complacuit unanimiter mihi, ac universo Concilio, vestra omnia loca, mei authoritate Regii chirographi confirmare.* CONFIRMO *ergo vobis, & Successoribus vestris, Regulam S. Benedicti, sub habitu vestro, tam nunc professis, quàm post vos professuris, principalem vestram Ecclesiam Croylandiæ, in quâ veneranda reliquiæ sanctissimi Christi Confessoris, & Patroni vestri beati Guthlaci, corporaliter tumulati, ultimam resurrectionem feliciter expectant. totamq; Insulam adjacentem; prout per terminos suos, superius declaratos, ministrorum meorum diligentiâ sufficientissimè est descripta, in sedem separalem Abbatiæ vestræ, in situm specialem monasterii vestri, & in vestrum plenum dominium, singulariter, & perpetuò possidendum, unà cum duobus mariscis jacentibus ad ejus Occidentem: videlicet Aderlound, in Australi parte aquæ de VVeland, & Goggu-lound, in ejusdem aquæ parte boreali, per terminos similiter superiùs declaratos. Hæc est hæreditas Domini, dos Ecclesiæ Christi: solum Sanctæ Mariæ, & beati Bartholomæi Apostoli, sancti Guthlaci, Monachorumq; suorum sanctuarium sacratissimum, & monasterium ab omni terreno servitio liberrimum, illustrissimorum Regum eleemosyna specialis, & in omni tribulatione, universis locus refugii singularis; mansio Sanctorum perpetua, & possessio viris religiosis, communi regni Concilio specialiter appropriata: proq; frequentibus miraculis sanctissimi Confessoris, inter vineas Fugaddi, balsami mater fertilis, & Regum privilegiis Bosor in solitudine, omnibus pœnitentibus cunctis gratia, & salutis. Si quis sacratum hoc violaverit, vel in aliquo vexaverit; vindicabit in illum dextera mea, & hæredes mei, quicumque post me fuerint hujus regni Merciæ perenniter sceptrigeri successores.*

Monasteriorum bona hæreditas Domini.

XI. *Confirmo etiam Deo, & sancto Guthlaco, sacroq; monasterio vestro, de dono Fregisti* * *quondam militis Domini Kenulphi Regis, Ecclesiam de Langtoft, & in campis ejusdem villæ, sex carucatas terræ, habentes in longitudine quindecim quarentenas, & novem quarentenas in latitudine, & centum acras prati, & silvam, & mariscum duarum leucarum in longitudine, & duarum leucarum in latitudine; & quadraginta acras, de eodem feodo, in campis Deping. Confirmo etiam Deo, & sancto Guthlaco, sacróque monasterio vestro, de dono Algari militis, filii Northlang, Ecclesiam de Tetford, in capellâ Sancti Ioannis Evangelistæ de Baston: & in eâdem parochiâ, quatuor carucatas terræ, continentes in longitudine octo quarentenas, & octo quarentenas in latitudine, & quadraginta acras prati; & mariscum, continentem in longitudine sedecim quarentenas, & octo quarentenas in latitudine, & unum molendinum, & dimidium alterius molendini, & totam piscariam, in aquâ, sicut circuit pratum vestrum versus Orientem. Et de dono ejusdem Algari militis, in Repingale, tres carucatas terræ, & quadraginta acras prati.*

* Eregisti

XII. *Confirmo etiam Deo, & Sancto Guthlaco, sacroq; monasterio vestro de Croyland, ex dono Algari Comitis, patris junioris Algari, qui nunc est; Ecclesiam de Capelade, cum capella S. Ioannis Baptistæ, in eâdem villâ, & in campis tam in Holbeth, quàm de Capelade, quatuor carucatas terræ arabilis, & 6. bovatas, & 18. acras prati, & mariscum bis mille acrarum, & mariscum ter mille acrarum, & de dono ejusdem Algari Comitis senioris, ligneam capellam S. Mariæ de Spaldeling, quæ anglicè Stocklim appellata, sita est in Orientali parte fluminis ejusdem villæ: & in campis tam de Pinchbeck, quàm de Spaldeling, quatuor carucatas terræ, & totam piscariam prædicti fluminis, à ponte, qui ducit de cœmiterio prædictæ capellæ Sanctæ Mariæ, ad cœmiterium lapideæ capellæ S. Nicolai, & Anglicè Stonim appellata, quæ sita est in Occidentali ripâ, in manerio prædicti Comitis Algari, qui dedit ipsam piscationem, à prædicto ponte, usque ad Seweram de Asendise, Deo, & S. Guthlaco de Croyland; pro anniversario die patris sui, omnibus annis, in vestro monasterio solenniter celebrando. Confirmo etiam Deo, & Sancto Guthlaco, sacroq; monasterio vestro, de dono ejusdem Comitis Algari senioris, Ecclesiam de Sutterton, & tam in campis de Algarkirk, quàm de Sutterton, tres carucatas terræ arabilis, & duodecim bovatas, & 26. acras prati, & 4. salinas. Et de dono Oswii militis in Drayton, 8. hidas terræ, & quatuor virgatas.*

Anniversarius dies mortis.

XIII. *Confirmo etiam Deo, & Sancto Guthlaco, sacroq; monasterio vestro, de dono Askitelli, tres virgatas terræ, in Glapthorne. & de dono Wulgeri, tres virgatas terræ, in Pesekirke. Et de dono Edulfi de Laisberpe, unam bovatam terræ. & de dono Siwardi, Vice-Domini in Kirkby, tres bovatas terræ, unam mansionem, & 3. Cotsagia. Et de dono Sigburga Comitissæ in Staundon, 5. hidas terræ. Et de dono Wulnoti in Addington, duas hidas terræ, cum advocatione Ecclesiæ ejusdem villæ. & in alia Addington, de dono ejusdem, unam virgatam terræ. Confirmo etiam Deo,*

& Sancto Guthlaco, sacroq; monasterio vestro, de dono Thoroldi, vice-Domini Lincolniensis, in Bukenhale, duas carucatas terræ, & dimidiam, & viginti sex acras prati, & quinquaginta acras silvæ de Brushe. Confirmo etiam Deo, & Sancto Guthlaco, sacróque monasterio vestro, de dono Geolphi, filii Malti in Halington, quatuor bovatas terræ de Inlando, & decem bovatas in servitio, & triginta tres acras prati, in Gernthorpe, de eodem feodo. Hæc omnia supradicta, Ecclesias, Capellas, terras, tenementa, pasturas, piscationes, maneria, mansiones, molendina, mersca, & mariscos, libera & soluta ab omni servitio sæculari, & onere terreno, concedo vobis, & successoribus vestris in perpetuum, & præsenti meo chirographo confirmo in regiam eleemosynam meam, pro animâ Domini Withlafii quondam Regis, fratris, & prædecessoris mei, & pro animabus omnium progenitorum, parentum, & amicorum meorum. Et emancipo ab omni debito Regis, & omnis alterius Domini, & hominis, cujuscumque fuerit dignitatis, excellentiæ, vel honoris, ut nihil amodò de vestri sacri monasterii Croyland Monachis, literatis aut laicis, servis aut tenentibus vestris, exigere poterunt; præter orationes vestras, & beneficia spiritualia, quo gratiam beatissimi Confessoris Christi Guthlaci, apud vos corporaliter quiescentis, in nostris adipisci necessitatibus jugiter mereamur.

XIV. Cùm ergò unanimi consensu totius præsentis Concilii, hic apud Kingesbury, anno Incarnationis Christi Domini octingentesimo quinquagesimo primo, feria sexta in hebdomada Paschæ, pro regni negotiis congregati, istud meum Regium chirographum, sanctæ Crucis signo, stabiliter, & immutabiliter confirmavi †.

Ego Ceolnothus, Archiepiscopus Dorobernensis, sanus & incolumis, tam mente, quàm membris, manu meâ consignavi. †.

Ego Swithulphus, Londinensis Episcopus, in meipso expertus gratiam Dei, & sanctissimi Confessoris sui Guthlaci, humili devotione, ad jussionem Domini mei Regis, istud chirographum dictavi, & inter cæteros Dominos Episcopos, in ordine meo subscripsi. †.

Ego Swithunus, Wintoniensis Episcopus, gaudens, & lætus, quoties aliquibus miraculis, pijssimus Dominus lætificat civitatem suam, Sanctam matrem nostram Ecclesiam, huic Regis chirographo subnotavi †.

Ego Elstanus, Schireburnensis Episcopus, devotus & perpetuus debitor sancti Guthlaci, privilegio Sanctæ Ecclesiæ suæ congratulans, signum feci †.

Ego Orkenwaldus, Lichfeldensis Episcopus, hilaris ac alacer, in cunctis sanctæ Ecclesiæ prosperis successibus, promptu animo collaudavi †.

Ego Rethunus, Legecestrensis Episcopus, filius & famulus sancti Guthlaci quamdiu vixero, gratanter procuravi †.

Ego Godvvinus, Roffensis Episcopus, honorem Dei per hoc chirographum ardenter affectavi †.

Ego Wulfhardus, Abbas Eveshamensis, approbavi †.

Ego Livingus, Abbas Winchelcumbæ, commendavi †.

Ego Hedda, Abbas de Medeshamsted, diligenter procuravi †.

Ego Ennulfus Dux, consensi †.

Ego Osrithus Dux, consului †.

Ego Serto Comes, consensum præbui †.

Ego Elbertus Comes, annui †.

Ego Huda Comes, assensum dedi †.

Ego Offlat, Pincerna Regis Ethelvvolphi, & Legatus ipsius, Domini mei, & filiorum suorum: nomine illorum, & omnium West-Saxonum, istud chirographum Domini Bertulfi Regis, plurimum commendavi †.

XV. Ego Bertulphus, Rex Merciorum, palam omnibus Prælatis, & Proceribus regni mei, Divinam deprecor Majestatem; quatenus per intercessionem sanctissimi sui Sancti Guthlaci, omniúmque Sanctorum suorum, dimittat mihi, & omni populo meo, peccata nostra. Et sicut per aperta miracula sua, ostendere dignatus est misericordiam suam: sic super Paganos hostes suos, dare nobis dignetur, in omni certamine, victoriam; & post præsentis vitæ fragilem cursum, in consortio Sanctorum suorum, gloriam sempiternam, Amen. Hactenùs charta regia, quæ an Croylandensis monasterii privilegia, an immunitates, an verò Sanctorum cultum, magis confirmet, nescio. Sed si Regum, Prælatorum, Procerum, constantissima suffragia, miraculum contestantia, collegeris; nullus remanere poterit dubio locus, Deum, honorem, cultúmque Guthlaci, mirabiliter promovisse. Ideò in subscriptionibus Regis chirographi, (ita benè infert Ingulphus) Archiepiscopus Dorovernensis, Ceolnothus, se sanum & incolumem confitetur. Sanctus Swithunus Episcopus Wintoniæ, de Domini miraculis lætatur. Alstanus Schireburnensis, & Orckenwaldus Lichfeldensis Episcopi, de profectibus Ecclesiæ gratulantur; & Rethunus Legecestrensis Episcopus, se Sancto Guthlaco famulum, quoad viveret, pollicetur. Vniversiq; Concilii Optimates, affectu ardentissimo regiæ benevolentiæ penes Sanctum Guthlacum, in omnibus obsequuntur. Ingulf. fol. 862.

XVI. Augent miraculi fidem Croylandensia cœnobii prospera, quæ mox vulgato miraculo, amplissima fuerunt. Cùm enim cerneret populus, Reges, & utriusque Reipublicæ Principes, peregrino habitu, supplicique cultu, Croylandiam petere; & ingentibus donis, loci sanctitatem agnoscere: confestim Provinciæ omnes, eò currere, inde salutem petere, & Ecclesiam ornare cæperunt. Ita crevit, brevi tempore, cœnobium in summam celebritatem: & Siwardus Abbas, olim de paupertate conquestus; vidit Ecclesiam suam, multò quàm antè, illustriùs florere: Deo, vario iterùm miraculo, pietatem in omnibus excitante. quod Ingulphus, Author integerrimus, ita refert. Confluentibus itaq; quotidie de totâ terrâ populis innumeris languidorum, ad sacratissimam Sancti Guthlaci tumbam, & devotione debitâ, per merita sanctissimi Confessoris, divinam gratiam implorantibus: Dominoq; aperiente universis fontem largissimum misericordiæ salutaris; ita ut unâ die aliquoties ultra centum hujusmodi paralytici curarentur: ditatus est Abbas Siwardus supra modum: & vehementer magnus effectus; in tantum, ut qui cum beato Iob, infimâ paupertate probatus erat, & ex omni monasterii sui thesauro, etiam ad quadrantem ultimum spoliatus; quia minimè maledixit diebus suis, nec aliquid stultum locutus contra Dominum, sed semper illæsam patientiam conservavit; cœpit (largiente Domino) bonis omnibus abundare: ut tam in thesauris, ac scauris, quàm in terris & tenementis; et pro primis amissis, duplicia postmodum redderentur: fieretq; senectus ejus multò fertilior, & in duplo felicior, quàm juventus. Ingulf. fol. 862.

DEVOTIO IN S. GUTHLACUM, CREVIT E MIRACULO.

XVII. DE SUBSCRIBENTIBUS EPISCOPIS.

De Episcopis regiam chartam confirmantibus, nulla prorsùs difficultas. Nam omnes qui nominantur, suprà suis locis recensui, & hoc tempore sedere potuerunt. Monito solùm Lectore, Orckenwallum, Lichfeldensem Episcopum, communiter ab Authoribus, Æthelwaldum appellari; sed quia Malmesberiensis eum Herkenwaldum vocavit, non est dubium eundem designari, Herewini successorem, de quo vide annum octingentesimom trigesimum quintum. An Godwinus Roffensis, hoc tempore sederit, an verò postea chartæ subscripserit, solùm cõtroverti potest, quia tam hoc anno, quàm anno octingentesimo trigesimo tertio, post omnes Episcopos, nomen apposuit. De incertâ Roffensium Antistitum serie, & Godwino hoc, dixi suprà *. Nec opus plura addere: Adverto solùm de Godwino hoc, ultrà mentionem non esse. Mortuum ergo, & vacantem Sedem supponimus. Nunc, quæ sunt hujus anni reliqua prosequamur. Nam hactenus tantùm exposui Bertulfum pœnitentem, & resarcientem damna, quæ Ecclesiæ miles intulerat. Restat dicendum, quid in vario Danorum incursu, vel passæ sint Provinciæ, vel fortiter resistendo, fecerint. Nam pati debent Mercii, qui Ecclesiam expilarunt, & Ethelwolfus, Occidentalium Saxonum Rex, aliæque provinciæ, de Danis insigniter triumphare.

* vide an. 833. n. 17.

XVIII. BERTULFUS A DANIS FUGATUR.

VVestm. hic.

Itaque Danorum Principes, hoc anno, cum ingenti classe Angliam irrumpentes, tentaverunt rursum fortunam belli. Cantium piratarum omnium conatibus obvium, primum impetum sensit. *Anno gratia* (loquitur Westmonasteriensis) *octingentesimo quinquagesimo primo, magnus paganorum exercitus, cum navibus 350, in ostium Thamesis fluminis veniens, Dorobernium, id est, Cantuariam depopulatus est, & Regem Merciorum Bertulfum, qui contra Paganos ad pugnam venerat, propulerunt in fugam.* Bertulfus è Cantio Londinum profectus, inde etiam, persequentibus eum Danis, coactus est fugere. *Eodem quoque anno* (inquit ad hunc annum Asserus) *magnus paganorum exercitus, cum 350. navibus, in ostium Thamesis fluminis venit: & Londoniam civitatem, quæ est sita in aquilonari ripâ Thamesis fluminis, in confinio Eastseaxum, & Middelseaxum, sed tamen ad Eastseaxum illa civitas, cum veritate pertinet, depopulati sunt. Et Beorthulfum Merciorum Regem cum omni exercitu suo, qui ad prœliandum contra illos venerat, in fugam verterunt.* Addit Huntindonius, *victum Regem, nunquam postea viguisse* & Malmesberiensis, *Bertulfus*, inquit, *tredecim annis regnans, novissimè à piratis Danorum, ultra mare fugatus est.* Ita regni finem fecit, qui ex Ecclesiæ thesauro, & pauperum patrimonio, stipendia militi numeravit. Felicius ab iis in Danos, hoc ipso anno, pugnatum, tam in Occidente, quàm ad Austrum: ubi Dani, vario impetu, Insulam aggressi, egregiè repulsi sunt. De quo ita Asserus:

Asser. hic.

Huntindon. fol. 348.

Malmesb. de Reg. l. 1. c. 4.

XIX. *Asser. hic.* DANI A CHRISTIANIS VINCUNTUR.

Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quinquagesimo primo, nativitatis autem Alfredi Regis III. Ceorl, Domnaniæ Comes, cum Domnaniis, contra paganos Normannos, sive Danos, pugnavit in loco, qui dicitur Wicgambeorg: & Christiani victoriam habuerunt. Fuit hæc alia Danorum classis, quæ Anglo-Saxonum vires distraheret, dum major ille navium numerus, Cantium, & Londinum vexat. Cæterùm, qui Bertulfum & Mercios fuderunt, illi ipsi ab Ethelwolfo, Occidentalium Saxonum Rege, fusi & confusi sunt. Nam de classe 350. navium ita scribit Asserus: *Prædictus paganorum exercitus, perrexit in Sutbrie: quæ paga sita est, in Meridianâ Tamesis fluminis ripâ, ab Occidentali parte Cantii. At Æthelvvulfus, Occidentalium Saxonum Rex, & filius suus Æthelbaldus, cum omni exercitu, in loco qui dicitur * Aclea, id est, in campulo quercus, diutissimè pugnaverunt: ibique cùm diu, acerrimè & animosè, ex utraque parte pugnatum esset; maxima pars paganæ multitudinis funditus deleta, & occisa est; ita qualiter nunquam in aliquâ regione, in una die, ante nec post, ex eis occisam esse audivimus. Et Christiani victoriam honorificè tenuerunt, & loco funeris dominati sunt.* Hoc factum eodem anno, quo Bertulfus fusus & fugatus est. Nec stetit ibi Ethelwolfi felicitas; nam teste Assero: *Eodem quoque anno, Æthelstan Rex, filius Æthelvvolfi Regis, & Ealhere Comes, magnum paganorum exercitum in Cantio, in loco qui dicitur Sandvvic, occiderunt, & ex navibus eorum, novem naves ceperunt; cæteri per fugam elapsi sunt.* Ita Ethelwolfum Ecclesiis semper faventem, & benè illis largâ manu facientem, auxit Deus victoriis & triumphis, & Occidentis regnum, quod olim Inas Romanæ Ecclesiæ vectigale fecerat, Danorum impetum frangere voluit, inauditâ strage.

* hodie Ockley in Suriâ.

Idem suprà.

XX. RAMIRUS IN HISPANIA SIMILI VICTORIA SIMILI PIETATE POTITUS.

Juvat hîc attexere divinæ bonitatis argumentum aliud, illudque Regium. Ramirus in Hispaniâ Rex cùm simili victoriâ Saracenos stravisset, regnum suum Ecclesiæ S. Jacobi in perpetuum obligavit, anno 844. & ecce Danorum classis, eadem opinor, quæ Angliam invaserat, cùm in Hispaniam trajecisset, reperturaibi, ut putabant, meliorem prædam, ab eodem Ramiro, vel fortiter capta, vel miserè dispersa est. Quod illi in præmium fidei, & pietatis in Ecclesiam, concessum esse, notat Annalium conditor Baronius: *Vis videre*, inquit, *atque certo discere experimento, pro pietate Regum de barbaris concedi victorias? Sicut cùm Carolus bona Ecclesiarum laicis ipsis sui regni Comitibus dedit, coactus est sua dare Normannis: ita contra, cùm Ramirus Rex, in Hispaniâ (ut vidimus) ipsum suum regnum fecit pensione tributi esse vectigale Ecclesiæ S. Iacobi, retulit gloriosum triumphum: cùm idem, invictum hactenus genus hominum superavit.* De quâ tantâ victoriâ, breviter ista Tudensis: *Ejus* (Ramiri) *tempore, Northmannorum classes, per Septentrionale mare, ad litus Legionis civitatis advenerunt. Gens hæc est crudelissima, & in partibus nostris antea non visa. Quod Rex, ubi comperit, adversus eos, cum exercitu suo venit, & multitudinem eorum vicit, & septuaginta naves eorum combussit, atque multis ditatus divitiis, ad propria incolumis reversus est. Ex his opportunè Davidicum illud ad Principum aures importunius occinendum. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* Ita Baronius.

Baron. an. 850. n. 7.

XXI. PIETATE STANT REGNA, CADUNTQUE IMPIETATE.

Ethelwolfus, & Ramirus, pientissimi Reges, de Danis insigni victoriâ triumpharunt; quia Ecclesiam, & Sanctos reveriti, amplissimis donis Deum coluerunt. Violatores verò, contraria quæque experiontur, bonorum amissionem, civium miserias, regnorum calamitatem; ita ut paci, quierique, quâ priùs fruebantur Provinciæ, bella, horrida bella succedant, & Principes ipsi, suis exuti, laceram Rempublicam nequeant

resarcire: Non est opus pluribus prosequi. Juvat solùm sursum aspicere, & Dei manum omnia dispensantem religiosè osculari, quæ mortalium generi, ita tristia miscet & prospera; ut doceat homines Deum colere, Ecclesiam ejus, Fidémque revereri. Si enim, sine Dei permissu, nec ex arbore folium labitur. si capilli capitis nostri numerantur, si non est malum pœnæ in civitate, quod non fecerit Dominus, meritò existimare possumus, turbas, bella, Provinciarum incendia, non sine divino Numine evenire.

XXII. Ecclesia læsa, Deus læditur.

Quod si paulò penitius judiciorum Dei abyssum ingredi volumus, & ferientem ejus manum contemplari, nunquam illa ad castigandum regna, & Provincias, porrectior est, quàm ubi sponsa ejus Ecclesia violatur, ubi Deo dicata prostituuntur, ubi divina, & humana jura confunduntur. Nam Ita Suprema Majestas tangitur, læditur, contemnitur, & pro posse exauctoratur. Et hinc fit, ut filii in parentes, & parentes in filios pugnent, ut surgat gens contra gentem, ut fratres in fratres armentur. Nihil ergo mirum, inaudita hactenus pati Insulam, quia populus in Ecclesiam, inaudito hactenus more, præsumpsit; Episcopos, & ipsum Episcoporum nomen, persecutus. Alexandrinus Patriarcha Athanasius admirans, dixit: *Quando à condito ævo auditum est, quod judicium Ecclesiæ, suam authoritatem ab Imperatore accepit: aut quando hoc pro judicio agnitum est?* Nunquam, Sancte Doctor, puris illis, primisque sæculis. Sed quid ad novissima hæc tempora diceres, ubi sine Episcopo, sine Imperatore, sine Rege, populus pro tribunali sedens, Ecclesiastica jura dispensat, liturgiam ordinat, credenda dictat, & sacra Biblia ad vulgi sensum vertit, & invertit, evertit denique. Ab his meritò appellamus ad ea tempora, quæ liberaliter prædia donabant Ecclesiis, nihil ab Ecclesiâ, nisi sacra recipientia. Sic legimus in Antiquitatibus Glastoniensis Ecclesiæ. *Elmundus Abbas, annuente Rege Athulpho* (is est Ethelwolfus) *anno Domini octingentesimo quinquagesimo primo, transtulit manerium de Doultingue in jus monasterii. Sed & idem Rex, ad supplementum vitæ regularis, viginti hidas terræ superaddidit.* Sed & alia donavit Glasto-
*an. 854. n. 7 niensi Ecclesiæ, quæ suo loco * describentur.

ANNUS CHRISTI 852.

LEONIS IV. PAPÆ 6.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 16.

BURRHEDI MERCIORUM REG. 1.

Bertulfus moritur, et Merciorum Rex Burrhedus.

ANNO Christi octingentesimo quinquagesimo secundo, moritur Merciorum Rex Bertulfus, cùm nobile Fidei suæ monumentum reliquisset; & in ejus locum Burrhedus subrogatur, ab Ethelwolfo electus, non tam jure natalium, quàm quòd bellandi arte peritus, Danorum impetus frangere, ac provinciam ab injuriis tueri nosset. Fuit ille Merciorum Regum ultimus, qui cum strenuè regnum administrasset, & per annos duos & viginti barbarorum conatus stitisset, tandem Romæ quiescere, ibi suam, & Merciorum fidem profiteri, ac demum ibi ad Anglorum scholam, in viciniâ locorum Sanctorum sepeliri voluit, ut suo loco dicetur. Nam eum, alii Reges hujus Insulæ præcedere debent, & Romam pergere; quo omnibus constet, non aliam Anglorum omnium Fidem esse, quàm Romanam & Orthodoxam: quod licet in omni genere hominum videre sit, illustrissimè tamen, in principibus viris, & Regibus cernitur.

ANNUS CHRISTI 853.

LEONIS IV. PAPÆ 7.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 17.

BURRHEDI MERC. REG. 2.

I. Burrhedus Britannos domat.

VIx erat Burrhedus, in regni solio collocatus, cùm anno Domini octingentesimo quinquagesimo tertio, Britanni, quos ad montes, & Insulæ meditullium, Anglo-Saxonum cupiditas coëgerat, novum Regem agnoscere, & imperio ejus parere noluerunt. Burrhedus autem, impar viribus, & Danorum invasione læsâ nuper provinciâ, rebellem populum flectere, & ad obsequium revocare nequivit. Itum ergo ad Ethelwolfum Regem, & ejus auxilio Britanni domantur, quod ita hujus sæculi author refert: *Anno Dominicæ Incarnationis*, inquit Asserus, *octingentesimo quinquagesimo tertio, Ælfredi Regis * quinto, Burgred, Merciorum Rex, per nuntios deprecatus est Ethelwolfum Occidentalium Saxonum Regem; ut ei auxilium conferret, quo Mediterraneos Britones, qui inter Merciam & mare Occidentale habitant, dominio suo subdere potuisset, qui contra eum immodicè reluctabantur. Nec segniùs Æthelwulfus Rex, legatione ejus acceptâ, exercitum movens, Britanniam cum Burgredo Rege adiit. statimq;, ut ingreditur, gentem illam devastans, dominio Burgredi subdit. Quo facto domum revertitur.* Hæc ille.

Auxilio Ethelwolfi.

Asser. fol. 2

*malè imprimitur *undecimo.*

II. Pugnatum in Cantio contra Danos.

Non ita feliciter in Cantio pugnatum: ubi Dani Tanatum Insulam insederant, eámque muniverant adeo; ut non nisi magnis viribus pelli inde potuerint; & multo sicut sanguine dubia victoria. Nam author qui supra in hunc modum

loquitur:

Asser. suprà. loquitur: *Eodem quoque anno* (853.) *Ealhere Comes cum Cantuar... & Huda cum Sutheris contra paganorum exercitum, in Insula quæ dicitur Saxonicâ linguâ Tenet Britannico autem sermone Ruim, animosè & acriter belligerant. Et primitus Christiani victoriam habuerunt: prolongatoq; diu prælio; ibidem ex utrâque parte, plurimi ceciderunt, & in aquâ mersi, suffocati sunt. Et comites illi ambo, ibidem occubuerunt.* Ita civili, externóque bello, hic annus notatur. Nunc lætiora videamus; relicto classico, epithalamium canentes.

In Tanet Insula.

III. Burrhedus ducit Ethelswidam conjugem.

Burrhedus, confirmaturus sibi posterisque regnum, Ethelwolfi filiam, in conjugem sibi dari petiit, & impetrat. Ethelswida illa dicebatur. celebratæ sunt nuptiæ in Occidente, quò Burrhedus hoc anno profectus est: *Et hac affinitate*, loquitur Malmesberiensis, *& vectigalium pensionem, & hostium depradationem consolatus est.* Meminit harum nuptiarum Asserus, & ita locum, tempusque assignat. *Asser suprà.* *Nec non & eodem anno*, inquit, *Æthelvvulfus Occidentalium Saxonum Rex, post Pascha, & filiam suam, Burgredo Merciorum Regi, in villa Regiâ, quæ dicitur Cippanhamme, nuptiis regaliter factis, ad Reginam dedit.* est locus ille in Wiltoniensi agro, ad Avonam flumen, hodiéque nomen retinens, Chippenham; à celebri foro rerum venalium, appellationem sortitus; nam Cyppan Saxonicè mercari sonat, & Cypman mercator. quod nos hodie, exiguâ deflectione, Cheape & Chapman dicimus. erit mentio inferius* hujus villæ regiæ; cum Alfredus Rex testamentum condet. Nam illam filiæ suæ minori, inter alia legabit. Nunc redeo ad ejus patrem Ethelwolfum.

* vide an. 881. n. 8.

IV. Alfredus Romam mittitur.

Hoc anno, cum nondum quinquennium excessisset Alfredus puer, Ethelwolfus Pater, insigni facinore, suam, regnique sui fidem testatus est. Cum tantillæ ætatis filium, in Urbem misit. Factum tam illustre, ut Annales omnes antiqui pariter ac recentiores, ejus meminerint. Inter eos antiquior Asserus ita narrat. *Asser suprà.* *Eodem anno* (853.) *Ethelwolfus Rex, præfatum Aelfredum, magno nobilium, & etiam ignobilium numero, constipatum, honorificè Romam transmisit. Quo tempore Dominus Leo Papa quartus, Apostolicæ Sedi præerat.* Ita ille. Quid Ethelwolfum patrem impulerit, tenellum adhuc puerum ad longissimi itineris molestias condemnare, non est arduum conjicere. Misit ergo, ut Fidem pietatem, mores, in doctissimâ orbis palæstrâ disceret: & Orthodoxam religionem, quæ parenti maximè cordi fuit, cum nutricis lacte sugeret. Hanc ejus mentem fuisse, expressit Westmonasteriensis, cum de altera Alfredi profectione loquens: *Westm. 854.* *Duxit*, inquit, *Alfredum filium suum, quem cæteris omnibus plus dilexit; ut à Papâ Leone, moribus pariter & religione informaretur ibidem.* Egressus ex Insulâ Alfredus, ad Morinos descendit: & ad sancti Bertini celeberrimum monasterium divertens, in Grimbaldi notitiam venit; quem postea in Britanniam evocatum, summè coluit, ut dicetur anno 885.

V. A Leone ungitur.

Cum Romam Alfredus venisset: *Leo quartus*, inquit Asserus, *præfatum Aelfredum oppido ordinans, unxit in Regem, & in filium adoptionis sibimet accipiens confirmavit.* Quod factum, tumultuum, ut post dicetur causa fuit; creditumq; (quia Patris rogatu factum fuerat) Ethelwolfum Alfredo, plus æquo, favisse. Sed titulus ille, lædendæ majestati speciose quæsitus; intellecto Leonis facto, statim evanuit. Vix enim aliud fuisse putem, unxisse Alfredum in Regem, quàm id quod sequitur, & in filium adoptionis confirmasse: nisi fortè præsagio, sanctissimus Pontifex, Alfredum, licet inter fratres natu minimum, præviderit futurum Regem maximum. quod Ethelwerdus antiquus author, cæteroquin obscurus, ita explicatò reddidit. *Alfredum Leo sanctificat in Regem, & filium à chrismate nominavit; ut modo, sub manu ipsi solemus accipientes parvulos, filios nominare.* *Ethelwer. an 854.* Verùm cum Sergius Papa, Ludovicum Lotharii filium simili cæremoniâ unxerit & coronarit; multo probabilius, duo Leonem Alfredo dedisse; & Chrismatis sacramentum, & Regiam, sine aliorum præjudicio, Unctionem.

VI. Unctio Regibus usitata.

Nec benè, opinor, primam ungendi Reges originem, ab hoc Leonis facto deducit Seldenus: Nam Britannorum tempore, ungi solitos Reges, suprà* diximus, ex Gilda. Nec metaphoris in re gravi, seriâque facilè admittendis: alioquin sacram Regiam Majestatem, impropriâ locutione, violamus. Habet enimverò unctio, habuitque semper, sublime aliquid, Christosque Domini à vulgo discriminat. Unde Ludovicus, Romanorum Imperator; qui Lothario nunc regnanti successit; ad Basilium in Oriente Augustum scribens; probat se proprie Imperatorem esse, & dici debere ob sacrum Unctionis mysterium; quod tunc, & diu ante ipsum, in usu fuisse ostendit. *Ipsi patrui nostri gloriosi Reges*, inquit, *absque invidia Imperatorem nos vocitant, & Imperatorem esse procul dubio fatentur; non profectò ad ætatem, quæ nobis majores sunt, attendentes; sed ad unctionem, & sacrationem, quâ per summi Pontificis manus impositionem divinitus sumus ad hoc culmen provecti, & ad Romani principatus imperium, quo superno nutu potimur, aspicientes.* Et iterum: *Illud autem mirari meritò possumus; quòd sublimitas tua, ad novam, & recentiorem appellationem aspirare nos autumat: cum quantum ad lineam generis pertinet; non sit novum vel recens, quod jam ab avo nostro, non usurpante, ut perhibes; sed Dei nutu, & Ecclesiæ judicio, summiq; Pontificis, per impositionem & unctionem manus obtinuit; sicut in codicibus tuis invenire facilè poteris.* Ecce Lotharius, Ludovici parens, & Ludovicus eo nomine primus, secundi Ludovici avus, unctionis sacramentum acceperunt, & cum eo Romanum Imperium. Sed & ante eos Carolus Magnus, eodem modo sacro oleo delibutus est. Nam ita pergit de eo abnepos ejus. *A Romanis*, inquit, *hoc nomen, & dignitatem assumpsimus, apud quos profectò primò tanta culmen sublimitatis, & appellationis affulsit: quorumq; gentem, & urbem divinitus gubernandam; & matrem omnium Ecclesiarum defendendam, atque sublimandam, suscepimus: ex quâ & regnandi prius, & postmodum imperandi, authoritatem prosapia nostra seminarium sumpsit. Nam Francorum Principes, primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt; ii duntaxat, qui à Romano Pontifice, ad hoc, oleo sancto perfusi sunt. In quâ etiam Carolus Magnus abavus noster, unctione ejusmodi, per summum Pontificem delibutus; primus ex gente, & genealogiâ nostrâ, pietate in eo abundante, & Imperator dictus est, & Christus Domini factus est.* Hæc ille: satis significans, unctione sacrâ, Principes ab Ecclesiâ honorari: & per eos honorandam, & defendendam esse Ecclesiam.

** an. 446. n. 4.*
apud Baron. an. 871. n. 34.
Ibidem n. 36.
Ibidem n. 39.

Hinc Romana Ecclesia, quæ Monarchica est; Principes & Monarchas reveretur: factiosorum Ecclesia, quæ anarchia est; ubi nulla Regum unctio, nulla sacri olei perfusio, culmen illud sublimitatis fastidit, & conatur premere, utpote, à communi vulgo, nulla actione distinctum.

VII. Alfredus bis Romam profectus.

Alfredus puer bis Romam profectus est; semel hoc anno, missus a Patre. & iterum post annum sequentem, Ethelwolfum patrem, eò comitatus, ut dicitur: utrobique Leonem Papam, eo nomine quartum, in Romanâ tunc cathedrâ sedentem, veneratus est. Ideo miranda summopere est eorum imperitia; qui nescio quam summam Pontificem, hoc tempore creaverunt, Romana sacra, Christíque sponsam, impurè temerantem. Transiissem ego hanc fabulam, seriis rebus semper assuetus; nisi in Romanæ fidei ignominiam, & Anglicani nominis infamiam, cusa fuisset. Noluit certè eam Baronius, transire silentio, pluribus inanissimam fabulam refutans argumentis: Mihi certè æquè, si non magis, incumbit, illam excutere; quia nova confictáque Papissa, Joanna nomine, ex Angliâ ortum cepisse scribitur. Et debent necessariò Anglicanæ Ecclesiæ Annales quærere: an, quomodo, quando, Insula monstrum illud genuerit? Interim cum Baronio lubet profari. *Fælix historia rursus foret: si absque obice fabularum, sincerâ tantum veritate ferri daretur, quæ ubi semel, ut zizania, inter triticum seminata, fixis radicibus, tritici mentitâ specie, altiori culmo consurgunt: sicut triticum, messorum æquâ falce, metantur; & cum frumento in horrea recondantur: & mixta tritico, tritici jam nomine decorata, atque æquo pretio, eademq; mensurâ, cum tritico venundentur. Ita fabularum abolito nomine, recepta semel transeant in historiam; ut opus sit magno cribrario, qui magno labore, à veris falsa, & fabulas segreget ab historiis.* Ita ille.

Fabula de Joanna Papissa excutitur.

Baron. hoc an. 61.

VIII. Et refellitur.

Nihil à Novatoribus in Romanæ Ecclesiæ dedecus occinitur frequentius, nihil in Anglicano foro charius venditur, & à rudi vulgo emitur, auditurque lubentiùs; quàm in Romanâ Sede sedisse fœminam, Joannam nomine. scilicet decumanam esse in sole illo maculam, si ad Ecclesiæ clavum sederet, & sacris præesset fœmina. Nec vident mortalium imperitissimi, torqueri posse argumentum ad hominem: & similem in Anglicanâ Ecclesiâ maculam fuisse; imò longè deteriorem; cum sciens, volensque populus, & proceres, creaverunt Anglicanæ Ecclesiæ caput fœminini generis. quæ non solùm duobus annis, mensibus quinque, dies quatuor, ut de Joannâ fingitur; sed revera annos 44. menses quatuor, dies septem, Anglicanæ Ecclesiæ præfuit; ut in confesso est apud omnes. Unde, si daremus, omnia vera esse, quæ de Joanna scribuntur: latrare fortè possent rebelles aliqui, in lunam nostram; & dicere id contra Latinæ Ecclesiæ morem, & puritatem esse: verùm tacere, obmutescere, & digitum ori apponere deberent illi, qui turpiùs errantes; errore illo suo hodiéque gloriantur. Nunc, quid de Papâ fœminâ authores aliqui dixerint, videamus.

Indecorum, fæminam Ecclesiæ præesse.

IX. Anglica Joanna.

Mexia 1 p. c. 9.

Anglicanam mulierem fuisse, audacissimè Hispanus quidam, cum aliis, ita scribit, de Joanna: *In Angliâ,* inquit, *nata, sexumq; mentita, Athenas proficiscitur: ubi tantum ingenio valuit, ut literas egregiè docta, Romam redierit. ibiq; è superiore loco, plures docuerit: illamq; famam, ac existimationem, publicè disputando, legendóque obtinuit; ut hominum sui temporis doctissima, & princeps haberetur: Tum mortuo Leone IV. Pontificiam Sedem intrasse anno Domini octingentesimo quinquagesimo secundo.* En, Lector, Anglicanam fœminam, non obscurè, aut in Angulo doctam; sed Athenis, sed Romæ, & ad omnium nationum invidiam. Quis amans patriæ hoc ornamentum respueret? Quis nollet habere fœminam, omnibus per orbem viris silentium indicentem? Sed vel inde figmentum esse convincitur; quod apud Authores hujus temporis, qui sui sæculi gesta recensuerunt, altissimum de hac fœmina silentium sit. quod fieri non oportuit, cum longè minutiora consignentur literis. Scripserunt hujus sæculi res gestas, Asserus in Angliâ, Anastasius bibliothecarius Romæ, & plures alii, qui summorum Pontificum catalogum, data opera texuerunt: & quod ad Anglo-Saxonum decus splendorémque facit, scripserunt sequenti tempore Ingulphus, Wigorniensis, Malmesberiensis, Ethelwerdus, Huntindonius, Hovedenus, & uterque Matthæus Parisiensis, atque Westmonasteriensis: & eorum nullus Joannam nominat.

X. Marianus Scotus, fabulam primus narrat.

Marian Scot an. 853.

Marianus Scotus, quod Angli Scriptores tacuerunt; nescio quem vulgi rumorem secutus, ita scripsit: *Anno octingentesimo quinquagesimo tertio, Leo Papa obiit, Kalendis Augusti. Huic successit Ioannes, qui (ut asseritur) fuit mulier, annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor.* Ex his verbis arripiunt moderni fabulæ argumentum: & quo plausibiliùs, ludant, omissa parenthesi (ut asseritur) quæ in Mariano olim legebatur; disertè pronunciant: *Huic successit Joanna mulier, annis duobus.* Inde hanc spartam nacti Magdeburgici, ita illam ornant: *Deus hoc sæculo memorabili & insigni facinore, revelavit turpitudinem Sedis Pontificiæ; & illam Babylonicam meretricem, omnium oculis & conspectui subjecit, ut pii agnoscerent sanctam illam, quæ a toto mundo colebatur, dignitatem Pontificiam; esse matrem omnis fornicationis spiritualis, & corporalis, eamq; detestari & abominari discerent.* Aperuisse hoc Magdeburgensium os, & patens guttur eorum; est ferè fabulam demonstrasse. Nam loquelæ, manifestum facit genium intus existentium. Roma non potest à factiosis nominari: Roma, inquam, *quæ à toto mundo colebatur*; nisi spurcitiæ, & impura misceantur; ab iis etiam, quæ Ecclesiastica tractare, & fidei controversa componere, vellent videri. Sed unde tam impotenter hypocaustum incaluit: unde, inquam, hic triumphus? *Nam Ioannes Anglus* (inquiunt) *natione Moguntinus, qui post Leonem duos annos, & menses quinque Pontificem egit; fæmina fuit, & insigne Scortum, quæ a Collega suo Cardinale impregnata, cum de S. Petro ad Lateranensem Ecclesiam procederet, in publicâ pompâ puerum peperit.* Ita illi, Centuriâ nonâ, c. 7. fol. 337. & alibi: *Meretrix Babylonica, turpem, & libidinosam vitam egit, ut reipsa probaret, se esse Meretricem Babylonicam, matrem omnis fornicationis, spiritualis & externæ; nam Ioannes octavus fuit scortum, & impregnata peperit, cum ad sacra peragenda, in Ecclesiam Lateranensem solenni pompa contenderet.* Iterum capite decimo, eadem repetunt, ad honesti Lectoris nauseam, sed factiosis auribus gratum odorem.

Magdeburgici applaudunt.

Cent. 9. fol. 337.

XI. Refellitur.

Ego Lectorem meum quæso, ignoscat, quod eum fatigarim narratione earum rerum, quæ, teste Apostolo, nec nominari deberent. Sed

quia genium aperio, & ſpiritum eorum, qui noviſſimis hiſce temporibus diſceſſerunt à Fide, cauteriatam habentes conſcientiam: non poſſum id elegantiùs præſtare; quàm ex eorundem verbis, perverſum eorum impetum colligendo: ubi, ſi quid ab uno, obiter, & dubitanter aſſeritur: id mox pro indubitato aſſumitur, & ſine ſale, ſine ſenſu, ſine judicio, ceu ſolidum Babelis fundamentum, ſupponitur: & inde pro libito factionis ædificium ſurgit. Sic in omni ferè quæſtione, peccant Novatores, ſomnia ſomniantes; & illa magno verborum ſtrepitu triumphantes. Probè ſciverunt Magdeburgici, commentum, illud de de Joannâ Papâ, à doctioribus improbari. Scribunt enim:

Cent. 9. fol. 502.

Aventinus libro 4. Annalium Boiorum, opinatur fabellam eſſe: qua inde orta ſit, quòd Theodora, nobile ſcortum, quæ Romanis poſt mortem Arnulphi dominabatur; Ioannem nonum, amatorem ſuum, primùm Bononienſibus, deinde Ravennatibus, & poſtremò Romanis impoſuerit ſacerdotem. Onuphrius etiam fidē iſti hiſtoriæ derogat. Si Scriptores accurati, qui Pontificum Romanorum geſta, ſtudio recenſent; non ſolùm in dubium vocant, ſed ſabulam cenſent, quæ de Angla-Moguntina fœmina, dicuntur: impudenter ſanè, & divinam majeſtatem parum reveriti, ſcribunt Magdeborgici: *Deus hoc ſeculo, memorabili & inſigni facinore, revelavit.* &c. Deum in fabulâ actorem facientes; quo Romanam Sedem impugnent. Sed petra illa, undis altior, illæſa tunditur; repellitque innoxia hos fluctus, deſpumantes confuſiones ſuas: & inter hæreſum ſordes illuſtrius nitet.

PETRA FLUCTUS INNOXIA EXCIPIT.

XII. QUÆ EGERIT JOANNA PONTIFEX.

Si Anglicana mulier, hoc anno, & ſequenti, Pontificatum geſſit, ſi fuit mortalium omnium doctiſſima; ſine dubio, de more, cæterorum Pontificum, Cæſares, Imperatores, Reges docuit; decreta Eccleſiis publicavit, mandata, & literas, per orbem miſit: quæ veluti ingenii ſui monumenta, poſteris relinquerent. Quid horum, ab ea factum? Reſpondent Magdeburgici:

Cent. 9. fol. 510.

Ioannes VIII. aliorum Pontificum more contulit ſacros ordines, Presbyteros & Diaconos ordinavit, Epiſcopos conſecravit, Abbates conſtituit, Miſſas celebravit; & altaria, & templa conſecravit, ſacramenta adminiſtravit. Lothario in Prumienſe cœnobium recondito, Ludovico filio ejus, regni ſceptra, & coronam, ſolenni ritu contulit. Ab Ethelwolſo Anglorum Rege, tributum ac munera alia accepit. Ita illi. Hic revera, mentita eſt iniquitas ſibi. Nam ex hac enormitate factorum, quæ fœminæ aſcribuntur; ſatis conſtat, omnia conficta. Quis enim neſcit, duorum annorum labores illos, in Epiſcopis, & Presbyteris conſecraodis, fruſtra fuiſſe: nec valere ſacramentum Ordinis, à fœminâ collatum. Stupuerunt ergo valde ſequentes Pontifices; qui factas ita Sacerdotum ordinationes; vel ratas babuerunt, vel ſilentio probaverunt. Sed longè probabilius illi ſtupidi fuerunt, qui Anglicanam fœminam, Athenas ad ſtudia amandarunt, eo tempore, quo nulla prorſus ſtudia Athenis fuerunt. (ut clarè patet è Joanne Curopalate, quem intra an. 883. num. 13. referam.) qui Athenienſem hanc doctrinam, Romam reduxerunt, ubi *pro Anglo ſuſcepta*, inquiunt

Io. Curopalates apud Baronium an. 859. n. 25.

Magdeburgici) *in ſcholis, ſeu cœnobiis docere cœpit, ac ſuâ eruditione, & diſputandi promptitudine, in magnam authoritatem, & exiſtimationem venit: adeoq; ſibi hominum favorem conciliavit, ut Leoni (ſuccedens) communi cleri & plebis ſuffragio, ac Imperatoris aſſenſu, Pontifex crearetur, & Ioannes ſeptimus, ut Sabellicus vult, aut octavus, ut Platina, vocatus ſit, anno Domini 853. juxta Martinum, aut 854. juxta Sigebertum.*

Cent. 9. fol. 500.

XIII. QUANDO SEDERIT?

Sed nugæ hæc omnia: tam enim conſtat Leonem quartum hoc anno 853. & ſequenti, Romæ ſediſſe; quàm conſtat hallucinatos eſſe eos omnes, qui Joannem aliquem ſeptimum, aut octavum, Leoni ſubſtituunt. Nam Anaſtaſius Bibliothecarius, *qui hoc vivebat tempore, & præſens omnibus, & ipſe teſtatur ſcribebat. Leonem Pontificem, annos octo, menſes tres, & dies quinque ſediſſe tradit*, inquit Baronius, & pergit: *quo etiam teſte, fabula de fœminâ eidem ſubſtitutâ, falſiſſima redarguitur: dum ab ipſo, Leoni, non ipſa, ſed Benedictus ſtatim ſubſtitutus Pontifex, poſt dies ſex. Anaſtaſio iſta vidента,*

Baron. hic num. 64.

atque teſtante, nullus unquam contradixit ejus ſæculi ſcriptor; nec ſequentis author aliquis; neque ejus quod poſt ſecutum eſt tertium ſæculum, uſque ad Marianum, primum authorem confictæ fabellæ. Rurſum verò ſilentium tanti temporis, de re tantâ, tot emergentibus tantum nefas declamandi occaſionibus, pluſquam mille dixeris juratos teſtes, ad certam exploratamque fidem faciendam, de fabulæ vanitate, ac falſitate. Certè quidem, tam amici, facinus horrendum deteſtando, querendo, dolendo: quam hoſtes improperando, detrahendo, ſubſannando, centies proclamaſſent. Photiúſne pſeudoepiſcopus; Romanorum Pontificum implacabilis hoſtis, quorum decretis paullo poſt, Sede fuit expulſus; tacuiſſet iſtud immune ſcelus, qui longè leviora in Rom. Eccleſiam objicit. Quique inter alia, ſede cenſeretur indignus, quod eſſet Eunuchus tacuiſſet dicere ipſe, quod etiam fœmina thronum Rom. Eccleſiæ conſcendiſſet? Sed & Michael, qui hoc tempore, Orientale moderabatur imperium, & ejuſdem Photii ſtimulis, in eandem Eccleſiam Romanam concitatus, omne genus convitiorum in eam contumelioſus valde conjecit, tacuiſſétne modeſtiæ cauſa, adeo probroſa objicere, & portentoſa cantare? Quod de Photio diximus, & Michaele, qui hoc vivebant tempore, & ſub Nicolao Pontifice, qui poſt Benedictum, hujus Leonis ſucceſſorem, Romanam adminiſtrare cœpit Eccleſiam: de reliquis ſchiſmaticis Patriarchis, & de aliis, ab Eccleſiâ Romana diviſis ſchiſmate Imperatoribus, æquè dicendum, & ſæpius iterandum eſt. Qui cum plurimi fuerint; & infenſiſſimi Rom. Eccleſiæ perduelles: & eam jugiter, inſtar grandinis ſpicula maledictionum intorſerint: Quomodo nullus unquam eorum, in præſentem uſque diem, adeo pudendum ſcelus objecit: cum præſertim iidem Romanorum Pontificum acerbiſſimis reprehenſionibus exagitari ſinſſent? Hæc omnia Baronius.

PHOTIUS EUNUCHUS REPROBATUR.

XIV. COROLLARIA.

MAIOR MODERNORUM HÆRETICORUM QUAM ANTIQUORUM IMPUDENTIA.

Quæ cum lego, & propriùs intueor, duas inde veritates colligo: Primò apertas inferi portas, ſæpè in Romanæ Eccleſiæ petram ſurrexiſſe; ſed juxta Chriſti oraculum, prævaluiſſe nunquam. Iterum: multò magis, hoc moderno ſæculo, patere portas inferi: Romanam ſedem, impudentiùs quàm olim peti: & projectiores ad mentiendum eſſe hujus temporis hæreticos; quàm alias fuerunt mortalium factioſiſſimi. Si Joanna fœmina Pontificem egit, annis duobus, & ultra; ſi Presbyteros & Epiſcopos ordinavit, ut Magdeburgici affirmarunt. Cur non, vel eo nomine, ſequentium Pontificum ſeries in dubium vocata, cum Benedictus, aut certè Nicolaus, à Joanna, conſecrari potuerint. quod certè Conſtantinopolitanus Photius nunquam tacuiſſet; qui à

Romano

Romano Pontifice accusatus, quòd laïcus Patriarchæ sedem ascendisse, eoque nomine exauctoratus; Nicolao sine dubio respondisset; se, quantumvis antea laicum, à vero tamen Episcopo, verè consecratum: ipsum, & Romani cleri Presbyteros ac Episcopos, à fœminâ, hoc est, nullo modo consecratos esse. Quod cum ille non objecerit; certò certius est, neminem è Romano clero à fœminâ consecratum esse. & æquè certum, pessimo impetu eos ferri, & præ antiquis schismaticis insanire; qui novis & inauditis calumniis, Rom. Ecclesiam onerant; ut Catholicam & Orthodoxam Fidem dehonestent.

XV. Joannæ Acta exponuntur.

De Ludovico a Joanna coronato, figmentum.

Sed fortè Lothario Imperatore monasterium ingresso, Joanna nostra, *Ludovico filio ejus regni sceptra & coronam, solenni ritu contulit: & ab Ethelwolfo Anglorum Rege, tributum, & alia munera accepit*; ut suprà Magdeburgici inverecundè dixerunt. Horum nihil, hoc nono sæculo cognitum: cusa tantum sunt Magdeburgi, sæculo decimo sexto. Enimvero, cum Basilius Orientis Imperator, Imperatorio nomen Ludovico ægrè concederet; multáque causaretur, cur ei honoris istud fastigium non competeret; nunquam objicit, à fœminâ inauguratum fuisse: quod tamen imprimis, & ante omnia, dicendum fuisset. Imo Ludovicus querimoniis respondens; ex ipso sacræ unctionis mysterio, Imperatorem se esse, dicique debere, probat, ut suprà *: *Aspicientes*, inquit, *ad Unctionem, & sacrationem, quâ per summi Pontificis manuum impositionem, divinitùs sumus ad hoc culmen provecti: & ad Romani principatus Imperium, quo superno nutu potimur.* Nunquam hoc dixisset Ludovicus, & tàm importunè, de unctione, & sacratione, gloriaretur; si fœmininâ manu, quæ sacra tractare non debet; facta fuisset. Adde, diu post mortem Joannæ, nec ante annum 871. coronam accepisse Ludovicum Imperatorem: non à papâ illâ, quam factiosi confinxerunt, sed ab Hadriano secundo: non in hypocausto, & angulo aliquo; sed Romæ in omnium oculis, ut neminem lateret, falsos esse Magdeburgicos. Aimoinus enim ita refert: *Hoc eodem anno* (871.) *Ludovicus Imperator, in Vigiliâ Pentecostes, Romam apud S. Petrum venit: & postridie coronatus ab Hadriano papâ; post celebrata Missarum solennia, unà cum eo, ad Lateranense palatium, cum pompa equitando, coronatus perrexit.* Hæc Ludovici coronatio, post Lotharii Patris cessionem facta: & de illa Magdeburgici loqui videntur.

* hic n. 5.

Ludovicus coronatur ab Hadriano Papa.

apud Baron. an. 871. n. 49

XVI. Ungitur a Sergio Papa.

Sed quia unctionis ibi nulla mentio, Ludovicus in Epistolâ ad Basilium, respexit aliò; seque diu ante, à Romano Pontifice unctum, & sacratum gloriatur; non à fœminâ Joannâ, post mortem Leonis quarti, sed à Sergio Papâ, qui Leonem præcessit, anno octingentesimo quadragesimo quarto, quando Ludovicus à Lothario Imperatore in Urbem mittitur: de quo Ado Viennensis: *Lotharius filium suum Ludovicum, quem in Italiâ Regem fecerat, ut Imperatoris nomen sortiretur, per Drogonem patruum Romam misit. Cui Sergius jam tunc Pontifex, coronam imposuit: & acclamante universo populo, Imperator, & Augustus est salutatus.* Hæc Ado. Verùm Anastasius Bibliothecarius coronationis solemnia explicans, unctionis quoque meminit, & ait: *Dominico verò die sequente, in eâdem Principis Apostolorum basilicâ, omnes Archiepiscopi, & cuncti Abbates, & omnes, qui cum eo venerant Franci, sunt congregati; omnésque pariter Romanorum nobiles & præclari. Tunc almificus Pontifex* (Sergius) *manibus suis, ipsum Ludovicum Imperatoris filium, oleo sancto perungens, regali, ac pretiosissimâ coronavit coronâ: Regémque Longobardorum præfecit: cui Regalem tribuens gladium, illico succingi jussit. Deinde Missarum celebritate finitâ, ab Ecclesiâ, omnes, cum Rege lætantes regressi sunt.* Falsi sunt ergo Magdeburgici, qui aliam à Joannâ Papâ unctionem confinxerunt.

Ado Vien. an. 844.

apud Baron. an. 844. n. 8.

XVII. Num Ethelwolfus Joannam coluerit?

Nec multò feliciùs, de Ethelwolfo Anglorum Rege, philosophati sunt: asserentes eum, tributum, & munera, Joannæ Papæ contulisse. Nam damus lubentissimè Ethelwolfum Regem, Romanam Ecclesiam, tributo coluisse, Romam pietatis studio ivisse, ibique Pontificem muneribus honorasse, de quo post annum sequentem; sed Leonem tunc in Urbe sedisse, authores ferè omnes, qui profectionis meminerunt, disertis verbis affirmant: & nemo, nemo, inquam, Joannam nominat, aut Joannem aliquem. Matthæus Westmonasteriensis ita loquitur: *Rex magnificus Occidentalium Saxonum Ethelulfus, cum honore maximo Romam profectus, duxit secum Alfredum filium suum juniorem, quem cæteris omnibus plus dilexit: ut a Papa Leone, moribus pariter & religione informaretur ibidem.* Ingulfus etiam: *Inclytus Rex West-Saxonum*, inquit, *Ethelwulfus, cum de Româ, ut limina Apostolorum Petri & Pauli, ac sanctissimum ipsum Leonem, multa devotione, unà cum juniore filio suo Alfredo, peregrè visitaverat, noviter revertisset*, &c. Et quod ad tributum attinet Gulielmus Malmesburiensis manifestò explicat, cuinam Pontifici datum fuerit: *Romam*, inquit, *composito regno adiit Ethelwolfus: ibiq; tributum, quod Anglia hodièque pensitat, Sancto Petro obtulit, coram quarto Leone Papa; qui etiam antea Alfredum filium ejus, ad se missum, honorificè susceperat, & Regem inunxerat.* Sed quid antiquos & orthodoxos nomino, in re hac controversâ: ipsi Novatores, qui de Ethelwolfo loquuntur, Leonem IV. ab eo salutatum, & muneribus cultum, affirmant. Ita Spelmannus, Seldenus: &, quod mirere, ipsi Magdeburgici, qui ita, immemores eorum quæ alibi dixerant, scribunt: *Ethelwolfus seu Adulfus Romam profectus tributum B. Petro obtulit, coram Leone quarto. scilicet argenteum nummum, de singulis domibus.* Ita ipsi, admodum oscitanter.

Westm. an. 854.

Ingulf. fol. 862.

Malmes. de Reg. l. 2. c. 2.

Cent. 9. fol. 337.

XVIII. Ab Elizabetham Reginam stupuit Orbis, quæ minus præsumpsit.

Ad Joannæ facinora obmutuit.

Cùm Elizabetha Regina, superiori sæculo, facta est Anglicanæ Ecclesiæ caput, Senatus populique consulto: reclamavit statim Christianus orbis, & insolens factum admiratus; literis, libris, & vario sermone, illud damnavit. Illa tamen, nec Missas celebravit, nec Episcoporum vertici infulas imposuit, nec Cæsares, Augustos, aut Reges unxit. Quis crederet, priùs extitisse deformius monstrum; quod non in orbis angulo, sed in orbis theatro publico, non in unâ particularis regni Provinciâ, sed in omnium Provinciarum, Regnorúmque Principe Ecclesiâ, summi Sacerdotii sacra præsumpsisset; Cæsaribus, Regibus, Episcopis, Italiæ, Galliæ, Angliæ imposuisset: omnia denique Ecclesiæ Sacramenta, fœmininâ manu temerasset, tam silenter, ut nemo, nec illo, nec sequenti sæculo; mutire contra, nedum refragari auderet? si Magdeburgici ad ornandam fabulam, addidissent: Joannam Anglam, Moguntiæ natam, Athenis doctam, Romæ creatam

Pontificem,

Pontificem, in Magiæ arte peritissimam fuisse, & suis præstigiis, tria sæcula fascinasse, nè infamiam ejus loquerentur; fecissent enimverò dignum patellæ operculum. Sed cùm in lupanari solùm versentur, narrentque turpitudinem illam, meritò fascinum omne abfuisse putamus; nam illud æqualis miraculi foret, cum Papâ fœminâ. Quamobrem dicendum est quatuorvitos, in omni verborum syllabâ, & apice imperitè fabulatos esse: & quia sine operculo tam enormia scripserunt, mendaciorum sepulchrum patens, est guttur eorum, & linguis suis dolosè egerunt.

XIX. Qui contra fabulam scripserint.

Non addo plura, ad inanissimæ fabulæ damnationem, quia multi nuper doctissimi viri, in eo opere laborarunt. Sed quid dico laborarunt. multi eleganti scriptione, sed facili manu, monstrum illud confixerunt. *Inter illos novissimè Papirius Maso in Galliis* (loquitur Baronius). *vir præstans ingenio & pietate in volumine suo, quod scripsit de Urbis Episcopis; ut ventus fumum, evanescere totam in auras fabulam fecit. Sed præ cæteris commendandus, qui magno pietatis zelo succensus, veritatis singulari amore flagrans, exæstuansq; ejus elucidandæ immenso mentis ardore, locupletiùs ista pertractans, singula quæq; curiosiùs pervestigans, nihil indiscussum relinquens, fama nobilis Florimundus de Remundo, Regius consiliarius in Parliamento Burdegalensi; vir cum primis illustris & pius, & doctrinâ insignis: cujus lucubrationes de Antichristo adversus Novatores magnoperè celebrantur, commentarium edidit eodem argumento, cujus est inscriptio. Error popularis de Ioannâ pseudopontifice, dicta Papissa. quo sic confecit monstrum illud, scriptorum levitate formatum, & Novatorum industriâ phaleratum; ut eos pudeat, quæ scripserint, vel somniasse. Nam post talem editam scriptionem, inventus est nullus inter Novatores rubore suffusos, ac mente confusos; qui refractario stylo, ipsorum more, sit ausus eam, firmâ solidâque veritate constantem appetere.* Hæc ille. Qui suo merito cum Papyrio, & Florimundo numerari potest; nam ex certâ temporis & annorum serie, quæ optimè controversa moderatur; probè ostendit, nec fœminæ ingressum in Romanam Sedem, nec egressum, cum historiæ Fide constare.

Baron. hic n. 62.

XX. Godwinus quid de Joanna.

Cæterùm quod dicit, neminem à Florimundi scriptione, ausum refractario stilo, pro Joanna advocare; constat id verum esse, de doctioribus intellectum. Unde nunc in Angliâ, à pueris tantum, fœminisque ea fabula canitur: peritiores, vel illam tacent, vel modestè declinant, vel qui ocquiore impetu in Romam feruntur; non disertè, sed subdubitanter pronuntiant: ita tamen aliquando agunt, ut credi à vulgo non solum cupiant, sed admodum laborent. Sic Franciscus Godwinus, cum nostratium Episcoporum Catalogum texuisset, auctarium addidit, ita inscriptum: *Cardinalium Catalogus qui Angli fuerunt, vel fuisse; ab historicis nostris perhibentur.* Et principe loco hanc hederam affigit. *1. Joanna Papa.* & inquit: *Agminis hujusce Dux, & antesignanus primus erit (rectiùs fortasse dixerim prima) Ioanna Papa, Ioanna Anglica vulgò nuncupata. Quæ mulier existens (si verum saltem sit, quod plurimorum historicorum consensu comprobatur) non solum Cardinalis, sed Pontifex etiam Romanus (ô portentum!) evasit. Natam plurimi contendunt Moguntia in Germania; quanquam non desint, qui asserant, Angliam nostram illi patriam fuisse. Ego verò magis fidem adhibeo Balæo, qui, Iacobo Curione authore, tradidit, ortu saltem, & progenie Britannam illam fuisse, Britannici utpote sacerdotis filiam: qui cum uxorem duxisset, cujus parentes & affines Moguntia habitarent; eò profectus, cum uxore gravidâ, propinquos illius visendi gratia; moram ibi traxit: donec partu conjux levata, papam hanc fœminam edidit in lucem, in baptismo Ioannam nuncupatam, ut plerique tradunt: vel, ut aliis Gilbertam, aut (quod Fulgoso placet) Agnetem.* En habet ejus incunabula, tam certa, ut ubi nata, & quibus parentibus, Anglis, Britannis, aut Germanis: quomodo vocata, Joanna, Gilberta, vel Agnes; liceat adhuc disputare.

Godwin. in Catalogo ad finem.

XXI. Cur velit Godwinus, Joannam Britannam esse.

Sed quorsum Franciscus Godwinus mavult fidem Balæo adhibere; cum ille Apostata fuerit, & nullam fidem meritus, qui divinam temeravit? Nimirum, ut Joanna, Britannici sacerdotis filia, Thomæ Godwini Episcopi matrimonium honestaret; sicque Franciscus benè inde nasceretur, nec posteri dicerent: Franciscus Godwinus Episcopus, Thomæ Godwini Episcopi filius: O portentum! sed absque rubore caneret Poëta, ut revera cecinit:

apud Godw. in Catalogo.

Præsul, Præsule filius parente:
Mox & præsulibus parens futuris
Cassis qui patribus, pater superstes,
Et Anglis simul, & simul Britannis.
Das jam vivere, das vigere rursus,
Antiquam memorans Fidem, labores,
Antiquum renovans decus, nitores.

Quia scilicet Joannam tam eruditè depinxit, Sacerdotis filiam. Supponit hoc loco Godwinus, quod alibi pluribus contendit; Britannorum Sacerdotes conjugatos fuisse: quia scripsit Aldelmus librum egregium, contra errores Britonum, perplura in Ecclesiasticam castitatem peccantium. Sed suprà* rejeci hypothesim illam, constantibus argumentis: & iisdem Godwini fundamentum dejicio; quo corruere necessum est omne quod superstruitur de Joannâ figmentum. Ita qui Apostatam sequitur, à cæco ducitur, & facilè in foveam cadit. ut revera contigit iis omnibus, qui monstrum hoc epicæni generis, in Romanæ Fidei odium, nullâ historicæ veritatis ratione habitâ, formaverunt, & Britanniam, Angliam, Germaniam, Græciam, Romam denique corruptis ejus moribus fœdaverunt. Porrò licet Scriptoribus quibusdam, Martino Polono, Sigeberto, Sabellico, aliisque venialis error fuerit; Marianum Scotum præeuntem sequi priùs, quàm mota fuisset de variis rerum circumstantiis quæstio: ubi tamen tantâ Scriptorum industriâ, eventilata res est, & loci, temporis, ac personarum ἀσυστατα, luce meridianâ clarius appareat; hærere adhuc in tenebris, oscitari, atque cæcutire; non fœda modò, sed flagitiosa ignorantia est, minimè Theologum decens; aut (non nisi ultimæ editions,) Episcopum.

* v. an 692. n. 17. &c.

XXIII. Temporis ratio.

Finio quæstionem hanc, & Joannam fœminam, cujuscumque generis, ac speciei fuerit; ex Anglorum Annalibus olim præscriptam, aut potiùs nunquam ibi nominatam, amandamus aliò, non Romanæ Sedis; sed sui sexus, & factionis nuperæ ludibrium. Et quod ad rationem temporis spectat; dicimus, hoc anno, & sequenti, Leonem ad Romanæ Ecclesiæ clavum sedisse, argumento Scriptorum omnium: & illi post alterum annum mortuo, successisse Benedictum, ut præter Anastasium Bibliothecarium, fatentur hujus sæculi

Lupus Epist. 108.

Scriptores omoes. Nam Lupus Ferrarienſis Abbas, ad eundem Benedictum ſcribens, vocat eum Leonis Succeſſorem, & nullum alium, inter Leonem, & Benedictum, Pontificem interceſſiſſe ſatis evidenter oſteodit. Nicolaus quoque Papa, qui poſt annos quinque Benedicto ſucceſſit, Succeſſori Leonis, in duabus Epiſtolis ad Michaelem Imperatorem ſcriptis; tertiò repetit proximos prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices, Leonem & Benedictum, nullo medio inter eos nominato. Porrò, quod ad Anglorum Reges ſpectat; Ethelwolfus in Occidente regnabat, Romanæ Sedis cultor eximius, qui hoc anno 853. filium ſuum natu minimum in Urbem miſit, ad Leonem Papam, qui ſequenti anno, à Leone Papâ, in Britanniam remiſſus; traxit inde Ethelwolſum Patrem, ut non per Legatos, ſed præſentiâ ſuâ, Romanam Sedem veneraretur; quod factum anno 855. ut dicetur, cùm idem adhuc Leo ſederet. ut Annales noſtri, tam antiqui, quàm recentiores, ſine ullo dubio affirmant. Unde ex iiſdem Annalibus noſtris, Joannæ Pontificatus, & Novatorum ineptiæ, domeſtico argumento, ſatis refelluntur. Nunc reliqua proſequamur.

Nicolaus Ep. 8. 9.

XXIII. MORITUR HAYMO HALBERSTADENSIS EPISCOPUS.

Moritur hoc anno Haymo, Halberſtadenſis Epiſcopus, de quo hæc habent Magdeburgici: *Haymo ex Anglo-Saxonum genere, & populo oriundus, non frater, ſed conſanguineum Bedæ, diſcipulus fuit in Angliâ Albini, & condiſcipulus Rabani, ac contubernalis ejus in cœnobio Fuldenſi: Abbas Hirsfeldenſis, & poſtea Halberſtadenſis Epiſcopus, circiter annum Domini octingenteſimum quadrageſimum deſignatus. Inſtructus autem ad iſtas functiones acceſſit ſcientia ſacrarum, & philoſophicarum literarum, & facundia, authoritate, ſanctitatiſq; opinione. Annis tredecim Epiſcopatum geſſit, mortuus eſt anno Domini 853.* Eundem mortis annum coosignat Baronius: addens, complura *ejus monumenta extare, ab aliis dinumerata.* Meritò igitur inter illuſtres Angliæ Scriptores, à Pitſio ponitur, qui de eo hæc habet: *Haymo Anglo-Saxo, poſtquam in Angliâ ſub Alcuino præceptore, optimas quaſq; diſciplinas, avidè hauſiſſet; inſtructus jam multiplici ſcientiâ, Germaniam, prædicandi divini verbi causâ petiit; & aliis Anglis Doctoribus, ſe in Germanorum infidelium converſione adjunxit cooperatorem. Perrexit autem uſque ad monaſterium Fuldenſe, in diœceſi Moguntinenſi, quod S. Bonifacius Doctor Anglus, & Germanorum Apoſtolus extrui curaverat. Inde enim, tanquam ex equo Trojano prodierunt in meſſem Germanicam Angli noſtri, omni virtutis & eruditionis genere inſtructiſſimi. Ibi diſciplinæ monaſticæ, precibus, jejuniis, vigiliis, rerum divinarum contemplationi, lectionibus, concionibus, & aliis ſibi omniq; populo utilibus exercitiis ſtrenuè incubuit, nunquam benè faciendo fatigatus.* Et poſt enumerata ingenii ejus monumenta, quæ plurima fuerunt, ſubjungit: *Poſtquam autem Epiſcopatui ſuo tredecim annos præfuiſſet, ſenio & labore confectus, in vivis eſſe deſiit, anno ſalutis plus minus 753. vel ſecundum alios 853. imperante Anglis, ſive Ethelulfo ſive Alfredo.* Ita ille. Sed revera & abſque dubio, moritur anno 853. Nam anno 753. nec Ethelulfus Anglis imperavit, nec Alfredus.

Cent. 9. fol. 506.

Baron. hic.

Pits. in Haymone 753.

ANNUS CHRISTI 854.

LEONIS IV. PAPÆ 8.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 18.

BURRHEDI MERC. REG. 3.

I. ALFREDUS ROMA REVERTITUR.

SEQUITUR Chriſti Redemptoris noſtri annus octingenteſimus quinquageſimus quartus; quo Alfredus, Româ reditus invenit Inſulam, à Danicis tempeſtatibus reſpirantem: ſiquidem piratæ illi, civilem domi diſcordiam exercentes; foris graſſari haudquaquam potuerunt. In patriâ ergo de rerum ſummâ contendentes, & diſſerentibus ſtudiis diſtracti; odiorum impetum, quem in vicinas provincias effuderunt, in ſua viſcera converterunt. Notarunt hoc Gallicarum rerum Scriptores; & divinæ juſtitiæ, Sanctorum ſuorum injurias ulciſcenti imputant. Ita enim loquitur Pithœi Chronicon: *Civile bellum exortum inter Horic Danorum Regem, & filium fratris Gudurm; qui regno pulſus, piraticam exercebat; univerſoq; populo factione diviſo; parte altera Regi, alterâ nepoti ſtudente; miſerabili modo conciderunt, de Regia ſtirpe, non niſi puerulo remanente. Ita Domino Sanctorum virorum ſuorum injurias ulciſcente, & adverſariis digna factis retribuente.* Hæc ibi.

DANI IN PATRIA SUA DISSIDENT.

apud Baron. hic. n. 6.

II. DE ROMANA PROFECTIONE COGITAT ETHELWOLPUS.

Cæterùm pace Anglis tantiſper redditâ; & cœlo veluti poſt nubila ſerenato; redit Eccleſiis ſuus ſplendor, cultus Sanctis, Deo gloria: cum Ethelwolfus Rex, viſo Alfredo filio; auditiſque quæ de Romana Urbe dicebantur; nihil ſe feciſſe arbitratus eſt, niſi ſua omnia, ſéque ipſum Deo, & Romanæ Eccleſiæ mancipaſſet. Statuit ergo eò proficiſci; quò ſuperiori anno miſerat filium: & Cedwallæ atque Inæ, Occidentalium Saxonum, hoc eſt, majorum ſuorum veſtigia premere; qui illuſtria facta, eo fine, coronaverant. Cum igitur profectionis conſilium animo ſediſſet; cœpit rem domi componere; nè Principis abſentiâ turbæ naſcerentur. Verùm priuſquam hanc Regiam expeditionem refero; componi debent diſſidentes cives, qui variè narrant profectionis circumſtantias: multa enim contigerunt, ut teſtata ab Annalibus, ità animadverſione digna. Ethelwolfi iter in Urbem, terrarum ac provinciarum decimatio, denique charta Regia, Ethelwolfi manu, aliorúmque Principum conſignata. Hæc tria paſſim Authores in unum annum congerunt, ac confundunt. Unde tamen, curioſo Lectori inextricabilis manet labyrinthus. Si enim hæc omnia, ad ſequentem annum retuleris; quo data eſt charta (ut Aſſerus, Wigornienſis, Huntindonius, & alii paſſim) & Ethelwolſum Regem poſt datam chartæ, Romam miſeris; hoc eſt, poſt menſem Novembrem, nimiùm Ethelwolfi annos, regnúmque producis; nam Romæ manſit annum integrum, duobúſque, à reditu ex Urbe ſuperfuit; mori tamen debet anno 857. & vigeſimo primo regni inchoato tantùm. Poſuimus autem ejus regni exordium ad annum Domini 837. regnavitque ex Malmeſberienſi annis viginti, & menſibus quinque.

III. DUBIA PROPONUNTUR.

Iterùm, ſi poſt datam literarum, Romam profectus eſt, anno octingenteſimo quinquageſimo quinto; non potuit Romæ ſedentem Leonem IV.

venerari, qui eodem anno obierat ſexto Calendas Auguſti; ut teſtatur, qui præſens fuit, Anaſtaſius. Ethelwolfum verò, & Reducem Alfredum, Leonem adhuc in vivis inveniſſe, coluiſſe, muneribus, & obſequio veneratos, Hiſtorici omnes fateotur, ut ſuprà * oſtendi, è Malmeſberienſi, Ingulfo, aliiſque. Quare Weſtmonaſterienſis narratio paululùm claudicat: ubi regiam dunationem ſcriptam refert, *anno 855. Indictione quartâ, quinto nonas Novembris.* & addit: *His geſtis: Rex magnificus Occidentalium Saxonum Ethelwolfus, Romam profectus r duxit ſecum Ælfredum, filium ſuum juniorem, quem cæteris omnibus plus dilexit; ut à Papâ Leone, moribus pariter & religione informaretur ibidem.* Claudicat, inquam, quia nec Indictio quarta cadit in eum annum: nec Leo IV. quinto nonas Novembris ſuperſtes fuit: ut ſuo loco dicetur.

*vide an. 851. n. 16.

Weſtmon. an. 854.

IV. Regni decimam offert Ethelwolfus Deo, et omnibus Sanctis.

Rurſus, decimationem regni, cum Romanâ profectione componunt Annales ferè omnes, & in eundem annum referunt; qui tamen, cum anno datæ chartæ regiæ convenire nequaquam poteſt. Quamobrem dicendum eſt; hoc anno octiogenteſimo quinquageſimo quarto, Ethelwolfum, Romanam profectionem auſpicatum, regni ſui decimam Deo conſecraſſe: cum adhuc in Occidente eſſet, & Wiltonienſi agro, confeciſſeque fortè inſtrumentum: quod mox recitabo. Inde ſequenti anno, cùm ex Urbe revertiſſet; regio diplomate firmaviſſe, quæ ante, verbo, ſcriptóque promiſerat. Benè igitur ad hunc ſenſum loquitur Weſtmonaſterienſis: *Eodem anno* (854.) *magnificus Rex Ethelulfus, decimam regni ſui partem, Deo, & Beatæ Mariæ, omnibus Sanctis contulit r liberam ab omnibus ſervitiis ſæcularibus, exactionibus, & tributis.* Eodem ferè modo Huntindonius, cum dixiſſet, Alfredum, Ethelwolfi filium, Romam iviſſe, decimo-octavo paterni regni anno; quem nos tamen decimum-ſeptimum numeramus; mox de ſequenti anno, ita ſcribit: *Adelwulfus, decim-nono anno regni ſui, qui totam terram ſuam, ad opus Eccleſiarum decimavit, propter amorem Dei, & redemptionem ſui: poſtea verò, cum magno honore Romam perrexit; & ibi uno anno converſatus eſt.* Romam igitur hoc anno proficiſcitur, cum priùs; quò benè ſibi, & itineri, verteretur; multa in Eccleſias liberaliter profudiſſet, voviſſetque majora: ſi, vitâ comite, in provinciam rediret. Sic Malmesberienſem intelligo, de Ethelwolfo ita ſcribentem: *Poſt triumphatos hoſtes, ad Dei cultum converſus: decimam omnium hydarum intra regnum, Chriſti famulis conceſſit, liberam ab omnibus functionibus, abſolutam ab omnibus inquietudinibus. Sed quantula eſt hæc ejus gloria? Romam compoſito regno abiit; ibiq; tributum quod Anglia, hodieque penſitat, ſancto Petro obtulit, coram Leone Quarto, qui etiam antea, Elfredum filium ejus, ad ſe miſſum, honorificè ſuſceperat, & Regem inunxerat.* Porrò Ethelwolfum ſcripto firmaſſe, hoc anno, quæ promiſerat; ſatis probatur è Regia Chartâ, quam antea ineditam, refert Seldenus in hæc verba: *Ego Æthelulf gratiâ Dei Occidentalium Saxonum Rex in ſanctâ ac celeberrimâ Paſchali ſolennitate, pro mea remedio animæ, & regni poſteritate, & populi, ab omnipotenti Deo mihi collate; conſilium ſalubre, cum Epiſcopis, comitibus, & cunctis optimatibus meis perfici; ut decimam partem terrarum, per regnum noſtrum, non ſolum Eccleſiis darem: verùm etiam & miniſtris noſtris in eadem conſtitutis, in perpetuam libertatem habere conceſſimus: ita ut talis donatio, fixa, incommutabiliſq; permaneat, ab omni regali ſervitio, & omnium ſæcularium ſervitute abſoluta. Placuit autem Elhſtano Epiſcopo Schireburnenſis Eccleſiæ, & Swithuno Wentanæ Eccleſiæ Epiſcopo, & Ducibus communiter. Hoc autem fecimus in honorem Domini noſtri IESU Chriſti, & Beatæ ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & Paſchalis feſti reverentiam: ut Deus Omnipotens, nobis & noſtris poſteris propitiari dignetur. Scripta eſt autem hæc chartula, anno ab Incarnatione Domini noſtri IESU Chriſti, octingenteſimo quinquageſimo quarto, Indictione ſecundâ, die Paſchali in palatio noſtro, qui dicitur Wilton. Qui autem augere voluerit noſtram donationem, augeat Omnipotens Deus dies ejus proſperos. Si quis verò minuere, vel mutare præſumpſerit; noſcat ſe ante tribunal Chriſti redditurum rationem; niſi priùs ſatisfactione emendaverit. † Ego Æthelwlf Rex. † Ego Ælhſtan Epiſcopus. † Ego Swithun Epiſcopus. † Ego Wlſlaf ..obas. † Ego Werferd Abbas. † Ego Æthered & Alfred filii Regis conſenſimus.* Ita ibi. Hoc ſcriptum dari firmarique potuit priuſquam Rex profectionem inchoaret: A reditu verò confecit diploma aliud, cum plures Epiſcopi, procereſque Wintoniam conveniſſent; ut dicam ſequenti anno. Nam loco, tempore, verbiſque ſingulis, differt hæc charta Regia, ab illo, ut legenti patebit.

Huntind. fol. 348.

Malmes de Reg. l. 2. c. 2

Selden. de Decimis. c. 8. fol. 208.

V. Quonam Rex decimaverit?

Firmato tempore, diviſiſque in ſuos annos, Regiæ expeditionis circumſtantiis; reliquum eſt Ethelwolfi pietatem paulò latiùs explicare: quid ille in regno decimaverit; quid plenè Eccleſiis conceſſerit; quomodo demum in Urbem profectus ſit. Nam quid ibi egerit ſequenti anno, quo illa contigiſſe debent, exponemus. Quod ad decimam ſpectat; meritò dubitatur; fueritnè illa de terris tantùm ſuis, an verò totius regni? & iterùm, ſi regnum ad tributum illud condemnetur; quæri poteſt, an unum Occidentis regnum, an verò alia omnia, quæ Egbertus Occidentis regno adjunxit, in decimam ceciderint. Dubium inde oritur, quia verba Chartæ Regiæ, variè ab Authoribus recitantur; ut dicam anno ſequenti. Certè quæ Ingulfus habet, non tam de regno, quam de terris propriis videntur intelligi. Malmeſburienſis de regno diſertè loquitur, in diplomatis Epigraphe, ſed *portionem aliquam terrarum hæreditariam*, nominat in contextu Weſtmonaſterienſis, & alii, cum Regiâ Chartâ nuper recitatâ, *decimam regni ſui* expreſſerunt, ſine alio addito: Et ſolus Jornalenſis apud Spelmannum, Occidentis regni mentionem injicit: *Scriptum eſt*, inquit, *quod iſte Rex Ethelwolfus, decimam hydam terræ, totius Weſt-Saxiæ, Deo, & Eccleſiæ contulit.* Unde Regiam donationem, ad Occidentis regnum reſtringere videtur. Quod vel inde poteſt confirmari; quia Ethelwolfus paſſim ſcribitur, non tam *Anglorum*, quàm *Occidentalium Saxonum Rex.*

apud Spelm. fol. 351.

VI. Tota Anglia decimatur.

Verùm aliud voluit Ethelwolfus, quàm actum agere: dudum enim Occidentis regnum, ſervierat illam ſervitutem: & annuo tributo Eccleſiam coluerat, ut ſuprà* dictum eſt. Unde, hoc anno, Rex ampliavit penſionem illam; & quod Occidens olim fecerat, Inæ & Offæ tempore: idem fieri per cæteras provincias, juſſit. quod Malmesberienſis probè intellexit, cum dicit:

* v. an 726. n. 5 6 7.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 2.
Ethelwer. l. 3. c. 3.

Apponam scriptum libertatis Ecclesiarum, inquit, *quod Athelwulfus Rex toti concessit Angliæ.* quod paullò aliter Ethelwerdus ita expressit: *Eodem anno decumavit Athulf Rex, de omni possessione sua, & in universo regimine Principatus sui constituit.* Nec mirum est, in aliis authoribus, unius regni fieri mentionem, quia Ethelwolfus, in Egberti Patris titulos, honorémque descendit. Et ille, postquam Cantium, Orientales, & Australes Saxones, addo, & Northumbrios, subjugaverat; retinuit quod à majoribus acceperat, Occidentalium Saxonum Regis nomen; sed eo sensu, ut alia regna, eo nomine comprehensa censerentur. Unde sequenti anno, cum Regium donationis instrumentum conficitur, & firmatur: id factum est in pleno Senatu, quo Merciorum & Est-Anglorum Reges, aliique Principes diversarum provinciarum, convenerunt. Hinc benè, inter recentiores, Jo. Seldenus, cum Ethelwolfi pietatis meminisset: *Auxit ille*, inquit, *pleniúsque confirmavit, quod Inas & Offa, superiùs alio nomine contulissent.* Quid Hidæ nomine venerit, & quanta fuerit Regis donatio, colligi potest ex infrà * dicendis.

Selden Analect. l. 2. c. 4.
* *ad an. 857. n. 7.*

VII.

Antiq. Glast. in Athulfo.

QUID GLASTONIÆ CONTULERIT.

Præter decimam datam toti Ecclesiæ Anglicanæ; privatis etiam Ecclesiis aliqua largitus est Ethelwolfus Rex: ut colligi potest ex eo, quod Glastoniensium Antiquitatum collector, de hoc temporo loquens ait: *Insuper*, inquit, *decimam terrarum suarum Ethelwolfus Ecclesiis regni sui piè contulit: monasterio etiam Glastoniæ dedit Offaculum viginti quatuor hidas: Bocland quinque hidas: Pennard novem hydas: Occenfeld Scearanton sex hidas: Sows decem hidas: Piriton, Logderesbeorghe, quod Montacu dicitur: Occemund, Bedul, Braunc, Dunead. Ethelstanus, consensu ejusdem Regis, dedit Clutton decem hidas, una cum corpore; obsecrans, ut fratres ejusdem loci, nunquam illud dimittant. Alius quoque Comes, nomine Enulfus, ejusdem Regis voluntate, dedit præfato monasterio Dichesher, & Lottesham, viginti hidas*, &c. Quod factum huic cœnobio, aliis etiam Ecclesiis, per Insulam, factum puta. ut nuper de Croylandensi in Merciis dictum. Nam Regis ad exemplum, proceres alii, principésque viri; tam profusi erant, ad Deo, Sanctísque sua largienda: quàm prompti prius Nerones, & Diocletiani; & postea fuerunt Dani, Northmanni, Calvinistæ; ad eadem Deo, Sanctísque detrahendum. Nunc Ethelwolfum in Urbem deducamus.

VIII.

ROMAM PROFICISCITUR.

Adscito in itineris comitem, ac levamentum, Alfredo filio; Rex Apostolorum Petri, & Pauli salutaturus limina; non novo, aut insolenti, sed ab antiquis Regibus, Constantino, Carolo, Ludovico, & qui eum in Occidente præcesserant, Cedwalla, Ina, Offa, Principibus petito exemplo; Romam proficiscitur. Libenter legerem ejus vestigia; quia colligerem inde pietatis ejus opera, quæ nunc solâ conjecturâ assequi possumus. Cum igitur in reditu ex Urbe, per Galliam transierit: opinor, eum in aditu, Germanias invisisse, & inde compendiosiore itinere; quia nescit tarda molimina, calens pietas; Romam festinasse. Quid in Germaniâ fecerit, obscurum est. Conjicio tamen invisisse in transitu, eos Anglo-Saxones, quos olim ex Oriente Insulæ profugos, à morte Ethelberti Regis & Martyris, in Germaniâ consedisse diximus *. Eos inter, cum generis & oris

* *vide an. 841. n. 3.*

ETHELWOLFUS EDMUNDUM AMPLECTITUR.

elegantiâ, Edmundus emineret; sedulóque Ethelwolfo, omni obsequii genere, ministraret; peramanter eum Rex amplexatus, in patriam invitavit; eíque Est-angliæ provinciam natalibus ejus debitam; cum Regis titulo, promisit: Pararet ergo sese, & validâ Germanorum manu munitus, properaret in Britanniam; ubi contra Danorum impetus, qui nuper vexaverant provinciam, munimentum esset. Porro ita dictum factúmque ab Ethelwolfo, ideo cogor opinari; quia sequenti anno, ex omnium Annalium Fide, Edmundus è Germaniâ in Insulam descendet, Regis nomen, titulúmque, obtinebit; inde Regiâ coronâ donatus; postquam fortiter & Christianè, in Danos pugnaverit; illustrissimâ demum Martyrii coronâ, vitam suam, Fidémque Regiam sigillabit. Quæ cum in confesso sint apud omnes: unde tamen, aut quâ ratione, Edmundus in regnum subitò emerserit, nemo prodidit; nemo Ethelwolfum (penes quem ad Orientalem provinciam jus erat) nominat; cum quo tamen Edmundus amicè regnavit: dicendum profectò est, Ethelwolfum Regem, eum in Regiæ dignitatis consortium admisisse: & quia sequenti anno (ut omnes fatentur) Edmundus regnat, eundem hoc anno in patriam invitasse, opportunè tunc cum Romam pergeret.

IX.

LEGENDARII EXPLICANTUR.

Capgrav. in vita Edmundi Mart.

Sic paucis mutatis, accommodari possunt, quæ Legendarii in vitâ S. Edmundi Regis & Martyris, referunt; de Offa Est-anglorum Rege, Hierosolymam peregrinante; cui Edmundus in itinere, propensiore curâ ministrarit: & discedens, annulum porrexerit, dicens: *Edmunde, fili charissime, accipe nostræ mutuæ dilectionis monimentum, ut memineris me solerti tuo obsequio esse obnoxium. Super quo gratias tibi refero, & mercedem paternam, ex Dei providentiâ, in corde tibi reservo.* Ego sanè puto, Ethelwolfo Romam proficiscente, id Edmundo contigisse; & sæpiùs Legendarios, qui nullâ temporis habitâ ratione, Sanctorum vitas componunt, aëreas circumstantias, rebus cæteroquin veris assuere: quas oculatior, & suis legibus currens historia, potest aliquando facilè excernere. Nec opus est, Authores ideò vexare, aut nimiùm premere, si interdum in rerum narratione dormitent: quia omnibus horis vigilare, & loricâ veritatis succinctum stare, non est humanarum virium. Pretiosa quandoque in lutum cadunt: nec ideò respuenda: tergi enim possunt, & exiguâ curâ levari, nitoríque suo restitui. Peccant in eo genere factiosi, admodùm factiosè; Authores pro libito lacerant, Sanctorum vitas elevant, imò Sanctos ipsos injuriâ tractant; si nævi, aut tenebræ (sine quibus hic non vivitur) eorum gestis inseruntur. Hi nesciunt *separare pretiosum à vili; ideò non sunt quasi os Domini.* Cæterùm nos illos Scriptores meritò aversamur, non qui in levioribus peccant, sed qui os in omnem Antiquitatem, Fidem, ac religionem obfirmantes, nuda dogmata cudunt: & vel formant ad genium suum, Antiquorum scripta; vel illa prorsus rejiciunt. Ita peccant ubique Magdeburgici, & quotquot factionis impetu feruntur: Sanctos omni cultu exuunt; & miracula, si quæ cultum loquuntur, respuunt; Deum privant sacrificio, hoc est supremo religionis actu: quicquid ergo in historiis occurrit (ut occurrunt infinita) sacrificium probantia, aversantur: ita in omni quæstione Fidei substantiam jugulant.

ET PER HISTORIAS EMENDANTUR.

Hæc

X. Confirmantur supradicta.

Hæc obiter, de authoribus, occasione sanctissimi Regis & Martyris Edmundi: de cujus regno, regnique fine, ac Martyrio, authores nostri, satis accuratè scripserunt: quæ suis locis infra referam; sed ejus exordia, legendarii tantùm, qui virtutes & pietatem Sanctorum potissimùm, nec alia ferè prosequuntur, recitant: ita incerta, certissimis & indubitatis rebus admiscentur. Quod Romam, sub hæc tempora, Ethelwolfus, pietatis causâ profectus sit; est extra omnem controversiam: quod sequenti anno, per Gallias in Britanniam redierit, æquè certum. Per Germanias ergo in Italiam perrexisse; iter brevius & succinctius; licet Scriptores illud tacuerint, affirmare possumus, satis probabiliter: Et cum inde Edmundus in Est-anglorum Regem surrexit, anno sequenti: ac cum Ethelwolfo, & aliis Principibus sederit in pleno Senatu, ut ibi dicemus: æquè probabiliter existimare possumus, inter utrumque conventum esse, ut Orientalis Angliæ Provincia, Regem haberet, qui agrum illum a Danorum incursibus tutaretur: & tunc demum peregrinum Regem, porro in itinere perrexisse, & Romam denique pervenisse: quem ibi morantem, & pietatis suæ monumenta relinquentem sequenti anno invisemus.

XI. Wimundus Eboracensis moritur: Succedit Wulferus. *Westm. hoc.* Eanbertus Lindisf. moritur: Succedit Eardulf. * an. 845 n. 3. *Harpesfeld. sæc. 9. c. 14.*

Moritur hoc anno octingentesimo quinquagesimo quarto Wimundus Eboracensis Archiepiscopus: & in ejus locum Wulferus successit, qui factione civium à Sede suâ pulsus, & eidem tandem restitutus, sub finem hujus sæculi, moritur. *Eodem anno Eanbertus Lindisfarnensis Antistes, diem clausit extremum; & Eardulfus successit.* Ita Westmonasteriensis, per Eanbertum Egbertum intelligens, ut suprà* monui. *Eardulfo sedente, societas Monachorum, quæ hactenus apud Lindisfarnensem Insulam perduravit, propter vastationis & cladis immanitatem dissipata est, & alio transmigrare coacta.* inquit Harpesfoldus; de quo infrà.

ANNUS CHRISTI 855.
LEONIS IV. PAPÆ 9.
ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 19.
BURRHEDI MERCIORUM REG. 4.
EDMUNDI ORIENTAL. ANGL. REG. 1.

I. Edmundus regnum auspicatur.

AUSPICABIMUR annum Domini octingentesimum quinquagesimum quintum, à novi Regis inauguratione. Orientales Angli, à morte Ethelberti, quam Offa nefariè sustulerat è vivis; proprio Rege caruerant Occidentalium Saxonum Regno subjecti: donec crescente hostium externorum ferociâ; visum est Ethelwolfo, provinciis eos præficere, qui Regiâ authoritate, & civibus præesse, & hostilem impetum sistere cum dignitate, possent. Edmundus in eam rem, non sine divino numine lectus est; opinor ab Ethelwolfo per Germanias transeunte, qui statim eodem anno, iter agressus, in Icenorum litore exponitur non procul ab æstuario, quod Ptolomæo Metaris est: ubi collectis aquis Oceanus unum fecit; nititúrque se in vicinam terram, magnis, sed inutilibus undis effundere. Quod ad tempus spectat, quia sub finem superioris anni Angliam ingressus est, non malè authores, primum ejus regni annum, sequentem ponunt. Sic Asserus: *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis octingentesimo quinquagesimo quinto; nativitatis autem Alfredi Regis septimo, Eadmundus Orientalium Anglorum gloriosissimus, cœpit regnare octavo Kalendas Ianuarii, id est, die natalis Domini, anno ætatis suæ decimo-quarto.* *Asser. hoc anno.*

II. Ut primùm è navi descendit Princeps, ponit se in genua: & quasi regnum, felici omine, ulnis amplectens, Deo se, & Provinciam commendat. Tum precatus, ut regnandi Principium, à Deo, finisque esset; lubentissimis provincialium vocibus, votisque accipitur. Eo loci turrim Edmundus poni jussit, ad arcendos hostes, oppido necessariam. Nam exscensionis opportunitas; & ager fertilis, Danos aliquando ad prædam invitaverant: Manet etiamnum ibidem, Edmundi Principis memoria, Hunstantonum oppidum in agro Norfolciensi, primo hujus Regis appulsu nobile. Sed & pietatis ejus monumentum, non procul inde visitur, sacellum in promînentiore litoris angulo positum, quod hodiéque Sancti Edmundi dicitur. Addit Capgravius, in loco orationis, fontem mirabiliter erupisse, morbis utilissimum. Inde ductus in mediterranea regni Princeps, ad regiam villam, quam Ptolomæus (ut vult Camdenus) *Faustini villam* appellat, Sedem posuit: & redeuntibus altero anno Christi Natalibus, solenni cæremoniâ in East-Anglorum Regem inungitur, de quo anno sequenti; quia cum Assero annos numeramus: & multa Edmundi unctionem præcesserunt, quæ priùs, hoc loco debent recenseri. *Edmundi Regia.* Cæterùm quod attinet ad Edmundi Sedem, villámque regiam, hoc Saxonum sæculo Bedericsgueord, sive Bederici villa appellata est. *Veriùm cum Edmundi Christianissimi Regis corpus* (ita loquitur Camdenus) *quem Dani exquisitis suppliciis trucidassent, huc transtulisset populus; & in ejus honorem, permaximam, miro ligneo tabulatu, Ecclesiam construxisset: Edmundi-burgus, vulgò S. Edmondsbury, & contractè Bury dici cœpit, mirumque in modum floruit.* De quo sæpè inferiùs. *Camden. in Suffolke.*

III. Ethelwolfus quid Romæ fecerit? Dum hæc in Britanniâ geruntur; Ethelwolfus Romæ, Regiam Anglorum Fidem, & pietatem explicat; sacra Apostolorum limina visitat, Leonem Ecclesiarum omnium Principem, veneratur, & vovet illi Sedi obsequium: quod primum maximumque fuit peregrinationis argumentum. Nec opus id pluribus probare; quia factiosi fatentur, in more positum hoc sæculo, Regibus & Principibus illi Capiti cervicem inflectere. Hinc Magdeburgici conqueruntur, quod *Reges & Principes, more Psitacorum (ita Regiam Majestatem illi reverentur) voces illas præscriptas resonarent: quod Pontifex sit caput Ecclesiarum Dei, & omnium Sacerdotum in toto mundo.* Inde eos arguunt, quod vectigalia, & tributa, è regnis suis Rom. Ecclesiæ assignarent: denique quid Romæ fecerit Ethelwolfus; ita narrant: *Ethelwolfus*, inquiunt, *sive Adulfus, Romam profectus, tributum Beato Petro obtulit, coram Leone quarto: scilicet argenteum nummum de singulis domibus.* Itaque quod superiore anno, actum, conclusumque fuit in Britanniâ, de augendo censu, & extendendo tributo Romanæ Ecclesiæ; hoc anno Ethelwolfus Rex *Cent. 9. fol. 335.* *Ibid. f. 338.*

Polyd. l. 4.

Leoni IV. coram exponit. quod Polydorus observavit dicens: *Ethelwolfus Romam, voti causâ petivit: ubi à Leone quarto Pontifice benignè acceptus; fecit Romano Pontifici, eam quoque Insulæ partem, quam Egbertus Pater ad regnum adjunxerat, vectigalem: imitatus Inam: legemq; sancivit, ut qui ex suis possessionibus, triginta denariorum vectigal, in singulos annos caperent; aut plures domos haberent; pro iis quas habitarent, singuli singulos denarios, quotannis Romano Pontifici, ad diem festum Apostolorum Petri & Pauli; vel summum ad vinculo Petri, solverent. Quam legem, quidam, licet falsò, Aluredo ejus filio assignant.*

IV. TEMPORIS RATIO. Baron. 847. 81.

Cæterùm erravit in sequentibus Polydorus; cum tempus supputans hujus Regiæ donationis, addit: *Fuit is, annus salutis humanæ octingentesimus quadragesimus septimus.* & Baronium seduxit, ut eo anno vectigalem fecerit omnium Insulam. Vidit tamen oculatus Baronius, aliter ab aliis referri Regiam peregrinationem, cum ait ad eum annum: *Scimus tamen ejusdem Regis peregrinationem Romam, referri ab aliis anno Domini 854.* Unde idem author, cum ad hunc annum 855. pervenisset, ait: *Non est prætereundum, quod eodem anno, dum adhuc ipse Leo Papa superstes esset; Ethelulfus Rex Occidentalium Saxonum in Anglia Romam veniens, summo honore ab eodem Leone Pontifice exceptus est.* Benè dicit Leonem adhuc superstitem fuisse, unde tributum illi persolutum, & Angliam illi vectigalem factam necesse est affirmare: quod fatentur etiam suprà Magdeburgici; licet aliquando Joannam Anglicam, seu potiùs Magdeburgicam, ni mavis factiosorum omnium pupam, tunc papam fuisse. Et munera ab Ethelwolfo accepisse. Nam munera quoque à privato Regis peculio oblata esse suadet Ethelwolfi pietas, & principum virorum Ecclesiarum matrem venerantium pia consuetudo. Sed quænam illa? aut quorsum externi saltem authores, qui Romæ facta Annalibus commendarunt, hæc munera tacuerunt? Solet Anastasius Bibliothecarius, accuratè singula adnotare, quæ hoc tempore; quo ipse Romæ vivebat; ad Ecclesiam & Romanos Pontifices spectantia, contingebant. Cur nullam Ethelwolfi, & peregrinationis ejus mentionem fecit?

Idem. an. 855. 26.

V. ANASTASIUS NUM ETHELWOLFI MEMINERIT?

Opinor fecisse: & collegisse munera, scriptisque mandasse; quæ Rex, hoc anno, cum Insulæ dominio obtulit: sed Saxnicæ vocis asperitas, & amanuensium imperitia, Ethelwolfi nomen obliteravit, & nescio quem Regem, pro Saxonum Rege substituit: vel mea fallitur conjectura. Moritur hoc anno, Leo Papa, cum Ethelwolfus adhuc in Urbe esset: & ei substituitur Benedictus; ad cujus sedis exordium, hæc habet Anastasius; *Iis temporibus Rex * Lazorum nomine ..... causâ orationis veniens relictis omnibus suis rebus, Regnum proprium dimisit: & Romam properans ad limina Apostolorum Petri, & Pauli; cum multitudine populi, obtulit dona B. Petro Apostolo, coronam ex auro purissimo, pensantem libras quatuor, baucas ex auro purissimo, duas pensantes libras ...... Spatham cum auro purissimo ligatam. Item imagines duas minores, ex auro purissimo gabatas saxiscas de argento exauratas, quatuor. saracam de holoserico cum chryso clavo, vela minora de fundato duo. Idem Rex dedit togam, in Ecclesia B. Petri Apostoli, Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, & universo clero, & optimatibus ex auro: populo autem minutum argentum. Postmodum verò finitâ oratione reversus est ad proprium regnum suum: & post paucos dies vitam finivit, & perrexit ad Dominum.* Hæc ille.

*Saxorum apud Baron. an 850. n. 7.

REX LAZORUM EST SAXONUM REX ETHELWOLFUS.

VI. Baron. an. 850. n. 7.

Cum hæc ex Anastasio Baronius recitasset, mox addit: *Licet diversa sit Lectio in Rege Lazorum, sive Saxorum: tamen Saxonum Regi Ludovico filio Ludovici Pii tribui hæc non possunt: qui nec invenitur sub Benedicto Romam venisse; nec sub eodem defunctus esse. Fortasse autem accidit, ut Michaëlis Imp. legato se conjunxerit Rex Lazorum: & ex remotissimis regionibus, trans mare Caspium, pietatis ergo, peregrinationem consuetam ad limina Apostolorum susceperit.* Verùm si in Anastasio legeris: *Iis temporibus Rex Saxonum, nomine Ethelwolfus, causa orationis veniens relictis omnibus suis rebus, &c.* nulla prorsus erit difficultas: nec erit opus trans mare Caspium, sine duce, Regem quærere, qui Romam venerit, sub hæc tempora. Cum enim, omnium Scriptorum consensu, qui de rebus nostris loquuntur, constet: Ethelwolfum, sub finem Leonis, Apostolorum limina visitasse, munera detulisse, reversum postea in patriam, post annum decessisse, & sanctitatis opinione celebrem, in Domino quievisse: multò rectiùs existimare possumus, de eo potiùs locutum Anastasium; quàm de remotiore aliquo, quem nemo alius nominavit. Quæ ergo Ludovico Saxonum Regi convenire nequeunt, cum optimè conveniant Ethelwolfo, noto Saxonum Regi; cum Anglo-Saxonum Regia Fides, pietasque in S. Petrum Apostolorum Principem eminentissima semper fuerit; & plures eum Reges, in eo religionis genere præcesserint: dicamus ea munera ab Ethelwolfo data, quæ numerat Anastasius. Et quia legis *spatam cum auro purissimo ligatam*, puta Regem, mirabilem quam supra habuit de Danis victoriam, eo munere testatum esse. Et verò cum anno integro Rex Romæ manserit, ut passim authores notant; omni hominum generi, ordinique, benè potuit gratificari: & Episcopos, Presbyteros, & universum clerum, addo & optimates muneribus cumulare. Si quis certiora de hoc Anastasii loco attulerit, conjecturam meam illi submitto; interim cum nihil mihi de Lazorum, aut Saxorum Rege constat; liceat opinari Anastasium, rem testatissimam, & omnium oculis obviam, quæque in Romanæ Sedis dignitatem cederet, non præteriisse silentio; sed, quicquid amanuensis aberrarit; de Ethelwolfo Anglo-Saxonum Rege, intellexisse, quæ supra referuntur.

VIII. ANGLORUM SCHOLAM REPARAT ETHELWOLFUS.

Qui in Romanos largus & liberalis fuit: non potuit suis civibus, qui in Urbe morabantur, deesse. Ibi nuper* Saxonum schola, incendio conflagrarat: anno, ut diximus, octingentesimo quadragesimo septimo; & quartus Leo incendium miraculo stiterat. Ethelwolfus ergo provincialium suorum ruinas cernens, amoliri jubet rudera, novámque domum construi: Testatur hoc Malmesberiensis: *Ethelwolfus*, inquit, *Romæ integro moratus anno, scholam Anglorum, quæ (ut fertur) ab Offa Rege Merciorum primitus instituta, proximo anno conflagraverat, reparavit egregie.* Ab Offa, quidem annuo censu auctam, sed ab Ina primitus erectam, Anglorum scholam suprà * diximus. Nec opus premere nimium Malmesberiensis verba, dicentis proximo anno scholam conflagrasse, quasi anno superiore incendium fuerit. Sed innuit tantùm, illud paullò ante

*v. an. 847. n. 5.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 2.

*v. an. 727. n. 2. &c.

Polyd. l. 4. Regis adventum contigisse: quod Polydorus etiam intellexit, cum ait: Ethelwolfus *fertur instaurasse Romæ scholam quandam primitùs ab Offa Rege Merciorum conditam, & paullò ante ejus adventum in Urbem, incendio fere consumptam.* Non probo quod sequitur in eodem authore: *Ipsam autem scholam, ubi Romæ Angli duntaxat manebant, bonisq; artibus operam dabant; eo loci fuisse opinor, qui postea hospitalis domus Divo Thomæ dedicata posita est, ad quam Angli homines receptum habent.* Non, inquam, probo: quia Anglorum nuperius hospitium, in Urbe: Anglorum autem antiquior schola, trans Tiberim fuit, in Urbis suburbano; ut pluribus ostendi suprà*.

* v. an. 757. 6. & 794. 5. & 547. n. 3.

VIII. Sunt qui putent, ex Romano Pontifice, hoc tempore impetratum privilegium; nè Angli publicè Romæ pœniterent, ferro constricti; Ethelwolfo Rege intercessore: de quo Harpesfeldus. *Cumq; hoc tempore nonnullos videret, qui ex pœnitentia injuncta præscripto, ferreis palam vinculis obstricti obambularent; impetravit à Pontifice, nè Angli, hoc genus pœnitentiæ, extra proprios lares subirent.* Arguit profectò, hoc genus pœnitentiæ, Romanum Pontificem, à Christo, ligandi æquè se solvendi potestatem accepisse; non solùm in Romæ subditos, sed in procul natos, & omnes Ecclesiæ filios; idque à Regibus orthodoxis creditum. Arguit etiam, reservata omni sæculo, majora quædam crimina, quæ non nisi à primâ Sede, idque reo ibi comparente, solverentur: quod hodiéque fit ex antiquorum Canonum scitis. Ceterùm Ethelwolfus civium suorum commodis prospiciens, ligari quidem criminosos; sed in patriâ tantum impetravit: quis itineris prolixitas, terrarum, marisque pericula, pœnam augebant.

IX. Leo Papa moritur.

Dum ita piè Ethelwolfus Romæ versatur: moritur Leo Pontifex, cum annos octo, & tres menses, Rom. Ecclesiam sanctis institutis, & exemplo, gubernasset. Moritur autem decimo sexto Kalendas Augusti; & relatus inter Sanctos, anniversaria memoriâ in Fastis celebratur. Eo defuncto, absque mora, in locum ejus subrogatur Benedictus, eo nomine tertius, patria Romanus. Quem cum Ethelwolfus Rex, de more veneratus esset, & Apostolorum aliorumque Sanctorum corpora religiosè visitasset; ex Urbe discedens, per Gallias in patriam proficisci contendit. Ibi, quia dudum Osburga conjux obierat, Caroli Regis, cognomento Calvi, filiam, in provectæ ætatis solatium accepit, duxitque in uxorem; quam Malmesburiensis ita nominat: Ethelwolphus *domum per Gallias repatrians, Iudith filiam Caroli Regis Francorum, in conjugium sumpsit.* Erat Carolus, Luduvici Pii filius, Lotharii Imperatoris, qui hoc anno 855. moritur, frater: qui medietatem Franciæ ab Occidente, & plures ibi provincias, Neustriam, Britanniam, partémque maximam Burgundiæ, Gothiam etiam, Wasconiam, & Aquitaniam sub imperio tenebat. Unde, & quia in Gallis celebratæ nuptiæ, Judithæ, Reginæ nomine, Regiæque potestatis prærogativâ donatur: Quod quia, à Brithrici morte vetitum erat in Occidente, turbarum ibi hoc anno seminarium fuit. Adeo enim provinciales Eadburgam, Offæ filiam, Brithrici conjugem, ambitiosam, & libidinosam fœminam oderant; ejusque crudelia facta damnaverant; ut ipsum Reginæ nomen exosi, latâ illud lege proscripserint.

Ethelwolfus in Gallia uxorem ducit. *Malmesb. de Reg. l. 2. c. 2.*

vide super. Tom. ad an. 800. n. 2.

Ethelwolfus tamen tanti Principis filiam, Reginam esse appellarique permisit.

X. Hinc Lupus Ferrariensis Abbas, pro cellâ suâ solicitus; quam Regia cupiditas in laicam manum transtulerat; ad Ludovicum Abbatem scribens; intellecto, Ethelwolfum Regem, ad Galliæ Regem venturum, opportunum tempus esse putavit, pro cellâ supplicandi; præsertim cum Ethelwolfi etiam uxor, quam Reginam vocat, simul esset adfutura. Nam ita loquitur.

Præcellentissimo Abbati Ludovico, Lupus æternam Salutem.

Lupi Ep. 43.

Lupi Epistola ad Ludovicum Abbatem.

D*ebita dona, quæ per vos Rex jussit, direxi; quæ ut ei grata fiant, vestra benevolentia non aspernabitur procurare. Quia verò Edilulfum, cum Regina, ad Regem venturum audivi; supplico, ut memores nostri esse dignemini; scilicet ut cellam nostram, in qua, præter solum, nihil pene aliud jam relictum est, tandem aliquando recipiam; quia eam nullâ culpâ meâ perdidi: nec eas facultates noster habet locus; ut sine præfatâ cellâ in eo durare possit religio. namque inde cera Ecclesiæ, fratribus & famulis vestimenta, pisces, caseus, legumina ministrabantur: quibus omnibus nunc non ad duplum detrimentum domus nostra gementes caremus. Admonete ergo eum sui periculi, ut & sibi, & nobis, aliisq; similiter à se afflictis consulat: nec timeat Dominum nostrâ consolatione placare; quem non timuit acerbâ oppressione offendere. Siquidem generalis religiosorum assertio est; præter vindictam ultimam, quæ impendeat; nunquam eum felicitatis optata prosperitatem adepturum; donec redintegret Ecclesiam, quam divisit: & gravibus, & maturis bonorum, hoc est, Deum timentium consiliis, adquiescat. Bene vos valere cupio.*

XI. In Ethelwolfum conspirant subditi.

Ubi Ethelwolfi nuptiæ, & Reginæ appellatio, Anglo-Saxonum provinciæ intonuerunt: non solùm id cives graviter tulerunt; sed procerum etiam aliqui, & Ethelbaldus, Regis filius, adeo stomachati sunt; ut Ethelwolfum reducem Insulâ regnoque omni excludere, satis factiosè laborarint. Sed vicit Regis pietas, & nota jam ubique sanctitas: ita tamen vicit; ut vinci etiam, & inferioribus cedere, clementissimus Princeps voluerit. Nam Romæ doctus, & nesciens in sua pugnare viscera; non vi, aut armis, sed suâ tutus conscientiâ, regnum ingreditur. Vocatis ad colloquium, quorum intererat, filio, & utriusque Reip. proceribus; cum ob novæ Reginæ appellationem exasperatos civium animos vidisset: dixit, non decere tanti Principis filiam; meretriculæ culpam & infamiam luere: nec civium esse Regio thalamo æternam legem figere: multam esse, & illustrem alibi Reginarum pietatem, quam obliterare non debeat unius impietas. Adde, matrimonii sanctitatem, quæ titulum omnem, ac dignitatem jure perpetuam, vi suâ communicat, & Regis conjugem, necessariò Reginam esse debere: naturâ dictante, communi lege jubente, omni sæculo stante: *Si tu Caius, & ego Caia.* Vicit Regis oratio omnium animos, nec contra niti poterant, quia sanctæ matrimonii leges, privatis affectibus majores, non debent vulgari plebiscito refigi. Elusissent fortè hoc argumentum nostrates aliqui, si in hæc tempora incidisset; prolatis in medium suorum Episcoporum uxoribus, quæ sine titulo, in sola libidine cum

Ethelwolfus pro Regina intercedit.

viris

EPISCOPORUM NOSTRATIUM NUPTIÆ.

viris communicant. Sed doctior hæc ætas, illa matrimonii monstra non novit; quæ latinus, græcus, & omnis extra Angliam orbis, etiamnum admiratur: nimirùm Dominum aliquem reperiri conjugatum; cujus uxor non sit Domina. Cum pro Judithâ Reginâ advocasset ita Ethelwolfus; & legem cæteris dicere ac jura potuisset, nulla querelarum, aut ingrati animi factâ mentione, Procerum se arbitrio permittit; eorum sententiam expectat, promittitque si ita placet, regnis cedere.

XII. ETHELWOLFUS CUM FILIO PARTITUR REGNUM.

Malmes. de Reg. l. 2. c. 2.

Asser. hoc anno.

XII. Emollivisset hæc Regia pietas subditorum corda, si humana invenisset: sed regnandi ambitio Ethelbaldum obstinaverat adeo; ut retentâ sibi Occidentalis regni portione, deteriorem, quæ in Oriente, permiserit Patri. *Et ille incredibili clementiâ*, inquit Malmesberiensis, *plusquam civile bellum formidans, filio cessit.* Alii tamen Scriptores, acriùs in eos invehuntur, qui partiendæ ita Majestatis authores fuerunt. quos Asserus recensuit, rem omnem gestam sic narrans. *Ethelwolfo Regi ultra mare, tantillo tempore immorante, quadam infamia contra morem omnium Christianorum, in Occidentali parte Selwuda orta est. Nam Æthelbald Rex, Æthelwolfi Regis filius, & Ealstan, Schireburnensis Ecclesiæ Episcopus, Eanwulf quoque, Summurtunensis pagæ Comes; conjurasse referuntur, nè unquam Æthelwulf Rex, à Roma revertens, iterùm in regno reciperetur. Quod inauditum omnibus sæculis ante infortunium, Episcopo, & Comiti solummodò plurimi reputant: ex quorum consilio, hoc factum esse perhibetur. Multi quoq; Regali solummodo insolentiæ deputant: quia & ille Rex, in hâc re, & in multis aliis perversitatibus, pertinax fuit: sicut quorundam hominum relatu audivimus, quod & rei sequentis approbavit effectus. Nam redeunte eo à Roma; prædictus filius Regis Æthelwulfi, cum omnibus suis Consiliariis, imò Insidiatoris, tantum facinus perpetrare tentati sunt; ut Regem, à regno proprio repellerent: quod nec Deus ita fieri permisit: nec Nobiles totius Saxoniæ consenserunt. Nam nè irremedicabile Saxoniæ periculum, belligerante patre & filio; quin imò totâ cum gente, ambobus rebellante atrociùs, & crudeliùs, per dies singulos, quasi clades intestina augeretur: ineffabili patris clementiâ, & omni adstipulatione Nobilium, adunatum antea regnum, inter patrem & filium dividitur: & Orientales plagæ patri. Occidentales filio, è contrario deputantur. Ubi enim pater, justo judicio regnare debuerat; illic iniquus & pertinax filius regnabat. Adveniente igitur Ethelwolfo Rege à Roma: tota illa gens, ut dignum erat, in adventu senioris, ita gavisa est; ut si ille permitteret, pertinacem filium suum Æthelbaldum, cum omnibus suis consiliariis, à totius regni sorte expellere vellent. Sed ille, nimiâ clementiâ, & prudenti consilio usus; ut regni periculum perveniret, ita fieri noluit. & Iuditham Caroli Regis filiam, quam à patre suo acceperat; juxta se in regali solio suo, sine aliquâ suorum nobilium controversiâ, & odio, usque ad obitum vitæ suæ, contra perversam gentis illius consuetudinem, sedere imperavit.*

XIII. CONCILIUM WINTONIENSE ET REGNI DECIMATIO.

XIII. Cessit itaque Ethelwolfus, Occidentis imperio; ne Juditha Regina juri suo cederet: ita tamen cessit, ut paternam in filios, & primam in Insulâ Principis dignitatem retineret, noménque West-Saxonum Regis. Id patet è Regiâ chartâ, quam hoc anno scripsit: *cum noviter*, inquit Ingulfus, *de Româ reversisset*; in qua, quod olim proposuerat, & nuper Leoni exposuerat, de regnorum suorum decimâ; publico instrumento firmari, & omnium procerum suffragio muniri voluit; in solenni regnorum conventu, in urbe Wintoniensi. ubi, quia plures Reges & utriusque provinciæ, Dorovernensis, inquam, & Eboracensis Ecclesiæ Antistites, sententiam dixerunt: Spelmannus Concilium Pan-Anglicum, illum appellavit; præfigens hanc Epigraphen: *Concilium Wintoniæ Pan-Anglicum, quinto Nonas Novembris, anno Gratiæ octingentesimo quinquagesimo quintò, Indictione 4. celebratum. præsentibus Æthelwulpho Rege West-Saxoniæ. Beorredo Rege Merciæ, & Edmundo Rege Est-Anglorum: unà cum Archiepiscopis Cantuar: & Eborum, cæterisq; totius Angliæ Episcopis, & Magnatibus. In quo celebris illa donatio Ethelwolfi Regis decima Mansionis, & omnium bonorum, per terram suam, Deo & Ecclesiæ facta, confirmatur.* ita ille. Nihil aliud è Synodo recitans, præter donationis illius diversa exemplaria. Cæterùm alia ibi ventilata; conventum imprimis inter patrem & filium, de regni divisione, & civili discordiâ, ad Danis resistendum, dicere compellimur.

Spelman. fol. 348.

XIV.

Ingulf. fol. 862.

XIV. Quod ad Ethelwolfi donationem attinet, in Synodo confirmatam; Ingulfus eam referens, sic præfatur: *Inclytus Rex West-Saxonum Ethelwulfus, cum de Roma; ut limina apostolorum Petri & Pauli, ac sanctissimum ipsum Leonem, multa cum devotione, unà cum juniore filio suo, Alfredo, peregrè visitaverat; noviter revertisset, omnium Prælatorum, ac Principum suorum; qui sub ipso, variis provinciis totius Angliæ præerant; gratuito consensu, tunc primo, cum decimis omnium terrarum, ac bonorum aliorum, sive catallorum universam dotaverat Ecclesiam Anglicanam, per suum Regium chirographum confectum inde in hunc modum:*

XV. ETHELWOLFI DIPLOMA

XV. *Regnante Domino nostro in perpetuum, dum in nostris temporibus bellorum incendia, & direptiones opum nostrarum; nec non & vastantium crudelissimas hostium deprædationes, barbararum paganarumq; nationum multiplices tribulationes, ad affligendum nos pro peccatis nostris, usque ad internecionem, tempora cernimus incumbere periculosa. Quamobrem ego Ethelwulphus Rex West-Saxonum cum consilio Episcoporum, ac Principum meorum; consilium salubre, ac uniforme remedium affirmantes, consensimus; ut aliquam portionem terrarum hereditariam antea possidentibus, omnibus gradibus, sive famulis, & famulabus Dei, Deo servientibus, sive laicis * miseris, semper decimam mansionem, ubi minimum sit, tum decimam partem omnium bonorum, in libertatem perpetuam, donari sanctæ Ecclesiæ dijudicavi: ut sit tuta & munita ab omnibus sæcularibus servitutibus; imo regalibus tributis majoribus & minoribus, sive taxationibus, quæ nos dicimus VVinterden, sitq; libera omnium rerum, pro remissione animarum, peccatorum nostrorum, ad serviendum Deo soli: sine expeditione, & pontis extructione, & arcis munitione: ut eo diligentius pro nobis ad Deum, sine cessatione, preces fundant; quo eorum servitutem in aliqua parte levigamus.*

* locus obscurus.

XVI. *Acta sunt hæc apud VVintoniam, in Ecclesiâ S. Petri, anno Dominicæ Incarnationis 855. Indictione 3. quinto Nonas Novemb. ante majus altare, pro honore gloriosæ Virginis, & Dei genitricis MARIÆ, sanctiq; Michaelis Archangeli, & B. Petri Apostolorum Principis: nec non & B. Patris nostri Gregorii Papæ. Præsentibus & subscribentibus Archiepiscopis & Episcopis Angliæ universis: nec non Beorredo Rege Merciæ, &*

Edmundo

Edmundo Estanglorum Rege: Abbatum & Abbatissarum, Ducum, Comitum, procerúmque totius terræ, aliorúmque fidelium infinita multitudine, qui omnes Regium chirographum laudaverunt, dignitates verò sua nomina subscripserunt. Rex verò Ethelvvulfus, pro firmitate ampliore, obtulit hanc chartulam scriptam, super altare S. Petri Apostoli: & Episcopi; pro fide Dei illam acceperunt, & per omnes Ecclesias postea transmiserunt, in suis parochiis publicanda. Hactenus donatio.

XVII. Illam paullò aliter referunt Malmesberiensis, & Westmonasteriensis: uterque addit, quid contra, Episcopi pro Rege, sanciverint. *Placuit*, inquit Malmesberiensis, *Episcopis Alstano Schireburnensis Ecclesiæ, & Svvithuno, Wintoniensis Ecclesiæ, cum suis Abbatibus, & servis Dei, consilium inire; ut omnes fratres, & sorores nostræ, ad unamquamque Ecclesiam, omni hebdomada, die Mercurii, hoc est Weddensdaye; cantent quinquaginta Psalmos: & unusquisque Presbyter duas Missas; unam pro Rege Ethelwolfo, & aliam pro Ducibus ejus, huic dono consentientibus: pro mercede & refrigerio delictorum suorum: & pro Rege vivente dicant:* Oremus Deus qui justificas. *Pro Ducibus etiam viventibus:* Prætende Domine. *Postquam autem defuncti fuerint; pro Rege defuncto, singulariter; & pro Principibus defunctis, communiter. Et hoc sit tam firmiter constitutum, omnibus Christianitatis diebus: sicut libertas illa constituta est: quamdiu fides crescit in gente Anglorum.* Hodie certè Fides decrevit in gente Anglorum: libertas illa, imò omnis sublata est, vel pro viventibus, vel pro defunctis, preces fundere: Missam autem celebrare, morte expiandum flagitium est. Et quicquid olim Regum pietas in Ecclesiam profudit, à Laicis usurpatur. Unde quis non videt, decrescente Fide in gente Anglorum; omnes quoque pristinæ Christianitatis dies, in eâ decrevisse. Sequitur in Malmesberiensi.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 2.

XVIII. Temporis ratio. *Scripta est autem hæc donationis chartula, anno Dominicæ Incarnationis 844. Indictione quarta, quinto Nonas Novembris, in civitate VVentanâ, in Ecclesiâ Sancti Petri, ante altare Capitale. Et hoc fecerunt pro honore S. Michaëlis Archangeli, & Sanctæ Mariæ Reginæ gloriosæ, Dei genetricis: simúlque & Beati Petri Apostolorum Principis: nec non & sanctissimi Patris nostri Gregorii Papæ, atque omnium Sanctorum.* Bene excipit Spelmannus, in annum Domini octingentesimum quadragesimum quartum, & sequitur Ingulfum & Wigorniensem, antiquiores, qui datam ponunt anno octingentesimo quinquagesimo quinto: *Veritatem*, inquit, *in ore duorum antiquiorum, & consentientium, contra recentiores duos (VVestmonasteriensem significat, assignantem annum 854.) & dissentaneos, statuo, & suscipio. Erratum enim est sine dubio, in Malmesburiensis exemplari: nec enim annus Domini octingentesimus quadragesimus quartus, anno quadrat Indictionis quartæ: Nec Leo IV. cujus visendi causa Ethelvvolfus Romam petiit, aut tunc Papatum est adeptus, aut in biennio post subsequenti.* Bene dicit erratum in exemplari exscribendo. Nam primitus forte ab authore scriptum fuerat, antiquo more sic 844. quas posteriores cyphras, cum amanuensis facili deflectione invertere debuisset ita 55. non invertit; sed transvertit lineam, fecitque è quinario vetere, novum quaternarium. Nec erratum puto in Indictione quarta: quia licet tertia Indictio cadat in annum octingentesimum quinquagesimum quintum, ut Fasti nostri, & Baronius notant: tamen cum scriptum sit diploma mense Novembri, sequentem Indictionem inchoatam esse oportet affirmare; juxta ea, quæ alibi*, de Indictionum exordio, non semel dixi.

Spelman. fol. 034.

* v. an. 598 n. 16. & an. 601 n. 59

XIX. Magis ergo in alio diplomate exscribendo, peccatum est: cum eidem anno secunda Indictio, ab amanuensi apponitur. Edoardus Rex, à Normannorum tempore tertius, dum Dorovernensis monasterii privilegia lustrat, & illustrat, unum inter alia refert, ab Edmundo Rege dictatum: *Inspeximus*, inquit, *Chartam Edmundi quondam Regis Angliæ, in hæc verba:* IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS. *Quamvis decreta Pontificum, & verba Sacerdotum, velut fundamenta montium, in districtis ligaminibus fixa sint: tamen plerumque per tempestates & turbines sæcularium rerum; etiam religio sancta Dei Ecclesiæ, maculis reproborum dissipatur, ac rumpitur. Idcirco incertum futurorum temporum statum providentes; posteris succedentibus profuturum esse decrevimus; ut ea quæ communi tractatu, salubri consilio definiuntur; certis literulis roborata confirmentur. Quapropter ego Edmundus Rex Angliæ cæterarumque gentium in circuitu persistentium, Gubernator & Rector, cuidam mihi fidelissimo ministro, nomine Sigento, devotionis ejus solertiâ, ejusdémque placatus obsequio; dignatus sum impartiri duas aratras in illo loco, ubi jamdudum solicolæ illius regionis nomen imposuerunt Ibruchtsweald. Tali autem tenore, hoc præfatæ munificentiæ munus tradendo concessi; ut possideat, & firmiter teneat; usque ad ultimum vitæ suæ cursum, cum omnibus utensilibus, quæ Deus cælorum, in ipso telluris gremio, tam in notis causis, & ignotis; in modicis & in magnis; campis, silvis, pascuis omnino donans dono libertatem. Et postquam humani generis fragilitatem deseruerit, & ad desiderabilem* * *succedentium sibi cuicumque libuerit æternaliter derelinquat, sicut superiùs prænotavi. Sit autem prædictum rus, liberum ab omni fiscali tributo, sæculariúmque servitiorum; sive expeditione, & pontis, arcisve extructione. Præcipióque in nomine Domini summi, tam nobis viventibus quàm divina præcepta prædicantibus, hujus libertatis statuta ad irritum ducere, minimè quisquam præsumat. Quisquis benevola mente meam donationem amplificare sategerit; in hoc præsenti sæculo, vita ejus amplificetur feliciter; & æternæ vitæ gaudia teneat. Si quis autem propria temeritate, violenter invadere præsumpserit; sciat se procul dubio ante tribunal districti judicis, titubantem, timidumque, rationem redditurum; nisi priùs dignâ satisfactione emendare maluerit. Acta est hæc præfata donatio, ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi 844. Indictione 2.*

Diploma Edmundi Regis.

apud Reyner. in Apostola. fol. 37.

* *requiem pervenerit*

XX. Reyneri censura de Diplomate. Vexat hæc Chronologia Clementem Reynerum; qui eandem vicissim vexat in hunc modum; *In hac Chronologia*, inquit, *aut est mendum, aut cæteri Chronologi omnes in assignandis annis errant. Nam cum duo Edmundi sancti & Martyres, in Anglia regnarint: prior eorum Edmundus senior, filius Alcmundi cœpit regnare anno octingentesimo septuagesimo juxta annales nostros: alter Edmundus cognomento ob fortitudinem, ferreum latus, longè postea circa annum Domini millesimum decimum-sextum, sceptra gessit. Quare adducor, ut credam eum, qui descripsit ex prototypo, deceptum fuisse similitudine cyphrarum antiquarum, & debuisse 877. scribere, quo*

In Apostola. fol. 10.

summa antiquitas etiam hoc modo notari solebat, 844. ubi proclive fuit 844. loco earum notarum substituere. Hæc ille. Verùm cum Edmundus hic Sanctus & Martyr, Orientalium Anglorum Rex, non anno Christi octingentesimo septuagesimo; sed hoc potiùs anno, *juxta Annales nostros,* regnare inceperit: mortuusque sit anno octingentesimo septuagesimo, ut iidem Annales, quos infra cito, testantur; non potuit chartam dare anno octingentesimo septuagesimo septimo, atque ita multò rectiùs, anoquæ illæ notæ sinistrorsum quàm dextrorsum inverti deberent. Et sic hunc annum octingentesimum quinquagesimum quintum significant, quo revera Edmundus in Oriente regnavit: Tunc autem in solâ Indictione peccatum erit, quæ tertia, si ante Septembrem; quarta, si post scripta est Charta; nullo modo secunda, dicenda est. Sigentus ille, cujus mentio in diplomate; Dorovernenses monachos heredes post mortem scripsit: ita Edmundi donatio ad monasterium transiit, plenumque jus, quod Reges postmodum, & demùm Edoardus tertius, confirmarunt.

XXI. Quot Reges Edmundi?

Cæterùm quod ad duos Edmundos attinet, Sanctos, & Martyres: Tres quidem, in Annalibus nostris occurrunt Reges, eo nomine appellati. Qui licet omnes violentâ morte sublati, unus tamen, Orientalium Anglorum Rex, & sancti, & Martyris prærogativâ, colitur. Præter eum, & alium, cognomento *ferreum latus.* qui uno tantum anno regnavit: Tertius fuit Edgari pater, de quo meritò dubitari potest, an supradictum diploma, illi potiùs quàm sancto Martyri tribuendum. regnavit ille ab anno 940. per sexennium. & anno 944. Chartam scripsit Glastoniensi Ecclesiæ, ubi seipsum ita scripsit: *Ego Edmundus Rex Anglorum, cæterarúmque gentium Gubernator & Rector,* &c. Quod propius in Monarcham illum, quàm in Orientalium Anglorum Regem cadere videtur. Cum igitur, idem ferè titulus, in supradictâ Chartâ legatur; à sancti Martyris modestiâ, alienum videri posset, se Angliæ Regem appellare. Respondeo tamen; cum sæpè hæc Regia instrumenta, ex aliorum mente sensuque dictentur; interdum etiam posthuma sint, & nata post mortem authoris: ideo tam in data literarum, quàm in titulorum verbositate peccari: quod illis solis imputandum, qui donationis substantiam avidiùs intuentes; aut parum, aut nihil de circumstantiis curaverunt. Cæterùm, quia Edoardus tertius, hanc Edmundi chartam refert, recitatque priùs, quàm Ethelwolfi Regis Dorovernensibus datam: ideo à primo hoc Edmundo sancto & Martyre, dictatam arbitramur, hoc anno octingentesimo quinquagesimo quinto. Si enim notæ torqueantur ad experimendum annum octingentesimum septuagesimum septimum constat eo tempore nullum in Angliâ Edmundum regnasse.

ANNUS CHRISTI 856.

BENEDICTI III. PAPÆ 2.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 20.

BURRHEDI MERCIORUM REG. 5.

EDMUNDI ORIENTAL. ANGL. REG. 2.

I. Edmundus ungitur Rex. *Asser. hoc.*

CUM Edmundus in Oriente, unum annum regnasset, Regio more unctus & coronatus est; ut refert ejusdem sæculi scriptor, Asserus: *Anno,* inquit, *Dominicæ Incarnationis, octingentesimo quinquagesimo sexto, & nativitatis Ælfredi, decimo; hoc est anno secundo Caroli Imperatoris III. Anno verò Æthelwolfi Occidentalium Saxonum Regis, decimooctavo, Nunberchus Orientalium Anglorum Antistes, unxit oleo, consecravitque in Regem, Eadmundum gloriosissimum, cum gaudio magno, & honore maximo, in villâ Regiâ, quæ dicitur Burnâ: in quâ tunc temporis regalis Sedes erat: anno ætatis suæ decimo quinto, sextâ feriâ, lunâ vigesima quartâ, die natalis Domini.* Hæc ille: præter aliorum authorum mentem, numerans Ethelwolfi Regis annos; & Carolum Imperatorem pro Ludovico nominans. Erravit etiam amanuensis, in Orientalium Anglorum Antistite, quem Nunberchum vocat. Nam in Westmonasteriensi meliùs legitur in hunc modum: *Edmundus adolescens pissimus, ab omnibus Regionis Magnatibus, & populis, Rex electus; & ad regimen, multum renitens, compulsus: ab Humberto Helmhamensi Episcopo, in villâ Regiâ quæ Bures nuncupatur, munus consecrationis suscepit.*

II. De Humberto Episcopo.

Sed quis hic Humbertus Helmhamensis, quem Asserus Nunberchum, Harpesfeldus vocat Dommocensem Episcopum? cum in Orientali Angliâ, à Beornulfi, & Ludecani Regum tempore, videantur Episcopi desiisse; ut notant Fasti ad annum 825. ut ibi dictum. Non potuit revera sanctior ibi Resp. dum altero careret brachio, non infirmior esse: languebat igitur hoc omni tempore, cum regium clypeum non haberet; nam Beornulfus, & Ludecanus, Merciorum Principes, Orientalem agrum infestantes, Ecclesiis non pepercerant: unde earum Præsides, quà victus inopiâ, quà militum tyrannide, cedere compulsi sunt. Dumuicensis Sedes in Helmhamensem coaluit, unáque pro duabus fuit: quam vel mortuis, vel cedentibus aliis, Humbrithus (ita eum suprà* vocavi) etiamnum regebat. Erit fortè difficilius, hunc senem Episcopum, ad plures adhuc annos, & Edmundi Regis martyrium transmittere: id tamen passim Annales, & Legendarii docent. Sed & Ceolnothi Dorovernensis, & Alstani Schireburnensis Episcoporum, prolixior vita, quorum ille quadragesimum superavit, iste quinquagesimum attigit Sedis annum; faciunt satis probabile.

* vide an. 825. n. 2.

Humbertus Edmundo a Consiliis.

Humbertus ergò solus in Oriente Episcopus, Edmundum unxit, & consecravit Regem. Qui illo Antistite in rebus summis familiarissimè usus est, debilésque annos suos, hujus canitiei regendos tradidit; nè à recto, ut sæpè fit, deviantis naturæ impetus, non virtutem sequeretur. Et quanquam benè erat à naturâ factus adolescens, maluit tamen prudentiori fidere, præsertim in regni procuratione; cui nunquam unus sufficit. Sic ætatis vitium,

Humberti annis, longâque rerum experientiâ correxit. Laudanda enimverò Regii juvenis industria, quæ virum ascivit in societatem consiliorum, à judicio, non libidine, lectum. Non ita semper Principes amant: sed cæca voluntas, interdum nullo rationis fræno coërcita, exerrat in virorum delectu, & turpiter fingit pessimo arbitrio bonos, illosque rebus gerendis applicat; nè soli videantur insanire. Utinam hoc sæculum uno tantùm exemplo vapulasset; & meliore genio, Sanctorum Principum mores, mutatis affectibus, studiisque, sequeretur.

III. Edmundus sancte regnat.

Edmundus juvenis, Humberti senis consilio, monitisque Remp. moderatus; optimi Principis personam sustinuit: Virtus annos superabat, & morum integritas, civibus erat æquissimum tribunal; ubi æquali lance dispensabat judicia: eò tantùm declivis, quo æqui boniique ratio, ac momentum ferebat. Breviter ita animi virtutes Legenda recenset. *Erat Edmundus omnibus affabilis, & humilis, & in subjectos benignus, gradiens via Regia, nec declinabat ad dexteram, extollendo se de meritis, nec ad sinistram, succumbendo vitiis humanæ fragilitatis. Erat namq; egentibus dapsilis, pupillis & viduis pater, spes ope destitutis, ac refugium.* Ita ibi. Accommodabat tamen animum intentiore curâ, ad Ecclesiarum sarcienda tecta, & ruinas, quas miles, tyrannis, & solitudo fecerant: memor prophetici elogii, se earum Nutritium, & Alumnum esse, quod in titulis habebat eximium, & verò est: nam qui suprà conatur ascendere, & præesse sacris; non ille Sanctissimorum Regum hæres; sed prostitutæ Religionis, Fideique fœtus est. Igitur Edmundo Principe, respirarunt Orientis Ecclesiæ; & clerus, qui ante premebatur, factus est ditior.

Capgrav. in Egmundo.

IV. Interea Ethelwolfus, licet cum filio Ethelbaldo, imperium Insulæ diviserant: ea tamen, sive filii, sive scriptorum omnium modestia fuit; ut vivente patre, nemo Regis in Occidente titulum præsumpserit. Ethelwolfus igitur, hoc etiam anno scribitur Occidentalium Saxonum Rex; quantumvis filio Occidentem concesserit. An tamen à reditu in patriam, in Occidente Regiam Sedem fixerit, non constat: probabile est, Ethelbaldum ibi, dum parens in Urbe esset, Rem omnem publicam administrasse; & Ethelwolfum alibi sanctiùs quievisse. Invenio tamen eum; hoc opinor anno, in Wiltoniensi agro, dictantem privilegia, & prædia dispensantem. Præsertim quæ erant in Cantio: unde se Cantii Regem scribebat; licet etiam simul, Occidentis titulum servet, ut patet è diplomate, quod inter Dorovernensis monasterii privilegia reperitur; quæ Edoardo tertio oblata, ab eodem confirmantur. Ibi Ethelwolfi charta recitatur in hunc modum: *Inspeximus insuper chartam Adelwolph, quondam Regis Angliæ, in hæc verba.*

V. Charta Ethelwolfi Regis, Alhero.

Regnante in perpetuum, Domino nostro IESU CHRISTO; cum cujus imperio, hæc labens prosperitas, inadustis successibus, sedulo permixta, & conturbata cernitur: & omnia visibilia, atque desiderabilia ornamenta hujus mundi, quotidie ab ipsis amatoribus transeunt. Ideo beati quique, ac sapientes; cum his fugitivis sæculi divitiis, æterna, & jugiter permansura gaudia, cælestis patriæ adipisci properant. Quamobrem ego Adelwolph Occidentalium Saxonum Rex; cum consensu, & licentiâ Episcoporum, & Principum meorum; aliquam partem terræ juris mei, Alher meo Principi, pro ejus humili obedientia, in perpetuam hæreditatem, libenter largitus sum, in villa quæ nuncupatur Lenham; id est, quadraginta Casantos; ut habeat, & perfruatur, quamdiu sub astrifero cælo vitam duxerit; cum omnibus utilitatibus ad eam pertinentibus, campis, pratis, silvis, pascuis, & piscariis: & loco, in quo sal adipisci potest, & cum gressu trium Carrorum, in silvâ, quæ dicitur Bleau: & post finem vitæ, illius hæredi cuicumq; placuerit, æternaliter relinquat. Terra hæc prædicta, secura, & immunis omnium rerum permaneat regalium, & principalium tributorum, & ab exactione operum, furisq; comprehensione, simulq; omni popularium gravedine, nisi ab expeditione, & pontis factione, & arcium munitione. Hæc sunt territoria præfatæ telluris, Wilcumma, Umbringa, &c. Et quis hanc meam donationem augere, & amplificare voluerit; multiplicet Deus partem ejus, in futuro sæculo. Si quis autem infringere, vel minuere tentaverit; sciat se separatum a consortio beatorum spirituum; & rationem in tremenda die judicii coram Christo, & angelis ejus redditurum; nisi ante satisfactione emendaverit.

Lenham quæ olim Durolenum de quo vide Camden in Kent.

VI. *Scripta est hæc hujus donationis chartula, anno Dominicæ Incarnationis 800. Indictione verò 13. in villa Regali, quæ nominatur Wilton, coram idoneis testibus; quorum nomina subtus annexa, notantur.*

Ego Adelwolph, Rex Cantiæ, hanc meam donationem, manu propriâ; cum signo sanctæ Crucis Christi roborando, confirmandoque subscripsi.

Ego Aedelbald Dux, filius Regis, consensi, & subscripsi.

Ego Adelstan Dux, hoc consentiens, signum Crucis imposui, &c.

Ita chartam hanc refert Clemens Reynerus, qui benè addit erratum ab amanuensi, in data diplomatis. *Nam Ethelwolphus*, inquit, *capit regnare anno 839.* & ita revera supputant aliqui, ejus regni exordium. Unde suprà, hunc annum Christi 856. vocat regni ejus decimum-octavum: & Ethelwolfi diploma, quod sequenti anno dabitur, signatur anno regni decimo-nono. Nos tamen, Malmesberiensem, Wigorniensem, Westmonasteriensem, Polydorum, & alios secuti; putamus eum ante biennium, regnare cœpisse nimirum Christi anno 837. & ita cum Fastis, hunc annum, ejus regni vigesimum appellamus. Cæterum placet quod dicit Reynerus, Ethelwolfum Româ reversum, cum Ethelbaldo, rebelli filio, regnum divisisse: *Quæ causa est*, inquit, *quod hic se Cantiæ Regem dicat; cum fuerit ante etiam majoris partis Angliæ Rex. facta est ergo hæc donatio post annum 839. quo cœpit Ethelwolfus regnare, & ante annum 857. quo filius ejus solus regnavit: crederim anno 850.* Ita ille. Verùm cum Ethelwolfus eo anno, in tota fere Anglia regnarit; cum necdum Romam iverit; cum tunc Ethelbaldus nondum rebellaverit; cum denique nulla facta sit regni partitio, ante annum 855. ut passim authores docent; multò rectiùs, in hunc annum 856. Regiam hanc Ethelwolfi chartulam conjicimus. Et sanè cum Edoardus III. illam recitet, post Edmundi diploma, quod dedimus anno 855. posteriorem illo putamus. adeóque non datam anno 850.

Reyner. in Apostola. fol. 10.

ANNUS CHRISTI 857.

BENEDICTI III. PAPÆ 3.

ETHELWOLFI OCCID. SAX. REG. 21.

BURRHEDI MERC. REG. 6.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 3

I. Ethelwolfi vita sancte peracta.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus quinquagesimos septimus, quo Ethelwolfus Rex, vitam, in avita Fide peractam, pientissimo fine conclusit: quod quomodo ab eo factum; & qua ratione se composuerit, ad rationem Deo reddendam administratæ provinciæ, nunc dicendum. *Roma reversus*, inquit Polydorus, *non modo se clementem Principem, sed optimum parentem omnibus suis præbuit; ut qui cuncta ad honesti cultum, modestiamq; referebat. Genuit ex Osburgâ uxore filios Ethelbaldum, Ethelbertum, Ethelredum, & Alfredum, sive Aluredum, egregia indolis, & forma juvenes; quos bonis artibus imbuendos summopere curavit; sed nihil æque elaboravit; quàm ut liberales, & largi evaderent: sciebat enim sapientißimus pater, nullum fermè vitium perniciosius avaritia, posse in Principem cadere; quippe qui cum multis imperet; per multorum fortunas id malum pervadat necesse est.* Hæc ille. Vidisti jam suprà, Lector, quid Ethelwolfum moverit, ita avaritiæ indignari: didicerat enim, & Bertulfi Regis infortunio, qui Croylandiam spoliaverat, & Caroli, Gallorum Regis, qui coronæ indebita usurparat; Deum & Sanctos, liberalitate vincendos. Legerat etiam illud M. Tullii: *Nullum est vitium tetrius avaritia, præsertim in Principibus, & Remp. gubernantibus: habere enim quæstui Remp. non modo turpe est; sed sceleratum etiam, & nefarium.* Verùm quod maximè Ethelwolfo suggerebat hæc consilia, erat Danorum metus; qui jam, Deo criminibus offenso, vexare cœperant Insulam: timebatque vir prudens, nè porrò insidiari pergerent: Nec alia videbatur ei, ad illos invitandos via patentior, avaritiâ: quæ Ecclesiarum bonis (quæ prima ferè sunt ad injuriam) inhiat. Volebat ergo filios ita civibus præesse, ut infra Ecclesiam se tenerent, illamque fortunæ bonis ornarent: non inde, nisi sanctitate bonisque institutis, ornarentur.

Polyd. l. 4.

Avaritia, Principi fugienda.

Cicero 2. Off.

II. Ethelwolfus consulit Ro. Pontificem.

Hæc filios docebat Ethelwolfus, sed opere magis, & exemplo persuadebat. Unde quò se ad mortem sanctiùs pararet: Londinum hoc anno concessisse videtur. Inde missâ legatione, Benedictum, Romæ, in Petri cathedrâ sedentem, veneratus: ab eo consilium petiit, de bonis suis disponendi, quo integriùs se Deo, in judicio, quod instabat, sisteret: & ita, temporalia bona dispensaret, ut æternam inde requiem, & animæ suæ beatitatem pararet. Benedictus justissimæ postulationi locum dedit, misitque illi, hoc eodem anno, suæ mentis interpretem, Hunigerum, Dionysiani, apud Parisios, cœnobii monachum; qui etiam Apostolicæ sedis privilegium, ad ea quæ petebantur, Ethelwolfo porrexit. Cum eodem tempore Ludovicus Imperator, qui Lothario in imperio, regnóque Italiæ successerat, anno superiore eidem Ethelwolfo Legatos misisset: adeo Regis pietas, probitásque eminebat. Nesciremus hæc omnia, & illustrissimum Regiæ Fidei argumentum, jacuisset in tenebris; nisi Dionysiani monasterii tabulæ illud conservassent. Jacobus Dublet, in sui monasterii Antiquitatibus, Ethelwolfi Regis diploma recitat: unde quæ supra dicta sunt, dilucidè asseruntur. Unde etiam colligimus, Benedictum Papam Regi suggessisse; ut Sanctorum corpora, quæ Offa, aliique Anglo-Saxonum Principes, ornaverant; ipse pari pietate, & munificentiâ, honoraret. Sic enim Ethelwolfus Rex in diplomate loquitur.

III. Diploma Ethelwolfi pro S. Dionysio.

Ædelaulfus, Dei gratia, Rex Anglorum. Quoniam volente me, de terrenis opibus; quos de Dei munere, poßidere videor; mercari bona cœlestis patria: & petente me, à Beatißimo Romano Pontifice Benedicto consilium; ut ejus sacratißimâ authoritate, quæcumque de rebus, ad sanctorum loca conferre valuero, impertiar: venit ab eo Hunigerus, monasterii, quod est in Franciâ sanctorum Martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii, monachus, unà cum legatis Domini Ludovici, gloriosißimi Imperatoris, benedictionem, atque licentiam benefaciendi pro peccatis meis, cum privilegio ejusdem gloriosi Papæ deferens: & in Lundonia civitate, a nobis cum gaudio; unà cum suis comitibus, exceptus est. Vbi cum inter cætera, querimoniam pro injuria, à nostris hominibus, colonis sancti Dionysii Martyris; qui sunt in diversis Britanniæ locis, & maximè in Ridrefelda, & in Hastingas, & in Pevenisel: in Salinis quoque, & in Lundenvic miserabiliter illatam, deplorasset: auditus est à nobis, uti dignum erat, & ex denominatis hominibus, omnem illi justitiam, pro Dei honore, proq; sanctorum Martyrum prædictorum reverentiâ, spontaneâ voluntate facientes; tandem uno consensu, & voluntate nostrorum fidelium:

IV.

*Decrevimus: ut omnes possessiones, quæ à Deo devotis hominibus, & Regibus, qui ante nos, in hac nostra regione fuerunt, Sanctis illis, ad suorum servientium usus, & sustentationem, donata sunt; sine alicujus invasione, & injuriâ nostrorum, illis in perpetuum perseverent, atque permaneant. Addidimus etiam de thesauro nostro viginti marcas auri, cum vase argenteo, tantundem pondus habente; & duo pallia purpurei coloris: quæ pro salute nostra mittimus ad ornandam reverendam memoriam sanctorum Martyrum supradictorum, Dionysii, Rustici, & Eleutherii. Quatenus illi servi Dei, & pauperes Christi; qui in ipso monasterio aluntur, quotidie pro nobis, & pro totius regni nostri salute, deprecentur attentius: ut, Deo concedente, ad æterna gaudia pervenire valeamus. Actum in Lundoniâ civitate, Dominica Incarnationis anno octingentesimo quinquagesimo septimo, die undecimo * Nonas Indict. 7. Anno verò regni mei decimonono, coram optimatibus & proceribus regni mei: & præsente, ac petente Hunigero, thesaurario monasterii sancti Dionysii, quod est in Franciâ: quem ad nos venerabilis papa Romanæ sedis Benedictus, & Domnus Ludovicus Imperator, cum aliis suis, legatarium direxerunt.*

* fortè Novembris

Ego Ædelaulfus, Rex Anglorum, manu meâ, concessionis hujus præceptum signo, victoriosißimæ Crucis Christi impresso †.

V. Confirmatur hoc Diploma.

Appensum est diplomati, è cerâ, sigillum, cum Ethelwolfi Regis effigie. Unde, & ex annorum numero, è Benedicti Papæ, & denique è Ludovici Imperatoris mentione, constat chartam genuinam esse. Solus error in Indictione, & Nonarum expressione, qui amanuensi tribuendus.

Cæterùm pro chartæ hujus confirmatione, sciat Lector, me tomo superiori, recensuisse Bertualdi Anglo-Saxonis, donationem, factam S. Dionysio, sociisque Martyribus, de Ridrefelda in agro Australium Saxonum, & omnibus appendicus ejus; cumè morbo mirabiliter curatus est, sub annum Domini septingentesimum octogesimum octavum*; quam biennio post*, Merciorum Rex Offa, suo diplomate roboravit: & eandem Ethelwolfus intellexit, & jubet æterni juris esse: ut scirent posteri, quicquid à provincialibus aliquando, in bonorum Ecclesiasticorum rapinâ peccatum esset, nihil tamen à Regibus in majorum Fide peccari. Et certè, hac largitione Ethelwolfus, Constantinum proximè imitatus est: qui ut olim, morti vicinus, Apostolorum reliquias honoravit, *incredibili Fidei propensione providens* (sunt verba Eusebii) *fore, ut defunctus quoque precationum, quæ ibidem essent, ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur.* Ita Rex noster, Constantinianæ Fidei hæres; sanctorum Dionysii, Rustici, & Eleutherii, Martyrum corpora ornare constituit; ut precum participio, æterna gaudia mercaretur: quod ipse sua manu, signoque Crucis scripsit. Et nè suo impetu, in bonorum distributione, exerraret: Romanam Sedem consuluit; penes quam, ut omnium Ecclesiarum, ita animarum est solicitudo. Quia verò Sedes illa, Dionysiani cœnobii monachum misit; Ethelwolfus facilè intellexit, loco illi benè faciendum esse.

* num. 4.
* n. 20.

Euseb. l. 4. de vita Constantini. c. 60. vide an. 337. n. 6.

VI.
UT SE AD MORTEM PARAVIT ETHELWOLFUS.

Asser. fol. 4.

Sed non stetit ibi Regia pietas: nam plura hoc anno fecit, muniturus sibi ad immortalitatem viam: plura, inquam, tam quæ ad Reip. salutem, quem quæ ad animæ suæ bonum pertinerent. De quibus ita loquitur Asserus: *Vixit Ethelwolfus duobus annis, postquam à Româ pervenit. In quibus inter alia, multa præsentis vitæ bona studia; cogitans de suo, ad universitatis viam, transitu: nè sui filii, post patris obitum, indebitè inter se disceptarent: hereditariam, imò commendatoriam scribere imperavit Epistolam: in quâ, & regni inter filios suos; duos scilicet seniores; & propriæ hereditatis inter filios, & filiam, & etiam propinquos, pecuniarum, quæ post se superessent inter animam & filios, & etiam nobiles suos; divisionem ordinabiliter literis mandare procuravit. De qua prudenti consideratione, pauca de pluribus, posteris imitanda scribere decrevimus: scilicet quæ ad necessitatem animæ maximè pertinere intelliguntur. Nam cætera, quæ ad humanam dispensationem pertinent, in hoc opusculo inserere necesse non est; ne fastidium crecet prolixitate legentibus, vel etiam audire desiderantibus. Pro utilitate namq; animæ suæ; quam a primævo juventutis suæ flore, in omnibus procurare studuit; per omnem hereditariam terram suam, semper in decem manentibus, unum pauperem, aut indigenam, aut peregrinum, cibo, potu, & vestimento; successoribus suis, usque ad ultimum diem judicii, post se pascere præcepit: ita tamen, si illa terra, hominibus, & pecoribus habitaretur, & deserta non esset.*

VII.
Malmesb. de Reg. l. 2. c. 2.

Hæc paucioribus explicat Malmesberiensis, & paulò clariùs, quid per decem manentes, Rex intellexerit: sic enim loquitur. *Paucis ante mortem mensibus, testamentum fecit: in quo post divisionem regni, inter Ethelbaldum, & Ethelbritum, filios, filiæ quoque dotem emancipavit; semperq; ad finem sæculi, in omnis suæ hæreditatis decimâ hidâ, pauperem vestiri, & cibari præcepit.* Decem ergò manentes, decem hidæ sunt; & pauperem unum, modo prædicto, alere tenentur. Hidam autem Polydorus explicans, ait: esse mensuram terræ, quæ viginti continet jugera. Jugerum verò patere in longitudinem, pedes sexcentos quadraginta; in latitudinem, sexaginta quatuor. Sed quoniam suprà, infráque frequens hidarum mentio, in Regum chartis; videamus quid Authores nostri, de hidâ definiant. Hunondonius, Matthæus Parisiensis, & Walsingamus, hidæ mensuram aratro metiuntur: nimirùm eam terræ portionem, quæ annuo boum labore, & aratro uno, colitur. Unde sæpè in diplomatis, ea terræ portio, aratrum dicitur. Sic infrà, in donatiooe factâ S. Dunstano, sub annum Domini 963. legitur. *Concedo terræ partem septem aratrorum, quæ Anglicè dicitur septem hidæ.* Accepta appellatio ex illo Virgilii:

HIDA QUID.

Æneid. 7.

——— *Centum terram vertebat aratra.*

sed & ipsa vocis notio, Virgilianam phrasim sapit. Nam Hide Anglicè, Bovinum corium significat. Unde Virgilius de Carthaginis origine loquens, & mercantibus solum.

Taurino quantum possent circumdare tergo.

Intellexisse putatur aratrum unum. quod variis etiam nominibus, in Regum nostrorum donationibus exprimitur: nam eodem sensu carucata dicitur: quam Authores ferè per centum & viginti jugera, sive totidem acras explicant. ut habet Glossarium, post Parisiensem collectum. Alii mansam, sive manenduin, Beda ferè familiam vocat. ut dixi anno 73. n. 5. Unde Ethelwolfus, qui suprà, decimam omnium hidarum totius regni, Ecclesiæ persolvi jussit, insigniter Ecclesiam locupletasse, dicendus est.

VIII.
EIUS PIETAS IN ROM. ECCLESIAM.

Cæterùm qui erga Rempublicam, filios, pauperes, Ecclesias regni sui, tam pios, & liberalis fuit; potuitnè in hâc largitione, parentis optimæ oblivisci: Romanæ inquam Ecclesiæ, quam hactenus eximiè coluit? minimè. Nam eam etiam mortuus colere, & æternis fovere eleëmosynis statuit; quo Fidei suæ Posteris argumentum relinqueret: & Petrum esse Apostolorum Principem. Unde meritò Baronius ad hunc annum scribens, Ethelwolfum vocat religiosissimum Regem: & unà refert, quid Romanæ Sedi donaverit. *Hoc anno*, inquit, *contigit obitus Regis Occidentalium Saxonum in Angliâ, religiosissimi Ethelulfi; qui condidit testamentum; in quo, inter alia pia legata, hæc annuatim deferri jussit, ad basilicas Apostolorum, quæ ita recitantur à Matthæo Westmonasteriensi. Romam autem singulis annis, trecentas denariorum mancusas portari præcepit: quæ taliter dividerentur ibidem. Centum mancusas scilicet in honorem S. Petri Apostolorum Principis, specialiter ad emendum oleum; quo implerentur omnia luminaria Ecclesiæ Apostolicæ, in vespera Paschæ; & tantundem in gallicantu. Et centum ibidem mancusas, in honorem sancti Pauli, eisdem de causis. Centum præterea mancusas, universali Papæ præcepit exhiberi; ad suas eleëmosynas amplіandas.* Ita è Matthæo nostro, Baronius.

Baron. hic. n. 5.

IX.
Hoveden. fol. 415. apud Spelm. fol. 313.
MANCUSA QUID?

Quod hic Author Mancusas; Hovedenus Manculas vocat, Jornalensis talenta: *Postea*, inquit, *trecenta talenta Ecclesiæ Romanæ contulit: ad luminaria S. Petri; centum; ad luminaria S. Pauli, centum, & ad usum summi Pontificis centum fecit assignari.* Sed clariùs Malmesberiensis: *Præcepit Ethelwolfus, omni anno trecentas auri Marcas, Romam mitti. quorum B. Petro centum; & centum B. Paulo, ad luminaria; centum Apostolico, ad donaria, expenderentur.*

hoc, inquam, ad hodiernam dialectum est paulò clarius. Nam illi, per marcas, ut hodie per libras, passim numerabant. Ceterùm Romanis notior erat Mancusa, quam ipsi argenteos mancusos hoc sæculo appellabant: de quibus Anastasius Bibliothecarius, in Leone IV. *Multos, inquit, in argento mancusos præbuit: ut conducto populo, cum eo ad vicem Centumcellensis urbis civitatem perficere debuisset.* & Joannes Papa VIII. Epist. 89. meminit census annui, Saracenis soluti, *viginti quinque millium in argento mancusorum.* De valore mancusæ, nihil potest solidè constanterque affirmari; ob rerum, temporum & nummorum differentiam. communiter tamen pro Marca computatur, hoc est solidis tredecim & denariis quatuor. Unde qui Antiquitates Britannicas scripsit: ut ubique peccat in antiquam Fidem, ita passim elevat antiquorum Regum pietatem. De Ethelwolfo, & hac ejus donatione, ita scribit: *Inter cætera quæ gessit Adelulfus Rex, singulis vitæ posterioribus annis, religionis, amore Papalis, supra modum dementatus; trecentas mancusas denariorum (valet mancusa duobus solidis, & sex denariis) Romam deferri curavit,* &c. Ita ille de pientissimo Rege, dementiam vocans, quod animæ, in futurâ vitâ, requiem quæsiverit: & pietatem ejus admodum extenuans.

apud Baron. an. 854. n. 5.
Idem, an. 877. n. 20
Antiq. Brit. fol. 73.

X. OBIECTIO NOVATORUM

Sunt etiam alii, Ethelwolfum accusantes; quòd adeo *pro animâ, pro redemptione animæ, pro remissione peccatorum*, scripserit legata. Vocant id cæcitatem, ignorantiam, erroneámque doctrinam: aiunt seductos omnes, eò quòd remissionem peccatorum, remediúmque animæ his donationibus speraverint. Hinc Magdeburgici aiunt: *Ethelwolfus corruptelis doctrinæ, de principatu Romani Pontificis, deq; potestate ejus figendi leges, & refigendi pro libitu; ac de traditionibus humanis, quasi essent cultus Dei, mererenturq; vitam æternam, & similibus fascinatus, ea fecit, quæ mancipio Antichristi maximè conveniunt.* Quid dicemus ad hæc? Num in jus vocabimus Ethelwolfum, post tot annos? Quod Romam coluerit, Sanctorum corpora honoraverit, & peccata sua eleëmosynis redemerit? Certè fecit ille, quod dudum Lucius, & Constantinus, apud Britannos, quod Ethelbertus in Cantio; quod Cedwalla in Merciis; quod Inas in Occidente, apud Saxones fecerunt. Et si id parum videtur; quod Caroli in Galliis; quod Ludovici in Germania; quod in Hispaniis Alfonsi, fecerunt: docti ita à Prophetis, *redimere peccata*, ita docti à Christo, *facere amicos de mammona iniquitatis, utq; recipi in æterna tabernacula.* Nihil ergo Novatorum aculei Ethelwolfum feriunt; qui antiquorum suffragio tutus, major est omni calumnia: & ejus sanctitas, eò magis elucescit, quò à novis, perversis, factiosisque, impotentiùs laceratur. Meliùs ergo Lupoldus Bebenbergius, dum veterum Germanorum zelum, studiumque pietatis commendat; Ethelwolfum ponit in Exemplum: *Præterea*, inquit, *Rex Anglorum Adulphus, qui ex primæva origine, sicut & cæteri veteres Reges Angliæ, Germanus erat; quiq; primum totius Angliæ obtinuit monarchiam, devotionis causa venit Romam, & coram Leone Papa V.* (lege IV.) *S. Petro tributum, quod usque hodie in Angliâ solvitur, scilicet de unaquaque domo in Anglia, nummum argenteum, per annum obtulit: per hoc subditos sui regni Ecclesiæ Rom. quodammodo submittendo. Præmissæ ergo submissiones, ac rogationes, prædictos Principes erga Rom. Ecclesiam zelum fervidum Christianæ religionis habuisse, declarant.*

Cent. 9 fol. 572.
Daniel. 4. v. 24.
Luc. 16. v. 9.
Lupold. c. 7.

XI. ETHELWOLFUS SANCTE MORITUR.

Cum Ethelwolfus, regni annos viginti complesset, & vigesimum primum inchoasset; ipsis idibus Januarii, post conditum ritè testamentum, sanctè moritur: eo virtutum, pietatisque odore, post se relicto; ut inter Sanctos Angliæ Reges, meritò nomen ejus, in Martyrologio nostro legatur, ad decimum-quartum Aprilis. De ejus morte hæc breviter Polydorus: *Cùm Ethelwolfus*, inquit, *in hac morum vitæq; modestiâ ageret; levi repentè morbo tentatus, naturæ concessit, anno cum regnare cœperat vigesimo: ejus corpus Wintoniam delatum, ibi honorificè sepelitur.* Verùm quod ad sepulturam ejus attinet, primo corpus ejus *apud Steni-rugam sepelitur*, teste Assero: inde digniori Mausolæo, *Wintoniæ, in Episcopatu sepelitur*, inquit Malmesberiensis. fortè, qui moritur Idibus Januarii, ad Steni-rugam depositus, ad celebriorem locum translatus est, in Aprili, ad diem decimum-quartum: & ideo tunc legitur in Martyrologio: *Wintoniæ, in Hamtoniensi agro, commemoratio sancti Ethenulphi, Regis West-Saxonum, cujus præclara facinora in dilatione Fidei, illustrissima fuerunt, & posterorum memoriæ commendata.* Quod ad regni annos spectat, corrigendus indubiè Harpesfeldus, qui dicit: *Obiit post trigesimum administrationis suæ annum*: & legendum est, *post vigesimum.* Corrigendus etiam Westmonasteriensis, vel potiùs amanuensis aliquis; qui contra mentem authoris, septendecim tantùm regni annos Ethelwolfo tribuit: Cum enim author ille, ingressum regni ejus ponat ad Christi annum 837. ut nos etiam suprà posuimus; & egressum ad hunc annum 857. viginti saltem et annos regni tribuat, necesse est. Sic ergo hodie legitur in Westmonasteriensi, ad hunc annum: *Tandem cum Rex Æthelulfus illustris, regnum West-Saxonum annis 17. diligentissimè gubernasset, viam universæ carnis ingressus; Æthelberto filiorum secundo regnum Cantiæ cum Sussexia, concessit: filius ejus primogenitus Aethelbaldus, in West-Saxia, pro Patre regnavit.* Pone ergo è sensu authoris annis 20. Nam optimè Malmesberiensis; *Ethelwulphus, quem quidam Athulphum vocant; anno Dominicæ Incarnationis 837. regnum sortitus, regnavit viginti annis, & quinque mensibus; natura lenis, & qui sub quiete degere, quàm multis provinciis imperitare mallet.*

Polyd. l. 5.
UBI SEPULTUS.
Asser. fo. 4.
Malmes. de Reg. l. 2. c. 2.
Mart. Angl. 14. April.
Harpesfel. sæc. 9. c. 3.
Westmon. an. 837.
Malmesb. de Reg. l. 2. c. 2.

ETHELBALDUS OCCID. SAX. REX.

ETHELBERTUS REX CANTII.

XII. MONARCHIA SCINDITUR. ETHELBALDUS IN OCCIDENTE REX ETHELBERTUS IN CANTIO.

Iterum monarchia Insulæ, brevi intervallo scinditur; cum mortuo Ethelwolpho, duo filii succedunt, Ethelbaldus in West-Saxonum; Ethelbertus in Cantii, Essexiæ, & Australis provinciæ, regnum. Ambo, à natura ad virtutem facti, nisi quod unum impuræ libidinis nota fœdavisset. Ethelbaldus enim, qui præclarè olim in Danos pugnaverat; illi morbo turpiter succubuit, de quo ita Malmesberiensis: *Anno Domini octingentesimo quinquagesimo septimo, duo filii Ethelwulphi, regnum paternum partientes; Ethelbaldus in West-Saxonia, Ethelbertus in Cantia regnaverunt. Ethelbaldus ignavus & perfidus, patris ejus thronum polluit, in conjugium Judith novercæ, post parentis obitum devolutus.* Inconstans animus, qui paullò ante,

Malmesb. de l. 2. c. 3.
ETHELBALDUS IGNAVUS ET PERFIDUS. JUDITHAM NOVERCAM DUCIT.

tota Insula tumultuatus fuerat, cùm illa Reginæ loco, aut dignitate esset: nunc odio, in impurissimum amorem verso; patriam legem, quam olim pertinaciter defenderat, & sacrosancta matrimonii jura, violat; Judithâ Caroli Calvi filia, quam pater ante biennium duxerat, in uxorem suam prostitutâ. Scelus enimverò, quod meritò Annales horruerunt; utpote, & à parentis fide, & illorum temporum felicitate alienum: quodque *maximo stupore comprovinciales omnes damnavere*, inquit Ingulfus. Quod novo Principi saluti fuit. Nam post annum sequentem, sive à Romano Pontifice, sive ab aliis monitus; criminis fœditatem agnovit, ut dicetur. Interim pessimi incestus infamiam sustinebit, & post paucorum annorum regnum, citâ morte culpam expiabit. Reges enim, qui legibus ab homine latis teneri nolunt, divinâ manu severiùs castigantur.

Ingulf. fol. 813.

Fallitur ergò Balæus, qui Nennium hunc, sive Ninium, cum Nennione confundit, Finani magistro; de quo dixi ad annum quingentesimum vigesimum primum. Nam trium sæculorum differentia, admodùm diversum facit. Balæum, opinor, secutus est Pitsius, qui Nennium hunc Banchorensem, claruisse vult anno post adventum Messiæ sexcentesimo vigesimo: & Gildam, anno octingentesimo sexagesimo. quæ annorum propinquitas, cum Nennio nostro; facit eorum conjecturam probabilem, qui Nennii historiam, Gildæ nomine dealbarunt: & unum eundemque fuisse, qui hoc tempore claruit, Nennius proprio nomine appellatus; sed ob doctrinæ studium, famámque eruditionis, alter Gildas vulgò dictus. Convenit hæc ratio temporis, cum eo, quod suprà dixi; Elvodugum Probum obiisse, anno nono hujus sæculi.

vide an 521. n. 3.

ANNUS CHRISTI 858.

NICOLAI PAPÆ 1.

ETHELBALDI OCCID. SAX. REG. 2.

BURRHEDI MERC. REG. 7.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 4.

ETHELBERTI CANTII REG. 2.

I. Benedictus Papa moritur: Succedit Nicolaus.

Benedictus Papa, cùm sedisset annos duos menses sex, dies aliquot, moritur die decimâ sextâ Februarii; anno octingentesimo quinquagesimo octavo. & Successorem in Romanâ Sede accipit Nicolaum: quem Ludovicus Imperator, seu Ecclesiarum omnium Principem, humiliter veneratus est. Nam *cum eum vidisset excellentissimus Augustus* (ita loquitur ejus temporis Scriptor Anastasius) *obvius in adventu ejus occurrit; frenúmque Cæsareis suis manibus apprehendens; pedestris more, quantum sagittæ jactus extenditur, equum traxit.* & iterùm: *ad quendam cum pervenisset spatiosissimum itineris locum, Imperator equo descendit; equumq; Pontificis iterùm, ut memoravimus suprà, traxit, dulcissimisq; osculis ad invicem propinquantes, lætissimè gratulati sunt.* Hæc ideò notanda; quia excusatos cupio nostrates Reges, si Romam amaverunt, & sedentem ibi pro Christo Pontificem; nam licet, ut paulò ante monui, cæcitatis arguantur, & tenebrarum, à modernâ factione; habuerunt tamen lucem à Cæsaribus, Augustisque viris.

apud Baron. hic n. 11.

Ludovicus Imp. eum summe colit.

II. Moritur Ethelwaldus Lichfeldensis: Succedit Humbertus.

Moritur etiam in hac Insulâ, Lichfeldensis Episcopus, Ethelwaldus, & locum, Sedémque ejus implet Hutubertus; ita Westmonasteriensis; licet ille, mortuum Antistitem, non Ethelwaldum, ut Fasti; sed Aelhelbaldum vocet: Scriptorum fortè vitio, qui Ethelbaldum scribere voluerunt. Hinc corrige Fastos, qui Humbertum consecrarunt Episcopum, anno 845: Cùm ad eum annum, & diu post, Ethelwaldus sederet.

III. Nennius floret.

Floruisse sub hæc tempora inter Britannos, Nennium Banchorensem, Elvodugi Probi discipulum, scribit ad hunc annum Usserius in Iodice chronologico: & addit: edidisse illum Britannicam historicam, quæ falsò Gildæ nomine circumfertur.

ANNUS CHRISTI 859.

NICOLAI PAPÆ 2.

ETHELBALDI OCCID. SAX. REG. 3.

BURRHEDI MERC. REG. 8.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 5.

ETHELBERTI CANTII REG. 3.

I. Ethelbaldus resipiscit.

Ethelbaldus, Occidentis Rex, ab Episcopis monitus (Swithunum Wintoniensem aliqui nominant.) Ecclesiasticas leges, à Regibus etiam servari debere: illisque caveri matrimonium cum novercâ: aures tandem patientes præbuit; & anno Christi octingentesimo quinquagesimo nono, censuræ Ecclesiasticæ se submisit; peccatum confessus est, & dignis pœnitentiæ fructibus satisfecit. Sic intelligo Westmonasteriensem, qui scribit: *Anno gratiæ 859. Rex West-Saxonum Æthelbaldus, ab errore supradicto resipiscens; demissâ Iudithâ novercâ suâ, cujus thorum fœdaverat, peractâ pœnitentiâ, tempore quo supervixit, regnum cum pace, & justitiâ temperavit.* Placuit omnibus Regis pœnitentia; & solùm factiosis post octo sæcula displicuit. Nam Magdeburgici, inter *peccata gubernatorum* Ecclesiæ hoc nono sæculo ponunt: *quod auricularem confessionem omninò necessariam fecerint*: Item, *quod pœnitentibus imperarunt satisfactiones.* Utrumque peccaverunt Antistites nostri; eosque secutus est Ethelbaldus, & laudem meruit in omni foro. Nam Deus ita pœnitenti adfuit, permisitque feliciter imperare. Unde Huntindonius de utroque Rege ita dicit: *Ambo fratres, optimæ indolis juvenes, regnum suum dum uterq; vixit, felicissimè tenuerunt.* Nimirùm peractâ priùs ab Ethelbaldo pœnitentiâ.

Westm. hic.

Cent. 9. fol. 310.

Huntind. fol 348.

II. Quamdiu regnarit?

Sunt qui asserant, Ethelbaldum, biennio tantùm à morte parentis regnasse: ita recentiores Stous; & Spedus, qui nullâ pœnitentiæ factâ mentione, (Majorum vitia non virtutes sectantur) dicunt eum mortuum, nulla aliâ re, quàm infamiâ memorabilem. decepit hos Ingulphi Abbatis locus ille, ubi dicit: *Ethelbaldus biennio, in tam vili volutabro decurso, moritur.* Verùm cum

Ingulf fol. 808.

Ethelwer-

Ethelwerdus, Malmesberiensis, Huntindonius, Hovedenus, & Westmonasteriensis, quinquennium disertiùs ponant; debet biennium Ingulfi, expletæ libidinis terminus esse, non vitæ Ethelbaldi. Vixit ergò diutiùs; & alio biennio, præcedens biennium expiavit. Nam factus melior, ignaviam à se, perfidiamque, unà cum pellice, abjecit. Ita etiam Juditham amovit; ut eam, cum dote, ad Carolum parentem miserit. Quæ Belgium ingressa, dum recta ad Carolum contendit; à Balduino, Flandriæ Comite, per vim rapitur, & uxoris loco detinetur. Ægrè tulit parens, filiam toties prostitui. Unde Episcoporum sententiâ, Balduinus à fidelium communione removetur. *Filiam nostram* (inquit ad Ludovicum Imperatorem Carolus frater) *Iudith viduam, secundùm leges divinas & mundanas, sub tuitione Ecclesiasticâ constitutam; Balduinus sibi furatus est in uxorem. Quem post legale judicium, Episcopi regni nostri excommunicaverunt, secundum sacros Canones, & definitionem S. Gregorii Papæ, qui dicit: Si quis viduam furatus fuerit in uxorem; ipse & consentientes, anathema sint.*

JUDITHA IN GALLIAM MITTITUR.

A BALDUINO DETINETUR, ET DUCITUR.

apud Baro. an. 862. n. 30

III. FLODOARDI NARRATIO CORRIGITUR.

Flodoard in Histor. l. 3 c. 12.

Meminit hujus raptus Flodoardus, in historiâ Rhemensi: & simul narrat unde profecta sit Juditha, priúsquam in Balduini manus veneri: nominat Ethelwolfum, & Ethelbaldum Reges, sed utrumque ita conjungit; ut unum eundémque videatur facere, qui tamen revera differunt. Sic enim loquitur. *Sed & de conjunctione Balduini, Comitis, & Judith indebitâ: quæ scilicet Iudith, Caroli Regis filia, Edilnulpho Regi Anglorum, qui & Edelboldus, dudum fuerat in matrimonium copulata; & Reginæ decore, ac benedictione insignita. Post cujus obitum, venditis, quas in Anglorum obtinuerat regno, possessionibus, ad patrem revertitur; quæ sub regali tutelâ, sic manere decernitur. Sed illa Balduinum Comitem, ipso lenocinante, & fratre suo Ludovico consentiente, secuta est. Unde Rex Carolus, Episcopos, ac cæteros regni sui primores consulens, post mundana legis judicium, Canonicam, in jam dictum Balduinum & Iudith, secundùm edicta beati Gregorii, ab Episcopis depromi sententiam fecit.* Hæc ille. Torbas movit hoc Balduini factum; non in Galliâ solùm, sed in Germaniâ, atque Italiâ; quo tandem re delatâ, Nicolaus Pontifex intercessit, & iratum patrem in filiam, generúmque inclinavit, iis verbis, quæ in fine literarum sic leguntur. *Nulli Regum grave videri debet, conservo debitum censum denariorum dimittere, qui fortasse à summo Regum, & Domino Dominorum, decem millia talentorum sibi relaxari desiderat.*

NICOLAUS PONTIF. PRO MATRIMONIO INTERCEDIT.

apud Baron. an. 863. n. 9.

IV. CAROLUS CUM FILIA RECONCILIATUR.

apud Flodoard. sup.

Detumuit Caroli animus, hâc Nicolai oratione; in filiæ matrimonium consensit; & Balduinum generum amavit: imò, ut jussit Nicolaus, honoravit; novis, inquam, bonorum titulis auxit: ut Hincmarus, Remensis Episcopus testatur, sic scribens inter cætera, Nicolao Papæ. *Interim Balduinus & Iuditha, leges civiles, quas elegerant, observarunt. Similiter Rex noster, filius vester, huic adesse noluit; sed Reip. Ministros, & Officiarios misit: & ut nobis pollicitus fuerat, hos inter se matrimonium contrahere, juxta leges humanas, permisit: & Balduinum maximis honoribus affecit, ut postulaverat.* Inter hos honores, Carolus Balduino, primi Comitis Flandriæ titulum dedit. Sed quo tendit hæc de Juditha nuptiis, importuna, ut videri forsan potest, narratio? Nimirum Comites hi, legitimis nuptiis copulati, genuerunt Balduinum alterum; qui, acceptâ in conjugem Elfridâ, Alfredi nostri (de quo plura inferius) filiâ; recto nascentium ordine, è nepotibus suscepit Mathildem illam, quæ Guilielmo, Normannorum Duci, inde Angliæ Regi, eo nomine primo, nupta; Reges genuit, hujus Insulæ. Unde licet Judith hic, bis nupta, nullam in Britanniâ prolem reliquerit; dedit tamen postea Insulæ è filio, & nepotibus, Reges plurimos.

BALDUINUS PRIMUS COMES FLANDRIÆ.

V. GOTHESCALCI SCOTI HÆRESES.

apud Flodoard. l. 3. c. 10.

Occurrit ad hunc annum, Fidei monstrum; quod in Septentrione nostro natum, foris primo innotuit; ab Ecclesiæ proceribus hoc anno jugulatum, Gothescalcus Scotus, *homo elatus* (loquitur Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, ad Nicolaum Papam) *quietis impatiens, novorum verborum cupidus; insatiabili honoris ambitione incensus; protervus & tumultuosus: ut inani ostentatione, & falsâ quadam novitate sui nominis, famam adipisceretur; adeptam, latiùs opinionem propagaret; & propagatam, ab oblivionis injuriâ vindicaret; certos articulos omnium falsarum doctrinarum, quas tunc in his partibus, huc & illuc dispersas esse noverat, elegit, & collegit: ut istis illecebris, & lenociniis, & simplicium devotorumq; sensus, inescaret; & inescatos perverteret: & magistri nomen usurpans, discipulos ad se pelliceret; & pellectos seduceret vita religiosa simulatione. Et in praesset doctrinâ; qui à veritate doctrinam avertentes, & ad fabulas se convertentes, ad sua desideria magistros coacervant prurientes auribus.* Hæc ille. Unde colligo Gothescalcum, non tam in patriâ, quàm in Galliis, venenum collegisse; eo fortè modo, quo olim Pelagius in Oriente, vel propiùs, quo Clemens*, genere Scotus, in Germaniâ, deliravit: vagi homines, novitatis avidi; quæ sua sunt quærentes, famam nominis, notari digito, & dicier hic est: non quæ Dei sunt, Fidei, aut Ecclesiæ.

* v. an. 742. n. 2. & 745. n. 28 & 745. n. 33.

VI. CONDEMNATUR.

Verùm ut Pelagius ab Augustino, non una Synodo: ut Clemens à Bonifacio, in Moguntinâ primùm, deinde in Romana, damnati sunt; quia heterodoxè, & præter majorum sensa locuti: Ita Gothescalcus, in Mogentino Concilio, præside Rabano Archiepiscopo, sub annum Domini octingentesimum quadragesimum octavum, iterum in Valentino, sub Remigio Lugdunensi, anno octingentesimo quinquagesimo quinto, denique in Tullensi, hoc anno octingentesimo quinquagesimo nono, adversarios habuit omnes Galliarum Episcopos, Hincmarum imprimis Rhemensem; qui tribus libris perversa Scoti dogmata confutavit. Sed quænam illa? Illud indubiè cæterorum fundamentum fuit, quod *certos articulos omnium falsarum doctrinarum; quas tunc in Galliæ partibus noverat, elegit & collegit,* ut supra dixit Hincmarus. Ut enim religiosa mens, apis instar, è scripturæ prato, doctorumque floribus, mel Fidei orthodoxæ colligit: Ita diabolus, suos habet emissarios; qui orbem circumeuntes, aranearum instar, morum Fideique sordes colligunt, iisque saginantur. Inter has Fidei maculas, illa præ cæteris in Gothescalco eminuit: quod affirmarit, prædestinasse Deum aliquos ad mortem, sicut prædestinasse creditur aliquos ad vitam æternam. Quam hæresim, primò in Africa impugnatam; & postea in Franciâ, sancti Prosperi curâ, & vigilantiâ proscriptam, & ad orcum damnatam, hic Scotus inde revocavit.

Nullus

VII. Britannia non inficitur erroribus, et quare? Nunc inficitur, et quare?

Nullus in Britanniâ errantem Gothescalcum secutus est; nam Episcopi, ut in Galliâ reclamassent: & Romanus Pontifex Nicolaus; cum quo Reges & Prælati, quotidianum commercium Ecclesiarum, & tributi solutionis causâ, habebant; excepisset. Nunc, soluto illo subjectionis vinculo; & solutâ navi nostra, quæ ad illam petram stabat immota: & fixâ nullibi anchorâ: miserè fluctuantes, Clementes, Gothescalcos. & quicquid in Scotis vitiosum est, audimus, credimus, prædicamus. Iterum sacros Canones, Ecclesiæ scita, decreta Patrum, (ut Clemens olim) aversamur. Iterum cum Gothescalco certos articulos omnium falsarum doctrinarum, quas Aeriani, Vigilantii, & superiorum ætatum maculæ, corraserunt; eligimus & colligimus. Nec est huic malo remedium. Olim Episcopi in unum coacti, hæc monstra primùm nata, facili manu suffocabant: nunc Episcopi non coguntur; imo coguntur cedere judicio, foro, & Ecclesiâ. Quod à Christo nato, imò ab orbe condito, nunquam priùs auditum est, quàm Calvinus in Galliâ; & novi nostri Clementes & Gothescalci in Scotia, certos articulos omnium falsarum doctrinarum collegerunt: Unum hoc addentes in Christianæ Fidei & Ecclesiasticæ majestatis contemptum: laicorum, imò plebis arbitrio, jura Ecclesiarum, Fideique, figi, & refigi debere. quo nihil dementius, nihil à communi sensu & ratione remotius, nihil à mente scripturæ magis alienum; nihil etiam ad demonstrandum pessimæ factionis genium, aptius; aut inveniri, aut cogitari potest. Sed satis de Gothescalco; quem si Novatores scirent, quàm à Sanctis Episcopis, & à Galliæ Regibus exagitatus sit, erubescerent fortè errantem sequi.

ANNUS CHRISTI 860.

NICOLAI PAPÆ 3.

ETHELBALDI OCCID. SAX. REG. 4.

BURRHEDI MERC. REG. 9.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 6.

ETHELBERTI CANTII REG. 4.

I. Osbertus Northumbriæ Rex, in Scotos pugnat.

REGNABAT, sub Ethelbaldo Rege, in Septentrione, Osbertus; qui sive specie tuendi Pictos, qui à Scotis premebantur: sive ambitione suos fines proferendi, sub inerti Scotorum Principe, Donaldo: qui in venerem solutus, regni vires & juventutem, ferè enervarat; militem scribit: & Pictis in belli societatem vocatis, Scotorum fines aggreditur; anno, ut supputat Gordonius octingentesimo sexagesimo. Primum impetum excepit Donaldus fortiter; & Osberto in fugam verso, felici victoriâ potitur. Sed dum uti nescit victoriâ, Angli redintegratis viribus, inopinatum invadunt, & ingenti Scotorum cæde (ad viginti millia interempti feruntur) præclarè damnum, & suorum stragem resarcit. Captum Scotorum Regem, Angli in pactorum occasionem retinent. Scoti scriptores paullò aliter rem narrant, & Pictis victoriæ laudem ascribunt. *Picti exules regressi* ((inquit Gordonius) *ope Anglorum in patriam, primùm quidem vincuntur à Scotis: sed dum Scotus vagatur liberiùs, neglectâ militari disciplina, insignem referunt Picti victoriam, capto Scotorum Rege Donaldo.* Sed pugnatum opinor, auspiciis Anglorum. Nam Pictos priùs adeo Scotus fregerat, ut eorum primi, principesque, provincia excesserint. Quos Osbertus revocatos ad prælium acuit, & demum provinciæ Sedibusque restituit.

Gordon. ibi.

Picti restituuntur sedibus.

II. Scotorum et Pictorum termini.

Factum hoc prælio, ut certi, ac definiri termini, Scotos à Pictis distinxerint; Osberto Scotis legem dante, & fines pomerii. videntur autem illi fuisse, quos olim Julius Agricola, & Romani posuerunt. Nam Edenburgi fretum (Bodotriam appellat Tacitus, Boderiam Ptolomæus) æstuarium nobilissimum ad Orientem, & Glotta, sive Cluida fluvius, ad Occidentem, termini assignantur. Quicquid à duobus fretis porrigebatur in Septentrionem, Scotorum juris, quicquid inde, ad murum Picticum jacebat, Pictorum esse decernitur. Unde usurpari iterum potest vox illa Taciti: *Glotta & Bodotria, diversi maris æstu, per immensum revecti, angusto terrarum spatio dirimuntur: quod tum præsidiis firmabatur; atque omnis propior sinus tenebatur: submotis velut in aliam Insulam hostibus.* Impositæ victis & aliæ leges; quarum una erat: Castrum, quod ad Cluidam fluvium eminebat, in Anglorum potestatem concederet: qui & alio id nomine imposterum appellarent. Ita dictum à milne Dun-Britton, quod hodiéque retinet. Hoc freno, tam Scotus, quàm Pictus, in officio tenebatur. quod brevi Pictus sensit: cum non ita multo post, provinciâ exutus, vel in Cimbricam Chersonesum fugit; vel aliò, invitans Danos, ad excidium Insulæ. Vix est dubium, quin omni hoc tempore, sub Anglo-Saxonum imperio, Picti ferè regnaverint: ideo in supremi juris argumentum, castrum Osbertus posuit, Pictorum simul & Scotorum cervicibus imminens. Sic habes, quod supra sæpè monui; Laudoniam, & Edenburgum; ad Scotos hoc tempore non spectasse, nec unquam, nisi furto & injuriâ, penes illos fuisse.

Tacit. in vita Agricolæ.

ANNUS CHRISTI 861.

NICOLAI PAPÆ 4.

ETHELBALDI OCCID. SAX. REG. 5.

BURRHEDI MERC. REG. 10.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 7

ETHELBERTI CANTII REG. 5.

I. Ethelbaldus Rex moritur.

CUM Ethelbaldus Rex insigni pœnitentiâ, superioris vitæ maculas eluisset; & provinciam probè, adversus Danorum pyraticam, munivisset; cum ingenti provincialium luctu, moritur, anno octingentesimo sexagesimo primo, ut passim authores nostri supputant. Unus Asserus, quem Wigorniensis sequitur, ponit annum superiorem: cæteri, quinquennium assignant imperio ejus. *Ethelbaldus Rex West-sexe*, inquit Huntindonius, *cum regnum suum quinque annis in pace tenuisset*

Huntind. fol 348.

morte immatura præreptus est. planxit autem omnis Anglia Ædelbaldi Regis juventutem; & factus est luctus vehemens super eum: & sepelierunt eum in Shireburne: sensitq. post hæc Anglia, quantum amiserit in eo. Igitur causa luctus, probata illius in bello virtus fuit: Unde spem cives conceperant, Danorum vires reprimi posse. Quod ad fidem ejus spectat, expressit illam, cum monachos amavit, deditque prædia Glastoniensi cœnobio, in cujus Antiquitatibus, hæc de eo leguntur: *Rex Ethelbaldus dedit Hereforto Abbati, Brannamuster decem hidas ad capturam Isiciorum; ad vetustam Ecclesiam Beatæ Dei genitricis Mariæ, & ad usum monachorum in cœnobio Glastoniensi degentium.*

II.
Moritur Rethunus Legecestren. Ep.

Moritur etiam, hoc eodem anno, in Merciorum provincia, Rethunus Legecestriæ Episcopus, qui olim Abindonensis cœnobii monachus, & Abbas fuerat. Ita ad hunc annum Westmonasteriensis. Unde corrige Godwinum: qui cum dixisset: *Rethunus Abbas Abendonensis obiit 851.* mox de ejus successore subjicit: *Aldredus consecratur anno 861. vel potius secundum Westmonasteriensem 851.* Corrige, inquam, quia Westmonasteriensis ad illum annum 851. nihil de Rethuno, aut ejus successore: ad annum verò præsentem, hoc habet. *Eodem anno* (861.) *defuncto Rethuno, Legecestrensi Pontifice, Aldredus in Episcopatum successit.* eundem annum signant Fasti, & Harpesfeldus sæculo nono c. 13.

Succedit Aldredus.
Godwin. in Lincoln.
Westmon. hic.

ANNUS CHRISTI 862.
NICOLAI PAPÆ 5.
ETHELBERTI OCCID. SAX. REG. 1.
BURRHEDI MERC. REG. 11.
EDMUNDI ORIENT. ANG. REG. 8.

I.
Ethelbertus monarcha.
Ingulf. hic fol. 863.

Mortuo Ethelbaldo, successit in Occidentis regnum, adeoque Insulæ monarchiam Ethelbertus ejus frater, & Cantii prius, aliarumque ad Austrum provinciarum Rex. *Adolescens iste validissimus* (inquit Ingulfus) *& Danorum triumphator invictus, strenuè per quinquennium regnum defendit.* Virium ejus experimentum fecerunt Dani; cum regni exordia hostili irruptione turbassent. Nam Hamtoniensem agrum ingressi, Wintoniam turbarerunt; sed vigilans Ethelbertus, pestem avertit. de quo sic Malmesberiensis: *Ethelberti tēpore manus piratarum appulsa, Hamptoniam; Wintoniam urbem populosam direptioni dedit: sed mox, à Ducibus Regis impigrè fugata; multis suorum amissis, ulteriora mare revolavit, & pelago circumgyrato Thanatum Insulam, quæ est in Cantia, elegit ad hiemandum.* Quinam fuerint ab Ethelberto Rege missi duces, ad Danos profligandos, Westmonasteriensis, post Asserum, Ethelwerdū, & Wigorniensem, ita expressit: *In diebus Ethelberti magna Danorum multitudo, per Oceanum adveniens; Ventam civitatem hostiliter spoliavit. Quibus cum ingenti præda, ad naves revertentibus; Comes Hamtunensis Osricus, & Comes Berrucensis, Æthelulfus, viriliter occurrentes, multos ex eis trucidabant; cæteri per fugam elapsis.* Ita ille, ad annum superiorem, quo Ethelberti Regis exordia recitat. Nos [illegible] egrum quinquennium Ethelbaldo [illegible] dimus: & ideo cum [illegible] ltis, hunc primum E[illegible] l'erti R[illegible]s annum putamus.

Danos fugat.
Wintonia a Danis spoliatur.
Malmes. de Reg. l. 2. c. 9.
Westm. an. 861.

Cum desolatam à barbaris Ecclesiam suam cerneret Wintoniensis Episcopus, Swithunus; petivit animæ suæ, ut moreretur. Pervenerat jam ille ad sanctitatis culmen; & pro virtutum, ac meritorū cumulo, præmium expectans, cupiebat dissolvi, & esse cum Christo. Moritur ergo, cum sponsam suam, quam habebat carissimam; ab impiis hominibus violatam cerneret. Fuit ille *Virtutum omnium promptuarium* (inquit Malmesburiensis) *sed agaudebat duabus maximè, clementiâ, & humilitate.* * *Ambarum insignia stylus subjiciet. Operarius ad pontem, in Orientali parte Urbis facsendum fortè assederat; ut instantis præsentiâ, suscitaret stimulos desidum incuriæ. Et ecce per pontem commeabat in civitatem feminæ commercii ferens ova. Prosiliunt undique (ut mos est ejus generis hominibus) & petulanti excessu, omnia ova ad unum confringunt. Id non leve, saniorum mentis hominibus visum; sed statim in notitiam Domini Episcopi delatum. Ite ante adducta muliercula, annis & pannis squalida. querelam auscultat, damnum suspirat, misericordia mentis cunctantem * miraculum excitat. Statimq; porrecto Crucis signo, fracturam omnium ovorum consolidat.* Hæc ille: referunt etiam hoc miraculum, Westmonasteriensis, Capgravius, & alii, qui Swithuni gesta recensent. Novatores etiam illud agnoscunt: & nihil illis magis displicet, quàm porrectum signum Crucis. Sed ô infelices animæ! quibus Crux illa, Crux est; quæ fidelibus & salvandis omnibus, salus est: & *signum Filii Dei vivi.*

II.
Swithunus moritur Sanctus.

Eius laus
Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 24
* male legitur Abbatum insignia.

Et Clementia.

* alias in miraculum

Signum Crucis salutis signum.

Pergit Malmesberiensis, alteram veritatem in Swithuno commendare: humilitatem, inquam, submissique animi argumenta. *Quandocunque*, inquit, *novam fabricam, in Dei Ecclesiam consecrare deberet: eò, quamlibet longum esset; non equo, vel vehiculo, sed pede impiger contendebat. Et ne daretur ab imperitis ridiculo; vel superbiæ jactantia notaretur elogio; visibus hominum abditus, nocturnus viator totum iter conficiebat. Solitariæ sanctitatis amator, nulla pompâ bona sua prostituebat. Hinc factum, opinor; ut cœlo tantùm teste fruitus, omnium miraculorum notitia posterorum fraudaret conscientiam. Iam verò vitæ præsenti valefacturus.; Pontificali authoritate præcepit astantibus; ut extra Ecclesiam cadaver suum humarent: ubi & pedibus prætereuntium, & stillicidiis ex alto rorantibus, esset obnoxium.* Hæc author de Swithini virtutibus, quæ in eo tot tantæque fuerunt; ut sancti nomen, in omnibus Martyrologiis adeptus sit. De eo Romanum ita recitat, ad 2. Julii. *Wintonia in Anglia, sancti Swithuni Episcopi, cujus sanctitas gratiâ miraculorum effulsit.* Cui consonat Baronius, in Annalibus, ita scribens ad hunc annum. *Eodem anno, sexto Nonas Iulii, ex hac vitâ migravit, vir omni genere virtutum ornatus, à Deo multis miraculis illustratus, sanctus Swithunus, Episcopus Wintoniensis, in Anglia: cujus res præclarè gestæ, scripta extant à Gotzelino Morinensi.*

III.
Swithuni humilitas.
Malmesb. suprà.

Cum Scriptores omnes, & omnia post Swithunum sæcula, Swithuni sanctitatem prædicent: Novatores tamen malunt eum ab eruditione, doctrinâque commendare. Ideo Godwinus, hæc de eo: *Helmstano, inquit, successit Swithunus. cujus fama pietatis, Sancti illi honorem apud posteros comparavit. Miracula, quæ ab eo edita feruntur, leget qui volet apud Westmonasteriensem, in anno 862. quo tempore, Iulii secundo mortuus perhibetur. Utcunq; sanctitate, doctrina certè, ac eruditione præditus fuit non vulgari. Ideoq; Ethelwolfo, Egberti Regis filio, studiorum Rector, datus est.* Placet quod antiqui san-

IV.
Commendatur etiam ab eruditione.
Godwin. in Catal. Winton.

ctitatem ejus, moderni autem, *doctrinam* commendent. Nam inde fiet, virum hunc Episcopi munus cum honore gessisse: & solùm quæri potest de doctrinâ, an sana illa fuerit, & primorum sæculorum; quæ suo merito appellari potest scientia *Sanctorum*, hoc est, quâ eruditi ad sanctitatem proveniunt: an verò nupera, novissimo sæculo cusa, quæ Sanctos, & sanctitatem aversatur. Cui facilis est responsio; Swithuni doctrinam antiqui temporis fuisse. Nam ita legitur in ejus vitâ. *Vixit beatus Dei servus Swithunus, usque ad exitum vitæ, in observatione verâ mandatorum Dei, omni custodiâ conservans cor suum, in omni munditiâ, & spirituali puritate; Catholicæ, & Apostolicæ doctrinæ custos integer; filiorum spiritualiter regenerator, in sanctæ conversationis studio eruditor pervigil, & magister. Humilitati enim, & mansuetudini, curiosiùs inhærebat, pacem, & sanctimoniam sequens, fontem vitæ, & beatitudinis æternæ sitiebat.* Hæc ibi. Unde benè compendio dixit Malmesburiensis: *In Swithuno vitæ religio, cum simplici prudentiâ, conquadrabat.*

Capgrav in Swithuno.

V. Temporis ratio.

Quod ad annum mortis attinet; cùm Authores supra, & quotquot ejus meminerunt, hunc annum 862. ominent; mendum in Malmesburiensi irrepsisse dicendum est, ubi legitur ita: *Excessit Swithunus, anno ab Incarnatione Domini 863. post mortem Adulphi, sexto.* Nam hic potiùs annus 862. sextus est à morte Ethelwolfi, juxta mentem ejusdem Authoris. Sanè, Fasti, qui post Malmesberiensem collecti sunt; Swithuni mortem, ad hunc annum consignant. Benè igitur Florentius Wigorniensis, annum, Indictionem, mensem, diémque mortis explicat, ita scribens ad annum 862. *Sanctus transivit Swithunus, & astra petivit, Indictione decimâ, sexto nonas Iulii, feriâ quintâ.* Capgravius etiam: *Migravit*, inquit, *ab hoc sæculo, ad sidereas mansiones, sexto nonas Iulii, anno Domini octingentesimo sexagesimo secundo: non intra Ecclesiæ septa; sed extra Ecclesiam, in indigno loco, & vili, se tumulari præcepit.* Sed noluit Deus sanctum suum, in vili semper loco jacere: unde post annos centum; Ethelwoldus Wintoniensis Episcopus, mirabiliter à Deo monitus; in Ecclesiam transtulit ejus ossa: quod factum tam solenni cæremoniâ ad decimum-quintum Julii mensis; ut dies ille, quotannis, præcipuo honore semper imposterum coleretur. ut dicam anno 970. n. 1.

Wigorn hic.

Transferuntur eius ossa.

VI. Wintoniensis Episcopus Adfertus.

Sancto Swithuno, in Wintoniensi Sede, successit Adfertus; *vir in rebus Ecclesiasticis sufficienter eruditus; qui vices antecessoris aliquanto tempore prudenter exegit*, inquit Westmonasteriensis. Sunt qui putent hunc alio nomine Ætheredum, sive Athelredum, appellatum esse: & post aliquot annos administratæ provinciæ, in Wintoniensi Ecclesiâ, inde ad Dorovernensem assumptum esse. Ita Parkerus, qui virum hunc vocat, *in rebus divinis insigniter eruditum. & monachum Ecclesiæ Christi Cantuariensis.* Fuerunt ergo (& inimici nostri sunt judices) hoc tempore Swithunus & Athelredus, in rebus divinis insigniter eruditi viri; qui monasticam professi sunt; quam novatores omnes, insigniter mentientes, dicunt rebus divinis, & Scripturæ adversari. Sed rerum evidentiâ, coguntur aliquando (licet inviti) veritatem fateri: ut coactus est eorum ductor, cum dixit: Tu es Christus filius Dei vivi.

Westm. hic.

Antiq. Brit. in Athelredo

ANNUS CHRISTI 863.

NICOLAI PAPÆ 6.

ETHELBERTI OCCID. SAX. REG. 2.

BURRHEDI MERC. REG. 12.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 9

Anno Christi octingentesimo sexagesimo tertio, moritur Swithulfus Londinensis Episcopus; qui ab anno Christi 850. Antistitis munere functus, & in Regio conventu à morbo mirabiliter curatus, ope sancti Guthlaci; nunc vivendi finem fecit, & locum Heastano: cujus nudum nomen ad posteros transiit. Causam ita reddit Malmesburiensis, de sæculi hujus Episcopis loquens: *Multa*, inquit, *Deo & sæculo digna (ut credimus) exercuere; sed omnia vetustas obsurduit, & delevit: nihilq; illorum inter nos, nisi tenuis famæ manet.* Transeo igitur ad annum sequentem.

Moritur Swithulphus Londiñ. Episcopus:

Succedit Heastanus. *Malmesb. de Pont. lib. 1. f. 200. prim.*

ANNUS CHRISTI 864.

NICOLAI PAPÆ 7.

ETHELBERTI OCCID. SAX. REG. 3.

BURRHEDI MERC. REG. 13.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 10.

Respiraverat aliquamdiu Insula, à Danorum irruptione; quà Regum pietate, qui in hostem vigilabant; quà provincialium virtute, qui litora captiùs muniverant. Sed diu feriari non licuit. Nam Danus, cum apertâ vi, Saxonem aggredi, periculo plenum cerneret; dolo illum circumvenire, pacem, fœderáque mentiendo, statuit. *Itaque anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo sexagesimo quarto* (loquitur Asserus) *Pagani hiemaverunt in Insulâ Tanet, & firmum fœdus cum Cantuariis pepigerunt. Quibus Cantuarii pecuniam, pro fœdere servato, reddere promiserunt. Interea tamen, vulpino more, Pagani noctu clam castra erumpentes, fœdere disrupto, & promissionem pecuniæ spernentes, (sciebant enim majorem pecuniam se furtivâ prædâ, quàm pace adepturos) totam Orientalem Cantii plagam depopulati sunt.* Adeò periculo plenum est, aut hostem intra regni viscera admittere; aut sic admisso, in pacta, stipémque descendere. Hac plagâ acceptâ, Cantuarii armant militem; & *coacto cœtu fœdifragos expulere*, inquit Malmesberiensis.

I. Dani Cantium infestant.

Asser. hic.

Dani fœdifragi.

Insula, licet bello, & externo hoste premeretur; Romam tamen coluit, & frequens eò ivit, Petri Apostolorum Principis colendi causâ. Annales, fateor, hoc tempore recensendis præliis potiùs, quàm civium religione explicandâ distinentur: & multa sæpè transeunt, quæ Posteri cum voluptate lectitassent: externi id aliquando supplent, cùm foras prodibat devotio. Sic Anastasius Bibliothecarius, de Anglis Romam venientibus, & Petrum, Petrique Successorem,

II. Angli Romam vadunt, et donà offerunt.

Nicolaum Papam, ac M. Gregorium, Anglorum Apostolum venerantibus, hæc habet; quæ Baronius benè refert ad præsentem annum. *Hujus (Nicolai) tempore; cum multi ad sanctitatu ejus nomen accurrerent: Quidam de Anglorum gente, Romam venero, qui in oratorio B. Gregorii Papæ, & Confessoris Christi: intra sacram Principu Apostolorum adem constructo, unam tabulam argenteam posuero, pensantem libras* .... Non est dubium tractasse eos cum Rom. Pontifice Anglicanæ Ecclesiæ negotia, & jura ab eo, de more, legésque postulasse. Nam sequitur mox in Anastasio. *Hujus (Nicolai) Beatissimi temporibus; tot, tantaq; diversarum Provinciarum, cognita luce clarius doctrina praclari dogmatis ejus, ad Sedem Apostolicam consultationes directa sunt; quantas nunquam penitùs reminiscitur à priscu temporibus pervenisse. Qui prafatus Pontifex, sacri verbi pabulo, ubertim singulos reficiebat; tradens eis pracepta, juraq; mystica, beatificu illos institutu satiabat, docebat, & ad propria benedictos, & eruditos remittebat.*

Baron. hic. n. 31.

ubi suprà.

III. Et Romæ ad mortem usque manserunt aliqui.

Qui, qualesvè fuerint, qui Gregorium Magnum oblato munere honorarint; & Nicolai tunc sedentis consilium postularint; ex Authorum silentio colligere non possumus. Liquet tamen; non unum, sed plures fuisse, qui Insulæ Fidem testati sunt; tam cultu Sanctorum, quàm Romanâ peregrinatione. Et licet aliqui, post sacra limina visitata, Nicolai benedictione muniti, in patriam redierint; ut ille dixit: aliquos tamen Romæ mansisse ad extremum vitæ, Nicolaus ipse testatur, scriptis in Orientem literis, ad Michaelem Augustum: ubi inter cætera hæc habet. *Siquidem tanta millia hominum, protectioni, ac intercessioni Beati Apostolorum Principis, ex omnibus finibus terræ properantium, sese quotidie conferunt: & usque ad finem vita sua, apud ejus limina semet mansura proponunt: Ut prater illud, quo vas è cælo submissum; in quo cunctorum animantium genera ostensa sunt eidem Beato Petro, horum omnium Rectori, Catholicam signat Ecclesiam: ipsa sola Romanorum Urbs; apud quam ipsius Apostoli corporalem prasentiam sedulò venerantur; ipsius vasis dignoscatur in se continere cunctas animalium, qua homines intelliguntur spiritualiter, nationes. Suscepit ergò, & continet Romana Ecclesia, quod Deus universalem Ecclesiam suscipere, & continere, pracepit. Decentissimum quippe est, & convenientissimum; ut apud se Petrus, quod ipsi specialiter ostensum, atque praceptum est, exhibeat: sicq; demum, quod in generali faciliùs credendum sit, innuat. Sanè intuendum est, quia & hoc vas, in quo omnia genera erant animantium, Petro specialiter ostensum est: & ut ea mactaret, & manducaret, illi solum jussum est: & post resurrectionem, ut rete plenum diversis piscibus, ad litus traheret; à Domino ipsi propriè soli praceptum est. Ipsum enim cujus nos, licet immeriti, vicem suscepimus, principaliter & specialiter, universalis Ecclesia curam divinitus accepisse, etiam nobis tacentibus, credimus quod vestra sapientia jam animadvertat.*

apud Baron. an. 865. n. 89.

IV. Primatus Romani Pontificis.

Pulchrè Nicolaus aperit causam, causæque fundamentum, quod Anglos in Urbem traxit: quod Reges nostros Apostolorum limina toties visitare, quod inde consilium, auxiliúmque, in arduis Ecclesiæ Fideique rebus, petere coëgerit: nimirùm Petri privilegium, à Christo, illi, præ cæteris Apostolis concessum, & sacro illo hieroglyphico, vase è cœlo submisso, expressum. quo supremum, plenúmque dominium in omnium fidelium animas commissum est, mactandi etiam, ac manducandi: ligandi æquè ac solvendi. Hoc enim *tot millia hominum ex omnibus finibus terræ*, properare fecit; ut animæ remedia (quâ nihil homini charius) ex Apostolicâ illâ myrothecâ quærerent. Jam verò, cùm Nicolaus tam patenter Ecclesiæ suæ primatum probet, apud Imperatorem Orientis; valdè mirum est, & moderno tantùm sæculo auditum; inveniri in Occidente homines, qui illum controvertant. Arguitur à Nicolao impius Imperator, quòd juris in Monachos dictionem præsumpserit. & ait: *Vestrum, & piorum Imperatorum non est, ullum penitus quarendi Monachos ministerium; nisi ad miserendum, & orationes eorum submissè poscendum.* Quid nunc diceret Nicolaus si viveret; & videret non dico Imperatores, & Reges, in Occidente (modestiores enim sunt) sed ipsum vulgus, & plebem infimam, non in Monachos solùm præsumere, sed Sacerdotibus omnibus, addo & Episcopis, dominari; eos exauctorare, illis legem dare, à quibus legem, & submisso poplite, benedictionem poscere deberent. Verè corruptio optimi, pessima. Nulla sub cœlo natio (appello Annales omnes) nulla, inquam, nominari potest; quæ majorem Romanæ Sedi reverentiam, cultúmque sacerdotio præstitit, per novem hæc sæcula, quæ recensui; quàm Britanni, Saxones, Anglique nostri præstiterunt. & nunc, flens dico, sed cogor dicere: nulli majore in eam, & illud odio feruntur.

V. Humbertus Episc. Lichfeldensis moritur: Succedit Kinefertus.

Hoc anno moritur Humbertus, Lichfeldensis Episcopus, ut Godwinus, & Westmonasteriensis affirmant: Successit in locum ejus Kinefertus, qui aliquando etiam Kinebertus appellatur, à Malmesburiensi.

ANNUS CHRISTI 865.

NICOLAI PAPÆ 8.

ETHELBERTI OCCID. SAX. REG. 4.

BURRHEDI MERC. REG. 14.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 11

I. Juditha Balduino iungitur.

ANNO Christi octingentesimo sexagesimo quinto, Juditha Regina Ethelwolfi relicta, sanctis tandem nuptiis Balduino adhæsit, jubente Pontifice Nicolao, & consentiente Carolo Calvo, Francorum Rege. cui, in dotem sororis Flandriæ Comitatum dedit. Hoc ideò repeto, & annum consigno, quia Guilielmus primus in Angliâ Normannorum Rex, Mathildem in uxorem accepit, genuitque Reges hujus Insulæ, ex eâ, quæ è Judithæ & Balduini nuptiis descenderat, hoc ordine. Balduinus primus Flandriæ Comes, è Judithâ suscepit Balduinum secundum: qui ex Elfridâ, Alfredi nostri; Ethelberti nunc regnantis fratris, filiâ, Balduinum tertium Flandriæ Comitem genuit: & ille, Balduinum eo nomine quartum: qui ex Eleanorâ, filia Richardi, eo nomine secundi; sed quarti Ducis Normannorum, Balduinum quintum, Mathildis parentem

Comites Flandriæ.

Gordon. hic.

tem habuit. Hunc ergò annum, aliis rebus vacuum, impleant Judithæ nuptiæ; quas huc referunt Gordonius, & Annales Flandriæ.

ANNUS CHRISTI 866.

NICOLAI PAPÆ 9.

ETHELBERTI OCCID. SAX. REG. 5.

BURRHEDI MERC. REG. 15.

EDMUNDI ORIENT. ANG. REG. 12.

I. ETHELBERTUS REX MORITUR.

Malmes. de Reg. l. 2 c. 5.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus sexagesimus sextus, qui Ethelberti West-Saxonum Regis postremus fuit: nam quinque tantùm annos regnavit: & tunc demum naturæ debitum solvens, fratri regnum reliquit. *Ethelbertus*, inquit Malmesburiensis, *strenuè, dulciterq́, regnum moderatus, naturæ debitum solvit, post regni quinquennium, Schireburniæ sepultus.* Citam, & regno importunam mortem fuisse, boni omnes conquesti sunt: sed festinatæ mortis grande solatium tulit, evasisse pòstremum illud tempus, quo Danus, non ut antea, per intervalla, & spiramenta temporum; sed continuo, & uno ferè ictu, Remp. exhausit. Non vidit ille fugatos, & occisos Reges, non destructa monasteria, & expilatum ærarium; non obsessas milite ædes, non classum navibus mare: non denique immensas hominum strages, quæ sequentibus annis contigerunt.

II.

Westmon. hic.

Sed & hoc anno, miseriarum prologus agi cæptus; cum mortuo Ethelberto, successit ejus frater Ethelredus: de quo Westmonasteriensis sic loquitur. *Anno Gratiæ octingentesimo sexagesimo sexto, defuncto Rege West-Saxonum Ethelberto, Æthelredus regnavit pro eo, quinque annis. Quo etiam tempore, magna Danorum classis, in Angliam veniens, in Regione Orientalium Anglorum hiemavit: ubi & maxima pars eorum, qui pedites erant, equestres effecti sunt.* Hi sunt illi, quos suprà, * ex Assero, dixi, de Danubio venisse: non prædonum, aut piratarum more, ut antea solebant; sed delectis ad militiam Ducibus, justâ acie, sed injustissimè pugnantium. Hoc ergò anno, primò ingrediuntur Insulam duo illa naturæ monstra, Inguar, & Hubba; *Viri*, inquit Huntindonius, *strenuissimi, sed crudelissimi. Hinguar erat ingentis ingenii; Hubba verò fortitudinis admirandæ. Perendinantes igitur in hieme in Estangle; inducias. & equos, ab iis acceperunt; & quietis gratiâ, fortitudini sua ad tempus pepercerunt.*

* v. an. 832. n. 2.

DANI VENIUNT IN ORINTALEM ANGLIAM.

Huntind. fol. 348.

HINGUAR ET HUBBA.

III. DANI QUID IBI FECERINT?

Regnabat in Oriente illo Edmundus Sanctus; & cum numeroso milite, fœdere potiùs, quàm bello agendum ratus, permisit primò in terram descendere. Tum quia pacem, non arma sonabant; commeatus etiam, ad tuendam vitam, dedit. Abstinuerunt principio novi hospites, ab agendâ prædâ, & nihil Provinciæ nocuerunt; ut sanctioris amicitiæ imagine, innocentem Principem fallerent; interim accuratiùs infirmiora Insulæ speculantes. Ita equis & commeatu instructi, occasionem expectant, exercendæ, virtutisnè dicam, an perfidiæ? nihil hoc anno in Oriente tentaverunt, Edmundi Regis sanctitate cives defendente. Quid postea ab eis factum; cum peragrata Insulâ, armis, viribus, & audacia auctiores, redierunt; & quomodo hospitii jura violantes, detractâ amicitiæ larva, nudos perfidiæ vultus ostenderunt; dicam paulò inferiùs. Interea cùm Assero, de Ethelberti fratre, Alfredo, disseram; quem Deus, hoc tempore, instruere, & parare videtur, ad Danorum incursibus fortiter resistendum. quod fortè in causa est; cur hoc anno, cum ille ætatis annum ageret decimum octavum, adolescentiæ ejus exordia, ab Assero referuntur.

IV. ALFREDI ADOLESCENTIA.

Asser. hic.

Sed ut more navigantium loquar, nè diutiùs navim undis & velamentis concedentes, & à terrâ longiùs enavigantes, longum circumferamur inter tantas bellorum clades, & annorum enumerationes, ad id quod nos maximè ad hoc opus incitavit, nobis redeundum esse censeo. Scilicet aliquantulum, quantum meæ cognitioni innotuit, de infantilibus & puerilibus, Domini mei venerabilis Ælfredi Angul-Saxonum Regis moribus, hoc in loco, breviter inserendum esse existimo. Nam cum communi, & ingenti patris sui & matris amore, supra omnes fratres suos; imò ab omnibus, nimiùm diligeretur: & in regia curiâ inseparabiliter nutriretur; accrescente infantili & puerili ætate, formâ cæteris suis fratribus decentior videbatur: vultuq́, & verbis, atque moribus gratiosior. Cui ab incunabulis ante omnia, & cum omnibus, præsentis vitæ studiis, sapientiæ desiderium, cum nobilitate generis, nobilis mentis ingenium supplevit. Sed (proh dolor!) indigna suorum parentum, & nutritorum incuriâ, usque ad duodecimum ætatis annum, aut eò ampliùs, illiteratus permansit. Sed Saxonica poëmata, die noctuq́, solers auditor, relatu aliorum sæpissimè audiens, docibilis memoriter retinebat: in omni venatoriâ arte industrius venator, incessabiliter laborat, non in vanum. Nam incomparabilis omnibus peritia, & felicitate, in illâ arte: sicut & in cæteris omnibus Dei donis fuit: sicut & nos sæpissimè vidimus.

V.

Cùm ergò quodam die mater sua, sibi, & fratribus suis, quendam Saxonicum poëmaticæ artis librum, quem in manu haberet, ostenderet, ait: Quisquis vestrum discere citiùs istum codicem possit, dabo illi illum. Quâ voce, immò divinâ inspiratione instinctus, & pulchritudine principalis literæ illius libri illectus; ita matri respondens, & fratres suos ætate, non gratiâ seniores anticipans, inquit: Verène dabis istum librum uni ex nobis; scilicet illi, qui citissimè intelligere, & recitare eum ante te possit? Ad hæc illa arridens, & gaudens, atque affirmans; dabo, inquit, illi. Tunc ille: statim tollens librum de manu suâ, magistrum adiit, & legit. Quo lecto, matri retulit, & recitavit. Post hæc cursum diurnum, id est, celebrationes horarum, ac deinde psalmos quosdam, & orationes multas, quos in uno libro congregatos, in sinu suo, diu noctuq́, sicut ipsi vidimus, secum inseparabiliter, orationis gratiâ. inter omnia præsentis vitæ curricula, ubique circumducebat. Sed, proh dolor, quod maximè desiderabat, liberalem scilicet artem; desiderio suo non suppetebat: eò quòd, ut loquebatur, illo tempore, Lectores boni, in toto regno Occidentalium Saxonum non erant: quod maximum inter omnia præsentis vitæ suæ impedimenta, & dispendia, crebris querelis, & intimis cordis sui suspiriis, fieri affirmabat. Id est, eò quòd eo tempore, quando ætatem & licentiam, atque suppetentiam discendi habebat; magistros non habuerat. Quando verò, & ætate

CURSUS DIURNUS.

erat provectior; & incessabilibus diu noctuq́, imò omnibus istum Insula medicis incognitis infirmitatibus, internisq́, atque externis regia potestatis solicitudinibus, necnon & Paganorum, terrâ, mariq́, infestationibus occupatum. imò etiam perturbatos magistros, & scriptores aliquantula ex parte habebat, legere ut non poterat. Sed tamen inter præsentis vita impedimenta, ab infantiâ usque ad præsentem diem: & ut credo, usque ad obitum vita sua, in eodem insaturabili desiderio, sicut nec ante destituit, ita nec adhuc inhiare desivit.

VI. ALFREDI SANCTA DESIDERIA.

Hæc Asserus, de Alfredi juvenis indole, discendi desiderio, justisque quærelis, deesse Anglicanæ Reip. qui juventutem literis, & liberalibus disciplinis imbuant. Magnum enimverò Reipublicæ vulnus, studiorum Rectores non habere, qui adolescentium animos, à rebus omnibus vacuos, imbuant honestis artibus, & quæ ad humanitatem mores solent componere. Fatendum est hoc nono sæculo, tepuisse admodum in Britanniâ literarum studia: & tenebras fuisse post occasum illorum siderum, quæ ævo superiore patriam illustrarunt. Etenim Beda jamdudùm mortuo, & Alcuino in Gallias translato; nescio quæ mentium hebetudo invasit Saxonem; ut vix reperiri posset in Insulâ, qui literati hominis nomen, professionémque tum sustineret: & si qui eruditionis talentum aliquod assecuti erant: illud abscondere potiùs & defodere; quàm publici juris facere, aut in aliorum commodum, specimen illius publicè exhibere maluerunt. Unde Malmesberiensis Bedæ mortem deplorans: *Nullus Anglorum* (inquit) *studiorum ejus æmulus, nullus gratiarum ejus sequax fuit; qui omissa moneta lineam persequeretur: pauci quos æquus amavit IESVS, quamvis literis non ignobiliter informati, vita totâ ingratum consumpserunt silentium. Alii vix primis labris illas gustantes, ignavum coseverunt otium. Ita cum pigro succederet pigrior, multo tempore in totâ Insulâ, studiorum detepuit fervor.* Hæc ille. Sed satis de hoc Reipublicæ vulnere; cui Alfredus, cùm Reip. habenas moderari cœperit, mederi omni arte, industriâque conabitur. Interim det Insula pœnas neglecti officii, & à Dano castigetur.

Malmesb. fol. 25.

VIII. DE S. FREMUNDO,

Dicendum aliquid esset de Fremundo Sancto, qui magno loco natus; dum Christi amore, parvus esse contendit; diu latuit: sed ita se tandem gessit, ut felici morte, coronam meritus sit immortalem. Quare suo jure locum in Annalibus Ecclesiasticis postulat. Verùm adeò dubia, incerta, & aliquando ἀσύστατα, de eo referuntur; ut quid sequi, quos illi parentes assignare, quo sæculo vixerit; quo anno mortuus sit, censere, admodum sit difficile. Capgravius, aut qui vitam ejus collegit, ita Fremundi exordia recitat: *Temporibus Regum antiquorum, fuit in Angliâ quidam Rex, nomine Offa, qui à primavâ ætate, cum uxore suâ Botildâ, paganicis detentus ritibus, prolis inter se consolationem, usque ad decrepitam ætatem habere non poterant. Eadem verò tempestate, in eâdem provinciâ, quidam nomine Algarus, ex conjuge suâ Thovâ, filium procreavit; qui tertiâ die nativitatis suæ, contra naturæ modum, Dei voluntate id agente, loquelam edidit, & de præfato Rege Offa prophetare cœpit.* Tum mira narrat vaticinia, quæ quia à classicis Authoribus, quos sequi soleo, prætermissa sunt: Si ego etiam prætereo, nullum, opinor, veritati dispendium fecero. Præsertim cum ea, quæ modò Author narravit, satis aliena sint ab historiâ nostrâ. Nullus enim, aut hoc, aut superiori sæculo Rex fuit in Angliâ, paganicis erroribus, ad decrepitam usque ætatem implicitus, ut patet regna omnia percurrenti. Sed quia Fremundus, & parentes ejus, in Danicâ tempestate, cùm Hinguar & Hubba Insulam vexarent; passi dicuntur: prædicta narratio admirationem auget, & suspectam Regii nominis hederam facit.

Capgrav. in Fremundo.

EIUS PARENTES.

VIII. TEMPORIS RATIO.

Itaque Harpesfeldus, non Offæ Regis, sed Algari Ducis Orientalium Saxonum, filium facit: & martyrio coronatum asserit ad annum Christi octingentesimum sexagesimum sextum, quinto Idus Maii. Et quia eundem annum Capgravius consignat, ideò hoc loco nominandus est. Nam quod habet Martyrologium nostrum, Fremundum Offæ Merciorum Regis filium, occisum esse, anno 798.* vel ut alibi ibidem dicitur anno 700. inconstans est: & Hinguar & Hubba, necdum tunc sævierunt. Si ergò Danicæ tempestatis victima fuit; meliùs ad hæc tempora consignatur, quo revera Dani omnem Insulam penetrantes, Hinguar atque Hubbam, in eâ tempestate Principes habuerunt. Fuit ergò Fremundus, hâc tempestate, vir magnis natalibus illustris, & opinione sanctitatis multò illustrior, qui paterna domo relicta, solitudinem petiit, ut Magno Deo mentem impleret. In quo pietatis exercitio, cùm plures annos religiosè consumpsisset; Danis in patriâ grassantibus, evocatus è solitudine; dum fortiter in illos pugnat, hostémque pellit è provinciâ, ab Oswio quodam, qui à Christianâ Fide defecerat; & cui Dani Provinciæ illius administrationem promiserant; impiè obtruncatur. Tunc autem Deus probavit sanctitatem ejus admirabili argumento; cùm truncum corpus, *manibus caput de terra extulit; & cum multis hac miracula obstupescentibus, & Deum laudando prosequentibus, ad locum quendam inter Uchintoniam, & Hareburbery caput manibus ferens, perrexit & ibi sedens, aquam, quâ corpus ejus & caput ablueretur, à Deo precibus petens, impetravit. Nam fons in eodem loco, perenni fluens decursu excrevit, & Martyris meritum celeriter declaravit. Haustâ igitur aquâ, vulnera lavit; Deum cui omnia vivunt, adoravit: & ad Orientem se vertens, in terrâ mortuus procubuit. Præfatus autem Oswi, cum cæteris, qui advenerant; his visis miraculis, corpus ejus & caput suscipiunt: In loculo quoque plumbeo illud ponentes, in loco, qui Offecherche appellatur, intra domus Regia septum, cum Hymnis, & laudibus, sepulturæ tradunt.*

** Mart. Ang. 28. Martii.*

Capgrav. in Fremundo

IX. LOCUS MARTYRII.

Ex hâc rei gestæ narratione colligitur: ubinam loci, Martyrii corona Fremundo obvenerit: nimirùm cæsus est in eâ Warwicensis agri parte, ubi Uchindon, & Harbury jacent. Unde transferri facilè potuit Martyris corpus ad Offechureb oppidum, non procul inde. Quod quis ab Offa Merciorum Rege conditum ut suprà; * Inde fortè vulgò putatum, Martyrem ibi sepultum, Offæ filium fuisse. Sed quicquid sit, loco illi, non aliunde magis, quàm à Fremundi sepultura, celebritas crevit. Quod Camdenus loca illa lustrans, & illustrans, ita testatur: & fontem, opinor, indicat, qui Fremundi precibus exerevit. *Campestris Warwicensis agri planities, frugibus, & virenti gramine admodum læta: & quamvis plurimis undequaque fulgeat oppidulis; memoranda tamen solùm sunt Leamington, à Leamo fluviolo, qui hanc partem*

** v. an. 796. n. 1.*

Camden. in Warwikshire.

pererrat,

pererrat, sic dictum: ubi fons salsus ebullit; Uchindon, nunc Long-Ichingdon, & Harbury. Nec alio sanè nomine hæc duo memoranda sunt: quam quòd inter ea, Fremundus, Offa Regis filius, ex insidiis nefariè olim occisus fuerit. Vir magni nominis, & singularis in Deum pietatis, cui nihil aliud invidiam conflavit; quàm quòd infelici tempore, felicibus auspiciis, hostium audaciam contudisset. Quod tamen ejus factum in majorem illi gloriam cessit, Nam sepultus ad Offæ patris palatium (Ofchurgh nunc dicitur) posteritati adhuc superstes est: utpote qui inter indigetes relatus, divinos honores apud multitudinem meruit. Vitaq; ejus, carmine satis eleganti, ab antiquo Scriptore descripta: è quâ non sit piaculum hos pauculos versus subjungere; de homicida, qui regnandi libidine percitus, illum sustulit.

Non sperans vivo Fremundo, Regis honore.
Optatâ se posse frui; molitur in ejus
Immeritam tacito mortem: gladioq; profanus
Irruit exerto servus; Dominiq; jacentis
Tale nihil veritum, sævo caput amputat ictu.
Talis apud Wydford Fremundum palma coronat
Dum simul & fontes occidit, & occidit insons.

X.
Ejus cultus.

Hæc Camdenus, qui quod dicit Fremundum *divinos honores*, apud multitudinem meruisse, Calvinismum olet; quasi vulgus honorem Dèo debitum, Sanctis tribuat: aut quasi à solo vulgo Fremundus coleretur. Utrumque falsum. Sanctorum excellentiæ condignum cultum tribuimus: & quia eorum excellentia, divinâ est longè inferior: ideò longè inferiorem cultum damus. τὴν κατὰ ἡμῶν προσκύνησιν, & aliud nihil. ut fusiùs ostendi ad annum 286. num. 36. Nec multitudo solum Fremundum credidit Sanctum esse. Nam ut refert Matthæus Parisiensis, Henricus Tertius Angliæ Rex, Fremundum inter Sanctos ab Ecclesiâ canonizatos recensuit, & sine dubio coluit. Unde in nostro Martyrologio locum meritò habet, ad ad undecimum Maii; non ut à vulgo solùm; sed ut ab omni ordine, ætate, sexúque colatur.

ANNUS CHRISTI 867.

NICOLAI PAPÆ 10.

ETHELREDI OCCID. SAX. REG. 2.

BURRHEDI MERC. REG. 16.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 13.

I.
Dani Eboracensem agrum vastant

SECUNDUM auspicatur regni annum Ethelredus, anno octingentesimo sexagesimo septimo: cùm Danus, Oriente relicto; ubi vires & arma collegerat; in Eboracensem agrum, quem prædæ destinaverat, pergit: inde postmodum in omnem Insulam pugnaturus. quod & brevi factum; verèque dictum, à Septentrione omne malum descendere. Cur Danus eò averti, militiæ experimentum facturus; illa ratio reddi potest; quia cives ibi pessimâ factione inter se digladiantes,

Osbertus Rex deponitur: et Ella surrogatur.

Osbertum Principem exauctorarant: intruso in ejus locum Ella. Verùm Danorum adventu, doctiores Duces, dexteras jungunt, & amicè coeunt: ut communi exercitu novum hostem, à civium tectis averterent. Jam Eboracum Danus ceperat, vacuum milite, & arduum erat illum submovere. Illuc tamen Osbertus festinatò contendit; repertúmque in agro hostem, intra mœnia cogit. Accepit Osbertus fugam pro omine, & accenso ad victoriæ laudem milite, in Urbem pugnat: & facilè mœnia, infirmiter posita, demolitur. Danus ubi intus impetum sensit: tunc demum furere, extrema experiri, non pro præda, divitiisque; sed pro dulcissima vitâ pugnare. Noster contrà, prædæ, quàm pugnæ intentior; cùm expugnatum jam hostem putaret; in ipsa urbe, à Danis cæditur, victoriámque victi ferè Dani egregiam consequuntur. Osbertus & Ella Principes, & militum præcipui, in eo prælio desiderantur; pauci superstites in Danorum servitutem transeunt. Ita aspera gens, mutare Principes assueta, & nemini servire cupiens; prima Danorum jugum subiit. doctura (ô utinam docuisset!) novarum rerum cupidos, & Regum imperia exuentes obsequendi patientiam.

Coniuncti in Danum primo feliciter.

Mox infeliciter pugnant.

Osberto et Ella occisis.

II.
Tempus pugnæ.

Quod ad tempus spectat hujus prælii; conveniunt omnes hoc anno gestum. Nam quod Huntindonius dicit: *Adelredi Regis anno secundo, venit exercitus prædictus, quem Hinguar & Hubba rexerunt, in Nordhumbre, apud Eovirwic, eratq; inter gentem patriæ illius, solita proditione, magna discordia, &c.* Hoc, inquam, Hovedenus explicat ita: *Anno octingentesimo sexagesimo septimo, prædictus paganorum exercitus, de Orientalibus Anglis, ad Eboracam civitatem migravit, omnia vastando, usque ad Tinemutham.* Tum pergit cladem recensere, & mensem diémque initi certaminis. *Eo tempore*, inquit, *ortâ seditione inter Northimbros, Regem suum legitimum, Osbrichtum nomine, regno expulerunt, & tyrannum quendam, Ellam nomine, non de regali prosapiâ genitum; in regni apicem levaverunt. Sed advenientibus Paganis, pro communi utilitate, aliquatenus sedatâ discordiâ, Osbrictus & Ella, viribus adunatis, & exercitu congregato, Eboracum adeunt. Quibus advenientibus, mox Pagani in urbem refugiunt, & intra mœnia se defendere procurant. Quorum fugam & pavorem Christiani cernentes; etiam intra urbis mœnia eos persequi, & murum frangere ceperunt. Cumq; jam fracto muro, multi Christianorum in civitatem simul cum paganis introiissent: Pagani dolore, & necessitate compulsi; super eos atrociter irrumpunt, cædunt, fugant, prosternunt intus & extra. Illic maxima ex parte, omnes Northimbrensium casi, occisis duobus Regibus, occubuerunt. Reliqui verò, qui evaserunt, pacem cum Danis fecerunt. Quibus prædicti Pagani sub suo dominio, Regem Egbertum præfecerunt; regnavitq; super Northanimbros, ultra Tine, sex annis. Hæc gesta sunt Eboraci, undecimo Calend. Aprilis, feria 6. ante Dominicam palmarum.*

Hoveden. fol. 411.

Ecbertus Rex Northumbriæ.

III.
Unor potissima regnorum ruina.

Sæpè Deus regnis & provinciis pestem immittit; & Ægyptum variis interdum plagis castigat, ut afflictio det intellectum. Sed nunquam majorem pestem immittit, quàm cùm permittit cives in sua viscera sævire: & cives nunquam flagitiosiùs peccant; quàm cùm Majorum suorum imperia detrectantes, in rerum publicarum capita pugnant; cum sceptri, & sacerdotii jura arrogant, cum monarchiam, longo usu stabilitam, & hierarchiam à Christo dictatam, evertunt. Nam inde miseriarum diluvium fluere, tristissimâ experientiâ cernimus. Quod si in criminis societatem, exteros invitamus, & novo nationum diluvio calamitatem augemus; profectò in miseriarum

proflui-

profundum descendimus: unde non nisi divinâ manu, multâque patientiâ, datur emergere. Peccaverunt ita Northumbrii; & ita justo Deo judice, castigantur. Utinam posteri, tot præteritorum sæculorum exemplis eruditi, discerent obedientiam, victimâ potiorem esse: *Et quasi peccatum ariolandi, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Verùm hæc ulcera Reip. non solùm erudiri nolunt; sed eruditos omnes, & eruditionem, aversantur: Et sacras literas, vel loqui faciunt ad sensum suum, vel illis, doctisque omnibus silentium imperant. quod pessimæ factionis, & divini humanique juris adversariæ, eloquentissimum argumentum est.

1. Reg. c. 15. v. 23.

IV. Moritur Alstanus Schirburnens. Episcopus. *Westm. hic.*

IV. Hoc anno moritur Alstanus Schirburnensis quinquaginta annorum Episcopus, qui insignem operam Reip. posuerat, domi, foris in pace, & militiâ. Ita eum cum laude sepelit Westmonasteriensis. *Eodem anno (867.) Alstanus Scireburnensis antistes, diem clausit extremum. Qui temporibus Regum Occidentalium Saxonum Egberti, & filii ejus Æthelulfi, magnæ in regno potentiæ, & ingentis consilii fuit: dum prædicto Rege Egberto Cantuaritas, & Anglos Orientales, bellicis laboribus subjugavit. Contra Danos quoque, qui tunc primò Insulam infestabant, Regis Æthelulfi sævitiam exacuit, ipse ex fisco pecuniam accipiens, ipse exercitum componens; Martiis felix eventibus, contra hostes bella plurima constanter peregit. Potentiam quoque ipsius, ex hoc, quilibet cognoscere poterit; quod Regem Æthelalfum a Roma revertentem, à regno arcuerit, statuto filio ejus Æthelbaldo Rege, pro eo: donec patrem cum filio in sortem regni regredi pateretur. Reliquit autem Ecclesiam suam, quam annis rexerat quinquaginta, prædivitem in prædiis undecumque acquisitis. Et cum esset cupiditate præfervidus; erat tamen liberalitate præcipuus. Sepultus est apud Screburnam, in Ecclesiâ Cathedrali.* Hæc omnia Westmonasteriensis.

V. Arguitur quod in Regem Sanctum surrexerit.

V. Verùm quod narrat potentiæ argumentum, exclusum ejus operâ à regno Ethelwolfum; ab aliis Authoribus meritò condemnatur. Nam infulæ debent pro coronis, non contra, advocare. & pacem inter Principem, & subditos, non bellum, componere. Cæterùm, quòd Ecclesiam divitem reliquerit, meretur omninò laudem, si Principum, & piorum largitionibus illam ditavit. Verùm si monasteriorum bona suæ cupiditati substravit; fecitque rapinam in holocausto, non laudem ab omnibus merebitur. Malmesburiensis de eo sic conqueritur. *Vixit in Episcopatu annis quinquaginta: Beatus, qui tantò tempore in procinctu bonorum operum fuerit. Quem libenter laudarem, nisi quòd humanâ cupiditate captatus, indebita usurparit; quando Malmesberiense monasterium, suis negotiis substravit. Sentimus ad hunc diem impudentiæ illius calumniam: licet locus idem, eo mortuo, omnem illam eluctatus fuerit violentiam, usque ad nostrum tempus, quando in idem discrimen incidit. Ita sacra fames avaritiæ mortalia pectora excedit; ita magnificos, & illustres in cæteris viros, in tartara trudit.* Hæc ille. Alstano successit Eadmundus in Sede Schirburnensi, qui post annos aliquot, in Danos pugnans, ab iisdem occiditur, anno 871. ut ibi dicetur. num. 20.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 2.

Et Malmesburiam spoliaverit.

Eadmundus Alstani successor.

VI. Moritur Nicolaus Papa.

VI. Hoc anno Christi 867. moritur Nicolaus Papa, cum annos novem, menses sex, dies viginti, in Petri Cathedra sedisset; vir, si quis alius inter Romanos Pontifices, laudatissimus. Unde Regino, non immeritò dixit: *Post Beatum Gregorium usque in præsens, nullus præsul in Romana Urbe, pontificali honore sublimatus, Nicolao videtur æquiparandus. Regibus ac tyrannis imperavit; eisque, ac si Dominus orbis terrarum, authoritate præfuit. Episcopis & Sacerdotibus religiosis, ac Domini mandata observantibus, humilis, blandus, pius, mansuetus apparuit; irreligiosis, & à recto tramite exorbitantibus, terribilis, atque austeritate plenus extitit: ut meritò credatur alter Elias, Deo suscitante, nostris temporibus surrexisse; & si non corpore, tamen spiritu & virtute.* Nicolao successit Hadrianus eo nomine secundus.

apud Baron. hic.

Eius elogium.

Hadrianus II. Papa.

ANNUS CHRISTI 868.

HADRIANI II. PAPÆ 1.

ETHELREDI OCCID. SAX. REG. 3.

BURRHEDI MERC. REG. 17.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 14.

I. Alfredus uxorem ducit.

I. Quiescebat Occidens, cum Dani trans Humbrum præliantur. Alfredus interim usus tempore; cum bellorum incerta cerneret; & fratres mortuos, quorum unus solus regno supererat: uxorem petit, anno Christi octingentesimo sexagesimo-octavo, & accipit è Merciorum Regione, filiam Æthelredi Gainorum comitis. de quo sic Asserus: *Anno Dominicæ Incarnationis 868. nativitatis Ælfredi Regis vigesimo, fames valida erat. Tunc præfatus ac venerabilis Ælfred Rex, secundarii tamen tunc ordine fretus, uxorem de Mercia, nobilem scilicet genere, filiam Æthelredi, Gainorum Comitis, qui cognominabatur Mucil, expetivit, & duxit. Cujus fœminæ mater Eadburh nominabatur, de Regali genere Merciorum Regis; quam nos ipsi propriis oculorum nostrorum obtutibus, non paucis ante obitum suum annis, frequenter vidimus: Venerabilis scilicet fœmina: & per multos annos post obitum viri sui, castissima vidua, usque ad mortem permansit.* Asserus uxoris nomen non prodit: alii Alswitham vocaverunt, è Lincolniensi provinciâ; ubi nunc Gainiburgum: quam etiam authores Ethelswidam appellant; sed novum sponsum Alfredum, è thalamo vocare ad castra, & militem cogor induere, cum Danorum exercitus, relicto Septentrione, in Mercios descendit.

Asser. hic.

Eadburga Alfredi socrus.

Alswitha Alfredi uxor.

II. Dani in Merciorum provincia.

II. Enimvero Dani; cùm anno superiori, Eboracensium fines, cæde & incendio fœdavissent; in Mercios, hoc anno, novâ expeditione, feruntur. Ubi civitate & arce Nottingamiensi potiti, hiemare constituunt. Burrhedus Rex, vocato, supplici legatione, in belli societatem Ethelredo, West-Saxonum Rege, ejusque fratre Alfredo; quorum sororem duxerat: cùm magnis viribus, ad Urbem accedit, obsessos cingit, & commeatum omnem, & quicquid in subsidium venire poterat, avertit. At illi castro muniti; nec allici ad pugnam, nec arce exturbari potuerunt. Instabant Reges, & nullam offendendi Danos artem omittentes, coëgerunt tandem, quà fame, quà aliarum rerum necessitate pressos, ad honestam pacis mentionem. quæ ea lege conclusa est;

ut Danus

ut Danus urbe, & omni provinciâ cederet. quod licet Asserus, Huntindonius, Hovedenus, Westmonasteriensis & Wigorniensis; qui omnes Urbis obsidionem narrant, omiserint: Ingulfus tamen ita refert: *Beorrhedus collecto grandi exercitu, firmatus etiam viribus Ethelredi Regis West-Saxonum, ac Alfredi fratris sui, quorum sororem desponsaverat; Paganos Notingham relinquere coëgit, & Eboracum repetere.*

Ingulf. f. 863
REDIRE AD NORTHUMBRIOS COGUNTUR.

III. ALGARI VIRTUS ET PIETAS.
Idem supra.

Enituit tunc in Beorrhedi castris, Algari Comitis eximia virtus; qui re fortiter gestâ, omnium ibi Regum benevolentiam promeruerat. Et quod rarum in milite, cum fortitudine pietatem junxerat. quod malo Ingulfi verbis referre, qui ita in sui monasterii historia loquitur: *In eâ expeditione, cum Comes Algarus Iunior, magna militaris probitatis gesta fecisset; ac Beorrhedo Regi, & duobus fratribus West-Saxoniæ, causa suæ nobilis militiæ, præcipuus & charissimus haberetur; Croylandensis etiam monasterii, amicissimus, ac Domino Theodoro Abbati, multum familiaris (sicut Domino Siwardo antea fuerat) in omnibus negotiis, & necessitatibus exsisteret adjutor promptissimus: etiam de manerio suo Spaldinge; quod ante paucos dies tunc Theodoro Abbati, pro anima Comitis Algari senioris, patris sui contulerat: nec non de omnibus terris & tenementis, tunc monasterio Croyland pertinentibus; hujusmodi confirmationem de Rege Beorredo impetravit, eidem Abbati Theodoro, in his verbis:*

BEORREDUS, LARGIENTE DEI GRATIA, Rex Merciorum, omnibus provinciis, & populis earum universam Merciam inhabitantibus, & Fidem Catholicam conservantibus, Salutem sempiternam in Domino nostro JESU-CHRISTO.

IV. BURRHEDI REGIS CHARTA PRO MONASTERIO CROYLANDIÆ.

QUoniam peccatis nostris exigentibus, manum Domini super nos extensam quotidie, cum virga ferrea, cernimus nostris cervicibus imminere; necessarium nobis, & salubre arbitror piis sanctæ Matris Ecclesiæ precibus, eleemosynarumque liberis largitionibus, iratum Dominum placatum reddere; & dignis devotionibus, ejus gratiam, in nostris necessitatibus, auxiliarium implorare. Ideoque & ad petitionem strenuissimi Comitis, mihique merito dilectissimi, concessi Regio Chyrographo meo, Theodoro, Abbati Croylandiæ, tam donum Comitis Algari, quàm dona aliorum fidelium, præteritorum ac præsentium, dicto suo sancto monasterio; in eleemosynam etiam animæ meæ, & in remissionem meorum criminum, devotione libera confirmare. Confirmo ergo Deo, & sanctissimo Confessori suo Guthlaco, Croylandiæ, monachisque omnibus ibidem Deo servientibus, & in perpetuum servituris, totam Insulam monasterio adjacentem, prout in chirographis inclyti quondam Regis Merciorum Ethelbaldi fundatoris sui, ac aliorum Regum prædecessorum meorum, per limites & terminos ejus descripta, in situm separalem Abbatiæ suæ; cum duobus Mariscis jacentibus, ex opposito ejusdem Insulæ, ad Orientem, ex utraque parte aquæ de VVeland. videlicet cum Alderlound, in parte Australi, & cum Goggislound in parte boreali, eisdem terminis, quibus eos ab initio habuerunt.

V.

Confirmo etiam prædicto monasterio Croylandiæ, de dono prædicti dilectissimi mihi inclyti Comitis Algari, manerium suum; quod situm est in Orientali parte fluminis in Spaldeling; cum quatuor carucatis terræ arabilis, & 24. mansionibus, & 80. cotagiis in eâdem villâ de Spaldeling: & de dono Comitis Algari senioris, patris sui, ligneam capellam Sanctæ Mariæ, sitam in eâdem parte fluminis in Spaldeling, cum quatuor carucatis terræ adjacentibus, ex utrâque parte fluminis, tam in campis Pinchbech, quàm de Spaldeling. Et de dono ejusdem Comitis Algari, Ecclesiam de Capelade, cum quatuor carucatis terræ, & sex bovatis, & octodecim acris prati; & marisco duarum acrarum, in litore maris, & marisco trium acrarum, contiguo aquæ de Sepshee, claudenti insulam suam de Croyland, ad ejus Orientem: & de dono ejusdem Comitis Algari, Ecclesiam de Sutherton, cum capella de Saltney; & tres carucatas terræ, viginti duas bovatas, & sexaginta sex acras prati, tam in campis de Algarkirke, quàm de Sutherton; & cum quatuor salinis in eadem villa. Similiter confirmo prædicto monasterio de Croyland, de dono Oswii militis in Dreytona, octo hidas terræ; & quatuor virgatas, & Ecclesiam ejusdem villæ. Similiter confirmo prædicto monasterio, de dono Mercardi militis mei, totam terram suam de Deping, cum ducentis mansionibus, & cotagiis quadringentis, & duabus Ecclesiis: videlicet quicquid habuit in eâdem villâ, & in campis ejus, ab aqua de VVeland, ad Austrum usque, ad Campos de Langtoft, ad ejus Aquilonem; & inter campos de Talington, ad ejus Occidentem usque ad Asparh in marisco, ad ejus Orientem.

VI.

*Similiter confirmo prædicto monasterio, de dono * Fregisti militis eam villam de Langtofe, cum omnibus terris & mariscis, quæ prædictus Fregistus habuit in eadem villa, & cum Ecclesia ejusdem villæ. Similiter confirmo prædicto monasterio, de dono Algari militis filii, Nortlang in Baston, & in Tetford omnes terras & tenementa, quas dictus Algarus habuit in Ecclesiâ, & capellâ Sancti Ioannis, in eadem villâ. Et de dono ejusdem Algari in Repingale, tres carucatas terræ arabilis, & sexaginta acras prati. Similiter confirmo prædicto monasterio, de dono Normanni quondam vicedomini in Sutton, juxta Bosworth, duas carucatas terræ & unum molendinum venticium: & de dono ejusdem Normanni in Stapleton, manerium suum, & duas carucatas terræ: & de dono ejusdem Normanni in Badby, quatuor hydas terræ, cum manerio, & triginta acris prati. Similiter confirmo prædicto monasterio de dono Thoroldi quondam Vicedomini Lincolniensis, in Bosenhale, duas carucatas terræ & dimidiam, & viginti sex acras prati, & quinquaginta acras silvæ de Brush. Similiter confirmo prædicto monasterio, de dono Geolphi, filii Malti, in Halington, quatuor bovatas terræ de Inland, & decem bovatas in servitio, & triginta tres acras de eodem feodo, de Geruntborpe. Similiter confirmo prædicto monasterio, de dono Asketelli in Glapthorne, duas virgatas terræ: & de dono VVulgeti in Pickirke, tres virgatas terræ; & de dono Siwardi in Kirckby, tres bovatas terræ, unam mansionem, & tria cotagia: & de dono Edulphi, in Laythorpe, unam bovatam terræ. & de dono VVulnoti in Adington, duas hydas terræ, & piscariam, cum advocatione Ecclesiæ ejusdem villæ. & in alia Adington, unam virgatam terræ. & de dono Sigburga Comitissæ, in Standon, quinque hidas terræ; & de dono Grimketelli, unam hidam & dimidiam, in Hurming.*

* Eregisti.

VII.

Hæc omnia prænominata, Insulas, mariscos, mersca, Ecclesias, capellas, maneria, mansiones, & cotagia, silvas, terras, & prata, concedo constituo, & confirmo Deo, & sancto Guthlaco; libera, soluta, emancipata, ab omni opere terreno, & servitio sæculari; pro animabus prædictarum rerum donatorum; & pro meritis

animæ meæ, & animarum omnium progenitorum, ac heredum meorum, in eleemosynam æternam, Abbati Theodoro & monachis suis, in Croylandensi monasterio, domino servientibus, perpetuò possidendam. Istud regium chirographum meum, anno Incarnationis Domini nostri JESU-Christi octingentesimo sexagesimo 8. Calendas Augusti, apud Snothingam coram fratribus, & amicis, & omni populo meo, in obsidione paganorum congregatis, sanctæ Crucis munimine confirmavi.

VIII. † *Ego Ceolnothus, Archiepiscopus Dorobernensis, subnotavi.*

† *Ego Elstanus, Londinensis Episcopus, corroboravi.*
† *Ego Edmundus, Schireburnensis Episcopus, collaudavi.*
† *Ego Alcwinus, VVintoniensis Episcopus, commendavi.*
† *Ego Kinebertus, Lichfeldensis Episcopus, consignavi.*
† *Ego Ethelbertus, Herefordensis Episcopus, Crucem meam feci.*
† *Ego VVulsius, Abbas Eveshamensis, approbavi.*
† *Ego Hedda, de Medeshamsted Abbas, consensum dedi.*
† *Ego Tivinus, Abbas de sancto Albano, consului.*
† *Ego Ethelredus, Rex VVest-Saxoniæ, assensum præbui.*
† *Ego Alfredus, frater Regis VVest-Saxoniæ, consensi.*
† *Ego Edmundus, Rex Est-Angliæ, procuravi.*
† *Ego Adelredus Dux, favi.*
† *Ego Osbirtus Dux annui.*
† *Ego Algarus Comes, istud devote fieri deprecans, à Domino meo Rege gratuitò impetravi.*
† *Ego VVulkelnus Comes audivi.*
† *Ego Adelwulfus Comes concessi.*
† *Ego Turgotus Comes consensi.*
† *Ego Almundus Comes consideravi.*
† *Ego Diga Comes interfui.*
† *Ego Lefwinus Comes aspexi.*
† *Ego Burkardus Comes conscripsi.*
† *Ego Askerus Comes affui.*
† *Ego Thurstanus Comes stabilivi.*
† *Ego Reynardus Comes consului.*
† *Ego Tilbrandus Comes subscripsi.*

IX. † *Ego Beorredus Rex Merciorum, intimo animi affectu, totisq; præcordiis, gratias exolvo speciales, omni exercitui meo. maximè tamen viris Ecclesiasticis, Episcopis & Abbatibus, aliis etiam inferioris status, & dignitatis. Qui licet pijssimæ memoriæ Rex quondam Ethelwulphus, pater meus, per sacratissimam chartam suam, ab omni expeditione militari vos liberos reddiderit, & ab omni servitio seculari penitus absolutos: dignissimè tamen miseratione, super oppressione Christianæ plebis, Ecclesiarumq;, ac monasteriorum destructiones luctuosas benignissimè compassi; contra nefandissimos paganos, in exercitum Domini prompti & spontanei convenistis: ut tanquam Martyres, Christi cultus, sancto sanguine vestro augeatur; & barbarorum superstitiosa crudelitas effugetur.* Hactenus Burrhedi diploma. In quo notanda sunt aliqua pro temporis rerumque gestarum, serie.

X. Corollaria. Imprimis, ubi legitur, chirographum datum hoc modo: *anno octingentesimo sexagesimo 8. Calendas Augusti.* suspicio est duplicandum esse octonarium numerum, legendúmque ita: *octingentesimo sexagesimo octavo, 8. Calend. Augusti.* Nam quicquid sit de Calendis Augusti; de anno certè constat obsessæ Nottingamiæ; non alium fuisse, ab anno præsenti. Nam Huntindonius ita loquitur: *Adelredus Rex, anno tertio regni sui, ivit Snotingham, cum fratre suo Alfredo, in auxilium Burrhedi Regis Merc.* quod more suo Hovedenus explicans, ait: *Eodem anno* (868.) *prædictus paganorum exercitus, Northumbros relinquens, Notingam adiit, & in eodem loco hiemavit: cum quibus Burredus Merciorum Rex pacem pepigit.* Eundem annum obsessæ Merciorum urbis Westmonasteriensis, Wigorniensis, & omnium primus Asserus exprimunt. & iste quidem in hunc modum: *Anno 868. prædictus paganorum exercitus, Northanhimbros relinquens, in Merciam venit: Snotengaham adiit, quod Britannicè Tigguocobauc interpretatur: latinè autem speluncarum domum. & in eodem loco eodem anno, hiemaverunt: Quibus illic advenientibus, confestim Burrhed Merciorum Rex, & omnes ejusdem gentis optimates, nuntios ad Æthered Occidentalium Saxonum Regem, & Ælfred fratrem dirigunt: suppliciter obsecrantes; ut illi illis auxiliarentur, quo possent contra præfatum pugnare exercitum. Quod & facilè impetrarunt. Nam illi fratres, non segniùs promissione; congregato ex omni parte sui immenso exercitu; Merciam adeunt, & usque ad Snotengaham bellum unanimiter quærentes perveniunt. Cumq; pagani, tuitione arcis muniti, bellum dare negarent: & Christianis frangere murum non suppeteret: pace inter Mercios & paganos facta, duo illi fratres, Æthered cum suis cohortibus domum reversi sunt.* Ex hujus ergo urbis obsidione, colligitur annus dati diplomatis: qui ideo notandus est, ut plurimorum martyrum illustrissimi triumphi, quos sequentibus annis recensebo, suis locis temporibúsque consignentur.

Huntind. 148.

Asser. hic.

XI. De Episcopis. In Episcoporum subscriptione; ut Ceolnothus, Elstanus, sive Heastanus, & Edmundus, nullam pariunt difficultatem; quos supra Episcopos institui: ita Alcwinus Wintoniensis, meritò potest Lectorem morari: cum supra*, mortuo sancto Swithuno, Alfertum, sive Alfeithum, illi sedi præfecerim. Existimo ergo errasse amanuensem, & legendum: *Alcwinus VVigorniensis Episcopus.* Nam illum Alhwinum, sive Alhunum, anno 848. Eadberto successisse, & sacellum sancto Andreæ construxisse Kimeseia, dixi ad eum locum, n. 1. Quod quidem sacellum, hoc anno, ab eodem consecratum, & dedicatum creditur. Nam ita Westmonasteriensis, cum Nottingamensem obsidionem solvisset: *Eodem tempore*, inquit, *Oratorium sancti Andreæ Apostoli, Kimesiæ ab Alcwino VVigorniensi Episcopo, constructum & dedicatum est.* Eadem ad hunc eundem annum habet Wigorniensis, qui *Alhunum præsulem* vocat. Major procul dubio difficultas est, in Herefordensi Episcopo, Ethelberto: nam nulla ejus mentio apud eos, qui illius Ecclesiæ Antistites numerarunt. Quare dicendum est, binominem fuisse, vel Cuthwulfum, quem anno 849. ad Herefordensem sedem consecratum dixi: vel certè successorem ejus, Mucellum, quem Fasti hoc anno 868. in illâ sede collocarunt. Uter illorum, Ethelbertus vocari possit, nescio; sed probabile est, eorum unum intelligi. Hedda, qui scribitur Abbas de Medeshamsted, quod nunc Petriburgum est; brevi, cum suis monachis, illustri martyrii coronâ donabitur.

* an. 862. n. 6.

Alcwinus Wintonien. pro Alcw Wigornien.

Westmon. hic.

Ethelbertus Herefordensis, quis?

an. 849. n. 12.

Moritur Cutwulfus Herefordeñ. Ep. Succedit Mucellus.

XII. Tivinus Abbas S. Albani. Tivinus Abbas de S. Albano, inter viginti tres illius cœnobii Abbates, à Matthæo Parisiensi recensitos, non habet locum: nisi fortè, alio nomine appellatus sit Ulsinus, qui sextus in eo ordine ponitur, *Vir pius*, inquit ille, *& ordinata vita in*

spiritua-

Parif. in Abba. sex. 10. *spiritualibus, & sæcularibus fulsit illustris: Pagum quoque S. Albani, & incolas dilexit & promovit. Ab partibus circumjacentibus illum adhibito foro, & ampliato, populis convocatis fecit inhabitari: construentesq; ædificia, tam sumptibus quàm materia adjuvit. Ecclesiam S. Petri à Septentrionali: Ecclesiam sancti Stephani ab Australi; Ecclesiam sancti Michaelis ab Occidentali, parte; devotè, tam ad ornatum, quam utilitatem pagi, & salutem animarum, construxit.* Hæc ille, de sexto Albanensis cœnobii Abbate; quem sub hæc tempora vixisse & Tivinum appellatum esse putamus. Surrexit ergo ejus opera Albanense oppidum in splendorem illum, quem hodiéque retinet: & eodem modo plurima per Angliam loca, Abbatum & monachorum industriâ, in lucem emerserunt: nunc moderno hoc sæculo, ad tenebras condemnantur Abbates & monachi, qui lucem illam, splendorémque, urbibus, oppidis & Ecclesiis induxerunt. Nec enim viperina factio emergere potest, nisi per excesa parentum viscera.

XIII. Monasterium Exoniense ab Ethelredo Rege factum.

Regia Ethelredi Fides, spectabilis admodum in Occidente fuit: cum hoc anno octingentesimo 68, in Devoniensi agro, ad Exoniensem urbem, monasterium monachis instruxit, templumque Petro Apostolorum Principi sacrum: Ita refert Spedus, in catalogo ædium ab Henrico VIII. destructarum. Et commodum accidit ædificari templa, in Occidente; quia statim in Septentrione, Merciis, & Oriente audies ingentem Ecclesiarum ruinam, monasteriorum incendia, & stragem monachorum; quos ut Nerones, Diocletiani, & portæ inferorum persecuti sunt primis sæculis, ut ibi demonstratum: ita medio tempore Dani; & novissimo, Puritani; flammâ, ferróque persequuntur. Quid Dani fecerint, sequentes anni docebunt. Quid hodie fiat, spectat orbis, & boni omnes ingemiscunt. Cæterùm monachi ab Ethelredo inducti, non videntur fuisse S. Benedicti; *v. an. 1046. n. 3.* quia sequenti sæculo Athelstanus Rex dicetur primùm illos Exoniensi monasterio induxisse. de quo vide annum 932. n. 12. Nisi fortè velis, hoc anno, *Malmesb. de Pont. lib. 2. fol. 256.* non monachos, sed moniales cœnobium occupasse: quod Malmesburiensis insinuat.

ANNUS CHRISTI 869.

HADRIANI II. PAPÆ 2.

ETHELREDI OCCID. SAX. REG. 4.

BURRHEDI MERC. REG. 18.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 15.

I. Danorum furor incipit.

Hactenus Dani, Insulam pervagantes; militiæ, seu malitiæ veriùs suæ tyrocinium tantummodo posuerunt: & dextrè vires nunc extendo, nunc contrahendo, veluti experiendo, probaverunt. At ubi firma provinciarum, & infirma speculati, arma, equos, & commeatum collegerunt: tunc enimvero, inimicitiam palam professi; utramque Rempublicam, magno impetu aggressi, adeo impatienter insaniunt; ut hæream, unde crudelitatis eorum exordium sumam. Authores plerique confusè narrant, & in unum annum multa miscent; quæ rerum circumstantiis accuratè perpensis, meliùs distinguuntur. Dictutus sum modo, de illustrissimo plurimorum Martyrio, monachorum præsertim, & sanctimonialium: qui pro orthodoxa Fide, & instituti sui professione, à paganis occisi; omni merito in classes suas, & ordinem dividuntur. Ut hoc distinctiùs fiat, exploranda sunt Danorum vestigia; ubi anno octingentesimo sexagesimo nono; ubi sequenti, pedem, vel sedem fixerint. Hoc illi non videntur observasse, qui in sequentem annum multa retulerunt, quæ cum rebus hoc anno gestis stare non possunt. Ita peccare videntur Wigorniensis, & Westmonasteriensis; qui annum 869. paucis transeuntes; in annum 870. omnium ferè materiam retulerunt.

II. In Northumbriæ regno.

Sed quoniam illi fatentur, quod est verissimum; Danos relicto Nottingamiensi agro; in Northumbriam, hoc anno perrexisse, ibique *hiemasse, & anno integro mansisse.* Benè inde possumus eorum crudelitatis argumenta accipere: nam otiosos ibi non mansisse nec absque provincialium injuriâ, quæ mox dicentur, satis ostendent. Danus itaque superiore anno, ex arce Nottingamiensi pulsus, Eboracensem Provinciam ingreditur; & anno sequenti, qui est octingentesimus sexagesimus nonus, ibidem mansit, donec navigandi tempus, illum ad prædam aliò invitavit. Hoc ex Ingulfo colligitur, qui accuratè monasterii sui historiam *Ingulf. fol. 802.* prosecutus, sic ait: *Porrò sicut Chronici tradunt, in obsidione prætacta; cum Pagani, munitione fortissimorum murorum, & arcis validissima confidentes, egredi ad bellum detrectarent: & Christiani muros frangere non valerent; pace inter Christianos & Paganos factâ; Pagani relicto castello, cum ingenti prædâ, Northumbriam repetunt. Anno verò proximè sequenti, Paganorum exercitus, apud Eboracum, cùm aliquamdiu moram fecisset; hieme finitâ, in Lindissy navigio transvehitur.* &c. quæ mox exscribam, cum quæ à Danis in Northumbriâ acta sint, exposuero. Interim sciat Lector: licet Ingulfus hunc annum 869. non exprimat: benè tamen, ut è sequentibus colligitur, ipsummet intelligi. Nam cum aliqua de strage in Lindissy narrasset; mox subdit: *tandem anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo septuagesimo, mense Septembri &c.* Unde superiorem annum, hoc est, medium inter obsidionem Nottingamiæ, & annum 870. debuit intelligere. Hæc temporis ratio ideò præmittitur, ut ea, quæ à Danis geruntur, ad hunc annum, non ad sequentem spectare sciantur.

III. Dani in Northumbria sæviunt.

Quid à Danis in Northumbriâ factum sit, breviter Huntindonius ita reddidit. *Paganus exercitus rediens Eboracum, ibi crudeliter uno anno permansit.* quod paulò explicatiùs refert Hovedenus: *Huntind. fol. 349.* *Anno*, inquit, *octingentesimo sexagesimo nono, exercitus prædictus, rursus ad gentem Northumbrorum pro-* *Hoveden. fol. 410.* *fectus est: ibiq; anno integro permansit debacchans, & insaniens, occidens, & perdens plurimos viros, ac mulieres.* Succinctè quidem nimis, pro rerum gestarum magnitudine. Nam totam Northumbriam, hoc anno pervagatus hostis, crudeliter ubique sævuit; Ecclesias & Altaria evertit; & quia Religiosi, & inermes, magis obvii ad injuriam erant; illi potissimùm extrema patiuntur, quæ Annalium Scriptores, distinctè, & κατὰ μέρος exponere debuissent: & quia Fides imprimis petebatur; & fideles ab infidelibus necabantur,

eorumdem necatorum memoria, noménque in Ecclesiasticas tabulas, ad posterorum solatia referri; quod omissum dolemus. Ceterum sanctiora loca, quæ injuriam passa sunt, ista ferè numerantur ab Harpesfeldio. *Eversa sunt*, inquit, *cœnobia Tinemutense, sanctis Virginibus dicatum, Girvicense, & celebre illud Bedæ Vveremuthense, atque Hildæ apud Strenesbalam. Quod, beneficio Alureti Regis, beata Medwenna reparasse traditur, & aliquamdiu in...*

Harpesfel. sæc. 9. c. 14.

MONASTERIA DESTRUUNT.

Ita ille, cum prius Coldinghamense monasterium à Danis vastatum dixisset. Addunt Antiquitates Britannicæ, Lindisfarnense monasterium, cum Lindisfarnensi bibliothecâ, concrematum: *ad sexcentos Monachos, sub Benedicto Nursino institutos*, gravissima passos. Et quis dubitat, bene à Sancto Benedicto institutos esse, qui pro Christo, & orthodoxâ Fide mori didicissent. Addi etiam debuisset Hagustaldensis Ecclesia: quò exercitus Paganorum veniens; habitatoribus extinctis, vel effugatis, habitaculorum tecta succendit, & secreta cœlo exposuit, inquit Malmesberiensis lib. 3. de Pont.

Antiq. Brit. in Ceolnotho.

IV. Inter monasteriorum strages, quæ hoc anno in Northumbriæ regno editæ recensentur; nulla illustrior eâ, quæ Coldingamensi cœnobio contigit. Unde Danorum impietas certissimo argumento colligitur. Dixi suprà* cœnobium illud, ad Coludi urbem positum (ita * Bedæ locum vocat) illustri sacrarum Virginum collegio floruisse. Est autem in Northumbriæ regni extremis, & Merchiæ provinciæ, spectabátque hoc omni tempore, ad Northumbriæ Principes, jam Scotiæ adnumeratur. Unde, qui recentiùs scripserunt, volunt Danos in Scotiam etiam profectos esse: sed intelligi debent; eò profectos; quod tunc Northumbriæ regno accensebatur (nemo enim antiquorum dixit Danos hoc anno ultra progressos) nunc autem ad Scotos pertinet. Quod ideo adverti cupio; ut selectissima lilia, quæ mox Danorum manu cadent; non aliunde, quàm ex Anglicanæ Ecclesiæ horto, in cœlum hoc anno, missa cognoscantur. Sicut enim supra, ad annum sexcentesimum octogesimum tertium, Ebbam, Ethelfridi Northumbrorum Regis filiam, Coldingamensis monasterii Abbatissam, & plurimas ibi Deo sacratas Virgines, Saxonum flores fuisse, sine controversiâ, diximus: sic, eodem jure, Anglorum juris erit, Ebba altera; quæ hoc anno, ut Virginem castam exhiberet Christo, obliteravit Crudeli pietate, pulchritudinem suam.

* v. an. 683. n. 5.
* l. 4. c. 25.

COLDINGAMENSE MONASTERIUM DESTRUITUR.

V. Fuit illa è Regio sanguine, ut Martyrologium nostrum testatur; & præerat Coldingamensi monasterio, cum ibi Dani furerent. Tunc strepente circumque milite; cum sacræ virgines, pudori, quàm vitæ magis timerent; illa masculâ fortitudine docuit non timere. Audi orbis factum, & in omnem ætatem scribe. In unum locum sorores suas convocat; & Deo, mentem, linguam, manúmque movente, ita orat: Adest, charissimæ, & cujusque nostrum jugulum petit, hostis: non vos ad mortem animo, aut vires suggero: valetis enim, & vitam, lucrúmque putatis, sponsum amplecti; cui omnia devovistis. Unus superest in difficili tempestate, scopulus; quem debetis eluctari. Intrabit miles Ecclesiam, turpabit aras, & pretiosa quæque avehet: Defendat Deus sanctitatem loci, nos non sumus pares. Sed non ibi sistet impietas: Nos, ô Virgines, petet; vitam supellectilem, & omne quod avaritiæ lenocinari potest, prædabitur. Sed illud parum; prodigite. Unum, unum, cui maximè insidiatur, cavete. Lascivit hostis, & pudorem nostrum quærit. O animos induite, sexu majores, & illum (ita vos Christus amet) defendite. Scio vires, manumque non sufficere ad repulsam: sed ego, præibo exemplo: vos si præeuntem sequi, si virgines esse, & ita mori vultis, ediscite. Illæ, hoc castissimo classico excitatæ, cum jam prodigere vitam decrevissent: mirabantur scilicet, quòd dubitaret Ebba, an sequi vellent parentem filiæ. Referunt igitur, se hactenus in omnibus matri obsecutas; sed in difficili hoc certamine, & ultimâ luctâ, sig. laturas promptissimè, quod dudum emiserant, obedientiæ votum. Faceret ergo quod luberet, præiret facto; sequuturas enim se, & omnia facturas, modo mori possent Virgines.

EBBA QUALIS?

EXHORTATUR MONIALES.

VI. Dum ita piè conferunt; armorum strepitus acceleravit consilium; & Ebba mater, cultris armans suam militem: non ultra vos verbis, inquit, ad pugnam instruam: acuite mecum cultros in domesticum hostem, & non timebitis externum. Ferite vultum, ne ille feriat militem: tollite quicquid barbaro lenocinari potest; & cohibete flammam ne erumpat: nam illa, si semel arserit; inutilis est culter, & omnis opera. Forma nostra, hostis noster: hanc excutite; hanc ita mecum deformate, si integræ, si virgines esse & mori vultis. Non finierat verba, cum dextrâ cultrum arripit; strictâque, summo adnisu, ne vacillaret, manu, utramque narem amputat: inde superius labium, eâdem constantiâ totum, ad imas dentium radices, detruncat. Dixisses iratam Virginem, in hostem ferocire; ita castitatis amore pugnabat in seipsam. Sequutæ sunt hanc Amazonem, cæteræ Virgines; & omnes fodicarunt faciem, infami, sed ad pudorem, & immortale nomen, valituro vulnere. Etenim cum irruisset hostis, & vellet lascivire: cupiditate in odium versâ, semimortua cadavera, & truncas facies, cum ædibus, flammis dediderunt. Ita castissimæ Virgines, militari hoc, & pio planè stratagemate, duplici auctæ victoriâ, triumpharunt: non solum Virginitatem illibatam, sed etiam oscula ad Deum sincera perferentes. Hæc lilia cœlo misit, in hac hieme temporum Northumbria; quæ spirant adhuc, florebuntque in omnem posteritatem; ut nemo impostetum dubitet; quin omni meritò dicenda sit Anglia, *Dos Mariæ*.

VII. Nec surgat aliquis, dicatque, non licere, tuendæ virtutis causâ, truncare quandoque corpus. Non est ita. Majores enim nostri, hoc factum probaverunt, & Ebbæ, sociarumque Virginum nomina, sacris tabulis inscripserunt: quia pœna corporis, membrorum etiam violatio, vile præ Virginitatis jacturâ, damnum: & gloriosum, appetendumque vulnus est, quo optima hominis portio, mens inquam, servatur incorrupta. Benè igitur hæ sanctæ, vultus elegantiam vulneribus confuderunt, ne illa alios ureret. Dum pergo portò factum laudare, & Ebbam, sociasque Martyres, ab omni criminis suspicione liberare; Baronium invenio id antea præstitisse; qui ad annum 870. quò Martyrium multi referunt, cum Westmonasteriensem nostrum recitasset, supradicta omnia confirmantem; doctè, suo more, factum probat, & Martyres laudat. Ego, qui libenter versor in hoc argumento, Baronium

EBBÆ FACTUM DEFENDITUR.

exscribam Ebbæ Martyrium, è supradicto authore recensentem: nec, opinor, Lector gravabitur audire, Deum per infirma mundi, Danorum fortia confundentem. Igitur δὺς, καὶ ἴρις, τὰ καλά. & loquatur Baronius.

VIII. *Baron. an. 870. n. 39.* *Demum anno huic (870.) coronidem imponamus, coronas ipsas sanctarum Virginum, ex Martyrio forti, constantiq; animo comparatas. de quibus hæc sunt, quæ ex antiquioribus Annalibus in lucem prodidit Matthæus, Westmonasteriensis, qui rem gestam sic enarrat: Anno gratiæ 870. Applicuerunt in Scotiâ* (Merchiam intelligit, ubi Coldingham, & nunc Scotiæ pars est, sed anno 870. Northumbriæ regni portio) *Danorum innumera multitudo, quorum duces fuerunt Hinguar & Hubba, diræ perversitatis homines, & fortitudinis inaudita. Qui totius Angliæ fines in exterminium adducere conantes, pueros & senes, quosque sibi obvios, jugulabant, Matronasque sanctimoniales, seu virgines ludibrio tradendas, mandabant. Cumq; per omnes regnorum fines, tanta tyrannorum immanitas disseminata fuisset: Ebba sancta, Collingamensis cœnobii Abbatissa, necnon, ne & ipsa, cui sollicitudo regiminis & cura pastoralis commissa fuerat, cum sibi subjectis Virginibus, ludibrio traderetur paganorum; ut pudicitiam amitteret Virginalem; convocatis sororibus in capitulum, universis, in hanc vocem prorupit, dicens: Advenerunt nuper, inquit, ad partes nostras, pagani nequissimi, & totius humanitatis ignari; qui loca Regionis hujus singula perlustrantes; nec sexui muliebri, nec parvulorum quidem parcentes ætati: Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, destruunt, fœminas sanctimoniales prostituunt, & obvia sibi quæque conterendo consumunt. Itaque si consiliis meis adquiescere decreveritis; spem certam, de clementia divina concipio, quod & barbarorum rabiem effugere, valebimus; & perpetuæ virginitatis pudicitiam custodire.*

IX. *Cui cum universa Virginum congregatio, certis promissionibus spopondisset, sese maternis velle in omnibus obtemperare præceptis: illa admiranda animositatis Abbatissa, palam cunctis sororibus exemplum castitatis præbens; non solùm Sanctimonialibus illis proficuum, verùm etiam omnibus succedentibus, & successuris Virginibus æternaliter amplectendum: arrepta novaculâ, nasum proprium, cum labro superiori ad dentes usque præcidens, horrendum de se spectaculum astantibus præbuit universis. Quod factum memorabile, cum congregatio tota videns admiraretur; simili de se opere a singulis perpetrato, maternæ sunt vestigia insecutæ. Et his ita gestis, cum mane crastinum illuxisset; pervenerunt tyranni nequissimi ut fœminas sanctas Deo devotas, ludibrio traderent; simul & ipsum monasterium spoliatum, ignibus concremarent. Sed conspicientes Abbatissam illam, & sorores singulas, tam enormiter mutilatas; cum festinatione recesserunt de loco illo, dum longum nimis sibi videretur, vel ibidem etiam per breve tempus demorari. Sed inde recedentes, præceperunt satellitibus suis nefandis; ut injecto igne, monasterium, cum omnibus officiis, & ipsis sanctimonialibus concremarent. Sicq; executione completâ, a ministris iniquitatis, sancta Abbatissa, & omnes cum illa Virgines sanctissimæ, ad martyrii gloriam pervenerunt. Hucusque de his author, qui his subjicit diram stragem monasteriorum aliorum, & Ecclesiarum omnium, ab iisdem crudeliter, diversis in locis, sibi obviis, perpetratam.* Hæc omnia Baronius, qui factum Ebbæ laudans, moxque pro Virginibus ita disputat.

X. *Baron sup. n. 41.* *Erit fortasse audaculus quispiam, qui sanctas Virgines, Christianæ fortitudinis exemplum incomparabile, inter Martyres receptas, & cultu Martyrum ab Ecclesia celebratas, audeat sugillare. quod cum nemo sit Dominus membrorum suorum; ipsæ de illis adeo prodigæ fuerint. Cui modo sat illud: dijudicari ab Ecclesia, quando quid divinis fit impetu spiritus; vel humanâ tantum audaciâ. Quæ non has tantum recensuit inter Martyres; quæ membris suis virginitatis salvandæ causâ, non pepercere: sed alias quæ sive præcipitio, sive aquarum verticibus, sive etiam ignibus, dedere corpus, pudicitiæ servandæ gratiâ: quas uno consensu, tam Occidentalis, quàm Orientalis Ecclesia colit Martyres: & sanctissimi utriusque orbis pariter defendunt, & prædicant. Vox illa apud S. Ambrosium, adhuc clamans auditur sanctæ Pelagiæ Virginis Antiochenæ,* *Ambros. de Virg. l. 3.* *eadem necessitate constrictæ, ut virginitatis dispendium pateretur: Moriamur, scilicet; vel si nolunt licere; moriamur. Deus remedio non offenditur, & facinus fides abluit. Fecit illa quod dixit, & sorores id ipsum facere persuasit. Prætermittimus relegere singulas, in diversis totius orbis Ecclesiis, quæ simili animi fortitudine, simili facto, conciliaverunt sibi coronam martyrii. Sed cum vix paucas spicas, ex diversis colligere liceat: ex fertili tamen agro Martyrum, ipsa nobilis, fecunda Martyribus Ecclesia Anglicana, amplam messem, in tanto examine est nactus sanctarum Virginum: quæ tunc, instar apum, monasterii alveari contentæ, jam cœlo, cum sponso, duplici insignitæ coronâ lætantur.* Hæc Baronius qui Westmonasteriensem secutus hæc narrat a[...], anno 870. Sed Dani eo anno in Northumbriâ non fuerunt, ut supra satis, & infra etiam è dicendis patebit.

Ebbæ sociarúmque Martyrium, in nostro Martyrologio scribitur ad secundum Aprilis. XI. TEMPORIS RATIO.
Nimirum eo tempore, cum Danus è Northumbriâ in Merciorum provinciam descendit: quod sub veris initium hoc anno factum: ut Ingulfus Abbas; qui cæteris articulatiùs barbarorum vestigia sequitur, planè affirmat. & simul inibi gestum. Nam cum obsidionem Nottinghamensem solvisset, hæc habet: *Ingulf. fol. 801.* *Anno vero proximo sequente, Paganorum exercitus, apud Eboracum cum aliquamdiu moram fecisset, hieme finitâ, in Lindissi navigio transvehitur: & apud Humberstan ascendens, universam patriam depopulavit. Quo tempore destructum* MONASTERIUM BARDENEY OBSTRUITUR. *est per illos celeberrimum & antiquum monasterium de Bardeney; monachis omnibus, absque ullâ misericordiâ in Ecclesiâ interfectis. Cumq; ibidem per totam illam æstatem, terram ad cineres rescidissent, ferro, flammáq; devorante, circa festum sancti Michaelis in Kesteven ingressi, omnia conterunt, interficiunt, & incendunt. Tandem anno Incarnationis Dominicæ 870.* &c. quæ sequenti anno exscribam. Hæc enim, tam firmandi temporis causâ, quàm ob rerum gestarum seriem, dicta sunto.

XII. Dolendum sanè, quod nemo enucleatiùs, horum martyrum, qui hac Danorum tempestate plurimi fuerunt, acta digesserit. Nam non solùm Lincolniensis provincia, sed omnis etiam Insula, tot, & tantorum pugilum palma, gloriari meritò potuisset. Fuit quidem Ingulfus satis accuratus, in eâ agri parte describenda; ubi Croylandiæ monasterium situm, & Hoylandiæ, sive Hollandia vocatur. Nam multa narrat, quæ Annales illustrant, de quibus anno sequente. Verùm quod ad alias Lincolniensis agri partes spectat, parcus est; & ut nunc audisti, compendio tantum recitat.

In tres enim partes, provincia illa, hodieque distinguitur: duas supra Ingulfus nominat, Lindissi & Kesteven: de tertiâ & Croylandensi cœnobio, agit inferiùs. Dani igitur æstiva hoc anno habuerunt in Lindissi; & cœnobium de Bardney aggressi, quod olim multorum Regum pietatem exercuit, illud solo æquaverunt, Monachis omnibus crudeliter interfectis; in Kesteven similiter grassati. Quoniam verò Monachorum, & Monialium, à Danis occisorum potissima mentio est, & illi singulariter interfecti notantur: in odium Fidei, ac religionis, interfectos esse, elegans argumentum est: atque ideò omni jure Martyrii lauream consecutos; quod fortè in causâ fuit, cur suprà Baronius Ecclesiam nostram fœcundam Martyribus appellarit: quod sequenti anno manifestius apparebit, cum regiam vi... manu, barbara manu cadentem, Insula Deo, Christóque ejus offeret.

ANNUS CHRISTI 870.

HADRIANI II. PAPÆ 3.

ETHELREDI OCCID. SAX. REG. 5.

BURRHEDI MERC. REG. 19.

EDMUNDI ORIENT. ANGL. REG. 16.

I. DANORUM STRAGES APUD MERCIOS.

ANNUS, qui sequitur, Christi octingentesimus septuagesimus, Danorum impietate infamis, Insulæ funestissimus, multos leto dedit; quorum nomina sunt in libro vitæ. Eorum aliqua authores nostri prodiderunt; quos ego secutus, referam, annalibus perpetuò inscribenda. quia ut superiori sæculo, sanctis Confessoribus atque Virginibus Insula abundavit; quos suo loco, ut potui, recensui: ita hoc nonum sæculum, ex omni ordine, & utroque sexu, Martyres proferet, Romanæ fidei testes eximios. Dicam igitur, ut Danus Merciorum provinciam, quam superiori anno ingressus est, immaniter concusserit: dicam etiam, ut collecto exercitu, Anglorum proceres hostilem vim represserint: Denique ut inermes monachi, vel gladiorum acies fugâ vitaverint; vel in monasteriis, in Ecclesiis, ad altaria trucidati sint. Hæc omnia Ingulfus Abbas, in sui monasterii historiam retulit, digna certè posteriorum memoriâ. Sic ergo loquitur:

II. QUI DANIS SE OPPOSUERINT? Ingul. f. 865.

Tandem anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo; mense Septembri, contraxit universam juventutem Houlandiæ, strenuissimus Comes Algarus; duóque milites Seneschalli, Wilbertus & Leofricus (de quorum nominibus, adhuc villis, in quibus manserant, nomina retinentibus, senes & rustici remanentes, vocabula dederant, Wiberton, id est villam Wiberti, & Lefrington, id est villam Leofrici appellantes) unà cum coborte Croylandiæ monasterii, videlicet ducentis bellatoribus robustissimis: eò quòd maxima pars illorum, de fugitivis fuerant (quibus præfuit frater Tolius, monachus conversus ejusdem monasterii; miles ante suam conversionem, per totam terram Merciam, in bellicis artibus nominatissimus; sed tunc amore cælestis patriæ, relicto sæculo, spirituali militiæ, apud Croylandiam mancipatus) contrahentes etiam secum, ad Deping, Langtof, & Baston, circa trecentos viros fortes, & aptos ad bellum. Insuper Morcardum, Dominum de Brunne, cum familiâ suâ, quæ fortissima fuit, & numerosa: occurrentésque Vice-Domino Lincolniensi, nomine Osgoto, veterano, & validissimo bellatori, cum cuneo Lincolniensi, numero 500. omnes collecti in Kesteven, in festo S. Mauritii Martyris, bellum cum Paganis commiserunt: & largiente Domino victoriam, occisis tribus Regibus, cum ingenti multitudine; Christiani cadentes barbaros, usque ad portas tentoriorum suorum persequebantur. Ubi cùm resisterent acerrimè, nox bellum diremit, & invictissimus Comes exercitum revocavit.

DANI FUNDUNTUR.

III.

Illustris hæc victoria fuit, in Kestevenna; ubi tres Danorum Reges occisi, loco nomen dederunt Trekingham, ut mox Ingulfus affirmabit. Sed brevis fuit, aut nullus omninò triumphus: nam unus tantùm Danorum exercitus cæsus est: & plures statim adfuerunt; qui suorum Regum sanguinem ulti, ingentem Christianorum stragem ediderunt. Nam sequitur in prædicto Authore. *Venerunt in ipsâ nocte* (nimirùm ad vigesimum secundum Septembris) *in castra Paganorum omnes cæteri Reges, de patriâ. qui dividentes inter se Provinciam, ad deprædandum processerant; scilicet Godrnum, Basceg, Osketil, Halfden, & Hamond: & totidem Comites, * Frena, Unguar; Ulba, & uterque Sidrok, senior, & minor, cum suis exercitibus, & præda magna nimis, mulierumque, ac parvulorum multitudine numerosâ. Quorum adventu cognito, Christianorum pars maxima, timore perterrita, noctanter diffugit; & remanserunt cum prædicto comite, ac ducibus suis, de octo centum virorum, vix ducenti. cum quibus summo diluculo, auditis divinis officiis; & sumpto sacro viatico; omnes ad moriendum pro Christi fide, patriæque suæ defensione, in campos contra barbaros processerunt. Et videns validissimus Comes suum exercitum, nimis imminutum; statuit iterum fratrem Tolium, cum suis quingentis viris, eò quod fortissimi fuerant, in dextro cornu, assignans ei alam etiam fortissimam, illustrem militem Morcardum de Brunne, cum omnibus, qui ejus vexillum sequebantur. Inclytum verò vicedominum Osgotum, cum suis quingentis, in cornu sinistro posuit, donans ei alam strenuam; scilicet militem Hardingum, de Rehale, cum omnibus Stamfordiensibus; eo quod omnes juvenes erant, & nimium bellicosi. Ipséque, cum suis Seneschallis, in acie media versabatur; utrique cornu, cum necesse cerneret, affuturus.*

Ingulf. f. 865.

* Frena,

ORTHODOXI MILITES.

Dani verò, pro cæde suorum, magis efferati; summo mane sepelientes tres Reges suos, in villa, quæ antea Laundon vocabatur; nunc verò, pro trium Regum Danorum sepultura, Trekingham nuncupatur; similiter quatuor Reges, & octo Comites. Nam duo Reges & quatuor Comites, castra & captivos suos conservabant. Porro Christiani, pro paucitate suâ, in unum cuneum conglobati; contra sagittariorum impetum, durissimam testitudinem clypeorum; & contra violentiam equitum, densissimam aciem lancearum; omnes optime instructi a ducibus suis, totâ die, statione immobili, prætendebant. Cumque sic juncti, usque ad vesperam perdurassent; & adversariorum sagittarii tela sua, in vacuum perdidissent; equitésque jam longo labore lassati deficere inciperent; barbari ex condicto fugam fingentes, campum relinquere cœperunt. Quod videntes Christiani, ducibus suis invitis, & multum dissuadentibus; aciem suam dissolvunt, & persequendo paganos, dispersi per planitiem, absque ordine, ducúmque custodia, dividuntur. Revertentes autem barbari,

IV. TREXINGHAM REGUM DANORUM SEPULTURA.

tanquam leones in paucas oviculas debacchantur. Strenuissimus Comes Algarus, praclarissimiq́; milites pradicti, & frater Tolim, in quodam campi tumulo, caterâ planitie aliquantulum altiore, in orbem conferti, barbaros arietantes diutissimè sustinuerunt. Cumq́; prafatus Comes illustrissimus, & in perpetuum memorandus Algarus, prataćtiq́; sex Duces robustissimi, omnes fortissimos sui exercitus cecidisse cernerent, in confertissimum tumulum corporum Christianorum simul irrumpentes, ibiq́; pro viribus, quicumque accessisset, suum sanguinem vindicantes; tandem innumeris confossi vulneribus, super fratrum suorum cadavera corruerunt. Pauci juvenes de Sutton & Gedeney; projectis armis, in vicinam silvam vix evadentes; proxima nocte sequente, monasterium Croyland ingressi, stragem Christianorum, & fratris Toli, totius cohortis sua internecionem; dum Abbas Theodorus, & conventus suus, matutinas vigilias persolverent; lugubri, ac lacrymabili ejulatu clamantes, ad ostium Ecclesia nuntiabant.

Algarus Comes occiditur.

Et præter Tolius.

V. Croylandenses Monachi fugiunt.

Cunctis itaq́; de nuntio confusis; Abbas retentis secum senioribus Monachis, & paucis infantibus, (forsitan eorum imbecillitas, ad pietatem barbaros inclinaret) non recolens illud poeticum.

Nulla fides pietasq́; viris, qui castra sequuntur.

Cum Sanctorum reliquiis.

omnes fortiores, & adolescentiores, assumptis secum sacris reliquiis monasterii; scilicet sacratissimâ glebâ corporis S. Guthlaci, flagello, psalterioq́; suo, aliisq́; pracipuis jocalibus, ac monumentis: scilicet chartis fundationis Ethelbaldi Regis, ac aliorum Regum confirmationibus, Regisq́; Withlafii quibusdam donariis; pracepit in proximas paludes fugere, & ibidem belli exitum expectare. Qui cum multâ cordium suorum mœstitiâ, jussis obtemperantes; oneratâ naviculâ cum pradictis reliquiis, & Regum monumentis, tabulam magni altaris, laminis aureis contectam, quam Rex Withlafius aliquando dederat; decemq́; calices, cum lavatoriis pelvibus, ollis, patellis, & aliis vasis aneis, in fontem claustri projecerunt. Qua cùm demergerentur, semper finis tabula pro suâ longitudine, super undam apparebat. Unde illam extractam (cernentes ignes de villis in Kesteven paulatim appropinquare, & paganos citiùs adesse pertimiscentes) cum Abbate, senibúsque pradictis, dimiserunt: naviunq́; suam sumentes, ad silvam de Ancarig, contiguam Insula sua, versus austrum pervenerunt, & cum fratre Toreto, anachorita tunc ibidem, ac aliis fratribus commanentibus, quatriduo commorati sunt, numero triginta: de quibus decem Sacerdotes, cateri inferiorum graduum extiterant. Abbas autem Theodorus assumptis secum duobus senibus, pratactam tabulam extra Ecclesiam, in parte boreali, ubi absconderit; usque in prasens non potuit deprehendi.

Tabula altaris aurea.

VI. Abbas et monachi Croylandiæ trucidantur.

Postea vero induentes se sacris vestimentis; tam Abbas quàm cateri omnes, & in choro coadunati; regulares horas Officii divini, posteáque Davidicum psalterium, ex integro persolvunt: Deinde magnam Missam ipse Dominus Abbas celebrabat, ministrabántque frater Elfgetus diaconus, frater Savinus subdiaconus, & fratres Egelredus, & Wulricus pueri ceroferarii. Cumq́; completâ Missâ Abbas, & ministri sui pradicti, sacris mysteriis communicassent; irrumpentibus in Ecclesiam paganis, Venerabilis Abbas, super sanctum Altare, per manum crudelissimi Regis Osketuli, verus Martyr, & Christi hostia immolatur: ministri circumstantes omnes, per barbaros, capitibus detruncati: senes & infantes incipientes, de choro fugere, capti & durissimis tormentis, ut Ecclesia sua thesauros ostenderent, examinari, & examinati sunt. Dominus Askegus Prior, in vestiaria; Dominus Lethwinus Supprior, in refectario: quem frater Turgarus, infans decem annorum, facie corporisq́; forma venustissimus, gressu individuo in refectorium consecutus; cum seniorem suum cerneret occidi, commoti, & simul interfici cum eo instantissimè supplicabat. At junior Comes Sidrok, misericordiâ motus super puerum, exuebat eum de cuculla sua: & dato Danico collobio, jussit eum ubiq́; sua vestigia imitari. Sicq́; de omnibus senioribus & junioribus remanentibus in monasterio, solus servatus est; intrans & exiens inter Danos, toto tempore mora sua, tanquam unus ex illis, per pradicti Comitis gratiam & petitionem.

Turgarus puer, solus servatur.

VII. Sepulchra effodiuntur.

Occisis itaque omnibus monachis, à quastionariis; & thesauris monasterii minime adhuc inventis: Dani omnia sarcophaga Sanctorum, qui altis tumulis marmoreis, circa Tumbam sancti Patris Guthlaci, ad dextram, & ad sinistram ejus quiescebant; cultris & ligonibus confregerunt. Scilicet ad dextram tumulum sancti Cissa Sacerdotis, & Anachorita: & tumulum sancti Bertelmi, viri Dei, & quondam ministri sancti Guthlaci: tumulum etiam S. Tatwini, quondam ducis ad Croyland, & naucleri S. Guthlaci: tumulum etiam sanctissima Virginis Ethildritha; nec non & tumulos Ceolfreda quondam Regina, & Wimundi filii Regis Withlafii, barbari confringentes; cum speratos thesauros non invenirent; nimium indignati, universa Sanctorum corpora, in unum acervum mirabiliter contracta, immisso igne, die tertio adventus sui; cum Ecclesia, & omnibus monasterii adificiis, scilicet septimo Kalendarum Septembris funestissimè combusserunt.

S. Cissa. S. Bertelinus. S. Tatwinus. S. Etheldritha.

Hic lapsus videtur amanuensis, Septembrem mensem pro Octobri substituens: quod è supradictâ narratione, manifestè colligitur. Nam in festo Sanctorum Mauritii & sociorum; hoc est, vigesimo secundo Septembris, Christiani Danorum exercitum fuderunt, tribus eorum Regibus occisis. Eadem nocte, nova Danorum manus accessit, quæ die sequenti, cùm Christianorum copias profligasset, Croylandiam perrexit, non procul inde positam: & tunc, si tertio adventus die, Ecclesiam, & omnia monasterii ædificia combusserunt: factum id fuit, vel vigesimo quinto Septembris, hoc est, septimo Calendas Octobris; vel si triduum ampliaveris, biduo post, nimirum vigesimo septimo Septembris. Quod ideò notandum, ut Sanctorum Martyrum dies in Ecclesiasticis tabulis opportunè ponatur. Nunc quid quarto adventus die, Dani patraverint; narret Ingulfus, accuratus, ut vides, Danicæ tempestatis, quæ Hoylandiam concussit, Scriptor. Pergit ergò Danorum progressum explicare.

VIII. Ingulfi textus excutitur.

Quarto tandem die, inquit, *cum animalium ac jumentorum innumeris gregibus, versus Medeshamstede transmigrabant. ubi primam collectam infra monasterium, portásque obseratas offendentes; sagittariis ac machinis undique muros aggrediuntur. Secundo assultu irrumpentibus paganis; Tulba frater Hulba Comitis, jactu lapidis graviter læsus corruit, in ipso introitu, & manibus satellitum suorum portatus in tentorium Hulba fratris sui, etiam de vitâ desperatus est. Unde Hulba supra modum irâ æstuans, & maximè in monachos efferatus, omnes sancta religionis* Stemmate vestitos, manu suâ interfecit: cateri in cateros grassabantur. Nemo in toto monasterio salvatus est. Tam venerabilis Pater Dominus Hedda Abbas, quàm*

IX. Medeshamstedense monasterium invaditur. Ingulf fol. 000.

* forte Schemate.

monachi

MONACHI OMNES OCCIDUNTUR, CUM ABBATE HEDDA.
* Kimeswita & Tibba. v. an. 696. n. 29.

*monachi sui universi, cum omnibus comprimotie occiduntur. Monitus est tunc frater Turgarus, per Sidrok dominum suum, ne in aliquo loco unquam Hulba Comiti obviaret. Altaria omnia suffossa, monumenta universa confracta, Sanctorum librorum ingens bibliotheca combusta; chartarum monasterii immensa copia discerpta: Sanctarum Virginum Kineburga, * Kinesuita, ac Tilba pretiosa pignora, pedibus conculcata, muri funditus eversi; ipsa Ecclesia cum omnibus officinis concrementa, per totam quindenam sequentem, jugi incendio conflagrabat.*

X. DANORUM INFORTUNIUM IN NENE FLUVIO.

Porrò quarto die; cum prædis innumeris, de totá patriá congestis; exercitus congregatus versus Huntindoniam procedebat. Cumq; duo Comites Sidrok, in transitu fluviorum, ad tutandam caudam totius exercitus, semper ultimi proficiscerentur; totúsque exercitus eorum fluvium de Nene salvus pertransisset; ipsi tandem transeuntes, in gurgite fluvii, ad levam pontis lapidei profundissimo, duos currus immensis opibus, & varia suppellectile onustos, cum omnibus jumentis demersis; & antequam extrahi poterant, enecatis, subito infortunio perdiderunt. occupatáque tota familia Iunioris Sidrok, ad extrahendum dictos currus; ut in alia plaustra, & vehicula prædas contentas omnes solicite transmutarent; frater Turgarus, per fugam elapsus, in proximam silvam; pérque totam noctem

TURGARUS REDIT CROYLANDIAM.

ambulans, summo diluculo Croylandiam ingressus est. Invenit ergo fratres suos commonachos, de Ancarig pridiè rediisse; & ad extinguendum ignes, adhuc in multis monasterii ruinis dominantes, fortissimè insudare. Quem cum sanum & incolumem cernerent, aliqualiter consolati: sed audientes ab eodem, quibus in locis; tam Abbas eorum, quàm cæteri seniores, & confratres sui occisi jacebant. & quomodo omnia Sanctorum sepulchra confracta, & monumenta omnia, sacráque volumina sua, cum corporibus Sanctorum combusta; inæstimabili dolore omnes consternati sunt, planctusq; & ploratus diutissimè factus est.

XI. THEODORI ABBATIS CORPUS INVENITUR.

Tandem satiati lacrymis, ad exemguendum incendia revertuntur. Egerentes autem ruinam tecti Ecclesiæ, circa magnum Altare; corpus venerabilis Patris, Abbatis sui Theodori, capite truncatum, omnibusq; nudatum vestibus, & semiustulatum, casu etiam lignorum contritum, & ad terram compressum, octavo die ab occisione sua, inter torres extinctos, paululum semotius à loco quo extinctus erat; cum cæteris ministris, qui simul occubuerant, similiter conquassatis ad terram, pondere tuderum, corporibus eorum, præter Wulricum cerosferarium, repererunt, sed hæc variis temporibus: Nam quorundam fratrum corpora, post dimidium annum à die, quo Martyrizati fuerant; ac etiam aliis locis, quam occisi fuit, erant inventa.

PAULINUS ET HERBERTUS MARTYRES.

Dominus enim Paulinus, & Dominus Herbertus, seniores valde, ac longá ætate decrepiti, in ipso choro, manibus mutilati, & ad morem torti; cum diligentissimè ibidem fuissent quæsiti; tandem in capitulo reperti sunt. & Dominus Grimketulus, & Dom. Agamundus;

GRIMKETULUS ET AGAMUNDUS MARTYRES.

qui ambo centum ætatis annos exegerant; gladiis in claustro transfossi, in loquutorio sunt inventi. Sed & cæteri, tam infantes, quàm senes; licet in diversis & diutissimè quærerentur; tum fratre Turgaro, de cæde uniuscujusque plenius edocente: tandem omnes usque ad unum Wulricum, cum luctu lugubri, & lacrymis innumeris, sunt reperti. Dom. autem Brickstanus, quondam cantor monasterii, musicus peritissimus, & poëta facundissimus, inter superstites præcipuus; scripsit in cineres monasterii sui Croylandiæ, tunc illas threnas, quæ in multis locis habentur, & incipiunt:

Quomodo sola sedes, dudum Regina domorum
Nobilis Ecclesiæ & nuper amica Dei.

XII.

Erudcrato igitur monasterio toto, cum longo maximóque labore, & de cineribus, & aliis immundissimis sordibus, juxta possibilitatem temporis expurgato; de Pastore inter eos eligendo, invicem colloquuntur.

GODRICUS ABBAS.

Celebratâque electione, Venerabilis Pater Godricus, omnium consensu; licet invitus, & multum renitens; Abbas eandem est effectus. Ad quem veniens venerabilis senex, Prior de Ancarig Tosetus, & ejus Supprior Dom. Tisa; ambo anachoritæ sanctissimi, devotissimiq; supplicabant; quatenus assumptis secum quibusdam fratribus, dignaretur Medeshamsted adire; & Abbatis sui, ac aliorum confratrum suorum corpora, feris avibusq; adhuc obnoxia, & insepulta; Christiana sepulturæ, Charitatis intuitu commendare. Obtemperans itaque precibus eorum Venerabilis Abbas Godricus: cum multis fratribus Ancarig, Medeshamsted adiit;

OCCISI MONACHI 84. SEPELIUNTUR.

& multo sudore omnia monachorum dicti monasterii corpora comportata, numero octoginta quatuor; in medio cœmiterio dicti monasterii; contra frontem Ecclesiæ quondam Orientalem; scilicet in uno latissimo tumulo, ad hoc aptato, in festo sanctæ Ceciliæ Virginis, sepelivit. Ponens supra corpus Abbatis, in medio filiorum suorum quiescentis, petram pyramidalem, tres pedes in altitudine, & tres in longitudine, & unum in latitudine continentem; insculptasque imagines Abbatis & monachorum suorum circumstantium, gestantem. Quam in memoriam monasterii destructi, Medeshamsted; deinceps vocari mandavit: & omni anno, quamdiu vixit; semel visitans, supráque petram, suum tentorium figens, pro animabus ibidem sepultorum, Missas per biduum, devotione continuá, celebravit. Iacebat enim Regia via per medium cœmiterii, habens dictam petram ascendentibus de prædicto ponte lapideo, versus Hoylandiam, ad dextram; & Crucem Lapideam, similiter imagine Salvatoris insculptam; quam prædictus Abbas Godricus, tunc ibidem posuit, ad sinistram. Ut transeuntes viatores, memores monasterii sanctissimi, pro animabus fidelium, in ipso cœmiterio quiescentium; preces Domino solverent: & à maleficiis, ac latrociniis, in dicti monasterii pasitrinis, nullo modo patrandis, saltem pro Christi reverentiá continerent.

XIII. CUR PRO DEFUNCTIS ORATUM?

Hæc omnia Ingulfus, quæ pulchrè Danorum impietatem, cum Christianorum pietate, & orthodoxam Fidem cum perfidiâ componunt. Solum movere fortè scrupulum possunt, quæ de novo Abbate Godrico scribuntur; quod nimirùm pro animabus Monachorum à Danis occisorum, & à se sepultorum, quotannis obtulisse videatur Missæ sacrificium. Cùm illi tamen ab infidelibus necati, Martyrum potiùs loco habendi; ad quos orare, religio: pro quibus orare, nefas est. Nec enim de vero, certo ac indubitato eorum Martyrio, quæstio esse potest: cum Danorum feritas, & odium in Fidem orthodoxam, abundè se ubique explicuerit. Et nihil magis Martyrii coronam illustrat, quàm odium illud, quod in Ecclesiarum, inonasteriorum, Sanctorum corporum, altarium, rerúmque sacrarum eversione cernitur. & hæc omnia, in dicta Danorum invasione, Monachorúmque Martyrio, intervenisse manifestum est. Unde Ingulfus, cum suos Croylandenses Monachos sepelit, *Martyrizatos* vocat suprà. Cur ergò Godricus, pro eorum animabus, sacrificium per biduum quotannis obtulit? cum clarè dicat Sanctus Augustinus, sermone 17.

de ver-

de verbis Apostoli. *Injuria est orare pro Martyre, cujus nos debemus potiùs orationibus commendare.*

XIV. NON PRO MARTYRIBUS SED ALIIS, ORATUM.

Respondeo, ex Ingulfi narratione, evinci non potest; quod pro monachorum animabus, hoc tempore occisorum, oblatum sit à Godrico Missæ sacrificium. Solùm enim videtur religiosissimus Abbas, horum Martyrum memorias honorasse, cum in medio cœmiterii tentorium figens, supra petram pyramidalem; hoc est, super Martyrum corpora, Missam celebraverit, pro animabus ibidem, nimirum in cœmiterio quiescentium, qui plurimi erant, dudum ibi conditi: Et hanc esse Ingulfi mentem, patet è sequentibus, ubi dicit: *Ut transeuntes viatores, memores monasterii, pro animabus Fidelium in cœmiterio quiescentium, preces Deo persolverent.* Cum ergo author, nec occisos à Danis, nec monachos, pro quibus oblatum sit sacrificium; sed tantùm Fideles nominet: puta Godricum, qui nunquam legitur, pro suis Croylandensibus, hac persecutione interemptis, orasse: cum Medeshamsted quotannis venit; se Martyrum ibi sepultorum memoriæ commendasse; & simul pro Fidelibus, in cœmiterio quiescentibus, deprecatum. Hoc ejus consilium fuisse, patet ex eo, quòd Sanctorum corpora, juxta aliorum fidelium corpora posuerit: nimirum, ut fidelium animæ, Sanctorum patrociniis, qui propè erant, juvarentur. Unde sanctus Augustinus, sui sæculi morem explicans, dicit; non aliam ob causam, Christianos propè Sanctorum sepulchra sepeliri; quàm ut Sanctorum orationibus, suffragiisque juvarentur. *Non video* (inquit in libro de cura pro mortuis) *quod sit adjumentum mortuorum, provisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum, locus; nisi ad hoc, ut dum recolunt, ubi sint reposita, eorum quos diligunt corpora; eisdem Sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos, orando commendent.* Godricus ergò, pro interfectis Monachis non oravit; sed alios, in eodem cœmiterio defunctos, Sanctorum Martyrum orationibus commendavit.

August. de cura pro Mortuis c. 4.

XV. MONACHI CROYLANDENSES VERE MARTYRES.

Nec temerè vocavi Sanctos Martyres, quos hoc anno Croylandia, & Medeshamsted (nunc Petriburgum) sanctissima monasteria, ad cœlum miserunt: quia sicut anno superiori, Ebbam Virginem inter Martyres recensent tabulæ Ecclesiasticæ: & omnis Ecclesia celebrat Sanctum Edmundum, Anglorum Orientalium Regem, Martyrii palmâ donatum; qui hoc anno, ut mox dicam, in eâdem Danorum persecutione, passus est. Eodem plane argumento convincitur, eo titulo, hoc est, eadem Martyrii laureâ insignitos esse, quos Danorum gladius, è dictis monasteriis, & vitâ sustulit. Benè igitur in nostro Martyrologio, Bardeneensis, Croylandensis, & Petriburgi cœnobiorum, martyres memorantur: sed non benè eorum memoria, in unum eundémque diem, hoc est, ad vigesimum secundum Martii compingitur: nam rei veritas, eorum dignitas, & persecutorum impietas, narrari distinctiùs merentur. Nec dies 22. Martii, cum eorum Martyrio stare potest: Nam Danos in Northumbriâ, sub initium hujus anni mansisse, nec inde solvisse, nisi hieme finitâ; Ingulfus supra testatur. Unde seriùs in Mercios descenderunt. Et quia sub Septembris mensis medium, armati sunt in ultionem cives; opinor, Bardenenses monachos, sub medium ejus, nec ante, occisos. Cæterùm cum nulli ex eo monasterio monachi nominentur, nec Martyrii diem, aliâ circumstantiâ colligere possimus: meliùs eorundem memoria in Septembri legeretur: quo reverà constat Theodorum, Croylandensis cœnobii Abbatem, Askerum Priorem, Lethwinum Suppriorem, Elsgetum Diaconum, Savinum Subdiaconum, Egelredum, & Wulricum clericos; in Ecclesia, vel prope, à Danis crudeliter trucidatos esse. Quos ad Martyrii palmam, eodem mense secuti sunt, Hedda Medeshamstedensis monasterii Abbas, & quotquot in eo monasterio, sanctæ religionis schemate vestiti sunt, numero octoginta quatuor.

XVI. PRO ORTHODOXA FIDE MORTUI SUNT.

Cum satis constet è supradictis, hos monachos, pro Fide Christi passos, jure Martyres appellari; restaret dicendum, pro quâ demum Fide (nam hodie Christi Fides varie sumitur) mortui sint. Sed facilis est quæstionis solutio. Enimverò cum vel sacrificium offerentes, vel sacrificio ministrantes, vel eidem assistentes hos monachos, supra viderimus, cum Sanctorum corpora curantes, ac eorum reliquias, impiorum manibus subtrahentes, legerimus, & sanctæ religionis schemate vestitos, in monasticâ vitâ sanctissimè mortuos; certum est, pro ea fide mortuos, quam Trajani, Diocletiani, & illa primorum sæculorum vitia, persecuti sunt, cum hæterias Synaxes, & Dominicum vetantes, in Christianorum jugula sævierunt, de quibus tomo primo *. cum Sanctorum Martyrum corpora, nè à Christianis colerentur, * submoverunt: cum sacrarum Virginum & Monachorum asceteria destruxerunt; ut sub quarti sæculi initium factum dixi *. Certum etiam est, pro eâ fide mortuos, quam Albanus noster, suo sanguine professus est, cum sacerdotem domo excipiens, & Crucis mysteria doctus, cecidit impiorum manibus victima *. Albani Fidem, Britanni omnes post Albanum probaverunt; cum templa, pro Christianorum sacrificio, & condendis Sanctorum corporibus, posuerunt: cum eadem corpora, nè in manus infidelium inciderent, religiosè servaverunt; quod à Theono * Londinensi, & Thadioco Eboracensi, Archiepiscopis factum, omnis clamat Antiquitas. Hanc fidem postea Gregorius magnus, & minor Augustinus, Saxones docuit; & excepit demùm hoc nono sæculo omnis Anglia. Unde concluditur; quotquot hoc anno, in fidei confessione, à barbaris interempti sunt; antiquam, avitam, Britannicam, Saxonicam Fidem, sine ullo dubio professos esse. Et eâdem consequentiâ deducitur, eos, qui hodie Ecclesias dehonestant, monasteria everrunt, in monachos desæviunt, Sanctorum cineres & sepulchra lacerant; à Danis, hoc est, infidelibus & barbaris; non à Christianis, non à Britannis, aut fideli Saxone, stare.

* v. an. 104. num. 1 &c. & an. 303. 6.
* an. 302.
* v. an. 301. n. 2.
* v. an. 386. & 387.
* v. an. 586. n. 2. &c.

XVIII. COMPONITUR DANORUM ET CALVINISTARUM GENIUS.

Quod si, infidelem hunc Danorum genium penitiùs inspicere volumus; & ex eorum factis, metiri odium in Fidem orthodoxam; illudque cum Calvinistarum genio componere: perspicimus sanè evidenter, multa rabie, perverso impetu, & inhumano prorsus more, Danos in teneras Virgines, & inermes viros pugnavisse: sed fortè prædæ magis cupiditate, aut ardore vindictæ, & regnandi ambitione; quàm odio in fidem, peccasse. Nunc verò ea tempora spectamus; cum odium in Romanam fidem, multò magis quàm Danorum sæculo, eminet; cum omnis cupiditas,

ambitióque & omnes perversæ mentis impetus, hoc odio teguntur adeo; ut civile bellum, quod triennio jam duravit, multa hominum strage, multa agrorum & provinciarum vastitate infame, non alio pallio magis honestetur; quàm zelo ardoréque Romanam Fidem, & omnes ejus fibras evellendi. Dani quidem Christi fidem aversabantur; solùm cultores ejus, monachos inprimis, persecuti. Sed hodie Calvinistæ altiùs insurgunt, & non solùm in Romano-Catholicos (quos Papistas vocitant) sed in eos etiam omnes pugnant; qui, licet à Romana Fide aversissimi, commune aliquid, vel in externo religionis cortice, retinent. In eos, inquam, pugnant, non alio telo fortiùs, quàm Papistas vocando; eósque eo nomine, apud plebem, traducendo; quos constat tam à Papistarum ritibus alienos esse, quàm constat adversariam factionem, à majorum fide degenerem. In dicti fidem, exemplum accipe: Creaverunt aliquando Protestantes, sacrorum suorum præsides, quos Episcopos vocaverunt; viros à Romanâ sede, & Fide, aversissimos; qui dicto, facto, scripto, tam in monachos & monasteria, quàm in Sacerdotes, & omnem Rom. Ecclesiæ clerum, Danorum ferè more, per satellites suos sævierunt. Hi tamen ipsi, hoc calamitoso tempore, sede, gradu, bonisque exuuntur, quia scilicet ad papismum, solo nomine, accedunt. Vis aliud. Rex, (nec enim Majestati parcitur) Rex, inquam, & primi Duces ac Imperatores exercitus; quantumvis protestantes; non alio nomine fœdiùs lacerantur, nec alia ratione fortiùs in odium populi traducuntur; quàm Papistarum appellatione. Unde si externum factionis corticem tantummodo contemplamur; vix aliud in ea cernere est, quàm odium Romanæ Fidei: medullam non ingredior, nam exitus illam aperiet. Quicquid sit: Dani non ita leguntur insanisse. Nunc ad Martyres redeo; qui *majorum instituta tueri, sacra cærimoniasq; retinendas*, sapientiam esse dixerunt: docti à Lactantio: *nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamq; summâ vi oportere defendi.*

Cic. II. de Divinat.

Lactant. Inst. l. 5. c. 20.

XVIII. ELIENSE MONASTERIUM DESTRUITUR, MONIALIBUS INTEREMPTIS. *Ingulf. f. 868*

WULKETULUS COMES OCCIDITUR ET EDMUNDUS REX.

Interim pagani (prosequitur Ingulfus aliorum monasteriorum eversionem narrare) *depraedantes provincias, usque ad Grantebrigiam; sanctimonialium celeberrimum in Insula Heliensi situatum (monasterium) omnibus inventis in eo Virginibus, & viris crudeliter interemptis: catallis ac immensis divitiis (de totâ patriâ pro loci securitate allatis) per barbaros direptis, ignibus ultimò tradiderunt. & transeuntes in Est-angliam; strenuissimum Comitem Wulketulum, occurrentem contra, cum exercitu, & fortissimè resistentem, tandem cum suis omnibus occiderunt. Regem etiam ejusdem provinciæ, sanctissimum Edmundum; captum per eosdem, & ad quendam stipitem alligatum; tanquam signum ad sagittam, barbari crudelissimi telis suis aggressi sunt; horrendaque crudelitate perfodientes* PRO FIDE CHRISTI, *& patriæ suæ defensione, decollantes, martyrizaverunt. Sic tota Est-anglia ab eis obtenta, & occupata, ibidem per totam biennem residebant.* Hæc author: sed nimis, pro rerum dignitate, breviter. Nam scribere debuisset earum Virginum nomina, quæ in Eliensi cœnobio, ad Virginitatis lauream, Martyrii palmam adjunxerunt; & diem signare, quo mortuæ sint, ut ad posteritatis memoriam promissæ, dignè colerentur. De Edmundo etiam, sanctissimo Rege, prætermissa plurima; quæ Ingulfus, soli Croylandensi historiæ intentus, iis reliquit, qui vel Est-angliam illustrare, vel Anglorum Annales, vellent. Immò, priusquam Dani, in Est-angliam, pergerent; eremitarum domicilia; quæ in Thorneia insulâ plura erant; demoliti; Tancredum, virum sanctum occidisse videntur: quem Edgarus Rex, infra, *præcipuæ sanctitatis virum, & martyrii palmâ donatum*, vocat. plures tunc ex eo loco fugati sunt eremitæ: ut Torhredus, Tancredi frater; & alii à quorum incolatu, dictus est Ancarige; ut alibi dicam*, cum Edgarus locum illustrabit.

*vide an. 974 n. 8. 9.

XIX.

Hanc tamen ex Ingulfi narratione lucem habemus; quòd paullò, quàm alii, accuratiùs, Danorum vestigia secutus, tempora, stragésque distinxerit. Nam cum inde colligimus hoc etiam anno, & Eliense monasterium destructum esse, & Edmundi Regis Martyrium contigisse: nimirum post monachorum & monialium cædem, ad vigesimum Novembris; ut Capgravius, & Martyrologium nostrum affirmant. Cæterum quod ad Eliense monasterium spectat, fuit illud nobile multarum & Regiarum Virginum, domicilium; ex quo S. Ediltrudes Insulam illam, in dotem sibi datam, Christo consecravit. Nam ibi, post Ediltrudem primam Abbatissam, * Sexburga, [illegible] Ermenildos, [c] Wereburga sanctissimæ fœminæ, sacris Virginibus præfectæ fuerunt. ut suprà suis locis exposui. Fuit hic locus magnum sanctitatis asylum, ad hunc usque annum, quo sacræ Virgines, quia violari noluerunt, nec Danorum cupiditati ancillari: in Christi confessione, mortem constantissimè pertulerunt. Quædam Danorum rabiem declinasse videntur, quo pudori esset consultius. Nam Malmesberiensis ita scribit de hac tempestate: *Tunc & sedes Episcopalis apud Seham, & Monasterium Heliense, sanctimonialibus fugatis incensa, & solo complanata.* Exinde sacer locus, ut & alia passim per Insulam loca, Danorum primò, inde laicorum ambitioni servierunt: donec serenior aura, cælum magis propitium reddidit: tunc enimvero, clero primùm; inde crescente Regum pietate, pristino regularium juri mancipantur; ut infra pluribus. Interim dicamus aliqua de Edmundo sancto, ab Ingulfo prætermissa.

v. an. [illegible] 7 7

[illegible] 699 22. & 679 n. 1 b an. 699 2. c an. 673 9.

Malmesb. Pont. lib. 2. fol. 239.

XX. CAUSA MARTYRII SANCTI EDMUNDI.

Sunt, qui Danis odii causas quærunt, cur adeò in Regem Orientalium Anglorum, & tam barbarè sævierint: & nescio quem Lothebrocum fingunt Inguaris & Hubbæ parentem; quem, in Icenorum regione, ab Edmundi civibus occisum: scilicet, duo filii vindicare voluerunt. Sed multa continet narratio illa, nec rebus convenientia, nec personis. Ego porrò barbaros Danorum mores, & prædandi cupiditatem, traxisse hanc pestem puto: nec aliud subfuisse. Ut Dani hoc anno in Est-angliam venerunt, primum impetum in Seham oppidum fecisse videntur. Fuerat ibi aliquando Orientalium Anglorum Antistitum sedes; ex quo Felix Episcopus, qui primo provinciam in fide instruxit; eò, è Domucensi urbe, translatus est: ædificatâ ibi Ecclesiâ, quæ Sancti corpus, & sequentium Episcoporum sedem contineret. Verùm, hoc anno, Danorum rabiem non evasit, & sancti Felicis corpus, ægrè ab injuriâ servatum. Nam ita de loco illo scribit Malmesberiensis: *Seham, villa est juxta stagnum, quod volentibus ire in Heli, quondam periculosum navibus; nunc factâ viâ, per palustre arundinetum transitur pedibus. Sunt ibi*

Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 237.

adhuc indicia diruta, & à Danis incenſa Eccleſia; qua ibi habitatores pariter exuſtos, ruinis operuit ſuis. *Corpus verò Sancti* (Felicis) *multò poſt quæſitum, & repertum, in Rameſienſi cœnobio humatum eſt.* Hæc ille, qui paullò inferiùs, de Danis iterum loquens : *Tunc* (ait) *& ſedes Epiſcopalis apud Sebam* (ut ſuprà dixi) *& monaſterium Helienſe, ſanctimonialibus effugatis, incenſa, & ſolo complanata.*

Idem ſupra, fol. 239.

XXI. Edmundi pietas, in defenſione Provinciæ.

Ubi hæc omnia Edmundus intellexit; trucidatos in Hoylandiâ Monachos, ſacras Virgines vel ludibrio habitas, vel igne conſumptas : cum cerneret etiam in Provinciam ſuam vaſtitatis incendium properare; & in cumulum infelicitatis, Sanctorum cineres, & altaria prophanari : vel occurrere his malis, vel in pientiſſimâ causâ mori, decrevit. Quare ſcripto ſtatim milite, & Wulketulo Comite militiæ Præfecto; crudeliſſimum hoſtem, nè porrò in Provinciam pergat, ſiſtere conatur. Ingens erat Danorum exercitus, & ipſi Saxones; ſeu precario victorem ſequuti, ſeu ad miſeram ſervitutem damnati; numerum auxerat. Edmundus minor milite, ſed fortiſſimo Duce pugnabat, qui irruentes barbaros pertinaciter tenuit; donec multitudine obrutus, armis, locóque ceſſit.

Danorum ad Edmundum Legatio.

Tunc Danorum Dux, miſſo inſolenter nuntio, Edmundum Regem ſic compellat. Ignota nemini debet eſſe Danorum Principum, Inguaris & Hubbæ poteſtas : nam paſſim hæc nomina incidimus ſanguine, & in rebellium pectore ſcribimus. Quos tamen melius fatum imperio noſtro parere docuit, admittimus cives. Sic vel mandatis noſtris; vel ferro cedendum. Tibi igitur Edmunde, imperant; ut militi, in tuo regno, locum eſſe patiaris, & coronam regni, eorum arbitrio. Id ſi lubens, volensque præſtiteris, in obedientiæ præmium, erit coronæ, regnique participium : ſin recuſas, communem cum cæteris ſortem expecta. Diique noſtri te malè perdent. His Edmundo, ad ſingula verba horrenti, dictis; minaci ſupercilio reſponſum urget.

XXII. Edmundus cum Humberto conſilia communicat.

Rex, qui nemini injurius eſſe noverat; tam ſuperbæ mentis idioma, conſtante quidem aure excepit; ſed tulit indigniſſimè barbaras voces. Ut ſe collegit; Humbertum Epiſcopum, quid ſuper propoſitis reſpondendum cenſeret, interrogat : Ipſe interim, ſurgentes animi impetus, & iras premebat. Humbertus, infulæ magis, quàm armis aſſuetus; cedendum ferociſſimo hoſti, nec inutilibus viribus ultra reſiſtendum cenſebat. Non ſodicandum ignem, qui motu, ſeu vento, acriùs in flammam ſurgeret; ſopiri, frangique faciliùs poſſe humilibus verbis; atque ita civium vitam, agros, tecta ſervanda; Danorum aliàs incendio vaſtanda univerſa. At Edmundus, compoſito ad conſtantiam vultu : Patiarnè ergò, inquit, cives, urbes, addo, Remp. totam, ſub infideli, barbaráque haſtâ traduci? Sed illud parum. Patiarnè templa, Sanctos, Deum, his canibus ludibrio eſſe. Quid Dani petant, ſcimus; & triſti per univerſam Inſulam ſpectaculo, nemo non videt : nam tam ardere civium tecta, quàm demoliri templa, Sanctorum ſepulchra violari, & inermes ac religioſos viros, crudeliùs cæteris vexari, quos ſancta profeſſio immunes, & omni injuriâ majores, fecerat. Vel Machabæos repete, qui fungi potiùs glorioſiſſimâ morte, quàm mala gentis videre voluerunt. Et idem mihi impræſentiarum animus eſt.

XXIII. Edmundi reſponſum.

Tunc ad Oratorem reverſus : Sacer es, inquit, & ſceleſtus, qui impiiſſimâ oratione Majeſtatem violaſti : & niſi me Chriſti mei teneret exemplum, petulanos linguæ vitium lueres; diſceresque Reges, tyrannis eſſe potiores. Sed feſtinus abi : & dic prædonibus, quorum cauſam peroraſti. Benè mali dæmonis ſoboles, parentem imitantur, qui olim ſuperbiâ tumens, & ſuo non contentus, alienum appetiit. Me nihil movent barbaræ voces, nec frangunt minæ. Si defecit miles in patriæ ſubſidium; mihi non deeſt animus, pro patriâ mori. Non poſſum, ſed dic tu Ducibus tuis, non volo regnum barbaro latroni prodere; quod eâ lege accepi, ut prædones arcerem. Sed poſſum & volo priùs mori : dicaturque in ævum : Danus, Anglorum Provinciam vaſtavit, non dedit illam vaſtandam Princeps. Dic etiam prædonibus tuis. Edmundus Rex, ab infantiâ Chriſtum coluit, nec vult infidele commercium. Quare, vel Chriſtiani ſunto, & amicos agnoſcet : vel ſi in Idolorum ſordibus obſtinati eſſe pergunt; noverint nihil nobis cum illis commune fore. Sic faceſſere juſſis Oratoribus; Edmundus ad muniendam Provinciam, armandósque cives ſe convertit.

XXIV. Dani in Edmundum Regem pugnant.

Movit ergò à Framlingamo caſtro, in agro Suffolcienſi, ubi Danorum nuncios excepit, Sitomagum verſus; ubi hoſtis caſtra poſuerat. locus ille à Theto fluviolo Thetford appellatur, Norfolcienſis agri oppidum. Ibi acriter, & multo ſanguine utrimque pugnatum. Nam Camdeno teſte : *produnt Hiſtorici noſtri, Edmundum illum ſanctiſſimum Regem, paulò ante interitum, horis ampliùs ſeptem, cum Danis, non ſine horrendâ ſtrage dimicaſſe : & æquo Marte tandem diſceſſiſſe : ita utriſque alternans belli fortuna, omnem ſenſum excuſſerat.* Ita ille. Verùm quod ad Edmundum ſpectat, & ſenſum ejus; ipſe viſâ ſuorum & hoſtium ſtrage, humanitatis ſenſum induit : & noluit deinceps tanto pretio pugnare. Nam ita Weſtmonaſterienſis hoc prælium explicat; & Edmundum Regem militem induit, exuitque. *Recedente nuntio truculento*, inquit, *Rex Edmundus, juſſit commilitones ad arma convolare; aſſerens dignum pro Fide pariter pugnare, & patriâ : ne deſertores militiæ ſe eſſe, & delatores populi, probarentur. Igitur ad inſtantiam Humberti Epiſcopi, ac Nobilium virorum, & commilitonum ſuorum, animatus beatiſſimus Rex Edmundus, cum toto exercitu, quem habere potuit, audacter proceſſit in hoſtem; & non longè ab urbe, quæ Thedford appellatur, contra adverſarios ſibi obviam venientes; grave certamen, at nimis utrobique damnoſum commiſit. Nempè cum à mane diei, uſque ad veſperam, mutuâ ſe nece proſtraviſſent; & pro nimiâ interfectorum multitudine, à ſanguine loca certaminis rubuiſſent : piiſſimus Rex Edmundus, non ſolùm ex ſtrage commilitonum ſuorum, pro patriâ, gente, & Fide* IESU CHRISTI *decertantium, quos jam martyrio coronatos agnovit, condolebat : Verùm etiam pro nece barbarorum infidelium, ad inferni barathrum detruſorum, nimis amarè lugebat. Recedentibus itaq; primitùs de loco funeris Paganis : Beatiſſimus Confeſſor Chriſti, Rex Edmundus, cum reliquiis commilitonum ſuorum, qui ſuperſtites erant; ad Hegleſdune villam Regiam profectus, immutabiliter ſtatuit in animo ſuo, ſe nunquam de cætero, contra barbaros pugnaturum. Sed hoc ſolummodò dixit, ſibi fore neceſſum : ut ſolus moreretur pro populo, & non tota gens periret.* Hæc ille.

Camden. in Norfolk.

Weſtm. hic.

XXV. Ut rediit Edmundus Hegilsdunum, nunc Hoxon; ubi Wavinæius fluvius Suffolciensem agrum alluit; Humbertus Regiæ vitæ studiosissimus, suggerebat fugæ consilium, quo salvo saltem capite, tutius regnum foret. Quod ideò necessarium videbatur; quia Hinguar, quamvis præteritâ clade fractus, auxerat tamen exercitum, accessu fratris Hubbæ, & decem millium, qui in Merciorum Provinciâ ad prædam manserant. Edmundus tamen constantior, noluit quicquam à Majestate, aut æquissimâ causâ divertere. Recepit se tamen ad Ecclesiam, *ut se membrum Christi ostenderet* (sic narrat Westmonasteriensis) *& armis temporalibus projectis, cælestia induit: humiliter Patrem & Filium, cum Sancto Spiritu deprecans; ut sibi in passione constantiam largiretur. Igitur à ministris iniquitatis, clementissimus Rex Edmundus, ab Ecclesiâ truculenter extrahitur, loris durissimis coarctatus: & sicut Christus, ante Pilatum Præsidem; ita ducitur Edmundus ante iniquum Ducem: cupiens ejus sequi vestigia, qui pro nobis immolatus est hostia. Quo jubente ad arborem quandam, quæ non multùm aberat, religatus, diutissimè flagellatur; multisq; modis illuditur. Sed invictus athleta Christi Edmundus, inter flagella Christum semper invocando, flebilibus vocibus, tortores suos compulit in furorem. Et ad ipsum tunc arcubus, quasi ad signum ludendo, totum corpus ejus telis confodiunt, & sagittis. Nec erat locus in corpore Martyris vacuus, cui novum posset imprimi vulnus. Nam sicut Hericius in cute densis armatur spinis ita corpus invicti Regis spiculis configitur sagittarum. Cumq; nec sic Hinguar carnifex truculentus, sanctum Martyrem Edmundum, à Fide Christi, & confessione Trinitatis potuit separare; ut suis iniquis persuasionibus præberet assensum, protinus lictori mandat; ut ense cruento Martyris caput præcidat. At Lictor, Sanctum de stipite truculenter avulsum, inter verba orationis, & confessionis Christi nominis, unico ictu ipsum decapitando; duodecimo Calendas Decembris, gratissimum Deo holocaustum, igne passionis examinatum, cum palmâ Victoriæ, & coronâ Iustitiæ, transmisit ad cælum.* Hæc Author.

Westmon. hic.

Edmundi Regis Martyrium.

XXVI. Martyrii causa. Dedit Edmundus elegans martyrii sui argumentum: cùm in ipsis ictibus, summisque cruciatibus, Jesu nomen, ore & corde, constantissimè tenuit: illudque tam pertinaciter repetiit; ut irritatus barbarus, contemni se, petique Deos suos putaret. Quare silere jusso; imperat, nomen illud ejurare, & alia numina nominare, aut membratim concidi: Sed ille nihilominus perrexit Jesu nomen invocare, & lenire sua vulnera illo balsamo. quod proxima Martyrii causa, & æternæ felicitatis fuit: nam efferatior eâ voce Dux, cùm nullâ crudelitate impetrare silentium posset; jussit præcisis faucibus amputari caput, nè ultra lingua vocalis esset. Sic factum, ut soluta vinculis anima, placidissimè ad illum perrexerit, quem etiam in tormentis silere nesciverat. Nec stetit ibi Danorum rabies, nam objecto Martyris trunco, perfossóque corpore, caput in ludibrium servant, ulturi linguam, quæ Christi nomen constanter sonuerat; tum expletâ libidine, in densissimam silvam projiciunt, nè à Christianis coleretur. Sic Westmonasteriensem intelligo dicentem: *Adhuc laborabant Lamsta iniqui, ne à Christianis, quos paucos superstites reliquerant: corpus Martyris, sepultura, ut decebat, cum capite traderetur.* Eodem, proh dolor! post annos septingentos, morbo laboratum est, cum simili impietate, in Edmundi Martyris, aliorúmque Sanctorum cineres sævitum est: eò crudelius, quò Danorum credulitatem absolvere, & quasi ratam habere Edmundi mortem, post tot miracula, etiam Christiani voluerunt. Sed postera fortè ætas disputabit, an tegi hæc monstra, Christiano nomine, aut possint, aut debeant, qui caput illud, ac linguam tot miraculis illustrem, igni flammisque donaverunt. De Edmundi capite, inter vepres, sentésque mirabiliter invento; linguâque post mortem vocem formante, dicam anno sequenti.

Westm. hic.

XXVII. Humbertus Elmhamensis Episcopus Martyr. Passus est etiam hoc anno, cum Sancto Edmundo, Humbertus Elmhamensis Episcopus, comes Regis individuus; qui *constantiâ invicti Regis ad martyrium animatus; cum ipso est regni cælestis possessor effectus*, inquit Westmonasteriensis. Eo mortuo, & mortuo etiam Dumvicensi Episcopo Wilredo (ut anno 833. n. 17.) viduata est Orientalium Anglorum Ecclesia, per annos plurimos; nimirùm usque ad Edwii Regis tempora: tunc enim primùm Elmhamensem Sedem ascendit Athulfus, ut dicam ibi. * Cæterùm quod habet Westmonasteriensis, mortuum hoc anno Weremundum, Dumuicensem Episcopum: & Sedem illam Helmhamam translatam, quam Wilredus ascendit: non solidum habet fundamentum: & Fasti meliùs, Wilredum, Weremundi successorem fecerunt anno 824. ut dictum ibi. * Interim in Danorum potestate sunt omnia. Nam ita breviter de clade hujus anni Asserus: *Pagani*, inquit, *loco funeris dominati sunt; & totam illam Regionem (Orientalium Anglorum) suo dominio subdiderunt.*

* an. 955. n. 19.

* n. 7.

XXVIII. Celnothus Dorovernen. Episcopus moritur. Moritur hoc anno Celnothus, Dorovernensis Episcopus, cùm ab anno 830. Ecclesiam illam inter varias rerum vicissitudines administrasset: & sequenti tantùm anno Successorem accepit, de quo ibi. Denique si Fastos sequimur; moritur Ealstanus, Londinensis Episcopus, & illi hoc anno Wulfsius substituitur. Quo etiam anno, Sanctæ Walburgis sacræ reliquiæ, jussu Adriani, Romani Pontificis, elevatæ sunt, & cultui expositæ: quas è Germaniâ in Flandriam transferri curavit Balduinus Comes. ut dixi ad annum 776. n. 2.

Moritur Ealstanus Londin. Ep. et succedit Wulfsius.

ANNUS CHRISTI 871.
HADRIANI II. PAPÆ 4.
ETHELREDI OCCID. SAX. REG. 6.
BURRHEDI MERC. REG. 20.

I. Ethelredus feliciter in Danos pugnat. SEQUITUR Christi annus octingentesimus septuagesimus primus; ut Danorum scelere infamis, ita Ethelredi Regis victoriis, & pietate, nobilissimus. Huc enim referendum puto, quod scribit Malmesberiensis: *Denique memoriæ proditum est*, inquit, *quod iste Rex Ethelredus, novies, anno uno, collatis & infestis signis, contra hostes conflixerit: variâ licet fortunâ, sæpius tamen Victor: præter subitos excursus, quibus bellicæ artis gnarus, populatores palantes crebrò afflixit. Interfecti à parte Danorum Comites novem, Rex unus, præterea populus sine computo.* Hæc ille. quæ ad hunc annum referenda esse, sequentia docebunt. Cæterùm, ut ordine

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 3.

prose-

prosequat, & exequat singula; quæ ille compendio reccosuit. Danos ex Oriente, ubi nuper sævierunt, debeo in Occidentem deducere; ubi Ethelredus Rex, & Alfredus frater, magnis animis illos expectant. Verùm priusquam ex Oriente solvo; dicam ut Edmundo Regi, Sancto ac Martyri, piè à civibus parentatum: ut Deus miraculo sanctitatem ejus, Martyriumque probaverit; & coli eos posse à fidelibus, qui sanctè pro Fide Christi moriuntur.

II. Edmundi corpus a Christianis inventum et cultum.

Hoc igitur anno, recedentibus è provinciâ barbaris, cœpere Christiani paullulùm respirare: inventumque Edmundi Regis corpus, Regiâ componere sepulturâ statuerunt: & honorem dare, qui Martyri debetur. Nam vitâ piè & innocenter actâ, & felici pro Christo morte conclusâ; honorem cultumque poscere videbatur. Verùm obstabat pietati civium, capitis absentia, quod Danus occuluerat, cum invidiâ gloriæ. Illud ergo Christiani quærunt, & latebras omnes excutiunt; ut integrum thesaurum religiosè deponerent. Adfuit Deus piorum votis studiisque, pietatem compensans patentissimo miraculo: cum caput, quod inter densissimas vepres latebat; linguæ beneficio prodidit sese. Enimverò cum diu lusissent, in quærendo, operam, devoti cives; vicarios ad invicem dando, & reddendo voces; Edmundi lingua, in sonos & articulos soluta, placidissimè socios, ad capitis locum pellexit. Sed malo rem memoriâ dignissimam, ex antiquorum monumentis, in veritatis, ac miraculi fidem, audire. Sic ergo Matthæus Westmonasteriensis, temporis ac rerum gestarum circumstantias describit.

Caput mirabiliter invenitur.

III. *Westm. an. 870.*

Supervenientе itaque tempore vernali, omnes pagani, ab Est-anglia pariter recesserunt. Quo audito, Christiani undique de latibulis erumpentes, summopere satagebant; ut caput Beati Edmundi Regis inventum; reliquo corpori uniretur: & sepultura corpus integrum, more Regio, traderetur. Cúmque omnes, pari affectu, ad id concurrerent; & silvas perlustrando, caput Martyris diligenter quærerent: res contigit, dictu mirabilis, & sæculis inaudita. Nam cum caput quærendo, inter silvas, & veprium densitates, socii ad socios, mutuis clamoribus, patriâ linguâ: ubi es, ubi es, interrogarunt? Caput Martyris, eâdem linguâ respondens, dixit: heere, heere, heere; quod latinè dicitur hic, hic, hic; nec cessavit eadem repetendo clamare; quoadusque singulos, ad se perduxit. Hæc Westmonasteriensis, qui addit de lupo, mirabile & fidele obsequium, sacro capiti præstante: *Ibi*, inquit, *cum capite, lupus ingens, & visu horribilis repertus est, qui caput sacrum inter brachia complectens, beato Martyri excubias impendebat.* Addit Polydorus, Lupum hunc, ne sanguinem quidem, qui integer adhuc manabat, degustasse. *Polyd. l. 4. fol. 67.* *Assumentes itaque*, pergit Florilegus, *caput intrepidi, profusis Deo laudibus, ad suum corpus detulerunt; subsequente Lupo illos, usque ad locum sepulturæ. Tunc caput corpori coniungentes; in Mausoleo competenti illa pariter concluserunt. Quo facto lupus dilecta solitudinis secreta petivit.* Hactenus ille.

IV. Confirmatur miraculum.

Sed quia Florilegi narratio infirmior aliquando est; & à Novatoribus, qui miracula nauseant, fastiditur: volo antiquiorem testem ciere; quem Novatores ipsi præ aliis meritò commendant: is est, Guilielmus Malmesburiensis, quem supra sæpè in dictorum fidem vocavi: & ille quo doctissimus Savillius, qui illum imprimi curavit, fastorumque adjunxit, hoc profert elogium: *Inter vetustissimos rerum nostrarum authores; & narrationis fide, & judicii maturitate, principem locum tenet Guilielmus Malmesberiensis; homo, ut erant illa tempora, literatè doctus, qui septingentorum plùs minùs annorum res, tantâ fide & diligentia pertexuit; ut è nostris prope solus, historici munus explesse videatur.* *Savil in Præfatione.* Ita ille. Dicat ergo Guilielmus iste, & Dei mirabilia narret in capitis inventione. *Emicuit post necem Beati Edmundi*, inquit ipse, *transacta vita puritas, dignis miraculis. Caput à corpore, Lictoris sævitia divisum; dumeta, Danis projicientibus, occuluerant. Quod dum cives quærerent, hostem abeuntem vestigiis, insecuti, funeri regio justas inferias absoluturi; jocunda Dei munera hausere exanimati capitis vocem expressam, omnes ad se lustratores invitantem; lupum, feram carnibus assuetam, lacertis illud complexum, innoxiam prætendere custodiam. eundem more domestici animalis, bajulos post tergum, ad tumbam modestè secutum, nullum læsisse, à nullo læsum esse.* *Malmesb. de Pont. lib. 2. fol. 239. & iterum l. 2. de Reg. fol. 68.* Eadem habet Capgravius, qui & addit: *Palpitabat mortua linguæ plectrum, intra meatus faucium; manifestans illius magnalia, qui rudenti asella humana compegit verba.* Referunt hæc miranda præter supradictos, Abbo Floriacensis, Harpesfeldus, & quotquot Sanctorum vitas in lucem ediderunt.

V. Modernum silentium unde?

Hic ergò invidiosi silentii, & pessimæ Fidei, accusandi sunt Novatores, qui rerum nuper à Regibus gestarum Annales implent; de antiquis Regibus, vel parùm soliciti; vel, quod Fidem eorum & pietatem spectat, prorsus incurii. Edmundum tamen, omnes ferè nominant Regem, Sanctum, Martyrem ingeminant, cæsum à Danis crudelissimè, pluribus deplorant: & tamen hoc sanctitatis, martyriique ejus loquentissimum argumentum prætermittunt. Vis scire Lector, tam obstinati silentii causam? Lutheri incestum, monialium stupra, laicum in Ecclesiam & fœmineum imperium, infame cum Româ divortium, & quod rem propiùs tangit, sacrarum reliquiarum contemptum, nulla miracula probaverunt. E contra, Sanctorum, & reliquiarum cultus, & illa Fides, quam ex Urbe Insula excepit, ingentibus omni sæculo, & vocalissimis miraculis sancitur. Quod adeò malè habet nuperam fidem; ut, vel indignante stomacho, miracula transeant, quæ si sorberent; Fidei calore defecti, non possent digerere, vel si quandoque ad speciem hauriunt, Deus bone! quàm laborioso, & ima pervadente viscera connisu, quàm difficili pectore, quàm hiulco & deformi rictu, evomunt. Sic supra sæpè miracula eluserunt; hic paullò prudentiùs, dum nulla inventi capitis, loquentis linguæ, excubantis lupi, factâ mentione, Lectorem tantum pertinaci silentio fallunt: satiùs esse putantes, ita ludere, quàm religiosum Martyri cultum miraculo asserere. Sed ad Edmundi, & illius sæculi Fidem, redeo.

VI. Edmundus Sanctus colitur. *Pol. l. 4. f. 67.*

Hoc primo miraculo, inquit Polydorus, *Divi Edmundi memoria apud mortales celebris venerabilisque, esse cœpit.* Enimvero tunc subito opere; sed pro temporum conditione minùs splendido; structa à fidelibus Ecclesia, sanctô Regi pro tholo fuit; opimis tamen hisce spoliis ornata. Ibi majore pietate, quàm externo cultu, Edmundi corpus deponitur, apud Egilsdunum. *Constructa est autem in eodem loco*, inquit Florilegus, *pauperrimo opere à fidelibus Ecclesiola; ubi postea, per multa annorum* *Westm. an. 870.*

curricula, corpus sanctissimum requievit. Benè dicit, *requievit*: Nam diu à Christianis frequentari, non potuit; unde brevi factum, ut silvescentibus agris; quod in turbata provincia, plerumque accidit; Christianorum quoque pietas refrixerit. Sic Malmesburiensem intelligo, de Edmundi sepulchro loquentem ita. *Tunc*, inquit, *pro tempore, humi traditum corpus venerabile, tumultuario injecto cespite, terrea gleba superjecta; & exilis pretii lignea capella superstructa. Sed & domunculam, succedenti tempore, vepres obtexerant; animiq; provinciales, memoriam Martyris abjecerant.* Cur ita factum, & quamdiu, modico cultu inglorium corpus jacuerit; non est alienum ab institutâ narratione explicare. Edmundo extincto, rerum summa penes Danos fuit; per annos quinquaginta, quo tempore, publicum Ecclesiarum cultum, sacrificium etiam, & oratoria, jacere necessum fuit: Christiani autem, qui in Provinciâ remanserant; aut Sedes mutare, aut militiæ adscribi, aut in aliam Provinciam secedere, coacti sunt: ita Edmundi memoria, cultúsque desiit: donec Deo visum, & civibus provinciam, & sancto cultum restituere. Quid interim actum in Est-angliâ dicat Malmesburiensis: *Edmundo perempto, in Orientali Angliâ; regnare desierunt Angli, annis quinquaginta: Novennio enim sine Rege, paganis vastantibus, provincia subjacuit. Postea, in Orientali Saxonia, Guthrum, Rex Danus regnavit annis duodecim, tempore Regis Alfredi. Guthrum habuit successorem æq; Danum, nomine Eodric: qui cum regnasset annis 14. peremptus est, ab Anglis: eo quod inciviliter in eos egisset. Nec tamen eis libertas assurrexit: Danorum Comitibus, vel eos prementibus, vel in West-Saxonum Reges acuentibus: donec Edwardus, filius Alfredi, ambas provincias, expulsis Danis, liberatis Anglis; suo, idest West-Saxonico imperio adjecit, anno post occisionem sancti Edmundi Regis & Martyris quinquagesimo, regni sui decimo quinto.*

Malmesb. de Reg. l. 2. fol. 239.

LANGUENTE REP. DEVOTIO REFRIXIT

Malmesb de Reg. l. 2. c. 5. fol. 14.

VII. FLORENTE, REFLORUIT.

Hoc ergo intermedio tempore, Edmundi corpus, & cultus, in luce populorum esse non potuit; quid postea factum: & quomodo Deus illud postliminio in lucem eduxerit, & illustriori mausolæo donaverit; dicam post annos quinquaginta. Interim, vix caret miraculo, quod à Danorum tyrannide inviolatas exuvias, in sequentia secula promiserit Deus. Nam hostis, non vivis tantum, opes & vitam; sed mortuis requiem, & Sanctis cultum, invidebant. Eo ferè modo, quo nupera factio, in eandem majorum fidem classicum cecinit: insolentiùs tamen, quia nec Edmundi Regis corpori; cui Dani requiem permiserant, pepercerunt. Enimvero ad plura post mortem secula, mansisse incorruptum Edmundi corpus, cum illud post annos quinquaginta è tenebris eduxero; non dicam tantum, sed multis, & omni exceptione majoribus argumentis, probabo. Interim dico, sancti Regis nomen, Ecclesiasticis tabulis inscriptum, ita legi in Romano Martyrologio, ad secundum Novembris: *In Anglia sancti Edmundi Regis & Martyris.* & eodem ferè modo alia Martyrologia. Anglia tamen suo Regi singulare tributum solvit; dum Martyrii diem anniversariâ solennitate celebrandum indixit, in Concilio Oxoniensi, per Stephanum, Archiepiscopum Cantuariensem, habito, sub annum Domini 1222. tempore Honorii III. Papæ: in hæc verba: *Statuimus, quod festa subscripta, sub omni veneratione serventur: videlicet omnes dies Dominici, &c. Festum Edmundi Regis & Martyris.* Sanctum ergo Regem & Martyrem fuisse, nullum est dubium; cui laudi, si Virginitatis lauream adjunxeris, nihil credes alienum à veritate. Cum enim frequentissimi sint annales, in ejus vitâ ac morte recensenda, nemo tamen uxoris, nemo nuptiarum, aut filiorum meminit; omnes autem innocentissimæ vitæ, & miræ integritatis virum prædicant: certè, incorruptæ carnis argumentum; meritò dici potest, ad virtutum ejus cumulum, etiam Virginem fuisse: & si virginitatis ejus authoritas quæratur; sit divina. Vide annum 920. Nunc Danos sequor, Occidentem deprædantes.

VIII. DANI VADUNT IN OCCIDENTEM, ET VINCUNTUR.

Itaque vastato Oriente; Danus novis viribus auctus, in Occidentem transit: & primò per Atrebatios, Readingum oppidum capit, vallóque munit: quod Anglus ægrè ferens; magno impetu contra tendit, & inito certamine, inimicorum vires, insigni victoriâ frangit. Sed dum animosiùs, quàm cautiùs, victoriam prosequitur; hostium numero Anglus funditur. Ita variam belli aleam jactat Asserus: *Anno Dominicæ Incarnationis, octingentesimo septuagesimo primo, nativitatis autem Alfredi Regis, vigesimo secundo; exosa memoria paganorum exercitus, Orientales Anglos deserens, & regnum Occidentalium Saxonum adiens; venit ad villam Regiam, quæ dicitur Radigam, in meridianâ Thamesis fluminis ripa sitam, in illa paga, quæ dicitur Bearrocscire (provinciam hodie Bercheriam, vulgo Barkshire, vocamus) tertióque adventus sui ibidem die; comites eorum, cum magnâ illius parte, in prædam equitaverunt: alii, vallum inter duo flumina, Tamesim, & Cynetan, à dextrali parte ejusdem regiæ villæ, facientibus. Quibus Æthelwulfus Bearrocensis pagæ Comes, cum suis sodalibus, in loco qui dicitur Englefeld obviavit; & animosè, ex utraque parte ibidem pugnatum est. Cumq; ibi diu utrique resisterent, altero paganorum Comite occiso, & maximâ exercitus parte deletâ, cæteriq; fugâ elapsis; Christiani victoriam accipientes loco funeris dominati sunt.*

Asser. hic.

IX. DANI EX OPPIDO ERUMPENTES CHRISTIANOS FUNDUNT.

Danus hac clade fractus, in oppidum se recepit, & castrum occupat, munitque contra adversarium impetum. Interim Ethelredus Rex, & Alfredus frater, urbem & castrum oppugnare, hostémque inde submovere, contendunt, nè porrò in Occidentem pergat. Sed voluit Deus omnem Insulam barbarâ manu castigare; & Danus ita se castro muniverat, ut nullâ vi pelli inde potuerit. Cumque Christiani constantissimè bellum urgerent; & causæ bonitate securi in hostem pergerent; hostili impetu consternati, in fugam convertuntur: quod ita narrat, qui supra, Asserus: *His*, inquit, *ita gestis, post quatuor dies, Æthered Rex Occidentalium Saxonum, & Ælfred frater ejus; adunatis viribus, congregatoq; exercitu, Radigem adierunt. Cumq; usque ad portam arcis pervenissent, cædendo & prosternendo quoscunque de paganis, extra arcem invenissent. Pagani non segniùs certabant, lupino more totis portis erumpentes, totis viribus bellum perquirunt. Ibiq; diu & atrociter ex utraque parte dimicatum est. Sed heu (proh dolor!) Christianis demum terga vertentibus; Pagani victoriam accipientes, loco funeris dominati sunt. Ibiq; Ethelwulfus præfatus Comes, inter cæteros occubuit.* Camdenus hæc prælia recensens, benè loca ubi pugnatum, illustrat; sed malè Æthelwulfum hunc Regem vocat. Ait ergo: *Reading urbecula sive oppidum,*

Asser. hic.

ETHELWOLFUS COMES OCCIDITUR.

Saxonice

Camden. in Barchshire.

Saxonicè Rheadyge, à rhea, id est flumine, vel à Britannica dictione Redin, quod filices denotat, quæ passim hic proveniunt: hodie platearum elegantiâ, ædium splendore, sua opulentia, & lanei panni texendi gloria, cæteris hujus agri oppidis præcellit: licet maxima ornamenta amiserit. Templum scilicet speciosum, & castrum vetustissimum. Hoc enim Danos tenuisse prodit Asserus, cum vallum inter Cunetionem (nunc Kenet) & Tamesim ducerent: & in hoc se recepisse, cum ad Inglefeld (viculus est vicinus) ab Ethelwolfo Rege fugarentur. Verùm Ethelwolfus Rex, dudum obierat, & filii ejus, in Danos nunc pugnant, pro imperio Insulæ, unà cum Ethelwolfo Provinciæ Comite, qui hostili manu, post bellum redintegratum, cecidit.

X. Iterum pugnatur.

Acuit hic casus Anglorum animos, quos majorum decora, & Christi sacra, à paganis hostibus temerata, ad vindictam accenderant. Iterùm ergò post dies quatuor; tam Anglus, quàm Danus, ad prælium armantur. Certaminis locum Authores omnes nominant; sed ita variè efferunt, ut ubinam ille fuerit, nondum invenerim. *Dolore & verecundia,* inquit Asserus, *Christiani commoti; iterum post quatuor dies, contra præfatum exercitum, in loco qui dicitur Æscesdum, quod latinè, mons fraxini interpretatur; toti viribus, & pleni voluntate, ad præliandum prodeunt.*

Asser. hic.

Diu, fateor, quæsivi hunc locum; ut pugnantes Reges, & pugnantem pro nostris Regibus Deum, inde spectarem. Sed nisi in Sussexiensi agro fuerit, ubi Ashdowne saltus est, necdum inveni. Nam quomodo Danorum exercitus, ad Ashdowne oppidum in Trinobantibus, quatuor dierum itinere, pervenire potuerit tam feliciter; nemo facilè persuaserit. At licet Camdenus olim latinè scribens, dicat montem illum in Essexia, à fraxinis appellari Ashdowne: postea tamen, in versione Anglicâ, Assenduno legisse potiùs videtur; dicitque à Mariano *Asinorum montem* vocari. Ibi post annos centum quadraginta quinque, Canutus in Edmundum, celebri victoriâ pugnabit: & ferè assentior, ibidem hoc anno pugnatum. Quicquid sit de loco, illustrissimum sanè ibi certamen fuit; Deo pro Ethelredo in justissimâ causâ pugnante: ut rei exitus ostendet.

Ad Ashdowne.

Camden. in Essex.

XI. Danorum acies.

Ut ventum est ad destinatum prælio locum; Barbari in duos ordines divisi, æquali lance parabant testudines. Duo Danorum Reges, unum ordinem ductabant; alterum Principes etiam viri, qui & Comites dicti. Ethelredus Deo plenus, non arma, sed consuetas hostium artes, magis cavebat. Quare militem instruit, & aciem ita disponit. In sinistro cornu, Equitum alæ, Alfredum fratrem præficit, peditúmque auxilia adjungit: Ipse cæterum militem, densari in testudinem doctum; & alterum cornu regendum accipit. Sagittarios, Covinarósque ad suppetias laborantibus ferendas opportunè locat, & instruit. Dum ita Imperator, & miles occupantur; nox superveniens, prælium distulit; ut dilata pugnandi cupido utrisque cresceret. Sunt tamen, qui primo die concurrisse signa, & acriter aliquamdiu conflixisse, scribant; Danósque infestis pilis, adeò vexasse Anglos, ut factâ testudine, non ipsi in hostem pugnare, sed telorum tantùm impetus, objectu clypeorum, sustinere potuerint. Quod artis fuit: nam ita uno consistentes loco; quasi respirando, novas vires, animósque sumpserunt: & desæviente Danorum furore, ipsi successerunt in pugnam. Ut Barbarus hanc artem advertit, & fessos respirasse: monet suum militem, sustineret paulisper impetum, qui naturâ major, adeóque diuturnus esse non posset. Tum sagittarum ictibus sinistrum cornu, & Alfredi militem afflixit; vertissetque in fugam, nisi Ethelredus, è dextro cornu equitatum effudisset. quo hostem submovere, in eúmque cominus pugnare possent. Id scilicet Anglo saluti fuit; & ancipitem pugnam, nox diremit. Quies omnibus opportuna, & effetatos quiete animos diei expectatio tenuit.

Anglorum ordines.

XII. Danus Anglum provocat.

Ut dies illuxit; Danus, qui in celeritate omne consilium posuerat; non expectandum hostem, sed provocandum potiùs censuit. Quamobrem militem educi, accingique ad prælium jubet. Alfredus, ut in hostium castris, audivit cani classicum, per nuntium monet Ethelredum Regem, qui precibus intentus, Deo militem suum, & provinciam commendabat; Paganos prælium poscere, & in procinctu esse. Sed nemo audebat orantem Principem interpellare: donec Alfredus ipse, per exploratores certissimè doctus, militem in procinctu esse; in Ethelredi tentorium advolat; ubi pientissimus Rex, genibus nixus propitiabat Numen. Tunc monito Rege, in mora ingens periculum esse, stare in armis militem, hostem in propinquo esse; divisos jam in cornua equites; leves ante signa velites, dispositas manipulatim cohortes, latè occupasse omnia; ejus ergo præsentiâ, imperióque opus esse; nisi perdi exercitum, & provinciam suam, vellet. Verùm ab Ethelredo non aliud responsum accepit; quàm terrenis cælestia præferenda: vitam se potiùs persoluturum Deo, & quicquid in mundo erat charissimum; quàm Deo debitas laudes omissurum; præcederet ergo, se non nisi finitis precibus adfuturum. Fuit hæc constantissima Regis pietas, quam infra excutiam: Nunc spectandus est fructus pietatis Fideique Regiæ.

Ethelredi Regis pietas.

XIII.

Præivit Alfredus, Danorum conatus, si posset, stiturus, vel saltem præludio pugnæ moraturus. Et quia pauciores ducebat, aberatque Imperator; non festinatò, sed pedetentim ibat. Quo factum; ut editiora montis Danus occuparit, & ipse pugnare deberet infernè. Paganus, ut Alfredum adesse videt, & in frequentem militem; sentitque ex mora Imperatoris absentiam, ratus faciliorem fore victoriam, si per partes cæderentur; cum Alfredo congredi, morámque omnem festinat abrumpere; præsertim cum ex edito pugnaturus esset in subeuntes. Pugnatum igitur: licet iniquissima pro Anglis conditione. Nam hostis, numero, viribus, & loco major; turbare statim Anglorum ordines, & multo sagittarum imbre, avertere cæpit. Cum ecce tibi Ethelredus, tantò in Danos fortior; quantò vota precesque Deo devotiùs porrexerat: vix enim cæperat militem ad iram accendere; cum insolens ardor, omnium animos occupat adeo; ut non pro Deo Ethelredum, sed pro Ethelredo Deum pugnasse, manifestè patuerit. Enimverò Danus, quasi è cœlo pulsus; tenere locum non potuit ultra. pars retrò fugere, pars contra, sed incassum, uti; pars maxima Christianorum telis occumbere. Ita diu, & certissimâ victoriâ pugnatum. quæ tanta fuit, ut si Annalibus fides, nunquam Insula majorem viderit. Unus è paganorum Regibus, quem

infra

infra nomino, cum opima spolia coll[i]go : è P[rin]cipibus viris quinque, & multa m[illegible] [illegible] desiderata.

XIV.
QUID ETHELREDUM IN TENTORIO DETINUIT.

Hic siste Lector, & quære mecum; quid illud demùm fuerit quod Ethelredum Regem, tam obstinatè tenuit in tentorio; quænam illæ preces, quas omittere noluit, etiam periclitante vita, Rep. & salute omnium? Fatentur hic Novatores omnes, (nam illi mirabilem victoriam recensent) fatentur, inquam, Ethelredum devotè, & religiosè Deo supplicem fuisse. Et dicunt benè. Sed ego hunc supplicem cultum, hunc religionis actum quæro; ut discant Reges in hostem ita feliciter orare. Respondet ergo Renardus Vulpius, sive Joannes Fox, novus ille modernorum Martyrum cyclops, *Divinum servitium* fuisse; quod imperfectum scilicet relinquere, religioni duxit piissimus Rex. Optimè. Sed quia modernorum dialecto, *divinum servitium* sonat vulgare illud officium, quod Anglicè hodie, * in Ecclesiis lectitatur; cui orthodoxi interesse recusant: ulteriùs quæritur; quomodo Antiqui, *divinum illud servitium* appellarint. Nam si fuerunt preces illæ, quas hodie vulgus in Ecclesiâ cantillat; quorsum orthodoxi, qui Ethelredi fidem profitentur, cum Ethelredo ita orare recusant? Hic vulpina Foxii astutia deprehenditur manifestè: noluit enim uti Antiquorum dialecto; & clarè illud exprimere, quod Ethelredum in tentorio detinuit; nè nova Babel, quæ Orthodoxorum sacrificium respuit; & mendacissima illa Martyrum moles, ludibrio, risuique esset. Loquantur ergò Antiqui, illi saltem, qui adesse per ætatem poterant Ethelredo oranti, nam veritatem candidè magis dicent.

Fox in Ethelredo.

* paullò tamen post, nimirùm hoc anno 1645. & illud servitium antiquatum est.

XV.
MISSAM AUDIVIT ETHELREDUS: & FACTIOSI VOCANT DIVINUM SERVITIUM.

Asserus igitur, qui eo sæculo vixit, ita rem omnem explicat. *Pagani in duas se turmas dividentes, æquali lance, testudines parant. Habebant enim tunc duos Reges, & multos Comites, concedentes mediam partem exercitus duobus Regibus: & alteram omnibus Comitibus. Quod Christiani cernentes, & etiam ipsi exercitum in duas turmas similiter dividentes, testudines non segniùs construunt. Sed Alfred citiùs & promptiùs cum suis; sicut ab his, qui viderunt veridicis referentibus audivimus, ad locum prælii advenit. Nimirum, erat adhuc suus frater, Aethered Rex, in tentorio, in oratione positus AUDIENS MISSAM: & nimirum affirmans, se inde vivum non discessurum, antequam Sacerdos MISSAM finiret, & divinum pro humano nollè deserere servitium. Et ita fecit. Quæ Regis Christiani Fides, multum apud Dominũ valuit.* [illegible Greek]: Missæ nomen factiosi obliterant; sacerdotes Missam celebrantes, & orthodoxos Missam audientes, oderunt, eo nomine, cane pejùs, & angue. & tamen hoc loco *Divinum servitium* vocant. Si divinum est, ô Angle! Missæ sacrificium; si Reges tui illud amaverunt; si ideo templa & altaria construxerunt, & constructa ornaverunt; si in eâ Fide insigniter hostes triumpharunt. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum? Quomodo Sacerdotes tui gementes, Virgines tuæ squalidæ, & egressus est a filia Sion, omnis decor ejus? Cur destructa altaria, eversa templa, proscripti Sacerdotes? Nimirum peccatum [illegible]cavit Jerusalem; propterea instabilis facta est: hinc facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt.

Asser. hic.

ANNOSA VULPES, OT CAPITUR LAQUEO.

Thren. 1. 2. v. 4. 6.

c. 1. v. 8.

XVI.
CUR MISSAM PUGNATURUS REX AUDIVIT?

Sed lubet paullò morosius Ethelredi Fidem contemplari; cujus beneficio, tam illustri victoriâ beatus est; & quorsum, tam insigni constantiâ in tanto rerum discrimine, sacrificio adesse, gladiis ubique linisque strepentibus, voluerit. Eo anno quo Ethelredus regnum auspicatus est; hoc est Christi Domini octingentesimo sexagesimo sexto; Bulgarorum Rex Michael, cum doceri cuperet Christianam Fidem: *honorificentissimam legationem*, inquit Baronius, *mittit, ad Nicolaum Pontificem, gremium matris requirens Ecclesiæ; ut illi inhæresceat, ejusq. foveatur sinu.* Non ille tunc fidem solùm, sed fidei etiam consona opera: quid in dubiis faciendum; ut prava emendanda, sanctique mores inducendi, leges denique ritusque Romanos petiit: eo prorsus modo, quo olim Lucius Britannorum, & Ethelbertus Saxonum Reges, doceri petiverunt. Quæsivit ergo Michael, inter cætera; quid esset euntibus ad bellum, & in hostem pugnaturis, cum utilitate faciendum? Respondit tunc Nicolaus Pontifex, quod fecit nunc Ethelredus Rex. *Refertis*, inquit ille, *quod soliti fueritis, quando ad prælium progrediebamini, dies & horas observare: & incantationes, & joca, & carmina, & nonnulla auguria exercere: & instrui desideratis, quid nunc vobis agendum sit. De quo nos necessariò, non vos instrueremus; nisi si super hoc nos divinitùs instinctos cognosceremus. Super divinum enim fundamentum ædificare quicquam non possumus. Igitur tum ad prælium proficisci disponitis, quod ipsi commemorastis agere, in Dei nomine non omitte, id est, ad Ecclesias ire, orationes peragere, peccantibus indulgere, MISSARUM solennia interesse, oblationes offerre, confessionem delictorum sacerdotibus facere, reconciliationem, & communionem percipere, carceres aperire, vincula dissolvere,* &c. Ecce Ethelredi Romanam Fidem, & Fidei fructum, mirabilem victoriam.

Baron. an. 866 n. 1.

MICHAELIS INTERROGATIO.

Baron suprà n. 7.

NICOLAI PAPÆ RESPONSIO.

XVII
UNDE DANORUM FUGA

Adverto iterùm, in hac Ethelredi pugnâ; infidelem Danum, viso Rege, fugisse: quod quia Antiqui annales omnes, singulariter memorant; suspicio est, aliud etiam subfuisse, quod Danos æque ac Novatores terruit: quod, inquam, Dani fugâ, Novatores silentio, declinaverunt. De fugâ sic loquitur Asserus: *Cum aliquamdiu animosè, & nimiùm atrociter, hinc, inde, utrique pugnarent: Pagani divino judicio, Christianorum impetum diutiùs non ferentes, maximâ suarum copiarum parte occisa, opprobriosam fugam capere. Quo in loco alter de duobus paganorum Regibus, & quinque Comites occisi occubuerunt: & multa millia paganæ partis, in eodem loco; & insuper per totam campestrem Æscendun latitudinem, ubique dispersa, longè, latèque occisa corruerunt.* Fugæ etiam meminit Westmonasteriensis, dum ait: *Totus paganorum exercitus, cum nocte sequente, & die, in fugam conversus, per totam Æscenduna planitiem, contritus est, & dispersus.* Quæritur ergo: quid adeo terruerit Infidelem Danum; & omnem ejus exercitum profligaverit? Respondeo, Ethelredum, ut olim Constantinum; Cruce in Danos pugnasse, & ejus vi victoriam habuisse. ut disertè tradit Guilielmus Malmesburiensis; miraculo partam victoriam, ita narrans. *Jam*, inquit, *Anglorum acies declinabant, & urgentibus ex alto adversariis, fugam meditabantur; quod iniquo Christianis loco pugnaretur: cum ille* (Ethelredus [illegible] *cruce Dei consignatus, ex insperato advolat, hostem proturbans, cives in arma [illegible]iens, cujus*

Asser. hic.

Westmon. hic.

CRUX DANOS FUGAVIT.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 3.

virtute,

virtute, & Dei miraculo, Dani territi, pedibus salutem committentes, fugere. Hoc ipsum Nicolaus Bulgaros docuit, Cruce in hostem pugnare. Cum enim dudum vexillum illud, omnem vim dæmonum fregerit; potuit facilè eos debellare, qui dæmonum castra sequuntur. Hæc sola, indubitata, & certissima causa est, cur Christiani Cruce pugnaverint: & cur olim Judæi, & Infideles, & nuper Calvinistæ, Crucis signum oderint. *Baron. sup.* *Bulgaris primus author Nicolaus fuit* (inquit Baronius) *ut qui hactenus in bello, pro insigni essent usi equinâ caudâ: iidem sanctæ Crucis vexillo, ut olim Constantinus, pro insigni uterentur.* Itaque Missæ sacrificio piè, reverenter, & integrè persoluto; Danorum plurimos occidit Ethelredus, cæteros omnes fugavit vexillo Crucis, ubique Catholicam, Romanam, & orthodoxam Fidem professus. Nunc ad spolia descendo; collecturus ea saltem, quæ opima fuerunt.

XVIII. QUIS REX OCCISUS?

Unus è duobus Paganorum Regibus, in hoc prælio cecidit, ut suprà vidimus, quem Malmesberiensis Oseg vocat. *Malmesb. suprà.* *Casus est*, inquit, *ibi Rex Oseg, Comites quinque, vulgus innumerum.* Paulò aliter Regem vocat Asserus: *Cecidit ergò illic*, inquit, *Badsceg Rex: & Sidroc ille senex Comes, & Sidroc junior Comes, & Osbern Comes, & Frena Comes, & Hareld Comes, & totus Paganorum exercitus, in fugam usque ad noctem, & etiam usque ad diem sequentem, quousque ad arcem, qui evaserant, pervenerunt, versus est.* Sunt qui utrumque Regem hac vice occisum scribunt. Ita Westmonasteriensis. *Westm. hic.* *Quo in loco, duo Reges Paganorum, Bascaius, & Haldenus, multaq; cum eis millia interempti.* Ingulfus paulò aliter Reges enumerat; sed sine dubio perperam ratio temporis consignatur in impresso exemplari, ubi sic legitur: *Ingulf. fol. nnn.* *Anno verò vigesimo primo sequente* (pro quo lege, Anno verò octingentesimo septuagesimo primo sequente, nam paulò superiùs nominaverat annum 870.) *West-Saxoniam petentes Dani, cum Rege Ethelredo, & fratre suo Alfredo, variâ fortunâ, prælia gravissima gesserunt. In quibus casis Regibus, (id est Baseg & Orgul) Comitibus verò multis, cum ingenti multitudine Paganorum, Christiani victoriam adepti sunt.* Cæterùm quod ad Reges spectat, non potuit hoc anno Haldenus mori, qui post quatuor annos, Northumbriæ regnum divexabit: & verosimiliùs, unum tantùm Regem è duobus cecidisse. Licet Dani revera liberaliter satis Reges creaverint. Nunc alia Ethelredi Regis prælia legamus.

XIX. PUGNA AD BASINGUM.

Iterùm ad Basingum oppidum, in Hamptoniensi agro, ad manus ventum. Ibi Danus, vocatis è Septentrione, & Merciâ, sociis; pugnam redintegrat: & nuperæ cladis memor, acriùs insurgit. Impigrè utrinque certatum, sed Danus vicit: auxitque numerum novis auxiliis; adeò ut toti Insulæ formidandus fuerit; nec ferè quicquam

VINCENTE DANO.

profuerit hydræ caput toties præcidere. Asserus de hoc prælio ita scribit: *His ibi ita gestis* (nimirùm apud Escedunum) *iterùm post dies quatuordecim, Æthered Rex, unà cum fratre suo Ælfred, adunatis viribus, contra paganos pugnaturi, Basengas adierunt.* *Asser. hic.* *Quibus hinc inde hostiliter convenientibus, & diu resistentibus, Pagani victoriam accipientes, loco funeris dominati sunt. Quo prælio peracto; de ultramarinis partibus aliorum paganorum exercitus, societati se adjunxit.* Nec Anglum initio terruit hæc Danorum inundatio; quamdiu fortissimis ducibus, & optimâ causâ pugnabat: addo nec varius Martis eventus: licet religiosissimus quisque facilè cerneret, Deum Insulæ iratum, flagellum ostentare.

XX. PUGNA AD MERTON.

Noluit Dano Anglus, quietem diu concedere; sed iterum, Ethelredo Duce, cum hoste confligitur, ad Merton oppidum, in agro Surriæ. Ubi, quà militis audacia, quà sanctitate Principis; victoria Anglus potitur.

VINCENTE ANGLO, SED NON UTENTE VICTORIA.

Jamque Danos in fugam compulerat, & erant in manibus spolia; cum ecce tibi rediens à fugâ hostis, palantem, & impeditum militem offendit: & edita strage, vicisse omninò dicendus est. Meminit hujus prælii Huntindonius, qui & Episcopum in eo occisum narrat in hunc modum. *Huntind. fol. 349.* *Iterum*, inquit, *post duos menses, Rex Adelred, & frater suus Alfred, pugnaverunt cum exercitu, apud Meredune* (ita Merton Saxones appellabant) *& multi ex utraq; parte ceciderunt: & Daci diu fugati, in fine vicerunt. Ibi occisus est Edmundus Episcopus, & multi Proceres Angliæ.*

EDMUNDUS SCHIREBURNENSIS EPISCOP. MORITUR.

Hic est ille Schireburnensis Episcopus qui Alstano successit, anno Christi 867. quem Westmonasteriensis Hamundum vocat, & Martyrio coronatum. *Westm. hic.* *In hac quoque pugnâ* (inquit, & Mertonensem intelligit) *Hamundus Schireburnensis Episcopus, Martyrio coronatus est; cui successit Æthelhegus in Episcopatum, vir in rebus Ecclesiasticis eruditus.* Cæterùm Edmundus in nostro Martyrologio, locum meruit ad vigesimum secundum Martii. porrò quod dicitur ibi à Danis occisus, apud Merden in Wistonia, legendum puto, Mereduni in Surria: necdum enim Dani, tam altè in Occidentem descenderant, sed ad Basingum, & Readingum in Atrebatiis hæserant: Ethelredi & Alfredi viribus, nè porrò pergerent, impediti. Ibi ergo Edmundus occiditur, ubi olim Kenulphum Occidentalium Saxonum Regem, improbè à subditis interemptum dixi *. ** v. an 785. n. 2. & 3.*

XXI. ETHELREDUS REX MORITUR, ET QUANDO?

An, in prædicto loco, Ethelredus Rex letale vulnus acceperit, necdum in antiquorum Annalibus legi: mortuum eum tamen statim, à Mertonensi hac pugna, plures affirmant; qui etiam donaverunt eum coronâ Martyrii. Sed quoniam non est una omnium sententia, debent hæc paullò fusiùs tractari. Nec enim in historiâ, annisque consignandis progredi possum; nisi Ethelredi Regis mors, mortisque tempus exponatur. Sunt nonnulli qui mortem ejus referunt in annum sequentem. Sic Ingulfus disertè: *Ingul. f. 869.* *Anno*, inquit, *Incarnationis Dominicæ octingentesimo septuagesimo secundo; Rex Ethelredus, multis præliis contra Danos vexatus, sed semper invictus: obiit Winburnæ, & sepultus est.* Ad eundem annum, exordium Regis Alfredi, ponunt Malmesberiensis, Hovedenus, & alii. Unde factum; ut plures, tempora parum scrupulosè numerantes, affirmarint, Regem Ethelredum eo anno mortuum, sequentem non vidisse. Nam Asserus, in hac controversiâ, præ cæteris audiendus, quem etiam plures sequuntur, cum supradicta Ethelredi prælia recensuisset, ad annum Christi octingentesimum septuagesimum primum, mox addit: *Asser. hic.* *Et eodem anno, post Pascha, Æthered Rex præfatus, regno, quinque annis, per multas tribulationes, strenue, atque honorabiliter, cum bonâ famâ gubernato; viam universitatis adiens, in Winburnan monasterio sepultus, adventum Domini, & primam cum justis resurrectionem expectat.*

XXII.

* Mathildes Abbatissa Quedlinburgensis in Saxoniâ, Othonis Imp. filia per Edgitham filiam Edoardi senioris, Alfredi filii. Ethelwerd l. 4. c. 3.

Facit etiam, pro mortis anno explorando, quod Ethelwerdus nobilis scriptor; qui Ethelredum atavum suum vocat; ad * Mathildem consobrinam scribens, & Alfredi Regis (qui Mathildi atavus fuit) exordia repetens; cæteris curiosiùs; licet pro scriptionis genere, obscuriùs; annos enumerat in hunc modum: *Migratusq; est navigium, tunc usque ad confessum exercitus barbarorum in Readingum, & usque ad obitum Etheredi Regis, & Alfredi fratris illius successionem; annorum septuagesimus unus, ex quo avus eorum Egbyrht continuerat regnum. Quadraginta siquidem & septem, ex quo Myrcii, & Occidentales Angli, civilia bella gessere, in cognominato loco Ellendune, & Egbyrht Rex sumpsit Victoria nomen. Deinde fuere anni viginti sex, ex quo pugna gesta est in loco Pedredan. Deinde viginti à certamine, quod gestum est juxta condensum, quod Aclea nuncupatur. Deinde ab adventu paganorum, in partes Orientalium Anglorum, anni quinque.* Ita ille. Quæ temporis ratio non patitur, ut Ethelredus Rex sequenti anno moriatur. Nam Egberti Regis initia consignavi supra ad annum octingentesimum, à quo hic præsens annus est septuagesimus primus. Egberti victoriam apud Ellandunum, posui ad annum 823. unde numerabis ad hunc annum, annos septem & quadraginta. Sunt etiam, si à præsenti anno descenderis, ad pugnam apud Pedredum fluvium (de qua anno 845.) anni prorsus viginti sex; & viginti ab illustrissima pugna, apud Acleam gestâ, anno 851. Denique hic quintus annus est, ab anno 866. quo Danos in Orientem descendisse diximus. Quæ omnia faciunt Ethelredum mortuum anno Christi octingentesimo septuagesimo primo, ut etiam Wigorniensis, Westmonasteriensis, & plerique affirmant.

XXIII. ETHELREDI MEMORIA IN BENEDICTIONE.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 3.

Utinam de mortis genere ita constaret: constat tamen sanctissimè mortuum, & memoriam ejus in benedictione fuisse: an occisus in prælio, ut aliqui volunt; an domi, aut quo loco mortuus, non ita certum. Quicquid sit, immaturâ morte decessisse deplorat Malmesberiensis, ita de fratribus, qui quinquennio tantum regnaverunt, loquens: *Ethelredus regnum paternum obtinuit, eodem numero annorum, quo fratres: miserabili prorsus & dolendâ sorte; ut immaturâ omnes occumberent morte: nisi quod tantis malis obstrepentibus, regni pueri magis optarent honestum exitum, quàm acerbum imperium: adeo animosè & fortiter, pro patriâ certamini se dabant; ut non illis imputari debeat, si minus cedebat ex sententia, quod intendebat audacia.* Fortè ex hoc loco collegerunt aliqui, violentâ morte sublatum esse Ethelredum Regem: aut certè accepto vulnere, ita afflictum; ut non multò post, obierit. Polydorus Vergilius scribit, statim à pugnâ apud Basingum, ex vulnere ibi accepto, mortuum. *Daci, decimo-sexto die post acceptam cladem, refecto exercitu, cum Anglis congressi, haud dubia spe ita illos fuderunt, fugaruntque; ut parum abfuerit, quin ille ultimus in dies conferendi signa, cum Dacis fuisset. Victor deinde exercitus, ad prædam faciendam conversus, latè omnia vastare cœpit. Qui cum liberè nimis percurreret hostium agros; inopinans incidit in insidias, quas Ethelredus illi sic furenti, coactis in unum ex cursu suis fecerat. Ibi non mediocris ab Anglis Dacorum fugientium strages est edita; haudquaquam tamen incruento milite: inter quos & ipse Ethelredus vulnus accepit, cujus*

Polyd. l. 5. fol. 95.

cruciatu intolerabili afflictus, brevi post expiravit. Fuit ille annus, cum regnare cœpit Ethelredus, sextus: qui rerum gestarum famâ adeo nomen suum celebravit; ut immaturâ morte nihil damni fecisse visus sit; cum præsertim Aluredo fratri, virtutis splendore pari, negotium suscipiendæ curæ regni moriens mandarit, quem jam pridem hæredem fecerat. Hæc Polydorus.

XXIV. ETHELREDUS SANCTUS ET MARTYR.

Verùm superfuisse Basinganæ cladi, & post duos menses, ad Merton pugnasse, supra diximus certiori suffragio. Unde probabilius, accepto ibi vulnere, postea obiisse. Et quia Christianam fortitudinem, cum eximiâ pietate conjunxerat; quia etiam Fidem orthodoxam, contra perfidos propugnaverat; posteri dederunt illi, & Sancti, & Martyris, laudem, nomenque. Enimvero provinciales, cum mortui Regis corpus Vindogladiam in Dorsetano comitatu, sive Winburniam, regio apparatu deportassent; ejus tumulo elogium inscripserunt; quod recitans Camdenus, ita præfatur: *Ethelredus Rex, princeps longè optimus, frater Alfredi, in prælio contra Danos cæsus, in hoc templo conditur; ad cujus tumulum, qui non ita pridem restauratus videtur; hæc legitur inscriptio:* IN HOC LOCO QVIESCIT CORPVS SANCTI ETHELREDI REGIS WEST-SAXONVM, MARTYRIS, QVI ANNO DOMINI 872. VIGESIMO TERTIO APRILIS, PER MANVS DANORVM PAGANORVM OCCV.BVIT. Hanc inscriptionem Martyrol. nostrum sequitur, ad dictum diem, & mensem, additque cæsum Regem ad Whittingam oppidum in Occidente: quod etiam Camdenus affirmat; sed altum apud alios de illâ Urbe silentium. Cæterùm sepeliri voluit Rex Winburnæ; ubi monasterium fundaverat Cuthburga, Inæ Regis soror, ut dictum, anno 713. n. 3. Passim enim Reges, hæc sanctitatis seminaria amaverunt; & Ethelredus inter eos: ut locuples testis est Abbenduni ædes, olim monasterium nobile, in Atrebatiis & Bercheriensi agro; cui prædia terrasque contulit, & chartam Regiam, cujus meminit Spedus; cum Ethelredi liberos recenset; & eos inter Oswaldum, qui cum patre chartam signavit: Nullibi enim illustrior est Regum Fides, quàm in Ecclesiarum & Monasteriorum extructione: sicut nullibi magis fætet adversaria factio, quàm in eorumdem destructione.

Camden in Dorset.

Sped. in Ethelredo.

OSWALDUS ETHELREDI FILIUS

XXV. ANNORUM RATIO IN REGUM INITIIS.

Superest, ut de filiis Ethelredi, & tempore regni ejus, dicamus aliqua; quæ vel supradicta, vel certè Annales illustrare possunt. De annis regni, non variant multùm Authores, nam qui quinque regni annos Ethelredo assignant; non differunt ab eis, qui sexto regni anno mortuum scribunt. Illi enim primum regni annum collocant, ad Christi annum octingentesimum sexagesimum sextum. quo revera mortuo Ethelberto, fratri successerit. Ita Huntindonius. Alii integros annos numerant, atque ita quintum non excessit. Simili modo de Alfredo philosophandum: Sunt enim qui præsentem annum, primum faciunt ejus regni: quod vel ideò dicendum, quia majorem anni partem, ab Aprili inquam, & deinceps, Regis prærogativam obtinuit. Fasti tamen, Malmesberiensis, & multi alii, regni auspicia in sequentem annum referunt. Unde aliqui, (sed malè) conjecerunt Ethelredum eo anno mortuum. De liberis, quia nemo filiorum Ethelredo successit, meritò quæri potest, an ullos susceperit. Sed quoniam Ethelwerdus, eum supra atavum vocat, facilior est quæstio. Hinc Authores,

Elfredum

Elfred' Ethelredi filius. Thyra Ethelredi filia.

Elfredum quendam Ethelredi filium nominant; putantque Ethelwerdum, ex eo descendisse. Suscepit etiam Oswaldum, qui Abindonensis monasterii privilegium, cum patre firmavit. De Thyrâ Ethelredi filiâ, referunt Hiberniæ Annales, nuptui traditam Gurmundo Danorum Regi; & ex eo suscepisse Haraldum Regem, Swani parentem, qui Canutum genuit, Angliæ Regem, de quo infrà. Nunc ad Alfredum.

ALFREDUS OCCID. SAXON. REX.

XXVI. Alfredus regnat. Resp. Anglorum distracta.

A morte Ethelredi, laboratum totâ Insula gravibus malis. Ipsi cives à se distracti; potentioribus, ubi belli fortuna plus poterat, serviebant. Languebat oppidò monarchiæ majestas; cùm Principes Pruvinciam suam tueri non valentes; vel pacis obsides inimicis dabant; vel Pruvinciam permittebant hostibus. Adde, cum nuper Ethelredus, Burrhedo laboranti adesse non posset; & à Merciis Danos avertere: Burrhedum noluisse Ethelredum juvare, quantumvis Danorum multitudine uppressum. Northumbrii etiam Principatum arrogaverant; & quisque ut poterat, suum agrum tuebatur; nullum in commune symbolum dantes. ita dum singuli pugnant, vincuntur universi. Ita calamitatem hujus temporis explicat Malmesberiensis.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

Meminerit Lector, quod interim Reges Merciorum, & Northanimbrorum, captatâ occasione adventus Danorum, quorum bellis Ethelredus insudabat; à servitio West-Saxonum respirantes, dominationem suam penè asseruerant. Ardebant ergò cuncta sævis popularibus Provincia, unusquisque Regum inimicos magis in suis sedibus sustinere; quàm compatriotis laborantibus opem porrigere curabat. Ita dum maluit vindicare, quàm pravenire injuriam; socordiâ suâ exanguem reddiderunt patriam. Dani sine obstaculo crescere, dum & provincialibus timor incresceret; & proxima quæq; victoria, per additamentum captivorum, instrumentum sequentis fieret.

XXVII. Alfredi laus.

Successit huic miseriarum cumulo Alfredus, filiorum Ethelwulfi, natu minimus, sed virtute, eruditione, & rerum piè, prudenter, fortiterque gestarum gloriâ, maximus. de quo sæpè suprà, sed nunquam satis. Nam fatiscentem rem utramque publicam, non modò nè planè laberetur, sustinuit: sed ingenti labore, innumeris ereptam periculis, in pristinum pietatis, & splendoris statum restituit, & auxit pulcherrimè. Duos & viginti ætatis annos agebat, cùm Rex Ethelredus moritur: *& erat*, inquit Westmonasteriensis, *cunctis fratribus suis formâ decentior, vultu serenior*, &c. Sed potiores fuerunt animi dotes: quas Asserus optimè doctus in scriptis reliquit. Unde Regiam hujus temporis Fidem, tam facilè eruas; quam videas esse à modernâ factione differentem. Ut enim venit ad bivium illud, in quo ratio, sensusque pro imperio certant; candidum virtutis iter arripuit impigrè, traxitque ad se sensum. Reluctabatur quidem caro; & quà ætatis vitio, quà sanguinis copiâ, tumebat in Venerem; sed Regina mens, noluit corporeæ moli servire; & ad imperium suum egregiâ arte pellexit, vel invitam. Sed quoniam castissimis Alfredi moribus nihil detractum cupio, audi Asserum, de juvene Alfredo, sic scribentem:

Westmon. hoc.

XXVIII. Asser. f. 12.

Nam ut de benevola mentis suæ devotione Deo, succinctim ac breviter loquar: Cum in primævo juventutis suæ flore, antequam propriam conjugem duceret; mentem suam propriam in Dei mandatis stabilire vellet; & se à carnali desiderio abstinere non posse cerneret. Offensam Dei incurrere, si quid contrarium voluntati illius perageret, metuens: sæpissimè Gallicantu, & matutinis horis clam consurgens, Ecclesias, & reliquias Sanctorum, orandi causa visitabat: ibiq; diu prostratus, orabat; quo Deus Omnipotens, propter suam misericordiam, mentem illius, amore suæ servitutis, multò robustiùs, per aliquam infirmitatem, quam posset sustinere: non tamen quo eum indignum, & inutilem, in mundanis rebus faceret, ad se penitus convertens corroboraret. Cumq; hoc sæpius, magnâ mentis devotione, ageret: post aliquantulum intervallum, ficii dolorem Dei munere incurrit. In quo, diu, & ægre, per multos annos laborans, se etiam de vitâ desperabat. quousque oratione factâ, à se penitùs eum amovit.

Alfredi Regis devotio in Deum.

Hæc Asserus, qui paullò superiùs, orandi consuetudinem explicans; quam Alfredus ab infantiâ tenuit, hæc habet: *Quodam tempore, divino nutu, antea cum Cornubiam venandi causâ adiret; & ad quandam Ecclesiam orandi causâ divertisset; in qua sanctus Gueryr requiescit, & nunc etiam sanctus Neotus ibidem pausat, sublevatus est. Erat enim sedulus sanctorum locorum visitator, etiam ab infantiâ; orandi & eleemosynam dandi gratia, diu in oratione tacitâ prostratus, ita Domini misericordiam deprecabatur: quatenus Omnipotens Deus, pro suâ immensâ clementia, stimulos præsentis, & infestantis infirmitatis, aliqua qualicumque leviori infirmitate mutaret: eâ tamen conditione, ut corporaliter exteriùs illa infirmitas non appareret. Oratione autem finitâ, captum iter arripuit: & non multò post tempore; ut in oratione deprecatus fuerat, se ab illo dolore medicatum esse, divinitùs sensit, ita ut funditùs eradicaretur. Quamvis & hunc dolorem, in primævo juventutis suæ flore, devotâ oratione, & frequenti Deo supplicatione pius, supplex nactus fuerat.*

Reliquias Sanctorum visitat.

XXIX. De S. Gueryr. * ad 4. Aprilis.

Sanctus hic Gueryr, cujus reliquias Alfredus religiosè frequentavit: alio nomine Guier, in nostro Martyrologio * appellatur. ubi Sacerdos dicitur, & eremita, qui severum vitæ genus in Danmonia professus; magnam sanctitatis opinionem collegit; meruitque à provincialibus coli, erectis templis, & altaribus. Mortuus ibi ponitur, hoc anno 871. & sepultus in loco, qui inde ab ipso nomen cepit. Ceterum quod ad nomen ejus attinet; olim rectiùs, non Guier, sed Gueryr dicebatur: quam appellationem à Britannis sortitus est: quod variis morborum generibus mederetur. Quod enim nunc Galli, hoc ipsum aliquando Britanni Guerir vocabant. Sed seriùs, opinor, consignatur mortis annus: nam Alfredum priùs curavit, quàm Alfredus uxorem duxerat, ut ex Assero colligitur. qui clarè dicit eum, cum alio morbo, à vigesimo ætatis anno, usque ad quadragesimum quintum, diu noctuque conflictatum esse. Unde à Sancto, jam in cœlis regnante, sanatus est, ante ætatis annum vigesimum, hoc est, Christi 868. quo Alfredo uxorem conjunximus: Incertus ergo est annus mortis; sed certa, & miraculis confirmata viri sanctitas; quæ Alfredum juvenem, ad Ecclesiam in qua jacebat, traxit, & sanitati restituit. Locus ille, à Sancto nomen accepit; donec Neotus, qui adhuc vivebat, & de quo postea *; cum illo sepeliri voluit. & tunc sancti Gueryr obliterato nomine, locus in sancti Neoti appellationem transiit; hodiéque ita dicitur,

* v. an. 878. num. 3. &c. & 886. n. 9. & 890. n. 18.

Camd. in Cornvval. A. fol. 191. teste Camdeno; qui Alfredi meminit, à sancto Gueryr eo in loco, persanati, post fusas ad eum preces.

XXX. ALFREDI INTEGRITAS.

Eminuit certè in omni sanctissimi Regis vita, magna in Deum Fides, studiumque illi placendi: unde teneræ religiosæque mentis argumenta fluxerunt plurima, quæ suis locis prosequemur. Nec minimum fuit, quod hoc ipso anno, priusquam regnum iniit, palam ostendit: eum Regis nomen dignitatémque tamdiu declinavit; donec cognati omnes, & quotquot poterant Regii sanguinis jus prætendere, illi omnem Regiæ dignitatis prærogativam cesserint. testatur hoc Alfredus in testamento, quod ante mortem condidit; cujus partem hic refero, daturus infra * reliquum. *Audivi*, inquit, *quòd omnes cognati mei, in soporem mortis resoluti erant. Et ita hereditas Ethelwolfi Regis, patris mei, ad me devoluta est, per chartam inde confectam, in consilio nostro generali, apud Langdene. Quam quidem chartam liberè legere jussi, coram testibus totius West-Saxoniæ. Quando verò relecta fuerat; tunc mandavi illos omnes qui aderant, & securitatem mihi facere præcepi, pro meo amore; si unquam audient de aliquo, vel cognoscerent; qui de hereditate mea aliquod jus acclamare justè posset, quod nunquam ad meum auditum antea pervenit. Et iterum locutus sum ad eos in hæc verba: Rogo vos dilectissimi: quòd nemo pro amore, aut odio mei, parcat veritatem annunciare; sed summopere consentiat veritati. Quia mea voluntas non est, aliquem meorum consanguineorum in aliquo dishæreditare. Et tunc omnes Principes, & seniores populi mei, sub firma attestatione dixerunt; quod nunquam ad eos devenit notitia de aliquo, qui justiorem haberet titulum, quàm egò: nec cogitare noverunt de aliquo, neque in scriptutis invenire potuerunt.* Hæc omnia Alfredus.

** vide an. 881. n. 5*

apud Asser. in Testamento Alfredi.

XXXI. ALFREDUS UT AURUM PROBATUR.

Quæ Regii juvenis ornamenta dum considero; eximiam pietatem, castam imprimis, tenerámque mentem, & divino timore plenam: virum coronâ dignissimum, & benè Romæ doctum censeo; qui ita pro castitate, justitiâque pugnavit. Sed aurum hoc, non solùm in clibano infirmitatis, sed in calamitatis fornace probari debet; ut splendeat illustriùs. Mutilam enimverò, laceràmque coronam, hoc anno induet, & plures annos ærumnosè portabit: quam tandem, quà rerum adversarum patientiâ; quà orationum assiduitate; quà Sanctorum, & Dei imprimis cultu, eleganter resarciet: & demum in eum felicitatis verticem emerget, qui Regiæ pietati, & virtutibus debebatur. Ille enim feliciter regnare dicendus est; non qui fortunæ blandientis lenociniis servit semper: sed qui omni infortunio major, servat in adversis constantem mentem: & Deo plenus supernè suspiciens, calcat omne quod infernè jacet. Talis Alfredus, qui novennio cum Dano congressus, ab eo sæpè victus, & prostratus, integerrimè semper sibi, Deóque constitit: & quò magis adversariâ manu terebatur; eò suaviùs expandit lucem, & odorem suum. Multa sunt & illustria ejus facta, quæ operosum est κατὰ μέρος prosequi. Hinc Malmesburiensis oneri succubuit, cum de Alfredo narraturus dixit: *Laborum ejus inextricabiles labyrintos sigillatim evolvere, non fuit consilium: propterea quòd sit legentium quædam confusio gestorum, per omnes annos recenseo. Nam quia exercitus hostilis, per eum, vel satellites ejus, ab unâ parte regionis fugatus, in alteram secedebat: rursusq; inde pulsus, alia loca petebat; omnia capiens, & cædibus complens; eum quoque scripto sequi, & ut ita dicam, cum eo Insulam circuire, forsitan quis dixerit extrema esse dementia.* At meum est hoc periculum subire, qui Annales scribo: quod si non plenè, & pro argumenti dignitate præstitero, Lector ignoscet. Nam magnitudo rerum, ab eo benè, & è virtute gestarum, veniam impetrabit.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

XXXII. ALFREDUS IURE REGNUM AUSPICATUR.

Principio tegam hunc solem, multo miseriarum nubilo; quod Danus utrique Reip. induxit, & eo Regem exercens, fœdissimis nimbis Insulam corrupit; adeò, ut non nisi Sanctissimi Principis virtute, & invictâ patientiâ exsiccari potuerint. Inde serenatis rebus, in lucem producam dignissimum suo orbi sidus. Narrationis exordium erit, à morte fratris Ethelredi: cui Alfredus succedere, tam patris ultimâ voluntate, quàm fratrum pacto, civiúmque suffragio, jubetur. Sed ipse reluctari primùm, infirmam ætatem prætendere, Provinciæ magnitudinem ac difficultatem, hostis arrogantiam atque potentiam: se denique novitium & oneri imparem esse. Verùm noluit civis amantissimo Principe, & jam inde à puero pontificiâ manu designato, uncto, coronato, carere. Cessit ergò, & hoc anno, in regnum successit: non animo, qui solet plerumque juvenes efferre: præesse, inquam, molliter, & delicatè esse, denique dominari; sed ad malorum tolerantiam, pro Deo, Ecclesia, & civibus, obstinato. Porro vix unum mensem regnarat, cum militem educere, & Imperatorem agere cogitur; quod in hunc modum refert Asserus, & unà Alfredi Regis initia.

XXXIII. *Asser. hoc.*

Eodem anno (inquit, & intelligit annum 871. quo moritur Ethelredus) *Ælfred supra memoratus, qui usque ad id temporis, viventibus fratribus suis, secundarius fuerat; totius regni gubernacula; divino concedente nutu, cum summa omnium illius regni accolarum voluntate confestim, fratre defuncto suscepit. Quod etiam vivente prædicto fratre suo, si dignaretur suscipere; facillimè cum consensu omnium, potuerat invenire. Nempe quia & sapientiâ, & cunctis moribus bonis, cunctos fratres suos præcellebat. Et insuper eò quòd nimiùm bellicosus, & victor propè in omnibus bellis erat. Cumq; regnare propè quasi invitus, uno mense impleto cœperat: Nimirum enim, non putabat in se, divino fultus auxilio, tantam paganorum solus unquam posse ferre austeritatem: quinetiam viventibus suis fratribus, cum magna detrimenta sustinuisset: contra universum paganorum exercitum, in monte qui dicitur Wiltun, qui est in meridianâ ripâ fluminis Guilou, de quo flumine, tota illa paga nominatur; cum paucis & nimium inæquali numero, acerrime belligeravit. Et cum hinc inde, utrique hostiliter, & animosè, non parvâ diei parte, pugnarent; Pagani ad integrum, suum periculum propriis suis conspectibus cernentes, & hostium infestationem diutius non ferentes, terga in fugam verterunt. Sed proh dolor! per audacitatem persequentium, decipientes iterum in prælium prodeunt, & victoriam capientes, loco funeris dominati sunt.* Hæc Asserus.

PUGNATUM IN WILTONIENSI PROVINCIA.

XXXIV. AD ELLANDUNUM OPPIDUM.

Pugnatum ergo, hoc anno, ad Ellandunum; quod hodie à Willey fluvio, quem author supra Guilou, Wigorniensis Guilon, vocat: sed olim à Ptolomæo, Alanum appellatum esse suspicatur Camdenus; qui de hoc prælio loquens, ita scribit: *Ad hoc etiam oppidum, anno reparatæ salutis,*

octingen-

Camden in Wiltshire.

BURRHEDUS CUM DANO PACISCITUR.

Westm. his.

Asser. hic.

octingentesimo septuagesimo primo, Alfredus cum Danis congressus; primò victor, ancipiti Martis alea statim devictus, signa retulit. Dejecit hæc Danorum victoria Alfredi res, & Saxonum animos: præsertim ubi cum infideli hoste pacisci, venalemque pacem precari, cogerentur. Quod factum à Burrhedo Merciorum Rege, cum Danus hoc anno Londinum venit, ibique hiemavit: *Cum quibus etiam Rex Merciorum* (loquitur Westmonasteriensis) *Burrhedus amicabiliter componens, pecuniâ inducias impetravit.* Opinor idem ab Alfredo factum in Occidente; sed ea lege, ut inde Danus discederet. *Eodem quoque anno,* inquit Asserus, *Saxones cum usdem paganis, ea conditione, ut ab eis discederent, pacem pepigerunt; quod & impleverunt.* Ex Occidente sortè Londinum, Merciorum Metropolim, ascendentes. Et hic finis præliorum hujus anni. attritis quidem Saxonum viribus, sed Danorum potentiâ, quà novorum auxiliorum accessu, quà civium defectione, crescente.

XXXV. POLYDORUS ARGUITUR.

Polyd. l. 5. fol. 96.

Hinc apparet Urbinatem Polydorum, in Rep. nostrâ peregrinum fuisse, cum scripsit in hunc modum: *Alvredus rerum potius, primo quoque tempori rei causâ, Romam profectus est; ubi Regia corona ab Hadriano secundo Romano Pontifice rursus honestatur; qui fuit annus Salutis octingentesimus septuagesimus secundus. Quocirca quadrare non potest, ut à Leone IV. id decoru susceperit; sicut quidam eatiou tempori altè indormientes, falsò prodiderunt.* Sed fallitur hic hospes; & Asserum nostrum aliosque antiquiores, qui magno consensu Alfredi unctionem & coronationem à Leone IV. factam, clamant; vel non legisse visus est; vel, quòd æquè dedecet, non curasse. Ipse igitur, hac vice, & tempori, & rebus, satis altè indormit, qui Alfredum, lacerâ Rep. Romam ivisse, & provinciam Dano, prodidisse, arbitratur. Verum quidem est, & ab aliquibus* notatur; Alfredum, sub regni initium, Wintoniæ, regiâ cæremoniâ coronatum esse. Sed quòd foras iverit, aut rursùm à Rom. Pontifice coronam acceperit, nemo prodidit. Sunt qui tradant, curandæ valetudinis causâ, in Hiberniam concessisse ad Moduennam Virginem, miraculorum fama illustrissimam: & ab eadem ibi curatum esse. Ita legitur in Virginis vitâ apud Capgravium. Sed pendeo satis in præbendo assensum: & nescio, quò illa profectio referri debeat. Cur enim ante ætatis annum vigesimum discederet in Hiberniam, qui domi medicum habebat, sanctum Guerir; à quo etiam curatus est: cur autem postea, rebus in patriâ periclitantibus, patriam desereret, aut curari potuerit in Hiberniâ; qui gravi ægritudine laborasse dicitur, ad ætatis annum quadragesimum septimum. quo tempore dudum obierat sancta Moduenna; scribitur enim in nostro Martyrologio, mortua sub annum Domini octingentesimum septuagesimum.

** Sped. in Alfredo.*

MODUENNA VIRGO SANCTA.

XXXVI. DE SANCTA MODUENNA VIRGINE.

Quoniam verò Sanctissimæ Virginis facta est mentio; hic opportunè ea referam, quæ utiliter, & religiosè in hac Insulâ præstitit. Illa enim, in Hiberniâ quidem nascitur, & ibidem moritur: sed aliquot annos in Angliâ vixit, monasteria exstruxit, Virgines erudivit, multa ibi suæ sanctitatis monumenta reliquit; & demum à morte ibidem quiescere voluit, ut statim dicam. Sed priùs tollendus error, qui in Sanctæ Moduennæ vitam irrepsit, biographis nimiùm familiaris. Nunc enim ad Sancti Patricii, qui Hibernos docuit, tempora; nunc ad Athulphi, sive Ethelwulfi, & Alfredi Regis annos, Moduennæ Virginis acta recensentur. Quasi verò, quæ à Sancto Patricio, Hibernorum Apostolo, sanctimonialis habitum suscepit; Alfredum nostrum sanare, aut ejus tempore monasteria in Britanniâ exstruere potuerit. Opinor igitur, inaccuratè factum; ut duarum Virginum præclaræ virtutes; confusâ nimiùm ratione temporis, ad unam, nominum similitudine, referantur. Monenna potuit à M. Patricio doceri; Olitham nostram, & alias in Britanniâ Virgines erudire; aliáque facere prioribus sæculis propria. ut suprà adverti an. 653. num. 7. Sed distingui debet ab eâ, vel ad quam Alfredus ivisse dicitur: vel potiùs, quæ in Angliam ad Alfredum venit, ut dicetur: & communiter Moduenna appellatur: scribiturque mortua anno superiori. De qua hæc dici possunt, quæ refert Capgravius in ejus vitâ.

XXXVII.

Capgrav in Moduen.

Alvredus, filius Adulphi Regis West-Saxonum; qui maximam ægritudinem à multis diebus contraxerat; de qua nullus eum Medicus sanare poterat: auditâ hujus Virginis (Moduennæ) *famâ; cum magno Comitatu, mare transiit; Virgini sanctæ infirmitatis molestiam exposuit: & ut preces ad Deum pro eo funderet, suppliciter exoravit. Illa verò Fidem ejus considerans, pro salute suâ Deum rogavit. & sanitati restituit.* Et paullò post, de Moduennæ in Britanniam adventu, ac sanctis ejus operibus, hæc habet idem author. Moduenna, *assumpta Athea Virgine, ad patrem Alvredi, quem sanaverat, pergens, honorificè suscepta est. Et commendavit ei Rex Athulphus, sororem suam Virginem Editham nomine, Christo consecrandam; quatenus sub ejus disciplinâ, in habitu sanctimoniali, piâ devotione Deo servire posset. Tradidit illi Rex terram, quamcumque ipsa voluit, & ubi elegit. Tunc Virgo sancta, duo construxit monasteria, unum apud Pollesword, in Ardenna; ubi Atheam cum sorore Regis manere fecit. Alterum apud Strenesbalem, in quo ipsa orationibus vacans, aliquantis diebus solitaria mansit.* Quod ad prius monasterium pertinet, notum est apud Polesworth in Warwicensi agro, cœnobium fuisse, & Ecclesiam ab Edithâ sancta nuncupatam. Sed quænam fuerit illa, an Edgari, an Edoardi senioris, an verò Egberti filia; video posse controverti. Edgarus enim Rex, filiam habuit sanctissimam, Virginem, Editham nomine. Verùm illa posteriùs in Wiltoniensi provinciâ illustris fuit; ibique sanctimonialem induens, piè moritur, ut infra* dicetur. Edoardi filia Eadgitha, passim etiam Editha vocatur, & illa sine dubio, Reginæ fastu deposito apud Polesberiam sanctè consenuit; ut infra* etiam dicetur. Editha verò, Egberti filia, Ethelwolfi soror, *ab Athea docta,* inquit Spedus, *monasterio præfecta est; quod ei frater donaverat, apud Polesworth, ubi vixit, mortua est, & cum honore sepulta; ob cujus reverentiam, locus ille, a S. Editha nomen sortitur.* Accedit Camdenus asserens, Muduennam Hibernam, miræ sanctitatis fœminam, ibi monasterium erexisse. Hanc Editham inter Sanctos collocat author Martyrologii ad 14. Maii; sed malè Edgari Regis sororem vocat.

EDITHA ETHELWOLFI SOROR.

MONIALIS IN POLLESWORD.

EDITHA EDGARI FILIA.

MONIALIS IN WILTON.

v. an. 926. a.

Sped. in Egberto.

Camden in Warwickshire.

XXXVIII.

Quod ad aliud monasterium attinet, Strenesshalen, nihil habeo dicere: nec enim intelligi posse videtur locus ille, in Brigantibus, qui Bedæ tempore Strenesbalk, & sinus Phari audiebat; & quem

posteri Whitby vocaverunt; nam dudùm ibi regularis disciplina, & sacræ Virgines floruerant. Fortè ergò intellexit Author, locum illum, quem Moduenna, solitudinem quærens, elegit in Cornaviis, & Staffordiensi agro: ubi Trenta fluvius, cum Tama consociatus, per loca alabastrite fœcunda, cursum in Septentrionem deflectit; ut citiùs Dovum excipiat, & Burton, *alabastrinis operibus* (ut Camdenus) *antiquo monasterio, ab Ulfrino Spot, fundato, & Modwenna Hibernica mulieris secessu, quondam insigne oppidum, fero circumlambit.* Hunc certè locum non solùm vivens Moduenna incoluit; sed in patriam reversa, ibique moriens, in sepulturam elegit. Nam sequitur in ejus vitâ. *Demissa tandem in Angliâ, Athsâ & Iuge Virgine, ut monasteriis præessent; assumptâ secum Brigidâ, in Hiberniam transfretavit; & monasterium Cellisclinis vastatum, de bonis à Rege Athulfo sibi collatis, in statum pristinum restauravit.* Verùm priusquam discederet, an in ipso oppido, aut potiùs prope illud, Moduenna vixerit, Ecclesiam castruxerit, & septennio orationi vacaverit; memeritò dubitatur. Iterùm enim ex Hiberniâ, in Britanniam transiisse, & paulò diutiùs commoratam legimus. Nam eo sæculo vixit; quo peregrè Romam, aliáque loca proficisci, pietatis causâ, & adversa patiendi, religio putabatur. Unde Moduennam sæpiùs ex Hiberniâ Romam, & inde aliquando in Britanniam appulisse, habet Author qui suprà. Nam ait post aliqua, locum ferè describens ubi septennio vixit.

Capgrav. in Moduenna.

XXXIX. MODUENNA ROMAM PROFECTA, ET QUORSUM. *Idem supra.*

Tribus vicibus Moduenna nudis pedibus, in cilicio, cum Lazarâ Virgine, Romam profecta est. Hoc enim iter fecit, velut in peccatorum pænitentiam; & quasi vellet nullum de suis excessibus impunitum relinquere: & qua cuperet corpus suum, diversis generibus cruciatuum usquequaq; castigare. Rediens autem de Roma, in Angliam venit, ad locum, qui vocatur Scalecliffe; ubi juxta montem, vidit in fluvio Trenta, modicam Insulam, in quâ, oratorio in honore Sancti Andrea constructo, septem annis anachoreticè vixit. Unde & usque hodie Andresefa, id est, Andrea Insula nuncupatur. In loco, qui nunc Bredonia dicitur, habitavit illo in tempore, religiosus quidam Eremita, qui auditâ hujus Virginis famâ, venit ad eam; & deferebat ei vitas Sanctorum, in quibus se reficiebant. &c. Hinc ferè colligimus Moduennæ oratorium, ædémque Sancto Andreæ sacram, in Staffordiensi, & Leicestrensis agri confinio fuisse: sed ubinam illa Insula, in Trenta fluvio sita, nè vestigium quidem apparet, nisi fortè Insulæ nomine locum intellexeris, lacubus ferè circumdatum, qui in Trentam, vel vicinos rivos influeret. Et tunc suspicio esse poterit, Virginem ibi Sanctum Andream coluisse; ubi nunc Aunsley oppidulum, non procul à Burton. quem locum Tama & Dovus fluvii, circumluunt. Si hæc conjectura displicet, oratorium Sancto Andreæ, propiùs ad Trentam positum à Moduennâ fuit; ubi ferè nunc Burtonense est oppidum, quod à Sanctæ Moduennæ secessu, & multò magis à sepulchro ejus, incrementum cepit. & eò, facili itinere venire poterat Eremita religiosus, qui Sanctorum vitis Moduennam recreabat. Nam Bredon, Leicestrensis agri oppidum, non procul inde. Porrò ut locum illum Virgo Sancta dilexerit, patet legenti vitam ejus. ubi hæc de moriente Virgine habentur.

ORATORIUM S. ANDREÆ.

XL. MORITUR S. MODUENNA.

Capgrav. supra.

Transiens igitur in Hiberniam, cum centum triginta esset annorum infirmitate depressa, vocatis sororibus suis, inter cætera dixit: Pecten meum, ligneum, ligonem, & sarculum, cæteraq; utensilia mea, in quibus operata sum, Cellicliniis monasterio concedo. Reliqua verò mea, cum baculo meo disponente Deo, in terram aliam deferentur. His dictis apparentibus ei Apostolis beatis Petro & Paulo; tertio nonas Iulii; septimo à natali eorundem Apostolorum die; feliciter ad cælos migravit, &c. Cum autem corpus sanctum, ad tumulum deferretur: facta est contentio magna, de habendo corpore ejus, inter Hibernenses Scotos, & Anglos ibi congregatos. Sed tandem Columkillum Episcopum adierunt, & ejus tellum judicium petierunt. Qui post multas partium altercationes, dixit: Eligite ex vobis omnibus octo robustos homines, qui feretrum cum baculo, in humeris portent: & quocumque Dominus voluerit, feretrum deducant. Quo facto, miro modo, divinâ voluntate compulsi; versi ad Angliam recto itinere, sanctum corpus deferre cæperunt. Tunc sanctus Episcopus, virtute Dei cognita, Anglicis corpus sanctum concessit. Unde & ad Angliam delatum, apud Andreseiam honorificè sepultum est. Postquam autem monasterium desuper Trentam fundatum est, reliquiæ sanctæ Virginis, illuc translatæ sunt. Hæc ibi. Quievit ergo Moduenna Virgo in Andreseia, ad annum usque millesimum quartum: tunc enim primo Ulfricus Spotrus, Merciorum Comes, Burtonense monasterium fundavit. Tunc conditum ibi corpus, cum hoc Epitaphio: ubi non in Hiberniâ, sed in Scotia ponitur obiisse.

Ortum Modwenna dat Hibernia, Scotia finem
Anglia dat tumulum, dat Deus astra poli.
Prima dedit vitam, sed mortem terra secunda:
Et terram terra, tertia terra dedit.
Aufert Lanfortin, quam terra Conallea profert:
Felix Burtonium Virginis ossa tenet.

apud Camd. in Stafford. A.

XLI. TEMPORIS RATIO.

Scio multa, quæ de Modwenna referuntur, duorum monasteriorum fundatrice; ad septimum sæculum, à Baronio aliisque referri: ut ibi* dictum; cum Osithæ Virginis Martyrium recensui. Sed, opinor, multò rectiùs, ad nonum hoc sæculum, Moduennæ sanctitas primùm innotuit. Illa igitur, quæ Ositham docuit, Sigheri Orientalium Saxonum Regis, conjugem; incorruptam tamen; Modwenna forsan appellari potuit; sed differt ab illa, quæ Alfredi tempore fuit illustris, quæ fortè prioris Modwennæ sanctitatis æmula, in ejus nomen successit: & certè familiare Sanctis fuit; Sanctorum, quos imitari cupiebant, nomen assumere. Hinc fortè, Ositha quoque alia, hoc tempore floruit, quæ à Danis longè probabilius occidi potuit; quàm illa Sigheri quondam uxor, de qua ad annum Christi 653. & 673. Nam qui Moduennam ad hoc sæculum referunt; Ositham quoque ab ea doctam affirmant. Polydorus cum Ethelwolfum sepelivisset: *Per idem tempus*, inquit, *florebant sanctitate vitæ virgines, Moderenna apud Hibernos; Athea, & Ositha, apud Anglos. at ista à Danis morte afficitur: illæ verò, nullis fortunæ telis petuntur.* Harpesfeldus etiam, dum nonum sæculum percurrit, & Merciorum cœnobia; hæc habet in rem præsentem. *Conditum est, hoc sæculo, sacrarum Virginum, apud Pollisworthum, juxta silvam Ardeniam, in Cestrensi diœcesi, per beatam Modwennam cœnobium. Illi divam Editham Alfredi Regis sororem, quæ ibi usque ad nostra tempora religiosè colebatur, præfecit. Ipsa verò, apud aliud*

* v. an. 653. n. 7.

OSITHA SANCTA, A DANIS OCCISA.

Polydor. l. 5. fol. 94.

Harpesfel. sæc. 9. c. 19.

monaste-

monaſterium, quod propè Streneshalium condidit, verſata eſt. Modunna diſcipula, fuit diva Athea, & diva O'tha. Ad hanc Moduennam dicitur Ethelwolfus Rex, filium Aluredum, deplorato quodam morbo implicitum, curationis gratiâ, in Hiberniam tranſmiſiſſe. Quæ & cænobia, quæ commemoravi, poſtea concidiſſe; & ſeptennio ante vitæ exitum, in ſilva Andreſie, non procul à Burtonia, ſolitariam vitam traduxiſſe, traditur. Hujus defunctæ reliquiæ, in Burtonenſe cænobium, poſtea conditum, tranſlatæ ſunt. Obiit tertio nonas Iulii. Hæc omnia Harpesfeldus.

Mart. Angl. 5. Iulii.

Et eodem die nomen ejus inter Sanctos recitat Martyrologium noſtrum: ubi mortua ponitur circa annum Domini octingenteſimum ſeptuageſimum.

XLII. ETHELREDUS DOROVERNENSIS EPISCOPUS.

Antiq. Brit. in Ethelredo

Hoc anno Dorovernenſis Eccleſia Antiſtitem accepit, quæ ab anno ſuperiori, & morte Ceolnothi, vidua manſerat. Succeſſit ergo *Ethelredus, vir venerandus*, inquit Parkerus, *& in rebus divinis inſigniter eruditus: monachus primò Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis, deinde Epiſcopus VVintonienſis; poſt, Ethelredi Regis munificentiâ, ad ſedem Dorovernenſem eſt aſſumptus.* Ita ille. Vacat ergo Wintonienſis, & Altrithus, qui ibi ſedit (quem etiam Alſerthum vocavi) ab anno 862. in novum nomen, ſedemque ſucceſſit. Quis ille in Wintonienſi ſubſtitutus ſit, dicam anno 875. n. 8.

ANNUS CHRISTI 872.

HADRIANI II. PAPÆ 5.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 2.

BURRHEDI MERC. REG. 21.

I. WOLFERUS EBORACENSIS EPISCOPUS, SEDE PELLITUR

KINEBERTUS LICHFELDENSIS MORITUR. SUCCEDIT TUNBRITHUS. ALHUNUS WIGORNIENSIS MORITUR. Antiq. Brit. fol 74. SUCCEDIT WEREFRIDUS.

SEQUITUR Chriſti annos octingenteſimus ſeptuageſimus ſecundus; quo turbatis rebus omnibus; Eccleſia quoque in luctu fuit, multis paſtoribus viduata. Nam præter Wulferum Eboracenſem, à civibus ſeditioſè, provincia & ſede pulſum, moritur Kinebertus Lichfeldenſis Epiſcopus; cui Tunbrithus ſucceſſit. Alhunus etiam, qui ab anno 848. Wigornienſem Eccleſiam rexerat, naturæ debitum ſolvit. In quam ſedem Alfredus Rex, Werefridum ſubſtituit: *Cujus eruditio* (inquit modernorum unus) *tanta laude celebrabatur: ut cum feliciſſimus Princeps Alfredus, excellentis doctrinæ viros, in ſuâ Regiâ curia foveret & aleret: inter hos in aulam vocatus VVerfridus tanquam anteſignanus prælucebat.* Conſecratus eſt hoc anno, ab Athelredo Dorovernenſi, ſeptimo Idus Junii, die Pentecoſtes. Hic eſt ille, qui Alfredo jubente, M. Gregorii dialogos in Saxonicam linguam tranſtulit; quod illo ſæculo non erat in poſtremis. Enimvero ita belli ſtrepitus Anglorum mentes ſtupeſecerat; ut omnis cultior literatura, ſine cultu eſſet. Alfredus quidem nitebatur contra; gnarus Remp. tam doctrinâ, quàm armis ſtare: fruſtráque armari ferro manum, ſi melior animus ornamentis caret. Verùm cum hactenus occupaſſet omnia miles, moréſque ab humanitate ferè abiviſſent; vix erat in Inſula reperire hominem, qui ſtuporem hunc exuere, mentéſque provincialium politioribus diſciplinis noſſet excolere. Alfredus ideo, etiam ſtrepente adhuc hoſte, inſigniter vigilavit: ut literati homines diligentiſſimi quærerentur; quæſiti ad curiam ſuam; infinitis etiam precibus, & quibuſcunque præmiis, traherentur. Ita factum, ut brevi, principes in omni ſcientiâ viri, in Angliam venerint; & abſterſâ mentium rubigine, homines variè, & moribus & eruditione expoliaverint.

II. VIRI HOC TEMPORE INSIGNIORES. Aſſer. f. 14. WEREFRIDUS. NEOTUS. PLEGMUNDUS. ATHELSTANUS & WERWOLFUS.

Sic, ut à noſtris incipiam, in Wigornienſem Sedem invitatur Werefridus, qui inter Saxones, eximius cenſebatur; & *in Scriptura divinâ bene eruditus* teſte Aſſero. Ex Orientalibus Anglis nobili genere natus, ad curiam invitatur Neotus Aldulphius; vir magnæ doctrinæ, ſummæque integritatis, & Alfredo Regi magnarum rerum author, ut infra. E Merciis elegit Rex Plegmundum, quem poſtea Dorobernenſi Eccleſiæ, ob doctrinæ & probitatis opinionem præfecit. Athelſtanum etiam, & Werwolfum ſacerdotes à literis commendatos, Alfredus Rex in honore habuit: *& poteſtatibus extulit in regno Occidentalium Saxonum* (loquitur Aſſerus) *exceptis his quæ Plegmundus Archiepiſcopus, & VVerfrithus Epiſcopus, in Mercia habebant. Quorum omnium ſapientiâ, & doctrinâ, Regis indeſinenter deſiderium creſcebat, & implebatur. Nam diu noctuque, quandocunque aliquam licentiam haberet; libros ante ſe recitare, talibus imperabat. Non enim unquam ſine aliquo eorum ſe eſſe pateretur. Quapropter penè omnium librorum notitiam habebat. Quamvis per ſemetipſum, aliquid adhuc de libris intelligere non poſſet. Non enim adhuc aliquid legere inceperat.* Hæc ille, de Regis induſtria, in colligendo homines; qui diſtractos civium mores, & rudes hominum mentes eruditè formarent. Sed illa tunc multò patuit illuſtriùs; cum quietem in provincia nactus; muſas colere; &, eo medio, priſtinam Reip. lucem potuit inducere, ac provincialium animis humaniter irrepere. Nunc tantum viduis Eccleſiis ita proſpexit; ut quotquot in regno digniſſimi cenſebantur; non ſub modio, ſed ſupra candelabrum expoſiti lucerent.

III. WEREFRIDUS TRANSFERT DIALOGOS S. GREGORII. Cent. 9. fol. 571. COMMENTUM MAGDEBURGENSE. REFELLITUR.

Hanc ob cauſam, Werefridum Wigornienſi Eccleſiæ præfecit; juſſitque M. Gregorii dialogos exponere; ut inde Chriſtiani hominis officium, pietatémque diſcerent illi, qui Gregorio Apoſtolo gloriantur. Hanc pientiſſimi Regis mentem pervertunt quatuorviri Magdeburgenſes; qui reverâ pervertunt omnia. Sic enim illi: *VVerefridus VVigornienſis Epiſcopus, juſſu Regis Alphredi, tranſtulit dialogos Gregorii Magni, in linguam Saxonicam, ad propagandas opiniones fanaticas de Purgatorio.* Qoaſi verò doctiſſimè ab Epiſcopo laboratum ſit; & piè ab Alfredo Rege ſuggeſtum; illud Chriſtianis tanto molimine perſuadere, de quo nemo dubitabat. Verùm deme hos quatuor Criticos; cæteri omnes tam antiqui quàm recentiores, Alfredi induſtriam, & Epiſcopi operam laudaverunt. Unum profero, Arcanorum Alfredi conſcium, qui ſtudium ejus in expoliendâ juventute, in hunc modum, multò ſinceriùs explicat. Alfredus *Epiſcopos ſuos, & omnem Eccleſiaſticum ordinem, Comites & nobiles ſuos, miniſteriales etiam, & omnes familiares, admirabili amore diligebat. Filios quoque eorum, qui in Regali familiâ nutriebantur, non minùs propriis diligens; omnibus bonis moribus inſtituere, & literis imbuere, ſolus die, noctuque, inter cætera, non deſinebat. Sed quaſi nullam in his omnibus conſolationem haberet, & nullam aliam intrinſecus, &*

Aſſer. f. 15.

extrinſecus

extrinsecus perturbationem pateretur: Ita tamen quotidiana, & nocturnâ anxius tristitiâ, ad Dominum, & ad omnes qui sibi familiari dilectione adsciti forent, querelabatur, & assiduo gemebat suspirio: eo quod Deus Omnipotens eum expertem divinæ sapientiæ, & liberalium artium fecisset. In hoc, pium, & opinatissimum, atque opulentissimum Salomonem Hebræorum Regem æquiparans: qui primitus despectâ omni præsenti gloriâ, & divitiis; sapientiam, à Deo deposcit; & etiam utramque invenit, sapientiam scilicet, & præsentem gloriam. sicut scriptum est: Quærite ergo primùm regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia præstabuntur vobis.

IV. *Sed Deus, qui est semper inspector internarum mentium, meditationum, & omnium bonarum voluntatum instigator: nec non etiam, ut habeantur bona desiderata, largissimus administrator. Nec enim unquam aliquem benè velle instigaret; nisi & hoc, quod bene & juste quisque habere desiderat, largiter administraret: Instigavit mentem ejus intrinsùs, non extrinsecùs: sicut scriptum est: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Coadjutores bonæ meditationis suæ, qui eum in desiderata sapientia adjuvare possent; quo ad concupita perveniret, quandocumque posset, acquireret. Qui subinde quasi apis prudentissima, quæ primo mane charis è cellulis consurgens, æstivo tempore, per incerta aëris itinera, cursum veloci volatu dirigens; super multiplices, ac diversos herbarum, olerum, fruticum flosculos descendit, probatq; quid maximè placuerit; atque domum reportat, mentis oculos longius dirigit: quærens extrinsecus, quod intrinsecùs non habebat: id est, in proprio regno suo. At tunc Deus quædam solatia Regiæ benevolentiæ; tam benevolam & justissimam querelam illius diutiùs non ferens; velut quædam luminaria transmisit: Werfrithum scilicet Wigorniensis Ecclesiæ Episcopum, in divinâ scilicet scriptura benè eruditum: qui imperio Regis libros dialogorum Gregorii Papæ, & Petri sui discipuli, de latinitate primus in Saxonicam linguam, aliquando sensum ex sensu ponens, elucubratim, & elegantissimè interpretatus est. Deinde Plegmundum, Mercium genere, Doroberniensis Ecclesiæ archiepiscopum; venerabilem scilicet virum, sapientia præditum: Æthelstan quoque & Werwulfum Sacerdotes, & Capellanos Mercios genere, eruditos. Quos quatuor Ælfred Rex, de Mercia, ad se advocaverat, & multis honoribus, & potestatibus extulit, in regno Occidentalium Saxonum.* Hæc omnia Asserus.

V. ALFREDI MENS, ET SENSUS ERUITUR IN VIRORUM DELECTU.

Quæ ideo à me allata; ut Alfredi mens, & consilium in virorum delectu pleniùs cognoscatur. Quod opinor illi multo rectiùs inspexerunt, qui cum eo versati, intus hominem, & in cute, noverunt: quàm qui post septingentos annos, à majorum suorum fide degeneres, abiverunt in errores plurimos, qui stare omnino non possunt, nisi illustrissima Regum, & sanctorum virorum facta concidant, aut denigrentur. Castissimam Alfredi mentem, in ornandâ sanctiore Rep. in seligendis viris, qui Ecclesiæ Anglicanæ dignitatem sustinerent; in providâ prudentique curâ; ut literatorum hominum sementis esset æterna: quo nihil in Christiano Principe illustrius, dici, aut cogitari potest: factiosi homines imperiti dehonestant: & phanaticum Regem facere vellent, quem authores omnes, & quotquot Alfredi acta, aut nomen audiverunt, sanctissimum Regem fatentur. Missis ergo calumniis, quæ veluti umbræ, pulcherrimæ imaginis decorem sugent; Alfredi reliquis prosequamur: studium imprimis fovendi Ecclesiam, & nominandi viros è propinquo, qui animarum procurationem susciperent. Nam quos è longinquo postea vocavit: hoc est, quos vel è Britannorum Rep. vel è Galliâ, aut Belgio mutuavit; dicam infra opportuniùs, cum explicare Rex pietatis sinum, & serenatâ provinciâ, lucere potuerunt Ecclesiæ.

VI. BRITHREDUS LINDISFARORUM EPISCOPUS ULTIMUS.

Jam diu Lindisfarorum Ecclesia Antistite caruerat: nam ab Aldulfo, qui dudum obierat, incertum quo anno; nemo in sedem illam successerat: vacantem ergo per annos circiter quinquaginta, primum hoc anno occupat Brithredus, qui novus & ultimus Lindisfarorum Episcopus scribitur. de quo non aliud legitur, quàm quod habet Godwinus in Catalogo: *Post mortem*, inquiens, *Ealdulfi, multos per annos vacavit Sedes. anno tandem octingentesimo septuagesimo secundo, Brightredus fit Episcopus.* Vocatur hic etiam in Fastis, Sidnacestrensis Episcopus; quia ibi plerumque fixit sedem. Ubinam illa fuerit, dixi ad annum 678. n. 2. Cæterùm hoc inquieto tempore, & Dano ubique dominante; vel pacem ab hoste precariò emere, vel aliò migrare, cogebantur Antistites. Unde Brithredum ad annum usque 880. nec ultra, sedisse putamus. In Merciis tamen hoc anno Danus mitior, dato pretio, fuit. Unde turbato Septentrione, uterque ibi Princeps, ad Burrhedum venit. de quo sic scribit Westmonasteriensis: *Anno gratiæ 872. Gens Northanhumbrorum, Regem suum Egbertum, & Archiepiscopum Wlferum, expulerunt a regno. Qui expulsi, Regem Merciorum Burrhedum petierunt: & ab ipso honorificè recepti sunt.* Hinc puto Merciorum provinciam respirasse paululum, & serenos aliquot dies habuisse; cum Danorum imperiis declinare non auderent. Sed brevis illa felicitas fuit: & Burrhedus Rex, vel Danicum jugum induere, vel suum regnum exuere, mox cogetur. adeo cum Paganis, & Christiani nominis hostibus intuta pax, & infida sunt fœdera.

Godwin. in Lincol.

Westmon. hoc.

VII. DUNGERTH BRITANNUS MORTUUS PETIT SUFFRAGIA.

Moritur in Damnoniis vir princeps, quem Annales communiter Dungerth, vocant: qui licet tristi infortunio submersus perierit; fidei tamen nominisque sui memoriam posteris reliquit. Nam visitur ad Neotestoum (ita nunc dicitur locus in Cornubis, quò orandi causâ, Alfredus supra * divertit, cum à S. Guerir, ibi quiescente, sanitatem impetravit) lapis antiquo, obsoleto, & planè barbaro charactere inscriptus, ubi satis clarè ita legitur: *DONIERT :ROGAVIT PRO ANIMA.* Verùm ex duobus qui visuntur apicibus, doctè colligit Camdenus, expunctam esse literulam unam, ac proinde sic legendum: *erogavit pro anima.* Terras nimirum & prædia dederat Ecclesiæ illi, ubi sanctus Guerir ab omnibus colebatur. quem etiam hoc sæculo, summi æquè ac infimi, votorum & orationis causa, frequentabant. An Princeps hic vir, cum Burrhedo Merciorum Rege contenderit, & ea occasione mortuus sit, nescio: Burrhedum tamen cum Britannis, qui Occidentalem regni partem infestabant, conflixisse, dicam anno 874. n. 5. Interim hæc antiquæ Fidei rudera, quoties intueor, & cum primorum sæculorum puritate confero: toties mirari soleo factiosorum frontem, quæ audet contraniti. Magdeburgicos imprimis; qui supra dixerunt Werfrithum Wigorniensem Episcopum, M. Gregorii

* an. 871. 28.

Camden in Cornwal. A.

dialogos,

Suffragia pro mortuis.

dialogos, vernaculè transtulisse; scilicet, ut Insula doceretur Purgatorium esse: cùm omnium Ecclesiarum in Angliâ, lapides, saxa, monumenta, inscriptiones, modò antiqua sint, & Calvinistarum manus effugerint; nihil aliud, quàm vota, precésque pro defunctis, & animarum suffragia postulent.

VIII. Moritur Hadrianus Papa: Succedit Joannes VIII.

Finio hunc annum, morte Hadriani Romani Pontificis, qui cùm sedisset annos quatuor, menses decem, & dies septendecim, moritur Calendis Novembris; & Successorem accipit Joannem, eo nomine octavum: qui, quod nemini hactenus contigerat Romanorum Pontificum, tres Imperatores coronavit: Hic Photium, Constantinopolitanum Episcopum, à Nicolao & Hadriano prædecessoribus, depositum, exauctoratum, Sede, & Catholicorum communione privatum, restituit: quod quia molliter, & inconstanter factum, Rom. Sedis majestatem læsit, adeò enormiter, ut Joannem hunc, à masculâ fortitudine Majorum suorum recedentem, fœminam nonnemo appellaverit. Unde factiosi ansam nacti, mendaciorum babelem, insanè substruxêre, quam suprà disjeci. Verùm hic Joannes, non Anglici generis, aut Moguntiæ natus, sed patriâ Romanus fuit: nihil habens cum Novatorum Papa commune.

ANNUS CHRISTI 873.

JOANNIS VIII. PAPÆ 1.

ALFREDI OCCIDENT. SAX. REG. 3.

BURRHEDI MERC. REG. 22.

I. Danus relicto Londino, in Septentrionem proficiscitur.

Annus Christi octingentesimus septuagesimus tertius, turbas habuit in utrâque Rep. Dano regnum & insulas vexante. Nam qui hactenus Londini manserat, coactis ad servitutem & exhaustis civibus; nunc armentorum more, recentia pascua avidissimis faucibus quæsivit sibi. Quamobrem in Septentrionem profectus; cùm æstatem trans Humbrum trivisset, in Coritanos rediit, & Lincolniensem agrum; ibique hiemavit. Sic intelligi debet Westmonasteriensis, dum ait: *Eodem anno (873.) sæpedictus paganorum exercitus, Londoniam deserens, ad Northanhumbros perrexit. Quâ regione hostiliter perlustratâ, in Lindesia, in villâ quæ Tarkesia dicitur, hiemavit.*

Westm. hic.

Inde in Lincolniensem agrum.

Nimirum vastato Septentrione, noluit ibi sub Jove frigido quiescere; sed Lincolniensem, & fertiliorem agrum, qui tamen tunc ad Northumbriæ regnum spectat, elegit ad hiberna, & Torkesiam villam, quæ ad Trentam fluvium sedet: *Oppidulum nunc obscurius, olim admodum celebre. Ante Normannica enim tempora, ducenti Burgenses in hac numerabantur; qui immunitatibus gaudebant non paucis: eâ lege, ut legatos Regios, si quando hac iter haberent, navigiolis suis per Trentam deveherent, & Eboracum usque deducerent:* inquit Camdenus.

Camd. in Lincoln.

II. Mercii cum Danis paciscuntur.

Dum ibi Danus quiesceret; Mercii, qui in vicino erant, rebus suis consulentes; cùm resistendo non essent, precariò pacem emendicant. Inde opinor, factum, ut Egbertus Northumbriæ Rex, & Ulferus Eboracensis Antistes, quos paulò ante Northumbri à Provincia expulerant, hæsere antique apud Burrhedum Merciorum Regem; postliminio redire permissi sint. Egbertus verò, vix in regnum redierat, cùm aliò migrare cogitur, morte sublatus. hoc voluit Westmonasteriensis, cùm ad hunc annum dicit: *Merciorum gentes, dato munere, cum Danis pacificatæ sunt. Eodem anno Rex Egbertus Northanhumbrorum, diem clausit extremum. & Ricsius successit ei in regnum, tribus annis. Quo etiam anno, Ulferus Eboracensis Archiepiscopus, ad Sedem suam revocatus est.* Cùm dicit, dato munere, pacificati sunt Mercii; stipendium intelligit, & annuum tributum: quod Etelwerdus sic expressit: *Myrcii confirmant cum eis fœderis pactum, stipend. aq. statuunt.* Hoc ægrè videtur tulisse Merciorum Rex Burrhedus: vel certè, si consensit; pœnituit eum fœderis, & promissi stipendii. Nam sequenti anno Burrhedus regnum, patriam, & omnia fastidiet: & non vult Dano subesse. Quæret ergò extra Britanniam novum regnum; cùm ipse in Britanniâ, duos & viginti annos regnavisset. Quid interim factum videamus.

Egbertus Rex North. moritur. Ricsius succedit. Westm. hic.

Wulferus Eboracensis ad Sedem redit. Ethelwerd l. 4. c. 8.

III. Aldredus Legecestrensis Episcopus deponitur.

Quod ad Ecclesiæ turbationem spectat; illud singulare, quod in Merciorum Provinciâ contigit, cùm Aldredus Legecestrensis Episcopus exauctoratus, à suâ Sede deponitur. Quis sententiam illam dixerit, aut quorsum dicta sit, non proditur: nec est opus quærere; cùm inter arma sileant leges, ubique, ubi infidelis miles, aut principatum, aut potestatem obtinet. Enimverò nulla in Burrhedo læsæ fidei suspicio esse potest, qui statim Romam profectus, Ecclesiæ Romanæ se filium dicet. de Aldredi depositione, hæc tantùm Godwinus. *Aldredus*, inquit, *consecratus est anno 861. Deprivatus est anno octingentesimo septuagesimo tertio.* In ejus locum subrogatus est, eodem anno Ceolredus, qui octavus, & ultimus Legecestrensium Episcopus, in Fastis scribitur: qui Sedi, vitæque suæ finem fecit, circa annum Domini octingentesimum nonagesimum, cùm 18. annos sedisset. Sed & ad hunc annum iidem Fasti, in Selesiensi Sede collocant Wihtunum, quem Malmesburiensis, vel Pehtum, vel, ut putat Godwinus, Peletun vocat. Unde affirmandum est Tottam obiisse, qui eum in illâ procuratione præcesserat.

Godwin in Catal. Lincoln.

Succedit Ceolredus.

Totta Selesiensis Episcopus moritur: Succedit Wihtunus.

IV. De schola Oxoniensi, et Neoto.

Sunt qui ad hunc annum referunt Oxoniensis scholæ, vel institutionem, vel certè ejusdem restitutionem: nam ægrè ferent aliqui nobilissimæ Academiæ tam recens exordium; cum quibus ego nolo contendere. Centuriatores certè, qui omnia congerentes, nihil plenè digerunt; institutam hoc anno scholam, non restitutam scribunt. Sic enim de Neoto Eremita, inquiunt: *Carus fuit Alfredo Regi Anglorum, eiq. hortator, & author fuit, ut Oxoniensem scholam institueret, anno 873. propositâ mercede omnibus, qui illic bonas artes profiterentur.* Verùm hæc musica, in luctu importuna oratio est. & Danorum strepitus, musis inimicus, suadet aliis armis admotas esse manus, & magnum in scholis silentium fuisse. Quicquid ergò Neotus, quicquid Alfredus, in hoc genere præstiterunt, posteriùs fuit, & utrique Reip. longè opportunius. Interim, sartæ tectæ servandæ sunt, quatenus fieri potest, civium ædes: non vacat novas exstruere; nec polire ingenia, quæ passim furore Martis ad studia hebescunt. Et verò, cùm Doboni, ubi Oxoniensis est ager, in Merciorum

Cent. 9. fol. 397.

*20. 585. n. 2.

Provinciâ fuerint, ut suprà * dictum; admodum oscitanter illi agunt, qui innovatum aliquid in studiis putant, hoc anno, quo Annales omnes conqueruntur, Merciorum regnum, penes Danos fuisse, nec potuisse aut Regem in suo regno, aut Episcopos in suâ Sede quiescere. Benè ergo dixi Magdeburgicos multa congerere; sed in temporis ratione oscitantes, digerere nihil.

ANNUS CHRISTI 874.

JOANNIS VIII. PAPÆ 2.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 4.

CELWULFI MERCIORUM REG. 1.

I. Dani in Merciis Burrhedum fugant.

DIxi modò, Merciorum Provinciam, Danorum incursu turbatam, aliis, quàm literarum studiis habuisse: nec Alfredum ibi juris aliquam dictionem exercere potuisse; qui in Occidente suo latebat potiùs, quàm lucebat. Id verum esse, quisque fatebitur, qui annum Christi octingentesimum septuagesimum quartum contemplatus, Danorum vestigia colligens, Merciorum regni statum inspexerit. Dicat ergò Huntindonius, & eum de more exponat Hovedenus.

Huntind. fol. 349.

Tertio, inquit, *anno* (Regis Alfrêdi) *Dani hiemârunt apud Rependune. Tunc verò congregati sunt tres alii Reges, Godrun, & Oscetin, & Anwed: & facti sunt invincibiles: & Burred Regem, qui regnaverat viginti duobus annis super Merce, trans mare fugaverunt.* Quod ad tempus spectat, licèt annum tertium vocet Alfredi Regis; hunc tamen annum intelligit; quia Christi annum octingentesimum septuagesimum primum, ultimum fecit Ethelredi fratris, & sequentem primum Alfredi. Nos verò eundem Ethelredi ultimum, primum quoque Alfredi diximus. Sic nulla est Authorum dissonantia, si uno tantùm anno differunt. Unde Hovedenus; qui satis religiosè Huntindonium sequitur, Danorum ad Mercios adventum, ita describit:

Hoveden. fol. 417.

Anno octingentesimo septuagesimo quarto, supramemoratus exercitus Lindisse desertus, Moerertiam (sed lege Merciam) *adiit, & hiemavit in loco, qui dicitur* * *Reopadun. Buerdum quoque Merciorum Regem, de regno suo expulerunt, anno regni sui vigesimo secundo.*

* Repton in agro Darbiensi.

II. Alfredus etiam latere cogitur.

Quod ad Reges illos, qui in suppetias venerunt; Danorum Principes fuerunt, ab aliis Gotrum, sive Gormundus, Osbitellus, & Amundus vocati; de quibus infrà mentio. quorum adventu, non modò Mercii, sed omnis noster Occidens, & Alfredus ibi Rex, nullum nisi in fugâ, suis latebris, consilium habuerunt. & Rex quidem, qui in Occidente rerum potiebatur. locum quærere, quò se reciperet, comitésque suos à Danorum impetu illæsos servaret; multò tutiùs, quàm cum potentissimo jam hoste congredi, putabat.

In Athelingia.

Est in Somersetano agro locus, ubi Thonus fluvius, Pedredo flumini se insinuat, amnicam insulam efficiens, ob paludes circumjacentes satis inaccessus. Eò igitur Alfredus, & nobilissimus quisque, qui Danorum servitutem horrebat, Deo, & naturæ loci confisus, secessit: & quia per aliquot annos ibi latuit; exinde Saxones, locum Aethelingey, hoc est, Nobilium Insulam vocaverunt. Nunc vulgò Athelney dicitur. De hac Alfredi fugâ, latebris, & miseriarum cumulo, ita scribit Malmesburiensis:

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

Continuis novem annis, cum hostibus compugnans, modò incertis fœderibus illusus, modò in illudentes ultus; ad hoc tandem inopia coactus est, ut vix tribus pagis in Fide vigentibus, id est, Hampteschire, Wiltescbire, Somersete: etiam in Insulam quandam, palustri uligine vix accessibilem, vocabulo Adelingiam, refugerit.

III.

Mansit in hac Insulâ Alfredus; donec Deo visum, pientissimum Principem insigni victoriâ recreare; & Insulam sub Danorum servitute gementem, pristinæ luci restituere: quod factum post annos paucos. Interim variâ, sed plerumque infelici fortunâ, paludosis illis mænibus continetur. eo ferè modo, quo olim Marius in Italiâ, inter Minturni lacus se continuit: de quo, quod antiquus Poëta cecinit, in Alfredum Regem æquè cadit.

—— —— Mixta dolori.

Gaudia semper erant: spes semper mixta timori.
Si modò victor erat, ad crastina bella pavebat.
Si modò victus erat, ad crastina bella parabat.
Cui vestes sudore jugi, cui sica cruore
Tincta jugi, quantum sit onus regnare probârunt.

Burrhedus Romam proficiscitur.

Sed relicto paululùm in suis latebris Alfredo; ad Mercios, ubi hoc anno Dani potissimùm dominantur, redeo. Nam ibi Burrhedus Rex, nullo loco tutus, toto regno pulsus, longinquâ valdè fugâ, alteramque salutem quærit; & Romam proficisci, ibique mori cogitat. cujus consilii causas exponere non est ab Annalium instituto alienum.

IV. Causæ profectionis.

Una à Burrhedi Regis pietate petitur: vidit enim Danos sacra simul & humana jura pessundare; vidit non solùm civium tecta ardere, & Ecclesias & monasteria imprimis peti; in quibus omnium thesauros abscondi, infideles & barbari somniabant: ut eo prætextu, parietes, tecta, & fundamenta convellerent. Hoc furore Repandunì cœnobium, in Darbiensi comitatu, ubi plerique Merciorum Reges, ob loci sanctitatem, condi consueverunt, invaserunt: ibique hiemantes, quicquid in vivos, mortuosque immanè fieri poterat; ab illis factum. Quam provinciæ suæ cladem, cùm ultra Burrhedus Rex, nec ferre valeret, nec eidem occurrere; cedendum non modò tempori; sed regno etiam, & omni Insulâ censuit; & Romam, pietatis fideique arcem petere. Hanc profectionis causam insinuat Ingulfus, ita scribens:

Ingulf. fol. 869.

Beorrhedus Rex Merciorum, interim cùm Rex Alfredus, in Adelingiâ adhuc moraretur; & pagani, anno Domini octingentesimo septuagesimo quarto, redeuntes in Merciam, apud Rypadum (ita Repandunum vulgò Repton vocat) *hiemarent; monasteriumque celeberrimum, omnium Regum Merciorum sacratissimum Mausoleum, funditùs destruxissent; & ipse viginti duobus annis regnasset; totamque terram Angliæ, in omni suo angulo, cædibus & rapinis vastatam barbarorum videret: vel de victoriâ desperans, vel tot laborum labyrinthum fastidiens; regnum reliquit, & Romam petens, in paucis diebus defunctus, ibidem in Scholâ Anglorum sepultus est.* Verùm priusquam Burrhedus moriatur, dicendum est aliquid de divinæ providentiæ consilio, cur Alfredum Deus, ad omnia mala toleranda confirmaverit, spemque dederit futuræ serenitatis:

& Burrhe-

& Burrhedum interim succumbere permiserit: & esto causa altera cessionis.

V. Burrhedus Ecclesiam læserat

Burrhedus, quantumvis aliquando in Ecclesiam pius; ubi tamen vidit, se in miserias conjectum, & pari cum Ecclesia calamitate pressum: non ipse Ecclesiæ, aut Ecclesiasticorum virorum; sed sui tantùm ipsius misertus; è miseriis emergere, per bona monasteriorum, quæ suo fisco addixerat, conatus est. Et rarò admodum id impunè fieri permittit Deus. Alfredus contra nihil de Ecclesiarum bonis libasse dicitur, nihil de Christi patrimonio præsumpsit, & meritò timuit *rapinam in holocausta.* Quod Burrhedus ita peccaverit, manifestè constat ex Ingulfo; qui de suo Croylandensi monasterio conquestus Burrhedum ita accusat: *Beorrhedus Rex Merciorum, hoc intermedio, cum Britonibus occupatus; qui crebris irruptionibus Occidentalem partem regni sui Merciæ inquietabant; audiensq́; Danos plagam ejus Orientalem, plagâ miserabili percussisse, venit Londonias, & contracta maximo exercitu, pertransiens per regnum suum plagas Orientales, totam Helieiensem Insulam fisco suo applicavit: procedensq́; in patriam Girviorum, omnes terras de Medeshamstedensi monasterio, in manum suam cepit: scilicet quicquid inter Stanford, Huntindon, & Wisebeck, dicto monasterio dudum pertinuerat. Remotiores verò terras, sparsim per patriam jacentes, stipendiariis militibus exercitus sui, assignavit. Id fecit de terris monasterii S. Pegæ de Piekirk; quasdam sibi retinuit; quasdam militibus suis dedit. Id fecit etiam de terris monasterii Guthlaci de Croyland: quasdam stipendiariis militibus distribuit; quasdam sibi confiscavit. Et licet Venerabilis Pater Godricus sæpius repetendo, penes Regem, & ministros suos, multos sudores consumeret; & chartas donatarum, Regumq́; confirmationes, unà cum sua proprio chirographo, sæpissimè ostenderet: nihil semper nisi vacua verba reportans; demum de negatii sui proposito, penitus desperabat. Cernens itaque malitiam temporis nimiam, & militiam Regis, terrarum cupidissimam; statuit tandem secum, hujusmodi regias donationes, surdo tempore pertransire, ac usque meliora tempora succederent, deinceps sub silentio dissimulare: lætus nimium & exultans, quod totam circumjacentem Insulam liberam, & ab omni exactione Regali absolutam, multum specialius sibi, quam multis aliis monasteriis tunc contigerat, Regia gratia concessisset.*

Isaia 61. v. 8. — Ingulf. fol. 860. — Eliensem, — Medeshamstedensem, — Croylandensem,

VI.

Narrat exinde idem Author, ut Burrhedus Rex, monasterii bona ministris diviserit. *Recesserunt*, inquit, *illo tempore, de dicto monasterio Croyland, & usque ad præsentem diem non redierunt illæ possessiones. Scilicet manerium de Spalding, datum Adelwulpho Comiti, cum omnibus pertinentiis suis. Manerium de Deping, datum Langfero militi, & panetario Regis, cum omnibus pertinentiis suis. Manerium de Craxtan, datum Fernodo militi, & vexillario Regis, cum omnibus pertinentiis suis. Manerium de Kirton, & Kimerby, in Lindesie, cum omnibus pertinentiis, datum Comiti Turgoto.* pergit recensere terras & prædia, quæ hac tempestate à monasterio subrepta, postea ad idem monasterium, Abbatum diligentiâ, & Regum pietate, redierunt: & demum concludit sic. *Transiens tunc Rex Beorredus, cum sua exercitu in Lindisy, latissimas terras monasterio de Bardney dudum pertinentes, fisco suo accipit: remotas verò, & in diversis patriis diversim jacentes, militibus suis dedit.* Hæc enimverò, ut à Regiâ Majorum pietate multùm excerrant, & æqui boniquc terminos transiliunt: sic nihil Reipublicæ prodesse potuerunt. Nihil Burrhedo profuit Londinum proficisci, & ibi contrahere *maximum exercitum*: nam statim Londino pulsus, nihil aut ipse, aut *maximus exercitus*, Dano nocuisse legitur. Nimirùm Deus, Reges, quos Ecclesiæ suæ nutritios, & defensores constituit; punit & castigat, si bonorum Ecclesiasticorum dominium arrogant. ut sexcentis exemplis, præterita & præsentia sæcula docuerunt.

Bardenensem.

VII. Quid Romæ Burrhedus fecerit?

Hanc ob causam Burrhedus, regno, & bonis omnibus exutus; Romam pergere, & ibi pœnitere cogitur. licet enim in Regiam pietatem, nunquam tamen in Regiam Fidem peccavit: sed quia Ecclesiam offenderat, ideò Ecclesiarum omnium matris ubera appellavit; petiitque ibi à peccatis absolvi, ubi ligandi solvendique potestas erat amplissima. Ut Romam venit, supplex Apostolorum limina, Majorum more visitavit: & ubi peccatorum conscientiam deposuit, Fidei suæ, & benè factorum præmia recepturus, migravit è vitâ, spe plenus, se in pace quieturum. De hac Regiâ spe, morte, & Burrhedi sepulturâ ita loquitur Ethelwerdus: *Rex prædictus*, inquit, *non spe abjectâ Christi, itinera legit, desiderando Romam: migraturq́; ibi. suumq́; corpus mausolea digno conditum jacet in templo Christi Genetricis sanctæ, quæ nunc Anglorum schola visitant nomen.* Paullò clariùs loquitur Malmesberiensis: *Burrhedus*, inquit, *accepta Ethelswida filia Regis Athulfi, filii Egbrithi; affinitate illius, & vectigalium pensionem, & hostium deprædationem consolatus est. Sed post viginti duos annos, ab eisdem patriâ deturbatus, Romam diffugit: ibiq́; apud scholam Anglorum, in Ecclesia sanctæ Mariæ tumulatus est.*

Ethelwerd l. 4. c. 3. — Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

VIII. Anglorum Schola, et Saxonum.

Quod authores isti, Ingulfus etiam, Huntindonius, & Westmonasteriensis Anglorum Scholam vocant: alii, Hovedenus, & eo antiquior, Asserus, Scholam Saxonum appellant. Unde confirmantur egregiè omnia, quæ de loco hujus Scholæ dixi ad annum 727. ubi de Ecclesia B. Virginis, ab Ina Rege posita, cujus hic mentio, latiùs disputavi. Asserus ita de Burrhedi sepulchro. *Burgredus post Romam adierat*, inquit, *non diu vivens, ibidem functus est, & in schola Saxonum in Ecclesiâ sancta Maria, honorificè sepultus; adventum Domini, & primam cum justis resurrectionem expectat.* Eodem modo Hovedenus: *Burrhedum*, inquit, *Merciorum Regem, de regno suo Dani expulerunt, anno regni sui vigesimo secundo. Quique Romam adiens, ibidem defungitur, & in Ecclesiâ sancta Maria, in scholâ Saxonum honorificè sepelitur.* Hæc do paullò latiùs, ut videat Lector locum illum in Vaticano, qui *Vicus Saxonum*, olim dicebatur, ubi Anglorum scholam Inas posuit; ab Anglo-Saxone nostro appellationem sumpsisse. Et quotquot in hac Insula Romam itabant; eò se conferre, ibi quiescere, mori denique, & sepeliri voluerunt: *Cupientes in viciniâ locorum sanctorum* (loquitur Beda de suo tempore) *ad tempus peregrinari in terris; quo familiariùs a Sanctis recipi mererentur in cœlis.*

Asser. hic. — Hoveden. fol. 417. — Beda l. 5. c. 7.

IX. Ethalswida Regina Regem sequitur

Ejusdem, cum Burrhedo Rege, propositi fuit Etheswida, Merciorum Regina, quæ statim à Regia discessu, navigavit in Gallias: cumque superatis Alpibus in Urbem cogitaret, audito ejus mortis nuntio, ? Papiæ substitit; nec porrò proficisci voluit; nè Burrhedi sepulchrum, hoc est,

maritum quotidie flere cogeretur. Sanctiori igitur compendio, peregrinationis suæ terminum, ibi constituit: rata modestius esse, ibi obscurè latere, quàm Romæ sine viro, in tantâ virorum frequentiâ, lucere. Abjecto igitur cultu Regio, monialem induit, volens deinceps Christo servire; hoc est, multò quàm antea feliciùs regnare. Vixit in eâ Urbe annos plures, mortua demum, vel anno Christi 890. ut notat Westmonasteriensis; vel certè anno illum annum præcedente, ut Wigorniensis, & Ethelwerdus affirmant. Sed tempus est Merciorum Provinciæ Regem præficere, qui Burrhedi locum suppleat: si tamen Dani Regem esse patientur.

Monialem induit.

X. Celwulfus pro Burrhedo regnat.

Immò verò passi sunt, & antiquo Romanorum more, devictis Provinciis, quo fortiùs Provincialium animos sibi & cupiditati suæ devincirent; Reges creaverunt, instrumenta servitutis. Ita Burrhedo fugato, Celwulfum in Regni fastigium erexerunt. Fuit illè *Anglicus genere*, inquit Ingulphus, *sed barbarus impietate. Nam Danis se totum mancipaverat. & in divexandis civibus, eò crudeliùs sævijt, quò fortunas omnium, & notas habuit Provincialium artes. Immò Danis juraverat fidelitatem,* (ait Author qui suprà) *quòd tributa imposita eis fideliter persolveret, & quandocumq; regnum commendatum repeterent, omni reluctatione cessante, sub pœna sui capitis resignaret. Ille itaque circuiens terram, pauperes rusticos relictos excoriavit, Mercatores absorbuit; viduas & orphanos oppressit. religiosos omnes, tanquam custodes thesaurorum, innumeris tormentis afflixit. Unde inter plurima mala quæ fecit; etiam Venerabili Abbati Croylandensi Godrico, miseroq; fratribus suis, vectigal mille librarum imponens, monasterium Croylandense fere adnihilavit. Nullus namq; deinceps, pro nimia loci paupertate, ad conversionem venire voluit. Quin impotens ad sustentandos suos professos Abbas Godricus, multos monachorum, per parentes suos, & alios monasterii amicos, in tota patria dispersit: pauci secum in monasterio remanentes, vitam suam cum summâ inopia, protrahebant. Tunc omnes calices monasterii, præter tres, ac vasa argentea universa, præter Crucibolum Withlafii Regis, ac alia jocalia valde pretiosa; vel in monetam mutata, vel pro moneta vendita; vix insatiabilem ingluviem Ceolwulphi subreguli saturare valuerunt.* Fuerat hoc Danorum mancipium, Burrhedi quondam minister; & nimiùm sæpè Regum palatia fœtent his omnium vitiis: qui quicquid foris mentiantur, nulli magis quàm suis cupiditatibus famulántur. Ut sub hoc spurio vitulamine, florentissimum Merciorum regnum emarcuerit, dicam inferiùs.

Ingul. f. 869.

Idem suprà.

Eius impietas.

In Monasterium Croylandense.

ANNUS CHRISTI 875.

JOANNIS VIII. PAPÆ 3.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 5.

CELWULFI MERC. REG. 2.

I. Celwulfus exauctoratur.

Vix unum annum in Merciis regnarat novus Rex Celwulfus; cùm finem regnandi cepit, anno Christi octingentesimo septuagesimo quinto. Etenim cùm servus ille tractare sceptrum nunquam didicisset, rexit illud tam imperitè, ut à Danis depositus, ignominiosè satis vapularit, de eo sic scribit Ingulfus. *Celwulfus tandem per Danos Dominos suos, justissimos in hoc, depositus est, & usque ad ipsa verenda nudatus, misero fine vitam terminavit.* Vixit tamen post hunc annum, & iterùm precario Merciorum provinciæ admotus, post annum sequentem, sed brevi tunc, omni procuratione, vitáque excidit: unde Merciorum regni periodus, passim ab Authoribus, ad hunc annum refertur. Nam discedente è Provinciâ Dano (de quo mox) Mercii non alium, quàm Alfredum Regem agnoverunt. *Ita principatus Merciorum* (loquitur Malmesberiensis) *qui per tumidam gentilis viri insaniam* (Pendam intelligit) *subitò effloruit: tunc per miseram semiviri ignaviam, omnino emarcuit, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo quinto.* Quamdiu Reges habuerit provincia; non est eadem omnium sententia; quia primi, cum dubio Regis nomine, obscuriùs regnaverunt. Plures tamen, non à Crida, sed à Pendæ Regis exordio, Merciorum regni exordium auspicantur: & ille, cum regnare cœperit, anno Christi 626. ut dictum ibi n. 18, habes regni illius epocham, annos ducentos quinquaginta. Quare, Scriptoris, opinor, vitio, paullò aliter ab Ingulfo periodus illa, computatur, in hunc modum: *Defecit*, inquit, *regnum Merciorum, quod steterat à primo anno Pendæ Regis primi, usque ad ultima tempora hujus miseri subreguli Ceolulphi; circiter per annos 230.* Sed inverte paulùlum ternarium numerum, & facili deflexione in quinarium desinet; nec ab authoris mente abibis, qui accúratè satis annorum seriem deducit.

Ingulf. f. 870.

Merciorum regni finis.

Malmesb. de Reg. l. 1. c. 4.

Quamdiu regnum steterit?

Ingulf. sup.

Cum Danus, hoc anno, Mercios exhausisset; crevissetque in immensum barbarorum numerus; adeo, ut regnum unum eorum aviditati non sufficeret; diviserunt sese: & quod olim ab infideli Saxone factum; in varios Principatus omnem Insulam sortiuntur. Quatuor omnino Danorum Reges, cæterorùm Duces censebantur, Alfdenus, Gotrum, Oskitellus & Hamundus. qui ita prædam partiuntur; ut Alfdenus, Northumbriæ regnum; tres alii, qui posteriùs accesserant, Icenorum provincias, quas Angli Orientales tenebant, possiderent. Ita ab Alfredi incursibus; quem unum in Insula timebant, tuti; in numerum, viresque, temporis tractu, crescere potuerunt. Hanc Danorum partitionem sic narrat Asserus: *Anno Dominicæ Incarnationis 875. nativitatis autem Alfredi Regis, 26. supra memoratus exercitus, Rependune deserens; in duas se divisit turmas; cujus altera pars, cum Healfene (alii communius Alfdenum vocant) in regionem Northanhymbrorum perrexit; & ibi hiemavit, juxta flumen quod dicitur Tine: & totam Northanhymbrorum regionem suo subdidit dominio: nec non & Pictos, & Stratduttenses depopulati sunt. Altera quoque pars, cum Gothrum, & Oscytil, & Amund, tribus paganorum Regibus, ad locum qui dicitur Grante-brycge pervenit: & ibi hiemavit.* Ita ille. Quid utrobique à Danis hoc anno factum, restat nunc dicendum.

II. Dani Insulam inter se partiuntur.

Alfdenus Northumbriam; alii Orientem occupant.

Asser. hic

Principio tamen novus ille populus, quem Danus in Septentrione vexat, meritò morari Lectorem poterit; qui ab Assero, & Wigorniensi etiam Stratduttensis appellatur: & nunc primò in Annalibus occurrit: nomen obscurum satis; sed fortè amanuensium vitio obscuriùs redditur.

III. Stratduttensis populus, quis?

Wigorn. hic.

quod tamen ex aliis Authoribus illustrari potest. Westmonasteriensis ergò ad hunc annum, ita Asseri sensum exprimit. *Anno gratiæ octingentesimo septuagesimo quinto, Deo invisus Paganorum exercitus, Rependune deserens, nuper multiplicatus, in duas se turmas divisit. Cujus pars una, cum Rege Haldeno, Northanhumbrorum petens Regionem, juxta flumen Tyne hiemavit; totamq; Provinciam illam, suo desiderio subjecit. Pictos verò, necnon Wallenses, diris-simis afflictionibus fatigavit.* Per Stratduttenses ergò, Walenses, sive antiqui Britanni intelliguntur, qui Pictis adhuc mixti, diversam ab eis Remp. habuisse putantur. Unde infrà * mentio erit Streatgledu-Wallorum Regum, qui Britannis accensentur. & Edoardum seniorem, Alfredi filium, Principem agnoscent. Et quoniam Ethelwerdus, ad hunc annum, dicit Alfdenum Pihtos, Cumbrosque bello vexasse; Cumbrorum provinciam populus ille inhabitasse dicendus est. Cæterùm, cum Cumbrorum regnum, ad Cluidam usque (nunc Dunbritton) porrectum sit: & constet Danos, Alcluid urbem depopulatos esse: opinor eos, qui provinciam illam ad Cluidæ æstuarium incolebant, Streitcluidenses rectiùs appellari, & amanuensium errore Stratduttenses dici (nam litera d facilè in cl dissolvitur) juvat conjecturam; quod vallis quæ in Ordovicum Regione, & Denbighensi agro, hodie Dyffrin-cluid nominatur; olim Strat-cluid dicta sit: *In qua Britannos è Scotiâ advenæ, pulsis Anglis, regnum, constituisse, prodiderunt nonnulli*, inquit Camdenus. & fortè ab advena illo, qui ad Glottam, sive Cluidam habitaverat in Septentrione; fluvius qui vallem prædictam irrigat, Cluida quoque etiamnum appellatur.

Westm. hic.

*an. 901. 3. & 921. n. 5.

CUMBRORUM REGNUM.

Camden. in Denbigh.

IV. S. CUTHBERTI CORPUS E LINDISFARNENSI INSULA EFFERTUR.

Ecclesia magis patuit Danorum injuriis; quàm Picti, Cumbrique: in eos igitur imprimis sævitum. Itaque qui ad S. Cuthberti corpus excubabant, Lindisfarnenses monachi; veriti nè porcis daretur margarita, quam summè æstimabant: cum Eardulfo Episcopo consilium inierunt; quid facto opus, si Danus accederet, omnia vastaturus. Qui tandem memores oraculi, quod moriens Cuthbertus ediderat; statuerunt omnino illud exequi. Enimvero cum Sanctus, in mortis articulo constitutus, à fratribus rogaretur, exhortationis verba, ceu ultimæ voluntatis tabulam proferre; inter alia, pientissimè effata, sic disseruit. *Sciatis, & memoria retineatis; quia si vos unum è duobus adversis eligere necessitas coegerit: multò plus diligo: ut eruentes de tumulo, tollentesq; vobiscum mea ossa, recedatis ab his locis: & ubicumque Deus providerit, incolæ maneatis: quàm ut ulla ratione consentientes iniquitati, schismaticorum jugo colla subdatis. Catholica Patrum statuta, diligenter discere, atque observare contendite.* Ita refert Cuthbertum dixisse Beda, qui ante centum quadraginta annos mortuus est, quàm Danus Lindisfarnensibus timorem incuteret. Viderat ergo Cuthbertus hanc Paganorum incursionem; & prædæ esse prædonibus noluit. habuitque hoc anno Eardulfum Episcopum, Eadredum Abbatem, & Lindisfarnenses monachos, suis dictis obsequentes. Cum enim Northumbria arderet hoc Danorum incendio: *Tunc* (loquit Westmonasteriensis) *Eardulfus Lindisfarnensis Episcopus, & Eadredus Abbas, corpus beati Cuthberti Pontificis, de Insulâ Lindisfarnensi tollentes, per septem annos profugi vagabantur.* Idem omnino

Beda in vit. S. Cuthberti c. 39.

Westm. hic.

factum in Galliis, cum Dani illas vexarent. *Tunc enim Hincmarus Rhemensis Episcopus, corpus S. Remigii, quo nihil in thesauris charius habebat; trans fluvium Matronam, apud villam Sparnacum, aliquanto tempore custodivit*, inquit Flodoardus; & refert Baronius ad annum 882. n. 13. Idem etiam à Floriacensibus monachis factum in reliquiis S. Benedicti, dicam inferius *.

* an 881. n. 2.

V.

Quò iverint, qua arte Danis thesaurum subtraxerint, & ubi demum quieverint nostri, author non explicat. Videntur tamen, ob ingentia, quæ undique ingruebant, pericula, non uno loco quievisse, sed observato hostis impetu declinasse loca prædis exposita. Nam eorum vestigia accuratissimè legens Simon Dunelmensis, hæc tantùm habet, quæ recitat Harpesfeldus: *Eadulfus Lindisfarnensis Episcopus, cruentas Danorum manus ægrè effugiens; illibatum Cuthberti corpus, secum alibi extulit. Qui cum propter imminentes undique, & sæve omnia depopulantes barbaros; nullum ferè locum, ubi securè conquiesceret, reperire potuisset: toto septennio in varia se loca proripuit; thesaurum illum, (ne in barbarorum forte manus incideret) secum circumferens; Abbate Eadredo, & quibusdam aliis ex clero, fugæ & peregrinationis illius sociis.* Illibatum vocat Cuthberti corpus. Nam licet à morte ejus, centum & nonaginta jam anni effluxissent (mortuum supra dixi anno Christi 687.) Eardulfus tamen, carne nervisque constans invenit; mansitque ita, ad multa deinde sæcula. Nam ita scribit ad annum Christi 1103. Rogerus Hovedenus: *Corpus sancti Cuthberti Episcopi, ob quorundam Abbatum incredulitatem, pontificante Rannulfo Episcopo ostensum est: & à Radulfo Saiensi Abbate, postmodum Roffensi Episcopo; & deinde Cantuariensi Archiepiscopo; & fratribus Dunelmensis Ecclesiæ, cum capite sancti Oswaldi Regis & Martyris, sanctiq; Bedæ, multorumq; reliquiis; certo judicio incorruptum inventum est, præsente Alexandro Comite, Edgari Regis Scotorum fratre, postea Rege; & hæc translatio ejus facta est post annos depositionis ejus quadringentos octodecim, & quinque menses, & duodecim dies, qui est annus sextus Henrici Regis.* nimirum eo nomine primi. Verùm de indubia sacri corporis incorruptione plura inferius.

Harpesf. sæc. 7.

CORPUS CUTHBERTI ILLIBATUM.

Hoveden. fol. 470.

Cum aliquot menses Danorum conatus elusissent Eardulfus Episcopus, & sacri pignoris custodes: & qua erant in sanctum Cuthbertum reverentia, nusquam tuti sibi viderentur, tandem ex omni hac Insula, in Hiberniam trajicere, & ibi sedem figere constituunt. Sed ecce tibi navim ingressos, subita tempestas terruit; mare insolenter tumuit; cœlum omnibus irasci, & demum elementa pugnare videbantur; nè tanto thesauro spoliaretur Insula. Non exscribam miracula, quæ Simon Dunelmensis, Capgravius, & Harpesfeldus referunt, mutatas maris undas in sanguinem; Evangeliorum librum in mare delapsum, Cuthberti meritis restitutum: contentus simplici narratione, quam habet Malmesberiensis, qui sic scribit: *Quapropter pensato consilio decretum est; ut ab Insula illa* (Lindisfarnensi) *quæ esset maritimorum prædonum hiatibus exposita; corpora Sanctorum in continentem transferrentur. Tunc beatum Magni Cuthberti corpus; cum quidam religioso, ut putabant, furto, Hiberniam transvehere ambirent; perdiderunt fructum operæ: dum aut multis diebus ventum operirentur in litore, aut flatu aliquantum concitatiore,*

VI. HIBERNIAM COGITANT EARDULFUS ET ALII.

Malmesb. de Pontif. l. 3. fol. 270.

in altum provecti statim repellerentur. Quocirca cum honore debito sacrum corpus apud Bulbeford, incertum an Episcopatus Sedem, deposuere, juxta amnem Twyda. Verùm locus ille ubi corpus deponitur, non Bulbeford, nec Bubbeford, ut alii legunt: sed Ubbanford rectiùs nominatur: hodie Norham dicitur, Dunelmensium Episcoporum oppidum. Ibi ergò potissimum hoc septennio, Cuthberti exuvias jacuisse suspicor; & inde eundem Sanctum, Alfredo oraculum edidisse, de quo inferiùs. * Cæterùm septennium hoc, non ab hoc anno, sed potiùs à sequenti numerandum. quia sacrum corpus, eo primùm anno Ubbanfordi depositum est. Factum ergò, Eardulfi, & Eadredi industriâ, ut sacrum depositum, Danorum manus, qui omnem Northumbriam biennio depopulabantur; evaserit. Cæterùm hoc biennio, quid actum sit à Danis in Septentrione illo, sic breviter exponit Huntindonius. *Aldene Rex, cum parte quadam exercitus, perrexit in Nordhumbre: & fugit in hieme juxta Tinam, & saisivit terram, & divisit eam suis, & colnerunt cum duobus annis, & sæpè prædavit super Pictos.* Hæc in Septentrione.

* v. an. 878. n. 8. 9.

Huntind. fol. 349.

VII. DANI IN ORIENTE.

Qui meridianam Insulæ plagam sortiti sunt, Gothrum, Oskitellus, & Hamundus: In Icenorum provincia, ubi Cantabrigiensis est ager, consederunt. & licet authores tacuerint eorum facinora: Ecclesias tamen; si quæ fuerint, à priorum temporum clade immunes: ab eis vastatas esse, non dubium est. Nec potuit Alfredus Rex, laboranti provinciæ adesse; qui hoc ipso tempore, classem comparavit, & Insulæ littora; quo hostes, qui numerosissimi quotidie veniebant, ab ingressu arceret, jussit observari. primâque expeditione sex, septémve Danorum naves, insigni virtute, aut devicit, aut profligavit. Ethelwerdus hoc significat ubi dicit: *Porro, in ipsius anni æstate* (nimirum quo tres Reges Cantabrigiam venerunt) *exiit Ælfred, cum classico exercitu mare: obviamq; ei barbara classis, dromones ardui, numero septem, pugna init. Dani fuga dant undas, capitur unus Dromon à Rege.* Hoc clariùs & brevius expressit Huntindonius: *Pugnavit Rex Alfred navali prælio contra septem puppes, quarum unam cepit, cæteras fugavit.* Interim Icenorum pientissimi, Ortrudis Virginis corpus, è Suffolciensi provincia subductum, in Belgium detulerunt. quod Milo secundus Teruanensis Episcopus, in feretro decenter collocavit: ut habet Miræus in Fastis ad 22. Junii. Quò primum advectum sit, nescio. Nam in supplemento Gallicani Martyrologii, ita legitur: *Gisnæ in Picardia sub præsulatu Bononiensi, S. Ortrudis virginis Deo charæ: cujus corpus sacrum, ibidem religiosè conditum est.* Sed quicquid sit: nunc nobilissimum S. Bertini monasterium, thesaurum illum possidet, ut Miræus in Fastis perspicuè docet. Nec id alibi diffitetur Gallicanum Martyrologium de Ortrude, quæ etiam Rotrudes dicebatur, ita loquens ad 22. Junii. *In cœnobio S. Bertini, agri Audomaritano, susceptio purissimi corporis S. Rotrudis Virginis, ex Andrensi in Angliâ monasterio.* Verùm quod de Andrensi monasterio in Anglia dicitur, vereor ut subsistat. Opinor enim Virgineum corpus, ex Angliâ elatum, Gisnæ primùm quievisse, in Andrensi monasterio, quod Balduinus Comes erexerat: inde verò Audomaropolim migrasse. Sic enim scribit Miræus, de S. Ortrudis corpore: *Olim*, inquit, *in Andrensi Benedictinorum cœnobio, anno 1084. per Balduinum Comitem Gisnensem fundato: nunc Audomaropoli in S. Bertini Abbatiâ, quiescit.*

ALFREDI CLASSIS DANOS FUGAT.

Ethelwerd l. 4. c. 3.

Huntind. fol. 349.

VIII. DUNBERTUS WINTON. EPISCOPUS. MORITUR ÆTHELHAGUS EPISC. SCHIRBURNENSIS. SUCCEDIT ALFSIUS.

Ad hunc annum Fasti, in Wintoniensi Sede; quæ Alfritho, sive Ethelredo, ad Dorovernensiam Ecclesiam inde assumpto, vacaverat; Dunbertum collocant: & mortuo Æthelhego, Schireburnensi Antistite; Alfsium substituunt: de quo dicam aliquid, ad annum 878. quando Alfredi diploma putatur confirmasse.

ANNUS CHRISTI 876.

JOANNIS VIII. PAPÆ 4.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 6.

I.

ALFREDO in mari occupato; Danus opportunitate usus, & ducis absentiâ terrâ illum aggreditur; & è Cantabrigiensi provinciâ, in Occidentem contendit anno Christi Redemptoris nostri octingétesimo septuagesimo sexto. Est urbs in Dorsetensi agro, si loci naturam spectes, munitissima; nam aquis duabus in unam coeuntibus, omni ferè ex parte cincta, nullum nisi ad Occidentem, aditu, ingressum præbet. Ibi erat Sanctimonialium monasterium, imprimis nobile, eóque, ut usitatum in periculis, pretiosa quæque cives invexerant. Danus, nihil sibi arbitratus impervium, Warrhamum (erat id oppido nomen) contendit, vi arcem occupaturus; & spe devorans opes plurimas. Sensit Alfredus Danorum motus, & festinavit ad occursum. Cives interim, fortiter pro Ecclesiâ & Sanctis, pro aris & focis dimicantes, stiterunt inimicum impetum; donec in terram descendens Alfredus, ad pugnam hostem lacessivit. Ille verò, sive viribus, sive animo minor, manum conserere metuens, elegit *datis obsidibus* (inquit Westmonasteriensis) *dilationem quærere; quousq; fortiori militiâ stipati, æquali possent lance pondus certaminis sustinere.* Quoniam verò nota jam erat barbarorum perfidia; Alfredus non priùs impunitatem promisit, quàm datis obsidibus, & juramento etiam præstito, continuò se excessurum provincia pollicerentur.

WARHAMUM DANI FRUSTRA OPPUGNANT

Westmon. hic.

II. DANUS PERFIDUS

Sed quam dare fidem Danus poterat, qui nullam habebat. Alfredus ergò, ut fortiùs vinciret; exegit promissum per omne quod sacrosanctum habebat. Ut id fuerit, sic explicat Asserus. *Ælfred Rex, fœdus firmiter, ea conditione, cum exercitu pepigit, ut ab eo discederent. Cui ille exercitus electos obsides, quantos solus nominavit, sine ullâ controversiâ dedit: necnon & sacramentum, in omnibus reliquiis, quibus ille Rex maximè post Dominum confidebat, juravit: in quibus & super armillam, super quam, nec alicui genti priùs jurare voluit, citissimè de regno suo se exiturum esse.* Alfredum nihilominus Danus fefellit; sed qui Sanctorum reliquias sacrilegè temeravit; licet uno, alteróve prælio, superior evadat, brevi tamen, perfidiæ pœnas dabit; & Alfredum Regem, non fallet spes, quam post Deum habuit, in Sanctorum patrocinio. Nam brevi emerget è latebris, fugabit hostem, recipiet omnem Provinciam, & demum felicissimè triumphabit. Cæterùm Sanctorum suffragia illi adfuisse; & eorum quoque opem, historicorum

Asser. hic.

antiquissi-

antiquissimi affirmabunt; de quibus infrà. Nunc ut perfidè Danus egerit, dicendum.

III. Vix Barbarus ex Occidente discesserat; cùm furtivo reditu, inopinatum Regem, militémque invadit, & inermem ferè prosternit; nulla juramenti, datæque fidei reverentiâ. Quod facinus, dum Alfredus festinat castigare; non potuit hostem invenire, quem feriret. Infidelis enim, quæsiturus & pedibus salutem, & pinguiorem prædam, in vicinam Provinciam discesserat. In Devoniensem, inquam, Comitatum: ubi Exoniam, nobilissimam urbem, & ad Iscam fluvium sitam, concussit. Nec assequi fugientem Christianos Rex potuit, donec urbe potiretur; nec facilè eâ potitum exuere. Ibi ergò Danus, hoc anno hiemavit: & Ecclesiam, ac monasteria, quæ ibi erant satis illustria, Barbarorum more vastavit.

Camden. in Devonsh. Notat Camdenus urbem illam, quam Antiqui Isceam appellabant, à Saxone postmodum *Monketon* dictam, id est, Monachorum oppidum. unde, vel à Monachis potissimum possessam, vel in eorum jure fuisse concludimus. Ibi monasterium construxerat Ethelbertus, Alfredi frater, anno

* v. n. 13. octingentesimo sexagesimo octavo * ut suprà. erant & alia priùs constituta, ut è vitâ Magni

* v. an 670. n. 7. Bonifacii nostri facilè * colligitur; nam ipse in eo loco, monasticam regulam edoctus; evasit inde in Germaniarum Apostolum. Cæterum quòd nulla reperiantur Regum, Principúmque diplomata, quæ fundationes horum locorum, aut dotationes loquantur; vixque aut nè vix, eorundem mentio habeatur; Danorum crudelitati id debemus, qui hoc anno Exoniæ hiemantes, Vulcano consecrarunt omnia, quæ Antiquorum pietatem testari poterant. eo planè modo, quo factum cernimus hoc anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, cum militari licentiâ, in libros, in chartas, in omnia publici juris instrumenta, ferro, flammâque sævitur. quod ingens utriusque Reipublicæ detrimentum, nullo unquam pretio poterit resarciri.

IV. An Monachi in Insula desierint. Alibi etiam, à Dano, in Monachos, & monasteria pugnatum, tam effusè, ut putet nonnemo, omne Monachorum genus, & speciem hac tempestate extinctam esse: imò Deum, cum Dano pugnasse, ut monasticum institutum, & *superstitiosi, ac diabolici Monachorum ritus, penitus tollerentur.* Ita putavit Matthæus Parkerus, qui de hoc anno loquens, hæc habet, tot vitiis, quot verbis, constantia. *Anno Domini octingentesimo*

Antiq. Brit. in Coelnoto, fol. 72. *septuagesimo sexto: Jugar,* (Inguar, voluit, opinor, dicere) *& Halfdene, cum viginti tribus navibus, de Demeticâ Regione,* (*in quâ hiemaverant*) *egressi sunt, ut lupi feroces, & multorum ibi Christianorum sanguinem fuderunt; pluribusq; cœnobiis faces admovendo, solo æquarunt. Quid multis? ausim pro certo affirmare, Deum nulli genti* (*ne Iudæis quidem*) *majorem intulisse calamitatem, quàm hac tempestate Angliæ Monachis, & Sanctimonialibus: ita ut ad annum usque sextum Athelredi Archiepiscopi Dorovernensis, sive ad annum sextum Alfredi Regis: qui tunc metu Danorum, in silvis, locisq; abditis se occultaverat; totus eorum ordo penitùs conciderit; & per nonaginta, aut eò ampliùs annorum spatium, situ obductus fuerit, non solùm in omnibus australibus Angliæ Provinciis, sed in borealibus etiam, plusquam ducentis annis; scilicet ad annum Domini millesimum septuagesimum quartum.* Si Parkerus dolendo, aut Monachorum miseriis illacrymando, ita scripsisset, dissimularem ego errores plures, quos paucis verbis complexus est: & justo dolori errata condonassem. Verùm cùm insultando, & unà cum Danis triumphando, hæc scribat, augeatque in immensum Dei iram in Monachos: debeo perversum viri impetum sistere, & veritatis radio moderari, nè in fidem, in historiam, & sanctissimum institutum, impunè peccet.

V. Parkeri paradoxum. Leve quidem est, quod Inguar & Halfedanum, in Demeticâ regione hiemasse scribat, anno octingentesimo septuagesimo sexto, cùm de Inguar ferè eo anno sileant Authores; Halfdenum autem, vel sequenti, vel multò rectiùs anno octingentesimo septuagesimo octavo nominent. Ita Asserus, Hovedenus, Wigorniensis, atque Westmonasteriensis, & satis clarè id insinuat Huntindonius. Fefellit illum, quod habet Hovedenus ad annum Domini octingentesimum septuagesimum septimum, ubi Inguar & Haldenus, cum viginti tribus navibus, egressi dicuntur de Merciâ regione, in quâ hiemaverant: sed illud excutiam post annum sequentem, ubi dicam Halfdenum illum Regem non fuisse, de quo hactenos sermo, sed ejus fratrem. Illud magis urgeo; quod dicat, ab hoc anno octingentesimo septuagesimo sexto per annos omnino nonaginta, aut eo ampliùs, in Australibus Angliæ partibus, totum monachorum ordinem penitùs concidisse: & in borealibus, per annos plusquam ducentos; nimirum ab hoc anno octingentesimo septuagesimo sexto, usque in annum millesimum septuagesimum quartum. In quâ tamen epochâ, ducenti anni computari non possunt. Sed illud parum; quia impetus hominem rapuit; nec vacavit illi numerum subducere. festinavit enim ad Dei judicium explorandum; & ingressus, ut putabat, abyssum illam, ita pronuntiat: *Hæc licuit*

Antiq. Brit. fol. 72. *in medium proferre, ut occultum Dei judicium, in obruendis monachorum cultibus superstitiosis & diabolicis, ac in delendo eorum nomine & memoria, per multa annorum curricula, probè animadvertamus, & altiùs animo perpendamus.* Hæc ille: quasi diceret: Non Danus, aut diabolus, hujus tempestatis author, sed Dei tantùm instrumentum sunt; ut Monachi nomen, memoria, & totus ordo penitùs concidat; ut factum in Angliâ, ab anno præsenti ad ducentos annos & ampliùs.

VI. Refellitur. Non videt hic pseudo-præsul, Judæos olim & infideles, eodem argumento, Christianam Fidem impetere posse; cùm non solùm per ducentos, sed trecentos etiam annos, infideles eodem genio persecuti sunt Ecclesiam, quo Dani Angliam & monachos vexaverunt. Non videt etiam premi aliquando Ecclesiam, sanctam atque Catholicam; ut virgo semper, & immacolata permaneat: premi justos, ut splendeant illustriùs; conteri species & aromata, ut pleniùs expandant odorem suum. Cæterùm quod dicit monachorum nomen, memoriam, & totum ordinem, ab hoc anno, & deinceps, per annos nonaginta, aut ducentos concidisse, falsum est, & ab omni historiarum fide alienum. Licèt enim Deus permiserit monasteria concuti, Ecclesiam vastari, bona diripi, Martyrio etiam aliquos coronari: tamen in nomen, ordinem, memoriámque monachorum, portæ inferi prævalere nunquam potuerunt. Nunquam enim Regiæ Fidei nobilissi-

mu.n

mum instrumentum, vita monastica, defecit in hac Insulâ. Quamvis enim omni sæculo, prima fuerit ad injuriam, quoties Christiana Fides petebatur. hoc ideo factum, quia in ejusdem Fidei plantatione, irrigatione, propagatione, primum semper fuit, & nobilissimum instrumentum; ut patet per Christianum orbem discurrenti: & in Insulâ hac, Sole clariùs elucescit. Quare Ecclesiæ motum, vicissitudinémque, constanter sequitur monastica vita: & similia habet incrementa, atque decrementa. Si illa patitur, hæc primùm ictus excipit; & quoties factiosi in Ecclesiam surgunt, in monasteria, & Monachos, primum impetum effundunt: ut olim factum à Saxone, à Dano, & nuper (cur enim egrediar Insulam) ab Henrico octavo, & Elizabethâ.

VII. Monachi nunquam defecerunt.

Sed quid? ab hoc anno octingentesimo septuagesimo sexto. & deinceps per annos ducentos, nulli erunt in Angliâ Monachi, nulla monasteria? Ita cupit Parkerus; sed fallitur. Nam tolle Danos, & turbam infidelem; quod brevi fiet, Alfredo vindice, Monachi nomen, memoriam, ordinémque ostendent. Alfredus enim in Adelingiâ, ubi nunc latet, monasterium exstruet, & alia Monachorum loca, à Danis destructa restituet: florebunt tunc, ut antea, Monachi; & iterùm in candelabro positi, lucebunt in omni loco: & eò illustriùs, quò splendorem suum innocentiùs servaverunt. Et sanè si unquam regularis disciplina floruit in hac Insulâ (& quis negabit fuisse florentissimam) floruit enimvero hoc annorum curriculo, quo Parkerus causatur tam immanem echlipsim fuisse. Quis hoc dicit? Ipsemet Parkerus, qui de Edgaro Rege scribens (incepit regnare anno 959. hoc est priùs quàm nonaginta anni expirassent) ita eum accusat. *Sub Edgaro*, inquit, *fœda Monachorum superstitio, de integro, non solùm instaurata est: verum etiam ita subitò in immensum crevit; ut nullâ superiore memoriâ, tot monachorum & monacharum diverticulis, nostra gens scatuerit, quot hoc uno Rege regnante, in australibus solùm Angliæ provinciis.* Ecce contrita monachorum sanctitas, odorem, quam antea latiùs diffudit, sub Edgaro Rege: nec ita subitò in immensum crevit; quin monachi nomen, memoria, ordo priùs saltem præextiterit. Unde enim tam subitò tot monachorum examina, si nulli antea, in australibus Angliæ provinciis, monachi fuerunt? Vivebat adhuc ibi Ethelredus Dorovernensis Episcopus, quem Parkerus ipse, monachum vocat. Godricus etiam, Croylandiæ Abbas, in vivis erat: nec nisi post annos sex, moritur *. & omni hoc tempore, monachos secum habuisse, infra, illos nominando, demonstrabo. In borealibus etiam Insulæ partibus, quantumvis ibi Danus sæviret; monachorum nomen, memoria, & ordo permansit. testes monachi Lindisfarnenses; qui cum Eadredo Abbate, per septennium, Cuthberti corporis, hoc est, sacri depositi, custodes fuerunt.

Antiq. Brit. fol. 72.

*Godricus moritur anno Christi 940.

VIII. Monasteria occupantes, qui?

Sed quæret fortè Lector; & oppidò facit ad institutum nostrum. Cùm pulsi sunt è provincia monachi, & cessavit hostilis impetus; quod brevi fiet. Quis illo nonaginta annorum intervallo, monasteria occupavit? & Ecclesiarum eò spectantium, procurationem suscepit? Respondet Parkerus: *Tunc*, inquit, *monachorum loco succedebant presbyteri, qui in conjugio legitimo, piè vivebant: quos Guilielmus Malmesburiensis vocat*, ignotos cœnobiorum incolas; *Tunc verò Deus Opt. Max. præbuit se magis mitem, atque placatum, erga Anglicanam gentem: siquidem cum hostibus dimicantes, victoriæ laudem semper reportabant; liberati à Danorum crudelitate; & tuti ab omni externo hostium impetu, usque ad tempora Edgari permanserunt.* Ecce Protestantium Ecclesia, quæ quondam putabatur invisibilis; Parkeri nunc industriâ, redditur conspicua: & presbyteros habet, in legitimo conjugio, piè viventes; ubi priùs fœda monachorum superstitio fuerat, & salva sunt omnia. Quasi verò nupera Anglicanæ Ecclesiæ facies, ritus, sacra à nono hoc sæculo, suffragium aliquod emendicare posset. Dicamus ergo, quod reveta gestum; & quales hi presbyteri fuerint, in *legitimo conjugio piè viventes*, hoc est, an Romano-Catholici fuerint, an Protestantes: an verò Epicœni generis.

Antiq. sup.

IX. Sæcularia Clerus monasteria occupavit.

Vacarunt aliquando (fateor) hac Danorum tempestate, monasteria: non omnia, ut ille comminiscitur: nam infra plura nominabo, ad quæ Monachi suis sedibus pulsi, ut regulariter viverent, confugerunt. Cœnobitæ enim erant, communémque vivendi rationem, in victu, precibus, choro, aliisque monasticæ vitæ exercitiis, colebant. Quod cùm à paucis præstari, cum decore, non posset: ubi pauci tantùm in monasteriis reliqui erant; & decorem domus Dei amabant; ad alia se loca transtulerunt; ut divinum in choro officium, & alia monachorum munia, integriùs persolverent. Hinc factum, ut deserta monasteria secularis aliquando clerus occupârit. quod monachi principio dissimulant, imò fortè libenter annuunt; ut bona, quæ olim civibus præstabant ipsi; ab aliis, eorum loco præstarentur. Nam Missæ sacrificium quotidie offerebant, aliaque pietatis ministeria obibant, laicis necessaria. Verùm cùm tractu temporis, clerus aliquando laxiùs viveret: & avidè colligeret, quæ nunquam seminaverat: cùm etiam fœminarum consortio, in monasteriis uteretur: Et ita incontinentiæ notam, cum proximorum periculo incurreret: monachi sua repetentes; religioni duxerunt, cœnobiorum bona, sacris usibus è fundatorum mente mancipata, iis prostituere, qui laxiùs viventes, nec suæ, nec aliorum saluti consulebant. Hinc orta lis inter monachos piè, & clericos laxè viventes: his, usum possessionis titulum prætendentibus: illis sua, justissimo, & primo fundationis jure repetentibus. Nec unius sæculi fuit controversia: quam Alfredus, Edgarus, Edmundus, Edoardus, pientissimi Principes; Dunstanus, Ethelwoldus, Oswaldus, Elphegus, sanctissimi Præsules, vocatis in id frequentibus Synodis, & pro Monachis semper sententiam dicentibus, diremerunt. Nec unquam revixisset quæstio, si sancti semper Principes fuissent; aut clerus omnis posset in officio contineri. Sed quia id arduum est, & in magno, sanóque corpore, nascuntur aliquando ulcera: Ideò permittit etiam magnus Pater-familias Deus, in agro suo zizania crescere, quæ ad cultoris diligentiam, & tritici firmitatem faciunt, clerúmque sanctiorem, quem omni sæculo Anglicana Ecclesia habuit, à sequiore distermінant.

X. Non fuit conjugatus.

Clerus ita laxè vivens, nunquam eò impudentiæ descendit, ut se in sacris constitutos, legitimè

conjugatos

conjugatos assereret. Nam horruit semper maculam illam omnis Occidens: nec Græciam aut Britannos appellavit: ut appellant, sed admodum imperitè factiosi: noluit tamen, à fœminarum consortio, etiam in monasteriis, abstinere. Quod non solùm monachi, sed sanctior etiam clerus, indignissimè ferens; eos ita sordidè viventes, & præter sacrorum Canonum reverentiam, *concubinarios* vocaverunt, quod patens argumentum est, nullum conjugio prætextum fuisse. Qui enim solemni voto se castitati astrinxerant; nullam sui corporis, uxoriis amplexibus tradendi potestatem habebant. Unde post initum Sacerdotium, nec ipsi Græci, nuptias contrahere, aut misceri alteri, quàm priùs habitæ uxori, poterant. est itaque tam in Latinâ, quàm in Græcâ Ecclesiâ, novum valde & insolens; ut consecrati Sacerdotes; quales illi fuerunt, qui monachorum cœnobia occupantes Sacramenta populo porrigebant; fœminis postea jungerentur; aut conjugati propriè, nedum *legitimè*, censerentur. Hæc tamen exerrantis cleri vitia Parkerus suaviatur: & novâ atque omnibus sæculis inauditâ dialecto; monachos castissimè viventes, *fœdam superstitionem*: clerum verò, modo dicto, cum fœminis luxuriantem, *piè, & in legitimo conjugio viventes*, vocat. In quo, non cum Græcia, sed super Græciam, lascivit. Agit etiam admodum oscitanter, dum una manu presbyteros, sacrificio Missæ & altari servientes, laudat à pietate: & alterâ Missæ sacrificium, superstitionem vocat: adeo sibi inconstans est. & *mentitur iniquitas sibi.*

XI. Rollo Danus in Britannia. Referunt Annales nostri, Asserus, Wigorniensis, Huntindonius, & Hovedenus, Rollonem Ducem, hoc anno 879. in Normanniam venisse. Et benè, nam ejectus è patriâ, in Britanniam nostram primò descendit: inde in Galliam perrexit, Neustriam cepit, terramque illam, ipse primus Normannorum Dux, Normanniam cognominavit. A quo descendunt, qui Angliam, finitâ Saxonum periodo, vicerunt. Sed hæc posteriùs. Addit Asserus, quid Rolloni in Britanniâ, fortè sub hæc tempora, contigerit; & ita scribit: *Idem Dux Rollo, cum in Antiqua Britannia, sive Anglia biemarent, militaribus fretus copiis; quadam nocte fruitur visione mox futura certitudinis.* Hanc visionem infideli Dano factam, non recensuit. Guilielmus tamen Gemiticensis, illam exponit, dum Rollonem exulem, divino oraculo in Angliam ire jussum scribit: ibique docendum, qua ratione feliciter patriam repetat. Nimirum Anglorum fidem, tutissimam viam fore, qua ad Angelorum gloriam, quæ communis est patria, perveniat. Non intellexit barbarus cæleste ostensum; donec id à Christianis, & repetito oraculo, doceretur. Rem gestam sic refert Gemiticensis.

Asser. hic.

XII. Gemet. de Duc. Norm. l. 2. c. 4. *Cum diu Scanzâ Insulâ molestus Rollo moraretur, solicitáque contorquentis animositatis cogitatione æstuans, moliretur ut vindicaret se de inimicis suis: plurimiq́; quos fugarat, de Daciâ regalis immanitas, ad eum reverterentur e fessis labore artubus, sopore oppressis; vox divina illi sonuit dicens: Rollo, velociter surge, Pontum festinanter navigio transmeans, ad Anglos perge: ibi audies, quod ad patriam sospes reverteris; perpetuáque pace, in eâ, sine detrimento, frueris. Hoc somnium, cum cuidam sapienti viro, & Christicolæ retulisset; hujusmodi sermone interpretatus est. Tu vergente futuri temporis cursu, sacro-sancto baptismate purificaberis, prædignúsque Christicola efficieris: & ab errore fluctuantis sæculi, ad Anglos, Angelos scilicet, usque olim pervenies; pacémque perennis gloriæ, cum illis habebis. Illico vela navibus aptans, remisq́; eas exornans, atque frumento, vino, tergoq́; suum, eas onerans, velivolum mare celeriter permeans, Anglos aggreditur: ibiq́; morari quietè diu suspicatur. Audientes autem illius territorii pagenses, quod Rollo Dacus adveniret: aciem magnam contra illum construxerunt; eumq́; ab illis finibus fugare conati sunt. Qui more solito ad prælium indubitanter illis occurrit; plurimósque illorum prostravit, atque cæterorum fugâ vertentium dorsa, hastâ fatigavit. Denique pagenses prioribus plures coacervantes, contra Rollonem iterum aciem dirigunt; eumq́; occidere, aut fugâ labi conantur. Ille vero, studiis belli edoctus, certaminisq́; necessitate asperrimus, galeâ auro mirificè comptâ, triplicíq́; loricâ indutus, contra objurgantium, & proficiscentium in se turmas armigeras, velociter, atque indubitanter perrexit; millibúsque illorum immaniter prostravit; victrice manu, celeriq́; cursu, profugos persequens, multósque Principum capiens; inde ad locum prælii revertens, occisorum corpora terrâ condidit, cæterósque plagis infectos deportavit, captosq́; navibus connexuit. Tunc trimodo errore æstuans, si Daciam repeteret, an Franciam pergeret, aut Anglicam terram præliis affligeret, & sibi vindicaret; cæpit anxiari, nimiumque tristari.*

Pugnam hanc, si quæ fuit, hoc anno putamus contigisse: quia tunc, Assero teste, Rollo in Angliâ hiemavit: tot tamen millia immaniter prostrata, tot captos Principes, miror à nostris Scriptoribus prætermissos; qui tam adversa solent, quàm prospera recensere. Nisi mavis Gemiticensem, Guilielmo Normannorum apud nos Regum primo, cui opus inscripsit, adulatum esse, aut saltem numerosiùs locutum. Nam qui è nostris pugnæ meminerunt (ut Spedus) fugatum ab Alfredo Rollonem dicunt. Sed quicquid sit: pergit author, quæ hibernanti in Britanniâ Rolloni contigerunt, enarrare. Inter quæ illud est mirabile, quod dormienti objecta est sacri baptismatis imago; quam Principes nostri agnoverunt, agnitámque infideli viro exponunt. Unde Normannos Principes, à Principibus nostris Fidem primò intellexisse, mox à Gallo scriptore audies. Sic enim loquitur qui supra, Gemiticensis; cum anxium Rollonem, & super tribus dubiis pendulum, dixisset: Pergit autem sic: XIII.

XIV. Gemiticen. de Ducib. Norman. l. 2. c. 5. *Cum autem hujusmodi perturbationibus solicitus hæreret; hominesq́; regionis illius, ditioni sua, fidelitatis gratiâ e vinculoq́; sese subjugarent: quadam nocte soporiferâ lethea molis quiete, per membra leniter serpente, videre videbatur præcellentissimus, quondam præcelsiore Franciæ habitationis monte se positum; ejusq́; montis in cacumine, fontem liquidum & odoriferum: seq́; in eo ablui, & ab eo expiari contagione Lepræ, & prurigine contaminatum. Denique illius montis cacumine adhuc superstes, circa basim illius, hinc inde & altrinsecus, multa millia avium diversorum generum, varii coloris; sinistras alas, quin etiam rubicundas habentium: quarum diffusa longe latéque multitudinis inexhaustam extremitatem, perspicaci, & angustato obtutu, non poterat comprehendere. Cæterum congruenti incessu, atque volatu, eas sibi alternis vicibus invicem cedentes, fontem montis petere: eásque se convenienti natatione, sicuti solent tempore*

futura pluvia abluero. Omnibúsque mira infusione delibutis; congrua eas statione, sine discretione generum & specierum, sine ullo contentionis jurgio, mutuo vicissim pastu, quasi amicabiliter comedero, oásque deportatis ramusculis, festinantis labore nidificaro. Quin etiam suæ jussionis imperio, voluntariè succumbere. Mox expergefactus, & visionis quam viderat, reminiscens, accersitis majoribus Principum, captisq́ue prælio Principibus simul ascitis, omnem hujus visionis seriem incunctanter disseruit: & quid hujus visionis mysticum sentiret, ab eis inquirit.*

XV. OSTENTI EXPLICATIO.

Tunc cunctis conticentibus, captorum unus, Christiana religiositatis fide imbutus; præsagio divinæ inspirationis aspersus; mysticum illius visionis intellectum explanavit, dicens. Mons Francia, quo stare videbaris, Ecclesia illius designatur. Fons qui in summitate montis erat, baptismus regenerationis interpretatur. Per lepram & pruriginem, qua infectus eras, commissionis tua scelera & peccata animadvertes. Te in eo ablui, & ab eo lepra pruriginísque morbo expurgari, te lavacro sancti baptismatis regenerari, & ab omnibus peccatis emundari. Per volucres diversorum generum, levas alas habentes puniceas, quarum infinitissimam extremitatem exhaurire visu non poteras, homines diversarum provinciarum, scutulata brachia habentes, eiusq́ue effecti fideles, quorum innumeram multitudinem coadunatam videbis, animo deprehendas. Per alites fonte infusas, & eo alternatim ablutas, communíque comestione edentes, populum, antiqua fraudis contagio pollutum, typico baptismate abluendum, sacro-sancti Corporis, & Sanguinis Christi alimoniâ saginandum. Per nidos quos circa fontem faciebant, vastatarum urbium mœnia reædificanda intellige. Tibi aves diversarum specierum obtemperabunt; tibi homines diversorum regnorum serviendo accubitati obedient. His igitur mirabilium interpretationum sermonibus Rollo exhilaratus, visionis suæ interpretem, cæterósque quos bello cepit vinculis solvit, variis muneribus, & donis diversis ditatos, ad sua lætos remisit. Hæc omnia Gemiticensis.

XVI.

Gemiticen. suprà c. 6.

Sed fallitur indubiè author, in consignando tempore: supponit enim Rollonis descensum in Insulam, in Athelstani Regis, quem *Christianissimum* vocat, & *omnium bonorum titulis exornatum*, tempora referendum: Cum ille tamen Alfredo ex filio nepôs, post quinquaginta primum annos regnaverit. Immò, Gemiticensis ipse, oobiscum est, in anno nominando adventus Rollonis in Britanniam. Nam ubi ejus discessum ex Insulâ narrasset, hæc habet: *His ita sedatis, Dani cum suo Duco Rollone, vela ventis librant, Scaldi alveum deserentes: atque permenso ponto, octingentesimo septuagesimo sexto ab Incarnatione Domini, Sequanica penetrantes ora, flante ad votum vento, Gemmeticum veniunt, corpus sacræ Virginis Hameltrudæ, quod à Britanniâ asportaverant, in capella hactenus illius Virginis nomen retinet.* Ita ipse. Quæ anni consignandi ratio, Annalibus nostris & Malmesberiensi congruit. Sed quid illud, & quorsum, corpus S. Hameltrudæ Virginis, ab infideli Dano, in Gallias, è Britanniâ transportatur? Hoc nude narrant authores nostri, Gemiticensem secuti, & nihil de Virgine, causâque translationis exponunt. Westmonasteriensis, cum annum Christi 897. absolvisset: *Circa dies istos*, inquit, *Rollo quidam, natione Danus, maximâ stipatus militiâ, in Angliam veniens, locorum depopulationi vacabat*, &c. tum narratâ visione ejus, quam supra retuli, addit:

Idem suprà. cap. 19.

HAMELTRUDÆ VIRGINIS CORPUS.

Malmesb. de Reg. l. 2. f. 47.

Westm. an. 897.

Mare igitur ipse (Rollo) *& ejus commilitones ingrediuntur, flanteque ad votum vento, emensis fluctibus pelagi, Gemeticum veniunt: ubi quandam Virginem sacram, nomine Ameltrudem, quam ab Angliâ asportaverant, in capellâ sancti Vedasti super altare reliquerunt.*

XVII.

Walsing. Hypod. Neust. fol. 415.

Verùm, quam illi Ameltrudem Virginem vocant, authores alii Gertrudem appellant. Sic Thomas Walsingamus, in hypodigmate Neustriæ: *Octingentesimo sexto anno ab Incarnatione Domini* (sed lege 876.) *Dani flantibus ventis ad vota, Gemeticum veniunt, ubi quandam sacram Virginem, nomine Gertrudem, quam asportaverant à Britanniâ, in Capellâ S. Vedasti, quæ trans flumen est, super altare ponentes, ibidem reliquerunt. Quæ capella nomen Virginis hactenus sancta Gertrudis habet.* Quid de sacro hoc deposito dicendum sit, hæreo. quia, nec Gertrudes, nec Ameltrudes, in Fastis nostris locum habent: nec Gallicani Fasti me juvant: ubi tamen exacta sanctorum corporum translatio recensetur. Opinor itaque, Rollonem, & Danos, monasteria nostra de more, diripientes; cum Anglicanæ Virginis ossa invenissent, ab orthodoxis culta, & auro, argentóque ornata: scirentque ab illis in pretio esse; illa conservasse; ratos à fidelibus ingenti pecuniæ summa redimenda. Quâ spe frustrati; ubi Gemmetici pacem, cum Francone Rhotomagensi Antistite sanxissent, sacræ Virginis ossa, ibidem reliquerunt; cujus nomen, cum Dani ignorarent; Galli, vel Gertrudem, vel Hameltrudem vocando suppleverant. Cæterùm quod Rollo sanctorum corpora deprædari soleret, Galliarum Episcopi intellexisse videntur, qui hoc ipso tempore; audito quid in Angliâ à Rollone fieret, corpora Sanctorum Maglorii, Sampsonis, & Maclovii, Britannorum, ejus furori subducentes, Parisios transtulerunt, teste Gallicano Martyrologio, ubi sic legitur: *Maglorii corpus, multis in sepulchro prodigiis, clarus. Quod deinde Salvator, Episcopus Alethensis, Rollone Danorum Duce, Cismarinam Britanniam, hostili incursu, barbaroq́ue impetu, invadente: ne profanaretur, ab infida gentis exercitu, unà cum sanctorum Sampsonis, & Maclovii* (aliàs Machuti) *pretiosis exuviis, maturè subductum, Lutetiam Parisiorum, seu arcem regni, & religionis tutissimam custodiam, detulit.* Recensui hanc translationem, tomo superiori, cum Maglorius noster moritur, nimirum anno 599. num. 4. Dani ergo, tam in vivos, quàm in mortuos pugnaverunt: quos nupero hoc sæculo, Calvinistæ impigrè sequuntur; imò sævitiâ & impietate, Rollonem præcedunt; qui Sanctorum corpora super altare nunquam deponunt; sed corpora igne, altaria ferro, templa etiam, & sacra omnia, demoliuntur.

TRANSFERUNTUR CORPORA SS. MAGLORII, SAMPSONIS, ET MACLOVII.

Mart. Gal. ad 24. Octob.

ANNUS CHRISTI 877.

JOANNIS VIII. PAPÆ 5.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 7.

I. DANORUM INUNDATIO.

ANNUS Christi octingentesimus septuagesimus septimus, Britanniæ gravis, è Danorum incremento fuit; & Alfredi industriam valde exercuit. Adeo enim locustarum numerus

excreverat; ut nec Regis diligentia, nec ardor civium, tecta sua & Ecclesias defendentium; pestem avertere potuerit: præsertim maturis frugibus; nam autumni tempore, Exoniam in Occidente, & Merciam omnem deprædantur, ingenti provincialibus damno. Et licet pro aris, focisque, quilibet pugnaret; nocentissimum tamen bruchum abigere non valebat: *Crescebat insuper*, inquit Asserus; *diebus singulis, perversorum numerus, adeo quidem, ut si triginta ex eis millia una die necarentur; alii succedebant numero duplicato.* Quis igitur hoc Augeæ stabulum exhaurire sufficiens? Alfredus certè fecit, quod erat optimi Principis: maritima observari curiosiùs jussit; triremes, cymbas, liburnicas expediri, ut navali prælio venientes arceret; qui frustra aliàs, in Insulâ cædebantur. Utilis illa quidem, sed sera nimis opera fuit. Nam pugnare distractis viribus, terrâ, marique in innumerum hostem, ingens erat, & pauco militi non ferendus labor. In Deo igitur solo, Sanctisque ejus, omne præsidium Alfredo Regi reliquum erat. quod brevi præstitum: cùm Regia Fides, pietásque, in miseriarum hac nocte pulcherrimè inxisset.

Asser. hic.

II. Alfredo in Danos pugnat feliciter.

Munitis litoribus; Exoniam Alfredus, ad fugandum inde Danum properat. Ubi barbarus non ausus ad certamen egredi, se urbis mœnibus continuit. Quem dum Rex egregiè premit; Ecce è vicino, alii ad suppetias obsessis ferendas, conscensis navibus, occurrunt; satis tamen infeliciter. Nec enim illis laborantibus opem, nec sibi ipsis salutem adferre potuerunt. Erant Paganorum naves, centum & viginti, quæ Warrhamo solventes; dum Oceanum navigant; vel tempestate jactatæ, in mari perierunt; vel ad litus ejectæ, à Provincialibus, jussu Alfredi, consumptæ sunt. Hanc cladem, & unà hujus anni expeditionem, ita narrat Asserus *Anno 877. Rex Alfredus jussit cymbas & galeas, id est longas naves fabricari per regnum, ut navali prælio hostibus adventantibus obviaret. Impositisque piratis in illis, vias maris custodiendas commisit. Ipse verò Exancestre* (Exoniam intelligit) *ubi Pagani hiemabant, properans; illis inclusis, civitatem obsedit. Nautis quoque suis mandavit; ut in parte freti, vitale hostibus subsidium denegarent. Occurrerunt autem nautis suis, centum viginti naves, armatis militibus oneratæ, quæ in auxilium suorum civium advenerunt. Quas cum pagani militibus ministri Regis cognovissent repletas, ad arma prosiliunt; & viriliter barbaras nationes invadunt. Pagani verò, qui jam ferè per mensem, inter fluctus pelagi naufragium pertulissent, inutiliter prælium reddiderunt. Unde in momento, agminibus eorum laceratis, in loco qui Gnavewic dicitur, undis submersi omnes pariter perierunt.* Ita ille. Authores alii, naufragii locum Swanawic vocant. *Navalis exercitus* (inquit Huntindonius) *circumremigans, tempestate obrutus est, perieruntque, centum viginti puppes, apud Swanawic.* Fortè promontorium intelligit, apud peninsulam Purbeck, quòd Danorum naves Warrhamo solventes, transire debebant. nam ibi locus, & oppidum est Sanwich. Unde Westmonasteriensis, cùm Asserum suprà exscripsisset: *in loco*, inquit, *qui Sandwic dicitur, undis submersi omnes pariter perierunt.*

Asser. hic.

Huntind. l. 5. fol. 350.

Westm. hic.

III. Dani in Merciam reversi.

Extincto navali præsidio, restabat superandus alter exercitus, qui terrestri itinere, Dano veniebat in subsidium. Illum ergò Alfredus aggressus; coëgit tandem omnem Danum, datis rursus obsidibus, omni Occidente discedere. Quare hoc ipso anno barbari iterùm in Merciam profecti, Provinciam illam variè distraxerunt. Quod ita ab Assero exponitur. *Equestrem verò exercitum Rex Ælfredus insequebatur tunc, quousque venit ad Exanceastriam. Ibi accepit obsides, & juramentum ab eo, ut cito discederent. Ipso anno, mense Augusto, ille exercitus perrexit in Merciam: & illam Regionem Merciorum, partim dedit Ceoluulfo cuidam insipienti Regis ministro, partim inter se divisit.* Hic, opinor, est ille, Burhedi minister, qui nuper à Dano Provinciæ præfectus, inde exauctoratus est: & nunc, quia vilius nequitiæ instrumentum non habuit, in prædæ partem ascivit.

Asser. suprà

Ceolulfus restituitur

IV. Etheredus Episcopus Romam consulit.

Non potuit hac bellorum tempestate, non pati Ecclesia: cùm hinc Danus, aperto Marte; Christiani etiam, necessitatis prætextu, in illam pugnarent. Etheredus Dorovernensis, qui in specula sedebat sublimiùs, Joannem Rom. Pontificem, per literas monet, malè Ecclesiis consultum; & se resarciendo damno imparem esse; cùm Reges, & populus, bello potiùs, & propulsando hosti servirent. Ejus ergò opem, operam, consiliúmque implorat. Joannes, auditâ Etheredi querimoniâ; binas literas ad Regem scribit, & unas ad Etheredum: quas si ad manum haberem, nullo negotio dicerem, quid à Rege, quid à populo, peccatum. Interim accipe, quæ Baronius recitat: *Eodem*, inquit, *anno 877. mense Novembri, idem Ioannes Papa, occasione consultationis Eadredi Anglorum Episcopi* (Etheredum intelligit!) *literas scribit, ad Anglorum Regem; monens eum imitari pios prædecessores Reges, & colere Episcopos Dei ministros. Ad ipsum verò Archiepiscopum cum scribit, hæc inter alia ingerit. Nos autem pro instantis temporis necessitate hortamur, & monemus fraternitatem vestram; ut omni sæculi timore postposito, sicut idoneus Dei minister, opponas te murum, pro Domo Domini: & zelo illius accensus; non solum Regi, sed omnibus in ea perversè aliquid agere volentibus, strenue resistere non prætermittas.* Ita ibi. An Regis nomine Alfredum intelligat, nescio: Nam Ecclesiam ille imprimis reveritus dicitur. Quod si aliquando fortè in eo genere peccavit; ex Urbe monitus, pientissimè resipuit.

Baron. hic. n. 29.

Joannes Papa in Angliam scribit.

ANNUS CHRISTI 878.

JOANNIS VIII. PAPÆ 6.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 8.

I. Dani Alfredi Regiam occupant.

ADEST Christi annus octingentesimus septuagesimus octavus; quo Alfredus Rex, & omnis Insula, iratum Deum, & placatum sensit. Enimverò cum vidisset Rex; non humanis viribus, sed Dei, Sanctorúmque auxiliis fidendum esse; simul etiam sensit, descendendum ad humilia, si vis bene & feliciter sublimia occupare. Danus, quà vi, quà insidiis, quà rupto toties fœdere, in immensum creverat: Mercios, Northumbrios, & omnia præter Occidentis paucas provincias, sub imperio tenebat. Imò quæ Regis juris erant, hoc anno ingressus, Alfredi Regiam, *quæ in Australi parte Wiltunscire sita est*, inquit Asserus, *cepit.*

Jacet illa ad Avonam fluvium; hodiéque idem ferè. quod olim, nomen retinet, diciturque Chipnam. Restabat Alfredo, vix unus, aut alter ager; quem nec cives colere barbarorum metu; nec tutò ibi vivere poterant. Unde plurimi, non valentes quotidie suis oculis usurpare infortunia, liberorum etiam, & charissimorum inopiam; relictâ barbaris patriâ, & emenso Oceano; foris novas sedes quæsiverunt. Sed & Sanctorum corporibus timentes; quæ semper Orthodoxi, in summo pretio habuerunt; illa secum in viæ solatium, reditusque spem, detulerunt. *In hoc quoque persecutionis turbine*, inquit Westmonasteriensis hic, *constituti fideles Christi Episcopi, cum Sanctorum reliquiis, & Ecclesiarum thesauris, populisq; regionis, trans mare fugerunt.* Hinc Belgium, quo plerumque secedere hac ætate soliti; nostratium Sanctorum exuviis meritò gloriatur: quorum si nulla, vel exigua admodum remansit memoria; id dandum est Danorum impietati; qui Ecclesiarum bona deprædantes, omnia publicis juris instrumenta, quæ nancisci poterant, combusserunt.

Sanctorum corpora in Belgium delata.

II. Alfredi inopia.

Alfredus interim, non omninò provinciâ excedere, sed potiùs in patriâ, meliorem Deum præstolari decrevit; ac eundem malorum patientiâ demereri. Crescente ergò paganorum multitudine; cùm Dani omnes, quotquot in Britanniâ supererant, in ejus unius caput, regnúmque conspirarent: Ipse latebras suas, & Adelingiam Insulam repetere coactus est. Ubi, cùm in summâ rerum omnium penuriâ esset; solabatur præsentem fortunam, spe futurorum: cogitabat pius Princeps, ut in manu Dei sint corda Regum, ut amicos soleat tam adversis frangere, quam secundis efferre: ut amandus ipse, sive feriat, sive blandiatur. Tum in seipsum disquirere; quid in Deum peccavisset, quo tam gravem ejus manum, flagellúmque mereretur: & illud imprimis occurrebat adolescentiæ vitium: solitum supra alios, & communem plebem se nimiùm efferre. quod voce quidem castigarat olim vir Sanctus Neotus, qui etiam insigni vaticinio, nubila illi tempora, & infelicitatem prædixerat. Quod ita refert Asserus. *Quam quidem adversitatem, præfato Regi illatam, non immeritò ei evenisse credimus: quia in primo tempore, cùm adhuc juvenis erat, animoq; juvenili detentus, homines sui regni, sibiq; subjecti, qui ad eum veniebant, & pro necessitatibus suis eum requisierant; & qui depressi potestatibus erant; suum auxilium, ac patrocinium implorabant: Ille verò noluit illos audire, nec aliquod auxilium impendebat: sed omnino eos nihili pendebat. Quod beatissimus vir Neotus, adhuc vivens in carne, qui erat cognatus suus, intimo corde doluit; maximamq; adversitatem, ob hoc ei venturam, spiritu prophetico plenus, prædixerat. Sed ille, & piissimam viri Dei correptionem parvi pendebat. & verissimam ejus Prophetiam non recipiebat. Quia igitur quicquid ab homine peccatur; aut hic, aut in futuro, necesse est, ut aliquo modo puniatur; noluit verus, ac pius Iudex, Regis insipientiam esse impunitam in hoc sæculo; quatenus illi parceret in districto judicio. Quare idem sæpedictus Alfredus, in tantam miseriam sæpiùs incidit; ut nemo subjectorum suorum sciret, ubi esset, vel quò devenisset.*

Unde orta?

Asser. hic.

III. De S. Neoti exordiis

Neotus hic, qui Alfredum piè monuit hoc tempore, Sanctitatis opinione præcipuus fuit: cujus exordia sic refert Guilielmus Malmesburiensis, in Antiquitatibus, quas scripsit Glastoniensis cœnobii. *Neotus*, inquit, *in Angliâ, dignis parentibus editus, saluberrimo mox renascendus tingitur lavacro. Et ab ipsâ tenellâ ætate, literarum applicatus doctrinæ; Sancto Spiritu mentis capacitatem infundente, præclarissimi ingenii fulsit nitore. Et quamvis in ætate puerili positus; puerorum tamen lascivias, cum omnibus mundanis vanitatibus spernens; bonis moribus crescebat, & actibus. Factus adolescentulus, cunctis parentum relictis rebus; mundum, cum omnibus suis pompis, abegit; sanctumq; religionis habitum, in monasterio Glastoniensi quod in maximâ veneratione, atque frequentiâ, ab incolis omnibus fuit habitum; devotus suscepit: in quo venerandorum maxima commorabatur caterva fratrum, arctiori & spirituali normâ degentium. Hunc propterea locum, Dei Omnipotentis servus, toto mentis annisu amplexatus est; tanquam munitissimum asylum, contra callidi hostis multimodum jaculum, præcipuam omnium virtutum in se continens charitatem. Omnibus se præbebat humilem, mitem, affabilem, vultu serenum, morum probitate tranquillum; omni castitate, ab ipsis incunabulis, egregium. Tanta super eum divinitus enituit gratia; ut ab omnibus inæstimabili veneraretur amoris diligentiâ, absque ullâ alicujus invidiæ maculâ. Inde divulgatâ, ejus religionis famâ; à diœcesano Episcopo. tanta venerationis acceptione est habitus; ut nonnullis evolutis diebus hunc honore insigniret diaconatus. Et post non multum temporis; præfatus præsul Beati Neoti plus admirans, ac suspiciens conversationis industriam; eum licet totis viribus renitentem, ad sacerdotii promovit apicem.*

Antiq. Glast. in Alfredo.

IV.

Cumq; in Christi mandatis omnibus, indeficienter Dei famulus ambularet Neotus, superno admonitus oraculo, Occidentales partes Anglorum perlustrans; loci cujusdam juxta penetralia deserti, interiora expetiit. Hunc postea locum, ob servi Dei incolatum Neotestoke, loci indigenæ appellarunt: illic vitam anachoreticam aggrediens, jejuniis, vigiliis, orationibus, cæterisque justitiæ laboribus, sibi suum attenuabat corpus, & frequentissimè Angelicâ meruit perfrui visitatione. Solitario igitur in Dei servitio peracto septennio; amore accensus divino, Romam pergens, Beatorum Apostolorum visitavit limina, & benedictione fretus Apostolicâ, revertitur ad prælectum locum, ac priori vitæ se penitus mancipavit. Unde vulgatâ ejus famâ; sæculi nobiles, mundum, cum suis illecebris abdicantes, veraq; religionis habitum quærentes, ejus cupiebant instrui disciplinis. In eodem igitur loco ædificavit cœnobium, in quo aggregavit numerum monachorum; factúsque est eis Abbas & Rector. Cujus famam comperiens Rex Aluredus; Dei servum sæpiùs adiit, suisq; nonnunquam utebatur consiliis; quem omnimodis Dei servum esse experiebatur signorum indiciis. Hæc ibi. Sunt, qui Neotum hunc filium velint esse Ethelwolfi Occidentalium Saxonum Regis. & fratrem Alfredi. Ita author qui Neoti vitam scripsit, apud Capgravium. Sed quia ibidem etiam dicitur Neotus, in Glastoniensi cœnobio monachus factus, sub Dunstano Abbate; qui non nisi post triginta annos nascitur, à morte Neoti: ideo non meretur fidem. Cæterùm quæ dederit Alfredo monita salutis, & quomodo insigni vaticinio, adversa illi, & prospera prædixerit, in hunc modum ibi narrantur.

V. *Capgrav. in Neoto.*

Venit aliquando ad virum Dei frater suus, Alfredus Rex West-Saxonum, corpore humiliatus, & mente; benedictionem ejus expostulans: quem benedicens edocuit, & erudivit eum scientiâ, viam prudentiæ

ostendens

ostendens illi, pravos ejus redarguit actus, jussit in melius converti; & tantò secutius, quantò propinquius, de sanguine ejus tractus. Alio quoque tempore Regem eundem de tyrannidis improbitate, de superbâ regiminis austeritate, acriter Sanctus increpavit Neotus. Apponebat ei sanctum David, quem ad regendum de post fetantes dominus acceperat; Regem mansuetum, & omnis humilitatis exemplar, humilitate electum, & approbatum asserebat: & Saulem superbiâ reprobatum: cum parvulus esset in oculis suis, caput constitutus est in tribubus Israel. Quid gloriaris inquit, in malitia, qui potens es in iniquitate. Elevatus es ad modicum, & non subsistes; & sicut summitates spicarum contereris. Ubi est gloriatio tua? Et si nondum exclusa est, aliquando tamen excludetur. Ipso enim regiminis principatu, cujus inani gloriatione, teipsum excedendo superbis, in proximo privaberis. Irrumpentibus quippe intra regionem istam barbaris, atque Dei permissione triumphantibus; vix solus evadens, vagus & profugus eris super terram: sicque pauper & egenus, aliquamdiu latitabis; timens ne omnis qui invenerit te, occidat te. Cum autem hujusmodi infortunii cognoveris effectum confortare, & esto robustus: viriliter age, & confortetur cor tuum. In omnibus misericordiæ Dei memor eris; quia cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur. Noveris enim me, devotis apud Deum intercessionibus obtinuisse; ut suppressâ quandóque tantæ adversitatis importunitate; pristina iterum prosperitatis jocunditate, & plenâ gaudens regiminis restitutione: si tamen agere perversè quieveris, & dignâ pœnitentiæ satisfactione,

VI. Vaticinii veritas.

Quæ olim Alfredo Neotus dixerat, hoc anno evenisse demonstrabunt sequentia. Cùm enim in miseriarum profundum, Deo permittente, Rex descendisset; cùm exul à domo, & omnibus ignotus, vagari cogeretur: tunc Deus dextram illi porrexit, & ad Regiæ dignitatis fastigium clementissimè erexit. Videamus quo modo. Dum necessitate compulsus latere cogitur Alfredus, Dani impunè per omnia grassantur: tam Mercios, quàm Occidentem, crudeliter vexant, depopulantur agros, & ferro, flammâque miscent omnia: donec Hubba, Hinguat, & Alfdeni frater, cum tribus & viginti navibus, è Dymetarum Regione solventes, ubi hiemaverant; enavigato Oceano, ad Domnoniam appellunt; seu vastaturi intactam hactenus Provinciam, seu Alfredum Regem quæsituri. Multum illi habebant militem, bellóque exercitatum: quem ad littus expositum, jubet Hubba in Kinwicum arcem pugnare. Alfredi miles eò se receperat, loci naturâ magis, quàm suis viribus fisus. Quod Danus edoctus, arcem securus, & sine sanguine, devorarat. Jubet ergò suos, à pugnâ abstinere, servare tantùm aditus, nè miles elabatur. Arcem sine dubio suam esse, & quicquid eo convalatum; modo commeatu, & aqua obsessi arceantur. dicebat ex arte barbarus, & fuisset omnia consecutus; nisi præsentior animus, & omni major periculo, Anglis adfuisset. Nam ubi se inclusos viderunt, & omni subsidii spe destitutos, faciendum tunc fortissimè, & cum laude moriendum, decreverunt. Nec diu deliberatum. Stipati omnes unanimi consilio, cùm matutinus sopor Danos obruebat; ex arce descendunt silentio, & subito motu, inopinatos adorti; mille ex eis & ducentos opprimunt. reliquis ad naves, vix fugâ lapsis. Insignis ea victoria fuit, & amplissima spolia. Captum vexillum, mirabili arte contextum, cum corvi effigie, quod mutatione, aut quiete suâ, victuriam barbaro adpromitteret, vel victis constantiam; ideò Reafan, quasi Raven, appellatum. Ibi Hubba cæterorum Princeps, Christianorum manibus occubuit; & loco nomen fecit Hubbeston. Pugnatum in Devoniensi agro, auguratur Camdenus, ibi nimirùm, ubi Tawus fluvius, Towridgi aquis auctior, Sabrinianum mare petit; licet castri supradicti, nulla sint jam reliqua vestigia. Nunc ad Alfredum in Athelingia latitantem, redeo.

Dani in Occidente prædantur et pugnant

Ad Kinwicum arcem.

Sed infeliciter.

Hubba Danus occiditur.

VII. Asser. hic.

Alfredus emergere incipit.

Ille, dum miles alibi fortiter pugnat, *cum paucis suis Nobilibus*, inquit Asserus, *& etiam cum quibusdam militibus, & vasallis, per silvestria, & gronnosa Summersetensis pagæ loca, in magnâ tribulatione, inquietam vitam ducebat. Nihil enim habebat, quo uteretur, nisi quòd à Paganis, & etiam à Christianis, qui se Paganorum subdiderant dominio, frequentibus irruptionibus, aut clàm, aut etiam palam, subtraheret.* Quod author hic *gronnosa Summersetensis pagæ loca*, vocat; Malmesburiensis paullò latiotùs reddidit, *Insulam quandam palustri uligine vix accessibilem, vocabulo Adelingiam.* Unde cum aliquamdiu pauperem vitam egisset, vagus & ignotus; cæpit tandem, Dei nutu, in lucem emergere, & provincialium accessione innotescere. tum munitâ, in qua latuerat, Insulâ, hostem quærere: ac ipsum ad certamen provocare: quod cum aliquoties egregiè præstitisset; insigni tandem victoriâ eundem debellavit. Quæ omnia Asserus accuratè prosecutus, ita scribit: *Eodem anno* (878.) *post Pascha, Ælfred Rex, cum paucis adjutoribus, fecit arcem in loco qui dicitur Æthelingæ: & de ipsa arce, semper cum nobilibus vasallis Summurtunensis, contra paganos infatigabiliter rebellavit. Iterúmque in septimâ hebdomada, post Pascha, ad petram Egbrihta, quæ est in Orientali parte saltus, qui dicitur Selwud, latine autem Silva magna, Britannice Coit Maur, equitavit. Ibíque obviaverunt illi omnes accolæ Summurtunensis pagæ, & Wiltunensis, omnes accolæ Hamptunensis pagæ, qui non ultra mare, pro metu paganorum navigaverant. Visoque Rege, sicut dignum erat quasi redivivum post tantas tribulationes recipientes; immenso repleti sunt gaudio & ibi castra metati sunt unâ nocte. Diluculo sequenti illucescente, Rex inde castra commovens; venit ad locum qui dicitur Æglea: & ibi una nocte castra metatus est. Inde, sequenti mane illucescente, vexilla commovens; ad locum qui dicitur Ethandum, venit: & contra universum paganorum exercitum, cum densâ testitudine atrociter belligerans, animoséque diu perfistens, divino nutu tandem victoria potitus, paganos maxima cæde prostravit, & fugientes, usque ad arcem percutiens, persecutus est; & omnia quæ extra arcem invenit; homines scilicet & equos, & pecora confestim cadens homines surripuit; & ante portas paganicæ arcis, cum omni exercitu suo, viriliter castra metatus est.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

Asser. hic.

Alfredus Danos fundit ad Ethandum.

Illustris hæc victoria fuit, & aurora felicitatis Alfredi, quam priusquam absolvo, dicam unde processerit; & quorsum Asserus *divino nutu* partam dixerit. nam *Sancti per Fidem vicerunt regna.* & hanc Fidem explicare, instituto meo proprium. Dico igitur Alfredum Sanctis supplicem, eorum ope è miseriis sublevatum; voto se obligasse, monasterium in Adelingiâ, si victoriâ potiretur. ubi hæc ostendero, in Alfredi victoriâ pergam. quæ non nisi Danorum ad Fidem conversione, terminabatur.

VIII. Alfredi felicitatis aurora.

Ejus votum.

nabitur. Nam hæc est victoria, quæ vincit mundum. Cuthbertus Sanctus, Lindisfarnensis olim Episcopus, eâdem quâ Alfredus Rex, tempestate jactatus (nam hactenus ejus corpus, nusquam tutò potuit deponi) Regem in miseriis jacentem erexit; se illi vigilanti, peregrinâ primùm specie ostendens; inde dormienti pleniùs. quod ita refertur in vitâ Cuthberti. *Alfredus per tres annos,* Capgrav. in Cuthberto. *per silvestria Somersetensis pagi, vitam incertam & inquietam ducebat. Quippe qui nihil unde viveret, habebat; nisi quod prædando, aut piscando acquireret. Tandem, dum socii sui, circa capturam piscium instarent; & ipse molestiam suæ proscriptionis, meditatione scripturarum, consolaretur: astitit ei quidam peregrinus, in Dei nomine eleemosynam petens. Tunc Rex, utrasque manus levans ad cælum, ait: Gratias ago Deo, qui pauperem hunc suum hodie in paupere visitavit. Vocavit citò ministrum suum; qui nihil præter modicum vini, & unum panem habebat; jussitq; mediam partem pauperi dari. Gratias egit pauper, & abscessit. Et nullo transitus sui vestigio, in paludibus relicto, subitò evanuit: & quæ largita fuerant, integra inventa sunt. & qui piscatum exierant, tres naves piscibus onustas, domum reduxerunt.*

CUTHBERTUS ALFREDO APPARENS STIPEM PETIT ET ACCIPIT.

IX. ITERUM EUNDEM ALFREDUM CONSOLATUR.

Soporato igitur Regi apparuit quidam, pontificalibus indutus: qui de diligendo Deo, servandâ justitiâ, de misericordiâ in pauperes, de reverentia in sacerdotes exhibendâ, eum monuit; & adjecit. O mi Alfrede, Christus conscientiam tuam respiciens, ærumnis tuis finem imponit: me enim impetrante, & Deo donante, totius Britanniæ imperium tibi, successoribúsque tuis conceditur disponendum. Si autem Deo, mihiq; fideles fueritis; me posthac ad conterendum robur inimicorum omnium, inexpugnabile defensionis scutum habebitis. Cras enim tibi aderunt fortes auxiliarii, quorum ope hostes devinces. & ait Rex: quis es tu? Ego sum, inquit, Cuthbertus, peregrinus ille hesternus, cui panem porrexisti; tui tuorumque curam gerens. Memento hujus rei, cum benè tibi fuerit. Mane autem facto, venerunt ad ipsum viri quingenti, armis optime muniti: quibus visionem per ordinem pandens, ait: Nunc, inquit, quanta parentes nostri, qui omnes jam interfecti sunt, barbarorum tormenta, pro suis, nostrisq; offensis, justo Dei judicio, pertulerunt vidimus: & nos ipsi, die noctúque, ad similia, per eosdem exquirimur. Quomodo nullum habeamus jam tutum fugæ locum, videmus; imò miserabiliter profugi sustinemus. Unde rogo monitis S. Cuthberti defensoris nostri attente obediamus: Deo sibiq; fideles existimamus; vitiorum voragines fugiamus, atque virtutum exercitia diligamus. Sic profectò promissum cælestis gratiæ auxilium, & suæ defensionis experiemur ubique patrocinium. Sicq; apud Ashdon congregato exercitu; paganos ita contrivit: ut acceptis obsidibus electissimis, Gutrum Regem Danorum, cum viginti nobilioribus suis, de sacro fonte Alfredus levaret, pace circumquaque firmata. Hæc omnia, eo modo, leguntur in vita S. Cuthberti apud Capgravium.

X. CONFIRMANTUR SUPRADICTA.

Sed soleo hæc Dei mirabilia; ubi Sanctorum patrocinia exponuntur; plurium suffragio explorare; quo Regia Fides firmetur. Prodeat itaque Guilelmus Malmesburiensis, & ex Alfredi ore referat, quid illi sub hoc tempus contigerit, felicitatis præsagium, quia Deus repetito oraculo fidem fecit. *Solebat ipse postea* (Alfredum intelligit) *in tempora feliciora reductus; casus suos, jocunda hilaritq; comitate familiaribus exponere: qualiterque per Beati Cuthberti meritum, eos evaserit:* Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4. *sicut plerumque mos est mortalibus; ut eos illa juvet meminisse, quæ olim horruerat excepisse. Nam cum quadam die in insulâ inclusus solus domi esset; sociis per oram fluminis, ad piscandum dispersis, corpus curis ægrum sopori commisit. Et ecce Cuthbertus, Lindisfarnensis quondam Episcopus, his verbis dormientem alloquitur. Ego sum Cuthbertus, si audisti, misit me Dominus, ut tibi prospera annuntiem: quia enim Anglia jamdudum peccatorum pœnas enormiter luit: modo tandem Deus indigenarum Sanctorum meritis, super eam misericordiæ oculo respicit. Tu quoque tam miserabiliter regno extorris; gloriosè post paucum tempus in solium reponeris: atque adeo tibi signum eximium dabo. Venient hodie piscatores tui, magnam vim grandium piscium corbibus evehentes: quod erit eò mirabilius; quia his diebus, gelante aquâ, fluvius asperatus nihil tale sperari promittit. Super hoc hodie, gelido rore stillans aer, omnem piscantium artem eludit. Verum tu, secunda fortunæ compos, regaliter feceris, si adjutorem tuum Deum, & me ejus nuntium competenti devotione demerueris. Hæc dicens Sanctus, Regem soporantem sollicitudinibus exuit. Matrem quoque prope cubantem, tenuésque somnos propter levamen curarum, ad durum cubile invitantem, ejusdem nuntii lætitia confortavit. Experrecti ambo unum, & idem se somniasse, frequenti verborum recursu iterabant; cum piscatores ingressi, tantam piscium copiam exhibuere; ut cujusvis magni exercitus ingluviem exsaturare posse videretur.*

XI. ALFREDI MATER QUÆNAM?

Hic meritò Lector hærere poterit; cùm Alfredi matris mentio est: quod ad hunc annum vixerit: quæ certò certiùs dudum mortua, in cœlo regnabat; Osburga, inquam, lectissima fœmina, quam suprà * laudavi. Qui enim fieri potuit; ut Ethelwulfus pater, Româ rediens, Juditham, Caroli Francorum Regis filiam, in uxorem acceperit, eandémque in Angliam duxerit; si prior uxor superstes erat. aut si ea priùs mortua, quomodo potuit hoc anno cœlestis oraculi testis esse? sed nec id de Judithâ potest honestè intelligi, quæ licet fortè superstes adhuc; dudum tamen Insula excesserat: & vel religioso habitu pietatem mentita, vel turpiùs in Galliis voluptuata, à Cuthberto Sancto non meruit visitari. Dic ergò, intelligi Edburgam socrum, quæ cum Ethelswithæ (quam duxerat Alfredus ante decennium) mater fuerit; mater quoque Alfredi dici potest, & Saxonum dialecto, & matrimonii sanctitate. Enimvero cum illa *Venerabilis fœmina, & castissima vidua,* ab Asiero nuncupetur, qui eam frequenter vidit: potuit certè & ad hunc annum superesse, & cælestis nuntii testis esse. Nunc Alfredi victoriam absolvamus, reversi in campum; ubi eum pugnantem, & Danos ad arcem fugantem, reliquimus. Sive campus ille Aschdon, ut supra Capgravius; sive Ethandum, ut Asserus & Ethelwerdus: sive Edendune, ut Huntindonius; sive Edderandum, ut Hovedenus appellarunt. Nos hodie Edigton dicimus, estque in Wintoniensi agro, non procul à villa Regia Clipnam, de qua supra.

* an. 849.

XII. DANI SUPPLICES PACEM PETUNT. Asser. hic.

Cumq; ibi per quatuordecim dies Alfredus remoraretur (sic narrat Asserus) *pagani fame, frigore, timore, & ad extremum desperatione perterriti, pacem ea conditione petierunt; ut Rex nominatos obsides, quantos vellet, ab eis acciperet; & ille nullum eis daret: ita tamen qualiter nunquam cum aliquo pacem ante pepigerat. Quorum legatione auditâ Rex; suâ ipsius misericordiâ motus; nominatos quantos voluit*

obsides

GODRUM BAPTIZATUS ALFREDUM SUSCEPTOREM HABET.

obsides ab eis accepit. Quibus acceptis, Pagani insuper juraverunt; se citissimè de suo regno exituros. Necnon & Godrum Rex eorum, Christianitatem subire, & baptismum, sub manu Ælfredi Regis accipere promisit. Quæ omnia, ille, & sui, ut promiserant, impleverunt. Nam post hebdomadas, Godrum Paganorum Rex, cum triginta electissimis de exercitu suo viris, ad Ælfred Regem, propè Ethelingae, in loco, qui dicitur Alre pervenit: quem Ælfred Rex, in filium adoptionis sibi suscipiens, de fonte sacro baptismatis elevavit. Cujus chrismatis solutio, octavo die, in villâ Regiâ, quæ dicitur Wadmor, fuit. Qui postquam baptizatus fuit, duodecim noctibus, cum Rege mansit. Cui Rex, cum suis omnibus, multa, & opima ædificia largiter dedit. Per chrismatis solutionem, cujus hic mentio, vestem candidam intellige, quam octo dies recens baptizatus, in puritatis, & innocentiæ argumentum gestabat, Romano more: quem etiam Reges observabant: unde suprà * ex Beda diximus, Cedwallam Occidentalium Saxonum Regem, à Sergio Papa baptizatum, *in albis adhuc positum*, Romæ discessisse; cum priùs ab eodem Rom. Pontifice, unà cum baptismo Petri nomen accepisset.

* v. an.689. n 5.
Beda l.5.c 7.

XIII. ET NOVUM NOMEN.

Mutavit & nomen in baptismo Neophytus Rex; & qui priùs Godrum, sive Gytro, vel Gurmundus vocatur; à baptismo Ethelstanus appellatus est. De quo, & Alfredi Regis pietate, ita scribit Baronius: *Hoc pariter anno (878.) Gitro Rex Danorum, qui Angliam ferè universam sibi subjecerat; ab Alfredo Rege, qui profugus latuit in Ethelingiâ Insulâ superatus, fit Christianus: mutatóque nomine Æthelstanus vocatus. Mira in Alfredo effulsit divina gratia, qui post varios casus bellorum plurium, coactus tandem, hoc anno, in ultimis finibus Occidentalium Anglorum, in dictâ Insulâ delitescere: illic viri sanctissimi, Neothi nomine, solitariam vitam agentis, admonitione, ad meliorem frugem redditus; ab eodem de restitutione in regnum, responsum accepit. Quod & per visum sanctus Cuthbertus, in somnis significavit. Quibus confisus oraculis; paucos, quos potuit, colligens; ex improviso, Gitronem, quem diximus Danorum Regem, adoriens; post cædem militum, in munitionem se recipere coëgit. Ubi obsessus, non aliter cum liberum passus est egredi; quam promissa Christianitate, fuerat perpetua pax sancita. Rex verò Alfredus, Magnus merito nuncupatus; recuperans regnum ab infidelibus occupatum, Angliam ab hostibus liberavit.* Ita Baronius.

Baron. hic. n. 61.

XIV. ATHELSTANO DANTUR PROVINCIÆ IN ORIENTE ET NORTHUMBRIA.

Cum infidelem Regem, ad Christi castra Alfredus traxisset; noluit Regis titulum inanem esse; dedit ergo ei provincias, quas Dani ferè occuparant in Oriente, & Northumbriâ; spe plenus, eâ munificentiâ trahendos quoque infideles alios; qui Christianis in Insulâ graves fuerant. Hanc Alfredi largitionem, sic exponit Hovedenus: *Gutrum Rex Alfredus in filium adoptionis suscipiens, de fonte sacri baptismatis* * *eliminavit; & vocavit eum Athelstan, multisq; muneribus ditavit; tam ipsum, quam omnes socios ejus, qui cum ipso baptizati erant. Mansit autem apud Regem, duodecim diebus in magnâ gloriâ. Cui Rex Est-Angliam dedit, in qua sanctus Edmundus regnaverat.* Ingulfus etiam, Regiæ donanonis meminit, scribens ita: *Rex Godroum* (quem nos Gurmondum vocamus) *cum maximâ multitudine magnatum, & etiam populorum captus & vivus, baptismum recepit; & de sacro fonte per Regem susceptus, East-Anglia, id est Norfolcia, ad inhabitandum cum suis, regio munere donatus est. Cæteri baptizari renuentes, Angliâ abjuratâ Franciam navigio petierunt.* Cum hæc scribant authores nostri, aliique mox citandi; non est audiendus Polydorus Virgilius, qui in alienâ Rep. peregrinus homo, scriptoribus nostris silentium indicens, hæc habet: *Sunt qui scribant eum* (Gormundum intelligit quem Gormonem vocat) *etiam à Rege donatum fuisse provinciâ Orientalium Anglorum. Sed illi haud dubie errore ducti; propterea quod Ericus, natione Dacus, id temporis Orientalibus imperabat: quem postea Eduardus regno spoliavit, ut falsò prodiderunt.* Verùm falsus est ipse, dum erroris arguit primæ classis authores nostros. Nam præter dictos, Malmesburiensis ita scribit: *Danorum Rex Gudrum, quem nostri Gurmundum vocant, cum triginta proceribus, & omni ferè populo baptizatus, & in filium à Rege susceptus est. Data ei provincia Orientalium Anglorum, & Northanimbrorum; ut eas sub fidelitate Regis, foveret jure hereditario, quas pervaserat latrocinio.* Nec refert quod Ericum Est-Angliæ Regem Edouardus, Alfredi filius, regno exuerit; quia id post Gurmundi mortem, & Alfredi, factum, quo non obstante, quis non videt Gurmundum priùs regnare potuisse: & quia hæreditario jure provinciam acceperat, Erico relinquere. præsertim cum ita scribat Huntindonius: *Alfredi Regis anno decimo-nono, Godrum Rex Dacus, qui fuit filiolus Alfredi Regis, & regnavit in Estangle, luce demptus est.*

* elevavit.
Ingulf. fol.009.
Hoveden. fol. 418.
Polydor.l.5. fol. 101.
Malmesb.de Reg. l.2.c.4.
Huntind. fol. 355.

XV. ATHELSTANI MORES.

Concessis honoribus abusus est Danus; nec omnem barbariem in baptismi aquis deposuit. Unde sub Danorum jugo diu gemuit Insula; etiam sub iis, qui Christi castra sequebantur. Quamobrem de Gurmundo sic loquitur Malmesburiensis: *Verùm quoniam non mutabit Æthiops pellem suam; datas ille terras, tyrannico fastu undecim annos proterens, duodecimo vitam finivit; posteris quoque perfidiæ suspicionem transmittens; donec à nepote istius Alfredi, Athelstano, subjugati, Regem unum Angliæ fieri, vel inviti concesserint. Cæteri ex Danis, qui Christiani esse recusassent, cum Hastingo, mare transfretaverunt; ubi quæ mala fecerint, indigenæ norunt. Tota enim ora maritima, usque ad mare Tyrrhenum grassati, Parisios & Turones, & multas alias urbes; quæ vel super Sequanam, vel super Ligerim, nobiles Galliæ fluvios, sita sunt; civibus vacuarunt. Tunc corpora multorum Sanctorum, ab antiqua requietionis sedibus eruta, & ad tutiora loca delata; peregrinas Ecclesias, usque ad hoc tempus, cineribus nobilitarunt suis. Tunc Beati Martini corpus, ut Sidonius ait, totis venerabile terris; in quo post vitæ tempora, vivit honos, Autisiodorum à clericis suis deportatum, & in Ecclesiâ B. Germani locatum; inauditis signis, circumjacentium regionum homines excitabat.* Hæc ille. Quæ igitur perfidiæ argumenta Dani, in Britanniâ; dederunt in Galliis eadem. Et Christiani, tam Angli, quàm Galli; Sanctorum corpora à Danorum injuria asserentes, orthodoxæ Fidei dederunt & ipsi eadem quoque argumenta.

Malmesb. de Reg.l.2.c.4.

HASTINGUS RECEDIT.

XVI. ALFREDI VOTUM SOLVITUR.

Restat Alfredi Regis votum, cui se obstrinxerat, priusquam victoriâ potiretur. Quare cum in regnum postliminio rediens, Mercios Occidenti iterum conjunxisset, Adelingianam arcem, *in monasterium monachorum ob sua mora memoriam, ad exaltationem Sanctæ Ecclesiæ commutavit*, inquit Ingulfus: *Fecitq; Ecclesiam* (loquitur Malmesburiensis) *situ quidem, pro angustia spatii, modicam,*

Ingul. f.869.
Malmesb de Pont. f.255.

sed novo

sed novo ædificandi modo compactam. Quatuor enim postes, solo infixi, totam suspendunt machinam, quatuor cancellis opere sphærico in circuitu ductis. Verùm de Alfredi voto, amplissimè scribit Asserus, qui non unius cœnobii, sed duorum potiùs, mentionem faciens, hæc habet: *De voto quoque & proposito excellentissimæ meditationis suæ; quam inter prospera & adversa sua, nullo modo prætermittere poterat, prætereundum esse, hoc loco, utiliter non existimo. Nam cum de necessitate animæ suæ solitò cogitaret; inter cætera diurna & nocturna bona, quibus assiduè & maximè studebat; duo monasteria construere imperavit. Unum Monachorum, in loco, qui dicitur Æthelingaeng, quod permaximâ gronniâ, paludosissimâ, & intransmeabili, & aquis undique circumcingitur. Ad quod nullo modo aliquis accedere potest, nisi causicis; aut etiam per unum pontem, qui inter duas alias arces operosâ protelatione constructus est. In cujus pontis Occidentali limite, arx munitissima, præfati Regis imperio, pulcherrimâ operatione consita est. In quo monasterio, diversi generis Monachos undique congregavit, & in eodem collocavit.* Hæc ille. quæ ultima verba, non hunc sensum faciunt; ut velint Alfredum, Monachos non unius omnes instituti, in unum miscuisse: sed potiùs eos, è diversis Provinciis collegisse, ut monastica regula, quæ jam ubique, Danorum impietate jacebat; è tenebris illis emergeret, & illustrior esset. Quia enim factiosi plerumque in rerum publicarum capita primùm, maximéque recalcitrant, & sæviunt: ideò Dani monasteriorum præsides ubique impetiverant adeò, ut soli juniores ferè in provinciis remanserint. Unde necessum fuit, aliunde quærere viros industrios, qui juniorum Monachorum fervorem accenderent. Ita fecit Alfredus, nam sequitur in Assero.

Asser. fol. 10

Monasterium Ethelingiæ.

XVII. *Primitùs quia nullum de suâ propriâ gente nobilem, ac liberum hominem, nisi infantes, qui nihil boni eligere, nec mali respuere præ teneritudine invalidæ ætatis adhuc possunt: qui monasticam voluntariè vellet subire vitam, habebat. Nimirùm quia per multa retroacta annorum curricula, monasticæ vitæ desiderium; ab illâ totâ gente, necnon & à multis aliis gentibus, funditùs desierat: quamvis perplurima adhuc monasteria, in illâ regione constructa permaneant: nullo tamen regulam illius vitæ ordinabiliter tenente (nescio quare) aut pro alienigenarum infestationibus, quæ sæpissimè terrâ mariq; hostiliter irrumpunt: aut etiam pro nimiâ illius gentis in omni genere divitiarum abundantiâ: propter quam multò magis id genus despecta monastica vita fieri existimo: Ideò diversi generis monachos, in eodem monasterio congregare studuit. Primitus Ioannem Presbyterum monachum, scilicet Eald-Saxonum genere, Abbatem constituit. Deinde ultra marinos Presbyteros quosdam, & Diaconos, ex quibus, cùm nec adhuc tantum numerum quantum vellet, haberet; comparavit etiam quamplurimos ejusdem gentis Gallicæ, ex quibus quosdam infantes, in eodem monasterio edoceri imperavit: & subsequenti tempore, ad monachicum habitum sublevari.* Hic Author breviter & perspicuè satis Ecclesiæ languentis statum explicat, & causam Danicæ tempestatis. Nam vita monastica, quæ ab Augustino monacho, per duo ferè sæcula, ingentem in omni Insulâ orthodoxæ Fidei messem collegerat: contraxerat etiam in optimi laboris justissimum præmium, plures divitias: languere nunc cœpit in eâ gente, quæ olim illam summè coluerat. Languoris causa, (ut in omni ferè corpore) hæc erat: cœnobia plura hauserant; quam poterant cum laude digerere. Inde vires labescere, tepere pietas, & minui laicorum in illud vitæ institutum devotio, atque reverentia. Hinc torpentes hominum mentes, hostili & barbaro flagello Deus excitavit; & minuit monasteriorum censum, ut illa deinceps meliorem sensum induerent. Hæc, opinor Asseri mens, Alfredi consilium explicantis. Qui post aliqua: aliud monasterium, ab Alfredo sanctimonialibus positum refert, *juxta Orientalem portam Sceftesburg.* de quo postea: necdum enim Ethelingiani monasterii ædificium absolvi.

Joannes Presbyter, monachus è Saxonia, Abbas.

XVIII. De Abbate Joanne, quem Alfredus Rex, Ethelingensi cœnobio præfecit, non levis controversia est: Quis ille? unde venerit? cujas? & quantum differens ab alio, vel aliis, quos idem Rex, sub hæc tempora in Angliam evocavit, illi cognomines. Nam sunt, qui duos, sunt etiam, qui tres, asserunt Joannis appellatione conspicuos, & eruditos viros fuisse, quos ad Angliæ ornamentum adscivit Rex. Breviter ergò, de Joanne Abbate; dico illum, ab altero Joanne, qui nunc Erigena, nunc Scotus, dicitur; patriâ, vitâ, & morte differentem esse. Fuit hic Abbas ex antiquâ Saxoniâ (Harpesfeldus putat Westphaliâ) oriundus; Hunc, Author ille, cum Erigenâ confundit: quem tamen passim Authores nostri, & Summi Pontifices, genere Scotum, vel simpliciter Scotum, appellarunt. Sed alter ille, nunquam Abbas scribitur, nec in Ethelingiâ rexisse. Porrò, quod ad utriusque mortem spectat; licet utrobique, vel à monachis, vel à monachorum alumnis, in Joannem sævitum sit; Abbas tamen Ethelingiæ, non dicitur violentâ morte sublatus: quod de Erigenâ omnes affirmant, ut infra* dicetur. De priore Joanne, hæc habet Asserus: *Quodam tempore; cum instinctu diabolico, quidam Sacerdos, & Diaconus Gallico genere, ex præfatis monachis; invidiâ quadam latenti excitati, contra suum Abbatem, præfatum Ioannem, nimium latenter, in tantum amaricati sunt; ut Iudaico more Dominum suum dolo circumvenirent, & proderent. Nam duos ejusdem gentis Gallicæ servulos, præmio conductos, ita fraudulenter docuerant; ut nocturno tempore, cum omnes delectabili corporis quiete graviter dormirent, patefactam armati intrarent Ecclesiam: quam post se iterum solito more claudebant: & unicum Abbatis adventum, in ea absconditi, præstolarentur. Cumq; solus solitò, orandi causâ, Ecclesiam latenter intraret; hostiliter irruentes in eum; tunc eum ibidem occidere conabantur.* Narrat deinde plura, unde vulneratum eum, & semivivum relictum colligimus, & aliud nihil.

Joannes Abbas Adelingiæ, unde?

Harpesfeld. sæc. 9. c. 12.

* *an. 884.*

Asser. fol. 11.

XIX. Cum Alfredus, arcem in monasterium mutasset; & invenisset viros, qui monasticam vitam profiteri, & eandem alios docere vellent; annuos reditus eidem loco liberaliter indulsit, & Regiam chartam scripsit, in hunc modum:

REgnante in perpetuum Domino nostro IESV CHRISTO: Omnia regna hujus vitæ habentis, regnorúmque dispensatores, ab initio istius sæculi, cum velocitate deficientes, transeunt. Ideo fugitivis, & mortalibus rebus, æterna gaudia promerenda sunt. Quapropter ego Ælfred, divinâ ordinante misericordiâ, Occidentalium Saxonum Rex; pro remedio animæ meæ, & criminum meorum absolutione, aliquantulam agri partem,

Diploma Alfredi, pro Monasterio Ethelingia.

id est,

idest, decem carratas, in loco ubi dicitur Sudton, ad insulam Clitonum, qua Anglicè usitato onordato Ædbugarey nuncupatur, ad supplementum monasterialis vitæ, monachis ibidem sub regulari exercitio, Deo omnipotenti devote servientibus, animo volente largitus sum: hancq; libertatem, præfato monasterio devota mente donavi, cum pratis, pascuis, rivulis, & omnibus rebus, ad ea ritè pertinentibus: ut ab omnium regularium tributorum, & exactione operum, atque pœnalium causarum; absque expeditione sola, arcis & pontium structura; secura, immunis, & libera perpetualiter permaneat. Et qui hoc augere voluerit, augeat Deus bona illius, in regione viventium. Si autem aliquis, quod absit, superbia fastu inflatus, & tyrannicâ potestate illectus, hoc infringere, & irritum facere, conatus fuerit; sciat se ab omni Ecclesiâ Christianorum anathematizatum, & in die judicii, coram Christo, & Angelis ejus, nisi ante emendaverit; rationem redditurum esse: Præfata verò terra, & donatio hujus agelli, his terminis circumsepta patescit. A rectore, Letore, & cætera. Scripta autem est hæc scedula hujus donationis, anno ab Incarnatione Christi, octingentesimo quinquagesimo secundo. Indictione quarta, his testibus consentientibus, quorum nomina patescunt.

Ego Aelfred Rex hanc meam donationem, cum signo sanctæ Crucis corroboravi †.

Ego Ealfend Episcopus, &c.

XX. EXCUTITUR DATA DIPLOMATIS.

Ita refert Regium diploma Clemens Reynerus in Apostolatu: & benè addit: *In exemplari ad nos transmisso mendum est, in data diplomatis. Neque enim ante annum 871. suscepit Alfredus regni gubernacula: quare annus notari debet, octingentesimus septuagesimus octavus; eo enim anno in Aethlingia, seu Athelneia delituit Rex Alfredus.* Immo (inquam egó) eo anno insigni victoria potitus, statim Deo reddidit vota sua. Quamvis fortè monasterium hoc, nisi post decennium absolverit: & tunc legerem diploma datum anno 888. de quo infrà. Cæterùm quòd putet Reynerus, priùs in eâ Insulâ monasterium fuisse sancti Neothi; quod hoc anno Alfredus, ædificio & censibus auxerit, necdum inveni ab alio assertum. & Neothi monasterium, quod Alfredus aliquando, orationis causâ, adiisse dicitur; non in agro Somersetano, sed procul inde, in Cornubiâ fuit: ubi primo sanctus Guerir, inde

v an.871.28. Neothus locum illustravit, & à Neotho dicitur Neotestoum. Quis Episcopus ille sit, qui solus in diplomate nominatur Ealfend; nec quærit Reynerus, nec est valdè obvium invenire, Puto tamen

* an.875.n.8. Alssium intelligi, quem nuper* Schireburnensem Episcopum institui; & sequenti anno (ut volunt Fasti) locum fecit alteri. Unde benè potuit hoc anno, Regiæ chartæ subscribere.

XXI. Ad hæc tempora; ad hunc inquam, Danorum turbinem, referri debent ea, quæ pagani in Occidente patrarunt, Deo, Sanctis, & Ecclesiis injuria. Sic plurima monasteria à Danis concussa, vastata, eversa priùs quàm Alfredus, supradictâ victoriâ provinciam serenavit. Inter ea Bathoniæ cœnobium, quod Offa Merciorum Rex condiderat, anno 775 *à Danis incensum & deletum penitus* (inquit Godwinus.) Sunt qui putent

Godwin. in Bat. & Wels.

Cerneliense monasterium, ab Augustino positum, in agro Dorsetano, à Danis destructum esse: & verò vix dubium esset, si revera cœnobium ibi ab Augustino erectum, in ea tempora durasset. Certè erectum ibi olim ab Augustino monasterium fuisse, scribit Camdenus, nimirum *cum ille Anglorum Apostolus* (ita loquitur) *Heil gentilium Saxonum idolum ibi comminuisset, superstitionumque tenebras fugasset.* Verùm de primâ illius cœnobii fundatione dicam anno sequenti. Interim puto Augustinum ibi non aliud fecisse; quàm fontem baptizandis catechumenis, suis precibus mirabiliter eduxisse.

Camden. in Dorset.

XXII. DE WULFSIO, ET MORTE EIUS.

Finiet hunc annum, qui vitam suam hoc anno finivisse creditur, Wulfsius Londinensis Episcopus: qui cum octo annos in Trinobantibus sedisset; sedendi & vivendi finem fecit, si Fastos sequimur. Verùm illos nimium properare; & diutiùs adhuc Wulfsium in vivis fuisse, infra* satis probabiliter ostendam, cum Alfredi literas ad eum scriptas, recenseo.

* an.890.14.

ANNUS CHRISTI 879.

JOANNIS VIII. PAPÆ 7.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 9.

I. GURMUNDUS CIRENCESTRIÆ.

DANUS ut imperatum erat, Occidente discessit Cirencestriam, & unà cum illo Gurmundus Rex, nunc Ethelstanus dictus anno Christi octingentesimo septuagesimo nono. ibique per annum mansit: *in pace*, inquit Huntindonius; nullo tamen provincialibus commodo. Est urbs illa in Dobunis, & Glocestrensi agro, quam Ptolomæus Corinium, Antoninus Durocornovium appellant: & ad Merciorum Regem spectabat: quam jam septennio Danus occupasse creditur: Unde Nechamus Poeta Gurmundum alloquens, ita cecinit:

apud Camd. in Glocest.

Urbs vires expecta tuas, Gurmunde, per annos
Septem. —

Nihil quidem hostile ab eis gestum reperio; sed illud in causâ fuit: quòd accisis multùm viribus; quà plurium ad fidem accessione; quà misso multorum sanguine; hospes ad tempus quiescere, vel invitus, cogebatur; quod respirandi tantum, virésque colligendi, prætextus quærebatur.

II. ALIA DANORUM INUNDATIO.

Enimvero vix superata tumultuum & turbationum hieme, libertatem nactus fuerat Alfredus Rex: vix cœperat cives, & Occidentis regnum componere; cum ecce è transmarinis partibus Dani rursus ad prædam convolant. Principiò cædi & incendio parcitum: nam specie tantum invisendi socios; nullâ pugnæ aut simultatis imagine, venerunt. Sedem figentes ad Thamesis ripam, in loco, quem Saxones Fulonham, hodie Fulham dicimus. Verùm ita crescere inimicum impetum, & augeri externorum vires, vacuâ ferè Insulâ; nullum rebus publicis momentum fuit. Sperabatur quidem, quòd saltem sub Christiano Principe, non omnino insaniret miles; qui barbaram mentem baptismi aquis abluerat. Sic faciles ad credendum Angli, difficiles ad solvendam fidem Dani; quæ non infortunia Insulæ pepererunt? Et quis cohibere potuit militem; quà naturâ, quà arte, & multorum annorum usu, natum ad latrocinia? Nec hic Alfredum Regem nimium accuso; quòd provincias Dano indulserit: quia si cives numerare velim; quos vel bellorum casus, vel fuga, regno vitáque ejecerunt; pauci erunt super-

ſtites innumero hoſti opponendi. * Et verò Gallorum Principes, tam priùs, quàm poſterius, idem fecerunt; Danumque, datis ad manendum provinciis, à cæde & incendio retraxerunt. Unde nobiliſſimum regnum æternam poſtea ſervivit ſervitutem.

III. DUNBERTUS WINTONIEN. EPISCOP. MORITUR: SUCCEDIT DENEWULFUS. *Godvvin in Winton.*

Moritur hoc anno Dunbertus Wintonienſis Epiſcopus. Et ſedem illam occupat ejus loco Denewulfus: quem Godwinus, *provectæ ætatis virum, & conjugatum*, vocat; ad ſuum parentiſque, & eorum Epiſcoporum ſolatium, qui ſimul adminiſtrandæ Eccleſiæ, & procreandis liberis, vacant. Quòd multæ ætatis fuerit, agnoſcit Malmeſburienſis. quòd conjugatus fuerit, Godwinus ex Aſſero collegiſſe videtur: qui Alfredi miſerias, & inopiam in Athelingia deſcribens; latuiſſe eum ſignificat, *apud quendam ſuum vaccarium*. Cujus ſcilicet uxor, Alfredum ſibi ignotum, increpaverit illis verſibus:

Aſſer fol. 9.

Urere quos cernis panes girare moraris:
Cum nimium gaudes hos manducare calentes.

NUM FUERIT CONIUGATUS.

nec aliud de hoc vaccario narrat Aſſerus; unde eum ad majus ſacerdotium tam citò promotum fuiſſe, eſt valde inſolens. Et eſto, fuiſſet: qui tamen in antiquorum dialecto, vel parùm verſatus eſt; non poteſt ignorare moris fuiſſe, non niſi mortuâ conjuge, vel certè interdicto omni conjugali commercio, Epiſcopum conſecrari. Unde modeſtiùs facerent noſtrates Epiſcopi, ſi paullò minùs de conjugatis olim Epiſcopis, gloriarentur: nam officit, non prodeſt modernis nuptiis, eorum mentio. Sed quid de Denewulfo ſcripſerint antiquiores videamus, & an ullus dixerit conjugatum fuiſſe, conſecratum Epiſcopum.

IV. *Malmesb. de Pont. l. 2. f. 242.*

Malmeſburienſis ita narrat: *Denevulſus (ſi famæ creditur) ad multam ætatem, non ſolum literarum expers, ſed & ſubulcus fuit. Eum Elfredus Rex hoſtium violentia regno cedens, & in ſilvam profugus, caſu ſues paſcentem offendit; & ne malen innectar; comperto ejus ingenio, quod ad bonum ſpectaret, literis informandum tradidit. Nec deſeruit ab officio, donec perfectiùs inſtitutum, crearet Epiſcopum; commentus rem dignam miraculo.* Ita ille: è Mariano Scoto (ut volunt aliqui) mutuatus; qui eo ferè modo, in Joannâ fœmina, ad primam ſedem evectâ, paullò ante peccaverat. Doctè Malmesburienſis addit, *ſi fama creditur*: cui non omnes, ſemper, & ubique, neglectis rerum circumſtantiis, aſſenſum præbent: multò minùs argumentum inde ſumunt, aut fundandi dogmata, aut firmandi Epiſcoporum matrimonia. Hinc Harpesfeldus ita cenſuit: *Hæc hiſtoria*, inquit, *magis videtur, etiam ipſis qui eam tradunt, à fama, & incertis auditionibus; quam ab ulla ſolida veritate, aut probabilitate pendere. Neque ſatis hæc fabula ſuis eſt deviſa temporibus, aut oportuit ſanè valde capax, aut præcox fuiſſe Dunulphi ingenium, feliciq; quod aiunt, diplomate navigaſſe videtur. qui unius anni, aut leviore certè inſtitutione inſtructus, idoneus repertus ſit, qui tantum magiſtratum capeſſeret. Prodiit enim ex latebris ad annum octingenteſimum ſeptuageſimum (nonum) & proximo, Dunulphus ex eiſdem, & à paſtoritia atque agreſti vitâ, è ſubulco, à pedo paſtoris pecorum; ad Epiſcopatum, & pedum paſtoris animarum provectus videtur.* Hæc ille: referunt tamen prædictam hiſtoriam, Wigornienſis etiam & Weſtmonaſterienſis ad hunc annum; uterque dubitanter ſatis. unde placet quidem, quod habet, Godwinus factum eum Epiſcopum, *defunctâ fortaſſis uxore*. inquit: diſplicet autem, quod dicat hiſtoriam hanc, *omnium hiſtoricorum conſenſu eſſe teſtatiſſimam*. præſertim cum priùs dixerit Alfredum tradidiſſe illum *magiſtris in Oxonienſi Academia inſtituendum*. Nam veriùs eſt Academiam illam hoc anno, aut necdum natam; aut ſaltem, necdum è tenebris in lucem aliquam, ſplendoremque renatam. de quo ſtatim.

Marian. Sco. an. 879 nihil habet Marianus ad annum illum.

Harpesfeld. ſæc. 9. c. 9.

V. MORITUR ALFSIUS SCHIRBURNENSIS EPISCOPUS. QUIS ILLE?

Hoc etiam anno, ut notant Faſti, moritur Alfſius, Schirburnenſis Epiſcopus: & ſucceſſit in illam Sedem Aſſerus. Sed quis ille fuerit; licet vix ab ullo hactenus controverſum ſit: debeo tamen ſuper eo funem texere, quem retexendum aliis relinquo. Scio quidem Malmesburienſem probatæ fidei virum, à cujus authoritate, nunquam, niſi invitus, recedam: tam in libro de geſtis Regum, quàm in altero de geſtis Pontificum, dicere; hunc Aſſerum Alfſii Succeſſorem, eum eſſe, quem Alfredus Rex, è Meneviâ vocatum, juſſit Boëthii libros de conſolatione Philoſophiæ, in Saxonum linguam transferre: atque adeò eundem fuiſſe, quem hactenus ſequuti ſumus, in rebus ab Alfredo geſtis, Scriptorem. Scio etiam Harpesfeldum, Pitſium, Godwinum, & plures alios, idem cenſuiſſe. Unde opinio illa, aliquot ſæculorum præſcriptione firmata, & à nemine controverſa; in dubium vocanda non eſſet, ſi in annorum ſerie recenſenda, inoffenſo pede procedere, & Regum, ac Epiſcoporum geſta, ſuis quæque locis conſignare alter poſſem. Verùm cum id præſtare nullo modo valeam; niſi litem conteſtando de Aſſero, Schirburnenſi Epiſcopo: da, quæſò Lector, veniam intercedendi, proponendique ea, quæ revera difficultatem pariunt, ſi Malmeſburienſem, & communem aliorum ſenſum ſequor.

VI. *v. an. 883.* ASSERUS SCRIPTOR NON VIDETUR FUISSE SCHIRBURNENSIS EPISC.

Aſſerus, qui hoc anno conſecratur Epiſcopus, mori debet poſt annos quatuor, ut Faſti poſt Malmesburienſem collecti, Wigornienſis, Weſtmonaſterienſis, Harpesfeldus, & Godwinus affirmant; nimirùm anno Chriſti octingenteſimo octogeſimo tertio: unus Marianus Scotus dicitur ſequentem annum conſignare, (quod parùm refert ad litis deciſionem) Ipſe etiam Malmesburienſis id ſatis inſinuat, cùm Sighelmum Aſſeri Succeſſorem, in Schirburnenſi Eccleſiâ, vult Alfredi munera Romam, & in Indiam detuliſſe, ad Sanctum Thomam miſſa. *Legatus*, inquit, *ad hoc miſſus Sigelinus* (alibi rectiùs Sighelmum vocat) *Schireburnenſis Epiſcopus; cum magnâ proſperitate, quod quivis hoc ſæculo miretur, Indiam penetravit; Inde rediens, exoticos ſplendores gemmarum, & liquores aromatum; quorum illa humus ferax eſt, reportavit. Præterea munus omni obrizo pretioſius, partem dominici ligni à Papa Marino Regi miſſam.* Cum hæc ſcribat Malmeſburienſis, & omnes alii de Sighelmo Aſſeri Succeſſore, neceſſum eſt affirmare, id omne, poſt Aſſeri Schirburnenſis Epiſcopi mortem contigiſſe. Cui tamen totus Aſſeri liber, de rebus geſtis Alfredi Regis, contradicit: ubi non ſolùm Marini Papæ meminit, & munerum ad eum miſſorum; ſed mortem quoque ejus conſignat ad annum 884. imò mortem Alfredi Regis, ad annum 900. quo nimirùm anno ſuperſtes fuit. Unde omninò dicendum eſt, Aſſerum, qui de Alfredo ſcripſit, qui eidem in humaniori literaturâ adjutor fuit; qui denique è Meneviâ ad

Malmesb. de Pont. f. 248. & de Reg. l. 2. c. 4.

Curiam

Curiam vocatus est; alii eo differentem fuisse, qui hoc anno ad Schirburnensem Ecclesiam assumptus, & post annos quatuor mortuus, Sighelmum habuit in Sede Successorem.

VII. Alia argumenta

Sunt alia, quæ id planè convincunt, inferiùs suo loco ponenda: hic tamen compendio referam aliqua; quia non libenter, uno argumento, in plure pugno. Asserus ab Alfredo non ante annum 884. in Saxoniam invitatur, nimirùm cum Rex ætatis annum ageret trigesimum quartum, (ut ille supputat) scripsit autem Alfredi gesta, post annos undecim, ut ipsemet apertè suis declarat: Sic scribens: *Erat Rex ille multis tribulationum clavis confossus, quamvis in Regiâ potestate constitutus. Nam à vigesimo ætatis anno usque ad quadragesimum quintum, quem nunc agit, gravissima incogniti doloris infestatione, incessanter fatigatur.* &c. Hinc colligo Asserum de Alfredo scripsisse diu post annum octingentesimum nonagesimum, ac proinde saltem integro decennio post Asseri Schirburnensis Episcopi mortem, quæ ut suprà ab Authoribus rectè consignatur anno 883. hoc est anno uno priusquam alter Asserus ad Saxones veniret. Confirmantur hæc omnia, si gratum Asseri animum inspexeris, enarrantis ea omnia quæ Alfredus ei munificâ manu donavit: primùm *duo monasteria, sericum pallium valdè pretiosum: Deinde Exancestre cum omni parochiâ, quæ ad se pertinebat: exceptis donis innumerabilibus in omni genere terrestris copiæ.* Qui terrestria, & Ecclesiastica dona commemorat, non omisisset summam in Ecclesia dignitatem, si summa ei dignitas collata fuisset. Vidit hunc nodum ante me Jacobus Usserius, & ita solvit: ut Asserus Scriptor; non Schirburnensis Episcopus, sed Menevensis fuerit Archiepiscopus, qui obiit juxta Carodocum Lancarvanensem, anno 909. Verùm cum Asserus noster, à Malmesburiensi sine titulo nominetur: & ipsemet alia omnia apud Alfredum Regem causatus sit; cui in Curiâ manere, & à suis divelli non posse. Opinor eum nec Episcopum, nedum Archiepiscopum. Quicquid sit, Usserius benè vidit Schirburnensem dici non posse.

Asser. fol. 17.

Usser. in Indic. ch. an. 906.

ANNUS CHRISTI 880.

JOANNIS VIII. PAPÆ 8.

ALFREDI OCCID. SAXON REG. 10.

I. Gurmundus vadit in Est-Angliam.

ANNO Christi octingentesimo octogesimo, Gurmundus Rex, qui hactenus reficiendo militi in Dobunis hæserat; liberaturus fidem, quam Alfredo dederat, recedens à Cyrencestria, in Est-angliam perrexit; non hostili manu, ut olim; sed civitate provinciâque donatus. Quam hoc anno ceu Imperator, militi distribuit in emeritæ militiæ præmium. Qui autem superiori anno, in Trinobantibus hiemaverant; parcentes Insulæ, in Belgicam recesserunt. Tunc *Britannicam Insulam deserens paganorum exercitus* (ita Asserus) *ad Orientalem Franciam perrexit; & per unum annum, in loco, qui dicitur Gaent, mansit.* Quas ibi strages, variis excursionibus fecerint, indicabo inferiùs.

Asser. hoc anno.

II. Interim Alfredus Rex, sibi, ac Provinciæ plenè redditus; utramque Remp. ornare pulcherrimis ædificiis incipit. Est in Durotrigibus, & Dorsetano Comitatu, locus in prærupto montium, quem aliqui, Britannis adblandientes, Caer Paladur minùs rectè vocaverunt. Ibi novam urbem Alfredus exstruit, quam Septoniam appellavit. *Vetustatis indicium*, inquit Malmesburiensis, *dat lapis in capitulo Sanctimonialium insculptus, ita e vetustissimi muri ruinis illuc translatus*, ubi hæc leguntur:

Septonia ædificatur.

Malmesb. de Pontif. f. 251

Anno Dominicæ Incarnationis 880. Elfredus Rex fecit hanc Urbem, regni sui 8.

Verùm juxta Malmesburiensis, & omnium aliorum computum, hic annus Christi 880. non octavus, sed decimus est regnantis Alfredi. Quod etiam in eodem Authore sequitur: *Ibi Elgiva, uxor Edmundi, qui fuit pronepos hujus Alfredi, monasterium Sanctimonialium fecit. Non de primâ exædificatione intelligendum est*, inquit Harpesfeldus, *cùm constet ab Alfredo hoc cœnobium constructum, filiamque ejus Elfgivam eidem præfectam.* ut infrà notabo, ad annum 888. Unde corrigendus est ille, qui templi hic positi fundatores facit Ethelbaldum, Ethelbertum, & Ethelredum, Alfredi fratres, cùm ante hunc annum, nullâ loci fit mentio: nisi fabulis credendum sit; quæ Septoniam urbem Saturno antiquiorem finxerunt. & Aquilam ibi ante multa sæcula, vaticinatum pro Britannis nimirùm illis, finito Saxonum, & Normannorum imperio, restituendam postliminio Insulam.

Harpesf. Hist. sæc. 9. c. 22 prope.

III. Alfredi cura in liberorum educatione.

Alfredus, cùm Urbes munivisset; acriori curâ ad formandas hominum mentes se convertit: nè jacerent animi, eo loco; quò belli licentia, & efferi mores eos nuper dejecerant. Sed quoniam non unus huic operi sufficiebat, filios suos doctissimis magistris domi erudiendos formandósque, ad dignas Regibus artes tradidit. Enimverò plurium liberorum parens erat hoc tempore Alfredus, quos ex Elswithâ conjuge susceperat; Ethelfledam primogenitam, quæ postea Ethelredo Merciorum Comiti nupta, æternam Posteris suis memoriam per plures Angliæ Provincias, reliquit, ut infrà pluribus. Edoardum filium, qui Patri successit. Ethelgedam, quæ deinceps in Septoniensi cœnobio, monasticæ vitæ regulam sequuta, votâ Deo Virginitate, jugum Christi suave portavit, ab adolescentiâ suâ. Elfridam, quæ Balduino Flandriæ Comiti, eo nomine secundo, nupta; io filiis Mathildem genuit, Guilielmi primi, ac proinde Normannorum Regum primi parentem. In eâque, rediit in Angliam, hodiéque stat nobilissimi Alfredi æterna soboles. Ultimus filiorum fuit Ethelwerdus. Hic *omnibus junior*, * *ludi literariæ disciplinæ, divino consilio, & admirabili Regis providentiâ, cum omnibus penè totius Regionis nobilibus infantibus, & etiam multis ignobilibus, sub diligenti magistrorum curâ traditus est. In quâ scholâ utriusque linguæ libri, latinæ scilicet, & Saxonicæ assiduè legebantur. Scriptioni quoque vacabant, ita, ut antequam aptas humanis artibus vires haberent; venatoria scilicet, & cæteris artibus, quæ Nobilibus conveniunt, in liberalibus artibus studiosi, & ingeniosi viderentur.* Quem verò fructum hic regius juvenis ex melioribus disciplinis fecerit; innuit Malmesburiensis, qui eum *literatissimum* vocat.

Ethelfleda filia primogenita.

Ethelgeda monialis.

* *ludo* fortè.

Asser. fol. 19

Puerorum educatio.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

IV. SCHOLA UBI FUERIT?

An in Oxoniensi Academiâ Ethelwerdus studuerit cum cæteris Nobilibus; hic quæsiunt aliqui. Cæterùm verosimilius est, ipsum hoc anno natum in aulâ paternâ, vel non procul inde, mitioribus primùm studiis, maturuisse ad majora. Unde, erectâ postmodum universarum scientiarum palæstrâ; quidni in illam, parentis jussu, transieri? Quod eò fit probabilius; quia post annos sex, apertas Oxonii scholas inferiùs ostendam. Interim dico, prælusisse juventutem, Alfredi operâ, majoribus studiis, & parva priùs posita literarum rudimenta. Id suadet Alfredi pietas, ac prudentia, qui solitus fuit domi priùs mores, quàm foris componere. Porrò schola, cujus supra meminit Asserus, ubi utrique linguæ, & scriptioni vacabant; in Occidentis regno, nec procul ab Alfredi curiâ, videtur fuisse. Sed & in ipsâ Curiâ, educandæ juventutis insignis est navata opera. Unde de duobus aliis Alfredi liberis, hæc habet Asserus: *Edward & Elfrytha, semper in curto Regio nutriti, cum magnâ nutritorum & nutricum diligentiâ, cum magno omnium amore, & ad omnes indigenas, & alienigenas, humiliatâ affabilitate, & etiam lenitate, & cum magnâ patris subjectione, hucusque perseverant. Nec enim illis sine liberali disciplinâ, inter cætera præsentis vitæ studia, quæ nobilibus conveniunt, otiosè, & injuriosè permittuntur. Nam & psalmos, & Saxonicos libros, & maximè Saxonica carmina, studiosè didicere, & frequentissimè libris utuntur.* Hæc de filiorum disciplina Asserus. Vidit autem Alfredus tale suæ operæ pretium fuisse: ut lege latâ jusserit omnes, ingenuos, servosque, literis poliri.

V. DE S. EDWOLDO.

Mart. Angl. 28. Novemb.

In nostro Martyrologio, ad vigesimum octavum Novembris, ponitur in Sanctorum numero, Edwoldus Confessor & Eremita. Fuit ille Edmundi Orientalium Anglorum Regis frater: quem Christiani Regem postulaverant, ab Edmundi martyrio: sed ille, cum Ecclesiam, & rerum publicarum capita, inprimis peti cerneret; ut omni sæculo fecerunt factiosi, faciuntque hodie; in Occidentem secessit, Christi servitutem regno præferens. Ibi cum annos aliquot, in multâ abstinentiâ, virtutúmque cæterarum exercitio, piè vixisset; mortuus scribitur circa annum Christi octingentesimum octogesimum. De eo hæc scribit Harpesfeldus: *Edmundo cæso, populus & Reges Edwoldum substitueri in Regem voluerunt. Quibus ille nulla ratione assentire voluit; sed omnibus relictis, in comitatum Dorcestria secessit: ubi austerissimam & severissimam vitam traduxit: magnáque vivus, & multò magis mortuus, sanctitatis suæ opinione, totam illam provinciam opplevit. Quæ res Ægelwardo occasionem dedit, ut cœnobium ibi postea construeret; quod Cerneliense dicitur. Qui locus celebris habetur ob fontem quendam, quem suis divus Augustinus precibus repentè aperuit. In cujus rei memoriam conservandam, sacellum super fontem illum constructum est; & sub altari arcuato fontis illius origo ostenditur. Reliquit humanam hanc vitam, quarto Kalendas Decembris.* Hæc ille de Edwoldo, & loco secessus ejus.

Harpesfeld. sæc. 9. c. 12.

CERNELIENSE MONASTERIUM.

VI. QUAM ANTIQUUM FUERIT?

Quod monasterium ibi olim ab Augustino positum fuerit, recentiores aliqui putaverunt; sed quia antiquiores id tacent, illi etiam, qui curiosè Cerneliensis Abbatiæ exordia tractaverunt; non possum illis accedere. Malmesburiensis, cum Augustinum in Dorsetanum agrum deduxisset, narrassétque certamen ejus cum incolis; subitam gentis conversionem subinfert, & miraculo eductum fontem; quo conversi levarentur. (quæ omnia fusius retulis anno 607.) & mox: *Ibi*, inquit, *succedentibus annis, Edwoldus, frater Edmundi Regis & Martyris, vitam eremiticam, solo pane cibario, & aqua trivit: pertæsus, ut fama est, mundi deliciarum; quod se & fratrem, durior excepisset fortuna. Fit enim plerumque, ut adversitatibus sæculi admonitus generosus animus; ad Dominum se convertat attentius; qui nec falli nec fallere novit. Edwoldus post religiosè actam vitam, magnæ sanctitatis opinione ibi sepultus; dedit occasionem Egelwaldo prædivitis homini, ut cœnobium, eo loco, sancto Petro construeret: non ita exiliter, ut putatur; quinimmo abundanter, si illi quorum interest, non ea nebulonibus suis, sed Dei servis, impertirent.*

Malmesb. fol. 250.

VII. EDWOLDUS SANCTIS ASCRIPTUS.

Edwoldus ita sanctè mortuus; & propterea à majoribus commendatus, quod integram castamque animam, turbatâ ubique Rep. servavisset; meritò Sanctis ascriptum colimus: & immeritò nomen ejus à factiosis convellitur. Magdeburgici quatuor; illa inquam, Regiæ Fidei, & omnium sæculorum odia, ita impiè de Edwoldo scribunt: *Ex superstitione magistratu sese abdicarunt, & clerici, aut monachi, aut eremitæ facti sunt. Rex Bulgarorum sese regno abdicans, monachi habitum sumpsit, anno 865. Lotharius, regno inter filios diviso, in Prumiense monasterium secessit: & tonsura & habitu monachus creatus, paullo post mortem obiit. Edwulphus Rex Orientalium Anglorum apud Cerneliense cœnobium, in Dorsetia via, juxta fontem Augustini, vitam eremiticam solo pane & aquâ protrivit.* Ita illi, inaccuratè. quasi eremitica vita, eadem cum cœnobitica, esset: & vitam solo pane & aquâ traducere, superstitio. placet tamen, quod Edwoldum sanctum cum aliis Regibus componunt: quia inde constat, non solos Angliæ Reges, sed omnes ubique provincias unum Deum, in unâ Fide, uno eodemque modo veneratos esse. Et satis mirum, quòd Christo Domino parcant hi Critici; nam ille Rex Regum, & Dominus dominantium, positâ majestate demisit se etiam ad humilia; eremum etiam petiit, & diu ibi sine ullo cibo; hoc est, in moderno lexico; multò quàm Edwoldus superstitiosiùs, vixit. & nescio cur non liceat ipsum imitari.

Cent. 9. fol. 348

A FACTIOSIS REPREHENDITUR, SED DEFENDITUR.

ANNUS CHRISTI 881.

JOANNIS VIII. PAPÆ 9.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 11.

I. QUIES IN INSULA, ET MERCII ALFREDO SUBJECTI.

QUIEVIT Alfredus à Danorum incursibus, anno Christi octingentesimo octogesimo primo: & nihil hostile molitus est, qui hactenus Insulam vexaverat. Unde Rex potuit dispersas, priore tempestate, coronas, in unam conjungere. Sic Mercios creditur Occidentis regno univisse, statim à Gurmundi submissione. Quod benè Gordonius conjectavit, ita scribens ad hunc annum. *Alfredus, sive Almedus, putatur paullò ante hunc annum, suo regno West-Saxonum, univisse integrum tandem Merciorum regnum; antea tamen profligatum, ab anno octingentesimo vigesimo.* Nimirum, cum Kenulpho, & Kenelmo, mortuis, à Ceolulfo eo anno, & sequenti à Bernulpho, externis homini-

Gordon. hic.

hominibus, laceratum est nobilissimum Merciorum regnum. In Septentrione tamen, hoc tempore, tumultuatum est; si Scotorum historicis credendum. Nam illi referunt, Britannos ibi, Scotorum auxilia petentes, fœdus cum eis contra Danos percussisse: & eisdem provincias cessisse, quæ aliquando Scotorum juris fuerant, Laudoniam, & Fifam. de quibus sæpè superiùs. Sed quicquid sit; tam priùs, quàm posteriùs, provinciæ illæ, non à Britanno, ut illi supponunt; sed à Saxone possessæ, altercandi quidem materiam ministrabant; & fortiori cedere interdum cogebantur. Unde, cum hoc tempore Dani, Britanni, Saxones, & Scoti, provinciis illis incumberent; facilè fuit Christianis omnibus, in unum consentire; & infidelium Danorum jugum, à suis cervicibus, quacumque demum conditione, submovere. illud tamen fidem videtur superare, quod è Leslæo, & Buchanano notat ad hunc annum Gordonius: nimirum Gregorio Scotorum Regi, *Northumbriam cessisse*. Nam eum authores nostri Danorum vestigia observantes, nullam ejus mentionem faciant; imò planè contrarium significent; ut dicam anno sequenti; peccatum à Scotis puto, in rerum narratione, ut fit non rarò.

LAUDONIA AD SCOTOS TRANSIISSE DICITUR.

Gordon. hic.

II. DANI EX ANGLIA IN GALLIAS VADUNT.

II. Cæterùm, cur Danus in Alfredi provinciis, ab omni inimico impetu abstinuerit; illud in causa fuit, quod nobilissimi obsides penes Anglum essent; quorum salus erat in periculo, si Danus moveret. Gens tamen ad latrocinium nata, quæ necdum Christum didicerat; sine rapto vivere inglorium putabat. Quamobrem in Gallias evagata, *Anno octingentesimo octogesimo primo*, inquit Hovedenus, *in ulteriora Francia, per flumen Mosam, navibus pervectis, ibidem uno anno hiemavit*. Quamvis hic non juvet ad miseriarum solamen socios habere doloris: non abs re tamen erit Danorum in Galliis furorem paulisper intueri, & impetum quo feruntur: illi profectò simillimum, quem hæc Insula priùs senserat: Nam & Gallus, sæpè inferior viribus, ad pacta cogitur, & ad dividendam cum hoste provinciam: & in monasteria ante omnia à barbaris sævitum, & etiam in Sanctorum corpora. Quæ ibi non minore curâ, ac civium pietate sarta tectáque servata sunt; quàm nuper hic vidimus. Sic enim narrat ad hunc annum Westmonasteriensis: *Plurima in regno Francorum monasteria, à Paganis demolita sunt, & concussa. Unde fratres Floriacensis cœnobii, Beati Benedicti Abbatis reliquias, de sepulchro extrahentes; hostes fugiendo, hac illácque discurrebant.* Eo scilicet modo, quo sancti Cuthberti sacrum corpus, à Lindisfarnensibus monachis è sepulcro extractum, ad varia loca peregrinari cogitur. & nunc peregrinationis ejus agitur annus sextus juxta superius* adnotata.

Hoveden. hic.

SANCTORUM CORPORA IN GALLIIS SERVATA.

Westmi. hic.

* an. 875. n. 6.

III. Sub hoc tempus (annus à nemine, quod sciam, consignatur) Alfredus Rex, jam quinque liberis auctus, consilio Ethelredi Dorovernensis Episcopi, Testamentum condidit in hæc verba:

Testamentum ALFREDI Regis.

TESTAMENTUM ALFREDI REGIS.

EGo Ælfredus, divino munere, labore, ac studio Athelredi Archiepiscopi, nec non totius West-Saxoniæ nobilitatis consensu pariter, & assensu, Occidentalium Saxonum Rex; quos in testimonium meæ ultimæ voluntatis complementi, ut sint advocati in disponendis pro salute animæ meæ, regali electione confirmo; tam de hereditate, quam Deus, ac principes cum senioribus populi, misericorditer ac benignè dederunt; quam de hereditate, quam Pater meus Ethelwulfus Rex, nobis tribus fratribus delegavit: videlicet Æthelbaldo, Ætheredo, & mihi. ita quòd qui diutiùs nostrum foret superstes, ille totius regni dominio congauderet. Et si contigeret, quod Æthelbald, primogenitus Patris nostri primus in fata decesserit; tunc recognoscat Ætheredus, cum totius West-Saxoniæ nobilitate: quòd sint nobis in testes, de nostra portionis in regni participatione, in die coronationis Ætheredi Regis, quem in Regem super nos, post mortem Æthelbaldi fratris nostri primogeniti, erigere toto nostro conamine insistemus; secundùm assecurationem, quam nobiscum fideliter fecit: videlicet quod idem Rex Ætheredus nostras distributiones nobis esse permitteret, Sicut eas habuimus, ante ipsius Ætheredi fratris nostri postgeniti coronationem. Fidelitas verò nobiscum ab ipso promissa, de hereditaria distributione, erat modo consimili confecta: videlicet quod de terris & dominiis, quæ Rex ipse Ætheredus, omni nostro juvamine & potestate, hominúmque nostrorum sibi acquisierit, & etiam de dominiis, quæ sibi jure hereditario contingunt, nobis fraternali affectione, competenter imparciretur. Veruntamen si contigerit, quod Ætheredus, succedat in regnum, idem & ipse compromitteret.

IV. *Quando verò ita Deus disposuit, ut Ætheredus regali diademate coronaretur: tunc ipsum Ætheredum rogavi, coram omnibus testibus nostris; videlicet quòd de suâ hereditate nobis imparciri recognoscat, & quòd mihi meam distribuat partem. Ipse verò his auditis, statim mihi restitit; contestans se hoc non posse, nec agere vellet, ut impartiatur: ex quo illud tam diutino tempore in propriâ retinuit possessione. Hoc tamen mihi spoponderat; quòd terras & dominia, quæ ipse nobis auxiliantibus, & populo nostro, in suam ditionem perquisiverit: & hereditatem ad quam nescitur, post dies suos nemini in possessionem daret, ut sua congauderet hereditati, solummodo me excepto. Sicq; querimoniam contra fratrem remisi, per verba prædicta complacatus. Si verò contigerit, quod absit, quòd nos omnes impiissimorum paganorum in manus inimicorum nostrorum Danensium inciderimus: tunc nobis est specialiter recognoscendum, disponere salubriter pro filiis nostris; quod unusquisque eorum successivè, unus post alium, nostram hereditatem possideat; & terris ac possessionibus nostris congaudeat, quemadmodum ipsa hereditas, terra, possessiones, & dominia, nobis condonata fuerunt.*

V. *Propterea in unum congregati sumus, apud Suinburnam, ubi pronunciavimus, in cognitione totius West-Saxoniæ Principum, Dominorum, ac seniorum; quòd ipsi fideliter testimonium perhibeant: videlicet quod quis nostrum diutiùs superviveret, quòd ipse legat alterius filiis, ipsas terras quas nosmetipsi, nostra potestate ac virente conquesti sumus; & terras ipsas quas Rex Æthelwulfus nobis donavit; dummodo Æthelbald fuerat superstes; præter illud quod nobis tribus fratribus, Pater noster Rex Æthelwulfus, delegavit. Et super hoc, unusquisque nostrum, alteri fidem servavit, quòd quis nostrum diutius vitam viveret; quod ipse alterius terras possideret & dominia, & omnia quæ sui erant, præter illam partem, quam uterque nostrum, filiis alterius legavit. Et si contingat, quòd Ætheredus Rex viam universæ carnis fuerit ingressus, ex tunc, præter me, non est quis, qui super hereditatem, scripturam habeat, vel testimonium. Nec quod sit aliquis heres, præter me.*

Quòd si aliquis hereditatem prædictam acclamaverit; jus suum perdet, nisi etiam de hoc testes adducat. Et tunc audivi, quod omnes cognati mei, in soporem mortis resoluti erant: & ita hereditas Ethelwulfi Regis patris mei, ad me devoluta est, per chartam inde confectam, in Concilio nostro generali apud Langdene. Quam quidem chartam legere jussi, coram testibus totius West-Saxoniæ. Quando vero lecta fuerat, tunc mandavi illos omnes, qui aderant, & securitatem mihi facere præcepi, pro meo amore si unquam audiverint de aliquo, vel cognoscerent, qui de hereditate mea aliquod jus acclamare juste possit, quod nunquam ad meum auditum antea pervenit. Et iterum locutus sum ad eos, in has verba. Rogo vos, dilectissimi, quòd nemo pro amore, aut odio mei, parcat veritatem annunciare; sed summopere consentiat veritati: quia mea voluntas non est, aliquem meorum consanguineorum in aliquo dishereditare.

VI. Et tunc omnes Principes, & seniores populi mei, sub firmâ attestatione dixerunt; quòd nunquam ad eos devenit notitia de aliquo, qui justiorem haberet titulum, quam ego: nec cogitare noverunt de aliquo, neque in scriptum invenire potuerunt; & in seisinam meæ hereditatis, me iterum imponentes, dixerunt: Ecce jam habes tuam hereditatem iterum in manibus tuis. Nunc de bonis, & possessionibus conde testamentum tuum. lege, & dona tuo proximo sanguini, vel amicis tuis, & cognatis, sicut tibi placuerit. Et omnes illi firmitatem irrevocabilem mihi fecerunt, & subscripserunt; ipsos nunquam hereditatem meam alicui hominis aliter pervertendo daturos, præter quam egomet legabo die proximo jam instante.

VII. Unde ego Ælfredus, divino munere Occidentalium Saxonum Rex, præsentibus testibus intentionem meæ ultimæ voluntatis impræsentiarum profero: ut implementum sortiatur post proprium in fata decessum. Imprimis concedo meo seniori filio Edouardo, illas terras apud Stratnet in Triconshire, & Hortingtune, cum totâ liberâ terrâ, quam Leofus à nobis per antea tenuit, apud Carentune, & apud Kisantune, & apud Burnham, & apud Wedmore. Insuper ego confirmo custodi de Leodre, quod ipse illud habeat, secundum assignationem à vobis* prælocutam, cum terrâ illâ apud Kintune, necnon cum omnibus ad illud pertinentibus. Ulterius prædicto concedo custodi, terras illas, apud Kantune, & apud Bedewind, & apud Benesty, & apud Hussebutne, & apud Suttune, & apud Leodriam, & apud Altune, cum omnibus liberis terris, quas in Cautio possidemus; & apud inferiorem Husseburn, & apud Kyseldene. Do illas terras meo principaliori servienti, apud Wintoniam, secundum assignationem, secundùm quam illud pater meus, prædicto servienti, per prius, quam effectuosè delegavit. Alterum vero feodum, quem ego Eguipho dedi, usque ad certum tempus, apud inferiorem Husseburn, prænominato servienti concedo.

* nobis fortè.

VIII. Insuper do meo juniori filio, terras illas apud Edevingtune, & apud Dene, & apud Mene, & apud Ambreshirg, & apud Done, & apud Stureminster, & apud Zeule, & apud Cruerne, & apud Withiburch, & apud Axanmuthe, & apud Bramescumbe, & apud Columtune, & apud Tiryford, & apud Milleburne, & apud Exanmynster, & apud Suthewithe, & apud Lintune, cum omnibus terris, ad illud pertinentibus, quæ sunt omnes, quas sub cælo ibidem possideo; solummodo Triconschire excepto. Insuper meæ filiæ concedo primogenitæ villam de Welliero: Et meæ filiæ postgenitæ concedo villam de Clere, & de Condenere: Et meæ minori filiæ villam de Welige, & de Asketune, & de Chippenam. Athelmo verò fratris mei filio, do villam de Edlingburn, & de Cumptune; & de Erundelt, & de Bedlign, & de Dingham, & de Burnham, & de Thunresfeld, & de Aschengum. Et fratris mei filio Æthelwaldo concedo villam de Godelming, & de Guldeford, & de Steningham. Et Osferto cognato meo, do villam de Becstale, & de Ritheranfeld, & de Ducanlingum, & de Suttune, & de Bullingminster. & de Angemeringum, & de Feltham; nec non & omnes terras ad illud pertinentes. Insuper concedo Alswytho villam de Lamborne, & de Wantinz. & de Ethandune.

IX. Præterea duobus filiis meis, libras lego mille, cuilibet eorum quingentas libras; & primogenitæ meæ, postgenitæ, & minori, nec non Alswitho, ipsis quatuor lego libras quadringentas; unicuique illorum centum libras. Ulterius cuilibet armigerorum meorum, centum marcas: singulis eorum per se centum marcas. Insuper do Ethelredo Principi militiæ meæ, unum gladium, & bis mille marcas. Et meo sequestro, cum quo jam pascha imminente, pactum firmavi, do ducentas libras; ut ipse det & distribuat inter omnes illos, ubi placitum est sibi subire sepulchrum, secundum dispositionem, quam egomet sibi ad præsens confecto.

X. Insuper Archiepiscopo do centum marcas, & Esno Episcopo, & Werferetho Episcopo, & Assero Episcopo de Schireburn, cuilibet eorum centum concedo marcas, ad dandum, & distribuendum pro me, & Patre meo. Et præter hoc quòd ipse per antea signabat, etiam ego assigno ducentas libras, quinquaginta presbyteris, per totum regnum meum; & quinquaginta solidos cuilibet Deo servienti; per totum regnum meum: & quinquaginta solidos ad distribuendum inter pauperes, & quinquaginta solidos Ecclesiæ in qua corpus meum traditur sepulturæ. Et ultra ista nescio utrum plus fuerit ad legandum. Spero revera, quod plus non fuerit inventum. Si vero plus repertum sit, disponatur prout superius disponendum censuimus. Et volo, quod armigeri mei, cum valectis, & omnes qui cum ipsis in servitio meo existunt, ista distribuant, modo supradicto: nec alio modo distribuant. quàm superiùs præscripsimus, coram herede meo: cui præ cæteris majorem quantitatem de bonis possessionibus meis, prælargitus sum: secundùm quod denare potui. Et tali concessioni multi nobiles conscripserunt, & coram præsentibus omnibus his testibus, ita donationes, & concessiones, in scriptis erant redacta. Et modo Principibus regni mei dedi in mandatis, omnibus videlicet, qui inveniri poterant, quod illi impedimentum non inferant: quoniam voluntas mea, de prædictis, implendi capiant effectum divinâ fretus virtute.

XI. Et volo, quod illi homines, qui prædictas possident terras observent verba, quæ de Patris mei hereditate rediguntur in scriptis; in quantum possunt, & in quantum, de futuro, firmius poterunt. Etiam volo; quod si ego alicui dedi, vel feodum aliquem ad tempus accomodavi; quod illi meis cognatis vel suis illud ostendant. Insuper volo, quod illi homines, quibus ego meas liberas terras delegavi; non alienent illas à meâ cognatione, ultra dies suos. Et volo quod transeant diebus suis, meæ propinquiori cognationi: nisi ex seipsis procreati fuerint filii legitimi. Et tunc ex meo beneplacito permaneant virili sexui, ab ipsis progenito, quamdiu unus ex ipsis vixerit super terram. Nam & Pater meus eodem modo suam legavit hereditatem. Quod si aliquomodo accidet; ut perveniant terræ prædictæ in manus mulierum; tum volo quod post obitum earum, reddantur consanguinitati meæ virili, ex earum

visceribus descendenti: si ita fuerit, quod ipsas has terras, vita comite in propriis manibus retinere voluerint. Si verò aliter acciderit, tunc ultra dies suos fiet. ita, sicut per prius delegavimus. Ulterius dico, quod reddatur ab ipsis, pro sustentatione victus consanguineorum meorum, quibus oportet me prædictas terras legare: utrum sint masculi, vel fœmina, secundùm quod mihi melius videtur.

XII. *Et ego in nomine Domini exhortor, & in nomine omnium Sanctorum; quòd nemo consanguineorum meorum, in posterum, contra aliquem mea consanguinitatis laboret quovis modo; quoad ea, quæ ego ipsis dedi peravecta, pariter & legavi. Et mecum tota nobilitas West-Saxonicæ gentis, pro recto jure, consentiunt: quòd me oportet dimittere eos ita liberos; sicut in homine cogitatio ipsius consistit. Et ego pro amore Dei, & pro salute animæ meæ, volo quòd ipsi sint in possessione libertatum suarum; & omnis cognatio eorum. Et ego in nomine Dei sacri in mandatis committo; quòd ipsis nemo contradicat, neque cum armis, potestate, nec virtute, neque alio resistendi modo, quod illi non poterunt seisinare, vel introducere quemcumque illis placuerit, in eorum terras, possessiones, & dominia. Et volo quod homines mei dent Domino de Domrabam, suas terras liberas, & suas libertates, sic quod ipsi seisinent quemcumque illi placuerit, pro me, & pro Elsleda. & pro amicis suis, quibus ipsa gratitudines tenetur impendere: & pro vivorum ac defunctorum omnium necessitates habentium salute: & quod talis pia donatio, sit in remissionem omnium peccatorum meorum. Et ita desiderans altissimum humiliter deprecor, ut mea delicta, & eorum pœnas mihi misericorditer relaxet.* AMEN. Hactenus Alfredi testamentum.

XIII. De tempore conditi Testamenti.

Dixi suprà, sub hoc tempus confectum esse; sed annum à nemine consignari: referri autem passim ad annum mortis ejus. Cæterùm quòd diu priùs, has tabulas scripserit, quàm morti vicinus esset, ex multis colligitur. Imprimis Æthe-redi Dorovernensis Archiepiscopi mentio, planè convincit, eo adhuc Dorovernia sedente, dictatas esse; qui duodecim ante Alfredum annis, moritur. Iterùm cum Werferthus Wigorniensis, & Asserus Schireburnensis, Episcopi, in testamento nominentur, seu ultimæ voluntatis interpretes: illi proculdubio superstites erant, cùm ista Alfredus Rex, per eos fieri mandavit. Cùm igitur Asserus Schireburnensis, anno octingentesimo septuagesimo nono, in Episcopum consecratus, quadriennio tantùm sederit; ex mente Authorum omnium mortuus anno octingentesimo octogesimo tertio, ut ibi dicetur: hoc intermedio tempore, Alfredum Testamentum condidisse, necessum est affirmare. Hinc Ethelfleda primogenita, & Ethelredus militiæ Princeps, sine addito nominantur: qui tamen diu ante Alfredi mortem, matrimonio conjuncti, probant Regem ista dictasse, cùm Ethelfleda adhuc virgo, & Ethelredus needum gener, essent. Ideóque non aliud rectius assignari tempus conditi testamenti, quàm annum octingentesimum octogesimum primum: quo prænominati Episcopi in vivis erant: & Ethelredus non alio, quàm *Principis militiæ* titulo, illustris.

ANNUS CHRISTI 882.

JOANNIS VIII. PAPÆ 10.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 12.

I. Alfredus navali prælio victor. *Asser. hic.*

SUPERIORIS anni tranquillitas, Alfredo opportunitatem dedit armandi classem, quæ Angliæ litora tueretur: quâ munitus, anno Christi octingentesimo octogesimo secundo, incursantium piratarum impetus stitit. *Nam eodem anno, Ælfred Angul-Saxonum Rex,* (inquit Asserus) *navali prælio contra paganicas naves, in mari congressus est: ex quibus duas cepit, occisis omnibus, qui in eis erant. duarumq; aliarum navium duo principes, cum omnibus suis sociis, valdè prælio & vulneribus fatigati, depositis armis, curvo poplite, & supplicibus precibus, dederunt se Regi.*

II. Alfdeno Northumbriæ Duce mortuo: Succedit Cuthredus.

Accisis mari Danorum viribus; minor erat eorum in Septentrione potestas: præsertim Alfdeno Principe mortuo; qui, sive Gurmundi permissu, cui Northumbriam Alfredus commiserat; sive propriâ tyrannide, principatum ibi arrogaverat. Cæterùm eo sublato, Christiani paululùm respirarunt; & Sancti Cuthberti corpus, quod septennio domicilium fixámque sedem quæsierat; ubi tandem quiesceret, invenit. Vigilabat enimverò hoc tempore Cuthbertus; & in demortui Principis locum, nè sine Duce provincia fluctuaret, Cuthredum Saxonem Principem dicit, vivæ vocis oraculo. Testantur hoc, Hovedenus, Westmonasteriensis, & author vitæ S. Cuthberti, apud Capgravium: qui omnes fusum hoc anno oraculum; & sequenti, cum Alfredus decimum tertium regni annum ageret, perfectum docent. Ego eos sequutus, utriusque anni facta conjungó. Itaque *anno Gratiæ octingentesimo octogesimo secundo* (loquitur Westmonasteriensis) *S. Cuthbertus, Eadredo Abbati in visione nocturnâ assistens, præcepit; ut diceret Episcopo regionis; quatenus Cuthredum, filium Hardecnuti, quem Dani cuidam viduæ in servum vendiderant; apud Wintigeham dato pretio redimerent; & redemptum sibi in Regem promoverent. Quo facto, anno Regis Ælfredi decimo tertio, ipso in Regem coronato, Sedes Episcopalis, quæ priùs in Lindisfarnensi fuerat Insula, apud Cestriam transfertur; quæ antiquitus Cunegecestria dicebatur. Nam & idem Sanctus per Abbatem prædictum mandaverat, ut quicumque ad ejus corpus fugeret, in articulo necessitatis; pacem per mensem haberet. Hanc quoque legem, tam Rex Ælfredus, quàm Rex Cuthredus censuerant perpetuò conservandam.* *Westm hic.*

Lindisfarnensis Sedes Cestriam transfertur.

II. Et corpus S. Cuthberti.

Priusquam Sedes Episcopalis Cestriam transfertur: eò corpus sancti Cuthberti monachi transtulerunt; hoc nimirum anno, qui septimus numeratur, ab eo anno, quo primùm apud Ubbanfordum deponitur. Et ab eo thesauro pietas fluxit; quæ Ecclesiam ibi, sedemque Episcopalem fecit illustrem. Quamdiu ibi Cuthbertus stationem tenuerit, dicam inferiùs: Interim, ut eum Christiani Cestriæ quiescentem piè coluerint, & Ecclesiam ibi erectam ornaverint, exponam. Nam præter pacem perpetuò conservandam; terras, prædia, aliáque donaverunt Regia. Alfredus inprimis, qui Sancto ferebat acceptum regnum: sed & Gurmundus etiam, cui commissa Northumbria; certasse videntur, quis plura pro-

Cestrensis Ecclesia ornatur.

funderet.

funderet. Ex quâ Regum munificentiâ, confirmari possunt omnia, quæ à plerisque Authoribus, Cuthberti, aut Dei potiùs in Cuthberto mirabilia recensentibus, asseruntur. Cur enim, mortui hominis cadaver (si aliud non esset) tam impensè Principes colerent? Dico igitur: Intuitu sacri corporis, erectam apud Cestriam Episcopi Sedem; & Regum concessione, quicquid olim Lindisfarnensi Ecclesiæ, à fidelibus donatum; id omne in Cestrensis Ecclesiæ jura transivit. Porrò Cestria, urbecula fuit, in Dunelmensi agro ad viam publicam: *quæ Concester Saxonibus dicta* (inquit Camdenus) *unde Condercum ego judicarim, in quo alam primam Asturum, Romanis temporibus stationem ad lineam* (ut inquit) *valli habuisse memorat liber notitiarum. pauculis enim milliaribus à Vallo abest. Lindisfarnenses Episcopi, cum Cuthberti sui corpore, Danica intonante tempestate, in hoc annis centum & tredecim delituerunt.* Hæc ille. de loco novæ Sedis, quam Lindisfarnensis Episcopus suam fecit. & præter ea, quæ priùs possederat, amplissima prædia ab Alfredo Rege obtinuit; qui inter tutelares Sanctos, Cuthbertum eximiè coluit, & muneribus frequentavit.

Camden. in Durham.

IV. Ut dotata Cestrensis Ecclesia.

Westmonasteriensis paucis explicat regia munera. Cùm enim dixisset Alfredum, & Cuthredum, pacem perpetuò conservandam concessisse: mox addit: *Ad hoc insuper in augmentum prioris Sedis Episcopatus, totam terram, inter flumina Tyne, & Teyse, præfati Reges concesserunt Sancto Cuthberto, jure perpetuo possidendam: & illius institutionis violatores, pœnis infernalibus addixerunt.* Hac regiâ largitione factum, ut regio illa, & amplissimæ terræ, *Sancti Cuthberti patrimonium* diceretur. Cujus largitionis & appellationis causam, quisquis ingenuè contemplatur; videbit eximiam viri Sanctitatem, & incorrupti corporis miraculum, fuisse; quòd non solùm antiqui, & orthodoxi omnes, clarè significant: sed Camdenus etiam, novus homo, licet paululùm tergiversari videatur, inficiari non audet. Sic enim Dunelmensem agrum describens, ait: *Totam hanc regionem, cum aliis etiam vicinis, Sancti Cuthberti terram, sive patrimonium, vocant in suis scriptis monachi. Sic enim vocarunt illi, quicquid ad Dunelmensem spectavit Ecclesiam, cujus Cuthbertus quasi patronus habetur: qui in primâ Saxonum Ecclesiæ infantiâ, Lindisfarnensis Episcopus, vitam tantâ sanctitate, & integritate transegit, ut inter Divos fuerit: Regesq; nostri, & proceres, quod tutelarem illum fuisse Divum, contra Scotos crediderint; non solum ejus corpus devotè sæpenumero inviserint: quod integrum incorruptumq; durasse, persuaserunt scriptores: sed etiam amplissima latifundia donarint, & plurimas libertates irrogarint. Alfredus Rex, & Guthrunus Rex Danus: quem ille Northumbris præfecit: Postea totam terram inter Were fluvium, & Tinam (libri antiqui verbis utar) Cuthberto, & in ejus Ecclesiâ ministrantibus, perpetuò possessionis jure largiti sunt. ex quo illis, ne inopiâ laborarent, vitæ subsidia procurentur. Præterea, ejus Ecclesiam, tutum profugis locum refugii constituerunt: ut quicumque qualibet de causa, ad ejus corpus confugerit; pacem per triginta septem dies; nulla unquam occasione infringendam, habeat: Edwardus, Athelstanus Reges, & Cunto, sive Canutus Danus, qui nudis pedibus ad Cuthberti tumulum accessit, has leges, & libertates, non modo confirmarunt, sed etiam auxerunt.* Hæc omnia Camdenus.

Camden. suprà.

Regibus his, non scriptores; sed incorrupti corporis veritas; non aliorum relatio, sed ipsa oculorum usurpatio, persuaserunt & Cuthbertum sanctum esse, adeoque colendum, & Deum mirabilem esse in Sanctis suis.

V. In Gallia etiam Sancti coluntur.

* Dum Angli Principes Cuthbertum ornant; juvat paululum Insulam egredi; & quid alibi fiat in Sanctorum cultu, cum Dani eos persequuntur, contemplari. Itaque firmatâ pace, cum Danorum Principe Gurmundo, eoque Christum docto; cæteri, qui illa sacra noluerunt sequi, Hastingo Duce reliquerunt Insulam. *Ibi quæ mala fecerint* (loquitur Malmesburiensis) *narrant indigenæ. Tota enim ora maritima, usque ad mare Tyrrhenum grassati; Parisios, & Turones, & multas alias urbes, quæ vel super Sequanam, vel super Ligerim, nobiles Galliæ fluvios, sitæ sunt, civibus vacuarunt.* In re lugubri usus compendio. Nam fusiùs hæc habent scriptores Galli: quæ ego non colligam, sed ea tantum, quæ conferri cum Regiâ Anglorum Fide, & pietate possunt, hoc anno facta. Tunc enim, quod supra * innui, Sanctorum reliquiæ, Danorum sævientium cupiditati subtractæ, probaverunt Anglicanæ Ecclesiæ fidem, non uni Insulæ, sed universo orbi communem fuisse. Et quicquid Cuthberto sancto ab Anglis factum, Catholicum id, & Orthodoxum esse. Flodoardus ergo ita scribit: *Excrescentibus tandem flagitiis, gens Normannorum per omne Francorum diffunditur regnum. Et quoniam civitas Rhemensis tunc absque muro habitabatur. Hincmarus Episcopus accipiens, quod sibi charius in thesauro habebat, corpus videlicet B. Remigii, silvestria loca trans fluvium Matronam expetiit; & apud villam Sparnacum aliquanto tempore custodivit; denique cum ibi moraretur diem suum clausit extremum.* hoc nimirum 882. ut habet Baronius. Eundem annum innuit Malmesburiensis cum dicit: *Tunc corpora multorum Sanctorum, ab antiqua requietionis sedibus eruta, & ad tutiora loca delata, peregrinas Ecclesias usque ad hoc tempus, cineribus nobilitarunt suis. Tunc Beati Martini corpus, ut Sidonius ait, toti venerabile terris, in quo post vitæ tempora vivit honor: Autisiodorum à clericis suis deportatum, & in B. Germani locatum, inauditis signis circumjacentium regionum homines excitabat.* ut supra* etiam adverti.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

* an. 875. 4.

apud Baron. hic.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

* an. 878. 15.

VI. Sanctorum cultus asseritur.

Hæc omnia Sancti Cuthberti translationi deserviunt, & confirmant ea, quæ de ejus miraculis, & corporis incorruptione, dixerunt Authores, & insuper benè monent, quàm jucundum sit contemplari hos tres Episcopos, Remigium, Martinum, atque Cuthbertum, uni Deo, in unâ Fide, eodémque modo, munere, pietate famulantes, in maximâ apud omnes sanctitatis opinione morientes; ab universo orbe, post tot sæcula coli, cultúmque illum à Deo probari sequentibus signis. Nec minùs orthodoxam Fidem confirmat, quòd cultum hunc, soli Infideles, Judæi, & nunc Calvinistæ, paucorum & pravorum sæculorum excrementa, negaverunt: illi, inquam, soli, qui perfidiâ, scelere, incendiis, Provincias implendo, templa, & monasteria destruxerunt: illiterati homines, qui quia infinitis Saxonum, & Anglorum fidelium argumentis vapulant; ad Britannorum Rempublicam imperitè ascendunt, quærentes ibi factionis socios. Sed tam notum est Britannorum Episcopos, cum Sanctorum reliquiis aufugisse, cum Britannorum Ecclesiæ

peteren-

peterentur; quàm notum est, Saxonem Insulæ imperio tandem potitum. Et tam notum est, Albani Martyris, & Davidia Episcopi corpora, à Britannis eximiè culta esse; quàm certum est Cuthbertum, à Saxone & Anglo, cultum. Exeant ergò, & obliterentur è fidelium Christianorum numero, ii omnes, qui ponunt in cœlum os suum, & negant Sanctis honorem: jungantur Infidelibus, Judæis, & Barbaria, qui eorum cineres dehonestant, sepulchra violant, & non nisi per exesa omnium majorum viscera, è tenebris suis, in lucem aliquam conantur emergere. Quievit Cuthbertus noster in Cestrensi Sede, per annos centum, & tredecim: inde in nobiliorem, hodiéque perspicuam, migravit; stupente semper mundo, incorrupti corporis miraculum, principibus populóque applaudentibus: & Deo ubique probante Sanctitatem ejus.

VII. CAROLUS IMP. CUM DANIS PACISCITUR.

Carolus Imperator, eo nomine tertius, & cognomento Crassus, qui anno superiori Imperii coronam accepit; cùm cladem suis civibus à Dano illatam cognovisset; refert pedem ex Italia, calamitosis rebus, & laboranti Provinciæ opem laturus: non ferro, quod dura Danorum latera fodicare non poterat, sed auri argentíque promissis. Pace, inquam, infimis precibus, & summo pretio redemptâ. Hoc ideò adverto, ut nemo miretur, Anglorum Reges, quo pestem hanc ab Ecclesiâ averterent; descendisse interdum à majestate: cùm idem Gallorum Reges, & Occidentis Imperator fecerit. Militi numerata sunt librarum duo millia & octoginta, viginti solidis pro librâ computatis. Godefrido Danorum Duci, concessa Frisia, & Lotharii Regis filia, quæ Gisla vocabatur, in conjugem data. Æquavit etiam nuper Danorum cum Alfredo fœderis felicitatem, hoc Gallorum fœdus; nam Godefridum hac ratione Christi castra secutum, & à Carolo susceptum in baptismo, tradit Regino. sed satis de Galliâ.

GISLA DATA CONIUX GODEFRIDO BAPTIZATUR.

VIII. JOANNES PAPA MORITUR.

Moritur sub finem hujus anni, Joannes Papa, cùm annos decem Romanam Sedem rexisset: in eo solùm culpandus; quòd Photium Constantinopolitanum Episcopum à prædecessoribus depositum, atque damnatum, ordini ac dignitati restituit. Successit illi, hoc eodem anno, Marinus, quem aliqui, sed malè Martinum vocant. de quo plura anno sequenti.

MARINUS PAPA.

ANNUS CHRISTI 883.

MARINI PAPÆ 1.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 13.

I. ALFREDUS ROMAM MITTIT AD MARINUM.

SEQUITUR Christi annus octogesimus tertius, supra octingentesimum: quo Alfredus Rex, creatum nuper Romanum Pontificem Marinum, scriptis literis, & missâ legatione, salutavit: petiitque inter alia, ut Anglorum schola, quam Angliæ Reges, olim Romæ erexerant, piorum locorum immunitate gauderet. Quod Marinus pientissimè indulsit. de eo sic scribit Westmonasteriensis. *Anno gratiæ octingentesimo octogesimo tertio, Marinus sedit in Cathedrâ Romanâ, anno uno, & mensibus quinque. Hic scholam Anglorum Romæ, Aelfredo Rege deprecante, à tributo liberam fecit.* Cæterùm quod hic Author *scholam Anglorum* vocat, alii *Saxonum scholam* vocaverunt. Ita Hovedenus; *Anno*, inquit, *octingentesimo octogesimo tertio, Marinus Papa, scholam Saxonum, in Româ morantium, pro amore, & deprecatione Regis Aelfredi, ab omni tributo & telone liberavit benignè.* Asserus etiam eodem modo *scholam Saxonum*, Alfredi precibus, Marini indulgentiâ, liberam dixit. Unde quæ suprà sæpiùs disputata sunt, de vico, & scholâ Saxonum, confirmantur. Nimirùm, tam vicum illum, quàm scholam, & Ecclesiam Beatæ Virginis, propriè Anglo-Saxonum fuisse; à Regibus nostris erecta, à civibus nostris possessa, ab Authoribus ita appellata, jam inde ab Ina Occidentalium Saxonum Rege: hoc est, per annos centum & quinquaginta. Hæc ergò una legationis causa fuit, nimirùm prodesse Provincialibus suis, qui Romæ commorantes, vel Deum patriæ propitiabant; vel se in patriæ salutem, commodúmque devoverant.

Westm. hic.

PETIT ANGLORŪ SCHOLAM IMMUNEM ESSE. *Hoveden. hic. Asser. hic.*

II. ALFREDI VOTUM.

Fuit & alia, è religione, & Alfredi pietate, petita causa legationis; non Romam modò, sed in Indiam quoque, ad Sanctum Thomam Apostolum. Voverat enim Alfredus Rex, se illa Apostolorum limina eleëmosynis culturum, quamprimùm è difficultatibus emergeret; quibus hâc Danorum tempestate premebatur. Itaque voto potitus, voti solutionem noluit porrò differre. Igitur Assero mortuo Schirburnensi Episcopo, de quo suprà; * cum Sighelmus successisset, eum legationis principem fecit; misitque in Urbem primò, inde in Indiam, per Italiam reversurum. Hoc Alfredi votum expressit Huntindonius: *Alfredus*, inquit, *misit eleëmosynam suam Romam; & etiam in Indiam, ad Sanctum Thomam; secundum votum quod fecerat, quando hostilis exercitus biemavit apud Londoniam.* Cujus voti solutionem, benè refert Baronius ad hunc annum, ita scribens. *Eodem tempore, Ælfred Rex Angliæ, qui Romæ coronam acceperat à Leone Papâ; post varios casus, multáq; pericula, à quibus divinitus est liberatus; regnumq; vendicatum à Danis, grati animi opus exolvit, duplicis officio legationis: alteram mittens ad sacras memorias Apostolorum Romam; ad Indos alteram, ad corpus Sancti Thomæ Apostoli.* Ita ille, ad annum octingentesimum octogesimum tertium.

MORITUR ASSERUS SCHIRBURNESĪ. SUCCEDIT SIGHELMUS. *an 879. n. 5. PRINCEPS LEGATIONIS. *Huntind. fol. 350. Baron. hic n. 3.*

III. IN INDIAM MITTITUR CUM MUNERIBUS.

Sighelmus Episcopus, oratoris personam feliciter gessit, Indiam penetravit; & rediens in Angliam, tam Romanæ, quàm Indicæ profectionis argumenta dedit satis illustria. Nam Pontifex, non solùm Anglis Romæ degentibus immunitatem fecit; sed per eum Alfredo Regi misit munera, quæ à Pontificiâ manu cum dignitate descendere, & à Regiâ pietate religiosè suscipi, debuerunt. de quibus, & totâ Alfredi legatione, ita scibit Malmesburiensis. *Eleemosynis Rex intentus*, inquit, *privilegia Ecclesiarum, sicut pater statuerat, roboravit. Et trans mare Romam, & ad Sanctum Thomam in Indiam, multa munera misit. Legatus ad hoc missus Sighelmus Schirburnensis Episcopus, cum magnâ prosperitate (quam quivis hoc sæculo miretur) Indiam penetravit. Indéq; rediens; exoticos splendores gemmarum, & liquores aromatum, quorum illa humus ferax est, reportavit. Præterea munus omni auro obrizo pretiosius, partem Dominici ligni, à Papâ Marino Regi missam.* Hanc partem Dominici ligni, *portionem non modicam*

Malmesb. de Reg. l. 2 c. 4.

MARINUS ALFREDO S. CRUCIS PORTIONEM MISIT.

vocat Westmonasteriensis: Marinus, inquiens, *Regi præfato donaria transmittens plurima, dedit ei inter cætera portionem non modicam Crucis salutiferæ, in quâ Dei Filius pro salute mundi pependit.* Hoc munus, cùm Alfredus religiosè excepisset; donavit illud Glastoniensi monasterio; ut nobilissimum donum, nobilissimo in loco coleretur. de eo hæc habent illius cœnobii Antiquitates. *Rex Aluredus contulit monasterio Glastoniæ, partem ligni Crucis Dominicæ, quod ei Martinus Papa antea dederat.* Quod ait suprà Malmesburiensis, Alfredum eleemosynis intentum, Ecclesiarum privilegia roboravisse: Intelligit inter alia, Ellanduni monasterium, in Wiltoniensi agro, quod ab ipso anno superiori erectum, habet Catalogus sacrarum ædium, ab Henrico VIII. destructarum. fuerunt & alia Alfredi pietatis monumenta, quæ frequentes turbæ, rerúmque mutationes obliterarunt: aliqua tamen, suis, ut potero locis, adnotabo.

Antiq. Glast. in Alfredo.

ELLANDUNI MONASTERIUM, UBI NUNC WILTON.

IV.

ALFREDUS STUDIA PROMOVET.

Nec minor Alfredi cura, viva Deo templa parandi; quò Ecclesiarum, Fideique splendor, non unius sæculi, sed æternus esset. Jacebant pudendè literarum studia, quæ homines ad humanitatem formare consueverant. Alfredus, cujus amor in literas cum annis creverat; & suopte ingenio, & Neoti Abbatis consilio, de remedio sollicitè cogitavit: nec facilius compendium occurrebat, quàm erudiendæ juventuti operam impendere. Ita enim cum ætate humaniores mores crescere: & illis poliri ad omnem virtutem ingenia possunt. Nam surculum non difficulter flexeris; cùm annosam quercum faciliùs fregeris: adeò mens nostra, ab insitâ connatâque vi rapitur. quæ si benè semel impressa; facilè colitur, & profert fructum, utrique Reipublicæ salutarem. Cùm id Alfredus altè imbibisset; proximum fuit, quærendis, qui juventutem formarent magistris, animum adjicere. Quòd si domi non essent idonei; quovis pretio foris, extra regnum, & Provinciam suam, imò extra omnem Angliam, illos exquirere, constanter decrevit. Quod ad tempus spectat hujus Regiæ mentis consiliique; sunt qui putent, hoc tempore erectas Oxonii scholas, quæ postea fuerunt florentissimæ: imò prius ibi erectas ab Alfredo volunt, quàm Sighelmus in Urbem profectus, pro Anglorum scholæ immunitate oravisset: quàm suis etiam in Angliâ scholis concedi postulavit. Ita Antiquitates Glastonienses, ubi Neoti Abbatis Sanctitatem explicant. *Cujus famam*, inquiunt, *comperiens Rex Aluredus, Dei Servum sæpius adiit, suisq; nonnunquam utebatur consiliis, quem omnimodis Dei servum esse experiebatur, signorum indiciis. Consilio namq; Sancti Neoti Abbatis, scholas publicas variarum artium apud Oxonias, primus instituit. Romamq; Legatos misit, obsecrans Dominum Papam Marinum, ut Anglorum scholis eandem libertatem, quam Romæ habent, dignaretur concedere. Et quod à Sanctissimo Patre petiit, absq; ullâ cunctatione impetravit, & in multis privilegiari procuravit.*

QUID DE OXONIO?

Glast. Antiq. in Alfredo.

V.

Alii tamen simpliciùs rem narrant; & priùs Doctores in Angliam cum honore deducunt, quàm scholæ juventuti aperiantur. Cur enim pueros ad scholas sine magistro cogimus? Quamobrem hoc anno Rex mentem suam, non scholas Oxonii, aperuit; & sancto consilio usus, cum scholæ Anglorum in Urbe benè fecisset; idem domi facere, è re publicâ esse putavit. Juvit Regis consilium, Joannis in Angliam adventus, qui multæ literaturæ vir, Gallorum Regibus charus fuerat. De eo sic scribit Westmonasteriensis ad hunc annum. *Eodem anno (883.) venit in Angliam magister Ioannes, natione Scotus, vir perspicacis ingenii, & facundiæ singularis. Hic dudum, relictâ patriâ, ad partes Gallicanas transiens, Carolum Calvum adiit. atque in magnâ ab eo dignatione susceptus; individuus ei comes fuerat, & mensæ, & cubiculi.* Hæc ille. Cæterùm alii, non natione Scotum, sed Britannum faciunt, cognomento Erigenam. Ita Pitsius ejus patrem & parentes exponit. *Ioannes*, inquit, *Erigena, vel Eurigena, genere Britannus, patria Demeta, Vrbe Meneviâ, quæ & S. Davidis vocatur, genitore patricio natus. Hic perperam à quibusdam cognominatur Scotus.* &c. Verùm cum à Summo Pontifice, & Rege, Scotus appelletur; non ultra de patriâ contendam: præsertim cum ipse Joannes, se Scotum esse significaverit, illo solenni joco, quem in jocantem Regem ingeniosè refudit. Assederat mensæ, è regione Caroli Regis: & nescio quid inurbanè dixerat, aut fecerat Scotus; cùm Rex hilarior, quæsivit à Joanne; quantum Scotus à Soto distaret. mensâ tantùm, retulit ille. se Scotum, Regem Sotum, insinuans facetiâ è vulgari idiomate petitâ. Maneat ergò Joannes iste, genere Scotus, qui diu satis in Galliâ mansit; & nunc renascentes in Angliâ literas foveat. An Hiberno-Scotus, an Britanno-Scotus, dicam * infrà.

Westm. hic.

JOANNES ERIGENA VENIT IN ANGLIAM.

Pits. æta. 9.

EJUS PATRIA.

* an. 886. n. 11.

VI.

EJUS FIDES EXCUTITUR.

Verùm priùsquam Anglos doceat; cujus ille Fidei sit explorandum est. Licet enim Joannes ab Alfredo Rege invitatus in Angliam venerit, ut aliqui dixerunt. Aliud tamen revera fuit, quod eum solum vertere, & omni Galliâ excedere coëgit. nimirum peregrinum hominis ingenium, Gallicani Doctores ferre non poterant: & quia charum imprimis Carolo, & admodum familiarem noverant: in ejus dicta scriptáque sedulò vigilaverant. nec fuit difficile, in magno ingenio, aliquid insaniæ invenire. Joannes in Galliâ multa scripserat, quæ vel malè concepta, vel malè intellecta, quæstiones de Fide accenderant: & facto rerum examine; inventa sunt revera minus habentia orthodoxæ Fidei. Tunc Galliarum Antistites surrexerunt in Joannem, & vexaverunt adeò; ut aliò secedere coactus sit. Sed quoniam factiosi hodie Joannem hunc ambitiosè suaviantes, ejus zizania collegerunt, non debeo cursim illis immorari. Nam illi quibus fæces placent, & excrementa, assertam putant doctrinam suam; si unus, vel alter, ante Calvinum deliravit. Nos libentes id concedimus; & dicimus, non solùm pro isto, sed pro omni tempore. *Oportet hæreses esse: ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Nam eo modo, & Fides orthodoxa, à Fide paradoxâ, magno & constanti omnium sæculorum argumento distinguitur. Sed quid Joannes, contra hujus sæculi sensum scripsit? aut in quo peccavit, ut factiosi eum ad suas partes traxerint. Ejus sanè scripta Malmesburiensis noster sine nota sic recensuit. *Hoc tempore*, inquit, *creditur fuisse Ioannes Scottus, vir perspicacis ingenii, & multæ facundiæ, qui dudum concrepantibus undiq; bellorum fragoribus, in Franciam ad Carolum Calvum transierat: cujus rogatu, Hierarchiam Dionysii Areopagitæ, in latinum de græco, verbum è verbo transtulit. Composuit etiam librum, quem περὶ φύσεων*

1. Corinth. 12. v. 19.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

μερισμῶ.

περὶ φύσεως μερισμοῦ. id est, de Naturæ divisione, intitulavit: propter perplexitatem necessariarum quæstionum solvendam, bene utilem. Si tamen ignoscatur ei in aliquibus, in quibus à Latinorum tramite deviavit, dum in græcos acriter oculos intendit. Succedentibus annis venit in Angliam, munificentia Alfredi Regis, &c. Hæc ille.

VII. EIUS LIBRI CENSENTUR. *Baron. an. 878. 62.* A GALLIS,

Verùm quod spectat ad libros illos; acriori censurâ, Galli eos exceperunt: & in utroque nævos invenere. Unde Baronius aliquando è nostris authoribus hæc collegit: *Joannes, natione Scotus, è Galliis, ubi manebat apud Carolum Regem (agitatus magnopere à Gallis, præsertim verò à Floro sub errores quosdam assertos ab ipso, in libro quem scripsit de Naturæ divisione) in Angliam ad Alfredum Regem se contulit.* Inventum etiam aliquid in Dionysii versione, quod latinæ Ecclesiæ puritatem offendit:

ET NICOLAO PAPA *apud Hoveden. hoc. fol. 419.*

Unde Nicolaus, qui in Rom. Sede pro universâ Ecclesiâ vigilabat, ita scripserat ad Carolum Regem: *Relatum est Apostolatui nostro: quòd opus Beati Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, vel cælestibus ordinibus græco descripsit eloquio; quidam Vir, Ioannes, Scotus genere, nuper in latinum transtulerit. Quod juxta morem nobis mitti, & nostro judicio debuit approbari. præsertim cum idem Ioannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur; olim non sanè sapere, in quibusdam, frequenti rumore dicatur.* Ita refert Nicolai literas, Rogerus Hovedenus, qui mox subdit: *Propter hanc ergo infamiam, tæduit eum Francia, venitque ad Regem Elfredum, cujus munificentia illectus, & magisterio ejus; ut ex scriptis, Regis intelligitur; Melduni resedit.* Melduni nomine Malmesburiensis monasterium intelligit, ut è Gulielmo illius cœnobii bibliothecario infra ostendam. Interim falluntur illi qui Joannem hunc, Adelingiæ cœnobio præfectum scripserunt. Nam ille vix uno alteróve anno superstes; cur ab Abbatis officio, ad docendos Melduni pueros, descenderet? Sed quicquid sit, peregrini hominis ingenium, nullum à Gallicanis doctoribus applausum habuit: qui dum errores aliquos, aut vocum novitates justè persequuntur; iras fortè nimiùm acuerunt; & acriori interdum, quàm par est, impetu, doctissimi viri sententias, vexaverunt.

VIII. QUÆ GALLI CENSUERINT? *M. Bibliotheca 10.9 p. 2. fol. 1009.*

Prostat in Magna Bibliotheca Sanctorum Patrum, Censura Lugdunensis Ecclesiæ adversus Joannem Scotum: cum hac Epigraphe: *Ecclesiæ Lugdunensis liber, adversus opinionem Ioannis Erigenæ, cognomento Scoti, scriptus circa annum Christi 850.* & mox: *In nomine Domini nostri* JESU CHRISTI: *Incipit libellus adversus cujusdam vanissimi hominis, qui cognominatur Ioannes, ineptias, & errores; de Prædestinatione, & præscientiâ divinâ, & de verâ humani arbitrii libertate. Venerunt ad nos, id est ad Ecclesiam Lugdunensem cujusdam vaniloqui, & garruli hominis scripta: qui velut de præscientia, & prædestinatione divinâ; humanis, & ut ipse gloriatur philosophicis argumentationibus disputans; nullâ ratione redditâ, nullâ Scripturarum, sive Sanctorum Patrum authoritate prolatâ; velut tenenda & sequenda, solâ suâ præsumptione definire ausus est. Quæ à fidelibus, & in doctrinâ sacrâ versatis lectoribus; eò quòd sint vanissima, & contra Fidem ac veritatem Dei, plena mendaciis, & erroris, Deo opitulante, facillimè judicantur, & respuuntur; unò etiam contemptui & risui habentur. Sed quia à multis, ut audivimus, idem homo, quasi scholasticus & eruditus, admirationi habetur; & talia garriens, sive scribens alios ad hæsitationem deducit: alios quasi magnum aliquid dicat, erroris sui sequentes efficit, omnes tamen auditores, & admiratores suos, inani verbositate, & ventosâ loquacitate perniciosissimè occupet, ut non divinis scripturis, non authoritatibus patrum, se humiliter submittant; sed ejus potius deliramenta sequantur: necessarium omninò duximus, ut studio charitatis, & debito nostri loci, atque ordinis; ejus insolentiæ, authore Domino, responderemus. ut quicumque hæc, cum Dei timore, & cura salutis suæ fideliter legere voluerint, agnoscant veraciter quantum necesse sit in his maximè periculosissimis temporibus, & extremis, inhærere firmiter Scripturæ sanctæ immobili veritati, obedire humiliter Sanctorum Patrum fundatissimæ authoritati, claudere & obstruere auditum, indisciplinata, & vanissima verbositati.* Hæc & multò plura Lugdunensis Ecclesiæ liber.

IX. *an. 845 32. & an. 748 n. 3. 8.*

Memini me suprà. * Clementem, Sampsonem, & alios extra patriam vagantes Scotos, in Sanctorum Patrum authoritatem recalcitrantes, & Canonum Sanctitatem nihili facientes, notasse: sed illi à Germaniarum Apostolo Bonifacio, cujus intererat, ad Romanos Pontifices delati, plurium Synodorum suffragio redargui, & condemnati sunt. quia illorum sensa, nulla poterant tergiversatione celari. Lugdunensis Ecclesia, si idem observasset, Joannis errores magis patuissent, & Nicolaus non dixisset *juxta morem nostro judicio debuit approbari*, imò & reprobari si quid à Joanne peccatum. quod quia Summus Pontifex, & omnium controversiarum in Fide Judex, non absolutè pronuntiat; sed hominem vocet multæ scientiæ, & quicquid contra eum adfertur; frequenti solùm rumore dici significat: Adde, cùm Joannes, Gallorum & Anglorum Regibus, charus fuerit: hæc, inquam, omnia; si non suspectam, mitiorem tamen Lugdunensis Ecclesiæ censuram postulasse. præsertim, cùm vix aliquid, in toto accusationis syntagmate, reperiatur; quod non possit in orthodoxum sensum transferri. Unde qui notas in Lugdunensis Ecclesiæ librum composuit, Andræas Duvalius, Doctor Sorbonicus:

Notæ ad librum Lugduneñ. Ecclesiæ. f. 1098

Advertendum, inquit, *imprimis est, Ecclesiam Lugdunensem, disputatione suâ, præcipuè invehi in modum loquendi Ioannis Erigenæ, qui Pelagianis favere maximè videbatur; ita ut indoctiores quilibet, eò facile decipi, & in hæresim labi possent. Quod isto in lumine proponere, opera pretium duxi, ut videant nostri sæculi Novatores; quantum veteres non solùm dogmatum, sed etiam nominum ipsorum novitatem horruerint.* Ad hunc sensum intelligendus est Westmonasteriensis dum ait: *Unde & hæreticus à quibusdam putatus est (* Joannes *) scripsit enim contra eum Florus quidam (qualis ille fuerit ignoratur) qui & ejus scripta depravando damnavit. Sunt enim in prædicto libro perplurima, quæ nisi diligenter discutiantur, aliena à Fide Catholicâ judicantur.* Ita ille.

Westm. hic.

Scripsit etiam Prudentius, Trecensis Episcopus librum, *quo eruditè confutat libellum Origenianis, & Pelagianis erroribus refertum, quem Ioannes Scotus concinnaverat, ex Gothescalci Orbacensis monachi scriptis*, inquit G. Colvenerius, in notis ad Flodoard. lib. 3. cap. 21. sed quia Prudentius moritur anno octingentesimo sexagesimo quarto, ut idem author notat, vel hinc colligitur, ætatis vitium fuisse, quod Joannes senior retractavit.

X.

Usser. in Cha-longe f. [illegible]

Joannis liber de Corpore et Sanguine Christi.

Cæterùm [illegible] ol m jun or scrip erat [illegible] in [illegible] fectum, scrip [illegible] le [illegible] oque Joannes dicitur *librum, de Corpore & Sanguine Christi, Bertramum sequutus: & quamvis Lugdunensis* [illegible] *sia* [illegible] loquitur Usserius *quædam ejus scripta reprobaverit: opinionem tamen de Sacramento, usque ad Lanfranci Cantuariensis tempora nemo censuit. Lanfrancus autem, realem Christi præsentiam in Sacramento à primus docuit.* Ita ille, pro Calvino advocans Quæ si vèra sunt, frustra hactenus laboravimus, pro Romanâ Fide asserenda: frustra tot templa, tot Κυριακά, struximus; frustra ornavimus hactenus altaria auro argento, omnique sacrâ supellectile; si Lanfrancus primò docuit, Christum realiter in Sacramento adorandum. Lanfrancus Angliam intravit sub annum Domini 1070. & nemo ante in [illegible] Christo nato, ad illa tempora Angliam, docuit qu[o]d de veritate Corporis Christi Roma sentiret? Hinc fortè modernæ classis alter, paullò qui[d]em mitius, sed satis tamen insolenter scripsit: Lanfrancum primò Transsubstantiationis mysterium in Ins[u]lam invexisse. Hæc & his similia portentosa dicta, scriptaque factiosorum, excitar[e] deberent curiosas hominum mentes ut verso retrorsum contemplationis oculo, dispiciant paululum, qu[id] a majoribus creditum: quia alias, ut [illegible], sic & credentes, sibi somnia fingen[t]. & suæ mentis idola; quæ nupera solum ætas parturit olim parta, & culta fuisse mentiuntur. Hæc In[sula] a Petro Apostolorum Principe, & ejus suc[ce]ssoribus docta; hactenus Romanis Pontifi[ci]bus conjunctissima, per octo sæcula; vix alios habuit, quàm ex Urbe missos, magistros, Legatos, Apostolos. non aliunde quàm ex Urbe, ritus, sacra, doctrinam, dogmata, oracula quæsivit: & nemo hactenus docuit, quid in Sacramentorum maximo, in augustissimo Fidei mysterio, Roma tener[e]t. Imo Roma, quæ per omnia sæcula diligen[ti]ssi[m]è in [e]rrores & hæreses vigilavit: nunquam condemnavit Angliam, quod secus quàm deberet, credere[t].

Annfracus vocat Berengarii hæresim. Communi Fidei adversam, & contra usitatissimam Ecclesiæ fidem dicit denique cum sentire contra orbem terrarum. vid an. 1050. n. 23.

Novatorum somnia.

XI.

Refelluntur?

Prodeant ergo in medium Augustini, Bedæ, Alcuini, Odones, qui Lanfrancum præcesserunt. & qui longè certiùs veritatem Sacramenti, & Transsubstantiationis mysterium docuerunt. quàm negavit Joannes Scotus. Nec opus hic multis testibus. [Ips]am teste Humfredo, qui Jesuitismum scripsit, factiosus homo: *Augustinus*, inquit, *in Ecclesiam intulit ceremoniarum on[u]s, palli[um], purgatorium, preces pro defunctis, Transsubstantiationem.* Si Augustinus Transsubstantiationem docuit; sine dubio illam, & illum, Saxo admisit. & quoties Ecclesias à se structas Κυριακά vocaverunt (olim Kerick, nunc Church) toties Dominicum ibi corpus, verè, & realiter crediderunt. Sed nemo fortè Joannem Erigenam, in Insulâ condemnavit, ante Lanfrancum. Ille interim Alfredo Regi charus, dedocere potuit, quod docuit Augustinus. Nam docuisse in Angliâ, Rege jubente, dicitur. Respondeo, quicquid Joannes scripsit, de sacramento Corporis Christi; eo modo scripsit, quo alia dogmata, quæ censuit Lugdunensis Ecclesia. hoc est, in loquendi modo peccavit, & ansam lubricis nimis facilem dedit, errorem inde formandi: quod revera cavere doctor imprimis debuisset; & non tam arguté, quàm solidè loqui. Cum ergo Joannes in Gallia docti nomen obtineret; & nescio quid de Prædestinatione, gratiâ, & libero arbitrio,

Humfred. Iesuitis par. 2. fol. 626.

li[tigasse]t; illet ibi; ubi Massiliensium error recens erat: [inf]ecta [fuera]t Lugdunensis Ecclesia, nè sopitam hæresim per[e]grini hominis dialectus excitaret, ideoque excanduit. Trajecit postea Joannes in Angliam, qu[e]m nulla adhuc Synodus, nullus Romanus P[onti]fex, condemnarat: illum Alfredus, [li]teratorum hominum cultor, benignè excepit; [e]rudiendis [in m]onasteriis pueris, præfecit, & sequenti anno moritur. (de cujus morte, & causâ mortis, ibi.) Cur is, qui nihil in Angliâ scripsit, nihil etiam dixit, fidei contrarium; ab Anglorum Episcopis novus advena damnaretur; præsertim cum nullum esset erroris periculum: nulli nunc (ut nunc plurimi) qui Scripturas suo sensu, sed Ecclesiæ & sæculorum authoritate, metirentur. Postea verò, cum Berengarius in Italiâ, novum, & insolens dogma cudisset. tunc penitiùs in doctiorum hominum scripta descensum: & placuit, non solum apertam, testatamque hæresim; sed quicquid errori illi præludere poterat, condemnare. Inter ea, Erigena aliquid scripserat, tam dissonum Fidei, quàm errori consonum: Tunc autem Lanfrancus noster, in Vercellensi Concilio (ut olim Wilfridus in Romano) Occidentis Fidem exposuit: & Joannis Scoti librum, de Eucharistia, quem Berengarius commendaverat, condemnavit; meritò postea ad Cantuariensem Sedem assumptus.

Cur Joannes non hoc tempore, sed post a condemnatus?

v. 28. 1050. n. 4.

XII.

Protulit Berengarius, in sui erroris patrocinium, quicquid uspiam reperire poterat, scriptum, di[ct]umque ab aliis. Si Anglicana Ecclesia à primo ortu, si prior omnis Britannia, à natâ primùm Fide, cum Berengario fuit. Cur id non ursit Berengarius? Si Scotum unum nominavit, & eo se tutum fore putavit; multò constantiùs in Lanfrancum disputasset; si misso Scoto, omnium Episcoporum Angliæ & Scotiæ, & omnium sæculorum authoritate pugnasset. Sed puduit eum, in tantâ veritatis luce, mentiri. tenebras potiùs elegit, ubi hæresim absconderet. duriorem ergo frontem induerunt Novatores nostri, qui Berengarium & ductores suos supergressi; plura scilicet, quam illi, invenerunt erroris argumenta; & doctiùs, hoc est, impudentiùs, pro illo disputant. Ego contra, è Berengarii, & Scoti condemnatione, colligo; Anglorum Fidem non aliam fuisse, quam universi orbis. Enimvero, si omnis Insula male credidisset, oscitantes valde fuerunt, in Synodo Vercellensi, Patres; quod missis amplissimarum provinciarum & regnorum Episcopis, qui Berengarii doctrinam sequebantur; Scotum unum, in Angliâ, paucorum ibi mensium hospitem, censuissent. Sed revera non ipse. sed liber tantum ejus, à Synodo damnatus est: opinor, ob verba quæ facilè torqueri poterant; & verò ea torserat Berengarius in sensum paradoxum. Porro, quod ad Scoti Fidem, sensumque pertinet; eum in Fide majorum, hoc est, orthodoxa mortuum infra ostendam. Sed nec Magdeburgici, qui avidè solent sæculorum feces colligere; quicquam in Joanne invenerunt factionis suæ. Sed hæc tantum de eo: *Joannes Erigena*, inquiunt, *natione Britannus; licet à plerisque Scriptoribus appelletur Scotus; in Meneviâ urbe Demetarum natus, Athenas usque profectus, & Græcas, Chaldaicas, Arabicasque literas didicit: atque omnia philosophorum loca & studia, ipsumque oraculum solis, quod Æsculapius olim construxerat, invisit. Inde in Italiam & Galliam reversus,*

Cent. 9. fol. 596.

Carolo

Carolo Calvo, & postea Ludovico Balbo acceptus fuit, ac Dionysii libros de Hierarchia latinos fecit, anno Domini 858. profectus illico in Britanniam, in Geneuensi monasterio monachum induit. Alfredus Rex inde eum evocat, & sibi ac suis liberis praeceptorem, & aliquanto post professorem, in Academia Oxoniensi constituit. Fuit vir perspicacis ingenii ac facundus. Inde post recensita ejus opera, mortem consignant ad annum Domini 884.

XIII. An Joannas Athenas iverit?

Hic multa, quæ effutiunt Magdeburgici, limâ egent; ut illud de Joannis profectione Athenas, quas Balæus, & similes Apostatæ, à Romanâ Fide alieni, libenter suaviantur, cur enim eò iret, nisi ob literarum studium, quæ ibi docebantur? & tunc cur non potuit monstrum illud, Joanna Papissa, ibi docta, inde orbi imponere mentiri sexum, & Romanam Sedem Græca fide mercari? Respondeo: dudum Athenæ scholas clauserant. & tepuerat admodum literarum studium, in Oriente illo: quemadmodum de Occidente nostro suprà diximus. & sicut hic consignare possumus tempus, & annum, quo rursus Musæ florere cœperunt, sic in Græciâ consignare possumus, novos ibi literarum natales, & urbes ubi renatæ. Cum Michael, tertius eo nomine Imperator, in Oriente regnaret; misera suis Ecclesiarum facies, Principis ignaviam indicabat. Itaque ab anno octingentesimo quadragesimo secundo, quo ipse primùm Imperii summa potitur; & inde per annos plures, ad Bardæ Cæsaris tempora, summum in scholis omnibus silentium fuit; nihil in Athenarum Musæo tradebatur; imò vix ullus qui doceret repertus est. Nam Imperatore, ludrica sectante, pauci de seriis cogitabant. Tunc Bardas, qui Remp. pro Imperatore moderabatur; & nitebatur ipse ad imperii fastigium, Constantinopoli jussit scholas aperiri, quas præteriti temporis socordia, ubique clauserat. testatur id Joannes Curopalates, de Michaelis Imperio ita scribens: *Solus Bardas omnia moderabatur, & crebrò ab imperatore honores consequebatur; perveniq; ad Cæsaris quoq; honorem & gloriam, Michaële nihil de rebus publicis curante, quam theatra & certamina equorum: &, quod deterrimum est, non cupiebat solum esse spectator: sed etiam ipse aurigare, omnibus ludibrio, & risui esse; & ille in his versabatur. Bardas autem omnia ad Remp. spectantia obibat, & de imperio cogitabat, quomodo ipsum opportuno tempore sibi ascisceret. Externæ quoq; sapientiæ rationem habuit, quæ jam pridem effluxerat, & ad nihil prorsus reciderat Principum rusticitate, ac ruditate: definitis unicuiq; doctrinæ scholis, aliis quidem ubicumque contigerat; superna verò philosophia in ipsa Regia in Magnaurâ. atque ita ex eo tempore doctrina reflorescere cœperunt.* Recitat hæc Baronius, ad annum Christi 859. & benè inde deducit; magnam tunc fuisse penuriam literatorum hominum: *ut planè,* inquit, *compertissimum sit, nullum eo tempore extitisse vestigium Athenarum scholarum: in quibus fabulantur indocti, imaginariam fœminam illam Ioannam philosophiam didicisse.* & idem de Joanne dicendum. nisi fortè, ut solis oraculum, quod Æsculapius posuerat; ita Athenas consuluerit. Quod profectus in Britanniam in Geneuensi monasterio monachum induerit, inventum est Magdeburgense. Nam monachus fuit priusquam Regibus innotesceret: imò ob habitum vestemque monasticam, Regibus charus.

apud Baron. an. 859. n. 52.

Apud Græcos nulla studia.

XIV. Joannes fuit Monachus priusquam in Angliam veniret. Asser. fol. 14.

Quod Joannes monachus fuerit, priusquam in Angliam c[illegible] trajiceret; Asserus planè significat, cum Alfre[illegible] studium in studiis promovendis explicans, ait. *Legatos ultra mare ad Galliam, Magistros acquirere direxit: indeq; advocavit Grimbaldum, Sacerdotem & monachum, &c. Ioannem quoque æque Presbyterum ac monachum, acerrimi ingenii virum, & in omnibus disciplinis literatoriæ artis eruditissimum, & in multis aliis artibus artificiosum: quorum doctrinâ, Regis ingenium multum dilatatum est: & eos magna potestate ditavit & honoravit.* Hæc ille. Verum de Grimbaldo plura ad eum annum, quo in Angliam venisse creditur. Nec enim Alfredus, quantumvis fortè uno eodémque anno plures quæsiverit, erudiendæ juventuti magistros; uno eodemque anno omnes accepit. Unde, licet passim authores eos componant: melius tamen ita puto distinguendos. Joannes, vel genere, vel cognomento, Scotus, hoc anno venit, ut supra Westmonasteriensis. Sequenti anno venit Asserus, quem hactenus citavi scriptorem rerum ab Alfredo gestarum, & de quo plura inferiùs. Denique anno 885. Grimbaldus, scriptis ab Alfredo literis, & omnium bonorum votis invitatus venit. His tribus sua munia ita distributa, ut Erigena in monasterio pueros doceret: Grimbaldus publicè, & diviniores literas exponeret: Asserus denique in aula Regis, animum ad studia accensum, suâ eruditione componeret. Ita publicis omnium, & privatis singulorum affectibus, literæ servierunt. quod revera Alfredo Rege dignum fuit. Et idem, ante paucos annos, Gallorum Regibus suggestum, à Tullensi Synodo: in quâ sancitum est. *Ut scholæ sanctarum Scripturarum, & humanæ quoque literaturæ:* * *unde annis præcedentibus, per religiosorum Impp. studium, magna illuminatio Ecclesiæ, & eruditionis utilitas processit: deprecandi sunt pii Principes nostri, & omnes fratres, & Coëpiscopi nostri instantissimè commonendi; ut ubicumq; Omnipotens Deus, idoneos ad docendum, id est, fideliter & veraciter intelligentes, donare dignatur; constituantur ubiq; scholæ publicæ, & utriusque eruditionis; & divinæ scilicet & humanæ, in Ecclesiâ Dei fructus valeat accrescere. Quia quod nimis dolendum est, & perniciosum maximè, divinæ Scripturæ verax & fidelis intelligentia, jam ita delabitur; ut vix jam ejus extrema vestigia reperiantur. Et idcirco ingenti curâ, & summo studio, remedium procurandum est.*

apud Baron. an. 859. n. 52.

* videtur verbum deesse.

Scripturæ sensus indagandus.

XV. Ideo erectæ Scholæ.

Vides Lector Gallicanæ Ecclesiæ studium, in vero Scripturæ sensu indagando, explorando, servandóque; & unicum remedium, scholarum inventum fuisse. Enimverò, ut legibus omnis Resp. gubernatur, suumque finem, hoc est, benè, beatéque vivere sortitur: ita sanctior Ecclesia, sano Scripturarum intellectu, hoc est, non errante Spiritus Sancti oraculo, mortalium mentes dirigit, in viam salutis æternæ. à qua facilè devias, si incerta sequeris, & Spiritus Sancti sensum tuo sensu metiris. Ideò cautum, ut sicut in humanis legibus, non reo, sed Judici, permittitur legum interpretatio: ita æternæ legis sensus, *ingenti curâ, & summo studio* (ut supra Canon) eruendus; non plebis, & illiteratorum hominum arbitrio; sed constanti Doctorum, & sæculorum omnium consensu. Hinc studiorum & literarum necessitas: hinc orthodoxorum Principum pietas, in acuendis civium ingeniis, ad scientiam; quâ utraque

Respubl. illustrissimè componitur. Contra enim tristissimâ experientiâ cernimus, ubi jacent studia, & scripturæ sensus ad vulgi sensum projicitur; nasci infinitas hæreseq; , schismata, factiones, dum quisque salutis viam, Fidem, Ecclesiam, ad genium suum, & indoctæ, hoc est, insanæ mentis impetum format. Nam illud, gradus est, ad lædendam primò divinam, postea omnem aliam Majestatem. Vidit hoc Alfredus; & tum demum se regnare putavit; cùm in utraque Rep. leges, & utriusque juris scientia, florerent. Viderunt id etiam Tullenses Patres, cum suprà dixerunt: *Annis præcedentibus, per religiosorum Impp. studium, magna illuminatio Ecclesiæ, & eruditionis utilitas processit.* Magnum Carolum intellexerunt, qui Alcuinum è Britanniâ nostrâ ideò in Galliam vocavit, ut modò cogitur Alfredus è Galliâ, aliquos revocare.

ANNUS CHRISTI 884.

HADRIANI III. PAPÆ 1.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 14.

I. DANI IN CANTIO PUGNANT ET SUGANTUR.

DEBEO Alfredum Regem è scholis paululùm, ad Danos iterum revocare. Nam illi è Galliâ in Britanniam navigantes, & Cantium ingressi anno Christi octingentesimo octogesimo quarto, Roffam urbem, quæ ad Orientalem ripam Medwegi fluminis jacet, obsidione cingunt; cinctam, erecto ad oppugnandum castello, metu & excursionibus vexant cives. Hi tamen doctiores jam ad pugnam, & Alfredo Rege, ut sperabant, tuti; sustinere obsidionem, suos intra urbem continere, venientibus contra barbaris, generosè se opponere decreverunt. Donec Alfredus de hostium adventu certior factus, cum magnis copiis in Cantium descendit. Tunc enim Pagani, *relictâ arce suâ*, inquit Asserus, *& omnibus equis, quos è Franciâ secum adduxerant, derelictis; maximâ parte, necnon captivorum suorum in arce demissâ, advenienti subitò Rege, ad naves suas confestim confugiunt. Et Saxones statim derelictos a paganis captivos, & equos diripiunt. Pagani itaq; magnâ necessitate compulsi, eadem æstate, iterum, Franciam adierunt.* (Asser. hic.)

II. ALFREDUS DANIS IRASCITUR.

Offensus hac Danorum irruptione Alfredus Rex, quòd nullâ fœderis reverentiâ, iterum prædas agere, ac Insulam turbare inciperent illi, qui pacem & amicitiam nuper jurejurando sanxissent, in Orientales Anglos, ubi furum reliquias castigaturus, movet. In eum finem, classem, quam in Cantio habebat armat veterano milite, jubetque in Danos pugnare, qui Orientem prædationibus vexaverant. *Cumq; ad ostium Sturæ fluminis advenissent* (ita Asserus) *confestim* * *sexdecim naves Paganorum paratæ ad bellum, obviaverunt illis: initoq; navali prælio, hinc inde acriter pugnantes: Pagani omnes occisi, & omnes naves cum omni pecuniâ eorum captæ sunt.* Verùm Christiani non diu fuerunt usi hac insigni victoriâ. Sed quia dividendis spoliis occupati, quasi somno inertiaque sepulti; turpiter ab aliis Danorum reliquiis, cæsi sunt. Nam ita idem Author prosequitur. *Cumque inde victrix Regia classis dormiret, Pagani, qui ad Orientalem Anglorum regionem habitabant, congregatis undecumque navibus eadem Regia classi, in ostio ejusdem fluminis, in mari obviaverunt: conserto; navali prælio, Pagani victoriam habuerunt.* Meminit hujus pugnæ, & locum designat Camdenus, ubi navium concursus fuit. Sic enim cum Nesse promontorium lustrat, in Trinobantibus: *Ab hoc promontorio*, inquit, *paulatim reflectitur litus, ad Stouri ostium, anno octingentesimo octogesimo quatro, navali bello, inter Anglos & Danos memorandum; ubi nunc Harewich tutissima statio.*

(Asser. hic. * Hovedenus 16. naves numerat, & etiam Huntindonius.)

CÆSI DANI MOX ANGLOS CÆDUNT. (Idem suprà.)

APUD HARWICH. (Camden. in Essex.)

III. MORITUR MARINUS PAPA.

Moritur hoc anno Marinus Papa, cùm in Petri Cathedrâ sedisset annum unum & dies viginti, *laudabiliter Apostolico munere perfunctus*, inquit Baronius; Soli Magdeburgici maculas in Sole invenerunt: sed quæ revera Marinum magis ornent. Cum enim Romanorum Pontificum, *Tyrannicum dominatum in Ecclesiasticos*, sugillassent; id probant scilicet, Marini exemplo, ita: *Martinus Papa*, inquiunt, *Regi Alurêdo magnam partem Sanctæ Crucis misit.* Unde tam validè evincitur Pontificum tyrannis in Ecclesiasticos, quàm eruitur ex eorum dogmatibus vera fides. Sed urgent adhuc fortiùs. *A scholis etiam tributa postulabant. nam Martinus Papa* (Marinum ubique intelligunt inaccurati & oscitantes homines) *scholas Saxonum, prece Alurêdi Regis, ab omnium tributo relaxavit.* Ita aranearum more, ex omni re venenum eliciunt, & nent inde telas, capiendis muscis, & hujusmodi animalculis, aptas. In quas ridiculum sit justis armis pugnare. Factiosis his hominibus adeò Roma displicet; ut nullo merito velint esse benevoli. Si munera a fidelibus accipit, ut passim à civibus accipiunt Principes; avaritia est, cupiditas est, & alia sexcenta. Si de suo filiis donat, ut solent patres; tyrannis est, & dominandi libido. Sed audio: Anglorum scholæ tributum imposuit, & ô durum Patrem! Respondeo: olim Saxonum & Anglorum Reges, scholam illam opulentam fecerant: & quorum haberet præ aliis civibus prærogativam? Esto tamen; peccaverit Roma servitutem exigendo: cur non laudatur Marinus illam solvendo? Imò verò ab Authoribus nostris, & optimo quoque laudatur, & solùm factionis displicet: quod revera ejus laudem & elogium auget. Successit in mortui Pontificis locum Hadrianus, eo nomine tertius. Qui quia sequenti anno moritur; ægrè admodum Oxoniensem scholam, ab Alfredo institutam, potuit confirmare: ut Alstedius in chronologiâ scholarum putavit. Licet putem, seriò Alfredum, hoc tempore, de erigendis scholis cogitasse.

(Cent. 9. fol. 326.)

(Cent. 9. fol. 327.)

HADRIANUS III. PAPA.

IV. JOANNES ERIGENA MORITUR. (* an. 883. n. — Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.)

Moritur etiam hoc anno, ut suprà * dixerunt Magdeburgici, Joannes Erigena, dum impolita Anglorum ingenia, humanioribus literis polire conatur, in Malmesburiensi cœnobio: de quo illius loci Monachus, hæc habet: *Joannes Scottus, munificentiâ Alfredi allectus, venit in Angliam, & apud monasterium nostrum, à pueris quos docebat, graphiis, ut fertur, perforatus etiam Martyr æstimatus est. Quod sub ambiguo sanctæ animæ non dixerim cum celebrem ejus memoriam, sepulchrum in sinistro latere altaris, & epitaphii prodant versus, scabri quidem, & moderni temporis limâ carentes, sed ab antiquo non adeò deformes.*

Clauditur hoc tumulo Sanctus Sophista Joannes
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo meruit, Sancti regnant per sæcula cuncti.

Cùm

Audit Sanctus. *Genebrard. in Liturg. S.Dionysii* *Duval. in Biblio. M. tom. 8. p. 2. fol. 1090.* *Baron. 883. n. 41.*

Cùm Sanctus olim, & Martyrio coronatus, audiat; nescio quid Genebrardo in mentem venerit, affirmare; pueros propter sacramentariorum errorem in eum sæviisse: meliùs certè censuit Duvalius in notis ad Ecclesiæ Lugdunensis librum: *Suspectum certè mihi est*, inquit, *Genebrardi additamentum, nullo authore & teste munitum.* Baronius cùm Joannis mortem retulisset; *Causam*, inquit, *cur ea passus sit, ut Martyr possit haberi, nullus prodit.* Licet enim Joannes aliquando, ob quædam, argutiùs, quàm solidiùs dicta, malè audierit: nunquam tamen notatus est, de Sacramento Altaris perperam scripsisse, donec Berengarius, post ducentos ferè annos, insolentem hæresim, ejus suffragio. stabilire conatus est. Quo non obstante, in supplemento Gallicani Martyrologii, inter Sanctos scribitur, ad 4. Idus Novemb.

V. Alfredus doctos ad se vocat. *Ingulf fol. 870.*

Interim Alfredus, qui se totum bono publico devoverat; doctores alios, qui se, curiam, provinciam denique, literis & scientiâ erudirent, impensè quæsivit. & Deo bono invenit domi aliquos, quos Ingulphus sic enumerat: *Athelstanum etiam & Wexulfum, ad se advocans de Mercia; qui ambo Sacerdotes erant devotissimi: Plegmundum etiam postea promotum in Archiepiscopum Cantuariæ, ac Askerum Abbatem Bangorensem, postea Schireburnensem Episcopum; illis in temporibus doctores celeberrimos suo lateri adjunxit. Quorum omnium contubernio aliquamdiu in palatio fruitus, & doctrinâ; usque ad profundam omnium liberalium artium scientiam, penetravit.* Qui hic, Askerus dicitur, Bangorensis Abbas; non alius est ab eo, quem hactenus Asserum vocavi: non illum Schireburnensem Episcopum, qui Sighelmum in eâ Sede præcessit; nam dudum ille mortuus, nihil Alfredum docuisse legitur. Sed alium, eo posteriorem, qui non ante hunc annum, ad Alfredum venisse, & Occidentalium Saxonum partes lustrasse, colligitur ex eis, quæ ipsemet, Alfredi gesta recensens, de suo ad eum accessu plenè & copiosè disseruit; & hæc inter cætera ad annum Christi 884.

VI. Asseri adventus in Saxoniam. *Asser fol. 14.*

His temporibus, inquit, *ego quoque à Rege advocatus, de Occiduis & ultimis Britanniæ finibus, ad Saxoniam adveni. Cumq; per multa terrarum spatia, illum adire proposueram; usque ad Regionem dextralium Saxonum, quæ Saxonice Suthseaxum appellatur, ductoribus ejusdem gentis comitantibus perveni: ibiq; illum in villâ Regiâ, quæ dicitur Dene, primitùs vidi. Cumq; ab eo benignè susceptus fuissem; inter cætera sententiarum nostrarum famina, me obnixè rogabat; ut devoverem me suo servitio, & familiaris ei essem: & omnia, quæ in Sinistrali, & Occidentali Sabrinæ parte habebam; pro eo relinquerem. Quod etiam majori mihi remuneratione reddere pollicebatur: quod & faceret. Respondi ego, me talia incautè, & temerariè promittere non posse. Injustum enim mihi videbatur, illa, tam sancta loca, in quibus nutritus, & doctus, & coronatus fueram, atque ad ultimum ordinatus, pro aliquo terreno honore, & potestate, derelinquere; nisi coactus & compulsus. Ad quod ille ait: Si nec tibi hoc suppetat subire; saltem dimidiam partem servitii tui mihi accommoda; ita ut per sex menses mecum fueris, & tantundem in Britanniâ. Ad quod ego taliter respondi. Nec hoc suaviter & temerariè, sine consilio meorum posse promittere. At verò, cùm illum meum servitium (sed nesciebam quare) desiderare cognoscerem: promisi me iterum ad eum, post sex menses, sospite vitâ, reversurum: cum tali responso, quod mihi & meis utile, ac sibi placabile esset. Cumq; sibi hoc responsum videretur probabile; dato revertendi pignore, statuto tempore: quarto die ab eo equitantes, ad patriam remeavimus. Sed cùm ab eo discesseramus; in Wintoniâ civitate, febris infesta me arripuit: in quâ sedule per duodecim menses, & una hebdomada; die noctuq;, sine aliquâ vitæ spe, laboravi.* Hactenus ille, de hujus anni re gesta: quid postea acciderit, dicam inferiùs.

VII. Quis hic Asserus?

Interim è prædictâ narratione colligam, quis hic Asserus, quem Alfredus Rex, tanto ambitu expetivit. unde venerit: cujus gradus, ac dignitatis fuerit: quorsum denique cum Rege adeò tergiversatus; ut non omnem, sed dimidiatam solùm operam promiserit. Ingulfus suprà * Askerum vocavit, & Bangorensem Abbatem dixit: sed utrumque opinor, minùs rectè. Nam certò certiùs, Asserus passim, vel Asserion à Malmesburiensi appellatur. Deinde, quod è Bangorensi monasterio non prodierit sequens Asseri narratio; ubi Sancti Davidis non semel meminit; argumentum est. Dico igitur, Menevensis cœnobii Monachum fuisse, inde à Rege evocatum; eò denique reversum. Hoc satis indicant illa verba, ubi *de Occiduis, & ultimis Britanniæ finibus*, se in Saxoniam venisse significat. Item illa: *injustum videbatur, illa tam sancta loca, in quibus nutritus*, &c. *derelinquere.* Nam Sancti Davidis memoria, Britannis in summâ semper veneratione fuit: & ad sacras ejus reliquias, peregrè undique concursum; adeò ut post limina Sanctorum Principum Apostolorum, quæ in Vaticano coluntur; nullus in Europâ sanctior locus Britannis videretur. Unde impetrata ex Urbe privilegia, & concessa, ut æqualis ferè meriti, Menevensis peregrinatio ad Sancti Davidis, cum Romanâ peregrinatione haberetur: quæ ad hæc tempora durasse, è supradictis verbis arguitur. Unde qui bis religionis causa Meneviam visitavit, semel Romana Apostolorum limina visitasse, piè credebatur. Hinc versus antiqui.

** hic n. 5.*

Meneviam si bis, & Romam si semel ibis.
Merces æqua tibi, redditur hic & ibi.

Vide plura ad an. 590. n. 9.

VIII. An fuerit Menevensis Archiepiscopus. *Usser. in Ind. 906. & in prim. fol. 98.*

Cùm itaque Bangorense monasterium in Ordovicibus sit: hoc est, in borealibus Britanniæ partibus: illi rectiùs scripserunt, qui Asserum, patria Demetam, & Meneviæ natum dixerunt. Cæterùm quòd Abbas ibi fuerit, non reperio. Unus Usserus, Menevensem Archiepiscopum fuisse opinatur: & probat è Caradoco Lancarvanensi, qui dicit: *Obiit Asser Cambriæ Archiepiscopus, anno 909.* Verùm cum idem Usserus, in Indice Chronologico dicat Asserum Archiepiscopum mortuum esse, anno 906. nesçio cui standum sit: & constantior est Asseri supradicta narratio, & excusatio; cur loca sancta, suis inconsultis, relinquere non possit. cùm enim se ibi *nutritum, doctum, coronatum*, hoc est tonsuratum, *& ordinatum*, hoc est, sacerdotio initiatum dicat; longè meliori compendio, excusationem absolvisset; si Archiepiscopi munus, hoc est, totius Britanniæ procurationem allegasset. Quod cum ille tacuerit; aut illud non fuisse, aut ipsum frigidè orasse, dicendum est. Alii ergò, & plures, Malmesburiensem secuti, factum postea ab Alfredo Schirburnensem Episcopum putaverunt: quod suprà * rejeci; & è dicendis infrà, cùm Asserus Alfredi in se munificentiam numerabit,

** an. 870. n. 5. 6. 7.*

clariùs

clariùs patebit. Restat Asseri argumentum ab utili; quo omnem in Britanniâ moram excusavit, *quod mihi*, inquit, *& meis utile.* volebat nimirùm, ita in Britanniâ manere: ut patriæ quoque simul prodesset: quod sanè præstitit illustrissimè. Cùm enim hoc tempore, Britannorum res turbatissimæ essent; quà Dano, quà Saxone, illos prementibus; etiam inter se Britanni, Laici cum Ecclesiasticis, Principes cum civibus, concurrebant. Sed factum brevi, Asseri industriâ, ut omnes Britanniæ Proceres, Alfredum Regem agnoscerent; & illius prudentissimi Principis, vel starent, vel caderent arbitrio.

IX. UT BRITANNIÆ PROFUERIT ASSERI MORA APUD SAXONES. *Asser. fol. 14. fin.*

Expressit hoc Asserus, cum recuperatâ valetudine, ad suos reversus Alfredi curiam frequentare permissus est, eâ lege, ut patriæ pacem, Hemeidi Demetarum Principis impietate turbatam, ipse apud Alfredum Regem, componeret: & Britannorum proceres, inter se dissidentes, uniret. *Discedente infirmitate*, inquit, *ex consilio & licentia nostrorum omnium, pro utilitate illius loci sancti, & omnium in eo habitantium; Regi, ut promiseram, ejus servitio, me devovi; ea conditione, ut per sex menses omni anno, cum eo commanerem: aut si simul possem sex menses protelare, aut etiam per vices; ut tribus mensibus in Britanniâ, & tribus mensibus in Saxonia, commanerem. & illa adjuvaretur per rudimenta sancti Degui* (ita Davidem vocant Britanni) *in omni causa: tamen pro viribus. Sperabant enim nostri, minores tribulationes & injurias, ex parte Hemeid Regis sustinere: qui sæpe deprædabatur illud monasterium, & parochiam sancti Degui aliquando expulsione illorum Antistitum, qui in eo præessent: sicut ex nobis Archiepiscopum propinquum meum, & me expulit aliquando sub ipsis: si ego ad notitiam & amicitiam illius Regis, qualicumque pacto pervenirem.* Cum hæc Asserus dixisset, pergit narrare Britannicæ Reip. statum, & Principum nomina; qui se, suaque, Alfredo Regi submiserunt. Illa licet barbarum sonent, curiosus tamen Lector, & Antiquitatem amans; quæ difficilia, pulchra existimabit, & levabit tædium, Britannicæ Reip. faciem intuendo.

X. BRITANNIÆ STATUS. *Asser. fol. 15.*

Illo enim tempore, narrat Asserus, *& multo ante, omnes Regiones dextralis Britanniæ partis, ad Ælfred Regem pertinebant, & adhuc pertinent. Hemeid scilicet, cum omnibus habitatoribus Demeticæ regionis, & sex filiorum Rotri, vi compulsus, regali se subdiderat imperio. Hovil quoque filius Ris, Rex Gleguising, & Brochmail, atque Fernail filii Mouric, Reges Guent, vi & tyrannide Eadred Comitis, & Merciorum, compulsi, suapte eundem expetivere Regem; ut dominium, & defensionem ab eo, pro inimicis suis haberent. Helised quoque filius Teudyr, Rex Brechoniæ, eorundem filiorum Rotri, vi coactus; dominium Regis præfati suapte requisivit. Anaraut quoque filius Rotri, cum suis fratribus, ad postremum amicitiam Northan-hymbrorum deserens: de quâ nullum bonum, nisi damnum habuerat; amicitiam Regis studiosè requirens, ad præsentiam illius advenit. Cumque à Rege honorificè receptus esset; & ad manum Episcopi in filium confirmationis acceptus, maximisque donis ditatus; Regis dominio, cum omnibus suis, eadem conditione subdidit; ut in omnibus Regiæ voluntati sic obediens esset, sicut Æthered cum Mercis. Nec in vanum illi omnes Regis amicitiam acquisiverunt. Nam qui desideraverunt potestatem terrenam augere, invenerunt: qui pecuniam, pecuniam: qui familiaritatem, familiaritatem. qui utramque, utramque. Omnes autem habuerunt amorem, & tutelam, ac defensionem, ab omni parte, quâ Rex seipsum, cum omnibus defendere potuit.* Hæc ille, de statu Britannorum hujus temporis, vel certè dextralis Britanniæ partis, ut ipse appellat: nam illi passim ita Insulam, & Provincias suas distinguebant: non per Orientem, aut Occidentem, Septentrionem, aut Meridiem, ut Saxones; sed quasi ad Orientem versi, quicquid ad Austrum erat, dextralem; quod contra Septentrionem spectabat, sinistralem Britanniam vocaverunt, quâ dialecto Biographi frequenter utuntur.

ANNUS CHRISTI 885.

STEPHANI VI. PAPÆ 1.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 15.

I. HADRIANUS PAPA MORITUR. STEPHANUS VI. SUCCEDIT.

ANNO Christi octingentesimo octogesimo quinto, Hadrianus Papa, cùm quindecim menses Pontificatum gessisset, moritur septimo Idus Maii. In cujus locum, successit Stephanus, quem aliqui quintum, alii sextum vocant. Hic miro populi, & Episcoporum consensu, prima Sede dignissimus habitus, ad illud honoris fastigium trahi potiùs, quàm duci voluit: & quoniam ad eum trahendum omnes, quæ in Urbe scholæ erant, conspirarunt; Anglos etiam opem, operámque contulisse, par est credere. Hæc enim de Stephani electione habet Anastasius Bibliothecarius. *Omnes unanimes*, inquit, *venerunt ad domum; ubi cum patre, ipse almificus Stephanus sancta meditabatur colloquia: & fractis foribus, tenetur, ac ducitur electus Dei Pontifex, ad titulum Sanctorum quatuor coronatorum, sibi creditum; reluctatus plurimùm simul cum Patre, reclamantibus utrisque, & indignos se tanto honore profitentibus. Ubi & omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ SCHOLÆ, gaudentes conjunctè eundem Venerabilem electum trahentes, ad Lateranense, Christo præduce, perduxere Palatium, cum omni honore & reverentiâ.* Hæc ille. Unde nihil mirum, si Alfredus Rex, eundem Stephanum, decretâ legatione, missisque muneribus, Principem salutavit, ut infrà.

apud Baron. hoc. n. 8.

II. GRIMBALDUS IN ANGLIAM INVITATUR. *Ingul. f. 870.*

Venit hoc anno in Angliam, quem magnis votis, scriptisque literis Alfredus petierat, Grimbaldus, quem Authores nostri, à virtute, literis, & Sanctitate commendant. Ingulphus de illo ita loquitur: Alfredus *Sanctum Grimbaldum artis musicæ peritissimum, & in divinis Scripturis eruditissimum, evocatum è Francia; suo novo monasterio, quod Wintoniæ construxerat, præfecit in Abbatem.* Alii etiam Authores, vel è Gallia, vel è Francia, evocatum dixerunt: quod ita tamen intelligendum est, ut è Morinis, & illustrissimo S. Bertini cœnobio, ubi postea Sanctus Episcopus Audomarus, oppido nomen dedit, profectus sit. Ille Alfredum olim cùm pergeret, hospitio ibi exceperat: & ea dederat amoris & humanitatis argumenta, quæ altè Regio pectori insederant. Unde factum; ut Rex magno desiderio flagraret, ejus frui consuetudine; quem virum esse religiosum, doctum, suique amantem cognoverat. Addebat desiderio stimulum; quod cerneret Rex,

E S. AUDOMARI OPPIDO.

non posse meliùs literarum studiis consultum esse, quàm monasteriorum constructione, ubi juvenes à tenerâ ætate, literas cum virtute conjungerent. Igitur Wintoniæ cœnobium, de novo exstruere, & eum loco illi præficere cogitavit; qui monasticæ vitæ perfectionem, & humaniora studia, cum dignitate promoveret: nec aptior eo munere, Grumbaldo, qui diu in utrâque palæstrâ versatus, Anglorum mentes, morésque doctè formare poterat. Hæc omnia Wintoniensis cœnobii Annales referunt, ubi hæc habentur.

III. ALFREDI LAUS. *Annal. Winton. princ.*

Alfredus eleemosynarum dator largissimus, Missarum auditor devotissimus, ignotarum artium investigator studiosissimus, Sanctissimum Confessorem Grimbaldum Monachum, literaturâ & cantu peritum, de partibus Galliæ, cum presbytero, & Monacho Ioanne, acutissimi ingenii viro, & undecumq; doctissimo: & cum Assero venerabili, in arte literatoriâ eruditissimo; at etiam Ioanne Monacho de ultimis Walliæ finibus, scilicet de monasterio Sancti David Meneviæ, ad se vocavit: ut literis sui optimates instruerentur. Ita ibi. Verùm quod Joannem Meneviâ vocatum, ab Assero distinguat, pleonasmus est, ut patet è supradictis; ubi Asserus se vocatum dicit, *de Occiduis & ultimis Britanniæ finibus.* Sed pergunt Annales tempus consignare, aliáque referre, quæ Grimbaldi adventum præcesserunt; causáque fuerunt eum evocandi.

IV. CAUSÆ EVOCANDI GRIMBALDUM. *Ibi supra.*

Nam anno (inquiunt) *Dominicæ Incarnationis octingentesimo octogesimo quinto. Anno verò regni sui octavo* (sed legendum sine dubio decimo quinto) *Gloriosus Rex Alfredus, Danis miraculosè fugatis, vel in sua jura redactis; cum solus Anglegenis imperitavit, Monarcha factus: considerans quod per Ecclesiæ Sanctæ devastationem, Sacerdotum Christi interfectionem, Monachorum fugationem, Monialium violationem, talium q; ministrorum ab Ecclesiis suspensionem, paulatim Christianitas cecidit: & nec qui docerent, nec qui sacris mysteriis participarentur, existerent: venit in memoriam Christianissimi Principis, de Sancto Grimbaldo spiritualis amicitiæ sibi dudum fœdere copulato, qui degebat in monasterio Sancti Bertini: à quo cùm puer esset, & à patre ad Sanctissimum Papam mitteretur Leonem, ut in Regem Anglorum inungeretur, monita acceperat perpetuæ salvationis. Mitissimus enim Sancti Bertini Præpositus, Sanctus Grimbaldus; in eodem cœnobio, ad quod gratia hospitandi, cum suis Comitibus, filius Regis, semper Deo devotus Alfredus divertisset, puerum cum sociis, benignè suscepit; & obsequium charitatis ipsis impendendo, usque mane requiescere instanter deposcebat: solicitusq; de eorum hospitalitate, hortatus est benignissimè eos, de ipsorum animæ salute: & gaudia superna incorporaliter amare docuit: & ad Dei regnum, non solùm verbis, sed totis medullis cordis, firmiter tendere.*

V.

*Unde cum insignis puer, aliquantis diebus, in Sancti Bertini demoraretur cœnobio; quotidie ad tanti Doctoris pedes, sedere festinabat: ut more Mariæ, cœlestis doctrinæ audiret arcana, & non quasi ludens. Sic pia capit mente Deo in corde vovero; si Romæ repedare possit incolumis: & si facultatis afferret possibilitas, quandoq; Sanctum illum exaltaturum, & * in suo regno honorificè retenturum.* (* in suum regnum.) *Unde factum est, ut pro tantis discriminibus supra memoratis, dolore cordis exagitatus vehementer Rex benignissimus Alfredus, locutúsque cum Archiepiscopo Cantuariæ Ethelredo, nomen Sancti Grimbaldi, & meritum Sanctitatis venerando, innotuit Præsuli, dicens: quòd exhortationibus suis posset multos ad superna desideria inflammare, & cœlestis sapientiæ poculis inebriare. Tractantes ergò pariter Rex, & Pontifex, celeriùs transmittere, Deo adjuvante, ultra mare decreverunt, ut Sanctus Grimbaldus, operibus quibus erat idoneus, medelam salutis, si non * obsisteret tarditas fidei,* (* oblivisceretur.) *genti præberet Anglorum. Denique ultra mare mittuntur Legati, serenissimi atque clarissimi, de gente Anglorum viri, ad monasterium Sancti Bertini, nuntiantes Abbati prædicti cœnobii; quod illustrissimus Rex Alfredus, & sanctissimus Pontifex Ethelredus, multis postulationibus, & frequentissimis precibus, postulaverant, ut perfectissimum dirigeret eis Grimbaldum; ut secundum modum observationis Ecclesiasticæ, construeret monasterium in civitate Wintonia.* Hæc Annales; qui, quia adhuc inediti, amanuensium vitio nonnunquam peccant: ut etiam in sequentibus, quæ mox proferentur: & notabuntur in margine.

VII.

Non erat unius diei labor, virum tantum, è monasterii præpositurâ, in Angliam transferre; & patriam eâ luce privare. Itum ergò est ad Fulconem Rhemensem Antistitem, qui Hincmaro successerat (de quo suprà*) & penes quem, in monachos erat summa potestas: atque Regiis literis, nuntiis, & muneribus, idem ab eo postulatum. Accessit etiam Alfredi voto Ethelredus; qui preces literasque conjunxit: Quibus omnibus à Fulcone acceptis, remisit literas, quam supradicti Annales recitant, cum ista præmisissent. *Et ut suum desiderare sanctissimum, faciliùs impetrarent* (Alfredus Rex, & Ethelredus Episcopus) *præclarissimos nuntios, ad Fulconem Rhemensis Ecclesiæ, & totius Franciæ Archiepiscopum, transmiserunt. Quorum voto piissimo, Fulco Archiepiscopus satisfaciens; pro sancto Grimbaldo Epistolam Regi Christianissimo Alfredo, & Archiepiscopo Cantuariæ Ethelredo, remisit; continentem verba quæ sequuntur:*

* an. 878. 15. & 882. n. 5.

Incipit Epistola FULCONIS Rhemensis Archiepiscopi, ac Francorum Primatis, & Apostolicæ Sedis Legati nati; ad Christianissimum Regem Anglorum ALFREDUM.

VII. FULCONIS LITERÆ AD ALFREDUM REGEM.

*Gloriosissimo ac Christianissimo Regi Anglorum Alfredo, Folco, gratia Dei Rhemorum Archiepiscopus, ac servorum Dei famulus: & temporalis regni sceptra semper * victricia, & cœlestis imperii gaudia sempiterna.* (* nutricia.) *Patri luminum, & authori omnium bonorum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum; qui per gratiam Spiritus sancti, non solùm splendescere in corde vestro voluit lumen suæ cognitionis: verùm etiam accendere dignatus est ignem sui amoris: quo illustrati pariter & accensi, & regni vobis cælitus commissi strenuè administratis utilitatem, bellicis armis, cum divino adjutorio illius exquirendo, vel tuendo pacem, & Ecclesiastici ordinis, mentu religiosâ instanter desiderando, spiritualibus armis amplificare sublimitatem. Unde supernam clementiam indefessis precibus exoramus; ut ipse qui prævenit, & accendit in hoc cor * vestrum, efficiat vos compotem voti, replendo in bonis desiderium nostrum.* (* nostrum.) *Quatenus in diebus vestris, & pax regno, & genti vestræ multiplicetur: & Ecclesiasticus ordo, qui in multis, ut dicitis, sive frequenti irruptione, vel impugnatione paganorum, seu vetustate temporum, vel*

incuria Prælatorum, vel ignorantiâ subditorum, collapsus est, per vestram diligentiam, & industriam, quantociùs reparetur, nobilitetur, ac dilatetur. Et quoniam per nostrum adjutorium, id potissimum fieri desideratis; & à nostrâ Sede, cui Beatus Remigius, Francorum utiq; Apostolus præsidet, hinc consilium, & patrocinium quæritis; non sine divino instinctu hoc credimus actum: ut sicut olim gens Francorum, per eundem Beatum Remigium, liberari à multimodo errore, & unius veri Dei cultum meruit cognoscere: Sic gens Anglorum, ex Sede illius, & doctrinâ, talem deposcat suscipere, per quem superstitiosa cavere, superflua resecare, ac noxia quæq;, violatâ consuetudine, ac more barbarico pullulantia, noverit exstirpare: & per agrum dominicum ambulantes, discant flores legere, & anguem cavere.

VIII. *Augustinus etenim Sanctus, vestræ gentis primus Episcopus, à Beato Gregorio Apostolo vestro, vobis directus; nec omnia decreta Apostolicarum sanctionum potuit in brevi demonstrare: nec rudem, ac barbaram gentem voluit subito, novis, & incognitis legibus onerare. Noverat enim infirmitati illorum consulere, atque cum Apostolo dicere: Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Et quemadmodum Petrus & Iacobus, qui videbantur columnæ esse, cum Barnaba, & Paulo, cæterisq; senioribus congregatis; Ecclesiam primitivam de gentibus, ad Christi Fidem confluentem, noluerunt graviori jugo onerare, nisi ut præciperent eos abstinere ab immolatis, fornicatione, suffocato, & sanguine. Ita & primitùs in vobis gestum esse cognoscimus: quoniam & rudimenta barbaricæ feritatis, ad divinam cognitionem enutriendam, hoc solo indigebant, ut servi fideles, & prudentes, super familiam Domini constituti, conservis suis in tempore, hoc est, pro captu audientium*

*noverant. *mensuram tritici, benè erogare noverint.* At successu temporis, crescente religione Christianâ, sancta Ecclesia his contenta esse, nec voluit, nec debuit: sed*

*Magistratis *sumptâ formâ ab ipsis Apostolis, magistris* & fundatoribus suis, qui post Evangelicam doctrinam, ab ipso cœlesti magistro propagatam, atque diffusam; non superfluum & inutile, sed commodum & salubre duxerunt; suarum epistolarum crebris commonitionibus, fideles perfectiùs instituere, & in Fide verâ solidiùs confirmare: tramitemq; vivendi, & normam religionis eis abundantiùs contradere.*

IX. *Nihilominus & ipsa, sive adversis exercitata, sive prosperis enutrita; nunquam cessavit utilitatem filiorum, quos quotidie Christo parturit, exquirere: eorumq; profectum, sive privatim, sive publicè, igne Sancti Spiritus inflammata, augmentare. Hinc sunt concilia, non solùm ex vicinis civitatibus, vel provinciis: sed etiam ex transmarinis regionibus, toties contracta. Hinc synodalia decreta, sæpiùs edita: Hinc sacri Canones Sancto Spiritu conditi & consecrati: quibus & Fides Catholica maximè roboratur, & Ec-*

* illim *clesiasticæ pacis unitas* custoditur. Necnon ordo illorum honestè disponitur. quos equidem sicut transgredi, omni Christiano illicitum est: sic ignorare, maximè clericis, & Sacerdotibus, omninò nefarium est. Quorum salubris observatio, & religiosa, semperq; amplexanda traditio; quoniam propter causas superius memoratas, apud gentem vestram, aut non pleniter innotuit, aut ex maximâ jam parte refriguit; optimo consilio, &, ut credimus divinitus inspirato; vestra Dominationis, ac regali providentiâ, visum & placitum fuit; & nostram parvitatem super hoc consulere, & Beati Remigii Sedem expetere. Cujus meritis atque doctrinâ, eadem Sedes, vel Ecclesia, super omnes Ecclesias Galliarum, ex ejus temporibus, omni religione & doctrinâ semper floruit, & excelluit. Et quoniam talia à nobis quæsituri, noluistis, quasi immunes, &* manu vacuâ apparere; dignata est ve-* * manuacuâ
stra Regia Dominatio, maximo nos munere, & necessario multum tempori, & congruo satis rei, de quâ agitur, honorare. Super quâ re, & supernam providentiam admirantes, nimiùm laudavimus, & vestræ Regiæ munificentiæ gratias non modicas retulimus.

Misistis siquidem nobis, licet generosos & optimos; corporales atque mortales canes; ad abigendam rabiem visibilium luporum; quibus inter cætera flagella, justo Dei judicio nobis illata, plurimùm abundat patria nostra: quærentes à nobis, & ipsi canes non corporales; non tales videlicet, qualibus exprobrat Propheta, dicens: Canes muti, non valentes latrare: sed de qualibus dicit Psalmista: lingua canum tuorum, ex inimicis ab ipso: qui utique noverint, & idonei sint, pro Domino suo magnos latratus fundere; & gregem illius vigilantissimis, & sagacissimis excubiis jugiter custodire: cruentissimos, qui lupos immundorum spirituum, qui sunt insidiatores, ac devoratores animarum, procul arcere. De quorum numero, unum à nobis specialiter deposcitis, nomine Grimbaldum, Sacerdotem, & Monachum, ad hoc officium destinandum: & curæ pastoralis regiminis præficiendum. Cui utiq; testimonium perhibet universa Ecclesia, quæ eum ab ineunte ætate nutrivit, in verâ Fide, & sanctâ religione, & quæ illum per singulos gradus Ecclesiastico more promovit, usque ad Sacerdotii dignitatem; dignissimum esse illum proclamans Pontifical. honore, & idoneum, qui possit & alios docere. Sed quoniam id in nostro regno magis fieri optabamus, & olim Christo annuente, opportunitate temporis adimplere disponebamus. Scilicet, ut quem habebamus filium fidelem, haberemus & ministerii nostri consortem, & in omni utilitate Ecclesiasticâ fidissimum adjutorem; non sine ingenti, ne ita dixerimus, dolore, patimur illum à nobis divelli: & per tanta spatia terrarum ac maris, à nostris obtutibus separari. Porrò autem charitas non novit dispendium, nec Fides detrimentum; nullaq; intercludunt intervalla terrarum, quos copulat vera dilectionis vinculum: libentissimè vestræ petitioni annuimus, quibus nihil negare possumus. Neque enim invidemus, quorum profectu, sicut de nostro, gratulamur: & quorum lucra, nostra deputamus. Scimus enim quia in omni loco, uni Domino servitur: & quia una est Catholica, & Apostolica Ecclesia, sive Romana, sive Transmarina.* UNA ECCLESIA

X.
QUID FULCONI ALFREDUS MISERIT?

GRIMBALDUS QUALIS FUERIT?

* perficiendum.

XI. *Nostrum igitur est, vobis illum Canonicè concedere; vestrum autem, honorificè suscipere. Eâ scilicet ratione, atque tenore; tam ad gloriam regni vestri, quàm ad honorem Ecclesiæ, & præsulatus nostri; eum ad vos mittendum, cum suis electoribus, & cum nonnullis regni vestri proceribus, vel optimatibus; tam Episcopis scilicet, presbyteris, diaconibus, quam etiam religiosis, laicis, qui vobis vivâ voce, in præsentiâ totius Ecclesiæ vestræ profiteantur, ac promittant, eum condigno honore se habituros, omni tempore vitæ suæ. Necnon decreta Canonica, & functiones Ecclesiasticas, ab Apostolis, & Apostolicis viris Ecclesiis traditas; quæ tunc à nobis audire, & postea ab eodem suo Pastore, & Doctore, secundùm formam, à nobis sibi traditam, discere potuerint: cunctis diebus irrefragabiliter velle custodire. Quod cum fecerint, divinâ benedictione, & Beati Remigii authoritate,*

per

per nostrum ministerium, & impositionem manuum, more Ecclesiastico decenter ordinatum, & iis omnibus plenissime instructum, accipientes illum sibi cum debito honore deducent ad propriam Sedem, alacres & læti ipsi, omni tempore, patrocinio illius fruituri, doctrináque & exemplo ejus jugiter instruendi.

XII. *Quia vero solicita sunt pro se invicem membra; & vel uno gaudente congaudent; vel uno patiente, cōpatiuntur cætera membra, vestræ Regiæ celsitudini, ac providentissimæ mansuetudini, deinceps illum, attentiùs ac specialiùs commendamus, quatenus quicquid ad honestatem Ecclesiæ, & eruditionem gentis vestræ condignum, & utile, secundùm Canonicam authoritatem & Ecclesiæ vestræ consuetudinem potuerit invenire; liberâ authoritate, absque ullius contradictione, semper possit docere & opere adimplere. Ne fortè, quod absit, diabolico quisnam instinctus contra eum zelo livoris, & malevolentiæ ductus, controversiam moveat, aut seditionem concitet. Vestrum itaque erit, hoc omnino providere, ac regiâ censurâ tales, si qui fortè exortes fuerint, omnimodis reprimere barbaricam feritatem, * servato juris moderamine, cohibere. Illius autem pastorali solertiâ sibi commissorum saluti semper consulere, & post se universos, potiùs amore trahere, quàm terrore cogere. Gaudeat semper ac vigeat in Christo Rege Regum, & Domino dominantium vestra dignitas nobilissima, pietas sanctissima, nec non fortitudo invictissima.*

* servo nostri moderaminis.

Hactenus Fulconis Epistolæ, quam è Manuscripto Codice Annalium Wintoniensium, qui Liber de Hida appellatur, exscripsi: rejectis in marginem quæ vitiosa reperi.

XIII. QUID DE LITERIS SENTIENDUM?

Flodoardus in historiâ Rhemensi, plurima refert à Fulcone scripta, ad Romanos Pontifices, Marinum, Stephanum, Formosum, & alios: ad Imperatores etiam & Reges: imò ad Alfredum nostrum, quem corruptè Albradum vocat; ad Episcopos denique, & Cantuariensem nostrum Plegmundum, quem malè Pleonicum appellat: harum tamen literarum, ad Alfredum, & Ethelredum scriptarum, omninò non meminit: unde suspicari quis fortè poterit, ab alio potiùs, quàm à Fulcone, scriptas; qui simul & Wintoniensis monasterii incunabula, & Rhemensem Sedem speciosâ rerum narratione illustrare voluerit. Ego licet id aliquando factum existimem; hic tamen non ausim suspicari: quia nihil in literis occurrit, quod censuram mereatur: & dicerem potiùs. Flodoardus, ut Bernardus, non vidit omnia. Harpesfeldus certè harum literarum meminit, & recitat earundem compendium. Quicquid sit, sequitur in dictis Annalibus, quod puto verissimum: *Anno igitur ab Incarnatione Domini octingentesimo octogesimo quinto, jussu Fulconis Rhemensis Archiepiscopi, pariterq; rogatu proprii Abbatis; sanctissimus Domini Confessor Grimbaldus, exemplo beatissimi patriarchæ Abrahæ egrediens de terrâ & cognatione suâ, Anglicam terram ingreditur; ubi in gentem excrevit magnam, ubi facunda doctrinæ fructificare meruit multiplici satione, & in filiorum multorum spiritualium propagatione gaudere. Rumor præterea, de tanti Patris exoptato adventu, ad aures Serenissimi Principis Alfredi, ac summi Pontificis Anglorum, necnon Patriarchæ Cantuariensis Ethelredi Archiepiscopi deveniens; procedunt concite ambo, Rex & summus Sacerdos, & regni nobiles in unum conglobati, in occursum viri Dei: & non quasi hominem, sed quasi Angelum Dei susciperunt.* Reliqua quæ de Grimbaldo dicuntur, referam anno sequenti.

Harpesfeld. sæc. 9. c. 10

ANNUS CHRISTI 886.

STEPHANI VI. PAPÆ 2.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 16.

I. ALFREDUS LONDINUM CAPIT ET ORNAT.

ANNUS Christi octingentesimus octogesimus sextus, ab antiquis primus Alfredi monarchiæ nominatur. Nam Danis alibi gentium occupatis; ipse suorum civium, addo & Anglorum omnium animis, ita suaviter irrepserat: ut aliorum omnium imperia exuentes, uni ipsi servire omnes ambiverint. Quod ubi prudentissimus Rex, ex animorum motibus percepit; Londinum contendit, Merciorum regni caput; civitatem illam barbarorum motibus deturpatam, milite pennitùs cinxit; & tandem egregiâ fortitudine pulsis Danis, cepit. ornavit splendidè, & auxit civibus. auctam, ornatámque, Ethelredo Merciorum Comiti, quem principem militiæ suæ suprà * vocavit, regendam, tenendámque commendavit. & quia insignem ubique operam Alfredo in re bellicâ præstiterat; dat illi quoque Ethelfledam primogenitam filiam, in conjugem. Cæterùm quod hinc monarchiæ principium fluxerit, ex Malmesberiensi colligi potest, ita scribente: *Alfredus totam Insulam præter id, quod Dani habebant, animo subdiderat suo; volentes etiam Angli, in ejus potestatem concesserant; gaudentes se talem virum edidisse; qui posset illos in libertatem erehere. Londoniam, caput regni Merciorum, cuidam primario Ethelredo, in fidelitatem suam, cum filia Ethelfledâ, concessit. Ille magnâ virtute, & fide agere, commissa tutari sedulò, Orientales, & Northanimbros, jamdudum discessionem à Rege parturientes, in statu continuit, obsides præbere compellens.* Hæc ille.

* an. 881. n. 9.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

II. CONCILIUM LONDINENSE.

Alfredus, Londinensi urbe potitus; inde omnem Angliam componere: & quicquid in Insula vitiosum, aut peccans, in utramvis Remp. salubri consilio imposterum cavere, sui muneris esse putavit. Londinum igitur Proceres vocat, ut omnium suffragio sanciretur, quòd omnium intererat. Et quoniam Ecclesiastica imprimìs tractari oportuit, Ethelredus Dorovernensis, Episcopi omnes, & Abbates quoque convenerunt. Non meminit hujus Synodi Spelmannus, qui accuratè tamen omnes Angliæ Synodos collegit, & conventus (ita enim potiùs dici potest, quia Abbatissæ, & populus adfuisse perhibentur) De illa tamen in Wintoniensibus Annalibus, ita legimus. *Rex Deo devotissimus Alfredus, ut viri Dei Grimbaldi sanctitatem & sapientiam cunctis notificaret; Concilium ex totâ Angliâ, Præsulum, & Abbatum, & nobilium virorum, in Londoniam, quæ est Metropolis totius Insulæ, coadunat.* Meminit etiam hujus conventus Harpesfeldus, & quid in eo gestum fuerit, sic recenset: *Ethelredi tempore, celebris Synodus Londini coit. cui & Aluredus Rex, cum Proceribus interfuit: atque Grimbaldus Abbas, quem Rex recens è Galliâ evocaverat. Qui Regis, & Archiepiscopi rogatus concionem ad cœtum illum habuit; quâ graviter, & sapienter, multa de dignitate humanæ naturæ, ad quam illam Deus. ab initio ex suâ summâ bonitate evexit; utpote ad imaginem Dei creata: & quomodo ingratitudine, atque peccato primorum parentum, eadem labefactata, atq; eversa deferunt. Multaq; subjecit valdè accommoda; quibus auditores à turpi, vitiosâ, & voluptuariâ, molli, & delicatâ; ad sanctam, gravem, continentem & severam vitam revocaret. Multa*

Harpesfeld. sæc. 9. c. 7.

præterea, quibus eos ad magnitudinem animi, & altam rerum omnium terrestrium despectionem, hortabatur. Summa Dei in illos, & omne humanum genus, collata beneficia, memoria illorum suggerebat. Qui quamquam gratiam referre tantam non possent, quanta debetur; grati tamen ea in memoria tenerent: & gratias saltem accurate agerent. Præmia denique illa sempiterna, bonis, & officiosis, pœnas rursus immortales, apud justum Judicem improbis expositas; in memoriam eis, ut magis à vitiis deterreret, & ad virtutis studium acueret, revocavit. Quæ, & id genus alia, ut magno omnium applausu, excepta fuerant; ita cum non mediocri omnium fructu, dicta sunt.

III. Quod si curiosus Lector ipsammet Grimbaldi orationem (ut illam recitant Annales Wintonienses) audire maluerit: ecce illam, quam liber de Hida, cum Grimbaldi elogio, noluit perire; ita enim, cum Londinensem conventum narravisset, ibi legitur: *Cunctis circumsedentibus, & maximè Rege, & Archiepiscopo; sanctus Grimbaldus rogatus, caritate compellente, sermonem disseruit, ad futurorum referendum utilitatem. Nam insignis pater Grimbaldus, & orator egregiæ laudis, ultimus, gravitate servatâ, & oris dignitate, leniter & sapienter, sic orsus est loqui.*

Sequitur Sermo B. GRIMBALDI Abbatis.

SERMO GRIMBALDI IN CONCILIO.

* laxi

*AD hoc fratres & Domini, omnes nos a Deo nostro facti sumus: ut creaturis cæteris in hoc mundo dominemur. Sed per peccatum, in primo parente nostro * lapsi sumus, & in mortis hereditatem omnes cecidimus. quippe facti sumus humiles, mortales, impleti timoribus, merito peccati: cum quo merito, & cum quo reatu, nascitur omnis homo. Siquidem Creator Omnipotens, creavit omnia invisibilia atque visibilia. Invisibilia sicut sunt, Sedes, Dominationes, Archangeli, & Angeli; qui, si benè vixerimus, erunt cives nostri. Fecit autem visibilia, scilicet Solem, & Lunam, & stellas, & animalibus terrestribus implevit terram. Fecit & nos homines in mente, ad suam imaginem & similitudinem. Et adeò nos ipsi, nosmetipsos comprehendere non possumus. Sed proh dolor! pro vobis populi; qui Deo consimiles mente estis, sed rerum infimarum delicamenta captatis: & imperante, florenteq; nequitia, non solum nolentes benefacere, pravius caretis: verum etiam scelera, & impia facta sequentes, & operantes: & a bono quod promiseratis in baptismo deviantes, ignoratis, quantam injuriam, vestro Conditori irrogatis; pro quibus efficiemini reprobi. Nam cum bona, & mala, sibi contraria sint; ostendere possumus vobis; quia bona opera salvant, & mala perdunt. Et si elatum, firmumque fuerit bonum; apparebit mali fragilitas, & imbecillitas. Quoniam si excellentiam nostra natura nosse desieritis infra bestias eritis. Quippe duo sunt in unoquoq; nostrum: voluntas & potestas: in quibus omnis noster cōsistit effectus.*

IV. *Et quoniam humana natura hoc habet post Deum; ut ad bonum pervenire nitatur, & terrenis omnibus excellat. Ideo mali homines, & fraudulenti, & cupidi, permanentes in malitia, humanam amittunt naturam; & transeunt in ferinam. Et quoniam tenent principales, & originales has quatuor sordes; idcirco nihil vocantur tales: quia sunt ad nihilum, hoc est, ad malum tendentes. Et è contrario sunt octo principales virtutes; quæ nos movent ad inquisitionem sempiternæ gloriæ festinare, & sulphureas gehennæ flammas non formidare. Si enim dolores, qui hodie oriuntur, & iræ fiunt; sunt tam duri & feri, ut vix possint sufferri: quàm grave putatis illas esse, quæ sic incipiunt, ut crescant quotidie: tali pacto sumunt inchoationem; ut omnino non habeant finem. Proinde imprimis omnino est metuenda, & cavenda superbia; quia ab illâ sumpsit initium omne peccatum. Sicut scriptum est: Initium omnis peccati superbia. Et quoniam diabolus est superbus, Christus autem humilis & mitissimus: deponite superbiam, per quam diabolus cecidit: ne vos occultâ tentatione, & pro bonis operibus sumptâ elatione, aperte possit decipere. Adversarius enim nostrarum animarum, dum non potest mentem nostram sub se sternere, in malis, callidâ specie, & benefactis, nos nititur supplantare: & suadet pro his laudem in hoc sæculo libenter auscultare.*

V. *Sectamini ergo Fratres vestigia Christi, qui in Evangelio discere à se humilitatem præcepit. * Tumor enim & arrogantia appetit casum; humilitas autem cæli ascensum. Nec minus hortor vos declinare, dilectissimi, appetitum gulæ. per quod primus parens noster erat ejectus de florigerâ sede. Cunctis enim liquidò notum est peccatum hujus rei, quo homo projectus est a conspectu Dei. Nimis ergo declinanda est cibi & potus immoderata appetitio; quia ubi immoderatè venter distenditur; hilaritas, & turpis scurrilitas, risibus & jocis, ibi perficitur; neque castitas, neque usus continentiæ curatur. Ac per hoc ebrietas crescit; per quam anima perit, & corpus injuriatur. Ad usum tantum accipiant singuli, unde corpus suum sustentare possint: qui * nisi domantur jejuniis, continuò corruunt in vitia. Illicita carnis commixtio, cum fœmina, vel cum alia creatura, ad implendum ardorem libidinis, omnipotentis Dei iracundiam provocat; & humano generi lethale vulnus infligit; quam cavere debetis, nè tam detestabili malo, beatitudo vestra prematur: quoniam delectatio vitæ præsentis, fornicarios in perpetuum torquebit. Declinate ergo angustias & inopes divitias mundi, quæ illos qui eas tenent, non explent & insatiabiles ardores acquirendi, & possidendi; nec non inimicitias fratrum & proximorum. Et non alicujus rei fasiatis occultum furtum: nec temerarium præsumatis facere, sive humano respectu, latrocinium. Nec manus vestræ operentur, * causa quavis, possessionibus usurpandis, homicidium. Nec illud quod occidit animam: scilicet mendacium. Nec quod grave nimis est inter vos, fiat perjurium, & devitate injustum judicium; nec venenata mortifera avaritia, quod est radix omnium malorum, vestris in mentibus obtineat dominatum.*

* Timor

* quia si dantur jejuniis.

* causa majus

VI. *Qualem namque, Fratres, fructum ille dabit, cujus pectus est infectum fervore luxuriæ: in cujus ore clamor litigiosus, & contumeliosus, sonat quotidie; & in cujus corde indignatio furibunda, & improba, & præsumptio res alienas rapiendi: & in cujus manibus constat effusio humani sanguinis; qui miserabiliter homicidas damnabit. Discursio nempe vana mentis non maneat in vobis, nec otiosa somnolentia, quæ inertes, & desidiosos facit; nec pigritia, contra bonorum studia rebellis: & more avium locum vestrum ne mutetis; ut vagabundi huc & illuc discurratis. Mortiferaque murmuratio procul sit à vobis, quæ pœnaliter murmurosos torquebit. Fugite siquidem mordaces passiones animi, & ignaviam pusillanimitatis, & defectionem bonæ operationis; & desperationem, quæ funditus in profundum ducit de commissis piaculis: & appetitionem vanæ laudis, pro bonis factis. Nec honorem sæcularem usurpare debetis; nec fictam simulationem boni operis, quæ homines hypocritas appellari facit: de qua Salomon ait, quòd simulatores provocent iram Dei. Istorum namque malorum multum metuenda est calamitas; ne incautos repente mittant in exteriores tenebras. Atque certissima ratio est, quod non est sufficientia in opibus, nec in regnis permanens potentia, nec reverentia*

in dign-

* *precabilem famam*

*in dignitatibus, nec * pretiabilis fama, in terrenis felicitatibus: nec permanens lætitia, in rebus temporalibus. Iustum autem hominem, atque perfectum, terrena bona non faciunt.* Hæc omnia Grimbaldus, ad frequentem populum, qui simul ad conventum venerat, peroravit.

VII. POPULORUM CONVERSIO. *Annal. Winton.*

Quis inde animorum motus, & animarum facta sit conversio, prædicti Annales sic pergunt narrare: *His à Sancto præceptore Grimbaldo auditis populus, quem priùs vocabat reprobum, & impium; concurrebat latim ad pœnitentiam: & convertens se, de viâ iniquâ, nè pro peccatis tormenta sentiret æterna, ad semitam vitæ cœlestis ocius properabat. Deplorabat nempè quòd expulsum fuerat à facie Dei: & in confessione malorum, & in emendatione perversorum, in recordatione infernalium tormentorum, & in temperantiâ cibi & potus, & in abstinentiâ epularum diversarum, calcanda monstrabat cuncta phantasmata corporis, & incorporaliter tenere gaudia paradisi. Observantiam quippe integritatis, & continentiæ, à bono magistro traditam tenuit; & execrandam libidinem abrenuntiavit. dispersionem eleemosynæ, quæ misericordes glorificat; & patientiam, in quâ possessio animæ stat; & orationis observantiam, in quâ dicitur: dimitte nobis debita nostra; observavit hic populus, ut liberaretur à damnatione anima ejus. Christo siquidem Domino dedicarat studiositatem sanctæ institutionis, & cupiditatem perpetuæ beatitudinis, & lamentabilem pœnitentiam, de retro-actis delictis, & spem futuræ beatitudinis, & jocundum eloquium servorum, & familiarium Dei. Ad summum docuit eos Sanctus recordationem divinæ bonitatis, ac indefessas gratiarum actiones, pro benefactis reddere Conditori; & præstolationem perpetuæ gloriæ expectare, & diem judicii timere, & sulphureas gehennæ pœnas expavescere: ut cùm districtus Iudex consideraret eos suas culpas puniisse; retrahat suam sententiam ab eorum damnatione. His, & hujuscemodi a Sancto Grimbaldo prædicatis, clamor in Concilio factus est Angligenis populi: & benedicebant pariter gloriosum nomen Domini, qui in ipsam Provinciam tam gloriosum Doctorem eis direxit.*

VIII. ALFREDI STUDIUM IN STUDIIS PROMOVENDIS. *Harpsfeld. sæc. 9. c. 7.*

Cùm Grimbaldus in hunc modum perorasset: Alfredus Rex ad literarum studia omnes accendit; clerum præcipuè, qui lucere aliis, & credenda proponere, ex officio deberet. de quo ita Harpsfeldus: *Habuit etiam Aluredus verba ad Episcopos, Abbates, Laicosque, qui dignitate, aut magistratu aliquo fungebantur. Quibus multorum ex omni genere inscitiam graviter increpuit; & temerariam eorum audaciam coarguit; qui cum idoneâ ad functiones suas obeundas cognitione destituerentur & tantorum magistratuum adulteratam ad speciem solummodo personam gererent; illos usurpare auderent. Quare aut eo se magistratu, ad quem se indignè ingesserant, exuerent: aut idoneam sibi congruamque, officio scientiam, & sapientiam, omni studio compararent. Quæ ejus oratio, magnum omnibus omnium ordinum hominibus, qui sua inscitiæ conscientiam habebant, metum incussit: coegitque, ut omne, quod à necessariis negotiis supererat tempus, scientiæ, & sapientiæ augendæ studio tribuerent, nè dignitatibus alioquin suis exuerentur.* Hæc ille, quæ desumpsit è Wintoniensibus Annalibus, qui eo planè modo Regem orasse perhibent. Quod autem inde secutum est, sic narrant. *Perterriti igitur regalibus verbis, arripiunt undique cuncti studia literatoriæ artis: ita ut non solùm clerici; sed mirum in modum comites, & tribuni, qui ab infantiâ erant illiterati; certatim studerent in literis; malentes disciplinam laboriosè discere, quàm ordinis potestatem dimittere. Si quis autem gravatus senio, id non posset agere: filio, aut propinquo, vel fideli amico sacros libros imperabat recitare; & dolebat in intimis; quia in juventute non studuerat talibus studiis.*

IX. OXONIENSIS SCHOLÆ FUNDATIO.

Fundatam hac occasione, Oxoniensem Academiam, & exinde literas ibi floruisse; multi satis probabiliter existimant: sancto Neotho, qui etiamnum vivebat, valebatque authoritate apud Alfredum; Grimbaldo etiam, suadentibus; id utrique Reip. percommodum fore. Nec stimulo Rex egebat; qui suoptè genio, in scientiarum studia ferebatur. *Igitur anno Dominicæ Incarnationis* (ita Annales Wintonienses) *octingentesimo octogesimo sexto, anno secundo adventus sancti Grimbaldi in Angliam, incepta est Universitas Oxoniæ; primitus in eadem regentibus, ac in Theologia legentibus, sancto Neotho Abbate, necnon in Theologiâ Doctore egregio; & sancto Grimbaldo, sacræ paginæ suavissimæ dulcedinis excellentissimo professore. In Grammaticâ verò & Rhetoricâ regente Assero presbytero & monacho, ac in arte literatoriâ viro eruditissimo. In Dialecticâ verò Musicâ, Arithmeticâ, legente Ioanne Monacho Menevensis Ecclesiæ: In Geometriâ, & Astronomiâ, docente Ioanne monacho, & collega Sancti Grimbaldi viro acutissimi ingenii, & undecumque doctissimo, præsente gloriosissimo, & invictissimo Rege Alfredo, cujus in omni ore, quasi mel, indulcabitur memoria: & totius regni sui clero, & populo. Vbi idem Rex prudentissimus Alfredus, tale decretum edidit; videlicet, ut optimates sui, filios suos: vel si filios non haberent, saltem servos suos, si ingenio pollerent;. concessa libertate, literis commendarent.*

PROFESSORES S. NEOTUS ABBAS, GRIMBALDUS, ASSERUS, JOANNES MENEVENSIS, JOANNES ALTER.

X. QUID ALFREDUM MOVERIT AD PROMOVENDA STUDIA? *Antiq. Glaston.*

Hic ergo celeberrimæ Academiæ certa initia: quæ si altiùs petantur, corruunt facilè, & multo ariete possunt peti. Nam qui cæteris fideliùs, & sine studio partium scripserunt, Alfredo hanc laudem tribuunt; quod ejus industriâ, musæ ibi locum primum invenerint. Malmesburiensis in Antiquitatibus Glastoniæ ita scribit: *Aluredus consilio sancti Neothi Abbatis, Scholas publicas, variorum artium, apud Oxoniam PRIMUS instituit*: non anno octingentesimo septuagesimo quarto, ut putavit Rossus; tunc enim omnia milite strepebant: sed Dano, vel victo, vel fugato, vel certè, in fœdera recepto. Tunc scilicet adjecit Rex animum ad summa Reipublicæ & Ecclesiarum ornamenta: quæ quoniam, non tam murorum decore cultuque, quàm ingeniorum constabant; aperire tandem placuit Scholas publicas; & in palæstra exerceri juventutem. Quid moverit virum, martis æquè ac musarum filium, difficili tempore, de studio, tam feliciter cogitare: fuit, opinor, magnorum virorum, sui temporis conatus, qui alibi etiam dormientes Musas excitarunt. Nam sub idem tempus, Ericus Monachus Antisiodorensis, cum vitam sancti Germani absolvisset, in Epistolâ nuncupatoria, Carolum Imperatorem summè laudat; quòd collapsa studia bonarum literarum, ipse repararit: *Multa sunt*, inquit, *tua monumenta clementiæ, multa symbola pietatis: illud maximè tibi æternam parat memoriam, quod famosissimi avi tui Caroli* (magnum intelligit, qui Alcuinum è Britannia vocaverat) *studium, erga immortales disciplinas, non modo ex æquo repræsentas; verum etiam incomparabili fervore transcendis: dum quod ille sopitis eduxit cineribus; tu fomento multiplici, tum beneficiorum, tum authoritatis usque quaque provehis. Nec*

apud Twyn. fol. 182.

apud Baron. ad an. 870. n. 30.

enim nostra inertia quæ sua sponte complectitur cæcitatem, velum sibi excusationis de ignorantiâ obduceret; néve de præceptorum inopia meritò causaretur: id tibi singulare studium effecisti; ut sicubi terrarum magistri florerent artium: quarum principalem operam philosophia pollicetur; hos ad publicam eruditionem, undecumque tua celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapsilitas provocaret, &c. Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi discrimine, penè totam cum grege philosophorum ad litora nostra migrantem: quorum quisquis peritior est; ultro sibi indicit exilium, ut Salomoni sapientissimo famuletur ad votum.

XI. In Alfredum cadunt quæ de Carolo dicuntur.

Opinor, hic Joannem Erigenam, Ericus intelligit; qui Hiberniâ relictâ olim ad Carolum Calvum, tum Galliæ Regem, accesserat; studiaque ejus, ut deinde Alfredi, promoverat. Et certè, quæcumque hoc loco de Carolo Imperatore dicuntur eleganter etiam de Alfredo Rege nostro, conquirente undique scholarum magistros, dicenda sunt: sicut & ea quæ in Erico sequuntur: *Dum te tuosq; ornamentis sapientiæ ornare contendis; cunctarum fere gentium Scholas & studia sustulisti.* [apud Baron. suprà.] *Sublatis enim præceptoribus, consine & consequens est facile, omnium ingenia congelari. Ita namq; spretis cæteris, in eam mundi partem, quam sua potestas complectitur; universa optimarum artium studia confluxerant, ut verosimile habeam, jamdudum eas humanæ inertiæ perosas, terris penitus excessisse: nisi tuæ integritatis amplitudine, tenerentur; in qua etiam unicum suæ professionis culmen, ac fastigium mirabiliter collocarunt. Hinc est, quod cum sit perantiqua sententia, silent leges inter arma; hæ tamen tam belli, quam pacis tempore, apud te plurimum semper obtineant dignitatis: ita ut meritò vocitetur Schola palatium. cujus apex non minùs scholaribus, quàm militaribus consuescit quotidie disciplinis. Quicquid igitur literæ possunt, quicquid assequuntur ingenia, tibi debent.* Ita ille: quæ omnia in Alfredum, absque ulla Rhetorum anacesi, cadunt: ut ex dictis supra, & dicendis infra, manifestum est. Ille enim ad polliendа hominum ingenia, non solum Joannem unum, ex ultimis Britanniæ finibus evocavit; sed invitavit etiam è Gallia Joannem alterum, è Belgio Grimbaldum: & nihil non egit, ut hujusmodi hominum ornamentis, patriam illustraret.

XII.

Sunt qui putent, Alfredum ab Aristotele doctum, de Oxoniensi Academiâ primum cogitasse. Volunt enim Joannem Erigenam, adeò *reconditissimarum rerum studiis* (ita Twynus) *fuisse deditum, ut Aristotelis secreta secretorum, sive de regimine Principum, librum apud Ægyptios perquireret: perquisitum verò ad petitionem Regis illustrissimi* (Alfredum intelligit Balæus) *in linguam Latinam transtulisse, de linguâ Græcâ: tum Chaldæa, tum Hebraica.* [Twyn. f. 197.] Cæterùm in prædicto libro legebantur ista. *Præpara gymnasia tua, & studia in civitatibus regni tui. Permitte, & præcipe hominibus tuis; ut suos doceant filios scientias literarum, & faciant eos studere in liberalibus & nobilibus scientiis. Et tua debet esse providentia iis in necessariis subvenire. Fac aliquam prærogativam benè studentibus, & proficientibus; ut per hoc præstes aliis scholaribus exemplum, & materiam vigilandi. Exaudi petitiones eorum ep stolas recipe, & attende: collauda laudandos, & remunera remunerandos.* Hæc vel Aristoteles, vel certè antiquus aliquis, Principibus suggessisse videtur. Verùm an hæc Antiquorum placita Alfredum moverint, nihil habeo quod affirmem: hoc solùm dicerem, non videri eum multo calcari indiguisse; qui à puero, ut vidimus, suopte genio, in literarum studia ferebatur. & ad ornandas scholas, ingeniosè aliquando quædam proferuntur, quæ non est opus multum premere. Sic quod Grimbaldus Theologiæ Doctor appelletur; vel (ut *alii eum vocant) Parisiensis Academiæ *Cancellarius*: quòd tres Joannes, varias distinctásque scientiarum disciplinas exposuerint: Hedera est, quam certè non erat opus appendere, cùm Oxoniensis schola fuerit deinde florentissima. [apud Twyn. fol. 105.] Et quemadmodum alia bona, ordinaria Dei lege, ab humiliori principio per gradus & incrementa; non uno impetu, ad summum perfectionis fastigium surgunt: tum verò declinant, & per gradus etiam ac decrementa, non statim senescunt: ita de Oxoniensi Academiâ dicendum: Cùm optimi Principes Rempublicam administrant; ut cæteræ artes, sic floreret imprimis artium magistra, scientia. Cùm verò populus imperium arrogat; pretiosum vili miscetur: & indignè fert aliquem, è vulgi numero, ad meliorem sortem emergere: putatque satius esse, in eâ, quâ quis nascitur, conditione mori. Vile genus hominum: omnia cum cæteris animantibus communia: nihil cupiens singulare.

De Professoribus primis.

XIII. Alfredi sensus de homine.

Excelsioris animi erat Alfredus, qui hominem, eum vilem putabat, nisi supra humana se efferret: & mentem, divinæ naturæ imaginem, condignis humanæ naturæ ornamentis, illustraret. Nec erat facilius id assequendi compendium; quàm teneris puerorum animis, & nullâ adhuc fæce inquinatis, suaviter illabi: eósque quà premiis, quà privilegiis, ad magna erigere, & insigni magistrorum indulgentia mulcere. Sic enim nullâ vi, aut metu, mens è suis tenebris non gravatè educitur; & lucem primò aspicit, quàm paullò post familiariùs haurit. Alfredus hunc sensum habuit, cum fundatâ scholâ, & nominatis Professoribus, hanc legem tulit, quam refert Rievallensis: *Universis liberis hominibus, totius regni nostri prædicti; qui ad minus duas hidas terræ possident; firmiter præcipimus; ut liberos suos, usque ad spatium quindecim annorum ætatis suæ habeant, & teneant literarum eruditionem: ipsosq; interim diligenter instruant, ut Deum agnoscant: & deinceps sapientiores sint, & melius eis sit. Verùm liberum hominem illiteratum, pro bruto, & cephalo, & stulto reputamus.* [apud Twyn. fol. 197.] Utinam hanc legem provinciæ omnes admitterent; & literatos ab illiteratis ita distinguerent: non sinerent, opinor, [illegible] [illegible] (quos Alfredus Cephalos vocat) pro tribunali sedere, leges pro libito, figere, & refrigere: denique de Scripturâ, de Fide, de Ecclesiâ definire. quod solis doctis, & sanctioris subsellii hominibus competit.

XIV. Quæ studia Oxonii?

Jam verò, si quæratur in hac Oxoniensis scholæ apertione; quæ literæ, quæ scientiæ, ibidem hoc anno expositæ sint: sicut, non est opus, omnes liberales artes, quæ hodie Universitatis notione comprehenduntur, intelligi. Sic certum puto, ad plurium captum, plures fuisse, qui juventutem erudirent. Sic Harpesfeldum intelligo, dum dicit: *Omnium bonarum disciplinarum quasi officinam quandam, apud Vadum Isidis, id est Oxoniense oppidum, Alfredus constituit.* [Harpesfeld. sæc. 9. c. 5.] quod Ranulfus Higdenus ita explicat: *Aluredus scholas variarum artium apud Oxoniam primus instituit; quam Urbem etiam in multis privilegiavit.* [apud Twyn. fol. 185.] Sed anonymus ille qui ad Ranulfi verba (ubi de Grimbaldo mentio) notam adjecit, paullò ambitiosior fuit, dum ita admarginat: *Iste Grimbaldus fuit Cancellarius, & doctor ordinarius,* [Idem suprà.]

præsente

Num Grimbaldus Pariſienſis Cancellarius?

præſente Rege victorioſiſſimo Aluredo, cæteriſq; regni Magnatibus, in Univerſitate Oxon, legit primò lectionem ſcholaſticam. qui paulò ante fuit Pariſienſis Cancellarius. Hic ſpongiâ opus: Grimbaldus, monachus in Morinis fuit; cum illac Alfredus admodum puer, in Urbem tranſiret: eundem hoc anno, ex eodem loco, monachum & præpoſitum in Angliam vocavit: quomodo ergo paullò ante Pariſienſis Cancellarius fuit: præſertim cum ille honoris & prærogativæ titulus, necdum in latino orbe natus eſſet? Sicut nec *Univerſitatis* nomen, eo ſenſu, quem hodie pro Academia ſumimus: nam vox illa, non niſi ſub Henrici Regis Anglorum tempora invaluit, ut Camdenus annotavit, & ex eo Jacobus Uſſerius in Primordiis. Poteſt ergo Oxonienſis Scholæ gloria, & Alfredi laus, integra ſtare, ſine hac hedera: imò poteſt conſtantior eſſe, ſi nullo oſtentationis fuco, nuda veritas pallietur.

Camden. in Oxford.

Uſſer. f. 142.

XV.

Camden. in Oxford.

Oxonienſis Scholæ laus.

Illi meliùs ſcholam ornaverunt, qui præterita tempora recolentes, & fructum, qui inde in omnem Inſulam manavit, Oxoniam vocaverunt, *Athenas noſtras nobiliſſimas, Angliæ μουσεῖον & λύκειον: imò Solem, oculum & animam literarum; & ſapientiæ clariſſimam officinam: unde religio, humanitas, & doctrina, in omnes regni partes uberrimè diſtributa ſunt.* Nam dictum benè, & ad priora ſæcula feliciter. Enimvero religionis fontem aperuiſſe; vitalem illum, ac perennem; unde fides in omnem Inſulam derivetur; eſt æternâ laude dignum. cujus illi ſoli participium & ſocietatem habent, qui non alias ambiunt aquas, quàm ex illa origine & traduce petitas. Etenim, ut unus in cœlo Deus, ſol unus: ſic una literarum anima, una ſapientiæ clariſſima officina. Denique fides una: quam, ſi aliunde invectæ fæces polluunt; aut temporis, ingeniique vitia, corrumpunt: næ virgo illa eſſe non poteſt; quæ Chriſti oraculo, petræ nupta, habet firmæ virginitatis prærogativam æternam. Eſt ergo pretium operæ accuratiùs fontem inſpicere; unde tam amicè Alfredus Rex, civibus ſalutem propinavit: & ſi videro poſteros, non reſpondere benevolo Principi, aut avidiùs quærere ciſternas alias, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas; inurbanos appellabo & ingratos cives. Quòd ſi Alfredum commendent ob ingentis beneficii memoriam; ſi placet factum; ſi Solem, oculum, clariſſimam ſapientiæ officinam vocant: & adhuc nauſeantes ſuper cibo leviſſimo, abiverunt poſt ollas carnium, aut Ægypti aquam turbidam; dicam ægri ſtomachi vitium eſſe periculi pleniſſimum; aut certè laborantis cerebri. Libandæ igitur aquæ, videndumque an moderni ſaporis, an Romani & antiqui. quod clariſſima officina non obſcurè indicabit, duplici medio. Vel etiam Regia Alfredi mens ſpectanda, quæ nobiliſſimo operi primam manum admovit: vel audiendi profeſſores Regii, qui illius ſæculi fidem dictabant regno. His enim fundamentis ſtat Oxonienſis ſcholæ gloria, & majeſtas.

Quam Fidem Oxonienſis Schola porrexerit?

XVI. Romanam ſine dubio.

Si poſteri ſuperædificaverunt aliud, ab Alfredi & primorum Doctorum fide alienum; poterunt fortè nova ingenia veteribus præferre; & ita ſibimetiſis adblandiri: non tamen Academiæ ſuæ antiquitatem, quam dicto, facto, condemnant, in ſuis laudibus ponere. Sed inde potiùs debent laudem auſpicari, & ſapientiæ *clariſſimam officinam* appellare, quando turbatis in Angliâ rebus, Sedebat Londini populus ad Comitia: & inde Oxonium, oracula, quæ funderet, expectabat. Nam ita orthodoxorum judicio, oriri potuit heſternus morbus; quem à caſu mentis, caducum benè, vel comitialem, dixeris. Alfredum Regem ſuper Romanam Petram, Oxonienſem ſcholam fundaſſe, & venam Fidei ex Urbe petiviſſe; tam mihi perſuadeo, quàm Alfredum vixiſſe, aut regnaſſe. Qui enim ab ineunte ætate, tò miſſus, & remiſſus eſt; qui à Rom. Pontifice unctus & coronatus eſt: qui omni vitæ tempore extitit *Miſſarum auditor devotiſſimus*: qui Sacerdotes & monachos impensè coluit; qui monaſteria per provinciam conſtruxit, & ditavit; qui Romanam Sedem muneribus & legationibus ſæpè veneratus eſt: qui Petro Apoſtolorum Principi Eccleſiam erexit, & in eâdem ſepeliri voluit: totus, totus Romanus fuit, & illius Fidei integerrimus aſſertor. Nec minùs de primis Oxonienſis ſcholæ profeſſoribus conſtat: Nam Neothus, Grimbaldus, & quotquot Joannes nominantur, ſaltem, qui majora ſtudia docuerunt; Sacerdotes, monachi, & orthodoxi fuerunt. Licet autem de Joanne Erigena litigari poſſet, ut revera aliqui litem moverunt; tamen Brianus Twynus, ex profeſſo probat, calumniam fuiſſe: & ego cenſco eum priùs mortuum, quàm Grimbaldus in Angliam veniret, ut ſupra ex Baronio & Weſtmonaſterienſi probatum. de cæteris nulla eſt quæſtio: & Twynus hac vice, pro Oxonia benè advocavit, cum dixit: *Aluredus, cui ex ipſa unctione, Pontifices Romani fidebant, nequaquam penes ſe hæreticos ſuſciperet, aut iis faveret.* Et iterum, adverſarium interrogat: An credibile eſt, inquit, Aluredum ſuos *ad hæreticum audiendum invitaſſe?* Non eſt, inquam, credibile; orthodoxum Principem, tot argumentis Romanam Fidem profeſſum; alienum aliquid à Rom. Fide admiſiſſe. Sed noverit Twynus, ſi Alfredus, Neothus, Grimbaldus, & primi ſcientiarum magiſtri, orthodoxi fuerunt: illos qui contra ſentiunt, qui Fidem illorum averſantur, qui Sacerdotes & monachos oderunt, paradoxos eſſe.

V an. 885. n. 3.

Twyn. l. 2. n. 209.

Idem ſuprà. n. 211.

XVII. De controverſia Oxonienſi.

Aſſer fol. 16.

Solùm hic objici poteſt, ſtudioſorum, neſcio quæ factio, quam ad hunc annum vel refert Aſſerus, vel ſaltem referre putatur. Ego illam non poſſum præterire: quia rem ſatis controverſam ſpectat. Qui Aſſerum nuper impreſſerunt, ita eum loquentem faciunt ad hunc annum: *Eodem anno, exorta eſt peſſima, ac teterrima Oxoniæ diſcordia; inter Grimbaldum, doctiſſimóſque illos viros, quos ſecum illuc adduxit; & veteres illos Scholaſticos; quos ibidem inveniſſet: qui ejus adventu, leges, modos, ac prælegendi formulas, ab eodem Grimbaldo inſtitutas, omni ex parte amplecti recuſabant. Per tres annos haud magna fuerat inter eos diſſenſio, occultum tamen fuit odium; quod ſummâ cum atrocitate poſtea erupit, ipſa erat luce clarius. Quod ut ſedaret Rex ille invictiſſimus Ælfredus, de diſſidio eo, nuntio, & querimoniâ Grymbaldi certior factus; Oxoniam ſe contulit; ut finem, modúmque huic controverſiæ imponeret: qui & ipſe ſummos labores hauſit. Cauſas & querelas utrimq; allatas audiendo. Caput autem hujus contentionis, in hoc erat poſitum. Veteres illi ſcholaſtici contendebant, antequam Grymbaldus Oxoniam deveniſſet; literas illic paſſim floruiſſe: etiamſi ſcholares tunc temporis erant numero pauciores, quàm priſcis temporibus; pleriſq; nimirùm ſævitiâ, & tyrannide paganorum expulſis. Quin etiam probabant, &*

*ostendebant, idq; indubitato veterum Annalium testimonio, illius loci ordines, ac instituta; à nonnullis piis & eruditis hominibus, fuisse sancita. ut à D. Gilda, Melkino, Nennio, Kentigerno, & aliis, qui omnes literis illic consenuerunt; omnia ibidem felici pace, & concordiâ administrantes, ac D. quoq; Germanum, Oxoniam advenisse, anniq; dimidium, illic esse moratum: quo tempore, per Britanniam iter fecit, adversus Pelagianorum hæreses concionaturus. ordines & instituta supra mirum in modum comprobavit. Rex ille, inauditâ humilitate, utramque partem accuratissimè exaudivit: eos piis & salutaribus monitis, etiam atque etiam hortans; ut mutuam inter se conjunctionem, & concordiam tuerentur. Itaque hoc animo discessit Rex, quousque ex utrâque parte, consilio suo esse obtemperaturos, & instituta sua amplexuros. * At Grymboldus hæc iniquo animo ferens, statim ad monasterium Wintoniense, ab Ælfredo recens fundatum, proficiscebatur: deinde tumbam Wintoniam transferri curavit: in quâ proposuerat, post hujus vitæ curriculum, ossa sua reponenda, in testudine, quæ erat facta, subter cancellum Ecclesiæ D. Petri in Oxoniâ. Quam quidem Ecclesiam idem Grymboldus exstruxerat, ab ipso fundamento, de saxo summâ curâ perpolite.*

*videtur aliquid deesse.

XVIII. Excutitur Asseri locus.

Ita nuper Asserum impresserunt, Matthæus Parkerus, & Camdenus. quam etiam impressionem probat Brianus Twynus, & inde pro scholæ Oxoniensis Antiquitate disputat, magno sanè, & satis probabili argumento, si omnium manuscriptorum exemplarium, una esset, & constans authoritas. Verùm si temporis, & rerum olim gestarum seriem contemplemur: inveniemus fortè aliqua in dictâ narratione, quæ legentis animum ab assensu cohibeant. Et meritò quis mirari poterit Asserum, qui nunquam Oxoniensis scholæ meminerat, aut fundatæ ibi Academiæ; tam abruptè de discordiâ illâ loquutum. Iterùm, quòd hoc anno lis illa nata, inter antiquos scolasticos, & recentes, super studiorum ratione & ordine, quem Grimbaldus induxerat: quæ tamen ante triennium concepta, occulto murmure fuerat: hoc, inquam, est satis admirabile; cùm non solùm superiùs dicta, sed Camdenus ipse, Wintonienses Annales citans, probent, Grimbaldum non nisi superiore anno in Angliam venisse. Quomodo ergò ante triennium super ejus instituto, legibúsque litigatum; cùm ipse necdum legem fixerat? Iterùm Asserus suprà, inter viros eruditos, ab Alfredo in pretio habitos, Grimbaldum nominavit: in prædictâ autem narratione nunquam ita: sed Grymboldus ubique scribitur. Sed longè major difficultas erit, si scrupulosè premo antiquos illos scholasticos, si aut eorum nomina excutio, aut certè magistratum. Qui enim fieri potuit, in tantâ Danorum vastitate, qui tot annos Merciorum Provincias invaserant; qui omnes ubique Ecclesias temeraverant; qui Monachos ubique è suis sedibus fugaverant: ut antiquis his scholasticis parcitum sit, permissúmque musis vacare? Sed esto, vacaverint: & Dani scholaribus illis quiescendi privilegium indulserint (quod tamen nemo credet, qui paganorum, & illiteratorum insolentiam noverit) Quis illos docuit? sub quorum magistrorum disciplinâ studuerunt? Certè illos omnes exauctoravit Alfredus, & novos substituit, ut omnes fatentur. Illi imprimis, qui suprà * dixerunt: *scholas variarum artium apud* Oxoniam Alfredus Primus instituit.

*hic n. 14.

XIX. De antiquis Professoribus.

Quod ad pios & eruditos viros attinet, Gildam, Nennium, Kentigernum, atque Melkinum, qui indubitato veterum Annalium testimonio, Oxonii in studiis consenuerunt: in tenebris id quidem speciosè dicitur: Sed si ad historicæ veritatis meridiem eduxeris; satis apertè fucus, primis etiam oculis, apparebit. Nam Gildæ utriusque, Albanii inquam, & senioris, Badonici, etiam & junioris, exordia, profectiones, studia, senium denique, & ultimam vitæ periodum, inspeximus suprà *, ex omnium, quos invenire potuimus, Annalium fide: & nunquam eos, vel Oxonii studentes, vel in illâ Dobunorum provinciâ viventes, vidimus. Pari diligentiâ, Kentigerni itinera * legimus, ejus incunabula, pueritiam, juventutem, studia etiam, & studiorum locum exploravimus: & nullum ejus Oxonii vestigium apparuit. Nennius & Melkinus, obscuriores sunt. Nec possumus eos tam accuratè sequi. Qui tamen de illis aut dixerunt, aut scripserunt aliquid (nam inter Britanniæ Scriptores numerantur) nunquam Oxonii, nedum quod ibi consenuerint, meminerunt. Et quia eorum, unus Banchorensis, alter Avolonius, cognominatur: in illis potiùs cœnobiis, vixisse, studuisse, docuisse, & denique consenuisse videntur. Quis enim nescit, omni Britannorum sæculo, addo & Saxonum; & ad hunc usque annum octingentesimum octogesimum sextum, imò & posteriùs; monasteria erudiendæ juventuti structa, fundata, & dotata fuisse? Denique illud quod additur, Alfredum Regem deduxisse Grimbaldum ad Wintoniense monasterium, quod recens fundaverat, non constat cum illius celeberrimi cœnobii nota, certáque fundatione. Nam loci illius Annales referunt; Alfredum, cùm viginti novem annos regnasset; nimirùm sub finem vitæ ejus, de Wintoniensis cœnobii fundatione, cum Grimbaldo locutum. & inquiunt: *In vigesimo nono anno, & ultimo regni sui, proh dolor! Primitùs sancto viro Grimbaldo, suum Rex clementissimus aperuit consilium, & suam primitùs expressit voluntatem, de constructione cœnobii in urbe Wentanâ: sed præventus morte piissimus Rex, votum diutiùs cupitum explere non potuit. Cujus mortem Sanctissimus Pater Grimbaldus, afflictione flevit incomparabili. Sed prædictus nobilis, ac gloriosus Princeps Alfredus, ante mortem imminentem, terram pro capellâ, & dormitorio emit. & filio suo Edouardo, pro testamento legavit; ut monasterium à patre, per plurima annorum curricula præcogitatum, complere, & fundare non tepesceret.*

*Vid. de Gilda Albanio, an. 508. n. 10. &c. 509. n. 1. &c. 512. 04. De Badonico vide an. 540. 3. & 562. n. 1. 3. 4. & & 583.

*Vid. an. 514. num. 3. &c. 531. 10. & 535. 4. & 539. 1. &c. 543. n. 8. & 560. n. 1. & 565. n. 12. & 593. n. 1. & an. 601. n. 46. &c.

Annal. Winton.

XX.

Ob hæc ἀσύστατα, καὶ ἄτοπα; quæ in prædictâ narratione continentur, meritò aliqui dubitarunt; an genuinus Asseri partus esset; an verò suppositius & adulterinus. Jacobus Usserius, cum ea ex Assero recitasset, *erraticum fragmentum* vocat, & ejus operi insertum: dolétque Camdenum, uni exemplari manuscripto, quod nunquam viderat, adeò fidem adhibuisse; ut curaverit illud Francofurtensi impressioni inseri. Demùm addit: *antiquissimum autographum, si non ipsius (quod omninò videtur) Asseri, certè proximis ab eo temporibus, characteribus Saxonicis exaratum, adhuc in Cottonianâ bibliothecâ conservatur; in quo istorum omnium, neque vola exstat, neque vestigium.* Ita ille. Quicquid igitur de controversiâ illâ veterum, & novorum scholasticorum adfertur ex Assero, nutat

Usser. in primord. f. 342.

admodum

admodum, nec ſolidè poteſt pro Antiquitate ſuffragari. Et eſto poſſit, omnis quæſtio de modo, & lege ſtudendi, nulla de Fide fuit. Ut ergò redeam ad id, quod ſupra probandum ſuſcepi: Athenæ noſtræ, & ſapientiæ clariſſima officina: unde religio in omnes regni partes uberrimè diſtributa eſt: non aliam ab initio Fidem porrexit, quàm ab Alfredo, Grimbaldo, aliiſque Monachis creditam, doctámque: & illam è Romano fonte fluxiſſe, meridianâ luce eſt clarius. Quamobrem illi ſoli, de Oxonienſis ſcholæ antiquitate rectè gloriantur: qui Fidem ab initio ibi traditam, quæ Alfredum, & plura inde ſæcula beavit; integrè ſequuntur. Non illi, qui nova dogmata cudentes, in omnem antiquorum Fidem pugnant; qui Sacerdotes & Monachos, primos ſcholæ parentes, vexant; qui denique Romam, puriſſimum religionis fontem, averſantur.

XXI.
Parens Eccleſia colenda eſt.

Baron. hic n. 12.

Et quoniam in hoc argumento ſum, & colendos dico Fidei parentes: occurrunt Baſilii Imperatoris monita, quæ filio dedit, cùm eum imperii collegam dixit: recitatque ea ad hunc annum, Baronius: *Sanam habe mentem*, inquit, *in his, quæ ad rectæ Fidei doctrinam pertinent: & ſummo honore proſequere matrem tuam Eccleſiam; quæ in Spiritu Sancto te lactavit, & capiti tuo, ad Dei per Chriſtum, laudem; imperii coronam mecum impoſuit. Si enim, quos natura tibi dedit parentes, debes venerari: multò magis eos, qui te in Spiritu Sancto genuerunt, omni pietatis officio debes colere. Illi enim duraturam ad tempus vitam, liberis, per generationem, impertiuntur. Iſti verò æternam per regenerationem largiuntur. Honora ergò Eccleſiam Dei, ut viciſſim ab eâ in honore habeare: & Sacerdotes ejus reverere, tanquam ſpirituales Patres, & deprecatores pro nobis ad Deum.*

Sacerdotes honorandi.

Honor enim, qui Sacerdotibus habetur, in Deum refertur: & ſicut propter te, miniſtros tuos in honore habere juſtum eſt: ita & propter Deum, Sacerdotes ejus magni facere, & in pretio habere, ſanctum. Quemadmodum enim honor qui eis habetur, ad Deum pertinet. ita eorum contumelia & contemptus, longè etiam graviùs ejus iram provocat. Hæc Baſilius, poſt Fidem Catholicam benè cuſtoditam, appoſuit tanquam fundamentum, & baſim quandam, ſuper quam univerſa moles imperii collocata, firmata conſiſtat, inquit Baronius. qui & aliud adjungit monitum ejuſdem Imperatoris, filio datum: *Evolvere ne unquam ceſſes hiſtorias veterum. Ibi enim reperies ſine labore, quæ alii magno cum labore congeſſerunt. Inde proborum virtutes, & improborum vitia cognoſces; & vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in eâ converſiones; mundi hujus inſtabilitatem, & imperii ad cadendum pronitatem diſces. Breviter malefactorum pœnas, & bonorum præmia leges: quorum illa effugies, ne ultionis, quæ inde ſequitur, ſeveritatem patiaris: hæc autem ampleteris; ut præmia, quæ ex eis manant, conſequi merearis.*

XXII.

Erat ergò hoc ſæculo virtus Regia, Eccleſiam colere, Sacerdotes revereri, doctores Fidei, ſeu parentes agnoſcere: & demum in Antiquorum ſcriptis verſari: quæ neſcio an Baſilius, Orientis Imperator, an Alfredus noſter in Occidente Rex, perfectiùs obſervarit. Certè de Alfredo noſtro oculatus teſtis eſt Aſſerus. quòd *Epiſcopos ſuos, & omnem Eccleſiaſticum ordinem, admirabili amore diligebat.* quod paulò latiùs exponens Harpesfeldus, hæc habet. *Etſi Proceres, reliquóſque ſuos*

Aſſer. an. 884.

Alfredi reverentia erga Eccleſiam.

Aulicos magno amore perſequeretur: nullos tamen adeò, atque Chriſti Sacerdotes, & Pontifices, quos mirificè coluit, & ſumma illis omnia detulit. Neque eorum divinitùs illis datam in Eccleſias poteſtatem, unquam imminuere voluit: arbitratus illam maximam Regis dignitatem; ſi ſuam in Eccleſias poteſtatem non exerceret. illamq; demum genuinam, & germanam Regis dignitatem eſſe, dictitare ſolebat; ſi in regno Chriſti, quæ eſt Eccleſia, ſe non Regem, ſed civem agnoſceret; ſi non ſupra Sacerdotum ſe leges elatè efferret, ſed legibus Chriſti per Sacerdotes promulgatis, ſubmiſſo ſe atque humili animo ſubderet. In quo novum orbis Conſtantinum repræſentavit. Et ſanè, ſi exactè rationem illorum temporum ſubducas: hæreo an multos Anglia noſtra, vel antea, vel poſtea etiam, præſtantiores Reges nobis dederit. Hæc ille. & verò, quæ infrà à me dicentur, facilè Lectori, opinor, perſuadebunt; nec Angliam, nec fortè Europam, aut Chriſtianum orbem Principem protuliſſe; qui ſive privata ſtudia ſpectes, ſeu Regni, ac Reip. œconomiam, & virtutes regias; poſſit aut debeat Alfredo anteferri, qui ideò jure optimo, in Annalibus paſſim audit, vel Alfredus *Magnus*, vel *Sanctus*: nam utrumque fuiſſe facta demonſtrabunt. Hæc de amore ejus ac reverentia, erga Eccleſiam.

Alfred[9] Magnus et Sanctus.

XXIII.
Alfredi ſtudium in hiſtoriis evolvendis.

Aſſer. fol. 13.

Quali verò ſtudio, in veterum hiſtoriis evolvendis, teneretur; & quantopere ſapientiam coleret: & ſuprà oſtenſum eſt, cùm in doctorum virorum delectu, tantâ curâ vigilavit: & optimè teſtatur Aſſerus, qui non alia re magis ipſum narrat ſolicitum, quàm quod ſerò, his ſeris rebus animum adjecerit. *Quotidianâ*, inquit, *& nocturnâ anxius triſtitiâ, ad Dominum, & ad omnes, qui ſibi familiari dilectione aſciti forent, querelabatur, & aſſiduo gemebat ſuſpirio: eo quòd Deus Omnipotens, eum expertem divinæ ſapientiæ, & liberalium artium feciſſet.* Verùm quâ Dei bonitate, quâ Regis induſtriâ factum, ut in virum prudentiſſimum, & Regem ſolertiſſimum evaſerit; non aliâ magis, ut apparet, quàm hiſtoriarum arte: quæ ad benè beatéque vivendum, Principi inprimis neceſſaria eſt. Nam poteſt in eâ, *tanquam in ſpeculo ornare, & componere vitam ad alienas virtutes.* Unde benè ab Oratorum Principe, *magiſtra vitæ* appellatur. Et quoniam Alfredus Rex didicerat, veriſſimam diſciplinam, exercitationémque, ad utriuſque fortunæ verticem eſſe, Annales veterum, & ad conſilium optimè mortuos adhiberi: *Ideò diu noctúque* (inquit Aſſerus) *quando aliquam licentiam haberet Rex, libros ante ſe recitare imperabat. Nec enim unquam ſine Lectore ſe eſſe patiebatur. Quapropter penè omnium librorum notitiam habebat; quamvis per ſeipſum aliquid adhuc de libris intelligere non poſſet. non enim adhuc legere inceperat.* Hæc ille de Alfredo, priúſquam Grimbaldus, & alii in Angliam vocarentur. Quantum poſtea è Doctorum virorum acceſſu profecerit; leges ab eo conditæ, de quibus anno ſequenti, & optima regni adminiſtratio, pleniùs edocebunt. Nam literas ad uſum, non ad oſtentationem, hauſit: & non ſolùm parare ſapientiam; ſed illâ frui voluit. Nec enim ſtuduit, ut eo nomine magnifico, ſegne otium velaret; ſed quò firmior adverſum fortuita Remp. capeſceret: imitatus Agricolam, *qui ſtudio ſcientiæ flagrantem animum coërcuit; tenuitq;, quod eſt difficillimum, ex ſapientiâ modum.* Ita factum, ut *liberales artes*

Plutarch in Timole.

Cicero. 2. de Oratore.

Aſſer fol. 14.

Tacit. in Agric.

gotis medullis (loquitur Malmesburiensis.) *inderet, in tantum, ut nullus Anglorum fuerit, vel intelligendo acutior, vel interpretando elegantior.* Ita ille.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

XXIV. ALFREDI INDUSTRIA IN CULTU LITERARUM.

Hæc Alfredi laus in usu scientiæ, modóque sapientiæ, nisi exemplo illustretur, umbratica fortè videri poterit, & fucata. dicam ergò quid ipse in eo genere, non tam sibi utile, quàm Reip. profuturum, fecerit. Cùm cerneret Danorum insolentiâ, qui omnia ferro flammáque depopulati fuerant; magnam esse in Insulâ librorum inopiam; ipse insigni solertiâ libros foris acquisivit: acquisitos, qui magis ad usum, exercitiúmque faciebant, in vernaculam linguam, vel transtulit ipse, vel transferri ab aliis mandavit. Hinc, quia Majorum exemplis, Fide, ac pietate, maximè capiebatur; Bedæ historiam gentis Anglorum, quæ latinè solùm exstabat; ipse, labore suo, Saxonicè loqui fecit: extare dicitur hæc Saxonica translatio manuscripta, Cantabrigiæ in bibliothecâ publicâ, cum hoc dysticho.

Nunc impressa est Translatio Alfredi.

Historicus quondam me fecit Beda latinum
Alfred Rex Saxo transtulit ille pius.

apud Pits. in Alfredo.

verè pius, qui sibi, populo, posterisque omnibus, majorum suorum exempla proposuit; quæ jacerent in tenebris, nisi scientiæ lumen accederet. Quid porrò in hoc pietatis genere Alfredus præstiterit, & quo fine laboraverit, ita explicat Malmesburiensis: *Plurimam*, inquit, *partem Romanæ bibliothecæ, Anglorum auribus dedit: optimam prædam peregrinarum mercium civium usibus convectans. Cujus præcipui sunt libri, Orosius, Pastorale Gregorii, gesta Anglorum Bedæ, Boetius de consolatione Philosophiæ: liber proprius, quem patria lingua, hand-boc, id est, manualem librum appellavit. Quin & provincialibus grandem amorem studiorum infudit; hos præmiis, illos injuriis hortando. Neminem illiteratum, ad quamlibet curiæ dignitatem aspirare permittens. Psalterium transferre aggressus, vix primâ parte explicatâ, vivendi finem fecit. In prologo Pastoralis, dicit se idcircò ad interpretandos Anglia libros animatum: quòd Ecclesiæ, in quibus numerosa à prisco bibliotheca continebantur, cum libris, a Danis incensa sint: propterea in totâ Insulâ, studium literarum abolitum: quòd quisque magis vereretur capitis periculum, quam sequeretur librorum exercitium. Quapropter, se in hoc, Anglis suis consulere, ut nunc prælibarent tumultuarie; quod postea, si fortè pax rediret, latino edisterent sermone.* Hæc ille. verùm de Alfredi scriptis, & literatorio labore, plura inferiùs.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

ANNUS CHRISTI 887.

STEPHANI VI. PAPÆ 3.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 17.

I. HASTINGUS ANGLIAM PERVAGATUR.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus octogesimus septimus, qui Alfredi Regis studia paululùm turbavit; nam nova Danorum manus, novo, sed fortissimo Duce, Hastingo, provincialium suorum felicitate invitata: Sedem in hac Insulâ figere, sed incassum laboravit. Nam pestem à suo litore Alfredus avertit, & amandavit aliò. Hoc puto Westmonasteriensem voluisse, cùm ait: *Anno gratiæ octingentesimo octogesimo septimo, Hasteinus, sive Hastingus, natione Danus, Angliam hostiliter pervagatus; cum exercitu infidelium bellatorum potentissimo, partes petens Gallicanas, Vermundensem applicuit in portum, ubi ex navibus exilientes, totum tradunt ignibus Comitatum. Sancti quoque Quintini cœnobium comburentes, talem nefariam commiserunt.* &c. Noluit Deus Alfredi piè cœpta, & civium studia turbari; quo, amoto hoste, liberiores & solutiores essent ad ornamenta patriæ. Meminit hujus Hastingi incursionis Baronius, & ita de illo: *Quo etiam anno* (inquit ad hunc annum) *laborat Ecclesia Anglicana tyrannide Hastingi Dani, qui simulate baptisma suscipiens; eo ad inferendam cladem populo usus est, cujus etiam sævitiâ Gallia ingemuere.* Verùm quod ad baptisma fictè susceptum attinet, Hastingus illud non in Angliâ suscepit. Sed vel Limis, ut Westmonasteriensis: vel Lituis, ut narrat Walsinghamus: vel Lunis, ut habet Gulielmus Gemiucensis, qui Italiæ urbem vocat: definiant urbem Galli, quibus Hastingus imposuisse videtur, & factum narrent. Ego avocor dulcissima contemplatione pietatis Alfredi, quæ in ornandâ patriâ, illustrissima fuit.

Westm. hic.

Baron. hic n. 5.

Westm. hic. Walsing. ypodig. neust. primo. Gemit. l. 2 c. 9.

II. ALFREDUS TRIA COMPOSUIT: PROVINCIAM, CURIAM, SEIPSUM.

Quoniam ergò Reipublicæ nihil magis conducit; quàm bonis, & ad honestè vivendum institutis, illam stabilire: Rex impigrè ad illa vigilabat, formabatque sibi animo, & cogitatione, Remp. quam ut primùm potuit, re factoque expressit. Ego illam ex Regio prototypo, rudiùs licet, delineabo: monstraboque non meliùs à Xenophonte doctum Cyrum, nec regiis adeò virtutibus instructum fuisse; quàm Alfredus Rex noster, cùm Insulam, aulam, seipsum, religiosè composuit. Enimverò non ille benè Rex definitur, qui in unâ disciplinâ cautus, cætera negligit; nec admodum laudari potest, uni studens; qui innumeris imperat. Tria ergò Alfredus sibi proposuit imprimis assequenda: Provinciam suam, hoc est, sparsos per Insulam cives, ad morum honestatem, civilémque vitam fingere. Tum Curiam ordinare, suámque familiam, ut cæteris lux, vita, magistra, dictare posset virtutum exempla. Denique Regiam mentem, quæ velut mundo Sol lucet, ita Regiis ornamentis expolire, ut viva pietatis, proborúmque morum imagine, animarentur ad virtutem subditi. Hæc tria in Alfredi pectore ritè concepta, doctorúmque hominum suffragio probata; in opus tandem prodierunt, non minùs laudando ordine, quàm re inventâ. Etenim juvenes, cum bonis literis exuissent barbariem; structis monasteriis, & probè dotatis, ad majorem sanctitatis gradum invitabat. Tum civibus etiam suis, novam disciplinam, leges nimirùm, & statuta dedit utilissima: nam bellorum infortunio, abiverat vulgus in naturæ vitia, & peccabat sine metu. Formatis civibus, perfectiorem adhuc manum aulæ apposuit, & dispensavit rem familiarem ad invidiam benè. Denique extremum artis, in animo componendo suo, operosè adhibuit: ut Deum inter, & subditos, ita penderet medius: ac non minùs uni subesse, quàm aliis præesse, nosset. Hæc compendio dicta, dabo fusiùs, non meis, sed Antiquorum verbis.

III. DE LEGIBUS AREOLATIS.

Quod ad præsentem annum spectat, Alfredus ex Episcoporum suorum consilio, leges collegisse, easque civibus dictasse putatur. Fortè ex eo quod habet Wigorniensis. *Quo etiam anno* (887.

inquit) *sapè memoratum Alfredus, Anglo-Saxonum Rex, divino instinctu legem, & interpretari simul, uno eodemq; tempore, primitùs inchoavit, in sanctâ videlicet Beati Martini Turonensis Episcopi festivitate.* Verùm errasse amanuensem in illâ periodo, vel inde colligitur; quòd Wigorniensis verba illa, & plura sequentia, ex Assero transcripserit: qui ita loquitur ad huoc annum: *Eodem quoque anno, sepe memoratus Ælfred, Angul-Saxonum Rex, divino instinctu, legere, & interpretari, simul uno eodemq; die primitùs inchoavit.* Quicquid sit, certò constat Alfredum sanctis legibus regnum munivisse. de quibus ita scribit Harpesfeldus: *Alfredus, leges quasdam sanxit (quæ hodie Saxonicâ linguâ exstant) Religioni Christianæ, & publicæ quieti, apprimè accommodas, & salutares. In quibus de templorum immunitate, de sacrilegio coërcendo, de votis reddendis, de sacris Virginibus non violandis, adversus fornicationem, de festis diebus Domini, & Apostolorum Petri atque Pauli, omniumq; Sanctorum, de solennitate Beatæ Mariæ integra Hebdomada in autumno colendâ, de anniversario, & stato Gregorii die observando, de statis quatuor temporum jejuniis colendis, & de aliis id genus cautum est. Quibus in rebus ille, non quasi pedem in alterius messem ponens; neque sibi dignitatem Ecclesiasticam assumens (quod hodie solent) sed sequens per omnia priores Ecclesiæ & Episcoporum constitutiones, pro exactiore Canonum observatione, regiam potestatem adjunxit.* Hæc ille. Quæ melius, vel ex ipsis legibus, vel è præfatione ad leges, apparebunt.

Asser. hic fol. 16.

Harpesfeld. sæc. 9. c. 5.

IV. Habentur hæ Leges apud Lambardum, qui illas è Saxonico in Latinum transtulit. Ex eo Spelmannus illas collocat, in suis Synodis, ad annum Christi octingentesimum octogesimum septimum. Hic ergo opportunè ponentur, & una Alfredi Regis præfatio, quæ sic inscribitur.

Præfatio seu apparatus Regis ALVREDI M. ad Leges suas, tam Ecclesiasticas, quàm Civiles; è sacra pagina desumptas.

PRÆFATIO ALFREDI AD LEGES SUAS.

1. *LOquutus est Dominus ad Moysen sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxit ex Ægypto, domo servitutis. Deos alios nullos præter me habeto.* * * * * *

2. *Nomen meum inaniter ne adhibeto, neque enim te finam impunitum si nomen frustra adhibueris.*

V. LAMBARDI NOTA AD ALFREDI LEGES.

Inter duo hæc Decalogi præcepta, Lambardus satis magnum hiatum interponit; & notâ longiusculâ probare conatur, Alfredum magnum, & quotquot cum eo in fide communicant; læsæ divinæ Majestatis reos esse. quod secundum Decalogi præceptum omiserint. Sic enim notat: *Admonendus es, amice Lector, nullâ, aut nostrâ aut librariorum, incuriâ, prætermissum secundum hoc Decalogi, de non fingendis imaginibus præceptum. Verum consultò ab eis, qui primò has leges mandarunt literis, relictum. Post celebratũ enim anno salutis humanæ 794 Secundum illud Nicææ (quod simulacrorum confirmavit adorationem) Concilium: quo major hominum præceptis (quæ erat temporum illorum caligo) tribueretur authoritas; de sacrosanctis Dei scriptis aliquid detrahendum existimarunt. Neq; verò quod sciam, in ullo usquam Saxonico exemplari reperitur.* Ita est, Lambarde, in nullo Saxonico exemplari reperitur præceptum de non fingendis imaginibus: & ratio est, quia nusquam in Decalogo, à Deo Moysi dictato, tale præceptum reperitur. Quomodo enim Deus præciperet Exodi 20. non fingi imagines, qui Exodi 25. præcepit Moysi: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus Propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum; respiciantq; se mutuò, versis vultibus in Propitiatorium, quo operienda est arca.* En præceptum Moysi datum de fingendis Angelorum imaginibus. Et iterum: *locutus est Dominus ad eum* (Moysen, Numerorum 21. v. 8.) *fac serpentem æneum, & pone eum pro signo. qui percussus aspexerit eum vivet. Fecit ergò Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Ecce fictam imaginem, miraculo probatam.

Exod. c. 25 v. 10.

IMAGINES NON PROHIBENTUR.

VI. REJICITUR.

Nihil ergo Alfredus peccavit, omittendo in Decalogo præceptũ, quod nunquam est Moysi dictatum. Sed illi peccant immane, qui Scripturas pervertunt: & idolorum adorationem, quam solam Deus in Decalogo prohibuit; à sacrarum imaginum cultu, non distinguunt. In Decalogo, sive Hebraicè legatur, sive Græcè, sive Latinè; nulla est imaginum mentio. Qua ergo fronte, ad stabiliendam suam hæresim, audent Novatores Scripturæ verba, sensumque mentiri: & loco sculptilis, Græcè idoli, quod latriâ adorari prohibetur; imaginem substituere? Nihil ergo mirum, si Lambardus, simili fraude, Nicænos Patres pervertat; qui nunquam *simulachrorum adorationem*, ut ille fingit; sed tantùm sacrarum imaginum cultum probaverunt. Vide hominem versipellem, & genium ejus inde metire. Deus in Decalogo, sculptile prohibuit fieri, latriâ colendum: ipse obliterato sculptilis nomine, imaginem substituit: Nicæni Patres; non anno 794. ut ipse fabulatur; sed anno 797. jubent Christi & Sanctorum imagines, competenter coli. ipse, tacito imaginis nomine, simulacra reponit: quod perversi sensus, perversæque mentis, genuinum argumentum est.

NOVATORUM PERVERSITAS.

VII. SPELMANNI NOTA AD DICTUM LOCUM.

Spelm. f. 353.

Paullò modestiùs peccavit Spelmannus, qui Alfredi præfationem recitans, ipse etiam ad hiatum illum asteriscum fixit: & inde hanc notam. *Ut Niceno II. Concilio*, inquit, *nihil in Scripturâ dissonum audiatur: Romana Ecclesia præceptum de sculptilibus non adorandis, è Decalogo subtrahit; sed ut denarius tamen resarciatur numerus; decimum apud nos præceptum bifarium reddit: sic, ut* non concupisces domum proximi tui; *locum teneat novenarium:* & non desiderabilis uxorem, vel res ipsius; *decimum sit præceptum. Saxones ergo nostri, morem tenent Romanum, in prætereundo secundùm hoc apud nos præceptum.* Hæc ille: & benè dicit Saxones nostros Romanum morem sequi: nam illi semper, & priores illis, Britanni, eundem morem secuti sunt, ut supra probatum per omnia sæcula. In eo tamen Spelmannus peccat, quod dicat Romanam Ecclesiam, præceptum de *sculptilibus non adorandis*, è Decalogo subtraxisse: quod decumana calumnia est; quæ à viro nobili, equite aurato, & literatæ antiquitatis studioso, non debuit privato homini, nedum Romanæ, hoc est omnium Ecclesiarum matri, & parentis Ecclesiæ, inferri. Ad diluendam hanc calumniam, consulantur Biblia, quotquot à Christo passo, ad hunc usque annum, Romana authoritate lucem aspexerunt: & quicquid de *sculptilibus non adorandis*, Moysi dictavit Deus,

REJICITUR.

integrè in illis, nullâ literâ, nullo apice præterito, reperitur. Cur ergo novæ factionis impetu, tantum abivit, ingenui hominis mens, aut manus, ab orbita veritatis; ut omnem Rom. Ecclesiam sugillarit, quod integrum præceptum è decalogo detraxerit: cujus ne jota unum, aut apex ullus, subtractus est.

VIII. Eius inconstantia. *Idem suprà.* Verùm calumniam hanc, Spelmannus ipse ferè diluit: nam pergit in Nota: *Sed ut Romani contineri asserunt secundum apud nos præceptum, subter primo; ita nonum illi Romanorum contineri opinantur, sub eorundem decimo: scilicet non concupisces domum proximi tui; sub eo: non desiderabis uxorem, vel res proximi. Ideóq; illi nonum prætereuntes, Ennealogum, non Decalogum relinquebant. Tanti autem ne rei haberentur sacrilegii, recurrunt ad omissionem primam, & repetitam eam denuò (ut denarius compleatur numerus) decimo in loco statuunt: videlicet* Deos aureos, & argenteos nè facito. *Sic Romanorum observantes consuetudinem, hoc prætereunt in loco debito; Mancum tamen, & de sculptili nihil susurrans.* Ita ille. Et nodus in scirpo quæritur, qui enodis est. & satis manifestè fatetur Spelmannus, se impropriè loquutum, cùm dixit Romanam Ecclesiam præceptum de sculptilibus non adorandis, è Decalogo subtraxisse. Si enim Romana Ecclesia dicat, contineri illud sub primo; præceptum agnoscit, & contentum in Decalogo. Non subtrahit ergò, sed inserit Decalogo, & integrè recitat sub primo: teste, accusatore, & judice, Spelmanno. qui quod una scripsit manu, delevit alterâ, sed fortè, Romana Ecclesia, à tempore Nicæni Concilii secundi, & deinceps; voluit præceptum de sculptili, sub primo latere: quod priùs per se stabat & loquebatur: ut locus daretur cultui imaginum. In eo certè Lambardus & Spelmannus videntur conspirare, & putant se rem acu tetigisse. Sed utrumque indoctè philosophatum esse, norunt omnes, luce meridianâ clarius, qui norunt sanctum Augustinum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Doctorem eximium, quadringentis annis priusquam Nicæni Patres, in prædicta Synodo de cultu imaginum aliquid statuerent: ita Decalogi præcepta distinxisse; ut unum idémque præceptum esset, de Deo ritè colendo; & nullo sculptili, ad eum cultum faciendo. Vide ipsum quæstione 71. in Exodum. *Augustin. quæst 71. in Exodum.*

IX. Rom. Ecclesia ut Decalogum distinguit. Et verò, si posito paululùm sequiore impetu; rem ex æquitate metiri velimus; nihil à Romana Ecclesia actum patebit, in Decalogi distinctione; quod non propriè, genuinè, & castè, ad Legislatoris mentem factum probetur. Nam duobus modis distingui possunt præcepta, per tabulas duas: vel ut quatuor præcepta in primâ tabulâ componantur: sex in alterâ: vel ut tria tantùm in primâ: septem in alterâ scribantur. Utrumque numerandi modum admittit Rom. Ecclesia; neutrum damnat. Immeritò igitur Novatores cavillantur, & tenebras quærunt in Fidei meridie. planè autem cæcutiunt, cùm dicunt præceptum aliquod, è decalogo ab illa subtrahi. Communiter tamen (fateor) qui Catechismum exponunt, aut componunt, Augustinum sequuti; tria solùm præcepta primæ tabulæ inscribunt; & alteri septem. quia propiùs id, & ad virtutis speciem, & ad vitiorum discrimen facit. Quemadmodum enim Deum unum latriâ colere, & nullum sculptile latriâ adorare, ad eandem religionis virtutem pertinet; ita potest optimè, sub uno præcepto, utrumque contineri. Nam passim præcepta omnia, affirmativè possunt, & negativè exponi: nec ideò opus in duo distinguere. Cùm ergò dicitur: *non habebis Deos alienos coram me*: explicatiùs redditur in sequentibus, *non facies tibi sculptile*, &c. nec novum quid, aut ab alio distinctum præcipitur. Quoniam verò in septimo præcepto: *Non Mæchaberis*; & octavo: *non furtum facies*; bina virtus præcipitur, & duo peccata, specie distincta prohibentur, in actu externo. Cur non verba illa, quæ internum actum præcipiunt, vel prohibent: *Non concupisces domum proximi tui*; & *non desiderabis uxorem ejus*, eodem modo per duo præcepta distinguantur; cum prorsus eodem modo, in duobus peccatis specie distinctis, versentur. benè ergò diversa specie peccata, in diversa præcepta distinguuntur; nec malè, quæ ad unam religionis virtutem spectant, ad unum præceptum contrahuntur.

Cæterùm quod ad Alfredum attinet, & præfationem ejus; nescio cur ille, à Novatoribus traducatur; aut ejus scripta, Romanæ Ecclesiæ nomine, vapulent. cum ille, brevi tantùm compendio, nec in verba decalogi, nec in ordinem jurans; divinas leges humanis præfixerit. Altercandi solùm ansam quærunt; qui inde, aut Saxonum Ecclesiam, aut Romanam calumniantur. Adde quòd qui decimum præceptum adjecit: *Deos aureos, aut argenteos nè facito*: satis clarè alterum Decalogi præceptum insinuat, de non faciendo sculptili: & quicquid sit, de Romanâ Ecclesiâ (quam nemo sanus Alfredi scripta vocaverit) quod unum è Decalogo præceptum expunxerit: ipse saltem, qui illud alio loco expressit, culpandus non videtur. *Sed mancum illud* (inquit Spelmannus) & de *sculptili nil susurrans*. In Rege certè, qui nec Theologum, nec Catechistam egit, veniale peccatum, non inhærere scripturæ verbis: modò sensum retineat: magis Lambardus peccavit in eo genere, dum orthodoxos accusat, quòd præceptum de non *fingendis imaginibus*, omiserint: cùm nec *imagines*, nec *fingere*, in Decalogo sit invenire. Magis, inquam, peccat: quia Theologus videri vult, & scripturæ verbis non inhærenti irascitur. Sed congerit carbones in caput suum: & nec scripturæ sensum, nec verba retinuit: & Alfredum Regem accusat, quòd nullam secundi præcepti mentionem fecerit, in ullo, quod viderat, Saxonico exemplari: cum ipse unum referens, agnoscat hæc verba ibi haberi: *Deos aureos, & argenteos nè facito.* Quod Spelmannus agnoscit, secundi præcepti loco positum, atque restitutum. Nunc in Alfredi præfatione procedamus. X.

3. Diem Sabbati sanctè agere memento. Sex diebus tuas res agito, septimo autem die, ab omni labore cessato, tu & filius tuus, & filia, servus, & ancilla, jumenta tua, & apud te degens peregrinus. Nam cum sex diebus fecisset Christus cælum, terram, mare, quæq; in eis sunt omnia, conquievit die septimo, & propterea diem Sabbati, sacrum esse voluit. XI.

4. Patrem tuum, matremq; quos Deus tibi dederit, honorato; ut diu ætatem producas in terrâ. 5. Hominem nè occidito. 6. Nè furator. 7. Nè adulterator. 8. Falsum testimonium, contra vicinos, nè dicito. 9. Vicini bona nè concupiscito. 10. Deos aureos & argenteos nè facito. 11. Hæc autem eis jura propones.

Si quis

Si quis emerit servum Christianum, sex annos servito: septimo autem anno, manumittitor. atque si uxorem habuerit, ea simul exito. Sin Dominus ei uxorem dederit, fœmina, & nati, Domini sunto. Quod si servus dixerit; teneor amore Domini mei, uxoris, natorum, & rerum mearum; nec cupio manumitti: eum Dominus ad templi ostia adducito, eiq; ad postem applicato, aurem subulà perforato; & ille ei perpetuum servito. 12. Si quis filiam suam vendiderit in famulatum; ea ancillarum in morem servito: in extraneam gentem vendendi potestas, ei non esto. Verùm si ea Domino displicebit; in alienam gentem liberam manumittito. At si eam filio suo destinaverit; vestitum pudicitiæ pretium, dotemq; ei concedito. Si nihil horum ei præstiterit, manumittitor gratuitò.

XII. Ex his colligo, antiquam Saxonum consuetudinem, vendendi familiares; de qua superiori tomo pluribus egi; adhuc in more fuisse: aut si aliquando abolita, vitio temporis rediisse. 13. *Qui volens hominem occiderit* (pergit Alfredus) *morte mulctator: At qui non est insidiatus, sed in eum invitus, necessitate impulsus, aut fortè fortuna (quasi sibi a Domino in manus traditum) incurrerit; ad asylum confugito, vitaq;, ac juris publici commoditate fruitor. At si quis proximi sui necem, per dolum, de industriâ, machinatus fuerit; Is vel ab arâ meâ, ad necem abstrahitor.* 14. *Qui patrem, aut matrem percusserit, Capitale esto.* 15. *Qui hominem liberum clepserit, eumq; vendiderit; capitis pœna esto. Qui patri, aut matri maledixerit, morte plectitor.* 16. *Si quis alterum, ortà contentione, percusserit lapide, vel pugno, ita tamen ut foras baculo innixus iverit. Medicum ei adhibeto, atque opera ea, quæ infirmus patrare non poterit; ipse vicaria præstato.* 17. *Si quis servum, aut ancillam suam percusserit. Si quidem diem unum, aut alterum, superstes fuerit, non tenetor: quoniam pecunia ejus est. Verùm si præsens mors sequatur, tenetor.* 18. *Si quis dimicando, mulierem gravidam percusserit; ad eam rem arbitri sunto: ad quorum æstimationem, damnum sarcito. Sin mortua fuerit, vitam pro vitâ pendito.* 19. *Si quis alteri oculum effoderit; oculum pro oculo, pendito: dentem, pro dente; manum, pro manu; pedem, pro pede; adustionem, pro adustione: vulnus, pro vulnere; vibicem, pro vibice.* 20. *Si quis servi sui, aut ancillæ, oculum percusserit, eumq; corripuerit: eum pro oculo manumittito. aut si servi sui, aut ancillæ dentem excusserit; eum pro dente manumittito.*

vide an. 588. n. 3.

XIII. 21. *Si bos virum, aut fœminam cornu petiverit, & is mortuus fuerit; bos lapidator: ejus caro nè comestor: dominus autem bovis, impunitus esto; modo bovem jam biduo, aut triduo petulcum fuisse non sciverit. At si dominus ejus, admonitus fuerit; neque tamen custodierit; itq; virum aut fœminam occiderit: & bos lapidator: & dominus ejus morte plectitor, aut vitæ suæ pretium dato; quantumcumque ei fuerit ab arbitris impositum. Sive puerum, sive puellam petiverit; idem juris esto. Servum, aut ancillam si petiverit; argenti ter deni solidi Domino solvuntor; bos lapidator.* 22. *Si quis fossam aperuerit, vel dimiserit, nec obduxerit; æstimationem jumentorum, quæ eò deciderint, præstato; ipse mortua habeto.* 23. *Si cujus bos, alterius bovem vulneraverit; atque is mortuus fuerit, bovem vivum vendunto: atque ejus pretium, & mortuum etiam, Domini dividunto. Nisi Domino compertum fuerit, bovem antea petulcum fuisse; neque eum Dominus custodierit, bovem pro bove pendito; ipsi carnem habeto.* 24. *Si quis bovem alterius clepserit, mactaverit, vendiderit; duos boves pro uno reddito: & quatuor balantes pro unâ. Si non habet, unde reddat; ipse pro furto venditor.* 25. *Si fur, noctu in domum alterius invasurus, percutiatur; atq; mortuus fuerit: homicidii pœna non esto: nisi orto Sole: tum homicidii pœna sequitor; ni eum alter necessitate impulsus, percusserit. Si deprehensum fuerit, penes eum vita præditum, quicquam quod clepserit, duplum reddito.* 26. *Si quis alterius vinea, terra sata, aut pascua, damnum intulerit, sarcito.* 27. *Si segetem immissus ignis corruperit; author ignis detrimentum præstato.* 28. *Si quis apud alterum bona deposuerit; qui ea clam surripuerit, duplum præstato. At si compertum non habuerit, quis ea clepserit; ipse quòd dolo malo non est usus, fidem facito. Si vita præditum fuerit, quod fidei suæ commissum est; atque is teste adhibito, sive ab hostibus abactum, sive mortuum esse confirmarit; rem nè reddito: verùm si testem non exhibuerit; nec se culpa liberare potuerit; jusjurandum interponitor.*

29. *Si quis virginem, non sponsam, pellexerit;* XIV.
& cum eâ rem habuerit; mulctatus pecunia, eam sibi in matrimonium dotato. Sin puellæ pater eam illi locare nolit, argentum pendito; ut fert dos Virginum. 30. *Fœminas sagas, incantatrices & ariolantes muliérculas vivere nè sinito.* 31. *Quicumque rem habuerit cum bestiâ, capite plectitor.* 32. *Qui Diis sacrificaverit, intereat.* 33. *Peregrinum, aut incolam nè lædito; nam peregrini fuistis in Ægypto.* 34. *Viduam nullam, aut pupillum premito; neve angito. Si presseris, tum ad me conquerentur; eorùm ego querelas exaudiam: & vos ferro trucidabo meo: eruntq; vestræ conjuges viduæ, & liberi pupilli.* 35. *Si tui tuorum socio tecum versanti, pecuniam mutuam dederis: nè te ei feneratorem præbeto; néve ei usuram imponito.* 36. *Si vestem alterius, qui id unicum habet operimentum, in pignus acceperis; ante Solis occasum reddito: qui si apud me questus fuerit; ego quidem illum pro mea misericordia exaudiam.* 37. *Domino tuo nè maledicito; néve eum execrator, qui est in natione Princeps.* 38. *Decimas, primigenia, adulta tua, Deo dato.* 39. *Carnem à bestiis laceratam nè gustatote; sed ad canes projicitote.* 40. *Mendacis rumusculos falsos nè accipito: ei nè auscultato: néve ejus in sententiam ito, ut sis testis injurius.* 41. *Multitudinis flagitia ne sequitor. Nec in lite, de recto, in sententiam multitudinis deflectito: néve cum errore, quicquam commune habeto.*

42. *Si adversarii tui quadrupedem errantem offenderis; ei reducito.* 43. *Rectè judicato, inopiq; ac adversario, perinde atque diviti, & amico, sis æquus.* XV.
44. *A mendacio abesto.* 45. *Insontem, & justum nè interficito.* 46. *Donum ne accipito: cæcat enim sæpissimè vel perspicaces, & prudentum orationem pervertit.* 47. *Peregrinum & incolam, nulla injuria afficito.* 48. *Nomina aliorum Deorum jurejurando ne usurpato; néve in ore habeto.*

49. *Hæc ea sunt jura, quæ rerum omnium præpotens Deus ipse Moysi custodienda proposuit. Unigenitus porro Dei filius, salus nostra,* JESUS CHRISTUS; *ubi in mundum venisset; edisseruit palam, non eò se descendisse, legem datam ut violaret: sed ut omnia cum mansuetudine, & bonitate, impleret. Vera etenim pietatis disciplinam tradidit. Post hunc verò Cruci affixum, discipuli (dum adhuc unà essent, nec nunciandi Evangelii causà segregarentur) multas quidem Christo nationes adjunxerunt; & divina voluntatis legatos, atque interpretes, ad Antiochiam, Syriam,*

& Ciliciam, miserunt. Cumq; eis, quod ibi accidisset, renuntiatum esset; has ad eos literas dederunt. Hæc igitur ea est Epistola, quam Apostoli miserunt Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ populis; qui quidem à servitute gentium, ad Christum conversi essent.

XVI. *Apostoli & seniores Fratres, vobis salutem dicunt. Quandoquidem audivimus quosdam homines à nobis profectos, vos sermonibus turbavisse: cumq; nonnulla, quæ certè a nobis mandata non habebant, vobis indicere vellent; animos vestros errore potiùs labefactasse; quam sanâ & integra instituisse doctrinâ: visum est nobis unà coactis, electos viros ad vos mittere, Barnabam & Paulum, qui suam vitam exposuerunt pro Christo nomine; unà cum his misimus Iudam & Silam; qui & ipsi verbis eadem referant. Visum est enim Sancto Spiritui, & nobis, nihil ampliùs necessarii oneris imponere, quàm hæc: abstinendum esse ab iis, quæ simulacris immolata sunt, & sanguine, & suffocato, & stupro. Et quod vobis fieri non velitis, id aliis ne faciatis. Ex hoc unico præcepto satis liquet, unicuique ex æquo jus esse reddendum. Neque enim alio quocumq; judiciali libro opus fuerit. Hoc solum meminerit, qui sedet in alios Iudex; nolle se aliam de aliis proferre sententiam, quàm de se ipse latam esse voluerit. Ubi verò propagato Dei Evangelio, plurimæ nationes, atq; adeò Angli, verbo Dei Fidem adjunxerant; nonnulli per orbem terrarum cætus, atque etiam in Anglia Episcoporum, aliorumq; clarissimorum sapientum, conventus agebantur: atque hi divinâ edocti miseratione, cuiq; jam primum peccanti, pœnam imperabant pecuniariam: ejusq; (absque omni divinæ offensionis concitatione) exigendæ munus, Magistratibus (datâ priùs veniâ) deferebant. Proditori tantummodò, ac Domini desertori, hanc mitiorem pœnam haud infligendam existimarunt: quippe qui ejusmodi viro minimè parcendum censuerunt. tum quòd Deus contemptores sui, omni miseratione indignos voluit: tum quòd Christus; illorum, qui ei mortem obtulerunt, non est omnino misertus: Dominum verò præ cæteris colendum statuit. Hi igitur, multis quidem in concionibus, singulorum scelerum pœnas constituerunt; easdemq; literarum monumentis commendarunt.*

SYNODI IN BRITANNIA.

XVII. *Has ego Alfredus Rex sanctiones, in unum collegi, atque easdem literis mandavi. Quarum bonam certè partem, majores nostri religiosè coluerunt. multa etiam mihi digna videntur; quæ à nobis, hac etiam ætate, pari religione observentur. Nonnulla tamen, quæ nobis minus commoda videbantur, ex consulto sapientum; partim antiquanda; partim innovanda curavi. At quoniam temeritatis videatur, ex suis ipsius decretis quemquam plura literarum monumentis consignare: tum etiam incertum sit; qualem apud posteros habitura sint fidem, quæ nos magni facimus: quæcumque in actis Inæ gentilis mei, Offæ Merciorum Regis, vel Ethelberti (qui primus Anglorum sacro tinctus est baptismate) observatu digna deprehendi; ea collegi omnia; reliqua planè omisi. Atque in istis discernendis, Ego Alvredus, Occidentalium Saxonum Rex; prudentissimorum è nostris consilio usus sum; atque eis omnibus placuit, edici eorum observationem.*

XVIII. QUID ALFREDUS IN LEGIBUS PRÆSTITERIT? Hæc omnia Alfredus suis legibus præfixit: benè præfatus se priorum Regum vestigiis inhærere: & nihil ex suo marte, se sapientum consilio, sancire. Unde licet, leges infrascriptæ *Ecclesiastica* vocentur; non est putandum, pientissimum Regem, Ecclesiis jugum, aut leges imposuisse. Fecit tantùm, quod Constantinus, olim, & sanctissimi Principes fecerant; hoc est, sanctis à majoribus, probatisque juribus, ab Episcopis, & aliis, quorum intererat; ipse sæculare brachium accommodavit; voluitque, cives, & provinciales suos, Ecclesiam audire. Et quoniam vulgus hominum, obsurdescit aliquando ad ejus imperia: possunt, & debent Reges, cum petitur, inertes & dyscolos, suppliciorum metu excitare. Alfredus quidem plura composuit, quibus utramque Rempublicam ornandam sciebat: & decreta illa, Lambardus, è Saxonico, in latinum transtulit, in suâ Archæonomiâ. Inde Spelmannus selegit aliqua, quæ Ecclesiam imprimis spectabant. Illa ego, quia Ecclesiasticos Annales scribo; missis aliis, hic apponam. Spelmannus igitur, hanc fecit sequentibus legibus epigraphen.

Leges Ecclesiasticæ ALVREDI Magni Regis Anglorum, è civilibus suis aliis decerptæ.

1. *IMprimis (ut quidem est apprimè necessarium) jurisjurandi, & dati pignoris religionem, omnibus studiosè & diligenter curandam proponimus. Tum si quis necessitate coactus juraverit, pignusve posuerit; quo is ad insidias domino suo parandas, vel ad opem injustè cuivis adferendam, astringatur; resiliat potiùs, quam cœpto insistat, suademus. At si spoponderit, quod justè & legitimè præstare poterit, neque præstiterit; arma fortunasq; suas omnes, amicorum fidei concredito: ipse in custodiam Regiam quadraginta dies mittitor, subiturus id supplicii, quod ei Episcopus pro meritis imposuerit. Hic si ex proprio non habuerit quod edat; cognati sui cibum suppeditanto. Sin autem cognati, (si quos habuerit) ejus victui suppeditando, impares fuerint; ipsum Præpositus Regius sustentato. Atqui si ad armorum deditionem, vi, vinclisq; constrictus perpellatur; armis, & rebus suis omnibus mulctatos. & si contumaciter resistendo mortem occubuerit; solutio æstimationis capitis ejus non esto. Sin fugam agitarit, fugientémque anteverterint, quadraginta dies in carcerem (ut quidem antea fieri oportuit) conjicitor. Verùm si fugâ elapsus fuerit, ab omni legis patrocinio destitutus habetor; atque in omnibus Christi Ecclesiis, anathema esto. Quod si quisquam alius, pro eo fidem dederit; pœnas fidejussionis violatæ dato; & fidei læsæ supplicium, quod ei fuerit à Sacerdote imperatum, subito.* XIX. DE IUREJURANDO, ET PIGNORE.

2. *Criminis cujuscumq; noxius. (si quidem id villam Regis, aut familiam honoratam aliquam non attingat) si ad * fanum confugerit, tres noctes quibus saluti suæ prospiciat (ni interim in gratiam redierit) ibi maneto. At si quis eum per id temporis, plagarum, vinclorum, aut vulnerum metu profligarit; mulcta vel ipsâ capitis æstimatione, prout ejus gentis foret consuetudo, * noxiam omnium sancito. Fani porrò aditus, centum viginti solidorum numeratione, pacis Ecclesiæ violatæ pœnam luito.* Hic legum interpres Lambardus, & paulò etiam inferiùs, abit parùm à mente Legislatoris, & profaniùs, quàm ille, loquitur. Alfredus, in hac lege, de fano non loquitur, nec fani æditui: sed Christiano more, de Ecclesiâ, quam Mynster vocat, & reddi potiùs debuit monasterium, vel Ecclesia: sed qui monasteriis irati, fidemq; illam pessundant, quæ struxit monasteria: etiam nomen ipsum oderunt, gentilium more illud profanantes. Castior hæc Saxonum ætas, à fanis, & prophanis abstinuit. Unde antiqua versio legum Alfredi, juxta Regii

XX. DE IMMUNITATE TEMPLI.

* Saxonicè Mynster *Monasterium*

* obscurum. fortè *Noxam sancito.*

Codicis, & Jornalensis manuscripta exemplaria, ita legem illam reddit. *Si quis ad Ecclesia mansionem, pro quacumq; culpâ confugiat; quæ ad firmam Regis non pertineat, vel alteri commodo deserviat; & venalis sit* (*fortè venalis*) *habeat trium noctium terminum cavendi sibi; nisi reconciliari quæsierit. Si quis* * *in hunc terminum malignaverit eum, vinculis, aut verberibus; emendet singulum eorum, rectitudinem patriæ,* [a] *Wera,* [b] *Wita, & Ecclesia ministris, centum viginti solidos, pro infractione pacis.* Sequitur Lex alia.

apud Spelm. fol. 372.

* infra

a capitis æstimatio. b mulcta.

XXI. De Fidejussione violata.

3. *Qui Fidejussionem Regi oblatam violarit; noxiam, prout æquum est, sarcito; & ipsa fidejussionis violatio, quinque libris Merciorum denariorum pensator. Violatio fidejussionis, aut pacis, Archiepiscopo data, tribus libris æstimator: Episcopis, aut Senatoribus duarum librarum censetor.*

De sacrarum ædium immunitate.

4. *Unicuique porrò templo, religiosè ab Episcopo consecrato, hanc pacem concedimus. Si quis alteri inimicatur; isq; templi suffugium imploravit; per septem dies, à nemine abstrahitor: si quidem præ fame vivere possit, & viam vi non aperuerit. Qui secus fecerit; violationis pacis Regis, & Ecclesiæ tenetor, & criminis etiam gravioris, si quid inde rapuerit. Quòd si æditui magnoperè sit illo loco utendum, illum alia in domo, quæ plura non habeat ostia, quàm ipsum templum inclusum, curanto, famemq; Præpositus* (*Ecclesiæ senior, alia versio*) *ei interim cibus, ne suppeditetur, videto. Veruntamen si is in ditionem adversariorum, arma sua dedere voluerit; triginta diebus incolumem illi eum custodiunto, & tum demum cognatorum in manus traduunto. Porrò autem hoc pacis beneficio Ecclesia fruitor. Si quis commissi alicujus malefici; priùs tamen non patefacti; conscius, ad templum confugerit, idemq; in Dei nomine fassus fuerit; dimidium mulcta ei remittitor.*

XXII. De sacrilegio.

5. *Qui in templo quid clepserit; simplicem rei surreptæ valorem solvito: mulctam pretio rei congruam pendito; & manus quacum furatus est, ei præciditor. Qui si manum pretio redimere voluerit, idque ei concedatur; proprii capitis æstimatione datâ, id facito. Qui die Dominico, Festo Nativitatis Domini, aut Paschatis sacro-sancto Iovis die, aut diebus Lustrationis, furtum admiserit; perinde ac si tempore Quadragesimæ, id flagitii perpetrasset, duplo noxam sarcito.* Qui dies Lustrationis ab hoc interprete vocantur, paullò aliter Saxonicè efferuntur: dicuntur enim *Gang-dagas*: & sine dubio, processionis sive Litaniarum dies intelligit: quas Rogationes vocamus (de quibus infra * copiosiùs) tunc enim clero in Litaniis cantandis occupato, & frequenti populo eum comitante, latrocinia faciliùs committi poterant. Ideò non malè Alfredi mentem retulit alia versio, in hunc modum. *Qui furatur die Dominica, vel in sancto Natali, vel in Pascha, vel in Ascensione Domini: In quolibet eorum volumus dupliciter emendandum sit, sicut in Quadragesimali jejunio.* Illis enim diebus, Saxones peculiari reverentiâ divinis rebus assistebant. Et quod ad Ascensionis dies attinet: graviter in Synodo Cloveshoviæ, sub Cuthberto Archiepiscopo, & anno Domini 747. præcepta erat Rogationum observantia. Sic enim in Canone 16. legitur. *Sexto decimo condixerunt Capitulo, ut Letania, id est Rogationes, à clero, omniq; populo, his diebus ci in magnâ reverentiâ agantur: id est die septimo Kalendarum Maiarum, juxta ritum Romanæ Ecclesiæ: quæ & Letania major, apud eam vocatur. Et item quoque secundum morem priorum temporum, tres dies ante Ascensionem Domini in cælos, cum jejunio usque ad horam nonam, & Missarum celebratione venerantur. Non admixtis vanitatibus, uti mos est plurimis, vel negligentibus, vel imperitis; id est in ludis, & equorum cursibus, & epulis majoribus. Sed magis, cum timore & tremore, signo passionis Christi, nostraq; æternæ Redemptionis, & Reliquiis Sanctorum ejus, coram portatis. Omnis populus genu flectendo, divinam pro delictis humiliter exoret indulgentiam.* Huc respexit Alfredus, cùm Gang-dagas, hoc est, eundi sive procedendi dies, in lege appellavit.

Dies Lustrationis.

* an. 914. n. 3. &c.

Versio Regii exemplaris apud Spelm. fol. 372.

vid. an. 747. n. 11.

XXIII. De raptore monialium.

6. *Qui monialem* (sequitur Lex alia) *de cœnobio, citra bonam Regis, aut Episcopi veniam, eduxerit; centum viginti solidos numerato: quorum sexaginta Regi dantor, residui Episcopo, & ipsi cœnobii præfecto: fœmina verò, & infans* (*si quem procrearit*) *ipso raptore mortuo, superstites fuerint; omni tamen fortunarum ejus parte excidunto. Infans porrò, si quando occidatur, eam æstimationis capitis partem, quæ ad maternam cognationem spectabat, Rex habeto. paterni vero consanguinei, propriam ipsorum partem consequuntor.*

De fornicationibus.

7. *Si quis uxorem viri, mille ducentis solidis æstimati, pellexerit. Dato eo nomine, ejus viro, centum viginti solidos. Si cum uxore hominis, qui sexcentis censetur solidis, fornicetur; pendito solidos centum. Si quis cum uxore hominis pagani, rem habuerit, quadraginta solidos solvito: atque solutio hæc tota, pecude præstanda: homo tamen propterea ne venditor.* Qui hic, & alibi frequenter, ab interprete Pagani vocantur, ne, quæso, puta, gentiles fuisse: nam Saxones omnes Christiani fuerunt: & illis solis, Rex leges dictat. Igitur: intellige; rusticos, qui pagos incolebant: ut patet è voce Saxonicâ Ceorle. unde Regius & Jornalensis Codex, ficto inde verbo, Cyrliscum, & Cyrliscam, fœminam appellavit. Cæterùm antiqui Saxones, ut summæ dignitatis virum Eorle nuncupabant: sic infimæ, liberæ tamen conditionis, hominem Ceorle, dicebant. Unde fluxit vox illa Carles & Churles, quam hodiéque usurpamus.

Paganus, quis?

Ceorle.

Eorle.

XXIV.

8. *Qui mammillas uxoris viri cujuscumque Pagani, manu tractarit petulanti, fœminæ solidos sex numerato. Eam si is humi prostrarit; nec tamen cum illa rem habuerit, decem solidos pendito. Sin cum eâ coierit, sexaginta solidorum pœna esto. Et si quis alius eam prius adulteratus est: triginta tamen solidis noxiam sarcito. Is porrò si propterea in jus vocetur; aut pro ratione sexaginta hydarum, criminationem diluito; aut mulcta partem dimidiam pendito. Illud ipsum, si mulieri illustriori familia oriunda contigerit: mulcta* (*prout ejus fuerit capitis æstimatione*) *augetor.*

De pugna.

9. *Qui præsente Archiepiscopo dimicarit, ferrúmve distrinxerit; centum viginti solidis mulctator: sin præsente Episcopo, aut Senatore, pugnatum fuerit; centum solidis culpa pensator.* 10. *Qui monialis vestem, aut illius ubera, in vita; manu tractarit petulanti; quod ei qui fœminam plebeiam contrectarit, imperavimus, id duplum præstato.*

De monialem contrectante.

De eo qui monacho nummum crediderit.

11. *Si quis Monacho, citra bonam cœnobiarchæ veniam, pecuniam concredetit, eaq; funditus perierit; illius damno sit, qui commisit.*

De sacerdote homicida.

12. *Sacerdos, si quempiam interfecerit; eorum omnium, quæ ope domicilii fretus acquisierit, confiscatio sequitor: eumq; gradu spoliatum, Episcopus è fano pellito: ni Dominum, data capitis æstimatione, veniam illi exorarit.*

13. Qui

DE STUPRO. * castretur. & melius, alia versio.

13. *Qui per vim, pagani hominis ancillam stupr arit; pagano solidos senos numerato: & sexaginta præterea solidis mulctator. Servus si servulam stupravit,* * *virga virilis ei præciditor. Qui teneræ ætatis virginem stupravit, eadem lege tenetor; qua is, qui adultam compressit.*

DE RELIGIOSE VOVENTE.

14. *Si quis Deo se se religione obstrinxerit; eumq; alius criminetur, coram aliquid quæ nuncupavat, non persolvisse: ipse primus in quatuor templis, ejus rei fidem jurejurando firmato. Dein alter (si se criminis suspicione liberare voluerit) in duodecim templis id facito.*

XXV. PUGNA CORAM SENATORE.

15. *Si quis coram Senatore Regio, in frequenti plebis concione dimicarit; tum capitis æstimationem, tum mulctam, prout æquum fuerit, præstato; & Senatori centum viginti solidos numerato. Qui toactam populi concionem, armorum extractione commoverit: dato Senatori centum viginti solidos. Hoc ipsum si præsente alio, quocumque in locum ejus substituto, aut coram Sacerdote Regio evenerit; triginta solidis culpa pensator.*

PAX VIOLATA IN URBE REGIA.

16. *Pacis in Urbe Regia violatæ pœna, centum viginti solidorum esto. In urbe Episcopi, aut Senatoris, sexaginta solidorum censeatur. Pacis violatio in villâ hominis, 1200. solidis æstimati, triginta solidis pensator. In villâ ejus qui 600. censetur solidis, quindecim solidorum solutione sarcitor. Qui pagani sepem perruperit; quinque solidis mulctator. Si tale quippiam in profectione militari, aut tempore Quadragesimæ delinquitur; duplo compensator. Qui tempore Quadragesimæ, velum sacro-sanctum, veniâ non impetratâ, coram avulserit; centum viginti solidos dato.* Intelligit, opinor, velum, quod Christo Cruci affixo, appendi solebat, ab initio Quadragesimæ, ad Paschatis festum usque. & tunc solemni, ac religiosâ cærimoniâ deponi consuevit.

VELUM SACROSANCTUM

XXVI.

17. *Qui terram habuerit, per scriptura seriem, sibi à majoribus relictam; ab hæredibus, ad alios alienandi, potestas ei non esto: si quidem præsentibus cognatis coram Rege, aut Episcopo, scriptura, aut testimonio probetur; omni alienatione eum interdixisse illum, qui prius concessit., talemq; ei imposuisse legem cum primo dederit.* Hinc fortè *feudi talliati*, ut Jurisperiti loquuntur, prima origo: quod ita ad hæredes descendit; ut ab hærede alienari non possit: Quod etiam in Alfredi testamento, ut * suprà recitavi, legitur in eâ periodo, ubi dicit: *Volo quòd illi homines, quibus ego meas liberas terras delegavi; non alienent illas à meâ cognatione, ultra dies suos: & volo quod transeant diebus suis meæ propinquiori cognationi: nisi ex seipsis procreati fuerint filii legitimi. Et tunc ex meo bene-placito permaneant virilis sexûs ab ipsis progenito, quamdiu unus ex eis vixerit super terram. Nam & pater meus eodem modo suam legavit hereditatem.* Talliati ergò Feudi, non ab Edoardo, post conquestum primò, & anno ejus decimo tertio, nec ab Alfredo, sed ab ejus parente Ethelwolfo, principium esto. Porrò, non alia juris solennitas ad illam feudi conditionem petebatur, quàm Regis, aut Episcopi præsentia, & scripturæ series, hæredi tradita. Unde facilè colligis, priscam erga Episcopos reverentiam. Et verò nusquam illustrior Ecclesia, Fides, religio, quàm sub magnis, sanctisque Principibus. Et nunquam sacra magis vilescunt, quàm ubi plebs, & vilissimus quisque in Ecclesiam, & sacra præsumit.

FEUDI TALLIATI PRIMA ORIGO.
* an. 881. n. 11.

XXVII. 18. *Hisce diebus sequentibus* (præcipit Alfredus) *festa liberis & ingenuis omnibus licentia conceditur. Servis autem, atque iis, qui sunt legitimâ affectorum servituti obligati, non item. Duodecim dies à festo Natali Domini. Dies ille quo Christus subegit diabolum. Dies quo agitur anniversarius Beati Gregorii festus. Dies ante festum Paschatis septem; & totidem dies festum illud insequentes. Dies festus Beatorum Petri & Pauli. In autumno, integra, quæ est ante festum Mariæ, Septimana. Dies festus omnium Sanctorum. Quatuor autem diebus Mercurialibus; in quatuor illis septimanis, quibus publicum edici solet jejunium, servis omnibus festa dator licentia; ut omnem eorum operam, in illorum insumant utilitatem. à quibus antehac in Dei nomine, beneficia acceperint: aut de quibus imposterum, ex collocata eorum opera benè promereantur.* Ita refert hanc legem inter Ecclesiasticas Spelmannus. Verùm hæc lex, alio modo dies festos intelligit, quàm communiter solet Lex Ecclesiastica. Hic ergò servis, ingenuis, & liberis hominibus, remissio quædam permittitur, & ab opere feriari; eo ferè modo, quo hodiéque Christi Natalia celebramus: ubi duodecim dies, non Ecclesiastico præcepto; sed civili imperio, festivi dicuntur. Hoc patet in quatuor anni temporibus: ubi quartâ feriâ, servis permittitur suo commodo laborare.

DE DIEBUS FESTIS.

QUATUOR TEMPORA

XXVIII. Sequuntur, in vetustis Saxonicarum legum exemplaribus, aliæ leges, Anglis, Danisque communes: quas Alfredus unà, cum Athelstano, quem è sacro fonte filium suscepit; tunc edixit, cùm fœdus inter utrumque Regem percussum est. Has etiam Spelmannus, eodem sensu, Ecclesiasticas inscripsit, in hunc modum.

ALFREDI & ATHELSTANI LEGES.

Leges Ecclesiasticæ, ab ALVREDO M. Rege Anglorum, & GUTHURNO Rege Anglo-Danorum, in concilio, quo fœdus inierunt, sancitæ.

1. *IMprimis est, ut unum Deum diligere velint, & omni paganismo sedulò renuntiare. Et instituerunt secularem justitiam, pro eo quòd sciebant; quòd non poterant multos aliter castigari; plures vero nolebant ad Dei cultum, sicut deberent, aliter inclinare. Et secularem instituerunt emendationem communem Christo & Regi; ubicumque recusabitur lex Dei justè servari, secundum dictionem Episcopi. Et hoc primum edictum Ecclesiæ, pax inter parietes suos, & Regis, Hundgrith, semper inconvulsa permaneat.* 2. *Si quis Christianitatem suam malè mutat; ut paganismum veneretur verbis, vel operibus: reddat sic Weram, sic Witam, sic* * *Lashlite, secundùm quod factum sit.* 3. *Si quis ordinatus furetur, vel prælietur, vel perjuret, vel fornicetur; emendet sicut factum erit: sic Weram, sic Witam, sic Lashlite. Et erga Deum saltem emendet, juxta Sanctorum Canonum doctrinam, & plegium faciat inde; vel mittatur in carcerem.*

* Legis violatæ mulcta. à Wita differt, quod illa Lege exprimitur. Lashlite minimè.

4. *Et si Presbyter populum suum misdoceat, de festo, vel jejunio, reddat triginta solidos cum Anglis, & cum Danis iii. dimid. marcas.*

XXIX. 5. *Si Presbyter ad rectum terminum, sanctum Chrisma non perquirat; vel baptismum pernegat ei, cui necesse sit; reddat Witam cum Anglis, & cum Dacis Lashlite: id est, duodecim* * *Horis. Et de sublegeris, sapientes instituerunt; ut Rex habeat superiorem, & Episcopus inferiorem; nisi dignus emendetur pro Deo, & pro sæculo, juxta modum facti, sicut Episcopus docebit.*

CHRISMA PERQUIRENDUM.

* Ora melius, monetæ genus. Secundum aliquos 15. faciũt librã.

6. Si duo

DE FRATRIBUS CUM UNA FORNICANTIBUS.

*Non reperitur in Saxonico

*6. Si duo fratres, vel duo cognati, cum unâ aliquâ fornicentur; emendent in omni mansuetudine: sicut eis permittetur: sit VVita, sit Lashlite, secundum modum facti. 7. * Et si ordinatus homo se forisfaciat, in morte plectendus, actibus exsuperetur, & Episcopi judicio reservetur.*

DE REO QUI CONFITERI DESIDERAT SACERDOTI.

8. Et si quis reus mortis, profiteri desiderat Sacerdoti; nunquam negetur ei: & omnes rectitudines Dei pacificentur sedulò, per Dei misericordiam; & per VVitam, quam sapientes addicent.

DE DECIMIS RETENTIS.

*Nummum Romanum vel denariũ S. Petri.

*9. Et si quis decimam contra teneatur, reddat Lashlite cum Dacis, VVitam cum Anglis. Si quis * Romfesh superteneat, reddat Lashlite, cum Dacis, VVitam cum Anglis. Si quis non reddat Symbolum luminis, reddat Lashlite cum Dacis, VVitam cum Anglis. Si quis Dei rectitudines aliquas disforciet, reddat Lashlite cum Dacis, VVitam cum Anglis. Si contra stet, ut hominem vulneret, de VVita componat. Si aliquem dejiciat in mortem, sit exlex; & persequatur eum, cum clamore, omnis qui rectum amat. Et si fatiat, ut occidatur pro eo quod contra rectum, & Regis imperium stet, si hoc probetur, jaceat egilde.* vel ut alibi * legitur: *propterea ne quisquam pendetor.*

*In legibus Edoardi senioris.

XXX.

DE OPERANTE DIE DOMINICO

*Flagellatur vel redimat se.

*10. Si quis in die Dominico, negotiationem facere præsumat; perdat ipsum Capitale, & duodecim oras cum Dacis, & triginta solidos, cum Anglis. 11. Si liber, diebus festis operetur; perdat libertatem suam, VVitam, vel Lashlite. Servus * corium perdat, vel hidgildum. Si Dominus servum suum cogat festis diebus operari; reddat idem Dominus Lashlite cum Dacis, & VVitam cum Anglis.*

DE JEJUNIO NON SERVATO.

12. Si liber homo rectum jejunium frangat; reddat VVitam, vel Lashlite: si servus hoc faciat, perdat corium suum vel hidgildum.

DE ORDALIO.

13 Ordalium, & jusjurandum, festis diebus, & legitimis jejuniis, legibus est interdictum: Et qui hoc fregerit, reddat Lashlite cum Dacis, VVitam cum Anglis. Ordalium porrò dicebatur, quidam criminis purgandi modus: quo Saxones, vel igni, vel aquâ, scelera, vel innocentiam, probabant. Ordalium ignis, nobiles; aquæ rustici, plerumque subibant: Nobiles vel nuda manu ferrum candens (à Sacerdote primò benedictum sacris precibus) ferebant. vel super ignitos vomeres incedere cogebantur. Insons est habitus, qui illæsus hæc faciebat: si secus, sons, & criminis reus.

NEMO DIE DOMINICO OCCIDENDUS.

14. Si fieri possit; nunquam occidatur aliquis in festo Dominicæ diei, quicquid peccaverit; sed capiatur, & servetur, donec transeat festa dies.

* idem

*15. Si quis forisfactus, & de membris disfactus dimittatur: & * eidem post afflictionem per quatuor noctes vivat; potest ei deinceps per Episcopi licentiam subvenire. Si quis ejus doloribus & animæ condescendat.*

DE SORTILEGIIS.

16. Si sortilegæ, vel incantatrices, perjuri & venefici, fœdæ, fœtidæ, vel meretrices alicui compareant; relegantur de patriâ, dispereant omnia, nisi cessent, & profundiùs emendent.

17. Si ordinatus, vel alienigena, seducatur in aliquo, de pecunia, vel vitâ: tunc debet ei adesse Rex, vel Comes illius terræ, & Episcopus gentis illius, pro cognatione, & advocato; si penitùs alium non habeat. & emendet sedulò juxta modum facti, Christo & Regi: sicut decebit, vel illud factum profundè nimis vindicet, qui Rex sit in populo. Hactenus Alfredi leges, quæ licet barbarum sonent, ex eis tamen legislatoris pietatem colligis; Fidemque Regiam.

XXXI. QUANDO CONDITÆ LEGES.

Ad tempus quod attinet; non potest certò constare. Illud solùm affirmari potest, quod durante Danorum tempestate, & Alfredo humi jacente, nulla condendarum legum opportunitas fuit. Verùm, ubi è miseris Rex emerserit; ubi hostem penè profligavit: tum demum Rempublicam componere, & jura civibus dicere potuit: nimirùm sub hoc tempus. Unde non malè etiam hunc annum nominat Spelmannus, ita scribens: *Nulla de condendis legibus cogitatio Rege sine regno, Principe sine populo, exsilente. Superata verò ipsius* (Alfredi) *tandem fortunæ morositate; triumphatisq; hostibus, ad regni, & religionis restaurationem, profligatisq; leges reducendas, adhibuit animum. Fuit hoc anno Domini octingentesimo octogesimo septimo, vel non multum postea.* Ita ille. Cæterùm has Alfredi leges, cum Dacis, confirmavit postea Edoardus, Alfredi filius, cognomento senior. Ubi illas iterum, paulò latiniùs & explicatiùs, recensebo. Exstat & fœdus aliud, Alfredum inter & Athelstanum; quem sacro baptismate non obstante, passim Authores Gothrum vel Gormundum vocant: ubi provinciarum limites assignantur, & alia pauca inseruntur Reip. commoda. Fœdus autem in Lambardi archæonomia ita inscribitur.

Lambardus in Archæonomia.

Fœdus quod ALVREDUS, & GYTHRUNUS Reges, ex sapientum Anglorum, atque eorum omnium, qui Orientalem incolebant Angliam, consultò ferierunt: in quod præterea singuli, non solùm de seipsis; verum etiam de natis suis, ac nondum in lucem editis (quotquot saltem misericordiæ Divinæ, aut Regiæ velint esse participes) jurarunt.

XXXII. FŒDUS ALFREDI CUM ATHELSTANO DANO.

PRimo igitur, ditionis nostræ fines, ad Thamesim fluvium evehuntur: Inde ad Leam fluvium profecti, ad fontem ejus deferuntor. Tum rectè ad Bedfordiam porriguntor, ac denique per usam fluvium porrecti, ad viam Vetelingianam desinunt. 2. Sive Dacum, sive Anglum, quis interfecerit; æquè alteruter (si quidem is rusticus censum annuum impendens non fuerit) æstimator: quatuor scilicet fusilis auri Marcis: atque alterutrius, una ello eademq; redemptio, solidorum nimirùm ducentorum. 3. Minister Regius, si quando homicidii insimuletur: asscitis sibi duodecim aliis Regiis Ministris (si quidem ausus fuerit) omni se culpa liberato. Verùm si alterius fuerit cujusquam minister, Regio nonnihil inferior; undecim sui æquales, unumq; ministrum Regium adhibito; atque omnem sceleris suspicionem oluito. Idem juris ello in omni lite, quæ quatuor Marcas superarit. Veruntamen si is hanc culpa liberationem obire verebitur; ipsa in triplum solutio augetor. 4. Si quis hominem, equum, bovemve mercatus fuerit; habeto qui venditionem illam præstet, atque in se recipiat. 5. Porrò autem eo ipso, quo in hac juravimus, die, statutum est; nè servilis, aut liberæ conditionis quisquam, à nobis ad exercitum iter faciat: néve ab eodem ad nos proficiscatur; ni priùs facti veniam impetrarit: Veruntamen si necessariò eorum aliquis, à nobis pecudes, seu res alias quascumq; mercatus fuerit, aut nobis vendiderit quicquam: id quidem permittatur; ita tamen ut pacis servandæ, & sese sistendi fidejussores adhibeat: ut ea saltem omnia justè ac legitimè nactus esse videatur.

ANNUS CHRISTI 888.

STEPHANI VI. PAPÆ 4.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 18.

I. ALFREDUS DOTAT MONASTERIUM ATHELINGLÆ.

CUM regnum suum sanctis legibus Alfredus munivisset; ad ornandam Ecclesiam & Rempublicam alteram, animum adjecit. Itaque anno Christi octingentesimo octogesimo octavo; monasteria duo, quæ priùs animo conceperat, amplissimis latifundiis prædiisque dotat. Unum in Insulâ, ubi dudum latuerat, in agro Somersetano, de quo dixi ad annum 878. quando Rex insigni potitus victoriâ, voti se reum facit, & latebras Deo consecravit. Cæterùm hoc anno perfectum esse monasterium, & Regiâ chartâ dotatum, ostendi suprà *, cùm chartam recensui. Eodem tempore, alteri sexui cœnobium Alfredus posuit, in urbe, quam * nuper novis ædificiis erexerat: & Septonia dicebatur. *Ibi ad Orientalem plagam Shaftesbiria* (inquit Westmonasteriensis) *habitationem Sanctimonialium fabricari præcepit; in quo filiam propriam, nomine Algivam, Abbatissam constituit, Virginem Domino consecratam: & hæc monasteria* (de Ethelingiano etiam loquitur) *divitiis & possessionibus abundanter ditavit.* Ita ille. Hanc Alfredi filiam Asserus vocat Æthelgeofu. Nam Regis liberos numerans, ita de illâ: *Æthelgeofu quoque monastica vita regulis, devotâ Deo Virginitate subjuncta, & consecrata, divinum subiit servitium.* Iterum de eâdem monasterio præfectâ, loquens, & hoc anno; dicit plures alias illustres virgines, Regis filiam secutas, Christo servisse. *In quo monasterio*, inquit, *propriam filiam Æthelgeofu, devotam Deo Virginem, Abbatissam constituit: cum quâ etiam aliæ multæ nobiles Moniales, in monasticâ vitâ Deo servientes; in eodem monasterio habitant.* Ita ille. Alio etiam nomine vocatur ab Alfredo, in Regiâ chartâ mox citandâ.

* an. 878. n. 20

ITEM MONASTERIŨ SEPTONIÆ.

* an. 880 2. Westm. hoc.

ALGIVA ABBATISSA, hæc est ETHELGEDA, de qua v. 880 o. 3.

Asser. fol. 15.

Idem fol. 19.

II. ECCLESIA DEIPARÆ.

In eo loco Alfredus Ecclesiam erexit Deiparæ Matri, & Sanctis omnibus sacram; ut scirent posteri Regiæ Fidei illustrissimum ornamentum esse pietatem; Dei Matris & Sanctorum cultum. Centum omninò hidas terræ, omniáque, quæ in eis erant prædia; servire Ecclesiæ, & nobilium Virginum usibus fecit; diráque imprecatus est, dictam servitutem, à Sanctorum cultu alienantibus. Sed malo Alfredum ipsum loquentem audire, è Regiâ chartâ, quam antiqua Septoniensis monasterii monumenta exhibent: & apud Harpesfeldum legitur in hunc modum: *Ego Alfredus, in honore Dei, & Sanctæ Virginis, & omnium Sanctorum; dono & concedo vivens, & in prosperitate adhuc vigens, Septoniensi Ecclesiæ, centum hidas terræ, cum hominibus, & aliis pertinentiis; quemadmodum modo se habent, & Ailenam filiam meam, cum eisdem; quæ urgente infirmitate, in eadem Ecclesiâ facta est Monialis.* &c. claudit etiam donationem his verbis: *Quicumque hoc averterit, sit à Deo, & Sanctâ Mariâ Virgine, & omnibus Sanctis maledictus in æternum. Amen.* Hic Alfredi filia Ailena vocatur, quam etiam Elfgivam vocat Malmesburiensis. *Septoniense*, inquit, *monasterium, Sanctimonialibus complevit, ubi & Abbatissam filiam suam Elfgivam instituit.* In Saxonico autem diplomate, quod citat Harpesfeldus, Agelina dicitur. Spedus Ethelgedam vocat. & inde fortè in nostro Martyrologio Ethelgina dicitur. Nam sanctè vixisse, & piè mortuam esse, dicam infrà suo loco, * post annos octo.

CHARTA REGIA PRO SEPTONIENSI MONASTERIO. Harpesfeld. sæc. 9. c. 12

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

Mart. Angl. 9. Decemb.

* an. 896.

III. ALFREDUS INSULAM DISTINGUIT IN CENTURIAS, ET DECURIAS.

Hæc sanctioris instituti hominibus fecit Alfredus Rex, bonorum virtutum seminaria: & ita optimo compendio plurimorum mores composuit. Et quoniam populus tumultibus assuetus, sine legum freno licentiùs vixerat; ingentis Reip. malo: invenit aliud compescendæ plebi, & tuendæ paci utilissimum medium. Enimverò non soli Dani, per agros passim grassabantur; sed eorum exemplo, speratáque impunitate, Angli; vel habitu mentito, vel nomine. Et arduum sine dubio universali morbo remedium fuisset; nisi solertissimus Rex, in curatione vigilasset. Omnem itaque suæ ditionis Insulam, in centurias, decuriásque distinxit; eo ferè more, quem nunc, post tot sæcula servamus. quique ab Alfredo, sub hoc tempus sumpsit exordium. De eo Malmesburiensis. *Verùm inter hæc, miranda, & insigni præconio prosequenda Regis vita interior: Licet enim, ut quidam ait: Leges inter arma sileant: Ille inter stridores lituorum, inter fremitus armorum, leges tulit; quibus sui, & divino cultui, & disciplinæ militari assuescerent. Et quia occasione barbarorum, indigenæ etiam, in rapinas anhelaverant; adeò ut nulli tutus commeatus esset, sine armorum præsidio; Centurias, quas hundred dicunt, & decimas, quas Tithingas vocant, instituit: ut omnis Anglus legaliter duntaxat vivens, haberet & centuriam, & decimam. Quod si quis, alicujus delicti insimularetur; statim ex centuriâ, & decimâ, exhiberet qui eum vadarentur. Qui verò ejusmodi vadem non reperiret; severitatem legum horreret. Si quis reus, vel ante vadationem, vel post, transfugeret; omnes ex centuriâ, & decimâ Regis, mulctam incurrerent. Hoc commento pacem infudit Provinciæ: ut etiam, per publicos aggeres, ubi semita in quadrivium funditur, armillas aureas juberet suspendi, quæ viantium aviditatem riderent, dum non esset, qui eas abriperent.*

Malm. sup.

IV. DISTINCTIO PROVINCIARUM.

Verùm nè nimia esset Centuriarum, decuriarúmque confusio, & inpermixta nomina; descripsit primò Rex Insulam, in Comitatus quosdam, seu Provincias, quas à partitione, vulgus Schyras appellavit. Et has demum in centurias, atque decurias. Præfecturam autem, quæ priùs penes unum vice-dominum erat: in duo divisit. quæ optimè Ingulfus Alfredi industriam laudans, sic exponit. *Porrò*, inquit, *in sui regni negotiis providendis solertissimus, & sagacissimus fuit: Exemplo namq; Danorumq; colore, etiam quidam indigenarum latrociniis incedere ceperant. Quos cupiens Rex compescere, & de hujusmodi excessibus cohibere; totius Angliæ pagos & provincias; in Comitatus, primus omnium commutavit: Comitatus in Centurias, id est hundredas, & in decimas, id est Trithingas, divisit. Præfectos verò Provinciarum (qui antea Vicedomini) in duo officia divisit: id est, in Iudices, quos nunc Iusticiarios vocamus: & in Vice-Comites, qui adhuc etiam nomen retinent.* Hæc ille. Quanti fecerint Alfredi sententiam posteri; in confesso est. Quia post multas annorum centurias, post aliarum gentium leges, moresque introductos: manet tamen adhuc eadem distinctio, eadem officiorum ac magistratuum nomina; & juris ferè eadem dictio. Nam Centuria, & aliquando Comitatus integer, punitur: si in fure comprehen-

Ingul. f. 876.

dendo,

dendo, aut eundem insequendo, fuerit negligentior. Quod etiam ab Alfredo cautum. Hæc prima apud nos Centuriarum origo.

V. A Germanis origo. *Tacit. de Moribus Germanorũ*

Verùm ab antiquis Germanis illam fluxisse, vel inde colligimus, quod narrat de eorum moribus Tacitus: *Centeni*, inquit, *ex singulis pagis sunt: idq; ipsum inter suos vocantur: & quod primo numerus fuit, jam nomen & honor fuit.* Sunt & alia multa ab Alfredo sancita, in Provinciarum distinctione, earùmque œconomiâ; quæ posteri Reges, religiosè servaverunt: sed quia ad alteram Remp. spectant, illa non exscribo. Illud solum observo, menstruos conventus, qui etiamnum habentur, olim ab Alfredo præscriptos, ab antiquis etiam Germanis fluxisse. Quod enim

apud Selden. in Analectis. fol. 90.

ille edixit. *Præpositus quisque, ad quartam circiter quamq; septimanam, frequentem populi concionem celebrato: cuiq; jus dicito æquabile, litésque singulas, cùm dies condicti advenerint, dirimito.* Hoc ipsum

Tacit. supra.

Tacitus innuit, cùm dixit de moribus Germanorum: *Eliguntur in iisdem Conciliis, & Principes, qui jura per pagos, vicosq; reddunt: Centeni singulis ex plebe Comites, consilium simul, & authoritas, adsunt.* Ad quæ verba, ita Lipsius admarginat: *Hoc est*, inquit, *quod* in lege Alamannorum priscâ lego:

Lipsius in Tacit. nota 42.

Conventus autem secundùm consuetudinem aliquam, fiat in omni centenâ, coram Comite, aut suo misso: & coram centenario ipsum placitum fiat. Quem etiam morem à Romanis fluxisse primum existimo. Nam Commodus Imperator, pacem Marcomannis & Quadis, hac lege dedisse perhibetur: *Ne sæpe* (ita refert Dio) *aut pluribus in locis, conventus fierent; sed semel in mense duntaxat, & in uno certo loco: idq; Centurione aliquo Romano præsente.* Sed satis de civili Rep. libentiùs in alterâ versor, ut Alfredi Regis fidem, & sanctitatem, explorem.

VI. Alfred' Romam mittit' eleemosynam, *ut fama hic.* per Athelmum, *Baron. hoc n. 10.* Et quis ille?

Hoc igitur anno, Stephanum Papam Romæ sedentem, Alfredus Rex, missa legatione, muneribusque, coluit: De qõ sic narrat Westmonasteriensis: *Anno gratiæ 888. Æthelinus Wintoniensis Episcopus, Regis Ælfredi, & West-Saxonum Eleemosynas Romam deportavit.* Hunc authorem secutus Baronius, ita scribit ad hunc annum: *Hoc insuper anno, Ælfredus Rex Angliæ, Æthelinum Wintoniensem Episcopum Romam misit, qui illuc eleemosynas ferret. Sed & sequenti anno, collectam universalem, tam clericis, quàm laicis, indixit; pro colligendis pecuniis, quas mitteret; tum Romam; tum etiam Hierosolymam. Ipse verò ex suo thesauro, partem haud mediocrem adjecit. Hæc ex veteribus monumentis, Matthæus Westmonasteriensis collegit; qui & alia innumera refert, quæ Rex maximè pius, in religione Christiana colenda & propaganda, operatus.* Ita Baronius; utriusque anni pietatis opera conjungens: ego distinguendo, quæ hoc anno facta sunt, excutio. Et verò, opus: Nam Æthelinus in Wintoniensi Sede nominatur Episcopus, & unde, quomodo, aut

* n. 3.

quando, eò ascenderit, nescio. Nam anno 879. * Denewulfum illi Ecclesiæ præfectum dixi; qui adhuc superstes est, ex mente authorum omnium. Corrigi ergo debet Westmonasteriensis, ex Hovedeno, Ethelwerdo, & Assero, longè antiquioribus: Hovedenus ita scribit: *Ethelhem Dux Wiltunensium eleemosynam Regis Elfredi detulit Romam.*

Hoveden. an. 888. *Asser fol. 10.*

Idem habet Asserus, qui non ducem, sed Comitem Wiltunensem vocat. Fortè Westmonasteriensem Ethelwerdus fefellit, qui more suo obscurè loquens, diœcescos meminit; ait enim: *Porrò, in eodem anno, quo barbari consederant, ponto in Parisaico: Dux Æthelhelm diœcesis Anglorum, pro populo, accepta à Rege pecunia non exiguâ parte, adiit Romam:* Laicus ergo, non Episcopus, & Wiltunensis Comes, non Wintoniensis Episcopus; pro Alfredo Rege, & subjectis ei provinciis, Stephanum Papam, supremum Ecclesiarum Principem, agnovit, coluitque. & inde (nihil dubito) Sancti nomen, & Magni cognomen, meruit.

Ethelwerd hic.

VII. Quid de Athelmo Harpesfeldus? *Harpesfeld fæc. 9. c. 9.*

Vidit hunc Westmonasteriensis errorem Harpesfeldus, sed non correxit: conatur tamen, è sequentis annis legatione, & Swithelmo tunc oratore, Ethelinum colligere. Ait enim, de Wintoniensibus Episcopis tractans: *Post Denevulphum, Frethestanus* (nimirum fuit Episcopus) *si Malmesberiensi creditur: Matthæus Westmonasteriensis ponit Ethelinum: qui ad annum octingentesimum octogesimum octavum, Alvredi Regis eleemosynam Romam deportavit; de quo, vel quòd Wintoniæ sederit, vel quòd Romam profectus sit, nihil alibi reperio: & vereor ne hic vitium aliquod irrepserit. Lego Swithelmum Asseri Schirburnensis successorem, in Indiam: & ducem Beccam Romam, anno octingentesimo octogesimo nono: & biennio post, Abbatem Beornhelmum cum eleemosyna Alvredi profectum.* Hæc ille. Verùm quod Swithelmum attinet, ille anno 883. eo munere functus est: & qui postea missi sunt in Urbem oratores; & tempore, & nomine differunt. Dicendum ergo, Alfredum Regem, qui sequenti anno Beccam Ducem, Romam misit; hoc anno Æthelmum (ita enim potiùs quàm Æthelinus dicitur) misisse.

VIII. Spelmanni obiectio de eleemosynæ nomine.

Sed audio submurmurantem aliquem, qui audito eleemosynæ nomine; Romæ, & Romanis, irascitur: quod putent Alfredum, tributo Stephanum coluisse, cum immane sit discrimen, eleemosynam inter, & tributum. Ita Spelmannus, cum Asseri verbâ recitasset: *Æthelhelm Comes Wiltunensium, Ælfredi Regis eleemosynam Romam duxit: Verba, inquit, sunt Asseri; qui hoc tempore floruit, Alvredo intimus, & à consiliis. De nummo autem loquitur, quem denarium sancti Petri vocant: Et nota eum hunc, non tributum appellare (ut Polydorus & Romani) sed eleemosynam: Beatum Apostolum secutus; qui Corinthiorum similem λογίαν vocat, & τὴν χάριν, collectam scilicet, atque gratiam, sive liberalitatem.* Ita ille.

Spelman. fol. 374.

Solvitur.

quasi verò, quod primitùs eleemosynæ nomine collatum est; non possit postea stricto jure exigi. quo paradoxo, omnes Ecclesiarum, & Episcopatuum fundationes corruunt: & eò properat, suopte genio, nova factio: nec eget stimulo, aut simili argumento, ad omnium majorum nostrorum labefactandam pietatem, & expilandas Ecclesias, quas illi dotaverunt. In Scillam hanc incidunt, qui Rom. Ecclesiæ potestatem (quam Charibdim putant) tam imperitè declinant. Sed quid? Nummus ille, quem Inas, Offa, Ethelwolfus, & alii pientissimi Principes, Romæ solverunt; non aliud est à collectâ, quam Corinthiis persuasit gentium Doctor, Sanctus Paulus? Respondeo breviter, differentem fuisse: nam illi, quantumvis eleemosyna ab Apostolo impetrata fuisset; ad quotam tamen non tenebantur. dicit enim Apostolus. *Per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se seponat: recondens, quod ei benè placuerit, ut non tum venero, tunc collectæ fiant.* Eleemosynam jubet, sed quantam, qualémve, unicuique liberam permittit. Non ita de nummo

1. Corint. 16. v. 2.

philosophandum. Unus erat Paulus, qui eleemosynam indixit: nec legitur, pœnam non solventibus sanxisse. Non unus Saxonum Rex, sed plures; non unâ vice, sed sæpius; non unâ lege, sed pluribus; nummi solutionem præceperunt, & * pœnam non solventibus. Si Corinthii in collectam, eo modo consenserunt, quo supra vidimus consensisse Saxonem; nimirùm, ut ad eam pendendam; se, posterosque omnes obligaverint; quantumvis Pauli tempore, *gratia* vocetur; quia primitùs gratuitò, & nullâ cogente lege erogatur. Nemo tamen inficias iverit; quin posteri, qui cum eo onere, in majorum bona successerunt, lege teneantur eam solvere. Jam verò, si ab initio, nummus in supremi dominii argumentum persolutus est; jussùmque, ut æternùm solvatur: quis nescit, tributi nomen sortiri; pensùmque servitutis esse? & stricto jure Ecclesiæ debitum: quocumque demum alio nomine vocari placeat. Meliùs ergò Seldenus, Jurisconsultus, (modernus licet) *quicquid*, inquit, *civili titulo debetur, debitum justitiæ, non charitatis appellatur*. Hinc statim audiemus, Anglorum & Danorum Reges, civibus graviter comminantes; quòd tardi & oscitantes fuerint, in census hujus solutione. quia nimirùm omni jure debitum. Benè igitur Polydorus, & Romani, tributum appellaruot id, quod Occidentalium Saxonum Reges, Romæ, Ecclesiarum Principi, parentique suæ, & ipsi solverunt; & lege lata, in quam cives consenserant; à posteris solvendum edixerunt. & nunc primùm degeneres filii recalcitrant; nihil veriti divinum oraculum; non habituros Deum Patrem, qui Ecclesiam nolunt habere Matrem.

* v. an. 944. n. 17.

Selden. de Decimis. fol. 15.

ANNUS CHRISTI 889.

STEPHANI VI. PAPÆ 5.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 19.

I. Gurmundus Danus moritur.

Gurmundus ille Danus, qui à baptismo Athelstaous dictus, Orientales Anglos rexit; cùm duodecim aonos, provinciam tyrannide, magis quàm imperio, administraret; moritur anno Christi octingentesimo octogesimo oono. & Ericum quendam, natione pariter Danum, fortunæ suæ hæredem reliquit. Ita sub duobus Principibus, qui externi fuernnt, gemuit Provincia, donec Alfredi Regis è filio nepos, Athelstanus alter, Danos nimiùm tumultuantes pressit, & exuit imperio. Hæc omnia refert Malmesburiensis in hunc modum. *Gurmundus, datas terras, tyrannico fastu, undecim annis proterens, duodecimo vitam finivit. Posteris quoque perfidia successionem transmittens; donec à nepote istius Alfredi, Athelstano, subjugatis Regem unum Angliæ fieri, vel inviti concesserint.* Per *datas terras*, intelligit Author Northumbriæ regnum, & Orientalium Anglorum. utrumque enim (quicquid dicat Polydorus) Dano datum. Qui primò in Oriente, mox in Septentrione Sedem fixisse: inde in Orientem reversus, ibi demùm mortuus videtur. Nam in Suffolciensi agro sepultus creditur, ad Hadley oppidum, ut è nostris historicis affirmat Camdenus. Quòd Christi Fidem in baptismo susceptam deseruerit, nusquam

Ericus succedit.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

reperio: parcè tamen ab Authoribus laudatur. Nam Ethelwerdus, ad hunc annum ita scribit. *Tum & orco tradit spiramen Guthrum Borealium Rex Anglorum, qui & Ethelstan à lavacro baptismatis sumpserat nomen, à suo patrino Rege Ælfredo, cujus consessus maximè fuerat inter Orientales Anglos, quoniam ibi statum tenuerat primum.*

Ethelwer. hic.

II. De anno mortis.

Quod ad mortis annum attinet, conveniunt Authores, huc referendum esse. Qui enim Provincias supradictas ab Alfredo accepit, anno Christi octingentesimo septuagesimo octavo, ut ibi dictum: & qui undecim annis illas tenens, duodecimo mortuus est, ut dixit Malmesburiensis; rectè mors ejus ad hunc annum consignatur. Quare, quod Huntindonius dixit: *Alfredi Regis anno decimo nono, Godrun Rex Dacus, qui fuit filiolus Alfredi Regis, & regnavit in Estangle, luce demptus est.* hoc ipsum Hovedenus expressit, cùm ait: *Anno octingentesimo octogesimo nono, Guthrumnus Rex, quem de sacro fonte Rex Elfredus susceperat, nomen ei Ethelstanum imposuit, obiit.*

Huntind. l. 5. fol. 351.

Hoveden. hic.

III. Athelredus Archiepiscopus, moritur.

Hoc etiam anno, moritur Ethelredus, Dorovernensis Archiepiscopus: qui è monasterio assumptus, Wintoniensis primò factus est Episcopus Et inde per annos octodecim, Dorobernice sedit, Danorum tempestate jactatus. De morte ejus sic scribit Parkerus. *Athelredus Archiepiscopus, post duodecim annos in hac Sede (Dorovernensi) completos, morbo & senio confectus, obiit: sepultus in Ecclesiâ Christi Cantuariæ jacet.* Addit Godwinus, eo sedente, *omnia in universum Angliæ cœnobia, ab immanissimis Danis, non solum direpta, sed etiam diruta sunt: adeò ut per spatium nonaginta annorum, monachismus in Angliâ ubique cessaret. In Septentrionali verò plagâ, per annos plus minùs ducentos, nec Monachus visus fuerit, nec Monialis. Sed clerici conjugati, cœnobia paulatim reparata, incolebant. unde difficulter postea ejecti sunt. Obiit Athelredus anno octingentesimo octogesimo nono.* Hæc ille, a Parkero mutuatus; cujus figmentum de monachorum omnium per tot annos, interitu, supra * everti. & duo nuper fundata monasteria, unum virorum Adelingiæ; aliud nobilium Virginum Septoniæ: ubi hoc anno Alfredi filia, & *aliæ multæ nobiles moniales* (sunt Asseri verba tunc viventis) *in monastica vita Deo servientes, habitabant*: satis ostendunt monachismum in Angliâ, oon omnino cessasse.

Antiq. Brit. in Athelredo.

Godwin. in Athelredo.

* an. 876. 7.

IV. Clerici e monasteriis difficulter ejecti.

Cæterùm quod dicit: clericos conjugatos, cœnobia tenuisse: unde difficulter postea ejecti suot: habet umbram aliquam veritatis. Nam revera, in illâ rerum omnium inclinatione; cùm Danus ubique grassaretur, & Sanctitas esset in summo periculo (illam imprimis Danus petebat) Tunc, inquam, negligentior clerus, à castitatis quam voverat orbitâ deflexit: non, *in conjugio legitimo piè vivendo*, ut suprà * persuadere conatur Parkerus: sed nolens carere consortio fœminarum; non uxorum, sed pellicum loco, illas retinebant. Et sanè, Ethelredi tempore, hic morbus cœpisse videtur (libenter enim, ut Fidei, & sacrorum rituum, ita perfidiæ, & malorum morum, originem investigo) Nam Ethelredi Successor, non solùm à suis, sed ab externis etiam, laudem merebitur, quòd pessimo malo, & fœtido carcinomati, remedium adhibuerit. Unde valdè misereor protestantium Ecclesiæ; quæ cum in luce seculorum, nullam emendicare lucem possit: ut

* an. 876. 8.

olim

olim ad Britannorum noctem, consugere coacti sunt, quò factionis socios invenireot; cùm rumirum infidelis Saxo, omnia temerasset; sic in hac Danorum tempestate, cùm Ecclesia, & omnia sacra loca, prophanata, destructa, dispersa, in tenebris jacerent; & jura, leges, Canonésque, silere cogerentur: nescio quas ex hoc naufragio, tabulas colligunt: & inde, malè materiatam Bebelem ædificant. Ego igitur, quia historiæ ordo postulat; lucem aliquam his tenebris admovebo, excutiam has tabulas. quas Novatores adorant: & quinam hi *clerus conjugati* (ut Godwinus) aut *presbyteri in conjugio piè viventes*, ut alter, fueriot, indagabo, si priùs primæ Sedi Præsulem dedero.

V. Plegmundus Archiepisc. Dorovernen. v. an. 872. 2. Doctissimus, *Godwin. in Plegmundo.* Monachus et Eremita

Ethelredo mortuo, Alfredus Rex, ad Dorovernensem Sedem coosecrari fecit Plegmundum, quem è Merciis evocatum, consiliorum suorum participem fecerat; virum primâ Sede dignum. Nam de eo hæc habet Godwinus: *Plegmundus, omnium sui temporis, vir doctissimus; in Mercia oriundus, adolescens adhuc monasticam amplexus vitam: complures annos eremita vixit, in Insulâ Cestria, quæ ab ipso Plegmundsham dicta putatur. Inde, ut Alfredum Anglorum Regem potentissimum institueret, assumptus est: cujus operâ Archiepiscopus designatus, Romam profectus, ibi consecratus, à Formoso Papâ pallium accepit.* Hæc ille. Verùm quòd pallium dicat à Formoso acceptum, puto Stephanum legi debere, nam alter non oisi post biennium sedit. Cæterùm de Plegmundo, quòd vocet virum doctissimum, oou malè loquutus est: nam Parkerus

Antiq. Brit. in Plegmundo

etiam eum appellat, *literarum sacrarum scientiâ, reliquos sui temporis præstantem*; & gaudeo virum talem à Novatoribus laudatum, primam inter Anglos Sedem tenere. Cum enim dudum Ecclesia Anglicana, sub Dania gemuerit, & infirmata sit; potuit facilè morbum concipere: & medica manu, indigere. Cum ergo modo dixerimus; clericos à castitate orbitâ exerrantes, in monachorum cœnobia irrepsisse; videamus quid de illis senserit Plegmundus. Si enim vir ille, *sui temporis doctissimus*, aut si mavis, *sacrarum literarum scientiâ præstans*, eosdem toleravit, indulsitque quietem: haberet revera Novatores ansam gloriandi; quòd clerici hoc sæculo, & in sacris constituti; concubinas, non impunè tantum, sed doctissimi viri, & in Sacris literis eruditi, indulgentiâ, habuerint. Verùm si ille contra dixit, fecitque; si morbum id, & naturæ vitium, putavit: si magno conatu, ab omni Ecclesiâ profligare conatur; malo certe loco stat modernorum factio: & ministrorum novissima generatio, ex opòmi corruptione fluxisse, & optimorum suffragio damnata, probatur.

VI. Quid senserit Plegmundus de Clero laxius viventi.

Authores, & historici nostri, tegunt ferè silentio, clericorum hujus temporis vitia, quia Alfredi regnum & Ecclesiam, tristi rerum narratione, devirginare noluerunt. Exteri tamen, qui alibi gentium Ecclesiis præerant, & vigilabant in zizania; notaverunt emergens ex Oceano nostro, monstrum, quod Fidei splendorem, pietatemque denigrasset: nisi Plegmundus in eo domando, premendóque, industrius fuisset. Fulco Rhemensis Archiepiscopus, audito Plegmundum in Ethelredi locum successisse; scripsit ad Alfredum Regem, laudavitque factum: nimirum quòd eum in primam Sedem nominasset; qui enatum nuper errorem, & posset, & vellet, docta, medicáque manu, tollere. Harum literarum meminit Flodoardus, & quantum ex argumento colligi potest, videntur hoc anno datæ, cum Plegmundus primum Dorovernensem sedem ascendit. Sic enim ille de Fulcone narrat: *Alvrado Regi transmarino, amicabiles literas mittens, grates refert; quia tam bonum virum, & devotum, Ecclesiasticisq; regulis congruentem, destinaverit Episcopum in Civitate Cantaburis nomine. Audierat enim, quòd perversissimam sectam, paganicis erroribus exortam; & in illa gente tunc usque relictam, verbi mucrone satageret amputare. Quæ secta suggerere videbatur. Episcopis & Presbyteris, subintroductas habere mulieres: ad propinquas quoque generis sui, quinq; vellet, accedere. Insuper, & sacratas Deo fæminas incestare, & uxorem habens, concubinam simul habere. Quæ omnia, quam sanæ Fidei sint adversa, documentis manifestat evidentissimis, ex sanctorum Patrum probatis authoritatibus.* Hæc ille.

Flodoard. in Hist. l. 3. c. 5.

VII. Quis Albradus Rex, et Episcopus?

Baronius hoc recitans Epistolæ argumentum, hanc *perversissimam sectam* vocat Nicolaitarum repullulantem hæresim. Sed nihil de Albrado Rege, nihil etiam de Episcopo determinat. nusquam enim illi Albradi Regis nomen alibi occurrerat. Cæterùm ègo, Fulconem non ad alium scripsisse, quàm Alfredum nostrum, nec de alio antistite, quàm Plegmundo, locutum, nec aliam hæresim, quàm clericorum quorundam sacrilegia insectum esse, ex multis co go. Alfredi oomen, non uno modo scriptum, sed pro authorum genio, differenti suprà vidimus. Communiter autem Alvredus dicebatur, non quadrosyllabus, sed v, tactâ consonante trisyllabus Alvredus. Quo posito, in Albradum facilis est deflectio. Adde, cum Episcopi sedes Cantaburg appelletur, certum est primam Angliæ sedem intelligi, quæ hactenus Dorovernia, nunc incipit Canmaria dici. Unde Flodoardi historiæ, in magna Patrum bibliothecâ, ubi hoc Fulconis argumentum refertur; hanc habet marginalem notam: *Albradus Rex Angliæ.* Sed scribi debuisset Alvredus. Sic enim Baronius quoque eum Angliæ Regem agnovisset.

VIII. Pleonicus a Fulcone Plegmundus vocatur.

Jam verò quòd Plegmundum Fulco intellexerit, qui hoc anno consecratus est: & quòd sacrorum hominum incestum imprimis persecutus sit; patet ex aliis literis, quas idem Fulco, ad Pleonicum Archiepiscopum transmarinum scripsisse perhibetur, de quibus Flodoardus agit, eo capite, quod de scriptis ad Episcopos literis inscribitur. ubi Fulco transmarino Archiepiscopo congratulatur, quòd opem operámque posuerat, in extirpando vitio, cujus in Albradi literis meminerat. Quale autem id fuerit, satis clarè significat Epistolæ argumentum, quod in Flodoardo sic legitur: *Pleonico* (scripsit Fulco) *Archiepiscopo transmarino, congratulans bonis ejus studiis, quibus eum laborare compererat, pro abscindendis, & extirpandis incestuosis luxuria fomentis, supra in his literis, quæ Albrado Regi scripserat, commemoratis: quæ in ea gente videbantur inolevisse: sacris eum instruens, & armans authoritatibus censura canonicæ: particeps nimirum piis ejus laboribus cupiens existere.* Cum ergo transmarini Regis, & transmarini Archiepiscopi, mentio concurrat in Cantaburg: & utrobique laudetur pium conamen, vitia, quæ inoleverant, persequendi. Superest, ut inspecto Ecclesiæ statu, colligamus eos nævos, quæ illustrissimam aliquando Ecclesiæ faciem obscurarunt. Et, certè aliud non occurrit; quàm quòd fugatis monachis, & austerioris vitæ cultoribus, successerint alii laxius viven-

Flodoard. hist. l. 3 c. 6.

tes; qui silvescente provincia, & ipsi paulatim io vitia defluxeritu. donec compositâ iterùm Rep. sub sanctis, doctisque Regibus, & Episcopis; Ecclesia urgere sacros Canones, & disciplinæ nervos intendere potuit. Quod certè fieri cæptum, cum superans Danis, Alfredus in Occidente, & Plegmundus in Cantio, ad utriusque Reip. clavum sederunt. Tunc enim Fulcone teste, in incestuosa luxuriæ fomentis extirpandis, ab optimo quoque laboratum: ut infrà* etiam à Romano Pontifice.

* an. 864. n. 7. & 11.

IX. APOSTROPHE AD PROTESTANTIUM EPISCOPOS.

Ubi nunc estis Neo-præsules, Parkere, & Godwine? quo quæso loco habendi *clerici conjugati*, aut Presbyteri vestri, qui in conjugio legitimo piè vivebant? Quis illos unquam pios appellavit, priùs, quàm Martinus Lutherus, sacratam Deo fœminam incestavit? quòd hic *perversissima secta paganicis erroribus exorta*; *sana Fidei adversa*; *Nicolaitarum hæresis* appellatur. & vexatur ab iis, quos *viros doctissimos, sacrarum literarum scientia præstantes* fuisse vos ipsi non diffitemini. Si Fulco Rhemensis Archiepiscopus, nemini eruditione secundus; si Alfredus Rex potentissimus, pietate & prudentiâ illustris; Plegmundo in eradicando zizania illa sese conjunxerunt: Si nemo (ante Lutherum) nominari potest. Gnosticos excipio, & illa naturæ excrementa: qui Sacerdotum conjugia probaverunt: importuna est, hoc loco, conjugatorum mentio: ubi nullum Anglicano clero ornamentum; nulla ordini dignitas, nullum factioni vestræ subsidium, accedit: refricatur tantùm memoria eorum scelerum, quæ sæculum dehonestare, patriam maculare, Sacerdotium obscurare noscuntur. Hæc fortè causa, cur Scriptores nostri, nullâ adhuc hujus maculæ mentione factâ; nihil de Fulconis literis, nihil de Plegmundi industriâ, nihil de peste illa curandâ narraverunt. Ego cogor illam aperire, & veritatem retexere: quia Parkerus, & Godwinus, pro Sacerdotibus in conjugio viventibus, importunè advocarunt; & cogor excutere: quæ demùm illa macula, quam in Anglicano Sole Fulco deprehendit. in quo si *factus sum insipiens*, liceat mihi dicere: *vos me coegistis*.

2. Corint. 12. v. 11.

X. SACERDOTES SÆCULARES.

Non sum nescius, famam eundo crescere solitam: & longè positis Monstrum quandoque videri deformius; quàm si propiùs, & non obliquo oculorum intuitu, illud conspexeris: Sacerdotes aliqui, dicti sæculares; quia nullis Regularium institutis tenebantur. Horum, inquam, aliqui (nam nefas id omnibus imputare, quod pauci, & pessimi peccaverunt) *subintroductas habere mulieres*, cùm aliquamdiu consuevissent. Moniti postea ab Episcopis, id sacris Canonibus adversari; obstinaverunt aures, animúmque, & relinquere illa carnis lenocinia noluerunt. Ita planè à Sacerdotibus hoc tempore aliquando peccatum; quæ infrà sæpè dicentur, satis ostendent. Cæterùm quod Fulco addit *de Episcopis, & sacratis Deo fœminis*, auxesis est, nec vestigium apparet illius impietatis. Puto tamen dyscolum clerum, cum à saniore clero, de sacrilegio postularetur; ea argumenta in criminis patrocinium protulisse, quibus omnis ordo & sexus, tegere potuissent turpitudinem illam. Et quia obstinatè hæserunt aliqui in illo cœno: & quia vitæ scandalo, quia pessimo doctrinæ semine, infirmiores corruperant; ideò *perversissima secta*, non immeritò appellatur. Cæterùm commendatur Alfredus, quòd Dorovernensi Sedi virum præfecerit, qui in illam insurgeret, & denique Plegmundus, qui corruptè Pleonicus scribitur; à Fulcone animatur, ad stirpitùs evellendum, ex agro dominico lolium illud, quod purissimum orthodoxæ Fidei granum, posset inficere.

XI.

Fuit certè, ut infrà patebit, magnâ opus industriâ; & non unius hominis, aut sæculi labor; perversum, & diu molitum, libidinis impetum, cohibere. & benè dixit Godwinus: *Clerici conjugati cœnobia incolebant: unde difficulter postea ejecti sunt*. Nam præter singularia, & frequentia Episcoporum monita, prolata Pontificum decreta, & totius Occidentis consensum: habita sunt sæpè in Angliâ Concilia, & Provinciarum Synodi; latæ ab Episcopis leges, probatæque ab omnibus: ægrè tamen curatum ulcus, quod diuturnitate temporis, animorum obstinatione, & pessimæ consuetudinis pondere, vires, & virus collegerat. Viderat hoc malum Alfredus, priúsquam è Belgio Grimbaldum vocasset: Quem ideò imprimis vocasse putatur, ut Wintoniensi cœnobio, quod sæculares Presbyteri insederant; cum Abbatis potestate præesset. Sed fuit Grimbaldo, cum clero illo, priùs certandum; quàm, aut tyrones in novam militiam scribere, aut veteres incolas, ad novum Sacramentum, cogere posset. Ideò à præfecturâ illâ, toto Alfredi Regis tempore abstinuit. Et eo mortuo; cùm Belgium repetere statuisset; Edoardus filius, paternæ voluntatis memor; cùm virum eruditione & Sanctitate præstantem, nollet dimittere: nec ipse clero licentiùs viventi, præesse: novum Wintoniæ monasterium Grimbaldo exstructum: quia fortè clerici, laxiùs viventes, pelli è veteri monasterio noluerunt. Ad dictorum firmitatem, vix opus alio argumento, quàm illius cœnobii appellatio subministrat, nam passim, in Annalibus, & historicis, audit: *Novum monasterium, ad discrimen veteris, quod etiam à primâ fundatione, Monachis positum, vetus monasterium* dicebatur.

Godwin. in Ethelredo.

XII. MONASTERIA MONACHIS, NON CLERICIS ERECTA.

Falluntur ergò, quotquot putant; aut vetus, aut novum Wintoniæ monasterium, sæculari clero positum esse: nam vel ipsa loci nuncupatio refragatur. Sic admodum fallitur Camdenus, de Wintoniensi Ecclesiâ, quam Regum sepulturâ illustrem facit, ita scribens: *Saxonibus etiam Ealden-mynster, id est vetus monasterium dictum erat, ratione alterius recentioris, Newan-mynster; id est novum monasterium. quod Alvredus conjugatis Presbyteris posuit: uti & vetus illud antea fundatum erat.* Hic opus est novo lexico, pro nova Protestantium fide confirmandâ. Monachus, qui à solitudine nomen accepit; & prohibet maximè commercia fœminarum (ut Philo Judæus) Sacerdotem significare debet conjugatum, & uxoratum: aut causa cadent, tam rei clerici, quàm advocati eorum. Dicamus ergò, quid revera factum. Alfredus nullum Wintoniæ, nec vetus, nec novum monasterium fecit. Sed filio faciendum, & illi Grimbaldum præficiendum, mandavit: non ut Sacerdotes conjugati ibi viverent (Quid enim opus, viro doctissimo, & monasticis disciplinis erudito, ad illos instruendos?) Sed ut regularis disciplina, quæ a Danorum ingressu tepuerat; iterum florere, & Ecclesiam, Provinciámque beare posset. Ita factum. Grimbaldo erectum est (ut dicetur)

Camde. in Hampshire.

Philo de vita contemplativa.

novum

novum monasterium; ut monasticam disciplinam eò introduceret: Ipse Abbas effectus, Monachos docuit; ibi post annos aliquot piè consenuit. Quòd ipse monachorum potiùs, quàm clericorum, pater fuerit; colligitur ex ejus vitâ, ubi sic legitur: *Rex Alfredus, constructo apud Wintoniam novo monasterio, Grimbaldum Abbatem constituit. (nimirùm ita fieri testamento mandavit) qui congregatâ Monachorum catervâ, Abbas, & Doctor eorum venerabilis effectus; literis, & moribus discipulos instruxit.*

apud Capgrav. in Grimbaldo.

XIII. Non abnuerim inter hos discipulos, minorum ordinum clericos fuisse; & majorum fortè, qui ad Sacerdotium properabant. Imò non dubito, quin Sacerdotum aliquando operâ usus, Ecclesiam suam, & sacra, Grimbaldus administrarit. Non enim, uno impetu, *Monachorum catervam*, ut ille loquitur, colligere potuit; aut flores in tantâ temporum hieme; qui & monasticis simul & Ecclesiasticis usibus sufficerent. plantare debuit, rigare debuit, laborare etiam, ut incultæ hominum mentes, ad virtutem primò, inde ad omnem perfectionem formarentur. Principio igitur, & in primis cœnobii rudimentis, clerum habuit; qui sacris in Ecclesiâ operari, & laicis Sacramenta porrigere, ad Grimbaldi imperium possent: aliis silentio perfectionem addiscentibus. Eo ferè modo, quo Augustinum nostrum; in nascente Saxonum Ecclesia fecisse diximus: Qui in Galliâ clerum ascivit, laborum suorum comites, interpretes, atque συνέργους: quos in Insulâ postmodum, Ecclesiasticis officiis, præsertim in Cathedralibus adhibuit. Loca tamen, quæ ipse, Mellitus, Laurentius, aliique incoluerunt: non à clero, sed à monachis sociis, quos, ex M. Gregorii præscripto, secum habere debuerunt; monasteria appellata; ut per se patet. Et quemadmodum in primo illo Fidei ortu, post Augustini mortem, clerus Monachis litem movit: quam Romana Synodus aliquando, Mellito præsente, composuit: ita postea; rebus præsertim turbidis, erupit facilè controversia, & mater filiorum Zebedæi, pro primo consessu, avidiùs, quàm pientiùs intercessit. Sed nunquam magis, quàm ubi degener clerus, in perversissimam sectam crevit: & messuit id quod Monachi seminarunt. Tunc enim, quà locorum dulcedine, quà bonorum affluentia, quà naturæ vitio, elumbes facti; Sacerdotium aliquando infami crimine macularunt. Et hi è monasteriis difficultèr ejecti. Ejecti tamen, quoties vel pii Principes in Insulâ regnaverunt: vel Sancti Præsules præfuerunt Ecclesiis: ut sequenti sæculo clariùs apparebit. Nunc historiæ filum resumo.

XIV. ALFREDI LEGATIO ROMAM. Anno gratiæ octingentesimo nono (narrat Westmonasteriensis) *Alfredus præcepit omnibus Angliæ Episcopis, & viris religiosis, fidelium eleëmosynas colligere; collectasq́ Romam atque Hierosolymam destinare. Rex quoque de thesauro suo, non modicam portionem, fidelium eleemosynis unitam, ad loca præscripta transmisit.* Quis legationem obiverit, ab Authoribus controvertitur. Ille præ cæteris falsus est, qui Antiquitates Britannicas scripsit: dicit enim, Alfredum Regem, eleemosynas collectas, per Athelmum Wintoniensem Episcopum, transmisisse. Nec enim unquam Athelmus Wintoniæ sedit: & qui putatus est Wintoniensis Episcopus; non hoc, sed superiori anno, Romam perrexit.

Antiq. Brit. in Plegmundo.

Meliùs igitur Ethelwerdus: *Abbas*, inquit, *Byrnhelm, Romam pro populo eleëmosynam duxit, & maximè Occidentalium Anglorum, & Regis Ælfredi.* Wigorniensis Ducem Beccam, Alfredi Regis Oratorem facit; hoc anno magis probabiliter: existimo enim Byrnhelmum post sequentem annum, ut dicemus: Ducémque hoc anno Romam ivisse, omnium Anglorum, & inprimis Alfredi Regis, Fidei ac pietatis interpretes.

Ethelwverd. hic. Wigorn. hic.

Quòd si causam scire vis; cur toties, tam solenniter, & ut apparet, extra ordinem, rationémque communis, & annui census, quem Insula mittere solebat; in Urbem itum sit, collectæque in eum finem, fidelium largitiones: illud imprimis occurrit: Stephanum Papam, initio Pontificatu, non solùm Saracenorum impetus Urbi imminentium; sed summam rei familiaris inopiam, direpto spoliatóque palatio, ferre coactum. Nam ita mox scripsit ad Basilium Imperatorem: *Mittas præterea*, inquit, *qui mœnia nostra custodiant, ab Agarenorum incursibus. Reliqua verò silentio prætерimus: cum neque oleum sit nobis, pro luminaribus Ecclesiæ, juxta debitum Dei honorem.* Sufficiebat Alfredo hanc Romanæ Sedis egestatem, auditione solâ excepisse. Quamobrem excivit eâ occasione omnem Angliam, ad honorem parenti deferendum. Simili pressam calamitate Hierosolymorum Ecclesiam, redditur probabile: tum ex missâ hoc anno eleemosynâ; tum ex datis ultro citróque literis: de quibus Asserus ita loquitur: *Nam etiam de Hierosolymâ Abel Patriarchæ Epistolas, & dona, Alfredo directas, vidimus & legimus.* Unde illustrissima redditur Alfredi Regis pietas, quòd laborantibus Ecclesiis, ipse vix è miseriis emersus, & longè positus; tam devotè adfuerit. Sed quoniam incidi in Alfredi munificentiam, volo caput aliud absolvere: nimirùm ut ipse rem familiarem in pios usus distinxerit. Qui enim foris Provincias, jura, Ecclesias, & publica omnia accuratè digesserat: nihil volebat domi esse confusum, nihil non ex arte & pietate, pendens.

XV. CAUSA TOT LEGATIONUM.

apud Baron. an. 885. n. 15.

RO. ECCLESIÆ INOPIÆ.

Asser. fol. 17.

ALFREDI MUNIFICENTIA.

Collegit ergò, per omne regnum, annuorum censuum summam, quam regionatim definitam, in Wintoniensi palatio deposuit: rationémque iniit, eam summam, optimo quo potuit modo dispensandi. Et quoniam legerat è sacrâ paginâ, Decimam bonorum Deo cordi esse. Legerat etiam Majores suos, Ethelwolfum, & alios, Deo, Ecclesiæque, regnum decimasse: *Instigatus hoc exemplo* (loquitur Asserus) *& antecessorum morem volens transcendere, dimidiam servitii sui partem, diurni scilicet & nocturni temporis; necnon dimidiam etiam partem omnium divitiarum: quæ annualiter ad eum, cum justitiâ moderanter acquisita, pervenire consueverant; Deo devotè, & fideliter, toto cordis affectu, pius meditator se daturum spopondit. Quod & quantum potuit humana discretio discernere, & servare; subtiliter ac sapienter adimplere studuit. Sed ut solito suo more, cautus evitaret, quod in alio divina Scriptura loco cautum est: Si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccas. Quod Deo libenter devoverat, quomodo rectè dividere posset, cogitavit. Et, ut dixit Salomon: Cor Regis in manu Domini: id est consilium. Consilio divinitùs invento omnium uniuscujusque anni censuum successum, bifarie primitùs, magistros suos dividere æquali lance imperavit. His ita divisis, partem primam sæcularibus negotiis pertinere addixit. Quam etiam, in tribus partibus*

XVI. BONORUM DISTRIBUTIO.

Asser. fol. 19.

sequestrari

sequestrari præcepit. Cujus primam divisionis partem suis bellatoribus annualiter largiebatur: Item suis ministris nobilibus; qui in curto Regio vicissim commorabantur, in pluribus ministrantes ministeriis. Ita enim ordinabiliter agebatur regalis familiaritas, tribus omni tempore vicissitudinibus. In tribus namque cohortibus, præfati Regis satellites prudentissimè dividebantur: ita ut prima cohors uno mense, in curto Regio, die noctuque, administrans commoraretur, mense finito, & adveniente aliâ cohorte; prima domum redibat. Et ibi duobus, propriis quæris necessitatibus studens, commorabatur mensibus. Secunda itaque cohors, mense peracto, adveniente tertia, domum redibat: ut ibi duobus commoraretur mensibus. Et hoc ordine, omnibus vitæ præsentis temporibus, talium vicissitudinum in regali curto rotatur administratio. Talibus itaque primam de tribus prædictis partibus; unicuique tamen secundùm propriam dignitatem, & etiam secundùm proprium ministerium, largiebatur.

XVII.

Secundam autem operatoribus, quos ex multis gentibus collectos, & comparatos propemodùm innumerabiles habebat, in omni terreno ædificio edoctos. Tertiam autem ejusdem partem, advenis ex omni gente ad eum advenientibus, longè propèque positis; & pecuniam ex illo exigentibus, unicuique secundùm propriam dignitatem; mirabili dispensatione laudabiliter, & (sicut scriptum est, Hilarem datorem diligit Deus) hilariter impendebat. Hactenus ille, de primâ divitiarum censuumque annuorum parte. Hoc factum Regium, multi fortè Principes cum voluptate legent, probabuntque; sequentur, vereor, pauci. Redditur tamen illustrius, quod in alterâ Regiæ substantiæ fortunæque portione, perfectissimè ordinarit charitatem. Nam ita illam digessit in partes quatuor, votoque quod digesserat, firmavit: ut primam, pauperibus; alteram, monasteriis; tertiam, scholis; quartam, concesserit Ecclesiis, pauperibusque remotioribus, atque transmarinis. Unde, sine dubio, Romanam hoc anno, & Hierosolymitanam egestatem, sublevavit. Sed mallem hanc Regis pietatem, ex oculato teste audire. Asserus illam ita pergit referre.

XVIII. Quæ dederit Ecclesiis, et pauperibus.

Secundam vero partem omnium divitiarum suarum, quæ annualiter ad eum ex omni censu perveniebant; & in fisco reputabantur, sicut jam paullò ante commemoravimus; plena voluntate Deo devovit: & in quatuor partibus etiam curiosè suos ministros illam dividere imperavit; ea conditione; ut prima pars illius divisionis, pauperibus uniuscujusque gentis, qui ad eum veniebant, discretissime erogaretur. Memorabat etiam in hoc, quantum humana discretio custodire poterat, illius sancti Papæ Gregorii observandam esse sententiam; quâ discretam mentionem dividendæ eleemosynæ ita dicens, agebat: Nec parvum, cui multum: nec multum, cui parvum: nec nihil, cui aliquid; nec aliquid cui nihil. Secundam autem duobus monasteriis; quæ ipse fieri imperaverat; & servientibus in his Deo: de quibus paullò latiùs antea disseruimus. Tertiam scholæ, quam ex multis suæ propriæ gentis nobilibus, studiosissimè congregaverat. Quartam circumfinitimis, in omni Saxoniâ, & Merciâ, monasteriis: & etiam quibusdam annis, per vices in Britannia, & Cornubia, Gallia, Armorica, Northymbria & aliquando etiam in Hiberniâ, Ecclesiis & servis Dei inhabitantibus, secundùm possibilitatem suam; aut antè distribuit, aut sequenti tempore erogare proposuit; vitâ sibi, & posteritate salvâ. Quod pergit narrare author, de Alfredi alterâ divisione, quâ seipsum Deo, & proximo immolavit, dicam anno sequenti.

XIX. Moritur Swithelmus Schireburnen. Episcopus.

Hoc anno mortuo putatur Swithelmus, rectius Sighelmus, Schireburnensis Episcopus, de quo Godwinus ita scribit: *In ultimam usque Indiam peregrinatione longissimâ susceptâ, ad locum penetravit; in quo conditum perhibetur corpus D. Thomæ Apostoli: & illuc nescio quid pecuniæ detulit, Alfredi Regis nomine, pauperibus illius gentis distribuendum. Reversus in patriam gemmas multas reportavit, valde pretiosas.* Succeslit illi hoc eodem anno, ut volunt Fasti, Ethelwaldus: quem aliqui Alfredi filium natu minorem putant. Sed quia Asserus, qui post hunc annum scripsit, & alii antiquiores, id non affirmant, ægrè assentior: præsertim cum Æthelwardi, & Ethelwaldi (utroque modo scribitur) plures, omni Saxonum ævo fuerint.

Godwin. in Sarisburi.

Succedit Ethelwaldus.

XX. Moritur Mucellus Herefordensis: Succedit Deorlafus.

Moritur etiam hoc eodem anno, ut Fasti consignant, Mucellus Herefordensis Episcopus, ad Sedem illam anno Christi octingentesimo sexagesimo octavo consecratus. Nunc autem in ejus locum intrat Deorlafus. de quo non aliud habetur, quam quod circa hæc tempora sederit illius Ecclesiæ Antistites decimus octavus.

ANNUS CHRISTI 890.

STEPHANI VI. PAPÆ 6.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 20.

I. Dani redeunt in Angliam.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus nonagesimus; quo Alfredus Rex uni Reip. intentus; ad aliam tuendam avocatur. Iterum Dani, qui Gallias vexaverant, & inde Arnulphi Regis industriâ pulsi sunt: in Angliam reversi, Regi civibusque negotium dedisse hoc tempore putantur. Danorum expeditionem, cæteris distinctiùs refert Huntindonius, qui cum Pleymundum Archiepiscopum, *à Deo, & omni populo electum* dixisset, mox addit: *Anno vero sequenti, exercitus ivit in Orientem; & Rex Arnulphus, cum Francis, & Saxonibus, & Bavariensibus, pugnavit contra exercitum, & repulit eos. Postea rediit in Angliam ille magnum exercitum, cum omnibus rebus suis, ad portum Limene; cum ducentis quinquaginta navibus. Qui portus est in Orientali parte Cent juxta magnum nemus Andredeslaige; quod centum viginti millia in longitudine, triginta in latitudine continet. Egressi verò, construxerunt castrum, apud Awldre. Interim venit Hasting cum octoginta navibus in portum Thamesis, & paravit Castrum apud Middletune.* Hæc ille. plurium annorum gesta in unum conjungens, & nihil hostile à Danis factum aut tentatum, præter castri constructionem narrans. Et verò, licet magna Danorum classis esset; miles tamen, tot locorum jactatione, tot præliorum infortunio fractus; pacem potius, à Rege, infimis precibus, emendicare, quàm belli apparatum ostentare, maluit.

Huntind. fol. 352.

Hastingus castrum cõstruit.

II.

Adfuit tamen appulsis vigilantissimus Princeps Alfredus: & doctus barbarorum multitudini non fidendum; Hastingum jurejurando astringit, eum amicum provinciæ, non inimicum fore. Id Danus libentiùs fecit, quàm præstitit. Ita manendi in provinciâ facultas datur. Sic tamen; ut externorum motum Rex jusserit observari. Quid inde factum, sequentibus annis dicetur. Quod enim

Huntindo-

Huntindonius, hoc loco narrat de Danorum appulſu, & fœdere cum illis inito, Authores alii poſt unum alterúmque annum, referunt. Quos ego ſecutus, infra exſcenſionis locum, & alia explorabo, quæ hanc expeditionem illuſtrent. Interim puto Danos hoc anno, minorem potiùs, quàm majorem Britanniam vexaviſſe. Nam ibi video Alanum Britanniæ Ducem, ab Alfredo doctum; eiſdem armis Danos fugaſſe, quibus olim illos Alfredus expugnaverat. quod quia ad Regiam fidem ſpectat, referat, qui tunc vivebat, Rhegino: *Hoc anno* (inquit ille, & annum Baronius ſignat 890.) *Dux Britanniæ Alanus, coadunatâ omni Britanniâ, tale votum vovit: ut ſi adverſarios per divinam virtutem ſuperare poſſet; decimam partem omnium ſuorum bonorum Deo, & Sancto Petro, Romam deſtinaret: omnibus item Britonibus idem votum ſpondentibus, procedit: & commiſſo prælio, tantâ strage hoſtes ſudit; ut vix quadringenti viri, ex quindecim millibus, ad claſſem repedarent.*

DANI IN MINORI BRITANNIA VINCUNTUR. *apud Baron. hic. n. 12.* AB ALANO DUCE

III. ALFREDUS SEIPSUM COMPONIT.

Interim Alfredus, ſtabilito legibus regnó, compoſitâ Republicâ, atque privatâ, majora adhuc vota concepit. Nam ſeipſum componere, & meliorem ſui partem Deo mancipare decrevit. Et ſemper ſui ſimilis, qui dimidium exterioris ſubſtantiæ Deo devoverat, eadem proportione, diviſit dimidium ſui. Non quòd Deo aliquid ſubtraheret; niſi id, quod pro amore Dei, accommodaret proximo. Juvat in hâc re Aſſerum legere, qui Alfredo optimarum actionum conſiliarius, & teſtis fuit. Ille igitur, cùm Regis œconomiam retuliſſet, hæc habet: *His ita ordinabiliter ab eodem Rege diſpoſitu; memor illius divinæ Scripturæ ſententiæ, quæ dicitur. Qui vult eleemoſynam dare, à ſemetipſo debet incipere: etiam quid à proprio corporis ſui, & mentis ſervitio, Deo offerret; prudenter excogitavit. Nam non minùs, de hac re, quàm de externis divitiis, Deo offerre propoſuit. Quin etiam dimidiam partem ſervitii mentis & corporis; in quantum infirmitas & poſſibilitas, atque ſuppetentia permitteret; diurno ſcilicet, ac nocturno tempore, ſuapte, totiſq; viribus ſe redditurum Deo ſpopondit.* Nec major Alfredus ad dandam fidem, quàm ad ſolvendam fuit. Qui enim ſupra penſiculanm cuncta libravit; quo in promptu eſſet voti ſolutio: eodem modo, in perfectiſſimo hoc opere; omnia temporis momenta ſcrupuloſè ſecit metiri; quo Fidem Deo liberaret. Sed quoniam horarum puncta difficulter poterat, per ſonora inſtrumenta diſtinguere; nec uti Solis adminiculo poſt lucis occaſum: nec voluit in re gravi, labili erranti que miniſtrantium memoriæ fidere; mirabili arte, metiri ad libram & amuſſim horas; atque ita diſcriminari, tam diurna, quàm nocturna tempora jubet. Verùm Aſſero non debeo laudem præripere, qui ita artem explicat.

Aſſer. fol. 20.

IV. UT HORAS ALFREDUS DISTINXERIT? *Aſſer. fol. 20* *malè imprimitur Coram.

*Sed quia diſtanciam nocturnarum horarum, omninò propter tenebras, & diurnarum propter denſitatem ſæpiſſimè pluviarum & nubium, æqualiter dignoſcere non poterat: excogitare cæpit; quâ ratione fixa, & ſine ullâ hæſitatione, hunc promiſſum voti ſui tenorem letho tenus incommutabiliter, Dei fretus miſericordiâ, ſervare poſſet. His aliquamdiu excogitatis, tandem invento utili, & diſcreto conſilio, ſuos Capellanos * ceram afferre ſufficientem imperavit: quam adductam, ad denarios penſare in bilibris præcepit. Cumq; tanta cera menſurata fuiſſet, quæ ſeptuaginta duos denarios penſaret: ſex candelas, unamquamq; æquâ lance, inde capellanos facere juſſit. Ut unaquæq; candela, duodecim uncias pollicis in ſe ſignatas, in longitudine haberet. Itaque hac repertâ ratione; ſex illæ candelæ, per viginti quatuor horas à die, noctéque, ſine defectu, coram ſanctis multorum Dei electorum reliquiis, quæ ſemper eum ubique comitabantur, ardentes luceſcebant.* Ecce religioſæ implendi voti curæ, adjunctam aliam pietatem: Sanctorum Dei reliquiis honor habitus: illas ſecum circumferre, coram illis preces fundere, Deum denique, eorum ſuffragio, ſibi propitium facere, Alfredus conſuevit. Nec ille ſolus ita facere ſolitus; quod tamen inſtar plurimorum eſt. Sed paſſim hoc ſæculo ab omnibus uſurpatum. Id ægrè ferunt Magdeburgici, & Fidem Regiam ſic deturpant. *Ethnica ſuperſtitio* (ita illi) *Sanctos mortuos, eorumq; oſſa colligendi, effodiendi, transferendi, & religioſè colendi, ab Antichriſto, in templo Dei ſedente, in Eccleſias introducta, etiam hoc ſæculo in uſu paſſim fuit.*

ALFREDO SANCTORUM RELIQUIAS SEMPER SECUM HABUIT.

Cent. 9. fol. 230.

V.

Placent ultima verba: *etiam hoc ſæculo in uſu paſſim fuit.* Nam primo poſt Chriſtum ſæculo, in uſu fuiſſe, è Crucis, & Martyrum reverentiâ, * ſuprà oſtendimus: idem in ſecundo, tertio, quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, & octavo ſæculo fuiſſe, ſexcentis argumentis probatum eſt; & nemo, opinor, diffitetur. Benè igitur dicitur: *etiam hoc nono ſæculo in uſu paſſim fuit*, Sanctorum reliquias colere: nam Fides Regia, Catholica, orthodoxa, Romana, una ſemper, & ubique eadem eſt, ut hiſtoricâ deductione conor oſtendere. Verùm quòd hic reliquiarum cultus, *Ethnica ſuperſtitio* appelletur: vel decumana calumnia eſt, vel ſuperat certè humanum intellectum. Nam Dani, barbari, & quotquot Ethnicorum nomine audiebant: quibus adde, ſi libet, Judæos, Saracenos, Agarenos, & alia perfidiæ nomina; Sanctorum reliquias, eorúmque cultum, æquè ac Magdeburgici averſabantur. Quod ergò ab Alfredo & fidelibus factum, cum Ethnicâ ſuperſtitione è diametro pugnat. Enimverò Alfredus, & hoc ſæculum, Sanctorum cineres colligebat: Ethnici diſſipabant. Alfredus auro, & argento incluſos, in oratorio ſervabat: Ethnici, aurum prædantes, reliquias abjiciebant: denique Alfredus, voto, prece, lumine colebat; quod illi dicto, facto, pedibus conculcabant. Perverterunt ergò omnia, mortalium perverſiſſimi; & ſe in Ethnicorum claſſe cenſendos eſſe, dum Sanctorum reliquiis obganniunt; ſatis manifeſtò demonſtrant: & cum Antichriſto eſſe, qui Chriſti Vicarium, quem Alfredus religioſiſſimè coluit, eo nomine dehoneſtant.

* v. an. 64. n. 12. &c. & an. 84. 5.

VI. CEREI ACCENDUNTUR IN TEMPLIS.

Cent. 9. fol. 230.

Nec novum eſt ardere cereos, in cultu Sanctorum. Nam illi ipſi Magdeburgici, dum quærunt, quid in Chriſtianorum templis collocari ſolitum hoc ſeculo: inter cætera nominant, *Candelas, lucernas, & candelabra ad Imagines collocata, & ſuffimenta.* & probant Regiis exemplis. *Luminaria*, inquiunt, *in Eccleſiâ Aquiſgrana, meminit Eginhardus in vita Caroli: & Ludovicus, cùm vidiſſet in Fuldenſi Eccleſiâ lucernas, ex adipe porcarum ali, promiſit in Italiâ, ſe donaturum iſti cœnobio olivetum, ut patet ex epiſtolâ Rabani ad Ludovicum, & Irmingardem uxorem ejus. Creverat enim tum in hiſce rebus ſuperſtitio: ideò omnes conferunt oleum & operam.* Ita illi. In hac Cæſarum claſſe ponatur (quicquid illi dicant) Alfredus noſter, qui ceram

contulit, & infigoem operam, & missis quatuor-viris, sæculorum calumoiatoribus; pergamus in jucundâ narratione rerum ab Alfredo piè gestarum. Et videamus quâ industriâ cereas candelas servet, ad horarum discrimina: nè cera, ex aëris non æquali semper commotiooe, inæqualiter diffluat; & inveniemus fortè primum apud nos lanternæ usum. Itaque pergat Asserus.

VII. LANTERNÆ INVENTIO.

Sed cùm aliquando, per diem integrum, & noctem, ad eandem illam horam, qua anteriori vespera accensa fuerant candela, ardendo lucescere non poterant; nimirùm ventorum violentiâ inflante, qua aliquando per Ecclesiarum ostia, & fenestrarum, maceriarum quoque, atque tabulatum, vel frequentes parietum rimulas; necnon, & tentoriorum tenuitates, die noctéq; sine intermissione flabat; exardescere citiùs plùs debito, ante eandem horam, finiendo cursum suum, cogebantur: excogitavit, unde talem ventosum sufflationem prohibere potuisset: consilióq; artificioso, atq; sapienter invento, lanternam ex lignis, & bovinis cornibus pulcherrimè construere imperavit. Bovina namq; cornua alba, ac una tenuiter dolabris erasa, non minùs vitreo vasculo elucent. Quæ itaque lanterna, mirabiliter ex lignis, & cornibus, ut antè diximus, facta; noctúq; candela in eam missa, exteriùs, ut interiùs, tam lucida ardebat, nullis ventorum flaminibus impedita: quia valvam ad ostium illius lanternæ, ex cornibus, idem fieri imperaverat. Hoc itaque machinamento ita facto, sex candela, unaquaque post alteram, per viginti quatuor horas, sine intermissione, nihil citiùs, nihil tardiùs lucescebant. Quibus extinctis, alia incendebantur. Ita Asserus, qui in lanternæ descriptione tam erat sedulus; ut temporis per illam intenti, distributionem omiserit. Dicat ergò Malmesburiensis, cur Alfredus, tam scrupulosè horarum spatia sit dimensus: & quorsum cereos accenderit.

VIII. DISTRIBUTIO TEMPORIS.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

Postremò, inquit ille, *ut omnem vitam ejus elucidem; viginti quatuor horas, qua inter diem & noctem jugiter rotantur; ita dividebat: ut octo horas in scribendo, & legendo, & orando: octo in curâ corporis: octo in expediendo regni negotio transigeret. Erat in capellâ suâ, candela viginti quatuor partium, æditunsq;, cui hæc delegabatur provincia; ut per combustionem candelæ, Regem de singulis admoneret officiis.* Ita habes perfecti Regis ideam perfectissimam: Alfredum, inquam, ita sibi, & humanæ necessitati servientem; ut & Christianum se, & Principem sciret: ita Christo famulantem; ut regni negotia non negligeret: ita negotiis regni intentum; ut Dei negotio nihil subtraheret. Sed quænam hæc regni negotia, quæ Principem octo quotidie horas detinebant? aut quibus potissimum intendebat?

NEGOTIA REGNI.

Asser fol. 21.

Tædiosum (loquitur Asserus) *examinanda in judiciis veritatis, arbiter existebat. Et in hoc maximè, propter pauperum curam; quibus die noctúq;, inter cætera præsentis vitæ debita, mirabiliter incumbebat. Nam in toto illo regno, præter illum solum, pauperes, aut nullos, aut etiam paucissimos habebant adjutores. Nimirùm quia etiam penè omnes illius regionis potentes, & nobiles, ad sæcularia magis, quàm ad divina, mentem declinaverant negotia. Magis enim unusquisque speciali lucro, in sæcularibus negotiis, quàm communi inhiabat.*

ALFREDI STUDIA.

Studebat is quoq; in judiciis, etiam propter nobilium, & ignobilium suorum utilitatem, qui sæpissimè in concionibus Comitum, & Præpositorum, pertinacissimè inter se dissentiebant: ita ut penè nullus eorum; quod à Comitibus, & Præpositis, judicatum fuisset, verum esse concederet. qua pertinaci dissensione obstinatissimè compulsi, Regis subire judicium singuli subarrabant: quod & confestim ab utrâque parte implere festinabant.

IX. EIUS IUDICIA IUSTA.

Cæterùm, quàm fuerit Alfredus, in judiciis integer; & quali manu justitiæ libram tenuerit; Asserus notat in sequentibus. *Erat namq; Rex ille, in exequendis judiciis, sicut in cæteris omnibus rebus discretissimus indagator. Nam omnia penè totius regionis sua judicia, quæ in absentiâ suâ fiebant, sagaciter investigabat, qualia fierent: justa, aut etiam injusta. Aut verò, si aliquam in illis judiciis iniquitatem intelligere posset; leniter advocatos illos ipsos Iudices, aut per seipsum, aut per alios suos fideles, quoslibet interrogabat, quare ita nequiter judicassent? Utrum per ignorantiam, aut propter aliquam quamlibet malevolentiam. Id est, utrum pro aliquorum amore, vel timore, aut aliorum odio, aut etiam pro alicujus pecuniæ cupiditate. Denique si illi Iudices profiterentur, propterea se talia ita judicasse; eò quòd nihil rectiùs de his rebus scire poterant: tunc ille, discretè, & moderanter, illorum imperitiam & insipientiam redarguens, aiebat, ita inquiens: Nimium admiror vestram hanc insolentiam, eò quòd Dei dono, & meo, sapientium ministrium, & gradus usurpastis; sapientia autem studium & operam neglexistis. Quapropter, aut terrenarum potestatum ministeria, quæ habetis, illicò dimittatis, aut sapientia studiis multò devotiùs, ut studeatis, impeto. Quibus auditis verbis perterriti, veluti pro maximâ vindictâ correcti Comites, & Præpositi, ad æquitatis discendæ studium, totis viribus se vertere nitebantur: ita ut mirum in modum, illiterati ab infantiâ Comites, penè omnes, Præpositi, ac Ministri, literatoriæ arti studerent: malentes insuetam disciplinam laboriosè discere, quam potestatum ministeria dimittere.* Hactenus ille, de Alfredi studio, in regendâ Republicâ, regnique negotiis: quibus inspiciendis, excutiendis, præscribendis, octo quotidie horas insumpsit.

X. NEGOTIA PIETATIS

Aliud octonarium, in legendo, scribendo, orando, facilè Lector colliget, si memoriâ repetat, quæ dicta sunt superiùs, de studio pietatis ejus, atque scientiæ: quòd in Missis audiendis assiduus, in cultu Sanctorum eximius, in Dei timore, ac amore, in civium salute procurandâ, omnia operatus sit. Quod si hujuscè studii compendium habere velit; inter Alfredi opera, librósque conscriptos, perlegat ejus Prologum in Magni Gregorii Pastorale; ubi gemit pientissimus Rex, bellorum vitio, adeò mutatam esse Insulæ faciem; ut quæ olim orbi doctissimos subministrarat, cogatur nunc foris doctos quærere: gemit etiam ornatissimas quondam Ecclesias, nunc situ, & infrequentiâ, squallere. Hi nimirùm stimuli fuerunt, qui illum ad Gregorii Pastorale transferendum incitarunt. quibus adde magnam ejus in gentis nostræ Apostolum pietatem atque reverentiam: quæ clarè legitur in libri inscriptione, quam translationi præfixit: nec factiosus illam leget, vereor sine supercilio. Ego tamen apponere debeo, ad faciendam dictorum Fidem. *Hoc scriptum* (Gregorii librum intelligit Alfredus) *Augustinum trans salsum mare, ab austro, ad incolas hujus regni pertulit: sicut illud antea præparaverat Servus Domini, Papa Romanus, rectus Vicarius gubernans, Gregorius: considerata vir fortitudinis, absque furore, summo sensu, sapientiâ, consilio*

præditus,

proditur, immensus thesaurus, quoniam is generis humani partem maximam, cælo lucrifecerit. Romanorum vir optimus, animus magnitudine abundantissimus, majestate liberrimus. Postquam me (nunc liber loquitur) in Anglicum sermonem, Alfredus Rex convertisset ad verbum; me per Austrum, & Aquilonem suis scriptoribus delegavit; mandans illis, ut secundum exemplar plures tales describerent: eum nimirùm in finem, quò Episcopis suis illos mittere posset. Quandoquidem quibusdam ex suis Antistitibus pernecessarii essent futuri, qui linguam latinam minùs intelligerent.

XI. Deus igitur infelicitati temporum mederi voluit; cùm Alfredo Regi suggessit vires, animúmque, Gregorii scriptum transferendi. Quod ubi Rex absolvit, doctioribus Episcopis probandum dedit; ut ipse mox citandus affirmat. Tum ad omnes Episcoporum Sedes exemplaria misit; & unà, quinquaginta * mancusas. Misit etiam literas, quibus facti sui rationem reddit. Unæ exstant ad Wulfsigium Episcopum, quæ omitti non debent.

* *Nunc Marcas dicimus.*

Ælfredus Rex optat Salutem Wulfsigeo Episcopo dignissimo, benevolè & amanter.

Alfredi Epistola ad Wulfsigium Episcopum.

Et te scire volo, quod mihi sæpenumerò in mentem venit; quales sapientes abhinc exstiterunt in Anglicâ gente, tam de spirituali gradu, quàm de temporali: quamque felicia tunc tempora fuerunt, inter omnes Angliæ populos: quemadmodumque Reges, qui tunc gubernationem habebant plebis, Deo, & ejus voluntati scriptæ, obsecundarint: utque in suâ pace, & bellicis suis expeditionibus, atque regimine domestico, domi se semper tutati fuerint: atque etiam foris nobilitatem suam dilataverint. Quomodoque tunc temporis, tam sapientia, quam prudentia floruerint. Præterea de gradu spirituali homines, quàm diligentes fuerint; tam docendo, quàm discendo, omnibúsque officiis (exequendis) quæ Deo præstare debebant. Insuper quemadmodum extranei sapientiam, & doctrinam, hìc in hac nostrâ terrâ, quondam quæsierint: nosque jam versâ vice peregrinari oportet ad eam adipiscendam: adeò funditùs concidit apud gentem Anglicanam; ut paucissimi fuerint cis Humbrum, qui vel preces suas communes, in sermone Anglico, intelligere potuerant; vel scriptum aliquod è latino in Anglicum transferre. Tum sane pauci fuerunt, ut ne unum quidem recordari possim, ex australi parte Thamesis; tum cum ego regnare cœperam. Gratia Deo Omnipotenti sit; quòd nunc tandem aliqui in Sede sint, qui docere queunt.

Olim felicia tempora.

Nunc infelicia.

XII. *Quamobrem te jubeo, ut facias (quemadmodum te facturum credo) nimirùm ut tu, qui mundana hæc illis profundis; quam poteris sæpè, eam sapientiam, quam Deus largitus est, illis ubicumque poteris, vicissim impertias. Cogita quales pœnæ super nos tandem ventura sunt, propter hunc mundum: cùm neque nosmetipsi sapientiam adamaverimus; neque eam aliis reliquerimus. Nomina tantùm diligimus, quia Christiani nuncupamur; paucissimi verò officiis Christianorum defungimur. Hæc omnia, quoties in memoriam revoco, subit etiam cogitatio, quemadmodum cuncta hæc in Angliâ viderim, priúsquam deleta fuissent omnia, & incensa: utpote templa, per omnem Anglicanam gentem steterint, ornamentis, & libris instructa; magnaque insuper multitudine Servorum Dei repleta. Quamvis certè fructum perexiguum ex libris suis perceperint; quandoquidem intelligere illos nequibant. eò quòd patrio sermone neutiquam conscriberentur. Qui quidem hac oratione usi sunt Majores nostri, qui hæc quondam loca obtinuerunt; sapientiam adamaverunt; & per illam, opes sibi constarunt, nobisqúe reliquerunt. Quorum sapientiæ impressam nos veluti orbitam videmus; sed eam adipisci non potuimus. Nam & opes, & sapientiam plane perdidimus; quoniam ingenii nervos omnes, ad ejus contemplationem contendere noluimus. Cùm igitur hæc omnia cogitatione complecterer; magnoperè admirabar præclaros illos Sapientes, qui diu abhinc per universam gentē Anglicanam floruerunt: atque illos libros omnes penitùs perdidiscerant; quamobrem noluerunt horum partem aliquam in patrium sermonem transferre. Veruntamen protinus mihimet ipsi respondebam: videlicet, quòd majores illi nostri, neutiquam opinati sunt; homines unquam adeo socordes futuros, aut rem literariam in tantum unquàm prolapsuram: ideóque consultò id omisisse; existimantes eo uberiorem hac in terrâ sapientiam futuram; quò plures à nostra lingua pernoscerentur. Tum verò venit mihi in mentem, legem Dei, primùm in hebræo sermone fuisse inventam, atque postea græcos, cùm tandem didicissent; eam universam, & alios insuper omnes libros, in suam linguam vertisse: necnon latinos etiam, quamprimum ipsi eam intelligentiâ comprehendissent; per prudentes interpretes, suo sermone eandem expressisse: eodemque modo omnem undique Christianorum plebem, partem ejus aliquam, in linguam domesticam transtulisse.*

Quapropter optimum censeo (si quoque sic æstimas) ut nos libros aliquos, quos maximè necessarios arbitrabimur, qui ab omnibus intelligantur; eosdem in linguam, quam omnes intelligunt, convertamus: efficiamusque (quod certè ope divinâ perfacile poterimus, si pace perfruamur) ut omnis juventus, quæ nunc est gentis Anglicæ (eorum præsertim hominum, qui liberi nati sunt, opésque habent, quibus eos ad id alere possunt) literis addiscendis addicatur. Usque priùs artem nullam imbibant, quam Anglica poterint scripta perlegere. Postea autem homines, in latinis literis eos instituant, quos volunt amplius erudire, atque in altiorem gradum provehere. Cùm itaque mecum considerabam, quomodo isthæc doctrina sermonis latini, per omnem gentem Anglicanam antehac obsolevisset (quamvis plurimi potuissent Anglica scripta legere) tum inter alia varia, ac multiplicia negotia hujus regni; cœpi librum hunc vertere in sermonem Anglicanum, qui latinè Pastoralis nuncupatur, Anglico verò, the Heardmans booke; aliquando verbum de verbo exprimens, interdum autem sensum ex sensu: sicuti egomet ea didiceram à Plegmundo Archiepiscopo meo, & Assero Antistite meo, necnon Grimbaldo, & Ioanne mihi à sacris. A quibus posteaquam librum ita didicissem, ut penitùs perciperem; quemadmodum facillimè ad ejus intelligentiam pervenire possem: in Anglicum sermonem eum converti, & ad unamquamque Episcopi Sedem, in regno, unum misi; superque singulos libros stilum, qui est quinquaginta mancussa. Et ego præcipio in Dei nomine: ut quis de libris hunc stilum tollat: neque librum de templo, incertum cum sit, quamdiu futuri sunt tales eruditi Præsules, quales nunc (honos Deo) ubique sunt. Quapropter volo, ut libri suis semper in locis remaneant; nisi illos Pontifex habere voluerit, aut commodatos alicui dederit: donec alii ex illis describantur. Hactenus Alfredi Regis Epistola. XIII.

XIV. Wulfsigius quis?

Quis hic Wulffigius, aut cujus Sedis Episcopus fuerit; nemo quod sciam explicat. quod inde forte fit, quia Fastos secuti, nullo hoc tempore, eo nomine, in Ecclesiâ sedentem Episcopum legunt. Ego verò puto Fastos; licet accuratè admodum digesti sint; nimiùm tamen properare in Londinensium Episcoporum serie texendâ; & præter mentem Malmesburiensis. Quem tamen Fastorum Collector sequi profitetur. Quo posito, opinor, Alfredum, Wulfsio Londinensi Episcopo, literas scripsisse, quem suprà Fastos secutus, sedere cœpisse diximus, ad annum 870. & needum volui mortuum ponere, ob hasce Alfredi literas:

Moritur Wulfsi Episcop.

licet Fasti Successorem illi assignaverint Ethelwardum, ad annum 878. & eo functo, alterum ad annum 886. Ealstanum nomine. Dico ergò Wulffigium, ab Alfredo nominatum, Wulfsium videri Londinensem Episcopum; & eum in vivis fuisse, cùm ad eum Alfredus scriberet. quod putamus sub hæc tempora factum. Unde nunc & non priùs, locum dare potuit Ethelwardo, quem ei in Londinensi Sede successisse, omnes affirmant.

Ethelwardus Londinensis Episcop.

XV. Quis Asserus ab Alfredo nominatus?

Nec vacat difficultate, quod scribit Alfredus, se ab Assero Antistite, didicisse aliqua, in versione Pastoralis. Nam passim Authores intelligunt Asserum illum, qui gesta Alfredi descripsit, Monachum è Britanniâ, & Menevensi cœnobio evocatum: & illum, fortè ex hoc Regio scripto, vocant Schireburnensem Episcopum. Nos tamen suprà pluribus ostendimus, Asserum Schireburnensem alium esse ab Assero Menevensi; & dudum vivere desiisse. Nec possumus adhuc ab eâ opinione discedere. Nam dici potest Asserum Schireburnensem, Alfredum docere potuisse, priúsquam alter Asserus in Occidentem vocaretur. Et si dixeris, certò certiùs constare Menevensem Asserum, Alfredum in studiis adjuvisse: & eum in versione Pastoralis necessariò intelligi. Respondeo, Asserum sine dubio Regi adfuisse, manúmque Regi porrexisse: nec id ab Alfredo tacitum. Nam præter Plegmundum, & Asserum Antistites; Grimbaldum quoque, & Joannem nominat sibi à sacris, Saxonicè *minum Messe Preoste*, id est, meum Missantem Presbyterum. Hunc autem Asserum esse, quid prohibet: præsertim cùm duo alii, qui eo nomine vocabantur, vel nunquam in aulâ Regiâ mansisse, vel monasteriis præfecti sciantur. Et quidem, Joannem Erigenam, dudum è mente Authorum, sepelivimus: Joannem alterum, è veteri Saxoniâ, Ethelingiani cœnobii Abbatem diximus. Restat ergò, ut Joannem Asserum Rex intellexerit, quem Grimbaldo Abbati postposuit. Nam quòd ille Episcopus fuerit, aut Schirburniæ sederit, difficultatem habet hâc objectione majorem, ut * suprà ostensum. Addc, cùm Asserus Menevensis, duorum monasteriorum præfecturam acceperit: non malè ab Alfredo, Antistitem vocari.

* an 879. n. 5. &c.

XVI. Octonarium tertium.

Sed redeo libentiùs ad Alfredum Regem, qui diei noctisque horas tam solerter distinguit, quàm Deo piè consecrat. Nam sedecim horas, hoc est, duo octonaria, in unius Dei, proximique bonum, & honorem, pientissimè impendit: & octo solum quæ remanent, corporis quieti, commodóque indulsit. Et nè somnus, cibíque refectio, plus temporis suffuraretur, insigni illa cereorum distinctione solerter cavit: ædituisque, qui in oratorio excubabant, dedit in mandatis; ut exactè horas & tempora metirentur. quo Deo perfectum holocaustum offerret. Hic meritò quæri potest, cur non campani æris adminiculo, horas distinxerit, qui tam scrupulosè temporis momenta dispensat. Num fortè campanarum usus, adhuc ignotus? aut horologia needum inventa? Respondeo: campanæ usus, superiori sæculo nobis innotuit, ut probat ille Bedæ locus, lib. 4. cap. 23. quem ad annum Christi 680. cum Hilda moritur, adduximus: *Begu in dormitorio suorum pausans, audivit subitò in aëre, notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari, vel convocari solebant*, &c. Sed sonus ille, non horarum discretio, sed orationis tantummodò, aut ad illam conveniendi signum erat. Dico igitur, non ille solùm campanæ sonus, nobis erat notus superiori sæculo: sed & alter, qui horas discriminat: Imò priùs Saxones nostri, quàm antiqui, horologii usum videntur habuisse. Nam Bonifacius Germaniarum Apostolus, cùm in Britanniam scriberet; inde sibi mitti horologium, illa ad Huetbertum Abbatem Epistola petit, ubi inter cætera ait: *Et si vobis laboriosum non sit, ut cloccam unam transmittatis.* Sed & Bonifacii Successor Lullus, idem è Northumbriæ regno postulasse olim videtur: nam Cuthbertus Bedæ discipulus, ei rescribens, ait: *Duo verò pallia subtilissimi operis, unum albi, alterum tincti coloris, cum libellis & cloccam, qualem ad manum habui, tuæ paternitati mittere curavimus.* Utrobique Sertarius è Saxonicâ voce horologium intelligit.

Beda l. 4. c. 23.

Bonifacii Epist 9.

inter Bonifacianas Epist. 89.

XVII.

Itaque tam campanæ, quàm horologii usum habuit Britannia; cùm pietatem & literas colerent homines: & cùm Ecclesia, Christi sponsa, procederet, Reginæ instar, in vestitu deaurato, circundata varietate. Verùm, ubi Barbari, & Pagani illam spoliarunt (inter Christianos needum apparuerat monstrum illud, quod modò Sponsam illam dehonestat) ubi exterminatis literis, tepente scientiarum studio, successit rerum omnium inscitia: tunc (fatendum est) & suprà Alfredus clarè significat, stupuerunt admodum Saxonum ingenia, & omnium liberalium artium incuri fuerunt: donec Alfredus, quà verborum lenocinio, quà honorum promissione, quà exemplo; nunc hortando, nunc terrendo provincialium animos erexit. Et quia Principis exemplum, calcar est subditis; ipse animum adjecit iis rebus reducendis, renovandis, & poliendis; quas sæculi barbaries amiserat. Unde, quod aliquando, vel arenarum, vel aquæ fluxu, moderabatur tempora; ipse nova arte, cereorum consumptione, ad ignem transtulit; & insigni argumento docuit omnes; nihil datum tempore pretiosius: cujus vel singula momenta libranda, ponderanda, & æstimanda sunt. Cæterùm, quòd ipse artes omnes reduxerit; Asserus ejus exercitia compendio recitans, ita narrat. *Interea Rex, inter bella, & præsentis vitæ frequentia impedimenta; necnon Paganorum infestationes, & quotidianas corporis infirmitates, & regni gubernacula, regere, & omnem venandi artem agere; aurifices, & artifices suos omnes, & falconarios, & accipitrarios, caniculatios quoque, docere: & ædificia supra omnem Antecessorum suorum consuetudinem, venerabiliora, & pretiosiora; nova sua machinatione facere, &c. divina quoque ministeria, & Missam scilicet quotidie audire; Psalmos*

Asser fol. 13.

Missam quotidie audit.

quosdam

quoſdam, & orationes, & horas diurnas, & nocturnas celebrare; & Eccleſias, nocturno tempore, orandi causâ, clam ſuis adire ſolebat, & frequentabat. Eleemoſynarum quoque ſtudio, & largitati, indigenis & advenis omnium gentium: ac maximâ & incomparabili contra omnes homines affabilitate, atque jocunditate: & ignotarum rerum inveſtigationi, ſolerter ſe jungebat. Hæc ille.

XVIII.
S. NEOTUS MORITUR.
Mart. Angl. 31. Julii.
** an. 886. 9.*

In Anglorum Martyrologio, mortuus hoc anno ponitur ſanctus Neotus, cujus exordia, & plura ſanctitatis argumenta recenſui ad annum 878. n.3. & nunc debeo propterea immortalitate eum donare. An Oxonii inter illius Scholæ profeſſiones docuerit, ut ſuprà * Wintonienſis Eccleſiæ Annales dixerunt, non multum laboro. Certius eſt, Alfredum ejus uſum conſilio, erudiendæ & poliendæ juventuti, ſcholam poſuiſſe. Et quia mortuus creditur in Cornubia, & ultimo Occidente, ibique ſepultus: ideo non eſt admodum probabile, eum aut in Dobunis, ubi Oxonium; aut in Regis aula, admodum hæſiſſe. De morte ejus, hæc habet Malmeſburienſis, in ſuis Antiquitatibus: *Nec multo poſt, vir Dei Neotus; attactus languore; poſtquam ſe Dominici Corporis & Sanguinis participatione munivit; pacem propriis commendans oviculis; inter verba orationis, alacer, ſanctam cœlo reddidit animam. Venerabile verò ejus corpus, in ſuâ cum omni diligentiâ, tumulatum eſt Eccleſiâ. Extat autem in Glaſtoniâ, craticula ferrea, ſancti Neoti dicta, ſupra quam (ut perhibent) ad Miſſarum ſolennia celebranda ſtare conſueverat. quando illic converſatus fuerat.* Ita ille. Eccleſia, cujus hic mentio eſt: illa eſt, quam Alfredum Regem adire ſolitum diximus*; ubi ſanctus Guerir quieſcebat. Unde ab eo Sancto tamdiu nomen ſortita eſt, quamdiu in vivis Neotus fuit. Sed eo nunc mortuo; tanta Neoti ſanctitas fuit; ut prioris Sancti nomen, ſuo nomine mutarit: dictumque eſt oppidum Neoteſtoum. *Et religioſi viri*, inquit Camdenus, *ibi Deo ſervientes, ſancti Neoti clerici vocabantur; multis, magniſq; redditibus divites.* Incertum quamdiu Neoti corpus in Occidente illo manſerit. Nam conſtat inde in Icenos tranſlatum; ac in Huntindonienſi agro depoſitum. Ibi oppidum cernitur, quod hodieque à ſancto Neoto, vulgus appellat Saint Needs. de quo Camdenus, dum ad Uſam fluvium tria *notiſſima oppida* recenſet. *Primùm*, inquit, *Uſa fluvius inviſit ſancti Neoti fanum, vulgo S. Needs: à Neoto, viro cum docto, tum ſancto; qui in propaganda Chriſti religione, omne vitæ ſtudium conſumpſit. Cujus corpus à Neoſtok in Cornwalliâ, huc tranſlatum erat; & in ejus honorem Alfricus, Elfridi Comitis palatium in monaſterium convertit. Quod latifundiis plurimis Roiſia uxor Richardi, Dominus de Clare, ſtatim à Normannorum adventu locupletavit. Antea vero hic locus, ab Arnulpho Sanctulo, Arnulfsburii dicebatur. quod nomen in ejus parte, etiam adhuc ſupereſt.* Ita ille. Sancti Neoti nomen legitur in noſtro Martyrologio ad 31. Julii. Quis Arnulfus fuerit, qui *Sanctulus* dicitur, aliquando à me dubitatum eſt: & ſemel opinabar eum intelligi, qui Arnulphus Epiſcopus dicitur, in ſupplemento Martyrologii Gallicani: ubi ad 22. Auguſti ita legitur. *Tranſlatio Sancti Arnulphi Epiſcopi: cujus corpus è Galliâ tradunt in Angliam delatum, & apud Bedfordiam fuiſſe depoſitum.* Enimverò Sancti Neoti oppidum, in Bedfordienſis provinciæ confinio, non procul eſt ab Urbe Principe. Verùm in noſtro Martyrologio legitur Arnulphus alter Confeſſor, & Eremita, qui in Huntindonienſi agro, Sanctitate claruit: & ab illo rectiùs oppidum appellatur, nam ibi ſepultus dicitur. Quoniam verò utrumque Martyrologium, in eundem diem conſpirat ad cultum ejus: nimirùm ad 22. Auguſti. Unus fortè idémque Sanctus cenſendus. & diſputent alii, an Epiſcopus è Galliâ fuerit; an verò è Britanno ſanguine ortus, in Angliâ natus, & defunctus; ut Faſti noſtri affirmant.

Antiq. Glaſton.

UBI PRIMUM SEPULTUS?

EIUS FERREA CRATICULA.

** an. 871. 28.*

NEOTI SANCTITAS.

Camden. in Cornwal.

TRANSFERTUR IN ICENOS.

Camden. in Hunt.

Gal. Mart. Supplem. ad 22. Aug.

Mart. Angl. 22 Auguſt.

ANNUS CHRISTI 891.

FORMOSI PAPÆ 1.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 21.

I.
MORITUR STEPHANUS PAPA.
SUCCEDIT FORMOSUS.
Baron. hic.

ANNO Chriſti octingenteſimo nonageſimo primo, Stephanus Papa 5. cùm ſediſſet annos ſex, mortalem vitam cum immortali commutavit. Et in ejus locum ſucceſſit Formoſus; extruſo Sergio, qui ad eum nimiùm feſtinatò aſcenderat. Fuit ille (Formoſus) tum religione, tum morum integritate, atque doctrinâ laudatiſſimus, inquit è Luitprando Baronius. Quomodo in Eccleſiæ Anglicanæ procurationem vigilaverit, & omnem ordinem ad pietatem accenderit; dicam infrà, cùm recito ejus literas ad Angliæ Epiſcopos, cum acrimonia dictatas. Interim puto Alfredum Regem, miſſo in Urbem Oratore; eum Principum more veneratum eſſe; ubi magiſtratum iniiſſe intellexit. Wigornienſis enim ad hunc annum ita ſcribit: *Abbas Beornhelmus, Alfredi Regis, & Weſt-Saxonum eleemoſynas Romam portavit.* Hic eſt ille, quem Ethelwerdus ſuprà * Byrnhelm vocat.

ALFREDUS EI MITTIT ELEEMOSYNAS.

II.
MORITUR WIHTUNUS SELESEIEN. EP.
SUCCEDIT ETHELULFUS.

Moritur etiam hoc anno Wihtunus Seleſeienſis Epiſcopus, & in ejus locum nominatur Ethelulfus: de quibus non aliud Annales referunt.

ANNUS CHRISTI 892.

FORMOSI PAPÆ 2.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 22.

I.
DANORUM NOVA INUNDATIO.
Weſtm. hic.

ALFREDUS, qui hactenus in ſtudiis, & Republicâ componendâ totus fuit; anno Chriſti octingenteſimo nonageſimo ſecundo, togam ponere, & gladio latus tegere cogitur. Nam Dani necdum complevere tragædiam, quam Deo, hominibúſque inviſam, dudum inchoaverant. De illis ſic narrat Weſtmonaſterienſis: *Anno gratiæ octingenteſimo nonageſimo ſecundo, magnum examen Paganorum, ex Galliis adveniens, cum equis, & navibus ducentis quinquaginta, Cantium tranſvectum, in oſtio Limenis fluminis, quod de ſilva magna Andredeſwald appellata, decurrit, applicuit; & quatuor milliariis ſurſum naves direxit: ubi quandam arcem, à paucis accolis inhabitatam, diruentes, aliam ſibi firmiorem, in loco qui Appeltre dicitur, conſtruxerunt.* Difficilis profectò Weſtmonaſterienſis locus: Si enim ad Lemanum portum in Cantii provinciâ, facta eſt Danorum exſcenſio: ubinam gentium eſt illud oſtium fluminis; unde quatuor

LOCUS EXSCENSIONIS.

milliariis sursum directæ sunt naves; cùm nullum ibi hodie flumen noscatur? Scio aliquos opinari; magnum hoc loco flumen, se in mare exonerasse; quod modò cursum mutaverit aliò: idque propter hæc Authoris verba. Verùm eos falli, in loci descriptione, putat Camdenus. *Tum quòd nullus hic fluvius*, inquit, *nisi tenuis admodum: tum quòd Huntindoniensis Archidiaconus, pressa Fidei author, illam classem ad Lemanum portum appulsam scribat, nec verbum de flumine habeat.* Ita ille, qui postmodum, timidè satis, conjectat Rhoterum fluvium, qui sub Rhy Oceano commiscetur; per Lemanum hunc portum, aliquando defluxisse; cursu postmodum immutato. Sed hanc ipse etiam conjecturam improbat.

Camde. in Cantio.

II. Verùm, inspectâ Provinciâ, ac locorum distantiis; quidni dicimus Lemanum portum dici illam Orientalem Cantii partem, ubi Rhoterus fluvius Oceanum subit. Eò certè venisse nunc Danos, colligi potest ex Huntindonio ita scribente: *Rediit in Angliam ille magnus exercitus cum omnibus rebus suis, ad portum Limene, cum centum quinquaginta navibus; qui portus est in Orientali parte Cent, juxta magnum nemus Andredeslarge, quod centum viginti millia in longitudine, triginta in latitudine continet. Egressi verò construxere castrum apud Apuldre.* Ita enim legi debet, quod impressa habent Anwldre. hodie Apledore scribitur, ad Rhoterum fluvium, distatque ab ostio, ad quatuor milliaria: quò subductæ naves; & ubi castrum à Danis extructum. Quod ergò Authores Lemanum portum vocant, Rhoterum intelligunt. Licet enim Huntindonius, fluvii non meminerit; Wigorniensis tamen, eo antiquior, non tantùm fluminis meminit: sed dicit classem Paganorum, Cantium transvectam, in eo flumine consedisse. quod valdè notandum est, ad Lemani portus notionem. Si enim ad Sandgate, aut Hythum oppidum, Lemanum portum constituis, ut Camdenus, aliique supponunt; Dani Cantium non transvehuntur, sed ad Cantii meditullium appellunt. quòd si porrò ad Rhoterum pergunt, ubi hodie est oppidum Rhi; tunc propriè Cantium transvecti, & prope Sussexios appulsi dicuntur. Sic ergò loquitur Wigorniensis: *Classicus, & equestris Paganorum exercitus, Orientalem Franciam deserens, Bononiam adiit: indéque simul cum suis equis, 250. navibus, Cantium transvectus, in ostio amnis Limeni applicuit. à cujus ostio, quatuor milliariis, naves suas sursum traxit. Ubi quandam arcem semi-structam, quam pauci inhabitabant villani, diruerunt, aliamque sibi firmiorem, in loco qui dicitur Apultrea, construxerunt.* E quibus verbis, Rhoterum fluvium, per Limanum amnem intelligi, vix est dubium.

Huntind. fol. 351.

Wigorn. 893.

III. Hastingus Danus. Verùm, non uno in loco se infudit Danorum pestis in Insulam. Nam eodem anno, *Rex paganus Hesteng* (inquit Hovedenus) *cum octoginta myoparonibus, ostium Tamensis intrans; munitionem sibi apud Middletun ædificavit.* Est etiamnum oppidulum illud, non procul à Gravesenda; ad ripam Tamesis; sed hodie paulò contractiùs, Milton dicitur. Hastingus hic, qui Paganorum Rex appellatur, ille est, qui re in Galliis fraudulenter gesta, & obtento unius urbis imperio: cùm malè sibi à Gallis timeret: *confestim*, inquit Gemiticensis, *Carnotenam urbem Tetbaldo vendidit, & distractis omnibus, peregrè profectus disparuit.*

Hoveden. hic.

Gemiticens. l. 2. c. 11.

Comparuit tamen, ut vides, in hac Insulâ; & timorem civibus incussit: donec Alfredus Rex, & causâ, & milite fortior; & Danos vincere jam assuetus; ademit metum. Sed quoniam tam citò cogi miles, & armari, non potuit, qui in duos exercitus pugnaret: ut Danis occursum est, dicam anno sequenti; licet enim Authores aliqui, cæptam narrationem, sine annorum distinctione, prosequantur; & in unum annum Danorum appulsum, arcium constructionem, pugnásque componant (ut Westmonasteriensis, qui hoc anno, Ethelwerdus, & Wigorniensis, qui sequenti, omnia referunt) puto tamen, ita conciliandos Authores; ut dicamus hoc anno Danos Provinciam vexasse; sequenti profligatos esse.

IV. Hiberni doctiores Alfredum invisunt. Dum adhuc Alfredus, in Occidente versaretur: Hibernorum doctissimi, auditâ Regis famâ, prudentiâ, & præter morem aliorum Principum, amore studióque literarum, ejus videndi desiderio tacti, relictâ domo, patriáque, hoc anno in Britanniam trajecerunt. Eorum nomina, & adventum sic narrat Wigorniensis. *Tres Scotici viri, Dusblanus, Mahbetus, Mulmunnus, peregrinam ducere vitam pro Domino cupientes: assumpto secum unius hebdomadæ viatico, occultè de Hiberniâ fugerunt. carabumq;, qui ex duobus tantùm coriis, & dimidio, factus erat, intraverunt, mirumq; in modum, sine velo, & armamentis, post septem dies, in Cornubia applicuerunt, & postmodum Regem Alfredum adierunt.* Ethelwerdus eos vocat *fide ferventes*: quia nimirùm ad Fidem discendam, vel eandem docendam, peregrè proficisci voluerunt. Erat omnium doctissimus, qui ultimo loco nominatur Mulmunnus; hunc Ethelwerdus, Magilmumenum vocat, *artibus frondentem, literâ doctum, Doctorem insignem Scotorum.* Quâ Fide ferventes fuerint; facilè colliget, qui eorum leget itinera. Nam Rege salutato, Romam primò, inde Hierosolymam petiverunt. veneraturi nimirùm Apostolorum limina, & Christi Domini sacra monumenta. quod hoc sæculo fiebat passim à fidelibus. Cui religionis actui irati Magdeburgici, miscentes sacra prophanis, ita scribunt. *Quia evanuit doctrina de vero Dei cultu, & de invocatione ejus: quòd Deus ubivis locorum in spiritu, & Fide, rectè possit invocari: & falsa persuasio mentem hominum subiit; quasi alius locus alio sacratior sit, ad invocationem: adeò ex alio in alium oberratum est locum: modò ad hujus, modò ad illius Sancti, seu potiùs cacodæmonis implorandum opem. Sic Carolus Magnus, Turonis ad Sanctum Martinum, orationis gratiâ profectus scribitur, in Annalibus Francorum.* Ita illi, qui paulò post, Haymoni indignantur quòd scripserit super Cap. 5. ad Romanos: *Nunc ad tumulum Piscatoris flectuntur genua Imperatoris*: & alibi super Evangelia. *De monumento Domini ferunt* (inquit) *qui nostra ætate Hierosolymis in Britanniam venere; quòd domus fuerit rotunda*, &c. Hunc morem secuti sunt tres Scotici, *Fide ferventes*: & tutò secuti sunt, quia Carolus, & Alfredus, magni Principes, Swithelmus Episcopus, aliique infiniti, eodem hoc sæculo præcesserant.

Wigorn. hic.

Peregrinatio ad loca Sancta.

Cent. 9. fol. 205.

ANNUS CHRISTI 893.

FORMOSI PAPÆ 3.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 23.

I. ALFREDUS IN CANTIO EXPUGNAT DANOS.

SEQUITUR Christi annus octingentesimus nonagesimus tertius, quo Alfredus feliciter in Danos pugnavit. Ut enim audivit in Cantio, hostem sedem fixisse, in utroque Provinciæ latere; arce & urbe clausum: nè bipartito exercitu, duobus in locis pugnare cogeretur: in agrum illum descendens, medium se collocat, observaturus utrimque Danorum motus, & excursiones. Enimverò, hinc mari, inde flumine, non facilè pervio, circumsepti: *Nunc equestres, nunc pedites,* inquit Westmonasteriensis, *latrocinando illas partes frequentabant, ubi Regis exercitum abesse sciebant. Quibus tamen Rex, subitis sæpè incursionibus obvians; cædes infert assiduas.* Sæpiùs ita velitatum; sæpè repulsus Danus, Alfredo, & provinciis gravis fuit, donec plures ex hostibus in unum coëuntes, confertim in Regem irruunt; certi, eo capto, debellatum esse. Sed ille, cùm diu sustinuisset impetum: perrupit tandem inimicam aciem. Mox fractus Barbarorum animus, pede, magis quàm manu, certavit, festinavitque in Middletuoam arcem, Alfredi iras non valens ultra sustinere. Fugientes Rex insequitur, urbémque, erectis in gyrum machinis, oppugnat. Illi intus obsessi, cùm egressu, & omni commeatu prohiberentur: & desperarent etiam, ob sæpè violata fœdera, locum veniæ, ad fraudes convertuntur.

Westm. hic

II. HASTINGUS AD FRAUDES CONVERTITUR.

Hastingus, qui quicquid in Galliâ acquisiverat; non armis, sed dolo perfidiáque vicerat: nunc Anglis imponere, subdolâ legatione nititur: quam ita fraudibus intexit, ornatque pietatis fuco; ut nemo non tuta omnia polliceretur. *Nuntios* (inquit Westmonasteriensis) *ad Regem dirigens, promisit juramentis, & datis obsidibus; quòd ab ejus, & regni Angliæ inquietatione cessaret impòsterum, si pacificè recedere sineretur.* Non erat is Alfredus Rex, Barbarorum fidem toties expertus; qui illam juramenti religionem, datósve obsides magni faceret. Quod ubi Hastingus vidit; aliâ pietatis specie, prætextúque, Alfredum aggreditur. *Quamobrem ad majorem securitatem* (pergit qui suprà) *misit Regi duos filios suos pueros; ut si vellet, fidei illos, & baptismatis imbueret Sacramentis. Tunc Rex pijssimus, qui semper Paganorum animas potiùs liberare, quàm interficere sitiebat; ejus petitionibus acquievit: Et pueris sacro fonte renatis; Hasteinum patrem eorum, cum omnibus aliis infidelibus, pacificè, juxta quod pactum fuerat, abire permisit.* Hæc ille. Baptizatos pueros, Alfredus Rex, & Ethelredus gener, è fonte, de more, suscipiunt. Hastingo, uxorique ejus, munera à Rege missa complura. Sed barbarum pectus, nulla humanitatis officia molliverunt, aut à perfidiâ cohibere potuerunt.

Westm. hic

Idem suprà.

EJUS FILII BAPTIZANTUR.

III. CUTHREDUS MORITUR NORTHUMBRIÆ REX.

Interim hoc anno moritur Cuthredus Northumbriæ Rex, (de quo suprà ad annum 882.) & in ejus locum Osbertus sufficitur: Hovedenus addit: *Northimbrenses pagani, pacem cum Elfredo juramentis stabiliere.* Sed pax pax, & non est pax. Dani enim, omnia, tam humani, quàm divini juris Sacramenta violarunt. Unde hoc eodem anno, è Septentrione in Mercios profecti, Legecestriam ceperunt; sed damno suo. Sic enim narrat Huntindonius: *Quartus exercitus venit eodem anno, à Nordhumbre, usque in Legecestriam: sed ibi obsessi sunt, & tantâ fame afflicti sunt; quòd etiam equos suos comederent.* Ita Alfredus Rex, denuò Danorum infestatione undique petitur: Sed ille ad pugnandum doctior; & Danus undique fractior, laudem ei fecit ampliorem. Quod Ingulfus observans, ita de illo. *Quâ morum prudentiâ præditus, inquit, & pollens tam profundâ peritiâ literarum; Danos post tredecim annos, per Arnulphum Imperatorem, de Franciâ ejectos, & super Angliam iterùm inundantes; faciliùs, quàm priùs fecerat, in omni certamine superabat. Cùm illi Francorum bellis debiliores, ac desidiores fiant, ad invadendum. & ille viris, ac viribus paratior, ac peritior foret ad resistendum. Insuper ipsa Regio, civitatibus muratis, & turribus munitissimis fortissima, de veteri statu suo, multum fuerat immutata. Repulsi igitur leviter, & citò superati Dani, ad suos in Northumbriam, & Northfolciam refugerunt.* Ita ille, plurium annorum gesta conjungens. Sed nec tam facilè Jebulæus noster pelli potuit. Et Deus diutiùs Alfredum Regem exercere voluit, ut immortali præmio pararetur.

Hov. an. 893

DANI VERSIPELLES.

Huntind. l. 5 fol. 351.

Ingul f. 870.

ANNUS CHRISTI 894.

FORMOSI PAPÆ 4.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 24.

I. ALFREDUS DANOS FUGAT, AB APPLEDORE.

CUM Alfredus Rex, unam Cantii partem composuisset, Hastingo ad quietem & fœdera coacto: mox anno Christi octingentesimo nonagesimo quarto, ad eos convertitur, qui suprà, è Bononiâ solventes, Cantium provecti, ingressique terram, castrum construxerant ad Appledore. Ibi cum in duos cuneos se collegissent, & provincialibus graviter incumberent: Alfredus Rex, & filius natu major Edoardus, è manibus prædam feliciter excussit. hoc fusè satis narrat Westmonasteriensis in hunc modum: *Anno gratiæ 894. Rex Ælfredus, cum ingenti exercitu, contra paganos processit, quos supra in ostio Ligei fluminis* (lego in ostio Limenei fluminis) *applicuisse diximus: qui jam cuneis divisis conabantur omnes regionis illius provincias subjugare. Quò Rex cum pervenisset, misit se cum exercitu suo, inter duos cuneos paganorum: ut si fortè nemorosa loca deserentes, planitiem aliquam petere decrevissent; ipse contra eos arma moveret.* Jam erat Alfredi nomen barbaris terrori; nec ausi sunt cum experto milite manum conserere: divisi etiam ab invicem, carebant mutuo armorum, consiliorumque præsidio. Igitur, quò tutiùs cum Alfredo pugnarent; furtim se è castris proripiunt; adeuntque socios, qui nuper ad Essexios venerant: ut viribus auctiores, ad prælium redirent. Sed fugâ per exploratores cognitâ Alfredus expeditum militem ornat, qui consilium antevertat. Edoardus filius agmen duxit, & maturato itinere assecutus est fugientes, primò quàm flumen trajicerent: *Commissoq; cum illis gravi prælio* (narrat Westmonasteriensis) *pagani in fugam sunt conversi. Quos fugientes, Christiani, sine pietate prosternunt: atq; ex obstantibus magnâ strage illatâ, Regem eorum*

Westm. hic.

EDOARDUS FUGIENTES INSEQUITUR.

Westm. hic

crudeliter vulneraruut. Quem vix commilitones in equo poſitum; ſine vado, & ponte, trans Thameſim fluvium, multis ex eis ſubmerſis, duxerunt. Ita ille.

II. DANI IN INSULAS SE RECIPIUNT.

Qui periculo ſuperfuerunt; veriti ne Edoardus victoriam perſequeretur; ad tutiora loca ſe recipiunt. *Et tandem inter Thameſim & Coleneam* (inquit Weſtmonaſterienſis) *quandam breviſſimam nacti Inſulam, pro oppido, illam aliquamdiu habuerunt.* Fugerunt ergo in Buckingamiæ provinciam: ubi Colnus fluvius, vario aquarum divortio Inſulas facit. In quarum unam Dani fugientes, inſequentium manus evaſerunt: Anglus enim, quà locorum difficultate, quà rei frumentariæ inopia; à perſequendo deſtitit. Camdenus locum tempuſque ita deſcribit: *Colnus*, inquit, *his divortiis amanas Inſulas circumfundit. In quas Dani, anno Chriſti 894. ſe fugâ receperunt: cum Alfredus illis inſtaret: locíq; ingenio ſe tutati ſunt: donec Anglus, rei frumentaria inopiâ coactus obſidionem reliquerit.* Alfredus interim, dum exercitus partem educit, ſuppetias filio laturus; ubi reſcit eum à perſequendo deſtitiſſe; novâ curâ diſtrahitur: novis, inquam in Oriente & Septentrione, motibus.

Camden. in Buckıng.

ALII DANI TUMULTUANTUR

Utrobique enim factioſi homines, occupato Alfredi milite, tumebant vanâ ſpe regnandi, opprimendæque Majeſtatis: quam in uno eſſe nolebant. Hinc ergò Exoniam, inde arcem aliam in Danmoniis ſitam, aggreſſi, obſidione cingunt. Servivit hic motus Alfredi gloriæ; qui militari manu Barbarorum cuneos perrumpens, ingreſſus eſt Exonienſem urbem, ſubmovitque facilè inimicum impetum.

III. HASTINGUS PERFIDUS.

Cùm Barbaris hiſcè nihil ex voto ſuccederet; cum illis conjuncti, qui in Colni Inſulas fugerant, in Eſſexiam omnes profecti ſunt. Ubi multi, abſentiâ Regis Alfredi, ad moliendas res novas abuſi, Haſtingo duce, apertè defecerunt. Ille enim, nihil pactorum reverentiâ motus, Beamfleotam oppidum in Trinobantibus, foſſatis altis, & ſpatioſis cinxerat; quo ſecuriùs, impuniúſque, irruptionibus cives vexaret. Confluxerant ad hanc arcem, quotquot ferè erant per inſulam Dani: & illi cum primis, qui ad Appledore conſederant. Hac militum copiâ elatior, undique prædam agere, ſpoliare cives, graviſſiméque premere: donec Alfredus miſſo exercitu, prædones hos ab injuriis cohibuit. Tunc enim Ethelredus gener, cum Londinenſi milite, aliiſque in Northumbriâ, & Eſtangliâ, pugnam doctis; qui Regis juſſu convenerant, ad Beamfletam arcem accedens, hoſtili manu cæpit expugnare. Nec magnus perduellibus animus fuit, ad reſiſtendum, abſente Haſtingo, factionis capite. Ex arce tamen egredi, & in obvios pugnare decernunt; quo feſſum ex itinere militem fatigarent magis, ac demum frangerent. Cæterùm Ethelredus ita cautè exercitum ductaverat; ut omni horâ pugnare in barbaros, aciémque ſervare, promptiſſimi poſſent. Primo igitur congreſſu, ubi omnem impetum Danus effuderat; Ethelredi virtute funditur: compulſúſque in fugam, arcem diripientibus permittit. Chriſtianus miles opulentam Urbem, in victoriæ præmium accipit, Danorum naves, vel incendit, vel in Roffenſem urbem educit. Haſtingi uxorem, cum duobus liberis, qui ad prædam remanſerant, vinculis conſtrictam, in Londinenſem urbem deducit. Quò paulò poſt, è Devonienſi agro profectus Alfredus, ut captivam fœminam, filióſque vidit; inſigni pietate motus, noluit violati fœderis pœna mulctare.

IV. AD PŒNAM CAPTIVI POSTULANTUR.

Cùm inſtarent multi, Alfredum in vindictam accendentes: nullum fore belli finem, ſi Danus impunè Provinciam vexaret: ſed paucorum ſupplicio, pacem civibus, quietem omnibus dari poſſe. Pius Rex contra: ſed quænam inquit militi, & Regi, laus erit viciſſe fœminam: cujus inferior conditio eſt, quàm ut in iram poſſit cum dignitate ſurgere. Ego in Haſtingum pugnavi, ipſúmque vincere laudi ducam: non imbecillem ſexum, haud aliâ re magis, quàm miſeratione vincendum.

ALFREDUS NOLUIT.

Et verò, liberorum ejus unum, Sacramento mihi filium feci, Ethelredus alterum: illis igitur non vindicta, ſed pietas debetur: eóque major, quo major Sacramenti, quàm carnis, reverentia, religióque. Servate igitur in barbarum & perfidum militem iras veſtras: in eum, per me licet, effundite: Sinite meum filium impunem eſſe, & illæſam matrem. Dimittantur ad Haſtingum, mater filiique, ſalvi ac incolumes: & ille doceatur; majus eſſe læſæ ab eo Majeſtatis crimen, quàm quòd fœmininâ morte, aut duorum puerorum ſanguine, poſſit expiari. Haſtingus, receptâ conjuge, & duobus liberis; nihilominus ab injuriâ abſtinet, aut ad obſequium flectitur: ſed ſive deſpectâ veniâ, ſive ampliùs mentiri pacem & fœdera non valens, in mari pyraticam, prædámque in terrâ continuat.

V.

Alibi etiam à Danis tumultuatum. Nam qui Exoniâ fugerant, *ad Ceſtriam profecti*, inquit Spedus, *antiquam urbem depopulantur: quam cives dum acriter vim avertere conantur: inito conſilio, tedunt fore; egreſſiq; in agros, vocatu in ſuppetias ſociis; Vrbem hoſtibus refertam cingunt, omni commeatu prohibent; & tandem victus inopia preſſos, cogunt Vrbe excedere.*

Sped. in Alfredo.

Verùm quod Author ille Ceſtriam vocat: Wigornienſis aliter nominat; ita ſcribens ad hunc annum: *Aliorum poſtquam Exanceſtriam advenerat, Pagani adventu illius territi, naves petunt: ſicq; ſuas ſedes repetentes, prope civitatem, qua lingua Anglorum Ciſſaceaſtre dicitur, in Provinciâ Auſtralium Saxonum, prædam agunt. Sed ab Vrbem inhabitantibus fugati, maximaq; pars illorum vulnerata & caſa, quampluresq; de navibus eorum capta ſunt.* Si ad Ciſſaceſtriam (nunc Ciceſtriam) hæc geſta ſunt, in Auſtralium Saxonum Provinciâ: differt hæc Danorum repulſa, ab eâ, quam anno ſuperiore ex Huntindonio retulimus, ad urbem Legeceſtriam: nam hi è Septentrione, illi ex Occidente profecti dicuntur. & conſtat pluribus in locis, ſub hæc tempora, Danos Angliam afflixiſſe. Sed fracti paſſim, Alfredi virtute, diviſique per provincias; furto potiùs agere, prædarique agros, quàm juſtâ acie in arenam deſcendere, aut cum Regio milite pugnare, maluerunt.

VI. FORMOSUS PAPA, PRO ANGLICANA ECCLESIA SOLICITUS.

In tanto bellorum motu, incurſúque Paganorum; non potuit non pati orthodoxa Fides, & Eccleſia. Unde Formoſus Papa, qui pro omnium Eccleſiarum ſolicitudine excubabat, ſcriptis in Angliam literis, Epiſcopos omnes, pro imperio monet, diligenter muneri incumbant; caveantque imprimis, nè Fides, quam dudum exceperant; Paganorum, qui ibi in magno numero erant, ritibus corrumpatur. Inaudierat enimverò, turbatis rebus, in medio tritici zizania pullulaſſe, & aliquando patres aliquos familias dormiviſſe, quos nunc iterum vigilare gaudet. Hortatur ergò Eccleſiarum Antiſtites, animátque, ut gregem

accuratè

accuratè circumſpiciant; nè oves, eorum Fidei commiſſas; aut lupus rapiat, aut fera peſſima devoret. Formoſi literas recitat in hunc modum Malmeſberienſis, l. primo de Geſt. Pontificum: & ex eo Baronius ad hunc annum.

LITERÆ FORMOSI PAPÆ AD EPISCOPOS ANGLIÆ.

Fratribus & Filiis in Chriſto omnibus, Epiſcopis Angliæ FORMOSUS.

VII. *apud Malmesb. de Pôt. l. 1. fol. 211.*

AUdito nefandos ritus Paganorum, partibus in veſtris repullulaſſe: & vos tenuiſſe ſilentium; ut canes non valentes latrare: gladio ſeparationis, à corpore Dei Eccleſia, vos ferire deliberavimus. Sed quia, ut nobis dilectus frater noſter Plemundus intimavit; tandem evigilaſtis, & ſemina verbi Dei, olim venerabiliter jacta, in terrâ Anglorum, cœpiſtis renovare; mucronem devotationis retrahentes, Dei Omnipotentis, & Beati Petri Apoſtolorum Principis benedictionem vobis mittimus: orantes ut in bene cœptis perſeverantiam habeatis. Vos enim eſtis Fratres, de quibus loquens Dominus, inter alia, inquit: Vos eſtis ſal terra, & ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur. & iterum: Vos eſtis lux mundi: ſignificare volens, per verbi ſapientiam, condiri mentes hominum, à vobis debere: & in moribus, & in vitâ veſtrâ, bona actionis ſtudium, quaſi lumen apparere Fidei: per quod gradientes ad vitam; quomodo cautè ambulent, videant; ut ad promiſſionem æternam beatitudinis, ſine offenſa currentes, valeant pervenire. Nunc accingimini ergò, & vigilate, contra Leonem, qui circuit, quærens quem devoret: & non patiamini ulteriùs in Religione veſtrâ, penuria paſtorum, Chriſtianam Fidem violari, gregem Dei vagari, diſpergi, diſſipari. Sed cùm unus obierit; alter, qui idoneus fuerit, canonicè protinus ſubrogetur. Nam ſecundùm legem, plures facti ſunt Sacerdotes, eò quod morte prohiberentur permanere. Quod David conſiderans, & in ſpiritu Chriſti Eccleſiam fore permanſuram, ad finem ſæculi proſpiciens, ait: Pro patribus tuis naſcentur tibi filij: conſtitues eos Principes, ſuper omnem terram.

VIII. *Nulla itaque mora ſit ſubrogandi alium, cum quilibet Sacerdotum ex hac vitâ migraverit: ſed mox ut ille, * qui prima Sedis principatum gerens, inter vos, cæteris Epiſcopis præeſſe dignoſcitur, fratris obitus fuerit denuntiatus; factâ electione Canonicâ, alter conſecratus ſuccedat. Quis autem inter vos Principatum tenere debeat; quave ſedes Epiſcopalis, cæteris præpolleat, habeatq; Primatum; ab olitanis temporibus notiſſimum eſt. Nam ut ex ſcriptis Beati Gregorii, ejuſq; Succeſſorum tenemus; in Dorovernia civitate, Metropolim Sedémque primam Epiſcopalem, conſtat eſſe regni Anglorum: cui venerabilis frater noſter Pleymundus, nunc præeſſe dignoſcitur. Cujus honorem dignitatis, nos nullo pacto imminui permittimus: ſed ei vices Apoſtolicas per omnia gerere mandamus. Et ſicut Beatus Gregorius Papa, primo veſtræ gentis Epiſcopo Auguſtino, omnes Anglorum Epiſcopos, eſſe ſubjectos conſtituit: ſic nos prænominato fratri, Dorovernia, ſive Canterberia Archiepiſcopo, ejúſque Succeſſoribus legitimis, eandem dignitatem confirmamus; mandantes, & authoritate Dei, & Beati Petri Apoſtolorum Principis, præcipientes; ut ejus Canonicis diſpoſitionibus omnes obediant: & nullus eorum, quæ ei ſuiſq; Succeſſoribus Apoſtolicâ authoritate conceſſa ſunt, violator exiſtat. Si autem quivis hominum, contra hæc aliquando ire, ac imminuere iſta tentaverit: ſciat ſe procul dubio mulctandum fore gravi anathemate; & à corpore Sanctæ Eccleſiæ, quam inquietare molitur, perpetuò, niſi reſipuerit, ſeparandum.* Hæc Formoſus.

* illi fortè.

IX. Addit Baronius: *Quo pariter Anno Formoſus Papa, pro Eccleſiâ Anglicana ſolicitus, quæ Danorum incurſionibus, ac bellis diuturnioribus penè deſtituta erat Epiſcopis (plurima namque Eccleſia viduata paſtoribus manſerant) ſuis literis, tum Regem, tum Epiſcopos excitavit, ut omnibus Eccleſiis ſui ordinarentur Epiſcopi. Horum meminit antiquus hiſtoricus Guilielmus Malmesburienſis: ſed puto vitio ſcriptoris, quod factum eſt hoc anno octingenteſimo nonageſimo quarto. Scriptum legi anno nongenteſimo quarto, ad quod tempus certum eſt, non potuiſſe pervenire Formoſum: ſed longe ante eſſe defunctum. ait enim: Anno, quo à Nativitate Domini tranſacti ſunt anni nongenti quatuor, miſit Papa Formoſus in Angliam Epiſtolas, quibus dabat excommunicationem, & maledictionem Regi Edoardo, & omnibus ſubjectis ejus: pro benedictione quam dederat Beatus Gregorius, genti Anglorum, à Sede S. Petri. Nam per ſeptem annos plenos deſtituta fuerat Epiſcopis omnis Regio Geviſorum, id eſt, Weſt-Saxonum. Quo audito, congregavit Rex Edoardus Synodum gentis Anglorum cui præſidebat Plemundus Archiepiſcopus Cantuarienſis, &c.*

Baron. hic n. 10.

X. Benè notat eruditiſſimus Baronius, annum Chriſti nongenteſimum quartum, cum Formoſi Sede ſtare non poſſe, qui moritur anno 896. Sed advertere quoque debuiſſet, Formoſum, hoc anno, ad Edoardum Regem nullo modo ſcribere potuiſſe: cùm Alfredus pater adhuc in vivis eſſet. Nam æquè conſtat, Edoardum non regnaſſe, aut ullo regni titulo inſignitum eſſe, anno octingenteſimo nonageſimo quarto; ac conſtat Formoſum non ſediſſe anno nongenteſimo quarto. Dico igitur Malmeſberienſem, in Romani Pontificis nomine lapſum videri, Formoſum pro Joanne ponendo. Quod quia à nemine adhuc aſſertum video; volo dicti rationem reddere, & oſtendere, quæ Author ſuprà, de Synodo, & Rege ſcribit; non ad hoc ſæculum, ſed ad initium ſequentis referenda eſſe. Imprimis Geviſorum Epiſcopi (literarum à Papa ſcriptarum fundamentum) vivebant, ſedebantque adhuc, Denewulfus Wintoniæ, Ethelwardus Schireburniæ: quorum tamen Sedes per annos ſeptem vacaſſe, querela fuit. Et quoniam hi duo Antiſtites, mortui ſcribuntur in Faſtis, ad annum Chriſti octingenteſimum nonageſimum nonum: & tunc demum, non priùs, Occidentalium Saxonum Eccleſia, paſtoribus viduata, manſit, per annos ſeptem: Benè ſcripſit Romanus Pontifex anno 904. Nec malè conqueritur provinciam paſtoribus deſtitutam eſſe. Iterum Synodus de qua author, revera ſub Edoardo coacta eſt: & ibi decretum, ut Occidentalis provincia, quæ hactenus duos tantum Antiſtites, animarum procuratores habuit, à quinque regeretur; quod factum dicam anno ſexto ſequentis ſæculi, & nominabo Epiſcopos, qui tunc ſederunt. Denique quis credet Romanum Pontificem hoc anno 894. Anglorum Regem pientiſſimum, & Eccleſiarum fautorem maximum, à fidelium communione removere voluiſſe: qui ſingulis annis Romanam ſedem, muneribus, eleemoſynis, & legationibus coluit. Factum ergo poſteriùs, non Alfredo, ſed Edoardo filio regnante. ut ibi.

XI. An idem dicendum ſit de Formoſi literis, ſcriptis ad Epiſcopos, quas ſupra poſui, diu mecum ipſe diſputavi, ob argumenti paritatem. Sed quia

in illis nihil teperio, quod in hunc annum non possit cadere: nolo illis, aut Malmesburiensi, à quo Baronius illas exscripsit, litem movere. Præsertim cum Edmerus accuratus author, & Malmesberiensi antiquior, Formosi nomen his literis præfigat. Solùm quæri potest, imo debet, ab Annalium scriptore: quid illud, quod Formosus audivisse dicitur, *de ritibus paganorum in Insulâ repullulantibus*: quos Episcoporum aliqui abolere neglexerunt? Hic silent omnes historici nostri: & ideo fortè Antiquitatum Britannicarum scriptor, aliunde cogitur emendicare, quod domi gestum est. Ille itaque in Plegmundi Cantuariensis vitâ hæc habet: *Tempus*, inquit, *effœminatum, hoc fuisse, Warnerus in fasciculo temporum pronuntiat: Fides*, inquit, *tum valdè deficere cæpit; & clerici maleficiis erant dediti, consurgentibus sectis.* Opinor, non multùm fallitur Warnerus, nec malè hac vice Parkerus auguratur. Nam Sacerdotes aliqui, qui fugatis monachis, in monasteria irrepserant; fœminarum commercio usi, & abusi sunt; primò, necessitatis, inde commoditatis, demùm luxuriæ manifesto prætextu. quod quia præsumere, nec ab Episcopis moniti, corrigere, sed obstinatè defendere, perrexerint; meritò *sectâ*, & *effœminati temporis* nota, arguitur. Hos tamen ipsos, Antiquitatum Author, paulò * superiùs *Presbyteros* vocat, *in conjugio legitimo pie viventes*: Fulco Rhemensis Archiepiscopus, in literis ad Alfredum, quarum * alibi facta mentio, *perversissimam sectam paganicis erroribus exortam* vocat: & ad Plegmundum, * *incestuosa luxuriæ fomenta.* Et satis vero simile, ipsum Romano Pontifici excrescentem morbum aperuisse; nè vicina quoque Gallia similiter laboraret. Factum tandem, quà Plegmundi industriâ, quà Romani Pontificis imperio: ut hæc Nicolaitarum hæresis, minui in dies, & in orcum, unde venerat, redire cæperit: donec Lutherus, omnis honestatis, pudicitiæque claustra violans, illam reduxit.

Edmerus l. 5. Novorum.

Antiq. Brit. in Plegmūdo

* an. 889. n 4. & 9.

* an. 889. 6.

* an 889 8.

ANNUS CHRISTI 895.

FORMOSI PAPÆ 5.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 25.

I. SEQUENTES anni, Danorum turbas, & varia cum illis certamina, vix aliud referunt. Nam anno Christi octingentesimo nonagesimo quinto, ut refert Westmonasteriensis: *Hastenus iniquus, & cæteri Pagani, quos exercitus Regis Ælfredi de Beamfleote fugaverat; disposuerunt transire ad concives suos, qui in occiduis partibus Angliæ habitabant. Arrepto igitur clam itinere per Provinciam Merciorum, ad villam quandam super flumen Sabrinæ sitam, Buttingedune appellatam, pervenerunt: ubi à confratribus suis, reverenter sunt recepti; atque in oppidum, quod ibidem construxerant, introducti. Cumq; hoc Regi Ælfredo nuntiatum fuisset; congregavit exercitum quasi invincibilem. & veniens ad oppidum præfatum, quod Sabrinæ fluctibus erat undique perfusum; Paganos, tam navali, quàm terrestri exercitu, circumcinxit. At hostes, post diutinam obsidionem, victu sibi deficiente, equos suos novissimè devorabant. Tandem omnibus consumptis, ab oppido necessitate compulsi exierunt, contra exercitum, qui erat in Orientali parte fluminis, pugnaturi. Ubi ex parte Regis, in primâ congressione, cecidit Ordeinus minister ejusdem Regis: & multi alii cum eo: sed Christiani demum prævalentes, in fugam adversarios compulerunt. Quos fideles, sine pietate insequentes, multos in undis submergebant, & nonnullos gladiis detruncabant.* Hæc Author de Danorum fugâ in Buttintonum, oppidum in Ordovicibus, & Montegomerico Comitatu, ad ripam Sabrinæ fluminis.

Westm. hic

DANI CÆDUNTUR AD BUTTINTONUM.

II. Hanc Danorum cladem alii communiter referunt ad annum octingentesimum nonagesimum quartum; ita Florentius Wigorniensis, Marianus, & alii. qui paulò accuratiùs Danorum itinera legentes; dicunt eos, à Beamfleota, primò in *Urbem, quæ lingua Anglorum* (inquit Florentius) *Sceobyrig in Eastsaxoniam sitam adiisse, firmamq; sibi munitionem ibidem construxisse.* Est urbs illa in Trinobantibus, & Essexiæ agro, quam Antoninus, Cæsaromagum putatur appellasse: nunc Bursted dicitur. Unde pulsi fortè Dani anno superiori, ad Ordovices fugerant; quos Regius miles insecutus, hoc demum anno, inde exegit, ac profligavit. Vigilabant enim Alfredi Duces; & passim per Provincias Danorum motus observantes, excubabant. Unde hostes remotiora Insulæ petere, & trans Sabrinam fugere compelluntur. Sed nec ibi tutò consistere, aut persequentium iras fugere potuerunt; Alfredi ducibus inimicum impetum ubique prementibus. quod ita à Florentio narratur. *Danorum nimiam infestationem; non ferentes Duces nobilissimi, Æthelredus, Æthelmus, Æthelnotus, cæteriq; Ministri Regis: quos ipse præsidii causa, per munitiones, per oppida, per urbes, non solùm in Orientali plagâ Pedredan, sed etiam in Occidentali plagâ Selwuda: non solùm in Australi, sed in Septentrionali plagâ fluminis Thamesis, constituerat: in hostem non modicum congregarant exercitum, Wallensibus, qui Occidentalem Sabrinæ inhabitabant, sibi in auxilium occurrentibus. Conglobati itaque in unum, hostem vadunt insecutum; quem apud Buttingum, in ripâ Sabrinæ fluminis situm comprehendunt, & mox in quam fugerant munitionem, ex utrâque parte amnis, obsidere cæperunt.* Hæc ille.

Wigorn. an. 894.

ALFREDI DUCES.

Wigorn. an. 894.

III. Wallenses, qui Alfredi Ducibus conjunguntur, Britanni sunt, qui ut suprà dictum, Alfredi patrocinium implorantes, ejus imperium sequebantur; licet inter se, variis distincti Provinciis, minorum gentium Reges haberent. De quorum Rep. ideò parum, in superioribus diximus; quia nullus, nisi obiter, ab eis gesta recensuit. Nam hactenus ferè, à Saxonum congressu, commercióque abstinentes; eandem cum illis Fidem, nihil aliud commune habuerunt. De eorum Episcopis, quos indubiè omni sæculo habuerunt, libenter scriberem, & Principum acta illustriora: sed vel Authorum, vel temporum negligentiâ factum: ut tenuia valdè Britannicarum rerum vestigia, Posterorum memoriæ remanserint: Et ea quæ remanent, incerti temporis sunt, nec debitè inscribi possunt Annalibus. Vetustus quidam Author Landavenses Synodos collegit, quarum aliquæ, Alfredo regnante, celebratæ. Inde Landaviæ Episcoporum, sed & Principum Britannorum nomina eruimus; quæ lucem aliquam, rebus cæteroquin obscuris, accommodant. Quod

DE BRITANNIS.

ad Episco-

ad Episcopos spectat, spectatæ virtutis fuisse videntur: qui nec Principum peccata dissimulantes; Canonicis censuris, eos à flagitiis, ad pœnitentis animi certissima argumenta, pellexerunt. Sic à Gurvano, qui decimus Landaviæ Episcupus scribitur; Teudur Rex Brechemaniæ, ob homicidium, & perjurium, à Fidelium communione removetur, ut constat è Synodi actis, quæ Spelmannus recitat io hunc modum.

IV. Synodus Landavlæ sub Gurvano.

Reges Teudur, filius Rein, & Elgistel, filius Augist, Regee Brechemanc, juraverunt super altare Sancti Dubritii, per sancta Sanctorum, antepositis sacris voluminibus, & reliquiie; quòd nullus alteri insidiasset: & quòd firmam pacem inter se tenerent, sine dolo, & præsente Gurvanno Episcopo, cum clericis suis, & tali pacto insuper; quòd si unus alteri dolum faceret, totam suam hereditatem clamaret: & iret in peregrinationem, viduato regno suo, & mansurus semper in exilio. Posthac diabolus, qui Patrem nostrum Adam, primum parentem nostrum, suâ dolâ admonitione suâ, projecit de paradiso: id est, de sede deliciarum, cum pace quietâ. Ille idem fecit fraude suâ, quod Teudur Rex, ruptâ pace, occidit Elgist filium Augist, utrumque faciens, homicidium simul & perjurium.

V. Teudur homicida et perjurus excommunicatur.

Quo facto audito, Episcopus Gurvan, simul cum clero suo, homicidium, simul & perjurium excommunicavit: denudando altaria Dei, & prosternendo Cruces ad terram, simul & reliquias Sanctorum; & ablatâ sibi tota communione Christianâ. Post hæc videns Rex Teudur, pati non posse maledictionem, & justitiæ rigorem; quæsivit veniam, compuncto corde, cum effusis lacrymis, & imposito sibi jugo pœnitentiæ, ad modum qualitatis & quantitatis, nè terra sua dissoluta fieret, carens Principe; consilio fratrum totius parochiæ, illum fecit remanere in regno, emendaturum in omnibus suum scelus, eleëmosynâ, & oratione, & jejunio. Rex Teudur imprimis offert Deo, datâ sibi tantâ remissione, & Sancto Dubricio, & Gurvanno, & suis omnibus Successoribus, in Ecclesiâ Landavia, & Sanctorum Dubritii & Teliavi, Lan Michael tresceruan, cum suâ totâ terrâ, & cum omni suâ libertate, & totâ communione in campo & in silvis, in aquâ & in pascuis, sine ullo censu homini terreno, nisi Ecclesia Landavia, & Pastoribus ejus. De clericis, testes sunt Gurvan Episcopus, Flvid, Cuan, Concu, Comu. De Laicis, Teudur Rex, convrit filius Concolen, Petran, Elviu, Bacuc. Quicumq; custodierit, benedicetur: qui autem ab Ecclesiâ Landavia separaverit, anathema sit. Finis illius est de viâ magnâ, qua est ab Austro, per spineum rubum, inde usque ad rivulum Tanguel, qui est ab Aquilone, &c. Hactenus acta.

VI.

Qui Teudur hic dicitur, Rex Brechemaniæ, ab Assero rectiùs appellatur Teudyr, Rex Brechoniæ, cujus supra * facta est mentio. Godwinus in Catalogo, inter Landavenses Episcopos; Gurvanum nominat, oumero decimum, & Teudur vocat Regem Brechiniæ: & ita passim Provincia nuncupatur, inter Silures, *à Brechanio Principe sic dicta, ut existimant Walli*, inquit Camdenus. Suot & alia Synodorum acta, apud Spelmannum: ubi varij Principes, ob enormia crimina puniuntur ab Episcopis; eo ferè modo, quem suprà descripsimus: nimirùm Anathema dicendo in illum, qui graviter in Deum, hominémque peccaverat: à Fidelium societate proscribendo rebellem; & impium: & quo scirent omnes, nullum ei, aut è passione Christi, aut Sanctorum communione, commercium: denudantur altaria, Crux, passionis Christi nobilissimum hieroglyphicum, & Sanctorum reliquiæ, infernè ponuntur, eversis aliquando cymbalis. Qui ritus Spelmanno displicet: *cùm nec erigi adhuc constet*, inquit, * *Cruces in Ecclesiis Britannorum, nec campanarum; quas alta Cymbala vocant, usus innotuerit.* Quasi diceret; necdum hoc oono sæculo, in orthodoxorum Ecclesiis Cruces statutæ, quæ auferri, aut depooi possent: necdum campanæ, aut cymbala, templorum usibus deserviunt. Sed fallitur utrobique. Nos enim, superiore tomo, ad annum Christi quingentesimum sexagesimum, has Cruces & cymbala, in Ecclesiis Britannorum invenimus, quæ eo modo deponi solitæ sunt, cùm quis à Christi, Sanctorumque consortio, alienus pronuntiatur.

* an. 884. n. 10.

Camden. in Brecknockshire.

Spelman. 306.

VII. De Crucibus in Ecclesiis.

Sed quia premit adversarius hoc nonum sæculum; & Crucis, aut cymbalorum usum, in Ecclesiis non agnoscit: monendus est; dignetur paululùm universi orbis templa lustrare: & tum demum, nec priùs, antiquum Ecclesiæ morem traducere. Nec multo labore opus; quia Magdeburgici quatuor, licet perverso oculo, lustraverunt tamen orbis Ecclesias, & quid ubi ageretur, curiosè magis, quàm religiosè observarunt: & demum hac centuria, capite sexto, ubi de cæremoniis egunt, à cæteris, hunc titulum distinguunt. Quæ contenta *in templis.* Ibi primis oculis videre Spelmannus poterat, quæ sequuntur. *In illis autem locis sacris habere solebant imagines, & statuas Christi. Item Cruces aureas in Ecclesiâ Salvatoris habuerunt.* En Cruces erigi solitas in templis Christianorum; quales Britannos fuisse nemo, opinor, inficias iverit. Nec cæpit hoc sæculo Crucis usus, aut illam in templis ponendi consuetudo: sed longè antiquior est, ut nos suprà * demonstravimus, cùm Helena tam operosè Orientem invisit, lustravitque sacra loca, ut Crucem inveniret. Nec enim eâ inventâ, abjecisse illam, sed ad Macarium Episcopum transmisisse legitur, ut in sacrario poneretur, ut ibi dictum. Non potuit quidem Crux illa sacrosancta, omnibus per orbem Ecclesiis sufficere: & Fidelium mentes, piâ redemptionis nostræ recordatione, ad Dei amorem accendere. Supplet tamen defectum illum materia alia, sive aurea, sive argentea, sive lignea, quæ Crucis memoriam, Crucis formâ, excitat, impellitque ad affectum. Et nescio quid factiosi causari possint in pio religionis actu.

Cent. 9. fol. 330.

* an. 326. n. 40.

VIII. Usus probatur.

Si novitatem culpant; quæ fateor in religionis actibus cavenda est, egregiè hallucinantur, & valdè imperitè pronuntiant, Cruces hoc sæculo necdum erectas; cùm Jonas Aurelianensis, hujus noni sæculi Scriptor, non solùm hoc sæculo, poni solitas in Ecclesiis; sed olim ita poni consuevisse affirmet. Audi ipsum probantem omnia, quæ suprà dixi: *Neque enim nostro tempore*, inquit, *usus irrepsit, figuram Crucis in Basilicis Sanctorum statui: sed MOS ANTIQUÆ OBSERVATIONIS legitimus, id instituit: ut cunctis sapientibus, & rusticis; non solum memoria spiritalem præformet quandam imagine Crucis figuram: sed etiam corporalis ipsius intuitus, crebram menti præfigat Dominicæ passionis victoriam. Si enim quantitas tanta venerabilis ligni, in quo Dominus & Salvator*

Jonas in præfat. l. 2 de cultu imag.

noster pependit, foret, ut ex eo minutatim diviso, cuncta Deo dicata templa, possent imaginem Crucis habere: nullatenus ex aliis lignis ejusdem formam in Basilicis locaremus. Ita ille, scribens ad Carolum Calvum, Gallorum Regem, de quo suprà: & constantissimum argumentum est, Cruces erigi, easque in Ecclesiis statui, antiqui temporis esse.

IX. ETIAM IN BRITANNIA.

Solùm hic video dici posse; Jonam de suâ Galliâ, aut aliis per orbem sparsis Ecclesiis, non de nostrâ Britanniâ loqui: Spelmannus autem, licet fateatur Saxonum Ecclesias, à M. Gregorio, & Augustino legato ejus, Crucis usum didicisse: negat tamen Britannis in more Crucem in oratoriis figere. Respondeo-t. Apertè hic factiosorum genius aperitur; Britannorum Ecclesias, à cætero orbe dividentium, argumento levissimo. Hoc non legitur à Britannis factum, in actu religionis: ergò quicquid de aliarum Ecclesiarum, immò de universi orbis more, dixeris; nihil à factiosâ fronte obtinebis. Et quis non videt, in tantâ rerum regnorúmque vicissitudine: in agrorum, urbium, Ecclesiarum vastitate infinitâ: nihil eorum superesse potuisse, quæ Britanni, in utravis Rep. gesserunt: cùm vix, aut nè vix, Regum, aut Episcoporum nomina compareant. Unde nihil mirum, si nulla esset Crucis mentio, ubi altum rerum omnium silentium est. Sed non est opus eò fugere: quia si vel Britannorum rudera moveris; aut Majorum acta, situ obsita, & in tenebris sepulta, vel paululùm detexeris; à nascente Britannorum Ecclesiâ, ab aurorâ primâ, ad occasum usque, Crucem in oratorio poni, ad eam à Fidelibus preces fundi, immò Crucem in templis propalam esse, in moribus positum videbis. Itaque

X. IN IPSA FIDEI AURORA.

Respondeo iterùm: Cùm Arimathæus Josephus, in Britanniam venisset, & Sedem Glastoniæ fixisset: Oratorium ibi posuit, quod meritò ab omnibus primum Christianæ religionis rudimentum appellatur. Quid in oratorio ad cultum, & Christi patientis memoriam, erexerit: patuit post annos centum ab ejus morte. Tunc enim Fugatius & Damianus, Apostolici Legati, cùm Lucium Regem, & populum multum baptizassent: & plurima de Josephi pietate accepissent: eorum quæ audierant, oculati testes esse voluerunt. *Igitur interiora deserti penetrantes, sunt ingressi* (loquuntur Malmesberiensis) *ubi antiquam Deo dictante, repererunt Ecclesiam, manibus Discipulorum Christi constructam, ut ferunt, & humanæ saluti à Deo paratam,* &c. *Igitur prædicti Sancti, oratorio illo sic reperto, ineffabili sunt referti gaudio: ibi deìn in Dei laudibus moram protrahentes diuturnam: per novem videlicet annos: & locum diligenter perscrutantes,* FIGURAM NOSTRÆ REDEMPTIONIS, *aliaq; signa manifesta repererunt: quibus benè cognoverunt, quòd Christiani priùs locum inhabitaverant.* En prima Britannorum Ecclesia, Crucem in oratorio habuit: & non est verosimile, à Britannis postea ejectam esse: præsertim, cùm primus Britannorum Martyr, & eorundem Fidei purpuratus testis, ante Crucem orans repertus sit, & Crucem manu tenens, mortuus. Quo sæculo, quia Christiani omnes, *Crucicolæ* appellati sunt, ut suprà * ostendi, quorsum Britannorum Ecclesias, extra numerum Christianorum poneremus, necdum inveni. Quod si dicerem omnium Christianorum Ecclesias, Britannis acceptam Crucem debere: licet ambitiosiùs id dictum videri possit: verò tamen vicinius est, quàm Crucibus ubivis gentium in Ecclesiis fixis, nullam adhuc in Britannorum Ecclesiis erigi solitam.

Malmesb. Antiquit. Glaston. Ecclesiæ.

vid. an. 64. n. 1.

vid. an. 286. n. 21. & an. 287 n. 6.

* v. an. 286 n. 32.

XI.

Quod Britanna Helena Crucem repererit; & repertam Romanæ, ac Jerosolymitanæ Ecclesiis porrexerit; est extra controversiam. Nec minùs dubium, ab eo tempore, Crucem in Britannorum Ecclesiis, illustriùs quàm antea floruisse. Enimverò post Diocletiani hiemem, post templorum incendia, & multorum Martyrum cædes: cùm Constantii senioris beneficio, serenitas, & clementior aura rediisset: Britanni antiquius nihil habuerunt, quàm destructa loca sancta resarcire, Martyribus suis ædes ponere: & in illis victoriæ trophæum, quo Christus mundum, & diabolum triumphavit, Crucem, inquam figere. quo hieroglyphico, se quoque, Christi virtute, adversa omnia superasse invenerunt. Quis hoc dicit? unus, qui solus post librorum incendia superest, Gildas; obscurus cæteroquin Author, hoc tamen non obscurè significat. Sic enim loquitur, cùm Albani, aliorúmque Martyrium absolvisset. *Igitur bilustro supradicti turbinis necdum ad integrum expleto, emarcescentibusq; necis authorum nefariis edictis: lætis luminibus, omnes Christi tyrones, quasi post hiemalem ac prolixam noctem, temperiem lucémque serenam auræ cælestis excipiunt. renovant Ecclesias ad solum usque destructas, Basilicas Sanctorum Martyrum fundant, construunt, perficiunt: ac veluti victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde oréque conficiunt,* &c. Certum est ex illius sæculi dialecto, per *victricia signa*, Crucem intelligi, quæ persecutionis tempore, à Fidelibus abdita; postea, seu trophæum erigitur, & eo Christianæ Fidei adventus indicatur. Maximè post Constantini victoriam, qui Cruce magis quàm alia re, Maxentium triumphavit. Unde S. Chrysostomus hoc encomio Crucem commendat: *Crux destructio superborum, Crux adversus dæmonas triumphus, Crux devictio diaboli,* &c. Quod probè fideles Britanni intellexêre, cum superatis hostibus, Basilicas fundant, & in illis Crucem, quam priùs absconderant, veluti victricia signa propalant. Corrigatur ergo Spelmannus: & sciant Novatores, Britannos olim in hac Insulâ, & Christianos ubique; Cruces in Ecclesiis, fixisse: & solum Judæos, infideles, & cacodæmones, omni sæculo; & Calvinistas hoc ultimo sæculo, eas refixisse.

Gildas in Excid.

Chrysost. homil. de Cruce & Lat.

XII. DE CAMPANIS ET CYMBALIS.

Quod de cymbalis dicitur sive campanis; quod earum usus nondum innotuerit, * suprà rejectum est, cum Alfredi solertiam inspexi, in temporis & horarum discretione; ubi campanarum usum, Saxoni innotuisse dixi; & inde, petente Bonifacio, in Germanias transiisse, sæculo superiore, & quod ad præsens attinet: *Pulsus campanarum* (loquuntur Magdeburgici) *erat index temporis quo Conventus habebatur.* Et paulò inferiùs: *Rabanus*, inquiunt, *in Epistolâ ad Simeonem, inquit, mitto vobis unam gloggam* (clockam melius) *& unum tintinnabulum.* quâ ultima voce cymbalum intelligitur: nimirum instrumentum, quod Missæ tempore, ad Venerabilis Sacramenti consecrationem, demonstrationemque, pulsatur. qui mos hodiéque viget, ut etiam pulsandi campanam, cum aliquis moritur: quod fieri jussum est initio hujus sæculi, in Synodo

* v. an. 890. n. 16.

Cent. 9. fol. 232.

v. an. 816. 13.

Chalcytensi

Chalcytensi c. 10. Sic habes omnia, quæ in prædictâ Synodo Britannorum narrantur, tam de Crucis usu, quàm cymbalorum; cum vèritate, & Ecclesiarum praxi, posse consistere: & Novatores perperam commentari facta majorum; quoties de rebus controversis agitur: & ubique patet, tam Britannos & Saxones, inter se, quàm cum cætero Christiano orbe, in ritibus omnibus, rebus etiam minimis, convenire.

XIII. MORITUR WULFERUS EBORACENSIS.

Godwin in Catal.

v. an. 873. 2.

Moritur hoc anno, Eboracensis Antistes Wulferus; qui ab anno Christi 854. Ecclesiam illam, inter plurimos variantis fortunæ casus, & ludibria, administravit. Ita tempus mortis consignant Westmonasteriensis, & Fasti. licet alii priùs (ut Hovedenus anno 890.) alii posteriùs, ad annum 897. vel etiam ad finem hujus sæculi mortuum scribant. De eo hæc habet Godwinus: *Post Wimundum sedit Wilferus, idq; 46. annorum spatio. Anno 873. à diocesanis in exilium pulsus est, una cum Egberto Rege; qui ad Burrhedum Merciæ Regem profecti, & humaniter excepti; apud eum manserunt. donec anno sequenti, Egberto mortuo, à Ricsino successore ejus, in patriam Wilferus revocatus est. Obiisse videtur circa annum 900. nisi Westmonasteriensi credimus, qui non admodum probabiliter, anno 895. defunctum tradit. Illo sedente, Dani provinciam ejus, igne & ferro tam crudeliter devastarunt, ut emolumenta parum Archiepiscopi inde creverit, per annos plurimos sequentes: qui non habentes, unde se, suosq; sustentarent; administrationem plerumque impetrarunt Episcopatus Wigorniensis: quem in commendam (ut loquuntur) una cum Archiepiscopatu tenere, diu consueverunt.* Hæc omnia Godwinus. Qui quod ad mortis annum attinet, non loquitur admodum consequenter. Nam Wulferi in Sedem Eboracensem ingressum consignat benè ad annum 854. & Ethelbaldi successoris ejus, ad annum 897. unde & mori debuit Wulferus ante annum Christi 900. & sedere non potuit Eboraci, 46. annorum spatio, ut ipse affirmat. Fastos ergo & Westmonasteriensem sequimur, qui Wulferi egressum, & Ethelbaldi ingressum, in Eboracensem Sedem collocant ad hunc annum 895. Quamvis quod ad successorem ejus attinet; non ita fortè festinatò successum, rebus in Northumbriæ regno non compositis. Unde Ethelwerdus, affirmat eum accepisse *præsulatum Eboracæ Urbis in arce Londonia*, eo anno quo Alfredus moritur. Priùs tamen, & fortè sub hæc tempora moritur Londinensis Episcopus Ethelwardus, & illi successit in Sedem Ealstanus.

SUCCEDIT ETHELBALDUS.

ETHELWARDUS LOND. EPISCOPUS MORITUR: SUCCEDIT EALSTANUS

ANNUS CHRISTI 896.

FORMOSI PAPÆ 6.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 26.

I. DIFFICILE est Danorum ubique vestigia sequi; adeo per Insulam sparsi, sedes & domicilia frequenter mutaverunt; ab Alfredo Rege & Ducibus coacti. quo etiam factum, ut è mari potiùs, quàm è terrâ, cum Anglis dimicare Dani maluerint. Unde sic scribit Westmonasteriensis: *Anno gratiæ octingentesimo nonagesimo sexto, nefandus paganorum exercitus Legecestriam deserens, Northanhumbriam petivit: ubi navibus acquisitis, per mare sursum navigare cœperunt. Tandem in ostio Leges fluminis, non longè ab urbe Londoniarum applicantes; prædis & rapinis, extractis ad terram navibus, insistebant. Quod cives Londoniarum cum cognovissent, conjunctis sibi provincialibus populis, ad locum venientes præfatum, invenerunt hostes quoddam sibi municipium construxisse. Illis autem, hinc, & inde hostiliter concurrentibus, cives Londonienses compulsi sunt in fugam; quatuor ex Regis militibus interfectis. Sed non multò post, superveniente Rege Ælfredo, compulsi sunt pagani locum deserere: & noctu recedentes, per provinciam Merciorum, non cessabant, donec ad villam super Sabrinam, quæ Quantebrige dicitur, pervenerunt. Illis autem recedentibus, jussit Rex naves eorum igne concremari.* Hæc ille.

Westm. hoc an.

Legecestria hæc Urbs Legionū est in Cornaviis non autem in Coritanis.

Cambrige viculus ad Sabrinam. infra ad an. 907. 5.

II. Addunt alii, Danos, priusquam in Trinobantibus castrum extruerent; in Essexia paululùm consedisse: ubi Insulam nacti, Merelig ab antiquis dictam, hodie Mersey; uxores ibi, cæteráque impedimenta collocarunt. Ibi miles vagari per provinciam, prædas agere, & spoliis auctus, ad Insulam redire consueverat; donec audaciores facti, ad Leam fluvium, qui in Thamesim influit, (Ligêum flumen author suprà vocavit) vigesimo ab urbe Londinensi milliario; castrum extruxerunt; ubi nunc Wara oppidùm, in Hertfordiensi comitatu. Aberat Alfredus Rex, occupatus alibi: sed ubi intellexit, Londino Danum imminere: veritus ne autumni messem, quæ illis in locis copiosè colligitur, hostis prædaretur: propè hostilem arcem castra metari jubet. Et quoniam majus erat, à myoparonibus periculum, majorque inde in vicinos agros injuria: illos potiùs quàm arcem, statuit oppugnare. Quamobrem inspecto prudenter flumine, tribus canalibus effossis, ita aquas in varia diducit, divertitque; ut à Danis navium suarum usum abstulerit. Quo factum, ut enervis admodum hostis manserit, succisâ ad prædandum arte, & prohibito commeatu. Unde cùm illis in fugam versis, relictas in udo naves Christiani aut igne combusserunt, aut quæ usui futuræ erant, illæsas novâ aquarum derivatione, Londinum deduxerunt. Danorum fuga in Dubunos fuit, & Glocestrensem agrum; ubi erecto ad Sabrinam fluvium novo præsidio, quod author suprà Quantebrige, Wigorniensis Quatbrig, Huntindonius Quadruge vocant: sed hodie à Camo rivulo, qui in Sabrinam influit, Cambridge dicitur: locus Danorum postea funere celebris. Nam Edoardo seniore regnante, tres Danorum Reguli, & Inguar famosissimus; eo in loco ceciderunt. Nunc enim, insequente statim hieme, Alfredus Rex non potuit hostem persequi.

v. an. 907. 5.

III. ETHELGINA ABBATISSA MORITUR.

Legitur in Martyrologio nostro, mortua hoc anno, & cum Sanctis nominata, Ethelgina, Septoniensis monasterii Abbatissa, Alfredi filia: quam vario nomine suprà appellavimus, Ethelgedam anno 880. n. 3. Algivam, cum illam monasterio præfecimus, anno 888. n. 1. quæ Saxonum sæculo Æthegeofu, & à parente Alfredo, in regia charta, Ailena vocatur. Hanc multinominem virginem, ægra ferè semper valetudine, Deus ad immortalitatem præparavit: quam hoc demùm anno consecuta, ad nonum Decembris mortua creditur; & eò profecta, ubi abstersit Deus omnem lacrymam ab oculis ejus. Martyrologium Westmonasteriensem sequitur, Ethelginam appellat: cum alibi tamen idē author Algium (malè pro Algivam) vocet.

Westm. 872. & 888.

ANNUS CHRISTI 897.
STEPHANI VII. PAPÆ 1.
ALFREDI OCCID. SAX. REG. 27.

I. Formosus Papa moritur: Succedit Stephanus VII.

FORMOSO Papa mortuo, successit anno Christi octingentesimo nonagesimo septimo, Stephanus, eo nomine septimus, extruso Bonifacio, qui Sedem occupaverat. Sed nec ipsa Stephani electio, rata, probatáque omnibus initio fuit. accessit tamen postea cleri suffragium, malens virum improbum in Sede retinere, quàm Sedem eandem schismate lacerari. Infelicia planè tempora; cùm orthodoxa Ecclesia, capitis morbo laboraret: & Stephanus Papa, in Formosum mortuum, prædecessorem suum, hoc est, meliorem se, pessimo impetu debaccharetur. Sed avertam oculos calamúmque ab eo scandalo: quòd licet moris, non Fidei fuerit: vellem tamen ab ea Ecclesiarum omnium parente ac magistrâ abfuisset. Novatores tamen culpandi sunt, qui in hoc Romanorum Pontificum dissidio triumphant. Quasi verò Regia Majestas, minor sit, aut ex orbe proscribenda; quia unus, aut alter tyrannicè regnaverunt. Hoc rabo, saniéque vivunt animalcula; quæ genuinum succum & sensum non habent. Stephanum Papam, intrusum licet, orbis sustinuit, doctus à Triburiensi Synodo, ante annos duos, ubi ita à Patribus sancitum. *Licet vix ferendum, ab illa sancta Sede imponatur jugum: conferamus, & pia devotione toleremus.* & causam principio assignavit: *In memoriam*, inquit, *Beati Petri Apostoli, honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem: ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis.* Impatientior hæc ætas, ubi factio est: nec leve quidem Christi jugum, aut onus suave: hoc est, legem ullam ex Urbe dictatam, audire sustinet: quasi nihil ibi purum esset, ubi Formosum Papam excepit Bonifacius, & utrumque extrusit Stephanus. Deberent Novatores, qui Romanorum Pontificum schismate, libros buccásque implent, omissâ dissidiorum narratione, unum Fidei nævum invenire. Aliàs nihil evincent aliud, quàm facinorosum aliquando hominem in illâ Sede fuisse; & ipsos semper à factionibus stare: quod lubentes damus.

apud Baron. an. 895. n. 5.

II. Iterum Dani grassantur.

Dani, qui ad Sabrinam fluvium, superiore anno hiemaverant; hoc anno ad prædas reversi, Alfredum Regem, & Provinciam afflixerunt. Sed nec ibi diu consistere ausi; divisere sese in plura loca, ut Regias vires eluderent, artémque pugnandi. *Æstivo tempore* (inquit Wigorniensis) *Paganorum exercitus, qui apud Quatbrige hiemaverat; pars quadam Estanglicam, pars quadam Northimbriam petit. Ex quibus nonnulli ibidem remanserunt: nonnulli verò, navibus acquisitis, sæpè dictum flumen Sequanam adierunt.* Huntindonius etiam idem flumen videtur intelligere, cùm dicit: *Anno verò quarto, divisus est exercitus* (*Danorum*) *partim in Nordhumbre, & partim in Estangle: pars verò transfretans, ivit in Secanam.* Non tamen opinor Danos, relictâ Insulâ, in Galliam trajecisse: quia nec in Galliam illos, hoc anno appulsos invenio; nec Wigorniensis in superioribus, Sequanam nominaverat. Dico igitur, Danos, in Northumbria, conquisitis aliunde navibus, per Vergivium mare, in Sabrinæ fretum descendisse: & Sequanæ loco, Sabrinam legendum. Sic enim Hovedenus, Huntindonium explicat: *Paganorum exercitus*, inquit, *in Estangliâ, & Northimbriâ residentium, furtivam prædam circa ripas maris agentes, terram Occidentalium Saxonum graviter vexabant; maximè longis, celeribusque navibus, quas ipsi ante plures annos fabricaverant.* Redierunt ergò Dani, ut prope locum essent unde discesserant; & ibi, tam mari, quàm terrâ, prædantur.

Wigorn. hoc.

Huntind. fol. 351.

Sabrinam intelligit

Hoveden. an. 896.

III. Constituuntur Provinciarum Duces.

Interim Alfredus, cùm fugitivum toties hostem, uno consistentem loco nonpossent invenire: quo sparsam per Provincias pestem, vel in unum colligeret, vel omninò depelleret: militem ipse, per agros dispensat; & singulis Provinciis Duces præficit. de quibus ita Westmonasteriensis: *Eodem anno* (897.) *Rex Ælfredus custodes regni constituit, contra Danorum irruptiones: in Cantiâ Céolmundum* Primicerium. in Urbe Roffensi Swithulfum Episcopum: in Essexiâ Comitem Brithulfum: in Urbe Londoniarum, Comitem Æthelredum: in Dorkacestriâ, Halardum Episcopum: in Suthsexiâ, Eadulfum: in Wintoniâ, Bertulfum Episcopum: & in locis diversis, alios multos, quos longum esset per ordinem recitare.* Ita illc. & eo ferè modo refert Præfectorum nomina Wigorniensis. Unde dicendum esset, Denewolfum, Wintoniensis Ecclesiæ Episcopum, vitâ officióque functum, Sedem Bertulfo reliquisse: (nisi mavis cum Wigorniensi, eum non Episcopum, sed Wintoniensium Præpositum appellare, quod verius est) & Roffenses, qui diu Pastore caruerunt, Alfredi pietate, Swithulfum Antistitem habuisse. Cujus nec Fasti, nec Authores alii, qui Episcoporum nomina colligunt, meminerunt; solùm Godwinus in Catalogo, dicit eum hoc anno mortuum: *Swithulfus*, inquit, *obiit anno 897. quando tum nuperrimè unus è Gardianis regni constitutus fuisset, ut illud contra vim irruentium Danorum tueretur, ac defenderet.* & Successorem ejus nominat Buiricum, quem alii omittunt. Major difficultas in Halardo Dorcacestrensi Episcopo, cujus nusquam est mentio. imnò constat ferè, præter Wintoniensem, & Schirburnensem, nullam adhuc in Occidente Sedem fuisse: præsertim ex quo Dorcestria in Wintoniensem transiit; aut desiit sedere Agilbertus Dorcestriæ. Sed & postea, cùm Legecestria Episcopi Sedem habuit (quæ brevi post, Dorcestriam transfertur) ultimus ibi Antistes legitur Ceolredus, consecratus anno 873. ut dictum * ibi. Hic ergò primum, Halardi nomen apparuit, & hic etiam moritur: nam plurimi è Regiis Ministris, qui hoc anno procurandæ Reip. ab Alfredo præponuntur, grassante per Insulam peste, consumpti sunt. Unde Godwinus in Catalogo Lincolniensium Episcoporum: *Halardus*, inquit, *ab Alfredo Rege constitutus est unus è Gardianis regni; ut illud contra vim, & incursiones Danorum tueretur anno 897. quo quidem anno defunctus est.* Fortè hoc loco, qui Episcopi nominantur, Provinciarum solùm Præsides fuerunt: quos Authores incautiùs Episcopos nominarunt.

Westm. hoc.

Swithulfus Roffensis Episcopus.

* Ducem vocat Wigorniensis.

Denewulfus Wintoniensis Epicopus moritur. Succedit Bertulfus.

Buiricus Roffensis Episcopus.

* n. 3.

Godw. ep. in Catal.

IV. Alfredus classem parat.

Ordinatis ubique Provinciarum Præsidibus; Alfredus Rex, Insulæ mediterranea videtur occupasse; quò expeditior ad omnem belli fortunam esset. Sic terræ, agrisque provisum. Sed quia Danus, ut modò dictum, non terrâ solùm, sed

mari

mari etiam prædabatur; & in eum finem altiores *Wigorn. hic.* naves fecerat: *Ideò bis longiores*, inquit Wigorniensis, *altiores*, *celeriores*, *minusq; nutantes*, *ex* *Westm. hic.* *præcepto Regis Alfredi*, *fabricantur naves*: *quarum violentiâ*, *prædictæ hostium naves superari possent*. Has Alfredi naves, alii ciulas, seu galeas vocant: & tactæ videntur, in maris æquè ac fluminum usum. quæ nimirùm possent, & ventum colligere, & contis, remisque agi. Harum aliquæ quadraginta, & interdum pluribus remis impellebantur. *Quibus in mare missis* (pergit Wigorniensis) *mandat Rex*, *ut quos capere possent*, *vivos caperent*: *& quos vivos capere non quirent*, *occiderent*. Ita terrâ, marique, Danorum furori occursum benè. Utrobique tamen sæpè, nec sine sanguine, velitatum, quod fusiùs Historici narrare noluerunt: contenti unius navalis pugnæ mentione, quam refert Huntindonius; *quia insoliti*, inquit, *fuit eventus*, & ita *Huntind. l. 5. fol. 352.* se habuit. Ibat Anglorum classis, Luchemanno Præfecto, inspectum littora; nè Dani, de more, *Navalis pugna.* prædarentur. Novem omninò erant, ad pugnam expeditæ. Quæ dum Insulam circumeunt; ecce tibi sex Danorum naves, jactis ad Devoniensem portum anchoris, stabant; optata Anglis præda. Non abnuit pugnam barbarus; licet numero minor: tres ergò subductis anchoris, in Anglicæ classis occursum tendunt: aliæ præ aquarum penuriâ, sequi non poterant. Anglus autem, ita classem suam dividit; ut sex in expeditas Danorum naves pugnarent: dimissis tribus aliis, ad impeditas totidem in litore Paganorum naves. Oritur utrobique pugna: tres expeditæ Danorum naves, diu, & validissimè, cum sex conflixere: donec Anglus, numero militum, & navium magnitudine major; duas è tribus cepit, fugiente tertiâ: quæ quinque tantùm vehebat superstites. Æquiore certamine, tres Anglorum, in totidem Danorum naves certabant, & pari ferè victoriâ. nisi quòd Christiani sex haberent à tergo in auxilium festinantes. Verùm & ipsi, recedente maris æstu, accedere ad socios, & illis jungi non poterant; sed eminùs tantùm pugnam spectare. quod ingentes animos Danis addidit, præsertim occiso maris Præfecto. quod & Anglum terruit, & juvit hostem. ab omnibus tamen acriter dimicatum; donec redeunte maris æstu, moverunt se omnes. Tunc autem Dani, locorum experientiâ, & navigandi arte doctiores, adeò velociter aufugerunt, ut novem Anglorum naves eluserint. Cruenta ex utrâque parte pugna fuit: duo & quadraginta ex Anglis, Dani ad centum & viginti desiderati sunt. Duæ insuper barbarorum naves, quæ evaserant, vi ventorum ad litus allisæ, in Provincialium manus inciderunt. Unde *homines capti*, *Huntind. fol. 352.* inquit Huntindonius, *& adducti ad Regem*, *omnes suspensi sunt*, *apud Wincestriam*. *Qui verò in tertiâ puppe erant*, *valdè sauciati appulerunt in Estangle*.

V. Nec feliciùs alibi Danis cessit; cum viginti naves (Hovedenus habet triginta) in australibus Angliæ prædam agentes, comprehenduntur. *Wigorn. hic.* *E quibus quidam*, inquit Wigorniensis, *occiduntur*, *quidam ad Regem vivi ducuntur*, *& in patibulo suspenduntur*. Verùm hanc Danorum ruinam egregiè *Rollo quando venit?* reparavit Normannorum Dux Rollo, si verum est quod habet Westmonasteriensis, hoc anno, ipsum in Angliam appulisse, & pugnasse in Insulam feliciter. Sed de illo nos superiùs, ubi & de visione, quam hic memorat, plura diximus. Rectius, opinor, Hovedenus narrat Rollonem, hoc anno Carnotensem urbem obsedisse, & inde miraculo fugatum. quod tamen Gemiticensis ad Athelstani *Gemiticen. l. 2. c. 15.* tempora refert, multò posteriùs.

ANNUS. CHRISTI 898.

STEPHANI VII. PAPÆ 2.

ALFREDI OCCID. SAXON. REG. 28.

Sequitur Christi annus octingentesimus nonagesimus octavus: quo, domitis Alfredi *I. Quiescit Insula.* industriâ Danis; quietem Insula, & ferias Rex habuit, ad colligendum sese, & resarcienda damna, quæ hostis intulerat. Et quidem solertissimus Princeps jam diu regnaverat, & usus hoc otio est, pro summo negotio: nimirum ut veniente ad judicium Christo, rationem redderet villicationis suæ: quod accuratè præstitit, nam teste, ad hunc *Alfredi exercitia.* annum, Westmonasteriensi: *Omne tempus*, *quo Rex supervixit*; *regnum in pace tractans*, *totus conversabatur in reparationibus Ecclesiarum*, *in largitione eleemosynarum*, *in compositione legum*, *quibus militorum rapacitas reprimeretur*, *& simplex fidelium devotio firmaretur*. Præparabat enimvero animam Deo, dignisque cœlo operibus exornabat; benè doctus à suis, quod mortuum opera sequerentur. His Regiis virtutibus accedebat lectio, qua acuebat ad divina mentem: in eumque usum, psalmorum translationem in ultimâ ætate suscepit; optimum pietatis alimentum. Sed opus illud perficere non potuit, ob abundantem devotionis sensum, quem verba singula ministrabant.

II. Usus est ergo hoc armorum silentio Rex, ad *Ecclesias et Monasteria reparat* rem Christi publicam: dum templa, quæ barbaris irruentibus diu squalida jacuerant, & situ obsita; reparare studuit. Cœnobiorum imprimis illi cura fuit, quæ Danus vastaverat: & multa per provincias sparsa, à monachis deserta, & ab aliis possessa, proprios Dominos requirebant. Sic Croylandense, Thornense, Ramseiense, Petroburgense, Eliense, Alfredi manum, Regiamque largitatem expectabant. Et illis restituendis adjecit Rex animum. Sed morte præventus, filio, & nepoti perficienda reliquit. Sic etiam, ipso regnante, Ethelfleda *Monasterium Glocestrense.* filia, Ethelredo nupta, cœnobium monachorum, apud Glocestriam posuisse dicitur: quod perfectum demum est, anno decimo sequentis sæculi, ut ibi dicetur. Eodem modo, plures Ecclesias, in Dorsetano agro, sub hæc tempora posita habet Catalogus ædium destructarum, quæ ab Ethelstano erectæ scribuntur. quod ita tamen intelligendum est: ut non alius, hoc tempore, nisi Alfredus, in eo opere laborarit: quod postea, ejus ex filio nepos, Ethelstanus perfecerit. Nec enim statim mutari potuit tristissima rerum facies; quam mul- *Athelstanus Alfredi e filio nepos.* torum annorum barbaries obscorarat. Et ager priùs purgari debuit, coli debuit, seri debuit, quàm fructum ferret. Athelstanum itaque eximia debitaque laus manebit postea in templis ædibusque sacris extruendis: quem Alfredus avus, ob innatum pietatis studium, summè dilexit. Eumque ante mortem; & hoc opinor anno; cum ille vixdum quinquennis esset; raro ejus sæculi exemplo, militem fecit solenni cæremonia: *Prosperum ei regnum*

imprecatus,

imprecatus, inquit Malmesberiensis, qui novi militis ornamenta recensset, puero data: *chlamydem coccineam, gemmatum balteum, ensem Saxonicum, cum vaginâ aureâ.*

III. Miles creatur.

Primus ergò Alfredus, ornandæ pueritiæ, creandique militis, exemplum dedit, in regno Angliæ; Germanos, Gallósque imitatus, de quibus Livius decade 3. lib. 1. *In reliquis vitæ institutis, hoc ferè ab reliquis differunt; quòd suos filios, nisi cùm adoleverint; ut munus militiæ sustinere possint, palam se adire non patiantur.* nec enim Germanorum more, poterant juvenes pro arbitrio milites esse, aut armis indui, nisi suffragio publico. Nam ita Tacitus: *Arma*, inquit, *sumere, non ante cuiquam moris, quàm civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso Concilio, vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquum, scuto frameaq; juvenem ornant. Hæc apud eos toga: hic primus juventæ honos. Ante hoc, domus pars videntur, mox Reip. Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, Principis dignationem etiam adolescentulis assignant.* Excivit Rex hac arte, prudentique consilio, civium animos, in amorem studiúmque militiæ. Et quo solemniùs militare cingulum traderet; abolitis Paganorum ritibus, Christianos introduxit. Nam ipsum ego arbitror sacros mores auspicatum, quos enumerat Ingulfus. *Anglorum*, inquit, *erat consuetudo: quòd qui militiæ legitimè consecrandus esset; vespere præcedente diem consecrationis suæ, ad Episcopum, vel Abbatem, vel Monachum, vel Sacerdotem aliquem, contritus & compunctus, de omnibus suis peccatis, confessionem faceret: & absolutus, orationibus, & devotionibus, & afflictionibus deditus, in Ecclesiâ pernoctaret. In crastino quoq; Missam auditurus, gladium super altare offerret: & post Evangelium, Sacerdos benedictum gladium, collo militis, cum benedictione imponeret. & communicatus ad eandem Missam, sacris Christi mysteriis, denuò miles legitimus permaneret.* Ita ille, de Normannorum primo ingressu scribens, morémque tunc fuisse asserens. Unde ab Alfredo, & hac Athelstani inauguratione fluxisse, immeritò opinari possumus. Et observa *legitimum* vocari militem, qui ita crearetur. Unde, quo loco censendi sint, qui nullâ Sacerdotis benedictione, nullâ Missæ reverentiâ, nullis Christi sacris mysteriis, nullâ denique Majorum Fide creantur, facilè apparet.

Tacit. de moribus Germanorũ.

Ingulf f. 901.

IV. Antiqui ritus in militum creatione.

Cæterùm, quia Alfredus, sacram, civilémque cæremoniam miscuit, in militum creatione; in curiosi Lectoris gratiam, ero paulò fusior, in exponendis ritibus, quos Antiqui observabant, cùm miles cingebatur. Imprimis militiæ candidatus, solenni Sacramento, se Deo patriæque devovebat. *Nam citra religionem Sacramenti*, (inquit Joannes Sarisburiensis in suo Polycratico) *ex antiquâ lege, nemo militiæ cingulo donabatur.* Juramenti autem conceptio, teste Vegetio, hæc erat: *Iurare per Deum Patrem, per Christum ejus, per Spiritum Sanctum, & per Majestatem Principis.* se strenuè facturos omnia, quæ præceperit Princeps: nunquam deserturos militiam, vel mortem recusaturos, pro Rep. cujus sunt conscripti militiæ. & tum demum militiæ cingulo, & privilegiis donantur. Placebat Alfredo Regi, hæc divinæ Majestatis invocatio: quia miles docebatur Deum, & Ecc. etiam revereri; in cujus imprimis honorem inducebatur. Unde illegitimus censebatur, & non ex antiquâ lege factus miles; qui Deo neglecto, pro solo Principe, in Ecclesiam pugnabat. Quos benè sugillar Sarisberiensis suprà: *illi*, inquit, *quid habent militiæ, qui vocati ex Sacramento non obtemperant legi? sed in eo, militiæ suæ gloriam constare credunt; si contemptibile sit Sacerdotium, si Ecclesiæ vilescat authoritas: si ita dilataverint regnum hominis; ut Christi imperium contrahatur, &c. Sed quis est* (pergit idem) *usus militiæ ordinatæ? Tueri Ecclesiam, perfidiam impugnare, Sacerdotium venerari, pauperum propulsare injurias, pacare Provinciam, pro fratribus, ut Sacramenti docet conceptio, fundere sanguinem. & si opus, animam ponere. Exultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus. Nam & hæc agentes, milites sancti sunt: & in eo fideliores Principi, quo servant studiosiùs Fidem Dei; & virtutis suæ utiliùs gloriam promovent, quo fideliùs Dei sui, in omnibus, gloriam quærunt.*

Polycrat. l. 6. c. 7.

Idem suprà, c. 8.

V. Athelstani indoles.

Hæc omnia Alfredum Athelstano puero insusurrasse, argumentum est, ejusdem Athelstani Regis pietas, devotióque in Ecclesiam, quam infrà explicabo. Hanc ejus indolem avus prævideret, & idcò singulari in eum affectu ferebatur. Quia verò meminerat se quinquennem, à Romano Pontifice benedictum, & felici omine inunctum Regem, quod Deus multorum jam annorum regiâ prærogativâ confirmaverat: ipse nepotem suum, quo potuit auspicio, ad regnum animare, & gladium in Dei, regníque hostes stringendum, excitavit. hæc enim summa videtur consilii ejus, cùm militem dixit: Quod Malmesburiensis ita paucis complectitur: *Nam & avus Alfredus* (inquit) *prosperum ei regnum olim* (hoc anno) *imprecatus fuerat; videns, & gratiosè complexus speciei spectatæ puerum, & gestuum elegantiam. Quem etiam præmature militem fecerat, donatum chlamyde coccineâ, gemmato balteo, ense Saxonico, cum vaginâ aureâ.* chlamys coccinea, natalibus ejus data, quia Edoardo seniore, Alfredi Regis primogenito, natus est: cætera notabant militem.

Malmesb. de Reg. l. 2 c 6.

ANNUS CHRISTI 899.

STEPHANI VII. PAPÆ 3.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 29.

I. Moritur Ethelwardus Schirburnẽsi. Episcopus.

Anno Christi octingentesimo nonagesimo nono, moritur Schireburnensis Episcopus Ethelwardus. Quo pariter anno, Wintoniensem quoque Sedem vacasse, omnes affirmant: nemo tamen Denewulfi, illi Sedi ab Alfredo præfecti, mortem enuntiat, aut quo anno illa contigerit: nam qui Bertulfum nuper nominavit Wintoniensem Episcopum; è Wigorniensi correctus est, qui rectiùs Præpositum vocavit. Opinor itaque, in gravissimâ peste, quæ Provincias afflixit; & qua, è vivis sublatus est Bertulfus Wintoniensis Præpositus: eadem sublatum quoque esse Wintoniensem Episcopum Denewulfum: Unde priùs vacavit Wintoniensis, quàm Schireburnensis Ecclesia. Ita colligo ex Westmonasteriensi, cùm dicit: *Eodem anno* (899.) *defuncto Ethelwaldo Schireburnensi Episcopo, remansit*

Et Denewulf Wintoniensis.

provincia

Provincia Occidentalium Saxonum, sine Episcopis, & curâ pastorali; vi hostilitatis, septem annis. Quàm ægrè tulerit Romanus Pontifex, Ecclesias tam diu viduas fuisse: & quomodo excommunicationis fulmine omnes terruerit, quorum intererat; dicam * infrà, cùm Occidentis Provincia, quæ hactenus à duobus tantùm Episcopis regebatur, in quinque locis Episcopos recensebit.

* an. 904. n. 2.

II. DE TEMPORE MORTIS ALFREDI REGIS.

Sunt qui hoc anno, Alfredum Regem, vitam cum morte commutasse affirment. Ita Hovedenus: *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini octingentesimo nonagesimo nono, Rex Elfredus, piissimus Regis Ethelwulfi filius: viginti novem annis, sexq; mensibus regni sui peractis, Indictione quartâ, mortem obiit, quinto Calendas Novembris; & Wintonia in novo monasterio sepultus est.* Sed multa hic corrigenda sunt. Imprimis, ab initio regno, ad quintum Calendas Novembris hujus anni, viginti octo tantùm anni, & sex menses numerantur: iterum Indictio hujus anni, secunda est: & tantùm à Septembri, & deinceps tertia: Denique eo anno, quo moritur Rex, non in novo monasterio, quod necdum positum est, sed in veteri primùm sepelitur. Quæ omnia constabunt è dicendis anno seqoenti.

ANNUS CHRISTI 900.

STEPHANI VII. PAPÆ 4.

ALFREDI OCCID. SAX. REG. 30.

I. ALFREDUS MORITUR.

IBAT ad immortalitatem, magnis virtutum passibus, Alfredus Rex; cùm anno Christi nongentesimo, ad præmium virtutibus debitum, evocatur; ubi Occidentalium Saxonum Provinciam, triginta ferè annos, inter varias inconstantésque vicissitudines, administrasset. Quod ad annos regni ejus attinet; si numeres à morte Ethelredi fratris, & anno Christi 871. ad quintum Calendas Novembris, exibunt anni novem & viginti, mensésque aliqoot: & ita communiter numerant Authores. Westmonasteriensis: *Anno gratia*, (inquit) *nongentesimo, clementissimus Rex Anglorum Ælfredus, postquam viginti novem annis, & mensibus sex, regnum tenuisset, quinto Calendas Novemb. quarta feria, Indictione * quintâ, pro regno temporali commutavit æternum.* Ita ipse. Alii à coronato Rege, regni annos numerant, octo & viginti; nimirùm non ab eo anno, quo mortuus est frater, sed à sequenti, numerum inchoantes. Sic Malmesburiensis. *Anno Dominica Incarnationis*, inquit, *octingentesimo septuagesimo secundo, Elfredus filius Ethelwulfi junior, qui unctionem regiam, & coronam à Papa Leone olim Roma susceperat, regnum accepit; & viginti octo & semis annos, laboriosissimè & fortissime tenuit.* Nos quia supra principium regni, ad annum octingentesimum septuagesimum primum, collocavimus; ab eo tempore annos numerantes; viginti novem annos assignamus. Vix ergo authores differunt, si omnia composueris. Habito anno mortis, videamus ut se ad illam paraverit.

DE ANNIS REGNI EJUS.

* lege quarta

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.

II. UT SE AD MORTEM

Cum mortem sibi instare pientissimus Rex cerneret; communicato cum Grimbaldo consilio, de novo Wintoniæ exædificando cœnobio, tractat. Licet enim in urbe, monasterium esset: quod Occidentalium Saxonum Reges dudum posuerant, Kinigilsus atque Kenwalchius; ut dictum suo loco *: illud tamen secularis clerus occupaverat: quem cum Grimbaldus ad monachorum institutum pellicere non posset; seorsim ab eo vivere, & mori constituit. Necdum puto sæcularem ibi clerum, eò licentiæ & impietatis descendisse; qoo postea ab aliquibus per gradus descensum; ut matrimonio Sacerdotium maculaverint: ea tamen libertatis argumenta aliqui dederant; quos ad meliorem frugem non potuit Grimbaldus revocare, & ideo nihil cum illis commune, vir sanctissimus habere voluit. Nam à puero regularibus institutis imbutus, & regendis monachis, & severiori disciplina continendis addictus; laxioris vitæ homines ferre noo potuit. Hinc de novo Wintoniæ monasterio consilium fluxit. quod Alfredus impigrè quidem persecutus est; quia inibi sepeliri, & ultimum judicii diem præstolari decrevit. Verùm vicina mors, acuere magis Alfredi mentem potuit; non potuit tamen explendi voti licentiam dare. Fecit nihilominus, quicquid temporis angustiæ permiserunt: emit, vel emendam potiùs mandavit, eam terræ portionem, quæ par ædificandæ Ecclesiæ, & monachorum usibus esset. Hæc omnia è Wintoniensis Ecclesiæ Annalibus colligo, qui sic loquuntur.

ALFREDUS PRÆPARAVIT.

* an. 643. 2. & 648. n. 2. & 661. n. 2.

III. ANNALES DE HIDA.

Christianissimus Rex Anglorum, cum regnum sibi à Deo commendatum strenue gubernasset, & sanctissimè rexisset, annis ferè viginti novem. In vigesimo nono anno, & ultimo regni sui: proh dolor! primitùs sancto viro Grimbaldo, suum Rex clementissimus aperuit consilium, & suam primitùs expressit voluntatem, de constructione cœnobii, in urbe Wentana; sed præventus morte piissimus Rex votum, diutiùs cupitum, explere non potuit. Cujus mortem sanctissimus pater Grimbaldus, afflictione flevit incomparabili. Sed prædictus nobilis, ac gloriosus Princeps, Alfredus, ante mortem imminentem, terram pro capella, & dormitorio emit: & filio suo Edoardo, pro testamento legavit; ut monasterium à Patre, per plurima annorum curricula præcogitatum, complere & fundare non tepesceret. Ita Annales de Hida. Qui tamen paolò inferiùs istis explicant, non emptas ab Alfredo terras, sed emendas tantum filio commendasse. Utrobique patet erroris arguendos illos omnes, qui volunt Alfredum novum Wintoniæ monasterium conjugatis Sacerdotibus posuisse: quod, quia è terminorum notione patet falsum esse, & supra sufficienter refutatum; transeo ad efferendum Alfredi funus, quod prælucentibus facibus nunc deduco. Profero, inquam, coronidis loco, ut cives optimo Regi egregiè parentaverint. Præcedat omnes jure sanguinis Ethelwerdus Saxo (Ethelredo Regi, Alfredi fratri, è filio nepos fuit) & funale primus deferat; obscuri hujus sæculi, obscurè loquens author: qui tamen hic fere præter morem clarioa loquitur.

IV. Ethelwer. l. 4. c. 3.

In eodem anno, inquit, *magnanimus transiit de mundo Alfredus; Rex Saxonum, immobilis Occidentalium postis, vir justitiá plenus, acer in armis, sermone doctus; divinis quippe super omnia documentis imbutus. Nam ex latino rhetorico fasmate, inpropriam verterat linguam volumina numero ignota: ita variè; ita præopimè; ut non tantum expertioribus; sed & audientibus, liber Boëtii lacrymosus quodammodo suscitaretur motus. Septimâ namque die ante solennia*

Sanctorum omnium obierat Anax; cujus requiescit, urbe in Wentanâ corpus in pace. Dic modo Lector, Christe Redemptor animam ejus salva. Ita ipse consanguineo benè precatus. Qui cùm dicat in sequentibus Edoardum filium successisse, & coronatum esse in die Pentecostes, *jam defluente annorum numero centeno*, ex quo proavus Egbertus mortuus est: non video cur in margine, Alfredi mors consignetur ad annum Christi nongentesimum primum; cùm Egberti Regis exordia, in annum Christi octingentesimum inciderint: & inde defluente numero centenario, mortuus sit Alfredus? ac demum non eodem, sed sequenti anno, coronatus filius. Ex hoc, opinor, Ethelwerdi loco, erraverunt aliqui in anno mortis Alfredi, cùm scribunt eum obiisse anno primo sequentis sæculi. Ita Wigorniensis, qui è Mariano Scoto, hoc Regis elogium texuit. *Famosus, bellicosus, victoriosus, viduarum, pupillorum, orphanorum, pauperumq; provisor studiosus, Poëtarum Saxonicorum peritissimus, suæ genti charissimus, affabilis omnibus, liberalissimus: prudentia, fortitudine, justitia, temperantia præditus. In exequendis judiciis indagator discretissimus. In servitio Dei vigilantissimus, & devotissimus, Anglo-Saxonum Rex Alfredus, piissimi Regis Æthelulfi filius, viginti novem annis, sexq; mensibus regni sui peractis, Indictione quartâ, mortem obiit: & feria quarta, quinto Calend. Novembris: & VVintonia in novo monasterio sepultus, beatæ immortalitatis stolam, & resurrectionis gloriam cum justis expectat.*

(Idem suprà cap. 4.) (Wigorn. an. 901.) ALFREDI ELOGIUM

V. Claudat agmen Asserus, qui optimè omnium Alfredi mentem inspexerat. Ille de anno mortis, & sepulturâ ejus, cæteris sincerius loquitur. Qui enim scribunt eum in novo monasterio sepultum, gloriam expectare: benè quidem & eleganter dicunt: hoc tamen anno, non ibi, sed in veteri Ecclesiâ, sepulturam accepit, quievítque ibi, donec Grimbaldi industriâ, & Edoardi pietate, erectum est novum monasterium: & tunc demum, ut dicetur, ejus ossa in novo cœnobio tumulata sunt. Nunc narret Asserus mortem ejus. (Asser. fol. 21.) *Anno Domini*, inquit, *nongentesimo, Ælfredus veridicus, vir in bello per omnia strenuissimus, Rex Occidentalium Saxonum nobilissimus: prudens verò & religiosus, atque sapientissimus: hoc anno, postquam regnasset viginti novem annis, & dimidium, super totam Angliam; præter illas partes, quæ subditæ erant Dacis: cum magno suorum dolore, viam Universitatis adiit die 7. Calendarum Novembrium, anno regni sui vigesimo nono, & dimidio: anno verò ætatis suæ quinquagesimo primo, Indictione quartâ. Qui apud Wintoniam civitatem regalem, decenter & regali honore est sepultus in Ecclesiâ Sancti Petri, Apostolorum Principis. Mausolæum quoque ipsius constat factum de marmore porphyrio pretiosissimo. De cujus regimine laborioso, hos versus proloqui dignum duxi.*

VI. *Nobilitas innata tibi, probitatis honorem*
Armipotens Ælfrede dedit, probitasq; laborem.
Perpetuumq; labor nomen: cui mixta dolori
Gaudia semper erant. spes semper mixta timori.
Si modò victor eras, ad crastina bella pavebas:
Si modò victus eras, & crastina bella parabas.
Cui vestes sudore jugi, cui sica cruore
Tincta jugi; quantum sit onus regnare, probarunt.
Non fuit immensi quisquam per climata mundi
Cui tot in adversis vel respirare liceret:
Nec tamen aut ferro contritus ponere ferrum
Aut gladio potuit vitæ finisse labores.
Iam post transactos, vitæ regniq; dolores,
Christus ei sit vera quies, sceptrumq; perenne.

Nolo pluribus Alfredi encomia celebrare: adverto solùm meritò eum à pietate & religione laudari: quia quicquid temporis à regni negotiis suffurari poterat; id Deo, & orationi impendit. Inde, tam domi, quàm foris, pii Principis nomen obtinuit. *Illud insolitum & inauditum* (inquit Malmesburiensis) *quòd semper sinu gestabat libellum, in quo diurnus cursus Psalmi continebantur, ut si quando vacaret, arriperet; & vigilanti oculo percurreret. Ita vitam egit, magnâ cum finitimis gratiâ: & Balduino Comiti Flandriæ, Ethelswida* filia data in conjugium. Ex quâ ille Ernulfum genuit, & Adulfum. Iste, a patre Comitatum Bononiæ accepit: ex altero sunt hodie Comites Flandriæ.* Hæc ille de suo tempore, qui obiit anno Christi 1142. Alfredi nomen inter Sanctos scribitur in Anglicano Martyrologio, ad vigesimum octavum Octobris, quo etiam die, eum mortuum dixerunt Authores alii suprà citati. Solus Asserus mortuum ponit 7. Calendas Novemb. quod Scriptorum vitio factum puto, cum 5. Calendas scribendum sit. VII.

(Malmesb. de Reg. l. 2. c. 4.) (* vocatur suprà Elfrida.) (Mart. Angl. 28. Octob.)

VIII. DE S. MENIGOLDO. Legitur etiam in nostro Martyrologio, ad nonum Februarii Martyrium Sancti Menigoldi: qui à Britannis ortus, sub Arnulfo Imperatore, militiâ clarus, ab eodem rude, ac rure donatus; ad Huium oppidum, in Hasbaniâ, quod mosa fluvius alluit, quietem obtinuit: ubi cùm se orationi ac pœnitentiæ operibus, totum devovisset; ab impio sicario trucidatus est, circa annum Domini nongentesimum. Mentionem de eo faciunt Belgici, & Gallicani Fasti: Sed in tempore, aliisque rerum circumstantiis, admodum differunt. *Cæterùm Mengoldus*, inquit Miræus, *patrem habuit Hugonem, Angliæ Regem, sororium Oswaldum Martyrem, & Regem Northumbrorum; avunculum verò Arnulphum Cæsarem, qui uxorem illi dedit Geilam, Guilielmi Hannoniæ Comitis viduam; territorio Huiensi, pro dote, addito. Quiescit Hui in collegiatâ Canonicorum Ecclesiâ, eo loci ab impiis interfectus.* Ita ille. Eadem ferè habet Gallicanum Martyrologium; solùm Arnulfi Cæsaris mentionem omittit. addit verò, quòd *militiæ abrenuncians, atque pœnitentiæ amore, ad oratorium Sanctorum Timothei, & Symphoriani, ad mosam, solitario loco secedens; ibi sanctissima vitæ actus edidit; donec à viris sanguinum, cùm ad templum iret, innocens occisus, eximiæ patientiæ coronam, pœnitentiæ dignè exacta bravio copularit. Quiescit in prædicto oppido, cum Domitiano, notæ Sanctitatis antistite elevatus, condignoq; percolitur honore.* Ita ille. Ut coeant inter se, hæc disparata; quæ de Menigoldi parentibus dicuntur; nodus est, quem expedire nescio. Unum constat: si Arnulfum Cæsarem habuit avunculum; Oswaldum Regem, & Martyrem, sororium habere non potuit. Nam iste pientissimè occubuit anno Christi sexcentesimo quadragesimo secundo, ut dictum ibi. * Arnulfus Imperator, non nisi anno superiori, nimirùm Christi octingentesimo nonagesimo nono, moritur. Adde Hugonis Angliæ Regis, nullam apud nos esse mentionem. Suspicio est, non Anglum, sed Britannum genere fuisse; qui relictâ hac Insulâ, quam continua bella vexabant; in Galliâ meruerit, sub Arnulfo. & demum posito cingulo, cùm

(Fast. Bel. ad 9. Feb.) (Gal. Mart. 9. Febr.) (* v. an. 642. n. 18.)

inermis, & soli Deo intentus esset, ab improbis occiditur.

IX. DE SANCTA PANDWINA VIRGINE.

Illustrat etiam Insulam, Pandwina Virgo, quæ nobiliter nata, & Sanctitatis opinione clarior; in nostro Martyrologio, ad 26. Augusti, floruisse legitur, sub annum Christi nongentesimum. Ejus demortuæ corpus ad Iselbæum oppidum, in agro Lincolniensi depositum, olim honorem meruit, Sanctis congruum: nunc honor, & Sanctorum nomina, cum Majorum nostrorum Fide, exulant. Fuit illa Regii generis, Scotiâ oriunda; quam alii communiter Pandonam vocaverunt. In Angliam venit, pietatis causâ, patris tyrannidem fugiens: atque ibi sanctè moritur: cujus vitam Richardus quidam Elecsleius, ut habet Pitsius, vel Iselbeus, ut habet Martyrologium, scripsisse dicitur, & ejus reliquias piè veneratus. Molanus etiam in Appendice, hujus Sanctæ Virginis meminit.

Pits in Appendice

X. MORITUR EALSTANUS EP. LONDINENSIS: SUCCEDIT THEODREDUS.

Moritur etiam hoc anno, Londinensis Episcopus Ealstanus, quem suprà ad annum Christi octingentesimum nonagesimum quintum, ad illam Sedem nominavi. In cujus locum Theodredus cognomento bonus, subrogatur. *Hujus non penitus exoletam memoriam* (loquitur Malmesburiensis) *cives prædicant, dicentes eum fuisse Regis Ethelstani tempore: Cognomen boni vulgò sortitum pro prærogativa virtutum. uno excidisse magis errore, quàm crimine: quòd fures apud Sanctum Eadmundum deprehensos, quos conatibus irritis Martyr invisibili nodo astrinxerat; severitati legum addixerat patibulis adjudicatos. Sed de facto recogitantem piguisse: totoq; vitæ tempore post exercuisse pœnitentiam, culpâ mordente conscientiam.* Cùm hic Author planè fateatur hunc Antistitem Ethelstani tempore fuisse: miror Fastorum collectorem ejus mortem consignare, Edoardo regnante, Ethelstani parente. quod * infrà reprobamus.

Malmesb. de Pont. l. 2. f. 236.

* v. an. 922. 3

XI. EARDULFUS LINDISFARN. EPISCOPUS MORITUR. SUCCESSIT CUTHARDUS.

Eardulfus etiam, quondam Lindisfarnensis Episcopus, qui Sedem, & Sancti Cuthberti corpus Cunecestriam, ante annos octodecim transtulit, hoc anno moritur; cùm diu, & piennissimè dictum sacrum corpus, à Danorum impetu, & sacrilegis defendisset. Illi, hoc eodem anno, *vir religiosus Cuthardus successit*, inquit Wigorniensis. Nec omittendum, inter sæculo mortuos numerari posse Alfredi Regis uxorem, quam Alswitham suprà * vocavi. Illa enim mundum pertæsa Sanctimonialium cœnobium, quod Wintoniæ condiderat ingressa; cœlo cœpit vivere, & regiarum virtutum argumenta explicare: quam brevi cœlo donatam, & inter Sanctos conscriptam, videbimus.

Wigorn. hic.

* an. 868. 1.

causâ vigilasse; ipsum, inquam, non Formosum, Insulam, Regemque excommunicationis fulmine terruisse; temporis ratio, & rerum gestarum series, facilè persuadebunt. de quo infrà.

II. EDOARDUS REGNAT, COGNOMENTO SENIOR.

Alfredo mortuo, Edoardus, major natu filius, in regnum statim à parentis morte successit: passim tamen authores exordium regni ejus consignant ad annum Christi nongentesimum primum; quia tunc primum *regni Angliæ diademate insignitus est*, inquit Westmonasteriensis. Cæterùm solenni cæremoniâ coronatus, & unctus est in die Pentecostes; ad oppidum; quod ex plurium Regum inauguratione; non malè Kingston, hoc est, Regium oppidum appellatur. Polydorus Vergilius, ita de Edoardi exordio scribit: *Successit Alvredo, Edoardus filius, ordine Regum vigesimus tertius. quem Athelredus Cantuariensis Archiepiscopus, more majorum inunxit, coronavitq;, anno à natali Christi 901.* Sed fallitur, sine dubio, in Archiepiscopi nomine: quia Ethelredus dudum obierat: & Alfredus in locum ejus Plegmundum nominaverat. unde meliùs hac vice dixit Parkerus: *Alfredi filium Edoardum, Plegmundus Archiepiscopus, more majorum, corona Regia apud Kingstone insignivit.* Porrò, quia plures post eum Edoardi regnaverunt, etiam ante Normannorum adventum: authores non malè Alfredi filium, *Edoardum Seniorem* appellarunt: & eo cognomine, ab Edoardo Martyre, & ab Edoardo Confessore, sanctissimis Regibus distinguunt. Fuerunt hi tres, aut agendi, aut patiendi felicitate nobilissimi, & Regiæ Fidei magna ornamenta. quæ sæculum hoc; quod Baronius conqueritur, *sui asperitate, ac boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia scriptorum obscurum esse*; per se admodum illustrare possunt.

Polyd. Virg. l. 6. initio.

A PLEGMUNDO CORONATUR.

Antiq. Brit. in Plegmundo

Baron. an. 900. n. 1.

III. EDOARDI ELOGIUM

Ad seniorem quod attinet; quàm feliciter regnaverit, compendio explicat in hunc modum Malmesburiensis. *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo primo, regnum obtinuit Edoardus, filius Alfredi, & tenuit viginti tribus annis. literarum scientiâ multùm inferior patre; sed regni potestate incomparabilior, gloriosior. Siquidem ille, duo regna, Merciorum & West-Saxonum conjunxerat: Merciorum nomine tenus quippe commendatum Duci Ethelredo, tenens. Hic primùm mortuo Ethelredo, Mercios omnifariam, mox Occidentales, & Orientales Anglos, & Northanimbros; qui cum Danis jam in unam gentem coaluerant; & Scottos, qui Aquilonarem Insulæ partem inhabitant: Britones etiam omnes, quos nos Wallenses dicimus bellis profligatos, suæ ditioni subegit. Nec unquam in aliquâ pugnâ, humiliorem manum habuit. Invenit ingenium, quo excursus falleret Danorum. Urbibus enim multis, per loca opportuna; vel veteribus reparatis; vel novis excogitatis, replevit eas manu militari, quæ incolas protegeret, hostes repelleret. Nec frustra: adeò virtutes Provincialium in præliis occaluerant, ut si audirent inimicos adventantes; Rege etiam & Ducibus inconsultis, in certamen ruerent: et q; semper, numero & scientiâ præliandi præstarent. Ita hostes contemptui militibus, Regi risui essent.* Hæc ille, Edoardi Regis prospera recensens: quæ etiam in Alfredi patris laudibus poni possunt quem Deus utraque felicitate beare voluit cœlesti, inquam gloriâ & imperio Insulæ. quod filius ultra Principes omnes, qui præcesserant, primus obtinuit. unde non antea, ut Pater & majores

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 5.

ANNUS CHRISTI 901.

JOANNIS IX. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLORUM REG. 1.

I. STEPHANUS PAPA MORITUR SUCCEDIT JOAN. IX.

AD decimi sæculi initium, anno Christi nongentesimo primo, moritur Romanus Pontifex Stephanus: cujus Sedem, cùm Theodorus, eo nomine secundus, viginti tantùm diebus occupasset, locum fecit Joanni, quem nonum appellamus. Eum in Anglicanæ Ecclesiæ

Occidentalium Saxonum; sed *Anglorum* indefinitè *Rex*, inscribi meruit.

IV. ETHELWOLDUS TURBAS EXCITAT.

Novi tamen Principis felicitatem, & inaugurationis solemnia, Procerum quorundam studia turbaverunt. Tumultuum Princeps Ethelwoldus fuit, qui Regii sanguinis privilegio Clyto appellatus; coronam sibi & natalibus deberi, majore ambitione, quam prudentia jactabat. Enimverò Ethelberti, Alfredi fratris, filius, licet parente mortuo, ætatis defectu, coronâ excidisset: nunc tamen, defuncto patruo; & annos, & animos majores habuit: nec deerant in aulâ, qui juris apices, & natalium prærogativam urgerent: sed & foris Danus, turbatis rebus, in meliorem fortunam emergere, per fas & nefas, gestiebat. Verùm demortui Principis pietas, adeò ceperat civium mentes; ut exclusis cæteris, qui jure sanguinis dignitatem hanc Regiam vendicabant sibi; in unum Edoardum, Alfredi filium, omnes consenserint. Quod ut vidit Ethelwoldus; conatur vi, & injuriâ obtinere, quod jure, aut populi suffragio, non potuit. Factionis flamma tunc erupit, cùm *villas Regias* * *Oxeleiam, & Vimburnam, nuncupatas, invadens; valvisque obseratis, sese in eas, cum suis, temere intromisisset*, inquit Westmonasteriensis. Aderant impiis conatibus Dani, urbem munientes contra omnem Edoardi Regis imperium. Sed barbaris moribus, & militari licentiâ, enervarunt, eodem tempore, Ethelwoldi pectus, ad turpissimam libidinem: cum Vimburniæ monasterium ingressus (ubi à Cuthburgâ sanctâ, Inæ Regis sorore, devotarum Deo Virginum domicilium, suprà* posuimus) monialem sacram; nihil loci votique sanctitatem veritus; ausus est constringere: & honestiore, ut putabat, velo, turpitudinem tegens; matrimonii lege sociare.

Westm. hic
* *Tweoxleã* vocat Wigorniẽsis.

* an. 696. n. 27. & 705. n. 15. & 713. n. 15.

LASCIVIT IN MONIALEM.

V. EDOARDUS IN ETHELWOLDUM PUGNAT.

Edoardus hoc factum tulit indignissimè: & in ultionem pessimi facinoris; utriusque nimirum Majestatis læsæ, ingentem scribit exercitum: quo hostibus terrorem sui nominis, in prima hac expeditione incuteret; & averteret deinceps hujusmodi factiones. Dorsetanum agrum ingreditur: *& in loco qui linguâ Anglorum Baddanbyrig dicitur, prope Wimburnam, castra metatus est*, inquit Wigorniensis. Saxones quidem ita locum vocabant; qui nunc contractius Badburii dicitur: eratque collis oppido impendens, castro tunc nobilis, & Regum West-Saxonum Sede. Cum eò Edoardus advenisset, & collem milite cinxisset; effeminatus Ethelwaldi animus, obsidionem ferre non valens; noctu fugam iniit, & in Northumbriam profectus, Danorum Princeps, emendicato ab eis dignitatis suffragio, creatur. Sic enim de eo refert Westmonasteriensis: *Æthelwaldus Northumbriam petiit, Danosque qui ibi degebant, suppliciter exposcit, ut se commilitonem recipientes, unum ex suo collegio, ad Regem Eadwardum expugnandum esse velint. Qui mox in Regia dignitate, est ab omnibus constitutus.* Nimirum exauctorato Osberto, qui rerum summâ potiebatur, ut dictum suprà*. Rex, ut Ethelwaldum fugâ lapsum agnovit, pulsat, captâ arce, monialem ad monasterium reduci, claudique cum Virginibus; dicens, optimum esse spolium, & Deo in templo ponendum. Hæc Regia pietas ut civibus amorem, ita terrorem hostibus incussit. Unde qui in Septentrione [illegible] rat, non omnino se tutum ratus, trajecit in G[illegible] numero [illegible] tum

Wigorn. hic

QUI PRINCEPS DANORUM CREATUR.

Westm. hic.

OSBERTUS REX EXAUCTORATUR.

* an. 893. 3.

auctior in Edoardum pugnaturus. Ita domi forisque formidandus Rex, monarchiam Insulæ, ab Egberto & majoribus felicissimè cœptam, pari fortitudine constantiâque conatur absolvere. Unde bene Gordonius scripsit: *Angliæ regnum, anno nongentesimo primo, heptarchiâ in monarchiam reductâ, florebat & inter præcipua Europæ regna numerabatur.*

ANGLIÆ REGNUM FLORENTISSIMUM.

Gordon. hic

VI. EIUS [illegible] IT[illegible]IS IN[illegible] TRIA.

Edoardus interea, omnem adversariæ factionis motum observat; quid rerum Ethelwaldus in Septentrione egisset: quæ mandata civibus quæ militibus dedisset. Denique quibuscum in Gallia consiliorum societatem haberet. Erant enim ibi Danorum fortissimi; qui Reges ad fœdera pacemque coegerant; pacta in æternam servitutem Neustriâ, quam inde Normanniam vocaverunt. Non terrebat Edoardum tantorum virorum in se conspiratio: Fecit tamen, quod prudentissimi Imperatoris erat; quoque regnum suum, ab hostili manu, tueretur. Præsidiario milite primas urbes implet, & muris, vallis, omnique apparatu bellico, munit. Tum militi, civibusque ad excubias, & omnem tumultum, præcepta monitaque dat. Et fuit industriæ operæque pretium. Nam miles urbe contentus, militiæ rudimenta, quo tirones exercerentur, habebat, & otii parum: cum quotidie docerentur arma tractare: & priùs punctim, cæsimque congredi, mentito irarum impetu; quam justis ferisque ictibus decernerent. Factum ergo, ut veteranus miles passim in aciem prodiret, vix egens imperio: adeo provincialium virtutes, in prælus occaluerant, ut suprà dixit Malmesberiensis. Sed satis de Regis bellica virtute. Nam malo legere pietatem ejus, Fidemque Regiam; quæ in hunc modum primo regni anno, explicuit sese.

VII. GRIMBALDUS PETIT F[illegible]CULTATEM [illegible] AN[illegible] DI[illegible] D[illegible] [illegible] O[illegible]R-DUS [illegible] CO[illegible]ES-S[illegible].

Grimbaldus, quem pater è Belgio vocaverat: cum cerneret Edoardum belli gloria, ad magna conantem, putavit eum in altera Rep. minùs fore curiosum: nec sua operâ porrò indigere, quam pater imploraverat. Itaque salutato Rege, in patriam redire; & ubi juventutem triverat, ibi senescere, cum bonâ Regis veniâ, decrevit. Verùm Rex, hoc tristi nuntio percussus, pientissimè intercessit, cavitque, nè tanta luce privaretur Insula; quam omni bonorum genere augere, & illustrare conabatur. Et quoniam potissima Grimbaldi cura erat, sanctè & quietè senescere; novum illi monasterium, in Wintoniensi urbe (quod nuper Alfredus jusserat) exstrui sine mora, & dotari curavit. Verùm omnem rei hujus gestæ seriem referant illius loci Annales: *Inclytus Rex Edoardus* (inquiunt illi) *per omnia sequens sui patris vestigia, omnes bonæ memoriæ viros, & congruos Ecclesiasticæ functioni, non minore dilectione, quam pater suus, retinere studuit. Ad quem Sanctus, & gloriosus Christi Sacerdos Grimbaldus accessit: & ita humiliter & sapienter Spiritus sancti instinctu commonitus, de ædificando monasterio eum allocutus est.* Sequuntur Grimbaldi preces Edoardo porrectæ; quas iidem Annales cum hoc titulo recitant.

Annales de Hyda.

Propositio principalis causæ, quare novum Monasterium ædificatum est, in Wintoniâ, incipit.

VIII. NOVI WINTONIENSIS MONASTERII EXORDIA.

Licet Pater vester, inquit, Domine Rex, super me imposuerit [illegible] ut vester consiliarius & intimus fuissem sicut sum [illegible] fieri: tamen nullam fiduciam sibi ex

hac re

hac te promisi. Proinde prostratus pedibus vestris, humiliter rogo, ut mihi præpollentissima vestra excellentia, licentiam dignetur donare, quatenus ad monasterium nostrum, Deo donante, possim redire. Hoc audito Rex sanctissimus, ex alto corde ingemuit; & magno mœrore suffusus, obtestando deprecatus est; ne illum, quoad viveret, desereret: majora [illegible] ampliora suo patre promittens augmentare, & meliorare sanctam Ecclesiam, fautore Deo, suis utilitatibus spondens. Quem cum sanctissimus vir pro [illegible] à [illegible] veneratione [illegible] dignitate nollet offendere, se remansurum promisit [illegible] conditione: ut de suo jure ei tribueret tantum spatium terra, in Wentana urbe; ubi con[illegible] D[illegible] cœno[illegible] possit ædificare; quia summam quietem ordinem monachorum dixit quære[illegible] Rex autem, aud[illegible] quod remanere vellet [illegible] pra[illegible] [illegible]: & [illegible] terram de veteri monasterio [illegible] [illegible] suaret, accipere voluit. Quod sanct[illegible], pro ut erat p[illegible] [illegible] prohibuit [illegible] d[illegible], [illegible] non placeret Deo sacrificium de rapinis. Sed m[illegible] [illegible] dedit consilium, ut in urbe [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Præsulum, Abbatum, & [illegible] [illegible] [illegible] laicorum: & ap[illegible] et eis suam devotio[illegible], de constructione cœnobii. & p[illegible] eorum [illegible] opus perficeret tam honestum. [illegible] statim [illegible] [illegible] suum Æthelwardum, & Archiepiscopum [illegible] & Wintoniensem Episcopum Denewlfum, & [illegible] burnensem Episcopum Asserum, ut sit. & coadunato consilio, eis suam voluntatem pat[illegible].

IX. CORRIGUNTUR ANNALES DE HIDA. Hic manifestè laudicant A[illegible] [illegible] non so[illegible]um quia Asserum nominant Schi[illegible]burnensem Episcopum: sed quia Wintoniensibus etiam Episcopum assignant. hoc tempore, quo nullum in Occidente Episcopum fe[illegible] & Annales nostri una voce testantur; & Romanus Pontifex, gravissime conqueritur, iis literis quibus Regi & Insulæ extrema minatur. Quæ quia scriptæ sunt anno Christi nongentesimo quarto, quando per integrum septennium Occidentalium Saxonum Ecclesia pastore caruerat, in utrâque sede (ut nos etiam suprà monuimus) constanter affirmare possumus; hoc anno, nullum Wintoniæ, nullum Schireburniæ Episcopum præfuisse. dic ergo, ad concilium vocatos esse, p[illegible] [illegible] lero Ab[illegible], & laicos: & illis Edoardus [illegible] voluntat[illegible] patef[illegible]cit [illegible], quæ in di[illegible] [illegible]alibus leguntur. *Patri meo, inqu[illegible]*

Annales suprà.

*qu[illegible] [illegible] regni gubernav[illegible] humanis [illegible] exempto; ego [illegible] filius ejus, permittente [illegible] Deo, qui vocat ea, [illegible] non sunt, tanquam ea quæ sunt; p[illegible] regni accepi & virum Sanct[illegible] [illegible] honore & veneratione dignissimum, nomine Grimbaldum; quem pater meus, à transmarinis partibus [illegible] ex monasterio Sancti Bertini evocaverat; qui inter nos, velut quoddam clarum sidus [illegible] renitet, & est amabilis, & Deo pretiosissimus, egregiaque, virtutum incomprehensibilique sanctitatis; omnino retinere volo. Proinde imprimis precor, ut Pontifex Denewlfus Diœcesis hujus, annuat mihi [illegible] partem [illegible] terra propriis juri[illegible] [illegible]tudine [illegible] ut decens, & nobile monasterium Regalibus usibus possim construere. Libentissime igitur Præsul veteris monasterii assensum tribuit votis honesti, & sapientissimi Regis: & recepit mutua vice [illegible] ab illo, non modicam quantitatem pretiosissimi metalli. Emitque Deo amabilis Princeps, capellam, & dormitorium, quod pater suus fabricari jussit: & insuper terram reliquam a supradicto Præsule, seu a quibuslibet circummanentibus, jure hæreditatis redemit [illegible] passus unumquemque istius loci, emit uno mancuso purgatissimi auri: cumque ab australi parte cœnobii, viginti quatuor virgas terra in longum; necnon quinque in altum: & ubicumque minor latitudo habetur, non plus una virga stringitur. ab Occidente monasterii, duodecim virgas longitudinis. * Ab aquilone monasterii, sedecim virgas in longitudine. Ab oriente quadraginta tres virgas. & insuper sex pedes per longum. Iterum ab australi parte viginti virgas, & tres pe[illegible]. * Hæc omnia in summam collecta, sunt tres acra, quo[illegible] lingua Anglorum dicitur thry Furlong and thry met yard.*

* inseruntur Saxonico.

X. *Igitur venerabilis Grimbaldus commendatum opus, ex integro, & pro [illegible] [illegible] usque ad perfectionem perducere cupiebat; quia in eodem loco divinis laudibus inservire volebat. Unde à pio Judice Christo, ad coronam justitia se sublevandum sperabat. Artificibus itaque plurimis, & operariis coadunatis, jactoque fundamento; captum opus quotidie certatim acceleravit. & in duobus annis, quod mirum est dictu & difficile videtur, perfecit. Rex autem magnam pecuniam, & larga diversarum specierum dona, [illegible] argento & auro, sancto Patri obtulit: & de quibus [illegible] quas tradiderat loco illi, rogatu sancti Patris, testamentum scribere fecit.* Hactenus Annales de Hida: qui paulò inferiùs Regia diplomata [illegible] citant, quæ Edoardi munificentiam in [illegible]ndo monasterio satis declarant. Et quoniam primo [illegible] anno data sunt, non debeo illa hoc loco pr[illegible]. [illegible]amvis ex E[illegible]oporum subscriptionibus merito [illegible] licet, aliqu[illegible]do An[illegible] inferi [illegible], quod multum à vero abeat. [illegible] nec temere) affirmare possumus, parum interdum accuratè digestos esse: & eo [illegible] tempore, quo homines dormiebant, hoc est, in rerum delectu; & locorum, temporum, personarum circumstantiis adnotandis, oscitantes erant. Tunc enim facilè potuit inimicus homo superseminare zizania, in medio tritici; quæ veritatis cribro ventilari, & excerni debent. Ego igitur Edoardi chartas, ut in dictis, sed ineditis adhuc Annalibus, continentur, referam; & quæ limâ poliri possunt, adnotabo. Prima Regis donatio sic inscribitur.

Incipit donatio Edouardi primi, filii Alfredi Regis: concessa novo Monasterio Wintoniæ Anno regni sui primo.

XI. CHARTA EDOARD. PRO NOVO MONASTERIO WINTONIÆ.

Omnipotentia divinæ Majestatis ubique præsidente, & sine fine cuncta gubernante: Ego Edouardus, ipso largitante, Rex Anglorum, cunctis gentis nostræ fidelibus innotesco: quod pro salute animæ meæ, quendam fundum, quem indigenæ Michcldsser appellant, centum cassatorum quantitatem continentem, benignè confero monasterio Sanctæ Trinitatis; quod in Wentana situm est civitate, novumque appellatur. Huic autem libertati, fautores & consiliarii mei fuerunt, Duces, & Magnates, qui me ad hanc largitatem incitaverunt. Qui etiam omnes, unanimiter constituerunt: ut donatio ita firma in æternum permaneat: neque à quolibet, seu superiore, vel inferiore, commutetur. Et quisquis violare præsumpserit; excommunicetur à Societate Dei, & Sanctorum ejus. Proinde, sit terra prædicta ab omni servitio mundano semper libera: excepta tribus causis: hoc est, expeditione, & pontis, arcisve constructione. Limites autem, qua supradictam pertinent terram, subsequens manifestat stylus Anglicus, hoc modo.* Sequuntur

* qui

Saxonica. Deinde eorum explanatio latinè reddita.

XII. LIMITES TERRARUM. *Isti sunt termini terrarum, ad manerium de Micheldeser pertinentium: Imprimis incipe apud Haslinc, ab illo procedendo per longum, per semitam, quæ declinat ab alta via, ad arborem Egulfi. quæ semita Anglicè vocatur Law path. Ab arbore Egulfi procedas, per longum, legales semitas, usque pervenias ad Micheldeser. Deinde pertranseas per longum Micheldeser. Tunc à Micheldeser, ad quendam puteum, qui vocatur Anglicè The poole of Micheldeser. Tunc ab illa palude, procedas ad Nessenburgh. Ab Nessenburgh procedas ad Waterlink. Deinde a Waterlink ad Staplethorne. Deinde a Staplethorne, ad viam, quæ ad modum cornu dirigitur, quæ Anglicè vocatur the Hornway. Tunc ab illa via, quousque pervenias iterum ad prædictum puteum. Deinde a prædicto puteo, ad Thiddantborne. Deinde ab illo loco, ad Tedgrave. Deinde a Tedgrave, ad Lertesborne. Ab illo Lertesborne, ad Clerford. Deinde à Clereford, per longum transeas per plateam de Herwysham ad Linley. Tunc à Linley, ad Bullokisfole. Tunc a Bullokisfole, ad Tikisham. Deinde à Tikisham pertranseas campum, qui ducit ad Berkle. Deinde a Berkle procedas ad Eple. Tunc ab Eple sic ulteriùs ad Heuhanger; sic per campum de Candeser: deinde per longum pertranseas Candeser quousque pervenias ad Duddan. Deinde per longum transeas torrentem de Brokenbrow. A Brokenbrow infra vadum de Begele. a vado de Begele, ad medium de Nordhanger, sic ulterius procedendo ad papanbolt, per austrum. Deinde ad manerium de Micheldeser. deinde super Rodune pertranseas iterum ad Halslinck.*

XIII. Mansi paulò diutius, in limite donationis recensendo; ut antiquorum diligentiæ argumentum esset: nolo in aliis tam longus esse. plura enim prædia, simili terminorum lege circumscripta, novo Wintoniensi monasterio Edoardus dedit; quæ dicti Annales, Saxonicè, Anglicè, & Latinè recensent. & vexarem ego Lectoris patientiam, si illa describerem. Sufficiat ergò terrarum & prædiorum nomina adnotare; quæ in eádem Regiâ chartâ, Grimbaldi cœnobio addicuntur: nimirùm Granburn, Cutheredsburgh, Thetle, & demum terra sex hidarum, apud Candeser. Post quorum prædiorum enumeratos limites, Regium diploma ita concluditur. *Celebrata est igitur hæc Regalis institutio, in pago qui dicitur Hamptun, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo, Indictione quarta, sub testimonio & authoritate gentis nostræ Principum, quorum vocabula hic cernuntur.*

† *Ego Eadward Rex*
† *Ego Æthelweard filius Regis.*
† *Ego Wiferd Bisc.*
† *Ego Asser Bisc.*
† *Ego Ceolmund Bisc.*
† *Ego VVimund* [illegible]
† *Ego Plegmund Bisc.*
† *Ego Deuulf Bisc.*
† *Ego VVulfige Bisc.*
† *Ego VVighelm Bisc.*
† *Ego Eadgar Bisc.*
† *Ego Beornelm Ab.*

XIV. Sequuntur plures alii, presbyteri, proceres, milites, quorum nomina non exscribo; quia negotii satis superque, in asserendis his Episcopis, qui è Saxonum dialecto Bisco: scribuntur: nam præter Plegmundum Dorovernensem Antistitem, nullus inter omnes, eo anno sedit, quo facta dicitur donatio. Quòd omnis Occidens Episcopo caruerit, & suprà paucis, & infra pluribus dicam. Unde Denewulfus & Asserus, è subscribentium, hoc anno, Episcoporum serie obliterandi sunt. Qui Wulsfige scribitur, si Wulfsige scriberetur, opinarer eum esse, cui Alfredus literas inscripsit, quas ad annum * octingentesimum nonagesimum retuli; sed & ille vix potuit hoc decimum sæculum videre. Qui Wiferd scribitur, licet prope ad Werefridum Wigorniensem Episcopum accedat; quem adhuc Godwinus superstitem facit: Fasti tamen, dudum illi in ea sede Wilferum substituerunt quod nomen propiùs adhuc in subscribentem cadit. Ego unum eundémque esse dicam paulo inferiùs.* Cæterorum Episcoporum nomina, quòd hoc anno sederint, nulla sunt vestigia. Sed & annus dati diplomatis perperam scribitur nongentesimus, qui quartæ Indictioni non respondet: Meliùs ergo donationes aliæ quæ in eisdem Annalibus leguntur, primo Edoardi Regis anno confectæ, in quibus Christi annus nonagesimus primus, & Indictio quarta consignantur. Referam illas paulo inferiùs, ubi de filio Regis, qui Ethelwerdus subscribitur, pauca dixero. * [illegible] n. 11. * an. 911. 3.

XV. EDOARDI UXORES & LIBERI. Edoardus e vario conjugio, plures liberos suscepit; de quibus infrà suo tempore. Ante initium regnum, Egvinam duxerat, formæ elegantia, quam sanguinis nobilitate illustriorem, ut volunt aliqui, qui minus benè concubinam vocaverunt. Nam Malmesburiensis illustrem fœminam vocat. Ex illâ Athelstanum genuit, quem * suprà Alfredus militem creavit, solenni cæremoniâ; quod quia a sanctissimo & prudentissimo factum, & quia parenti mortuo primus successit, arguit natales ejus legitimos fuisse. Ex eâdem genuit Elfredum, & Edgytham: illum parens, præ cæteris dilexit; fecitque consortem regni. Sed citò regnandi prærogativam, morte abreptus; perdidit. illam (quam Scotorum Historici malè Beatricem vocant) Sythricus Danorum Rex, in Northumbriâ duxit: sed brevi post, vidua ad fratrem tunc regnantem Athelstanum rediit: à quo monasterium impetravit; ubi cùm sanctè vixisset, Sanctis accenseri meruit, ut * infrà. Egvinâ mortuâ, Edoardus Elfledam duxit, Athelmi, Wiltonensium Comitis (qui suprà Alfredi eleemosynam Romam detulit) filiam. Ex eâ multorum liberorum parens, Edoardus efficitur: quorum primus Ethelwerdus; qui, si sub initium paterni regni nascitur, ut conjectat Spedus; ægrè potuit hoc anno Regiæ chartæ subscribere; ut velle videntur Annales Hidæ. De filiis, & uxore aliâ dicam, cùm rerum gestarum ordo postulabit. Adverto interim, Regiorum diplomatum subscriptiones, quæ in Hidæ Annalibus leguntur; non eo anno, quo datæ sunt chartæ, scribi potuisse. quod tamen donationi non officit; nam stare potest rei substantia, quantumvis in circumstantiâ peccetur. Videamus ergò quid ultra novo monasterio dederit Edoardus Rex. Duas adhuc chartas referunt Annales ejus loci, quarum prima sic inscribitur:

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 1. * V. an. 898. n. 1.

EDGITHA NORTHUMBRIÆ REGINA. * an. 926. n. 1. 2.

Incipit donatio EDOARDI Senioris de villa de Anna: anno regni sui primo.

XVI. CHARTA REGIS EDOARDI *Domino omnium Dominorum dominante. Ego Edoardus Saxonum Rex; ex decimatione, quam avi mei decimaverunt, ex eorum propriis terris istius regni ministris suis aliquibus, sive etiam peregrinis Episcopis, & bonis presbyteris, & monasteriis etiam emendandis, & pascendis pauperibus, tradiderunt, ea ratione, ut in multis locis est scriptum; pro Rege Missarum celebrationem, & votivas orationes (faciant) pro statu regni, pro pace & tranquillitate illorum: ad monasterium meum etiam, quod meo pretio comparavi, quandam terram devovi; quæ est At Anne quindecim mansas: quatenus ibi pro me, & venerabili patre, & avis meis, quotidie orationes fiant, & intercessiones. Et sit ista terra, cum illis quas ad illud monasterium dedi, mihi & meis heredibus, in jus sempiternum; ad pastum servorum Dei, qui in illo etiam deserviunt, ubi pater meus requiescit. Et sit ista terra libera; excepta expeditione, & pontis, & * urbis restauratione. Successores autem mei istam donationem non minuant, sed augeant. Et qui adauxerint, adaugeat Deus vitam illorum: & qui minuerint; abreviet Deus vitam illorum, & fiat pars eorum cum diabolo in inferno; nisi ante mortem suam hoc juste emendaverint.*

* arcis

XVII. *Hi sunt terrarum limites de Anne. Imprimis incipe apud sepem illius terræ, versus Orientem, quousque perveneris ad vadum illud. Tunc ab Aquilone, per longum pertranseas vias, quæ ducunt ad Cndumborne, &c. Acta est hæc scriptio, Anno Dominica Incarnationis nongentesimo primo, Indictione vero quartâ: istis consentientibus testibus, quorum hic nomina subtus notantur. † Ego Edwerd Rex. † Plegmund Bisc. Æthelvverdus filius Regis. † Elsverd filius Regis. † Æthelstan filius Regis. † Denulf Bisc. † Wiferth Bisc. † Asser Bisc. † Sighelm Bisc. † Caabund Bisc. † Eador Bisc. † VVimund Bisc. † Birnhelm Bisc.* Ministrorum nomina non exscribo, quia sat tenebrarum in subscribentibus Episcopis. E quibus nullam historiæ lucem haurio; quam tamen, si sincera essent omnia, emendicare possem. Sed (fatendum) oscitanter aliquando, vel scripti, vel dictati sunt Annales. Unde qui superiùs Beornelm Abbas, hic scribitur Birnhelm Episcopus. Sic erratum puto in tribus Edoardi filiis nominandis, cùm duo tantùm fuerint: is nimirum qui in alio diplomate Ethelwerdus scribitur (quem alii Elfwerdum vocant.) & Athelstanus, qui licet major natu, minori postponitur, ob minus illustres natales ejus. Sed satis de hac chartâ; legamus alteram, quam Wintonienses Annales, post recensitos Edoardi filios, referunt in hæc verba.

XVIII. *Dedit præterea prædictus invictissimus Rex Edvvardus, novo monasterio Wintoniæ, quod modo dicitur Hida, anno primo regni sui, Chefeldene, cujus chartæ tenor sequitur in hæc verba.*

CHARTA EDOARDI REGIS PRO NOVO MONASTERIO. *Cunctis crenum divino inflatis spiramine certum constat quòd omnia, quæ humanis cernuntur obtutibus; fumi similitudine evanescunt. E contra hæc, & ea, quæ ab interiori homine, per meditationem divinarum Scripturarum intelliguntur, æternaliter mansura non deficient. Quapropter & ego Edovvardus, divinâ largiente gratia, Anglorum Saxonum Rex; hæc talia, in meo frequenter revolvens præcordio, nitens cum fugitivis perpetualiter mansura mercari, aliquantulum terræ, mei proprii juris, ad Ecclesiam, quam noviter à fundamento erigens, pro remedio animæ meæ, meiq; venerabilis patris, ædificari jussi, in æternam hæreditatem omnium secularium difficultatum liberam, præter expeditionem, pontis, arcisve instructionem; concedens donavi loco, ubi ruricolæ Ceofeldene, quantitate quinquaginta manentium istis circundata terminis. Imprimis incipe &c. Consentientes huic, vel augentes hanc nostram munificentiam, perpetuam possideant pacem. contradicentes verò, vel minuentes, pereant cum diabolo, in perpetua combustione: nisi in præsenti cum satisfactione emendent. Acta est hæc scriptio, anno Dominica Incarnationis nongentesimo primo, Indictione verò quartâ, in loco, qui dicitur Hampton. Istis consentientibus testibus, quorum hic nomina subtus notantur. Edvvard Rex † Pleymund Bisc. † Elfredus filius Regis †. Ethelvvardus filius Regis †. Æthelstan filius Regis †. Daenulf Bisc. †. VVisbid Bisc. †. Asser Bisc. †. Sighelm Bisc. †. Coolmund Bisc. †. VVimund Bisc. Byrnelm Ab. &c.* Hæc satis de Edoardi pietate, rebúsque gestis hujus anni.

ANNUS CHRISTI 902.

JOANNIS IX. PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 2.

ANNUS Christi Redemptoris nostri nongentesimus secundus, novas aperit turbas; cùm Ethelwaldus, qui nuper in Gallias fugerat, domum rediens; icto cum infidelibus fœdere, Christianos, & cives, & sanguinem suum impiè est persecutus. I. ETHELWOLDUS REDIT IN ANGLIAM. Enimverò Danus, dum solus in Christi cultores pugnat; ingentia provinciis damna intulerat; quid facturus, si cives inter se committat, & habeat Principem, Regio sanguine tumentem; qui vires augeat, factionemque promoveat? Igitur Etelwoldus in patriam reversus; cum barbarorum fortissimis, Northumbriam repetit: non jam temerè, ut antea; sed consulto, & ex arte præliaturus. Quamobrem pellectis in societatem Danis; & Erico eorum Rege, *Anglico nomini infestissimo*, inquit Polydorus. qui Gurmundo in Estangliâ successerat; ingentem collegit exercitum; qui vicinis provinciis formidandus, non immeritò timorem incussit præsertim ubi cæptis fortuna arrisit, & dedit felicitatis rudimentum aliquod. DANIS JUNCTUS EDOARDUM IMPUGNAT. *Polyd. l. 6.* Verùm tanto crimine parta felicitas; diuturna esse non potuit: & Christianum Principem, infideles armare in patriam, propinquos, & Deum suum; scelus erat nulla hostia expiandum. Noluit ergo Deus pessimi facinoris authorem diu superstitem: & regnum sine Deo meditantem, regno statim ac vitâ privavit. quod licet authores aliqui in annum præsentem referant: meliùs tamen Ethelwaldi crimina, & divina in eum vindicta, in duos annos dividuntur.

II. ETHELWOLDUS IN ESSEXIOS PUGNAT. *Huntind. fol 352.* Prima Ethelwaldi expeditio in Essexienses fuit; *qui sine mora*, inquit Huntindonius, *subditi sunt.* non ita, qui Cantium incolebant. Nam fortiter hosti resistentes; eundem profligarunt. De quo Rogerus Hovedenus: *Anno*, inquit, *nongentesimo secundo, Cantuarienses, cum multitudine Danicorum piratarum; in loco qui Holme dicitur; pugnaverunt,*

& victores

A CANTIO REJICITUR. *Hoveden. hic.*

& victores extiterunt. Sed non quievit à prædâ Ethelwaldus, qui ad Orientales Anglos progressus; ubi Danorum erant plurimi, terrestri prælio provincias devastavit: inde in Mercios profectus; cùm militi solvendo non esset; domorum spolia, & agrorum proventus, permisit illi militiæ stipendium. Et hæc quidem satis feliciter. Necdum enim potuit Edoardus Rex militem scribere; tam numeroso exercitui parem: aut hostem insequi, non uno loco consistentem.

ANNUS CHRISTI 903.

JOANNIS IX. PAPÆ 3.

EDOARDI ANGLORUM REG. 3.

I. ETHELWALDUS MERCIORUM PROVINCIAM TURBAT. *Wigorn. an. 903.*

ANNO Christi nongentesimo tertio, Edoardus Rex tumultuantem adversarium hostiliter aggressus; eundem fortissimè debellavit. Cùm enim Ethelwoldus è Merciorum provinciâ, ubi ferro, flammáque omnia miscuerat; collegisset spolia; iis onustus, *tandem Creccanfordam usq; pervenit* (inquit Wigorniensis) locus est ad Occidentem Insulæ, quem vulgus hodie Creekelade vocat; aut certè Greekelade; à græcis fortè philosophis, quos Oxoniensis historia Academiam ibi instituisse prodit, translatam post Oxoniam. Nisi dixeris hoc sopere Saturni, & fabularum sæculum: in quo Oxoniensis schola, cum Saturno certat de jure præcedendi. Inde Ethelwoldus, transito fluvio, qui civitatem alluit: *& peragratâ* *Idem suprà.* *silvâ, qua Saxenicè Bradene vocatur* (inquit ille qui suprà) *villas circumcirca positas invadit: & quæ reperiunt milites, diripiunt.*

II. Non dormivit interea Edoardus Rex: sed vigili animo studuit mederi malo; quod eò nocentiùs Reip. imminebat; quò propiùs inter domesticos, & in ipso Regio sanguine, grassabatur. Habebat jam ipse expeditum militem; quem noluit tamen, nisi maturis rebus, hosti opponere. Nunc autem, cognito per exploratores, per lacrymas provincialium, per legationes urbium, hostem ferocire; & ad impietatis profundum devenisse: non porrò cunctandum ratus, in Ethelwoldum, & barbaros omnes, classicum cani jubet, & in Occidentem tendere. Quod ubi Danis innotuit, & Regem accinctum esse: Ethelwoldus, iratum exercitum operiri noluit; sed festinato itinere, ingenti prædâ, & usurpatâ tantisper tyrannide tumidus, in Estangliam redit; positurus in fugâ potiùs, quàm in militum virtute, præsidium. Edoardus redeuntem excipit in Icenis, & Suffolciensi agro, ubi nobile fossatum, à Sancto Edmundo dictum, provinciam distinguit. Egregiè eo in loco excussæ prædonum sarcinæ; & sumptum de perfidis supplicium fuisset: si Cantuarienses, qui Edoardo militabant, Imperatoris jussa obivissent. Nam purgato agro; cùm universus Regis exercitus recedere debuisset: Illi, sive suis viribus nimiùm confisi; sive majoris prædæ avidi; remanserunt: reversúsque barbarus, palantes offendit; & nobilissimum quemque interfecit. Illi tamen priusquam caderent, fortissimè pugnantes, Ethelwoldum factionis Principem, Regémque Ericum obtruncarunt. Cruentum sine

ETHELWALDUS ET ERICUS CADUNT.

dubio certamen fuit, & multo illustrium virorum sanguine stetit: adeò, ut quis de victoriâ gloriari posset, obscurum manserit. Ethelwerdus victorem Danum, Malmesburiensis victum appellat. Consentiunt omnes, peractâ pugnâ, & occisis Danorum Principibus; utrinque pro pace intercessum.

III. Succiso pessimæ factionis capite; fuerunt adhuc in Oriente, Danorum Principes aliqui, tyrannidem præsumentes: sed brevi, Edoardi virtute, factum, ut Orientalis provincia Anglorum Regis imperio cesserit. Sic Malmesburiensem intelligo, de Orientalium Anglorum regno scribentem; & occasum ejus ita narrantem. *In Orientali Saxoniâ*, inquit, *Guthrum Rex Danus* (Gormundum notat, quem à Baptismo Athelstanum vocavimus) *regnavit annis duodecim tempore Regis Alfredi. Guthrum habuit Successorem æque Danum, nomine Eoric: qui cùm regnasset annis quatuordecim, peremptus est ab Anglis; eò quòd inciviliter in eos egisset. Nec tamen eis libertas assurrexit, Danorum Comitibus, vel eos prementibus, vel in VVest-Saxonum Reges acuentibus: donec Edoardus, filius Alfredi, ambas provincias, expulsis Danis, liberatis Anglis, suo, hoc est, VVest-Saxonico imperio adjecit:* de quo infrà. hic solùm adverto, Erici Danorum Regis mortem benè consignari. Nam qui successit Gurmundo, ad annum octingentesimum octogesimum nonum, ut ibi diximus; & regnavit annis quatuordecim, ut supra Malmesberiensis; benè hoc anno interfectus ponitur; & Anglorum provinciis pacem reliquisse. *Malmesb. de Reg. l. 2. c. 5.*

IV. WINTONIENSIS ECCLESIÆ CONSECRATIO.

Inter bellorum strepitus; Grimbaldus novi sui monasterii structuram urgebat adeo feliciter; ut biennio vix expleto illud absolverit. Quo perfecto restabat loci consecratio: quam, ut Deus olim à Moysi, sic ab omni sæculo, fieri jubet: quia domum ejus decet sanctitudo. Grimbaldus itaque Regem, proceres, populumque vocat ad dedicationis solennia, quæ à Wintoniensibus Annalibus referuntur in hunc modum. *Post gloriosam verò, laudabilemq; perfectionem monasterii, gaudens de ejus loci potioribus incrementis, Grimbaldus, nobilissimum Regem Edouardum adiit: qui nemini in temporali gloriâ, vel divinitatis amore secundus extitit: atque devotissimè pro dedicatione eum admonuit. Qui Rex gloriosus, non segnis executor sanctæ monitionis; imperiali authoritate Reverendissimum Plymundum Archiepiscopum, cum reliquis personis, quas discernebat aut dignitas ordinis, aut sexus corporis, ad hoc divinum opus coadunavit. Interfuerunt etiam nobilissimi viri, de gente Anglorum, ac infinitus fidelium populorum numerus: & dedicaverunt venerabilem, & Deo dilectam basilicam, in honore Sanctæ Trinitatis, individuæq; Unitatis. necnon in veneratione Sanctæ Dei genetricis Mariæ, perpetuæq; Virginis, Sanctorumq; Apostolorum Petri & Pauli, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo tertio. Et ut decebat opus Regium, novum monasterium illud nuncupaverunt; ad distinctionem vetusti monasterii. Rex autem, qui non piger erat imitator paternæ virtutis; locum istum terris, & ædificiis ditavit, & multiplicibus ornamentis honoravit, ac expensis exterioribus delegavit. Nec non & clericorum congregationem, qui officium divinum adimplerent, instituit; quibus Sanctum Patrem Grimbaldum, verbis operibusq; eximium, præfecit. Obtulere etiam spectabiles viri, de gente Anglorum, in die dedicationis, quædam prædia,* *Annales de Hida.*

patroci-

patrocinante Rege; ut memoria animarum illorum esset in illo loco, in perpetuâ benedictione.

V. PRO QUIBUS EXTRUCTUM NOVUM MONASTERIUM. Cùm audis novo monasterio additam clericorum congregationem, ad divinum officium decantandum: noli existimare id sæculari clero extructum esse: sed ex ipsa verbi notione, & praxi omnium sæculorum collige, monasticæ vitæ studiosis, & in sacris ordinibus constitutis, illisque erudiendis positum, qui vale mundo, rebúsque sæculi dicto, contemplationis dulcedini inhærebant. Sed quoniam hujuscemodi loca laudes Deo solenniter dicere, populo Dei verbum, & Sacramenta dispensare debuerunt; quæ monasticæ vitæ tyrones, à mentalibus exercitiis nimiùm avocarent; clericorum fortè sæcularium ad id auxilio opus erat: ut etiam in nascente Anglo-Saxonum Ecclesiâ, ab Augustino, Mellito, priinisque monasticæ vitæ doctoribus, factum vidimus. Enimverò Grimbaldus è Belgio, non ideò vocatus est; ut sæculares Sacerdotes in conjugio vivere doceret; quod valdè cupiunt Novatores, sed vir in severiori disciplinâ versatus, languentem in Insulâ monachorum ordinem doctissimè excitare potuit: adeóque electus, ut monasticæ perfectionis tyrocinium Wintoniæ poneret, in novo quod ædificatum est cœnobio. Quod ab ipso feliciter cæptum, cita mors sequuta, perficere non potuit. Unde quod in ejus vitâ legitur apud Capgravium, simpliciter intelligendum est; *Sanctum Grimbaldum monachum, litteratura & cantu peritum, de* (Capgrav. in Grimbaldo.) *partibus Galliæ ascivit Rex Alfredus West-Saxonum, & constructo apud Wintoniam novo monasterio, eum Abbatem constituit. Qui congregatâ monachorum catervâ, Abbas & Doctor eorum venerabilis effectus, literis & moribus discipulos instruxit.* Hæc, inquam, ad prædictorum sensum exponenda sunt. Alfredus eum futuro monasterio Abbatem designaverat, qui monachorum catervæ præesset; & præfuisset sanè monachorum multitudini, si Deus vitam & annos indulsisset. Sed qui sequenti anno moritur, plures interim è clero fortè sæculari quàm monachos collegerat. Quod ille molestè ferens, petiit animæ suæ ut moreretur, de quo anno sequenti. nunc alia dedicationis solennia videamus.

VI. (* v. an. 337. n. 6. & 387. 5.) SANCTORUM RELIQUIÆ IN ECCLESIIS INFERUNTUR. Dixi supra*, non uno in loco; & Magnus Constantinus id probè didicerat: ad Ecclesiæ consecrationem, Sanctorum reliquias, de more, conquiri; & religiosè in Ecclesiâ deponi consuevisse. Id factum hoc anno, cum Plegmundus Episcopus Wintoniensem Basilicam Sanctissimæ Trinitati dedicavit. Enimvero cum infideles Galliarum partes hoc anno prædarentur; Christiani Sanctorum reliquias (ut omni semper sæculo, eorum tyrannidi subtrahentes) eas ad tutiora loca transtulerunt. Et quia Edoardi Regis virtus, felicitásque jam passim exteris innotuerat; plures etiam invitaverat; ut sub ejus umbrâ patrocinium quærerent. Quamobrem, ut olim, cùm Saxo Britanniam vexaret; fideles hinc, cum Sanctorum reliquiis in Gallias migraverunt. Ita nunc, vice versa, cum Gallis, sibi, Ecclesiis, Sanctisque timerent: ipsi in Angliam, & cum ipsis Sanctorum reliquiæ, navigarunt. Hac usus occasione

S. JUDOCI RELIQUIÆ. (* an. 653. n.) Grimbaldus, S. Judoci reliquias nactus, in basilicâ recens extructâ illas deposuit. Et quia è Regio Britannorum sanguine, ut suo* loco dictum, Sanctus descenderat; & magnâ sanctitatis opinione, Gallias impleverat; magnâ hic reverentiâ, cultúque excipitur, à provinciâ: & ipse vicissim, civibus, cum opus, mirabiliter adfuit. Quæ omnia, novi monasterii Annales, cùm Basilicæ dedicationem, & illius ritus solennia recensent, in hunc modum referunt.

VII. (Annales Wintonien.) *Eodem tempore, invidens diabolus Ecclesiæ felicitatibus; & peccatis hominum illic habitantium exigentibus; permisit Deus territorium Pontivorum flagellari incursionibus inimicorum. In quâ incursione, urbes destructa, monasteria eversa, & Ecclesiæ incensa, & provincia est depopulata. Quapropter cultores terræ fugerunt, & terram derelinquentes, reliquias, & pignora Sanctorum secum asportaverunt: & ad Sanctum Grimbaldum, quidam nobiles laici, & sapientissimi clerici, & religiosi diversorum monasteriorum monachi; more apum, ad oras Angliæ commigrarunt: atque etiam sacratissima membra Confessoris Christi Iudoci, è transmarinis partibus adduxerunt. Quem Sanctissimus Pater, cum splendidissimo clero sibi commisso, & cum infinitâ turbâ fidelium populorum excepit; magno exhilaratus gaudio, atque in novo, quod ædificaverat, deponens monasterio: in quo magnis honoribus venerabiliter honoratur usque hodie à populo. Hic Sanctus, quanti meriti apud Deum maneat in cælis, comprobat pretiosissima vita & ejus factis descripta: Et quòd in hoc monasterio sint ejus* (CUM CULTU EXCIPIUNTUR.) *sacratissima ossa, ostendunt plurima miracula hic divinitùs per eum operata.* Hæc ibi. Plura dixi de Sancto Judoco, ad annum Christi 653. quo tempore cœlo donatus creditur. Ibi dixi, è Pontivo pago, translatum ejus corpus, ad Ecclesiam de Parnis, monachis Uuiccosibus commissam: cùm priùs Magnus Carolus Abbatialem Ecclesiam eidem erexisset. Unde facilè fuit, ossa aliqua ad novæ Basilicæ constructionem in Angliam deferri. Nam graviter conqueruntur Magdeburgici, centuria decima: *Quòd Sanctorum reliquias & ossa,* (Cent. 10. fo. 332.) *colligendi, effodiendi, transferendi, & religiosè colendi superstitio, hoc etiam sæculo, in frequenti usu fuit.* Ita ipsi. Sed cùm supra, omni sæculo, religiosum illum morem fuisse, probaverim; illi factiosi esse cōvincuntur, & in omnes majores impii.

ANNUS CHRISTI 904.

JOANNIS IX. PAPÆ 4.

EDOARDI ANGLORUM REG. 4.

I. EXTINCTIS TYRANNIS QUIESCIT INSULA. SEQUITUR Christi annus nongentesimus quartus; quo novæ tyrannidis extinctâ nuper flammâ, magna Insulæ quies, Edoardo Regi regnoque serenitas, illuxit: quando *paganorum exercitus de Estangliâ, & Northumbriâ* (ita loquitur Hovedenus) *invictum esse Regem Edoardum scientes; pacem cum eo faciunt, in loco qui lingua Anglorum* (Hoveden. hic.) *Thitingaford dicitur.* Hunc locum Huntindonius Itingford vocat; aitque constitutas inducias, anno quinto Regis Edoardi: quod ideo dictum, quia ultimum Alfredi Regis annum, Edoardi primum dixerat. quod ad locum spectat, quia nemo illum indicat, suspicio est, propè oppidum illud fuisse, quod olim Ithancester, Bedæ sæculo dicebatur: quodque nunc, Oceani injuriâ, terram deprædantis, evanuit. Locus est in Trinobantibus, & Essexiensi agro; ubi obliteratâ urbe; quæ Saxonum

dialecto Cester erat; cum vadum solummodo remansisset; ab eo locum Ithanford placuit appellari. Addit Westmonasteriensis: *His ita gestis, Rex quosdam sibi per Angliam, & maximè cives Londinenses, & Oxonienses, ad debitam subjectionem revocavit.* nimirum qui Ethelwaldi factionem sequuti fuerant.

II. Ro. Pontifex jubet Episcopos per provincias institui.

Dum Rex in Rep. componenda strenuè laborat; nescio quis Romanum Pontificem monuit; plures per Insulam Ecclesias pastoribus destitutas, non solùm bellorum incommoda sensisse; sed infidelium Danorum commercio, periculum animabus esse; quæ duce carentes, facilè aberrare possent, ad nociva pascua. Crescebat hoc accusationis caput; quod nullus in Occidentalium Saxonum regno, quod latissimè patet; jam inde à septennio, Episcopus sedisset: quod revera sanctiori Reip. incommodum, ad summi Pontificis curam spectabat. Ægrè id tulit Romanus Pontifex, & pro ratione muneris, gravibus literis Edoardum Regem monet, & excommunicationis fulmen intentat; nisi Canonicis decretis, de instituendis Episcopis, major reverentia habeatur. Terruit, & meritò pium, Regem Pontificia comminatio; & vocatis ad Synodum utriusque Reip. proceribus: communi suffragio sancitum est; justissimæ querelæ locum, & Apostolico præcepto de more majorum, obsequium dandum. Refert hæc omnia Malmesburiensis, sed Formosum nominat, qui dudum Sedem Joanni reliquerat. Ait ergò: *Anno, quo à Nativitate Domini transacti sunt anni nongenti quatuor, misit Papa Formosus in Angliam Epistolas; quibus dabat Excommunicationem, & maledictionem Regi Edoardo, & omnibus subjectis ejus; pro benedictione, quam dederat Beatus Gregorius genti Anglorum, à Sede Sancti Petri. Nam per septem annos plenos, destituta fuerat Episcopis, omnis regio Gevisorum, id est West-Saxonum. Quo audito, congregavit Rex Edwardus Synodum Senatorum gentis Anglorum; cui præsidebat Pleymundus Archiepiscopus Cantuariensis, interpretans districtè verba Apostolica legationis.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 5.

III. Baronius hæc recitat anno 894. quo revera Formosus Romæ sedebat: & addit ex eodem Malmesburiensi literas, in Angliam datas hujus ferè argumenti: quas ego eo anno recensui, quia dari à Formoso potuerunt. Verùm quod ad querimoniam spectat, de vacatione Sedium; præsertim in Occidente, ob quam Edoardus Rex arguitur: nullo modo in Formosi tempora cadere potest: cum nec Edoardus tum rerum potiretur; & suos Occidentia Ecclesiæ Episcopos haberent. Cæterùm cum Ethelwardum Schireburnensem, & Denewulfum Wintoniensem, mortuos scripserimus, anno saltem octingentesimo nonagesimo nono: inde ad hunc annum descendendo; diu Occidentis Ecclesias vacasse reperimus. Quod si Edoardi Synodum referimus in annum 905. ut refert Westmonasteriensis, optimè numerantur anni septem vacationis Ecclesiarum. Quoniam ergò Edoardum Regem constat Pontificiis literis integrè obsecutum: & novi præsules, non ante annum 906. instituti videntur: opinor, Romanum Pontificem Joannem; non Formosum, hoc anno 904. Angliam, & Regem terruisse: & Synodum sequenti coactam esse. nunc ad hujus anni magis propria.

IV. Coëuntium animorum pacem lætitiámque publicam, duorum hoc anno mors turbavit: nimirum Grimbaldi Abbatis, & Alswithæ Alfredi conjugis, Edoardi matris. uterque integritate vitæ celebris, locum in cœlis, & in nostro Martyrologio, inter Sanctos meruit. Et utrumque conjunxit Baronius, ita scribens ad hunc annum: *Hoc eodem anno sanctus Grimbaldus presbyter, vir magnæ sanctitatis in Angliâ, ex hac vitâ migravit: simulq́ue religiosissima fœmina Alswitha Regina, mater Edoardi Regis Anglorum. Hæc exhibent veteres Annales Anglorum, ex quibus Matthæus Westmonasteriensis suam historiam texuit.* Ita ille, compendio referens, quæ debeo paullò latiùs explicare. Imprimis dicendum de Alswitha: ipsam à morte conjugis, in monasterio monialium, quod suis sumptibus Wintoniæ erexerat, sanctè vixisse: & cum quadriennio in virtutum stadio feliciter cucurrisset; immortalitatis bravium hoc anno meritum esse. Quam Edoardus filius defunctam flevit: & unà cum Alfredi corpore, quod hactenus in veteri monasterio jacuerat; in novo condi mandavit. juxta paternæ voluntatis tabulas ultimas. Unde in Wintoniensibus Annalibus sic scriptum legimus. *Benignissimus autem Rex* (Edoardus) *non impos sui voti, hoc quod diu corde tractaverat, occasionibus justis efficere voluit: ossaq́ue & cineres patris sui Alfredi, quæ tradita sepulturæ fuerant in monasterio veteri; transtulit in sacratissimo loco propriæ ædificationis, cum apparatibus regali magnificentiâ dignis. In quo monasterio, etiam matrem suam Deo amabilem fœminam, & cum honore vocitandam Elswytham tumulavit: quæ fuit ædificatrix monasterii monialium, quod est Wintoniæ, in quo diversarum specierum dona obtulit: ut cum Sanctis esset resurrectura in gloriâ perpetuæ felicitatis.* Ita ibi. Hinc corrige Martyrologium nostrum, ubi hæc Sancta Regina, Ethelwida vocatur, diciturque Wiltoniæ mortua, anno 904. in agro Wiltunensi, cum ibi monasterium extruxisset: nam quicquid sit de Reginæ nomine, quod variè scribitur: ipsa Wintoniæ in agro Hamptoniensi monasterium posuit, ubi sanctè vixit, ac demum ibi sub hunc annum mortua, sepulturam accepit.

Grimbaldus et Alswitha Regina moriuntur.

Baron. hoc n. 10.

Vidua in monasterio Wintoniensi vixit.

V. Ad Grimbaldum quod attinet; præcesserunt aliqua mortem ejus, quæ merentur Annalibus consignari. Illud imprimis, quod Edoardus Rex, novo monasterio donasse legitur, hoc ipso anno, priùs quàm Grimbaldus vivere desiisset. Extat in sæpedictis Annalibus, regium diploma, quod sic inscribitur. *Sequitur donatio Regis Edoardi senioris, cujusdam portiunculæ terræ, apud Micheldefer, pro recreatione fratrum in Refectorio de Hida, ibidem recreantium; anno regni sui quarto, concessa Sancto Grimbaldo, qui vixit post coronationem prædicti Edoardi solummodo tribus annis completè: & insuper aliquanto tempore in quarto anno coronationis prædicti Regis Edoardi.*

VI. Charta Edoardi Regis pro novo monasterio Wintoniæ.

Dispensante & gubernante Domino nostro IESV CHRISTO incommutabiliter omnia visibilia & invisibilia: Quamvis verba Regum, & procerum decreta, velut fundamenta montium, ad modicum fixa videantur. tamen plerumque tempestates, & turbines sæcularium rerum, regnorum statuta incessanter quatiunt. Quapropter literarum memoriæ commendare procuravi, Ego Edoardus Rex Anglorum; quod pro æternâ redemptione animæ meæ dedi ad monasterium Wintoniensis Ecclesiæ Sancti Petri, decem mansas, at Micheldefer, intùs ad refectorium fratrum Christo ibi servientium. Et has portiones; cum consensu

*optimatum meorum, quorum nomina infrascripta habentur; eidem familia in perpetuam concessi hæreditatem; cum omnibus ad se pertinentibus, silvis, campis, pratis, pascuis, & etiam piscium captura, habendas & possidendas: & etiam suis Successoribus, in eodem refectorio relinquendas. Eâ autem conditione data sunt illa decem prædicta * ab omnibus sæcularibus negotiis excepta expeditione, & pontis, & arcis constructione. Et hoc Dei Omnipotentis simul & meâ authoritate confirmatum est æterno chirographo; in Cruce Domini, & Salvatoris nostri IESV CHRISTI. Si quis hanc nostram donationem & commodationem custodire, & augere voluerit: custodiat illum Deus, & augeat sibi omnia bona præsentis & futuræ vitæ. Sin verò minuere, vel infringere mala mente voluerit: Sciat se in horrendo illo die severi examinis, coram summo Iudice inevitabilem redditurum rationem: nisi hic priùs dignâ emendaverit pœnitentiâ. Hu terminus præfatum jus undique gyratur.*

* videtur aliquid deesse.

VII. *Isti sunt termini terrarum de Micheldefer. Imprimis incipe apud Micheldefer, per longum limitosi vias procedendo, quousque perveneris ad Zabulosum puteum. Deinde per longum antiquam illam valliculam. Ex tunc pertranseat terram defossam jacentem, in illos duos longissimos pontes, pertinentes ad paludosum pratum de VVorthy. Deinde pertranseas per longum pratum illud paludosum de villa de VVorthy, ad marginem superius Frithelingdiche. Tunc ab illa margine, ad australem partem. Et tunc per longum, foveam illam ad limitem illum vocatum Firdgat. Ab illo loco ad Denverdis alveolum. Ab eo loco ad VVegletan. A VVegletan per Aquilonem rectè ad VVaddanigh. Sic ad inerа torrenticulum, de quousque perveneris ad Micheldefer. Hac autem charticula, anno Dominicæ Incarnationis nonagesimo quarto, Indictione septimâ, scripta est, in illa venatoria villa, qua Saxonicè dicitur Bican-leag, coram veridicis testibus, quorum nomina subter taxata sunt. † Edeward Rex. † Pleymund Archbiss. † Denevulf Episcopus. † Asset Episcopus. † VVlfsig Episcopus. † Ordulf Dux. † Osulf Dux. † Ordgar Dux. † Heanford Dux. † Aeswald Dux. † Æthelweard filius Regis. † Loban Presb. &c.*
Sequuntur alia Presbyterorum, & Diaconorum nomina. quæ nisi sinceriùs, quàm præcedentia asserantur, omitti potuissent. Cùm enim Romam usque nunnatum sit, Occidentis Ecclesias, jam dudum viduas fuisse; imperitè admodum fingitur Denevulfum Wintoniensem, & Asserum Schirburnensem, superstites esse, & hoc anno diplomati subscripsisse.

VIII. GRIMBALDUS ANTE MORTEM QUÆ EGERIT? *Annales de Hida.*

Grimbaldus non diu fruitur Regiâ munificentiâ: nam eodem anno moritur, cum prius monasticæ vitæ instituta, monachis relinquere, eorum numerum augere, & clerum laxiùs viventem, inde ejicere laborasset. Sic enim intelligo, quæ Wintonienses Annales de Grimbaldo referunt, in hunc modum. *Dehinc labente processu parvi temporis; Sanctus Pater Grimbaldus, intertem turbam nobilium clericorum, qui hic habitabant, voluit eliminare: atque monachis Deo servientibus hunc locum Regali privilegio ad inhabitandum dare. Quippe senio confectus, sui propositum quod susceperat, tenuit arte; ut ferventiùs multò quàm inchoaverat ante, Omnipotenti Domino procuraret servire. Pro qua re non facilè volebat usquiam de monasterio egredi. sed diversis personis, & ministratoribus deputatis; assiduus erat in orationibus, & jejuniis. Et si quando, quod tardè evenerat, exibat; in admonitionibus populi insudabat: ut si commisissent populi aliqua errata, & paterentur dæmonum tentamina: unusquisque timens diem judicii, & suæ vocationis, lacrymis & eleemosynis redimeret sua facta. Hac admonitione Sancti viri, omnes auditores discedebant: sed non sine gaudio consolationis. Nam dolentes & mæstos, pro cujuslibet famulatus actione, exhilarabat ore suo affamine. Et quod mirum est dictu, nihil locuit sermonibus, quod non habebat in actibus*

IX. *Expletis igitur in regimine clericorum; quatuor septimanis, postquam monasterium dedicatum fuit; deliberavit, ut supra scripsi, Sanctus Pater Grimbaldus, in operibus istius elegantis fabricæ, monachos imponere. Sed prævidit in spiritu diem transitus sui appropinquare; quo mercedem bonorum operum, à Christo IESV deberet recipere, pro certaminis labore. Et ideò voluntatem suam, in congregandis fratribus non potuit explere.* Ita ibi. Unde Lector facilè colliget, Alfredi & Edoardi Regum mentem fuisse, monachos in Wintoniensi cœnobio, non clericos instituere. quod non solùm monasterii nomen, locique appellatio: sed Grimbaldi etiam morientis conamen, & solicitudo, probant. Ipse enim, rationem factorum omnium, brevi Deo redditurus; fundatorum consilium mentémque integerrimè sequi, non evertere, voluisset. Vidit ergò consiliorum omnium sine dubio conscius; & sui muneris esse putavit: suum cuique tribuere: & monachos introducere, quod monachis intentum, ad eorum jura pertinebat. Facessant ergò, qui olim imperitè pro clericis advocabant: & qui nuper dixere Alfredum & Edoardum, novum monasterium *conjugatis Sacerdotibus*, posuisse. Nam utrique contentionis funem indoctè trahunt, nec Regum mentem, ut Grimbaldus, inspiciunt. Quis enim crederet, virum, ab ineunte ætate inter monachos versatum, in monasticâ disciplinâ exercitatum, imò dudum monachis præpositum, in celeberrimo S. Bertini cœnobio: eaque de causâ in Angliam invitatum, ut languentem ordinem excitaret: jam senem, annis & ætate gravem, ad sæcularium clericorum negotia descendisse: aut monasterii structuram tam impensè ursisse; ut aliis intenderet, quàm quæ monachorum propria, cum pietate essent conjuncta. Certum igitur est, Grimbaldum, *qui prævidit in spiritu diem transitus sui* appropinquare: pro debito officii sui, & fundatorum mente; integerrimè conatum esse: quod & indubiè effecisset, si vita productior conanti adfuisset. Verùm qui quatuor solùm septimanis ab Ecclesiæ dedicatione, de monachis inducendis consilium cepit; & paulò post vicinam mortem intelligens, debuit mentem à negotiorum mole avertere, & sibi soli, animæque consulere. Unde sequitur in supradictis Annalibus.

X. DE TEMPORE MORTIS GRIMBALDI.

Secretiùs itaque, & remotiùs infra monasterium (Grimbaldus) habitare cœpit: nec omninò quid sæculare volebat audire, vel loqui. Et tantæ virtutibus clarus, & perfectus, tempore illo apparuit; ut cunctis, qui videre eum meruerant, exemplum benè vivendi, & terrorem judicii futuri præbuerit. Exemplum quidem, quod in infirmitate laborantem, ita eum in Psalmis & Hymnis sæpissimè videbant intentum, & cœlum crebriùs respicientem: ut ipsi qui sani erant, imitari eum penitus non valerent. Sic occasionem infirmitatis, Sanctus vir fecit esse virtutis. Nec languor imbecillitatis corporeæ, liberum animum illius

potuit impedire. Sed juxta vocem Apostoli, quando plùs infirmabatur, tunc potens & fortior videbatur. Ita cruciatus infirmitatis materiam præbuit cunctis eum videntibus patientiæ & sanctitatis. Hactenus Annales: nec plura referunt de morte ejus. Aliunde tamen constat hoc anno mortuum, ad octavum Julii. Quod è supradictis etiam colligi potest. Nam Regiæ marta inscriptio, habet eum post Edoardi coronationem tribus tantùm annis completè superstitem, & insuper aliquanto tempore. Cùm ergò Edoardus coronam acceperit in Pentecoste anni 901. inde, ad Julium hujus anni, tres anni completi sunt, & unus alterve mensis. Unde non malè in pluribus Martyrologiis Grimbaldi nomen inter Sanctos scribitur, ad octavum Julii.

XL. *Gal. Mart. 8. Iulii.* Et quidem Gallicani Fasti, de eo hæc habent. *Ipso die* (8. Julii) *Sancti Grimbaldi Abbatis & Confessoris, qui Tarvanna Morinorum ortundus, vix adhuc a pueritiâ, Bertinensibus monachis apud Audomaropolim sese adjunxit: ubi magnos pietatis & doctrinæ fructus cum edidisset: demum in Angliam trajecit, ab Alfredo VVest-Saxonum Rege, ob claram sanctitatis famam, evocatus. A quo Abbas constitutus novi monasterii apud VVintoniam, ingenti cum virtutum incremento munus exorsus; ea laude peregit, quâ, commisso gregi tramite veræ felicitatis, omni exemplo sanctitatis propalato, eandem ipse, apud Deum, dignus supernæ mercedis repertus fidus gratiæ cooperarius consequi promeruit lauream.* His simillia habent Fasti Belgici: & addunt. *Vitam ejus scripsit Gotzelinus monachus Bertinensis, à Sancto Anselmo Archiepiscopo, Cantuariam, ad S. Augustini cœnobium evocatus. Quo in loco, non solùm Grimbaldi: sed & vitas Sanctorum Augustini, Laurentii, Swithuni, Erkenwaldi, Ivonis, Eadgithæ, Milburgæ, & VVitteburgæ descripsit.*

Miræus 8. Iulii. Gotzelinus monachus. Capgravius etiam, aut quisquis ejus vitam recensuit apud eum, hæc breviter de morte, & sanctitate ejus. *Grimbaldus*, inquit, *eleemosynis deditus, orationibus devotus, vigiliis assiduus, & omnibus bonis exemplis plenus, in senectute bonâ, octavo idus Iulii terras reliquit, & pro operibus Deo placitis, præmia in cælo recepit. Apud VVintoniam in monasterio, ab eventu, Hida vocato, corpus ejus in magnâ veneratione habetur.*

ANNUS CHRISTI 905.

BENEDICTI IV. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 5.

I. Vacant Episcoporum Sedes. Dixi suprà, Romanum Pontificem, Anglis iratum, ob luctum Ecclesiarum; quæ plures jam annos viduæ manserant. Hunc Rom. Pontificem, Malmesburiensis Formosum appellavit; qui, quia nec tempori, nec Edoardi regno respondet, authores alii, Pontificem alium nominant.
Polyd. l. 6. Polydorus Virgilius: *Per idem tempora*, inquit, *Christiana pietas, multùm apud Occiduos Anglos frigescebat: quia nullus in eâ regione erat Episcopus, qui populum doceret: ejusq; rei culpa in Regem residebat: quod per eum, qui magis bello, quam rei divinæ inserviret; non liceret Sacerdotibus suo officio fungi. Quare Ioannes decimus Pontifex Romanus, valde commotus, per literas Edoardum valde castigavit; minatusq; est se illum unà cum populo, religionis hostem denunciaturum; nisi maturè accerseret Episcopos, qui pristinam religionis disciplinam, servandam curarent.* Magdeburgici quatuor, hæc recensentes, Romanum Pontificem Joannem undecimum appellarunt. Sed illi factiosi sunt, & amant schismata. Nos factionem, aversantes; & qui non intrant per ostium in ovile ovium, sed aliunde ascendunt, fures & latrones, non Romanos Pontifices agnoscimus. Ideo hactenus, novem tantum qui Joannis nomine censerentur, in Petri cathedra sedisse diximus: & nonum fuisse putamus, Edoardo regnóque iratum: & qui, cum sanctiorem Rempublicam administrasset annos tres, dies quindecim; locum cessit Benedicto, ejus nominis quarto, anno Christi nongentesimo quinto. Joan. IX. moritur: Succedit Benedictus IV.

II. Non obstante Romani Pontificis morte; Edoardus Rex Apostolico mandato paruit; & Ecclesiarum præsides ad Synodum vocavit, ut primæ Sedi obedientia præstaretur: quod hoc anno factum putamus: Nam ita Westmonasteriensis: *Westm. hic.* *Eodem anno* (905.) *Rex magnificus Edwardus, & Plegmundus Archiepiscopus collegerunt concilium grande Episcoporum, Abbatum, & fidelium populorum, in provincia Gewisseorum: id est, in eâ parte Angliæ, quæ in plaga australi sita est fluminis Thamesis. Fuerat autem Regio illa, jam per septennium propter hostilem incursionem, Episcoporum sollicitudine, & cura pastorali destituta.* Ita ille, de loco & causâ Synodi. Quinam nominatim ad conventum, præter Edoardum Regem, & Plegmundum Antistitem, venerint; non proditur. Quia tamen ibi utriusque Reipublicæ negotia ventilata sunt; ideò signarè satis Authores referunt, utriusque Reip. Principes; Episcopos, inquam, omnes, regnique proceres adfuisse. Et actum imprimis & ante omnia, de orbitate Ecclesiarum; præsertim Occidentis, quæ jam septennio luxerant, pastoribus destitutæ; ut Authores omnes, præter unum Wigorniensem, unanimiter affirmant. Quod enim Author ille, mortem Denulfi Wintoniensis Episcopi consignet ad annum Christi nongentesimum nonum, paradoxum est, & præter mentem sensumque cæterorum. Eorum præsertim, qui vel Romanum Pontificem monuerunt; vel in hac Synodo sententiam dixerunt, & suffecerunt Wintoniensi Ecclesiæ alium Antistitem.

III. Itaque Synodo præfuit *Pleymundus Archiepiscopus Cantuariensis, interpretans districtè verba Apostolicæ legationis*, inquit Malmesburiensis; nimirùm Pontificum Romanorum minas, imperia esse: adeóque illis integrè parendum. hunc sæculorum omnium sensum esse, & in Britannorum, Saxonum, Anglorum, catechismo, inter prima rudimenta. *Malmesb. de Reg. l. 2. c. 5.* Quamobrem cùm * nuper Formosus Papa, scriptis in Angliam literis, monuerit Episcopos omnes gravissimis verbis: *nullam debere moram intercedere subrogandi* alium, cùm quilibet Sacerdotum ex hac vitâ migraverit. peccatum enimverò esse, quòd tamdiu Occidens sine Episcopis fuerit: & meritò eum indignari; cui omnium Ecclesiarum principatum tradidit Christus. Suspicio est, ex hac Formosi Pontificis mentione; quæ sanè opportuna fuit; eorum errorem descendisse, qui anno superiori putaverunt Formosum Edoardo Regi, regnóque comminatum esse: quia fortè Successor ejus, vel certè Pleymundus in Synodo, Formosi ante decennium scribentis

* an. 894. n. 7.

præceptum

præceptum renovaverit. Quicquid sit, tam Rex Edoardus, quàm Patres omnes, procerésque Ecclesiarum, Principi parendum è vestigio censuerunt. Et quò integriùs ejus menti, consilióque obsecundarent; è re, & salute plurimorum fore putaverunt; si non modò vacantibus in Occidente Episcoporum Sedibus, idonei statim sufficerentur; sed plures quoque in amplissimâ provinciâ infulæ essent. Hoc enim fidelium Christianorum numerus, hoc infectionis è Danorum barbarie periculum, postulare: atque ita contractam recens negligentiæ labem elui posse.

IV. Occidentis regnum in quinque Episcoporum Sedes dividitur.

Cæterùm ut hoc majori animorum consensu fieret; decretum est ominem priùs in Wintoniensem, & Schireburnensem Sedem promovendum; quàm divisâ in plures provinciâ, novis in eâ erigendis sedibus; urbes, agri, prædia, assignarentur: quo nulla postmodum, de jure, terminis, imperio, controversia esset. Tunc visum omnibus, Occidentis regnum, amplissimè patens, in quinque Episcoporum Sedes distinguendum; & totidem creandos Ecclesiarum Antistites. Inde porrò progressi, lustratisque provinciis aliis, repertum; Australes quoque Saxones vacantem sedem habere, mortuo Ethelulfo, qui anno 891. * illam ascenderat. Sed & in Merciorum provinciâ, pauciores erant animarum curatores, quàm rerum magnitudo, & temporum difficultas requirebant. Et Ceolredo Legecestrensium Episcopo dudum mortuo, nemo successerat. Conclusum itaque omnium suffragio, Australibus & Merciis novos Antistites assignandos. Actum deinde de viris, integritate vitæ, & literarum scientia præcipuis, qui imponendum animarum onus, cum dignitate, sustinerent. Et commodùm Oxoniensis schola, quæ dudum Alfredi Regis operâ flores emiserat, hujusmodi viros sufficere potuit. Septem ergò à Rege, Synodóque electi, qui magistratum susciperent; Frithestanus, Werstanus, Athelmus, Athelstanus, Aldulfus, Bernegus, atque Cenulfus. quorum quinque in Occidente, unus in Merciis, alter denique ad Austrum, Ecclesiarum procurationem susciperent.

Moritur Ethelulfus Selesiensis Episcopus.

* vide n. 2. vid an. 871. n. 3.

Septem eliguntur Episcopi.

V. Verùm deerant in Occidente trium Episcoporum sedes; si in quinque distingui provincia debet. Laboratum itaque; ut commodè id, & cum minori Wintoniensis, & Schirburnensis Ecclesiæ præjudicio fieret. Quod & factum. Nam Danmonii, & Belgarum agri, qui Cornubienses, Devonienses, & Somersetanum Comitatum continent, remoti satis erant ab antiquis sedibus. Igitur tres illæ provinciæ, ita in tres sedes distinctæ sunt; ut ad Credenum oppidum, in agro Devoniensi, unus esset; qui Bonifacii nostri exemplo (nam inde oriundus in Germaniâ rem benè gesserat) populo, doctrinâ, & vitæ sanctitate præluceret. Nec minus commodè, Somersetensibus alter præesse poterat in urbe Wellensi, ubi elegantes ædes Ina Rex posuerat, à Kenulpho postea dotatas; ut suprà diximus. Denique in remotissimâ provinciâ, quam Cornubiam appellamus, *tertia sedes decreta est ad Sancti Petroci, vulgò Padstow. de quo alibi *. cùm Sanctum Petrocum recensui. Licet aliqui contendant; non ibi, sed potiùs ad Sancti Germani primam sedem fixam esse. De quo ita Malmesburiensis. *Cornubiensium sanè Pontificum succiduum ordinem, nec scio, nec appono? nisi quòd apud Sanctum Petrocum Confessorem fuerit Episcopatus sedes. Locus est apud aquilonares Britones, supra mare, juxta flumen quod dicitur Hegelmithe. Quidam dicunt fuisse ad Sanctum Germanum, juxta flumen Liver, supra mare in australi parte.* Ita ille. Ego putarim non ita fixas à Synodo sedes, hoc primo tempore; quin Episcopi, pro re natâ, potuerint aliò sedem transferre. Unde quicquid sit, de Sancti Petroci Ecclesiâ, scimus alibi etiam solitos Antistites domicilium figere. Sic in eadem Cornubiæ provinciâ legimus, Bodminiæ (hodie Bodman) Episcopi sedem fuisse, priusquam Dani furerent, agrúmque illum divexarent. Tunc autem inde, ad remotius oppidum, quod à S. Germano nomen habet, Episcopi secesserunt. Unde benè de Bodminia scripsit Camdenus. *Hoc celebratissimum est forum, ab ortu in occasum protensum, civibus frequens, &c. Sed clarius olim, ut aliqui volunt, dignitate Episcopali. donec Dani horrificum illud bellum intulerint. Tunc enim oppido, vi Martis perculso; Episcopalis dignitas, ad Sancti Germani fuit translata.* Hinc etiam aliqui affirmant Devoniensem Episcopum; non ad Credenum, sive Creditonam, sed potiùs ad Tawtonam primùm sedisse. Sed causa utrobique eadem: & donec insigniores basilicæ, ad quietem præsules invitarunt; eorum arbitrio permissum est sedem mutare.

Cridiantum. v an 670. 7

Wellensis urbs. v. an. 704. 17. & an. 766. n. 6 7.

* an. 564. n. 1.

Sancti Petroci Sedes.

Malmesb. de Pont. f. 257. princ.

Camden. in Cornuval.

VI. Supererat aliud, quod Patres omnes, & Edoardum Regem tangebat: nimirum hanc novam provinciæ distinctionem, parochiarum divisionem, & sedium Episcopalium erectionem, supra Synodi vires esse; & antiquo hujus Insulæ, sed & omnium regnorum more, ad Rom. Pontificem, Ecclesiarum omnium Principem, pertinere. Benè quidem hactenus, à Rege, & Patribus dictum, factúmque, sed non porrò procedendum, ad novorum Præsulum inaugurationem, Romano Pontifice inconsulto; qui, quod visum in Synodo, decretúmque; ipse majori imperio probaret, firmaretque; ansámque posteris tolleret pro arbitrio reluctandi. Hanc ob causam decreta Romam legatio; & quia maximi momenti res agebatur, Plegmundus ipse, Dorovernensis Episcopus, Synodi præses, omnium gestorum optimè conscius, Orator designatus est; qui Patrum suffragia, Regis consensum, & provinciarum obsequia, fidémque integram, testaretur. de quo Malmesboriensis, qui paucis Synodum absolvit in hunc modum. *Tunc Rex, & Episcopi, elegere sibi suisq. salubre consilium: & juxta vocem Dominicam Messis quidem multa, operarii autem pauci; elegerunt, & constituerunt singulos Episcopos singulis provinciis Gevisorum: & quod olim duo habuerunt, in quinque diviserunt. Acto consilio, Archiepiscopus Romam cum muneribus adiit: Papam cum magna humilitate placavit: Decretum Regis recitavit, quod Apostolico maximè placuit.* Munera, opinor, fuerunt consueta Regis, populique eleemosyna, vel denarii census auctior: nam aliquid è suo Regem addidisse, quod à Principe, ad Principem deferri cum dignitate posset, vix est dubium.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 5. fine.

VII. Ex hac Regis regnique ad Rom. Pontificem legatione, & iis, quæ legationis causa fuerunt; quis non colligeret Angliæ sensum fuisse, summum Ecclesiarum omnium imperium, in Urbe residere. cùm illa jubeat, terreat, imperet: hic summi infimique pareant, timeant, obsequantur.

Vulpius tamen noster, qui acta suorum Martyrum (nimirum hæreticorum) descripsit, contendit: Licet Pleymundus Romam iverit; licet ibi acta Synodi recitaverit: imò licet illa Romæ firmata, probatáque fuerint; supremum tamen Ecclesiarum hujus Insulæ jus, penes Edoardum Regem fuisse: quia ipse Episcopos solus elegit. Quasi verò orthodoxi hodie Principes, eâ eligendi potestate careant, penes quos tamen nulla juris in Ecclesiam dictio. Modestiùs hac vice Camdenus è supradictis collegit, Edoardum non Ecclesiæ Principem, sed nutritium potiùs appellari. Ait enim: *Cùm Romanus Pontifex Edoardum seniorem sacris interdixisset; quòd politia Ecclesiastica in Occidua regni plaga, aperte nutaret; ille, qui se Ecclesiæ nutritium esse novit; tres novos erexit Episcopatus, Cridiensem scilicet, Cornubiensem, & Wellensem; cui Eadulfum primum præfecit Episcopum.* Magdeburgici etiam, dum decimi sæculi sensum aperiunt, planè fatentur; non penes politicos Principes; sed penes Romanum Pontificem, Ecclesiarum imperium fuisse. Ita enim decimam mendaciorum Centuriam auspicantur. *Regnum Episcopi Romani, usque adeo obumbravit, & obnubilavit, hoc sæculo, omnes in Europâ Ecclesias: ut tantum ex ejus nutu, tanquam numinis cujusdam cœlestis penderent; non solum Ecclesiarum, sed ipsi quoque politiarum gubernatores penè omnes.* Frustra ergò constantissimis factis glossemata assuuntur: & Edoardi Fides illustrior est, quàm quæ possit ullo fuco obscurari.

Camden. in Somerset.

Cent. 10 princip.

VIII. QUID ULTRA IN SYNODO ACTUM?

Absolvunt Authores nostri Synodum hujus anni, cùm Plegmundum in Urbem amandant; vel certè, cùm septem Episcopos, à Plegmundo consecratos affirmant. Verùm illa consecratio, cum post reditum ex Urbe, facta fuerit; ut expressit Malmesburiensis; dicamus interim, quid in unum congregati Patres, proceresque, pro communi regni administratione, dixerint. Extant Edoardi Senioris leges, quæ utramque spectant Rempublicam; quas hoc anno, vel sequenti, latas, fatetur Spelmannus; qui solùm Ecclesiasticas recenset: fœdus, inquam, illud, quod Edoardum inter, & Danos, nuper percussum diximus. Ubi, quia passim Authores Ittingfordum nominant, fœderis locum: ideò Spelmannus opinatur leges ibi latas esse. Verùm cum legis latio ad omnes spectat; decuit non summariè, sed consultò ab omnibus probari. Probabile igitur, post sancitum fœdus; Edoardum utriusque Reipublicæ proceres convocasse; tractásseque ea, quæ ad Danorum & Christianorum unionem, & fœderis sanctitatem facerent. Et cur non in hac Synodo; cùm benè Ecclesiis, & illi Reip. consultum esset? Quod si concedatur, tunc hujus Synodi locum conjicimus fuisse, Exoniam, in agro Devoniensi: Nam inter civiles Ednardi leges, quas refert Lambardus in Archæonimia, ita in quarta legitur. *Edonardus Rex Exoniæ commoratus, ac sapientum suorum usus consilio: studiosè perscrutatus est, quo tandem pacto, paci & tranquillitati melius prospiceretur. deprehenderat enim illam minus studiose retineri, quam decebat, atque ipse instituerat. Orabat igitur vehementer, atque obtestabatur, ut eorum quotquot corrigi & emendari velint, communiq; cum eo societate frui. quiq; easdem atq; ille res, terra mariq;, & amore, & odio prosequerentur; hoc unum curent; ne quem injuria afficiant. Qui contra fecerit; primò triginta solidos Regi numerato: secundò si deliquerit, totidem pendito. Si tertiò factitarit 120. solidos præstato.*

Malmesb. de reg. l. 2. c. 5 ...

Inter Leges Edoardi quarta.

IX. Seldenus etiam in Analectis; cùm agit de Synodo, cui Plegmundus præerat, mox subdit. *Circumferuntur etiam Edoardi, quæ Magnatum consilio promulgabantur, instituta; quorum nonnulla & præcipua attexenda duximus.* Quare, cum Spelmannus Edoardi leges Ecclesiasticas, & fœdus cum Danis initum recitet, sub annum nongentesimum quintum, vel sequentem. Huc commodè referri possunt ea omnia, quæ Edoardo Regi tribuuntur; leges, inquam, fœdera & statuta, utramque Remp. spectantia. Cæterùm ego ea solùm hic referam, quæ Ecclesiam tangunt, & fœderis legem, quam nuper Edoardus cum Danis; ut olim ejus parens cum Gurmundo, sive Guthurno, pepigerat. Adverto solùm Guthurni nomen imperitè satis legibus inseri, cum ille dudum obierit, ut suprà dictum*. Nisi velis dicere Guthurni nomen ideò apponi; quia ille priùs eadem cum Alfredo Rege firmaverat. Quod libenter damus: & ipsa legum inscriptio sufficienter probat, quæ est hujusmodi. *Leges Ecclesiasticæ Edoardi Senioris Regis Angliæ, & Guthurni Regis Danorum in East-Angliâ, &c. ab Alvredo Magno, & Guthurno Regibus primùm condita, & tunc denuò ab Edoardo, filio ejusdem Alvredi, & Guthurno fœdus ineuntibus (Itingfordæ, ut videtur) confirmata.*

* an. 889. 1.

LEGES EDOARDI REGIS.

X. *Hæc ea sunt Senatus consulta, ac instituta, quæ primò Alvredus, & Gythrunus Reges; deinde Edoardus, & Guthrunus Reges illis ipsis temporibus tulere; cum pacis fœdus Daci & Angli ferierunt, ac sese mutuò amplexi sunt: quæq; postea à sapientibus recitata sæpiùs, atque ad communem regni utilitatem aucta, atque amplificata sunt.*

ANte omnia Deum unum, spreto omni ac repudiato cultu barbarico, augustè sanctéque venerandum proposuerunt: Tum leges humanas (propterea quod pro explorato haberent nolle sine iis quamplurimos, aut in officio contineri suo, aut Ecclesiasticâ morem gerere disciplinæ) conscribendas curarunt: éasque Christo, cum Rege, communes promulgarunt. Iis ut eorum coërceretur temeritas, qui Episcopi imperata obire noluerint.

XI. DE PACE ECCLESIÆ.

1. Hoc igitur primo decreverunt, ut Ecclesiæ pax, intra suos parietes, eaq; (quæ est manu Regis tradita) tranquillitas, piè inviolatéq; serventur.

DE APOSTATIS.

2. Porrò autem, si quis Christianam Fidem exuerit; adeoq; dictis aut factis cultum promoverit barbarum; capitis æstimatione, mulcta, aut ipsa legis violata (prout ipsa feret facti ratio) culpa pensator.

DE CORRECTIONE ORDINATORUM.

3. Si quis sacris initiatus clepserit, dimicarit, pejerarit, aut fornicatus fuerit; capitis æstimatione, mulcta, aut legis violata pœna, pro ipsâ delicti ratione, compensato. Deo saltem, prout se regulæ habuerint Ecclesiasticæ, faciat satis. Atque in custodiam (ni fidejussores admoverit) conjicitor. Sacerdos si in diebus festis, aut jejuniis populo indicendis, erraverit; triginta solidis, si quidem id inter Anglos evenerit; mulctator. Sin idem in Dacis acciderit, sesqui Marcam pendito. Sacerdos, si ad dies in hoc conductos, oleum non pararit sacrosanctum, aut baptisma, cum usus fuerit, denegarit: Inter Anglos mulctator; In Dacis autem legis violatæ pœnas luito: oras nimirum duodenas numerato. Si quis sacris initiatus, capitale quicquam perpetrarit, capitor, ut tandem Episcopo et minis adiuspi pœnas dependat.

4. Præterea

XII. De inceſtu. *4. Præterea autem ſapientibus viſum eſt, ut qui fœdo ſe polluerint inceſtu: eorum qui fuerit ſuperior, Rex habeat, inferiorem Epiſcopus: ut citiùs cumulatè Deo & hominibus compenſarint: & quod fuerit iis ab Epiſcopo indictum, confecerint. Si duo fratres germani, aliiq; ſanguinis neceſſitate juncti, cum unâ eademque uxore rem habuerint; capitis æſtimatione mulcta, aut legis violatæ pœna, prout æquum fuerit, ipſaq; feret facti ratio; compenſanto.*

De Confeſſione. *5. Si quis rei capitalis damnatus, ſua ingenuè Sacerdoti peccata confiteri cupiverit; id ei conceditor. Omnes autem, ſtudiosè ac ſedulò, jura omnia divina provehunto: ita uti divinam miſericordiam conſequantur: atque has à ſapientibus irrogatas ſontibus pœnas declinant.*

De decimis et denario retentis. *6. Dacus ſi decimas non dederit; legis violatæ pœnas ſolvito. Anglus mulctator. Dacus, ſi debitum Romæ nummum retinuerit; legis violatæ pœnas ſubito. Anglus mulcta afficitor. Dacorum quiſquam, ſi ad Candelas nummum non dederit, juris violati pœnas luito, Anglus plectitor. Dacus, ſi juſtam nomine aratri eleemoſynam non ſolverit; ruptæ legis pœnam dependito. Anglo autem, ſi quid delinquitur, mulcta irrogatur. Dacus, ſi jura, aut officia quæcumque divina ſuppreſſerit, aut retinuerit; legis violatæ pœnam dependito. Anglus mulctator. Si quis contumaciter obſiſtendo, alium, jura atque officia divina petentem, vulneraverit; capitale eſto. Sin mortem obtulerit; ab omni legis patrocinio deſtitutus habetor: eumq; omnes juſtitiæ cultores, vel invitum, ac læſum capiunto. Atque ſi eum ſuapte culpa, juri divino, aut regio ſe opponentem, morte occubuiſſe liquidò conſirmetur; propterea ne quicquam penditor.*

XIII. De feſta violantibus. *7. Dacus, ſi die Dominico quicquàm fuerit mercatus; reipſa, & oris præterea duodecim mulctator; Anglus, triginta ſolidos numerato. Liber ſi die quocumque feſto, operis quicquam fecerit; aut ſervituti ſubjaceto, aut mulctam, legiſq; violatæ pœnam dependito. Servus vapulato, aut pretio virgarum metum redimito. Dacus, ſi ſervo ſuo invito opus addixerit; die quocumq; feſto, rupti juris pœnam dato; Anglus mulctâ afficitor.*

De jejunio. *8. Liber, ſi indictum jejunium cibo ſumpto diſſolverit; & mulcta, & ipſa legis violatæ pœna, plectitor: ſervus vapulato, aut pretio redimito.*

De ordalio et juramento. *9. Porrò autem feſtis diebus omnibus, & legitimis jejuniis, Ordalium nullus ingreditor; nec ad jusjurandum addicitor. Dacorum ſi quis contra fecerit, legis violatæ pœnas dato: Anglus mulcta plectitor. Nemo, quoad ejus fieri poterit, cujuſcumq; ſceleris admiſſi conſcius, die Dominico morti objicitor. Verùm comprehenſus (uſque dum dies feſtus tranſierit) retinetor.*

De ſubveniendo mutilatis. *10. Sicui membrum corporis, ſceleris admiſſi cauſa præſidatur; iſq; tres noctes ſuperſtes fuerit; quiſque deinceps impunè (impetratâ tamen ab Epiſcopo veniâ) aut ejus vulneri medicinam, aut animo conſolationem adhibeat.*

De ſagis et meretricibus. *11. Sagæ, ariolantes mulierculæ, perjurioſæ, peſtiferæ, & meretrices fudæ, ac flagitioſæ, ſicubi deprehendantur; à finibus regni (ut pura & integra plebs ſit) relegantur: aut in regno (ni ab illa mente deſtiterint, & accumulatiùs compenſarint) malè pereunto.*

XIV. De deceptione. *Si quis ſacris initiatus, intolâve, in iis, quæ ad fortunas, vitamq; ejus ſpectarint, decipiatur: tum ei nationis illius Rex, aut Satrapa, & Epiſcopus loco cognatorum, & patroni ſunto; ni ei aliunde habuerit: Prædator verò (prout feret malefici ratio) Deo & Regi ſatisfacito; aut graves, qui eſt regionis illius Princeps, ſceleris admiſſi pœnas repetito.* Hactenus Edoardi leges: quas non ab eo latas, ſed probatas tantùm, eique commendatas; ut effectum ſortirentur; conſtat ex eis, quæ proximè Eccleſiam, & ſacris initiatos tangunt. Et quia Epiſcopi omnes, ad Synodum jam dictam leguntur conveniſſe: nec unquam aliàs, Edoardo regnante; ideò ad hunc annum leges retulimus: quas ipſi imprimis dictaverunt.

ANNUS CHRISTI 906.

BENEDICTI IV. PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLORUM REG. 6.

I. Conſecrantur uno die ſeptem Epiſcopi. SEQUITUR Chriſti annus nongenteſimus ſextus; quo Plegmundus Cantuarienſis Antiſtes legatione Romana functus, in Angliam revertitur: cum priùs Romanus Pontifex omnia probaviſſet, quæ Edoardus, & præcedentis anni Synodus, facienda ſuggeſſerant: illud præſertim, quod de novâ ſedium erectione, & parochiarum diſtinctione, propoſitum fuerat. Ut verò Plegmundus Cantuariam (ita enim Dorovernia deinceps appellatur) rediit; electos in ſuperiori Synodo Antiſtites, jubet ad ſe convenire, & majori ſacerdotio auctos ad ſedes, quas illis nuper Patres aſſignarant, remittit. Refert hæc Gulielmus Malmesburienſis in hunc modum; *Rediens in patriam (Plegmundus) in urbe Cantuaria, uno die ſeptem Epiſcopos, ſeptem Eccleſiis ordinavit. Fridestanum, ad Eccleſiam Wintonienſem; Adelſtanum, ad Cornubienſem; Athelmum, ad Wellenſem; Edulfum, ad Cridienſem in Devoniâ: Werſtanum, ad Schireburnenſem. Sed & aliis provinciis conſtituit duos Epiſcopos; Auſtralibus Saxonibus, virum idoneum, Bernegum; & Mercii, Cenulphum, ad civitatem Dorceſtriæ, in pago Oxoniæ. Hoc etiam totum Papa firmavit; ut damnaretur in perpetuum, qui hoc infirmaret decretum.* Ita Malmesburienſis. Qui ultimo loco Cenulphus dicitur, *rectiùs*, inquit Godwinus, Ceulwulfus appellatur. de quo plura dicentur an. 948. n. 8.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 5. fine.

Fridestanus Wintonienſis, Athelstanus Cornubienſis, Athelmus Wellenſis, Edulfus Cridienſis, Werstanus Schireburn. Bernegus Seleſeienſis, Cenulfus Dorceſtrenſis.

II. Temporis ratio. Quod ad tempus ſpectat, vix differunt Authores, licet multa de more miſceant, quæ meliùs diſtingui & ſeparari poſſent. Hinc quia conſtat ferè inter omnes, Synodum, ſuperiori anno collectam, Epiſcopos nominaſſe, parochias diviſiſſe, Plegmundum in Urbem miſiſſe; eúmque reverſum, ſeptem Epiſcopos conſecraſſe: hæc omnia unius anni curriculo concludunt. Sed qui paulò accuratiùs tempora metiuntur; Epiſcoporum inaugurationes, non ad annum Synodi; ſed in ſequentem rejiciunt; cum liqueat ſuprà è Malmesburienſi, non niſi poſt Plegmundi reditum, Præſules ſeptem ordinatos eſſe. Hinc benè Faſtorum collector, ad annum nongenteſimum ſextum, novos Eccleſiarum præſides conſignat. Porrò, nè quæſtio de parochiarum finibus oriretur; declaratum eſt ſingulorum Epiſcoporum pomœrium; extra quod nullum, intra quod omne animarum imperium haberent. Quod Weſtmonaſterienſis ita refert. *Hi omnes* (quinque Epiſcopi)

Weſtm. an. 905.

una die apud Cantuariam, ab Archiepiscopo Plegmundo, munus consecrationis adepti sunt. Et non multò post, factâ parochiarum distributione; remanserunt Episcopo VVintoniensi, provincia scilicèt Hamtoniensis, Sutherensis, cum Insulâ Vectâ. Schireburnensis verò habebat Somersetam: VVellensis Dorsetam, & provinciam Berrocensem. Cridiensis habebat provinciam Devoniensem: Cornubiensis, Cornubiensem. Hæc ille, de Occidentis quinque Episcopis. Sed fallitur, quòd Wellensi Episcopo Dorsetanum agrum, & Schirburnensi Somersetanum assignet; cùm Wellensis Ecclesia in agro Somersetano, Schireburnensis verò in Dorsetano sit.

Malmesb. de Pont. l. 2. f. 248.

Rectiùs ergò Malmesburiensis: *Habebat*, inquit, *Ethelmus, Somersetam: Edulfus, Domnoniam* (*Devoniam intelligit) *Athelstanus Cornubiam. VVerstano* (estis Schirburnensis Episcopus) *relicti sunt pagi tres, Dorsatensis, Berkensis, VVíltensis. Veruntamen non multò post, eodem virente Rege* (Edoardo) *in VViltensi pago, proprius factus Episcopus, Ethelstanus nomine; sedem in Ramisberia habuit.* Ita ille.

* *Domnonia* quæ vulgo dicitur *Devenescira.*

ETHELSTANUS Wiltensis Episcopus Ramisberiæ.

III. EPISCOPORUM SEDES IN PARVIS URBIBUS.

Igitur non quinque solùm, sed sex aliquando Episcopos, Occidentis regnum habuit, Edoardo regnante: quorum sedes, ut olim etiam, in nascente Saxonum Ecclesiâ, non in magnis urbibus, aut frequenti populo; sed secretiùs plerumque ad quietem, si non fixæ; positæ tamen fuerunt. Quas Edoardus Rex, (qui se Ecclesiæ nutritium esse sciebat) opibus ornare, augereque laboravit. Unde dicitur Cridiensi Episcopo, tria, in Cornubiensi provinciâ, oppida concessisse: Polton, Cæling, & Lanwitham. Ita refert è Wintoniensis Ecclesiæ registro Camdenus. Similiter aliis novis sedibus factum conjicimus. Bodminiæ sedit Athelstanus, quam sedem Edoardi filius ornabit, ut infrà.

Camden in Cornvval. & Godvv. in Exon.

Cæterùm de Merciorum, & Australium Saxonum Episcopis, minor erat difficultas: quia dudum in provinciâ alii sederant: in Merciis, Dorcacestriæ, quæ *villa est in pago Oxoniensi, exilis & infrequens; majestas tamen Ecclesiarum magna, seu veteri opera, seu sedulitate nova*, inquit Malmesburiensis.

Malmesb. de Pontif. l. 4. f. 290.

Quæ fuerit Australium Saxonum sedes, ideò dubitari potest: quia scribit Westmonasteriensis: *Electi sunt prætorea duo Episcopi: videlicet ad sedem Dorkacestrensem Kenulfus: & Australibus Saxonibus; quorum Antistites sedem habent apud Cicestriam, ordinatus est Berthegus.*

Westmon. an. 905.

Quod Matthæus Parkerus, in suis Antiquitatibus minùs benè assentus, videtur dicere hoc anno Australium Saxonum Episcopum Cicestriæ sedisse. Scribit enim de Plegmundo: *Australibus Saxonibus (quorum Antistites sedem habuerunt Cicestria) virum idoneum Burnegum præfecit.* Verùm non ibi, sed in antiquâ Selesciensi Ecclesiâ, Australium Saxonum Episcopi sederunt, hoc omni sæculo, & sequenti, donec Stigandus quidam, sub annum Christi 1070. inde sedem, Cicestriam transtulit. Benè ergò Westmonasteriensis dicit de suo tempore (quorum Antistites sedem habent apud Cicestriam) malè Parkerus *sedem habuerunt*. Nam quivis colliget de decimo sæculo locutum.

IV.

Constitutis jam ubique sedibus, crevit templorum ornatus, & populus impensiùs pietatis opera cœpit exercere. Hinc scribit Hovedenus: *Anno nongentesimo sexto, Sancti Oswaldi Regis & Martyris ossa, de Bardonig in Merciam translata sunt.* Non addit plura; quia indubiè ad Sancti Martyris cultum, & pietatis in populo alimentum, sanctissimi Regis ossa translata sunt: nam id hoc sæculo frequentissimum.

Hoveden. hic.

OSSA S. OSWALDI REGIS TRANSFERUNTUR.

Quod licet à Magdeburgicis, Ethnica superstitio nominetur: quivis tamen in Ethnicorum moribus, vel parum versatus; facilè reperiet eos, non ad cultum; sed ad eorundem exterminium, Sanctorum ossa effodisse. Sic ergò, de more hujus sæculi, Critici quatuor. *Ethnica superstitio Sanctorum reliquias, & ossa colligendi, effodiendi, transferendi, & religiosè colendi, Antichristi arte, in Ecclesiam olim; hoc etiam sæculo, in frequenti usu fuit. Nam de elevatione, & collectione, testimonia plurima in historiis occurrunt.* Ita est; occurrunt plurima, quæ Regiam Britannorum, Saxonum, Anglorum, fidem omni sæculo illustrent. Et planè convincant sanctarum reliquiarum cultum, Ethnicæ superstitionis exterminium fuisse.

Cent. 10. fol. 331.

Sed quonam quæso, S. Oswaldi Regis ossa translata sunt, è Lincolniensi agro, & Bardeneo monasterio? Opinor in Glocestrensem agrum, & urbem ibi Principem: ubi nuper Ethelfleda, ingentis animi & pietatis fœmina, Alfredi Regis primogenita filia, monasterium erexerat: & unà cum Ethelredo conjuge, prædiis abundè auxerat: solùm deerant Sanctorum reliquiæ, ad religionis & devotionis augmentum. Et quia conjuges illi, Merciorum Reges erant; ideò provinciam suam, illo thesauro ditaverunt.

AB ETHELFLEDA GLOCESTRIAM.

Id colligo è Malmesburiensi sic scribente *In eâdem* (Glocestrensi) *urbe, tempore Regis Elfredi, filia ejus Elfleda, cum conjuge suo Ethelredo; monasterium ædificaverant, nullâ parcimoniâ sumptuum, nullâ inopiâ victualium: illucq́ ex Bardanio, reliquias Oswaldi Regis transtulerant; quod omnis Mercia eorum pareret imperio.* Annum ergò translationis Hovedenus significat; Malmesburiensis supplet cætera.

Malmesb. de Pont. l. 4. fol. 284.

V. DANI IN NORTHUMBRIA FUNDUNTUR.

Verùm è templis me evocat Danorum impietas, & motus in Septentrione, quem Edoardus & Ethelredus Principes debent componere. Ibi infideles adhuc Dani, rerum summâ potiebantur; qui unâ non contenti provinciâ, in vicinas grassabantur. Occursurus huic malo Rex, militem ex Occidente, & Merciorum regno collegit; jubetque in Northumbriam pugnare. Quod impigrè factum; ex omnium voto effectum habuit. Nam *prædam maximam ceperunt* (inquit Huntindonius) *ab exercitu, qui erat in Nordhumbre, tam hominum, quàm animalium: multisq́ Dacorum occisis, manserunt in terrâ eorum quinque hebdomadis prædantes.* Ita ille, referens hos motus, ad sextum Edoardi Regis annum: cui consentit Hovedenus, hoc ipsum narrans, eo anno, quo S. Oswaldi Martyris ossa translata: & causam addit cur Edoardus in Septentrionem moverit.

Huntind. hic fo. 352.

Rex invictissimus Edoardus, inquit, *quia pactum quod secum Dani pepigerant, prævaricati sunt: West-Saxonum & Merciorum exercitum in Northumbriam misit; qui cum illuc venissent, per quadraginta fermè dies, eam devastare non cessantes, quamplures occiderunt Danorum: & Reges, Ducésque eorum, cum Rege eorum, pacem quam fregerant, redintegrare compulerunt.*

Hoved. hic.

ANNUS CHRISTI 907.

LEONIS IV. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLORUM REG. 7.

I. Benedictus Papa moritur: Leo V. succedit. Inde Christophorus.

Anno Christi nongentesimo septimo, moritur Benedictus Romanus Pontifex; & in ejus locum subrogatur Leo, ejus nominis quintus. qui quòd paucos dies sederit; vix inter Rom. Pontifices nominatur. Nam dies tantummodò quadraginta Ecclesiam administravit. Tunc sede pulsus, & detrusus in carcerem, Christophoro locum fecit invitus. Nec meliùs Christophoro cessit: qui enim Leonem extruserat; ipse etiam à Sergio, pari impetu, & scelere, extrusus est. *Sunt hæc tempora*, loquitur Baronius, *inopia scriptorum obscura, & tyrannide sedem Apostolicam invadentium, tetra.* Ita ille de Romanâ Ecclesiâ, quæ echlipsim pati videtur, impiorum factionibus obscurata. Quo tempore Anglorum Ecclesia, Edoardo, Athelstano, aliisque ei succedentibus, perspicua profectò & illustris fuit, ut sequentia demonstrabunt. non quòd nubes è nostro Oceano non surrexerint: Dani enim sæpè sæpius Ecclesiæ pacem, & provincialium pietatem turhaverunt: sed tantus Regiæ Fidei splendor fuit, tanta Episcoporum, aliorumque sanctitas; ut nubem omnem facilè perruperint, Danósque multa victoria profligaverint. quod hoc ipso anno compertum est.

Baron. hic.

Anglorum Ecclesia illustris, cum Romanum cælum obfuscatur.

II. Dani iterum funduntur.

Enimverò cùm militem Edoardus, è Northumbriâ eduxisset: Danus iterum ad prædam, perfidiámque revertitur. Merciorum provinciam ingreditur, rudémque & inermem populum vexat. Edoardus Rex, terra, maríque instructum militem habebat, ad omnem Danorum motum. Sed prædones & fugitivos quærere, majoris erat operæ, quàm laboris, eosdem superare. Lusit tamen aliquando eorum industriam: cùm militem expeditum mittit; non qui prædones in incertum quæreret; sed qui certissimam perfidorum fugam sisteret. mittit, inquam, qui transitum in Northumbriam secretò præoccupet; & ita latrocinantes barbaros, utrinque intercipiat. Ibi miles revertentem à præda Danum adoritur. Qui ut vidit de vitâ summâque rerum agi, venientem Anglum fortiter sustinuit. Quid plura? *Bellum ingens commissum est*: inquit Huntindonius, qui insignem ab Anglis partam victoriam ita prosequitur. *Contrivit autem Dominus infideles contritione magna; & ex eis multa millia mors cruenta devoravit: corrueruntq́; Principes eorum, in confusione: & devorati in pulvere sorduerunt. Occidit namq́; Rex Haldene, & Rex Eolcwulf, & Uthere Consul, & Owlthold, & Benesinghold, & Haulasinger, & Wulfesbold, & Offerbold, & Offerlyte, & Halm.nudhold, & Gudferdhold, & alius Gudferd. Servi autem domini, victoriâ tantâ potiti; exultantes in Deum virum, in hymnis, & concentibus, Dominum exercituum benedicebant.*

Huntind. 352.

III. Edoardi multiplex victoria.

Edoardus hac victoriâ uti decrevit; & barbaros, nè porrò surgerent, omninò premere. Centum naves, quas ad omne obsequium promptas paraverat; jubet in Northumbriam solvere: & non modò Northumbriam ipsam, inquietam semper provinciam; sed omnem, qui in vicino, agrum, ad majorem fidelitatem cogere. Quid hac expeditione factum, dicam paulò fusiùs, quia etiamnum Scoti timent subesse. Westmonasteriensis subactam Northumbriam, Wallos, Cumbros, & Scotos etiam domitos scribit in hæc verba. *Anno gratiæ nongentesimo septimo; Rex magnificus Edwardus, congregato exercitu copioso; subjugavit sibi Eastsexiam, Eastaugliam, Merciam, Northanhumbriam, cum multis aliis provinciis, quas Dani multo tempore possederant: & omnes ex eorum dominio potenter extorsit. Scotorum etiam, Cumbrorum, & Galwallensium, omniumq́; Occidentalium Britonum fines, & eorum Reges, in deditionem accepit; & sic cum gloriâ, & honore, ad propria remeavit.* Hoc Hector Boetius aliter narrat, & eum secutus Jacobus Gordonius; *Certatum est hoc tempore*, inquit, *de Northumbria, inter Scotos, Anglos, & Danos: tandemq́; Scotis & Danis aliquid ditionis mansit in Northumbriâ: nec ea Anglis paruit, dum viveret hic Edoardus.* Contra tamen, Antiquiores nostri, & primæ notæ Historici; inter victoriarum trophæa, & devictos ab Edoardo populos, etiam Scotos numerant. Malmesberiensis ita: *Edoardus primum, mortuo Ethelredo; Mercios omnifariam, mox Occidentales & Orientales Anglos, & Northanimbros, qui cum Danis jam in unam gentem coaluerant; & Scottos, qui Aquilonarem Insulæ partem inhabitant, suæ ditioni subegit.* Ingulfus etiam, Malmesburiensi antiquior, & pressæ fidei author; Scotiam nominat ita scribens de Edoardo: *Merciam in manum suam sumens, à Duce Ethelredo; cui pater, cum filia suâ, eam ante dederat; etiam Northfolciam, Northumbriam, Scotiam, Walliam bellando subegit.*

Westmon. hic.

Scoti Anglis subduntur.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 5 princip.

Ingulf. f. 871.

IV.

Sed dicet aliquis: Polydorus, Anglicarum rerum scriptor, Edoardi Regis victorias temperat: de Northumbria, ab eo domita, parcè loquitur. Et negat omninò subactam Scotiam. *Edoardus Rex*, inquit, *fines regni ita propagavit; ut jam præter Scotiam, totius Insulæ imperium obtineret: Licet penes Dacos in Northumbriâ aliquid adhuc ditionis esset. Sunt tamen qui scribant Edouardum, devictis Dacis, etiam Northumbria potitum esse: qui, ut parum in scribendo diligentes; sibimet ipsis alibi repugnant; tradentes hujusce Regis filiam, nomine Editham, haud multò post patris obitum, nupsisse cuidam Sithrico Daco; qui per id tempus Northumbros regebat: quem satis constat Rege Adelstano, mortem obiisse. Igitur cum Northumbria, a Sithrico gubernaretur, dum etiam Edouardus in humanis agebat; in confesso est, nequaquam illi paruisse.* Ita ille, Authores nostros parum reveritus, quos *parum in scribendo diligentes* vocat, quòd Northumbriam ab Edoardo subactam dixerint. Sed imperitè Polydorum hac vice philosophatum esse, & immeritò Authores nostros arguere; ipsa argumenti ejus imbecillitas ostendit. Qui enim, diceret: Alfredum Regem, nunquam Merciorum regno potitum, aut provinciam illam subegisse; quia eo mortuo, ab Ethelredo genero regebatur; non malè, & in philosophiæ legem, & in historicam fidem, peccare diceretur: quia potuit Alfredus subactos Mercios, & Ethelfledam primogenitam filiam, Ethelredo tradere: quod constat factum. & eodem modo dicimus, Editham, Edoardi filiam, Sithrico datam, & unà Northumbriæ imperium, quod Edoardus antea, Occidentali Saxonum regno univerat. Imò quia

Polyd. l. 6.

datum Sithrico cum Regiâ prole: Polydorus multò rectiùs inferre potuisset; in parentis Edoardi id antea potestate fuisse: Quod infrà ad annum 910. num 2. pluribus ostendetur. Redeo igitur ad victoriam.

V. INGUAR DANUS OCCIDITUR. * an. 878. 6.

Inter occisos ab Edoardi exercitu, conjicio Inguarem fuisse; qui tragica Danorum barbarie, cum Hubba passim nominatur. Et sine dubio, qui pari cum Hubba crudelitate grassatus est; pari etiam exitu vitam finiisse dicendus est. Hubbam * suprà, in pugnâ occisum diximus, de socio hactenus Authores siluerunt; verùm hoc anno cecidisse illum, inter Danorum Principes, ex Ethelwerdo nobili scriptore colligi potest. Ille enim Edoardi victoriam, hoc anno partam, accuratiùs quàm cæteri recensens; locum, diémque pugnæ, & occisum tunc Inguarem significat, ita scribens: *Annum post unum, barbari pactum rumpunt, Edwardum Regem adversus: nec non contra Ætheredum, qui tum regebat Northymbriæ partes, Myrciaque. Vastantur passim Myrciorum arva, a tempestate prædicta, & penitùs usque ad Afue fluenta: ubi incheat Occidentalium terminus Anglorum; nec non Myrciorum. Deinde transvehuntur Occidentales in partes, per fluvium Seferu; illicque vastarunt minimas prædas. Ast ubi pedem retraxere domi, ovantes spoliis opimis; parte in Eoâ fluvii Seferu, etiam transmeabant pontem ordine literato, qui vulgò Cantbrige nuncupatur. Statutâ quippe acie, tendebant repentè obvio turma simul Myrciorum, Occidentaliumque, insistunt pugnæ; morâ nec attentâ, in Wodnesfelda campo, Angli victoria obtinere numen. Danorumque fugatur exercitus, telo oppressus. Facta hæc memorantur, quintâ in die mensis Augusti. Ibidemque ruunt Reges tres eorum, turbine in eodem, vel certamine, dicere fas est: scilicet Healfdene, Eywysl quoque, nec non Igvvar, relictâ tyrannide, tum ad aulam properabat inferni, majoresque natu eorum duces ac nobiles simul.* Pugnatum ergò in Dobunis, ubi Camus fluviolus, Sabrinam intrat: & ubi à ponte, quem Dani transiverunt, oppidulum jacet, Cambridge dictum; quod antiqui variè appellarunt, ut suprà * dixi, cùm Alfredus Danum è Trinobantibus, in Glocestrensem agrum fugavit, superioris sæculi anno nonagesimo sexto. Ibi Inguar periit, qui multam in Christianos rabiem effuderat.

Ethelwerd fol. 848.

VI. DANI AD TETNAL CÆDUNTUR.

Erat adhuc Danus, aut Danorum saltem reliquiæ; in Mercius, hoc est, in ipsis Insulæ visceribus. Has ergò persequi, & unà omne factionis alimentum tollere; nè pro barbarorum libidine in flammas erumperet, Edoardus omninò decrevit. In Cornaviis, & agro Staffordiensi domicilium fixerant, locúmque Theoten-hal, hoc est, infidelium seu paganorum aulam, inde nominaverant. Nunc Tetnal contractiùs dicitur. Ibi fides, cum perfidiâ, certavit insigniter, teste Hovedeno, qui annum prælii, locúmque certaminis, & eventum ita paucis explicat. *Anno*, inquit, *nongentesimo septimo, in provinciâ Staffordiensi, in loco qui dicitur Teotenhale, inter Anglos & Danos, insigne prælium actum est. Sed Angli potiti sunt victoriâ.* Addit Huntindonius. *Quis autem cuneorum horrendos aggressus, ignitas collisiones, formidabiles tinnitus, feras irruptiones, miserabiles occasus, clamores horrisonos, scriptis exequatur? tandem suos divina pietas decoravit victoriâ; & Dacos infideles, cæde simul & fugâ dehonestavit.*

Hoved. hic.

ANNUS CHRISTI 908.

SERGII PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 8.

I.

ANNUS Christi sequitur nongentesimus octavus; quo Romana Sedes nequissimo cuique prostituitur. Sergius, Francorum auxilio fretus, Urbem invadit; Christophorum nuper electum capit; vinculis constringit, & monasterio claudi mandat. tum demum ipse tyrannicè Sedem invadit; vir nulla sede, nedum prima dignus. Pallet ergò Romana Ecclesia, & laborat capite: cùm iterum Judas, Apostolicum collegium ingressus, Christum prodit; Ecclesiam ejus sponsam hæreticorum ludibrio exponens: Sed nec Petri Primatum, nec aliorum Apostolorum sanctitatem vitiat; quicquid sibi factioli, qui sæculorum sanie saginantur, de horum temporum improbitate blandiantur. Recenseant ipsi, per me licet, paucorum Pontificum scelera & flagitia: ego tamen interim, Romanæ Ecclesiæ Fidem venerabor, & credenda omnia inde excipiam integrè, quia Christum audio dicentem, super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Quæcumque ergò dixerint vobis, facite. Si Scribis & Pharisæis illud reverentiæ obsequium præstamus, ob Mosaicæ cathedræ dignitatem: cur non Petri cathedram, Christi oraculo fundatam, saltem æquè reveremur?

II. OPPIDA MÆNIBUS CINGUNTUR. Westm. hic.

Hoc anno contra Danorum incursus, qui frequentes erant, Insula munitur. Urbes, & oppida, cingi muro & aggeribus cœperunt. quod in Ethelredi Merciorum Principis laudibus ponitur. Unde Westmonasteriensis: *Anno Gratiæ nongentesimo octavo, Legecestrensis civitas, quæ Danorum incursione destructa fuerat; solicitudine Ethelredi Ducis Merciorum, & Elfleda uxoris ejus, restaurata est.* Noli putare Coritanorum urbem intelligi, quæ Legecestria nunc dicitur: sed potiùs Cornaviorum ad Devam fluvium, quæ à Romanorum Legione Legecestria quoque dicebatur. Scio Camdenum dicere Legecestriam in Coritanis anno * 913. ab Edelfledâ Merciorum Dominâ reparatam, & novis mænibus firmatam esse: & revera eo tempore, plures illa in Merciorum provinciâ urbes, vel egregiè ornavit, auxitque; vel de novo condidit, ut dicitur. Legecestriam tamen, inter eas non invenio: nec Spedus illam numerat, qui omnes * recensuit. Sed quicquid sit de posteriore tempore, quando conjuge mortuo, ipsa Remp. sola procurabat: hoc tamen anno, & Ethelredo vivente; Legionum urbs Cestria, quam Dani vexaverant, restaurata est. quod Wigorniensis, & Hovedenus, planè significant, cùm ita scribunt: *Civitas, quæ Caer Legion Britannicè, & Leagcestre dicitur Saxonicè, jussu Ethelredi Ducis, & Ægelfleda restaurata est.* Hoc Wigorniensis ad annum Christi 908. Hovedenus ad 905. refert.

* in Anglico est 914.

* Sped. in Edoardo seniore.

Wigorn. hic.

III. DE MORTE ETHELREDI PRINCIPIS MERCIORUM. Hoved. hic.

Ad hunc annum 908. consignant aliqui ejusdem Ethelredi Regis, & strenuissimi Principis mortem; quam tamen alii posteriùs referunt. De illo sic scribit Hovedenus: *Anno nongentesimo octavo, Etheredus subregulus Merciorum, vir magnæ probitatis, vita decessit. Post cujus mortem, uxor*

Egelfleda,

Egelfleda, Regis Elfredi filia, regnum Merciorum; exceptis Londonia, & Oxenforda, quos suus Germanus Rex Edwardus sibi retinuit) non brevi tempore strenuissimè rexit. Hunc etiam annum Ethelwerdus intellexit; cum recensita Anglorum contra Danos victoriâ, & Ingwaris morte, mox addit. *Namq; post annum migravit Æthered Myrciorum superstes, sepultusq; est in arce dicta Gleaucestre, in pace.* Alii tamen, ad tres quatuorve annos Ethelredi vitam producunt. Unde Westmonasteriensis hæc habet. *Anno gratiæ nongentesimo duodecimo, eximiæ probitatis Merciorum subregulus Æthelredus, diem clausit extremum, post cujus obitum, uxor ejus Elfleda, Ælfredi Regis filia, provinciam Merciorum totam, præter Londoniarum civitatem, & Oxoniam, quas Rex Eadwardus, ejus frater germanus, sibi retinuit, multo tempore serenissimè gubernavit.* Idem & eundem annum (secundùm Dionysium) habet Wigorniensis. Quæ quatuor annorum differentia, in morte Ethelredi, difficultatem parit; confunditque egregia Ethelfledæ viduæ, relictæque ejus, facinora. quæ octo annos post conjugem superstes, multa reliquit pietatis, prudentiæ, ac fortitudinis argumenta: quæ meritò locum in Annalibus postulant; nec possunt suis quæque locis apponi; nisi Ethelredi mortis annus probè consignetur. Inde etiam pendet Ethelfledæ vitæ terminus; quem ad annum Christi 915. referunt illi, qui hoc anno 908. mortuum ejus conjugem scribunt: alii, qui posteriùs mortuum dixerunt, hanc quoque mortuam ponunt ad Christi annum 919.

Ethelwerd fo. 848.

Westm. hic

IV. Nec nodum hunc solvit Huntindonius, quem tamen recentiores nostri, in hâc quæstione sequi videntur; sed implicat magis: nisi dixeris ex ejus sententiâ colligi posse: Ethelredum hoc anno 908. infirmitate pressum, regendæ provinciæ onus omne, in Ethelfledam conjugem transtulisse: ac deinde post annos quatuor mortuum: sic enim Authores alii conciliari ferè possunt: licet Huntindonius, nec sibi, hac vice, nec illis constet. Unde puto ejus scriptis assutum aliquid; nec Huntindonii factum esse, quod de Edelfledâ Ethelredi filiâ scribitur. Dixerat enim Author (opinor benè) *Anno sequente* (nimirum partam ab Edoardo insignem victoriam, & annum septimum regni ejus) *defuncto Edredo, Duce Merco, Rex Edwardus saisivit Londoniam & Oxinefordiam, omnemq; terram Mercensi provinciæ pertinentem.* Ubi Ethelredum, quem ubique Edredum vocat, mortuum supponit. Postea tamen, ubi Edoardi Regis duodecimum annum describit; importunè aliqua poni videntur; priùs facta, priúsque ab Authoribus passim recensita: ut de renovatâ Legecestriâ, de translatione ossium S. Oswaldi; denique de pugnâ cum Danis, ad Totenhal; quam ubi paucis absolvit, mox subdit: *Eodem anno, Edelfled Domina Merce, quæ sub Etheredo patre suo infirmo, regnum Merce regebat, °construxit burgum Brunisbury. Anno Edwardi Regis decimo octavo, mortuus est Etherèd Dominus Merce, pater Edelfled, qui fuerat diu infirmus: & dedit terram suam filiæ suæ, quia nullum filium habebat.* Inde narrat civitates & oppida, quæ constat Ethelfledam, vel eleganter munivisse, vel de novo construxisse. Quæ quia ad Ethelredi non filiam, sed conjugem referenda sunt; ut omnium Authorum consensus probat; meritò suspicamur irrepsisse aliquid in scripta Huntindonii, qui solet accuratiùs sua digerere.

Huntind l. 5, fol. 919. lin 5.

Idem suprà l. 45.

V. Auget suspicionem, quòd Hovedenus, qui religiosè Huntindonium sequi solet; nihil eorum habeat, quæ ad 18. Edoardi Regis annum dicuntur. imò numerat solùm annos novendecim Edoardi regnantis; cùm Huntindonius (ut ibi ponitur) eum viginti sex annos regnasse supponat. Sed quoniam uterque hac vice à communi aliorum sententiâ exerrat; qui Regi Edoardo viginti quatuor annos tribuunt: neuter eorum, in Ethelredi mortis anno consignando, arbiter erit. Cæterùm integer est Malmesburiensis, quem sequi placet: & ille, licet annos non distinguat; dicit tamen, Edoardum viginti tres annos regnasse, & Ethelfledam quinquennio ante fratrem obiisse. quod quia Authoribus aliis conformius, inde, & è dictis, possumus colligere; Ethelredum hoc anno 908. vel annis & laboribus fractum, vel infirmitate pressum, regni Merciorum, & Reip. curam, ita in Edoardum Regem, & Ethelfledam conjugem transtulisse; ut ille Londinum in Trinobantibus, & Oxonium in Dobunis, urbes Principes; ista haberet omnem aliam provinciam. Qua factâ divisione, Ethelredus adhuc quadriennio superstes moritur, anno hujus sæculi duodecimo, & octo post annos Ethelfleda, cujus præclara facinora, à conjugis infirmitate incipiunt numerari. Fuit enim eximiæ prudentiæ, & fortitudinis fœmina: & Edoardo fratri, si quis alius in ordinandâ Republicâ, in muniendâ contra hostes provinciâ; & denique, quod mireris, in educendo milite, adjumentum singulare.

VI. ETHELFLEDÆ LAUS. Accessit his animi ornamentis, alia virtus Regia: quæ sine dubio ejus corpus, & animum, ad audendum fortia, insigniter composuit: eximia fœminæ castitas; quæ uno partu levata, cum pariendi dolorem, cum vilissima voluptate componeret: dedecere enimverò dixit Regiam prolem; tantâ impensâ, uxoriis amplexibus famulari. Deinceps ergò, quia ad majora se natam sciebat; non individuorum procreationi vacare: sed universalis regni negotiis attendère; ut non virum ultra, sed ea quæ revera erant regia, cæpit amplecti. Mirantur hanc fœminam, & meritò laudant Antiqui. Malmesburiensis, cùm Edoardum Regem ob fortitudinem commendasset. *Inter hæc non prætermittatur*, inquit, °*soror Regis, Ethelfleda, Ethelredi relicta; non mediocre momentum partium, favor civium, pavor hostium, immodici cordis fœmina: quæ pro experta primi partus difficultate, perpetuò viri horruit complexum: protestans non convenire Regis filiæ, ut illi se voluptati innecteret, quam tale incommodum post tempus urgeret. Virago potentissima, multùm fratrem juvare consiliis, in urbibus extruendis non minùs valere; non discernas potiore fortuna, an virtute; ut mulier viros domesticos protegeret, alienos terreret.* Similia habet Ingulfus, qui Ethelfledam vocat *Viraginem prudentissimam, & antiquis Amazonibus præferendam, & castissimo cœlibatu contentam.* Opinor continentia illa, egregiæ fortitudinis, prudentiæque fundamentum fuit. Nam ita animus erectior; dum humi jacere, aut ad vilia prosterni negligit; suopte impetu, ad altiora contendit, & homine digniora. Dedit ergò plurima masculæ virtutis argumenta; quæ suis locis adnotabo. Dicam loca quæ struxit, & quâ

Malmesb de Reg. l. 2. c. 5.

Ingulf f. 871.

arte Danos averterit; nè Anglorum cervicibus imminerent. Nam sequentes ferè anni, ejus factis illustrantur: quæ, quia nec omittere debui; quia digna sunt posterorum memoriâ; nec ea debitè consignare, nisi Ethelredi Principis factâ mentione: ideò longior fui, in anno mortis ejus indagando; ut Ethelfledam conjugem à vidua distinguerem. quæ primo & unico partu, Elswinam filiam Ethelredo peperit. de quâ infrà

Elswina Ethelredi filia.

VII. *Deorlaf' Herefor. Episcopus moritur: Succedit Cinemundus.*

Moritur hoc anno Deorlafus, quem anno octingentesimo octogesimo nono, Herefordensi Ecclesiæ præfecimus: & in ejus locum Cinemundus subrogatur, ita Fasti post Malmesburiensem collecti.

ANNUS CHRISTI 909.

SERGII PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLORUM REG. 9.

I. *Incipiunt Ethelfledæ acta.*

SEQUENTIUM annorum series confusior est; quia Ethelfledæ Merciorum Principis & Reginæ facta describit: quæ ex Authorum dissidio, trium quatuorvè annorum differentiam continent. Qui enim illam superiori anno viduam fecere: hoc anno nongentesimo nono, militem induunt, exercitus ducem constituunt, & provinciam ab hostili impetu defendentem: quod alii post quadriennium referunt. Quicquid sit, Hovedenus ita scribit: *Anno nongentesimo nono, Egelfleda Merciorum Domina, secundo nonas Maii, cum exercitu, in loco, qui Sceargete dicitur, venit; ibidemq; arcem munitam construxit. Dehinc in Occidentali plagâ Sabrinæ fluminis, in loco, qui dicitur Brige, aliam.* Ita ille. Minora fuerunt hæc opera, & majorum præludia. Unde & ex vocum variatione, nec locorum illorum vestigia apparent. Quod enim ille, cum Wigorniensi Sceargete vocat: Hoc Huntindonius Scoriate; & Westmonasteriensis Strengate appellant. Forte castrum intelligit in Catticuchlanis, & Herefordensi agro, ubi à Stort fluviolo, oppidum est Stortford; quod olim exiguo castro munitum Camdenus agnoscit, illudque sequenti sæculo, Londinensibus Episcopis donatum, à Guilielmo Normannorum Regum primo. De Brige, non aliud conjicere possum, quàm locum fuisse à Danis aliquando possessum, prope Camum flumen: ubi *nuper Angli hostem prostraverunt, occiso Inguare Danorum crudelissimo. Nam ille, in Occidentali Sabrinæ fluminis parte, hodiéque Cambridge dicitur: & fortè locum victoriâ insignem, illustrare magis voluit Ethelfleda.

Hoved. hic. — *Camden in Herford.* — *an. 907 5.

II. *Moritur Asserus.*

Hoc eodem anno, mortuus creditur Joannes Asserus, rerum ab Alfredo gestarum scriptor, quem passim Authores Schirneburnensem Episcopum vocaverunt. Sed quia nuper, ex omnium Scriptorum fide; eorum etiam, qui Asserum Schirneburniæ sedisse putaverunt; dixi à Plegmundo Werstanum consecratum, & è Synodi sententia, illi sedi præfectum: confirmo iterum omnia supradicta, & dico Asserum monachum, & scriptorem, ad majus sacerdotium assumptum non fuisse. Cæterùm quòd hoc anno mortuus sit, reperio in calce libri ejus, ubi hæc habentur.

Hujus Asseri Annalibus vetustus quidam author, paralipomenon addit, & eum obiisse scribit, anno Domini nongentesimo nono. Fortè per vetustum Authorem, Caradocum Lancarvanensem intelligit, qui claruisse dicitur, sub annum Domini millesimum centesimum quinquagesimum. Nam ille ad annum Christi nongentesimum nonum, ita scribit: *Obiit Asser Cambriæ Archiepiscopus.* quæ verba Usserum traxerunt in eam sententiam; ut Asserum hunc, non Schirburnensem Episcopum, sed Menevensem Archiepiscopum putaverit: quod *suprà rejectum. *v. an. 884. 8.*

ANNUS CHRISTI 910.

ANASTASII III. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 10.

I. *Moritur Sergius. Anastasius III. Papa.*

ANNO Christi nongentesimo decimo, moritur Apostolicæ Sedis invasor, Sergius: & Romanæ, adeóque totius Ecclesiæ Principatum accipit Anastasius, eo nomine tertius, patriâ Romanus; qui paulò feliciùs, sed brevi tantùm tempore præfuit.

II.

Interim Dani, qui in Northumbriâ sedem fixerant; denuò tumultuati, fidem, quam Edoardo Regi dederant, violasse videntur. Unde coacto milite, provinciam Rex ingressus, hostem profligavit: & quotquot Danorum partes sequuti sunt, Scotos, Cumbrósque suo subdidit imperio. An hæc Edoardi expeditio, ab eâ differat, quam anno nongentesimo septimo retuli, nescio: videtur tamen eadem: quia trium annorum differentia, in Authoribus nostris sub hæc tempora passim occurrit. Porrò expeditionis hujus hic mentio est; quia olim cum Anglorum Regum, in Scotiæ Reges jura ventilata sunt: ad hunc annum video à Regibus nostris appellatum. Nam teste Thomâ Walsingamo: *Edwardus Rex Angliæ, anno Domini 1291. appropinquans Scotiæ, parliamentum tenuit apud Northumbriam: ubi consultis Prælatis, ac utriusque juris peritis; revolutis priorum temporum Annalibus; vocari fecit prælatos, ac majores regni Scotiæ: & coram eis, in Ecclesiâ parochiali de Northumbria, jus suum in superius dominium regni Scotiæ fideliter declaravit. Petivitq; ut hoc recognoscerent: protestando, se jus coronæ suæ, usque ad effusionem sanguinis defensurum. Ob quam causam Rex fecerat omnia monasteria Angliæ, Scotiæ, & Walliæ perscrutari; ad dignoscendum quale jus posset sibi competere, in hac parte. Et repertum est in Chronicis Mariani Scoti, Gulielmi Malmesburiensis, Rogeri de Hoveden, Henrici de Huntindone, Radulphi de Diceto; quòd anno Domini nongentesimo decimo, Rex Edwardus senior, subegit sibi Reges Scotorum, & Cumbrorum.* Ita ille.

Anglorum jus in Scotiæ regnum. — *Walsingham hypodigm. Neustriæ an. 1291.*

III. *an. 907 3.* — *Wigorn hic.*

His Authoribus addi potuisset Ingulphus Abbas, quem * suprà posui; & Florentius Wigorniensis, qui cæteris disertiùs, ad hunc annum ita scribit: *Rex invictissimus Eadwardus, quia pactum, quod secum Dani pepigerant, prævaricati sunt; West-Saxonum, & Merciorum exercitum in Northimbriam misit: Qui cùm eò venisset; per quadraginta fermè dies, eam vastare non cessantes; quamplures Danorum occiderunt: multos etiam captos, cum maximâ*

prædâ, secum reduxerunt; & Reges Duceś, eorum, (vellent nollent) cum Rege Edwardo, pacem, quam fregerant, redintegrare compulerunt. Quæ quamvis ab aliis, ante triennium facta referre videantur; hoc tamen anno, pactam, firmatámque Scotorum subjectionem, prædicta videntur concludere. Quam iterum etiam Edoardo regnante, ab universo Scotorum populo præstitam, dicam * inferiùs.

*, an. 921.

IV. ETHELFLEDA RESTAURAT TAMWORTH. *Hoveden. hic.*

Hoc pariter anno, Edelfleda, Merciorum Regina, provinciam auget illustribus ædificiis. de quo Hovedenus: *Anno*, inquit, *nongentesimo decimo, æstatis initio; Egelfleda Merciorum Domina, cum Mercensibus ad Tamvvirting perrexit, ipsámque urbem restauravit.* Verùm Huntindonius, ad hujus sæculi normam, rectiùs vocat locum illum Tamworth: nimirùm oppidum ad Tamam fluvium jacens, in duarum provinciarum confinio. Warwicensis, inquam, & Staffordiensis agri: ubi florente Merciorum regno, curiam aliquando Reges habuerunt. *Postea Danico bello collapsum, in integrum restituit Ædelfleda Mercia*, inquit Camdenus. & addit. *Editha, Edgari Regis filia, quæ nuptias aversata, castitatis opinione in Sanctarum Catalogum irrepsit; ædiculam virginibus velatis hic constituit.* Sed fallitur. Fuit enim Edwardi Regis filia, quæ monialem Polesbiriæ induit, ut * infrà dicetur. Edgitha, Edgari Regis filia, in Occidente vixit, Wiltoniæ monasterium ingressa, ibidem sanctè mortua; nec legitur unquam in Merciis fuisse.

* v an. 913. 2. & an. 926. 2.

ANNUS CHRISTI 911.

ANASTASII III. PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLORUM REG. 11.

I. ET URBES ALIAS

ITERUM anno Domini nongentesimo undecimo, Ethelfleda in reparandis urbibus prudentissimè occupatur in Merciorum provinciâ, quas hic mænibus cingit; illic arcibus ad omnem hostilem impetum munit; nunc præsidiis auget, & Danis opponit. Hovedenus ad hunc annum ita scribit: *Egelfleda Merciorum Domina, urbem condidit, quæ Eadesbirig dicitur; & in fine Autumni, alteram, quæ Waren ic nominatur.* Quod ad Eadsburiam spectat, locus est in Cestrensi provinciâ, ad ingressum saltus, qui Dehamere dicitur: *Ibi suam urbeculam* (loquitur Camdenus) *posuit Ædelfleda Mercia, quæ exoleto jam nomine rudetum effectum, the thamber in the forrest, vocatur. Et ad unum & alterum hinc milliare, alterius oppidi Emberrovv ab eadem extructi, parietinæ visuntur.* Ad Warwicensem urbem quod attinet; est illa Edelfleda antiquior: nam Britannorum tempore Caer Guaruic dicebatur: & præsidium ibi Romanos habuisse, multa sunt argumenta. Nunc igitur aucta potiùs, & reparata, quam belli injuria concusserat; non condita dici debet: quod Camdenus observavit, cùm dixit: *oppidum ipsum ædificiis speciosis est exornatum, plurimumś debet Edelfledæ Merciorum Dominæ, quæ labefactatum, anno nongentesimo undecimo restauravit.*

Hoved. hic.

EADSBURIUM ET WARWICUM.

Camden. in Warvvicen. comitatu.

II. Hic Authores, per singulos ferè annos, urbes oppidáque recensent, quæ posuit, in Merciorum provinciâ, hæc Princeps fœmina: ego compendio illustriora solùm referam, nec annorum seriem, aut tempus expectabo. Itaque præter Warwicum, & Cestriam, quam suprà Legecestriam appellavi; Staffordiam, Lichfeldiam, Salopiam, nobilissima oppida: Wadsbury, Fodesbiry, Warram, Rimcorne, Brimsbery, Brige, & plura alia ab eadem Principe, vel de novo condita, vel restituta, ornatáque perhibentur. Cujus laus eò amplior redditur; quòd urbes etiam à Danis captas, & possessas, ipsa insigni planè fortitudine, ex eorum manibus extorserit. Unde meritò Authores supra dixerunt; Edoardum Regem, Ethelfledæ sororis ope, feliciorem fuisse.

III. WEREFRIDUS WIGORNIENSIS MORITUR. *Godvvin. de Wigorn.*

Moritur hoc anno Werefridus Wigorniensis Episcopus; quem ob doctrinæ præstantiam, Regi Alfredo charum dixi. De eo è Capgravio, & Lelando, hæc habet Godwinus: *Mortuo Alvvino Wicciorum, sive Wigornensium, Episcopo; Werefridus dignissimus visus est, qui succederet. Cùm felicissimus Princeps Alfredus, Academiam ad Isidis vadum (Oxoniæ) instituisset, excellentis doctrinæ viros, in suo palatio nutriebat; qui non modò literas illic profiterentur: verùm etiam interpretationi Latinorum authorum sedulò incumberent. Inter hos in aulam vocatus Werfridus; tanquam antisignanus præivit: qui dialogorum libros Gregorii Primi Romani Pontificis, in linguam Saxonicam vertit. Denique exactis undecim annis, post mortem Alfredi Regis; obiit anno à Christo nato nongentesimo undecimo.* Unde corrigendus est Pitsius, qui libro de illustribus scriptoribus, ait: *Cæterum diem clausit extremum Werefridus, anno Christi incarnati nongentesimo primo, dum rerum apud Anglos potiretur Alfredus.* Nam eum ad Edoardi tempora pervenisse, & Regiæ ejus chartæ subscripsisse, * suprà probabiliter ostendi: ubi quia Werfert scribitur; aliqui putaverunt eum à Werefrido esse differentem, ejusque in Wigorniensi sede Successorem. Unde Falsi mortuum Werefridum supponentes anno 892. Werferthum illi substituunt: & hunc demum hoc anno defunctum scribunt. Sed puto Werefridum à Werfertho non differre & alium hoc anno Wigorniensem Ecclesiam regendam suscepisse. de quo sic scribit Hovedenus, Werferthum à Werefrido non distinguens. *Anno*, inquit, *nongentesimo undecimo, defuncto VVicciorum Episcopo, VVigorniæ VVerfreto, magnæ sanctitatis viro, & scientiæ; qui ut supra dictum est, Regis Alfredi rogatu, dialogum Beati Gregorii Papæ, in Saxonicam verterat linguam, Athelhunus successit.* Ecce Werfertus, Werfretus, & Werefridus, qui Ethelhunum præcessit, synonima sunt. Quis eum in eâ sede secutus sit, dicam infrà: nam Hovedenus, & Wigorniensis, Wilfertum quendam nominant. Cæterùm Ethelhunus, monachus fuit, & Barclecensis cœnobii Abbas, cùm ad majus sacerdotium assumitur. Unde corrigendus videtur Harpesfeldus, qui Abbatem Borleiensem vocat. Si Boorclensem scripsisset, ignoscerem; quia oppidum illud, in Dobunis, & Glocestrensi agro, Saxonum dialecto, Beorclenlau dicebatur. teste Camdeno.

Pits. in Werefrido.

*an. 901. 14.

ATHELHUNUS WIGORNIENSIS EPISCOPUS.

Harpesfeld. sæc. 10. c. 12. prim.

ANNUS CHRISTI 912.

LANDONIS PAPÆ.

EDOARDI ANGLORUM REG. 12.

I. NON puduit Edoardum Regem, sororem sequi, cùmque in extruendis urbibus imitari. Nam ita de eo Hovedenus: *Anno nongentesimo duodecimo, Rex invictissimus Edvvardus, ante festivitatem Sancti Martini, Badefordiam adiit, & tam cum habitatoribus ejus, in deditionem accepit: ibidemq; per triginta dies moratus, urbem in australi plaga amnis Vse, condi præcepit.* Non ipsam Badefordiæ urbem, quam hodie Bodfordiam dicimus; quæ dudum condita, Britannorum tempore, Saxonum impetum sustinuit, anno Christi 572.* & Offæ Merciorum Regi sepulchrum dederat, ut * alibi dictum. Edoardus tamen, hoc tempore illud oppidum, à Danis vastatum, egregiè restituit, ampliavitque: unde Camdenus Hovedenum sequens, ait: *Bedfordia oppidum Danicis bellis prostratum, Edvvardus senior reparavit, urbeculamq; ad australem Vsæ fluminis ripam adjecit; quam Mikesgate* (ut optimum Hovedeni exemplar habet) *illa ætas vocavit.* Sed & alibi, eodem tempore, Edoardus in muniendâ provinciâ egregiè laboravit. Nam ita scribit Westmonasteriensis: *Eodem anno* (912.) *Rex Eadvvardus fecit ædificare Burgum Hertfordiæ, inter tria flumina, id est, Memaran, Benefluthe, & Ligeam: & in East-Sexiâ, Burgum, quod VVithaiu nuncupatur, circa festum Sancti Martini.* Nec hic putandum, Hertfordiæ oppidum, nunc primum condi cœptum: Nam Beda illius oppidi meminit, Herudford vocat, & Synodum ibi sub Theodoro Dorovernensi, celebratam diximus, ad annum Domini 673. Arcem ergò ibi, ad Danorum impetus propulsandos constituit: de quo Camdenus: *Castrum habet Hertfordia, ad Lea fluminis ripam* (ita Ligeam Westmonasteriensis nunc vocamus) *ab Edoardo seniore, ut creditur, constructum.*

Hoveden. hic. — EDOARDUS BEDFORDIAM RECIPIT. — * num. 2. — * an 796 1. — *Camden. in Bedford.* — *Westmon. hic.* — HERTFORDIA RESTAURATA. — *Beda l. 4. c. 5.* — *Camden. in Hertford.*

II. Porrò Witham oppidum, in Essexiensi agro, Edoardum Regem conditorem agnoscit: Illo enim, in eo fere agro, ædes & domicilium fixerat, ad Camalodunum; quod nunc contractiùs Maldunum dicimus. testatur hoc Huntindonius, qui supradicta omnia confirmat, sed refert ea ad annum Edoardi Regis nonum, ita scribens: *Edvvardus Rex, anno nono regni sui, construxit Herefordiam, castrum non immensum, sed pulcherrimum, inter Beneficiam, & Minceram, & Luye, flumina, non profunda, sed clarissima. Eodem anno construxit Burgum quendam VVitham, in Essex; & interea manebat apud Mealdune: & ei subdita est magna pars gentis illius, quæ priùs erat sub ditione Dacorum.*

QUID FACTUM IN ESSEXIA? — *Huntind. f. 353.*

III. Hic passim Annales nostri, & cum illis Baronius, Rollonis Dani baptismum narrant: ideò forsan; quia olim in somnis jussus est Angliam petere, & inde fidem, & immortalem vitam quærere: ut * dictum suprà. nisi mavis dicere: ideò Rollonem Annalibus inserendum; quia Normannorum Regum, qui Angliam armis subjugarunt, princeps fuit, & fundamentum. Diu ille Francos in utraque fortunâ vexaverat: & cùm aliquando, Gallorum viribus; aliquando divina vi territus; desinere ab incepto debuisset, manúmque à sanguine cohibere: magis insaniit. Nam collectâ barbarorum manu, se suósque in Francorum exterminium devovit. Franci furorem hunc non aliter sistere potuerunt, quàm Regiâ prole in matrimonium datâ, pactáque in dotem Neustriâ: eâ lege, ut Rollo, abjectis idolis, se ad Christi castra, per baptismum transferret. Rem bené narrat Gemiticensis, & illud lepidè: quòd qui collum Christo subdere paratus erat, inclinare tamen se ad regii pedis osculum (quod feudi ratio postulabat) noluit: sed substituit pro se militem; qui erecto nimiùm Regis pede, osculum figens; ipsum Regem prostravit, fecitque supinum. Sed hujus rei exordium narret Gemiticensis.

ROLLONIS BAPTISMUS. — * an. 876. n. 31. 14.

IV. *His itaque Rollo infortuniis, militúmque suorum morte furibundè succensus, ad Francorum infestationem reliquos exaggerat: & ad demoliendam, sive exterminandam patriam; ob sociorum perniciem, eos totis conatibus incitat. Quid plura? ut lupi vespertini vehuntur pagani, ad caulas Christi; succenduntur Ecclesiæ, mulieres ducuntur captivæ, trucidatur populus, fit omnibus in commune luctus. His demq; Franci calamitatibus oppressi; querulis clamoribus Carolum Regem appetunt; unanimiter conclamantes, Christianum populum, ob ejus inertiam, paganorum incursibus deperire. Quorum querimoniis, Rex vehementer permotus; ascitum Franconem Archiepiscopum, Rolloni festinanter dirigit; mandans, si Christianus efficeretur, terram maritimam, ab Epta flumine, usque ad Britannicos limites, cum suâ filiâ, nomine Gislâ, se ei daturum fore. Qua legatione Franco susceptâ; peracto itinere, pagano Duci cuncta per ordinem pandit. Cujus verba consulto suorum, gratanter suscipiens; a vastatione paganicâ inducias trium mensium Regi indulget. ut in hoc dierum spatium, pax inter eos stabiliretur fœdere firmo. Statuto sanè tempore, veniunt ad denominatum locum, qui dicitur ad S. Clerum; Rex, cum Roberto, Francorum Duce, trans Epta fluvium. Rollo verò citra, vallatus cuneu militum. Discurrentibus alternatim nuntiis; pax, favente Christo, stabilitur inter eos: Rollone Rege, fidelitatem Sacramentis jurante: & Rege illi filiam, cum terrâ prætitulatâ donante: superaddita etiam, ad sumptuum supplementa, tota Britannia, ipsius provinciæ Principibus, Alano, atque Berengario, Sacramenta jurantibus Rolloni. Nam terra maritima, quæ nunc vocatur Normannica; ob diuturnos paganorum excursus, silvis ubique adultis, à cultro & vomere torpebat inculta. Flandrensem verò provinciam, ut ex eâ viveret, voluit Rex ei primùm dare: sed ille noluit præ paludum impeditione, recipere.*

Gemmetic. l. 2. c. 17. — NEUSTRIA ROLLONI DATUR, CUM GISLA FRANCORUM REGIS FILIA.

V. *Rollonis autem pedem Regis, cùm ab eo Ducatum Normanniæ reciperet, nolentis osculari: dixerunt Episcopi: Qui tale donum recipit, osculo debet expetere pedem Regis. Et ille; nunquam curvabo genua mea alicujus genibus, nec osculabor cujuspiam pedem. Francorum igitur precibus compulsus, jussit cuidam militi pedem Regis osculari. Qui statim pedem Regis arripiens, deportavit ad os suum; standoq; defixit osculum, Regemq; fecit supinum. Itaque magnus excitatur risus, magnusq; in plebe tumultus. Cæterùm Carolus Rex, Duxq; Francorum Robertus, Comitesq; & Proceres, Præsules & Abbates, juraverunt Sacramento Catholicæ Fidei, patricio Rolloni vitam suam, & membra, & honorem totius regni: Insuper terram denominatam; quatenus ipsam teneret, & possideret, hæredibus & traderet, & per curricula cunctorum annorum; successio nepotum, in progenies*

progenie-

progenierum haberet, & excoleret. Quibus nobiliter expletis, Rex latus ad sua regreditur: & Rollo cum Roberto Duce, ad Rhotamagensis urbis mœnia proficiscitur.

VI. ROLLO BAPTIZATUR. Gemiticen. sup. c. 18.

Anno igitur Incarnationis Dominicæ nongentesimo duodecimo; benedicto fonte in nomine S. Trinitatis, Rollo à Francone Archiepiscopo baptizatur. Quem Robertus Dux, à fonte accipiens, ei suum nomen imposuit. Rollo autem, postquam baptizatus est, per septem dies, quibus in albis mansit; Deum & Sanctam Ecclesiam devotè datis muneribus honoravit. Nam primo die dedit terram prœmaximam Sanctæ Mariæ Rhotomagensi Ecclesiæ. Secundo Sanctæ Mariæ Baiocensis Ecclesiæ. Tertio Sanctæ Mariæ Ebroicensis Ecclesiæ. Quarto Sancti Michaëlis Archangeli Ecclesiæ, in periculo maris, supra montem positæ. Quinto Sancti Petri, & S. Audoeni in suburbio Rhotomagensi Ecclesiæ. . . . .

Idem c. 19.

Sexto S. Petri, & S. Aichadri Gemmiticensi Ecclesiæ. Septimo Brenneval, cum omnibus appendiciis suis Sancto Dionysio dedit. Octavo die expiationis ejus vestimentis chrismalibus exutus, verbis cœpit adquisitam terram metiri. Comitibusq; suis, & cæteris fidelibus suis largiri. Videntes autem Pagani Ducem suum Christianum esse, relictis idolis, Christi nomen suscipiunt, ac unanimes ad baptismum convolant. Dominus Robertus, Francorum Dux, rebus, pro quibus venerat, competenter gestis; Franciam repetit hilaris. Porrò Robertus Normannorum Dux, præparato nuptialium rerum magno apparatu, supranominatam tanti Regis filiam, in consortium sui thori, Christiano more duxit. Hæc omnia Gemmticensis. & facta est Fides oraculo, quod * dudum Rolloni in Angliâ ostensum: ubi se in montis cacumine positum, ablutum in fonte, & à leprâ mundatum vidit.

* an. 876. 14.

VII. Cæterùm quòd Constantinum imitatus, statim à baptismo, Ecclesiam, & Sanctos, honorarit; quòd albis indutus, chrismate delibutus, Christiano more nuptias celebraverit; arguit omninò Constantini Fidem, in hoc usque sæculum descendisse: quod licet in historiâ certissimum; juvat tamen Regiam Fidem, Regum, ac Principum virorum argumentis asserere; ut fides paradoxa, quæ in plebe est, & humi jacet, erubescat in sæculorum lucem prodire. Enimverò Romana Ecclesia, licet capiosè morbo laboraret: licet Anastasio mortuo, Lando quidam, hoc anno successerit, & eo amoto, Joannes X. ab impurissimâ fœminâ; in Petri sedem intrusus sit: Romana tamen Fides, non est passa deliquium: sed eadem sacra, iidem per orbem ritus, eadem omninò Sacramenta fuerunt. Imò Cathedram illam, quantumvis Scribæ & Pharisæi occupassent; Principes tamen nostri venerati sunt. Quod doctissimè observavit Baronius, cum factâ mentione impiorum Pontificum, qui primam sedem indebitè invaserunt, subdit: *At quod mirandum est; isti licet tales fuerint: tamen eò honoris & reverentiæ, fideles omnes, præsertim longe positi Boreales populi, prosequebantur Romanam Ecclesiam; ut quemcumque in eâ sedentem audirent, nomine tenus Pontificem: eundem, mirum dictu, nulla habita discussione ejus ingressus, ut Petrum colerent.* Inter hos Boreales, Principes nostri fuerunt; qui sanam Fidem, & sacra omnia, sub insano capite servaverunt. Nec possunt Novatores, quantumvis paucorum sordes & excrementa vexent, peccatum aliquod in fide reperire. & hoc solum Petro à Christo promissum illi, & Successoribus ejus: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua.*

ANASTASIUS PAPA MORITUR. LANDO PAPA MORITUR.

Baron. an. 912. n. 4.

VIII. ROLLONIS POSTERI.

Non otiosè Rollonis baptismum hic intexui, quia primus ipse Normannorum Dux, progeniem habuit; quæ sequenti sæculo, Angliæ Principatum tenuit per plura sæcula. Reliquit enim Rollo filium suum hæredem, Guilielmum nomine, qui Richardum filium, & è filio nepotem, ex eóque pronepotem, avo cognomines, habuit. Et hic demum pronepos (Richardus tertius) Robertum genuit, Guilielmi nostri parentem, qui primus è Normannorum sanguine, absolutâ Saxonum periodo, in Angliâ regnavit. Quamobrem Normannorum incunabula fidei, non erat abs re detexere. Nunc ad rerum gestarum seriem redeo.

ANNUS CHRISTI 913.

JOANNIS X PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLORUM REG. 13.

I. ETHELFLEDA IN BRITANNOS PUGNAT FELICITER.

BRITANNI, qui in Merciorum confinio erant; fœmininum imperium aspernantes, paulò liberaliùs in Saxonum agris, anno nongentesimo sexto grassati sunt. quos arcere volens Ethelfleda; Silurum fines, quos ipsi tenebant, cum armato milite intrat; & arcem, quæ in Brechiniensi provinciâ princeps erat; fortè urbem ipsam Brecknock, cingit, moxque expugnatâ viriliter arce, cùm captivos plurimos cepisset; etiam Regis Britannorum uxorem, opimum spolium in Merciam abduxit. Cæterùm gens illa, à prædâ abstinuit, imperii patientissima. Hoc masculæ fortitudinis argumentum, refert Wigorniensis post quadriennium; alii tamen ad hunc annum referunt. Hovedenus ita: *Anno nongentesimo decimo tertio, Egelfleda Merciorum Domina, in terram Britonum, ad expugnandam arcem, apud Bricenamere misit exercitum; qui expugnatâ arce, uxorem Regis Britonum, cum triginta quatuor hominibus, captivos in Merciam adduxerunt.* Camdenus ubi Silurum agros lustrat, hæc habet de Bricenamere. *Lacus est*, inquit, *quem Britanni lacum stagnantem, Giraldus clamosum vocat; quod horrenda strepitu tonitrua ementitur, quoties in eo glacies resolvitur. Angli Brecknockmere appellant, duobus millibus passuum longitudine, nec minùs latitudine patet. Hunc lacum Marianus Bricenamere vocare videtur: qui prodit Edelfledam Merciam, anno nongentesimo decimo tertio, Britonum terram intrasse, ad expugnandum arcem apud Bricenamere: ibiqúe uxorem Regis Britonum cepisse. An hæc arx fuerit ipsa Brecknock, aut castrum Dinas, quod huic impendet in rupe, quæ quò magis excelsa surgit, exilior evadit; non liquidò constat.* Hæc Camdenus.

Hoveden. hic.

Camden. in Brecknok.

II. EDOARDI CONIUGES ET LIBERI. EGUINA I. CONIUX. ETHELSTANUS ET ELFREDUS.

Edwardus, hoc tempore, multa auctus prole, egregiè nomen suum posteritati consecravit: tres omninò uxores duxerat, & ex eis sex filios, & novem filias suscepit: quorum aliqui nunc, in spem magnam adoleverant. & ideò de eis dicendum. E primâ conjuge Ethelstanum dudum genuerat: quem Alfredus avus, ut suprà, militem creaverat: Elfredum etiam, quem Edoardus pater amasse tenerè, & regni collegam asciviße, perlubetur: sed immaturus honor, diuturnus non fuit: nam

diu ante patrem mortuus (opinor sub hæc tempora) sepultus est in novo monasterio, quod parens ante aliquot annos Wintoniæ erexerat. Ex eâdem conjuge filiam habuit Editham nomine, quam Scotorum Scriptores Beatricem vocaverunt. Illa Sithrico Dano posteriùs nupta, * infrà recensebitur: Deo enim constantiùs, quàm marito adhærens; cùm eum post annum amisisset, in patriam reversa, & monasterium ingressa, piè moritur sub annum Christi nongentesimum vigesimum sextum, & locum inter Sanctos meruit.

* an. 925. 10. an. 926 n. 1. 2

III. Elfleda secunda conjux: Elswardus, Edwinus, Edfleda, Eguina,

Ex aliâ conjuge, Elfledâ nomine, Elfwardum, optimæ spei juvenem, Edoardus sub regni principium, suscepit. hunc parens Successorem designaverat: sed ipse statim à parentis obitu, mortalem vitam cum immortali commutavit. Quare spes illa Edwinum manebat, Elfledæ secundo genitum: quod veritus Ethelstanus, eum navi impositum, Oceano permisit, ut dicam infrà. Sequuntur filiæ plures, quas Edoardo Alfleda peperit: Primogenita Edfleda, Virgo Deo sacra, in Rumsciensi monasterio: *Eguina*, quam Carolus simplex, Francorum Rex, dudum in uxorem acceperat, genueratque ex eâ Gislam, quam * nuper Rolloni baptizato, Christiano more conjunximus. *Ethelhilda*, quæ in Wiltoniensi cœnobio monialem induit. *Edhilda* nupsit Hugoni magno Comiti Parisiensi, qui Hugonem Capetum genuit, Regiæ Capetianæ stirpis parentem. *Edgitha* Othoni Regi, ejus nominis primo conjungitur, qui ex eâ Ludovicum Sueviæ Ducem, Gulielmum Moguntinum Archiepiscopum, Ludgardem filiam, quæ maritum habuit Conradum Lotharingiæ Ducem, & Mathildem Abbatissam Quedlinburgensem suscepit. *Elgiva* sororem in Germaniam comitata, Henrici Imperatoris operâ, nuptui traditur cuidam Duci subalpino, cujus nomen ignoratur. Hæ secundarum nuptiarum proles fuerunt: quamvis sæpè ab Authoribus Elfleda prima conjux, ob furtivas Eguinæ nuptias, nominetur. Cæterùm moritur hæc Edoardi uxor, ut conjicimus, anno præsenti. Nam decimo quarto regni anno, alteram duxisse dicitur, de quâ statim.

* an. 913. 4.

Ethelhilda, Edhilda, Edgitha

Elgiva.

IV. Eorum institutio. Malmesb. de reg. l. 2, c. 5.

Cùm Regiam prolem Malmesburiensis recensuisset, mox de earundem institutione hæc addit: *Edoardus filias suas ita instituerat; ut literis omnes ab infantiâ maximè vacarent: mox etiam colum, & acum exercere consuescerent: ut his artibus pudicè impubem virginitatem transigerent. Filios ita, ut primum eruditio plena literarum, in eos conflueret; & deinde quasi Philosophi, ad gubernandam Rempublicam, non jam rudes procederent.* & successit è voto, nam præter Ethelstanum, qui parenti successit, regnavitque illustrissimè, Edoardus alios duos, Edmundum & Edredum, è tertiâ conjuge, filios habuit, qui Angliæ sceptrum egregiè tractaverunt. terrorem hostibus, civibus pacem, Ecclesiæ splendorem asserentes, ut patebit è dicendis.

ANNUS CHRISTI 914.

JOANNIS X. PAPÆ 3.

EDOARDI ANGLORUM REG. 14.

I. Edgiva tertia conjux.

SEQUITUR Christi annus nongentesimus decimus quartus; quo mortuâ Elfledâ Reginâ, quæ illustrissimam Regi prolem pepererat, Elfledam, Eguinam, Ethelhildam, Edgitham, Elgivam: Edoardus uxorem aliam accepit Edgivam nomine, Sigelini Comitis filiam. Ex quâ liberos suscepit Edmundum, & Edredum Reges: Eadburgam, & Edgivam, matri cognominem. de quibus hæc pauca Malmesburiensis: *Eadburga sacrata Christo Virgo, Wintoniæ quiescit: Edgivam speciositatis eximiæ mulierem, conjunxit frater Athelstanus, Ludovico Aquitanorum Principi.* Ita Gallias, Germanias, Italiam, universam penè Europam, Edoardi filii, filiæque, impleverunt; promiseruntque ad multa sæcula prolem Regiam. quorum plerique insigni pietate, & magna etiam sanctitatis opinione, præluxerunt adeò; ut sæculum hoc, obscurum cæteroquin, ut Historici omnes conqueruntur, per se valeant illustrare. Ego hos Anglicanæ Ecclesiæ, Regiæque Fidei flores, Annalibus ideò suis locis intexam; quia lilia, rosæ, violæque sunt, quæ longè latèque effuderunt odorem suum.

Edmundus, Edredus. Edburga Edgiva.

II. Dani Insulam vexant. Wigorn. hoc an.

Interim Dani è diuturnâ quiete vires collegerant, & rupto fœdere, provinciam depopulantur. Unde prodierint, quò perrexerint, quo eventu pugnaverint, ita ad hunc annum explicat Wigorniensis. *Post Pascha exercitus Paganorum de Northamptune, & Leogecestre, in Oxenfordiensi provinciâ prædam egerunt: & in Regiâ villâ Hokenertune, & in multis aliis villis complures occiderunt.* Sunt qui conjectent, Rollonem hujus expeditionis ducem fuisse. qui in Dobunorum agro victoriæ suæ monumentum reliquit, mirabilem lapidum congeriem, quæ ibidem cernitur, quam *Rollrich-stones vulgus appellitat*, inquit Camdenus: & addit: *Victoria autem alicujus monumentum ego crediderim, & fortè à Rollone Dano, qui postea rerum in Normanniâ potitus est. Quo enim tempore, ille cum suis Danis, & Normannis Angliam bellorum æstu exagitaret; Danos cum Anglis prælium ad Hokenorton conseruisse legimus.* Verùm, si Rollo jam baptizatus, Edoardi è filia neptem, uxorem habuit, ut suprà * Authores dixerunt, tam domestici, quàm exteri: non hoc anno, sed priùs, Rollo nomen suum vastis illis lapidibus reliquit. Scio Huntindonium, hanc Danorum stragem, paulò citiùs, & ad decimum Edoardi Regis annum, referre. Unde, & ex Authorum differentiâ, qui vario calculo tempora metiuntur; vix certi aliquid de annorum serie statui potest. Quod si Rollonis baptismum in posteriora rejicimus: quod nutans plerumque Gemiocensis narratio, & Rollonis nova nupta videntur persuadere. Tunc non malè Camdenus conjectat Rollonem hac vice, in Oxoniensi agro prædari potuisse. Nam feliciter satis à Danis pugnatum. Unde Huntindonius: *Anno Edoardi Regis decimo, exiit Dacorum exercitus, ab Hamtoniâ, & Legecestriâ, & fregerunt inducias, quas Rex eis dederat: & fecerunt cadem magnam Anglorum apud Hockneretune, & ibi circum, in Oxinfordscyre.*

Camden. in Oxford.

* an. 913. 3.

Huntind. fol. 353.

Verùm

III. *Dani funduntur.* Verùm scelere & perfidiâ parta victoria, diuturna esse non potuit. etenim cùm ferocire adhuc Danus pergeret, & denuò prædari; acerbiorem fortunam expertus est, & cives ad resistendum promptiores. Nam *gens patria*, inquit Huntindonius, (*Idem supra.*) *eos comperiens, pugnavit cum eis, & eos fugavit, & totam prædam, quam ceperant, eis abstulit, & etiam equos eorum.* Pugnatum tunc est ad Leam fluvium, in Hertfordensi Comitatu, quem hoc certamine Edoardus Rex, è Danorum manibus videtur extorsisse. Unde collectis ibi operis, ad ædificium urbis, in australi plagâ fluminis, quæ nunc Wara dicitur: ipse Rex, *post Rogationes,* (inquit Wigorniensis) (*Wigorn. hic.*) *cum majore parte exercitus East-Saxoniam profectus, in Mealdune castra posuit: ubi tam diu moratus est, donec apud Withám, urbs ædificaretur, & ædificata firmaretur. Cui magna pars populi, quæ sub manibus paganorum erat; cum suis omnibus se dedebant.* Quòd dierum Rogationum Author meminerit, ideò factum est, ut Edoardi pietatem nossent posteri; qui illos dies, ut Rom. Ecclesia jubet, devotè coluit. (*Rogationum dies, quare instituti?*) Solebant enim tunc fideles; ob mala à civibus avertenda, & bona à Deo impetranda, humili supplicio, triduum illud celebrare. Quod Gallis solenne fuit, ad hostem à provincialium cervicibus avertendum. de quo Gregorius Turonensis: (*Greg. Turon. lib. 2. histor.*) *Has ipsas Rogationes, quas ante Ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, Mamertus Viennensis urbis Episcopus instituit, dum urbs illa, multis terreretur prodigiis.* Quod ita tamen intelligo, ut Litaniarum usum restituerit potiùs, quàm instituerit Mamertus. Unde benè Ado Viennensis in Chronico ad annum Domini 452. dicit: solenniori ritu Mamertum Litanias restituisse. Quem statim secutus Sidonius Apollinaris, Arvernorum Episcopus, causam institutæ supplicationis insinuat, scripta ad eundem Mamertum Epistola, quæ sic incipit. (*Sidon. Apol l. 7. Epist. 1.*) *Rumor est, Gothos in Romanum solum castra movisse. Huic semper irruptioni nos miseri Arverni janua sumus, &c.* Inde quibus armis pugnandum sit, ita docet: *Non nos, aut ambustam murorum faciem, aut putrem sudium cratem, aut propugnacula vigilum trita, pectoribus nostris confidimus opitulatura: solo invectarum, te auctore, Rogationum palpamur auxilio. quibus inchoandis, instituendisq; populus Arvernus, & si non effectu pari; affectu tamen non impari, cœpit imitari. & ob hoc circumfusis necdum dat terga terroribus.*

IV. Hoc pietatis officio, functus est Edoardus, Rogationum dies religiosè observando; quod dudum erat in Britanniâ, non consuetudine solùm, sed lege etiam, introductum. Alfredus Edoardi pater, * (**an. 887. 22.*) supra hos dies Gang dagas appellavit, quod interpres Lustrales vocat: & graviter cavet; nè religiosi dies illi scelere violentur. Sed & ante eum, in Concilio Cloveshoviæ sub Cuthberto Dorovernensi, (*vid. an. 747. n. 11.*) sancitum est: (*Conc. Cloveshov. c. 22.*) *ut Letania, id est Rogationes, à clero, omniq; populo, his diebus cum magnâ reverentiâ agantur: id est, die septimo Calendarum, juxta ritum Romanæ Ecclesiæ, quæ & Letania major, apud eam vocatur. Et item quoque secundum morem priorum nostrorum, tres dies ante Ascensionem Domini in cælos, cum jejunio, usque ad horam nonam, & Missarum celebratione, venerentur.* Benè dicitur, *secundum morem priorum nostrorum.* quia ante decennium Beda obierat: & tunc consuetudo obtinuerat solenniter cum Sanctorum reliquiis, eo tempore, procedere, ut * (**an. 734. 11.*) supradictum. Unde doctè Alcuinus noster observavit, Galliarum Episcopos, in hac sacra cæremonia, antiquorum Patrum vestigia sequutos esse. quæ etiam devotissimè Angli presserunt. Sic enim loquitur. (*Alcuin. de divin. off. c. 23.*) *Cum exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur: nec hujus flagelli aliquod remedium inveniretur: congregati traduntur Galliarum Episcopi, apud Viennam, præcipuam Galliæ urbem: qui in commune statuerunt; ut triduano jejunio misericordiam Domini implorarent, antiquorum Patrum vestigia sequentes. Cumq; ad eorum preces, oculus divinæ pietatis respiciens, flagelli hujus pestem misericorditer abstulisset; hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt: ut per Galliarum provincias, ante Ascensionis diem celebrarentur. Quæ consuetudo apud Nos, usque hodie, pro diversis calamitatibus devotissimè recolitur.*

V. Jucundè versor in Regum nostrorum antiquâ pietate, in ritibus illis, quos illi coluerunt, in sacris, quæ Sanctos Reges, Episcopos, & omnem ordinem effecerunt: quia hodie antiquata sunt omnia. & nescio quæ nudifidia pietas, religióque, eorum loco successit: quæ plebe tam impetuosè sequitur, quàm ignoranter ab omni majorum suorum orbita exerrat. Nos scimus antiquos Reges, antiqua sequutos, sua nomina posteris consecrasse; à Deo in hac vita, & multò magis in alterâ; præmiis & immortalitate donatos: scimus Edoardum hunc, paternam & avitam pietatem æmulantem; non unâ de hostibus victoriâ, sed pluribus & illustribus felicem fuisse; & insignem prolem, ad multam ætatem, ad Insulæ laudem, Deique Opt. Max. gloriam, promisisse. Nescimus, unde Novatores prodierint, qui antiqua nauseantes, horum sæculorum mores exuerunt, doctrinis variis & peregrinis abducti: nos memores præpositorum nostrorum, eorum intuentes exitum conversationis, imitamur Fidem: & sacra omnia veneramur.

ANNUS CHRISTI 915.

JOANNIS X. PAPÆ 4.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 15.

I. *Nova Danorum manus.* SEQUITUR Christi annus nongentesimus decimus quintus; quo Dani, qui in Insulâ erant, cùm res suas nimiùm recisas cernerent; non ausi, præ paucitate, hostile aliquid moliri: novam militum manum è Galliis accersunt; sive illi fuerint, qui nuper occupaverunt Neustriam; sive alii, similem fortunam experturi. Cæterorum Principes, ac ductores, fuerunt Utherus, & Roaldus. (*Utherus & Roaldus duces. Wigorn. hic.*) Hi solventes *de provinciâ, quæ Lidwicum dicitur,* inquit Wigorniensis, *circumnavigatâ West-Saxonia, & Cornubia, tandem Sabrinæ fluminis ostium ingrediuntur. Nec mora, terras Septentrionalium Britonum invadunt: & cuncta, quæ circa fluminis ripam reperiunt, penè diripiunt.* Ita ille. Britanni magis patebant barbarorum injuriæ, quàm cæteri provincialium; quos Edoardus Rex propiùs tuebatur: cujus imperii necdum illi admodum patientes erant. Rex tamen intellecto damno, statim accurrit, nè portò hostis progrederetur. Non potuit quidem impedire, quin multi à Danis

cæderentur: quin alii etiam bonis spoliati, in servitutem ducerentur: fecit tamen, quod Regium erat; & Ecclesiæ dignitatem propè tangebat. Inter Britannorum captivos, Episcopus erat, Camelacus nomine, quem hostes captum, ad naves abduxerant: Edoardus, nè sacræ religionis Antistes, indignum aliquid à barbaris pateretur, ipsum statim *redemit pro quadraginta libris Sterlingorum*, inquit Westmonasteriensis. *(Westm. hoc)* vitúmque sedi, & civibus restituit.

II. *CAMELACUS EPISCOPUS, QUINAM.* Fuit Camelacus Landavensis Episcopus, qui numeratur in eâ sede vigesimus secundus. Unde quod olim in Westmonasteriensi legebatur, *Australium Saxonum Episcopus*, meritò rejectum est: & Australium Britonum rectiùs legitur. Pugnatum enimverò, in Silurum agro, quem hodiéque Australem Walliam vocamus. Ibi Landavensis Episcopi sedes. Descenderunt ergò Dani è Sabrina fluvio, in Herefordensem agrum, & prædati sunt in convalle, *quam Dorus fluvius, è Septentrione descendens, per Snothil castrum, mediam secat: & quam a flumine, Diffrin Doro vocant Britanni: Angli verò, & vim verbi exprimere videri gentur The golden vale: id est vallem auream, sive auratam nominarunt. Quo nomine, ob auream, opulentam, & amœnam ubertatem; nequaquam indigna censeatur. Colles enim quibus includitur, utrimque sunt silvis amicti, silvis subsunt utrimque arva, atque floriosissima prata: & in medio fluvius limpidissimus interlabitur. Cui monasteriolum elegans à Roberto Domino de Ewias impositum; quod nobilium hujus agri commune fuit sepulchrum.* *(Camden. in Hereford.)* Hæc omnia Camdenus, qui statim addit: *Ab hac valle pars hujus agri, quæ ad ortum divergit; nunc Irchenfeld, in Censual. Gulielmi primi libro, Archenfeld dicitur: quam à Danis anno nongentesimo decimo quinto* (malè legitur, tam in Anglicano, quàm latino exemplari 715.) *ferro flammaq; vastatam, capto Camalaco Episcopo Britanno, produnt nostri Historici.*

III. Hostis ex hac prædà factus elatior, & regionis amœnitate captus; prædas iterum agere, urbes petere, & provinciales ad deditionem solicitare cœpit. Sed illi, Edoardi Regis monitu erecti; pugnare jam, non cedere didicerant. Ut igitur in Irchenfeldam à Danis excursum; Silures, & Cornavii (nunc Herefordenses sunt, & Cestrenses) processerunt obviam: *& homines*, inquit Huntindonius, *ex aliis castris, qui ibi erant propinqui*: *(Huntind. fol. 358.)* quos Westmonasteriensis vocat Wigornienses & Glovernenses. Hi omnes egregiè in hostem pugnantes; provinciam defensarunt. & durante paululùm conflictu, Roaldum Ducem occiderunt, & Geolcillum, Utheri Ducis fratrem, *& cum illis magnam exercitus partem*, inquit Huntindonius; & addit: *fugaverunt eos in castrum quoddam, obsidentes eos ibi; quousque illi dederunt eis obsides, juraveruntq; se recessuros à terrâ Regis.* *(DANORUM DUCES OCCIDUNTUR.)* Alii volunt, Utherum etiam hoc prælio cecidisse. Nam sic breviter pugnam absolvit Westmonasteriensis: *Facto conflictu gravissimo, ciciderunt in parte Danorum, Other, frater Regis Danorum, & Dux Rohaldus, cum exercitus eorum maximâ parte.* Magnam ex hâc re benè gestâ laudem meruit provincia; in quâ tam feliciter Dani profligati sunt. Et hinc fortè natum illud privilegium, Herefordensibus olim datum, ut quoties in hostem pugnatur; primus illis principsque locus deferatur. Sic enim in antiquo Censuali libro legimus. *(apud Camd. in Hereford.)* *Viri de Archenfeld, cùm exercitus in hostem pergit; per consuetudinem faciunt Avantward, & in reversione Rereward.* *

IV. Cæterùm Edoardus Rex, adhibitis, per opportuna Sabrinæ fluminis loca, præsidiis; munivit provinciam, ab australi plagâ dicti fluminis, Avonam usque: nè rursus prædones, agros infestarent. Sed ægrè malum pellitur, quod toties recruduit. Nam Dani noctis beneficio usi; semel iterúmque præsidia eluserunt; egressique in vicinos agros, consuetam prædam agebant: sed illis tandem infeliciter cessit. Cùm enim primò ex orientali parte Weced, iterúmque apud Pordacan, vel ut alter * habet Portlocon irrupissent (sunt opinor loca in Durotrigibus, & agro Dorsetano) utrobique cæsi sunt; vel infami fugâ evaserunt. *(*Wigorn. hoc)* *Et neutra vice*, inquit Huntindonius, *pauci evaserunt, qui occisi non essent; præter illos, qui poterant natare ad puppes.* *(Huntind. f. 3 1)* Nec ibi miseriarum finis: nam qui ægrè ita mortem evaserant; cùm Insulam quandam petivissent; quam Huntindonius Stepen, Wigorniensis Reorie appellat; omnes propemodum fame perierunt. Pauci superstites, in * Diomedum primò, unde quo tutiores essent, in Hiberniam migraverunt & Insula respiravit à Danorum tumultibus. *(*ita Huntindon. s.)*

V. Ut quies esset diuturnior; Edoardus in Buckingamiensem agrum profectus, per Usam fluvium excubias locat. & urbem in eo agro principem, vallo & turribus, utraque ripa munit, jubétque vigilare in motus repentinos. Erant enim in provinciâ illâ, vicinisque locis, Danorum reliquiæ aliquot non ignobiles. Sed & hi, suorum infelicitatem docti; faventémque semper Regi fortunam, non sunt ausi contra niti. *Quamobrem* (scribit Wigorniensis) *unus de Danorum Ducibus Turketillus, & omnes nobiliores de Bedfordâ, multiq; de Northamtune, coactè se dederunt Regi.* *(Wigorn. hoc.)* Hic ergò annus est, quo Edwardus de Danis triumphans; etiam Orientales Anglos, ubi dudum Danorum Principatus fuerat; suli jugo misit. Nec enim mortuo Erico, qui Gurmundo successerat, provinciæ imperium penes Anglum fuerat: quia factiosi plures, seditionis flammam accenderant. Nunc verò fugatis Danis; & viris principibus, Edoardi imperium agnoscentibus, factionis alimenta desiere. Hoc intellexisse videtur Malmesburiensis, ita scribens: *Cuthram habuit Successorem, æquè Danum, nomine Eoric, qui cùm regnasset annis quatuordecim, peremptus est ab Anglis, eò quod inciviliter in eos egisset. Nec tamen eis libertas assurrexit. Danorum Comitibus, vel eos prementibus, vel in West-Saxonum Regis acuentibus. donec Edwardus filius Elfredi, ambas provincias expulsis Danis, liberatis Anglis, suo, id est, West-Saxonico imperio adjecit, anno post occisionem Sancti Edmundi Regis & Martyris, quinquagesimo. regni sui quinto decimo.* *(Malmesb. de Reg. l. 2 c. 5.)* Annus Edoardi Regis definitè ponitur; indefinitè Edmundi Martyris: nam à martyrio ejus quadraginta sex annos tantùm numeramus.

VI. *PLEGMUNDUS DOROVERNENSIS MORITUR.* Absolutâ Edoardi Regis victoriâ, mortuos sepeliam: non quos inimica vis abstulit: sed qui vocante Deo, ad meliorem vitam, hoc anno, naturæ concesserunt. Eos inter, Plegmundus Dorovernensis Archiepiscopus, cùm viginti sex annos Ecclesiæ præfuisset, & doctè piéque in vita pugnasset; magistratum cum vitâ deposuit. In ejus locum Athelmus substituitur: quem suprà

à Plegmun-

ATHELMUS SUCCEDIT. WULFHELMUS WELLENSIS EPS. CUTHARDUS LINDISFARÑ. MORITUR. MILREDUS SUCCEDIT ALIAS TILREDUS.

à Plegmundo ad Wellensem Ecclesiam consecratum diximus. Vacantem ex Athelmi assumptione Wellensem sedem, Wulfhelmus ascendit; quem *doctrinâ & sanctitate clarum* vocat Polydorus. quod vel unde constat; quia post novem annos, Athelmo mortuo, eidem etiam in Dorovernensi sede successit. Moritur etiam hoc anno, Lindisfarnensis Episcopus Cuthardus, cùm quindecim annos, non in Lindisfarnensi Ecclesiâ, quam Danorum metu dudum Antistites dimiserant; sed Conderici, sive Cuncecestriæ Pontificem egisset; terrásque & prædia aliquot Ecclesiæ adjecisset. Successit illi, hoc anno, Milredus, inquit Westmonasteriensis; Tilredus, inquit Wigorniensis. Fasti utrumque nomen apponunt: nec plura de eo: quia tamen Malmesburiensis Milredum vocat: illum, cùm opus, ita appellabo.

VII. De Ethelfledæ annis. *Westmon. hic.*

Ethelfledam etiam hoc anno mortuam, Hovedenus affirmat: sed vitam produxisse plura sunt argumenta, satis vocalia. Nam si hoc, & sequentibus annis, urbes reparavit, vixisse adhuc illam, & valuisse dicendum est. De hoc anno ita scribit Westmonasteriensis: *Eodem tempore, Aelfleda Merciorum Domina, Fadesbury & Warrham villas construxit.* Et de sequenti anno, idem Author hæc habet. *Quo utique anno, matrona Ælfleda, Merciorum Domina, tres villas Cherenburch, Weadbarib, & Runcofam construxit.* Quare probabilius est Ethelfledam, quinquennio tantùm ante Edoardum fratrem obiisse, ut affirmat * Malmesburiensis: unde cum Authoribus aliis, ejus mortem recenseo ad annum Domini nongentesimum decimum nonum. Tunc enim quinto post anno moritur Edoardus Rex.

* de Reg. f. 46. n. 40.

ANNUS CHRISTI 916.

JOANNIS X. PAPÆ 5.

EDOARDI ANGLORUM REG. 16.

I. SEQUITUR Christi annus nongentesimus decimus sextus; quo occiduæ & australes Angliæ partes, procul omni tumultu, aut terrore bellico fuerunt. In Septentrione solum turbarum aliquid. Nam ibi Sithricus Danus rerum quidem summâ potiebatur: Edoardo tamen suberat; qui illi, ut olim Gurmundo, regnandi potestatem fecerat. Iste, nescio quid à vicina provincia lacessitus; Cestrensium fines ingreditur: & urbem ad Dani; vel potiùs Daveni fluminis ripam positam, vi expugnat. Nec aliud hostile molitus; pace cum civibus compositâ, in Northumbriam rediit. Urbem Hovedenus nominat, & paucis explicat hujusce rei rem gestam. *Anno*, inquit, *nongentesimo decimo sexto, Rex Sithricus infregit Davenport.* *Hoveden. hic.*

II. MANCESTRIÆ PRÆSIDIUM COLLOCAT EDOARDUS.

Edoardus tamen, nè paterent Angli hujuscemodi incursibus; Merciorum exercitum jussit in Lancastrensem agrum proficisci: & antiquum ibi oppidum, quod Antoninus Mancunium appellat, restaurari. Dani illud vexaverant frequentibus prædis: & è Septentrione descendentibus, opportunum erat, ad spolia provinciæ colligenda. Rex ergò jubet militum robustissimos, in excubiis ibi stare, & omnem hostilem impetum propulsare. Urbs illa nunc Mancestria dicitur; quod nomen à viris fortibus vulgus putat descendisse: fortè quia scribit ad hunc annum Hovedenus. *Rex Eadwardus misit in Northumbriam, Merciorum exercitum, ut urbem Mancestre instaurarent: & in eâ fortes milites collocarent.* Verùm non à viris, sed a lapidibus (quorum ibi copia, & Main Britannicè efferuntur) dictam esse, Camdenus opinatur. Et sanè si Antoninus Mancunium appellavit; priusquam Saxo Insula potiretur: inde potiùs, quàm ab hoc Edoardi præsidio, Mancestriæ nomen descendisse, jure possumus existimare.

ANNUS CHRISTI 917.

JOANNIS X. PAPÆ 6.

EDOARDI ANGLORUM REG. 17.

MALDUNUM REFICITUR. *Wigorn. hic.*

SEQUENS Christi annus nongentesimus decimus septimus; non aliâ re illustris, quàm Edoardi profectione in Trinobantes: ubi Camalodunum in agro Essexiensi oppidum, egregiè munivit, arce ibi constitutâ; quam præsidiarii milites tuerentur. de quo ita Wigorniensis. *Ante Nativitatem Sancti Ioannis Baptistæ, Rex invictissimus Eadwardus, Meldunam usque pervexit: ubi urbem readificavit: nec (priusquam illam militum custodia muniret) inde recessit.* Westmonasteriensis expressam arcis mentionem facit, sic scribens: *Eodem anno (917.) Rex Eadvvardus, apud Maldonam, burgum & arcem ædificavit: & ea sub militum custodia deputavit.* Fuit hæc Regis industria Reip. salutaris: nam civibus securitatem, terrorem hostibus addidit. Unde Danorum Princeps Turketillus; *pace & juvamine Regis Edoardi, cum suis omnibus Gallicas adiit partes*, inquit Wigorniensis. Qui mox addit: *Venerabilis Abbas Egbrihtus, sexto Calendas Iulii injustè occiditur.* Sed quis ille, aut quorsum occisus; non explicat, nec aliunde adhuc mihi innotuit. Si fuit Danorum victima, aut barbarâ manu mortuus: ut inter Sanctos; sic locum in Annalibus meritò vendicaret.

Westm. hic. *Wigorn. hic.* EGBERTUS ABBAS OCCIDITUR.

ANNUS CHRISTI 918.

JOANNIS X. PAPÆ 7.

EDOARDI ANGLORUM REG. 18.

SUPERERANT adhuc in Insulâ Danorum plurimi; qui freni impatientes, tot ædificari arces & propugnacula, non æquis oculis sustinebant. Unde anno Domini nongentesimo decimo octavo, tumultuari cæptum est, pluribus in locis. Qui in Trinobantibus erant; Maldunum oppidum, nuper munitum, & vixdum firma murorum compagine solidatum, obsident. Sed facili manu ab Edoardo Rege fugantur, funduntúrque. Nam *ex fugientibus inimicis, multa millia interfecit*, inquit Westmonasteriensis. Duas urbes hoc anno, Edoardus contra Danorum violentiam firmare cæperat, Torcestriam in Coritanis, olim ab Antonino, ob trinum pontem

I. DANI FRUSTRA CONANTUR URBES INVADERE. CAMALODUNUM. *Westm. hic.* TORCESTRIAM.

WIGMORE.

Tripontium appellatum: & inter Silures, Wigmore oppidum, in Herofordiensi agro, quod Saxones Wiggingamere vocaverunt. Utrumque locum Pagani aggressi expugnare, luserunt operam. Alibi etiam Edoardi consilia antevertere, locáque munita demoliri conantes; egregiè excepti, prostratique sunt. De quibus ita ad hunc annum scribit Wigorniensis: *Ex præcepto Regis Eadvvardi, civitas, quæ Toveceastre dicitur, ante Pascha; & altera post Pascha, circa Rogationes, apud VViggingamere, conditur. Post nativitatem Sancti Ioannis Baptistæ, Pagani de Northamtuna, & de Leogereceastre, statutâ pace violatâ, Toveceastriam adeunt: quam per totum diem impugnantes, expugnare moliuntur. Sed illi qui intus erant, summis viribus resistentibus; sibique in auxilium vicinis accurrentibus; in fugam vertuntur. Deinde frequenter in provincia Buckingamiensi, noctu, super imparatos irruentes; non solùm de hominibus, sed & de jumentis, prædam agunt; multosq; inter Birnvvoda, & Ægelsbyri* (Alesburiam nunc dicimus) *interficiunt.*

Wigorn. hic.

II. *Eodem tempore* (pergit adhuc Author, Danorum excursiones explicare) *Paganorum exercitus, qui East-angliam & Huntandune inhabitant; relictâ munitione, quam in Huntandun firmaverant; in loco, qui dicitur Temesforda, firmiorem sibi construxere: arbitrantes sanè terram sibi ablatam, inde se certamine recuperaturos esse. Inde ad expugnandam Bedfordam prosiliunt. Verùm, adventu eorum cognito: qui urbem custodiunt, ipsis in prælium occurrunt; congrediuntur, hostes vincuntur, in fugam vertuntur, plurimi interficiuntur. Parvo interjecto tempore; rursus de Est-Anglia, Est-Saxonia, & Mercia, pagani conglobati; urbem quæ VViggingamere dicitur, adeunt; & per totum ferè diem impugnare non desinunt. Sed qui intus erant, viriliter illam defendebant, hostesq; abigebant. Qui recedentes, maximam secum prædam reducunt. Post hæc, ipso æstatis tempore, de proximis civitatibus, & regionibus, quæ sub potestate Regis Eadvvardi erant; multus populus, undecumque collectus, Temesfordam pergunt, eamq; obsident, impugnant, expugnant, incendunt, diruunt; Regémque Paganorum, Ducémque Togleam, cum filio suo, Comite scilicet Mannano, fratrem quoq; illius, omnesque se defendere volentes, interficiunt; reliquos capiunt, quæq; reperiunt, tollunt. Ex inde Danorum vires paulatim decrescebant; Anglorum verò indies crescebant.* Hæc omnia Wigorniensis.

III. ETHELFLEDA DARBEIAM OBSIDET, ET CAPIT

Nec minor Ethelfledæ, Merciorum Reginæ; quàm Edoardi Regis virtus, in fugandis hostibus eminuit. Enimverò cùm pagani Darbeiam, urbem in Coritanis principem, adversus Anglorum impetus, probè munivissent: illa vicinum hostem exosa; hoc ipso anno, eum inde pellere; castróque, quod Danus muniverat, potiri constituit. Igitur scripto milite, barbaros ad certamen provocat: sed illi masculum animum, in fœminâ dudum experti; urbe castróque contenti, cum illâ in arenam descendere non sunt ausi. Illa contra, ex animorum metu, facta fortior; ultrò hostem invadit, castrúmque vi capit, & tota provinciâ potitur; non sine suorum sanguine. Nam ita victoriam refert Huntindonius: *Edelfled Domina Merce, adquisivit Derebi, cum provinciâ & appendiciâ. Cùm autem multitudo hostium intra Derebi conclusa, egredi contra eam non auderet; castellum acerrimè invasit: & in ipso porta introitu, prælii maxima vis exarsit. ubi quatuor Duces fortissimi Edelfled cæsi sunt. Sed sui nihilominus, portam & muros fregerunt.* Ita locus, quem dudum Dani, injuria occupaverant, in Anglorum potestatem redit. priùs enim ibi Dani, domicilium fixerant; inde in vicinos agros excurrere, prædarique soliti. Unde Camdenus, cùm urbem describit. *Darby oppidum est*, inquit, *nec exiguum, nec infrequens: hoc solummodo nomine antiquis memoratum; quod grassantibus Danis latibulum fuerit; donec Ethelfleda illa victrix, Merciorum Domina, inopinato impetu, trucidatis Danis, potita fuisset.*

Huntind. fol. 318.

Camden Darbu.

IV. COLCESTRIAM ANGLI A DANIS EXTORQUENT.

Multum hæ victoriæ Anglorum felicitati addiderunt: & ubique cœptum Danos è latibulis pellere: nam variâ nunc experientiâ didicerunt pelli posse. Unde Colcestriam, quam hostis muniverat, in agro Essexiensi, Edoardi miles aggressus; hoc etiam anno expugnavit. de quâ Wigorniensis. *Autumnali*, inquit, *post hæc tempore, de Cantiâ, Suthregiâ, East-Saxoniâ, & de urbibus, regionibúsque in vicinio positis; non parva multitudo populi, in unum congregati, unanimiter Coleceastriam adiit, quam obsidione cingentes, tamdiu impugnant, donec expugnent. Omnes autem, exceptis paucis, qui aufugerant, interficiunt: & quicquid intus reperiunt, diripiunt.* Hinc factum, ut Danorum præcipui, cùm ubique Edoardum victorem cernerent; & Anglorum vires, virtutémque indies explicari; non ultra de imperio contendere: sed Edoardo subesse: & eum Regem, Dominúmque agnoscere statuerunt. Unde qui Danis præerat in Northamptoniensi provinciâ, manus Regi dedit, traxitque plures ad obsequium ejus. de quo Author qui suprà. *Danicus Comes Thurferthus*, inquit, *quia Regis diutiùs strenuitati resistere non valebat; cum civibus & provincialibus Northamtunensibus, Danis, & Anglis, Regi se dedebat. His gestis, Rex domum redit; aliúmque exercitum ad Huntandune è vestigio misit; ut civitatem resarcirent, & renovarent; & in eâ custodes ponerent. Quibus peractis, omnes provinciales illi, qui Danorum supererant crudelitati, se è manibus illorum evasisse gaudentes; pacem & patrocinium Regis petebant.*

Wigorn. hic.

Idem supr.

V. DE WERSTANI EPISC. MORTE.

Ad hunc annum Fasti & Godwinus, Werstani Sciereburnensis Episcopi mortem recensent, & alium illi in eâdem sede substitutum. Sed nescio an mortis circumstantiæ rectè consignentur. Godwinus ita de eo. *VVerstanus*, inquit, *à Danis in prælio cæsus, occubuit, anno nongentesimo decimo octavo.* addit Harpesfeldus, eum in expeditione Ethelstani, contra Analafum, occisum esse. Uterque Malmesburiensem sequi videtur ita scribentem. *VVerstanum ferunt in prælio contra Analafum à Rege Ethelstano suscepto, à paganis trucidatum. Cum enim Rex consulto cessisset; Episcopus ad bellum cum suis veniens; incautúsque insidiarum, pro viridantis campi æquore, unde Rex abscesserat, tabernaculum tetendit. Analafus, qui pridie locum exploraverat, noctu paratus adveniens, quod reperit, inconstanter delevit.* Sed facilè hic antichronismus cernitur; necdum enim Ethelstanus regnat, nec Analafus in Anglos pugnat: quâ ergò ratione Werstanus hoc anno mori, sub Ethelstano Rege, potuit? aut Ethelbaldum Successorem habere? hunc nodum si potero, solvam, cùm Analafus in Athelstanum pugnaturus, cytharedum in Anglorum castris egit. Nam tunc revera *Episcopum quendam* à Danis cæsum Malmesburiensis scribit in gestis Regum. Sed quia priùs dixerat postremum

Godwin. in Catal. in Sarisbur. Harpesfel. sæc. 10. c. 8 prim. Malmesb. de Pontif. l. 2. f. 248.

Idem de Reg. l. 2. c. 6.

Ethelstani

Ethelstani Regis bellum illud fuisse; constat ad hunc annum referri non posse; sed potiùs post annos viginti. Interim Werstanus, per me licet, moriatur; & Schirburnensem pro eo sedem ascendat Ethelbaldus; quia Fasti & Godwinus ita con-
an 937. 8. signant. quod tamen infra * excutio, & infirmo.

ANNUS CHRISTI 919.

JOANNIS X. PAPÆ 8.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 19.

I. Ethelfleda capit Lecestriam. Qui sequitur Christi annus nongentesimus decimus nonus, Ethelfledæ ultimus numeratur. Quæ enim superiori anno, Darbeiam, è Danorum manibus viriliter extorsit; ad Lecestrensem provinciam hoc anno progressa, eam pari fortitudine, Merciorum imperio, jurique asseruit. Cujus propterea nomen, non vicinis solùm, sed remotis quoque hostibus, adeò terrori fuit; ut Dani, qui in Septentrione adhuc grassabantur, ejus imperio ultrò accesserint. testatur hæc omnia Wigorniensis, ita ad hunc annum scribens: *Ægelfleda, Merciorum Domina, in principio anni, cum auxilio Dei, Leogereceastram pacificè acquisivit; & exercitum Danorum, qui ad illam pertinebat, ferè totum, in deditionem accepit. Cui etiam Dani, qui Eboracæ præsidebant; quidam pacto, quidam juramento, firmaverunt se ipsius voluntati, & consilio in omnibus consensuros.* Hæc ultima Ethelfledæ expeditio. Cum enim provinciam, contra omnem inimicum impetum, plures annos florentissimè gubernasset, fœminarum sui sæculi nobilissima; hoc demum anno, laboris finem, præmiique æterni initium accepit: cum priùs corpus suum Glocestrensi monasterio, quod supra fundaverat, in sepulturam commendasset, in Sancti Petri Ecclesiâ condendum; ubi priùs Ethelredi conjugis corpus condiderat: & Sancti Oswaldi Regis, & Martyris sacra ossa posuerat. volens nimirum, ut olim Constantinus; cum Sanctis hic quiescere; ut eorundem suffragio, æternæ quietis gaudia mereretur. Hanc regiam fœminam, cum honore Authores omnes in sepulchro deponunt. Hos inter, Malmesburiensis; cùm Edoardi Regis præclara facinora commendasset; Ethelfledam vocat in laudis participium. quod hic repeto; & esto pro Ethelfledâ epitaphium.

II. Malmesb. de Reg. l. 2. c. 5. *De his*, inquit, *licet meritò Edoardus laudetur; palma tamen, potissimum debetur Patri, per meum arbitrium, qui tanta potentiæ fecit auspicium. Inter hæc non prætermittatur soror Regis Ethelfleda, Ethelredi relicta; non mediocre momentum partium, favor civium, pavor hostium, immodici cordis fœmina: quæ pro expertâ primi partus difficultate, perpetuò viri horruit complexum: protestans non convenire Regis filiæ, ut illi se voluptati innecteret, quam tale incommodum, post tempus urgeret. Virago potentissima, multum fratrem juvare consiliis, in urbibus extruendis non minùs valere; non discernas potiore fortunâ, an virtute: ut mulier viros domesticos protegeret, alienos terreret. Decessit ante germanum quinquennio; sepultaq; est in monasterio Sancti Petri, Glocestria: quod ipsa, cum viro Ethelredo, ingenti curâ extruxerat: eòque ossa Beati Oswaldi Regis ex Bardenia transtulerat.* Hæc ille. Huntindonius diem mortis, locúmque consignat, & pergit porrò laudare fœminam. *Obiit*, inquit, *apud Tamworth, duodecim diebus ante festum Sancti Ioannis, octavo anno postquam obtinuit dominium Merciæ, & sepulta est apud Gloucestre, in porticu S. Petri. Hæc igitur Domina, tanta potentiæ fertur fuisse, ut à quibusdam, non solùm Domina, vel Regina, sed etiam Rex vocaretur; ad laudem & excellentiam mirificatoris sui. Et ut æstimatum, & dictum est, nisi fati velocitate præcepta fuisset; viros virtute transisset universos. Unde ad tantæ probitatis memoriam, camœnam diuturnitatis largitricem, vel pauca dicere compulimur.* Hunting. f. 214.

O Elfleda potens, ô terror Virgo virorum:
Victrix naturæ nomine digna viri.
Tu quò splendidior fieres, natura puellam;
Te probitas nomen fecit habere viri.
Te mutare decet, sed solam nomina sexus,
Tu Regina potens, Rexq; trophæa parans.
Iam nec Cæsar ei tantum meruere triumphi:
Cæsare splendidior virgo virago vale.

III. Alwina Ethelfledæ filia. Quòd virginem vocet, poeticæ licentiæ dandum: nam ut suprà, non conjugata solùm, sed unius partus difficultatem experta, prolem genuerat. de quâ ad hunc annum Westmonasteriensis: *Reliquit* (Ethelfleda) *unicam filiam, nomine Algivam, ex Ethelredo Merciorum subregulo, legitimè susceptam, regni sui hæredem. De cujus partu, quo se sensit graviter læsam; nimis perterrita, per annos ferè quadraginta quibus supervixit, à viri thoro, sese, & commixtione carnali, subtraxit; dedignans ulteriùs animi nobilitate ducta, laboriosi partus iterum experiri dolores.* Westmon. hic. Hanc paullò post, idem Author Alwinam vocat, Edoardi Regis neptem. Undè nescio quomodo Huntindonius illam Ethelfledæ sororem facit, & utramque Ethelredi Merciorum Principis prolem: cùm certò certiùs, Ethelfleda mater, Ethelredus pater Alwinæ fuerit. Huntind. 354. n. 21. Noluit Edoardus neptem suam, in Merciis regnare; sed à parentis morte in Occidentem duxit, & Merciorum provinciam, Occidentis imperio univit: nè Dani, qui quotidie Insulæ imminebant; fœmininam potentiam aspernantes, res novas molirentur: & ut militum licentia, nec non nutantes aliquando provincialium animi, manu masculâ regerentur.

IV. Edoardus Lincolniensem provinciam munit, Wigorn. hic. Hoc eodem anno, Edoardus Rex Lincolniensem provinciam, contra Danos, qui in Northumbriâ erant, defensurus (inde enim siusquam erat irruptionis periculum) in illius provinciæ limite, castrum ponere decrevit. *Itaque post Rogationes* (sic loquitur Wigorniensis) *cum exercitu Stanfordam profectus est, firmamq; in australi parte amnis Weland, arcem munivit: & non solùm Danos, qui in Septentrionali plagâ ejusdem amnis arcem tenebant; sed & omnes, qui ad illam pertinebant, in deditionem accepit.* Et quia eadem, aut major periculi ratio, urgebat Nottingamiensem agrum; et Nottingamiensem. Rex urbem ibi principem adivit: & Danos, qui frequentes erant, citò inde expulit, *captámque urbem* (ait idem Author) *resarcire jussit: & in eâ Anglos simul & Danos locavit.* Quam etiam post annum sequentem, magis ornavit: Idem suprà. *& in australi ripâ fluminis Trentæ; urbem, contra urbem, quæ in alterâ ripâ sita erat, ædificavit: & inter utramque firmum pontem fieri mandavit.* inquit idem. Quod ad novam hanc urbem attinet,

ab Edoardo factam; villa est, quæ hodie Bridgeford dicitur, jacetque non procul à ponte, quo in urbem transitur. Cæterùm urbem ipsam, mœnibus etiam Edoardus inclusit; quæ jam corruerunt, & tantùm supersunt rudera.

V. BRITANNI EDOARDO SUBDUNTUR.

Ingentem Danis terrorem, tot arces & propugnacula incusserunt: sed & dubios, nutantesque sæpè Britannorum animos, ad Edoardum inclinarunt. Qui cùm, hactenus, ægrè licet, Anglis servirent: tandem tamen Danorum impudentiam detestati; constantem Regis pietatem amplexi sunt. Quamobrem hoc anno tres Britannorum Reges (nam Regum adhuc nomina, in laceratâ licet Rep. servaverunt) Houelus, Clitwicus, & Juthwalus, in Anglorum Regis potestatem ultrò concesserunt: eorúmque provinciæ, Edoardi imperium agnoverunt. Mentio horum Regum, Houeli saltem, & Juthwali, in Landavensis Synodi actis habetur, quæ Spelmannus fecit publici juris, suisque Conciliis inseruit. Ibi in Synodo Landavensi, sub Berthguino XIV. Episcopo, Clothri Rex, à fidelium communione removetur, quòd Inguallaum Regem occiderit: qui initio actorum Synodi, Lundguallaus (vitiosè opinor) scribitur. Houellus etiam in Synodo, sub Cerenhir, Episcopo Landavensi, ob homicidium & perjurium, ab Ecclesiâ ejicitur. Unde miseram Reip. faciem fuisse conjicimus; nec flagello attritam, meliorem factam: cùm Principes viri, tam crebris provinciam flagitiis fœdarent. Servaverunt tamen inter miserias integram Fidem, Ecclesia splendorem, Episcopi dignitatem suam. Quæ omnia è Synodo colligimus, & Regis pœnitentia, quæ sic exprimitur.

HOUELUS, CLITWICUS ET JUTHWALUS.

Spelman. in Synodis. fol. 382.

Idem ibid. fol. 383.

Synodus Landavensis, sub CERENHIR XVIII. Episcopo, in qua Houel Rex Glevissicg homicidii & perjurii causa excommunicatur.

VI. HOUELUS EXCOMMUNICATUR.

COgnitum sit omnibus Christianis Regibus, & Principibus, & Catholicis viris utriusque ordinis, tam clericalis, quàm laicalis, in dextrâ parte Britanniæ maximè habitantibus: quòd Gallun filius Cidrich, motus irâ & furore, surrexit contra Dominum suum, elevato suo capite, Houel videlicet Regem Glevissicg, filium Ris; ruptâ suâ pace: & voluit ei auferre terram Lan Tivei, vi suâ & fortitudine. Et audita hac contentione, inter Regem, & Principem, per totam Regionem: hortatus est Cereuhir, Episcopus Landavia, eos concordari; factâ pace. Et ei obtemperantes; auditâ pace, venerunt ad Landaviam, cum magno milite; & super altare Sanctorum Dubricii, Teliavi, & Oudocei, antepositis sacris Evangeliis; juraverunt pacem ampliùs, sine aliquâ fraude, & infidus; præsentibus tribus Abbatibus, Elisael Abbate Catoci, Eliseo Abbate Iltuti, Abbate Docunni, &c.

VII.

Post hæc Rex Houel, ruptâ suâ pace, faciens utrumque, homicidium simul & perjurium, occidit Galcum per dolum. Et occiso eo, congregavit Episcopus totam Synodum, apud Landaviam; congregatis in unum clericis totius parochiæ, ab ostio Taratur in Guy, ad ostium Tivi, omnibus, & unâ voce, depositis Crucibus ad terram, & versis cymbalis, simul cum reliquiis Sanctorum, ablatis altari, & projectis in terram; excommunicavit Regem, auferens ei totam Christianam communionem. & in eadem excommunicatione, mansit ferè per annum integrum.

VIII.

Post hæc, Rex non sustinens tantum excommunicationem; meritis suis exigentibus, quæsivit veniam, apud Landaviam; nudis pedibus, cum effusis lacrymis: & datâ veniâ ei, cum junctâ pœnitentiâ publica, homicidii simul & adulterii, consilio patruelis sui Mourici, promittens emendationem, tam anima, quàm corporis, ampliùs in jejunio, & eleemosyna, largitus est Deo, & Sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo; & in manu Cerenhir Episcopi, & omnibus Episcopis Landavia, in perpetuo, coram prædictis, & attestantibus illis omnibus, Merthir Buceil, & Merthir Mivor, cum quatuor modiis terræ, circa se, & semimodium Tircollu, cum totâ suâ libertate, sine ullo censu, ulli homini terreno, nisi Ecclesia Landavia, & pastoribus ejus, & tota communione in campo, & in silvis, in aquâ, & in pascuis. Quicumque custodierit, benedictus sit; quicumque violaverit, maledictus sit. Amen. Hæc ibi. quæ ratione Houeli Regis allata sunt: & ut videat Lector, Britannorum Fidem, Ecclesiámque, unam semper & eandem fuisse: nec ab eâ differentem, quæ omni semper sæculo, etiam Principum, Regum, & Augustorum peccata, ubi opus, castigavit. De modo hic in excommunicatione ferendâ usurpato, de Crucis depositione, aliisque, quæ factiosi calumniantur, dixi * suprà, cùm aliam Landavensem Synodum recensui.

* an. 895. &c.

ANNUS CHRISTI 920.

JOANNIS X. PAPÆ 9.

EDOARDI ANGLORUM REG. 20.

I. EDMUNDUS SANCTUS MIRACULIS INNOTESCIT.

SEQUITUR Christi annus nongentesimus vigesimus; quo purgatâ à Danis Orientalium Anglorum provinciâ, Edmundus Sanctus, quondam ibi Rex, & Martyr illustrissimus, qui diu incultus, & obscurè jacuerat; cœpit mirabiliter innotescere. Hactenus enim fideles, qui sub tyrannis vixerant: nec Martyri Sancto, nec suæ in Regem pietati; satisfacere potuere. Nunc autem Edoardi Regis virtute, ejectis fugatisque barbaris; cum licentiùs Christiani suo jure uterentur; optimè in Sanctum animati, augustiori illum tumulo donaverunt. *Sed & Edmundus adfuit oscitantibus* (inquit Malmesburiensis) *& semisopitas civium mentes, ad sui reverentiam, signis excitavit. Priùs enim pro tempore, humi traditum corpus venerabile, tumultuario injecto cespite; terrea gleba superjecta, & exilis pretii lignea capella superstructa. Sed & domunculam succedenti tempore vepres obtexerant; animisque provinciales memoriam Martyris abjecerant.* Nunc autem, post annos quinquaginta, qui quasi nube obtectus, cohibuisse videbatur sanctitatis, gloriæque suæ radios, Danorum criminibus & præsentiâ offensus; iterum lucere provinciæ, & in civium suorum cordibus regnare, miraculorum ostensione, voluit. Et qui olim abscedens, provinciales suos tristiùs affecerat: nunc quasi à funere redivivus; mirabiliter eos consolatur. Corpus ergò ejus, hoc tempore, ex humili loco effertur, & augustiùs deponitur; in loco, quem olim Bedericicortem,

Malmesb. Pontif. l. 2. f. 239.

TRANSFERTUR EJUS CORPUS.

Camden. in Suffolk. & fortè Faustini villam, vocaverunt. *Verùm cum Edmundi Christianissimi Regis corpus* (ita Camdenus) *quem Dani exquisitis suppliciis trucidassent; huc transtulisset populus: & in ejus honorem, permaximam, miro ligneo tabulatu, Ecclesiam construxisset; Edmundi-burgus, vulgò S. Edmondbury, & contractè Bury, dici cœpit, mirúmque in modum floruit.*

II. Edmundi Sancti Miracula. Si quæro causam; cur locus ille, ab Edmundi adventu, adeò floruerit; & certè causam quærere debet, qui antiqua meditatur; non aliam subfuisse certum est: quàm quòd loco illi splendidissimè Edmundus illuxerit; & dederit argumenta gloriæ, quâ in cœlo fruebatur; mirandis ibi operibus. Illud primum fuit, quòd cæco viam baculo regenti, ædémque suam ingresso, oculorum lumen reddiderit: illud celebrius, & toti provinciæ notissimum, quod hoc ipso tempore, Theodredo Episcopo Londini sedente, accidit: quando nefarii quidam, aurique sitientes homines, templum expilare conati sunt; ubi sacer thesaurus servabatur. Nam Ecclesiam noctu ingressos; cum suâ quisque supellectile onustus conaretur regredi; Edmundus Sanctus mirabiliter tenuit ad multam lucem. Jam enim scalas quidam admoverant, quidam furtum convasaverant, & aliqui erant in egressus confinio: cùm Edmundi virtus, omnes sistit; fecitque frequenti postea populo fabulam. Hic medius fenestram tenebat, alter è scalâ pendulus; ille manu adhuc furtum prodens, immotus stabat: nonnemo, qui situm non expleverat, inter vasa sacra repertus, silentio se reum dicebat. Ita arcanis omnes vinculis constricti; donec re ad Theodredum Archiepiscopum delatâ; missis apparitoribus, soluti sunt; aliis, paulò post, funibus constringendi. Enimverò factum illud Episcopus indignissimè tulit; & pastoralis baculi immemor, qui tuendo gregi, non perdendo datur; patibulis omnes mandat affigi.

III. Ejus corpus incorruptum. Hæc miranda, & plura, quæ sequuta, excitarunt provincialium animos, ad augustius ædificium suo Martyri extruendum: ut ejus ossa, cineresque, regio tumulo conderentur. Jactis itaque novæ basilicæ fundamentis, dum Edmundi cineres colliguntur, avidissimis civium animis: Mirum dictu! nulli cineres, sed solidissima caro, jucundissimè affecit intuentes. Et auxit miraculum, caput corpori integerrimè compactum, ac si Danus illud nunquam divisisset: rubebat tantùm, in vulneris testem, cervicem ambiens cicatrix; quæ collum omni torque nobilius ornabat: docebatque populum, diviniorem in cœlo coronam manere animam, cujus vile domicilium, disjectum ac laceratum, tam prodigiosè constaret sibi. Sed quorsum hæc Dei mirabilia, sine teste assero: cum Novatores, miraculis omnibus infensi; quia nimirum sine miraculo emerserunt; hæc aversis oculis, & nauseante stomacho, lecturi sunt. Licet enim agnoscant Edmundi burgum, ab Edmundo Martyre, nomen, splendorémque accepisse; id enim jam octo sæcula testata sunt; quia tamen Sanctis, eorúmque cultui bellum indixerunt; ægrè ferunt ea omnia argumenta, quæ perfidiam suam impietatémque produnt. Quod ergò de Edmundi miraculis dictum; non hoc nupero sæculo inventum; sed ab omni post Edmundum sæculo creditum; ideò probandum est: ut nova factio, non tam in Sanctos, quàm in Deum ipsum pugnare ostendatur.

IV. Westm. an. 870. Matthæus Westmonasteriensis, ante annos ferè trecentos ita scripsit: *Visis creberrimis miraculorum signis, in villâ Regiâ, quæ lingua Anglorum Beodricheswurth; latinè verò Beoderici cortis, sive habitatio nominatur, Basilicam permaximam construxerunt incolæ; & ad illam, Sanctum Martyrem, in magno tripudio, transtulerunt. Sed mirum deinde contigit. Nam cùm corpus Martyris pretiosissimum, ob spatium diuturni temporis, putrefactum ab omnibus putaretur; ita integrum repertum est, & illæsum; ut non solùm caput corpori redintegratum, & compaginatum: sed omninò nihil in eo vulneris, nihil apparuerit cicatricis. Sicq; Deo dignus Martyr Eadmundus, viventi simillimus, ad locum memoratum est translatus; apparente in collo ejus, signo martyrii, per gyrum, quasi filo coccineo.* Hæc Matthæus: sed eo multò antiquior, quem Novatores præ cæteris laudant, Guilielmus Malmesburiensis, hæc de Edmundi miraculis habet: *Enituit post necem beati viri* (Edmundum Sanctum intelligit) *transactæ vitæ puritas, dignis miraculis &c. Et leve quidem ac frigidum sit; sed tamen primum virtutis ejus experimentum, quod subjiciam. Cæci, qui baculo viam tentaret, errore nocturno capellam ingressi, lux cœlitus obvia, orbes implevit. Mox latrunculos eandem ædem noctu expilare aggressos, invisis loris, in ipsis conatibus irretivit, formoso admodum spectaculo, quod præda prædones tenuit, ut nec cæpto desistere, nec inchoata valerent perficere. Quapropter Londoniæ Præsul plebeæ machinæ, diuturnam sustulit invidiam; augustius ædificium super veneranda membra molitus: quæ & mirandâ incorruptione, & lacteo quodam candore, gloriam sanctæ animæ prædicabant. Caput reliquo corpori compaginatum, signum tamen martyrii coccinea cicatrice protendens.* Malmesb. de Pont. l. 2. fol 239.

V. Idem sup. fol. 230. Non nominat hoc loco Episcopum Malmesburiensis; quia paulò ante nominaverat; ita cum de lenitatis defectu accusans, & excusans. *Theodredum produxit, cognomen Bone vulgò sortitum, pro prærogativâ virtutum, uno excidisse magis errore, quàm crimine: quod fures apud Sanctum Edmundum deprehensos, quos conatibus irritis Martyr invisibili nodo astrinxerat; severitati legum addixerat patibulis adjudicatos. Sed de facto recogitantem piguisse, totoq; vitæ tempore post exercuisse pœnitentiam, culpâ mordente conscientiam.* Unde colligimus, quo tempore, Edmundi Regis translatio, Basilicæ constructio, & prædicta miracula contigerint. Theodredus enim Londini sedere cœpit, anno nongentesimo, ut * suprà adnotatum. * an. 900 n. 10. Quòd si mortuus est, anno 922. ut volunt Fasti; necessum est dicere; Edmundo Sancto, templum, honorês, & cultum, à Theodredo hoc tempore decretum esse: & alia accidisse, quæ pergit Malmesburiensis narrare in hunc modum. Malmesb. fol. 239. *Porrò illud humana excedit miracula, hominis mortui crines, & ungues pullulare; quos Osiven quædam, sancta mulier, quotannis hos tonderet, illos desecaret, magnâ veneratione posteris futuros. Sancta temeritatis fœmina, quæ contrectaret artus, quibus omnis inferior est mundus. At non ita Lefstanus, effrenatæ audaciæ adolescens, qui sibi corpus Martyris minus instoticribus ostendi exegerat, famam (ut dicebat) incertam, fide oculorum ponderare deliberans. Ideoq; præcipitis ausus pœnam tulit, amens effectus: & post modicum scaturiens vermibus, & mortuus. Novit profectò,*

quæ

qua olim consueverat ; novit Edmundus facere : Parcere subjectis, & debellare superbos. Quibus duobus, ita omnes sibi Britannia devinxit incolas ; ut beatum se imprimis astruat ; qui locum requietionis ejus, vel nummo, vel pretio illustret. Ipsi Reges, aliorum Domini, servos se illius gloriantur : & coronam ei Regiam missitant ; magno, si uti volunt, redimentes commercio. Exactores vectigalium, qui aliàs bacchantur, fas nefasq; juxta metientes : ibi supplices, citra fossatum Sancti Edmundi litigationes sistunt, experti multorum pœnam, qui perseverandum putarunt. Hæc omnia Malmesburiensis.

VI. Quòd si domesticos testes fastidimus, & externorum suffragia quærimus pro fide miraculorum: accedat omnibus antiquior Abbo Floriacensis, qui moritur anno 1003. de quo Harpesfeldus, cùm Edmundi miracula, & incorrupti corporis prodigium narrasset, hæc habet. *Atque hæc quidem, quæ hactenus recensuimus ; tum cum primus, & omnium primus perscripsit Abbo monachus, homo Gallus, omni divinâ humanâque doctrinâ excultissimus, qui publicas in multis Angliæ cœnobiis scholas aperuit: excepta ex ore divi Dunstani, ejusq; & Regis Ethelredi rogatu. Quam historiam Dunstanus, oculos lacrymis suffusus referebat ; contestatus se juvenem, eam à sene quodam decrepito hausisse : qui & eam celeberrimo illi Regi Athelstano referebat. Sanctissimo jurejurando confirmans, se fuisse unum, è Divi Edmundi militibus, eo die quo casus est.* Ita Harpesfeldus. Ad hunc annum superesse potuit decrepitus ille, & regius miles: & plurima Dei mirabilia testari, præsertim mirabilem inventi corporis incorruptionem. Sed vix opus erat, cum sequentia sæcula, Reges, Episcopi, omnis ordo, & sexus, viderint, palpaverint, agnoverint, mirabilem Deum esse in Sancto suo. Et quod ad hunc annum spectat, melior testis Theodredus Londinensis Episcopus; qui *incorruptum* Edmundi corpus *reperit, tetigit, lavit, & optimis vestibus indutum, ligneo loculo reposuit*, inquit author vitæ apud Capgravium. Sed & idem Episcopus, instructâ ibi hoc anno, eleganti opere lipsanothecâ; quasi victuras semper exuvias, in omnia retro sæcula deposuit. Et verò nonaginta annos quieverunt, magnâ provincialium pietate, & ingentibus miraculis cultæ ; donec anno decimo supra millesimum, revertentibus ad prædam Danis; & hanc Orientalium Anglorum provinciam depopulantibus ; Alswinus Helmhamensis Episcopus, militum libidini impietatique subductas, Londinum in tutiorem arcem transtulit: quando etiam constabat adhuc sanctissimis membris suus vigor ; & inimica tabes carni pepercerat, ad Londinensium civium stuporem, & admirationem, ut dicam ibi.

Harpesfel. sæc.9 c 6.

Capgrav. in Edmundo Martyre.

VII. ETHELSTANUS WILTUNENSIS EPISCOPUS MORITUR. SUCCEDIT ODO.

Moritur hoc anno, in Occidente, Ethelstanus Episcopus. non ille, quem ante annos quatuordecim Synodus Cornubiensi provinciæ consecrandum elegit ; sed Ethelstanus alter, qui Wiltunensem Ecclesiam gubernandam suscepit, sedémque habuit Ramesbyriæ ; ut * suprà adverti. Illi in eâ sede successit Odo, vir sanctus, è Danis oriundus: qui visâ Anglorum pietate, & fide ; vale dudum idolis dixerat ; & invitis parentibus, Anglorum usus contubernio, Christianam Fidem à primâ ætate devotissimè amplexus est. Natus creditur in Orientalium Anglorum provinciâ, ubi dudum Dani principatum tenuerant: & licet à paganis parentibus, ad militiæ rudimenta, ab ineunte ætate, formatus fuerit: ipse tamen, ubi primùm Christianæ religionis elementa percepit; ad sanctiora statim castra transivit : & literis intellectum, pietate animum imbuere, omni studio conatus est; adeóque profecit, ut hoc anno, ad majus sacerdotium aptus; & *post annos aliquot ad Dorovernensem sedem transferri dignus fuerit. Et quia sanctitatem cum eruditione conjunxit, adeò; ut post mortem, Sanctorum Catalogo adscriptus sit, hic ejus exordia, è Scriptore vitæ ejus, paulò latiùs exponemus.

* an 906. 2.

VIII. ODONIS EXORDIA. *Vener*abilis *Christi Confessor* (ita legitur apud Capgravium) *Odo, nobilibus, sed paganis, parentibus oriundus : sicut rosa de spinis floruit ; vel quasi pretiosa, de vilibus vasculis, aromata, processit. Nam ex impiâ illâ Danorum multitudine, fertur genus habuisse, quæ olim sceleratissimum prædonem Hinguar comitata, navali manu in regnum Anglorum est advecta. Hos ille nativitatis Principes sortitus, & eorum accuratissima educatione, ad juveniles annos translatus ; festinabat Christianorum conventicula indesinenter adire ; divinos, qui ab eis dicebantur sermones, magnâ animi oblectatione audire. Domum enim revertens ; quæ audierat, parentum auribus sedulò infundebat. Super quibus bonorum studiorum primordiis, pater impius, impiè irritatus, prohibebat nè omninò Christum nominaret : nè paternas institutiones, Christianæ religionis veneratione immutaret. Verùm ille prohibentis imperium penitùs despiciens ; magis ac magis Ecclesiæ limina non desiit terere ; divini verbi intento animo semina percipere : & quæ perceperat, absque pavore domi nunciare. Hinc iterum pater, supra humanum modum exasperatus, gravissimâ illum correptione affligit ; jusq; hæreditatis, quod ad illum venire debebat, subtraxit. Tunc puer exultans in Domino ; quòd talem pro ejus nomine proscriptionem subiret in terrâ ; propter quam ascribendum se esse consideret in cœlo.*

Capgrav. in Odone.

IX. *Dimissis parentibus, parentumq; divitiis, nudus, & omni mundano decore privatus, aufugit. aditoq; Duce quodam, nomine Ethelmo ; qui in domo Regis Edwini* (lege Alfredi) *& Christianissimus, & inter cæteros optimates præstantissimus erat ; postulabat illius se potentiâ, & authoritate ; à parentum suorum furore defendi. Qui bonâ adolescentis indole gaudens ; nec dignum aliquatenus esse judicans, ut tale decus, paganicis ritibus, sub patris imperio deserviret ; paterno illum affectu suscepit, & defensione munivit, & auxiliis necessariis fovit. Deinde græca, & latina lingua, magistris edocendum tradidit. Quarum linguarum plerisq; tunc temporis, in gente Anglorum usus erat, à discipulis Theodori diffusus *. Factus est autem in utraq; linguâ valdè peritus; ita ut posset poëmata fingere ; & omninò, quicquid vellet, diserto sermone proferre. Posthac baptizatus, admonitione Domini sui, usque ad subdiaconatum perductus est ; in quo gradu, per aliquot annos, ita sanctitate vitæ, & prædicationis sinceritate pollebat ; ut quicumque illud agnosceret ; spiritus sancti templum esse non dubitaret. Domini sui tandem suasu, ad sacerdotii gradum provectus est. ex quo tempore, tam ipse Dux, quam cæteri penè omnes regalis palatii Principes, in summâ eum veneratione habere cœperunt : secreta male acta vitæ ei aperire, & de iis emendandis ejus consilio libenter credere. Suggessit interea Dux Regi, habere se desiderium proficiscendi Romam, & Sanctis Apostolis ibi supplicandi. Cumq; licentiam*

* v m. 669. n. 2.

à Rege

à Rege iter arriperet; contigit ipsum infirmitate gravissimâ detineri. Odonem ad se venire facit: oratq; ut pro sui liberatione, Domino preces effundat; referens se indubitanter credere; quòd nihil ei divina pietas denegaret, quem à puero in magnâ gratiâ acceptum haberet. Tunc Odo terra procumbit, Deóque cum lacrymis preces fundit: & surgens ab oratione, calicem vini benedixit, Domino porrexit: quem cùm bibisset; redditam sibi omnimodam medelam persensit. Factâ verò peregrinatione, ad domum cum gaudio reversus est. Audiens autem Rex, quæ in viâ, per Beatum Odonem, gesta fuerant; quamvis ipse malus, bonos tamen in regno suo habere se glorians, cum electione totius Ecclesiæ, constituit illum sedis, quæ nunc Saresbery dicitur, Episcopum. Hactenus Author.

ODO ROMAM VADIT.

X. Quod ad rationem temporis, seriémque rerum gestarum attinet, natus est Odo, sub id tempus, quo mortuo Rege Edmundo, in Orientali provinciâ Dani quieverunt; nimirum post annum octiogentesimum septuagesimum. Unde septendecim annorum juvenis, Athelmum comitari potuit, cùm ille Romam peregrè proficiscitur. Nimirum illum ipsum putamus, Wiltonensium Comitem fuisse, per quem Alfredus Rex eleëmosynam in Urbem misit, anno Christi octingentesimo octogesimo octavo, ut* ibi dictum. In cujus rei fidem sic scribit Harpesfeldus, de sanitate, illi mirabiliter Odonis precibus restitutâ. *Odo*, inquit, *cum Comite, desiderante sacra Apostolorum limina invisere, profectus est; eumq; gravi, in itinere, morbo depressum; cum paulum vini, quod ille post preces Cruce signarat, ebibisset; sanum mox & firmum reddidit. Quæ, & alia occulta Odonis ornamenta, cùm reversus Regi Alurédo Comes retulisset; in oculis eum deinde Rex habere capit.* Corrigendus ergò Author supra, qui Edwinum importunè nominavit: nam Edwinum intelligit, qui post annos triginta primùm regnavit, Edoardi nunc regnantis, ex Edmundo filio nepos. Quem Odo postea Dorovernensis Antistes, ob scelera redarguit. Illi etiam corrigendi videntur, qui Odonem Wiltonensium Episcopum consecrarunt, sub Ethelstano Rege, Edoardi filio. Nam ita scribit Harpesfeldus. *Iam clara & illustria doctrinæ & pietatis ejus* (Odonis) *indicia, in omnium oculos, aures, & mentes incurrebant. Quæ Regem Ethelstanum perpulere, ut cum summo Ulfhelmi Cantuariensis consensu, Wiltonensium eum Episcopum, quantumvis tergiversantem, & renitentem, designarit.*

* n. 6.

Harpesfel sec. 10. c. 3.

Idem supra.

XI. Hæc, inquam, temporis ratio, antiquiorum calculo refragatur, qui ab Edoardo Rege nominatum Episcopum dixerunt. Unde Fastorum collector post Malmesburiensem, hunc annum 920. initi Pontificatus assignat: quo non Ethelstanus, sed Edoardus Rex, non Ulfhelmus, sed Athelmus Dorovernix sedit, ut ipsemet Harpesfeldus fatetur. Accedit Westmonasteriensis, ita scribens ad hunc annum: *Eodem anno* (920.) *defuncto Ethelstano, Wiltonensi Episcopo, Odo successit. Hic ex Danicâ gente extitit oriundus, & aliquanto tempore, sub Edvvardo Rege militans, post officium clericatus adeptus, & attonsus, crescentibus meritis, ad honorem Pontificatus est sublimatus.* Quod, quantum è Malmesburiensis narratione colligitur, factum puto priusquam in Athelstani amicitiam irrepsisset. Sic enim ille scribit: *Odonis parentes, tempore Regis Elfredi, infestaverant Angliam. Ipso cæteris, vel abeuntibus, vel extinctis, Edvvardo aliquamdiu militans, nec multò post comam tonsus, clericatum professus fuerat; meritisq; crebrescentibus, Wiltunensi Ecclesiæ Prælatus, Regem Ethelstanum in sui amicitiam exceperat.* Ille ergò Dorovernensem sedem Odoni; Edoardus Wiltonensem contulit: Athelmo fortè Wiltonensium Comite, cum quo Romam perrexerat, illud Regi suggerente.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 200.

ANNUS CHRISTI 921.

JOANNIS X PAPÆ 10.

EDOARDI ANGLORUM REG. 21.

I. ROMAM ANGLI PEREGRINANTUR.

COMMODUM suprà dixi, Athelmum cum Odone Romam, pietatis causâ, invisisse: quia nihil Anglorum genti familiarius fuit, quàm ad petram illam ire, unde excisa fuerat; ad matrem, inquam, & in fide parentem, quam omni ævo colere, & inter media pericula venerari consuevit. Unde Baronius, cum annum Christi nongentesimum vigesimum primum recensuit: hæc habet de Anglorum more. *Quod ad res*, inquit, *Occidentales, pertinet, flagrant omnia civilibus bellis; barbaris insuper ubique grassantibus, Hunnis & Saracenis. Tunc accidisse tradit Flodoardus infaustum: ut Angli, ex more, quamplurimi peregrinantes, ad limina Apostolorum; inter angustias Alpium, à Saracenis intercepti, lapidibus obruti fuerint. Verùm nec his ingruentibus malis cohiberi potuit Anglorum pietas; quin more solito, magno cœtu frequentarent limina Apostolorum. Nam secundum illud Cantici Canticorum: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. majori Fidei ardore ex Anglia Romam proficiscentes, rursus post sequentem annum in idem incidere discrimen: & ab eisdem cæsi sunt Saracenis; ut idem Flodordus, eo anno testatur.* Ita Baronius.

Baron. hic n. 13.

ET A SARACENIS OCCIDUNTUR.

II. Digni certè fuissent æternâ memoria, hi Romanæ urbis cultores, & in avita Fide martyres; si eorum nomina authores prodidissent. Licet enim peccasse videantur, in nupera Comitia, quibus iter hoc graviter cavetur; absolvuntur tamen, & laudem insuper merentur Lucii, Constantini, Cedwallæ, Offæ, Inæ, Ethelwolfi, tot, inquam, Regum, ac majorum suorum exemplo, qui ad illa limina procubuerunt. Verùm quia authores peregrinorum nomina tacuerunt; voluit Deus unius nomen mirabiliter innotescere. Fuit is genere Scotus, qui unà cum Anglis, devotionis causa Romam profectus, in Romanæ peregrinationis hostes, Hunnos, & Saracenos, Calvinistarum præcursores, incidit: & ab iis interfectus, Rhemis in Ecclesia sancti Hilarii, à sociis deponitur: ubi cum multos annos quievisset; Deus fidem factumque ejus, hoc est, sanctum peregrinationis studium, probare voluit, integritate corporis; odore suavissimo, multo denique miraculo. Rem gestam, & nomen ejus tandem proditum, narrat, qui sui temporis, hoc est decimi sæculi historiam texuit Rhemensis Ecclesiæ, Flodoardus, vir fide dignissimus. Ita ergo ille, de antiquiori Ecclesia, S. Hilarii, quæ Rhemis est, loquitur.

III. *In cujus Ecclesiæ cæmiterio, quidam Scotigena, Dei servus, olim sepultus est. Sed cum à nostris, & nomen & memoria ipsius sepultura videretur abolita;*

Flodoar l. 4. Hist Rhem. c. 40.

MEROLILANUS SCOTUS A LATRONIBUS OCCISUS.

apertiùs ſeſe cœpit manifeſtare viſibus. Nam dum quidam civium, non de inferioribus, ſed pauper rebus, olim noſtris diebus obiiſſet: amici ejus, ad Hildegarium, hujus Eccleſiæ presbyterum, accedentes petunt ab eo, ut locum ſibi ſepulturæ impertiret; ubi ſarcophagum repererunt; in quo corpus ipſius recondere poſſent: quia de rebus ipſius, unde emerent, non haberent. Qui dum eis petita conceſſiſſet, ſepulturam ſervi Dei aperuerunt: ſed ipſum ejus ſarcophagum aperire nequiverunt. Quo audito, presbyter acceſſit, & coopertorium ſarcophagi levare tentans, aliquantulum aperuit Sepulchrum: De quo mox fragrantia tantæ ſuavitatis emanavit; ut nunquam ſe delectabiliorem teſtatus ſit hauſiſſe odorem. Introſpiciensq́ue, vidit corpus integrum, ſacerdotalibus infulis redimitum. Recomponensq́ue ſepulchri pallam, non auſus eſt hanc amplius violare ſepulturam. Permiſit tamen, ut idem corpus, depoſitis quibuſdam ſuperponeretur tabulis. Ipſa nocte viſus eſt ei avunculus ſuus presbyter in ſomnis; qui jam dudum deceſſerat; aſſerens, quòd valdè offendiſſet Deum, præterita die; maximè ſi ſepulturam Sancti violare præſumpſiſſet. Idem quoque beatus vir, cuidam ſub ipſis diebus apparuit: & quia valdè gravaretur, præ pondere, & indignitate ſuperjecti ſibi cadaveris, intimavit; & ut indicaret presbytero, juſſit: quia niſi citò corpus id fœtidum, à ſepultura repelleret, divinâ quantociùs ultione plectendus eſſet. His presbyter admonitionibus perterritus, cadaver, quod ſepulturæ Sancti ſuperpoſitum fuerat, ejici fecit cum feſtinatione, & apertâ alibi ſepulturâ, recondidit.

IV. *Viſus eſt idem Sanctus Domini poſtea cuidam ruſtico, præcipiens ei, ut iret ad Epiſcopum Artoldum, & indicaret ei, ex verbis ejus; ut corpus ipſius, quod extra jacebat, intra Eccleſiam transferret. Quod idem ruſticus intimare timens, neglexit mandatum. Nec longè poſt iterum apparens evigilanti, duriter increpavit illum; quare præceptum neglexit; & corripiens, alapâ ejus percuſſit maxillam. Qui mox auditum amiſit ipſius auris, in quâ percuſſus eſt parte, capitisq́ue dolore, per dimidium ferè vexatus eſt annum. Deinde cuidam presbytero, in eâdem Eccleſiâ, ſub præmiſſo Sacerdote ſervienti, apparens in viſione, quadam dominica nocte; admonuit eum, ut Epiſcopo indicaret; quatenus corpus ipſius in prædictam Eccleſiam transferret: locum quoque ubi ponendum foret oſtendere non omiſit; intimans ei obitum & cauſam obitus, vel adventus ſui. Significans ſe Scotigenam fuiſſe, Romam orationis gratiâ, cum ſociis, petendi itinere occupatum, a latronibus, ſuper Axonam fluvium ſuiſſe peremptum: indeque corpus ſuum, a ſociis huc delatum; ibiq́ue ſepultum: propalans etiam nomen ſuum, quod vocaretur Merolilanus: jubens ut id nomen, ne fortè memoria delaberetur, adſcribere curaret: inclinansq́ue ſe, partemq́ue cretæ, quæ fortuitu jacebat, apprehendens dedit ei; præcipiens, ut illud continuò adnotaret in arcâ, quæ lecto illius adhærebat. Quam ille cretam viſus eſt accepiſſe; nomenq́ue deſcripſiſſe. In quo, dum pro L. litera R. ſcriberet, corrigere hoc eum monuit, & ita in craſtinum, hoc nomen adſcriptum inventum eſt; ut teſtaretur idem presbyter, quod vigilando per diem, tam benè ſcribere nequiviſſet. Quibus revelationibus motus Epiſcopus, Eccleſiam quidem reſtaurari fecit; ſed corpus ſanctum non tranſtulit. Nec diu poſtea ſibi contigit, ut in eadem Eccleſiâ, coram Hugone Principe, ſe abdicaret Epiſcopii gubernatione.* Hæc omnia Flodoardus.

V. Tacuiſſem ego hæc Romanæ peregrinationis, & avitæ pietatis argumenta, ſi authores noſtri illa retuliſſent; quia ſomnia videbuntur Novatoribus noſtris, qui novam religionem ſomniarunt: ſed quoniam externus eſt qui illa recenſet, & nullo ſuo commodo, comminiſci potuit: & quoniam geſta ſui temporis ſcripſit, quæ quivis approbare, vel improbare poterat: volui Anglorum Regiam Fidem, divinis, & conſtantibus omnium ſæculorum argumentis aſſerere. Deo certè Anglorum pietatem placuiſſe, Edoardi Regis victoriæ teſtantur; qui iterum hoc anno, omni ferè hoſte domito, plures Reges ſibi habuit obſequentes. Unde ſcribit ad hunc annum Wigornienſis: *Eo tempore Rex Scotorum, cum totâ gente ſua, Reginaldus Rex Danorum, cum Anglis & Danis in Northumbria incolentibus: Rex etiam Streatgledwallorum, cum ſuis, Regem Eadwardum ſeniorem, ſibi in Patrem & Dominum elegerunt; firmumq́ue cum eo fœdus egerunt.* Eadem habet Weſtmonaſterienſis, ad hunc eundem annum. Huc ergo benè provocatum eſt, anno Domini 1291. quando Edoardus alter, Angliæ Rex, pro jure ſuo diſputavit in regnum Scotiæ. Nam inſpectis Annalibus, *repertum eſt*, inquit Thomas Walſinghamus, *quod anno nongenteſimo vigeſimo primo, prædictæ gentes Angliæ, Scotiæ, & Walliæ, elegerunt ſibi Edwardum prædictum in Dominum & patronum.* Walliam inter provincias nominat: & Regem Streatgledwallorum intelligit, de quo Wigornienſis ſuprà. Quare autem Britanni antiqui, eo nomine, vocarentur, dixi ſuprà*. — *Wigorn. hic.* — *Weſtm. hic.* — *Walſing. hypodig. f. 477.* — ** an. 875.*

VI. *LEOLINUS BRITANNORUM PRINCEPS.*

Quis horum Rex fuerit, Author non expreſſit: & plures ſine dubio inter Britannos fuerunt, Regis nomen præſumentes. Sed inter præcipuos Leolinus quidam nominatur; qui hoc anno clariùs paulò ſe geſſit, cùm Edoardum Regem ſupremum Principem agnoſcere de more debuiſſet: ſed victus eſt, humaniſſimâ Edoardi Regis ſubmiſſione: & caput, collum, humeros, provinciam etiam omnem, humillimè tandem Edoardi pedibus ſubſtravit. Enimverò cum ad condictum à Principibus locum, ad Sabrinæ flumen ventum eſſet: ubi Leolinus, Edoardo occurrere, & in eo, ſupremi domini jura agnoſcere debuiſſet: ſive innatâ animi magnitudine, ſive periculorum imagine territus; flumen trajicere, & Edoardum Regem colere, cunctabundus detrectat: donec rarâ in Regibus virtute, ab Edoardo victus, didicit Regium eſſe, & optimum juris adminiculum, de ſuo aliquando jure diſcedere. Rem geſtam ante annos quadringentos, ita recenſuit Gualterus Mappæus. *Edoardus Senior ad Auſtclivum; Leolinus Walliæ regulus, ad Betheſley egerunt: & cùm ad colloquia Leolinus minimè deſcenderet; nec Sabrinam trajiceret: Edoardus ad Leolinum tranſiit. Videns autem ipſum, & agnoſcens Leolinus, projecto pallio ſolenni, nam ſe foro paraverat; uſque ad pectus, ingreſſus eſt aquam, & cymbam amplectens, ait: ſapientiſſime Rex, tua humilitas, meam vicit ſuperbiam; & ſapientia triumphavit ineptiam: collum aſcende; quod contra te fatuus erexi: & ſic intrabis terram, quam tibi hodie tuam fecit benignitas: acceptumq́ue humeris, ſuper pallium ſuum ſedere fecit, & junctis manibus, ſibi fecit hominium: nimirum ſupremi juris agnitionem: quod vulgò homagium dicitur.* — *EDOARDO HOMAGIUM PRÆSTAT* — *apud Camd. in Gloceſt.*

VII. Eminuit etiam, hoc anno, Edoardi Regis pietas; cùm terras in pauperum eleemoſynas legavit,

ſcripſitque

scripsitque hanc Regiæ donationis chartam; quam Hidæ Annales referunt.

Charta Edoardi Ulfgaro ministro.

*O Flebilia fortiter detestanda, totillantis sæculi piacula, diris obscena horrendaq́, mortalitatis circumsepta latratibus. Non nos patria indepta pacis securos; sed quasi fœtida corruptela in voraginem casuros provocando ammonent, ut ea toto mentis conamine, cum casibus suis, non segniter projiciendo: sed etiam velut fastidiosam melancholia nauseam abhominando, fugiamus; tendentes ad illud Evangelii: Date & dabitur vobis. Qua de re, infima quasi peripsema quisquiliarum abjiciens; superna adinstar preciosorum monilium eligens; animam sempiternis in gaudiis figens, ad nanciscendum melliflua dulcedinis misericordiam, perfruendamque infinita lætitia jocunditatem; Ego Edouardus, Rex Anglorum, per Omnipotentis dextram, totius Britannia regni solio sublimatus; quandam telluris particulam, meo fideli ministro Ulfgaro, id est, decem Cassatorum, in loco, quem Solicola Colingborne vocitant, libenter tribuo; eo tenore, ut omni anno, festivitate cunctorum Sanctorum, decem pauperes, in pane, & * lucubrato, pulmentóque saginato, adactis optimis haustibus, pascat: Quatenus ille eam sine jugo exoso servitutis, cum pratis, pascuis, silvis, rivulis, omnibusq́, ad eam utilitatibus ritè pertinentibus; quamdiu aura naribus spirabili ocellorumq́, convolamen agitatur, habeat. Et post generalem, qui omnibus certus, incertúsque homuncius constat, transitum; cuicumque successionis hæredi voluerit, liberaliter & perpetualiter contradendo derelinquat. Prædictum rus his terminis circumcinctum clarescit.* &c.

* hoc idem alio modo in simili diplomate exprimitur infrà an. 932. n. 2.

VIII. *Si tamen, quod absit, aliquis diabolico inflatus spiritu, hunc mea compositionis, ac confirmationis breviculum elidere, vel infringere tentaverit: sciat se novissima, ac magnâ examinationis die, classicâ Archangeli clangente buccina, bustis sponte patentibus, somata jam rediviva relinquentibus; cum Iuda proditore, qui à Satore pro filius perditionis dicitur; æterna confusione, edacibus infallibilium tormentorum flammis periturum. Hujus namq́, & à Deo Dominoq́, IESV CHRISTO respirante, atque vivente voluntatis, schedula: Anno Dominica Incarnationis nongentesimo vigesimo primo, Indictione sextá, epactá vigesima octava concurrente primo. Idibus Ianuarii tertiis, Luna undecima. in civitate notissima, qua Wiltona nuncupatur, Episcopis, & Abbatibus, Ducibus, patria procuratoribus, regia dapsitate ovantibus, præscripta est. Cujus etiam inconcussa firmitatis anthoritas, his testibus roborata sit: quorum nomina subtus characteribus depicta annotantur. † Ego Edovardus singularis privilegii hierarchia præditus, Rex, hujus indiculi soliditatem, cum signo sancta, semperque amanda Crucis, corroboravi & subscripsi.* Sequuntur subscriptiones Wulfhelmi Dorobernensis, Wulstani Eboracensis, & aliorum Episcoporum, qui perperam Regiæ donationi adscripti sunt; ut infrà dicam, cùm similem Ethelstani Regis donationem recenseo, & excutio.

IX. Ethelbaldus Eboracensis Episcop. moritur. Redewardus succedit.

Ad hunc annum 921. mortuus in Fastis ponitur Ethelbaldus, Eboracensis Antistes: & eum in illâ sede excepit Redewardus. Uterque obscurè vixit, Danis Northumbriam deprædantibus: hinc vix Episcoporum nomina supersunt; & quæ supersunt, non uno modo efferuntur. Redewardus enim ab aliis Redewaldus, à Stubbesio etiam (*quo nemo plura de hujus sedis Archiepiscopis perscripsit*, inquit Godwinus) Lodewardus appellatur.

ANNUS CHRISTI 922.

JOANNIS X. PAPÆ 11.

EDOARDI ANGLORUM REG. 22.

I. Ethelwardus senior moritur.

SEQUITUR Christi annus nongentesimus vigesimus secundus, morte Ethelwardi, Edoardi Regis fratris, funestus; quem passim Annales, magnæ spei juvenem, immaturâ morte defunctum, lugent. De eo ita scribit Pitsius: *Ethelwardus Senior cognominatur; quia ex tribus Principibus, qui hoc nomine censebantur, tempore fuit antiquior. Alfredi Regis filius: non tamen omninò regni, sed eruditionis ex parte hæres. Fratre Edoardo minor quidem ætate: sed æqualis, vel potiùs superior doctrinâ. Hunc enim Guilielmus Malmesburiensis, hunc Ioannes Warwicensis, quibus etiam adstipulatur Lelandus, inter viros eruditissimos numerant; & in omnibus melioribus disciplinis, mirificè profecisse scribunt.* Hæc ille, qui addit mortuum anno 920. sed rectiùs, opinor, Wigorniensis, & post eum Westmonasteriensis, ita mortis annum consignant. *Anno gratia nongentesimo vigesimo secundo, Æthelwardus, Edwardi Regis germanus frater, defunctus est, & Wintonia sepultus.*

Pits. ætat.10.

Westm. hic

II. Ethelwardus junior.

Fuit Ethelwardus alter, cognomento junior, Edoardi Regis filius; qui & ipse bonis literis apprimè instructus, Alfredum avum, vultu, moribus, ingenióque referebat, teste Malmesburiensi. Marianus Scotus eum Oxonii studuisse dicit; ibique statim à patris morte, inter musas mortuum.

III. Fasti, ad hunc annum, volunt vacantem Londini sedem Wulstanum ascendisse: unde Theodredum ibi Episcopum obiisse significant. Sed non assentior, tum quia Malmesburiensis disertè affirmat, Teodredum *Regis Ethelstani tempore* fuisse; cúmque in Analafum pugnantem juvisse. tum quia Regiæ chartæ subscriptus legitur ad annum 932. Et iterum anno 949. ut ibi dicetur. Maneat ergò Londini Theodredus, & Wulstanus ejus mortem eousque expectet.

Malmesb. de Reg. l. 2. f. 236.

ANNUS CHRISTI 923.

JOANNIS X. PAPÆ 12.

EDOARDI ANGLORUM REG. 23.

I. De Sanguine Dominico in Angliam allato.

AD annum Domini nongentesimum vigesimum tertium, referunt Annales nostri, & externi; sanguinem è percussa Christi imagine profluentem, & fidelium Christianorum operâ collectum, in Angliam delatum esse. Westmonasteriensis ita de illo. *Anno gratia 923. Sanguis Domini venit in Angliam sexto Idus Novembris, qui fluxit de imagine Christi, cum secundò in imagine suâ à Iudais pateretur priora.* Unde corrigi debet Wigorniensis impressio, quæ ad eundem annum ita legit: *Sanguis Domini venit in Augiam 6. Idus Novembris.* Nam Sigebertus in Chronico, Angliam rectiùs expressit: *Sanguis Domini Crucifixi venit in Angliam; fortè ille sanguis, qui de imagine Domini fluxit, cum secundò Dominus in imagine suâ à*

Westmon. hic.

Wigorn. hic.

Sigebert Chron. hic.

Judæis priora pateretur. Idem habet Genebrardus: sed & Centuriatores, cum de reliquiarum translatione agunt, hanc etiam Dominici sanguinis translationem commemorant: & addunt benè, circa hæc tempora, *apud Anglos*, hujuscemodi reliquias, *certis cærimoniis ac religione quadam, in capsas aureas poni.* Enimverò non est dubium, quin Christi sanguinem colerent, qui ejus Crucem, imaginem, vestes; quicquid demum Christum refert, dudum coluissent. Et quis crederet hoc factum, à majoribus nostris, multa jam sæculorum sanctitate ratum; aut controverti ab aliquo, aut argui, nedum redargui debuisse. Præsertim cùm Authores, illud tanquam Insulæ ornamentum, nè hominum memoriæ excideret, posteris transmiserint.

Cent. 10 fo. 338.

II. NOVATORES INDIGNANTUR: SED

Hic tamen æstuat ille, qui Antiquitates Britannicas scripsit, Matthæus Parkerus: & tam impatienter fert Dominici sanguinis mentionem; ut mali genii impetum (quo Calvinistarum primipili aguntur) manifestè prodat: scribit enim sic. *Roffensis historia portentum quoddam refert, non dicam belluæ multorum capitum figmentum, advectum scilicet in Angliam fuisse, anno Domini nongentesimo vigesimo tertio, sexto idus Novembris, sanguinem Domini, qui fluxit de lignea, vel lapidea statuâ Christi, cum secundò in imagine sua a Judæis pateretur. Ex hujuscemodi infinitis anilibus fabulis, omnis Pontificiorum doctrina constat: quæ planè Antichristi aurum id esse regnum, & præstigiis satanæ fulciri arguunt. Sublato hoc illorum fundamento, cætera sponte ruunt. Hisce etiam deliriis plurimorum Archiepiscoporum vitas refertas, fabulosi monachi reliquerunt.* Ita ipse; ubi de Athelmo Dorovernensi Episcopo agit, cui ipse Parkerus in sede, non in fide, aut sanctitate, successit. Quis crederet, virum, de fœmina non mirarer; quis crederet, inquam, Ecclesiæ Prælatum, qui è consilio Doctoris gentium, sobrius esse deberet, in re seria tam intemperanter agere: & rem ab authoribus traditam, à Magdeburgicis, Fidei hostibus non negatam; *figmentum belluam multorum capitum; aniles fabulas; præstigias satanæ*, Antichristianum appellare? nec alio argumento illud refellere. Opinor, quia à fœmina factus est Episcopus; induit spiritum fœminini generis. Sed ad rem: & utrùm, quod authores supra, de sanguine dixerunt, fabula sit.

Antiq. Brit. in Athelmo.

III. REDARGUUNTUR.

Quod sanguis aliquando è rebus inanimis fluxerit certissimum est, & oculati testes illud tradiderunt. Sub Stephano Rege nostro, similis prodigii meminit Huntindonius. *Dum*, inquit, *Ecclesia illa* (Ramseiensis) *pro castello teneretur ebullivit sanguis è parietibus Ecclesiæ, & claustri adjacentis: indignationem divinam manifestans, sceleratorum exterminationem denuncians. Quod multi quidem, & ego ipse oculis meis inspexi.* Quod ex imagine Christi, sanguis aliquando fluxerit, majora & constantiora sunt argumenta. Celebre est illud, quod sub Justiniano Imperatore contigit, & à Sigeberto & Baronio refertur ad Christi annum quingentesimum sexagesimum. *Hoc tempore*, inquiunt, *Judæus quidam, imaginem Salvatoris de Ecclesia furtim deponens, eam telo transfixit &, eam etiam in domum suam deferens: cum vellet flammis exurere; se sanguine imaginis cruentatum videns, præ stupore eam abscondit. Quam Christiani requirentes, & per vestigia sanguinis invenientes; eam sanguinolentam receperunt. Judæum verò lapidaverunt.*

Huntind. fol. 393.

Sigebert. an. 560. Baron. ibid.

Sed multò illustrius est, quod Beryti in Syria contigit: ubi Christi imago, à perfidis Judæis malè habita, copiosissimum sanguinem fudit; & plures, ac remotissimas etiam provincias, eo tempore beavit; quo Iconoclastarum factio turbavit Ecclesiam; eo ferè modo, quo hoc nupero sæculo Ecclesiam fœdant turbantque Calvinistæ. Rem testatissimam, & in secundo Nicæno Concilio probatam, ideo paullò fusiùs aperiam; quia inde allatum sanguinem, & in Anglia, hoc anno depositum, è multis conjicio.

IV. JUDÆI CUR IN CHRISTI IMAGINEM SÆVIUNT.

Itaque cum Constantino Copronymo imperante, factiosi plures, judæis accedentes; Christi Sanctorúmque imagines cultu privarent: Deus insigni miraculo Judæos docuit in Christum credere, cultúmque imaginis ejus. Et verò Judæi tunc temporis, Iconoclastis doctiores fuisse videntur. Nam cum odio pessimo & hæreditario, Christum persequerentur; nec id in Christi personam, ad dextram Dei jam confidentem possent effundere; in ejus imaginem illud expresserunt; docti, effigiem, tam ignominiæ, quàm cultus, capacem esse, id enim recta ratio, naturæ lumine illustrata, dictat: quod needum Calvinistæ nostri volunt intelligere. Judæi ergò, qui Beryti in Syria erant, cùm Christum iterum Crucifigere non possent; ejus imaginem, casu repertam, eo modo tractaverunt, quo Christum à majoribus suis tractatum esse didicerant, quod ita è versione Anastasii, in Nicænâ Synodo relatum est. *Tunc Judæi cæperunt conspuere in faciem sanctæ imaginis Domini, & dare alapas, coram his qui convenerant: hinc & inde imaginem Domini conspuentes, atque dicentes: Quæcunque fecerunt patres nostri, faciamus & nos imagini ejus. & dicunt: audivimus, quia illuserunt ei: & hoc ipsum nos faciamus & vos. infinitis ergo ludibriis illuserunt iconem Domini; quæ nos neque dicere audemus. Deinde dicunt: audivimus quia clavis infixerunt manus ejus, & pedes. Hoc & nos faciamus ei. Tunc in manus & pedes imaginis Domini, infixerunt clavos. Iterum sævientes dixerunt: Audivimus, quia accepto aceto, & felle, potaverunt eum cum spongia. faciamus ei & nos. Et fecerunt apponentes ad os imaginis Domini, spongiam aceto plenam. Rursus dicunt: didicimus quia percusserunt caput ejus arundine patres nostri: id ipsum & nos faciamus: & accipientes calamum percusserunt caput Domini.*

apud Baron. ad an. 787.

V.

*Cæterum novissimè dicunt (ut liquidiùs edocemur) quod lancea latus ejus aperuerunt. Nihil prætermittamus; sed addamus & hoc. Et facientes deferri lanceam; præceperunt cuidam suorum tollere lanceam, & percutere contra latus imaginis Domini. Mox manavit multitudo sanguinis, & aqua ab ea. &c. Denique postquam percussum est lancea latus ejusdem imaginis Domini, & emanavit sanguis & aqua: dicunt summi Sacerdotes eorum & seniores: Quoniam susurrant colentes eum, quod sanitates multas fecerit: sumamus ergo sanguinem hunc & aquam; & deferamus ad Synagogam, & colligamus omnes qui malè habent in populo, & ungamus eos ex illo, & videamus, si vera sint, quæ dicuntur. Tunc afferentes lateri iconæ Domini vas, secundum locum percussionis lanceæ, unde exivit sanguis & aqua; & repleverunt * amphoram secundum locum jugulationis lanceæ; & inferentes illudebant, ut injuriis appeterent, sicut putabant, coram omnibus, universorum Dominum.*

* *ampullam*

Priusquam

VI. Priusquam pergo in rerum narratione, ad mirabilia quæ operatus est Dominus: lubet sciscitari; non dico orthodoxum aliquem, aut Christianum; sed quemlibet, aut humana specie, aut sanâ mente prædnum: Quis Judæorum horum sensus fuerit, quæ mens consiliùmve, in Christi imaginem ita persequendo? Et indubiè respondebit: odii in ipsum Christum hæc omnia argumentum fuisse. Quem enim patres eorum oderant, eum ipsum nequam filii, quantum poterant, persequi voluerunt. Et quia injuriæ, calumniæ; verbera, absenti nocere non valebant; præsentem faciunt, & pro viribus afficiunt. atque ita odii rabiem, pro libidine, explent. Hoc benè. Si iterum interrogo, an benè id à Judæis factum, aut improbè. Opinor, quicumque Christiani nomine censetur dicet: perfidè, & Judaica impietate factum: quia odii in Christum Dominum vocale argumentum fuit. Nam quantumvis in actionis superficie, imaginem tantummodo vulneraverint: mens tamen actionis, Christum petebat, & odium Christi, plùs quàm imaginis fuit. teste Aristotele; propter quod unumquodque tale, & illud magis tale. Tunc autem orthodoxus, pro orthodoxâ Regiâque Fide concludet: Si odium & ignominia, per Christi imaginem, ad Christum transit: transit quoque amor cultusque. Et quia pessimè per imaginem, Judæi Christum persecuti sunt: optimè majores nostri, per imaginem, Christum coluerunt. Nam Christus per imaginem, tam cultus, quàm ignominiæ capax. Hæc obiter in Iconoclastarum fæces: nunc ad historiam, & Dei mirabilia supradicta confirmantis. Sic ergo pergunt acta.

VII. *Collectis omnibus, qui malè habebant, & ante omnes paralyticum, quem à nativitate noverant adducentes unxerunt, & statim substitit, & exiliit sanus homo peniens. Deinde cæcos adduxerunt, qui & ipsi visum receperunt. Dæmonium verò patientes mox adunati sunt. Turbatio quoque magna & infinita per totam civitatem effecta est, cunctis confluentibus propter infinita miracula. Commota autem sunt omnes multitudines Iudæorum, plures enim civitatem habitabant. Currebant ergo ferentes eos, quos in domibus suis habebant languentes, aut paralyticos, aut debiles, aut aridos, aut leprosos: omnes accurrerunt: ita ut neque Synagoga eorum licet magna fuerit, caperet illos; neque locus, multitudine infiniti populi, propter miracula concurrente. Omnes autem Principes Sacerdotum, & seniores, & populus Iudæorum, virorum, puerorum, & mulierum, crediderunt in Dominum* Jesum Christum, *clamantes: Gloria tibi Christe, quem patres nostri crucifixerunt: qui & à nobis, Domine, crucifixus es, in imagine tua. Gloria tibi Fili Dei, qui tanta fecisti miracula. Tibi credimus: propitius esto nobis, & suscipe nos. Hoc clamabant lugentes omnes; & voces emittebantur, & miracula perficiebantur, summis Sacerdotibus ungentibus, & cunctis curatis & vivificatis.*

apud Baron. supra.

VIII. *Postquam autem omnes sanati sunt, confestim ad Episcopum* * *sanctissimæ constitutæ illic Ecclesiæ; qui jam quæ fuerant facta didicerat; multitudines currebant, dicentes & clamantes: Unus, unus Deus Pater, unus Deus Filius; & ipse unigenitus, unus Christus, quem patres nostri crucifixerunt; ipsum Deum novimus, huic nos credimus. Multis itaq; laudibus glorificaverunt Deum; imaginem Archiepiscopo demonstrantes; annuntiantes quæ fecerant imagini Domini: qualiter, & sanguis & aqua exierunt è latere imaginis: nec non & infinita miracula, quæ facta sunt. Ita omnes multitudines, ut sancto baptismo digni fierent, supplicabant. Quos Episcopus, unà cum clero suo, assumptos, omnes baptizavit, per multos dies, & synagogam eorum, Ecclesiam Salvatori nostro Christo dicavit. Illis autem Rogantibus, etiam cæteras Synagogas eorum martyria fecit. Et sic gaudium magnum factum est in civitate illa; non solùm corporibus sanatis & vivificatis: sed & animabus mortuis, in vitam redeuntibus æternam.* Hæc omnia, de actis, in civitate Beryto, recitat Baronius.

* *Adeodatum vocat Sigebertus in Chronico an. 765.*

IX. Quæ ideo à me allata sunt, ut veritas de adventu sanguinis Dominici; & vanitas Parkeri illam infirmantis, pateat. Enimvero è dictâ imagine, ita à Judæis malè habitâ, tanta sanguinis copia emanavit; ut plures inde Ecclesiæ, tam in Oriente, quàm Occidente, tali thesauro beatæ fuerint. decretusque dies, quo illustrissimi miraculi memoria quotannis à fidelibus coleretur. Sic enim in dictâ Nicæna Synodo Patres dixerunt. *Hæc insuper ab eis efflagitamus; ut per annos singulos, mense Novembris qui apud Hebræos est nonus, apud nos vero undecimus, nona die ipsius, id est quinto Idus Novembris, non minori reverentiâ, quàm Natalis Domini, aut Paschalis ipsa dies, præcipuâ observatione colatur.* Et verò Romana Ecclesia sensum Nicænorum Patrum expressit, cum dicto die in suo Martyrologio ita cani jubet. *Beryti in Syria commemoratio imaginis Salvatoris, quæ à Iudæis crucifixa, tam copiosum emisit sanguinem, ut Orientales & Occidentales Ecclesiæ, ex eo ubertim acceperint.* Ad quæ verba ita notat Baronius: *Vetus consuetudo*, inquit, *tam in Orientali, quàm in Occidentali Ecclesiâ fuit, & hactenus perseverat; ut hac die* (9. Novemb.) *miraculum ex eadem imagine olim editum, annuâ celebritate recoleretur.*

Nicæ. Synod. II. Act. 4. apud Baron. in Notis ad 9. Novemb.

Rom. Mart. 9. Novemb.

Baron. in Notis ibid.

X. Non est ergo *anilis fabula.* aut *figmentum*, quod Roffensis historia & authores nostri, supra tradiderunt, de Dominici sanguinis adventu in Angliam. Si enim Occidentales Ecclesiæ illum sanguinem ubertim exceperunt: Cur Insula hæc in Occidente sita, & in cultu reliquiarum admodum illustris; ut conqueruntur Magdeburgici, centuria decimâ, non haberet cum cæteris Ecclesiis, hoc alimentum pietatis. Sed fortè putat Parkerus fabulam esse quod ex imagine sanguis effluxerit. Verùm facilè refellitur, si Nicænæ Synodi acta inspexerit: ubi cum supradicta narratio legeretur; nemo, ne quidem Iconoclastarum factionis fautores, contra eam exceperunt: Et de aliis Patribus legitur: *quod ea audientes, lacrymis sunt perfusi: perinde ac si crucifixionem Salvatoris, ex uno Evangelistarum acceptam recitari audissent.* Sed acutiores sunt Novatores nostri, & plus omnibus sæculis sapiunt. Et ex quo Lutherus, sine miraculo uxorem duxit, nullis miraculis volunt credere. Iis ergo missis, quid hoc anno factum in Anglia, cum Dominicus sanguis advenit, ex aliarum Ecclesiarum more colligamus, quia authores nostri, Wigorniensis, Westmonasteriensis, & alii, obiter tantum, illustrium rerum capita recensent.

Cent. 10. fol. 223.

apud Baron. ad an. 787.

XI. Dico igitur, Dominicum sanguinem, ab Anglis reverenter exceptum, in Ecclesia religiosè depositum: & fortè pluribus provinciis communicatum: ut sanguis ille, qui pro omnibus fusus est, μνημόσυνον esset pluribus, & pignus Redemptionis æternæ. Sic Haylense monasterium, quod in Dobunis, & Glocestrensi provincia, à Richardo Cornubiæ Comite, & electo Rege

Romanorum, posteriori sæculo erectum est; eo sanguine illustrissimum fuisse dicitur; nimirum, quia eo undique à fidelibus concursum, ubi Christi pietatis fusíque pro nobis sanguinis, tam vocale argumentum esset. Ibi, sine dubio, sanguis Dominicus; ut aliorum Sanctorum reliquiæ; *certis cærimoniis & religione quadam in capsâ aurea depositus est*, ut suprà Magdeburgici conqueiti suot Qui mos hodieque durat ubi durat orthodoxa Fides. Sic enim nobilissimum illud Bruxellense miraculum; fusus, inquam, non ex imagine, sed vero Christi corpore, sanguis adservatur: quem nos sæpè vidimus, & veneratí sumus. Et quia, non dubium est, quin Anglorum pietas, hoc decimo sæculo, cum hujusce temporis pietate conferri possit; è Bruxellensium cultu & pietate colligi datur, quid olim, in eo religionis genere ab Anglis præstitum. Dicat ergo Aubertus Miræus, quid Bruxellæ fiat, ubi Dominicus hodie sanguis adservatur: & quomodo non vulgus solum, sed Principes viri, illum venerentur; & habes inde Regiam Anglorum & decimi sæculi Fidem.

XII. Bruxellense Sacram. miraculosum. *Miræus in Fastis Belg. ad 15. Iulii.*

Summâ cum veneratione, inquit, *adservantur in Vrbe Regia Principumq́; Sede Bruxella, tres hostiæ sacræ, sanguine tinctæ, quas anno salutis millesimo trecentesimo septuagesimo, impiæ Iudæorum manus violarunt. Adservantur, inquam, in primariâ Vrbis basilicâ, sanctæ Gudilæ sacra, & circumferuntur quotannis, solemnissimâ supplicatione; medio mense Iulio. Dominicâ diem sanctæ Margaritæ sacrum præcedente. Rei gestæ, & miraculorum historiam scripsere Theodoricus Loërius, Alardus Amstelrodamus, & nuperrimè Stephanus Identius, Canonicus Bruxellensis: Ad quos Lectorem remittimus. Albertus pius, ejusq́; conjux Isabella Clara Eugenia, pro singulari sua religione, huic Venerabili Sacramento miraculoso, coronam triplicem auream, adamantibus, unionibus, gemmísque pretiosissimis distinctam, & alia ornamenta; decem amplius aureorum millibus æstimata, annis superioribus obtulerunt ac dicarunt. Cæterum tres istæ hostiæ sacræ, jam inde ab anno 1370. ad hoc usque tempus adservantur prorsus integræ, atque illæsæ, adeóque à Calvinianis nunquam violatæ. Quod nota contra Emanuelem Materanum, mendacissimum Belli Belgici scriptorem, Georgium cognomento Abbotum, pseudo-Episcopum Cantuariensem, & alios, quos impiissimus libellus, anno 1581. à Geusiis Calvinianis, tyrannicè tunc Bruxellæ dominantibus publicatus, fefellit.* Hæc omnia Miræus. E quibus colligi potest, quid factum ab Edoardo Rege, & Angliæ provinciis, cum Sanguis Domuucus, qui è percussa imagine mirabiliter fluxerat, allatus est. Vides etiam, quàm Parkerus muliebriter debacchatus sit; cum figmentum, anilem fabulam, præstigias, & Antichristianum vocavit, rem constantissimæ veritatis, & quod ad Dei, Christíque gloriam faciebat maximè.

XIII. Cæterum non est opus, aut è Belgio, aut aliunde, Regiæ pietatis petere argumenta, cum domi habeamus. Narrat Matthæus Parisiensis ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum septimum, quid à Regibus nostris factum, & omni ordine, cum portio Christi sanguinis, iterum in Angliam missa est.

Paris. an 1247 & in Addit f 182.

Circa idem tempus, inquit, *scripsit Dominus Rex* (Henricus tertius) *omnibus regni Magnatibus, ut in festo Sancti Edoardi, videlicet translatione, in quindena S. Michaelis: jubens ut omnes ibidem convenirent: ut jocundissimos cujusdam sancti Beneficii, cælitùs Anglis nuper collati, rumores exaudirent. Et præterea, ut tam gloriosi Regis & Martyris Translationem venerarentur. Tertio, ut W. de Valentia fratris sui uterini; quem ipse Rex eo die, balteo cincturus erat militari, cum quibusdam nobilibus juvenibus; interessent tyrocinio. Vt sit festum multiplex, præsentia ipsorum magnatum, tam prælatorum, quàm aliorum, jocundiùs, ad Regis & regni honorem, serenaretur. Die igitur præfixo, convenientes Magnates apud Westmonasterium; certificati de die S. Æduardi, & dicti Willelmi tyrocinio, sciscitabantur, quinam essent illi jocundi rumores, quos ibidem forent audituri. Qui relati fuerunt fideles, & omni acceptione digni. Magister enim templi, & hospitalis, cum testimonio quamplurium sigillorum: videlicet Patriarchæ Hierosolymitani, Archiepiscoporum, quoque & Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum, & Magnatum de terrâ sanctâ, miserant quandam portionem sanguinis Dominici: quem pro salute mundi fudit in Cruce, in quodam vase christallino venustissimo; per quendam fratrem Templarium benè notum. Dominus autem Rex, Princeps Christianissimus, ab Augusto Heraclio victoriosissimo ac piissimo Imp. Crucem sanctam exaltante, & à Rege Francorum, tunc superstite, Crucem eandem, ut præscribitur, Parisiis honorante, sumens exemplum: devoto spiritu, ac contrito, in vigilia* S. Ædmundi, *in pane & aqua jejunans, & nocte vigilans; cum ingenti lumine, & devotis orationibus; se ad crastinam solennitatem prudenter præparavit.*

* S. Eduardi.

XIV. *Præcepit igitur Dominus Rex, ut omnes presbyteri Londinenses festivè vestiti superpelliciis & capis, cum suis clericis, decenter vestitis, cum vexillis, Crucibus, & cereis accensis, die crastinâ, videlicet S. Eduardi, summo mane, ordinatè & reverenter convenirent apud S. Paulum. Quo & ipse Rex venit; & cum summo honore, ac reverentiâ, ac timore, accipiens illud vasculum, cum thesauro memorato, tulit illud ferens in propatulo, supra faciem suam, ivit pedes, habens humilem habitum: scilicet pauperem capam, sine caputio, præcedentibus vestitis prædictis, sine pausatione, usque ad Ecclesiam Wrstmonasterirusem, quæ distat ab Ecclesia sancti Pauli, circiter uno milliari. Nec prætermittendum, quod ambabus manibus illud deferens, tum per stratam salebrosam, & inæqualem pergeret, semper vel in cælum, vel in ipsum vas, lumina tenebat defixa. Supportabatur autem palla, per quatuor hastas, supportabantq́; duo Coadjutores brachia sua, nè in tanto fortè labore deficeret. Conventus autem Westmonasteriensis, cum omnibus qui convenerant Episcopis, Abbatibus, & monachis; qui plus quàm centum æstimabantur; canentes, & exultantes in Spiritu sancto, & lacrymis, occurrebant eidem Domino Regi sic adventanti, usque ad portam Curiæ Episcopi Dunelmensis. Tunc autem reversi sicut ierant, videlicet processionaliter, ad Ecclesiam Westmonasteriensem; vix in ea, præ copiosa turbæ multitudine, continebantur. Nec adhuc cessabat Dominus Rex, quin indefessus ferens illud vas, ut priùs, circuiret Ecclesiam, Regiam, & thalamos suos. Demum illud, quasi donum inpretiabile, & quod Angliam illustraverat, donavit, & obtulit Deo, & Ecclesiæ sancti Petri Westmonasterii, & charo suo Æduardo, & sacro conventui, qui ibidem Deo & Sanctis suis, ministrant.*

XV. Sequuntur plura, quæ festi hujus ritusque sacri, solennitatem explicant; Fidemque certam asserunt sacrum Christi sanguinem fuisse à Josepho Arimathæo, vel certè Nicodemo collectum à morte

vi. an. 12. 3. Christi. Unde etiam confirmantur ea, quæ tomo primo differui de duobus vasculis à Josepho in Britanniam deportatis ad annum octogesimum secundum. Ex quibus omnibus infero; Fidem de pretio cultùque sanguinis Christi, à primo sæculo, ad multa deinde sæcula, hanc Insulam beasse. Quæ si Novatores repetere, & contemplari vellent: desinerent, opinor, majores calumniari: & se potiùs quàm tot sæcula falli, modestiùs cogitarent. Cæterum Parkero sine dubio indignabitur, qui quod hoc anno nongentesimo vigesimo tertio factum authores tradiderunt, tam insolenti impetu persequitur.

ANNUS CHRISTI 924.

JOANNIS X. PAPÆ 13.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 24.

I. Urbs Legionum rebellans compescitur.

Dixi paulò fusiùs Anglorum Fidem, quia in eâ Anglorum Rex Edoardus moritur, anno Christi nongentesimo vigesimo quarto. cùm regnasset annos viginti quatuor. Priùs tamen quam moritur, regiæ fortitudinis argumentum dedit; quando Cestrenses populos, cum Britannorum reliquiis junctos, secessionem parantes, egregiè domuit; docuitque jugum subire. Quâ provinciâ compositâ, ipse in Atrebatios reversus, ad Farrington oppidum moritur, pietatis, laborum, victoriarum trophæa in cœlo recepturus. de ejus morte, & re hoc anno gestâ, ita scribit Malmesburiensis: *Rex Eadwardus, post multa, & in bello, & in toga mirabiliter consummata; paucis ante obitum diebus, urbem Legionum, fiduciâ Britonum rebellantem, a contumaciâ compescuit. Ibiq; præsidio militum imposito, apud Farendunam villam, tactus valetudine, vitam præsentem exuit. Et universæ carnis viam ingressus, Wintoniæ quiescit, in eodem monasterio, quo pater: quod ipse quoque magnis redditibus ampliaverat.* Vir fuit multis nominibus, virtute, inquam, rebus benè gestis, & filiorum, ac filiarum commendatione illustrissimus. Unde Wigorniensis, & post eum Westmonasteriensis, ita illum cum honore sepeliunt. *Anno Christi nongentesimo vigesimo quarto, Rex Anglorum Eadwardus, cognomento Senior; qui cunctis Britanniam incolentibus, Anglorum, Walanorum, Scotorum, Cumbrorum, Galwalensium, Danorum populis, potenter præfuit: post multas res egregie gestas, anno regni sui vigesimo quarto, in villâ Regiâ Farendona nuncupata, diem clausit extremum: & Wintoniæ in novo monasterio, more Regio est sepultus.* Inter res ejus è pietate gestas, monasterium numeratur, quod ipse in Hamptoniensi agro posuit; quod restauratum postea Edgari Regis tempore, Rumseiense dictum: cujus exordia ad Edoardum Seniorem referuntur: ut disertè affirmat Wigorniensis, Hovedenus, atque Florilegus; ut * infrà patebit.

Edoardus Rex moritur. Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. fol. 9.

Wintoniæ sepultus.

Westm. hic. Wigorn. hic.

Ejus Elogium.

* v. an. 966. num. 10. an. 968. n. 3. & 992. n. 6.

II. Quod spectat ad mortis annum, è Fastis, Malmesburiensi, & Matthæo, & Florentio, quos modò nominavi, corrigi possunt Rogerus Hovedenus, atque Huntindonius, quorum iste viginti sex regni annos Edoardo tribuit, Ethelwerdi, opinor, authoritate doctus: cujus tamen annos supputandi ratio, ab aliis sub hæc tempora differt: Hovedenus autem magis exerrat, in Edoardi Regis annis numerandis; aut saltem in inaccuratos typothetas incidit: nam ita in eo legitur. *Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo decimo nono, invictissimus Rex Anglorum Eadwardus Senior, qui cunctis Britanniam incolentibus, Anglorum, Scottorum, Cumbrorum, Danorum, pariter & Britonum populis, gloriosissimè præfuit: post multas res egregiè gestas, regni sui anno 34. in Regiâ villâ, quæ Fearndun nominatur, Indictione decima quinta, ex hâc vitâ transiens, Athelstano filio suo regni gubernacula reliquit.* His, inquam, sine dubio, vitium irrepsit, & pro 34. regni anno, legendum potiùs 20. Nam suprà Alfredi patris mortem consignaverat, ad annum Christi 899. à quo ad annum 919. viginti tantùm anni numerantur. Adde, Indictio decima quinta, in Edoardi Regis annum duodecimum incidit. Quare ab Hovedeni, & Huntindonii calculo recedendum est; tam in postremis Edoardi annis, quàm in annis successoris, filiique ejus, de quo nunc dicendum.

Hoveden. f. 422.

ATHELSTANUS ANGLORUM REX.

III. Athelstanus Rex.

Minor difficultas est, in Athelstani Regis annis supputandis. licet enim sequens Christi annus nongentesimus vigesimus quintus, primus dici possit regni ejus: & in Regiis chartis aliquando ita scribitur. Communiter tamen ad eum, quo parens moritur annum, exordium regni collocatur. Unde benè Malmesburiensis: *Anno Dominicæ Incarnationis, nongentesimo vigesimo quarto, Athelstanus, filius Edwardi, regnare cæpit, tenuitq; regnum annis sedecim.* Fuit ille filiorum Edoardi natu maximus; & ideo sine dubio regni heres; nisi parentis furtivæ nuptiæ, suspicionem crimini addidissent. Hinc ortæ aliquorum lacrymæ; qui turbatis rebus, suis cupiditatibus meliùs famulantur. Verùm Athelstanum juvit Ethelwerdi fratris cita mors, qui è secunda Edoardi conjuge genitus, non parentis regno, sed tumulo successit. De quo Malmesburiensis: *Secundus filius Edoardi fuit Ethelwardus, ex Elfleda filia Comitis Ethelini, literis apprimè institutus, multùmque Elfredum avum, vultu & moribus præferens; sed citò post genitorem morte substractus.* Et paullò post, idem author: *Frater Ethelstani,* inquit, *Ethelwardus paucis diebus post patrem, vitâ decedens, sepulturam suam eodem Wintoniæ meruerat.* Hæc, inquam, Ethelwardi mors, Ethelstano coronam faciliorem reddidit. Licet enim de natalibus ejus aliqua fuerit controversia; eam tamen, Ethelstani indoles, & naturæ gratiæque ornamenta maxima, nullo sanè negotio diremerunt. de quo ita in Malmesburiensi legimus.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. princ.

Ethelwardus Edoardi filius moritur.

Idem supra c. 5. fol. 40.

Idem c. 6. princ.

IV. Alfredus Athelstano adversatur.

Itaque magno consensu optimatum Æthelstanus electus, apud Regiam villam quæ vocatur Kingston, coronatus. quamvis quidam Alfredus obviare tentasset, cum factiosis suis. (quia seditioso semper inveniet Complices) Occasio contradictionis, ut ferunt, quod Æthelstanus ex concubina natus esset. Sed ipse præter hanc notam (si tamen vera est) nihil ignobile habens, omnes antecessores; devotione mentis; omnes eorum adoreas, triumphorum suorum splendore, obscuravit. Adeo præstat ex te, quam ex majoribus habere, quo polleas; quia illud, tuum; istud reputabitur alienum. Viderat Alfredus, Ethelstani avus, pueri

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. princ.

indolem

indolem, eámque amplexus, ad audendum magna, pugnandúmque pro Ecclesiâ, tunc acuere visua est, cùm militem creavit, de quo * suprà: nec id solum, sed postea adulôorem voluit, sub Ethelredo Merciorum Principe, qui amitam duxerat; militiæ rudimentum ponere. Et verò ille tam feliciter posuit; & tantâ animi moderatione, tali corporis, viriúmque firmitate, adolescentiæ annos trivit; ut jam vir factus, factus etiam ad imperium, natúsque videretur. Unde, ingenti cum applausu, hoc anno, ab Athelmo, Dorovernensi Archiepiscopo, Kingstoniæ coronatur: & multam ab antiquis Authoribus meruit laudem. Quod quia ad obscuri sæculi splendorem facit, nec præter Annalium institutum est; libenter Malmesburiensem exscribo.

* an. 898. n. 2. &c.

V. ETHELSTANI ELOGIUM

De hoc Rege (& Ethelstanum intelligit) *non invalida apud Anglos fama seritur: quod nemo legaliùs, vel literatiùs Remp. administrarit. Quamquam literas illum scisse, pauci admodum dies sunt, quod didicerim, in quodam sanè volumine vetusto, in quo scriptor cum difficultate materia luctabatur; indicium animi sui non valens pro voto proferre. Cujus hic verba, pro compendio subjicerem, nisi quod ultra opinionem in laudibus Principis vagatur. Eloquium excusat consuetudo illius temporis, laudum nimietatem adornavit favor Æthelstani adhuc viventis. Pauca igitur familiari stylo subnectam, quæ videantur aliquod conferre emolumentum ad dignitatis ejus documentum. &c. Iussu Edoardi patris, in testamento, Æthelstanus in Regem acclamatus est quem jam tricennalis ætas, & sapientiæ maturitas, commendabant. Nam & avus Alfredus prosperum ei regnum, olim imprecatus fuerat; videns, & gratiosè complexus speciei spectata puerum, & gestuum elegantium. Quem etiam præmaturè militem fecerat, donatum chlamyde coccinea, gemmato balteo, ense Saxonico, cum vaginâ aureâ. Post hæc in curiâ Ethelfleda filia, & generi Ethelredi, educandum curaverat; ut multo studio amitæ, & præclarissimi Ducis, ad omen regni altus; gloria virtutum, calcavit & pressit invidiam. Post mortem patris, & interitum fratris, in Regem apud Kingston coronatus est. Unde pro tantorum successuum gloriâ, & illius diei lætitiâ, non injuria versificus exclamat.*

VI.

Regia progenies produxit nobile stemma;
Cum tenebris nostris illuxit splendida gemma.
Magnus Ethelstanus, patriæ decus, orbita recti:
Illustris probitas, de vero nescia flecti.
Ad patris edictum datus in documenta scholarum,
Extimuit rigidos, ferula crepitante magistros;
Et potans avidus doctrina mella medullis,
Decurrit teneros, sed non pueriliter, annos.
Mox adolescentis vestitus flore juventæ,
Armorum studium tractabat, patre jubente:
Sed nec in hoc segnem senserunt bellica jura:
Id quoque posteriùs juravit publica cura.
Functus erat fato pater omni præclusus ævo,
Perpetuâ fama victurus sæcula cuncta.
Tunc juvenis nomen regno clamatur in omen;
Ut sancto patriæ titulo moderetur habenas.

VII.

Conveniunt proceres, & componunt diadema
Pontifices pariter dant infidis anathema.
Emicat in populis sol eo festivior ignis:
Et produnt variis animi penetralia signis.
Ardet quisque suum Regi monstrare favorem:
Hic timet, hic sperat: pellit spes ampla timorem.
Fervet & exundat regalis regia luxu,
Spumat ubiq; merum, fremit ingens aula tumultu
Discurrunt pueri, celerant injuncta ministri:
Deliciis ventres cumulantur, carmine mentes.
Ille strepit cithara, decertat plausibus iste.
In commune sonat, tibi laus, tibi gloria Christe.
Rex non invitus, oculis hunc haurit honorem;
Omnibus indulgens proprium dignatur amorem.

VIII.

Hæc è vetusto Authore, qui Ethelstani tempore scripsit, recitat Malmesburiensis, lætitiæ argumenta, quæ in Regis inauguratione hoc anno eduntur. Fortè lætitiæ causa fuerit, quòd Deus Ethelstani studiis accesserit, promoveritque jus ejus ad regnum Insulæ; cum detectis insidiis, quæ ei parabantur, insidiatorem mirabiliter sustulit. Res gesta hoc loco narranda est; quia Ethelstani inaugurationem videtur præcessisse. Elfredus igitur, de quo * suprà; indignè ferens, omnium procerum, populique vota, in Ethelstanum ferri; dum adhuc ille Wintoniæ moraretur: communicato cum paucis consilio; dictum Ethelstanum excæcare, regnóque inutilem reddere; & Edwinum ejus fratrem, nobiliùs, ut credebatur, natum, regno præficere decreverat. Sed re, per nutantia paululùm argumenta, detectâ; cùm reus in negando crimine persisteret, satis contumaciter: visum omnibus, supremum orbis tribunal appellare, ad Romanum, inquam, Pontificem Elfredum mittere: qui re inspectâ, & excussis momentis omnibus; vel Regis causam, vel Elfredi innocentiam tueretur. Ita factum. Elfredus Romam proficiscitur: à Joanne Papa de crimine interrogatus, sanctè innocentiam protestatur: & quo fidem faciat; se id jurejurando confirmaturum, ad altare S. Petri, religiosè in speciem pollicetur. Non potuit Pontifex conditionem negligere. Elfredus ad altare ductus, vix juramenti formam protulerat, cùm semimortuus in terram labitur: unde famulorum manibus elatus, ad vicinam Anglorum scholam, post triduum, perjurii pœnas citâ morte dedit.

* hic n. 4.

ELFREDUS PERJURUS ROMAM MORITUR

IX.

Hæc omnia Ethelstani literæ testantur: in quibus, quia Joannes Papa nominatur; sub initium regni Ethelstani ea contigisse videntur. Quando etiam Pontificiâ sententiâ Elfredi bona regio fisco adjudicata sunt. Verùm ea Regis moderatio fuit, & in Deum pietas: ut bona illa, quæ Deus, & S. Petrus videbantur contulisse: non in alium usum, quàm Dei, Sanctique Petri cultum expendi æternùm voluerit: unde Malmesburiensi monasterio, & Ecclesiæ Apostolorum Principis, quæ ibi erat hoc tempore celebris, omnia concessit. testatur hoc Gulielmus illius cœnobii bibliothecarius, quem ideò soleo Malmesburiensem appellare. qui Ethelstani pietatem in monasterium illud, causamque pietatis explicans, hæc habet. *Quia Malmesburiam corpora cognatorum deferri, & ad caput sepulchri sancti Adelmi, tumulari jusserat Ethelstanus; ita locum illum coluit in posterum, ut nihil desiderabilius, nihil haberet sanctius. Multa ibi largitus prædia, chartis quoque confirmavit: in quarum una, post donationem, subjecit.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. f. 52.

X. ETHELSTANI LITERÆ.

Sciant sapientes regionis nostræ: non has præfatas terras me injustè rapuisse, rapinamq; Deo dedisse: sed sic eas accepi, quemadmodum judicaverunt omnes optimates regni Anglorum; insuper & Apostolicus Papa Romanæ Ecclesiæ Ioannes, Elfredo defuncto, qui nostræ felicitati, & vitæ æmulus extitit, nequitia inimicorum consentiens: quo me voluerunt, patre meo defuncto,

cæcare

tacare in urbe Wintonia; si non me Deus suâ pietate eripuisset: sed denudatis eorum machinamentis, remissus est ad Rom. Ecclesiam ut ibi se coram Apostolico Ioanne, jurejurando defenderet. Et hoc fecit coram altare sancti Petri. Sed facto juramento cecidit coram altari: & manibus famulorum suorum, portatus est ad Scholam Anglorum: & ibi tertiâ nocte vitam finivit. Et tunc Apostolicus ad nos remisit: & quid de eo ageretur à nobis consuluit, an cum cæteris Christianis corpus ejus poneretur. His peractis, & nobis renunciatis, optimates regionis nostræ, cum propinquorum illius turma efflagitabant omni humilitate, ut corpus illius, per nostram licentiam, cum corporibus poneretur Christianorum. Nosq; illorum efflagitationi consentientes, Romam remisimus: & consentiente Papa, positus est ad cæteros Christianos, quamvis indignus. Et sic judicata est mihi tota possessio ejus, in magnis & modicis. Sed & hæc apicibus prænotavimus literarum, ne quamdiu Christianitas reguet aboleatur. Vnde mihi præfata possessio, quam Deo & sancto Petro dedi, donatur: nec justius novi, quàm Deo & S. Petro hanc possessionem dare; qui æmulum meum in conspectu omnium, cadere fecerunt. Et mihi prosperitatem regni largiti sunt.

XI. Hæc de mirabili casu Elfridi, & donatione Ethelstani, Malmesburiensis ex antiquiore recitans, dicit se *integra fide* conscripsisse. Eadem etiam refert Spelmannus, in notis post Synodos Ethelstani Regis tempore habitas: ubi hanc Regiæ Chartæ facit Epigraphen: *Elfridus quidam nobilis, conjurationis reus, in Æthelstanum Regem, Romam mittitur expurgandus, & ante altare corruit perjuratus.* Hæc Dei ergo mirabilia, Ethelstani coronam ornaverunt; illumque erexerunt, ad Dei, Ecclesiæque gloriam præferendam. Quò enim Dei virtute, inimicorum spoliis auctior extitit; eò in Ecclesiam, Deique servos, profusior fuit. Unde hoc meruit à primæ classis authore Elogium. *Hoc enim vir ille* (Ethelstanus Rex) *animo imperaverat suo, ut nihil opum ad crumenas corraderet: sed omnia conquisita; vel monasteriis; vel fidelibus suis, munificus expenderet. In hoc enim thesauros paternos, in hoc victoriarum suarum titulos, tota vita evacuabat. Deo famulantibus pronus, & dulcis; laicis jocundus, & comis magnatibus, pro contuitu Majestatis serius, minoribus pro condescensione pietatis, deposito regni supercilio, affabiliter sobrius.*

Spelman. fo. 407.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. fol. 30.

XII. Nec omittendum, hoc loco, Regiam Ethelstani fidem adnotare: qui sedem, etiam in indigno possessore, reveritus; manifestè ostendit, se Romanæ Ecclesiæ membrum, & ejus discipulum esse: qui olim Apostolis dixerat, *Qui vos audit, me audit.* Licet ergò Joannis tunc Romæ sedentis crimina celari non possunt: licet ibi, inquam, scriba & Pharisæus sederit: sciebat tamen, Christi oraculo doctus, faciendum esse quod ille dictabat. Et ideò Elfredum reum, ejus permisit arbitrio, vel cadere, vel stare. Deus autem, & Apostolorum Princeps Petrus, Ethelstani factum, fidémque probavit; cum mirabili casu, læsæ utriusque majestatis crimen punivit. Nec absimile in Galliis factum: cum ortâ de Tungrensi sede, electóque ad eam Episcopo, controversiâ: hic idem Joannes Judex postulatus, sententiam pro Rege dixit. Unde in rem meam benè dixit Baronius: *Ex quibus*, inquit, *sicut & ex aliis multis, apparet; orbem Christianum cognovisse summum Pontificem Ioannem invasorem licentius sibi arrogante de Apostolicâ sede judicium tanti ponderis, existimans unusquisque nomen etiam, licet malè usurpatum ipsius Romani Pontificis, veneratione dignum. Quod semel susceptum ab aliquo, nemo auderet contemnere. TANTOPERE COLUERE MAIORES, VEL IPSUM NOMEN ROMANI PONTIFICIS. Quod si tanti vitrum? quanti margaritum?* Hæc ille. quæ rectè de majoribus nostris dicuntur. Sic suprà vidimus frequentes Romæ peregrinos; etiam cum ad clavum Ecclesiæ hominum larvæ, vitiáque sederent.

Baron. an. 922 n. 2.

XIII. Moritur Athelmus Dorovern. Episcop. Moritur hoc anno, Dorovernensis Archiepiscopus Athelmus; cùm Ethelstanum priùs regio diademate coronasset. nam illi falluntur, qui factum id asserunt ab ejus successore. Cæterùm rara ad illam ætatem cærimonia, novóque coronæ genere, Rex inauguratus videtur. Nam structo in medio Urbis theatro, ab Athelmo, sacro oleo unctus. & non usitata corona, sed diademate ornatus, gratissimis omnium vocibus salutatur. Ita saltem quod diadema spectat, Galfridus Monumetensis putavit; qui inde infert: Ethelstanum, primum inter Saxones Regem fuisse, diademate coronatum. fortè non alio argumento ductus, quàm vel illo antiqui Poëtæ versu:

Galfr. Monum. l. 9. c. ultimo.

Conveniunt proceres, & componunt diadema:

vel certè Merlini vaticinio: *Coronabitur Germanicus vermis: & æneus Princeps humabitur.* Athelmi vestigia in Dorovernensi sede pressit, qui eundem in Wellensi sede secutus fuerat, Wulfelmus. Et eodem tempore ad Wellensem jam vacantem sedem Ælfeagus eligitur. hæc omnia ad hunc annum refert Westmonasteriensis ita scribens: *Eodem anno (924.) defuncto Æthelmo Dorovernensi Archiepiscopo, & Wulfhelmus successit Wellensis Antistes: & Wulfhelmo ad Wellensem Ecclesiam successit Ælfegus.*

Succedit Wulfelmus.

Elfeag. Wellensis Eps.

Westm. hic.

XIV. Moritur Bernegus Selseien. Eps. In Fastis etiam, ad hunc annum, Bernegi mors consignatur; qui Australium Saxonum Episcopus consecratus est anno Domini nongentesimo sexto, ut dictum ibi. In ejus locum subrogatur Cenredus, sive Coënredus: cujus nudum nomen ad posteros transiit, & sola conjecturâ ingressus in Sedem egressúsque colligitur. Transeundum ergo in annum sequentem.

ANNUS CHRISTI 925.

JOANNIS X. PAPÆ 14.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 1.

I. Nascitur Sanctus Dunstanus. ANNO Domini nongentesimo vigesimo quinto; currebat adhuc Ethelstani Regis annus primus, cùm in Occidente nostro oritur sidus, illustrissimum patriæ sæculisque sui ornamentum, Dunstanus Sanctus: cujus sanctitatis splendor, & miraculorum ejus merita; ut Ecclesiam nostram, Fidémque orthodoxam, eximiè afficit; ita miserorum hæreticorum mentes, oculósque verberat, suæ lucis magnitudine. Et quia stante Dunstani sanctitate; ipsi stare nequeunt, & fidei perduelles esse convincuntur: ideò virum hunc, quem omnia post eum sæcula laudaverunt; magno conatu denigrare, ejus acta pervertere,

& ubique calumniari conantur. Erit igitur pretium operæ, nec ab Annalium instituto alienum, ejus exordia repetere; parentes & studia, ac vitæ genus, suis locis adnotare: quod ideò factu facilius erit, quia Scriptores penè omnes, Dunstani meminerunt, exponunt natales ejus, & quibus demum gradibus, ad Christianæ perfectionis, summæque Ecclesiasticæ dignitatis fastigium pervenerit: quod perbrevi stylo ita refert Malmesburiensis. *Fuerat*, inquit, *Dunstanus, Archiepiscopi Athelmi ex fratre nepos, primus Abbas Glastoniæ, post Wiccіorum, & Londinensium Episcopus: ultimo Cantuariæ Archiepiscopus, promotionis suæ gradus indefessis tenebat virtutibus.* Hæc ille: de quibus promotionis gradibus, suis opportunè locis dicendum. Nunc de natalibus ejus, & parentum sanctitate, qui ita in ejus vitâ referuntur.

Malmesb. de Pont. l. 1. fol. 201.

II. Dunstani exordia et parentes. *apud Capgr.*

Regnante Rege Ethelstano, anno regni sui primo, adventus verò Anglorum in Britanniam, quadringentesimo nonagesimo septimo (legendum potiùs ab adventu Anglorum 477.) *natus est puer Dei Dunstanus, in West-Saxonicâ Angliæ plagâ: magnis quidem pro sæculi dignitate parentibus: sed ad religionem, quæ Christianos decet, longè majoribus. Tanta siquidem ratione viventes animum colebant; tot piis operibus laboranter insudabant: ut sicut eidem filio suo, postmodum divina revelatione, innotuit: viam universæ carnis ingressi, spiritibus Angelicis associari mererentur. Magnus enim Deus puerum futurum prævidebat; cui tantum muneris donatum est: ut ante mundo signis innotesceret, quàm hunc in mundi hujus lucem mater fudisset. Cumque in purificatione Beatæ Mariæ, populus ad Ecclesiam in Glastonia confluerer; contigit patrem pueri Herstanum, cum conjuge suâ gravidâ Kinedridâ, ad Ecclesiam advenisse: accensisque candelis, sacris Missarum solemniis interfuisse. Et cùm recitatum esset, quemadmodum puerum IESVM in templum parentes inducerent; Majestas Domini repente ibidem apparuit, quæ luminaria cuncta extinguens, totam domum tenebrosa caligine obtexit. Pavore igitur singuli tabescunt; rigent comæ, genua colliduntur, sensu stabant hærentes, & alternis obtutibus stuporem indicantes. Sed ut omnibus clarum fieret, quid hæc in re quæ apparuit, Majestas intenderet: exemplo lux cælitus emissa resplenduit: & enim quæ puerpera manu tenebat, cereum ascendit. Si autem populus de amisso lumine miratus est: nunc majori admiratione simul, & exultatione detinetur. A lumine itaque illo, lumen omnibus non immerito gaudentibus porrectum est.*

III. Ita Dunstani exordia recitat Osbertus Cantuariensis monachus, qui sequenti Dunstanum sæculo vixit, & mortuus creditur sub annum Christi 1074. Meminit scriptionis ejus Guilielmus Malmesburiensis, aitque *eum Romanâ eloquentiâ* scripsisse vitam S. Dunstani. Prodigium ergò antiquæ authoritatis est: & ferè à factiosis admittitur. Nam Parkerus, qui Cantuariensium Episcoporum vitas recensuit, hæc habet de Dunstano: *Natus est anno primo Regis Ethelstani. Parentibus ortus utrisque nobilibus, Herstano patre, matréque Kinedrida, à cujus utero, nec sine portento fœtus exiit.* Præsagium ergò orituræ lucis fuit, fœminæ cereus mirabiliter accensus, Dunstanum innuens; qui regularem disciplinam, in Occidente occidentem; conatu, exemplóque suo, pristinæ luci restitueret: quod ille in omni vitâ suâ egregiè præstitit. Quod ad natalem ejus annum spectat, licet omnes affirment sub Ethelstani Regis exordium fuisse: & plerique Authores primum annum nominent: Ille tamen indefinitè positus, tam in annum Christi nongentesimum vigesimum quartum, quàm in sequentem cadere potest. Ideò, opinor, Clemens Reynerus in Apostolatu, Osberti calculum explicans, dicit: Dunstanum natum anno primo Athelstani Regis; adventus verò Anglorum in Britanniam 497. *hoc est*, inquit, *anno Christi nongentesimo vigesimo quarto.* Verùm, quia magnam ejus anni partem Edoardus pater regnavit: & quia sub initium anni potiùs, quàm finem, natum putamus S. Dunstanum, ideò primus quoque Ethalstani Regis annus, æquè cadere potest in annum sequentem, Christi nimirum 925. Et verò, qui Regia Ethelstani diplomata explorat, inveniet eum, non ab eo anno, quo parens moritur, sed à sequenti, regni sui annos numerare.

Antiq. Brit. in Dūstano.

IV. Charta Regia Ethelstani hoc anno data. Est penes me charta Regia, antiquâ manu, & Saxonico charactere scripta, quæ incipit: *Regnante Theo in perpetuum*; &c. qua *fideli ministro* suo Eadrico, septem manentes, in loco illo, at Hwytantune, in perpetuam hæreditatem condonat: & in fine legitur: *Hæc scedula caraxatis literulis primo anno regni præfati Regis* (Ethelstani) *peraordinata fuit. Anno ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi DCCCCXXV. Indictione XIII.* †. *Ego Ethelstan, Rex, hanc donationem meam triumphali trophæo sanctæ Crucis, propriis articulis, confirmavi, atque roboravi.* Iterum, nobilissimum illud privilegium, Wiotoniensi monasterio concessum, anno regni ejus octavo, & Christi Domini nongentesimo trigesimo secundo, ut ibi dicetur; satis significat, primum Ethelstani annum dici posse Christi annum nongentesimum vigesimum quintum. Quamobrem cum Kinedrida Dunstani mater, gravida fuerit; & sub initium Februarii, partui vicina; non multò post, opinamur natum puerum, qui matris cereum accenderet: ideóque non anno 924. Edoardo tunc regnante: sed potiùs 925 quo sine ullo dubio Ethelstanum regnasse, omnes affirmant.

V. Major adhuc parachronismus in Dunstani vitâ occurrit; ubi ab Authoribus passim dicitur; Dunstanus, Athelmi patrui curâ educatur, Regi Ethelstano commendatus, ab eo salutis, & perfectioris vitæ monita accepisse: cum longè probabilius sit, Athelmum Dorovernensem Episcopum priùs mortuum, quàm ille nasceretur, ut * suprà ostensum. Fefellit illos fortè Florentius Wigorniensis, qui anno superiore ita scripserat. *Æthelstanus in Kingstune, id est, in Regiâ villâ, in Regem elevatur: & honorificè ab Athelmo Dorobernensi Archiepiscopo consecratur. Cujus temporibus oritur puer strenuus Dunstanus, in West-Saxonia patribus.* Sed illud: *Cujus temporibus*, ex sensu Authorum omnium, non ad Athelmi; verùm ad Athelstani Regis tempora refertur: Quod probè Westmonasteriensis distinxit, dum Wigorniensem fideliter secutus, ita ad eundem annum scripsit: *Æthelstanus Edoardi filius primogenitus, apud Kingestonam regiam villam, Rex creatus, ab Æthelmo Dorovernensi Archiepiscopo consecratur. Hujus verò Regis temporibus, in West-Saxoniæ finibus insignis puer oritur Dunstanus, Eodem anno defuncto Æthelmo Dorovernensi Archiepiscopo, Wulfhelmus successit.* Hæc ille.

* *an. 924.* [illegible]

Wigorn. an. 924.

Westm. an. 924.

VI. Monachismus in Anglia iacebat.

His de temporis ratione præmiſſis ; ad Oſbernum redeo, natumque Dunſtanum ; viſurus, quid accenſi cerei præſagium innuerit, nam facile è rebus ab eo geſtis, in Dei mentem conſiliumque poſſumus aſcendere : Osberno præſertim præeunte ; qui infelicitatem illius ſæculi, monaſticæ perfectionis deliquium, tenebraſque inde conſecutas, explicat. Enimvero bellorum nequitiâ, & infidelium Danorum barbarie, plurima monaſteria deſtructa, & proſtratas ad ſolum Eccleſias, vidimus. bonáque vel Regio fiſco addicta ; vel in nequiores uſus detracta : Unde monachorum, & ad perfectionis vitæ ſtudia contendentium, paucitatem, rectè colligimus. in Occidente præſertim, ubi Alfredi, filiique ejus regnum, in Danorum oculis ſudes erat. Sed in Alfredo plurimum conante, & Grimbaldo Regios conatus adjuvante, non admodum promoveri potuit monachorum ordo, diabolo, Danóque, pro viribus contra nitentibus. Voluit ergo Deus, ſerpentis caput iterum conterere : & regularem diſciplinam, quæ olim per plurima ſæcula Inſulam beaverat, in priſtinum ſtatum, lucémque aſſerere, Dunſtani operâ. quod ille præſtitit integerrimè : & eo nomine, ut à bonis omnibus laudem, & à Deo gloriam, meruit : ita à factioſis, & infidelium Danorum reliquiis, impiè proſcinditur. Dunſtanus ergo puer, Dei digito, cæleſti, inquam prodigio, indicatur ; qui monaſticum ordinem illuſtrare, dejectúmque erigere debeat. Sed domi incipiendum, & à Glaſtonienſi pago : ubi olim, ut ſupra vidimus, monaſticæ vitæ perfectio ſummè floruerat. Nunc verò, à Danorum ingreſſu, prorſus jacuerat. Unde ex Osberno, Joannes Anglicus, & ex utroque Capgravius, ita de Glaſtonienſi monaſterio, quondam florentiſſimo ſcripſere.

Per Dunstanum restituitur.

VII. Glastoniæ nulli monachi.

Ea tempeſtate (nimirum ſub natum Dunſtanum) *Glaſtonia, regalibus ſtipendiis addicta, monaſtica religionis penitus erat ignara. Nondum enim in Anglia communis vita colebatur : non uſus deſerendi voluntates affectabatur. Abbatis nomen vix quiſquam audiverat. Venerant autem de Hiberniâ illuſtres viri quidam : & locum habitationis ſuæ, à civili multitudine ſequeſtratum, apud Glaſtoniam elegerunt. Filios idcirco nobilium liberalibus ſtudiis imbuendos ſuſceperunt : ut quod minus ad uſum loci ubertas exhiberet : eorum quos docebant liberalitate redundaret.* Hanc Glaſtonienſis cœnobii echlipſim, illius loci Antiquitates ſatis inſinuant, cum ab Ethelbaldi Regis tempore ; qui monaſterio dedit Brannamunſter decem hidas, ad capturam Iſiciorum : & Herefenti Abbatis, qui tunc præfuit ; uſque ad Ethelſtani regnum ; nihil per quinquaginta & ampliùs annos legitur ibi geſtum, præterquam, quod Alfredus dicitur Eccleſiæ illi, partem ligni Crucis Dominicæ, quod ei Marinus Papa antea dederat, conceſſiſſe. Cæterùm nunc, Ethelſtano regnante, & Dunſtano nato, loco illi ſeruitas redit : quod novo oraculo Deus firmare voluit, ubi primum Dunſtanus puer balbutire cæpit, de quo ſic authores ſuprà.

vid. an. 861. n. 1.

vide an. 883. n. 3.

VIII. Capgrav. in Dunſtano.

Nato itaque Dunſtano, cum linguam ad loquendum, temporis proceſſu formare cæpiſſet, a parentibus ſuis, ad Eccleſiam defertur : & illis in oratione pernoctantibus, apparuit vir, athereum habens vultum : Locum dixit, non multo poſt tempore ſublimandum ; puerum ibidem Deo relinquendum ; & beatum illum per ſæcula prædicandum. Et menſoris funiculum per plana atrii extendens : Sic, inquit, ædificabitur locus iſte, ad præparandum corda illorum Domino, qui hoc in loco per hunc puerum Domino redituri ſunt. Quâ illi revelatione, vehementer gaviſi ; immenſas Deo laudes perſolvunt, & puerum ad ſerviendum Domino ibidem derelinquunt. Qui tam in ſcientiâ pietatis, quàm in virtute ſanctitatis quotidie proficiens, aſſidue Deo miniſtrabat. Hæc author. Pergit porrò, in ſequentibus, Dunſtani pueri indolem, & pietatis ſtudia explicare ; varios etiam dæmonum conatus, ad eum ab arrepto virtutum itinere avertendum. Denique conſtantiam ejus in benè cæptis commendare : donec factus adoleſcentior, ab Athelmo Cantuarienſi, (Ego legerem à Wulfhelmo) in Ethelſtani Regis curiam, gratiamque producitur. de quo infrà. Nunc hujus anni reliqua proſequamur.

IX.

Ethelſtanus, ubi alterum regni annum inchoavit, ad componendam Remp. quam Danorum motus diſtraxerant ; ſedulò animum adjecit. Et quoniam ab Aquilone majus erat mali periculum : quem Dani occupaverant : & licet Anglorum Regi ſubditi, ut ſupra ſæpiùs, de jure dictum : rebelles tamen animi, ſervitutem exuere, & provinciales pro libidine vexare, quavis data occaſione nitebantur. Regnabat ibi Sithricus, Gurmundi propinquus ; qui Æthelſtanum veritus, ejus amicitiam, amicitiæque fœdus aliquod ambitioſiùs, quàm veriùs, quærebat. Erat Ethelſtano germana ſoror Eadgitha nomine, quam prima Edoardi uxor pepererat. Hanc Sithricus in uxorem petere ; hanc Ethelſtanus libens concedere : hoc futurum æterni fœderis pignus, omnibus viſum. Unum conſiliis oberat, cui ſtatim occurſum. Sithricus infidelis adhuc, & ſine Deo erat ; qui tamen, ut regia virgine potiretur, baptiſmum expetit. Ita Ethelſtani regnum ſine hoſte, diuturnum, & pax Inſulæ rediiſſe credebatur. Civium vota, & Ethelſtani ſtudia, ſic refert Malmeſburienſis : *Tranſacta conſecrationis celebritate : Adelſtanus, nè ſpem civium falleret, & inferiùs opinione ſe ageret : omnem omnino Angliam, ſolo nominis terrore ſubjugavit, præter ſolos Northanimbros. Nam præerat illis Sithricus quidam, gente & animo barbarus ; cognatus illius Gurmundi, de quo in geſtis Alfredi Regis legitur. Qui cum anteceſſorum Regum potentiam, rugatis naribus deriſiſſet : hujus affinitate ultrò ſupplicibus nunciis expetivit. Ipſe quoque feſtino pede ſubſequutus, verba legatorum aſſeruit. Quare & ſororis copula, & multiplicibus xeniis muneratus, perpetui fœderis fundamenta jecit.*

Sithric' Ethelſtani ſororem petit in uxorem.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. f. 50.

X. Temporis ratio expenditur.

Quod ad tempus ſpectat ſanciti federis, & pacti nuptiarum ; paſſim authores noſtri in alterum Ethelſtani annum referunt. Wigornienſis & Weſtmonaſterienſis, hunc annum conſignant. *Anno gratiæ*, inquit unus, *nongenteſimo vigeſimo quinto, Æthelſtanus Rex Anglorum, Eadgitham ſororem ſuam Sithrico, Danica natione progenito, Northanhumbrorum Regi, matrimonio honorificè copulavit. Qui ob amorem virginis, paganiſmum relinquens ; fidem Chriſti ſuſcepit.* Hinc corrigi debent Scoticarum rerum ſcriptores ; qui tumultuum cauſas recenſentes, qui paullò poſt in Northumbria fuerunt ; culpam conjiciunt in Edoardi Regis filiam ; quam Beatricem vocant ; Northumbriæ Regi nuptam, Edoardi ipſius tempore : cujus etiam ſuaſu, Eadgitha venenum Sithrico, ſcilicet paraſſe dicitur : & læſæ Majeſtatis crimine convicta, pœnas

Weſtm. hic.

Sithricus fit Chriſtianus.

dedisse, morte violentâ. Hæc multum à fide aliena authorum nostrorum testimonio refelluntur, qui Edoardi Regis & filiarum ejus acta probiùs noverunt. Imprimis nullam Rex habuit Beatricem filiam, & quæ Sithrico datur. Eadgitha dicebatur: illam autem, non Edoardus pater, sed Ethelstanus frater tradidit in uxorem: quæ denique non in Northumbriæ regno, morte violenta pœnas dedit: sed reversa in patriam, sanctissimè consenuit, ut dicetur.

ANNUS CHRISTI 926.

JOANNIS X. PAPÆ 15.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 2.

I. SITHRICUS REDIT AD IDOLA.

VIx Northumbriæ regnum Eadgitha ingreditur; cùm Danus Sithricus ad Idula rediit; fidémque, quam Christo, & Ethelstano dederat, sacrilegè violat. Noluit ergò Regia virgo corpus suum infideli tradere; ubi dispar cultus nunquam poterit animos unire. Hinc pax inter Principes, quæ æterna sperabatur, paucorum tantùm mensium fuit. Nam anno Christi nongentesimo vigesimo sexto, Sithricus ad idola, Eadgitha in patriam rediit. Divortii causam Authores nostri in Sithricum referunt: *qui Beatam virginem repudians*, loquitur Westmonasteriensis, *& Christianitatem abjiciens, idolorum culturam restauravit: & post modicum tempus apostatatus, vitam miserabiliter terminavit.* nimirum hoc anno 926. ut idem Author in sequentibus exponit.

Westm. an. 925.

II. EDGITHA MONIALEM INDUIT POLESBERIÆ.

Excepit Ethelstanus reducem sororem, & intactam Virginem; quæ mortalium amores pertæsa, immortali deinceps sponso servire, seque totam ejus obsequio mancipare decrevit. Quare Polesberiæ monasterium ingressa; quod olim * apud Cornavios Moduenna posuerat; tantò cœpit pietatis studia ardentiùs colere, quantò perfectiùs mundi amores fastidierat. De illa sic scribit author qui suprà: *Sancta itaque puella, virginitate sibi reservata; apud Pollesberiam, jejuniis & vigiliis, in orationibus & eleemosynarum stadiu, usque ad finem vitæ suæ, bonis pollens operibus, perseveravit.* * *Transiit autem post laudabilis vitæ cursum, ex hoc mundo Idibus Iulii. ubi usque hodie divina miracula non desinunt celebrari.* Ita ibi. Tanta ergo sanctitatis opinione, in dicto monasterio Eadgitha vixit; ut nomen loco illi, & in nostro Martyrologio Virginis memoria, inter Sanctos manserit. Cæterùm an Editha virgo quæ ibi colitur, Regina hæc Northumbriæ fuerit, Edoardi senioris filia (nam illa Editha quoque passim dicitur) an vero Egberti filia, & Ethelwolfi soror, de qua * suprà, meritò dubitari potest: quia utraque ibi post vitam piè actam, sanctè moritur. Hæc tamen Northumbriæ Regina; quia inter Sanctos scribitur, eminuisse videtur. Quòd verò mortua ponitur in nostro Martyrologio ad decimum quintum Julii, anno Domini nongentesimo vigesimo sexto: de ingressu intelligendum est, ad meliorem sanctioremque vitam. quod revera hoc anno factum. cæterum illa diu superfuit: & collecta, è bonorum operum cumulo, famâ nominis, in eodem loco sanctissimè consenuit: adeo, ut odore virtutum

** an. 871. 37.*

Westmon. an. 925.

vid. an. 980. n. 6.

** an. 871. 37.*

ejus, Editha altera, Edgari Regis filia, ad pietatis fastigium ascenderit, ut dicam * infra.

** an. 962. 3.*

III. NORTHUMBRIÆ REGNUM AD ETHELSTANUM DEVOLVITUR.

Mortuo Sithrico, Northumbriæ regnum ad Ethelstanum avito jure devolvitur: sed nunquam deerant in illo Septentrione, magni spiritus: qui externum imperium aversantes tragœdias excitarent. Prologum ergo, hoc anno, egit Aldulfus quidam; quem Ethelstanus facilè pressit, regnumque repetiit; ut habet Malmesburiensis. *Sithricus*, inquit, *post annum, vitâ decurtatus, occasionem Athelstano exhibuit, ut Northumbriam suæ parti jungeret: quæ sibi, & antiquo jure, & nova necessitudine competeret.* Supererant Sithrico è prioribus nuptiis, filii duo, Godefridus & Analafus: sed sive ætate, sive animo impares; cum Ethelstano non audentes congredi, è Northumbria recesserunt. *Fugit tunc Analafus in Hiberniam, & frater ejus in Scotiam*; inquit author suprà, qui pergit: *Subsecuti sunt è vestigio regales missi, ad Constantinum Regem Scotorum, & Eugenium Regem Cumbrorum, transfugam cum renunciatione belli repetentes. Nec fuit animus barbaris, ut contra obmutirent. Quin potius sine retractione, ad locum, qui Dacor vocatur, venientes; se cum suis regnis, Anglorum Regi dedidere. In cujus pacti gratiam, filium Constantini baptizari jussum, ipse de sacro fonte suscepit. Evasit tamen Godefridus, inter apparatus itinerantium fugâ, cum quodam Turfrido, diversarum partium duce, lapsus. Moxq; Eboracum obsidens; oppidanósque nunc precibus, nunc minis, ad deditionem sollicitans; & neutrum pro voto expediens, abscessit. Nec multò post in quodam castro ambo conclusi, custodientium perspicaciam fugiendo luserunt. Quorum Turfridus maturè diem obiit, in pelago naufragus, præda piscibus expositus. Godefridus multis miseriis terra mariq; jactatus, ad postremum supplex ad curiam venit. Ibi pacificè susceptus à Rege: quatuorq; diebus profusissimè, cum eo convivatus; naves suas repetiit; pirata vetus, & in aquâ, sicut piscis, vivere assuetus.* Hactenus ille.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. f. l. 30.

GODEFRIDUS ET ANALAFUS SITHRICI FILII.

Idem supra.

ANALAFUS IN HIBERNIAM FUGIT.

GODEFRIDUS EBORACUM OBSIDET FRUSTRA.

IV. Analafus, minor natu Sithrici filius, qui in Hiberniam fugerat; inde post annos * aliquot, adolescentior factus; pro Northumbriæ regno, in Ethelstanum pugnaturus descendet. Sed ille interim, non modò Northumbriæ provincias, sed omnes Britanniæ Reges, Principes, populosque imperio suo parentes habuit. Quod Scoti quidem, & Britanni, impatienter aliquando tulerunt; didicerunt tamen, quà Ethelstani clementiâ, quà animi magnitudine, æquanimiter jugum ferre: quod paucis insinuat Malmesburiensis, ita scribens: *Et quia nobilis animus, semel incitatus, in ampliora conatur; Ludwalum Regem omnium Wallensium, & Constantinum Regem Scotorum cedere regnis compulit. Quos tamen, non multo post, miseratione infractus, in antiquum statum, sub se regnaturos constituit: gloriosius esse pronuntians, Regem facere, quam Regem esse.* Non solùm Scoti, Athelstani tempore, ægrè tulerunt Anglorum Regi subesse: sed moderni etiam Scoti, impatientes sunt; nec antiquam subjectionem fateri volunt: historicis nostris irascuntur, & oscitantes & ineruditos vocant, quoties Scotiæ Reges, Anglorum Regibus subditos audiunt. Ethelstanum quidem agnoscunt totius Britanniæ monarcham, hoc tempore, fuisse: sed Scotiam Britanniæ nomine venire, aut intelligi nolunt.

vid. an. 937.

SCOTORUM REGES ETHELSTANI PARENT.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. prope.

V. In hunc modum Georgius Buchananus indignatur, & historicos accusat, quod Britanniæ

BRITAN-

nomen

NORUM NOMINE QUID VENIAT? *Buchanan. Reg. Scot. l. 6. Reg. 75.*

nomen notionémque ignorare videantur. *Quid*, inquit, *quod nè suos quidem scriptores (quippe homines magna ex parte ineruditi) satis alicubi intelligunt: nec animadvertunt, apud Bedam, Guilielmum Malmesburiensem, & Galfredum Monumettensem, Britanniam plerumque vocari eam partem, cui Britones imperarunt; hoc est, quæ est infra vallum Adriani; aut cum longius ejus fines protendunt; infra vallum Severi. Scotos verò, & Pictos, sæpe extra Britanniam censeri, & interim transmarinos populos dici. Quod igitur apud illos est: Anglos toti Britanniæ imperasse aliquando: id illi ita accipiunt, ac si dicerent totam Britanniam; id est, Albium, sive Albionem. cum illi brevioribus finibus plerumque, uti dixi, Britanniam circumscribant.* Ita ille: ineruditos vocans, qui recentiùs scribentes, antiquos authores non sunt assequuti. Sed non erat opus de nomine litigare; cum Malmesburiensis suprà, non solùm dixerit, Scotorum Regem, cedere regno coactum, & eundem sub Ethelstano regnasse. Nec ille solùm: sed Huntindonius etiam, Scotiam ab Ethelstano domitam triumphatamque describit: *In transalta, inquiens, gentem perfidam Dacorum, & infidam Scotorum, in exterminium traducere disponens; confertissimum duxit exercitum, terra & mari in Nordhumbriam, & Scotiam: Cui cum non esset, qui resistere inciperet; vel qui resistere persisteret, ubique terrarum progrediens, & pro libitu prædans, cum triumphali rediit lauro.*

Huntind. l. 5. f. 204.

VI. Hæc ille, de Ethelstani victoriâ, quæ sub hæc tempora contigit: cùm Sithrici filii, pro Northumbriæ regno contenderent. Postea verò, multò illustriùs Ethelstanus pugnavit; & iterum Scotorum Regem vicit; regnúmque illud à suo pendere fecit, de quo infrà. Cæterùm, quod ad præsentem annum spectat: Westmonasteriensis Reges enumerat, ab Ethelstano, aut victos, aut fugatos. *Anno gratia*, inquit, *nongentesimo vigesimo sexto, ignes per Angliam visi sunt radii, in aquilonari plagâ cœli; portendentes mortem turpissimam Regis Sithrici, qui non multò post, male periit. Cujus regnum Ethelstanus, expulso Gurthfertho, filio ejus, suo copulavit imperio. Deinde omnes Angliæ regulos; Hunwal scilicet Regem Britonum, Constantinum Regem Scotorum, VVlferthum Regem VVentorum, prælio vicit, & fugavit. Ealdredum quoque, filium Eadulfi de Castello Bebbnaberib exturbavit. Et hi omnes, cum provincialibus aliis; videntes se ejus strenuitati non posse resistere; convenerunt, petentes pacem ab eo; atque idololatria renuntiantes, fœdus cum eo firmissimum pepigerunt.* Taceat ergò Buchananus, nec vocet ultra inaccuratos, & Britanniæ notionem ignorantes, qui scribunt Scotiæ regnum ab Ethelstano devictum. Quamvis enim possit interdum, secundùm subjectam materiam, Britanniæ nomine, non omnis Insula intelligi: quoties tamen ampliatur, aut tota Britannia dicitur, certum est Scotiam intelligi. Sed putat fortè Buchananus; Albionem potiùs dici debere, cum omnis Britannia nominatur. Et ita cùm Authores dicunt omnem Britanniam Ethelstano subditam, de Scotiâ non intelligunt. quia aliàs Albionem nominassent. Si ita est, inaccuratus certè est ipse Buchananus; nec antiquiores nostros legisse videtur. Nam Wigorniensis, Ethelstani trophæa, hoc anno puta explicans, Albionem nominat. *Nec multo post*, inquit, *Northanhimbrorum Rex Sithricus, vita decessit. Cujus regnum Rex Æthelstanus, filio illius Guthferdo; qui patri in regnum successerat, expulso; suo adjecit imperio. Omnes etiam Reges totius Albionis; Regem scilicet Occidentalium Britonum Huwalum, dehinc Regem Scotorum Constantinum, Regemq́ Wentorum Wer, prælio vicit, & fugavit.* Hunc ergo annum rectè consignavit Thomas Walsinganus; cum Edoardi, primi à Normannorum ingressu, jura ventilata sunt in regnum Scotiæ: nam inter alia chronicorum argumenta, dicitur: *Anno Domini 926. Rex Angliæ Adelstanus, devicit Regem Constantinum: & iterum sub se permisit regnare.* Sed satis de Scotiâ; quæ licet sæpè ad Anglorum imperia recalcitrarit; nam boreas ille vernaculos etiam principes frequenter vexavit; sæpe tamen bellorum infortunio didicit jugum ferre.

W.gorn. hic

Wistm. hic.

Hypodig. Neustriæ. ad an. 1291.

VII. HOWELUS BRITANNORUM REX.

Quod ad Britannorum Principem attinet, quem Malmesburiensis Ludwalum; Wigorniensis Huwalum; Westmonasteriensis Hunwalum, suprà vocaverunt. Hunc recentiores nostri Howelum nuncupant. Nec inde tamen satis colligitur, quisnam fuerit: nam plures, eo nomine, inter Britannos dicebantur, viri Principes. Et ille præ cæteris illustrior; qui ad aliorum differentiam, Howelus Dha appellatur: & sub hoc tempus vixisse putatur. Nam conventum suorum provincialium habuit; ibique è sapientum consilio, leges condidit; quas recitat Spelmannus ad annum 940. hoc præmisso legum proœmio: *Dei providentiâ Howel Da, filius Cadel, Rex totius Cambriæ, vidit suos Wallenses insolenter legibus abuti; accivit de quolibet* * *Kemut totius regni sui, sex laicos viros, authoritate & scientiâ pollentes, & omnes Ecclesiasticos, dignitate baculosos: vel Archiepiscopos, vel Episcopos, Abbates vel Priores, de regno suo, ad locum qui dicitur Guin super Taffyu Deved: quam domum voluit ædificari virgis albis, in hospitium sibi, ad venandum, quando ad partes Venetiæ veniret; & ideo vocatur Ty guin. Rex autem, & congregati, morati sunt ibidem, per totam quadragesimam, orantes altissimum, per jejunium perfectum; petendo gratiam, ad bona facienda, secundum Regis propositum. Et de congregatis elegit Rex, duodecim laicos doctissimos, & unum clericum doctissimum, qui vocabatur Blangoridus, ad instruendum sibi leges & usus; ut propinquius possent ad veritatem & justitiam intendi. Et in tres partes scribi præcepit. Quarum prima, Lex Curiæ suæ quotidianæ. Secunda, Lex patriæ. Tertia, usus utriusq́. Tres autem libros legis præcepit fieri consimiles. Unum ad Curiam suam quotidianam sequi semper. Et alium ad Curiam de Dinevwr. Et tertium ad Curiam de Abelfrau. vel qualibet de tribus partibus Cambriæ, scilicet Guenet, & Powys, & Debeubarth haberet in se authoritatem legis ad opus paratam.* Hactenus Proœmium. Sequuntur in Spelmanno Leges Ecclesiasticæ, quæ communiter Howeli Dha leges dicuntur.

apud Spelm. f. 408.

* *Centuria.*

VIII. Porrò si conventus iste Britannorum, circa annum Domini nongentesimum vigesimum sextum, habitus est: *ut Codex quidam veterrimè Manuscriptus*, apud Spelmannum disertè affirmat. vehemens suspicio est, Howelum hunc, legum conditorem; ab Athelstano hoc anno superatum, vel certè subesse, & servire coactum esse. Enimverò referunt Annales omnes, Ethelstanum, sub hæc tempora, Britanniæ Principes in Herefordensem urbem, inter Silures, vocasse: eorum pomærium ad Vagam fluvium definivisse; &, quod hactenus à

nemine factum; supremi dominii ioeos jura, legésque postulasse: quod illi, cunctabundi licet, tandem tamen cedere compulsi sunt. promisso in annos singulos vectigali, in servitutis argumentum. Sed dicat hæc Malmesburius. *Civibus admiratione fortitudinis, & humilitatu percharus* (Athelstanus) *rebellibus invictâ constantiâ fulmineus: Northwallensium, id est, Britonum Aquilonarium regulos, apud Herefordensium urbem coëgit occurrere: & aliquamdiu recalcitrantes, in deditionem transire. Ita quod nullus ante eum Rex, vel cogitare præsumpserat; ipse in effectum formavit: ut ei nomine vectigalis, annuatim viginti libras auri, trecentas argenti penderent: Boves viginti quinque millia annumerarent. Præterea, tot liberet canes, qui odorisequâ nare, spelæa ferarum, & diverticula deprehenderent: volucresq́;, quæ aliarum avium prædam per inane venari nossent.* Ita ille, de Britannis, qoi aquilonem incolebant: quos olim Romani Ordovices vocaverunt: Nunc autem, Guineth, & Powys, dicuntur: puto tamen, ad conventum illum, etiam Silures venisse, qui Deheubarth, hoc est, dextrales, sive australes sunt. Nam in Silurum urbe principe, Ethelstanus legem dixit.

Malmesb. fol. 50.

IX. Sic habes tres Walliæ partes, quas suprà Howelus distinxit, cùm totidem libros scribi mandavit. Jam verò, quia inter Howeli Dha leges sancitum * dicitur, ut Rex Aberfrau, sexaginta sex libras: & totidem Princeps Dineuwre: nec minùs solveret Powisiæ Dominus, vectigalis nomine Anglorum Regi: cur non potero ex omnibus colligere, dictum Howelum, cognomento bonum, illum ipsum esse, quem Malmesburius Ludwallum, alii Hunwallum vocaverunt: qui Rex, omnium Wallensium * suprà appellatus est. Et nunc conjectura est, conventum Britannorum, eo tempore ab Howelo indictum esse; cum paulò priùs, Ethelstanus illos ad tributum condemnasset. Nunc quid ultra Ethelstanus in Britannorum Republicâ componendâ fecerit, videamus. Nam præter Silures & Ordovices, qui Septentrionem insidebant: plures erant Britannorum reliquiæ, in regno Occidentis, jam olim à Saxonum ingressu, & Cerdicii regno, ut dictum * ibi: quos prudenter Rex in unum collegit, fixitque eorum habitationi terminum. Nam priùs Saxonibus immixti; novandis rebus & sollicitandis ad seditionem civibus, aptiores erant.

** apud Sped. in Ethelstano. n. 21.*

** hic n. 4.*

** an. 510 17. & 529. 10.*

X. Itaque composito Septentrione, in Occidentem redit: Britannos jubet, in ultimâ Danmoniorum regione, quiescere; nec Saxoni imposterum misceri. & Tamaram fluvium, qui Devoniensem agrum à Danmoniis distinguit, Britanorum provinciæ limitem figit: de quo Poeta.

Loegria Tamaru divisor, Cornubiaq́;
Indigenas ditat pinguibus Isicm.

Britanni in Cornubia concluduntur. Vix est dubium, quin ab hoc Britannorum secessu, & lege Ethelstani, pars illa Danmoniorum, Cornuwallia appellata sit: & paulò latiniùs Cornubia. Sed Ethelstani factum malo in antiquis legere. Itaque Malmesburius: *Inde digressus,* (inquit de Ethelstano) *in Occidentales Britones se convertit, qui Cornewallenses vocantur: quod in Occidente Britanniæ siti, cornu Galliæ ex obliquo respiciunt. Illos quoque impigrè adorsus, ab Excestra, quam ad id temporis, æquo cum Anglis jure, inhabitarant, cedere compulit: terminum provinciæ suæ citra Tambram fluvium statuens: sicut Aquilonaribus Britannis, amnem* * *Waiam, limitem posuerat. Urbem igitur illam, quam contaminatæ gentis repurgio defæcaverat; turribus munivit, muro ex quadratis lapidibus cinxit. Et licet solum illud jejunius & squalidum, vix steriles avenas, & plerumque folliculum inanem, sine grano, producat: tamen pro civitatis magnificentia, & incolarum opulentia, tum & advenarum frequentia; omne adeo ibi abundat mercimonium; ut nihil frustra desideres, quod humano usui conducibile existimes. Plurima ejus insignia, tam in urbe illa, quàm in finitima regione visuntur: quæ melius indigenarum ore, quàm nostro stylo pinguntur.* Hæc ille. Ethelstanus ergo, Offam Merciorum Regem imitatus; Britanniæ populis limites statuit: eosdem omnino ad Aquiloem, quos ille fixerat: nimirum à Deuæ fluminis ostio, in Conaviorum agro, ad Vagam fluvium, qui Silures alluit. Et novos in Occidente; Tamaram, inquam, quæ hodiéque Devoniensem provinciam à Cornubiensi dividit.

Malmesb. fol. 50.

* Vaga fluvius, vulgo Wy.

ANNUS CHRISTI 927.

JOANNIS X. PAPÆ 16.

ETHELSTANI ANGLOR. REGIS 3.

I. Ethelstani nomen, domi forisque illustrissimum; tam cives in amorem reverentiamque, quàm externos in admirationem, traxerat. Edoardus pater, Edgivam filiam, quam è tertia uxore susceperat, Carolo Regi Francorum dederat, cognomento Simplici: & ille ex eâ Ludovicum genuerat, cognomento Transmarinum; quia in Angliam à parente missus, Ethelstano commendatur, sub hæc tempora; cum Carolus Rex, Principum factione in carcerem conjectus, anno Christi nongentesimo vigesimo septimo; jussu Joannis Papæ inde liberatur. cum priùs, nimirum anno 924. Rodolphum è Burgundiâ vocatum, Regem dixissent. Edgivæ tunc Reginæ pietas, & Ethelstani Regis præclara facinora, magnam apud Principes viros, procerésque Galliæ, opinionem conciliaverant, nimirum nasci in Anglia regiarum virtutum viros, fœminásque. Quare Hugo, Parisiensis Comes, cognomento Magnus, Hugonis Capeti parens, unde Regum Franciæ illustrissima progenies; Edoardi filiam alteram, Ethelstani Regis sororem, Edhildam nomine, ambitiosissimè petit in uxorem. Cujus formæ elegantia, & par indoles, Oceanum transierant. Legatus in hanc rem, ad Ethelstanum mittitur, hoc anno, Adulphus; quem ex Ethelwitha, altera Edoardi Regia prole, Balduinus Flandriæ Comes, dudum susceperat: mittitur, inquam, cum muneribus; quæ & Galliæ nobilitatem, & Ethelstani dignitatem, eleganter exprimunt. ideo illa è Malmesburiensi colligemus, qui legationem ita adornat: nec Edhildæ sponsæ pulchritudinem dissimulat, nec laudes Ethelstani: cæteroquin parcus adulator.

Edgiva Edoardi filia Franciæ Regina.

Edhilda Edoardi filia a Hugone M. uxor petitur.

II. *Propter hoc,* inquit, *tota Europa laudes ejus* (Ethelstani) *prædicabat, virtutem in cælum ferebat: felices se Reges alienigenæ non falsò putabant; si vel affinitate, vel muneribus, ejus amicitiam mercarentur. Haroldus quidam, Rex Noricorum, misit ei*

Malmesb. de Reg. fol. 51.

Ethelstani elogium

navem,

*navem, rostra aurea, & velum purpureum habentem, * decensa testitudine clypeorum inauratorum intrinsecus circumgyratam, &c. Quare perpenso consilio, quod quatuor sorores haberet, in quibus præter ætatis discrimen, nihil de forma gratia diffideret. Duas postulanti Cæsari misit: tertiam legitima copula sortitus est comparem Ludovicus, Aquitanorum Princeps, de genere Caroli Magni superstes. Quartam (Edhilda vocabatur) in qua omne coagulum pulchritudinis, quod cætera pro parte habent, naturaliter confluxerat: Hugo Rex Francorum, per nuntios à germano expetit.* Regem, hic author vocat, quem alii propriùs, Parisiensem Comitem nuncupant: & simpliciùs noster Westmonasteriensis: *Anno gratiæ,* inquit, *nongentesimo vigesimo septimo, Hugo filius Roberti Comitis, sororem Regis Ethelstani, duxit uxorem.* Flodoardus etiam, infra citandus Comitem vocat. Nunc Legationem, & munera, quæ revera Regia fuerant, videamus.

* fortè densa.

Westm. hic

III. HUGONIS LEGATIO IN ANGLIAM.

Princeps hujusce legationis (pergit qui suprà) *Adulphus filius Balduini Comitis Flandriæ, ex filia Regis Edwardi Ethelswitha. Is cum in conventu procerum apud Abandunam, proci postulata exposuisset; protulit munera sanè amplissima; & quæ cujuslibet avarissimi cupiditatem incunctanter explerent: odores aromatum, qualia nunquam in Anglia antea visa fuerant: honores gemmarum, præsertim Smaragdorum, in quorum viriditate sol repercussus, oculos astantium gratiosa luce animaret. Equos cursores plurimos, cum phaleris, fulvum (ut Maro ait) mandentes sub dentibus aurum: vas quoddam ex onichino, ita subtili cælatoris arte sculptum; ut vere fluctuare segetes, vere germinare vites, verè moveri hominum imagines viderentur: ita lucidum & politum; ut vice speculi, vultus intuentium æmularetur. Ensem Constantini Magni, in quo literis aureis nomen antiqui possessoris legebatur: in capulo quoque, super crassas auri laminas, clavum ferreum affixum cerneres; unum ex quatuor, quos Iudaica factio Dominici corporis aptaret supplicio. Lanceam Caroli Magni, quam Imperator invictissimus, contra Saracenos exercitum ducens, si quando in hostem vibraverat, nunquam nisi victor abibat. Ferebatur eadem esse, quæ Dominico lateri, Centurionis manu, impacta, pretiosi vulneris hiatu, paradisum miseris mortalibus aperuit. Vexillum beatissimi Martyris Mauritii, & Thebææ legionis Principis: quo idem Rex, in bello Hispanico, quamlibet infestos, & confertos inimicorum cuneos disrumpere, & in fugam solitus erat cogere. Diadema ex auro quidem multo, sed magis gemmis pretiosum: quarum splendor, ita in intuentes, faculas luminis jaculabatur; ut quantò quis certaret visum intendere: tantò magis reverberatus cogeretur cedere. Particulam sanctæ & adorandæ Crucis, cristallo inclusam; ubi soliditatem lapidis oculus penetrans potest discernere; qualis sit ligni color, & quæ quantitas: Portiunculam quoque Coronæ spineæ, eodem modo inclusam, quam ad derisionem regni, militaris rabies, sacrosancto imposuit capiti.* Hæc ille de muneribus ab Hugone missis.

EIUS MUNERA.

IV. Accepit illa Ethelstanus; & Hugonis postulata libens concessit: & quoniam diversi generis munera fuerunt: sacra nimirum, ad Christi passionis excitandam memoriam, mentémque acuendam, illâ flammâ: & prophana alia, Regem, militémque ornatura: non unomodo illa dispensavit. Hæc enim, quæ mundi gloriam, splendorémque loquebantur; posteris suis reliquit, svitæ nobilitatis argumenta: Quæ verò publicum Dei cultum spectabant: Deo, Ecclesiisque commendavit. Unde pergit Author Ethelstanum laudare. *His tantis,* inquit, *& tam elaboratis donis, magnificentissimus Rex gavisus; non minoribus penè respondit beneficiis. Quin & anhelantis animum nuptiis sororis refecit. Et cæteris quidem successores Reges ditavit: partem verò Crucis, & Coronæ, Malmesburiæ delegavit: quorum sustentaculo adhuc credo vigere locum illum, tot libertatis naufragia, tot calumniatorum injurias passum.* Hoc igitur anno, Magno Hugoni in uxorem traditur Edhilda, regia virgo: quæ Gallias illustrissima postmodum prole beavit. Unde cum Hugonis Capeti genus, in quæstionem venit; ipso in Galliæ regnum succedente; doctè ostensum est eum nobilissimis natum parentibus. de quo ita è Gallorum Annalibus Baronius: *De genere Hugonis, cognomento Capeti, sive Caputii, ex ejus temporis scriptoribus, Odoranno & Glabro, & aliis recentioribus patet: ipsum nimirum ex Patre natum Hugone Magno, avo Roberto, Principibus. ex materno verò stemmate, ex sorore Ottonis Senioris genitum tradunt: adeo ut vanitati poëticæ nullus sit locus pugendi, eum vilissimo patre natum.* Hæc ille.

Malmesb. suprà.

Baron. an. 907. n. 2.

V. Quod Galli Authores, de Ottonis sorore affirmant, opinor de Edhildâ nostra intelligendum. Cujus sororem, Edgitham nomine; quam ex Elfledâ filiâ Comitis Ethelmi, secunda conjuge, Edoardus susceperat; Ethelstanus frater in Germaniam miserat, Ottoni conjungendam. de quibus nuptiis, ita scribit Malmesburiensis: *Henricus primus, filius Conradi, Rex Teutonicorum, & Imperator Romanorum; sororem Ethelstani, filio Othoni expostulavit: tot in circuitu Regibus prætermissis: progeniei generositatem, & animi magnitudinem, in Adelstano, è longinquo conspicatus. Adeo enim hæc duo, in eo, consentiens habitaculum effecerant: ut nullus esset, vel genere clarior, & illustrior; vel animo audacior, & efficacior. Quare perpenso consilio, quod quatuor sorores haberet, in quibus præter ætatis discrimen, nihil de forma gratiá diffideret; duas postulanti Cæsari misit.* Hic quidem author, sorores non nominat; paullò tamen superiùs ita scripserat, Edoardi filias, è secunda conjuge enumerans: *Ethildam,* inquit, *frater Ethelstanus, Hugoni: Edgitham, & Elgifam, idem germanus misit Henrico Alemannorum Imperatori: quarum secundam, Othoni filio ille locavit; alteram, cuidam Duci juxta Alpes.* Edhilda ergo, Hugoni nupta, & Edgitha, Othonis uxor, sorores sunt, ex eodem patre, matréque genitæ. Quare non omnino impropriè Edhilda dici potest Othonis soror: & sic Gallorum Annales exponi poterunt, quod ab Edoardi filia, Ethelstani sorore; nobilissima Capeti familia, descenderit; quod ideo tantum dubitanter assero, quia non * nemo dixit Edgitham, Ottoni nuptam; sine liberis discessisse: quod falsum est, si inde Capetianæ stirpis primus Hugo processit: aut si mater fuit tot liberorum, quot suprà * enumeravi.

EDGITHA NUBIT OTTONI. vide an. 913. n. 3.

Malmesb. fol. 51.

Idem f. 51.

* Sped. in Edoardi filiis.

* an. 913. 3.

VI. Huc spectat famosum illud, & à multis cantatum, Guidonis Warwicensis, cum Colbrando Dano, duellum. De quo dubitavi aliquando, quid dicendum, quid non dicendum esset. adeo Scriptores aliqui, rebus cæteroquin veris, dubias miscent imperitè circumstantias; & interdum falsas; quæ historiam sine dubio vitiant, reddúntque suspectam. Sed quia Nicolaus Harpesfeldus,

DE GUIDONE WARWICENSI, ET COLBRANDO.

super

Harpesfel. sac. 10. c. 11. super hac re scribens, dicit: *Neque hic silentio prætrire debeo celeberrimum illum Warwicensem Comitem, Guidonem, fortissimum patriæ assertorem, & Danicæ insolentiæ Vindicem.* Inde suis verbis rem gestam narrat, pauld sincerius, quàm aut Annales de Hida, aut eos secuti authores alii: qui meritò fabulæ suspicionem legentibus movent; cum falsa, aut ἀσύστατα, historiæ miscentur. De tempore initi certaminis conveniunt Harpesfeldus, & Hidæ Annales: Ille, ubi duellum recitat, in margine signat annum nongentesimum vigesimum septimum, tertium Ethelstani, & quarto Idus Julii. Isti autem sic referunt. *Regnante in Angliâ inclyto Rege Athelstano, anno Dominicæ Incarnationis 927. anno verò ejusdem Regis regni tertio, in tantum Danorum crudelissima persecutionis invaluit rabies: quòd terras comprovincialium, tam crudeliter itinera legendo, depopulando invasit, ut ferè usq; ad VVintoniam, non erat civitas, villa, vel castrum, quod penitus non dirutum remaneret, vel incombustum.* Inde Analafum, & Gonelavum, nominant, qui Ethelstano minaciter nuntium mittentes, Angliæ regnum sibi dari petunt: vel duello postulata decidi.

VII. *vide an 937.* Verùm Analafus, hoc anno, & sequentibus, in Hiberniâ fuit: & inde post aliquot annos minabundus descendet; non singulari certamine, sed multo milite in Athelstanum pugnaturus. Necdum ergò ejus mentio fieri debet. Meliùs itaque rem recenset Harposfeldus in hunc modum; *Idem supra.* *Guido Warwicensis peregrinatus erat, religionis & pietatis ergo, in exteris nationibus. Daci interim in Angliam, ad totius patriæ excidium confertim ruebant. Tandem cum infinita strages utrimque ederetur, in hanc sententiam Rex Athelstanus & Daci, communibus suffragiis abierunt: Ut si pro totius patriæ salute, Athelstanus militem Anglum produceret, qui cum Colbrando Daco, singulari certamine confligeret, eumq; superaret. Daci Anglis imperium cederent. Sin pugil Anglicus obrutus esset: Dacorum ipsi imperium agnoscerent. Admissa utrimque conditione: valde solicitus fuit Athelstanus, cum nemo facile reperiretur qui auderet, cum homine, immanis & gigantea corporis vastitatis atque roboris, congredi. Appulit inter has angustias; quasi in ipso temporis articulo; Guido apud Portsmuthiam, rectaque ad Curiam Regis contendit, ignotus, & peregrini habitu tectus. Quem Ethelstanus, gravi cura hujus pugnæ saucius, per quietem admonitus est, pugilem seligere, qui cum novo illo Philistæo ac Goliath committeretur. Qui tandem, licet multa sui purgandi causâ, pugnamque deprecandi attulisset; commissus est: & ancipiti diu certamine, dubióque marte, cum eo luctatus est. Et cum jam supremum, ac præsens immineret, gladio confracto, periculum: repentè in Colbrandum irruit, sicamq; ei præripuit; & eâdem, novus quidam David patriæ, & Dei immanem hostem, glorioso triumpho confecit. Nec retinere eum postea potuit, licet amplissima omnia ei promitteret Ethelstanus: sed nec quis esset, ei se prodere; nisi sacrosancta silentii stipulatione voluit. Recessit ergo, usque ad obitum incognitus: & vitam deinde solitariam, instar Eremitæ, non procul à Warwico transegit. Obiturus verò, se demum prodidit. Pugna illa inita est, prope novum cœnobium VVintoniæ, in prato quod Hide modo appellant, olim Denmarche, appellato. In monumentum verò victoriæ, multis postea sæculis (& fortè ad nostrum) sica illa, inter cimelia cathedralis Ecclesiæ VVintoniensis, servabatur: quam nostra lingua Colbrands Axe, id est, Colbrandi sicum appellabant.*

VIII. Io hac Harpesfeldi narratione, illud solùm displicet, quod Ethelstanus Rex, tam illustri supra fortitudinis, & bellicæ virtutis elogio ornatus: nunc subitò dejectus, & quasi ad incitas redactus, prodeat: cogaturque unius capitis, ignotique hominis periculo, patriam, regnúmque prodigere. Enimvero qui hoc ipso tempore, provinciarum, regnorum, Regúmque domitor, passim in Annalibus audit; cur tanto periculo, pacem civibus, sibi regnum sanciret? præsertim cum in Occidente, ubi pugnatum dicitur; nulla hostilis acies provinciæ immineret. In Cantio quidem altercatum est, & Dani, cum Anglis, congressi dicuntur, hoc anno 927*. Quando Sigelinus Comes, Edgivæ (quam Edoardus[1] duxerat) parens, Dominus Meapham, Culins, & Leanham, in congressu à Danis occiditur. Cæterùm alia pax alibi, nec satan erat, aut occursus malus. Putarem ergo rem sanctiùs narrari; si posito metu, demptisque Danorum minis; Dani gloriabundi, ut miles solet, Colbrandi robur jactitaverint: quod Anglus ægrè ferens, & Deus superbis resistens; peregrinum hominem, jactabundo objecerint: qui sanctitate magis, quàm humanis viribus, hostem prostravit. Hoc Guidonis clivus, apud Warvicum; hoc Colbrandi sica apud Wintoniam, sonare videntur. Reliqua ad ornandam rem gestam, præter historiæ decorum, adjecta videntur. Nam fama semper crescit eundo: nec semper vera aut probabilia mentitur.

* *Spel. in Edoardi uxor.*

[1] *v. an. 916. n. 3.*

ANNUS CHRISTI 928.

LEONIS VI. PAPÆ 1.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 4.

ANNO Christi nongentesimo vigesimo octavo, Joannes Papa, qui Romanam Sedem invaserat, fœdaverátque annos sedecim; è Sede deponitur, carceri mancipatus. ubi vitam, quam malè traduxerat, citò finivit. Subrogatus est in locum ejus Leo Sextus: qui & ipse post menses sex, eodem modo, è Sede depositus, in carcerem truditur. verus Joannis utrobique successor. Felicior, hoc tempore, parente, filia: ubi Reges & Episcopi sanctè conveniunt; ubi pietas floret, & unus Jebusæus in medio habitans, patientiæ, religionis, aliarúmque virtutum exercitium præbet. Anglicana, inquam, Ecclesia, quam Danus oppugnat, Deus tuetur. & Ethelstanus Rex, verè nutritium agit; cum ejus assensu, leges rogantur, animarum salutem, Deíque cultum, summè spectantes. I. JOANNES PAPA MORITUR. LEO VI. SUCCEDIT.

Extat celebre Concilium, quod Grateleanum inscribitur; in quo multa pro Ecclesiarum commodo sanciuntur. Inde Spelmannus eas leges collegit, quæ Ecclesiam spectant: & * opinatur latas esse sub annum Christi nongentesimum vigesimum octavum. quando nimirum composito regno, domitóque Dano, Insula respiravit, tranquillitatem nacta. Hic ergo eæ leges referentur, cum Ethelstani Regis Procemio, quod in hunc modum legitur apud Spelmannum: II. CONCILIUM GRATELEANUM.

* *Spelman. fol. 407.*

Ego

III. Prooemium Ethelstani

*Ego Ethelstanus Rex, ex prudenti Wulfhelmi Archiepiscopi, aliorumq; Episcoporum meorum consilio: summoperè iis omnibus, qui in ditione nostrâ sunt, Præfectis, per sacrosancta Dei, omniúmque Sanctorum numina: & pro meâ in eos benevolentiâ, mando & præcipio; ut præ cæteris, justas ex meo ipsius proprio, ac debitas pendant, tam vivorum animalium, quam annuorum terræ proventuum, Decimas. Id quod singuli Episcopi, Senatores, Præpositi præterea nostri faciunto. Episcopi autem, & Præpositi nostri omnes, qui sedent in alios judices; sub eadem formula, judicia exercento. atque hæc omnia ad eum quem condiximus diem (Festum scilicet * Ioannis Baptistæ capite truncati anniversarium) Porrò autem nobiscum cogitemus, atque animo diligenter expendamus, quod Deo dixerit pater excelsus Iacob: Decimas mesi & hostiam pacificam offeram tibi. & quod Dominus in Evangelio fatus est, omni dabitur habenti, & is abundabit. Recolamus præterea, quæ in hoc ipso minaciter scripta sunt libro. Si decimas dare nolueritis. solâ vobis remanente decima, novem detrahentur partes. Sermone etiam admonemur divino; terrenis cœlestia, & caducis his nostris, æterna illa promereri. Quandoquidem igitur addiscis, quid Dominus jubeat. quidq; nos exequi debeamus: ea mihi vos tantummodo comparetis velim, quæ justè ac legitimè parare possitis. Neque enim mihi ad vitæ usum quicquam injustè acquiri cupiverim. Etenim cum ea ego vobis, lege vestrâ, omnia benignè largitus sim: ut mea mihi vos itidem concedatis, prospicitote sedulò; ne quis vestrum, neve eorum aliquis, qui vobis parueris, offensionem, aut divinam, aut nostram, contrahetis.

*Saxonica habent Sancti Ioannis, &c.

IV. Ethelstani Leges.

Cap. 1. Ego Ethelstanus Rex, clarè omnibus, qui in ditione nostra sunt, Præpositis significo; me ex Wulfhelmi Archiepiscopi, aliorumq; Episcoporum, & servorum Dei consilio, ad expianda peccata mea statuisse; ut Præfectorum quisque Anglum unum (siquidem ejusmodi quis inter eos fuerit) cibo sustentet; si non fuerit: aliunde quæsito ad hunc modum victum subministret: Ex binis singulis villis meæ, quoque dantor mensæ, amphora farinæ una, porci perna una, aut quatuor denariis æstimandus aries. Atque in singulos annos operimenta corporis. Libertate insuper mulctatum unum aliquem pristinæ restituunto libertati. Atque hæc omnia, pro Dei in nos omnes misericordia, nostraq; in eos benevolentiâ; præsente illius regionis Episcopo, fiunto. Quin si Præpositorum quisquam hoc sciens prætermiserit; triginta mulctator solidis: eaq; inter oppidi illius (in quo fuerit hoc prætermissum) egentes, præsente Episcopo, mulcta distribuitor.

De irruptione in Ecclesiam.

Cap. 2. Si quis ipsa triplicis ordalii sententia, in * fanum irrupisse convincatur, is prout in libro habetur judiciali, compensato.

*Ecclesiam Saxon.

V. De Sagis.

Cap. 3. Sagæ, mulieres barbara factitantes sacrificia, aut pestiferæ; si eæ mortem intulerint, neq; id inficiari poterint; capitis pœna esto. Sin omnis se criminis suspicione liberare conantes, ipsa triplicis Ordalii sententia, in reas referantur; centum viginti dies in carcerem conjiciuntor. Quibus peractis, centum viginti solidorum numeratione, earum eas cognati custodia liberanto. Eadem habeatur incendiariorum ratio, & eorum omnium, qui a juris severitate prædones vindicare studuerint. Imò si quis furem liberare contenderit: & si quidem nemini vulnus impressrit; Regi tamen eo nomine, centum viginti solidos numerato.

VI. De monetariis

Cap. 4. Præterea autem statuimus; ut unus per omnem ditionem nostram, atque idem sit nummus: eumq; nemo extra oppidum cudito: Atqui si monetariorum quisquam, nummos corruperit; ei manus scelere violata, præciditor, atque nummariæ conficiendæ fabricæ affigitor. Sin nummi adulterati postulatus aliquis, criminis suspicionem diluere voluerit; candentis ferri quæstione, manum sceleris puram, atque immunem ostendito. Quin si ipsa Ordalii sententia reus exstiterit, ita uti antea à nobis dictum est, fiat. Cantuariæ monetarii septem sunto: quorum quidem quatuor Regi, duo Præsuli, ac unus cœnobiarchæ deservito. In civitate Roffensi, tres sint: Regis duo, tertius Episcopi Londini sint monetarii octo. Wintoniæ sex. In Lewisio duo. In vico Hastingo, unus. Cicestria unus sit, Hamtonia duo: Werhamia duo. Excestria totidem. Schaftesbyria duo. Ad aliud quodcumque oppidum monetarius unus esto.

VII. De Ordalio.

Cap. 5. Qui se Ordalii quæstione examinandum obtulerit; triduo quàm id sit aggressurus, Sacerdotem (ut is sacra de more peragat.) adito; atque interim pane, sale, aqua, & oleribus tantummodo vescitor: Missæ præterea illis ipsis diebus interesto, mihinúsque suum offerto. Sub ipso autem, quo est Ordalium ingressurus, die, panem Eucharisticum sumito, ac jurejurando se illius, de quo appellatur sceleris, purum, minimeque consistum jurato. Tum si aquâ gelidâ facienda est quæstio: ad sesquiulnam suis in aquam mergitor. Sin ferro fiat candenti, per continuum triduum, obsignanda non resigneatur manus. Accusator autem (quemadmodum de accusato antea à nobis dictum est) jurejurando interposito, criminationem persequitor. Vterque etiam, jussu Dei, ac Sacerdotis, jejunato: nec pluribus, quam duodecim alteruter stipatus advenito. Quin si accusatus pluribus eò comitatus accesserit: perinde sit (ni illi discedant) atq; is in judicio cecidisset.

De rerum emptione.

Cap. 6. Si quis testato rem aliquam mercatus fuerit; quam alius deinceps quisquam suam esse contenderit: eam venditor præstet, atque in se recipiat: sive is servus, sive ingenuus fuerit. Die autem Dominico, nemo mercaturam facito. Id quod si quis egerit, & ipsa merce, & triginta præterea solidis mulctator.

VIII. De perjurio.

Cap. 7. Si quis falsum jurasse convictus fuerit; ei postea non modo non creditor: verum sacra is etiam prohibetor sepultura: nisi quidem illius in qua is degit, diœcesis Episcopus, data ei in mandatis omnia, modestè confecisse illum significavit. Episcopum autem loci illius Sacerdos; num alter animo libenti corrigi sese, atq; emendari patietur: intra triginta dies certiorem facito. Id quod nisi fecerit, penes Episcopum pœnæ arbitrium esto.

Decretorum executio præcipitur.

Cap. 8. Porrò autem, si Præpositorum quisquam, mandata hæc nostra exequi noluerit; aut in administratione suâ fuerit remissior: sua in Regem contumacia pœnas luito: atq; Rex severiorem alium in hoc munere substituet. Mulcta autem capienda munus, ejus loci, in quo degit Præpositus, Episcopo imponimus. Si quis denique jussa, ac scita hæc nostra contempserit. Pendito primò libras quinque. secundò propriis capitis æstimationem dato. Tertiò si deliquerit, fortunis suis omnibus mulctatus, nostri omnium amicitiâ privator.

Decreta actaq; sunt hæc omnia in celebri Grataneleano Concilio, cui Wulfhelmus intersuit Archiepiscopus, & cum eo optimates ac sapientes ab Ethelstano evocati frequentissimi.

IX.

Ita recitat è Lambardi translatione Ecclesiasticas leges Henricus Spelman: omissis aliis, quæ Rempublicam alteram spectabant. Sed alia est, & purior harum legum versio, quam Regius &

Jornalensis, Manuscripti Codices exhibent. ubi prisca pietas magis elucet. Hæretici, qui Saxonum fidem oderunt; eam ubi possunt, premunt. Saxones, cum Ecclesiam nominant; Kyrich antiquissimo nomine, ubique vocant. quod a græco derivatum, & M Constantioi, imò Dei jussu usurpatum, supià * dixinus. Cæterùm quia Dominicum sonat; propriè, sactosanctum Dominici corporis Sacramentum, sacrificiúmque (nam eo solùm nomine templa struuntur) significat, hanc vocem Lambardus pervertit, sensumque evertit; quando Kyric, fanum, profanus homo, appellat. cum prisca legum versio, eo loco, Ecclesiam habeat. Iterum, cùm Ethelstanus in proæmio scribit: *per sacrosancta Dei omniumq; Sanctorum numina præcipio, &c.* multò christianiùs, & ab omni alieni cultus suspicione remotiùs, in Regio & Jornalensi Codice, hoc est, antiquâ legum versione, habetur ita: *Præcipio* in nomine Domini & Sanctorum omnium. Omino, quod noluerit *Sancti* nomen Joanni Baptistæ præponere: quod tamen in Saxonico disertè habetur. quia factiosis commune est Sanctis detrahere. Adverto solùm, Parkerum aliquando gloriatum esse; tandem antiqua Saxonica in aliam linguam translata esse, ad refellendos Pontificios. Nam vix aliud in novâ Lambardi translatione cernitur; quàm ut per fas & nefas, antiqua Insulæ, hoc est, majorum nostrorum Fides, enervetur. quod * superiore tomo luculenter ostendi.

* v. an. 926. n. 75.

Antiq. Brit. f. l. 35.

vide an. 597. n. 26. &c.

X. MILREDUS LINDISFARN. EPISCOP. MORITUR. SUCCEDIT WITHREDUS.

Moritur hoc anno Lindisfarnensis Episcopus; quem Milredum aliqui, Tdredum alii vocaverunt. Sederat jam annos quatuordecim Cunecestriæ. Nunc locum cedit Withredo. de quo non aliud traditur; quàm quòd annos septendecim Ecclesiam gubernarit. hujus in sedem ingressum, & alterius egressum, Westmonasteriensis signat ad annum nongentesimum vigesimum septimum. Wigorniensis tamen & Fasti hunc annum numerant.

XI. MORITUR TUNBRITHUS LICHFELDEN. EPS. SUCCEDIT ELLA.

Fasti an. 873.

Vacantem etiam Lichfeldensem Ecclesiam, accepit hoc anno Ella, vel Ælla, vigesimus tertius illius sedis Antistes. Tunbrithus, qui in sede præcesserat, anno Christi 872. consecratus Episcopus; incertum quo anno mortuus: Fasti enim, cùm Tunbrithum Episcopum vocant, sic inferunt. *Tunbritho successum est anno nongentesimo vigesimo octavo: ut credibile sit Episcopatum aliquot annos vacasse.* Sed opinor: cùm nuper Rom. Pontifex, Ecclesiarum viduitatem, & diuturnum luctum vetuerit; non sunt ausi Ecclesiarum præsidea contra niti. Unde non improbabiliter scribit Westmonasteriensis in huuc modum. *Anno gratiæ nongentesimo vigesimo octavo, Leo sedit in Cathedrâ Romana. Eodem anno, defuncto Tunfrido Lichfeldensi præsule Ella successit.* Adducit Fasti, mortuum etiam Cinemundum Episcopum Herefordensem, hoc anno, locum Edgaro dedisse: quem tamen Edgarum, Ethelstani Regis diplomati subscribentem invenio, & Episcopum anno 925. n. 4. ubi diplomatis initium retuli. Sed fortè adjectum postea nomen ad diplomatis firmitatem.

Westm. hic

CINEMUNDUS HEREFORDEN. EPS. MORITUR: SUCCEDIT EDGARUS

ANNUS CHRISTI 929.

STEPHANI VIII. PAPÆ 1.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 5.

I. LEO PAPA MORITUR

CUm sex tantum menses Leo in Petri Cathedra sedisset, & dies aliquot; in carcerem detrusus, vitam finivit anno Domini nongentesimo vigesimo nono: nec potuit, hoc omni tempore, Rom. Ecclesia reddi splendori suo atque libertati; tot nubes, densæque tenebræ, solis radios, influxumque suspenderant. Cæterùm stupidè errant, quotquot putant, in hac morum echlipsi, nullum in Romano cœlo Solem fuisse: aut cathedram minùs reverendam esse, quia Scriba in ea aut Pharisæus aliquando sedit. Fatemur nos curruptionem optimi pessimum esse; & Petri locum occupasse aliquos, a Petri sanctitate degeneres. Sed simul dicimus, in agro Dominico permini zizania, & in Anglis interdum reperiri pravitatem; quo conditoris rerum omnium potentia, justitia, misericordia, aliáque Deitatis attributa emineant magis. Permisit ergo, in Romano cœlo, hoc decimo sæculo, nubes esse; ut novem præcedentium sæculorum, & omnium post sequentium lux esset illustrior. Leoni ergo mortuo successit Stephanus, eo nomine octavus: & paullò diutiùs locum tenuit.

SUCCEDIT STEPHANUS VIII.

II. ETHELSTANUS VISITAT SANCTORUM RELIQUIAS

Quantumvis tenebræ in Romano cælo fuerint; alibi tamen, non solum Fidei; quæ Romanæ nunquam defuit; sed Fidei condigna sanctitas fuit. Ethelstanus in Anglia Deum sibi provinciæque placaturus; Sanctorum patrocinia supplex, & peregrino more, petit: monasteria autem, quæ temporum vitio, vitium fecerant; vel de novo restituit; vel nova, ad Dei Sanctorumque cultum, facit. Et quia Glastoniense cœnobium, felicitatis nostræ aurora fuit, primúmque Christianæ Fidei rudimentum; inde hujusce pietatis opera voluit inchoare. Itaque *anno gratiæ* (loquitur Westmonasteriensis) *nongentesimo vigesimo nono Æthelstanus reliquias Sanctorum regni sui, orationis gratiâ, petere decernens, Glastoniæ cœnobium imprimis petivit devotus.* Erat locus ille; ut supra in Dunstani natalibus vidimus, à monachis, qui plura sæcula ibi vixerant, ferè derelictus: Hiberni aliquot puerorum eruditioni operam dantes, monasterii rudera incolebant. Antiqua tamen cœnobii sanctitas obliterari non poterat. Unde qui secretiùs vivere, & cælo se parare studebant, locum illum silentio, & quieti suæ elegerant. Sic pergit author dicere: *Erat ibi quadam nobilis matrona, nomine Ælfleda, neptis ejusdem Regis* (Ethelstani) *quæ marito defuncto, vidualem ducere vitam exoptans, ad Occidentalem plagam, elegerat mansionem: Hac fœmina religiosa, Regi Æthelstano prandium studiosè paravit; quem gratia orationis Glastoniam venturum præscivit.* Narrat inde, repetitum ferè miraculum, quod in Cana Galilææ Christus edidit, de novo hydriasque implendo. Cum enim Medonem, mulsi genus, quo Rex imprimis capiebatur, in parva quantitate parasset: plures inde miraculo hauserunt, nec exhauserunt tamen.

Westm. hic.

ELFLEDA ETHELSTANI NEPTIS GLASTONIÆ. Idem supra.

III.

Rex oratione finitâ, Sanctorumque reliquiis salutatis; censuit locum Fidei nostræ primitias, melioribus ædificiis dignum esse. Author ergo

GLASTONIENSE CŒNOBIUM DOTATUR.

Antiq. Glast. fol. 28.

pluribus fuit, monasterium omnium in Insulâ antiquissimum reparandi. quod procerum aliqui libentes exceperunt, prædiáque devotè in eum finem obtulerunt. de quibus illius cœnobii Antiquitates ita loquuntur. *Rex Ethelstanus, anno Domini 926. dedit Athelmo duci manerium de Merkesbury, decem hidas: quas ipse Dux postea contulit monasterio Glastoniæ. Wulfhelmus Archiepiscopus, assensu ejusdem Regis, pro vestimentis monachorum, dedit Deuerel viginti hidas: & Affricus Dux ad idem dedit Ouerdeuerel, id est, Estmunkaton decem hidas. Elfleda Regina, relicta Regis Edoardi, dedit manerium de Winturburne, decem hidas. Ethelstanus Dux conversus, & factus monachus in Glastoniâ, obtulit secum eidem monasterio manerium Wringtòn, viginti hidas, à Rege Ethelstano, sibi prius collatas. Dedit insuper idem Dux Weston, quod nunc Foxcote dicitur, quinque hidas: & manerium de Lyme sex hidas. Eodem tempore Uffa vidua, venerabilis fœmina, dedit Seoke quinque hidas. Prædicta omnia per ministros Regis Ethelstani, Glastoniensi Ecclesiæ collata, ejusdem Regis ascribuntur munificentiæ: & pium ejus in Glastoniam affectum, ostendit famulorum liberalitas: quorum devotio frequenter inclinatur, quo dominorum animum viderint inardescere. Quæ omnia idem Rex vetustæ Ecclesiæ in Glastoniâ, scilicet octoginta sex hidas, benignissimè confirmavit.*

IV. Sed quænam hæ Sanctorum reliquiæ, quas Ethelstanus, hoc anno, devotè veneratus dicitur? Certè locus ille, adeò ibidem quiescentium sanctitate innotuerat: ut passim vel mater, vel tumulus Sanctorum diceretur; quemadmodum suprà* dictum. Addo: reliquias sanctas eò nuper miserat Ethelstanus: ex illis nimirum, quas magnus Hugo, cùm ejus filiam petiit, donaverat. licet enim Malmesburiensi monasterio *partem Crucis & Coronæ* dederit: ut Gulielmus ejus loci monachus affirmavit. Glastoniæ tamen partem, vel partes potiùs Crucis, ut & alia multa misisse, idem Author in Glastoniensibus Antiquitatibus affirmat, sic scribens. *Rex Ethelstanus contulit Ecclesiæ Glastoniæ reliquias multas valdè: sibi à diversis partibus orbis destinatas: videlicet de capillis Domini, de fimbria vestimenti Domini, de mensa super quam Dominus comedit cum discipulis suis, in cœnâ, ante passionem; de sepulchro Domini sex portiones. Est etiam sexta portio cum pulvere, & hoc scripto.*

Ecce Deo dignum, sacrum cum pulvere lignum.

* an. 63. n. 12 & 64. n. 7.

vid. an. 927. n. 4

Ant. Glast. fol. 30.

V. MOS MITTENDI SANCTORUM RELIQUIAS ET EAS COLENDI

Hæc, & plura Glastoniæ contulit Ethelstanus; cui varii per orbem Principes ea donaverant. Mos enim sanctissimè inoleverat, mittendi ad invicem hæc sacra pignora; nimirum amicitiæ sanciendæ, & mutui fœderis firmamenta: quæ etiam reverenter ab iis excepta sunt, ad quos mittebantur. Agnoscunt id queruli Magdeburgici: *Reges*, inquiunt, *post inita fœdera, Sanctorum reliquiis se mutuò donabant; confirmandæ societatis & amicitiæ gratiâ. Sic Caroli Francorum Regis Legatus, Henricum Imperatorem salutat. Hoc tibi Carolus signum Fidei & veritatis transmisit: protulitq́; de sinu manum pretiosi Martyris Dionysii, auro gemmisq́; inclusam. Hoc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui, & amoris vicarii.* Cæterùm qua reverentia Principes hujusmodi dona soliti fuerint excipere; integer testis est Witichindus, libro primo gestorum Saxonicorum. Ubi de Henrico Imp. sacram Dionysii manum venerante, hæc habet: *Henricus Imperator, oblata sibi à Caroli Francorum Regis Legato, S. Dionysii Martyris manu; in terram prosternitur, eamq́; exosculatur, veneratur, ac pro tanto munere Deo gratias agit.* Nec differt hoc à Magni Constantini nostri Fide, aut pietate; qui Crucem, Sanctos, Sanctorumque reliquias eximiè coluit, ut suo * loco diximus. Ex his omnibus Regia Ethelstani Fides ostenditur, probaturque, cum hoc anno Glastoniam petiit, Sanctorum reliquias devotè veneratus.

Cent. 10. f. 134.

apud Cent. 10. suprà

* v. an. 312 num. 32. 33 an. 324 n. 15 & 337. n. 4.

VI. HUGO M. E RELIQUIARUM CULTO CORONAM REGIAM MERUIT.

Et sanè quàm Deo cordi fuerit, hæc in Sanctos suos religio; Ethelstani præclara acta, & de hostibus reportatæ victoriæ, satis declararit. Sed illud non tacendum, quod Hugoni magno, qui Ethelstani sororem duxit, divinitùs contigit, fuitque primum magnitudinis ejus, & nobilissimæ familiæ fundamentum. Nimirum promissa illi cœlitus corona Regia; quia Sanctorum reliquias impensè coluerat. Dicat hoc Gulielmus Mangius, quem in lucem Pithoeus edidit. *Hugo Magnus*, inquit ille, *Comes Parisiensis, pater Hugonis Capeti, Sanctorum Ricarii & Valerici corpora, quæ translata ab Ecclesiis suis, in Flandriam fuerant; & reposita in Ecclesiâ S. Bertini, apud Sanctum Audemarum, terrore Normannorum, qui tunc Franciam devastabant; per visionem admonitus, ad suas fecit Ecclesias reportari. Ipsi vero Hugoni Magno, post hoc factum, per visionem, à Sancto Valerico dictum fuit: Propter hoc quod fecerat, ejus generatio post ipsum in regno Francorum, usque in septimam generationem, & in perpetuum regnaret. Sic Hugo iste* (Capetus) *Rex Francorum factus videtur per Domini voluntatem.* Gratum ergò Deo est Sanctos coli: qui omni sæculo, & multo argumento probat factiosos esse, qui Sanctis cultum & honorem detrahunt. Ut Hugo iste Sanctorum nostrorum corpora Sampsonis Dolensis, & Maclovii Aletbensis Episcoporum religiosè veneratus sit, dixi tomo superiori ad annum Christi 599. num. 4.

apud Baron. an. 907. n. 3.

VII. CAROLUS SIMPLEX MORITUR

Moritur hoc anno, Carolus Francorum Rex; qui Eguinam Ethelstani sororem duxerat; cujus filius, Ludovicus nomine, ob Principum in Galliâ factiones, in Angliam missus, eorum tyrannidi subtractus est, agebatque hoc anno apud avunculum: ut notat Baronius, ita hunc annum auspicatus. *Annus Redemptoris, nongentesimus vigesimus nonus, Indict. II. inchoatur; quo Carolus Rex Francorum cognomento Simplex, in carcere moritur, relicto filio Ludovico, qui educabatur in Angliâ apud Alstanum* (lege Athelstanum) *Regem avunculum suum.* In Franciæ regnum, eo excluso, Rodulphus succedit; sed post annos sex, Ludovicus ex Angliâ vocatus; è procerum suffragio Rex coronabitur. Interim Eguina vidua, filium comitata, faventiorem in Galliis auram, in patria expectabit.

ANNUS CHRISTI 930.

STEPHANI VIII. PAPÆ 2.

ETHELSTANI ANGLOR. REGIS 6.

I. ETHELSTANUS IN NORTHUMBRIA DANOS & SCOTOS FUGAT.

ANNO Christi nongentesimo trigesimo, Ethelstanus integrè Northumbriæ regno potitur; pulso inde omni hoste. Nam mortuo Sithrico, licet jure ad eum descenderit; Dani tamen, Scotique conspiraverant; nè amplissima provincia Anglorum potentiæ accederet. Sed

Ethelſtano Deus Inſulæ imperium decreverat. Et ipſe, hoc anno, in Septentrionem profectus; Danos inde, Scotóſque exturbavit. Unde benè Gordonius ad hunc annum ita ſcribit. *Dani mortuo eorum Rege Sithrico pelluntur è Northumbria. Quæ ſic venit in poteſtatem Adelſtani Angli Regis, victis pulſiſq́, inde Scotis.* Reliquit etiam pietatis ſuæ monumenta aliqua, in regno Northumbriæ Rex Athelſtanus; cum Ripponenſem Eccleſiam priſtino ſplendori reſtituit. Illa enim in Catalogo ædium ſacrarum ab Henrico deſtructarum, dicitur ab Odone Cantuarienſi reparata, anno 930. quod ita tamen intelligi debet; ut Odo Wiltunenſis, qui poſtea fuit Cantuarienſis Epiſcopus, hoc anno Ethelſtanum in Eboracenſem agrum comitatus; eidem ſuggeſſerit celeberrimi quondam loci reparandas eſſe ruinas. Adde etiam, in eodem agro, aliam ædem ſacram, apud Boutham, Ethelſtani Regis juſſu factam, ut idem habet Catalogus. Qui etiam in Dorſetano agro ad Cranborne oppidum Eccleſiam ædificatam refert, ab Ælwardo Glóceſtriæ Comite.

Gordon. hic.

RIPPONENSEM ECCLESIAM REPARAT.

II. Vacavit hoc anno Wigornienſis Eccleſia, mortuo Wilfertho, ut putat Weſtmonaſterienſis: ſed veriùs, mortuo Ethelhuno ejus loci Antiſtite. de quo ad an. 911. Succeſſit in defuncti locum Kinewoldus; *vir humilis, & magnæ pietatis*, inquit ex Hovedeno Godwinus: Hic ditaſſe videtur Eccleſiam ſuam paternis prædiis. Nam addit idem author Eccleſiæ contulit Odingleiam. Infra * ſubſcribet Regio diplomati, & Cenwald vocabitur.

MORITUR ETHELHUNUS WIGORN. EPISCOP. SUCCEDIT KINEWOLDUS.

* an. 940. n. 5.

ANNUS CHRISTI 931.

JOANNIS XI. PAPÆ 1.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 7.*

I. MORITUR anno Domini nongenteſimo trigeſimo primo, Stephanus, qui Romanam Sedem occupavit: eandem occupat, aut invadit potius Joannes, è peſſimo ſcorto genitus, dictusque eo nomine Undecimus. Si cauſam quæris cur ita Petri Sedes indignis patuit, cauſa in promptu eſt: Laici in Eccleſiam imperium præſumpſerant; ita monſtra naſci non eſt mirum. Noluit ergo Deus probum virum in ea Sede eſſe, ſi Laici illam diſpenſabant; quam ſoli Petro, & à Petro ordinatis crexerat. Tunc ergo obortit Eccleſia, cum ſæculari manu tangitur.

MORITUR STEPHANUS PAPA, SUCCEDIT JOANNES XI.

II. Interim in Anglia Ethelſtanus Rex, ſanctiore manu menteque tractat Eccleſias: nam quas infidelis Danus everterat, ſolóque æquarat; ipſe ſuis ſumptibus incipit reſtituere. Sic Abingdonienſe monaſterium, quod Ciſſa primus inchoaverat, & Inas Rex auxerat; à Danis deſtructum hoc anno Ethelſtanus ornat Regiâ munificentiâ. de quo ita in Harpesfeldo legimus: *Abindonienſi cœnobio Ethelſtanus Rex varias poſſeſſiones dedit ad annum nongenteſimum trigeſimum primum, ad tempus Cinothi Abbatis.* Ita ille. Sed quàm devotè monaſteriorum ædificationi ſtuduerit Rex, optimè ſic explicat Malmesburienſis: *Ethelſtanus nihil ignobile habens, omnes anteceſſores, devotione mentis, omnes eorum adoreas, triumphorum ſuorum ſplendore, obſcuravit: nova monaſteria, quot & quanta fecerit, ſcribere diſſimulo. Illud non tranſiliam: quod vix aliquod in Anglia vetuſtum fuerit; quod non vel ædificiis, vel ornamentis, vel libris, aut prædiis decoraverit. Ita recentia ex profeſſo; quaſi aliud agens, artifici benignitate inſigniebat.* Ita ille. Et verò cum in hoc pietatis genere, ſecuti ſunt Edredus, Edgarus, aliíque plures, adeo impigrè: ut quantumvis in Romano cœlo nubes fuerint: in Anglia tamen, ſi utramvis Remp. ſpectes, ſerenitas fuit, & illuſtriſſimus dies.

ETHELSTANUS MONASTERIA EXTRUIT.

Harpesfeld. ſec 10. ſ 203.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. princ.

III. Ad hunc annum moritur Eadulfus Donmoniæ Epiſcopus, qui ſuprà * à Plegmundo ad Cridienſem Eccleſiam conſecratur: & in ejus locum Ethelgarus ſubrogatur. Ita ſcribunt Wigornienſis & Weſtmonaſterienſis: Faſti tamen, & Godwinus, hæc in ſequentem annum rejiciunt. Et fieri poteſt, ut hoc anno 931. Eadulfus receſſerit, & acceſſerit alter anno ſequenti. Majus dubium eſt, quis Eadulfus hic fuerit, qui hoc anno moritur. Godwinus enim duos ponit: unum à Plegmundo conſecratum anno 906. ut ibi dictum. quem uno tantum anno ſediſſe, & locum Puttæ ceſſiſſe ſcribit. Hic autem *Putta Tauntonia Sedem habuit* (inquit) *qui Creditonam profectus, Regi obſequium exhibiturus: aut, ut nonnulli habent, Uſſam inviſurus, procuratorem Regium; à famulis Uſſa prædicti, in via obtruncatus eſt. Quæ res occaſionem dediſſe putatur, ſedem Creditonam transferendi.* Eò igitur mortuo, Godwinus Eadulfum alium ſubſtituit: qui cum præſulatum viginti duos annos tenuiſſet: *obiit*, inquit, *anno Domini nongenteſimo trigeſimo ſecundo.* Et tunc Ethelgarum habuit ſucceſſorem. Sed alii ſimpliciùs, unum Eadulfum, hoc ſæculo, Cridienſem Epiſcopum ſtatuunt: qui à Plegmundo, ut dixi conſecratus, ad hunc annum ibi ſedit: & à morte, Ethelgarum habuit Sedis heredem. Ita Faſti, Malmesburienſis, & Wigornienſis, qui Epiſcoporum ſeriem, ex profeſſo tradiderunt.

* v. an. 906. n. 1.

DE SEDE EPISCOPI CRIDIENSIS.

Godwin. in Exonien.

ANNUS CHRISTI 932.

JOANNIS XI. PAPÆ 2.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 8.

I. ANNUS Redemptoris nongenteſimus trigeſimus ſecundus, Indictione quinta inchoatur, inquit Baronius: & notat planè annum iſtum, quo Ethelſtanus cum Ambresburiæ eſſet, unà cum Epiſcopis, & proceribus regni: Alfrico ſuo, prædia dedit, in pauperum uſus expendenda: quæ deinde prædia, Wintonienſi novo monaſterio, ab eodem Alfrico, teſtamenta conceſſa ſunt. Extat Regium Ethelſtani diploma, quod octavum regni annum, cum anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo ſecundo, & Indictione quintâ conjungit: eo ſenſu, quem ſupra expoſui, quando primo-ſecundum Regis annum, conjeci in annum Chriſti, nongenteſimum vigeſimum quintum. Extat & charta donationis Alfredi, qua terras ab Ethelſtano datas, in Wintonienſis monaſterii jura tranſcribit. Meritò igitur ejus loci Annales has donationes, inter cœnobii privilegia numerant: & Ethelſtani diploma ita inſcribunt:

TEMPORIS RATIO STABILITUR.

vide an. 925. n. 3.

Privilegium ETHELSTANI Regis concessum novo monasterio Wintoniæ, quod modo Hida nominatur, anno octavo regni sui.

II. ETHELSTANI DIPLOMA PRO ÆLFREDO. Cujus procemium idem est cũ Diplomate Edoardi, de quo supra ad annum 921. n. 6.

*Flebilia fortiter detestanda totillantis sæculi piacula diris obscenæ horrendæq; mortalitatis circumsepta latratibus, non nos patriæ indepto pacis securos; sed quasi fetida corruptela in voraginem casuros provocando admonent: ut ea toto mentis conamine, cum casibus suis, non solum despiciendo sed etiam velut fastidiosam melancholiæ nauseam abominando fugiamus, tendentes ad illud Evangelium: Date & dabitur vobis. Qua de re, infima quasi peripsema quisquiliarum abjiciens, superna ad instar pretiosorum monilium eligens, ad adipiscendam mellifluam dulcedinis misericordiam, perfruendamq; infinitæ lætitiæ jucunditatem: Ego Ethelstanus Rex Anglorum per Omnipatrantis dexteram, totius Britanniæ regni solio sublimatus, quandam telluris particulam, meo fideli ministro Ælfredo, id est duodecim Cassatarum, in loco quem solicolæ At Stanham vocitant: rá interjacente conditione, ut omni die, usque magna districtionis judicii An. ille, successoresq; ejus, centum * viginti Evangelici paradigmatis pauperes, semel pane, cum pulmento dulcifero, haustuq; potifero pascere, animo pro excessibus meis, sub forte * ulmis contradictionis, non obliviscantur. Familia quoque At Stanham pastum semper conferre electissimum; divinam ut consequi valeam misericordiam, non pigrescant, tribuo. Quatenus ille eam sine jugo detestanda servitutis, cum pratis, pascuis silvis, rivulis, omnibusq; ad illam utilitatibus, ritè pertinentibus, liberaliter, ac æternaliter, quamdiu vivat, habeat. Et post generalem, qui omnibus certus incertusq; constat, transitum; cuicumque successionis heredi voluerit, in perpetuum derelinquat. Prædicta siquidem tellus, his terminis circumcincta, clarescit. Imprimis incipe &c.*

* lege duodecim.

forte ulcerum: vel ullius.

III. *Si quis, quod absit, diabolico inflatus spiritu, hanc nostra compositionis & confirmationis breviculam, temnere vel infringere tentaverit: fiat ſe novissima, ac magna examinationis die, tubâ perstrepente Archangeli, bustis sponte dehiscentibus, somata diu fessa relinquentibus, elementis omnibus pavefactis; cum Iuda proditore, qui à Satoris pio sato, filius perditionis dicitur, æterna confusione, edacibus ineffabilium tormentorum flammis periturum. Hujus namq; à Deo Dominóque* JESU CHRISTO, *inspirante atque movente voluntatis schedula, anno Dominica Incarnationis nongentesimo trigesimo secundo, regni verò gratis mihi commissi octavo, Indictione quinta, concurrente septima Epacta II. Kalendis Ianuarii, luna rotigera vagationis decima tertia, in villa omnibus notissima, quæ Ambresbyrig nuncupatur: Episcopis, Abbatibus, Ducibus, patria procuratoribus, regiâ dapsilitate ovantibus, perscripta est. Cujus etiam inconcussa firmitatis authoritas, his testibus roborata constat, quorum nomina subtus characteribus depicta annotantur.*

IV. *✠ Ego Æthelstanus, singularis privilegii monarchia præditus Rex, hujus indiculi fulcimentum, cum signo sanctæ; semperq; amandæ Crucis, corroboravi, & subscripsi.*

† Ego VVulfhelmus Dorobernensis Archiepiscopus, consensi & subscripsi. † Ego VVulstanus Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopus, consensi & subscripsi. † Ego Ælfwini Episcopus, consensi & subscripsi. † Ego Sighelme Episcopus, consensi & subscripsi. † Ego Aelfheah Episcopus, consensi & subscripsi. Ego Eadulf Episcopus, consensi & subscripsi. Ego Birstan Episcopus, consensi & subscripsi. † Ego Oda Episcopus, consensi & subscripsi. Ego Quesbith Episcopus, consensi & subscripsi. † Ego Theodred Episcopus, consensi & subscripsi. † Ego Eadwino Abbas, consensi & subscripsi. † Byrhtryge Abbas, consensi & subscripsi. † Ego Seaxhelm Abbas, consensi & subscripsi. † Ego Osfrith Dux, consensi & subscripsi, &c. sequuntur plures, Duces & ministri Regii, quorum nomina non exscribo.

V. TEMPORIS RATIO.

Quod ad datam Regii diplomatis spectat: opinor ad Christi natalitia celebranda, totius regni, & utriusque Reip. proceres, de more convenisse. Tunc enim jucundè epulantes, Regiâ dapsilitate ovare dicebantur. Ipsis ergò Calendis Januarii, hæc facta est firmatáque donatio: nimirum ad principium hujus anni 932. quando octavum adhuc regni annum agens Ethelstanus, necdum nonum inchoaverat. Non ergò legi debet charta, data ondecimo Calend. Januarii: sed potiùs Epactæ & aurei numeri concursum intellige. cum Calendis scribatur, non Calendas. Adde, undecimo Calendas Januarii, Christi adventus etiamnum colebatur, & needum regia dapsilitate ovabant proceres. Hic sensus è simili diplomate colligitur, quod suprà recensui. anno 921. n. 7.

VI. Non hanc Ethelstani, sed aliam chartam Harpesfeldus intellexit, cum sæculo decimo quinto, ubi de Wlfhelmo Dorobernensi agit, hæc habet: *In defuncti Athelmi, anno 924. locum, Vlfelmus, sive Vlthelmus vocatus est: qui ei apud Wellas priùs successerat. Sed vereor ne non satis exactus sit ille calculus, cum reperiam triennio ante Regiæ cuidam donationi novo cœnobio VVintoniensi concessa, Vlthelmum, ut Dorobernensem Archiepiscopum subscripsisse.* & in margine notat chartam illam incipere, O flebilia, & datam dicit anno vigesimo primo Edoardi Regis. *Quod si recipimus* (pergit Harpesfeldus) *id quoque recipiendum est, Athelstanum Regem, non ab Athelmo, quod frequentiùs traditur, sed ab Vlthelmo, coronâ insignitum. Sed agrè à communi sententiâ discedo: quam & Mariani authoritas confirmat: & fortè vitium aliquod in annorum computatione, diplomati illi irrepsit.* Ita ille prudenter: Enimverò, cùm Manuscriptorum authoritas, amanuensium vitio sæpè corrumpatur, Authorum consensus debet illam præcedere. Dico igitur, qui hanc donationem pro Wintoniensi monasterio composuit, Ethelstani Regis tempore: composuit & illam, quam Edoardi Regis annó vigesimo primo suprà recitavi, ut patet ex omni ferè periodo. Sed amanuensium vitio irrepserunt aliqua, obscurè dicta, obscuriora per ignorantiam reddita.

Harpesfeld. sæc. 10. c. 5.

VII. Imprimis Episcoporum subscriptiones, quæ in Edoardi diplomate leguntur: non ad illam, sed ad hanc Ethelstani donationem, pertinent. Nec enim eo anno, aut Wulfhelmus, aut Wulstanus, Archiepiscopi fuerunt. Imò si Fastos sequimur, non hoc anno quidem, sed posteriùs, ad Eboracensem Ecclesiam electus est Wulstanus. Difficile ergò est, è diplomatum subscriptionibus, semper veritatem, certam, inquam, temporis rationem indagare; adeò subscribentium nomina confusè ponuntur. Cæterùm quia supranominati Episcopi, Wulfhelmus Dorovernensis, Elfeagus Wellensis, Odo Wiltunensis, Theodredus Londinensis, hoc tempore sederunt, ut * suprà innui. Quia etiam Eadulfus Cridiensis (qui

* an. 928. 5

MORITUR EAOULF' CRIDIEN. EPISC. SUCCEDIT ÆTHELGARUS.

nunc locum dat Æthelgaro) & Birnstanus Wintoniensis, ut aliqui asserunt, hoc anno sedere potuerunt: Ideò nominatos Antistites, ad hanc potiùs Regiam Ethelstani, quàm Edoardi Regis donationem, & ejus annum vigesimum primum, refero. Alii, qui nominantur, vel externi Antistites fuerunt, vel certè non passim noti. Scio tamen in hanc chartam vitia irrepsisse, quæ ex alterâ fortè corrigi possunt. Sic ubi dicitur, centum viginti pauperes omni die, usque ad magni judicii diem, pascendos esse: legerem potius, aut saltem hunc sensum colligerem, semel in anno statuto die, duodecim pauperes lautè tractandos. Hoe enim propiùs ad sæculi morem, & Edoardi Regis factum, accedit. qui è decem Cassatis, decem pauperes, in festo omnium Sanctorum, ali præcepit. Quod regiæ munificentiæ sequutus Ethelstanus, è duodecim Cassatis, duodecim pauperes pascendos mandat: & ea lege prædium contulit Alfredo ministro: qui per ultimæ voluntatis tabulas, jus suum in Wintoniense cœnobium transfert, hoc scripto:

vid. an. 921. n. 7.

VIII. *Ego Alfredus minister concedo istas terras, apud Stanham, post obitum meum uxori meæ; ut habeat illas quamdiu vixerit: & post ipsius in fata discessum; transeant in novum monasterium Wintoniæ, pro salute animarum nostrarum; ita purè ac liberè; sicut mihi dilectissimus Dominus meus, Rex Ethelstanus, concessit ac dedit. Et nemo aliter illas terras aliquo alio modo, in alios usus transferat; præterquam egomet concessi, ac dedi. quia ego ipsemet, nullo alio modo transferre volo. Ac nemo novi monasterii terras illas, ab illo monasterio alienet aliquo modo; sed habeant ibidem servientes, illas terras in perpetuum.* Hæc ille.

IX. FRIDESTANUS WINTONIENSIS EPISCOP' MORITUR SANCTUS: SUCCEDIT BIRNSTANUS.

Inter Episcopos qui Ethelstani diplomati supra scripsere, Birnstanus nominatur, sine dubio Wintoniensis Episcopus. Licet enim Plegmundus ad eam sedem consecraverit Fridestanum, anno nongentesimo sexto, qui ad hunc annum superstes fuit: ille tamen, seu annis & ætate gravis: seu conscius adesse diem, quo dicti factique rationem reddere cogeretur; anno superiore Birnstanum, virum sanctum, in suam Sedem videtur consecrasse. Sic enim de utroque scribit Godwinus: *Frithstanus*, inquit, *vir, tam doctrina, quàm vita sanctitate clarus, multos præfuit annos, at tandem præsulatum sponte renuntiavit, designato pro successore Brinstano; anno Domini nongentesimo trigesimo primo. Proximo deinde anno, migravit ex hac vita, anno videlicet nongentesimo trigesimo secundo.* Nimirum meritis & sanctitate clarissimus. Unde nomen ejus inter Sanctos ponitur in nostro Martyrologio ad 9. Aprilis. Rectè igitur inter subscribentes Episcopos, Birnstanus (ita communiter scribitur) collocatur; qui magistratum quidem paucos annos tenuit; sed gregem egregiè pavit, tam verbis, quàm melioris vitæ argumentis. Nam vivos ad immortalem, impigrè animabat: & mortuis requiem religiosè precatus legitur. quod licet aversis oculis factiosus percurret: ego tamen non possum silentio premere, tam ita rem mirabilem narrat Westmonasteriensis:

Godwin. in Winton.

X. *Anno gratiæ nongentesimo trigesimo secundo, eximiæ vir sanctitatis Frithstanus, Wintoniensis Episcopus: ordinato pro se in Episcopatu, Birstano, viro religioso, in urbe Wintoniensi, pauperem vitam transegit. Hic præsul sanctissimus, quotidie pro defunctorum requie Missam celebravit: & psalmos pro animarum assiduè decantavit. Quadam denique nocte, cum de consuetudine, cantando cæmiteria circumiret, & psalmos recitaret: & expletis omnibus; Requiescant in pace, subjungeret: subitò voces, quasi infinitis exercitus audivit respondentium de sepulchris: Amen.* Hic æstuantem video Joannem Fox, qui ægrè fert Sanctos nominari, qui è suâ quam finxit Martyrum officina, non prodeunt. Unde plusquam purgatoriis flammis cruciatur; quoties miracula recensentur, quæ novæ sectæ vanitatem, & orthodoxæ Fidei veritatem asserunt. Vocat ergo fabulam, & ridiculum figmentum, quod de Birnstano narratur. Non multis quidem illud oppugnat: *Sed unum tantum*, inquit, *ab adiophoro Papista sciscitabor. Fuitne multitudo ista, quæ responsabant, Amen, earum animarum quarum corpora jacebant in Wintoniensi cæmiterio, an non? Si fuerunt, quomodo erant in Purgatorio, eo tempore, quo audita sunt dicere, Amen.* Durum dilemma; & actum est de purgatorio, hoc ariete. Sed seriò: non ita stupet Asinus ad lyram, ut stupet sectarius ad majorum suorum Fidem. Potuit è cœlo audiri vox, teste scripturâ: & cur non ex inferno? potuerunt etiam è Purgatorio transeuntes in cœlum animæ, grati animi significatione, liberatorem alterum agnoscere: & factiosos docere sanctam & salubrem cogitationem esse, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. ita non cadit, sed magno miraculo firmatur Purgatorium.

Westm. hic.

Ioan. Fox. in Actis & Monument. fol. 148.

Verùm quia ille, quod de Birnstano dicitur, fabulam appellat: & ego non debeo similium rerum narratione Lectorem fallere. producam authores alios, Westmonasteriensi antiquiores, qui miraculum adstruent. Fatetur Foxius ita rem narrari à Polychronico, ab Hovedeno, à Jornalensi, & aliis pluribus, nec eorum tamen authoritate movetur. Prodeat ergo Wigorniensis, illis omnibus antiquior, qui idem, eodem modo narrat. Prodeat etiam omnium suffragio probatissimus author Malmesburiensis: *Birnstanus*, inquit ille, *quatuor tantum annis rexit Episcopatum. Illum purissima sanctitatis fuisse accepimus. Quotidie, non intermissâ sedulitate, Missam, pro defunctorum requie, cantasse: noctibus depulsâ formidine solum circuire solitum; pro animarum salute psalmos frequentasse. Hoc cum quadam vice faceret; & expletis omnibus, subjungeret, Requiescant in pace; voces quasi exercitus infiniti à sepulchris audivit respondentium, Amen. Istud mirabilius, quod infrequens est mortuos cum vivo serisse sermonem: nè tum officii pigeret, quòd tot animabus gratum audiret.* Plura habet in sequentibus, sanctitatis ejus argumenta, quæ * infra referam, cum Birnstanum sanctum sepelio. Interim lustrabo hujus anni reliqua. XI.

Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 242.

* an. 934. 8.

Posuerat Ethelredus, Ethelwolfi filius, monasterium in urbe Exoniensi, Sancto Petro sacrum, ut suo loco * dictum. Illud Ethelstanus ampliavit, & sancti Benedicti monachos primus induxit; inquit Catalogus ædium destructarum. quod lubens admitto: enimvero cum cœnobiticè, & communiter, sub Abbatis disciplina, monachi regulariter degerent: passim Benedicti regulâ, monachi regebantur. Hoc ergo anno, institutum illud, in Devoniensem provinciam penetravit, Ethelstano Rege, manum porrigente. De hoc monasterio ita scribit Godwinus; *De hujus* (Exoniensis) *Ecclesiæ structurâ, hæc traduntur. Intra præcinctum ejus loci, qui hodie dicitur* XII.

* an. 868. 15.

EXONIENSE MONASTERIUM RESTITUITUR.

Godwin. in Exonien.

Calusum

Clausum, sive territorium sancti Petri; fuerunt antiquitus cœnobia tria. unum sanctimonialium, ubi ædes Decani nunc sitæ sunt. Alterum monachis (uti creditur) *ab Etheldredo, Ethelwolfi Regis filio, constructum; circa annum Christi, octingentesimum sexagesimum octavum. ac tertium Benedictinis positum ab Ethelstano Rege, anno nongentesimo trigesimo secundo. Ibi ferè, ubi Orientalis pars Ecclesiæ Cathedralis nunc est. De quo apud Hookerum nescio quis sic scriptum reliquit. Hanc urbem* (Exoniam) *primus Rex Ethelstanus, in potestatem Anglorum, effugatis Britonibus, redactam, turribus munivit, & muro ex quadratis lapidibus, cinxit; ac antiquitus vocatam Monkton, nunc Excester appellari voluit. At ibi sedens, mansum quoddam dedit ad fundandum monasterium pro monachis, Deo ac sancto Petro famulantibus. At enim præter sumptus structuræ* (pergit Godwinus) *prædiis etiam dotavit hoc cœnobium: quorum præcipuè memorantur Morshut, & Treasbeare, quæ hodie ad Thesaurari. in Ecclesia Cathedralis noscuntur pertinere.* Hactenus ille. Ut locum hunc à Danis postea destructum, Edgarus Rex restituerit, dicam inferiùs.

ANNUS CHRISTI 933.

JOANNIS XI. PAPÆ 3.

ETHELSTANI ANGLORUM REG 9.

I. CONSTANTINUS SCOTORUM REX, TURBAS MOVET.

SEQUITUR Christi annus nongentesimus trigesimus tertius; quo turbæ, motúsque in Septentrione fuerunt. Ibi Constantinus Scotorum Rex, jugum, quod Ethelstanus ejus cervici nuper imposuerat; exuere per fas & nefas, nullâ sancti fœderis reverentiâ, nititur. Sed Anglorum Rex, indomitam gentem, terrâ maríque aggressus; cum multa militum manu perrexit in Scotiam; eámque domuit adeò, ut Constantinum Regem coëgerit, dato, in firmioris fidei argumentum, filio, additisque muneribus, pacem redimere. Quam Ethelstanus indulsit, ratus toties se Regem esse, quoties ejus permissu, alii regnabant: sed alter nec beneficio, & à turbis quiescere, necdum didicerat. discet verò brevi magno suo suorumque infortunio. Interim quid hoc anno factum, dicat Westmonasteriensis. *Anno gratiæ nongentesimo trigesimo tertio, Rex Anglorum Æthelstanus, quia Rex Scotorum, fœdus, quod cum eo pepigerat, violaverat: cum classicâ manu pervalida, & equestri exercitu non modico, ad Scotiam perrexit: eamq; ex maxima parte depopulatur. Unde Rex Scotorum Constantinus, vi compulsus; filium suum obsidem, cum dignis muneribus illi tradit, paceq; reintegratâ, Rex ad propria remeavit.*

ET VINCITUR.

Westm. hic.

II.

Nec omittenda est, in hac expeditione, Ethelstani pietas, cum in itinere sancti Cuthberti corpus religiosè invisit, terrásque & prædia eidem consecravit. Nam hæc est victoria quæ vincit mundum, Fides nostra, Regia, Romana, orthodoxa. Hovedenus sic Ethelstani iter exponit: *Strenuus & gloriosus Rex Anglorum Ethelstanus; quia Rex Scotorum Constantinus, fœdus quod cum eo pepigerat, fregit, cum multo exercitu Scotiam tendens, ad sepulchrum sancti Cuthberti venit, illiusq; patrocinio se, suumq; iter commendavit. multa, & diversa dona, quæ Regem decerent, ei obtulit, nec non & terras; æterno igni contradens cruciandos, quicumque ei aliquid ex his subtraxerint. Deinde maximâ vi hostes subegit, Scotiam usque, dum Feoder, & Wertermorum terrestri exercitu vastavit: navali verò, usque Catenes depopulatus est. Unde vi compulsus Rex Constantinus, filium suum obsidem, cum dignis muneribus illi dedit. Pace redintegrata, Rex Wessaxonum rediit.* Hæc Hovedenus.

Hoveden. fol. 422.

ANNUS CHRISTI 934.

JOANNIS XI. PAPÆ 4.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 10.

ANNUS qui sequitur, Christi nongentesimus trigesimus quartus, tragœdiam exhibet, Angliæ regno civibúsque, luctuosam. Cum Ethelstanus, domitis ubique provinciis, cum nullum foris hostem haberet, in domesticos sævisse, & sua ipsius viscera, dicitur. Diximus * suprà, exordium regni ejus ab Alfredo quodam, res novas moliente, turbatum esse. habuit ille sine dubio, execrandi facinoris complices; cum Ethelstanum excæcare, regnoque inutilem reddere, constituit. Cum igitur Deus, facinorosum hominem, miraculo percussisset; variisque contra hostes victoriis Ethelstano regnum firmasset. nescio quæ aulæ vitia, Edwinum, ex altera Edoardi uxore genitum, sceleris conscium fuisse; ejusque intuitu facinus attentatum, Regi persuaserunt. Ille nimium credulus assentatorum verbis, Edwinum fratrem, aqua & igni interdictum, proscribit ex Insula: Qui demum, hoc anno, Oceano commissus, miserè periit. Hæc Authores variè referunt; his graviter accusantibus; illis, vel excusantibus, vel extenuantibus factum. utrorumque verbis rem gestam exponam: accusatore præeunte, qui annum consignat.

I.

* an. 924. 8.

Anno gratiæ (ita Westmonast.) *nongentesimo trigesimo quarto, Rex Æthelstanus, fratrem suum Eadwinum jussit in mare submergi: cujus factionis causa hæc fuisse asseritur.* Tum expositis Ethelstani natalibus, quasi parum legitimis, infert: *Consecratus autem Æthelstanus, fratrem suum Eadwinum, quem de legitimo matrimonio novit generatum, urgentissimo perstrinxit odio: metuens, ne per ipsum quandoque a regni solio privaretur. Hac igitur occasione ductus Rex, fratrem suum Eadwinum, solum cum armigero, in naviculâ vetustate confracta, in maris medio, sine remige & remigio dimissum, miserabiliter Neptuno commisit. Ubi adolescens ille, inter fluctus maris, vita perrasus, voluntario præcipitio undis se submersit. Armiger verò, non pedibus modo, sed & manibus remigando, corpus Domini sui à Dorobernia in * Whitland ad terram perduxit, & honorificè sepelivit. Æthelstanus Rex, postquam ira deferbuit; tam enorme factum abhorrens; septennis pœnitentiâ acceptâ, fratricidium deflevit: pincernamq; suam; qui ei tale dederat consilium, crudeli morte damnavit.* Ita ille.

II. Westm. hic

* melius Whitsand.

Cæterùm Malmesburiensis, cum ex aliorum relatione, narrationem texuisset; non omnem illi fidem accomodat. Post narratos enim dubios Ethelstani natales; ita eundem Regem inducit, & narrat adversa. *Rege,* inquit, *Edwardo*

III. MALMESBURIENSIS FACTUM EXTENUAT.

defuncto,

Malmesb. de Reg. fol. 28.

defuncto, filius ejus Elwardus, ex legitimâ conjuge creatus, patrem citâ morte secutus est. Tunc omnium spebus in Ethelstanum erectis, solus Ælfredus, magnæ insolentiæ homo, eum sibi clam restitit, quoad potuit: dedignatus subdi Domino, quem suo non delegisset arbitrio. Quo prodito, & examinato, fuere, qui fratrem Regis Edwinum, insidiarum insimularent. Scelus horrendum & fœdum; quod fidelitatem fraternam, sinistra interpretatione turbarent. Edwinus, per se, & per internuntios, fidem germani implorans, & licet sacramento delationem infirmans: in exilium actus est. Tantum quorundam mussitatio apud animum, in multas curas distentum, valuit: ut ephebum etiam externis miserandum, oblitus consanguineæ necessitudinis, expelleret: Inaudito sanè crudelitatis modo: ut solus cum armigero, navem conscendere juberetur, sine remige & remigio vacuam, præterea vetustate quassatam. Diu laboravit fortuna, ut insontem terræ restitueret. Sed cum tandem in medio mari furorem ventorum, vela non sustinerent: ille adolescens delicatus, & vita in talibus pertæsus, voluntario in aquas præcipitio, mortem conscivit. Armiger saniori consilio passus animam producere: modò adversos fluctus eludendo; modo pedibus subremigando, Domini corpus ad terram detulit, angusto scilicet à Dovoria in Whitsand mari.

IV. *Athelstanus postquam ita deferbuit, animo sedato, factum exhorruit; septenniq; pœnitentiâ acceptâ, in delatorem fratris animose ultus est. Erat ille pincerna Regis, & per hoc ad persuadenda, quæ excogitasset, accommodus. Ita enim fortè die solenni vinum propinaret in medio triclinio uno pede lapsus, altero se recollegit. Tunc occasione accepta, fatale sibi verbum emisit. Sic frater fratrem adjuvat. Quo Rex audito, perfidum obtruncari præcepit: sæpius auxilium germani, si viveret, increpitans, & mortem ingemiscens.* Cùm ista è mente vetusti authoris, Malmesburiensis recitasset: suam de totâ narratione censuram interponens, addit: *Hæc de fratris nece, etsi verisimilia videantur: eò minùs corroboro: quò mirabilem suæ pietatis diligentiam, in reliquos fratres intenderet. Quos cum pater, puerulos admodum reliquisset: ille parvos magnâ dulcedine fovit; & adultos regni consortes fecit. De sororibus suis superiùs dictum est, quanta majestate provexerit; quas pater & innuptas, & indotatas reliquerat.*

V. Sed quicquid hic Author conetur Ethelstani factum elevare: tamen Edwini fratris immatura mors; Pincernæ supplicium, Ethelstani septennis pœnitentia, aliáque ejus pietatis opera, quæ mox subjiciam; argumenta sunt eum in fratrem peccavisse. Nec domi latere potuit Regium crimen: cum foris, & apud viros Principes illud innotuerit. Nam quamvis Westmonasteriensis videatur dicere, Edwini corpus ad Whitsand *honorifice sepultum* esse: tamen ubi Adulphus Bononiæ Comes (filius is erat Balduini Flandriæ Comitis, & Ethelswidæ, Edoardi Regis filiæ) cognati corpus ignobilius jacere intellexit; illud inde amovit: & in Bertiniensi monasterio, apud Morinos, solenni apparatu condidit; teste Meiero in Annalibus Flandriæ. Qualis fuerit Ethelstani septennis pœnitentia; quam Episcopi reo imposuisse videntur; nemo explicat: Ego puto, non aliam fuisse, quàm, ut toto vitæ tempore, quod septennio, conclusum est; peccatum suum eleemosynis, piisque operibus redimeret. Quod sanè integerrimè præstitit. Et inter alia pietatis

Edwinus cum honore sepelitur.

opera; cùm Bertini monasterium, ubi fratris exuviæ erant, muneribus cumulasset; Mideltunensem Abbatiam in Occidente, & agro Dorsetano, fundavit, & monachis implevit; qui fratris animæ, requiem æternam precarentur. De hoc monasterio, ita scribit Harpesfeldus: *Medultunense cœnobium* (nos Middleton dicimus) *Ethelstanus Rex construxit, ut cædem fratris* (ut quidam tradunt) *eleemosynis, & piorum precibus expiaret. Quod multis reliquiis, Sampsonis præsertim Dolensis Episcopi, decoravit.*

Middeltunense monasterium fundatur.

Harpesfeld. sæc. 10. c. 2. [illegible]

VI. Quod ad tempus spectat fundati monasterii; errat sine dubio Catalogus ædium destructarum, apud Spedum, ubi fundatio signatur, ab Ethelstano facta, ad annum octingentesimum nonagesimum sextum, quo tempore, vix cunas egressus, nec peccare potuit, nec debuit pro peccato nondum commisso, pœnam subire. Cæterùm, quod locum illum in expiationem criminis Ethelstanus erexerit; ingenuè, & sine tergiversatione, fatetur Malmesburiensis, ubi de Occidentalis regni monasteriis agit: *Middeltunensem Abbatiam, inquit, fecit Rex Ethelstanus, pro anima fratris sui Edwini; quem pravo corruptus consilio Anglia ejecit. Cujus quis fuerit finis, alias non silui. Ibi multas Sanctorum reliquias, ex Britannia transmarinâ emptas, deposuit. Inter quas eminent præcipue, Beatissimi Sampsonis ossa, Dolensis quondam Archiepiscopi, sanctissimi, & plane Deo digni viri.* Quis hic Sampson fuerit, & quomodo è Britannia majore, in minorem transierit, ibique sanctè mortuus, honores meruerit, * alibi latiùs dixi. Sed, & quomodo reliquiæ ejus, è minore Britanniâ, Parisios delatæ, à Magno Hugone, qui Ethelstani sororem nuper duxerat; habes ad annum Christi quingentesimum nonagesimum nonum*; tunc nimirum cum Sampson moritur. An minor Britannia repetierit hoc tempore Sanctorum suorum reliquias, quas Danorum metu aliò transtulit: an verò servaverit semper (ut admodum verosimile) sanctitatis ejus monumenta aliqua, ac inde Ethelstani monasterium ditaverit, non habeo dicere: constat tamen, ad Ecclesiarum consecrationes Sanctorum reliquias, omni sæculo necessarias fuisse, ut nuper * etiam in Wintoniensis basilicæ constructione, vidimus; & ideo magnis semper Principum virorum votis, precibusque expetitas.

Quo tempore, et quorsum.

Malmesb. de Pont. fol. 251.

* vi. an. 5[illegible] n. 3. an. 5[illegible] n. o. & an. 599. n.

* n. 4.

* an. 930. 6.

VII. Nec aliud, opinor, Malmesburiensis voluit, cum Sanctorum reliquias *emptas* dixit: quam sacra munera muneribus aliis compensari solita. & quia Ethelstanus munificentia cedebat nemini; ideo carò illi hujusmodi constitisse, est pium credere. Hunc Principum virorum morem Magdeburgici pervertunt, cum scribunt de hoc sæculo: *Magno etiam pretio, empta leguntur hoc sæculo reliquiæ. Henricus enim Imperator lanceam Dominicam, cum clavi crucifixi Christi artificiose affixi erant, à Rodulpho Burgundiorum Duce; cum magnis præmiis, pollicitationibusq; nihil proficeret; vi tandem extorsit, cum se regnum ejus ferro & igni depopulaturum comminaretur. Quod tamen munus Imperator, non tantum auro & argento copioso; sed & magnâ Suevorum provinciæ parte, Duci compensavit.* Hæc enim, si ad sæculi sensum expenderis, non aliud significant; quam summos viros, Imperatores & Reges, in summo semper pretio nostræ redemptionis pignora habuisse. & illos immanè perfidos esse, & a majorum fide degeneres: imò

Quo empta Sanctorum reliquiæ.

Cent. 10. c. 6. [illegible]

Judæis potiùs quàm Christianis componendos; qui rident, contemnunt, profanant ea, quæ Christus suo tactu & sanguine consecravit. Nos, illis relictis, ad illos convertamur, qui per Fidem hanc Regiam, vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissionem.

VIII. Moritur S. Birnstanus.

Moritur, hoc anno, sanctus Birnstanus, Wintoniensis Episcopus; cum paucos tantùm annos Ecclesiæ præfuisset: reliquit tamen pietatis exempla, quæ etiamnum in Annalibus leguntur. Nam præter ea quæ diximus cum Wintoniensem Ecclesiam ascendit, anno 932. * refert Malmesburiensis aliqua pietatis opera, & finem vitæ sanctissimè conclusum. addit & cælestia oracula, quæ Sanctum dixerunt. *Birnstanus dominici exempli ardentissimus executor*, inquit ille, *pedes egenûs, omni die, semotis arbitris, lavabat: mensam, & cibos apponens: nec minùs pro disciplina famulantium, reliquias abstergens. Obsequio consummato, pauperibusq; dimissis; ad multas ibi remanebat horas, orationibus* (ut creditur) *vacans. Quadam ergo die, pro consuetudine, nulla autem interpellatus molestia ægritudinis, subitò clam omnibus spiritu vitali caruit. Clientes, qui consuetudinem ejus nossent; tunc quoq; quod orationibus occupatum crederent, tota die jacere passi. At verò diluculo irrumpentes, inveniunt cadaver sine mente. Conclamatus est, & sepulturæ datus. Sed cives, quod interceptum morte videbant, omnem ejus memoriam obliteravere silentio; nescientes quod scriptum est. Non potest malè mori, qui benè vixit. Et justus quacunque morte præoccupatus fuerit; in refrigerio erit. Correxit id divina rectitudo, longo post tempore succedente Ethelwoldo.* Narrat inde quid Ethelwoldo sedenti contigerit: cum tres sanctissimi Wintonienses Ecclesiæ præsules, Birinus, Swithunus, & Birnstanus iste, insomni apparuerunt, de quo infra suo loco. Tunc enim, nec priùs, viri sanctitas ubi innotuit: quamvis vitæ integritate, sanctisque operibus, provinciæ suæ semper præluxerit. Nunc autem in nostro Martyrologio, locum inter Sanctos omni merito habet ad 22. Aprilis: ubi mortuus hoc anno scribitur. quod etiam Wigorniensis, Westmonasteriensis, & Godwinus affirmant. Quis illi successerit, dicam anno sequenti: ubi Fasti & Wigorniensis illum nominant.

* n. 9. &c.

Malmesb de Pont. fol. 243.

IX. Moritur Wulfhelmus Dorovernen. Episcop.

Interim moritur, qui Dorobernensem sedem tenebat, Wulfhelmus: & sanctus Odo Wiltunensis Episcopus, ab Ethelstano Rege, ad primam Sedem humanissimè invitatur. Sed ille honorem deprecatus, modestissimè restitit; eam imprimis ob causam, quòd monachi vestem nunquam induisset. Moris enim erat, ex quo Augustinus ibi sedem fixit; non alium Ecclesiæ illi præesse, quàm qui Augustini exemplo, vestem mutasset. Admissa quidem intercessio est: sed facilè dubio satisfactum; cum Odo (Osulfo in Wiltunensem Ecclesiam suffecto) ad Floriacense monasterium profectus, ab Abbate illo sacram monachi vestem accepit. Hanc Odonis modestiam referens Parkerus; qui Cantuariensis Episcopus haberi voluit, sed nunquam esse monachus: dicit, *longè à veritate alienum esse*, nunquam in Augustini sede, antè Odonem, non monachum sedisse. Scribit enim sic, sed admodùm, de more, oscitanter. *Rex verò* (Edmundum intelligit, qui necdum regnat) *Odonis memor illum ad Archiepiscopatum Cantuariensem eligit, & detrectantem impellit. Odo ægrè præbens assensum ait: Noverit Britannia tota, me nullo unquam modo consensurum, ut in clericali habitu constitutus, Ecclesiæ Cantuariensi præsideam; quam nullus antea, qui monachus non fuerat (quantum ipse conjicere potest) rexisse cognoscitur. quod tamen à veritate longè alienum est. Nam quosdam presbyteros fuisse supra retulimus: ideoq; hic repetere, non erit instituto nostro commodissimum.* Ita ille: & pergit; satis intemperanter. *Quid verò est*, inquit, *quod insana monachorum rabies comminisci non audeat; unde aliquod monachatus sui patrocinium, in conjugatos sacerdotes arripiant? Quem ordinem, ob illorum conjugium sanctum, omnibus spretum, & ludibrio habitum Odo conspiciens; pravo monachorum consilio inductus, Floriacense cœnobium (quod est prope Aureliam, Galliæ civitatem) se contulit; in quo monachalem habitum suscepit.*

Osulfus Wiltunensis Episcopus.

Antiq. Brit. in Odone.

X. Sic pessimè, à factiosis, majorum nostrorum verba, factáque explorantur, & exploduntur. Quod Odo dixit, his consoribus, *longè à veritate alienum est*, quod fecit, *insana monachorum rabies* fuit, qui Sacerdotum conjugia non ferebant. Unde procul dubio Parkerus videtur concludere, Odonem conjugatum fuisse: quorsum enim hic conjugii mentio? aut cur adeò in monachos excandescit? Ad rem quod attinet; Odoni potiùs, quàm Parkero, credendum: nunquam antehac, ad Dorobernensem Ecclesiam administrandam, sedisse aliquem, monachi veste non indutum. Quis enim nescit Gulielmum Malmesburiensem, quingentis annis Parkero priorem, & oculatum satis hominem, probè novisse Dorovernensis Ecclesiæ jura, legésque? Ille ergò Odonis factum sic refert. *Ille, qui nondum amicisset monachum; constantiùs renisi, ne morem majorum, ambitione suâ turbare videretur. Nullum enim ad id tempus, nisi monachili schemate indutum, Archiepiscopum fuisse. Sed cum Regiæ voluntati Episcoporum omnium assensus accederet; tandem vix Reverendissimus propositi sui rigore edomito, in communem perrexit sententiam: recogitans illud proverbium: Vox populi, Vox Dei. Itaque transito mari, apud Floriacum monachilia accepit. frugi homo & prudens: ut nec favorem civium læderet; nec priscam consuetudinem decoloraret.* Hic Regis & Episcoporum silentium; hic *moris majorum*, & *priscæ consuetudinis* mentio; hic Odonis in Gallias profectio, mutatio habitus, & singuli verborum apices, satis clamant Parkerum falli.

Malmesb. de Pont. f. 200.

XI. Iterum cum Anselmo mortuo Cantuariensis Ecclesia Præsulem postulasset, cuperétque admodum Episcoporum procerúmque cœtus, e Curia Regis Capellanum aliquem, illi sedi præficere; justissimè à monachis intercessum; id præter Cantuariensis Ecclesiæ consuetudinem esse. Sed præstat Edmerum, S. Anselmo Synchronon, & oculatum, auritúmque testem, audire. *Ad curiam venimus*, inquit ipse, *& ecce omnia plena erant de Abbate, quæ audieramus: & revera Regia voluntas hoc proposuerat* (*nimirum Faricium Abendoniæ Abbatem, Archiepiscopum eligere*) *ac propter id ipsum jussus à Rege, idem Abbas Curiæ se præsentaverat. Animus tamen Episcoporum & quorundam Magnatorum, in aliud vergebat; præoptantium videlicet, aut quemlibet Episcopum de ordine clericali, aut clericum aliquem de capella Regis, in opus illud asciscí. Verùm ubi id objectum est: nullum à Beato Augustino, nisi de monachico ordine, unquam Pontificatus Cantuariensi*

Edmer. Nover. l. 5. fol. 109.

*Stigandū intelligit. *præsediſſe: uno * duntaxat excepto: qui & ob hanc præſumptionem, & alia quædam, perversè ab eo commiſſa, depoſitus per Romanum Pontificem fuit: & eâ re tam ANTIQVAM & AVTHENTICAM CONSVETVDINEM, cum nulla ratio, vel neceſſitas exigeret, ſubverti non oportere: deſiſtere cœpto, quod plurimo conatu perficere laborabant, compulſi ſunt.* Hæc ille. Admiſſa eſt ergò monachorum interceſſio, quæ Epiſcopis omnibus, proceribúſque regni, qui plurimo conatu, pro ſæculari clero laboraverant, ſilentium impoſuit: *antiquam* & *authenticam conſuetudinem* ſcientibus, & ſilentio probantibus.

XII. NOVATORES REPELLUNTUR. Sed Novatores nolunt quieſcere: & quoniam omne regulare inſtitutum averſantur, pro clero advocant: & Parkerus exiſtimat ſe ſupra probaſſe, presbyteros ſæculares aliquando Dorobernīæ ſediſſe. Et verò ſupra prodidit infantiam ſuam; cùm Laurentium, Nothelmom, & alios, ideò monachos non fuiſſe contendit, quia Beda eos *presbyteros* appellavit. quod * ſuprà etiam à me rejectum. & iterum dico: Bedam centies ab authoribus presbyterum appellari, & tamen monachum fuiſſe nemo negat. Norunt omnes quotquot Eccleſiæ noſtræ prima lumina ſalutarunt; Magnum Gregorium, è ſuo monaſterio ad clivum ſcauri, Auguſtinum, & alios monachos elegiſſe, anno 596. qui in Britanniam navigarent: Laurentium inter eos unum, fuiſſe, qui prima miſſione in Inſulam venerit, in confeſſo eſt apud omnes. Iterum conſtituit S. Gregorius, præcepitque Auguſtino, ut in Dorovernenſi Eccleſia, nemo niſi monachus præſideret. Auguſtinus autem paulò ante mortem, Laurentium ad eam ſedem conſecravit. Et quis non dicet, Laurentium monachum fuiſſe? Quod Gregorius Auguſtino præceperit, in Dorovernenſi Eccleſia monachum præficere, teſtatur Alexander Papa, ad Lanfrancum poſtrum ita ſcribens, inter cætera. *Scrutinium*, inquit, *de Eccleſiarum privilegiis fieri præcepimus: & venit ad manū ſtatutum prædeceſſoris noſtri, beatæ memoriæ, Gregorii majoris, de Eccleſiis Angliæ. Quomodo ſcilicet præcepit Auguſtino gentis veſtræ Apoſtolo, ut ejuſdem ordinis viros, cujus & ipſe noſcitur eſſe, poneret in præfata ſede Metropolitana.* Ecce jubet Gregorius monachos primæ Sedi præeſſe: Auguſtinus è ſuo collegio Laurentium illi Sedi præficit; clamat hoc anno ſanctus Odo, *morem majorum* eſſe, quem noluit infringere. Epiſcopi poſtmodum, & regni magnates, *antiquam* & authenticam conſuetudinem, agnoſcunt; nunquam violatam, niſi cum impiè Stigandus eò aſcendit: unde propterea juſſus eſt deſcendere: Et tamen Parkerus, id longè à veritate alienum eſſe contendit, eo ſolo argumento; quia Beda Laurentium presbyterum vocavit.

*v. an. 619. n. 2.

apud Edmerum l. 1 Novorum.

XIII. Has texunt aranearum telas factioſi; quoties in orthodoxam Fidem pugnant. Quod etiam legere eſt, in aliâ Parkeri periodo, quam ſupra poſui, ubi Odoni & monachis iraſcitur, quod monaſticum ordinem, conjugatorum ſcilicet Sacerdotum *ordini*, prætulerint. Quaſi verò in Anglicanam Eccleſiam græciſmus ille irrepſerit; aut ſacerdotio initiatis, fœminarum conſuetudo permiſſa ſit. quod ſupra, Britannorum etiam ſæculo, & omni Saxonum tempore, oſtenſum eſt, longè à veritate alienum eſſe. Cæterum quod paullò inferiùs, authores orthodoxi conqueruntur, Sacerdotes aliquando incontinentes fuiſſe, & præter dignitatem gradus, fœminarum commercio infames: hoc paradoxi noſtri *ſanctum conjugium* vocant: cum revera, nec ſanctum fuerit; aut, quod idem eſt, ſancitum unquam, ſacerdotes uxores ducere poſſe: nec conjugium vocari debeat; quod disjungi, non conjungi præcipitur. Sed ubi orthodoxa Fides evertitur, aut pervertitur: ibi etiam, omnium ſæculorum ſenſus, ipſa etiam verborum notio, & proprietas, everti debet; aut nova fides non poteſt ſubſiſtere. Parkerus, cum ab Eliſabetha Regina, ad Cantuarienſem ſedem, è Germaniâ ubi uxorem duxerat, invitatur; coactus eſt, uxore divertere; qui Cantuariæ ſedere cum fœmina non potuit. Hoc ipſum malè habuit: & exinde monachis & caſtitati indignatus, ea ſcribit data occaſione, & ſæpè non data; quæ perverſum mentis impetum ſatis produnt. Hanc ob cauſam inceſtuoſam & ſacrilegum fœminarum uſum *ſanctum conjugium* vocat: & contra, ſacrilegos & impudicos, qui caſtitatem amaverunt. De clericis illis, qui continere noluerunt, erit infra dicendi locus: ut etiam de Odone, Dunſtano, Ethelwoldo, ſanctiſſimis Epiſcopis, de Edmundo, Edgaro, aliiſque pientiſſimis Principibus, qui monachos illis prætulerunt: Maneat ergo ratum, quod Odo dixit: & ideo, vel ipſe Floriacum adeat: vel inde Abbatem Floriacenſem appellet; quò monachi veſte potiatur.

SACERDOTES NUNQUAM CONIUGATI.

XIV. CUR ODO FLORIACUM ADIECIT. Sed quorſum Odo, Wiltunenſis Epiſcopus; aut Floriacum ire, aut inde monachi veſtem induere voluit. Quod ideò etiam quæritur, quia non ipſe ſolùm, ſed Oſwaldus quoque, Odonis nepos, & Eboracenſis Archiepiſcopus: addo & Dunſtanus etiam, ſi Ingulfo credimus; Floriacum ſanctioris propoſiti cauſa profecti ſunt. Hic varii, pro vario animorum affectu, reſpondent: vel regularem diſciplinam, ibi præ cæteris in Europâ monaſteriis, viguiſſe: vel Sancti Benedicti corpus, eos eò invitaſſe. Sed facilior, & magis domeſtica reſponſio eſt: bellorum injuriâ jacuiſſe monaſteria, quæ quondam in Angliâ fuerant florentiſſima: nec ullus hoc tempore erat, qui Abbatis nomen cum dignitate ſuſtineret. Licet enim, in Regum diplomatis, legere ſit aliquando Abbatum nomina: illi tamen, vel titulo tenus, vel noviter electi, vel domo minus inſtituta, Epiſcopo manum, habitúmque imponere, non præſumpſerunt. Floriacum ergò, celeberrimum Benedictinæ regulæ monaſterium, profecti ſunt omnes; qui magno perfectæ religioſæque vitæ deſiderio tenebantur. Hoc ſatis inſinuat Malmesburienſis, de Oſwaldo ſic ſcribens: *Apud Floriacum in Galliâ alteratus in monachum: familiari per id tempus Anglis conſuetudine: ut ſi qui boni afflati eſſent deſiderio, in Beatiſſimi Benedicti monaſterio, cænobialem ſuſciperent habitum: à quo religionis hujuſcemodi manavit exordium.* Quæ ſic intelligo. Licet monachi in Angliâ paſſim fuerint, & ſine dubio in Magni Benedicti diſciplinâ inſtituti; ita tamen diſtracti, diſperſique erant; ut necdum in cœnobiticæ vitæ conſuetudinem, aut ægrè, coaluerint. Cur ita ſentiam, reddo paucis rationem. Alfredus & Edoardus, pientiſſimi Principes, pro Benedicti inſtituto videntur impensè laboraſſe: ideò Grimbaldum è Morinis, & à Rhemenſi Archiepiſcopo impetrarunt; non aliam ob cauſam, quàm ut perfectioris vitæ viam monſtraret

Malmesb. de Pont. l. 3. fol. 270.

ſuis

suis [illegible]vibus. Cæterum quàm parum ille profecerit supra vidimus in ejus morte. Iterum Glastoniensis monasterii rudera, sub natum Dunstanum, & cœleste de eo præsagium; restituta demum per eum monastica regula; argumentum est Eclipsim præfuisse. Dico igitur, ut omnium rerum vicissitudo est: sic splendoris quoque Ecclesiarum: & qui omni tempore meridiem fuisse contendit; is supra Lunam, non infra, disputat. Sanctus Odo Cluniacensis Abba Benedictinæ regulæ reparator audit: de illo sic scribit Petrus Venerabilis lib. 5. Epist. 15. *Odo emortuum jam, & penè ubique sepultum monastici propositi fervorem resuscitare, summo conamine aggressus est. Defecerat suo tempore sanctus: diminuta erant veritates à filiis hominum. In cunctis penè Europa nostra finibus, de monacho, præter tonsuram & habitum, nihil.* Ita ille de Odone, & hoc sæculo. Num corpus sancti Benedicti, hoc tempore apud Floriacum jacuerit, dubium oriri potest, ex Urbani II. diplomate: ubi excommunicantur, qui negant illud esse in monte Cassino.

Vide Baron. an. 1058. n. 6

XV. Æthelbaldum Schirburnensem Episcopum, Fasti volunt hoc anno mortuum, Sedem Alfredo reliquisse: de quo dicam pleniùs, ad annum Christi nongentesimum trigesimum septimum, cum Ethelstanus in Analafum pugnabit.

ANNUS CHRISTI 935.

JOANNIS XI. PAPÆ 5.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 12.

I. Elphegus Wintoniensis.

ANNO Christi nongentesimo trigesimo quinto, Wintoniensem Ecclesiam Birstani recessu vacantem, implevit Elphegus, cognomento Calvus: vir illa Sede dignus; qui nepotem Dunstanum; quem ad magna natum sciebat; ut studiosè [illegible]am Dei curreret, verbo & exemplo animavit. En invero, dudum ille ad virtutis, vitiique bivium pervenerat: & cupiebat Elphegus impleri oraculum, quod cœlum aliquando fuderat. Nec vana spes [illegible]rat; quia Dunstanus vitæ integer, scelerisque purus, etiam in Ethelstani Regis curia eminebat. Nam ita in vita ejus legitur: *Certabat adolescens sanctus, gratia, & affabilitate omnes excedere, pudicitiam servare, lasciviam fugere, appetitor honesti, turpitudinis execrator: majorum natu colloquiis adesse, juvenum ludicra declinare: ciborum abstinens, somno temperans, incessu gravis: magna fiducia ad incipiendum bonum, constantia ad perficiendum. Lectionibus sacris intentus erat: quarum exercitio; & vitiorum opportunitates evitans, virtutum augmenta nutriebat. Et quamvis variis scientiis magnificè polleret; musica tamen instrumenta, speciali quadam affectione sibi vendicabat.*

Du[illegible] [illegible] adolescentia.

apud Capgrav.

II. Elphegus ergo hæc juvenis ornamenta doctus; cupiebat eum valde de virtute in virtutem promovere: suasitque, ut relictâ curiâ, monasticam vitam, & Angelorum societatem; mundo, mundique blandimentis præferret. Sed ille cunctabundus; non nisi divino argumento victus, avunculo cessit. De hoc ita refe[rt] Osbernus. *Dunstanus inde (à Curia) profectus, cognatum Pontificem Elphegum, qui tunc temporis Wentanæ [p]ræsidens Ecclesiæ, vitam virtutibus decorabat. A quo frequenti supplicatione rogatus, ut monachum indueret: quatenus qui Angelicæ conversationis initia habuerat, perseverantiam in habitu monstraret.* Hæc Osbernus, quæ Parkerus, juratus Dunstani, & omnium monachorum hostis, ita pervertit: *Dunstanus [v]enit ad Elphegum avunculum suum, Wintoniensem Episcopum. Qui illum, tum libidinosum, & lascivum juvenem; ut a mulierositate averteret; multis argumentis hortatus est, ut monachismum ingrederetur. Sed Dunstanus, juvenem mulierem potius ducere, cujus quotidie blanditiis foveretur; quàm monachili ritu, bidentinis indui panniculis, maluit.* Hæc ille, Osbernum in margine testem vocans. Quod ergo Osbernus vocat, *Angelicæ conversationis initia habere, ludicra declinare, pudicitiam servare*: hoc, Parkero interprete, est libidinosum, & lascivum juvenem esse. Sed missis Novatoribus, qui ubique ita in nostrates Sanctos peccant: Dunstanus paullò post, morbo corripitur: & ita sensit vocantem Deum; & Elphego sancta suadenti manus dedit, petiitque, quod priùs noluerat, monachum indui.

apud Reyner Tract. fol. 110.

Antiq. Brit. in Dunstano

III. An ab Elphego vestem acceperit; an verò Floriacum adierit, Odonem sequutus, video controversum esse. Ingulphus disertè affirmat; cum in Floriacensi monasterio doc[t]um Benedictinæ disciplinæ regulam; [e]am postea monasteriis Angliæ tradidisse. *Dunstanus*, inquit, *Floriacum adiens, & monachus ibidem factus cùm regulares observantias pleniùs didicisset: valefaciens fratribus, Glastoniam est reversus; Abbasque ibidem factus, fratres sui* * *stemmatis accipiens, sanctissimum in brevi collegium adunavit.* Hæc ibi. Osbernus tamen, Ingulfo paulò antiquior, Dunstani conversionem referens, hæc habet: *Tum ex insperato reconvalescens: Hic, ait, legibus voluptatis renuntio: hic me sempiternum tibi adversarium promitto. Nihil cum uxore fœderis paciscar: sola me virtus militem habebit. Insanum quippe est; illam animi mei dominatricem sustinere: quæ nec viventes reddit satiatos, & morientes reddit desperatos. Virginem me, Virginis filius hucusque servavit: Virginem me, Virginum Regina Maria habebit. Confestim, accito ad se Episcopo; postulat sibi dilata religionis benedictionem dari. Episcopus verò, immensa lætitia, pro salute simul, & conversione juvenis, perfusus; celeriter illum monachali, ac sacerdotali gratia promovit; attitulans Ecclesiæ B. Mariæ Virginis; cui eum ab initio parentum suorum sponsio dicavit. Consummatis autem primis incepta conversionis diebus: cum eum Episcopus, adversus insidias diaboli, & sermone instruxisset, & authoritate roborasset: dimisit illum ad locum, suæ generationis principium. Ibique in Ecclesia præfata virginis mansitabat; operans ea, quæ pia religionis norma exigebat.*

Ingulf f. 871

* *lege schemate*

Osber. apud Reyn. suprà.

IV. Ob hanc Osberni, de Dunstano narrationem, putat Reynerus, in Apostolatu, Ingulfum falli, cum dicit Dunstanum Floriaci monachum fuisse: & benè quidem probat, toto Ethelstani Regis tempore, monachum eum in Anglia mansisse; vel cum Elphego Episcopo, avunculo suo, vel in Glastoniensi secessu; cui olim, divino illum oraculo destinatum diximus. Ibi enim constructo sibi tuguriolo, sanctè vixit; ibi diaboli tentamenta fortiter vicit; ibi denique sub conversionis initium, ignito forcipe arripuit nasutum dæmonem, muliebriter nimis sibi adblandientem. Verùm mortuo Ethelstano, cum Edmundum frater, in regnum &

Reyner, in Apostola. fol. 109.

Osberni narratio, c[um] Ingulfo constat

pietatem ... jus ... & admodum ... restaurasset monasterium, quæ temporum vitio ... tium ... ant: & Dunstanum Glastoniæ præfecit. tunc, quidni? Dunstanus illo tacum pet... potuit, & inde monasticæ disciplinæ pert... Quod ... et Osbernus tacuerit. Ingulfus tamen non omisit: ... ut. *Rex autem Edmundus, Dunstano ... presbytero suo, monasterium Glastoniæ, tunc in desolatione à paucis clericis occupatum, cum omnibus pertinentiis, contulit restaurandum; & monachorum ordinem, prout antiquitùs habuerat, in illo revocandum. Qui Floriacum ad eos, & monachus ibidem factus, cum regulares observantias pleniùs didicisset, ... Glastoniam est reversus: Abbas ... factus, ibidem fratres sub *stemmatis accipiens, sanctissimum in brevi collegium adunavit.* (Ingulf. f. 871) (* schematis)

Hæc Ingulfi sententia, in nullo, opinor, apice, Osberno adversatur: præsertim si dixeris (quod revera, si sanè, sincerèque ad historicam veritatem loqui volumus, dicendum est) aliud fuisse hoc tempore, monachum esse ἁπλῶς: aliud Benedictini instituti, monachum. Quod licet ægrè quidam concedant: ego tamen, ad instituti illius sanctitatem, dignitatemque facere semper putavi: ut supra vulgare monachi nomen, connotatum illud eminentiam addiderit. Sic ego Malmesburiensem intellexi, cum de Oswaldo sancto dixit: *Apud Floriacum in Gallia alteratus est in monachum, familiari per id tempus Anglis consuetudine: ut si qui boni afflati essent desiderio, in Beatissimi Benedicti monasterio, cœnobialem susciperent habitum, à quo religionis hujusmodi manavit exordium.* (Malmesb. de Pont. l. 3 fol. 271.)

V. Facit certe ad religiosæ perfectionis excellentiam, ut bonis sanctisque legibus, institutis, moribusque, Congregatio omnis (noviter præsertim erecta) muniatur. Dunstanus potuit in suo tuguriolo sanctè vivere, piè operari, & dæmoni (ubi opus) nares emungere. Sed præesse aliis, normamque cœnobiticè tradere; & ad sancti Benedicti amussim, se aliosque componere; hoc enimvero cœnobiticè, non eremiticè vivendo, discendum erat. & sancti nunquam docuisse leguntur, quod priùs non didicerint. Igitur conciliando authores, satis probabile est, Dunstanum foris excepisse sanctissimæ vitæ documenta, quæ suis deinde monachis trad... Quod enim Reynerus ait: in Wintoni... Abbati... vitium fuisse, priusquam Eremitam Glastoniæ ageret. Hoc ego avidè vellem ...: si monast... illius, vel novi, ..., Annales faverent. Sed cum nusquam ... Dunstani mentio, cum Grimbaldus ib... conatu, ... nguo tractu, monasticem ...; cum nullus post eum Abbas no... cum postmodum ejectis inde clericis, mo... ibi statuentur, cogor opinari, Elphego Wintoniensi Episcopo, Benedicti regulam non admodum Wintoniæ floruisse. Et idem omnino de monasteriis aliis, ubi tamen olim florentissima disciplina fuerat, dicendum. Aliunde ergo quod deest, petere: & inde petere, unde sanctissimi viri hauserunt primitias spiritus: & instituti dignitatem decet, & authorum antiquorum menti conformius est.

VI. Hoc ipsum non obscure confirmari videtur, è celeberrimâ illa Concordia Regularis observantiæ; quam, Dunstano dictante, Edgarus Rex communem monasteriis esse voluit, jussitque observari. Ibi enim dicitur, foris collectas esse leges, è locis ... celebrioribus: & duo nominantur, Floriacense & Gandense monasteria. Porrò, cum constet, ut post dicemus, Dunstanum Gandavi exulasse: quidni dicendum, in Dunstani Concordia loca illa nominari, in quibus, & è quibus religiosas observantias ipse collegerat. Sed audi ipsum. *Ideo Edgari imperiis toto mentis conamine obtemperantes, sanctiq; patroni nostri Gregorii de ... quibus B. Augustinum monere studuit: ut non solum Romana, verum etiam Galliarum honestos Ecclesiarum usus, rudis Anglorum Ecclesia decorando ... tueretur, recolentes: Accitis Floriensis Beati Benedicti, nec non præcipui cœnobii quod ... Ghent nuncupatur vocabulo monachis: quæq; eorum ... moribus honesta colligentes, ut apes favum nectaris, diversis pratorum floribus, in uno alveario; ita hæc morum consuetudines, ad vitæ honestatem, & regularis observantiæ dulcedinem, ut ab his, qui viam Regiam mandatorum Domini, absque jactantiæ vitio, ... adhuc humiliter incedunt, depulso nausea tædio, fint querelâ legitimè haustu degustari libentissimè, & ... amabili possent impleri devotione, temperata cum magna atque subtili rationis discretione, Christi mundi Salvatoris opitulante gratia, hoc exiguo apposuerunt codicillo.* (Concordia Regularum) Hæc Dunstanus, cum Floriacensis, & Gandensis alveariì dulcedinem degustasset prius: atque inde suis per Angliam monasteriis instituendis aptos quæsivit, expertósque monachos.

Verum hæc omnia paullò posterius evenerunt; sed dicta nunc sumo, occasione Elphegi præsulis, de ... jus, ad Wintoniensem sedem ingressu, sic scribit ad hunc annum Florentius Wigorniensis: VII. *Religiosus monachus Alfeagus, cognomento Calvus, Beati Dunstani propinquus, suscepit Episcopatum Wintoniensis Ecclesiæ.* (Wigorn.) Eundem annum consignant Fasti. Elphegus olim in Glastoniensi monasterio vestem mutaverat. Sed quia dudum locus ille à monachis desertus, Elphego discedendi veniam fecerat. Inde benè in Glastoniensis cœnobii Annalibus, de eo legitur in hunc modum: *Dunstanus Wintoniam pergens, ad acceptissimum Deo Pontificem Elphegum, qui etiam de Monacho Glastoniensi assumptus fuerat, ad eandem Sedem, cujus consanguinitatis lineam proximo gradu attingebat.* &c. (Annal. Glast.) Si dixeris Elphegum, in Glastoniensi monasterio vestitum, è Magni Benedicti familia fuisse: ac proinde nepotem suum illa veste induisse: Ego certe non repugno. Dico tamen, jacuisse omnino, illo in loco, Cœnobiticæ vitæ ordinem, & foris necessariò petendum fuisse. Addo, Wilfridus olim monachos adlegit, struxitque *monasteria plurima*, in quibus non eadem, quam ipse amplexus, regula servata est, ut alibi* ostensum. Et potuit Elphegus nepotem suum monachum vestire, Benedictinæ regulæ minime astrictum quod centies putamus his temporibus, & omni supra sæculo, factum. Ut igitur arguendi sunt illi, qui suprà dixerunt: *Monachorum nomen provincialibus inauditum, religiosorum ordinem, hoc tempore incognitum.* (ita Parkerus) *totum ordinem penitus concidisse: & per nonaginta, aut eo amplius, annorum spatium situ obductum: non solum in omnibus Australibus Angliæ provinciis: sed in borealibus etiam plusquam ducentis annis, scilicet ad annum Domini 1074.* (Antiq. Brit. 7.) Ut hi, inquam Britannicarum Antiquitatum prophanatores, arguendi sunt: ita temperandus est eorum fervor; qui quotquot erant religiosioris vitæ, viri, fœminæque quotquot vel in

in monasteriis cœnobiticè, vel extra eremiticè, Deo vacabant, ad unius Benedictini instituti regulam coegerunt: eo præsertim tempore, quando non in Angliâ, solùm, sed in Italia etiam, immo in ipsa Urbe, monasticæ disciplinæ sanctitas languebat. Unde anno sequenti, *hoc mense* (Baron. an. 936 n. 10.) *Pontifici* (ita scribit Baronius) *sanctum virum magniq; nominis Odonem Cluniacensem è Galliis Romam accersisse, ut collapsam in Urbe, in monasteriis disciplinam monasticam restitueret; imprimis in monasterio famosissimo sancti Pauli.*

ANNUS CHRISTI 936.

LEONIS VII. PAPÆ 1.

ETHELSTANI ANGLOR. REGIS 12.

I. MORITUR JOANNES PAPA. — ANNO Christi nongentesimo trigesimo sexto, Joannes Papa, qui Romanam Sedem occupaverat, & sex ferè annos tenuerat, moritur; & locum dedit meliori; nam eo mortuo, *Leo quidam Dei servus, Romæ Papa constituitur*, inquit Flodoard. (SUCCEDIT LEO VII.) Et vero Dei servus quem, ut modò diximus, collapsam in Urbe monasticam disciplinam, vocato è Galliis Odone Cluniacensi, restituit: nam ut sub piis Principibus, & Episcopis, floret semper monasteria, ita sub impiis semper jacent: quod nusquam melius, quam in Anglorum Rep. sequentibus annis apparebit.

II. (Baron. hoc n. 3. LUDOVIC' TRANSMARINUS EX ANGL. AD FRANCIAM GO... REVOCATUR.) *Quo quidem pariter anno, cogitur conventus Episcoporum* (loquitur Baronius) *& Procerum Lauduni: ubi recipitur, & Rex inungitur Francorum Ludovicus, filius Caroli simplicis, in Angliâ hactenus conservatus, ob invasores regni tyrannos.* Dixi * suprà, mortuo Carolo, Rodulphum in Franciæ regnum successisse: quando proceres regni, de Ludovico, Caroli & Eguinæ filio solliciti, cum in Britanniam ad Ethelstanum avunculum transmiserunt. Nunc autem, Rodulpho mortuo, in certam spem regni, à proceribus revocatur. Quod Flodoardus in hunc modum narrat: (apud Baron. hic.) *Hugo Comes trans mare mittit, pro accersendo ad apicem regni suscipiendum, Ludovico Caroli filio, quem Rex Ethelstanus, avunculus ipsius, accepto prius jurejurando, à Francorum Legatis in Franciam cum quibusdam Episcopis, & aliis fidelibus suis, dirigit. Cui & Hugo, & cæteri proceres Francorum, obviam profecti mox navim ingresso, in ipsis litoris arenis apud Bononiam sese committunt. Deindeq; Laudunum ab ipsis deductus, & Regali benedictione ditatus ungitur, atque coronatur à Domino Artaldo Archiepiscopo Rhemensi, præsentibus Regni Principibus, cum Episcopis viginti, & amplius.* Hæc ille. & eo fere modo narrat monachus Altissiodorensis, qui & Legati nomen expressit. (Monachus Altissiodor. in Chronol. an. 937.) *Radulphus*, inquiens, *Rex Francorum, moritur apud Altisiodorum, post cujus mortem, Franci, coacto in unum concilio, Willelmum Senonensem Archiepiscopum miserunt in Angliam, ad Oginam Reginam quondam Francorum,* (Eguinam intelligit) *ut filium suum Ludovicum remitteret ad regnum paternum. Cui datis obsidibus & sacramentis exhibitis ... Ludovicum prædictus Antistes, & in Franciam a... qui apud Urbem Laudunum, in Regem un... & coronatus est: regnavitque annis noven-*

III. ETHELSTANI PIETAS IN NEPOTEM. — Eminuit in hac re Ethelstani Regis pietas in nepotem; nam omnem movisse lapidem dicitur; ut regnum Ludovico, possessionis saltem jure, redderetur. Unde Gallorum proceres, muneribus, literis, legationibus pulsavit; & imprimis Guilielmum, Normanniæ Ducem, Rollonis filium, ut nepoti benevoli & faventes essent. & hac ratione Ludovicus, paterno regno restituitur. Testatur hoc Guilielmus Gemiticensis, ita scribens. (Gemetic. de Ducibus Normanniæ l. 3. c. 4.) *Audiens autem Ethelstanus Rex Anglorum, tam magnificam inclyti Ducis (Guilielmi) famam, cum donis & muneribus Legatos illi misit; orans, ut Ludovicum, suum videlicet nepotem, Caroli Regis filium, paterno restituere regno satageret. atque Alano Britoni ... consenso commissa, pro suo amore ignosceret. Cujus precibus, Dux, libenti animo annuens; Alano debita indulsit; atque ad sua redire jusso concessit: & Ludovicum transmarinis partibus revocatum, Hugone Magno favente, cum Episcopis, cæterisq; Francorum primoribus, sancto inunctum oleo, regno sublimavit. Quod cum lustro uno sub quiete disponeret: iterum Franci adversus eum conspirant, molientes eum à regno pellere.* Ita ille. Sed missis Gallorum tumultibus: ubi Eguina nostra, ob novas cum Heriberto nuptias, carceri à filio mancipatur: & filius adversos Principum animos aliquando experitur: quid actum in Angliâ, quod Ecclesiam spectat, videamus.

IV. ETHELSTANI PIETAS IN DEUM. — Eminuit ibi Ethelstani in Deum pietas, cum variis in locis struxit ædes sacras, dotavitque. In Occidente imprimis, & avito imperio. Ibi necdum satis ornatæ erant Episcoporum sedes, quas, Romani Pontificis jussu, Edoardus parens erexerat. (* v. an. 906 n. 3) Itaque, hoc anno, Ethelstanus Bodminiæ Ecclesiam extruxit: ubi suprà*, Cornubiensium Episcopi Sedem posuimos; quam Ethelstanus primùm occupavit, & post eum, Conanus Ruydocus, Aldredus, & Britwinus; incertum quo anno consecrati, aut quamdiu Bodminiæ sederint: nam Dano provinciam turbante, ad S. Germani oppidum, Episcopi aliquando migraverunt. (BODMINIÆ ECCLESIA PONITUR.) Quicquid sit: Catalogus ædium destructarum disertè affirmat, hoc anno, ab Ethelstano Rege Ecclesiam Bodminiæ erectam, S. Petroco sacram. Sed & idem Rex; ad sancti Germani oppidum, futuram Episcopi sedem, templum posuit: nimirum, ut benè Episcopo esset, possetque, ubi opus, sedem mutare. (ET AD S. GERMANI.) Alibi etiam in eodem agro; & forte sub hoc tempus, ædem struxit, apud Bovariam (ita locus appellatur in Catalogo, Harpesfeldo inserto) Petroco etiam sacram. (ET BOVARIÆ.) De hoc Sancto, qui in Cornubia monasterium struxit, qui ibidem sanctè moritur; qui Bodminiam translatus, ibi cultus est: dixi plura * tomo superiori. (* an. 503 n. 3 & an. 564. 1.) Et quia Britannus fuit, non Anglo-Saxo: & tamen a Saxone & Anglo, colitur. videant Novatores, nullum in fide dissidium, Britannos inter, & Saxones fuisse. In eadem Cornubiæ provinciâ, Sanctæ Burienæ Ecclesiam auxit Ethelstanus jure Asyli. *cum victor a Syllinis Insulis, ibi appulisset, & Danmonios in potestatem redegisset*; inquit Camdenus. (Camden in Cornwal.) Posuit etiam in Devonensi agro, ad Pilton oppidum, ædem Virgini Deiparæ sacram; quæ postea Malmesburiensi monasterio annexa est. Posuit & aliam in urbe Glocestriæ. Cæterùm quæ monasteria fecerit pro animâ fratris sui Edwini, & dixi supra, & dicam in sequentibus.

V. De S. Elfleda, sive Alfgiva. * an. 929. 2.

Hoc anno in nostro Martyrologio mortua ponitur Sancta Elfleda vidua, Regiæ virtutis Fideique fœmina: quæ mortuo conjuge, in Glastoniensis cœnobii rudentibus, cellam sibi [illegible], vixitque sanctissimè, teste miraculo, quod * supra recensui, cùm orationis causa Ethelstanus Rex Glastoniam divertit, invisitque Elfl[illegible]am, [illegible] t m[illegible]iam, soli Deo cœloque inseritam. Nomen ejus inter Sanctos ponitur ad 13. Aprilis, & annum Christi 936. Sed superfuisse adhuc, & Sancti Dunstani consiliis plurimùm profecisse, ac demum posteriùs pientissimè mortuam, dicam anno 947. num. 17.

ANNUS CHRISTI 937.

LEONIS VII. PAPÆ 2.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 13.

I. Analafus in Ethelstanum pugnat.

ETHELSTANUM Regem in templo occupatum, iterum Dani in campum avocant. Analafus, Sithrici, quondam Northumbriæ Regis, filius, provinciæ inhiat: & quo factionem augeat, Hibernorum animos conciliat; Constantinum Scotorum Regem, ductâ in uxorem ejus filiâ ad partes suas trahit: & demum anno Christi nongentesimo trigesimo septimo, in Ethelstanum pugnat: magno quidem, ut statim videbitur, sed inani conatu. Enimverò quicquid virium Hibernia Insula, quicquid Scotia nostra suppeditare poterat auxilii: id omne in Anglos effundere, hac vice decreverunt. Unde Westmonasteriensis, annum, & vires explicans, ita paucis refert. *Anno gratia nongentesimo trigesimo septimo, Hyberniensium, multarumque Insularum Rex Analafus, paganus, à Constantino invitatus, ostium Humbri fluminis, cum validâ classe ingreditur.* Hanc classem Hovedenus & alii, sexcentarum & quindecim navium fuisse affirmant, quam variæ gentes impleverant, Danorum, Norweciorum, Scotorum, Pictorum, atque Hibernorum: quibus accesserant, quotquot vel in Orientali Angliâ, vel in Northumbriæ regno, Danorum factionis erant: unde multum fuisse militem, ac provinciæ formidandum, necessum est affirmare.

Magnis viribus.

Westm. hic

A Constantino Scoto excitatus.

II. Ethelstanus Deo, Sanctisque supplex.

Vorùm nec ad numerum militum, nec ad tanti hostis adventum, expalluit Ethelstanus: nam olim doctus Danum vincere, Sanctos è cœlo ad belli societatem vocat: Sic enim nuper sancto Cuthberto supplex, Constantinum Regem, & socios prostraverat. Idem ergo sibi faciendum hoc tempore deliberans, Sanctum aliquem tutelarem, ingenti exercitui opponendum elegit. Erat in Anglia, & in Northumbriæ potissimum regno, sanctitatis fama, & miraculis celeberrimus S. Joannes à Beverlaco dictus, Eboracensis olim * Archiepiscopus; de quo multa in superioribus * dicta. Ad hunc Ethelstanus religiosè accedit, sepulchrum ejus piè veneratur, nec hostem aliter aggredi voluit, nisi Deo, Sanctóque illo faventibus. Et vero cessit e sententia; nam Joanni Beverlacensi voto nuncupato, insignem, si quis unquam, victoriam reportavit: dicat id antiquus author Ingulphus. *Contra Ethelstanum, cum Dani de Northumbria, & Northfolcia conspirassent, associato sibi Constantino Rege Scotorum, multisque aliis: ipse collectum exercitum ducens in Northumbriam, obvios habuit plures peregrinos, de Beverlaco ad propria revenientes. quorum relatu certius edoctus de miraculis sancti Ioannis: ipse cum multa devotione, dictum Sanctum visitavit. Offerens etiam cultellum suum Sancto, super altare: promisit se reditu suo, si Dominus daret ei victoriam de inimicis, dictum cultellum digno pretio redempturum.*

* an 6[illegible] 9. [illegible] 616 n 15 an 687 n 1 an 691 n 3. & 721 n. 2.

Ingulf f. 871

III.

Verùm Ethelstani votum, fusasque S. Joanni preces, [illegible] fusius explicat qui ejusdem Sancti vitam scripsit, apud Capgravium; ubi hæc narrantur: *Infestantibus Regem Ethelstanum Scotis, in manu valida, congregato exercitu, Beverlacum adiens, ante tumbam sancti Ioannis prolixius Rex orabat [illegible] exurgens, coram clericis Ecclesia, nobilibúsque multis, ita cum magna humilitate affatur. O Sancte Ioannes, Confessor gloriose, qui tot virtutibus & signis mirandis in terra præfulges; te suppliciter precor, & exoro; quatenus in hoc necessitatis articulo, mihi subvenire digneris; ut per merita & intercessionem tuam, inimicorum meorum infestationem, te patrocinante superare valeam. & extrahens cultellum suum de vaginâ, posuit illum super altare, dicens Ecce vadium meum, coram te pono, quod vitâ comite, in reditu meo recipiens, Ecclesiam tuam muneribus honorificabo, & redditibus augebo; si mediante tuo auxilio superatis hostibus, victor rediero: Fecit autem, quoddam vexillum, de eadem Ecclesia sibi præferri & audito ejus adventu, Scoti Angliam deserunt, & ultra mare Scoticum se transferentes, ejus adventum expectant.* Quod de vexillo dicitur, benedictum putamus ab Episcopo, & eo modo exercitui prælatum, quo pugnavit aliquando in Maxentium Constantinus: Nam Regia, Romanáque Fides, eadem semper est, in Castris, in Ecclesiis, & ubique. & Cruce, rebusque benedictis, non solum dæmon vincitur omni sæculo; sed quotquot dæmoni famulantur, Judæi, Turcæ, Dani, denique Calvinistæ.

apud Capgr. [illegible] Bever[illegible].

Dani fugiunt.

IV. Persequitur Ethelstanus et impugnat fugientes.

Ethelstanus ubi vidit fugientem hostem; victoriam inde auguratus, porrò perrexit: ut qui Anglici regni limites excesserant; & trans mare Scoticum (Edenburgi fretum) castra posuerant; inde etiam Dei, Sanctique Joannis ope pellerentur. Aderant Regi, præter instructum militem, Odo Dorovernensis Episcopus, & Turketulus, regii sanguinis, & multarum etiam virtutum vir: cujus infra frequens erit mentio. Horum auxilio, consilioque adjutus; insequutus est hostem, ad locum usque ubi castra metatus est. Hunc locum, quia varii variè efferunt, placet adnotare quod habet Usserius in primordiis; ubi de hoc conflictu loquens, hæc habet: *Circa annum 937. Commissum est in Northumbria celeberrimum illud prælium, apud Et-Brunnanwere, vel Brunnanbyrig: quæ in Ethelredi Regis legibus Bromdune, Ethelwerdo, Brunandune, Ingulfo & Malmesburiensi Bruneforde: aliis Bruneburgh, hodie Brumridge appellatur: inter Æthelstanum Anglorum Regem, & Analaphum Norwegum, Hiberniensium, ut aiunt, multarumque Insularum, Regem, qui à socero suo Constantino incitatur, infinitam multitudinem Danorum, Noreganorum, Scotorum ac Pictorum, contraxit.* Necdum ex hujus nominis variatione mihi constat, ubinam gentium ille locus fuerit, quem Spedus in Ethelstano Brimsbery vocat. Si tamen in Northumbriæ regno fuit, & trans Bodotriam, sive Edenburgi fretum; dicendum est Northumbriæ regnum longè latéque patuisse.

De loco pugnæ.

Usser. primord. 720.

Ut ve-

V. Ethelstanus oraculo erigitur ad spem victoriæ. *Capgrav. suprà.*

Ut venit Ethelstanus ad ripam maris Scotici; quod utramque aciem diviserat: cœlesti oraculo, & certâ spe victoriæ admodum recreatus est. Nam ita apud Capgravium legitur. *Regi autem* (Ethelstano) *fixo super ripam fluminis tentorio; apparuit in visu quidam pontificalibus indutus, sic dicens: Ethelstane Rex, festina mane flumen transire: Ego sum Ioannes Episcopus, noli timere. Ecce victoria in manu tua est: quam tibi nuntiare veni.* Nec vanum fuisse vaticinium ejus eventus docuit. Perrexit ergò Rex ad certaminis locum. Ibique, dum miles, post itineris labores, quiete reficitur; & expectatur miles, qui necdum accesserat: Danus, quem Regis acies terruerat, subdolis uti actibus; fraudes & insidias nectere potiùs, quàm æquo marte decertare, è re sua putavit esse.

Analafus versipellis.

Analafus, exercitûs Imperator, mentitâ veste, Anglorum exercitum lustrare; ipsum Ethelstani Regis tentorium ingredi; nihil denique versuti & versipellis hominis omittere. Sed juvat audire Malmesburiensem, Analafi dolos, & alia dolos consecuta, explicantem. *Ille*, inquit, *qui tantum periculum imminere cerneret; astu, exploratoris munus aggressus: depositis Regiis insignibus, assumptáq. manu cithara; ad tentorium Regis nostri progreditur: ubi cum pro foribus cantitans; interdum quoque quateret, dulci resonantia fila tumultu; facilè admissus est professus mimum, qui hujusmodi arte stipem quotidianam mercaretur. Regem & convivas, musico acroamate, aliquantisper dilinivit. cum inter psallendum omnia oculis scrutaretur. Postquam satietas edendi, finem delitiis imposuisset; & severitas administrandi belli, in colloquio Procerum recrudesceret; jussus abire pretium cantus accepit. Quod asportare nauseans, sub se in terram defodit.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. prius.

VI. *Notatum id a quodam, qui olim militasset: & confestim Ethelstano dictum est. Ipse hominem incusans, eò quòd hostem præ oculis positum, non prodidisset, hoc responsum accepit. Idem sacramentum, quod tibi nuper, O Rex feci, quondam Analafo dedi. Quod si in ipso me vidisses violare: de te quoq; posses exemplum simile cavere. Sed dignare famuli audire consilium ut hinc tentorium amoveas; alioq; loco, usque dum partes relicta veniant, maneas, inimicum petulanter insultantem, modesta cunctatione frangas. Dicto probato, discessum est illinc. Analafus nocte paratus, Episcopum quendam, qui vespere ad exercitum venerat, nesciusq; rerum gestarum, pro viridantis campi aquore, ibi tabernaculum tetenderat, cum tota familia cecidit. Tum ultra progrediens, Regem ipsum imparatum offendit: quippe qui nihil tale hostem ausurum timens, larga quieti indulserat. Sed cum tanto fremitu stratis excussus, suos quantum per id noctis poterat ad bellum acueret; gladius ejus fortuitò vaginâ excidit. Quocirca cùm omnia formidinis, & caci tumultus plena essent; inclamato Deo, & Sancto Aldelmo (erat enim ei ex antiquis progenitoribus consanguineus) reductáque ad vaginam manu, invenit ensem, qui hodieq; pro miraculo in thesauro Regum servatur. Et sanè* (ut aiunt) *una parte sectilis, nec unquam auri vel argenti receptibilis.* Hæc Malmesburiensis, libro secundo de gestis Regum.

VII. Odo Ethelstano adfuit.

Qui alibi etiam, cum Pontificum gesta describit, ait præter Deum; & Aldelmum sanctum; Odonem quoque à Rege interpellatum, ejusque precibus, gladium Regis vaginæ restitutum. Sic enim scribit: *Unde factum, ut Rege contra Analafum profecto, Episcopus Odo lateri adesset: qui accensor in prosperis, corrector in fortuitis esset. Quare & illa lugubri nocte; quâ, ut secundo Regalium Gestorum libro dixi; ipsa securitate incautior, ab hostibus penè præventus, ensem etiam amisisset, inclamatus Odo affuit. Cúmque omnia cæci tumultus essent plena: primus ille porrectis in cœlum precibus, intuitus vidit gladium, cœleste scilicet munus, vaginæ Regiæ illapsum divinitùs. Qui casus statim, eo conclamante, Ethelstano relatus; tantum momenti habuit: ut & tunc Odonem vita sua patronum non dubitaret dicere: & post Wulfhelmo defuncto, in primatem Cantiæ sublimare.* Hæc ibi. Porrò, licet author videatur dicere, Odonem priùs in Dorobernensi Sede locatum non fuisse: Cæteri tamen omnes, illum ibi jam quadriennio sedisse, satis probabiliter affirmant; ut notant etiam Fasti, ex Malmesburiensi collecti.

Malmesb. de Pontif. l. 1. fol. 200.

VIII. Quis Episcopus in tentorio occisus?

Quis fuerit Episcopus ille, qui tentorium fixit, & vitæ suæ metam; ubi Analafus citharœdum egerat; controversum est. Licet Schirburnensem Antistitem plures nominent. Qua in re, si Fastos sequimur; Alfredus is erat, quem supra in Schirburnensi sede collocavimus ad annum 934. n. 15. Sed, quia nemo eum violenta morte sublatum dicit; ideo fortè Godwinus in Catalogo, Sigelmum quendam, Alfredi prædecessorem, nominat, de quo hæc habet: *Author est Florilegus, Sigelmum quendam Sherbornensem Episcopum, a Danis prælio cæsum, anno 834. Quod alicubi mendose scriptum reperisse auguror, ubi reponendum erat 934.* Et hic quidem proximè accedit: si eo anno talis antistes in Occidentente fuisset. Sed è corrupto, aut vitioso Florilegi loco, non potest veritas firmari. Et certior est Malmesburiensis authoritas: qui licet hoc loco innominatum Episcopum nobis objecerit: alibi tamen eum nominavit, qui olim à Plegmundo in Schirburnensem sedem consecratus est, anno hujus sæculi sexto. Werstanum, inquam, de quo hæc scribit: *Werstanum ferunt in prælio contra Analafum, à Rege Athelstano susceptum, à paganis trucidatum. Cum enim, ut alias dictum, Rex consultò cessisset, Episcopus ad bellum cum suis veniens, incautusq; insidiarum, pro viridantis campi aquore, unde Rex abscesserat, tabernaculum tetendit. Analafus, qui pridie locum exploraverat, noctu paratus adveniens, quod reperit, incunctanter delevit.* Si hæc vera sunt: & nihil hac in re verius occurrit, discedere debeo à Fastorum calculo, & Godwini catalogo: ubi Werstani mors ad annum Christi 918. consignatur, & Ethelbaldus ponitur, in Sede successor: quem tamen ante hunc annum non sedisse, ex dictis apparet: & suprà * satis innui. Nunc tempus Analafum Ethelstano committendi.

Godwin. & in Sarisb.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 241.

Werstanus Schirburnensis moritur.

Succedit Ethelbaldus. * an. 918. n. 5.

IX. Ethelstani Regis victoria.

Hactenus in tenebris ab Analafo, & fraude pugnatum (tenebris Dani, Scoti, & errores omnes gaudent) At verò, ubi dies illuxit: & rediens pugnam reverâ Danus ordiretur: secùs omninò quam putaverat, offendit paratum Regem, & debiliora castri fortissimè propugnantem. Ita ab aurora, ad vesperum usque, continuo certamine præliatum, cum ingenti sanguinis effusione: Ethelstano gladium stringente, quem mirabiliter nuper receperat. Innuit hoc Malmesburiensis, cùm de gladio loquutus, hæc subdit. *Hoc dono Dei fretus; simulq; quia dies illucescebat, Noricum adorsus, tota die, usque ad vesperam indefessus fugavit, cum exercitu. Cecidit ibi Rex Scotorum*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6.

CONSTANTINUS SCOTORUM REX OCCIDITUR.

Constantinus, perfida animositatis, & vivacis senecta homo: aliiq; Reges quinque: Comites duodecim, omnisq; penè barbarorum congeries: pauci qui evaserant, pro Fide Christi suscipienda conservati. Addit Westmonasteriensis. *tantum sanguinem ibidem fuderunt, quantum in nullo Anglia pralio fusum catenus audierunt.* Pauci ex Ethelstani exercitu desiderati sunt. Elwini, & Ethelwini, regiorum juvenum sola mentio, quos belli fortuna abstulit; quibus Malmesberiæ monasterium sepulchrum præbuit. de quo illius loci monachus ita loquitur. *Ibidem* (nimirum Malmesberiæ) *Elwinum, & Ethelwinum, filios patrui sui, quos in bello contra Analafum amiserat, humari honorificè Ethelstanus jussit.*

Malmesb. suprà.

X. TURKETULI VIRTUS BELLICA.

Enituit in hoc prælio Turketuli virtus; qui, quia mutatâ postmodum militiâ, factus est Croylandensis Abbas; qui illius monasterii historiam texuit, Ingulfus; prælii circumstantias, paullò, quàm alii, accuratiùs, recensuit in hunc modum. *Contigit*, inquit, *Regem Ethelstanum, qui West-Saxones omnes ducebat: contra aciem Analaphi occurrisse: ac Cancellarium suum Turketulum; qui Londinenses, & omnes Mercios trahebat: contra aciem Constantini obviasse. Cessantibus citò serentariis armis; pede pes, & cuspide cuspis, umbóque umbone, pellebatur. Casi multi mortales, confusaq; cadavera Regum, & pauperum, corruebant. Cumq; diutissime, ac dirissimè dimicaretur; & neutra pars cederet (tanta erat paganorum multitudo) Cancellarius Turketulus, assumptis secum paucis Londinensibus, quos fortissimos noverat, & centurione Wicciorum, Singino nomine; qui spectata fortitudine pollebat: ipse pra cunctis, & staturâ procerus, ossibus & nervis solidus, & cordatus; ac inter omnes Heroes Londinenses, viribus robustissimus, pervius ipse involat in adversos: penetransq; cuneos hostiles, prosternit à dextris, & sinistris. Iam Orcadensium ac Pictorum globos pertransierat: silvamque jaculorum ac telorum, qua thorace fidelissima sufflaverat, in se projectam circumferens: jam cuneos Cumbrorum, ac Scotorum, cum suis sequacibus, perforabat. Tandem multo sanguine, ad ipsum Regem perveniens, equo dejecit: dejectumq; cùm vivum capere omnimodis conaretur: & Scoti constipati Regem suum totis defendere viribus insisterent, & plures in paucos niterentur: pracipueque omnes unum Turketulum appeterent; prout sapius postea fatebatur: tunc primum temeritatis sua pœnitebat. Iamjamq; opprimendus erat à Scotis; & Rex e manibus ejus eripiendus: tùm Singinus Centurio, gladio confodit eum. Sic Rege Scotorum Constantino perempto: Scoti se retrahentes, viam aperitiorem Turketulo suisq; militibus concedebant. Cognita autem morte Constantini, per universum exercitum: Analaphus fugam facit fugiuntq; universi.* Hæc Ingulphus.

Ingulf. f. 877.

XI. ETHELSTANI AMICITIAM OMNES EXPETUNT.

Illustrissima fuit hæc Anglorum victoria, & domi forisque notissima: magnam Ethelstano Regi gloriam peperit. Unde pergit author: *Hac itaq; victoriâ per universam Christianitatem citius ventilata: desiderabant omnes Reges terra; cum Athelstano Rege, amicitias facere, & quocumque modo sacra fœdera pacis inire.* Domi etiam egregiè decantatæ sunt Ethelstani laodes, ut fusè videre est in Huntindonio; qui provincialium applausus, & recitat, & demum concludit: *Non fuit bellum, hac in tellure majus patratum, nec cades tanta pracessit illam; postquam huc venerunt trans mare latum Saxones, & Angli, Britones pulsuri. Clari Marsu Fabri, Wallenses vicerunt, Reges fugaverunt, regna susceperunt.* Cecinerunt & poetæ Ethelstani nomen, ut patet è Carmine quod refert Malmesburiensis: ubi quia tempus prælii, & alia scitu digna annotantur, non erit abs re illud exscribere:

Idem suprà.

Huntind. l. 5. fol. 351.

Transierat quinos, & tres & quatuor annos
Iure regens cives subigens virtute Tyrannos:
Cum redit illa lues, Europa noxia labes;
Iam cubat in terris fera barbaries Aquilonis.
Iam jacet in Campo, pelago pirata relicto,
Illicitas torvasq; minas Analafus anhelans.
Bacchanti furia Scottorum Rege volente,
Commodat assensum Borealis terra serenum.
Et jam grande tument, jam terrent aëra verbis.
Cedunt indigena, cedit plaga tota superbis.
Nam quia Rex noster fidens alacrisq; juventa
Emeritus pridem detriverat otia lenta:
Illi continuis fœdabant omnia pradis;
Urgentes miseros injectis ignibus agros.
Marcuerant toti viridantia germina campi:
Ægra seges votum deriserat agricolarum.
Tanta fuit peditum, tam barbara vis equitantum,
Innumerabilium concursus quadrupedantum.
Excivit tandem fama querimonia Regem;
Ne se cauterio tali pateretur inuri:
Quod sua barbarica cessissent arma securi.
Nec mora, victrices ducentia signa cohortes,
Explicat in ventum, vexilla ferocia centum,
Cruda virûm virtus denies bis millia quina,
Ad stadium belli comitantur pravia signa.
Hic strepitus movit pradatorum legiones;
Terruit insignis venientum fama latrones
Ut positâ pradâ, proprias peterent regiones.
At vulgus reliquum miseranda strage peremptum,
Infecit bibulas tetris nidoribus auras.
Fugit Analafus de tot modo millibus unus,
Depositum mortis fortuna nobile munus:
Post Athelstanum rebus momenta daturus.

XIII. ETHELSTANUS DEO ET SANCTIS GRATUS.

Ingulf. f. 878.

Sed malo legere Ethelstanum, Deo, Sanctisque supplicem; in Dominum Deum Sabaoth, victoriæ laudem refundentem; votumque, quod Beverlaci conceperat, exolventem. Et revera ille non promptior ad dandum, quàm ad liberandam fidem, fuit: nam *Domino largiente illi victoriam* (loquitur Ingulfus) *cultellum suum immunitate, quam nunc obtinet ille locus, Rex redemit: ac ad honorem Dei, cum multis aliis donariis, in immensum ditavit.* Quænam fuerit immunitas illa, quâ Ethelstani beneficio Beverlacensis Ecclesia gaudet, author non explicat. Recitat illam, qui sancti Joannis vitam digessit; ubi hæc de Ethelstano leguntur. *Rex igitur, adepto de inimicis triumpho, rediens, pacem sancto Ioannis, ab omnibus tenendam instituit: quam infringere, nulla ratione, ullo tempore, liceat. Unum milliare ad hanc pacem tenendam, metam statuens assignavit. Et qui hanc pacem in aliquo, vel erga aliquem, violare prasumeret: octo libras Ecclesia sancti Ioannis persolveret. Qui infra tres Cruces lapideas, ad introitum Beverlaci, ab eodem Rege erectas, pacem violaret, viginti quatuor libras persolveret. Qui verò infra cœmiterium, pacem Ecclesia infringeret, septuaginta duas libras persolvere arctaretur, pro satisfactione. Et qui in prasentia reliquiarum, nefas tale ausus fuerit committere: sólens Dei miserationi ac judicio committendus sit: & judicandus, sicut enormis languor, immensâ curatione indigens.*

Capgrav. in Ioanne Beverlacensi.

IMMUNITAS ECCLESIÆ BEVERLACENSIS.

REVERENTIA ERGA SACRAS RELIQUIAS.

Cum

XIV. Cum pacem audis Eeelesiæ concedi; puta Anglo-Saxonum dialecto asylum constitui: vix enim aliâ voce, antiqui sanctitatem loci exprimebant. Unde Camdenns, eum Beverlacum lustrat; Ethelstani pietatem in S. Joannem, enormiter efferens, hæc habet, de privilegio Ecclesiæ concesso. *Hujus* (sancti Joannis) *memoriam adeo sanctam habuerunt Reges, & pratipuè Athelstanus; & illum, ut Deum tutelarem ita coluit, postquam Danos fudisset: ut multis & magnis immunitatibus locum dotaverint, & asyli jus concesserint: quod ob aratis, & rerum capitalium suspectis, liberum & tutum erat perfugium. In quo statuebatur Cathedra, è Saxo, cum hac inscriptione:*

Camden. in Eborac.

Hæc sedes Lapidea Freedstoole
Dicitur .I. Pacis Cathedra: ad
Quam reus Fugiendo perveniens
Omnimodam habet securitatem.

Hanc omnimodam securitatem, sive libertatem concessit Ethelstanus: qui privilegium concedens, illam hoc dysticho pulchrè expressit, Anglicè:

As free make I thee:
As heart may thinke, or eye may see.

Ex hac Regis pietate locus; qui priùs, Ecclesiâ solùm, & peregrinorum hospitiis innotuerat; in justam oppidi magnitudinem crevit: ut scirent posteri, Sanctos in cœlo, nobis orantibus adesse, & eorundem suffragio Reges, populum, provincias aliquando beari. Quoties certè aspicio hujusmodi loca, quæ vel à Sanctis nomen; vel ab eorum meritis, amplitudinem acceperunt; toties Novatorum stupiditatem demiror; qui Sanctos in cœlo regnantes, & Deo familiariter fruentes; nulla nobis, aut conferre, aut contulisse beneficia, pertinaciter affirmant. Nam hoc paradoxo, omnium antiquorum Regum, dicta, scripta, facta, obliterari necessum est: & Calvinistæ, qui hodie templa, altaria, Cruces, imagines, vatiniano odio persequuntur, vocantque Papismi reliquias: possent æquo jure, etiam urbes, oppida, & infinita per Angliam loca demoliri, quæ nihil aliud, quàm Sanctorum cultum, suffragia, miracula; id est Papismum spirant, & loquuntur.

SANCTORUM MERITA CLAMANT URBES ET OPPIDA.

XV. Mortuo Scotorum Rege, Constantino, Malcolmus videtur successisse; sed Ethelstani beneficio regnavit: qui multò feliciùs beneficio usus, quàm prædecessor Constantinus; pacem provinciæ intulit, sui, regnique submissione: quod antiquus, sed obscurus author Ethelwerdus, non obscurè significat; cum supradictum prælium recenset: *Superantur*, inquit, *barbara passim turba, nec ultra dominari: post quos ultra pellie Oceani oru: nec non colla subdunt Scoti, paritérque Picti, uno solidantur Britannidis arva; undique pax, omniumq́, fœcundia rerum*, &c. Agnoscunt hanc subjectionem etiam Scriptores Scoti, licet illam extenuent: unde ad annum sequentem, hæc habet Gordonius: *Angli, ante paucos annos, Northumbriam, Cumbriam, & Vestmariam, victis ad Bromifeldum Scotis & Danis, suo imperio adjecerant. Nunc tandem cum Athelstano Rege Angliæ pacem constituit Malcolmus, ea conditione: ut Northumbria, Anglo Regi, Vestmaria: & Cumbria, Malcolmo cederent: sed qua penderent ab Anglo Rege titulo beneficiarii.* Ita ille.

Ethelwerd l. 4. c. 5.

SCOTI SUBDUNTUR.

Gordon. an. 938.

ANNUS CHRISTI 938.

LEONIS VII. PAPÆ 3.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 14.

I. SEQUITUR Christi annus nongentesimus trigesimus octavus, quo Henrici Saxoniæ Regis filius, Otho; qui Edgivam Ethelstani sororem duxerat; patre mortuo, solenni cærimoniâ, in Regem ungitur, atque coronatur. Ita saltem referunt Annales nostri: unde sic narrat Westmonasteriensis: *Anno gratiæ*, inquiens, *938. Otho Romanum adeptus imperium, imperavit annis triginta sex, qui continuò ad imperium promotus, Eadgivam, Æthelstani Regis sororem, in conjugium suscepit.* Hic aliqua corrigi possunt è supradictis. Imprimis Edgiva, Edoardi filia, Ethelstani soror, dudum ad Henricum Othonis parentem, missa est; & Henrico vivente, nupta filio: qui demum parente mortuo, ante biennium, nimirum Christi anno 936. in Germaniæ Regem ungitur: & hoc anno valde probabiliter, ex Edgiva prolem susceperat, quam suprà* recensui. Othonem illa nunquam Romanum Imperatorem vidit; sed Regem tantummodo, aut certè Germaniæ Imperatorem. Nam mortua dicitur, anno Christi nongentesimo quadragesimo septimo, ut ibi n. 14. & Otho non nisi anno Christi nongentesimo sexagesimo secundo, factus est Romanorum Imperator.

EDGIVA OTTONIS UXOR, SIVE EDGITHA.

Westm. hic.

vide an 927 n. 5.

* an. 911. 3

II. Sed quicquid sit, Ethelstanus & Otho, non tam sanguine, quàm Fide affines fuerunt: ut enim invocatione Sanctorum, nuncupatisque votis, Ethelstanus hostem pressit; Sic eisdem prorsus armis, pientissimè Otho pugnavit & vicit: quod quia facit ad Regiam Fidem; & suprà dixi, insignem Victoriam Sanctorum patrocinio obtentam, Ethelstano Regi. Vide similem Othoni simili modo concessam; cum Hunni Germanias infestarent, infinito numero, nec parem posset Otho Rex militem opponere. *Pugnaturus Otho* (scribit Ditmarus hujus sæculi author) *adversus eos in die sancti Laurentii Martyris; vovit eidem Sancto dedicare Episcopatum Mersepurgensem. Quando & exurgens post celebratam Missam, a sancto Udalrico Confessore, Episcopo Augustano, post sacram acceptam ab eo communionem; hastam sacram accepit, & pugnavit, & vicit.* Addit author alius: *Imperator Otho indici sanxit jejunium, ipsa die quæ tunc erat in vigilia S. Laurentii Martyris pro cujus interventu, sibi populoq́; suo, ipsum Deum poposcit esse refugium.* Ingens erat barbarorum exercitus: & *tanta multitudo Hungarorum* (inquit Flodoardus) *quantam tunc temporis viventium nemo se antea vidisse, in ulla regione profitebatur.* Quare multis opus erat precibus; quæ revera, Udalrico Episcopo jubente, Deo fusæ sunt; Sanctique in suppetias vocati. unde idem author sic:

OTTONIS & ETHELSTANI FIDES EADEM.

apud Baron an. 938. n. 7.

Roge apud Surium to. 5. 12 die Octob. apud Baron. suprà.

Baron. sup. n. 5.

III. *Ille autem* (Udalricus) *totum spatium noctis in oratione pernoctans; religiosas mulieres in civitate congregatas concitabat; ut una pars earum, cum Crucibus, ad Dominum devotè clamando intra circumirent: & altera pars clementiam Dei genitricis* MARIÆ *pro defensione populi, & pro liberatione civitatis, studiosissimè pavimento prostrata, flagitaret.* Placuit Deo hæc humilis supplicatio: & Otho ingentem de

Ubi suprà. n. 6.

prostrato hoste victoriam reportavit. Unde impletum est quod gentium Doctor ait: *Sancti per fidem castra etiam verterunt exterorum.* Et benè Otho Ethelstani sororem duxit, qui integrè professus est Germanam ejus Fidem.

ANNUS CHRISTI 939.

LEONIS VII. PAPÆ 4.

ETHELSTANI ANGLOR. REGIS 15.

I. Ethelstanus fundat monasteria.

AUctior imperio Ethelstanus, auxit etiam pietatis opera; gnarus eo modo sceptra firmari; & certiùs coronam capiti insidere, cùm caput & corona Christo serviunt. totus ergò est, in fundandis dotandisque Ecclesiis, quas Danorum impietas nuper dejecerat. & ut pœnitentis animi signa ostenderet; ubique pro animâ Edwini fratris, quem proscripserat, orari præcepit. *Westm. hic.* *Anno gratia* (inquit Westmonasteriensis) *nongentesimo trigesimo nono, Rex Anglorum Æthelstanus, pro anima fratris sui Eadwini; quem pravo usus consilio, in mari fecerat submergi, duo cœnobia, Middeltunense, & Michelenense, construi præcepit: & ea prædiis multis, & possessionibus ampliavit.* (Middeltunense, et Michelnense.) De priori monasterio dixi * suprà, cùm de septenni Ethelstani Regis pœnitentiâ, disserui; quia actum tunc de cœnobii fundatione: nunc autem illud absolutum, prædiisque auctum est; cum è Septentrione Rex victor rediisset. (*an. 934. 5.) Ideò Polydorus signanter dixit: *Adelstanus magno imperio potitus omne studium ad religionem colendam, ac pacem fovendam, suorumq; commodum augendum, contulit. Quippe duo ædificavit cœnobia monachorum ordinis Divi Benedicti; alterum apud Meltoniam, pagum Sarisburiensis diœcesis: alterum ad Michelneium vicum, Somersetti Comitatus, loco palustri. Ut nè monachi fortè hieme præsertim vagarentur, contra atque lex ordinis jubet. quando ipse locus, eo tempore adiri vix potest, nisi naviculâ: possessionibúsque utrumque locupletavit.* (*Polyd. l. 6. fol. 117.*)

II. Quæ contulerit Ethelstanus?

Quod ad monasterium attinet, in agro Somersetano situm; videtur hoc anno fundatum loco secretiori; & monachis auctum, qui Deum propitiarent eò intensiùs, quò à mortalium consuetudine secretiores erant. Id Malmesberiensis meliùs, quàm Polydorus expressit. *Author Micelneiensis monasterii,* inquit ipse, *idem, qui Middeltunensis: ubi eadem illectus causâ, similia contulit, & villarum, & reliquiarum. xenia. Eóque plùs, quòd Monachi liberius cœlestibus possunt excubare secretis; quò minùs frequentantur hominum conventiculis. Est enim aditu difficilis: permeaturque æstate, pede, vel equo plerumque; hieme nunquam.* (*Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 215.*) hæc ille. Dixi suprà, quas Sanctorum reliquias Æthelstanus Middeltunensi cœnobio contulerit: & similes huic cœnobio dedisse, ad novi templi structuram, & sæculorum more, & è supradictis verbis, docemur. Si quæris quò tandem monasterium istud devenit? aptè respondet Camdenus, locum sitúmque describens: *Inellus,* inquit, *& Pedredus, confluentes rivi, Insulam amœnam moliuntur Muchelney; id est, Insula magna, dictam. In qua parietinæ visuntur veteris monasterii, quod Athelstanum Regem construxisse memorant Scriptores.* (*Camden. in Somerset.*) Ita est; in parietinas & rudera, majorum pietas, modernorum impietate, desiit: & multum à Regiâ Fide deflexit ille, qui structa à Regibus monasteria, destruxit, viamque eo facto fecit, omnem religionis cultum evertendi, quod nunquam meliùs, quàm hodie cernitur.

III.

Contra, *Ethelstanus omne studium ad religionem augendam* (inquit Polydorus) *posuit; nec potuit; impensiùs illam augere, quam monasteriorum extructione.* ideò suprà * dixit Malmesburiensis: *Vix aliquod in Anglia vetustum monasterium fuit, quod non vel ædificiis, vel ornamentis, vel libris, aut prædiis, decorarit. Ita recentia ex professo, vetusta, quasi aliud agens, artifici benignitate insigniebat.* (* an. 931. 2.) Agnoscit hanc Regis munificentiam Ingulfus, Croylandensis Abbas: & quia cœnobium illud, quondam illustrissimum, Danorum furias senserat, ut suprà *: & monachi, vel ab infidelibus occisi, vel aliò ferè omnes concesserant; Ethelstanus eos colligere, cœnobium reparare, & prædia restituere, hoc tempore, certissimis argumentis cœpit: (* an. 870. n. 6. &c.) quod ita Ingulfus refert, cum Scotos ab eo debellatos, dixisset: *Hoc bello,* inquit, *prosperè consummato, non erat, qui de cætero, Regem auderet offendere in aliquo. Sed deinde sororibus nuptui tradendis intentus; etiam omnia monasteria Angliæ, tam vetera, quam nova, meliorare, ac promovere aliquo speciali donario insudavit.* (*Ingulf f. 871*) *Abbatem quoque Croyland Godricum adhuc superstitem, sed longo senio gravatum, cæterosq; confratres suos, tunc ad numerum septenarium, de viginti octo diminutos, in suam curiam assumens; monasterium Croylandiæ restaurare proposuit; sed præpopera morte præventus; fratribus suis suum propositum perficiendum reliquit.* Hæc ille. Ut reverà Ethelstani frater, & Rex Edredus, monasterium illud, propositumque perfecerit, dicam infra suo loco.

IV.

Interim lego in Annalibus Hidæ, Ethelstanum illi quoque cœnobio fecisse benè, suáque authoritate confirmasse censum perpetuum. Ibi enim visitur hæc inscriptio, & legitur infrascripta charta.

Ista traditio viginti Hidarum, de Chyseldene, debet scribi in tempore Ethelstani Regis.

Charta Ethelstani pro monasterio Wyntonien.

*IN nomine Domini. Familia monasterii Sancti Salvatoris in Wentana civitate, ubi corpora gloriosorum Regum Alfredi, & Edoardi, sepulta quiescunt; cum consensu, & devotione Athelstani, Angel-Saxonum gloriosissimi Regis, Alfredo ministro suo, commodando commodat viginti cassatos: in loco qui dicitur Chyselden. Et ipse Alfred dedit præfata familiæ, octoginta mancusas auri obrizi. etiam, & ea conditione; ut, omni anno, die obitus Odoardi gloriosissimi Regis, ad monasterium præfatum adferat octoginta solidos, & * meris denariis. Maneat autem ista prædicta terra, Alfredo & suis heredibus, absque incommodatione; quamdiu hic census prænominato adimpleatur. Et si quislibet, ex suis heredibus; prædicto die, censum non reddet, emendet eum sexaginta denariis; insuper & censum reddat. Si autem dies prænominatus negligatur; emendet cum viginti solidis, insuper censum solvat. Si autem tertio neglexerit: sciat se terram dimissurum, nisi cum satisfactione, & pecunia placabit, à familia prædicti monasterii Sancti Salvatoris iterum adquirat.* (* locus corruptus)

† *Ego Æthelstan Rex.* † *Ego Eadwine Clito.* † *VVarulfe Sacerdos.* † *Usa.* † *VValtere.* † *Cuulaf.* † *Hildewine.*

† *Hildewine.* † *VVulfstan.* † *Eadulf.* † *VVigferd Diaconus.* † *Eadhelme Diacon.* Sequuntur plura nomina, quæ contractum fortè firmare olim potuerunt; nunc vix sine legentium fastidio efferri. Addo, nullum inter ea, aut Episcopi, aut Abbatis oomen.

V. REDEWARDUS EPISCOP. EBORACENSIS MORITUR. Moritur hoc tempore, Redewardus Eboracensis Episcopus; cùm ab anno Christi nongentesimo vigesimo primo, dictæ Ecclesiæ præfuisset: & in sedem ejus ascendit Wulstanus, operâ Ethelstani Regis, ut scribit Godwinus in Catalogo; unde Fastos corrige, qui ejus ingressum rejiciuot post annos duos. quod stare oon potest cum narratione Westmonasteriensis, qui anno oongentesimo quadragesimo, eum Eboracensem Episcopum vocat. Meliùs ergò hac vice Godwinus: *Athelstani Regis operâ*, inquit, *Wulstanus Eboracensis sedis gubernaculo admotus est: à quo impetravit Agmunderns, à Danis pretio emptam.* Quod ad hunc annum referendum est; quo Rex post adeptam in Septentrione victoriam, totus est in oenandis ampliandisque Ecclesiis. Sic viam sibi ad immortalitatem parans. Quæ, quo securior esset, iterum latis de novo legibus, regnum munivit: & inter cæteras, unam tulit, qua singulis sextis feriis, pro Rege orandum, Deúmque illi propitiandum, quinquaginta psalmorum recitatiooe edixit; tunc cum Exoniæ Christi natalitia, cum regni Proceribus, de more, celebraret; provinciæ, civiúmque quieti consulturus. Nam inde hæc scripsisse dicitur in Reipub. commodum.

Godw. in Eboracen.

VI. ETHELSTANI EDICTUM apud Lambardum in Ethelstano. *Ego Æthelstanus Rex, omnibus clarè significo; me diligenter causam inquisivisse; quamobrem non perinde servaretur pax nostra, atque ipse cupiebam, ac Gratanlea sancitum fuerat. Atque à regni mei scientissimis, hoc tuli responsum: id nimia mea patientia, ac scelerum impunitate, accidisse. Nuper verò cum festo natalis Domini Exonia sapientibus stipatus commorater; omnes deprehendi quàm paratissimos, seipsos, conjuges, liberos, ac fortunas suas omnes, in extremum offerre discrimen: ut isti tandem pacis violatores, regno, haud unquam redituri, pellerentur. Ac si eorum aliquis, posteain regno deprehenderetur, pariter, ac quiest in furto manifestè deprehensus, plecteretur. Atque ut si eorum, aut servorum suorum alicui, quisquam imposterum suppetias attulerit; aut ad eos quemquam allegarit; vita, & rebus suis omnibus privaretur. Hinc enim, neque aliunde, oriri existimamus; ut toties imposita violentur juramenta, deserantur vades, ac denique dolo polluantur pignora.* Inde cum pauca aliqua, de servorum alienorum admissione, & mulcta sanxisset: mox addit: *Porrò autem singulo quoque Veneris die, cantantor ab omnibus Dei ministris, in omni templo, psalmi quinquaginta, pro Rege ipso, omnibus amore eum prosequentibus; & aliis, qui de eis benè promerentur quibuscumque.*

ORANDUM PRO REGE.

VII. UT ECCLESIAM REVERIT' ETHELSTANUS? Inde præscribit Rex, quid de singulorum capitum æstimatione censendum, cum in lege, mulcta pro capitis æstimatione præscribitur. Et quia inde colligere est, quantâ revereoriâ Ecclesiam, & viros Ecclesiasticos prosecutus sit; non erit alienum ab instituto, hæc pauca subjicere. *Regiæ capitis æstimatio*, inquit, *jure Anglorum communi, triginta Thrymsarum millibus constat. quorum millia quindecim capitis æstimationi, reliqua regni nomine debentur: hæc ad gentem, illa ad cognatos pertinent. Archiepiscopus, aut Satrapa, quindecim Thrymsarum millibus æstimator. Episcopus, aut Senator Thrymsarum millibus octo. Belli Imperator, aut summus præfectus; quatuor Thrymsarum millibus. Sacris initiatus, aut thanus, duobus Thrymsarum millibus æstimator. Paganum Dani ducentis sexaginta septem Thrymsis æstimant. Wallus, si in eas opes creverit, ut familiam alat, fundum possideat, annuumq; Regi censum pendat, ducentis viginti solidis valeto. Atque si dimidiatam tantummodo terræ hidam possederit; octoginta solidis æstimator. Quin si terram prorsus nullam habuerit, capitis tamen æstimatio (si quidem is fuerit ingenuus) septuaginta solidorum esto. Paganus, si adeo affluentibus ditetur bonis, ut terræ hidas quinque possideat: ejus vitæ pretium (si occidatur) duobus Thrymsarum millibus æstimator. Sin præterea loricam, galeam, ensemq; habuerit auratum, pro custode pagano (etsi fundum non possederit) habetor. Atque si filii, aut nepotes ejus, eò divitiarum creverint, ut terræ hidas quinque possideant; totum posteri omnes, eodem atque præpositus paganus, loco numerantor: ac singuli duo Thrymsarum millia valento.*

Thrymsa, trium solidorum nummus est.

Ubi suprà.

VIII. *Paganum mercii ducentis solidis æstimant: Thanum mille ducentis. Unicam mercii ac simplicem Regii capitis æstimationem, cum Thanorum millibus sex æquare solent, id est, triginta * Scatis. Tanti est etenim regii capitis æstimatio: tantundem etiam ad compensandum mortem solvi oportet. Atque capitis æstimatio cognatis Regiis debetur: ipsa autem mortis compensatio, populi est propria. Tanti ejus, qui mille ducentis solidis æstimatur, valeto jusjurandum; quanti paganorum sex. Etenim si ejus repetendæ essent occisi pœnæ, satis supérque darent pœnarum, pagani seni. Quapropter illius, atque eorum omnium æstimatio una, atque eadem esto. Angli Sacerdotem æquè ac Thanum æstimant: Nos etiam septem divinorum officiorum gratia; ad quæ Dei beneficio tanquam gradibus effertur, Thani eum in loco numeremus.* Hactenus ibi.

*** argenti summa quæ quinque millia continet.**

SACERDOS PRO THANO HABENDUS. Cæterùm Thanus, qui in Saxonum legibus toties nominatur, vel nobilem significat, vel in magistratu aliquo constitutum, vel certè ministrum Regium; eum inquam, qui Principem ex officio, comitatur. Unde Hector Boetius, dicit Malcolmum Scotiæ Regem Thanos suos, titulo Comitum honestasse. Porrò à Normannorum ingressu, Thani illi, apud nos, in Barones desiisse videntur. **THANUS QUID?** Quod si Saxonicam vocem, à Thegn derivamus, quod servire est, vel potiùs famulari: tunc equites aurati, qui ob nobile obsequium Regi, aut Reip. præstitum, creari solebant; optimè Thanorum appellatione intelliguntur. Quicquid dixeris, antiquam audis pietatem, cum Thanis Sacerdotes æquantur: qui olim, hoc est, Ethelstani sæculo, cum Comitibus & Baronibus; postea, sub frigidiore Normannorum cælo, eum in equestri dignitate constitutis; unde pari cum eis prænomine gaudebant, & censebantur. Nunc autem, ille ipse Sacerdos, qui Saxonum sæculo *MÆSSE PREOST*, dicebatur, omni honore graduque spoliatus, in contemptu est, & omnium peripsema. Adeo majorum pietas, fides & religio vitium fecit, desiitque in perfidiam.

IX. ALIÆ ETHELSTANI LEGES. Fox in Ethel fol. 149. Sunt & aliæ, præter recitatas à Lambardo, Ethelstani leges; quæ Ecclesiæ reverentiam clarè loquuntur. Joannes Foxius ita illas refert: *Episcopo jure pertinet omnem rectitudinem promovere, Dei videlicet, ac sæculi. Imprimis debet omnem ordinatum instruere, quid ei sit agendum jure: & quid*

EPISCOPI MUNUS.

*hominibus sæcularibus judicare debeant. Debet etiam sedulò pacem, & concordiam operari, cum sæculi judicibus, qui rectum velle diligunt, & in compellationum allegationem edocere: nè quis aliis perperam agat, in jurejurando, vel Ordalio. Nec pati debet aliquam circumventionem injusta mensura, vel injusti ponderis. Sed convenit, ut per consilium, & testimonium ejus, omne legis rectum, & burgimensura, & omne pondus, sit secundum * ditionem ejus; institutum valde rectum, ut quis proximum suum seducat: pro quo decidat in peccatum. Et semper debet Christianis providere contra omnia, quæ prædicta sunt: & ideo debet se de pluribus intromittere: ut sciat quomodo grex agat, quem ad Dei manum custodire suscepit; ne diabolus eum dilaniet, nec malum aliquod superseminet.* Optimè de Episcopis cautum: qui, ut nomen ipsum significat, superintendere debent rebus omnibus, quæ ad gregis commodum, & utramque felicitatem spectant: Quod si de Fide, de Ecclesia, de moribus, de sano perversóve sensu religionis agitur: tunc imprimis, & ante omnes, audiri debent Episcopi; nè diabolus gregem dilaniet, aut malum aliquod superseminet. Nunquam enim, nisi illis dormientibus, inimicus homo zizania miscet. Quod si contingat illos, suo gradu, aut subsellio moveri: quod hocce tantum sæculo factum: Deus bone quot opinionum monstra, quem errorum Oceanum, succedere necessum est: cum libera diabolo potestas conceditur, superseminandi pro arbitrio, quodlibet. Sed lætiora videamus: nam tristissima Anglicanæ Ecclesiæ facies, quæ hodierno plebiscito deformatur; luctu, lacrymisque meliùs quàm verbis exprimitur.

* alias dictionem.

X. *Hinc debent Episcopi* (pergit Ethelstanus) *cum judicibus, judicia dictitare, & interesse. ne permittant* (si possint) *ut illinc aliqua pravitatum gramina pullulent. Et Sacerdotibus pertinet, in sua diœcesi; ut ad rectum sedulò quemcunque juvent: nec patiantur, si possint, ut Christianus aliquis alii noceat: nec potens impotenti, non summus infimo: non prælati subditis: non dominus hominibus suis, servis, aut liberis. Et secundùm ditionem, & per mensuram suam, convenit per rectum; ut necessaria servi operentur super omnem scyram, cui præest. Et rectum est, ut sit aliqua mensurabilis virga longior, quam alia: sed per Episcopi mensuram, omnes instituta sint, & exequata per suam diœcesim: & omne pondus constet secundum dictionem ejus: & si aliquid controversiarum intersit, discernat Episcopus.* Hæc omnia de Episcopia Ethelstanus, Magnum Constantinum sequutus, & Imperatores optimos; qui legum figendarum, & refigendarum potestatem, penes Episcopos imprimis esse, sanctissimè decreverunt. Unde factum, ut Regia, hoc est Romana & orthodoxa Fides, una hactenus manserit, per decem, ut vidimus, sæcula. Ubi autem nova factio huncmorem evertit; novam Fidem, novam Ecclesiæ faciem, novos ritus, ab omni antiquitate alienos, è nova judiciorum forma emergere, cur miramur?

XI. ETHELSTANUS ACCUSATUR A SECTARIIS. *Fox in Ethelstano f. 149.*

Cum Ethelstani Leges Foxius recitasset; cætera Regem laudans, tamen nævum unum se putat in factis ejus reperisse: nimirum, quod monasteria, non tantùm pro vivis, sed pro defunctis etiam erexerit. Sic enim ait: *Tot fundasse cœnobia, quomodo stet cum gratiâ & veritate Evangelii Christi, & Passionis ejus; videat Lector, & examinet.* Sed non est opus majorum nostrorum facta, tanta sæculorum sanctitate probata, iterum in judicium vocare. Dudum illa probavit sancta mater Ecclesia; quam, nisi Ethnici simus, monente Evangelio, audire debemus. Ibi etiam docemur facere dignos fructus pœnitentiæ. & priùs docti sumus, *Sanctam & salubrem cogitationem esse, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Nec Christi passioni præjudicant pia opera, sed germanissimè ancillantur. Quis enim dicet peccasse Paulum, gentium Doctorem, cum implevit *ea quæ deerant passionum Christi.* Facessant ergo Novatores, nec Ethelstano litem intentent; quòd tot monasteria fundaverit, aut vivorum suffragia crediderit mortuis profutura: quia sic, non tantùm Saxonum Reges omnes à Gregorio doctos; sed Lucios etiam & Constantinos, deberemus ad modernæ factionis subsellia vocare: nam illi monasteria fundaverunt, & ornaverunt Ecclesias; ut *defuncti precationum, quæ ad Apostolorum gloriam offerendæ erant, efficerentur participes.* ut disertè Eusebius: & ego suprà * cum Constantinum sepelivi, dixi laudatissimum Principem hujuscemodi operibus docuisse consequentes eum Reges, & piè & orthodoxè mori.

DEFENDITUR.

Machab. l. 2. c. 12.

SUFFRAGIA PRO DEFUNCTIS.

Coloss. 1. 24.

Euseb. l. 4. c. 40.

* an. 337. n. 1.

XII. SECTARIORUM COROLLARIUM REJICITUR.

Peccat iterum in Ethelstanum Vulpius noster, dum leges ab eo latas recitat, Lectorem jubet advertere: Penes Principes fuisse potestatem in Ecclesias, quibus Leges & præcepta dictabant. Recitat Ethelstani Regis prœmium; quod suprà * posui: & incipit: *Ego Ethelstanus Rex, ex prudenti Wulfhelmi Archiepiscopi, aliorumque Episcoporum meorum consilio mando,* &c. quæ latinè quidem satis ingenuè recenset: sed Anglicè reddens, ait: Ego Ethelstanus Rex mando, omisso Wulfhelmi & Episcoporum consilio: ut magna illa aranearum tela quam texuit, muscæ saltem, hoc est imperiti, & latinam linguam ignorantes, caperentur. Dico igitur, non aliud in ferendis legibus Ethelstanum fecisse: quàm factum olim à Magno Constantino, optimorum Regum prototypo: scriptisque literis, monuit, suasit, jussit, sacrosanctum esse. Et verò hoc decet Principem; & ideo gladium portat, ut quoties rebelles filii, jussa Ecclesiæ parentis suæ, audire negligunt; aut suavi matris imperio nolunt cedere; premat eos fortiùs, & cogat audire. Vulpem ergo egit Foxius; cum misso Episcoporum consilio, Ethelstani brachium implorantium, condendarum legum Ecclesiasticarum jus penes unum Ethelstanum Dictatorem fuisse, affirmat.

* an. 928. 3.

XIII. MORITUR LEO PAPA. STEPHANUS IX. SUCCEDIT

Hoc eodem anno, moritur Leo Rom. Pontifex, cum sedisset annos tres, & menses sex. In ejus locum assumitur Stephanus, eo nomine nonus. ab aliquibus octavus tantùm nominatus, patria Germanus: * qui tot omnino annos, tot ferè menses, quot Leo prædecessor, Romanam Sedem implevit.

ANNUS CHRISTI 940.

STEPHANI IX. PAPÆ I.

ETHELSTANI ANGLORUM REG. 16.

I. MORITUR ETHELSTANUS REX.

QUI sequitur Christi annus nongentesimus quadragesimus, Ethelstani Regis morte notatur. Qui cùm sedecim annos regnasset; & decimum septimum inchoasset; morti tributum, & Deo animam reddidit: vir non temporali solùm, & paucorum annorum coronâ, sed æternâ dignus; qui Ecclesiæ pacem, civibus gaudia, sibi immortale nomen, ob piè fortiterque gesta; peperit. De ejus morte hæc habet Hovedenus: *Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo quadragesimo, strenuus & gloriosus Rex Anglorum, Athelstanus; anno decimo sexto regni sui, Indictione decima quarta, sexto Calendas Novembris, feria quarta, apud Glavornam vita decessit, & ad Maidulfi urbem delatus, honorificè est tumulatus.* quem hic author vocat annum regni decimum sextum, è die mortis, & Indictione apposita, de anno completo intelligendum esse, patet è regni exordio. Unde non minùs rectè mortuus dicitur anno regni decimo septimo, nimirum inchoato: quod etiam de Indictione decimâ quartâ dicendum: quæ non hujus anni exordio, sed fini præcedentis respondet. Hinc Ingulfus, author antiquior; cùm dixit Ethelstanum *præproperâ* morte præventum, fratribus suis restaurandæ Croylandiæ propositum reliquisse, addit: *Anno ergò decimo septimo regni sui obiit; & Malmesbyriæ sepelitur.*

Hoveden. fol. 422.

II. EIUS ELOGIA.

Verè dixit præproperâ morte præventum; quia magnum sui desiderium civibus reliquit, qui diuturniorem illi vitam precabantur. Unde Guiliel. mus Malmesburiensis, patronum deflens, & cum honore in suo monasterio sepeliens, hæc habet. *Vita termino expleto, & quidem immaturo; Athelstanus Glocestriæ diem clausit. Exuviæ triumphales Malmesburiam delatæ, & sub altari cumulatæ sunt. Portata ante corpus, multa in argento, & auro donaria: simul & Sanctorum reliquiæ, de Transmarinâ Britanniâ emptæ. In talibus enim patris thesauros, quos ille diu coacervatos, & intactos reliquerat, consumpsit: somnio, ut ferunt, admonitus. Vir, qui parùm ætati vixit, multùm gloriæ.* Ita brevi elogio, Ethelstani laudes, & vitæ terminum clausit. Ego addo, Constantini Fidem, pietatem, mortem denique, egregiè imitatum esse. Nam ut Imperator ille, undique conquisitas Martyrum, & Apostolorum reliquias, piè veneratus est: & cum eisdem voluit sepeliri, *incredibili fidei propensione providens* (loquitur Eusebius) *cum jam corpus suum communem cum Apostolis appellationem participaret: fore ut defunctus quoque, precationum, quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur.* Hac eadem *incredibili fidei propensione*; Ethelstanus, Sanctorum reliquias quæsivit; illis ornari Ecclesiam voluit: & denique inter illas; ut Constantinus inter duodecim * cappas, sepeliri.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 6. fine.

Eusеb. l. 4. c. 60.

* v. an 337. n. 4.

III. CROYLANDENSES MONACHI DISPERGUNTUR.

Mortalis hic annus, etiam Croylandensibus fuit; ubi monachi tantùm octo, qui Danorum crudelitatem fugerant, monasterii ruinas, & rudera servabant; spe venturum aliquando prophetam, *qui responderet de eis.* Sed cùm Ethelstanum mortuum audissent, qui illos in spem erexerat: vel petiverunt animæ suæ, ut morerentur; aut aliò migrare statuerunt. præsertim cum Godricus eorum Abbas, vitam cum morte commutasset. Dicat hoc Ingulphus, qui Godricum in Abbatis dignitate sequutus est. *Eodem anno* (quo moritur Ethelstanus) *Godricus Abbas Croylandiæ obiit: infráque duos menses obitus sui, duo eum sequuti sunt; id est, frater Swеynus, & frater Osgotus. Remanseruntq; quinque senes: id est frater Charenbaldus, frater Swarlingus, frater Thurgarus, frater Brunus, & frater Aio. Quorum isti duo ultimi; cernentes Regem Ethelstanum suum patronum, ac Abbatem suum Godricum, in fata cessisse; de monasterii sui relevatione, ac spiritualium filiorum successione, penitùs desperantes; relicto fratrum suorum contubernio, prior monasterium Wintoniæ, secundus monasterium Malmesbiriæ adiens: uterque & in eorum conventum receptus, & aliquot annis retentus est. Verùm trium fratrum, in monasterio Croylandiæ remanentium Sancta Trinitas, semper in Domino confidebat; quod aliquando memor misericordiæ suæ, mitteret eis aliquem Salvatorem; qui tam sanctum locum sanctissimi Confessoris sui Guthlaci sacras reliquias continentem, in pristinum statum relevaret; & spirituali sobole suum sacratissimum monasterium fœcundum faceret; ac fratres suos jam dispersos, iterum juxta suum complacitum congregaret.* Quomodo id factum sit, authore Turketulo, qui nuper in Scotos, Danosque fortiter pugnaverat, dicemus inferiùs. Interim Ethelstano successorem dabimus.

1 Machab. 4. v. 46.

Ingulf. f. 871

EDMUNDUS ANGLORUM REX.

IV. EDMUNDUS REGNAT.

Ethelstano sine liberis mortuo, Edmundus successit; Edoardi senioris è tertiâ conjuge, filius, & defuncti Regis frater. de quo ita Malmesburiensis: *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quadragesimo, Edmundus frater Athelstani, adolescens octodecim circiter annorum, tenuit regnum annis sex, & semis.* Hic etiam Rex, priorum Regum pietatem secutus, & virtutem bellicam æmulatus; parvo quo regnavit tempore, magnam sui nominis famam collegit; fidémque orthodoxam professus est illustrissimis argumentis. Primo regni sui tempore, virginem sibi in conjugem elegit, tam sanguine illustrem, quàm vitæ sanctitate, Elfgivam nomine: quam [a] Westmonasteriensis Algivàm, [b] Ethelwerdus Elfgium vocant, [c] Wigorniensis Alfgivam: omnes, ut post videbitur, Sanctam cognominant. E qua Edmundus duos filios suscepit, Edwium, & Edgarum; de quibus infrà sæpè dicendum. Nunc enim tumultuantes Dani Edmundum cogunt ab uxoriis amplexibus paululum divertere, togam ponere, & cingi balteo. & ego debeo Principem comitari.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 7.

LAUDATUR.

a an. 943
b l. 4. c. 6.
c an. 943.

V. ANALAFUS ET DANI ANGLIAM VEXANT.

Dani itaque, qui Northumbriam habebant; Edmundi annos & ætatem numerantes; Anglorum jugum exuere, immunes à tributo esse, & summo jure in provinciâ dominari, satagunt; Iterum ergò Hibernos in factionis societatem vocant; & Analafum, quem nuper Ethelstanus ex Insulâ fugaverat; Northumbriæ regno liberaliter donant. Ille, tempore & potestate usus; in Britanniam trajicit, Eboracum petit, & inde victoriæ suæ trophæa explicat. Hoc statim ab Edmundi coronatione factum: nam ita Westmonasteriensis ad hunc annum: *Circa eosdem dies,* inquit, *Analafus*

genere Norwigensis, qui tempore Regis Æthelstani, de regno Northumbrorum ejectus fuerat: hoc anno, maximo comitatus navigio, Eboracum petivit. Deinde Australes Angliæ partes hostiliter adiens, subitò sibi regnum Angliæ subjugare disposuit. Quid inde factum, dicam anno sequenti; quia temporis ratio uon patitur, ea quæ sequuta sunt, ad hunc annum referri.

VI. MORITUR ELLA LICHFELDEN. EPS. SUCCEDIT ÆLFGARUS. ETHELSTANUS SCHIRB. MORITUR. QUIS ET QUANDO SUCCESSERIT?

Mortuus hoc anno ponitur in Fastis, Ælla, Lichfeldensis Episcopus; qui ab anno nongentesimo vigesimo octavo, Ecclesiæ præfuerat: & successorem habet Ælfgarum. Addunt Westmonasteriensis & Godwinus, obiisse quoque hoc anno Alfredum Schirburnensem Episcopum: verùm id supradictis obstat, ubi Ethelstanum Werstani successorem fecimus, anno 937. eum igitur nunc mortuum putamus: Et hoc dato, Ælfricus debuit successisse, qui frequens occurrit in chartis Regiis. Nam vacare diu debuit Schirburnensis Ecclesia; si Wulsius, aut Wulsinus (quod passim putatur) eidem successit. Nam ille primum à Dunstano, Londinensi Episcopo factus est cœnobii Westmonasteriensis Abbas; & inde ad majus Sacerdotium translatus. Non potuit ergo ante annum nongentesimum quinquagesimum octavum (quo Dunstanus Londini sedere cœpit) Abbas esse, nedum Episcopus. Hanc fortè ob causam, Fasti nullum Alfredo successorem assignant ante dictum annum. Non advertit hanc temporis differentiam Godwinus, qui affirmans Alfredum obiisse anno 940. mox addit: *Anno 940. Wulsinus Abbas Westmonasteriensis, Dunstani tum Londinensis operâ creatus, ad Schirburnensem ordinatus est.* Certum enim est, Dunstanum, sub exordia Regis Ethelstani natum, necdum sedecim annorum juvenem; infulæ admodum immaturum fuisse. Latebat ergo ille, hoc tempore, in Glastoniensibus latebris, & Deo serviens, ac dæmonem triumphans; sanctitatis odore provinciam impleverat; adeo ut Regis Edmondi curiam odor ille penetraverit; Regémque exciverit, ad Sancti contubernium expetendum. Quod optimus quisque cupiebat, quia nobiliter natus, & in virtutis palæstra piè educatus, Edmundo etiam Regi ferè coætaneus, pietatis exemplo prodesse omnibus poterat. Sic legendarios intelligo, & Westmonasteriensem ad hunc annum ita scribentem.

Godwin. in Sarisb.

VII. EDMUNDUS DUNSTANUM AMAT ET FOVET. Westm. hoc.

Cum Rex Edmundus regalibus insignibus esset sublimatus; Beatum Dunstanum, quem adhuc fratre superstite probabilis vitæ, & linguæ noverat expeditæ; suis consiliis interesse præcepit; ut inter palatinos Regios, principesq; connumeraretur electus. Sed monachus extra cellam, & virtus in palatio, facilè calumniam patiuntur. adeo varii sunt hominum genii, variæ oculorum acies; impetu, potiùs quàm ratione, facta metientium. Dunstanus ergo, in Regiam ab Edmundo invitatur, ibi virtutem suam explicat: colitur à plerisque: sed alii, quorum mores absimiles erant, sanctum juvenem persequentes; ex aula tandem ejecerunt: quod cum ingenti Edmundi Regis periculo factum. Narrat hæc omnia Osbernus, & refert Baronius ad hunc annum ita præfatus: *Hoc etiam anno, defuncto Ethelstano, Anglorum Rege, successit Edmundus: qui cum mox sanctum Dunstanum, suum consiliarium elegisset: sed suasione æmulorum ejecisset: suo didicit periculo, quanti Principes facere debeant viros veritatis amatores, Deum timentes.* Rem gestam exactè narrat Osbernus, in Dunstano verbis istis.

DUNSTANUS E CURIA PELLITUR.

Baron. hoc. n. 2.

VIII. Osber. apud Surium die 19. Maii.

Sublato ex hac vitâ Rege Ethelstano; successit ei in regnum Edmundus frater ejus. Hic post aliquot dies suæ consecrationis, missis nuntiis, rogat Dunstanum, venire ad se. Sciens quippe qua ratione, qua prudentia, qua omnis probi consilii gratia, præditus fuerit; magnopere desiderabat eum sibi proximum esse. Cujus industria fultus; tam se, quàm regnum sibi commissum, sub æquitatis virgâ faciliùs gubernaret. Dunstanus itaque Rego quasi præcellenti, secundùm Apostoli præceptum, obediendum esse perpendens; Regem adiit, & salva in omnibus reverentia ordinis sui, ejus imperio se subjecit. Ipse suo consilio, regni negotia disponebat: ipse lites & contentiones; si quando oriebantur; destruebat, ipse pacem & concordiam inter omnes nutriebat. Nullus in qualibet causa; unquam de injuriá sibi illata, conquestus est; si ad comprobandam judicis sententiam, Dunstanus mediator, aut arbiter, sederet. Rex ipse, & Princeps quisque, ita ei submissi erant; ut contra id, quod ipse juberet, ordinaret, nemo quicquam faceret. Magnus itaque habebatur à cunctis. Hæc omnium bonorum invidens hostis attendens: & quomodo ea turbaret, sua arte perquirens: invenit quosdam, quorum corda benè noverat, virum non sincerè diligere: sed ei speciatenus suum amorem prætendere. Hos ad dissipandum bona quæ non amabat, ardenter contra virum, inflammata; primùm clam, postea palam, ad detractionem ejus, illorum ora relaxat, Quid dicam? in tantam discordiam profecerunt verba malignantium; ut subversâ omni pace, Dunstanus non solum pristino honore privaretur; sed & curia depelleretur.

IX. DUNSTANI ÆTAS ET SACERDOTIUM.

Hæc Osberni narratio, Dunstanum virum facit, & magni consilii Angelum: quando post aliquot Regiæ consecrationis dies in aulam vocatur: paucorum tamen erat annorum: nemo ergò miretur à palatinis invidiam & calumnias passum, quòd natu majoribus præferretur. An sacerdotio, hoc tempore, initiatus sit, ab Elphego patruo, Wintoniensi Episcopo; non habeo dicere: quia tamen, statim Glastoniensi Abbatiâ, ab Edmundo donabitur: Sacerdotem autem tunc fuisse Ingulphus affirmat; si non omninò virum, magnæ sanè indolis juvenem, nunc fuisse, meritò colligimus. Iterum an pulsus è Curia, Floriacum ierit (& inde in Curiam revocatus sit) ad monasticæ disciplinæ perfectionem addiscendam: an verò, nunquam Floriaci resederit; quod nuper aliqui affirmarunt, controverti potest, ut * suprà innui. Cæterùm, quod ad præsens spectat, hanc revocationis causam Osbernus assignat: quod ejus merito, ingenti periculo defunctus sit Edmundus Rex. Sic enim narrat consequenter ad prædicta.

* an. 935. n. 3. &c.

X. EDMUNDUS A PERICULO MIRABILITER LIBERATUR. Osbern. sup.

Quo facto, die tertia (à pulso è Curia Dunstano) *Rex in silvam venatum ivit. Silva autem ipsa montem magnæ altitudinis occupat: Qui mons, in summitate sui interruptus, ingens præcipitium, & horridam abyssum offert. Cum igitur fugitantem cervum, hac, illacq; Rex insequeretur; cervus ad præruptum montis hiatum perveniens, introrsum ruit, at in partes discissus interiit: insectantes canes par ruina involvit. Equus, quem Rex sedebat, ruptis habenis, effrenis effectus, obstinato cursu, Regem post bestiam portans, ad ultimam sortem Regi præcepi, barathrum patens intentat. Ille trepidat & angustiatur. Occurrit interim animo, injuria Dunstano illata: ingemuit, & se quam citissimè illam multiplici commendatione*

correcturum

coreeturum, (solummodò imminentem sibi mortem, ejus meritu, ad horam avertat Deus) celeri mentis sponsione se compromisit. Cujus cordis præparationem auris Dei è vestigio audiens, illius misertus est. Equus namque illicò substitit, & Regem à periculo mortis liberatum, valdè gratiosum Deo reddidit. Inde ad hospitium Rex reversus, adunatis Principibus suis; res quæ acciderat, ordinem pandit: & Dunstanum cum honore & reverentiâ, adduci præcepit: actaque pœnitentia pro injuriis, quas illi intulerat: veniam ab eo cum humilitate postulat. Quâ potitus, fidum se amicum viro deinceps omni tempore futurum; nec ulteriùs cujusquam maledictis verbis de eo crediturum, pollicitus est. Subdit his de accepto, dono Regis, loco ædificandi monasterium: deque ejus erectione, quod Glastonia nuncupatur. Ita ex Osberno Baronius ad hunc annum.

XI. Verùm distinguenda sunt tempora; nec in unum annum hæc omnia compingenda. Dunstanus septendecim tantùm annorum (ut Osbernus, cæterique supputant) expectare poterit tres quatuorque annos: & tunc demum sacerdotio initiatus, Abbas creabitur; Glastoniense monasterium restituet, & monachos ibi Benedicti regulam docebit, vitámque cœnobiticam: anno quingentesimo sexagesimo, postquam Patricius ibi Abbatis officio fungi cœpit, ut Glastoniensis Chronologia apud Usserum computat. Cùm itaque * suprà diximus, Sanctum Patricium, anno quadringentesimo trigesimo nono, Glastoniæ quievisse: & infrà dicemus Edmundum Regem, anno nongentesimo quadragesimo quarto, Regium diploma, pro Glastoniensi monasterio confecisse; multò commodiùs, septem & quingentos interstitii annos numerabimus. Et interim Dunstanus poterit foris virtutem suam explicare, Odonem sequi, Floriacum adire: & inde disciplinam haurire, quam Glastonienses docebit. Nam divinæ Curiæ stylus est, doctores ita instruere; ut ordinario more, per alios, non extra ordinem, doceantur. Dunstanus ergò, qui Magni Benedicti regulam docebit illustrissimè; tempus habere debet, illam addiscendi. Non in Wiotoniensi monasterio: ubi adhuc monachorum penuria est: & Canonici sæculares ibidem adhuc principantur: ut colligi potest è Regio Edmundi diplomate hoc anno dato, quod est hujusmodi.

Usser primord. f. 825.
* an. 439 s.
* an. 944

Donatio villæ de Pevesey, concessa à Rege EDMUNDO fratre Regis ETHELSTANI novo Monasterio Wintoniæ.

XII. *Annales de Hida.*

EDMONDI DIPLOMA.

*IN Nomine Dei, & altissimi JESU CHRISTI. Regna Regum ab alto regente, cujus nutu cuncta cuncta in principio formata, præsentique vita tractu pollentes, licet primi protoplasti facinore violata, improbis successionibus deterioranda isthic degentibus vilescerent. Tamen pii conditoris arbitrio constat, illiusque miseratione nobis jacentibus in infimis, ad antra * paton salutem concepit duo inesse: quibus tantum humanorum constat effectus actuum: voluntas scilicet atque potestas. Ve his, qui ad cumulum misericordiæ, pietatisque, lucra terrena vertentes, & pro Christi nomine largien, gratulantur se temporaliter accepisse, quæ amittendo gratis perpetualiter, centuplicitere possidebunt. Sicut præclara hic voce nos admonet, dicens: Date, & dabitur vobis. Hujus scilicet fervore dilectionis * arctus; ejusque juvamine fretus: Ego Edmundus, divinâ favente gratiâ basileos Anglorum, cæterarúmque provinciarum in circuitu persistentium, primatum Regalis regiminis obtinens, literarum apicibus commendare procuravi: nè aut incuriâ Successorum meorum, aut invidiâ quâdam, aut perfidiâ, mea dicta vel facta, futuri successu temporis negarentur. & ad controversiam meis * successionibus demum aliquam maculam contagionis devenire possunt: Quod consentientibus nobilium meorum agminibus, Episcoporum, Comitum, cæterorumque fidelium testium, donabo Venerabili familiæ Vintoniæ civitatis, quæ habitat in monasterio, quod ibidem dedicatum est Deo, & sancto Petro Apostolo; donabo perpetuis temporibus triginta mansas, in illo loco, ubi ruricolæ appellativa relatione, nuncupant Pevesige: quatenus illa præfata familia habeat condictam terram, pro redemptione piaculorum patris mei, Edwardi Regis, cum omnibus, quæ ad ipsum locum pertinere dignoscuntur; tam in notis causis, quàm ignotis; in modicis, & in magnis, campis, pascuis, pratis, silvis, silvarumque densitatibus.*

* obscurus

* actus fortè

* successoribus.

XIII. *Sit autem prædictum rus, perpetuâ libertate liberum, ab omni mundiali censu, & Regali coactione, excepto communi labore, expeditione, pontis, arcisve coædificatione. Hoc autem tempore, cachinnantes nanias subdolosi hujus sæculi, intelliguntur interdum inchoasse alienum lucrum usurpative, cum ambitione iniquitatis vendicare. Sed torpentes, avaritia incessus, omnimodo in nomine a†gia ara†tonis, ab omnibus Christianis interdico. Ita ut meum donum corroboratum sit cum signa†culo sanctæ Cru†cis: etiam si quis alium aliquem antiquum librum in propatulo protulerit; nec sibi, nec aliis proficiat: sed in sempi†terno gra†phio deleatur: & cum justis non scribatur, nec audiatur. Sed tamen specialiter præfata congregationi prænominatam terram trado, ad repellendam nuditatem, quæ prævidenda est humanæ solicitudinis capacitati. Levius proinde indumenta vestimentorum adquirere possunt. Non tribuo ad pastum corporalis refectionis, nisi tantum anniversarium mei patris diem minimè in oblivione habeant: sed omnino impleant quod prædictum est. In cunctis verò successionibus, hoc jus donationis augendi amplificare satagerint; augeat amplificetque, cunctipatens genitor, in hoc præsenti sæculo, vitam illorum; & inter cælites, beati, felicesque, sine fine in æternâ doxâ lætentur. Sin autem, quod non optamus, hanc meam donationem infringere, vel mutare satagerint; horribiles inferni sibi valvas sentiant, atque terribile dæmonum cohortes, obtutibus indefinenter aspiciant, nisi priùs, dignâ Deo pœnitentiâ, veniam legali satisfactione emendent.*

XIV. Sequitur terminorum descriptio, quam omitto, quia ignota hodie locorum nomina, & aliud nihil exhibet. Non tamen omitti debet donationis firmitas, quæ in testium subscriptione, hoc sæculo consistebat. Subditur ergo:

Acta est hæc donatio, anno ab Incarnatione Domini nostri JESU CHRISTI nongentesimo quadragesimo, Indictione decimâ tertiâ. † Ego Eadmundus Rex Anglorum, præfatam donationem cum sigillo sanctæ Crucis confirmavi. † Ego Eadgifu ejusdem Regis mater, tropheum agiæ Crucis impressi. † Ego Eadred ejusdem Regis frater consignavi. Ego Wulphelm Dorobernensis Ecclesiæ Episcopus triumphalem trophæum agiæ Cru†cis impressi. † Ego Theodred Lundoniensis Ecclesiæ Episcopus, consignavi. † Ego Elphrah VVintoniensis Ecclesiæ Episcopus, triumphalem trophæum agiæ Cru†cis impressi. † Ego Cenwald prædictum donum consensi.

† Ego

† *Ego Oda Epiſcopus confirmavi.* † *Ego Ælfric Epiſcopus conſenſi.* † *Ego VVulſhelm Epiſcopus conſignavi.* † *Ego burgric Epiſcopus conſenſi.* † *Ego Æthelgar Epiſcopus roboravi.* † *Ælfhe Dux. VVlfgar Dux*, &c. Ducum, & miniſtrorum nomina non exſcribo.

XV. Genuinam eſſe regii diplomatis hoc tempore confecti chartam, nihil magis arguit, quàm ſtyli obſcuritas, quæ paſſim hoc ſæculo occurrit. Sed quod Wulfhelmus ſcribatur Dorovernenſis Epiſcopus, & Odo ſine ſede ſequatur, ſine dubio affictum eſt. Nam dudum Wulfhelmus ad meliorem vitam tranſierat, & Odo ex inferiori ad ſuperiorem ſedem. In cæteris Epiſcopis vix ulla difficultas: ſi Cenwald alio nomine vocaveris Kinewoldum Wigornienſem Epiſcopum, de
* n. 2. quo dixi anno 930.* Et Burgric externum aliquem Antiſtitem dixeris. Æthelgarus is eſt,
* n. 6. quem hoc anno * dixi Ællæ ſucceſſiſſe in Lichfeldenſi ſede. qui ab Authoribus paulò contractiùs, Ælfgarus vocatur. Ælfric Schirburnenſis videtur Antiſtes: qui vel Alfredo mortuo ſucceſſit; vel ipſemet Alfredus eſt: quod mallem opinari, ob
hic n. 6. rationem ſuprà * allatam: niſi quod anno 945. uterque Edmuodi Regiæ chartæ ſubſcriptus legatur, ut ibi. Unde probabiliter colligo, nunc, mortuo Ethelbaldo, Alfredum ſucceſſiſſe.

XVI. Cæterùm, è Regio hoc diplomate colligitur, Wintonienſem Eccleſiam, & monaſterium, cui facta donatio; penes Canonicos adhuc, & ſæcularem clerum fuiſſe. Nam nulla monachorum mentio, qui tamen ubique in donationibus nominantur. appellatur *Venerabilis familia VVintoniæ civitatis*, quæ propiùs in clerum cadit. Quapropter rectè poterit Edgarus, Edmundi filius, cum regno ſucceſſerit, dicere & ſcribere: *Ego Edgar*, &c. *primus omnium Regum, monachorum mihi collegium inſtituens*, &c. quæ dixit ſcripſitque anno Chriſti nongenteſimo ſexageſimo ſexto. Ex inde infero, Dunſtanum monachum, in Wintonienſi monaſterio, ad Magni Benedicti regulam formari non poſſe, ſed multò commodiùs in Floriacenſi cœnobio, ut Ingulphus expreſſit.

ANNUS CHRISTI 941.

STEPHANI IX. PAPÆ 2.

EDMUNDI ANGLORUM REG. 2.

I. EDMUNDUS IN ANALAFUM PUGNAT.

ANNO Chriſti Redemptoris oongenteſimo quadrageſimo primo, Edmundus Rex, cum Analafo Danorum Principe, creatóque nuper Northumbriæ Rege, congreditur. Qui in Mercios progreſſus, apud Legeceſtriam caſtra metatus, Edmundi copias excepit. Quis eventus fuerit initi certaminis, certant adhuc Authores: Malmeſburienſis, Edmundo Regi victoriam
Malmesb. de Reg. l. 2. c. 7. adjudicat, ita ſcribens: *At verò Edmundus, qui exſtimaret injuriam, ſi non fraterna victoria reliquias proſequeretur; copias contra deſertores ductitavit. Quibus mox loco cedentibus, omnes civitates citra Humbrum fluvium, ſua potentia redegit.* Ita ſine dubio factum poſtea. Hoc tamen primo congreſſu, Dani viciſſe potiùs, quàm loco ceſſiſſe, dicendi ſunt. Enimverò cum Regi adeſſent Odo Dorovernenſis, & Wulſtanus Eboracenſis Epiſcopi; pacis, quàm belli, ſtudioſiores; iis ſuadentibus, itum eſt in fœdera. quæ Edmundus, ex eorum magis, quàm ex ſuâ ſententiâ, admiſit. Conveniunt, inquam, ut Analafus Northumbriâ; cætera Inſulæ parte Edmundus potiretur. Sed & duriorem adhuc legem, ut ſanguini parceretur, refert Weſtmonaſterienſis, qui ita pugnantes Principes, & demum coëuntes facit. *Cùmque* Westm. an. 940.
hæc Regi nunciata fuiſſent, venit ei obviam cum copioſo exercitu: & apud Legeceſtriam, duo Reges hoſtiliter concurrentes, plurima diei parte, damnoſum nimis hinc inde prælium commiſerunt. Sed duo Archiepiſcopi, Otho Cantuarienſis, & VVulſtanus Eboracenſis; viſo utrimque periculo, & regni exterminio; talem inter eos concordiam compoſuerunt. Vt Analafus totam Angliæ Inſulam, ad borealem plagam Regia ſtrata, quæ VVatlinge dicitur, poſſideret. Edmundus verò ad Auſtralem ejuſdem callis partem, toto regno pacificè frueretur. Et qui inter eos vitam duceret longiorem; regnum totum poſt mortem alterius occuparet. Hæc ille. Similia habet Hovedenus.

ANALAFUS NORTHUMBRIA DONATUR.

II. Verùm non diu uſus eſt præſumptâ tyrannide Analafus. Etenim hoc ipſo anno, cùm non ſolùm Northumbriæ civibus gravis eſſet; ſed Sanctos etiam in cœlo regnantes, irritaſſet; à Deo juſſus eſt Magiſtratum depooere; illiſque reſignare, cujus natalibus imperium Inſulæ debebatur. Quod ita refert Weſtmonaſterienſis: *Anno gratiæ* Westmon. hic.
nongenteſimo quadrageſimo primo, Analafus, Rex nuper creatus, dum vaſtaret Eccleſiam Sancti Balteri, & Tinningham igne cremaret; mox Dei judicio correptus, vitam miſerabiliter terminavit: & Rex Edmundus, Northanhumbriam petens hoſtiliter, Analafum filium Sitbrici, & Reginaldum filium Cuthredi Regis, inde potenter expellens; monarchiam totius Angliæ iterum ſubjugavit. Qui Cuthredus hîc dicitur Reginaldi parens, Gurmundus debet intelligi. Sic enim intellexit, expreſſitque Malmeſburienſis. Verùm quis hic Sanctus Balterus, cæteris per Inſulam Sanctis impatientior; qui Aoalafo iratus, regnum illi, vitámque ſuſtulit; opinor, is ille eſt, quem noſtrum Martyrologium Baldredum vocavit, ſcripſitque Sanctum, ad vigeſimum nonum Martii. Nam ille io Tiningham ſepultus creditur. Enimverò, cum tria oppida certarent, oimirum Aldham, Tiningham, & Preſtoo; ſepulchrum mortuo dare; in tribus illis locis miraculo ſepultus, à fidelibus repertus eſt. Quod ergò de Eccleſiâ vaſtatâ, & incenſa Tinningha dicitur, ad huoc Sanctum, quocumque demum nomine vocandus ſit, reſerendum. ut olim etiam opinatus ſum, cum Baldredi mortem & ſanctitatem ad annum Chriſti ſexcenteſimum decimum, recenſui. quo anno noſtrum Martyrologium eum mortuum notat. Hovedenus tamen, opinor, rectiùs Balteri Anachoretæ mortem conſignat ad annum 756. Cæterùm ex Edmundi Regis vindicta; colligo Balteri Eccleſiam, & tria illa oppida, Northumbriæ juris fuiſſe. Quare cum Balterus in noſtro Martyrologio Scotus appellatur: & oppida illa in Scotia eſſe: nupera dialectus eſt. hoc enim tempore, omnis Laudonia ad Scotos pertinet: quæ, Edmundo regnante, ad Northumbrios ſpectabat.

III. Ooo Edmundum in Northumbriam comitatus

Sublato igitur mirabiliter Analafo, ſurrexit alter ejuſdem nominis; quem ſequenti anno Eadmundus Chriſto lucrabitur. Interim Edmundum Regem, in Northumbria, reviſamus, & ejus in

hac expeditione comites, Edredus, Edmundi frater, & in regno ſucceſſor; Odo etiam, Dorovernenſis Epiſcopus, cum Edmundo Rege, in Northumbriâ fuerunt. Ille, ut pugnantem fratrem adjuvaret: hic, ut conſilio, auxilióque, apud Deum, Regi victoriam de hoſtibus obtineret. Fuit & aliud quod Odonem eò traxit: nimirum, ut Sanctorum cineres, qui plurimi ibi erant, piè veneratus, colligeret: collectósque Danorum impietati ſubduceret. Sed malo audire Malmeſburienſem, hæc omnia meliùs explicantem:

Malmeſb. de Pont. l. 1. fol. 200. *Odo*, inquit, *ætate maturus, & canos ſanctitate nobilitans; non imparis amicitiæ, apud Edmundum, & Edredum, gratiam tulit: quia nihil illi moribus prætenderent, in quod rigor Epiſcopalis intentari deberet. Quin imò cum illis in Northanimbros profectus eſt, non ut prælia faceret: ſed ut Sanctorum ſacros cineres; quorum illa humus olim ferax fuerat, efferret. Unde factum eſt, ut præcellentiſſimi Patris Wilfridi dirutam per Danos, apud Ripenſem Eccleſiam dolenter conſpicatus; rumis ſuper mauſoleum eruderatis, reliquias Cantuariam reverenter transferret. Et ut clariſſimum patriæ jubar produceret in ſpeculum, heroico metro vitam illius texi mandavit. Executus eſt id munus Fridegodus quidam, verſibus non ita improbandus: niſi quod latinitatem peroſus, græcitatem amat, græcula verba frequentet, ut meritò dicta ejus aptetur illud Plautinum: Hæc quidem, præter Sibyllam leget nemo.*

IV. Ut certum eſt, Odonem in Northumbriam profectum, ſacras Wilfridi reliquias, inde ad ſuam Sedem tranſtuliſſe; quemadmodum in noſtro Martyrologio legitur, ad duodecimum Octobris, ita de anno factæ tranſlationis, controvertitur. Nam quidam ad annum Chriſti nongenteſimum quinquageſimum nonum: alii ad nongenteſimum quinquageſimum ſeptimum, factam ponunt. Sed quia ante annum nongenteſimum quinquageſimum nonum, moritur ſanctus Odo: & Malmesburienſis ſuprà ſatis inſinuat, ipſum cum Edmundo, & Edredo, profectum ad Northumbros; non potuit eo anno Wilfridum ſanctum transferre. Iterum, cùm Edmundus, & Edredus, mortui ſint ante annum nongenteſimum quinquageſimum ſeptimum, anterior debuit eſſe reliquiarum tranſlatio. Opinor ergo hoc anno ponendum, cùm mortuo mirabiliter Analaſo, Edmundus, Edredus, & Odo, in Northumbriâ fuiſſe memorantur. Corrige ergo circumſtantiam temporis, quæ in Wilfridi vitâ, apud Capgravium legitur (nam reliqua ſana ſunt) ubi Odonis factum hoc modo narratur:

Capg. in Wilfrido. *Proceſſu verò temporis, circa annum Domini nongenteſimum quinquageſimum nonum, Archiepiſcopus Cantuarienſis Odo, Eboracenſem provinciam adiens, apud Ripum pergit, monaſterii Beati Wilfridi deſolationem conſideraturus. & horridâ ſolitudine viſâ, lacrymis genas ſuas rigare cœpit. Ante illa enim tempora, hoſtilis Danorum incurſus, ipſam provinciam, demeritis incolarum exigentibus, occupavit; multa millia hominum interfecit: & omnia loca, monaſterio Sancti Wilfridi circumjacentia, ad inſtar ſolitudinis devaſtavit. Monaſterium ipſum pervaſum & dirutum; ferarum ac jumentorum ſordibus extitit ignominioſum: corpus Antiſtitis Sancti, omni honore privatum, inter ipſas ſordes, primo ſepulturæ ſuæ loco, manſit immotum.*

V. *Sanctus verò Odo, præmiſsâ ſupplicatione ad Deum; quod diu mente tractaverat, opere implere ſatagebat. Nam ſtatuto die, terram ubi Sancti Wilfridi corpus ſepultum jacebat, aperiunt; omnia oſſa cum pulvere reverenter levant: & Cantuariam ſecum, cum maximo honore, & lætitiâ transferunt. Nec tamen locus, quem ipſe Beatiſſimus Wilfridus Epiſcopus, dum in corpore degeret, præ cæteris amavit; ipſis reliquiis penitus privatur: aliquanta earum pars, ab eis eſt cum pulvere, in loco dimiſſa, atque in loco convenienti repoſita. Sanctus itaque Odo, Venerabiles Beati Petri reliquias, quas adduxerat, in majori altari, quod in honore Domini* Jesu-Christi *ſacratum erat, collocavit.* Hæc de tranſlatione reliquiarum, Author apud Capgravium, quæ non ad eum annum, quo referuntur, contingere potuerunt (cùm nec Odo, nec Edmundus, nec Edredus, eo anno ſupereſſent) ſed longè priùs.

Wilfridi sancti ossa transferuntur.

VI. *Fox Act & Mon. fol. 150. in Edmundo.* Eveshamensium Monachorum disperso.

Si Manuſcriptis creditur, quæ Novatores adferunt, hoc anno Chriſti nongenteſimo quadrageſimo primo, ut Foxius admarginat, Monachi Eveshamenſis cœnobii, per laicos, & clericos ſedibus ſuis moti ſunt, & ſæculares Canonici, in eorum locum ſubſtituti. quod ex antiquo Manuſcripto probat, ubi hæc leguntur: *Hujus Regis* (Edmundi) *tempore, facta eſt diſperſio Monachorum Eveshamenſis cœnobii, cum ſubſtitutione Canonicorum, per Athelmum, & Ulricum, laicos, & Oſulfum Epiſcopum.* Non eſt dubium, quin dæmone furente, & Dano ſæviente, Monachi paſſi ſint adverſa; eorum ædes deſtructæ, monaſteria deſerta, bona fiſco, & militi alendo diſtributa. Sic Monachorum diſperſionem intelligo: quibus loco cedentibus, clerici interdum, quos ſæculares vocant, in eorum ſedes intraverunt. Cæterùm valdè imperitè è verbis Manuſcripti Codicis infert Foxius, ducitque Lectorem ſuum, ante Dunſtani tempora, Epiſcoporum Sedes, & Cathedrales Eccleſias, à Monachis nunquam, ſed à Canonicis ſemper occupatas eſſe. poſtea tamen litem emerſiſſe, in quâ Monachi caſtitatem voventes, interdum ſuperiores, ſæpè tamen inferiores fuerunt: Canonicis (ſcilicet) in matrimonio conſtitutis. in monachorum etiam ſedibus, Eccleſiiſque ſubſtitutis. Hoc, inquam, imperitè admodum fingitur; cùm conſtet omnibus, & nunquam fuerit controverſum, Auguſtinum, Mellitum, Paulinum, Wilfridum, Cuthbertum, & alios innumeros monachos fuiſſe; & Epiſcopi ſedem impleviſſe. Imò idem Author, ſui immemor, pauló poſt, de Odone Cantuarienſi loquens; hæc ait: *Iſte Odo primus fuit ab adventu Saxonum, qui non monachus exiſtens, electus eſt Cantuarienſis Epiſcopus. Nam alii omnes ante eum, profeſſione monachi fuerunt. Tamen hic Odo, natione externus, poſt electionem, ut morem ſervaret, navigavit in Galliam, & monachum induit Floriaci.* Hæc de Odone verè dicuntur: ſed quomodo cum præcedentibus conſtent, ipſe viderit. Advertat interim Lector, indoctè ſemper Novatores philoſophari; quoties conjugatos Sacerdotes efferunt, ut Monachos premant; rati ſic miniſtrorum ſuorum conjugia, atque ita factionem ſuam firmari poſſe. Nam fingunt pro libitu præmiſſas (ut modò dictum) ut etiam pro libitu concludant. Quod nemo certè inficiari debet. Quod ſi verum eſt, concluſionem ſequi debiliorem partem, infirmiter valdè, in Canonicorum conjugiis, quæ impiiſſima

ſemper, imò nulla ſunt habita, Babelem ereaeruut.

VII. An Osulfus Monachos ejecerit?

Verùm quod ad Manuſcriptum ſpectat; importunè hoc loco, & Edmundo Rege, Monachorum diſperſio narratur facta per duos laicos; quibus nullum in monaſteria jus erat; & Oſulfum Wiltunenſem Epiſcopum, cui nulla etiam juris, extra diœceſim ſuam, dictio. Oſulfus in Occidentalium Saxonum regno Epiſcopus, Eveshamenſe monaſterium in Merciis; ferè dicunt figmentum eſſe: Porrò ad hunc annum, & Edmundi Regis tempore relatum, multò certiùs idevincitur. Nam ſtatim videbimus pium Principem, Monachos ad Glaſtonienſe cœnobium colligentem, Abbatem illis conſtituentem, terras & prædia iis dividentem, & regio diplomate omnia confirmantem. Dico igitur, ante Edmundi Regis tempora, & Dano provinciam vexante, diſperſos Monachos, cœnobium reliquiſſe: Et Epiſcopum, non Oſulfum, ſed Kmewoldum Wigornienſem, eidem Eveshamienſi Eccleſiæ, cùm Monachi non eſſent Sacerdotem præfeciſſe non monachum. Hoc ideo probabiliter dicitur, quia idem aliàs ſupra factum vidimus, & infrà ſæpiùs. Nam compoſitâ meliùs Rep. & auctis ornatiſque Eccleſiis, tum demum Monachi ſua repetent, & de jure diſputabunt.

ANNUS CHRISTI 942.

STEPHANI IX. PAPÆ 3.

EDMUNDI ANGL. REG. 3.

I. Ludovicus regno exutus a Pontifice restituitur.

ANNO Chriſti nongenteſimo quadrageſimo ſecundo, Ludovicus Francorum Rex, cognomento Tranſmarinus, quia in Britanniâ noſtrâ, cum Ethelſtano patruo educatus, à regni proceribus, regno tamdiu exuitur: donec Stephanus Romanus Pontifex, authoritate imperioque ſuo eum juſſit reſtitui; quod & factum eſt. *Legatus Stephani Papæ* (ita Flodoardus) *nomine Damaſus Epiſcopus; Roma ob hanc Legationem ordinatus, in Franciam venit: afferens literas Apoſtolicæ Sedis, ad Principes regni, cunctoſque Franciæ, vel Burgundiæ habitatores: ut reciperent Regem ſuum Ludovicum. Quod ſi neglexerint, & eum ampliùs hoſtili gladio perſecuti fuerint, excommunicationis depromens interminationem. Pro quâ re colloquentes Epiſcopi Rhemenſis diœceſis, cum Heriberto Comite, deprecati ſunt eum, ut intercederet apud Hugonem Principem, pro receptione Regis.* Pergit idem Author in ſequentibus dicere, Franciæ Principes, Stephano parentes, Ludovicum Regem admiſiſſe: unde doctè colligit Baronius, *quanti fecerint Principes Romani Pontificis authoritatem, omnibus innotuit.* Ego addo; totus Romanos Pontifices, pro Regibus contra rebelles ſubditos diſputaſſe: ut valdè mirum videatur, Regem inveniri, & Monarcham, qui ſedem illam non ſummè amet, ac veneretur. In Angliâ certè Romanorum Pontificum in Reges Inſulæ pietas, adeo in eo genere, eminuit; in reprimendis, inquam, rebellibus ſubditis, firmandóque ſceptro, ut ultrò Reges, & Annales omnes, id agnoverint. & nupero ſæculo ſatis apparuit eos maximè in Rom. Pontificem, & authoritatem ejus garrire, qui Reges & Monarchiam omnem oderunt. Adverto etiam, nullo poſt Chriſtum ſæculo, ita Rom. Pontificis nomen in obſcuro jacuiſſe, ut jacuit hoc decimo; ob præcedentium Pontificum impia facinora; & tamen orthodoxi Principes, per univerſum terrarum orbem, ſedis illius imperia agnoverunt: quod cœlitùs datæ poteſtatis ſummum argumentum eſt. Regna ſcimus, provincias, & Reſpublicas mutari; nunc Reges admittere, nunc Conſules; Dictatores, & Auguſtos: nunc eoſdem exuere: non ſolùm ab Urbe, ſed etiam ab Orbe condito. Ea tamen ſacro-ſanctæ Urbis, & illius à Chriſto fundatæ Reip. majeſtas eſt, & Petræ firmitas, ut quantumvis omni ſæculo, externi & domeſtici hoſtes, decumani etiam fluctus, in eam ſurrexerint: illa tamen per ſedecim ſæcula, eadem eſt, & mutari neſcia, tempeſtatem omnem innoxia excepit. quo nihil ad illius Eccleſiæ dignitatem aſſerendam dici poteſt illuſtrius.

apud Baron. hoc n. 1.

Ro. Pontifices Regibus favent.

Ideo rebelles cives nos perſequuntur.

II. Northumbri premuntur.

Hoc anno Edmundus Rex, Northumbros, & omnem ibi factionem egregiè preſſit: iis domitis, & in poteſtatem redactis, qui contra niti præſumpſerant. *Nam Analaſum, cum quodam Regnlo Reinaldo* (loquitur Malmeſburienſis) *filio illius Guthmundi, de quo in geſtis Alfredi tetigimus, animum Regis tentans; deditionem ſui obtulit, Chriſtianitatem fidei ſuæ obſidem proteſtans, & profeſſus. Sed non diu barbaricus animus in ſententiâ manſit; quin & Sacramentum læderet, & Dominum irritaret. Quamobrem anno ſequenti pulſus, perpetuo exilio pœnas luit. Provincia quæ vocatur Cumberland, Regi Scotorum Malcolmo ſub fidelitate juriſjurandi commendata eſt.* Hæc ille, quæ omnia ad hunc annum refert Gordonius, ita paucis Edmundi victoriam explicans: *Northumbri rebellant*, inquit, *& caſtigantur ab Edmundi Regis exercitu, in Angliâ & Hiberniâ.* Nimirum quia Analafus, Analafi ſucceſſor, profligatur: inde Edmundo Regi ſubditus, duplici ſubmiſſionis vinculo. Nam Edmundum, Regem agnovit in uno foro; & per baptiſmi gratiam, parentem in altero. De quo ſic ſcribit Huntindonius. *Eo tempore*, inquit, *obiit Rex Anlaf, de quo prædiximus. Poſtea verò Rex Edmundus ſuſcepit quendam alium Anlaf, Regem Dacorum, in Baptiſmate; tam viribus Regis cedentem, quàm prædicationi credentem. Et poſt paucos dies, Reginaldum Regem Eboracenſem: quia Eboracum conquiſierat, tenuit ad manum Epiſcopi.* Cæterùm quod ad Cumbriam ſpectat, datámque Malcolmo Scoto, meliùs id rejicitur in annum nongenteſimum quadrageſimum quintum, ut dicam ibi.

Malmeſb. de Reg. l. 2. c. 7.

Analafus baptizatur.

Gordon. hoc.

Huntind. l. 5 fol. 355.

III. Edmundus Danos ex urbibus pellit.

Rediens hoc anno è Septentrione Edmundus; Danos omnes, qui in Merciorum provinciâ plurimi erant, & in munitis urbibus conſiderant, juſſit excedere, urbeſque ſibi parere. Annum benè, & urbes, expreſſit Weſtmonaſterienſis, ita: *Anno gratiæ nongenteſimo quadrageſimo ſecundo, Rex Edmundus Lincolniam, Notingham, Derebi, Legeceſtriam, & Stanfordiam, de manibus Danorum eripiens, cum Merciâ totâ; omnia ſub ſuâ poteſtate redegit.* Addit Huntindonius, id magno provinciarum bono factum, cum orthodoxa fides, iis in locis, ſubmotis idolorum ſordibus, facta ſit illuſtrior. *Edmundus Rex*, inquit, *ducens exercitum,*

Weſtm. hoc.

Huntind. l. 5.

in illam partem Merce, qua paganis diu subdita fuerat, usque ad latissimum flumen Humbre; belli sorte Dacos vicit: & quinque urbes victoriosus cepit. Lincolniam, Legecestriam, & Stanfordiam, & Snotingham, & Derebi. Dacos igitur, qui etiam eo tempore, Normanni sunt vocati, penitus extirpavit; & ab urbibus prædictis, infidelitate remota, Dei gratiâ, Fidei fulgorem restituit.

IV. EDWIUS EDMUNDO NASCITUR.

Nascitur Edmundo hoc anno, ex Elsgivâ conjuge, primogenitus filius, & futurus, cum per ætatem licebit, regni heres, Edwius: de quo plura in sequentibus: ubi dicam tredecim annorum juvenem; regno, quidem, sed non paternis, aut avitis virtutibus, successisse.

V. MORITUR ELPHEGUS WELLENSIS EPS. SUCCEDIT WULFHELMUS.

Moritur, hoc anno, Elphegus, Wellensis Episcopus; & in ejus locum Wulfhelmus successit: de quibus hæc tantum Godwinus: *Hi duo, nuda nomina sine aliquâ rerum gestarum memoria, ad posteros transmiserunt.* Differt hic Elphegus, ab altero ejusdem nominis, qui etiamnum Wintoniensi Ecclesiæ præest: quique Dunstanum nepotem suum, sub hoc tempus, licet ætate juniorem, necdum enim vigesimum annum attigerat; sacris initiatum ordinibus, ad sacerdotium promovit. Quod ideo dicendum, quia priùs Sacerdos quàm Abbas fuit, ut patebit è sequentibus. Abbatem certè, non hoc anno fuisse, insinuat Hovedenus, ita scribens: *Edmundus Dei servo Dunstano, summus, & ejus consiliis gloriosus. A quo ille diversis honoribus sublimatus Glastoniæ, in qua educatus est, Abbatis jure præficitur.* Ita ille: ad hunc annum. de quo plura post annum sequentem. Cenredus, sive Coenredus Australium Saxonum Episcopus, mortalitatis viam ingressus, Gutheardo locum dedit; ut Fasti ad hunc annum consignant.

Hoveden. an 942. CENREDUS SELESEIEN. EPISCOP. MORITUR. SUCCEDIT GUTHEARDUS.

ANNUS CHRISTI 943.

MARINI II. PAPÆ 1.

EDMUNDI ANGLOR. REGIS 4.

I. SEQUITUR Christi annus nongentesimus quadragesimus tertius; quo Stephanus Papa, vivendi finem fecit, & locum Marino, eo nomine secundo; qui Martinus etiam aliquando vocatur. Hic inter bellicos tumultus, totus fuit in sanctiore Rep. componenda; in clero reformando, qui præcedentium Pontificum discordiâ, in officio claudicabat: in monachis etiam perficiendis. qui non solum in Angliâ è Danicis tumultibus; sed in Italiâ etiam, sub ægro capite, ægrè trahebant spiritum.

II. ODONIS CONSTITUTIONES.

Hanc veri Pastoris curam æmulatus Odo Dorovernensis Episcopus; hoc ipso anno; cùm provinciam lustrasset, vidissetque cleri, monachorum, civiumque mores: decreta tulit, quæ omnibus observanda præscripsit. Edidit ea nuper Spelmannus, cum hac Epigraphe: CONSTITUTIONES ODONIS (alias Odæ) *Archiepiscopi Cantuariâ, tempore Regis Edmundi latæ: hoc est, annum circiter Domini nongentesimum quadragesimum tertium. In quibus cavetur de officio Regis, Magistratuum, & cleri; & de juribus Ecclesiæ ritè conferendis.* Hæ Constitutiones, quia à viro sancto, & primâ Britanniarum sede profectæ sunt, meritò locum vendicant in his Annalibus; ubi fides & œconomia Ecclesiastica imprimis tractantur. Cæterùm cur præter aliorum Episcoporum morem, hæc morum decreta sanxerit, breviter Odo sic præfatur:

Spelman. fol 415.

III. PRÆFATIO ODONIS.

IN nomine sanctæ Trinitatis, & unicæ Divinitatis. Licet nullis existentibus meritis, monita piæ exhortationis, ausu temerario quemquam docere præsumam: tamen quia certantibus, & videlicet laborantibus, in stadio hujus vitæ, spirituale bravium, authore Donorum spiritu, promittitur. & pastorum cura, populus Dei multiplicandus, fide & numero, cautè conceditur. Ideò ego Oda humilis & extremus, divinâ largiente clementiâ, almi præsulis, & pallii honore ditatus: quædam documenta, omnis Christicolæ, ni fallor, non indigna; quæ à præcedentibus illustrium virorum præceptis certissima comperi; ad consolationem Domini mei Regis, scilicet Æemundi, omnisque populi, excellenti ejus imperio subjecti, in ista chartula coadunare decrevi. Unde devotissimè obsecro, & clementissimè hortor audientium mentes: ut si quando hæc recitanda audiant; interiùs, videlicet in corde, frequenti meditatione plantent: & multiplici bonæ operationis munere, ex eo fructum pacatissimum, in tempore messis sibi colligant.

IV. DE IMMUNITATE ECCLESIÆ.

*Primo Capitulo præcipimus & mandamus; ut sancta Dei Ecclesia. quæ sanguine Christi primùm fundata est, & fidelium multitudine, sponsa dealbata: nullis * denigretur malorum interruptionibus. Nec alicui liceat censum ponere super Ecclesiam Dei: quia filii Ecclesiæ, id est, filii Dei, ab omni censu terrestri liberi sunt, in omni regno. Ambrosius ait: ECCLESIA CATHOLICA libera est ab omni censu Principis. In historiâ Ecclesiæ: Si quæ domus, agri, vel qualibet prædia, à Christianis direpta sunt; sive sub fiscum Regalem, sive in dona collata sunt: hæc omnia, in antiquum jus Christianis præcipimus revocari. Gregorius enim ait: Si quis Ecclesiam Christi denudaverit, Anathema sit; si non satisfactione emendaverit. Et iterum: Quisquis Ecclesiæ Dei parochias violare, vel usurpare per rapinam tentaverit, ab Ecclesiæ ministris excommunicandus est, & omnimodo à corpore Christi alienus. Audit enim extra milites, qui Christum crucifixerunt, aliquid; qui Ecclesiæ disciplinæ regulis obedire contemnunt. Ecclesia enim, habet potestatem ligandi, atque solvendi.*

* habetur ingredietur

V. OBEDIENTIA EPISCOPIS PRÆSTANDA.

Secundo Capitulo, admonemus Regem, & Principes, & omnes qui in potestate sunt; ut cum magna humilitate, suis Archiepiscopis, omnibúsque aliis Episcopis obediant: quia illis claves regni cælorum data sunt; & habent potestatem ligandi atque solvendi. Nec se magni pendant in sæculari potentiâ; quia Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam: habeátque Rex, prudentes consiliarios, Deum timentes; super regni negotia: ut populus, bonis exemplis Regis, & Principum eruditus, proficiat in laudem, & gloriam Dei; neminem injuste per potentiam opprimere, sive acceptione personarum, inter virum & proximum suum judicare; advenis, pupillis, & viduis, protector esse. Furtum prohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, pauperes eleemosynis alere: quia etsi omni homini necessarium est Christi custodire mandata; præcipuè tamen Regibus, & omnibus in sublimitate positis: qui & pro seipsis etiam & pro universis subjectis, in die districti examinis, justo judici rationem sunt reddituri.

VI. DE OFFICIIS EPISCOPORUM.

Tertio admonendi sunt Episcopi; quatenus cum omni honestate, & modestiâ, in sancta religionis pietate prædicent; & ostendant exempla bona omnibus. Vt suas parochias, omni anno, cum omni vigilantiâ prædicando verbum Dei, circumeant: nè aliquis, per incuriam pastoris, per devia cujuslibet ignorantiæ errans, lupinis pateat morsibus lacerandus. Nè quis turpis lucri gratia, sed spe mercedis æternæ, gregem sibi commissum pascere studeat. Quod enim gratis accepimus, gratis impendere non differamus. Absque ullo timore, vel adulatione, cum fiduciâ, verbum veritatis prædicare Regi, Principibusq́ue populi sui, omnibus dignitatibus, & nunquam veritatem subterfugere: neminem injustè damnare: neminem, nisi justè, excommunicare, omnibus viam salutis demonstrare.

VII. DE MUNERE PRESBYTERORUM.

Quarto Capitulo admonemus presbyteros; ut populum Dei, bonis exemplis, habitu sancto doceant, & doctrinâ sanctâ erudiant, & informent. Vt illorum conversatio, in omni bonitate, & modestiâ, moribus populi excellentior sit. Quatenus, qui eum viderit, secundùm presbyteratus sui dignitatem, vestitum incedentem; benè & laudabiliter enuntiat habitus ejus.

DE MUNERE CLERICORUM.

Quinto Capitulo admonendi sunt clerici; ut canonicè cum omni honestate & reverentiâ, juxta Sanctorum Patrum decreta, vivant: præbentes bona omnibus exempla: quatenus in eorum bona conversatione, laudetur Episcopus, honoretur Ecclesia, populus proficiat in laudem Dei: & illi secundum nominis sui dignitatem, digni in Dei hæreditatem venire efficiantur.

VIII. DE MUNERE MONACHORUM.

Sexto Capitulo hortamur monachos, & omnes qui votum Deo voverunt; ut in omni humilitate, & obedientia, die, noctuq́ue, hoc adimplere studeant, permanentes in timore Dei, in Ecclesiis, ubi se voto constrinxerunt. Non sint vagabundi, neque gyrovagi, qui nomen monachi desiderant, officium autem ejus contemnunt. Sed secundùm exempla Apostolorum, per habitum humilitatis, laboribus manuum, & lectione sacra, & continuis orationibus, se exercentes, paratis præcinctis lumbis, ardentibusq́ue lucernis, patrem familias expectent, ut veniens eos faciat in æterna requie, sine fine permanere.

DE CONIUGIIS ILLICITIS.

Septimo Capitulo prohibemus, & interdicimus omnibus Christianis injusta connubia, & incestuosa cum monialibus; vel cognatis; vel cum aliis illicitis personis. Sancta enim recordationis Gregorius papa, cum pluribus Episcopis, seu sacerdotibus cæteris: in Basilicâ Beati Petri Apostoli constituit: Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugio duxerit, Anathema sit. & responderunt omnes, Amen. Nos quippe eandem Apostolicam authoritatem sequentes, simili modo, jaculum maledictionis talibus imponamus: nisi correptus a tam nefanda præsumptione ad satisfactionem pervenerit.

IX. DE CONCORDIA INTER OMNEM ORDINEM SERVANDA.

Octavo Capitulo observamus; ut quando in aliquo conventu venerimus; totâ intentione consideremus, quid psalmista nos admonet, dicens: Dominus prospicit super filios hominum, & reliqua. & iterum. Dominus dissipat consilia gentium: & reliqua usque in hereditatem sibi. Ideo providendum est fratres, ut sit concordia, & unanimitas, inter Episcopos, & Principes, omnemq́ue populum Christianum: ut sit unitas ubique Ecclesiarum Dei, & pax. Inò una sit Ecclesia, Fide, Spe, & Charitate, unum habens caput, quod est Christus; cujus membra se invicem juvare, mutuaq́ue charitate diligere debent. ut ipse ait: In hoc agnoscant omnes, & reliqua.

UNA ECCLESIA.

DE JEIUNIIS.

Nono Capitulo ammonemus, jejunium cum eleemosynis cautè, & vigilanter conservare. Istæ enim sunt tres alæ, quæ ducunt Sanctos ad cœlum. Quatenus quadragesimale jejunium, quatuor tempora, & alia legitima jejunia, videlicet quartam feriam, & sextam feriam, cum magna vigilantia observare studeatis: & super omnia Dominicum diem, & Sanctorum festivitates; sicut Canon, & exempla præcedentium affirmant; ab omni sæculari opere, cautissimè custodire procuretis; ne superstitionibus vanis consensum præbeatis. Neque Creaturam pro creatore, magicis illusionibus adorabitis; quia qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

DE DECIMIS.

Decimo Capitulo mandamus, & fideliter obsecramus, de Decimis dandis, sicut in lege scriptum est: Decimam partem ex omnibus frugibus tuis seu primitiis, deferas in domum Domini Dei tui. Rursum per prophetam: Afferte, inquit, omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea: & probate me super hoc: Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero benedictionem usque ad abundantiam. Et increpabo pro vobis, qui comedit, & corrumpit fructum terræ vestræ: & non erit ultra vinea sterilis. Malachiæ c. 3. v. 10. *Vnde & cum obtestatione præcipimus, ut omnes studeant de omnibus quæ possident, dare decimas; quia speciale Domini Dei est: & de novem partibus sibi vivant, & eleëmosynas tribuant. Veritatem autem facientes, in charitate maneamus in illo, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.*

X. HÆ LEGES IN SYNODO LATÆ.

Hactenus Odo, quæ licet è suo sensu dictasse videatur (nulla enim in prædictis, Synodi mentio) veriùs tamen, non è mente solùm præcedentium Synodorum, lata sunt hæc decreta: Sed è Synodo etiam hoc anno collectâ: quæ Synodus Canones antea decretos, quorum jacuerat observantia; novâ nunc lege restituit, ut patet in ultimo Capitulo, jam relato, de Decimis. quod olim totidem verbis, anno Domini septingentesimo octogesimo septimo, ab Apostolicæ Sedis Legatis dictatum, suo loco *recensui. Cæterùm quòd Odo hac vice Synodum collegerit, literæ post datæ planè significant: quæ *Synodalis Epistola* inscribitur, *Odonis Archiepiscopi ad Episcopos Suffraganeos*: quam recitans Malmesburiensis, ita præfatur. *Ipse quoque Odo*, inquit, *non mediocre literarum dedit in Epistolâ indicium: quam post Synodale, tempore Regis Edmundi, concilium ad Suffraganeos dedit: cujus hæc est forma.*

* an. 787. n. ... apud Spelm. suprà.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 200.

XI. ODONIS EPISTOLA SYNODALIS.

Mirabilis cunctipotentis præsulis polorum clementiâ opitulante: Ego Odo Ecclesiæ Salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI *archiepiscopus, Dorobernensis civitatis Metropolitanus; Coepiscopis Fidei Catholicæ compaginatoribus; spiritali charitate, etiam comitatus rigore, meis confratribus, etiam præsentium prosperitatem, ætherisq́ue decoris beatitudinem. Si aliquo modo fieri posset, ut totius mundi opes ante nostros ponerentur obtutus: ita ut imperiali munere nobis universaliter deservirent; libenter illa omnia distribuerem: meque ipsum insuper, pro vestrarum animarum salute impenderem. Quippe quoniam meipsum à vestra sanctitatis studio, cupio, & spero corroborari; super eo, in quo Dominus Deus nos operarios constituit. Et multa quibus onus Pontificatus exponit, subdidit. Ideirco humiliter, quasi indignus, sed devotus precor, & hortor sanctitatem vestram, ne tepidè & negligenter, in regimine animarum conversemini: ut non in tempore tremendæ vindictæ, conqueratur de vobis Dominus, dicens: Pastores non pascebant gregem meum,*

sed

sed semeipsos. & iterum: Principes extiterunt, & ego ignoravi. Sed potiùs curemus familia Domini, super quam nos constituit Rectores, cibum dare, in tempore suo, mensuram tritici, probatam scilicet doctrinam.

XII. *Et quoniam meritorum qualitate, non præsumam consolari, & hortari quemquam: quippe qui solus indignus, & innumerabilium culparum reus, gaudeo, & indigeo fraternis admonitionibus fideliter corroborari: tamen propter antiquam authoritatem prædecessorum meorum, Beatæ scilicet memoriæ Augustini, & aliorum Sanctorum; quorum studiis, regula Christianitatis, primùm ab hac archiepiscopali Sede, cunctis finibus Anglorum innotuit: idcirco istos divinos apices, ad utilitatem omnium vestrum, caraxare decrevi. Quatenus Rex augustissimus Edmundus, cum omni populo suo imitari gaudeat, quod in nobis & ex nobis audiat; omnesq; gentes, quæ undique regali imperio ipsius subjectæ sunt, titulos liquidæ nostræ conversationis ovanter sequi ament, & delectent.* Ita Odonis literas recitat Malmesburiensis.

XIII. EDGARUS NASCITUR, GAUDIUM INSULÆ. Fuit hic annus Edgari nativitate felicissimus: non solùm Edmundo Regi, & Elfgivæ parentibus; sed prorsus toti Insulæ. Unde nihil mirum si eo nascente, Angelorum voces auditæ, gaudium Insulæ nuntiantium. De quo sic scribit Westmonasteriensis (*Westm. his.*): *Anno gratiæ nongentesimo quadragesimo tertio, cum magnifico Regi Edmundo, Regina sua Algiva filium peperisset, Edgarum: Sanctus Dunstanus audivit voces psallentium & dicentium in sublime: Pax Anglorum Ecclesiæ, exorti nunc pueri, nostriq; tempore Dunstani.* Has etiam voces referunt antiquiores, Hovedenus, & Wigorniensis, ad hunc annum: *Denique vulgatum est*, inquit Malmesburiensis (*Malmesb. de Reg. l. 2. c. 8.*), *quod Edgaro nascente, vocem Angelicam Dunstanus excepit. Pax Angliæ quamdiu puer iste regnaverit, & Dunstanus noster vixerit. Respondit veritas rerum cælesti oraculo: adeo illis viventibus splendor Ecclesiasticus effloruit, & tumultus bellicus emarcuit. Nec ullus ferè annus in Chronicis præteritus est; in quo non magnum & necessarium patriæ aliquid fecerit: quo monasterium novum non fundaverit: nullas insidias domesticorum, nullum exterminium alienorum sensit.* Hæc ille & plura, de pientissimo Principe, quæ suo loco inferiùs referam; cum ipse adultus sceptro & corona donabitur. Nam multam Annalibus materiam subministrat.

XIV. Quod ad præsentem annum spectat, hoc solùm adnoto, Edgarum in Glastoniensis agri pomerio natum; natali loco nomen dedisse. ut ubi Christiana Fides primam in Britanniâ auroram vidit: ibi, post nongentos propè annos, nasceretur is, qui Ecclesiam à barbaris vexatam, depressamque novâ luce illustraret. De eo igitur sic scribunt Glastoniensium Antiquitatum authores (*Antiq. Glast. fol. 64.*): *Genuerat Edmundus ex Regina sua Elfgiva duos filios, Edwinum, & Edgarum pacificum. Et sicut eadem terra, bonas & malas herbas nutrit, & urtica quandoque est proxima rosa. Sic ex eodem patre Edmundo, Edwius pessimus, & Edgarus piissimus, processerunt. Natus quippe est Edgarus in quodam vico contiguo Glastoniæ, qui nunc Edgarlēs nuncupatur; ubi tunc erat Curia Regis, satis celebris.* Ita ibi. Sanctè ergo Angeli hoc anno pacem Insulæ prædixerunt: quia Edgarus nascitur, cognomento pacificus.

ANNUS CHRISTI 944.

MARINI II. PAPÆ 2.

EDMUNDI ANGLORUM REG. 5.

I. EDMUNDUS GLASTONIAM DUNSTANO COMMENDAT. EXCOLI debet Glastoniensis ager, vel potiùs illius agri hortus; quia flos ibi natus est, omni studio curâque colendus. Edmundus ergò Rex, qui prope antiquum destructúmque monasterium sedem habebat, cepit anno Christi nongentesimo quadragesimo quarto, de novi cœnobii constructione consilium: nolens locum illum in tenebris ultra esse, qui nos primum è tenebris vocavit in admirabile lumen Christi. Porrò licet clerici aliquot Ecclesiæ rudera incolerent; & vel populo sacra, vel pueris literarum elementa porrigerent, ut suprà. Rex tamen, sanctioris propositi viros, qui Deum sibi provinciæque propitiarent, valdè cupiebat ibi esse: ubi à Josephi Arimathæi ingressu, & à Lucio Rege, plurimi, sanctissimique vixerant. Itaque Dunstanum, qui paulò ante è curia dimissus, otium habuerat Deum arctiùs colendi: & cum in finem celeberrimum in Galliis Benedictini instituti cœnobium adierat; in curiam, & consilium vocans; eidem Glastoniensem Ecclesiam commendat; prædia, quæ dudum Regius fiscus occuparat, restituit: plura è suo addit; & monachos ibidem institui mandat, qui vitæ sanctitate cæteris præluceant. quod Dunstanus præstitit integerrimè. Sic enim refert Ingulphus (*Ingulf. f. 871*): *Rex autem Edmundus, Dunstano sancto tunc presbytero suo, monasterium Glastoniæ, tunc in desolatione, à paucis clericis occupatum, cum omnibus pertinentiis, contulit restaurandum; & monachorum ordinem, prout antiquitùs habuerat, in illo revocandum. Qui Floriacum adiens, & monachus ibidem factus, cum regulares observantias plenius didicisset; valefaciens fratribus, Glastoniam est reversus: Abbasq; factus ibidem, fratres sui flemmatis* (schematis, opinor legendum) *accipiens sanctissimum in brevi collegium adunavit.* Ita ille.

II. An hoc anno, an verò superiori, Dunstanus, in Gallias trajecerit, non admodum laboro: puto tamen illos, Benedictino instituto meliùs patrocinari, qui Floriacensem monachum Dunstanum fecerunt, quàm qui è Glastoniensi secessu, solitarium, & novitium, in curiam primò traxerunt: & inde, sine duce, & magistro, Abbatem creaverunt. Si enim nuper Odo Floriacum priùs adiit; quàm voluit primam sedem inire. Cur Dunstanum longè juniorem, eò priùs non amandamus, quàm primam, & antiquissimam Britanniæ Abbatiam oreat? Jam verò, si Benedictini instituti echlipsim in Italiâ, & in ipsâ Urbe Româ contemplari volumus; quæ tanta fuit; ut Odo Cluniacensis è Galliâ in Urbem, à Rom. Pontifico vocatus sit, anno Domini nongentesimo trigesimo sexto, ad restaurandam ibi disciplinam illam; quæ, teste Baronio (*Baron. an. 936. n. 5.*), collapsa fuerat: quidni putamus restauratione opus fuisse in hac Insulâ, quam Dani, per centum ampliùs annos, bello, sanguine, rapinis, incendiisque, fœdaverant? Sed quicquid sit, Dunstanus vix vigesimum annum egressus, Abbas ab Edmundo hoc anno constituitur; eo modo, quem referunt Glasto- DUNSTANUS ABBAS.

nienses Antiquitates: cùm priùs Edmundi Regis periculum; quo inter venandum defunctus fuerat, recensuissent. *Demique accitum Dunstanum* (inquiunt) *Edmundus benigno respexit oculo. Sed dissimulato paulisper animo, jussit, ut ascenso equo, secum Glastoniam contenderet. Quò ut perventum; de suâ liberatione, maximas Deo gratias egit. Tunc beati viri apprehendens dextram, grato eam demulsit osculo; ducens eum ad sacerdotalem Cathedram, & eum in ipsâ collocando, dixit: Esto istius sedis Princeps, & hujus Ecclesiæ fidelissimus Abbas: & quicquid necessariorum hujus loci habitatoribus deest, Regiâ liberalitate supplebo.* *Antiq. Glaston. 62.*

III. Hæc Regia Edmondi liberalitas, in multis cernitur; sed nullibi illustriùs, quàm in ornandâ, ditandâque Ecclesiâ, quæ ut olim, ita modò, à sanctissimâ Deiparâ MARIA, nomen, appellationémque sortita est: quod oon est opus aliis quàm antiquorum Authorum verbis exprimere. Malmesburiensis in Edmundo Rege ita loquitur: *Inter ea beneficia, quæ diversis Ecclesiis contulit, miro affectu Glastoniensem Ecclesiam, magnis prædiis & honoribus sublimavit: & privilegium in hæc verba concessit.*

IV. EDMUNDI CHARTA PRO GLASTONIA.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI, *Ego Edmundus Rex Anglorum, cæterarumq; gentium gubernator & rector, cum consilio & consensu Optimatum meorum; pro æterna retributionis spe, & relaxatione peccaminum meorum, concedo Ecclesiæ sanctæ Dei genetricis Mariæ Glastoniæ, & venerabili viro Dunstano, quem ibidem Abbatem constitui; libertatem & potestatem, jura, consuetudines, & omnes forisfacturas omnium terrarum suarum; id est, Burhgeritha, & Hundret Setena, Athas & Ordelas, & Insangetheofas, Hamsone & Frdebrico, & Forestel, & Tols Team, in omni regno meo. Et sint terræ suæ sibi liberæ, & solutæ, ab omni calumnia, sicuti meæ mihi habentur. Sed præcipuè ipsa villa Glastonia; in quâ celeberrima vetusta Ecclesia sancta Dei genetricis sita est; præ cæteris sit liberior, cum terminis suis. Abbati ejusdem tantummodo potestas sit, tam in notis; quàm in ignotis causis: in modicis & in magnis: & in his etiam, quæ sunt super, & subter terram: in aridis & in rivis; in silvis & in planis: & eandem authoritatem puniendi, & dimittendi delinquentium in ea commissa habeat, quam mea curia: Quemadmodum mei antecessores concesserunt, & statuendo confirmaverunt. Videlicet Edwardus pater meus: & Elfredus pater ejus, & Cenwinus, Ines, & Cuthredus, & alii quamplures, qui locum illum honorantes, gloriosum habuerunt. Et nè quisquam mortalium, seu Episcopus, vel Dux, aut Princeps, aut quilibet ministrorum eorum, audeat eam omninò intrare, causa placitandi, vel capiendi, vel quicquam faciendi; quod contrarium fore possit inibi Deo servientibus; Dei interdictione prohibeo. Quisquis igitur benevolâ mente, meam donationem amplificare satagerit; in hoc præsenti sæculo, vita illius prospera sit, & longiturna vitæ gaudia teneat. Si quis autem, propriâ temeritate, violenter invadere præsumpserit: sciat se proculdubio, ante tribunal districti judicis; titubantem, tremebundumq; rationem redditurum; nisi priùs dignâ satisfactione emendare maluerit.*

V. *Acta est præfata donatio, anno ab Incarnatione Domini* JESU CHRISTI *nongentesimo quadragesimo quarto, indictione primâ. Scriptaq; est literis aureis in libro Evangeliorum; quem eidem Ecclesiæ obtulit, eleganti opere satis compositum.* Ita Regium Regium Diploma recitat Malmesburiensis, libro secundo, cap. 7. Alibi tamen, paullò accuratiùs subscribentium nomina apponit; ubi de hujus Monasterii Antiquitatibus agit. Ibi enim rectius ponitur Indictio secunda: & hæc nomina subjiciuntur: *Ego Edmundus Rex Anglorum præfatam donationem cum sigillo sanctæ Crucis confirmavi. Ego Eadred ejusdem Regis frater consensi. Ego Eagiva ejusdem Regis mater, prædictum donum consignavi. Ego Oda Doroberniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, ejusdem Regis donationem, cum trophæo agiæ Crucis subarravi. Ego Wulstanus Archiepiscopus, præfatam donationem confirmavi. Ego Elpheah, Wintoniensis ecclesiæ episcopus, triumphale trophæum agiæ Crucis impressi. Ego Wulfhelmus Fontanensis episcopus corroboravi.* Nulla hic in subscribentibus difficultas. Nam nuper [a] Wulfhelmum Wellensi Ecclesiæ, quæ hic Fontanensis dicitur, præfecimus. Eagiva mater, illa est quam supra [b] Edgivam vocavi, Edoardi Regis tertiam conjugem: quam hoc anno superstitem fuisse, hæc Regia charta testatur. Differt ergo hæc *Edgiva mater*, ab Elfgivâ Edmundi conjuge, & Edgari matre: de qua intrà frequens mentio. [a] an. 942. 5. [b] an. 914.

VI. *Antiq. Glast. 65.* Præter dictam chartam plura sunt alia & illustria argumenta Edmundi pietatis, in Glastoniensem ædem, & Virginem Deiparam. Nam dedit ipse, ad ornatum Ecclesiæ, ad commeatum Monachorum, multà prædia; quæ Antiquitatum Glastoniensium author hic recenset. *Dedit insuper Rex Edmundus Beato Dunstano maneria de Christmaleford, viginti hidas. Kington octo hidas. Woderon quinque hidas. Wathle quatuor hidas. Restituit manerium de Wrington, unam & viginti hidas. Dedit etiam manerium de Pokelchurch, triginta hidas. Elisford cum captura piscium, unam hidam. Uxor ejus Elfgiva Regina, ejus jussu dedit manerium de Domerham, cum Merron & Pedrington, centum hidas. Dedit etiam Staine octo hidas. Hæc omnia ob remissionem peccatorum suorum; & Alfredi, avi sui; nec non Edoardi, patris sui; contulit ad vetustam Ecclesiam, Beatæ Dei genetricis Glastoniæ. Elfleda Regina* (sed lege Elfgiva) *relicta Regis Edmundi dedit Alford, Bocland, & Plis, 27. hidas: & Hammedonne 15. hidas. Wilfridus minister dicti Regis, consensu ejusdem, dedit Kington, triginta hidas: & Gridlington decem hydas, & Adturnanworth quinque hidas. Idemq; Wilfridus post obitum conjugis suæ, dedit Gretington triginta hidas, & Netelington viginti hidas. Ejus tamen successor, nomine Alwinus, datis chartulis, assumpto habitu regulari efficaciùs complevit. Præfatus etiam Rex Edmundus dederat prædicto Wilfrido Tintanhulle quinque hidas, quas idem Wilfridus, cum corpore suo postea monasterio Glastoniæ commendavit. Alfius, consensu Regis Edmundi dedit Batcumbe viginti hidas. Ethelstanus Comes, consensu ejusdem Regis dedit manerium de Melres viginti hidas: quas præfatus Rex sibi dederat. Sigewlfus ejusdem assensu, dedit Abbidesbert quinque hidas. Wlpheh dedit Lanford duas hidas. Hæ omnes terræ, videlicet trecentæ sexaginta octo hidæ, ab Edmundo Rege, & suis ministris collatæ ejusdem Regis, & suorum, in monasterium Glastoniense, & protectorem ejus B. Dunstanum, miram testantur devotionem.*

VII. Nec stetit hic pia Edmundi Regis industria, in ornando Glastoniensem Ecclesiam: Nam Sanctorum reliquias, quas undique collegerat, in eadem Ecclesia religiosè deposuit. Enumerat illas

Antiq. Glast. fol. 94.

Author prædictus, & ita scribit: *Idem verò Rex* (Edmundus) *ut dictum locum donis insigniret majoribus; multas reliquias, quas per terram Northanhumbrorum; videlicet ossa sancti Aidani Episcopi, Ceolfridi, Boisili, Abbatum: Venerabilis Bedæ, sagacissimi Doctoris, ac Sanctorum Confessorum Benedicti, cognomento Biscop, Esterwini, Sigfridi, & Herberti Wiormensium Abbatum: Hildæ Abbatissæ de Whitby, Ebbæ & Begu, Sanctarum Virginum; & multas alias reliquias, quas in partibus transmarinis adquisierat; monasterio Glastoniæ, piâ contulit liberalitate.* Hæc satis de Edmundo Rege, qui Constantinum nostrum & majores suos imitatus, egregiè Fidem Regiam illustrat. Videamus ergo Dunstanum, manum suam novo operi; & monasterio restituendo admoventem. De quo sic legitur in Joanne Anglico, qui vitam ejus ex Osberno descripsit.

VIII. DUNSTANUS GLASTONIAM REPARAT. *apud Capg. in Dunstano*

Dunstanus igitur Ecclesiæ fundamenta jacere; officinas, secundùm exemplar construere, egregium Monachorum collegium, coadunare curavit. Quibus ipse primus Abbas effectus, ad tantam vitæ perfectionem omnes adduxit, ut ad omnes circumquaque Ecclesias, ex eisdem Monachis, Pontifices electi & Abbates assumpti sint. Ita locus, hoc anno, florere cœpit, & religiosum institutum quod dudum ibi marcuerat, Dunstani sanctitate non minimum ornamentum præbente. Cæterùm quod primus Glastoniensis Abbas appelletur: aliqui inde collegerunt, neminem ante illum, monasterio illi cum Abbatis dignitate præfuisse. Alii id durum existimantes, non primum Abbatem ἁπλῶς, sed κατά τι, Dunstanum fuisse affirmârunt: quod primus nimirum Magni Benedicti regulam eo in loco professus, jusserit Monachos illam observare: quod colligi videtur è vetusto vitæ ejus descriptore apud Usserum: ubi dicit ipsum, *saluberrimam Sancti Benedicti secutum institutionem, primum Abbatem Anglicæ nationis enituisse.*

apud Usser. in Primord. f. 100.

Hoc fortè Camdenus, ubi Somersetensem provinciam lustrat, & loci illius incolas: cùm dixisset Hibernicos Glastoniæ regiis stipendiis, artes ingenuas adolescentes docuisse: Dunstano iratus, quod ipse eorum loco successerit, hæc habet è Novatorum genio, odióque in Sanctos: *Sed tandem*, inquit, *Dunstanus, subacto & versuto ingenio homo, cum malis artibus, & blanditiis, in Principum consuetudinem se penitùs immersisset, pro his* (Hibernicis) *secentiores institutis Monachos, scilicet benedictinos, induxit: ipseq; primus Abbatis nomine numeroso Monachorum gregi præfuit, qui à bonis & piis Principibus, plusquam Regias opes consecuti: cùmque omni rerum affluentia sexcentis annis quasi regnassent, ab Henrico VIII. exturbati sunt, monasteriumq;, quod jam in urbeculam excreverat, dirutum, & solo adæquatum.*

Camden. in Somerset.

IX. DUNSTANUS NON FUIT PRIMUS QUI BENEDICTI REGULAM GLASTONIÆ INTULIT. *vide an. 704 n. 13. &c.*

Sed neutris accedo: non illis, inquam, qui Dunstanum primum Abbatem simpliciter appellârunt: quia dudum, ante annos quingentos, Abbatem primum illi loco dedimus Sanctum Patricium: & plures exinde, tam Britannos, quàm Anglos, eo titulo ornavimus. Nec illis etiam assentior, qui nunc primò Benedicti regulam, à Dunstano Glastoniæ doctam affirmant. Nam Inas Occidentalium Saxonum Rex, qui consilio Aldelmi, monasterium struxit, videtur Benedictinæ regulæ Monachos aluisse; qui usque ad Danorum adventum, regulariter ibi vixerunt, teste Malmesburiensi, qui ait: *Glastoniæ primò Rex Hina, consilio Beatissimi Aldelmi, monasterium ædificavit: multa illuc prædia, quæ hodiéque nominatur, largitus. Et varia quidem vicissitudine temporum; sed indeficientibus successionibus, congregationibus Monachorum, splenduit locus, usque ad Danorum sub Alfredo Rege, adventum. Tunc enim, ut cætera, desolatus aliquantis annis novos desideravit incolas.*

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 254.

Non nominat hic Author Sanctum Benedictum: cujus nomen & regula nominari sæpiùs potuisset. Sed primi illi, perfectionem vitæ regulæque, magis quàm magna nomina æmulati, tacuerunt multa, quæ modò contentioni ausam præbuerunt. Unde sanctissimo instituto, vel nimium detrahitur, Benedictinos solùm intelligendo, ubi Benedicti regula nominatur: vel nimiùm accedit, omnia arrogando, ubi monachi nomen apponitur.

X.

Cæterùm quòd existimem, Inam Regem, Benedictinis Monachis cœnobium struxisse, non tam facit Aldelmi mentio, quàm præcedentium temporum series. potuit enim Aldelmus amare, fovere, promovere omne regulare institutum, & omnes sanctè viventes: imò ita facit optimus quisque. Licèt ergo, nec in Inæ facto, nec in Aldelmi scripto, ulla Benedictinæ regulæ mentio habeatur: aliunde tamen colligo, in Glastoniensi cœnobio priùs Benedicti regulam admissam esse, quàm Inas illud restaurarit. Quod enim Malmesburiensis dicit Inam *primò* Glastoniense monasterium ædificasse: de *monasterio redditibus stabilito, cui Abbas ab Episcopo consecratus præfuerit*, intelligendum esse, nonnemo affirmavit. Et sanè Monachos Glastoniæ fuisse, ante Inæ tempora, & Abbatem elegisse secundùm regulam sancti Benedicti, ostendi superiùs ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum septimum. Et inde colligo, meliori argumento; non solùm regulare institutum, hoc est, Monachos, qui sine dubio plures per Insulam dispersi erant; sed regulare institutum, juxta S. Benedicti regulam, Glastoniæ, ante Dunstani tempora floruisse. Unde non malè dixit suprà Malmesburiensis: Glastonia aliquantis annis notos desideravit incolas; nimirum ab Alfredi Regis tempore, & Danorum adventu, usque ad hunc annum 944. Tunc autem *quicquid turbo bellorum obtriverat* (loquitur Malmesburiensis) *reparavit egregiè Dunstanus: qui priùs eo loci, vitam solitariam monachus actitarat: postmodum verò, liberalitate Regis Edmundi, omnia quondam appendicia, & iis multò plura nactus, Abbatiam composuit, qualis nunquam in Angliâ sit, fueritve. Tanta est diffusio, & opportunitas fundorum, tanta librorum pulchritudo & antiquitas exuberat.* Hæc de Dunstano Abbate, & Glastoniensi monasterio sufficiant.

Edw. Malmesb. in addit. ad tab. 2. cong. Angl. p. 91.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 214.

XI.

Cùm suprà scripsit Edmundus Rex, se benè Glastoniensi cœnobio facere, *cum consilio & consensu Optimatum meorum*, planè significat, se eo tempore dictasse chartam, quo publicum, de more, regni conventum habuit: nimirum in solenni festo Paschatis hujus anni, nongentesimi quadragesimi quarti: quando Episcopi omnes, & alterius Reip. Proceres, pro utraque Republicâ leges tulerunt; quæ etiamnum extant, & Edmundi leges dicuntur. De quibus ita scribit Spelmannus, libro primo de Synodis. *Habentur junctim Edmundi leges, Sæculares & Ecclesiastica. apud Iornalensem, tribus distincta partibus: tanquam tribus edita sessionibus, vel temporibus. Prima,*

Spelman. fol. 410. Conc. tom. 1.

leges

leges continet Ecclesiasticas; secunda, Saculares; tertia, Miscellaneas. Partem primam, & tertiam, Saxonico-latinè dedit Lambardus: prætermissâ (nescio quâ de causâ) parte secundâ. Regnum autem iniit Rex pius & eximius Edmundus, anno Domini 940. exuit anno 946. tenuit annos sex & semis; sub quorum medietullio, id est, anno Domini nongentesimo quadragesimo quarto leges censui collocandas. Ita ille. & feliciter hac vice censuit. Nam ex Regiâ donationis chartâ, colligitur, eo anno, Optimates in festo Paschatis convenisse: quo tempore de communibus utriusque Reip. negotiis actum. Cæterùm quòd Spelmannus Ecclesiasticas leges Edmundo Regi inscribat: & inde Sectarii arguant, Ecclesiæ jurisdictionem penes Reges fuisse: tam vanum est, & futile; ut ex ipso legum procemio satis refellatur. Ibi enim Archiepiscopi & Episcopi nominantur: quorum authoritate, quicquid Ecclesiæ negotia spectabat, expositum, actum, sancitúmque est. Si Saxonica pressè sequimur: *Magna Synodus* appellatur, ubi latæ sunt leges. quod Edmundus Rex in præfatione legibus præfixa, frequentem cœtum vocat.

Procœmium.

XII. Edmundi Regis Leges. *Edmundus Rex, ipso solenni Paschatis festo, frequentem Londini, tam Ecclesiasticorum, quàm Laicorum, cœtum celebravit. Cui interfuerunt Oda, & Wlustanus Archipræsul, plurimiq; alii Episcopi, ut animorum suorum, & eorum omnium, qui eis curæ sunt, consuleretur saluti.* Quasi diceret Rex: convenerunt Episcopi, *ut attenderent sibi & universo gregi, in quo eos Spiritus Sanctus posuerat Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quod Paulus Sanctus Actorum vigesimo, faciendum Episcopis præscribit. Ex quo sanæ mentis quisque colliget, Episcoporum munus esse, Ecclesiam regere, legésque gregi dictare: & ubique vidimus pientissimos Reges, Episcopis adesse; ut eorum quoque authoritate, decreta serventur. Et in hoc sensu scribantur, per me licet, Leges Ecclesiasticæ Edmundi Regis: & sunt hujuscemodi, è Lambardi, hoc est, non optimâ Legum versione.

Actor. c. 20. v. 28.

XIII De vita castitate in his qui sacris initiantur. *Cap. 1. Imprimis, qui sacris sunt initiati: atque ex quibus, populus Dei virtutis exemplum petere debebit, ad imitandum; castè (ut eorum feret ordinis ratio) sive viri, sive mulieres fuerint; vitam traducunto. Sin minus id fecerint, prout eorum se habent norma, plectuntor: omni scilicet suâ possessione terrenâ mulctantor vivi: & (nisi mores in melius emendaverint) mortui, sacrâ prohibentor sepulturâ.* Ita hoc primum Legum caput, è Saxonico transfert Lambardus. Ex valdè mirum, colligi inde posse, clericis in sacris ordinibus constitutis, conjugia licuisse; eáque nunquam Anglorum Clero prohibita, donec Dunstanus unus, & alter monachus, pro castitate pugnaverunt. Mox enim, ut Anglorum Regum pietate florere incipient Ecclesiæ, & monasteria; magnum litigium erit, clerum inter & monachum, de jure lucorum: & quia in rerum examine, reperientur è clero aliqui, parùm continentes, & fœminino generi nimiùm addicti: ideò (si aliud non esset) causa cadent, privabuntur Ecclesiis, & monasteriis excludentur. hoc hominum genus, Sectarii nostri, qui sæculorum sanctitatem ferre non possunt, avidè amplexantur, laudant; & piè in conjugio legitimo viventes appellant. Sed valdè errant, ut à Fide; sic ab optimis majorum suorum moribus. Nam continentem semper Anglicanum clerum fuisse, supra vidimus, in omni controversiâ. Hactenus nec usus, nec exempla, nec jura apparent, quæ nuptias illi permittunt. & nunc ex hoc primo Legum capite, cætera confirmantur. Porrò, quòd ante Dunstani tempora, Sacerdotibus castitas præcepta sit, manifestè à Beda colligitur, qui primum Lucæ Evangelistæ caput explicans, & illa verba, quæ Zachariam Baptistæ parentem, sacerdotio functum, & inde domum repetentem, describunt: *Et factum est ut implerentur dies officii ejus, abiit in domum suam:* pulchrè ostendit majorem Sacerdotibus nostris quàm antiquo sacerdotio, castitatis legem impositam, cùm ait: *Hoc est quod dixi, quod vicis sua tempore pontifices templi tantum officiis mancipati; non solum à complexu uxorum, sed ab ipso quoque domorum suarum abstinerent ingressu. ubi nostri temporis Sacerdotibus, quibus semper altari servire jubetur, perpetuò servandæ castitatis exemplum datur. Quia enim tunc sacerdotalis ex stirpe Aaron successio quærebatur; necessariò tempus substituendæ soboli procurabatur. At quia nunc, non carnalis successio; sed perfectio spiritalis inquiritur; consequenter Sacerdotibus, ut semper altari queant assistere, semper ab uxoribus continendum, semper castitas observanda præcipitur.* Ita ille de suo tempore. Pulchrè etiam idem Author, hanc castitatis legem è Mosaici sacerdotii vestibus colligit, lib. 3. de Tabernaculo, cap. 9. ubi cùm Dei præceptum recitasset, Exod. 28. vers. 42. *Facies & feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ. Feminalia hæc,* inquit, *quæ ad operiendam carnis turpitudinem, fieri mandantur; illam castimoniæ portionem, quæ ab appetitu copulæ conjugalis cohibet, propriè designat; sine qua nemo, vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris potest ministerium consecrari. Id est si non aut virgo permanserit; aut contra, uxoria conjunctionis fœdera solverit. Quod videlicet genus virtutis, nulli per legem Dei necessariò imperatum, sed voluntariâ est devotione offerendum: dicente ipso de hoc: Non omnes capiunt verbum illud. ad quam tamen benignâ exhortatione, eos qui possunt, invitat, dicens: Qui potest capere, capiat. & paulo post: eisdem, qui vel uxorem, vel alios cognatos, & implicamenta mundi hujus, propter ipsum reliquerint: centuplum promittit in hac vitâ præmium, & in sæculo futuro vitam æternam.*

Beda in Luc. c. 1.

XIV. Clericorum castitas præcipitur. Hic ergò Clericorum castitas præcipitur; non indistinctè, sed iis tantùm, qui *sacris sunt initiati,* inquit Lambardus: vel ut Jornalensis antiqua versio habet: *sanctis ordinibus erecti.* Nam illi, ut ab inferiori clero discreti, & sacrosancto altari proximiores sunt, ita dare debent virtutis exempla potiora. Quod graviter in dicto capite præcipitur, ut patet è pœnâ legi appositâ; quam ita frigidè refert Lambardus: *Sin minus id fecerint,* inquit, *prout illorum se habent norma, plectuntor,* &c. frigidè, inquam, quia Saxonica disertè *Canonem* appellant, & juxta Canones jubent incontinentes plecti. Obliterare ergò nititur notionem Canonis, novus interpres. nè audito eo nomine, Ecclesiasticæ castitatis pulchritudo appareat, & cæcutientium oculos nimiùm diverberet. Nos ex ea voce colligemus morem mentemque hujus sæculi (ut & præcedentium omnium) fuisse, ut sacris ordinibus initiati, castitatis voto

tenerentur: quod in hoc capite innuitur, cum dicitur (ut eorum feret ordinis ratio) vel planiùs è Saxonico, & Jornalensi versione: *ut castitatem teneant secundùm ordinem suum.* Nam eorum ordo, qui sacris initiati sunt, differt ab iis, qui inferiores ordines dicuntur. Quod clarè constat è magno Doctore, & Apostolo nostro Gregorio; qui Anglorum Ecclesiam primus composuit, & legem viris Ecclesiasticis dixit. Cum enim Augustinus de grege sibi commisso solicitus, Apostolicam sedem in dubiis appellasset, inter cætera, à Gregorio sciscitatus est: *An Clerici continere non valentes possint contrahere?* Cui Gregorius respondit, licere id quidem, si extra sacros ordines constituti sint; sed eâ lege, ut extra Ecclesiam stipendia accipiant. Unde satis liquet, eos qui sacris initiati sunt; de quibus nunquam Augustinus dubitavit; qui intra Ecclesiam stipendia accipiunt, qui altari adstant, & sacra ministrant, à fœminarum contubernio continere debuisse.

vide an. 601. n. 21. &c.

XV. Hanc fuisse Gregorii mentem, norunt omnes qui Gregorium noverunt; nam ille in Romana Synodo hanc tulit sententiam: ut fatentur Magdeburgici. Si quis Presbyter, aut Diaconus, uxorem duxerit. Anathema. Qua sententia, non illos tantùm duos ordines sacros, sed omnes planè intellexit: Quod probè iidem Magdeburgici adverterunt, cum sequenti sæculo dixerunt: *Oportuit ordinandos, quotquot vel Episcopi, vel Presbyteri, vel etiam Diaconi, aut Subdiaconi officium peterent, esse cœlibes. Id quod Martinus, Eugenius, Leo, & alii plures Pontifices strictissimè observarunt.* Si oportuit hos omnes cœlibes esse: si Rom. Pontifices legem strictissimè observarunt: Quomodo Anglicano clero licuit uxorem ducere? Si dixeris Ecclesiasticos Canones, castitatem ordini sacro imponentes, minùs in Angliâ observatos esse: dehonestas castissimam Insulam, quæ ad aliarum provinciarum invidiam, protulit omni sæculo viros fœminasque, in modestia commendatos. Cæterum quòd nulla natio strictiùs servaverit hujusmodi Canones, videtur ex eo ostendi posse: Quod Canonem *Tanta est vis matrimonii*, &c. ubi proles priùs suscepta, quàm matrimonium esset, matrimonio subsequente, legitima decernitur. quem universus orbis ratum habuit: Anglia tamen noluit recipere; ut glossa aliquando adnotavit. quod honestatis pudicitiæque intuitu factum. Noli ergo putare, Canones pro castitate latos, quos Gallia, Italia, Hispania, amplexatæ sunt; à frigidiore cœlo rejectos.

Cent. 10. f. 642.

Cent. 9. fol. 190.

C. Tanta est vis. Qui sint filii legitimi.

XVI. Sed non opus eò fugere. Tam stricti fuerunt Anglicanæ Ecclesiæ Antistites, in Gregorii Canone observando; quàm consequentes Gregorium Rom. Pontifices fuerunt. Unde Egbertus Eboracensis Archiepiscopus, & Northumbrorum Regis frater, quem suo loco* ab eruditione doctrinaque commendavi: *Excerpta* de Canonibus Sanctorum Patrum, composuit, quæ Spelmannus inter Synodos recensuit: Et ibi in Excerpto septimo, inter cætera dicitur: *Si Presbyter vel Diaconus, vel Monachus, uxorem duxerit, in conscientia populi deponatur.* Imperitè ergo nostrates pseudo-episcopi, Parkerus, Godwinus, & alii, controversiæ cardinem, monachos inter, & incontinentes clericos, moverunt; cum dicunt injuriâ, pulsos à monachis è cœnobio conjugatos clericos, quibus uxorum usus permissus erat. Nam constat à Gregorii tempore, & deinceps, sanctissimè à clero nostro observatum, quicquid Rom. Pontifices de castitate statuerunt. Unde Baronius (ut superiori tomo notavi) non uno, sed pluribus in locis, Anglicanam Ecclesiam dignatur Paradisum appellare: quod profectò non dixisset, si præter Occidentis morem, & supra alias provincias, lasciva fuisset. Taceant ergo Novatores, nec eo argumento tegant turpitudinem suam, quo, si penitiùs advertas, maximè revelatur. Redeo ad Edmundum Regem, legemque ab Episcopis dictatam, præcipientem clericis in sacris constitutis, castitatem à Canonibus præscriptam. Ubi quia Anathema dicitur iis, qui uxorem ducunt: ideo Egbertus deponendos censuit; & Odonis, Wulstani, ac plurimorum Episcoporum suffragio; Ecclesiasticâ sepulturâ privantur; quod excommunicatum sequitur necessariò. Unde gravissimam legem esse, & utrâque, hoc est, Ecclesiastica, Regiâque authoritate servandam, necessum est affirmare. Hæc paullò fusius do, quia infra incontinentes clerici, cum monachis disputabunt; de jure ad monasteria: sed de facto cedere cogentur, quoties vel pii Principes, vel sancti Episcopi, pro tribunali sedent: nec ullus invenietur, eo tempore, tam projectæ frontis; ut concubinam quam acceperit, uxorem legitimam vocabit; nec incestum suum, *pium conjugium.* Debet enim Lutherus, monialem priùs seducere; quàm sequatur ea in clero libertas carnis. Nunc ad legem sequentem.

* an. 735. n. 17.

apud Spelm. fol. 248.

XVII. De Decimis et denario S. Petri.

Cap. 2. Christianus quisque, decimas seminum primitias, nummumque eleemosynarum illum religiosè pendito. Qui non solverit, Anathema esto. Nec hic fidelis est interpres. Nam tria in lege jubentur; quæ Jornalensis translatio sinceriùs refert, in hunc modum: *Decima præcipimus omni Christiano, super Christianitatem suam, dare: Cyrcsceatum, id est Ecclesiæ censum; & elmesfeoh, id est eleemosyna pecuniam. Si quis hoc dare noluerit, excommunicatus sit.* Itaque præter decimas, census Ecclesiæ dari præcipitur; qui frequenter in Saxonum legibus, *Cyrcsceat* appellatur: quam vocem Juristæ sic exponunt: *Certam mensuram bladi tritici, quam quilibet olim, Sanctæ Ecclesiæ, die sancti Martini, tempore tam Britonum, quam Anglorum solvebant. Plures tamen Magnates, post Normannorum adventum in Angliam, illam contributionem secundum veterem legem Moysi, nomine primitiarum dabant.* tertium quod præcipitur, est, nummus eleemosynarius, Saxonicè dictus Elmesfeoch: nimirum denarius ille quem pientissimi Reges nostri, Offa, Inas, Ethelwolfus, Alfredus, & alii post eos, Rom. Ecclesiæ, cen annuum censum, persolverunt. de quo suprà* pluribus. Eleemosyna dicitur, quia sponte primum collatus est: & in annuam ejus pensionem, cum fidei professione, majores nostri ita consenserant, ut nepotes quoque ad ejus solutionem tenerentur, lege latâ. Unde quantumvis eleemosyna audiat, stricto tamen jure debetur; nec malè, quia Ecclesiarum Principi penditur, tributum quandoque appellatur, ut dictum suprà*.

apud Spelm. fol. 425.

Fleta M. S. l. 2 c. 47. apud Selden. de Decimis, c. 8.

v. an. 726.

* an. 888. n. 8

XVIII. De Homicidio.

Cap. 3. Si quis hominis Christiani sanguinem effuderit; ad regium conspectum (etsi eis serviverit) non admittitor: ni prius id sceleris (juxta ac fuerit et ab Episcopo imperatum) compensarit.

De stupro Monialis.

Cap. 4. Si quis monialem stupraverit: aut instar homicidæ compensato; aut sacra sepultura prohibetor.

Idem juris esto, si quis adulterio commisso conjugium violarit.

DE ECCLESIARUM RESTAURATIONE, ET ORNATU. *Cap. 5. Episcopus omnis, suis ipsius sumptibus domum Dei instaurato; Regemq; de reliquis sacris ædibus (id quod valde est necessarium) compositè ornandis, admoneto.*

Cap. 6. Qui pejeraverint, aut barbara factitarint sacrificia; divinis omnibus (ni ocyùs resipuerint, animumq; in melius emendarint) perpetuum arceantor. Nec plures, hac sessione leges latæ. Fuerunt quidem alia decreta, quæ alteram Remp. tangebant: Sed nec Lambardus, nec Spelmannus illa recensuit: & non Londini, sed Culintoniæ sancita feruntur. Cæterùm quæ altera sessione lata sunt, & miscellanea supra vocantur. Sic è Lambardi versione referuntur.

Procemium.

XIX. EGo Edmundus Rex, omnibus qui in ditione ac potestate mea sunt, senibus & juvenibus, clarè significo; me à sapientissimis regni mei, in celebri tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum frequentia, studiosè requisivisse; quo tandem pacto, Christiana proveheretur Fides? Atque nobis omnibus commodissimum visum est; ut amorem, ac mutuam inter omnes benevolentiam, per omnem ditionem nostram foveamus. Etenim nos omnes, harum tædet quotidianarum pugnarum: & propterea ad hunc modum statuimus.

DE HOMICIDIO. *Cap. 1. Si quis alium posthac interfecerit; solus cum interfecti cognatis inimicitias capitales suscipito; nisi integram capitis ejus æstimationem (cujuscumque id fuerit conditionis) amicorum ope fretus, intra duodecim menses, persolverit. Sin eum cognati ejus, pro derelicto habuerint: neque verò quisquam pendere voluerint: ipse inimicitias subito solus; at illi pro inimicis non habentor. Ei tamen interim cognati ejus victum nec suppeditanto: neve cum eo pacem habento: id quod si quis eorum fecerit, fortunis suis omnibus Regi mulctator. Et qui prius cognatum suum, pro derelicto habuit; is jam cognatis interfecti, pro inimico habetor. Atque si alium quemcumque præter interfectorem ipsum, cognatorum quisquam ultus, persecutusq; fuerit; is fortunis suis omnibus mulctatus, Regi & omnibus amore cum persequentibus, pro inimico putandus est.*

XX. DE OPPUGNANTE ALIQUEM IN ÆDE SACRA. *Cap. 2. Si quis ad templum, oppidúmve Regium confugerit; eumq; alius oppugnarit, damnóve affecerit: is, prout antea effati fumus, tenetor.*

MULCTA PUGNÆ NON REMITTITUR. *Cap. 3. Nulla pugna, aut homicidii nomine irrogata remittitor mulcta.*

DE SANGUINEM HUMANUM FUNDENTE. *Cap. 4. Clarè autem significo, non fore ei qui sanguinem humanum effuderit, suffragio domum meam: ni prius Deo, ac sibi cognatis cumulate satisfecerit: & præterea impleverit, quodcumque ei fuerit ab Episcopo (in cujus id diœcesi acciderit) imperatum.*

Cap. 5. Maximas autem Deo, & vobis omnibus ago gratias; qui me auxilio vestro, in hac pace, quam ad profligandos fures sanximus, lege adjuvistis. Ac vehementer confido: eò vos propensius nobis impolterum opitulaturos; quo hujus decreti observantia magis videbitur necessaria. Hæc de Edmundo leges ferente. quæ multò rectiùs Edmundi leges vocari possunt, quàm illæ priores; quia cives, non Ecclesiam, spectant.

XXI. MORITUR WITHREDUS LINDISFARN. EPISCOP. Moritur, hoc anno, Withredus Lindisfarnensis Episcopus, ita audit communiter, licet in Lindisfarnensi insulâ nunquam sederit. Nam Episcopi sedes, quoniam ii ec translata Concestriam, cum sancti Cuthberti corpore fuerat. Ibi ergo cum annos septendecim Withredus, pontificali munere functus esset, vita defungitur. Quod ad annum spectat, licet Fasti sequentem ponant, & Uthredum tunc successorem. Alii tamen communiùs, Marianus, Florentius, Wigorniensis, & Godwinus, hunc annum nongentesimum quadragesimum quartum consignant.

SUCCEDIT UTHREDUS.

ANNUS CHRISTI 945.

MARINI II. PAPÆ 3.

EDMUNDI ANGLORUM REG. 6.

I. EDMUNDUS REX COLIT EDMUNDUM MARTYREM. ANNO Domini nongentesimo quadragesimo quinto, Edmundus Rex, rebus præclarè gestis utramque Remp. illustravit. Ordior à sanctiore, quia eam ille semper alteri prætulit. Dixi suprà*, ut sancto Edmundo Regi, & Martyri, Orientales Angli templum posuerant, miraculis ad cultum excitati. Sed deerant Ecclesiæ prædia, & nemo adhuc Regia liberalitate manum porrexerat. Manet hæc latus Edmundum Regem, Regi sancto cognominem, qui hoc anno, ornando Sancto manum porrexit profusissimè, dum non unum alterumque prædium, sed integrum oppidum, in quo illustrissimus Martyr jacebat, Ecclesiæ contulit solenni cærimoniâ. de quo ita scribit Westmonasteriensis: *Anno gratiæ nongentesimo quadragesimo quinto, Rex Eadmundus, Beato Martyri Edmundo dedit Beatricheworth* (sed corrige Bederichwurth) *villam regiam: in qua usque hodie corpus ejusdem Martyris requiescit. Deditq; eidem Martyri, circa illum locum, terram non modicam, quam subscriptione Episcoporum, Comitum, & Baronum, pia devotione coboravit.*

* an. 920.

Westm. hic.

II. INSPEXEMUS HENRICI VIII. PRO EDMUNDIBURGO. Meminit hujus donationis Canutus Rex, cum ipse scripto diplomate eundum etiam locum ornavit: Nam inter cætera hæc habet: *Placuit etiam mihi hanc optionn electionem roborare privilegio isto, in quo videre possis libertatis donum, quod jam olim Edmundus Rex, Occidentalium Saxonum largitus est suo æquivoco; pro nanciscenda ejus gratiâ, & mercede æternâ. scilicet Edmundo Regi & Martyri: quod bona voluntatis voto agere supinus, &c.* Nimirum libertatis donum, quod Edmundus Rex, Edmundo sancto concesserat; Swanus, Canuti parens, violaverat; monachos vexaverat, monasterio censum, gravissimámque servitutem, imposuerat: & tandem sacrilegii pœnas, violenta morte, mirabiliter dederat. Quæ scelera, Canutus expiare, Sanctúmque piis operibus propitiare conatus; non solum *libertatis donum*, restituit; hoc est omnem agrum, villámque, Edmundo sancto: sed prædia multa, possessionesque alias, in ejus cultum adjecit: coronam denique suam, in perpetuæ servitutis argumentum, obtulit, ut infrà pluribus. Quæ omnia benè docebunt Principes, illæsa servare monasteriorum, & Ecclesiarum jura; quæ majores, prudenti consilio, pioq; impetu Sanctis concedunt.

III. Et quoniam in Edmundo Rege sumus, ditaote Ecclesiam; non abs re erit, aliam ejus donationem apponere; quam hoc anno Ethelnoto presbytero concessit; quæ deinde in Wintoniensis monasterii bona transivit: ideoque in ejus Ecclesiæ Annalibus, hunc in modum refertur.

PRIVILE-

Privilegium de Basyng, à Rege EDMUNDO, fratre Regis ETHELSTANI.

EDMUNDI CHARTA ETHELNOTO PRÆSBYTERO.

Summus, & ineffabilis Rex, ac semper magnificus triumphator, oraculo nos hortatur Salomonico, atque divini inspiraminis, dicens: Benefac justo; & invenies retributionem magnam: etsi non ab ipso; certè à Deo. Et iterum egregius prædicator Paulus, & Apostolici certaminis coluctator, ait: Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Quapropter ego Edmund, divinâ Dei fulciente gratiuncula Rex, totius Albionis primicerius, quinquaginta emptam auri solidis proprii iuris aliquantulam terræ portiunculam: hoc est, mansionem monasticam ad Basingum; qua nostro dicitur famine Cyninges hors crobs: & duos cassatos, cum pertinente silva, in acriego, in loco qui dicitur Licepiit, suis cum certissimis territoriis, pascuisve ab antiquis temporibus pertinentibus, ad Beomunsfelda & Middesellum, ob honorem & reverentiam Domini nostri jugem, in possessiunculam cuidam presbytero meo, cui nomen Æetlnodus, libens gratanter impendo. hujus agelli duodecim jugera, sunt juxta locum qui dicitur toe Desford: & viginti quatuor, ubi dicitur Thealagatstune. Hujus donationis effectum augentibus, præmium sempiternum; & resistentibus reddenda coram Christo, in die Iudicii ratio sit.

IV. *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quadragesimo quinto in die III. Kalend. April. hæc chartula, constipulantibus idoneis testibus; quorum nomina infra recitantur, scripta est:*

† *Ego Edmund condonando consensi & subscripsi.*
† *Ego Oda Archiepiscopus.*
† *Ego Wulstan Archiepiscopus.*
† *Ego Eadred Cliton.*
† *Ego Eagif mater Regis.*
† *Ego Ælfeah Episcopus.*
† *Ego Æthelgar Episcopus.*
† *Ego Wulfsige Episcopus.*
† *Ego Wulfhelme Episcopus.*
† *Ego Ælfric Episcopus.*
† *Ælfred Episcopus.*
† *Burgric Episcopus.*
† *Theodred Episcopus.*
† *Cenwald Episcopus.* & item multi.

V. Hæc ferè Episcoporum nomina suprà legimus, in Edmundi donatione alterâ. ad annum nongentesimum quadragesimum. Hic Ælfric & Ælfredus distincti ponuntur: quibus tamen nequeo sedem assignare. præsertim cum Wulfsigo etiam apponatur: nisi dixeris: quod egò omninò dicendum puto: non uno eodémque die; addo, nec anno: sed vario, pro emergentibus quotannis difficultatibus, Episcopos. sua nomina chartis inscripsisse. Sic potuit Alfredus Schirburnensis Episcopus, & post eum Ælfricus, denique post plures annos Wulfsius, sive Wulfsigus, sua nomina scribere; licet eandem sedem omnes tenuissent. Nam Alfredum & Wulsium ibi sedisse, omnes affirmant: sed quia inter eos, multum annorum intervallum est, libenter aliqui Ælfricum, quia fortè toties in Regum chartis invenitur, interserunt. Ego probabiliter puto non differre. Sequitur hanc Edmundi donationem, Æthelnodi presbyteri donatio, monasterio Wintoniensi: quæ quia Edredi Regis tempore facta est, posterius referetur. Nunc debeo Edmundum Regem è templis ad castra deducere: si prius aliam Edmundi munificentiam, paucis edidero. *Edmundus Athelstani frater, anno 945. dedit Burrhico* (fuit is Roffensis Episcopus) *& successoribus Mallingham his verbis: Do terram trium aratrorum in Mealings.* Ita Godwinus. Hic fortè est Burgric Episcopus, qui etiam anno 940. regio diplomati subscripsit. Unde dicendum esset Roffensem Ecclesiam, hoc tempore viduam non fuisse. quod tamen cum Fastis stare non potest. Godwin. in Roffen.

VI. *an.942, 2.

Analafum supra*, Rex Edmundus in baptismo susceperat, donisque auxerat: eo modo, virum sibi & Deo fidelem fore. Sed ægrè, quantumvis lavetur, mutat Æthiops colorem suum. Et qui aut regnandi fiduciâ, aut præmiorum spe, ad Christum accedit; instar spurii vitulaminis non agit radicem altam: & subitò marcescit, si quis fortè virtutis appareat flosculus. *Non diu barbaricus animus*, inquit Malmesburiensis, *in sententiâ mansit; quin & Sacramentum læderet, & Dominum irritaret. Quapropter anno sequenti pulsus, exilio pœnas luit.* Et tunc demum Northumbriæ regnum, quod hactenus varii, regio nomine tenuerant, Edmundo cessit; qui non videtur Regis titulum porrò concessisse, ne majestatis specie, in majestatem pugnarent. Cumbriæ etiam provinciam factioni semper obnoxiam, vi cepit: & erutis duorum Regulorum oculis, qui tyrannidem præsumpserant: *Regi Scotorum Malcolmo*, inquit author qui suprà, *sub fidelitate jurisjurandi commendavit.* Quænam hæc fuerit fidelitas: quæ; inquam, regnandi in Cumbria, leges Malcolmo datæ, expressit Huntindonius: nimirum *ut auxilio foret Edmundo, terra, & mari.* Quod Wigorniensis annum exprimens, ita refert: *Anno nongentesimo quadragesimo quinto (secundùm Dionysium) Magnificus Rex Anglorum Edmundus, terram Cumbrorum depopulatus est: illámque Regi Scotorum Malcolmo, eo tenore dedit, ut terrâ mariq; sibi fidelis existeret.*

ANALAFUS A FIDE RESILIT.

Malmesb. de Reg. l.2.c.7.

NORTHUMBRIÆ REGNUM AD EDMUNDUM REDIT.

Idem suprà.

Wigorn. hic.

VII. DE CUMBRORUM REGNO.

Porrò, Cumbriæ provinciam, hoc tempore, Britanni insederunt, antiqui ac germani incolæ hujus Insulæ; qui seipsos Cambros, sive Cumbros appellarunt. ut notat Camdenus, ubi hanc provinciam explicat. Hi continua temporum serie, Reges inter se habuerunt: ut ii etiam, qui ad Occidentem; quique aut Silures, aut Demetæ, aut Ordovices, dicebantur. Ubique Saxonem aversantes: & quoties opportunitas, aut Hibernis, aut Scotis, aut perduelli Saxoni adjuncti; Regibus graves. Hinc domari interdum, punirique à Regibus; sed nunquam omnino expugnari potuerunt. Quod Edmundum hoc anno coegit, ferro flammáque provinciam vexare: cum paullò priùs Northumbriam subjugasset. Utramque Regis expeditionem, Huntindonius ita describit; *Edmundus Rex, cum redisset ad West-Sexe, & honorabili triumpho susceptus esset: Reges Dacorum, scilicet Anlaf, filius Sidrici, & Reginaldus, filius Gudferdi, fregerunt pacem, quam cum eo constituerant: deprædantes in parte Regni sibi direptâ. Rex igitur fortissimus Eadmundus, cum militari copiâ provectus in Nordhumbre, bello commisso, Reges utrosque, & à regno fugavit, & Nordhumbram primus Regem West-Sexe, in dominio proprio tenuit. Sequenti verò anno totam Cumberland; quia gentem provinciæ illius perfidam, & legibus insolitam, ad plenum domare nequibat; prædavit & contrivit: & commendavit eam Malculmo Regi Scotiæ, hoc pacto, quod auxilio sibi foret terrâ & mari.* Hactenus ille.

Camden. in Cumberlād.

Huntin. l.5. fol. 355.

CUMBRIÆ REGNUM EDMUNDUS VASTAT, ET MALCOLMO COMMENDAT.

VIII. Quod ad tempus spectat, licet Wigorniensis & Hovedenus, Edmundi victorias distinguere videantur; non malè tamen ab aliis conjunguntur. Unnus Florilegus; quem soleo Westmonasteriensem appellare; Cumbriæ depopulationem in annum sequentem refert, ubi Cumbriæ Regem nominat Dummailum, & Demetarum Regem Leolinum. *Anno Gratia*, inquit, *nongentesimo quadragesimo sexto, Rex Fadmundus, adjutorio Leolini Regis Demetia fretus; Cumbriam totam cunctis opibus spoliavit: ac duobus filiis Dummails, ejusdem provincia Regis, oculorum luce privatis; regnum illud Malcolmo Scotorum Regi, de se tenendum concessit: ut Aquilonares Anglia partes, terra mariq; ab hostium advenantium incursione tueretur.*

CUMBRIÆ FINES.

Cæterùm Cumbri, hoc tempore, terras illas tenuisse videntur, quæ inter Severi vallum & Caledoniam sitæ; non quidem Romanorum sedes, Romanorum tamen joris fuerunt. de quibus ita Beda: *Habitabant Romani, intra vallum, quod Severum trans Insulam fecisse commemoravimus, ad plagam meridianam; quod civitates, fana, pontes, & strata ibidem facta, usque hodie testantur. Caterùm ulteriores Britannia partes; vel eas etiam, qua ultra Britanniam sunt, Insulas, jure dominandi possidebant.*

Beda l. c. c. 11.

Has partes ulteriores, à Britannis Meatis incessas, Dio significat in Severo: & illas ego descripsi suprà*, cum Agricolæ ibi pugnantis labores, & Severi Imperatoris victorias, recensui, tomo primo.

* v. an. 83 1. & 211. n. 3.

Porrò, ibi Cumbrorum regnum fuisse, Joannes Tinmutensis in Kentigerni vita, apertè docet: & regni limites constituit: *A muro illo famoso*, inquit, *ad arcendum hostes, à Britonibus, mari ad mare, quondam constructo; usque ad flumen Fordense, id est, ad mare Scoticum.*

apud Usser in Prim. ord fol. 664.

Ex hoc regno, seu Cumbrorum provincia, sancti Niniani ortum, & parentes; non è Venedotia; ut Pitsius, & Balæus putarunt; recensui ad annum Christi 370. ubi etiam Cumbros, ad novissima Anglorum tempora, Reges habuisse dixi: quos omni hoc tempore Britannos fuisse, manifestum est. & nunc primum Scotorum Regi, Anglo-Saxonum munere condonantur. Hinc patet Cumbrorum regnum multò longiùs, quàm hodie Cumbrorum provinciam, patuisse.

IX. DE SANCTO GREGORIO PRÆSBYTERO.

Transit ex hac, ad meliorem vitam, Gregorius presbyter: qui magno loco natos, in Britannià, & Edoardi Regis, cognomento Senioris, consanguineus, Danicam persecutionem fugiens, dicitur Angelico monitus oraculo, patriam reliquisse, & in Germaniam profectus, in monasterio sancti Meginhardi, reliquá vitâ latuisse: ubi monachi veste assumptâ; pientissimè Christo, sub Eberhardo Abbate, militavit: donec anno Domini nongentesimo quadragesimo quinto, ad laborum præmium vocatus; in cœlo gloriam, in terris cultum, & in nostro Martyrologio, inter Sanctos locum meruit, ad vigesimum quintum Decembris. Ita colligunt, ex Arnoldo Wione, & Trithemio, Fasti nostri. Alii tamen, quod ad tempus attinet, Gregorii obitum in posteriora referunt satis probabiliter. Sed quia eum scribunt, Edithæ Reginæ, qui Othoni nupsit, germanum fratrem, Edoardi nostri Senioris, non consanguineum modò, sed & filium faciunt: quod Authores nostri non agnoscunt. Ita ergò de Gregorio isto Magdeburgici.

X. Cent. 10. fol. 674.

Otho Imperator, ab expeditione in Saracenos, ex Italia reversus; sancti Meinradi cellam invisit (Meginhardum intelligunt, quem etiam Meginradum vocant) *ibiq; Gregorium prima sua conjugis Editha germanum fratrem: & Eberhardum, qui summi collegii Argentinensis Decanus fuerat: sed eremitica vita studio, relictis rebus omnibus, eremum ingressus fuerat; offendit. Ibi Imperator, hortante secunda conjuge Adelheide, ex Eremitarum illorum tuguriolo, magnificam divi Benedicti fecit Abbatiam Einsidlensem; quam amplissimis proventibus annuis dotavit; eique Gregorium affinem suum, primum Abbatem præfecit.*

GREGORIUS PRIMUS ABBAS EINSIDLENSIS

Qui vixit usque ad annum Christi nongentesimum nonagesimum sextum. Chronicon Einsidlense Eberardum pro primo Abbate habet, & Gregorium pro secundo, ut Bruschius annotat in Chronologia de monasteriis Germania. Ita scribunt Magdeburgici. Si Otho Imperator, post Edithæ mortem, ductámque Adelheidem, Gregorium in tuguriolo offendit; non potuit ille, hoc anno mori. Nam Edgitham conjugem sepelivit anno 947. Nec Romanorum Imperator creatus est ante annum 962. Incerta ergò sunt,. quæ de anno mortis scribuntur: certum autem, è Regio Anglo-Saxonum sanguine natum, peregrinum Gregorium, in Germaniâ, & magnæ sanctitatis virum fuisse.

XI. MORITUR UTHREDUS LINDISFARN. EPISCOP.: SUCCEDIT SEXHELMUS.

Uthredus, qui superiori anno consecratus est Lindisfarnensis Episcopus, hoc anno vita & officio defungitur. In cujus locum, Sexhelmus successit, successu satis adverso. Nam locum non diu tenuit, quem nunquam meritus est. Nec voluit sanctus Cuthbertus eum sibi ac Deo ministrare; qui ab aliorum Episcoporum pietate degener, seipsum magis quàm gregem pasceret. De eo sic scribit Harpesfeldus. *Sexhelmus paucis mensibus in Episcopatu permansit. Qui cùm sordidè, & avarè, in munere se gereret. multosq; suos, molestiis, & injuriis, vexaret: per somnum illi Cuthbertus apparuit: & mandavit, ut ab Episcopatu se abdicaret, & aliò discederet. Sed cum ille, post primam, atque etiam secundam id genus admonitionem, abitionem procrastinaret: tertiò eum, idq; valdè terribiliter aggressus est; jubens, ut primo quoque tempore, inde se proriperet; neque quicquam ex rebus Ecclesia secum efferret; præsens alioquin ei exitium imminere. Unde ille valde exterritus, & morbo simul correptus, properè abiit. Ubi verò Eboracum venit, sanitati redditus est, morbumq; excussit.* Hæc ille.

Harpesfeld. sæc. 10 c. 12.

SED FUGATUR PER S. CUTHBERTUM.

Quis illi successerit, dicam anno sequenti. Interim, quia in Cuthberti sanctitate versor, non omittam aliud irati animi argumentum: quo Ecclesiam suam, terrásque; quibus fidelium pietas eam olim ornaverat; ab infidelium hominum injuriis potenter defendit.

XII. * h. c. n. 7. REGINALDUS IN SANCTOS IMPIUS MISERE PERIT.

Dixi modò * Reginaldum, in utraque fide impium; Northumbriâ ab Edmondo Rege pulsum; quòd provinciam sibi commissam violenter prædaretur. In hac prædatione, nec Ecclesiis quidem parcitum, quas Reginaldus militi in stipendium diviserat: donec Cuthbertus, eo scelere irritatus, docuit magno infortunio barbaros meliùs sapere. Res gesta narratur in vitâ ejusdem Sancti, hunc in modum. *Posthac verò, Rex quidam, nomine Reginaldus, multa cum classe adveniens; universos meliores, vel in bello prostravit, vel extra patriam fugavit: villas S. Cuthberti militibus distribuit. Quorum unus, tanquam indomabilis bestia, multis sæpè injuriis Episcopum atque populum molestavit. Quem Episcopus blandè corripiens, ut animi*

Capgrav. in S. Cuthberto

rigorem

rigorem deponeret: & abdicato demonum cultu, Creatorem suum recognosceret, sedulò admonere capit. Et ille: Quid hujus mortui hominis minas, mihi quotidie objicitis? Quid putatis contra me vobis valebit, ipsius in quo speratis auxilium. Deorum meorum omnipotentiam contestor, atque per ipsorum gloriam juro: quòd tam ipsi mortuo, quàm vobis omnibus, inimicus ero: & ex hoc apertè discatis; quia mihi, aut ipse, aut vos nihil resistere valeatis. Et ecce continuò tanquam clavis, per utrumque pedum in ostio Ecclesiæ confixus, pallescere & contremiscere, oculisq; sanguineis, & torvis circumspicere, atque diversis membrorum motibus, dolorem quem intus sustinebat, foris ostendere cepit. Et tandem horribiliter clamans, sanctitatem Beati Cuthberti, palam confessus, animam in eodem loco reddere compellebatur. Hæc ibi. Utinam vel hinc Novatores discerent, de mortuis Sanctis, modestè, & cum honore, loqui.

ANNUS CHRISTI 946.

AGAPITI II. PAPÆ 1.

EDMUNDI ANGLOR. REGIS 7.

I. Moritur Marinus Papa 2. Succedit Agapitus. Cent. 10. f. 533

ANNO Christi nongentesimo quadragesimo sexto, moritur Romanus Pontifex Marinus, eo nomine secundus: & successorem accipit Agapitum, qui secundus etiam eo nomine dicitur. *Hic ob vitæ innocentiam, Christianæ religionis amorem, à Nauclero, & Bergomensi commendatur,* inquiunt Magdeburgici. Qui tamen in sequentibus, viri innocentiam denigrare contendunt.

II. Moritur Edmundus Rex.

Moritur etiam in Britanniâ Edmundus Rex, & impiè à Sicario trucidatur. qui regnum fortiùs, nescio an pientiùs, moderatus est. Nam Insulam ab hostibus strenuè defendit; & plurimis in locis Ecclesias, monasteria, ædesque sacras construxerat: cum plura meditaretur ejusmodi pietatis opera, impia manu juvenis cecidit. de quo ita Ingulphus: *Cum illustrissimus juvenis, Rex Edmundus, etiam Croylandiam alicui potenti viro, qui sanctæ religionis existeret amator, proponeret commendare; ad resuscitandum de cineribus suæ desolationis, subito infortunio, in festo sancti Augustini, apud Pucklechirche, à quodam latrunculo* (proh dolor!) *occisus est, & Glastoniæ tumulatus.* Ita ille. nec annum numerans, nec alias mortis circumstantias. Quæ tamen oportet fusiùs dare. Imprimis, quod ad tempus attinet; licet omnes omnino, ad hunc annum referunt; differunt tamen in regni annis recensendis. & sibi ipsis interdum non consentiunt.

Ingulf. f. 871

III. Annus mortis et regni tempus expenditur. Malmesb. de Reg. l. 2. c. 7. Huntind. l. 5. fol. 353. Ethelwerd l. 4. c. 8.

Guilielmus Malmesburiensis disertè affirmat, Edmundum, regnum inchoasse, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quadragesimo, tenuisseque illud annis *sex & semis.* In eandem sententiam scribit Huntindonius: *Edmundus Rex invictus, cum regnasset feliciter sex annis, & dimidio: & omnia ei prosperè contigissent: & solus diceretur Rex in Anglia; nefandâ proditione confossus est; & omnibus seculis detestanda; die sancti Augustini. cui morte inæstimatâ præcepto, pateat Christi pia benignitas.* Ethelwerdus etiam, cum illis est: *Obiit,* inquit, *& Rex Eadmund in solennia Augustini minoris, qui & Apostolus Anglorum. continuitq; regnum sex annos & semis.* Verùm hæc inter se pugnant. Edmundum regnare cœpisse anno Christi nongentesimo quadragesimo (quod omnes affirmant) & mortuum hoc anno ad vigesimum sextum Maii, quod pariter ab omnibus ferè asseritur: hæc, inquam, pugnant cum eo quod dicitur: regnasse sex annos & semis. Enimvero qui Ethelstano fratri, sexto Calendas Novembris mortuo, successit anno Domini nongentesimo quadragesimo, ut suprà* dictum. moriturque hoc anno nongentesimo quadragesimo sexto, ad 26. Maii. quinque tantùm annos regnasse & semis, evidenter convincitur. Melior ergo annorum regni numerus, è Wigorniensi & Hovedeno colligitur: qui ita de Edmundi morte junctim scribunt

* an. 940. n. 1.

IV. Vera ratio temporis. Hoveden. hic.

Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo quadragesimo sexto, magnificus Rex Anglorum Eadmundus, die festivitatis sancti Augustini Doctoris Anglorum: dum in villâ (quæ Anglice Puclecirch dicitur) suum dapiferum Leonem, è manibus pessimi cleptoris; ne occideretur; vellet eripere: quinque annis septemq; mensibus regni sui peractis, indictione quarta, septimo Calendas Iunii, feria tertia ab eodem interficitur. & Glastoniam delatus, à B. Dunstano Abbate sepelitur. Ita illi. sed uterque (ut modò legitur in ultimâ impressione) corrigi debet, ex antiquioribus libris: ubi Wigorniensis cleptorem, non Leonem, sed Leoven appellavit, rectiùs. Unde authores cæteri Latronem illum Leof vocaverunt. Inter quos Florilegus ita pessimi facinoris circumstantias, accuratè describit: *Eodem anno* (946.) inquit, *Rex piissimus Anglorum Eadmundus, dum in festo sancti Augustini, Anglorum Apostoli, omnes regni proceres, ad magnum convivium, in villa Regia, quæ Michelesberith dicitur, invitasset: sicut mos erat Anglis, singulis sacero annis, ob venerationem Beati Augustini, per quem Fidei lumen Angli sunt adepti; congregatis omnibus, & ad prandium Regis considentibus, ceperunt epulari & gaudere: ipso Rege ad hoc plurimum annitente. Tandem cum Rex caput erigeret, ut videret discumbentes, inter cæteros latrunculum quendam, nomine Leof; quem ante paucos annos, propter latrocinium eliminaverat; in aula stare conspexit: Quod Rex nimis molestè ferens, innuit Pincernæ suo; ut furem illum de palatio quantocius amoveret. Sed cum nequissimus ille propter pincernam exire noluisset; Rex nimiâ succensus irâ; de mensa subito exilivit, atque latronem per capillos arripiens, in pavimentum projecit. At proditor ille, cum se læsum, Regemq; in se jacentem sensisset; extracto ocius cultello, quem occultè ferebat, Regem* (proh dolor!) *jugulavit.*

Westm. hic.

Augustini memoria a Regibus solita celebrari.

V.

Quod ad locum mortis, & feralis convivii attinet; licet authores illum variè efferant. Florilegus tamen multùm differt à cæteris, dum Michelesberith appellavit. Sed quicquid sit de antiquo nomine: hodie Pucklechurch: olim communius Puclekerke audiebat: locus in Dobunis, & Glocestrensi agro, ad Avonæ fluminis ripam: hac imprimis Edmundi cæde notissimus: ubi villa Regia, excipiendis convivio Anglorum proceribus opportuna. Illud Edmundus instruxerat, in Augustini Anglorum Apostoli memoriam: quam majores nostri, quotannis solenniter celebrandam, ob ingens orthodoxæ Fidei beneficium; communi primùm receptóque more, deinde latâ lege edixerant: præsertim ab anno Christi septingentesimo quadragesimo septimo; quando Cuthbertus Dorobernensis Antistes, in Concilio

* n. 11.

Edmundus mortuus lugetur.

Cloveshoviæ, legem ſuper eo tulit, ut dictum* ibi. Nunc ad Edmundum mortuum, & provincialium lacrymas redeo: qui optimæ ſpei Principem, in ætatis flore abreptum; non ſine causâ planxerunt. Quantus fuerit civium & procerum luctus; vel inde concluditur; quod omnes unanimi impetu ingentes in Regicidam iras effuderint. *Latro*, inquit Malmeſburienſis, *mox concurrentibus ſatellitibus, membratim diſſectus, priùs nonnullos ſauciavit.* paulò atrociùs in latronem ſævitum eſſe Florilegus videtur aſſerere. *Videntes*, inquit, *Regis milites, & miniſtri, Dominum ſuum mortuum, & ſanguine tabefactum, irruerunt omnes in latronem illum, atque corpus ejus totum, & oſſa, in fruſta minutiſſima conciderunt. Sicq́; clarum regalis convivii principium, nubiloſus rerum geſtarum exitus terminavit.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 7.

Weſtmonaſt. hic.

VI.

Quis putas, Lector, inter hæc optimorum ſuſpiria, civiúmque lacrymas, riſit? Unus enimverò lætatus dicitur, monaſteriorum, Eccleſiarum, & omnis pietatis oſor, diabolus; quem Dunſtanus ſanctus ridentem vidit. de quo Malmeſburienſis. *Previderat tam infamem finem beatus Dunſtanus, tunc Glaſtonienſis Abbas, dæmonis ante ſe ſaltantis geſticulationibus, & plauſibus edoctus ſcurrilibus.* Quod paulò latiùs in Dunſtani vitâ ſic legitur. *Contigit ut Regem* (Edmundum) *loquendi ſibi cupidiſſimum, Dunſtanus adiret. diabolum ſcurræ ſimillimum. coram equitantibus deprehendit ſaltantem. & quaſi de futuro aliquo lucro gloriantem. Cujus præſentiam cum populo indicaſſet; formamq́; omnium conſpectibus horribilem, ex imperio, denudaſſet; requiſitus, quid ejuſdem monſtri tam petulans lætitia portenderet: Ille, mortem Regis, regniq́; mutationem, proximam eſſe denuntiat. Poſt hæc verò, intra ſeptem dies, & Rex occiditur, & regnum mutatur.* Sperabat, opinor, malus genius, Edmundo ſublato, Regiæ pietatis ſequuturum deliquium: & monachos, qui creſcentibus latifundiis, in magnum numerum ſurgere cœperant, anguſtiùs victuros. Sed falſus eſt. Nam ſucceſſorem Edmundus habuit, qui tam fidei & pietati ejus, quam regno ſucceſſit. de quo ſtatim, cùm mortuo Regi juſta perſolvero.

Malmesb. ſuprà.

apud Capg. in Dunſtano

VII. Edmundus in Glastonia sepelitur a S. Dunstano.

Edmundi corpus, Glaſtoniam delatum; quam impensè priùs ornaverat, ibi à S. Dunſtano ſepelitur. hoc enim Edmundi conſilium fuiſſe, facilè collegerunt, mentis ejus, conſiliorúmque interpretes. Qui etiam ſuffragia pro ejus animâ, ab omnibus poſtularunt: & quo æterna eſſent: Regiam villam, quæ mortuum prima excepit, Glaſtonienſi Eccleſiæ donaverunt, eâ lege: ut requiem ejus animæ omnia ſæcula precarentur. Sic Malmeſburienſem intelligo, qui ita Edmundo parentatum ſcribit. *Communi ergò decretum conſilio*, inquit, *& Edmundi corpus Glaſtoniam delatum; ibiq́; in aquilonari parte turris, magnificè humatum. Id enim voluiſſe, pro familiari Abbatis amicitiâ; per nonnulla claruerat indicia. Data in inferiori villa, in quâ occubuerat; ut, quæ ſemel conſcia fuerat homicidii: ſemper impoſterum pro animâ ejus eſſet adjutrix beneficii.* Hæc eſt, fuitque ſemper, noſtrorum Chriſtianorum Principum Fides Regia, ut in Conſtantino, & ſequentibus ſæculis vidimus. Hæc Fides Eccleſias & monaſteria ſtruxit. beavitque omnes, quotquot beati fuerunt. Edant Novatores; qui templa, monaſteria, & ſuffragia iſta deſtruxerunt: edant, inquam, ſi poſſunt, Regem aliquem aut Principem, qui mortuis iſtiuſmodi beneficia negavit. Neminem ſane, nominare poſſunt, niſi eum qui lugentibus bonis ſuper riſit; Principem & Rectorem tenebrarum ſuarum.

Malmesb. ſuprà.

Suffragia pro mortuis.

EDREDUS ANGLORUM REX.

VIII. Edredus regnat.

Duos filios, ex Elſgiva conjuge, Edmundus Rex ſuſceperat, adhuc ſuperſtites, cum vita & regno defungitur; ſed quia neuter ad coronam maturuerat: Edredus, Edmundi frater, procerum populique ſuffragio regnare jubetur. Quare factioſus ille Foxius, ut aliàs ſæpè, in majeſtatem peccat; dum Regis titulo Edredum non dignatur. Sed adminiſtravit, inquit, regnum, ceu protector, novem annorum ſpatio, donec Edwius major natu filius adoleſceret: quo omni tempore, magna moderatione fideque ſe geſſit, erga regios pueros. Ita ille, Edwio juveni petulantiſſimo, faventior, quàm pientiſſimo Edredo. Cæteri authores, Malmeſburienſis, Florentius, Ethelwerdus, Ingulfus, Hovedenus, Florilegus, antiqui omnes: & recentiores etiam, Edredum Regem proclamant, ſucceſſorémque in regno proximum. Et nè ullum dubium eſſet, hoc ipſo anno, ſub Auguſtum menſem, ſolenni cærimonia, *in Kingſtona villa Regia*, inquit Florilegus, *regni diadema, à Beato Odone Archiepiſcopo Cantuarienſi, ſuſcepit, decimo ſeptimo Calendas Septembris.*

Weſtm. hic.

IX. Edredi pietas, in Dunstanum.

Diſplicuit, opinor, factioſo homini, Edredi pietas; qui Edmundum fratrem ſecutus, & fortè ſupergreſſus; Eccleſiam ornavit, monaſteria extruxit, monachos, & monachorum Principem Dunſtanum, amavit. quod omnium ſacrorum oſores impatienter ferunt. Weſtmonaſterienſis ita paucis Edredi Regis exordia deſcribit: *Hic Rex nobilis, non diſpar prædeceſſoribus ſuis, Beatum Dunſtanum, tanto charitatis ardore, dilexit; ut omnes theſauros ſub ejus cuſtodia commendaret.* Unde felicem Eccleſiæ noſtræ ſtatum, ſub Edredo Rege fuiſſe, colligit Baronius: *Hoc eodem anno*, inquit, *Anglicana Eccleſia, novo Rege Edredo, ſubrogato fratri ſuo Edmundo, benè diſponitur; dum ſancto Dunſtano tantum regnum gubernandum committit; quod tenuit annos novem.* Hæc ille. Si Edredi Regis mores inſpicio, & corona dignum invenio, & benè à Sancto viro doctum. *Is Rex factus* (loquitur Polydorus) *continuo omnium ſtudium habuit: erat enim innocentiæ fautor, omniúq; noxiorum hominum generi longè inimiciſſimus. Item militaris diſciplina, apud cunctos peritiſſimus, tum primus habitus. Unde facilè Scotos, jam ante id tempus, ab Adelſtano fratre in fidem receptos, in officio continuit.*

Baron. hic n. 7.

Virgil. l. 6 ſol. 111.

X.

Factum id hoc anno, cum ſtatim ab accepta regni coronâ, in Septentrionem profectus; provincias illas, internæ externæque factioni facilè obnoxias; hoc eſt, Scotorum, Hibernorum, Danorumque tumultibus obvias; prudenter compoſuit. Quod Florilegus ita ad hunc annum refert: *Edredus, ut ſuus germanus priùs egerat Rex Eadmundus, Northanhumbriam totam, in ſui dominium redactam, a Rege Scotorum fidelitatem accepit, & inſuper Eboracenſi Eccleſia Metropolitana, duo ſigna non modica devotus donavit. Denique cum a Rege Cumbrorum juramentum fidelitatis accepiſſet; & partes illas in ſecuritate poſuiſſet; verſus Auſtrum cum ſuis contendit.* Videtur ergo armata manu ad

Northumbros ivisse: quos, quia facilè, & nullo fuso sanguine, in officio continuit; duo signa militaria Eboracensi Ecclesiæ, in devoti animi argumentum, obtulit. quo Deo, Domino exercituum gratias haberet. Est tamen qui putet, Northumbrorum aliquos secessionem meditantes; ab Edredo vi coactos ferrè jugum servitutis. Illi sine dubio fuerunt; si qui fuerunt; qui Scotis proximi, sperabant inde factionis alimentum. Nam ita scribit Huntindonius: *Edredus, frater Edmundi, filiúsq;* (sed malè, nam frater quoque erat) *Regis Adelstani, fratri suo successit in regno: & eodem anno Nordhumbros jugum dominationis suæ, ferre nolentes, cum validâ armatorum manu petiit; totamque sibi conquisivit. Inde verò in Scotiam vexilla direxit. Scotti igitur nimio terrore percussi, sine bello subdiderunt se Regi; & juraverunt etiam Northumbri, quàm Scotti, debitam Domino fidelitatem.* quod tamen juramentum diu non duravit. Ita ille. Aldredus hoc anno consecratur Lindisfarnensis Episcopus.

Huntind. l. 5 fol. 355.

Aldredus Lindisfarn. Eps.

ANNUS CHRISTI 947.

AGAPITI II. PAPÆ 2.

EDREDI ANGLORUM REG. 2.

I. Motus in Septentrione.

Vix è Septentrione ad austrum redierat Edredus Rex; cùm boreales populi, res novas meditati, tandem in apertam factionem diviserunt, anno Christi nongentesimo quadragesimo septimo, priusquam Edredus alterum regni annum inchoasset. Licet enim hunc Christi annum, Regis secundum computemus, pressè tamen loquendo, ab initio anni, ad Junium usquè mensem, primus tantùm Regis annus numeratur: quod etiam in Regum chartis passim observatur, ut completos regni annos, non inchoatos adnotent quemadmodum sequenti anno, in Edredi diplomate legemus. Edredus ergò hoc anno, ut audivit Northumbriæ motum, consiliúmque constituendi ibi Principem, qui rerum summâ potiretur; mitioribus armis pugnandum ratus; misit à suo latere fidum nuntium, qui perduellium consilia anteverteret: & priùs extingueret factionis flammam, quàm incendium nasceretur. Turketulus in eam rem designatus est, regni Cancellarius, qui olim in Northumbria, pro Ethelstano pugnans, rem strenuè gesserat: & prudenter omnia gesturus credebatur. Ut eò iverit, ut motum composuerit, ut per Croylandiam, in itu, redituque transierit. & visâ monasterii illius desolatione; pium devotionis imperum animo conceperit, dicam anno sequenti. Interim Northumbrorum consilia exploremus.

Edredus illum antevertit.

Turketulo in Septentrionem misso.

II. Septentrionalium consilia

Illi, cum Regem è provinciâ abesse sensissent; in varia studia distracti; nunc Analaso Hiberno, nunc Irico Dano favere; illis provinciæ Imperium offerre; Edredi demum denominationem exuere, cogitarunt; eò feliciùs; quòd clerum etiam, & cleri Principem Wulstanum Eboracensem Episcopum, in criminis societatem pellexerant. Porrò Analasus, de provincialium studio edoctus; & suo satis impetu, ad regnandum promptus, videtur hoc anno ad Northumbros trajecisse. Nam ita Huntindonius: *Edredo everso in Australes regni sui partes, Analaf, qui à regno Nordhumbræ fugatus fuerat, rediit cum magnâ classe in Nordhumbram: & cum gaudio susceptus est à suis, & regno iterum restitutus, quod in fortitudine tenuit quatuor annis. Quarto autem anno solitâ infidelitate utentes, Nordhumbri fugaverunt Regem eorum Aulaf, & susceperunt Heric, filium Haraldi, in Regem. Sed ille iterum brevi tenuit regnum.* Ita Huntindonius. Authores alii, Malmesburiensis, Wigorniensis, & Florentius, missâ Analasi mentione, Iricium Danum in Regem à Northumbris electum scribunt. Et Hovedenus hoc anno id factum dicit. *Anno*, inquit, *nongentesimo quadragesimo septimo, Wulstanus Eboracensis Archiepiscopus, proceresq; Northumbrenses omnes, in villâ quæ dicitur Tadenesclif, egregio Regi Anglorum Edredo fidelitatem juraverunt; sed non diu illam tenuerunt. Nam Eiricum quendam, Danicæ stirpis progenitum, super se Regem levaverunt.* Verùm de hoc iterum anno sequenti: quando misso ad Wulstanum Turketulo, fidelitatis juramentum præstitum videtur.

Huntind. fol 355.

Analafus in Northumbriam redit.

Iricius Danus.

Hoveden. hic.

III. Dubia in Fide nascuntur, et solvuntur.

Interim alium animorum motum, qui ad austrum, vel ad Orientem potiùs nostrum fuit, explicare necessum est: quia factiosi, quos majorum Fidei perduelles arguimus: quicquid in cœlo nostro vitiosum olim fuit, quicquid in fidem, mores, ritúsque peccans; avidè hauriunt, pessimè digerunt, & futilia inde argumenta deducunt. Nos contra, si in cœlo nostro, nubes aliqua, singulariter aliquando ab Authoribus notetur; colligimus inde serenitatem præfuisse: & satis miramur factiosorum genium, qui sæculorum sordes colligunt, & in illis ædificant Babelem suam. Hic ergò Anglicanæ Ecclesiæ maculam ostendo; & illâ mirabiliter abstersâ, cœlum nostrum splendebit illustriùs: ut gratiæ modernis habendæ sint; qui dum uno alteróve nævo, quem in magna Rep. non mirum est esse; contendunt augere factionem suam; Romanam Ecclesiam ingratiis ornant. Res ita se habet. Scrupulosiores aliqui in rebus fidei, quos oportuit modesto silentio Ecclesiam audire, & Christum dicentem: *Hoc est corpus meum*: anxiâ mente hærebant, de Sacramenti veritate: num revera post Sacerdotis invocationem, consecrationémque panis; Christi corpus, an umbra solùm, & figura corporis esset. Odo sanctus Dorobernensis Episcopus, qui ut supra, ex ejusdem Epistolâ scimus, totus erat in animarum salute procurandâ; laboravit hanc scabiem, in Cantio enatam, ab ovibus suis, nè porrò serperet, prohibere. Difficilis videbatur curatio: nam quibus argumentorum cuneis expugnabitur animus, qui ipsi Christo affirmanti suum esse corpus, non cedit? Num Patres audiet, aut subtiliora argumenta, qui apertis Scripturæ syllabis, & tantæ verborum claritati non credit? Potuisset Odo, & optimus quisque, cum Platone dicere: Abeat ex hoc animalium numero pulcherrimo, & Deo proximo, mutis aggregetur animal, ita sensibus natum, ut illis unus credat.

IV. Eucharistiæ veritas miraculo asseritur.

Verùm perire quemquam è suo grege, noluit pius pastor: Christum ergò orat, ut probare sua verba, & vacillantes paucorum mentes, vel miraculo curare dignetur. Oravit Odo, Deúmque exoravit. Nam dum in Missæ sacrificio, Sacramentum de more partitur; mirum dictu! manare sanguis, in veri corporis argumentum cæpit. Hoc, quia ingens miraculum est, & in orthodoxæ

Fidei

Capgrav. in Odone.

Fidei probationem editum, antiquorum verbis accipe. *Eo tempore* (ita Osbernus in vitâ Odonis) *quidam de clero Cantuariensis Ecclesiæ, asseverare conabantur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem, in priori substantiâ permanere, & figuram tantummodò esse corporis, & sanguinis Christi; non verum Christi corpus, & sanguinem. Quorum ille (Odo) enormem perfidiam destruere cupiens; dum quâdam die in conspectu populi, Missam celebraret: fusis ad Deum lacrymis, Dei clementiam postulavit; ut ad expellendos hominum errores; divinorum mysteriorum declararet proprietatem. Cumq; ad confractionem ventum fuisset: confestim inter manus Pontificis, fragmenta corporis Christi, sanguinem manare cœperunt. Stans itaque Pontifex, & præ gaudio uberes lacrymas fundens; innuit astantibus ministris, ut illi propiùs accedant, qui nuper in fide titubaverant. Qui in tantarum rerum consideratione pavefacti, exclamaverunt. O inter homines felicissimum, cui hodie Filius Dei semetipsum in carne dignatus est revelare! Exora Præsul sanctissime, ut in pristinam formam, sanguis præsens commutetur: ne nos, propter infidelitatis errorem, divina ultio sequatur. Oravit ergò: & respiciens ad aram, ubi dimiserat sanguinem, reperit vinum.* Ita Osbernus.

V. Corollaria.

Ex hac narratione prudens quisque multa colligit: nimirum, creditum hoc tempore passim in Insulâ, post sacrosancta consecrationis verba, in Missæ sacrificio; non panem ultra, sed verum Christi corpus esse; ut hodiéque docet Roma. Credi, inquam, passim ab omnibus, & contrarium dogma, *enormem perfidiam* esse. Iterum, Deum hic, ut aliàs sæpè; ita rem esse, miraculo docuisse; & eodem confirmasse Odonis sanctitatem. vacillantium fidem, verba sua. Denique permittere magnum patremfamilias, in area sua paleas aliquas, ad tritici firmitatem. permisisse etiam Thomam dubitare, ut omnes crederent. Quid ad hæc factiosus? Ridet nimirum, ut ille

v. an. 946. n. 6. *nuper in Edmundi morte; tripudiat, & canit Io triumphe: nos numeri sumus. En, non creditum omni tempore, nec in omni Insulâ Transsubstantiationis mysterium. Nam Odonis tempore, aliqui dubitarunt; Osberno id asserente, antiquo teste. Ita est: & eodem teste dubitatio illa, *enormis perfidia*, & *infidelitatis error*, appellatur: quo morbo, quotquot tenebantur; miraculo conversos, affirmat manus dedisse veritati. Itaque factiosorum numerus, eodem quo asseritur argumento, evanescit. Cæterùm potiori jure gloriari poterit infidelis quispiam; habere se, & olim habuisse erroris socios; Propheta teste: quia dixit insipiens in corde suo: Non est Deus: & ita antiquo illo argumento, probare infidelitatem suam. Nos non negamus, in magno corpore, esse aliquando morbos; non negamus in cœlo nostro, interdum nubes fuisse: Imò dicimus, cum gentium Doctore: *Oportet & hæreses esse: ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.*

1 Cor. 11. v. 19.

Oportuit aliquos in Angliâ dubitasse; ut nobilissimum Fidei mysterium, probatum sæpè, manifestum fieret in nobis. *& invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicerentur.* Qui itaque legunt has sæculorum maculas; & inde suam fidem colligunt, & confirmant Ecclesiam; infidelibus inscendi sunt, inormis perfidiæ rei; iisque longè deteriores, qui miraculo conversi sunt.

Rom. 1. v. 20.

VI. Novatorum auxesis.

Nescio an magis peccet ille, qui è paucorum dubio, quod statim evanuit; magnam litem contentionémque composuit: & finxit omnem Cantuariensem clerum, in Odonem surrexisse, super hac quæstione. quem ille, scilicet, præstigiis dementaverit. *Hac tempestate*, inquit Parkerus, *acerba lis, & contentio gravis Odoni fuit, cum clero Cantuariensi, de pane Eucharistico. Alii post consecrationem, priorem in eo manere substantiam: & panem, tantùm figuram esse corporis Christi; ac vinum sanguinis, affirmabant. Quos Odo non solidis Scripturarum argumentis; sed quibusdam præstigiis, atque hoc mendaci satanæ miraculo, diluere contendebat. Celebrante, quodam die, ante populum, Missarum solennia; cum gemitu & lacrymis, divinum auxilium implorabat, ut infitum pluribus errorem, cœlesti quodam miraculo depelleret.* Ubi ad *confractionem ventum esset: confestim inter manus Pontificis, fragmenta corporis Christi tenentis, sanguis guttatim defluere cœpit: compunctis ad id fortasse digitis, &c. Atque hoc fuit Transsubstantiationis Papistica initium: quam monachorum fœda turba, pro vero, misera plebi obtrusit.* Hæc ille: qui paulò post de Odone sancto ita loquitur. *Odo verò, ubi Cantuariensem dignitatem plurimis annis rectè administrasset; tandem senio confectus, animam exhalavit.* Ergò præstigiis, & mendaci satanæ miraculo, Cantuariensem clerum dementare: digitos compungere, ut fingat prodigium, & illud miseræ plebi obtrudere: est, Parkero interprete, Remp. rectè administrare. Nec potuit Odo solidis Scripturarum argumentis clerum convincere: quia nullibi fortè, *corpus Christi, Caro Christi, sanguis Christi*, in Scripturâ nominatur. Adde: persuadere Lectorem vellet Parkerus, Odonem solum, pro Transsubstantiatione, in Cantuariensem clerum stetisse: & inde acerbam litem, gravémque contentionem, enatam esse. quæ omnia, cum auxesi dicuntur: & Cantuariensis cleri fides admodum pervertitur. dum paucorum crimen omnibus affingitur. Enimverò quidam tantùm peccaverunt: nec tales, aut tot erant, qui acerbam litem movere poterant.

Antiq. Brit. in Odone.

Parkerus sibi contradicit.

VII. An dubitans clerus hæreticus fuerit?

An obstinatè defenderint opinionem suam, qui de clero dubitarunt; non invenio: quia tamen dubius in fide, tot sæculis credita, tot argumentis asserta; meritò in Fidem peccare dicitur. Ideo fortè dubitantes isti, hæreticorum nomine audiverunt. Sed brevis error fuit, & statim hæresis evanuit, tam Odonis sanctitate, quàm Deo mirabiliter operante. Aubertus Miræus, hoc Odonis miraculum referens; hæreticos vocat qui è clero dubitarunt. Tempus etiam, annumque exprimit, & nati, & denati erroris. *Circa annum*, inquit, *nongentesimum quadragesimum septimum, apud Anglos, in urbe Cantuariensi (cui tunc beatus Odo Archiepiscopus præerat) cum hæretici quidam assererent, panem & vinum, in verum Christi corpus, & sanguinem, non transmutari. Idem Antistes Deum rogavit; ut sua mysteria patefaceret. Itaque inter Missæ solennia, cum hostia sacra, de more, esset divisa; inter manus Pontificis sanguinem emisit.* Non est opus probare pluribus, insigne Odonis voto obtentum miraculum: Nam extant passim hujusce veritatis similia argumenta, eáque illustrissima, & omnibus, qui videre volunt, conspicua. Nec Lectorem amando in alium orbem. Belgica vicina est, Ibi Bruxellæ nobiles, Lovanium doctum,

Miræus in Fastis 16 Junii.

simili

simib miraculo hodi'q; e ornantur. proſtantque ibi viva argumenta, loquentia, clamantia, veritatem verborum Chriſti. Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus. ut noo ſit opus digitos compungere, aut fictione, & præſtigiis uti. Nec poſſunt factioſi cum Parkero dicere: monachorum ſæda turba hæc miſeræ plebi obtruſit, quia omnis ordo, ætas, ſexus, & prncipes viri, ita credunt, atque reverentur. Et ſuperiori ſæculo

Ratbertus de Corpore & Sanguin. cap. 14. ſcripſit doctiſſimè Paſchaſius Ratbertus ita: *Nemo, qui Sanctorum vitas, & exempla legerit, poteſt ignorare; quòd ſæpe hæc myſtica corporis & ſanguinis Sacramenta, aut propter dubios, aut certè propter ardentius amantes Chriſtum; viſibili ſpecie, in agni formâ, aut carnis, & ſanguinis colore, monſtrata ſint: quatenus de ſe Chriſtus clementer adhuc non credentibus, fidem faceret. Ita ut dum oblata frangitur vel offertur hoſtia, videretur agnus in manibus, & cruor in calice; quaſi ex immolatione profluere: ut quod latebat in myſterio, pateſceret adhuc dubitantibus in miraculo.* Vide etiam quæ ſequuntur in Ratberto de Corpore & Sanguine c. 14. Abſteeſa hac nube è Cantuarienſi cœlo; vel inde jam patet, & priùs & poſteriùs*, ſudum fuiſſe.

VIII. Serenitatem enimverò Edredus Rex pollicetur; dum Eccleſiam ornat, monaſteria auget, Sacerdotes honorat, & eorum commendari precibus poſtulat. Extat Regia Charta; hoc anno data; priuſquam ſecundum Regni annum inchoaret. In quâ Edulfo ſacerdoti, prædia concedit, ea lege; ut poſt dicti Sacerdotis mortem, ad monaſterium tranſeant: Nec enim Sacerdotes, aut uxores, aut liberos habebant; ut ſomniant factioſi; quos bonorum ſuorum heredes ſcriberent. Ita ergo Edredus, tumido ſatis. pro more ſæculi, procemio, donationem ſuam auſpicatur.

IX. EDREDI CHARTA EDULFO SACERDOTI. *Annales de Hida.* *IN nomine Dei, & Domini noſtri* JESU CHRISTI, *veri Redemptoris mundi Omnipotens factor, atque monarchus, diſpenſator, quadrifidi autem ſceptra coſmi viſibilis liberum arbitrium ſibi tradens: humana tantùm creatura diſponere, piè & miſericorditer conceſſit: ita ut cæleſtis hierarchus, diverſis gradibus ſua largitatis largiſluam donationem latè diſtribuit Regibus, Epiſcopis, Principibus, Abbatibus, præpoſitis: quatenus unuſquiſque, in ſuo ordine, pro terreno lucro, ſibi commiſſo talento, in die examinationis, duplicatum negotium, nulla obtinente ſegnitiâ, repreſentat. Nam ego Edredus Rex, in mei præcordii penetralibus voluntas experienſſum quod mercedem æterna beatitudinis recepturus ſim, ſi cunctis velle Dei ſubjicientibus favere non recuſabo: ut veritas mellita ſua orationis oracula protulit, dicens: Date & dabitur vobis.*

X. *Quapropter ego Edredus, Rex Anglorum, cæterarumq; gentium, in circuitu perſiſtentium Gubernator & Rector; uni venerabili Sacerdoti, nomine Edulfo; cui memetipſum in ſuis ſacris orationibus commendo; decem manſas tribuo, in loco qui dicitur Leghford, eo pacto, ut habeat & poſſideat, quamdiu vivat. Cum autem univerſitatis viam adierit; monaſterio monialium, quod in Wintonia urbe ſitum eſt, quinque eribucatas manſas contradat. Alias verò quinque, ad monaſterium in quocumque ejus corpus ſepultura traditum fuerit; cum mentis alacritate, utrumque perpetualiter tribuat. Sit autem prædictum rus, liberum, ab omni mundiali obſtaculo, cum omnibus ad ſe ritè pertinentibus, campis, paſcuis, pratis, rivis: excepto communi labore, expeditione, pontis, arciſve coædificatione. Si quis alium antiquum librum in propatulo protulerit: nec ſibi nec aliis proficiat. Sed in ſempiterno graphio deleatur; & cum juſtis nec ſcribatur, nec audiatur. Si quis autem, quod non optamus, hanc noſtram donationem infringere, vel mutare ſategerit; horribiles inferni ſuſcivalvas ſentiat, atque terribiles dæmonum cohortes, ſuis obtutibus indefinenter aſpiciat, niſi priùs digna ſatisfactione emendaverit pœnitentia ante mortem. Iſtis terminis prædicta terra circumdata eſt & gyratas antiqui veraci aſſertione dixerunt. Iſti ſunt termini terrarum pertinentium ad Leyghford. Imprimis incipe. &c.*

XI. *Acta eſt hæc præfata donatio, anno ab Incarnatione Domini noſtri* JESU CHRISTI *nongenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione quinta.*

† *Ego Edredus, Rex Anglorum, præfatam donationem ſub ſigillo ſanctæ Cru†cis indeclinabiliter conſenſi, atque roboravi.*

† *Ego Eadgifu, ejuſdem Regis mater, cum ſigno ſanctæ Cru†cis, confirmavi.*

† *Ego Odo, Dorobernenſis Eccleſia Archiepiſcopus, ejuſdem Regis Principatum, & benevolentiam cum ſigillo ſanctæ Cru†cis, concluſi.*

† *Ego Wulſtanus, archons divina ſervitutis officio mancipatus, Eboracæ civitatis Archiepiſcopus, ſigillum ſanctæ Cru†cis impreſſi.*

† *Ego Theodred Londonienſis Eccleſiæ Epiſc. corroboravi.*

† *Ego Ælfheah Wintonienſis Eccleſiæ Epiſcopus teſtitudinem ſanctæ Cru†cis ſubſcripſi, & confirmavi.*

† *Ego Cenwald Epiſcopus conſenſi.*

† *Ego Aelfric Epiſcopus conſignavi.*

† *Ego Æthelgar Epiſcopus confirmavi.*

† *Ego Ælfred Epiſcopus corroboravi.*

† *Ego Wulfſige Epiſcopus concluſi.*

† *Ego Æthelſtan Dux.* &c.

Ita referunt Edredi donationem, Annales de Hida. De ſubſcribentibus Epiſcopis, qui cum Sede nominantur; nulla eſt difficultas. Qui ſcribitur Ælfheab Wintonienſis: ipſe eſt Elphegus, cognomento calvus, quem Weſtmonaſterienſis ſuperiori anno mortuum putavit, & eum ſequutus Baronius, ita ſcribit ad hunc annum: *Moritur hoc anno (947.) ſanctus Ælfegus, Wintonienſis in Angliâ Epiſcopus, ſanctitate clarus, & ſpiritu prophetiæ imbutus, de quo iſta ſcripta reperimus, hoc anno, quo fuit ejus tranſitus.* Tum refert ea, quæ ſuo loco dabimus è Florilego. Nec enim putamus, hoc loco referenda, cum plures, & antiquiores affirment, eum adhuc ſuperſtitem, nec niſi anno nongenteſimo quinquageſimo primo mortuum. In quam ſententiam ideo propendeo; quia poſt annum ſequentem, invenio ipſum Regio Edredi diplomati iterum ſubſcripſiſſe. Qui ſupra ſcribitur Wulfſige Epiſcopus; opinor is eſt, quem Wulfſium alii vocant Schirburnenſem Epiſcopum. Ille tamen in Faſtis ſcribitur ingreſſus primùm Sedem anno Domini nongenteſimo quinquageſimo octavo. Debuit ergo, non hoc anno, ſed poſterius ſubſcripſiſſe; quod frequens in hujuſmodi chartis. Sequitur ergo in Annalibus Hidæ, Edulfi Sacerdotis donatio, Wintonienſi monaſterio, eorum prædiorum, quæ ſupra Edredus illi donaverat. (XII. DE S. ELPHEGO WINTONIENSI. *Baron. hic n. 4.*)

XIII. EDULFI DONATIO WINTONIENSI MONASTERIO. *Ego Edulfus, Sacerdos, de decem manſis, apud Legford, do quinque ex ipſis novo monaſterio Wintoniæ: ubi volo poſt obitum meum, quod corpus meum diem futura reſurrectionis expectet. Et alias quinque manſas de monaſterio monialium in urbe Wentana: ita libera ſicut Edredus Rex, mihi contradidit; & ſcriptum eſt in ſcripto inde confecto Edredi Regis: pro anima mea relevio.* Hæc ibi.

XIV. DE S. EDGITHA. *an. 913. n. 3.

Moritur, hoc anno, Ottonis primi prima conjux, & magna sanctitatis opinione Germanias implevit, Edgitha, Edoardi senioris filia, de quâ suprà*, cum Regiam ejus prolem recensui. Annales nostri, cum illam è Britannia emisissent, nihil ultra quæsierunt; nec vitam, nec mortem ejus consignantes: ab externis ergo petendum; ut sanctè vixerit, quando, & quomodo mortua. Baronius ad hunc annum, hæc de illa: *Hoc eodem anno* (947.) *qui undecimus Regis Ottonis numeratur. Septimo Kalendas Februarii, moritur ejus conjux Æditha Regina, sanctitate præclara: quam & post obitum miraculis claruisse, Ditmarus ejus temporis scriptor, testatur.* Hæc Baronius. Miraculorum quoque Edgithæ (sic enim ab authoribus nostris communiter appellatur) virtute factorum, meminit Lupoldus Bebenburgius, in libro quem scripsit de veterum Principum Germanorum zelo, & fervore in Christianam religionem: ubi cum plura dixisset, de Principibus viris, hæc habet de Heroinis: *Libet*, inquit, *post præmissa, de zelo Christianæ religionis, venerabilium matronarum Mechtildis, Regis Henrici primi, Edicht, & Adelheidis Ottonis primi, & B. Kunegundis Henrici II. Imperatorum Romanorum conjugum, per sanctissima earundem opera comprobato, quibusdamque miraculis per earum merita factis, ac divinis revelationibus eisdem ostensis, ex multis pauca referre.* Inde cum author de Mathilde dixisset; hæc habet de Edgitha nostra, quam malè vocat Edmundi Regis filiam: fuit enim Edmundi Regis soror, Edoardi senioris filia.

Ditmarus Chron l. 2.

Lupoldus de zelo, c. 13

XV. EGITHÆ SANCTITAS. *Idem suprà.*

Porro venerabilis Edicth Regina, Edmundi Regis Anglorum filia; contboralis Othonis primi; non minùs sanctâ religione, quam regali potentiâ claruit. Quæcumque enim eidem Othoni evenere nocentia; divinâ miseratione, ac intercessione assiduâ, suæ sanctissimæ contboralis, securus evasit. Cujus instinctu Magdeburgensem cæpit construere civitatem. Nam urbem hanc, ob æternæ remunerationis gratiam, patriæq; communem salutem, acquisivit: & in civitatem (ut præmissi) construxit. Invit eum ad hoc, Beata Edicht, modis quibus potuit, quæ innumera virtute prædita, inducias istius vitæ sibi concessas, Deo & hominibus acceptas, perduxit. Erat hæc apud Deum magni meriti; ut in miraculis, tam in vitâ, quam in morte, & post obitum ipsius, claruit evidenter. In vitâ namq; ipsius, quadam nocte, Rege absente; cerva indomita veniens, sæpius ostium pulsans, Dominam tandem ut intromitteretur, evicit; & congressu ad eam usque perveniens; tanquam suam miseriam locutura, prorumpit. Jussu itaque Regina considerantis eam inesse aliquem dolorem, venator Albiam transiens, cerva præeunte, hinnulum ejus illaqueatum invenit. Quo erepto, cerva lætior, cum hinnulo ad nemorum abdita, properabat. Aliud quoque cum ipsa memoriale miraculum Deus fecit.*

ET MIRACULA.

* *Albim fortè.*

XVI. EIUS PIETAS IN PAUPERES.

Cum in eleemosynis pauperum largissima esset: Rex, constantiam ejus experiri volens; ipsam a tanta expensione, velut iratus, prohibuit. Quadam igitur præcipua festivitate, ad Ecclesiam vestibus pretiosis induta, processit: quam Rex, cujusdam pauperis indutus vestibus præcesserat; ipsâ penitus ignorante; ac in foribus Ecclesiæ residens, eam venientem tenuit; sibiq; misereri precibus petiit instantius. Illa, nihil præter vestes, se habere dicens, audivit particula vestium, pauperem posse juvari. Deinde Regina, pudore coacta, illum pallio circumplexum eam constanter tenentem abrumpere manicam vestis pretiosæ permisit: quam, qui putabatur pauper, in suo sinu abscondit. Et illa cum truncatâ veste occultata pallio, & ad hospitium rediens, integris vestibus induta, scissas abscondit. Sicq; ad mensam venientem, Rex, vestium commutationem considerans: cur vestes commutasset, quas manè induerat, requisivit. Cumque illa occasiones prætenderet, ipse priores vestes deferri præcepit. Reginæ multum anxia, vestes tandem è latibulo extractas produxit. Quibus expansis, Rex eas utrasque manicas habere conspexit: ipseq; quod abruperat, proferens, cunctis audientibus rem aperuit: ac deinceps Reginam, in magnâ veneratione tenere solebat. Obiit autem hæc sancta Regina, anno Domini nongentesimo quadragesimo septimo, septimo Kalendas Februarii. Sepultaq; est in prædictâ civitate Magdeburgensi, ibidem miraculis coruscando. Hæc omnia Lupoldus; quæ satis ostendunt Edgithæ nomen, meritò in Fastis nostris ponendum, ad vigesimum sextum Januarii; cum Bathilde, pariter Reginâ Francorum: ut uno eodemque die, Regia Anglorum Fides, Gallias, Germaniasque illustret.

XVI. DE S. ELFLEDA, SIVE ALFGIVA.

Sub hæc tempora, è Britanniâ, in cœlum migravit, Heroina altera, Edgithæ Reginæ, tam carne, quàm spiritu, propinqua. Nimirum Elfleda illa, quam supra Ethelstani neptem appellavi, quæ in Glastoniensis cœnobii ruderibus cellam extruxerat, cum Ethelstanus eò, Sanctorum reliquias veneraturus, accessit. Ibi cum in foraminibus petræ, & cavernâ maceriæ, columba castissima, meritorum cumulos fecisset: & sanctum Dunstanum integrè sequuta, evangelicæ perfectionis culmen attigisset; in cœlum invitata, feliciter evolavit. De qua hæc scribit Osbernus, in vita sancti Dunstani, non Elfledam, sed Alfgivam vocans; sed eandem esse, gestorum series demonstrat. Ita ergo ille: *Mulier quædam, nomine Alfgiva, regali progenie orta, magnarum divitiarum; quæ omne semen Regium, materno semper affectu, dilexerat, nutriebat: innixa manibus suorum ad hominem Dei* (Dunstanum) *accessit, sanctissimo illius colloquio perfrui desiderans. Quæ cum ex ore illius verbum audisset; adeo delectata est dulcedine vitæ æternæ: ut ulteriùs neque domum repetere, neque locu discedere. sed cum Beato Dunstano manere, vivere, mori, eligeret. Habitationem juxta Ecclesiam* (Glastoniensem) *sibi fabricavit: multa continentia, & operibus bonis, & eleemosynis operam dedit. Plures sacri ordinis viros in loco statuit, quibus necessaria jugiter ministravit.* Non est dubium, quin illustrissima hæc fœmina Glastoniensem secessum quæsiverit; antequam Dunstanus Abbatis ibi officio fungeretur, quia Ethelstanum Regem ibi exceperat; cum Dunstanus quinquennis tantùm puer esset. Mansit ergo ibi, jejuniis, & orationibus vacans, ad multam usque ætatem; adeo ut innixa manibus suorum, ad Dunstanum Abbatem, cum opus, accesserit. Porrò, quantum ejus consiliis in sanctitatis scholâ profecerit, ostendunt sequentia.

apud Capgr. in Dunst.

ELFLEDÆ SANCTITAS.

XVIII. DUNSTANUS EAM AD MORTEM PRÆPARAT.

Cum gravi corporis infirmitate (pergit Author) *Alfgiva laboraret; Dunstanus ad eam intrans, consulatur & hortatur illam; ut nudam ab omni mundana specie, se faciat; ne in transeunte, quicquam suum Princeps mundi inveniat. Cui illa:* JESUM CHRISTUM *rerum mearum heredem facio: te vero hereditatis tutorem constituo: ut quicquid illum cognoveris velle & tui arbitrii sit, effectui mancipare. Dunstanus verò gazas ejus mobiles continuò pauperibus erogavit: cætera ad Ecclesiarum sublevationem reservabat.*

Et dum

Et dum vespere, ostium Ecclesiæ psallendo præteriret; erectis ad cælum oculis, Spiritum sanctum in columbæ specie videt descendentem: cujus corpus omni candore nitidius, alarum remigia scintillantis ignis splendorem per aëra spargebant. Quem ille contemplatus, domum matronæ subintrantem vidit. Confestim regressus, aspexit domum divino fulgore splendentem. audit fœminam gratias Deo agentem: miratur colloquium, & dicendi finem patiens auditor expectat. Demum subintrat; stelliferi illius nomen requirit, nomen interrogat. Illa autem, modeste subridens illi, ait: Tu stelliferum, antequam huc venires, vidisti: & nunc, cui sum loquuta interrogas? Ipse est, qui tibi ad ostium Ecclesiæ psallenti apparuit: qui & me de pavore imminentis mortis perterritam, visitationis suæ gratiâ consolari dignatus est. Annuntio itaque omnibus amicis meis, tristandum de mea morte non esse: quoniam me suscipiet claritas æternæ vitæ. Tibi autem singulari amico gratias refero: quia tuis semper instructa admonitionibus, & adjuta orationibus, ecce ad Deum vado: Quæ cum spiritum tradidisset Deo; in Ecclesia B. Mariæ, honorificè sepulta est. Ita ex Osberno refert Capgravius: quæ ad hunc potius annum referenda duxi, quàm ad annum nongen- (v an. 936. n. 3) gesimum trigesimum sextum. Tunc enim Dunstanus, duodecim annorum juvenis, non potuit adultam fœminam docere.

ANNUS CHRISTI 948.

AGAPITI II. PAPÆ 3.

EDREDI ANGLORUM REGIS 3.

I. Turketulus ab Edredo in Northumbriam mittitur.

ANNUS Domini nongentesimus quadragesimus octavus, legatione Edredi Regis in Northumbriæ provincias ad motus animorum ibi componendos, illustris est. Nam Turketulus, oratoris munere functus est: & benè pro Edredo Rege, cui cives conciliat: benè pro Ecclesia, quam eximiè ornat: benè pro se denique oravit: cum Regis curiam, & amplissima prædia, omnia etiam mundi blandimenta pertæsus; monachum induit, & Christo strenuè cæpit militare. Refert hæc omnia Ingulfus, satis accuratè; quo Croylandensis sui monasterii nova exordia; & quomodo tandem post multorum annorum desolationem, monachorumque vel cædem, vel aliò migrationem, refloruerit; aptè describat. Dixi ergo superiori anno, Northumbriæ populum, perniciosa Anglis consilia agitasse; & secessionem meditatos; novum Principem delegisse. Edredus Rex obviaturus malo, priusquam adolesceret; Turketulum regni Cancellarium, notæ Fidei, ac integritatis, virum, in Northumbriam legat. Ille per Merciorum provincias transiens, & Croylandensis cœnobii rudera cernens; paucorum etiam monachorum humanitate captus; qui antiquam pietatem redolentes, officiosissimè eum exceperant; optimo pietatis impetu, ad monasterii restitutionem accenditur: nec quievit, donec legatione obitâ, ab Edredo Rege rude donatus; se suaque omnia Croylandensibus consecravit. quod præcipuum erit hujus anni argumentum.

II. Temporis ratio expenditur.

Quod ad tempus spectat: hæc omnia benè ad secundum Edredi Regis annum referuntur: quia, tam in annum Christi nongentesimum quadragesimum septimum, quàm in sequentem cadit. ideo superiori anno legationis initium, hoc anno obitæ legationis summam, recenseo. qui benè vocari potest Edredi Regis secundo-tertius. Quo posito, audiamus Ingulfum, supradicta omnia, curiosè satis, recensentem. *Edredus*, inquit, (Ingulf f. 871) *secundo anno regni sui: quum Northumbrii, Mercio quodam, super se, in Regem levato, minitarentur: & Wulstanus, Archiepiscopus Eboracensis, eorum rebellioni consentire notaretur: dirigens inclytus Rex Edredus, Cancellarium suum, nomine Turketulum; virum quippe prudentissimum, ac omnis honestatis, ac æquitatis sectatorem, sibi etiam carne propinquum, & cognatum (filium scilicet Ethwardi quondam patrui sui) in dictaq; Ecclesiâ Eboracensi, pinguissimam præbendam obtinentem: de fidelitate sua continenda sibi, & regno suo, instanter ac amicabiliter commonebat. Transiens itaque Venerabilis Cancellarius, in hoc regio negotio, cum multo comitantium equitatu: eò quòd ex regali sanguine generosissimus, prædiisq; ac possessionibus latissimis ditissimus; porrò sexaginta maneriorum Dominus, divinâ gratiâ disponente viam suam, versus Eboracum per monasterium Croyland, iter assumpsit.*

III. Turketulus a monachis, ad monasterium invitatur.

Quod cum pertransire disposuisset; occurrentes ei tres dicti monasterii venerandi senes; multa supplicatione, advesperante jam die, ad eos intrare, compulerunt. Et ducentes eum ad orationem, in oratoriolum suum; quod in quodam angulo Ecclesiæ dirutæ construxerant, reliquias sanctissimi Guthlaci Confessoris ostendentes; omnem historiam suæ desolationis exposuerunt. Ille verò inæstimabili pietate miseratus, universa devotissimè auscultavit. Deinde senes in suum hospitiolum, tam nobilem hospitem; summa cum humilitate, ac humanitate suscipientes, omnia victualia, quæ habebant ministris suis & Cocis, pro Domini cœnâ præparanda; licet minus idonea, & tantæ familiæ permultum insufficientia; cum animo liberalissimo (sua duo minuta) offerebant: solliciti pro viribus, & supra vires, suum sanctum hospitem lætum reddere, ac jucundum; & ad tantam benevolentiam inducere: quatenùs penes Dominum Regem intercessor dignaretur existere; & reædificationem Ecclesiæ suæ, quam Germanus suus inclytus Rex Ethelstanus, si ei vita comes fuisset, animo aliquando intenderat: aut aliquod aliud beneficium, ex suâ eleemosynâ, pro merito suæ animæ procurare. Venerabilis Cancellarius, & miseria tanti monasterii multùm compassus; & senum curialitatem intimis visceribus amplexatus; illorum precibus assensum præbens; & intercessionem concessit, & aliquod adjutorium ex proprio peculio compromisit. Summo ergo mane recedens; præcepit servis suis victualia sufficientia, usque ad reditum suum senibus relinquere. & pro aliis necessariis emendis, jussit centum solidos erogare: tandemq; valefaciens, cum multis lacrymis, se eorum orationibus commendabat. Ab illo namque die, animus ejus dictis senibus, ac per totam vitam suam, quotidie quibuscumque occurrentibus; tam in diversoriis, quàm in viis; Croylandensium senum humanitatem exponeret, sanctitatem extolleret, charitatem prædicaret; calamitatemq; deploraret. Ab ipsoq; tunc primitus processit: quod Croyland Curteisi *cognomen accepit.*

IV.

Perveniens itaque Eboracum venerabilis Turketulus, cum Domini sui Regis mandatum, multa sollicitudine ac prudentia, penes Archiepiscopum, & universum civitatis populum, peregisset prosperè; revertendo, per Croylandiam redit, & sane ductus spiritu, ad

prædictos senes hospitaturm, cum sua familia iterum declinavit. Hic Author, cœnobii sui rebus intentus, paucis transit, Turketuli operam, Regi Edredo in Eboracensi agro præstitam: quam tamen diligens Lector scire desiderat. Petendum id igitur ab aliis Authoribus, qui de Republicâ accuratiùs scripserunt. Wigorniensis & Hovedenus volunt, Wulstanum Eboracensem Antistitem, aliósque in Northumbriâ, Edredo fidelitatem spopondisse: quam tamen inconstanter servaverunt. Et quia eorum unus hoc refert superiori anno factum, nimirum nongentesimo quadragesimo septimo: alter, nongentesimo quadragesimo nono: fortè bis factum: & cum Turketulus amicè id persuasit: & cum postea Edredus, ut dicetur, fortioribus argumentis idem extorsit. Ita ergò loquuntur Authores supradicti.

Wigorn. an 949. Hoveden. an. 947. *Wulstanus Eboracensis Archiepiscopus, proceresq; Northimbrenses omnes, in villa quæ dicitur Tadenescliffe egregio regi Anglorum Edredo, fidelitatem juraverunt: sed non diu illam tenuerunt. Nam Ericum, quendam, Danicâ stirpe progenitum, super se Regem levaverunt.*

IRICIUS IN REGEM LEVATUR. Hoc Edredi & Anglorum iras acuit, ut dicetur; si priùs Turketulum domum è Septentrione deduxero, per Croylandense monasterium: ubi conceptum nuper pietatis impetum auget, effunditque: quod ita narrare pergit Ingulfus.

V. Ingulf. f. 872. *Susceptus Turketulus* (à Croylandensibus) *immenso gaudio, iterum de substantia consolator: & manum Domini semper ad adjuvandum suos potentem, & promptam prædicans; auxilium divinum, in proximo affuturum pollicetur. Datisq; viginti libris argenti dictis senibus, ad Dominum suum Regem summo mane reversus est. Cumq; Regem de responso Archiepiscopi Eboracensis, ac totius populi civitatis ipsius plenius instruxisset: tandem invocato Sancto Spiritu, de ruinâ Croylandensis relevandâ monasterii sermonem sagacissimè inducebat. Post prædicationis suæ de hac materiâ in auribus Regis; cum ejus Cancellarius, ac præcipuus consiliarius finem fecisset; gratuito consensu Rex assensum præbuit. Sed cum bellum ferocissimum, quod tunc in manibus habebatur, opitulante divinâ gratiâ, prosperè peregisset: tuncnamq; vacaret hujusmodi devotionibus insistere, & Christi Ecclesiam, ubique per regnum, pro viribus promovere. Ad quod Cancellarius: Domine, prædecessores vestri; strenuissimi Reges, Domini mei, duo germani vestri, multa bona opera, ad honorem Dei, sanctæq; matris Ecclesiæ exaltationem, operati sunt in diebus suis. & Dominus Deus justissimus Iudex, pro hujusmodi bonis operibus. & dedit eis victoriam de omnibus inimicis. & abundare fecit etiam omnibus bonis. Ita & vos (si mihi credidtis) per opera meritoria, dignissimâ recompensatione, Deum vobis obligabitis: & sic provecti Sanctorum precibus, & adjuti superum favoribus; securiori conscientia, cum placuerit, ad vestra prælia procedetis. Hæc, & plura talia, cum Venerabilis Cancellarius, collatione amicabili, coram Rege sæpiùs retexisset; tandem Dominum suum Regem ad hoc induxit, ut illud Evangelicum ei diceret: Habetis vos custodiam; & senes illos, & locum illum custodite, sicut scitis. Nam manus mea in omnibus erit vobiscum, si adjutorio meo in aliquo egeatis.*

VI. TURKETULUS PROMITTIT SE MONACHUM FORE. *Illud responsum accipiens ille, tanquam divinum oraculum: & de sacrario ipsius opus sanctus procedens; theoricum verbum non secus intelligens; mox se monachum ibidem futurum palam promisit: & regium favorem suo proposito afferre, animo devotissimo requisivit. Rex hæc audiens; supra modum admiratus, id fieri omnimodis dissuadet: maximè cum jam in senium vergeret, & nutritus in deliciis, rigorem religionis in usu antea non haberet. Præter hoc, in regni negotiis urgentissimis, cum omnia in ipso penderent, ac ipsius auxilio & consilio, regnum periclitari non immeritò formidaret. Et Cancellarius: Domine mi Rex, Dominis meis, fratribus vestris, & vobis, debitâ fidelitate (Deo teste, qui novit omnia) pro viribus militavi: jam, pro merito animæ vestræ, patiatur vestra clementia, me Domino meo, saltem in senio militare. Quippe consilium meum, & omne auxilium, quod parvitas mea poterit; quamdiu in hoc meo corpusculo, vitæ comes fuerit; vestris negotiis incunctanter aderit. Sed certissimè de cætero scire velit dignatio vestra, quod manus mea arma bellica amodo non tractabit. Audiens hoc pissimus Rex, graviter ferebat: cernensq; quotidie Sanctum ejus desiderium, in Domino crescere; metuensq; Sanctum spiritum extinguere (prout erat præ cunctis Regibus, prædecessoribus suis, purissimæ conscientiæ) quadam die in secretum cubiculum eum advocat: & provolutus pedibus servi quatenus sui misereatur, & non derelinquat eum, in die tribulationis suæ, etiam cum multis lacrymis supplicat, & exorat.*

EDREDI LAUS. *Videns vero Cancellarius Dominum suum Regem videlicet totius Angliæ, suis pedibus super terram provolvi: & ipse ruit in terram: & quatenus sui misereatur, suspiriis & singultibus innumeris rogat. Et tandem per Sanctum Paulum (cui Rex specialem devotionem semper habebat) corditer adjurans; superat, & impetrat, quod exoptat. Ambo ergo surgentes à terrâ, diem statuerunt; quo Croylandiam adirent, ac sanctum votum suum, securissimo, ac honestissimo modo, quo possent, invicem consummarent.*

VII. EXUIT BONIS. *Evolutis itaque paucis diebus, Rege consentiente, voce præconaria, Venerabilis Cancellarius Turcketulus, per medias Londonias fecit proclamari; ut, si cui aliquo debito teneretur obnoxius, paratus erat certo loco, & die designato, ad plenum persolvere: & si cui aliquam injuriam aliquando irrogasset, promisit in triplo, tanquam alter Zachæus, satisfacere: ac juxta omnem juris exigentiam, damna inlata restaurare. Omnibus ergo creditoribus, & debitoribus universis pacatis; sexaginta maneria sua, domino suo Regi contulit; decimum semper manerium Domino suo Christo reservavit. Reservavit ergo sex maneria sua de sexaginta; quæcumque scilicet habebat ad Croylandiam propinqua, situq; viciniora: videlicet Wendlingburough, Elmington, Wortborpou, Rotenham, Hockington, & Beby. Cætera verò dedit Regi. Et veniens, cum Rege, ad Croylandiam, in vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ: mox ad Wintoniam & Malmesbyriam, pro duobus fratribus, scilicet Bruno & Aione, & Regis nomine, nuntios misit. Qui audientes Dominum de cælo Croylandiam respexisse, gaudentes & alacres ad suum monasterium regressi sunt: & intrantes in vigilia Beati Bartholomæi patroni sui, ad fratres suos; cum ingenti gaudio sunt recepti. Erant namq; ambo, viri literatissimi, & moribus multum honesti, ac religiosi. In crastino ergo, scilicet in festo Sancti Apostoli, cum Venerabilis Turketulus, deposito habitu sæculari, inter prædictos senes quinque, monachicum schema suscepisset; etiam baculo pastorali, a Rege donatus est: & à Cedwulpho Episcopo Dorcacistrensi diœcesano, tunc præsente, more Ecclesiastico benedictus. Eodemque die, de Regis arbitrio, ac jurisperitorum consilio; ut imposterum, contra iniquorum violentias, fortiori*

consisterent

consisterent fundamento; Venerabilis Abbas Turketulus, præt. illiq, quinque senes: monachi sui, universum monasterium suum, tum omnibus terris ac tenementis, bonis & catallis ei pertinentibus; in manum Domini Regis funditus & sponte resignabant.

VIII. Cedwulphus quis? Hic aliqua meritò Lectorem morari possunt: Quis hic Cedwulphus, Dorcacistrensis Episcopus? Et quorsum in Ecclesiam, bonáque ac jura Ecclesiastica Edredus præsumit; quod hactenus à Regibus nostris factitatum non invenio? Imprimis, quod ad Episcopum spectat, ejus nomen vitio scriptum, difficultatem parit: quo vitio sublato, difficultas etiam tollitur. Nam d. litera, quæ in Cedwulpho ponitur, in duas literas resolvi deberol. & legi Ceolwulpho: Et tunc habes Episcopum illum, quem à Plegmundo consecratum dixi, anno nongentesimo sexto; qui communiter ab Authoribus, Cenulphus, *sed rectius*, inquit Godwinus, *Ceolwulphus* appellatur. Croylandensium diœcesanus dicitur., quia fuit Merciorum Episcopus. Nec mirum est, eum ad hunc usque annum superstitem esse: quia Turketulus adhuc superest, quem Edoardus Rex, eo tempore, consecrari petierat, primò Wintoniensem, deinde Dorcacistrensem Antistitem: Sed ille modestè declinans, Fridestano collactaneo suo, Wintoniensem; inde Dorcacistrensem presbytero suo sedem cessit. Testatur hæc omnia Ingulphus. *Obtulit*, inquit, *ei*, (Turketulo) *prædictus Rex* (Edoardus) *Episcopatum Wintoniæ, defuncto Dinewulpho Episcopo ejus. Sed ille, minùs se idoneum tantæ dignitati protestans; Fridestanum, collactaneum suum, quatenus dignaretur accipere, supplicabat, & obtinebat. Factusq; est Fridestanus Episcopus Wintoniæ. Eodem etiam momento, Plegmundo Archiepiscopo Dorobernensi suggerente, Dorcacistrensis Episcopatus, ei à Rege oblatus est; quem cum pari pertinacia refutaret, & Ceolwulphum presbyterum suum Regi offerret; dictus Ceolwulphus Episcopus est factus.* Hic ergò Turketulum Abbatem benedixit. Nec moritur ante annum 951. ut ibi.

Godwin. in Lincoln.

Ingulf. f. 876

IX. Dubium de investitura. Major sanè difficultas, de investiturarum jure; an jure illud Reges usurparint; quod nolo pluribus disputare. De facto duo constant. imprimis, primos Britanniæ & Anglo-Saxonum Reges, Ecclesiarum jura, Ecclesiasticis permisisse. Nec mirum hoc, aut insolens, in Christianæ Fidei cultoribus; cum Ethnici suos augures, Druides, flamines, & prophana sacerdotia, eo modo honorarint, ut * suprà notatum. Lucius, Constantious; Etbelbertus, piissimi Principes: quoties de jure Regum Christianorum quæstio est, non iis posteriores, in argumentum trahendi sunt. Iterum constat, posteriores aliquot Principes, etiam à pietate commendatos; & eos inter, Edredum Regem, investituram hoc anno Croylandensi Abbati dedisse. Cui etiam monachi, monasterii sui bona resignaruot: & Turketulus, ab eo; baculo pastorali donatus est. quæ omnia novi juris videntur esse, & præteritorum Regum factis discordia; meritò Lectorem possunt morari. Præsertim cum hodierni Principes orthodoxi, nihil horum præsumant; sed suâ majestate contenti; bona, [illegible], quæ Ecclesiam spectant, Ecclesiæ [illegible]. Dico igitur: Quamdiu Reges, in ornandis dotandisque Ecclesiis, religiosè versati sunt: & [illegible] reverentiam, quam filii debent parentibus, detulerunt. Tamdiu mater Ecclesia, de suo jure remisit, indulsitque filiis; vel juris patronatus titulo, vel melioris boni intuitu; Ecclesiæ bona interdum dispeosare: Verùm ubi Principes, hac indulgentiâ abusi, non Ecclesiam ornare, sed expilare cœperunt: beneficia etiam, vel indignis conferre, vel simoniacè tradere: noluit porrò mater Ecclesia, jura sua, laicâ manu tractari. Et legem tulit, qua graviter cavit, imperium illud in Ecclesiam. Quam legem optimos quisque reveretur; soli factiosi recalcitrant: & eo solo, si alia deessent, degeneres Ecclesiæ filii à genuinis distinguuntur. Non ergò Edredum accuso, aut Turketulum Abbatem. quia quicquid in traditione illà, atque acceptione fiebat; in Ecclesiæ commodum, utilitatémque cedebat; ut rei gestæ series expressit. Illi excusari non possunt; qui mutatis rerum circumstantiis, contra decretum matris Ecclesiæ, Ecclesiæ jura præsumunt. Nunc quàm piè se gesserit Edredus Rex, cum bonorum Monasterii dominium accepit, dicat Ingulfus.

* v. an. 186. num. 4. an. 62. n. 4. &c.

X. *Rex autem suscipiens omnia in manus suas: in crastino carpentarios, ac cæmentarios conducens; deq; propria familia quendam clericum, nomine Egelricum, genere sibi propinquum, cognatumq; Domini Turketuli Abbatis, operariis, & universo loco præficiens; expensas de fisco assumendas. ligna & lapides, de proximis silvis & lapidicinis; tunc regali manerio suo de Castro pertinentibus; in omni copia assignavit. Qui diligentissimè operi, invicto insistens animo, in brevi Ecclesiâ fabricatâ, claustroq;, cum cæteris necessariis officinis ædificato: & gratias à Rege, & benedictionem à Domino meruit, pro labore. Statim verò, cum Rex ipse, singulis operibus singulos operarios deputasset: & prædictum fidelem clericum suum prædictis operariis præfecisset: tum dies concilii appropinquabat (quod tenendum in proximo Londoniis, pro publicis regni negotiis statuerat) assumpto secum Venerabili Turketulo Abbate, cum duobus senibus monachis suis, scilicet Turgaro & Asone, in festo Sancti Augustini Episcopi, & egregii Doctoris, Londonias repetebat.*

XI. Concilium Londinense. Meminit hujus Concilii Spelmannus in Synodis, & ita illud inscribit: *Concilium Londoniis habitum, sub Edredo Rege totius Angliæ, in Nativitate B. Mariæ Virginis, anno gratiæ nongentesimo quadragesimo octavo; præsidentibus Wulstano Archiepiscopo Eborum, Odone Archiepiscopo Dorobernia, cæterisque Episcopis, Abbatibus, Ducibus; Comitibus, &c. Agitur de negotiis regni: & confirmatur charta Regis Edredi monasterio Croylandensi facta; quam dictavit nuper Cancellarius Regis Turketulus; modò Abbas à Rege ibidem constitutus; & de more Regum Anglorum, pastorali baculo investitus.* Hæc ille. Nec plura addit de regni negotiis, in Concilio agitatis: nec ante Edredum Regem, exempla protulit investituræ, per baculi pastoralis traditionem, à manu laica. Unde cur *morem* nunc appellet, ipse viderit. Ego certè, nec vidi, nec probabiliter colligere potui argumenta priora. Quod si conjecturæ locus esse potest, opinor non antea factum; quia quod nunc monachi fecere; *Imperitorum consilio* factum, infra dicitur. Impropriè igitur, hoc anno mos dicetur; donec priorum Regum, & annorum factorúmque authoritate præscribatur. Ad negotia quod attinet; opinor tractatum: imprimis de bello Northumbriis inferendo; qui Scotorum, Hibernorum, Danorumq; viribus freti, quotidie novas res moliendo;

Spelm. f. 428

toti Insulæ graves erant. Decretum igitur, in eos pugnandum esse: & obviandum malo, priusquam tot externæ gentes in unum coalescerent. Quid inde factum, dicemus post dissoluta Comitia. Nam Croylandenses monachi, audiri & exaudiri debent in Concilio: quia petunt tantùm terras & prædia sua, quæ dudum alii occupaverant, postliminii jure restitui: quod Turketuli Abbatis industria, & Regis, procerúmque omnium pietate, indultum; ut refert Ingulfus, in hunc modum: *In festo ergo Nativitatis Beatæ Mariæ: cum universi magnates regni, per Regium edictum summoniti, tam Archiepiscopi, & Episcopi, ac Abbates, quam cæteri totius regni proceres, & optimates, Londoniis convenissent; ad tractandum de negotiis publicis totius regni: consummatis omnibus, coram universis; Domino Turketulo Abbati, monachisq; suis accersitu, Rex Edredus, dedit monasterium Croyland; per chartam suam dictatam ab eodem Turketulo Abbate, jamdudum Regis Cancellario, consiliarioq; familiarissimo; & conscriptam in his verbis:*

XII. CHARTA EDREDI REGIS PRO CROYLANDIA.

PAX IN SUMMÆ TRINITATIS NOMINE, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS-SANCTI. Amen.

Ego Edredus, Rex terrenus, sub Imperiali potentia Regis sæculorum, æterniq; Principis, Magnæ Britanniæ temporale gerens imperium; universis Christianis, tam præsentibus, quam posteris, Salutis beneficium in authore Salutis. Vobis liqueat omnibus, quod per devotam suggestionem, & frequentem provocationem dilecti Clerici, & cognati mei Turketuli, mihi factam; super reparatione, restauratione, ac libertate, sacrosanctæ Ecclesiæ, & monasterii Croylandensis; in quo recondita sunt reliquiæ sancti Guthlaci, Confessoris, & Anachoritæ; non modicum condolui, & compassus sum: tam pro depopulatione Sanctæ matris Ecclesiæ; quàm pro minoratione beneficiorum spiritualium, pro animabus progenitorum meorum, per opera misericordiæ multipliciter, & frequenter impensorum: Recolens ibi cœnobium nigrorum monachorum, ordinis sancti Benedicti, à nobili Rege Merciorum, Ethelbaldo nomine, quondam Alwionis filio, esse fundatum; affluenter ditatum, & regalibus privilegiis sufficienter munitum: ut per inspectionem chartarum ejusdem Ethelbaldi, ad securitatem dictorum monachorum compositarum, satis erat consilio meo declaratum. Sed post multorum temporum curricula; per paganorum exercitum, erat devastatum; & cum omnibus ornamentis, & monumentis compluribus igne concrematum, & consumptum. Ubi prædictum Turketulum, qui juxta psalmistæ vocem propheticam, odit Ecclesiam malignantium; & dilexit decorem domus Domini, pio stimulatus desiderio; dictum cœnobium reparare, & readificare summoperè molitur. Hic homo divinæ charitatis zelo, in tantum accensus est; ut corde, & corpore, se ovili Dominico ibidem mancipare, indesinenter adoptat.

XIII. RATIO CUR MONASTERIUM REGI TRADITUM.

Unde quinque monachi senes, in eâdem Insulâ latitantes: de quibus duo à dispersione regressi, de ejusdem Turketuli, & aliorum juris-peritorum consilio informati; quasi graviter formidantes falturas, & dispendia varia, futuris temporibus inopinatè emergentia; totam abbatiam, cum omnibus possessionibus obtentis, & ejusdem Turketuli solitudine recuperatis; meo etiam favore acquisitis; cum sex maneriis, de prædiis suis hereditariis, in manum meam funditus, & sponte resignarunt: ut per meam redonationem, de firmiori & liberiori, ex tunc, & in posterum, gratulentur possessione. Sed cum fœdus verbo solummodo inicum, dum à memoria fuerit devolutum, in materiam conerabitur litigiosam: nisi rei gesta perenniis scripti patrocinium suffragetur. Hinc est, quod sæpè dictum Turketulum, cum præfatis monachis, jam in habitu adunatum, grato meo consensu, & assensu, Abbatem ejusdem monasterii constituo: & tam Abbatiam, quam omnes possessiones sic recuperatas, & mihi resignatas; ex dono meo regali, de cætero, in perpetuam & puram eleemosynam: illis monachis, & omnibus successoribus eorum, sub eadem regula, & eodem habitu sancti Benedicti ibidem Deo servientibus trado, dono, confirmo. & in hunc modum per singula declarare dispono.

Imprimis totam Insulam Croylandiæ, pro gleba Ecclesiæ, & pro situ separali ejusdem monasterii, cum his limitibus distinctam. Videlicet a ponte de Croylandetriangulo, per aquam de VVeland, versus Spaldeling, usque ad Asendick: ubi Asendick cadit in aquam de VVeland: ex boreali parte Crucis lapideæ; per prædictum Turketulum ibidem affixa: & sic sursum, versus Orientem, per Asendick, usque ad Asweiktofe: & inde usque ad Shepsee, in Orientali parte ejusdem Insulæ: Et sic usque ad Tedwarchar: & ibi intrando Southee, usque Namanlandhirbe, ubi Crucem lapideam affigi præcepit idem Turketulus; distantem à Southee, per sex perticatas: & sic in illa aqua, divisio duorum comitatuum, Lincolniæ videlicet, & Grantebrigiæ. Et distat eadem Crux ab aqua de Nene, versus Occidentem, per quinque perticatas. Et inde per eandem aquam de Nene; sicut currit ad supradictum pontem de Croyland, cum separali piscaria; tam in aquis omnibus ambientibus eandem Insulam; quàm in stagnis & paludibus infra situm inclusis; una cum mariscis & alnetis adjacentibus versus Occidentem, ex opposito ejusdem Insulæ, in omnibus Lincolniæ comitatus annexis, & respondentibus; & per limites in hunc modum determinatos: videlicet à Namanlandhirne, per aquam de Nene, versus Occidentem, usque ad finem factum; ubi Crux lapidea defixa est; juxta ripam: & ab inde, usque ad Grinis; & sic usque ad Folwardstaking, & inde usque ad Southlake, ubi Southlake cadit in aquam de VVeland. Et sic transeundo eandem aquam; & incipiendo ad Kenulphston, juxta ripam, ex opposito de Southlake: ubi primus Abbas à fundatione ejusdem monasterii, nomine Kenulphus, posuit Crucem lapideam, pro limite inter Croyland & Deping. & ab inde tenendo versus boream, juxta Aspath, usque ad VVerwarlake, & usque ad Harmholt, & deinde sursum per VVengarlake, & Lurtlake. Et ibi sunt limites dividentes Hoiland, & Kestevenne: & inde usque ad Oggot: & sic usque ad Apinholt, sive alio nomine VVodelade; ubi VVodelade cadit in aquam de VVeland; cum omnibus appendiciis, & omni commodo, quod possit evenire, sive extorqueri, infra supradictos limites; tam subter terram, quàm supra, cum communa pastura, in mariscis adjacentibus, ex utraque parte aquæ de VVeland: videlicet ex una parte ab ipsa aqua, usque ad agrum de Medeshamstede; & ex aliâ parte, ab eadem aqua, usque ad ædificia de Spaldeling, cum separali piscaria, in eadem aquâ de VVeland, à Kenulphston usque ad pontem de Croyland: & ab inde, in eadem aqua de VVeland, coadunatis usque ad Asendick.* XIV.

* v. an. 716. n. 22.

Possunt etiam dicti monachi, de eisdem mariscis, versus Occidentem adjacentibus, pro se & hominibus, sive tenentibus suis includere croftos, sive pratum, XV.

circa pontem separabiter; quantum illis placuerit. Quare volo quod dicti monachi, habeant prædicta ista, de donatione & confirmatione mea libera, & soluta ab omni causa, & onere sæculari; & omnes libertates, & liberas consuetudines, cum omni illo quod appellatur Socha, Sacha, Tol, & Tem, Infanthef. Weif, & Stray, & cum his legitimè appendentibus, in puram, & perpetuam eleemosynam meam.

XVI. *Præterea trado, dono, & confirmo eisdem monachis has possessiones, eidem cœnobio, ex donatione antiqua procerum regni mei ab olim dependentes; videlicet in Lincolnshire: In Spadeling tres carucatas terræ, in Pincebeck unam carucatam terræ; in Capelade tres carucatas sex bovatas terræ, & duodecim acras prati, cum Ecclesia ejusdem villæ. In Algare duodecim bovatas terræ; in Downesdike, duas carucatas terræ, & viginti acras prati, in Draton unam carucatam terræ, & sex acras prati, & quatuor salinas; in Burtoft unam bovatam terræ, cum Socha, Satha, & cum Ecclesiâ de Sutterton; in Bokenhale duas carucatas terræ & dimidiam, & viginti sex acras prati, & quinquaginta acras silvæ, & septuaginta acras de Bruthe; in Halington decem bovatas terræ, cum quatuor bovatis de Inland, & cum triginta duabus acris prati, de eodem feodo in Gerumthorp. In Lantoft sex carucatas terræ arabilis, (& habet quindecim quarentenas in longitudine, & novem quarentenas in latitudine) & centum acras prati, & silvam, & mariscum duarum leucarum, in longitudine, & duarum leucarum in latitudine, & Ecclesiam ejusdem villæ, & quadraginta acras de eodem feodo, in Deping. In Baston apud Tetford, quatuor carucatas terræ arabilis, & quadraginta quinque acras prati, cum Ecclesia ejusdem villæ, & cum sedecim quarentenis marisci in longitudine & octo quarentenis in latitudine, cum uno molendino aquatico, & dimidio molendino. In Repingale tres carucatas terræ arabilis, & sexaginta acras prati. In Laythorp unam bovatam terræ; in Kirby, tres bovatas terræ, unam mansionem, & tria Cotagia.*

XVII. *In Northamptonshire, in Wedlinburough, sex hidas terræ, & dimidiam, cum Ecclesia ejusdem villæ, cum Socha, Satha, &c. In Adington tres hidas terræ, cum advocatione Ecclesiæ ejusdem villæ. In Helmington tres hidas: in Glapthorne tres virgatas terræ: in Wirthorpe, unam hidam, & dimidiam, cum uno molendino aquatico. In Prykircke duas virgatas terræ. In Badby, manerium, & quatuor hidas terræ, cum triginta acris prati. In Huntindonshire: in Worberne, quinque hidas terræ, cum advocatione Ecclesiæ ejusdem villæ. In Thiring, unam hidam & dimidiam terræ. In Leycestershire in Beby, decem carucatas terræ & dimidiam, cum Ecclesiâ ejusdem villæ. In Sutton duas carucatas terræ. In Stapleton duas carucatas terræ. In Grantebrigeshire, in Routenham, undecim hidas terræ, cum advocatione Ecclesiæ ejusdem villæ, alternis vicibus. In Hokiteon, sex hidas terræ, & dimidiam, cum Ecclesia ejusdem villæ. In Drattonocto hidas terræ, & dimidiam, cum advocatione Ecclesiæ ejusdem villæ. In Hartfordshire, in Standoun quinque hidas terræ.*

XVIII. *Et volo quod dicti monachi sint quieti, & soluti ab omni Scotto, geldo, auxiliis Vicecomitum, hydagio, & à secta in Schiris, Wapuntakis, Hundredis, Thrithingis, & omnimodis aliis curiis, & sæculi oneribus universis. Et præcipio, quod omnes homines fugitivi, quos iidem monachi, & testimonium quatuor vel quinque hominum fide dignorum, coram Vicecomite, in patria in quâ tales manent, possunt affidare suos nativos esse, reducantur per prædictum Vicecomitem in Abbatiam eorum, cum omnibus catallis & sequelis eorum, omnium reclamatione & reluctatione ab inde remota, & annullata. Et si quid priùs egerint, in fraudem Dominorum suorum; illud cassatum omnino decerno. Et si quis hominum nativorum suorum, vel native de eis tenentium, aliquod delictum fecerit, pro quo catalla sua debet perdere; ipsa catalla prædictis monachis integrè liberentur, ubicunque facta fuerit justitia. Et volo, quod Vicecomes, vel aliquis de ballivis, seu ministris meis, repertus negligens vel protrahens eorum negotia contra juris ordinem, & libertates eorum; sit in forisfactura viginti librarum thesauro meo solvendarum. Et nè aliquid omittatur, quod ad securitatem jurium, & libertatem eorum monachorum, præsenti charta convenit inserere; saltem propter eos, quos plus terret dispendium temporale vitæ præsentis, quàm supplicium gehennale perpetuò duraturum: districtè præcipio, quòd omnes, & singuli, cujuscunque fuerint gradus, vel conditionis, qui præsentis scripti sanctionem, contra formam & effectum voluntatis meæ, expressæ in eodem, in aliquo violare nituntur, perturbare, vel minuere procurant consilio, auxilio, vel favore, quominus pacificè possideant aliqua dona sibi concessa, vel vexantur aliquibus privilegiis superiùs memoratis: sint condemnati in pœna forisfacturæ centum librarum legalis monetæ, thesauro meo, heredum, vel successorum meorum, persolvendarum; quoties sic attentare præsumpserint. Nec non quod satis facient dictis monachis, pro damnis & expensis, per eos sibi factis vel illatis, taxandis per juramenta quatuor vel quinque hominum fide dignorum; per quos rei veritas melius agnosci poterit, coram judicibus meis, heredum, vel successorum meorum definiendis. Ut sic, qui sæculo sponte renuntiantes, se jugo Dominico mancipârunt, & jam facti sunt mundo mortui; absque mundi turbine, & inquietudine, liberam habeant facultatem, divinæ vacare contemplationi.*

Ista donaria, licet minima, ad laudem summæ Trinitatis, & in pretium redemptionis animæ meæ, prædictis monachis devotus perpetuavi, & stabilivi; in anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, *nongentesimo quadragesimo octavo, in præsentia Archiepiscoporum, Episcoporum, & procerum Regni mei subscriptorum.* XIX.

† *Ego Wulstanus, Archiepiscopus Eboracensis, devotus subnotavi.*

† *Ego Odo, Dorobernensis Archiepiscopus, consilium & consensum meum ad istud dedi.*

† *Ego Alfredus, Schirbunensis Episcopus, affectavi.*

† *Ego Kinsius, Lichfeldensis Episcopus, consensi.*

† *Ego Kinewaldus, Wigornensis Episcopus, istud factum corroboravi.*

† *Ego Ceolwulfus, Dorcacistrensis Episcopus, desideravi.*

† *Ego Athelwoldus, Abbas Abendonensis, approbavi.*

† *Ego Dunstanus, Abbas Glasconiæ, multum adoptavi.*

† *Ego Oslake Dux, ad instantiam Domini mei Regis collaudavi.*

† *Ego Brithnodus Dux, commendavi.*

† *Ego Alcinus Comes, favi.*

† *Ego Agulfus Comes, consignavi.*

† *Ego Radbodus Comes, consensum dedi.*

† *Ego Bingulf Vicedominus, consului.*

† *Ego Aser Vicecomes, audivi.*

† *Ego Harcenus Minister, interfui.*

† *Ego Sigeius Minister, auscultavi.*

† *Ego Athelwardus Minister, aspexi.*

† Ego Turketulus, licet minister inutilis, finem tenens mei propositi, ob hujus rei gratiam, æternum Deum laudo per omnia, & licet sero veniens sub habitu monachali, & animo contrito, jugo regulari meipsum submisi: ut saltem sic senectutis meæ faces creatori meo cogar immolare. Magnificat ergo anima mea Dominum: & vos fratres, magnificate Dominum meum; ut in sanctitate & justitia coram ipso servientes semperque mundi Principe triumphato, sic curramus in præsentis vitæ stadio; ut in futuro ad divinæ speculationis bravium pertingere mereamur. Amen.

XX. MORITUR ÆLFGARUS LICHFELDEN. EPISCOP.: SUCCEDIT KINSIUS.

Hactenus Edredi charta, pro Croylandensi monasterio; quam genuinam, & nullo subscribentium Episcoporum errore vitiatam esse constat; præsertim si dixeris, quod est admodum probabile, Ælfgarum obiisse Lichfeldensem Episcopum, quem anno nongentesimo quadragesimo illi sedi præfeci. Tunc enim Kinsium eidem successisse dicendum est: & corrigi possunt Fasti post Malmesburiensem collecti: ubi Kinsii consecratio, ad Lichfeldensem Ecclesiam posteriùs consignatur, nimirum ad Christi annum nongentesimum quinquagesimum tertium. Aliorum Episcoporum ingressus suprà suis locis adnotavimus, hoc solum monito, Ceolulphum, vel hoc, vel sequenti anno sedem suam Oskitello reliquisse; ut dicam anno 951. num. 8.

MORITUR CEOLULFUS DORCESTRIÑ. SUCCEDIT OSKITELLUS.

XXI. ETHELWOLDI ABBATIS EXORDIA.

Ethelwoldi, Abindoniensis cœnobii Abbatis mentio, quæ hic primùm occurrit; facit, ut quis ille, & inde in monasterium illud surrexerit, inquiramus: Enimverò frequens imposterum in Annalibus nominabitur, tam sanctitate, quàm rerum piè gestarum gloriâ illustris. Hic ergo repetam ejus exordia: quæ biographi apud Harpum contractiùs recitam in hunc modum: *Parentes sanctus Ethelwoldus ingenuos & Christianos habuit, Wentanæ urbis cives. Floruerunt autem sub Edoardo seniore Anglorum Rege, mandatorum Dei sedulò cultores. Felix ejus genetrix, cum eum in utero ferret, intempesta nocte somnium vidit ejusmodi. Vidit ex ore suo exilire & avolare quasi auream quandam miræ magnitudinis aquilam, quæ volando cuncta Wentanæ civitatis ædificia, auratis alis obtegeret; & in alta cælorum se subrigens, ab ejus se aspectu subduceret. Cum crevisset puer, traditus est sacris literis imbuendus. Erat autem naturâ agili, & acri ingenio. Ubi adolevit, famam ejus Rex Ethelstanus percepit, & celeriter eum ad se accitum, apud se manere voluit, curavitque eum sacerdotio initiari. Per id tempus, Elphegus Episcopus, simul ordinavit Dunstanum, Ethelwoldum, & Ethelstanum: quorum tertius paullò post ad lubrica seculi prolapsus est. Ethelwoldus porrò Glasconiam petiit, & sub Abbate Dunstano habitum monasticum induit, vigiliisque & precibus incumbens; & abstinentia corpus suum edomans; semper ad ardua virtutum culmina adspiravit. Ubi cum ab omnibus amaretur: & Abbas eum monasterii Decanum constituisset; tanta humilitatis dedit præbuit exempla; ut quotidiano manuum opere hortum coleret, & fratribus ad prandium poma, & diversi generis legumina præpararet.*

Harpus s. Augusti.

SACERDOS AB ELPHEGO CONSECRATUR.

XXII. FIT ABBAS ABINDONIÆ.

Jam Rex Edredus ejus sanctitatem cognoverat; hortantéque eum matre sua Edgiva; locum quendam, quem Abendoniam vocant, ei tradidit: in quo antiquitus exiguum fuerat monasterium, sed tunc neglectum, ac desolatum. Ad cujus instaurandos domos, præbuit ei Rex de thesauris suis, & mater * *ejus etiam largiùs. Itaque loci illius Abbas effectus, monachos congregavit, eosque in multa vitæ sanctitate gubernavit.* Hæc ibi.

* Edgiva.

Omittitur (quod tamen in Annalibus omitti non debet) insigne vaticinium, quod Elphegus edidit Wintoniensis Episcopus, cum Dunstanum, Ethelwoldum, & alterum, manuum impositione Sacerdotes consecravit. De quo ita scribit Malmesburiensis: *Alio tempore ordinavit (Elphegus) ad presbyteratus gradum tres monachos, Dunstanum, Ethelwoldum, & quendam Athelstanum; qui postmodum monachica vestis apostata, cælibatu contempto, in meretricis amplexibus vitam effudit. Completis solemniis, sancta recordatione præsul, adhærentes alloquitur. Hodie coram Deo, tribus viris manus imposui: quorum duo Pontificalis ordinis gratiam nanciscentur: unus in civitate Wigerniâ, deinde in Cantia: alter meam sedem implebit; quandoque successione legitima; tertius voluptatum volutabro se ingurgitans, miserabilem sortietur exitum. Hic Ethelstanus, qui pro familiaritate cognationis præsens esset, proterva consultatione sacerdotem invasit: Num ego ero unus è duobus, qui Episcopali dignitate sublimandi sunt? Non, inquit, erit tibi pars, neque sors in eo, quem præfatus sum, ordine: neque permansurus es in ea, quâ hominum oculis lenocinaris, veste. Quanta sanctissimæ mentis dignitas, ut evidenter, & sine fuco, cælorum efferret secreta? Neque enim in terram ceciderunt verba illa: sed omnia, ut recenm solidavit consequentia. quod Dunstanus & Ethelwoldus, angustam viam, quæ ducit ad vitam terentes, insignes in prædictis Episcopatibus emicuere: tertius latas seculi semitas cursitavit.*

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 245.

ELPHEGI VATICINIUM.

XXIII.

Hic ergo ille Abendonensis est Abbas, qui Regiæ chartæ subscripsit, quem postea Wintoniensem Episcopum legemus, ut Elphegus prædixit. Nunc Abbatis titulo, cœnobio præest in Bercheriensi agro, cujus exordia ad Inæ Regis tempora supra * retulimus: postea cum Dani, hostili manu Insulam invasissent, & monasteria inprimis evertissent; locus ille, ut cætera omnia, injuriam passus, ab Edredo Rege, luci pristinæ restitutus est, Ethelwoldo illi præfecto. De hujus loci fundatione, ita benè scripsit Clemens Reynerus. *Fundatum est*, inquit, *Abendoniæ monasterium, à Cissa, patre Inæ Regis; & ab ipsomet Ina perfectum; qui regnum inchoavit, circa annum Domini sexcentesimum octogesimum octavum. restauratum postea (cum Danicis incursibus fuisset vastatum) ab Edredo, Alfredi Regis nepote, circa annum Christi nongentesimum quinquagesimum.* Annales de Hida paullò latiùs Edredi Regis pietatem explicant: *Edredus Rex*, inquiunt, *super omnia, monasticam cupiens nobilitare religionem; B. Ethelwoldo, locum quendam, vocabulo Abbendoniæ dedit: in quo modicum antiquitùs haberetur monasteriolum; sed erat tunc neglectum ac destitutum, vilibus ædificiis consistens, & quadraginta tantum mansas possidens. Reliquam verò præfati loci terram centum cassatorum, Regali dominio subjectam, Rex ipse possidebat. Factumque est, consentiente Dunstano Abbate, secundum Regis voluntatem; ut vir Dei, Ethelwoldus, prænotati loci susciperet curam: quatenus in eo monachos ordinaret, regulariter Deo servientes. Quem sanctum virum protinus sequuti sunt quidam clerici de Glasconiâ; scilicet Osgarus, Foldbirthus, Frithegarus, & Ordbirthus de Wintoniâ, & Edricus de Londoniâ, ejus discipulatui se subdentes. Congregavitque sibi in brevi spatio gregem monachorum; quibus ipse Abbas, jubente Rege, ordinatus est.*

* an. 675.

Apost. à Bened. fol. 125.

Do

XXIV. ETHELWOLDI SANCTITAS.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 243.

De Ethelwoldo, & sanctitate ejus, ita scribit Malmesburiensis: *Ab Elphego*, inquit, *Tonsuratus in clericum, non multò post, à Dunstano Glastoniensi Abbate, cucullatus est in monachum, ordinatusq; in monasterii Decanum. Hos doctrinâ, illos religione, omnes amore demerebatur. Quo tempore Abbas vidit de eo somnium sanè memorandum: Arborem infra ejusdem cœnobii septa succrescere; quæ per quatuor mundi plagas, ramis diffusis totam inumbraret Angliam; opertamq; per omnes frondes cucullis; maximamq; cucullam in summo positam, cæteras minores, manicarum quasi fomento protegere. Stupefactum illum tanta visionis miraculo, ab astante venerabilis canitiei sene quæsisse oraculum. Arbor illa, inquit, est hæc Insula. cuculla major est monachi tui Ethelwoldi vita. cætera, hominum innumerorum, quos ipse verbo, & exemplo trahet ad Dominum. Consonat huic præsagio, matris ejusdem visio, quæ ipsi jam utero grandescenti, jamq; puerperium meditanti, ostensa est aureum aquilam ex ore suo avolasse, quæ pennarum plausu diu civitatem perlustrans, novissime altitudine nubium erecta, cœlum subisset. Harum visionum veracem exitum, jam prælambens fortuna ferebat in populum. Cum ille, arctioris vitæ desiderio, Gallicanum exilium sitiens, ab Edredo Rege retentus est:*

EDGIFÆ LAUS.

agente id, & filium stimulante matre Edgifa, omni religionis laude, orbi Britannico notâ. Datur ergò ei cœnobium perexiguum, Abendonia dictum, ubi viros sua prudentia experiretur. Nec ipse spei datorum strenuitate abfuit; sed in laudabilem, ut hodie cernitur, celsitudinem erexit.

XXV. ETHELWOLDUS E GALLIA MONACHOS PETIT.

Quòd Ethelwoldus Gallicanum sitiverit exilium; magnorum id virorum votum fuit, & hujus sæculi consuetudo; ex omni agro flores colligere, & eosdem domum deferre, ut rursum germinaret vinea, quam singularis ferus erat depastus. Ethelwoldus, Dunstanus, Odo, à Deo eliguntur, ut monachos colligerent; collectósque ad religiosæ disciplinæ normam formarent. Quæ, quia in Angliâ repuerat, & nuper in Galliâ florere cœperit (nam omnium ubique est rerum vicissitudo) Inde monachorum patres primi, ex horto illo monasticæ perfectionis flores petiverunt. Ethelwoldus ergò ab Edredo retentus, misit in Gallias Ordgarum monachum, ad Corbeiense monasterium, & inde Floriacum, ut suo monasterio impetraret viros, qui cæteris essent exemplo. Nec male ad Corbeienses misit, quos

v. an. 665. 6.

Bathildes nostra * olim fundaverat: & ubi forsan Angli in religiosa disciplinâ docti, etiamnum versabantur. Ordgarus in patriam rediit, & voto potitus, monachos duxit; qui Abendonense cœnobium, sub Ethelwoldo Abbate illustrarunt.

v. an. 963. 6.

Cui etiam, ut * dicemus, in Abbatis munere successit. Sic intelligo, quod Author modò dixit, monasterium illud in *laudabilem celsitudinem* erectum esse Ethelwoldi industriâ. Scio aliquos Ethelwoldi sitim de exilio Gallicano aliter exponere: nimirum quòd desiderio teneretur invisendi corpus S. Benedicti, quod in Galliâ colebatur. Sed quia Malmesburiensis dixit, sitim ejus, ex *arctioris vitæ desiderio* profectam: angusta nimis interpretatio est: & illo, quem : prodigus ostensus est, monasticæ perfectionis restitutor; debuit non è privato studio, sed publicum monasticæ Reip. bonum, peregre proficisci: & more boni institoris, mercibus, quibus patria indigebat; patriam illustrare. Nunc Londinum redeo, & ad Concilium illud, unde me Edredi pietas abduxit.

ANNUS CHRISTI 949.

AGAPITI II. PAPÆ 4.

EDREDI ANGLORUM REGIS 4.

I. EDREDI EXPEDITIO IN NORTHUMBRIAM.

DECRETUM in Londinensi Synodo bellum, anno nongentesimo quadragesimo octavo: non nisi anno sequenti confectum est; nimirum Christi nongentesimo quadragesimo nono. quando Edredus Rex, scripto milite, in Northumbriam proficiscitur, & docet rebellem populum servitutis jugum patienter ferre. Hanc Edredi expeditionem, quidam priùs, alii posteriùs referunt. Ego vix dubito, quin soluto procerum conventu, itum sit ad arma; ita tamen, ut sequenti tantùm vero, eóque adulto pugnatum sit. & turbæ tumultúsque ibi sequuti; quos statim referunt; non ante annum nongentesimum quinquagesimum plenè sopiti. Ita Authores consilio, Hovedenum, Florilegum, & Wigorniensem: quorum hic postremus omnia refert ad annum nongentesimum quinquagesimum, duo priores, ad annum nongentesimum quadragesimum octavum. Nec multùm differunt; quia illi belli exordia, iste finem recenset. Unde sequitur, annum intermedium, Northumbriæ regno fatalem fuisse. quod ita Hovedenus prosequitur: *Anno*, inquit, *nongentesimo quadragesimo octavo: pro infidelitate Northimbrensium, egregius Rex Anglorum Edredus,*

Hoved. hic.

totam Northimbriam devastat: in quâ devastatione, monasterium, quod dicitur in Rhipum, à sancto Wilfrido episcopo quondam constructum, igne est combustum.

RIPONENSE MONASTERIUM COMBURITUR.

Redeunte verò domum Rege, exercitus de Eboraca erumpens civitate, in loco, qui dicitur Chesterford, de extrema parte exercitus Regis, multam stragem dedit. Unde Rex nimis offensus, voluit illicò redire, & totam illam terram penitus delere. Verum hoc cognito, Northimbrenses timore perterriti, Eiricum, quem sibi Regem præfecerant, abjecerunt: Regis injurias, honoribus; detrimenta muneribus, expleverunt: ejusq; offensam pecunia non modica placaverunt.

NORTHUMBRIA VASTATUR.

IRICIUS REGNO EXUITUR.

II. Ita versipellis populus, qua facilitate perfidiaque Reges induunt; eadem eos exuunt, satis inconstanter: Iricius ex rex, Haraldi filius ab Huntindonio dicitur: & Haraldum Danorum Regem opinor intelligit; qui hoc anno nongentesimo quadragesimo nono, superatus ab Ottone Rege, qui Edredi sororem duxerat, Christo nomen per baptismum dedit; paulò, quàm Danorum turba, constantiùs. Habuit hic Haraldus, filium alterum, Suen dictum, in Angliæ Daniæque perniciem natum. qui quia adultior Insulam terruit, & Canutum filium hæredem regno reliquit: non erit parergon de Haraldo scribere, quod ex Adamo Bremensi refert hoc anno Baronius. *Otto postquam omnia fermè regna, quæ post mortem Caroli defecerant, suo imperio subjugarat; in Danos arma corripuit. quos antea pater ejus bello compressit. Eniniverò tunc rebellare moliti, apud Hadabii Legatos Ottonis, cum Marchione trucidarunt, omnemque Saxonum coloniam funditus extinguentes. Ad quam*

HARALDUS DANORUM REX.

apud Baron. hic n. 2.

Rem ulciscendam, Rex cum exercitu statim invasit Daniam; transgressusq; terminos Danorum, apud Sliaswigh olim positos; ferro, & igne vastavit totam regionem, usque ad mare novissimum, quod Northmannos à Danis dirimit: & usque in præsentem diem, à victoriâ Regis Ottesund dicitur. Cui egredienti Haraldus apud Sliaswigh occurrens, bellum intulit: in quo, utrisque viriliter certantibus, Saxones victoria potiti sunt. Dani victi ad naves cesserunt: tandemq; conditionibus ad pacem inclinatis, Haraldus Ottoni subjicitur: & ab eo regnum suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spopondit. Nec mora, baptizatus est ipse Haraldus, cum uxore Gunild, & filio parvulo, quem Rex noster, à sacro fonte susceptum, Suen-Otto vocavit. Hæc Adam Bremensis.

III. Swani initia.

Suen iste parvulus, postquam adoleverit, patrem Haraldum, Christianósque omnes persequetur, regno potietur; sed regno depulsus, ad Anglos fugiet, à quibus non admissus, in Scotiam ibit; ubi cùm quatuordecim annos latuerit, redibit in patriam, regno restitutus: sed iterum à suis destitutus, Christi fidem, vario infortunio, doctus, tandem promovebit. Tunc Angliam repetet, cùm Canuto filio: futurus Ethelredo Regi totique Insulæ gravissimus hostis. Et quia ibi, nec Ecclesiis, nec monasteriis pepercit; mirabiliter à Deo punitus, filio victoriæ spolia, & ea inter, opimam Insulæ coronam relinquet, sub initium sequentis sæculi. Hunc passim Authores nostri Swanum vocant, ut infrà.

IV. S. Aldelmi corpus effertur.

apud Capgr. in Aldelmo.

Hoc anno, Aldelmi corpus, qui egregia sanctitate claruerat, è sepulchro elatum, cultum à fidelibus meruit, & locum ornatiorem. Ita enim in ejus vita legitur: *Post ducentos quadraginta annos, post obitum Aldelmi, scilicet anno Domini nongentesimo quadragesimo nono, elevatum fuit corpus ejus sacrum de terrâ, & in scrinio cum magno honore collatum.* Nos suprà* Aldelmi sancti mortem retulimus, ad annum Christi septingentesimum nonum, à quo ad hunc annum, rectè numerantur anni ducenti quadraginta. Et huc sine dubio respexerunt Magdeburgici, dum scribunt ita: *Circa annum Domini nongentesimum quinquagesimum, apud Anglos cœperunt mortuorum cadavera, è terris elevari, & certis cærimoniis, ac religione quadam, in capsas aureas poni.* Falluntur tamen egregiè, si hunc religionis actum, cœpisse nunc primum apud Anglos putant. Nam priùs Odo Dorovernensis S. Wilfridi corpus è Ripensi monasterio (quod modò flammis succubuit) Doroverniam transtulit, ut suprà*: & dudum Rex Offa S. Albani corpus, è terrâ levatum, splendidè ornaverat, structo insigni mausolæo: quod hodiéque elegans argumentum est, Magdeburgicos hallucinari; dum Lectori obtrudunt, cœpisse tantùm ita coli Sanctos, apud Anglos, anno 950. Nihil enim novi, quod ad Dei Sanctorúmque cultum pertinet, cœpit hoc tempore apud Anglos: sed illi, præcedentium sæculorum exemplo (& mille suppetebant exempla) Sanctorum reliquias coluerunt. quod à Lucio, Constantino, Britannorum Regibus factum, priusquam Saxo in Insulam descenderet. Meminit elevationis corporis S. Aldelmi, Gulielmus Malmesburiensis. Nam in eo monasterio vir sanctus (ut* suprà dictum) sepultus jacuit. quod nunc irregulares nescio qui clerici occupaverant. *Eâ tempestate*

v. an. 709. 4.

Cent. 10. fol. 555.

v. an. 793. 15.

** an. 709. 24.*

(loquitur Guilielmus) *facies monachorum fœda & miserabilis erat. Nam & Malmesburiense cœnobium, plusquam ducentis & septuaginta annis, à monachis inhabitatum; clericorum stabulum fecit.* (de Edwio Edredi successore loquitur) *Sed tu Domine JESU Creator, & recreator noster, bone artifex, multumq; potens, formare nostra deformia, per illos homines irregulares, & vagos: thesaurum tuum, tot annis abditum, in lucem protoplasti, B. Aldelmi corpus dico, quod ipsi de terra elevatum in scrinio locarunt. Accessit clericorum gloriæ regalis liberalitas, ut daret sancto prædium, amplitudine, & vicinitate ipsa peropportunum.* Aldelmus factus est Malmesburiensis Abbas anno 670. Inde ad hunc annum sunt anni 270.

Malmesb. de Reg. l. 2. fol. 35.

V. Abendoniense monasterium ditatur.

** an. 948. 22.*

Annales Hidæ in Edredo.

Vacavit etiam hoc tempore, Edredo Regi, monasterium Abendoniæ augere, quod nuper* Ethelwoldo concesserat. Quo in opere, ab Edgiva matre, pietate heroina adjutus; locus ille, aliorum etiam fidelium munificentiâ, celebrari cœpit. Sic enim in Hidæ Annalibus legitur: *Dedit etiam Rex Edredus possessionem Regalem, quam in Abendoniâ possederat: hoc est, centum cassatos, cum optimis ædificiis, Abbati & fratribus ad augmentũ quotidiani victus. & de Regio thesauro suo, multum eos in pecuniis juvit. Sed mater ejus Edgiva largiùs solatia munerum eis direxit.*

Edgivæ in monachos pietas.

Tantamq; gratiam Dominus sibi servientibus contulit: ut ad præfatum cœnobium; quod antea erat rebus pauperrimum; omnes simul divitiæ putarentur affluere. Et sic cuncta prosperis successibus occurrere; ut palam sententia Dominicæ promissionis impleri videretur, quâ dicitur: Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis: Venit Rex Edredus, quadam die, ad monasterium prænominatum, ut ædificiorum structuram per seipsum ordinaret: mensusq; est omnia fundamenta monasterii, propria manu; quemadmodum muros erigere decreverat. Ita ibi.

VI.

Fuit etiam Edredus Rex, in aulicos ac ministros suos, munificus ac liberalis: unde Adelstano cuidam terras concessit, & chartam scribi jubet hoc anno datam: quæ quia; necdum, quod sciam, edita; ideo Annalibus inseri potest; ut Episcoporum subscribentium nomina innotescant: Sic ergo loquitur Regia Charta:

Edredi Charta Edelstano ministro.

QUicquid inter seculares, in omnibus agendum est terris; muniri apertis debet literis: ut quod obliviscitur mentis memoria; præsens semper custodiatur litera. Ne fortè etiam perdatur invidia cupiditatis, quod est justè adquisitum, dono rectitudinis. Unde ego Eadredus, nutu gratia Dei, Anglorum Rex, omnibus meis notum esse volo fidelibus, quod ego cuidam fideli meo ministro, onomate Æthelstan, pro suo amabili obsequio, seu etiam pro sexaginta mancusis, de probato & purissimo auro; do & concedo decem mansas telluris, in loco quem circummanentes appellant vulgariter Ealun; ut habeat, & possideat, vita comite. Post sua etiam terminum vitæ, cuicumque heredi voluerit, in perpetuam derelinquat hereditatem. Sit autem prædictum rus, liberum ab omni mundano servitio: tribus exceptis, viatici pontis restauratione, arcis regalis constructione, populari etiam expeditione. Si quis autem; quod absit; cupiditatis flamma accensus, hoc nostrum infringere tentaverit donum; sit damnatus, cum omnibus filiis perditionis Belial in tartareis tormentis; nisi resipiscens digna factione emendaverit. His autem terminum finibus prædicta terra circumcirca grata esse videtur, &c.

Et ut

VII. *Et ut hæc chartula inviolabile robur firmitatis obtineat.*

† *Ego Eadredus Rex, primus Regali manu confirmo.*
† *Signum Eadgifu genetricis ejusdem Regis.*
† *Ego Oda Dorbernensis Ecclesiæ Archiepiscopus, corroboro.*
† *Ego Wulstanus Eboracæ civitatis Archiepiscopus, adfirmo.*
† *Ego Theodred Londoniensis Episcopus, contestor.*
† *Ego Ælfeeh Wintoniensis Episcopus, consigno.*
† *Ego Elffige Episcopus, consentio.*
† *Ego Ælfrit Episcopus, delibero.*
† *Ego Æthelgar Episcopus, desidero.*
† *Ego Ælfric Episcopus, cupio.*
† *Ego Eadmund Dux.*
† *Ego Æthelmund Dux.*
† *Ego Ælfgar Dux.*
† *Ego Wulfric Minister*, &c.

Acta est hæc chartula, anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo quadragesimo nono: Indictione VII. *Regnante Rege Eadredo anno II.* Sed malo legere: Regnante Rege Eadredo anno IV. Nam Indictio septima, & Christi annus 949. in Edredi Regis quartum, non secundum annum, cadit.

VIII. Theodredus Londinensis Episcop. moritur.

Ex hâc etiam chartâ colligo, Theodredum Londinensem Episcopum, hucusque superstitem; nunc primùm alteri sedem reliquisse: licet Fasti dudum illi successorem assignaverint. Cæterùm diu Episcopum egisse, & hucusque vitam produxisse; præter dictam chartam, Malmesburiensis verba satis innuunt, cùm de suo tempore loquens, ait: *Hujus* (Theodredi) *nonpenitus exoletam memoriam cives prædicant; dicentes eum fuisse Regis Ethelstani tempore*, &c. Unde satis Fastorum error cernitur; qui eum ante Ethelstanum Regem mortuum scribunt. Fortè etiam erraverunt; quos tamen sequutus sum; dum ingressum ejus in sedem Londinensem consignarunt ad annum Christi nongentesimum. Nam inde sequetur quinquaginta annos sedisse: quod certè in Insulâ hac insolens non esse, aliàs ostendi. Successit illi in pastorali munere Wulstanus, qui quamdiu sederit, incertum est: sed paucis tantùm annis præfuisse, colligam infrà *.

Malmesb. de Pont: l. 2. fol. 256.

Wulstanus Londinensis.

*an. 956. 16

IX. Colligo etiam errasse Florilegum, cum Elphegi Wintoniensis Episcopi mortem collocavit, ad annum Christi nongentesimum quadragesimum sextum, vel certè sequentem; ut eum Baronius intellexit. Cæterorum Episcoporum nomina, qui sine sede ponuntur, posteriùs, opinor, adjecta sunt. unus Æthelgarus potuit hoc anno subscribere. quia Cridiensem Ecclesiam dudum administrandam suscepit, & etiamnum tenet.

v. an. 932. 7

X. Edgarus Herefordiens. Eps moritur: Succedit Tidhelmus.

Edgarus. Herefordensis Episcopus, qui ab anno nongentesimo vigesimo octavo, Ecclesiæ procurationem susceperat; hoc anno moritur. & successorem accipit Tidhelmum, qui nudum nomen posteris transmisit.

ANNUS CHRISTI 950.

AGAPITI II. PAPÆ 5.

EDREDI ANGLORUM REG. 5.

I. Northumbriæ regnum per Comites administratur. Iricius moritur.

SEQUITUR Christi annus nongentesimus quinquagesimus: quo Northumbriæ regnum, quod unicum restabat, seditionum, simultatumque seminarium, in Edredi Regis potestatem ita cessit; ut non ultra voluerit Regis titulo provinciam ornari; nè sub specie majestatis, in majestatem pugnarent; ut factum hactenus. Itaque Erico mortuo, quem Northumbrii nuper Regem elegerant, Comites ab Edredo dati sunt, qui cives in officio continerent. De Erici morte, ita scribit Florilegus: *Anno gratiæ nongentesimo quinquagesimo, Rex Ericus, in quadam solitudine, quæ Steinmor dicitur, cum filio suo Henrico, & fratre Reginaldo, proditione Osulfi Comitis, à Macone Consule, fraudulenter interempti sunt: ac deinde in partibus illis Eadredus regnavit.* Cæterùm provinciæ illius præfecturam Osulfo Comiti commisisse Edredus videtur. Unde benè Usserus in Chronologiâ dixit, ad hunc annum *Osulfus primus Northumbrorum Comes constitutus est.* Cui consonat illud Huvedeni, ita de Reip. mutatione scribentis. *Deficientibus*, inquit, *Northimbrensium Regibus; qualiter vel quibus Comitibus ipsa provincia subjacuerit, hic placet inserere. Ultimus Regum illius provinciæ fuit Ericus: quem Northimbrenses, violata fide, quam Regi Edredo juraverant, sibi Regem fecerunt. Quare offensus Rex jussit, ut tota provincia funditus vastaretur. Illico Northimbrenses, expulso Rege suo: & occiso Amanco filio Onlafi, juramentis & muneribus placaverunt Regem Edredum, commissa provincia Osulfo Comiti.*

Westmonast. hic.

Howeden. an. 952.

II. Nec multùm ab his dissentit Huntindonius; licet id post duos annos factum affirmare videatur. ait enim: *Edredus Rex septimo anno regni sui, receptus est iterum in regno Nordhumbre. Gens namque patriæ illius, dominum diu non perferens; nunc tertio anno regis sui Here filium Haraldi, ut leviter acceperat, leviter abjecerat: & Regem Edredum, ad se sponte vocatum, regni Sede reponunt.*

Huntind. fol. 355

III. Turketulus Abbas terras recuperat.

Composito Septentrione, cæteræ provinciæ vacare liberiùs poterant pietati. Turketulus in Merciis, Croylandense cœnobium præclarè auxit, conquisitis undique ac redemptis terris; quas nuperâ tempestate ceeptas, vel Regius fiscus, vel proceres aliqui, è Regis donatione indulgentiaque surrepserant: quarum revera dominium, proprietasque penes Ecclesiam fuerat. Ille ergo inspectis antiquorum Regum privilegiis, olim in monasterii favorem datis; strenuè egit, ut ablata redderentur. Ejus industriam Ingulphus ita explicat: *Alloquitur, quadam die*, inquit, *Lewinum Comitem, qui Spalding. Capelade, & Sutterton, terras olim monasterio Croyland dependentes, occupabat: quadraginta marcas auri, coram præfato Rege* (Edredo) *comes consulit: & prædictas villas in suam possessionem recepit. Composuit etiam tunc, cum Comite Alphero: & datis eidem decem marcis auri, Drayton Croylandiæ restituit, Standoun. & Badby datis similiter decem marcis auri, Comite Athelwoldo Croylandiæ recuperavit. Eodem tempore de Comite Alwino, cum esset juvenis pijssimus, & eleemosynis multùm deditus;*

Ingulf. f. 879

villam de Worburne, ad Croylandiam adquisivit. Tunc enim Bokenhale, & Halington, & Lindesey, de duce Oslaco, datis duodecim marcis auri, Croylandiæ restauravit. Langtoft autem & Baston, tunc Regali fisco pertinentes, Rex Edredus gratis, & sponte reddidit. Revocavit tunc Glaptborne, Thirming, Laithorp, Kirkby, Peikirke, & utramque Adingtonam, Repingale, Suttonam, & Stupiltonam. Hactenus ibi.

IV. MULTI IN CROYLANDIA MONACHI FACTI.

Non minùs personarum claritudine, religiosam vitam petentium, quàm terrarum amplitudine, Croylandense cœnobium illustratur: Nam Turketulum secuti sunt plurimi, qui spretis mundi lenociniis, arctiorem cum Deo unionem quæsiverunt. Nec erit abs re, illos recensere, ut hujus sæculi pietas cernatur. Sic ergo de illis Ingulfus: *Sequuti sunt Turketulum, ad monasterium multi literati viri: quorum decem secum schema monachicum susceperunt. cæteri rigorem religionis abhorrentes, adhuc in sæculari habitu permanebant. At nihilominus secum in monasterio habitabant, quia præsentia ejus nullomodo carere poterant. Quorum quidam gradum sacerdotalem obtinebant: quidam in clericali adhuc officio ministrabant. Hos omnes cum multi fuerunt, in cellâ sanctæ Pegæ Virginis, ad Orientalem partem monasterii manere jussit: & unicuique eorum sicuti uni monacho ministrari quotidie de victualibus imperavit. Fabricansq; illis ibidem capellam, horas regulares, tam nocturnas, quàm diurnas, tempore quo monachi persolvebant, ipsos persolvere jussit. Fiebat autem hoc, ex præcepto Turketuli Abbatis; ut ipso usu fierent aliquando monachicis observantiis aptiores: qui secularibus adhuc dediti lasciviis, & regulari vita longiùs erant devii, & discordes.*

V.

Habitum etiam omnibus uniformem indixit: scilicet chlamydem nigram vestesq; talares, ac omnes nigri coloris. Præter continentiam, & obedientiam, nihil aliud religionis voveant. Unde vix, vel nunquam contigit, aliquem illorum ad secularem vomitum revertisse; tam larga exhibitione procurati; tam laxa regula sunt contenti. Abbas Turketulus præpositum illorum, Priorem dicebat: quem ab ipsis omnibus electum, ille confirmabat. Quidam illorum ibi sanctissimo fine quieverunt. & in eodem loco sepulti sunt. Quidam procedente tempore, ad religionem monachicam conversi, & in ea sanctissimè conversati etiam ad Abbatis officium assumi postea meruerunt. Isti fuerunt duo Egelrici; qui de genere, & cognatione suâ, sibi satis carne propinqui; sed spiritu multò propinquiores jam effecti, successivè post illum, Abbatis officio ambo strenuè functi, & eodem defuncti sunt.

NON OMNIS MONACHI QUI SUB MONACHORUM CURA DEGUNT.
Malmesb. de Reg. l. 2. c. 5.

Hæc libentius excerpsi; quia alibi etiam observo, religiosè viventes, aut sub monasteriorum cura; non statim monachos appellandos esse; licet arctiùs serviendi Deo desiderio teneantur. Quod in altero etiam sexu videre est. Sic Malmesburiensis de Edoardi Regis filiabus: *Prima*, inquit, *& tertia, cœlibatum Deo voventes, Elfleda in sacro, Ethelhilda in laico tegmine; terrenarum nuptiarum voluptatem fastidiere.* Cæterùm Elfleda in sacrato tegmine, hoc anno mortua, inter Sanctos legitur in nostro Martyrologio. sed de illa plura inferiùs an. 992. n. 7. 8. 9. Qui in S. Pegæ oratorio, ita regulariter vivebant, Pegelandiæ presbyteri sunt appellati. quorum vitæ ratio, ita erat monasticæ conversationi, cognita; ut facilis inde ad monachi habitum gradus fuerit. Unde sub Abbatis Turketuli extrema tépora, omnes ferè monachum induerunt. Quid inde factum sit narrat Ingulfus.

VI. QUID STATUTUM DE CLERICIS SÆCULARIBUS.
Ingulf. sup.

Cum autem, circa ultima tempora, Turketuli Abbatis, sub inclyto Rege Edgaro, inciperet ordo monachicus in multis monasteriis ubique per totum regnum restauratis, & quibusdam noviter fundatis, copiosissimè reflorere: ratiùsque solito venientibus ad conversionem clericis, fere omnes Presbyteri Pegelandiæ, sunt effecti monachi Croylandiæ. Unde Pegelandia ferè personis destituta; cœperunt pauci clerici relicti, Abbatem Turketulum multâ instantia pulsare: quatenus complaceret, vel Sacerdotes seculares eis conducere; vel monachum de monasterio suo, qui divina eis quotidiè celebraret, aliquem assignare. Secularis autem aliquis, veniens ad conversionem, cujuscunque gradus fuerat, vel conditionis; illorum prius collegio deputatus est; & apud Pegelandiam probatus. Succedente tempore; prout Pegelandenses de ipso testabantur; receptus, vel repudiatus est. Abbas autem Turketulus, prudentissimâ providentiâ, neutram petitionem Pegelandensium acceptans; nec omnino damnans: concessit pro memoria S. Pegæ Virginis: & constituit ibidem divinum servitium perpetuandum: non tamen amodò aliquod collegium regularium, vel irregularium. quod aliquando fortè fieret monasterio suo injuriosum, vel onerosum, ibidem ullo modo statuendum. Ordinavit itaque unum Sacerdotem; & cum totius conventus sui consensu, communi chirographo sui capituli, confirmavit in perpetuum; qui perpetuis temporibus, pro monasterii sui fundatore, Rege Ethelbaldo, & ejus restauratore Rege Edredo, ac pro Turketulo Abbate, cæterisq; locis benefactoribus, celebraret. Ac ut unus monachus conventualis in refectorio exhiberetur, quotidie post prioris servitium, de eâdem qualitate; tam in prandio, quam in cœna, victualia sua suscepturus: sive domi fuerit, sive foris. Ad alia verò necessaria sua, mediam partem oblationum; quas fideles Christi in dicta Capella solent sunt offerre, contra sacristam; per æquales portiones amodo recepturus.

VII.

Cur ooo voluerit prudentissimus vir, Pegalandensium presbyterorum collegium perennare, non est difficile arbitrari. Vidit enim ab Augustini tempore, & deinceps; clerum ita precariò inductum, doctùmque à monachis viam perfectionis: ea postmodum præsumere, quæ monachorum jura, & quietem turbabant. Iterum viderat, eo gradu, in ipsa monasteria clerum irrepsisse, & fixisse sedem tam constanter, ut admodum difficulter inde recedere, aut sua monachis permittere voluerit: quod infrà pleniùs explicabitur, cum, Edgaro Rege, pro monasteriis disputatum. Turketulus igitur, hoc litis seminarium sustulit, cum Pagalandensium clericorum postulata ita solvit: ut Pegæ Virginis memoriam, & fundatorum cœnobii perennem esse, & aliud nihil voluit. Si quærit pius Lector, quænam hæc Virgo Pega fuerit, quæ loco nomen fecit. Respondeo, Guthlaci sororem fuisse, lectissimam Virginem, quæ ab obitu fratris; inter Croylandenses paludes, religiosè latuit: inde Romam profecta, ibidem sanctè moritur: quam cives postea venerati, locum in Croylandia illi consecrarunt, ubi pietatis suæ tyrocinium fecerat: quæ omnia superiori * tomo suis locis reddita.

DE S. PEGA VIRGINE.

* an. 714. & an. 72.. n. 3. 4 ..

ANNUS CHRISTI 951.

AGAPITI II. PAPÆ 6.

EDREDI ANGLORUM REG. 6.

I. MORITUR S. ELPHEGUS WINTONIEN. EPISCOP.

ANNO Christi nongentesimo quinquagesimo primo, consignatur mors Elphegi Wintoniensis Episcopi. Nam eum ad hunc annum pervenisse multa sunt argumenta: illud præsertim, quòd hoc anno Regiæ chartæ subscriptus legatur. Eadredus enim, cum Elfetho ministro prædia concessit: hanc etiam chartam, Episcoporum nominibus firmatam, dictari mandavit.

II. CHARTA EDREDI REGIS ELFETHO MINISTRO.

* deest aliquid.

DOmino Dominorum dominante in sæcula sæculorum. Regna regnorum hujus præsentis sæculi transeunt; sicut ignominia, & omnis gloria: & locus hujus mundi peribit: & non sunt æterna. sed superna æterna sunt. Unde ego Eadred, Rex Anglorum, Gubernator, & rector, cuidam mihi fidelissimo ministro, quem vocitant nonnulli noto vocamine Aelfeth cassatos perpetualiter concedo, in loco illo, ubi jamdudum solicolæ illius regionis nomen indiderunt, Æt-Nerthune: ut habeat & possideat, quamdiu vivat: & postquam universitatis viam adierit: cuicumque voluerit heredi derelinquat in æternam hereditatem. Sit autem prædictum rus liberum ab omni mundiali...... quæ ad ipsum locum pertinere dignoscuntur; tam in magnis, quam in modicis rebus, campis, pratis, pascuis, silvis; sine expeditione, & pontis, arcisve instructione. Si qui denique mihi, non obstante hanc libertatis chartam livore depressi violare satagerint, agminibus atræ caliginis lapsi, vocem audiant examinationis die, arbitri sibi dicentis: Discedite a me maledicti in ignem æternum: ubi cum dæmonibus ferreis sartaginibus, crudeli torqueantur in pœnâ. Si non ante mortem digna pœnitentia hoc emendaverint. Istis terminis ambitur prædicta tellus, &c.*

III. *Hæc Charta Karaxata est anno ab Incarnatione Domini nostri* JESU CHRISTI, *nongentesimo quinquagesimo primo, Indictione nona.*

- † *Ego Eadred Rex Anglorum, præfatam donationem indeclinabiliter concessi.*
- † *Ego Eadgifa ejusdem Regis mater, cum sigillo sanctæ Crucis confirmavi.*
- † *Ego Odo, Dorovernensis Ecclesiæ Archiepiscopus, ejusdem Domini Regis donationem subscripsi.*
- † *Ego Aelfeah Wintoniensis Episcopus, triumphale trophæum agiæ Crucis impressi.*
- † *Ego Censal Episcopus, consignavi.*
- † *Ego Osulf Episcopus adquievi.*
- † *Ego Athelstan Episcopus, corroboravi.*
- † *Ego Wulf... Episcopus, non renui.*
- † *Ego Oscitel Episcopus, conclusi.*
  - † *Ego Edmundus Dux.*
  - † *Ego Athelstanus Dux.*
  - † *Ego Æthelmun Dux, &c.*

Qui sine sede scribuntur Episcopi, posteriùs subscripserunt, si unum Osulfum exceperis, qui dudum Wiltunensem Ecclesiam administravit, ut dictum anno 934. n. 9. Et Oskitellum, qui à Dorcacistrensi ad Eboracensem Ecclesiam administrandam videtur transisse. Qui dicitur Wintoniensis Episcopus Ælfeah: ipse est Elphegus, cognomento calvus: quem hoc anno obiisse putamus: & quia nomen ejus, in nostro Martyrologio inter Sanctos legitur, ad primum Septembris. Ideo de vitâ sanctè actâ, & piè conclusa, dicenda sunt aliqua.

IV. ELPHEGI EPISCOPI TESTAMENTUM.

Scripsit ante mortem ultimæ suæ voluntatis tabulas, quas Wintoniensis Ecclesiæ Annales, in hunc modum recitant: *Ista est ultima voluntas Elphegi Episcopi. Imprimis volo, quod omnes servientes homines inhabitantes Episcopatum sciant ac recognoscant, pariterque sint testes, pro jure Episcopatus, & illorum, qui in Episcopatum imposterum succedent: ac pro me, & consanguineis meis, quod est: Ego ad ad præsens jus meum hereditarium, duplici modo dispono: Terras has apud Tauntune Ecclesiæ Episcopatus assiguo permanendas. quia per prius mihi ab ipsa Ecclesia tradita erant. Et insuper do terras illas apud Crundele, post obitum meum, Elphego: & post obitum suum transeat in jus veteris monasterii Wintoniæ. Et ulterius dono cognato meo terras illas apud Anna, per totam vitam suam: & post obitum suum transeat in jus novi monasterii Wintoniæ. Et cognata mea dono terras illas apud ambas Wardias, quamdiu vixerint. Et postmodum soror mea, & cognatus meus, uterque habeant, apud Cliere, cum omnibus aliis terris, quas pater meus de proprio jure tenuit. Insuper illas terras, apud Ty.beburn, trado Wulfrico Cusinge, ad habendas illas toto tempore vitæ suæ: & post ejus decessum transeat in jus veteris monasterii Wintoniæ. Et ipsas terras apud Kyngiwoode, secundum quod per prius legavimus, transeat in jus veteris monasterii Wintoniæ. Et Alswigo concedo ipsas terras apud Cylingtone, post viduæ decessum. Et Wulfrico de Wikam terras ipsas apud Lerchia. Et ego præcipio tibi, dilecte mi Esstbe, ut sis testis amborum meorum cognatorum, quæ sunt eorum terræ: & ne permittas quemquam, istud testamentum, alio modo convertere. Si quis enim aliter fecerit, Deus istum destruat: & tam corpus ejus, quam animam, diabolus in inferno possideat.*

V. ELPHEGI SANCTITAS.

Elphegus igitur, hoc condito testamento, cum ab anno nongentesimo trigesimo quinto, Ecclesiam sibi commissam piè administrasset, provinciámque verbo & exemplo docuisset currere viam mandatorum Dei; hoc anno, meritorum cumulo, quàm annis plenior, obdormivit in Domino. De cujus viri sanctitate, hæc habet Malmesburiensis: *Elphegus ad cæterarum virtutum, quibus tam laudabiliter, quam abundè pollebat, etiam prophetiâ clarus fuit. Hujusmodi dicti, duo erant causa exempli.*

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 241.

ET VATICINIUM.

Dies erat cinerum: & Pontifex pro more pœnitentes Ecclesiæ liminibus excludebat: cæteros adhortatus; ut jejunio & castitati vacantes, etiam uxorias delicias abjicerent. Illis diebus, fructum dignum pœnitentiæ esse: Si qui multa illicita commiseris, etiam licitis abstineas. Doctrinam reverentes audientibus cæteris; unus joculari voce emissâ, aliis risum excussit: non posse se temperare convivio simul & conjugio; ut pariter abstineat cibis & venere: Quinimo, uxorem, quam cubili aliquamdiu submovisset, in proximo ad usum noctis revocaturum, petulanti & vulgari verbo, satuitatem suam aggerans. Tum vox Episcopi submurmurantis, ab astantibus audita, & intellecta est. Contra illius me nuscu, nesciens quid ventura pariat dies. Durum prophetiam vicina mors nebulonis excepit. Postero enim mane, in cubiculo repertus est exanimis, incertum an à diabolo gutture elisus. Hæc ille.

VI. Aliud insigne Elphegi vaticinium, cùm Dunstanum, Ethelwoldum, & alium monachum,

an. 948. n. 22. sacerdotio insignivit, suprà * retuli. Ita prophetiæ, & sanctitatis fama clarus, moritur, & in Wintoniensi Ecclesiâ, cui plurima legavit, sepultus est. Quod ad mortis annum spectat: licet Westmonasteriensis, & eum sequutus Baronius, ante annos quatuor, mortuum pònant; ostendi tamen è Regum chartis, vixisse diutius. Unde facti post Malmesburiensem collecti, benè illi successorem hoc anno assignant Elsinam, vel Ælfsinum, vel Alesium, dictum. Nam ita Wigorniensis & Hovedenus scribunt: *Anno nongentesimo quinquagesimo primo, Sanctus Elsegus, cognomento Calvus, Wentanus Episcopus; qui B. Dunstanum, monachatus, & presbyteratus gradu decoravit; huic vitæ modum fecit: cui Elsinus in Episcopatu successit.* Fasti ad hunc annum Alesium, alias Alfsinum appellant.

Hoveden. hic.

ELSINUS WINTONIEN. EPS.

VII. Hoc anno, mortuo Cenulpho, Ecclesiæ Dorcacestrensis Antistite; è communi Authorum mente, sedem illam accipit Leovinus. quem alii Leofwinum scribunt. Nescio cur Fasti post Malmesburiensem collecti, nullam Ceolulpho sedem dederint: Et de Leovino ita scripserint: *Leovinus parochiam Lindissensem & Legecestrensem conjunxit: sedemq; Episcopalem primus* (ut opinor) *in Dorcacestram transtulit.* Ita ibi. Sed contra sensit Malmesburiensis, qui cum quinque Episcopos à Plegmundo ordinatos nominasset, mox addit: *Sed & aliis provinciis constituit duos Episcopos. Australibus Saxonibus, virum idoneum Bernegum; & Merciis Kenulphum ad civitatem Dorcestriæ, in pago Oxoniæ.* Ille ergò ante Leovinum Dorcestriæ sedit: cùm priùs, vel Legecestriæ, vel Sidnacestriæ, Merciorum Antistites sedere consuevissent. Leovinus fortè pastorali cura, universam provinciam amplexus, univisse sedes alias dici potuit. Unde de eo sic scribit Godwinus: *Leofwinus* (Kenulfo vel Ceolulfo successit) *illius regimini Sidnacestrensis etiam diœcesis relicta est: quæ per annos jam decem pastore destituta manserat; & nunc Dorcestrensi unita est: Cœnobio Ramseiensi hic multa contulit beneficia; & anno 959. defunctus est.* Verùm quod ad unionem Ecclesiarum spectat: fuit illa paullo posteriùs facta: Nam ita Malmesburiensis: *Leovinus tempore Regis Edgari, conjunxit Episcopatum Lindisfarorum, qui nunc dicitur Lincolniensis & Legecestrensis.* Cœnobium etiam Ramseinse posteriùs erectum est.

Fasti hic.

Malmesb. de de Reg. l. 2. c. 5.

Godwin. in Lincoln.

Malmesb. de de Pont. l. 4. fol. 290.

VIII. Hactenus de sede Dorcacestrensi, ex Authorum mente communiter dicta sunt. Verùm cum in Re[illegible] Edredi testamento, quod infrà recitabo, mentio sit Oskitelli, Dorcacestrensis Episcopi, qui ante hunc annum sederit: cogor ferè opinari, eum post Ceolulphum, sedem illam occupasse: & inde [illegible] hoc tempus, ad Eboracensis Ecclesiæ administrationem translatum: nimirum cùm Wulstanus inde pulsus est, ut statim dicam: sed quoniam Wulstanus sedem repetiit: Oskitellus non nisi eo mortuo, plenè successit. ut infrà, cùm Edredi testamentum recenseo (anno nongentesimo quinquagesimo quinto) & cùm Wulstanum sepelio, anno sequenti, nimirum 956.

ANNUS CHRISTI 952.

AGAPITI II. PAPÆ 7.

EDREDI ANGLORUM REG. 7.

I. QUI sequitur Christi annus nongentesimus quinquagesimus secundus, vel magni Antistitis scelere, vel Regiæ pietatis deliquio, obscurior est. Edredus Rex, Eboracensem Archiepiscopum carceri mancipavit: incertum an suo impetu, an saniori usus consilio. Incertum etiam, quâ de causâ: sed quia certum quoque est, causam subfuisse: videndum quid ex Authoribus colligi possit. Harpesfeldus hunc nodum, dum explicat, implicat. Scribit enim sic: *Ulstanum Æthelstanus Rex in vincula conjecit: quod in Dacos pronior: & justo propensior videretur: sed non ita multo post, è carcere dimisit. Sed ille exiguo tempore supervixit. Hæc quidem Malmesburiensis. Sed tamen ne hic ei applaudam, reliquorum historicorum frequentior consensus, & res ipsa cogit. Nam non solum Ethelstani, sed & Edmundi tempora transcendit, & ad postrema Edredi Regis pervenit, à quo carcere clausus dicitur, ob Theodfordenses cives ab eo occisos; necem Aldelmi Abbatis vindicante; quem illi injuste peremerunt. Quanquam & alia forte causa satis idonea suberat. Northumbri enim, post datam Edredo fidem, alium sibi Regem asciverunt. cum quibus se fortè Ulstanus conjunxit.*

WULSTANUS EBORACENSIS CARCERI MANCIPATUR.

Harpesfeld sæc. 10. c. 12.

II. Benè quidem hic author tempus consignat; benè causas conjectat detenti, captivique Antistitis: sed malè Malmesburiensi parachronismum imponit, qui non ad Athelstani Regis, sed ad Edredi tempora, refert Wulstani carceres. Nam in Edredo Rege hæc habet: *Archiepiscopum Eboraci Wulstanum; qui compatriotis in transfugio connivere dicebatur; diu in vinculis tentum, postea clericalis reverentiæ respectu, veniâ donatum laxavit.* Ita ille. Porrò, uter horum peccaverit: An Edredus tangendo Infulam: an Episcopus fundendo sanguinem, aut perfidiæ crimine; non est meum arbitrari. referam tantùm quæ alii dixerunt: Hovedenus breviter rem aperit, transitque: *Anno,* inquit, *nongentesimo quinquagesimo secundo, Inclytus Rex Anglorum Edredus, Eboracensem Archiepiscopum Wulstanum, in Withanbrig, arctam posuit in custodiam: quia frequenter apud eum, certis ex causis accusabatur.* Unde ferè colligitur, non impetu aliquo, aut una de causa, Edredum de Wulstano judicasse: & quia Dunstanus Abbas Regiæ conscientiæ moderator erat, consilio factum puto. Nihil forte Edredum magis acuit, quàm cædes illa in ultima Northumbriæ expeditione patrata; cum Eboracenses Regii exercitus extremam partem ceciderunt; Wulstano, ut creditur, authore. quod diu Edredus dissimulat; donec alia accusationis capita accesserunt. Tunc verò, cum frequenter à civibus pulsaretur: fecit quod è Reip. bono videbatur: ita tamen fecit; ut clericali tonsuræ reverenter detulerit, ut sequenti anno apparebit.

HARPESFELDUS EX[illegible] TUR.

QUI W[illegible] NUS PECCA[illegible]

Hoveden. hic.

III. Interim authores passim Wulstanum arguunt violatæ fidei, quam Regi debebat, & Reip. cæterùm Edredum Regem videntur absolvere. Hos inter Godwinus ita scribit: *Huic præsuli* (Wulstanum intelligit) *pessimi flagitii nota inuritur. Dicunt enim quantum Edredo Regi debuerit; vel fratris*

Godwin. in Ebor.

Athelstani gratia (à quo provectus fuerat)! imò nec Sacramentis huic de more præstiti, nec patriæ memorem, vel religionis, quam profiteretur: rebus studuisse Danorum, Christiani nominis hostium crudelissimorum, qui Angliam his temporibus, diuturno atrocissimóque bello affligebant. Ob hoc tantum scelus, mille mortibus plectendum, in vincula conjectus est, anno nongentesimo quinquagesimo secundo: & anno sequenti, clementia Principis inaudita, libertati restitutus. Hæc Malmesburiensis & alii. Verùm, quod ad Malmesburiensem attinet, non ita crudè, sed paulò modestiùs Episcopum excipiens, hæc tantùm habet de ejus facinore. *Wulstanus, pertinacioribus studiis, iram Regis emeritus: quod Danis contra eum rebellantibus faveret: ita quietum & benignum excitavit animum; ut eum in vincula conjiceret. Sed non multò post, arctus pœnitudine, & respectu clericalis reverentiæ; indemnem abire permisit.* Hæc ille, qui fateor, hoc loco, oblitus ejus quod supra in Regum gestis scripserat; per Regis iram, Edmundum intellexit, Athelstani fratrem, quod fortè Harpesfeldum suprà fefellit.

Malmesb. de Pont. l. 3. fol. 209.

ANNUS CHRISTI 953.

AGAPITI II. PAPÆ 8.

EDREDI ANGLORUM REG. 8.

I. Wulstanus e carcere liberatur.

Quamdiu Wulstanus Eboracensis in vinculis detentus sit; inde meritò dubitatur. quia Malmesburiensis in Regum gestis disertè affirmat, *diu* detentum esse: sed de Pontificibus scribens, dicit: *non multò post* solutum esse. Puto tamen, sequente captivitatem ejus anno, qui fuit nongentesimus quinquagesimus tertius, eum è custodia dimissum esse: quod Hovedenus & alii passim affirmant. Qui, quid in Edredi laudibus ponunt; satis ostendunt, Wulstanum peccasse. Edredus enim ita animo ad pietatem, religionémque compositus erat, ita Ecclesiam, Ecclesiæque ministros reverebatur: ita demùm erat *vir purissimæ conscientiæ*; ut locum obloquendi factiosis dederit. Foxius noster, ut novos ubique Martyres, ita novam historiam cudens; sic loquitur: Dunstani consilio Edredus nimis ducebatur: in tantum, ut historiæ prodant, Edredum duris ab eo impositis pœnitentiis, & castigationibus submisisse sese. Quod si verum; vel durus erat Dunstanus pater; vel multùm peccans Edredus Rex. Sed neutrum puto: arbitror potiùs Foxum Anglum, Malmesburiensem latinè scribentem, non esse assequutum. & tortiones corporis; quas à morbi natura profectas, Edredus Rex, Dunstani consilio patienter ferebat; à Dunstano inflictas arbitratum. Sic enim scribit Malmesburiensis: *Edredus, Archiepiscopum Eboraci Wulstanum, qui compatriotis in transfugio connivere diceretur; diu in vinculis tentum, postea clericalis reverentiæ respectu, venia donatum laxavit. Ipse interea Sanctorum pedibus acclinis, Deo & Dunstano vitam devoverat: cujus monitis tortiones crebras corporis patienter ferre, orationes continuare, prorsus palatium suum gymnasium virtutum facere.* Hoc factiosis hominibus nimium videtur, & ob hoc conantur Lectori persuadere, Dunstanum in Edredum Regem, nimis sæviisse. Addit Foxus, epiphonematis loco. *Tam cæca erat*, inquit, *in Regibus devotio, & tanta in Episcopis superstitio.* Quasi verò, cæca devotio sit Deum orare, cum patientiæ exercitio: aut Episcopi vapulare debent; quia Dunstanus Abbas, eorum sensu, desipuit.

Fox in Edredo. fol. 152.

Foxii oscitantia.

II. Moritur Æthelgarus Cridiensis Episcopus.

Moritur hoc anno Æthelgarus, Cridiensis Episcopus: de quo Wigorniensis ita scribit: *Æthelgarus, Cridionensis Præsul, vigesimo primo accepti Episcopatus anno, vitam in Christo finivit, ibidémque sepultus est. pro quo Beati Dunstani Abbatis consilio, vir venerandus Alfwoldus functus est præsulatus officio.* Hic Parkerus, in Britannicis Antiquitatibus scribit: Cridiensem sedem, Dunstano, ab Edredo Rege oblatam; quam ille, cùm nec Regis, nec Reginæ precibus cedens, nollet ascendere; in somnis ab Apostolis monitum, & reprehensum esse: quod ille monachorum figmentum appellat. Sed nihil Sectariis placet, quod aut præter, aut supra communem naturæ ordinem est: illi solùm vel cum natura, vel contra agunt: elevando Sanctorum facta, cum virtute conjuncta. Quod de Dunstano in hoc genere scribitur, est hujusmodi. *Defuncto Elphego, Wentanæ urbis Episcopo, cùm Rex Edredus, Dunstano pastoralem suscipere curam, persuadere non posset: Regina matri suæ mandat, ut persuadeat. Quod cùm Regina instanter fecisset, ille respondit: Nolo, ait, Domina, illud à me expetas: quod vel concessum meos amicos perturbat; vel non concessum tuos offendat. Neque enim nescio, quàm difficulter suam quisque ante tribunal Christi causam agat; dum alienæ causæ cognitor aut Index ex stat. Cumque illa negantem suis adhuc rationibus tenere voluisset: motus ille paulisper, ait: Certissimum habeto, Domina, in diebus filii tui, pontificali infula, me non esse sublimandum.*

Succedit Alfwoldus.

De Dunstano quid?

Capgrav. in Dunstano.

Episcopatum renuit.

III. Increpatur ab Apostolis.

Cumque sopori membra dedisset, adsunt ei in somnis, Apostoli Dei, Petrus & Paulus, cum sancto Andræa, gladios in manibus tenentes. Erat autem scriptum aureis literis, in gladio Petri: In Principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Cæterorum gladiis nomina tenentium scripta erant: Pauli Paulus, Andreæ Andreas. Hos gladios officiosa benignitate sibi obtulerunt. Interea Andræam exhilarato vultu aspicit concinentem. Tollite jugum meum super vos: & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Tunc à beato Petro jussus levam extendere, modicum crepitantis ferulæ ictum excepit; hoc ab illo audiens. Hoc tibi sit, & pœna abjecti, & signum ulterius non abjiciendi pontificatus. Evigilans autem vir Dei, gratias egit Deo; cujus munere ita se conspicit honoratum, & divinitus visitatum. Ita Osbernus in vitâ Dunstani. Hæc Apostolorum apparitio factiosos vexat: unde Parkerus ita censuit. *Hoc fabulosum cum interpretatione Regiâ somnium, ex sua ipsius* (Dunstani) *Hipocrisi natum, & monachorum superstitione divulgatum; ínanis hominis ambitionem, gloriæ, & honorum cupiditatem ostendit.* Ita novus homo Dunstanum traducit; quem septem sæcula sanctum scripserunt. Quasi verò, aut insolens sit, viros Sanctos, animarum onera & honores fugere: aut Deum eos prodigiis, ostentisve, ad animarum curam invitare. Hoc quidem in Sectariorum Synagoga inauditum: in Romana Ecclesia cantatissimum est.

Sed

IV. SOMNII ET VISIONIS INTERPRETATIO.

Capgr. suprà.

Sed fortè *Regis interpretatio* factiosis displicuit: nam Dunstanus Edredo omnia aperuit: & Rex somnii interpres, divinæ mentis consilium solvit. de quo author qui suprà: *Cumq; Dunstanus Regi cuncta narrasset: ille visionem absolvens, dixit: Quoniam per arma Apostolicæ benedictionis, potestas exprimitur pontificalis: noveris te, pro eo, quòd jugum Domini contempseris, increpatum: aut divinâ electione futurum Pontificem designatum. Porrò quod in principio erat Verbum, gladio Petri Apostoli scriptum vidisti: cum verbum Dei sit unigenitus Filius Dei; qui homo, pro hominibus inter homines factus est: profectò sitas te sedis ejus principem futurum, qui Christi nomine Cantuaria honoratur.* Ita è divino oraculo vaticinatur Edredus: quam Regiam interpretationem fabulosum quoque somnium, ex hypocrisi natum, ex monachorum superstitione divulgatum; idem Parkerus vocat; Sanctis æque, ac Regibus benevolus. Nos scimus Dunstanum Andreæ Apostolo devotissimum fuisse: scimus etiam, & suo loco probabimus, eum Londinensem Ecclesiam (quæ à sancto Paulo nomen sortitur) administrasse: scimus denique ad primam in Insula sedem promotum fuisse: nec valde miramur Dunstano hæc omnia, per Apostolos nunciata: cum Christus de se diligenti dixerit: *manifestabo ei meipsum.* Sed quicquid sit; indignè sanè ferendum, majorum facta, Sanctorum, Regúmque ab hæsternis hominibus; qui à majorum Fide apostatarunt, impiè commentis nescio quibus aspergi, ut novæ fidei monstra subsistant.

Ioan c. 14. v. 21.

V. DE ANNO MORTIS ÆTHELGARI.

Harpesfeld. sæc. 10. c. 9. fo 202. margine.

Ad Cridiensem Episcopum redeo, recens defunctum, Æthelgarum nomine: quem ad hunc annum superstitem fuisse colligit Harpesfeldus, è diplomate Regis Edredi, cui ille subscripsit, anno nongentesimo quinquagesimo tertio. ut patet ex monumentis cœnobii Septoniensis. Unde corrigendus est Florilegus, qui Æthelgarum (quem Algarum vocat) mortuum scribit anno superiore. Cæterùm an Dunstanus Cridiensem Episcopatum, mortuo Æthelgaro, an verò Wintoniensem, mortuo Elphego, recusaverit; non multùm laboro: & spectatâ, tam Regis Edredi, & Reginæ pietate; quàm Dunstani Abbatis ac pientissimorum monachorum sanctitate; probabiliter dici potest, utrobique fugisse curam animarum: nam onus illud, Sanctorum humeri, omni sæculo formidarunt: nec primus ille, aut ultimus fuit, qui minori sacerdotio contentus, ad majus suscipiendum, mirabiliter tractus est. Westmonasteriensis tamen, & Osbernus, in vitâ Dunstani, nulla Cridiensis Ecclesiæ factâ mentione; Apostolorum apparitiones referunt; cum Edredus, & Regina mater, Dunstanum, Elfego mortuo, substituere voluerunt.

ANNUS CHRISTI 954.

AGAPITI II. PAPÆ 9.

EDREDI ANGLORUM REG. 9.

I. EDREDUS AD MORTEM, SE PIE PRÆPARAT.

EDREDUS Rex, anno Christi nongentesimo quinquagesimo quarto, videtur se ad meliorem vitam, piis operibus præparasse. Enimverò crebræ corporis tortiones, mortis illi memoriam ingerebant: quas Dunstanus Abbas, in patientiæ argumentum, adeoque immortalis gloriæ augmentum; dari affirmabat. Et verò pius Princeps, quo gloriam illam, certámque suam vocationem faceret; Ecclesiis ornandis impensiùs animum adjecit. Glastoniense cœnobium, cui præerat conscientiæ ejus moderator, & divinæ voluntatis interpres, Dunstanus; variis hoc anno prædiis, & auxit ille, & aliis author fuit: Sic enim in illius loci Antiquitatibus legitur. *Anno Domini nongentesimo quinquagesimo quarto. Rex Edredus dedit B. Dunstano, pretio quinquaginta solidorum auri, manerium de Badbury, viginti sex hidas: & juxta oppidum Twinham; id est, Christ-Church, duas hidas, cum captura piscium. Dedit etiam Termic, & Scapelwel, & partem de Nory, & de Ellenberoe. Idem quoque Rex, dedit Wilfrido ministro suo, Horton, decem hidas: quas ipse, consensu Domini sui; post obitum suum; monasterio Glastoniæ delegavit. Sed Alwinus successor suus in hereditate, regulari ibidem suscepto habitu; alterius votum duxit ad effectum. Alfredus consensu Edredi dedit Camelarton, quinque hidas.* Ita ibi.

MONASTERIA DITANDO.

II. GUILIELMUS MOGUNTINUS EPISCOP.

**an. 938. n. 4.*

Mortuo, sob finem hujus anni, Frederico Moguntino Episcopo: successit Guilielmus, Ottonis primi, ex Edgithâ conjuge, filius, de quo * suprà dictum, cùm Edwardi Regis prolem recensui. Ejus hoc loco mentionem faciunt, non solùm Marianus Scotus, & Wigorniensis: sed Baronius etiam, aliíque, qui historias texuerunt. De eo sic scribunt Magdeburgici: *Post Fredericum, Ecclesiæ Moguntinæ gubernationem Wilhelmus, Ottonis Imperatoris ex Editha Angliæ Regina filius suscepit. Ab Arnstadensi autem Episcopatu eò translatum eum esse, ex verbis ipsius, quæ Marianus Scotus, & Trithemius in Chronico Hirsangiensi, in hunc modum referunt. Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quinquagesimo quarto, Indictione duodecimâ, Beatæ memoriæ Dominus Fridericus, sanctæ Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus VIII. Kalendas Novembris obiit. Eodem verò anno, ego Guilielmus tantæ successionis indignus loco ejus, cum consensu cleri & populi, ejusdem sanctæ Sedis, decimo-sexto Kalendas Ianuarii, in loco Aranstedi sum electus: & IX. Kalend. Ianuarii Moguntinæ ordinatus.* Quæ verba non supponunt priùs Pontificem fuisse; sed innuunt potiùs contrarium: nam qui Aranstedi electus, Moguntiæ ordinatur, hoc est consecratur Episcopus: quomodo priùs potuit Episcopus esse?

Cent. 10. fol. 29.

III. EIUS CONSTANTIA IN ARGUENDO SCELERA.

Baron. hic n. 4.

Guilielmus hic, à multis magnisque viris, plurimum commendatur; ob prudentiæ, pietatis constantiæque argumenta, quæ in pastorali munere dedit amplissima. quod Baronius hoc loco breviter expedivit his verbis: *Eodem anno*, inquit, *defuncto Friderico, Archiepiscopo Moguntino, subrogatus est in locum ejus, VVillielmus filius Ottonis: cujus magna est laus ex sacerdotali constantiâ, apud Petrum Damianum.* Intellexit author, ea quæ ad Desiderium Abbatem, de obitu Ottonis, scripsit Petrus Damiani, in hunc modum: *Otto Rex Teutonicorum, qui postmodum; Imperator creatus est Romanorum, Adelaidem Italiæ Reginam; quæ sibi commater exstiterat; suscepit in conjugem, quem filius ejus Almifluus VVillelmus; qui Moguntinæ præsidebat pastor Ecclesiæ; cœpit constanter arguere: & scelestum luridumq; conjugium publicè condemnare. Pater autem vehementer iratus, eum comprehendi præcepit, & carcerali mox custodiæ mancipavit. Quem per annale circiter spatium carcer inclusit; sed à correctione*

apud Baron. an. 973. n. 4.

linguam terroris vinculum non ligavit. Cum verò pater eum, quadragesimali decurrente jejunio, de custodia decrevisset educere: antequam psalterium expleret, quod autem extabat apicibus recusavit exire. Veruntamen tunc exivit: zelo sacerdotalis accensus authoritatis, non quievit: sed mox in patrem, publicæ excommunicationis jaculum intorsit. O verè dignum regio sanguine Sacerdotem! qui in causa Dei, non imperiale fastigium, ob paternum recognovit affectum: sed dum paternam ac regiam authoritatem, ut soli Deo contulerit; hunc hominem ejus legibus resistentem, à se prorsus extraneum deputavit. Dixit autem Patri: Tu arbitraris me adversum te insolenter agere: te verò præjudicium sustinere: sicito prænoscere; quia die sancto Pentecostes, uterque simul astabimus ante Deum: ibiq́, ventilabitur inter nos, librata justitiæ lance, litigium: ibiq́, luce clarius apparebit, quis nostrum æquitatis lineam teneat; quis Dei legibus contradicat. Factumq́, est, ipso qui dictus est sacrosanctæ solennitatis die, dum præfatus Augustus imperialibus infulis redimitus, multorumq́, Pontificum choris, sive Procerum vallatus agminibus, Missarum solenniis interesset: ut repentino super eum veniente judicio, repertus est mortuus. Episcopus autem in Domino jam quieverat. Sic qui de incesto conjugio contempsit judicari inter homines; ad tribunal æterni Judicis, coactus est pertrahi: & qui subjectum sibi dedignatus est audire Pontificem, terribilem super se non potuit evadere Majestatem.

IV. EXCUTITUR DICTA NARRATIO.

Hæc Petri Damiani de Guilielmo asserta; ab aliis non immeritò vocantur in dubium: quandoquidem Adelaidis cum Ottone conjugium, antiquorum nemo reprehenderit: & filium, ex eo conjugio genitum, ipse Guilielmus Archiepiscopus foverit, educarit, & ad imperium usque promoverit: quod facere minimè debuisset, si infames nuptiæ præcessissent. Nec Petrus ea asseveranter, sed timidè satis pronuntiat: dicit enim: *Hæc ergo, & alia quamplurima, non sine magna formidinis angore conscribo: ne videlicet, vel relatores mei metam veritatis fortasse non tenuerint: vel ipse quoque relationum in quolibet immemor, oblivione deliquerim.* His adde, nullum videri dissidium fuisse, inter Ottonem Imperatorem, & Guilielmum filium: cum Otto pater, in Italiam profectus; universum Francorum imperium filii prudentiæ commiserit: quo fidei atque integritatis non potest dari majus argumentum. Cæterùm, quòd Otto ei imperium commiserit, Witichindus testatur, cum Ottonis, & unà filii mortem describens, hæc habet: *Eodem tempore, quo hæc in Italia geruntur* (Baronius ea recitat ad annum Christi 973.) *Summus Pontifex Wilelmus Archiepiscopus Moguntinus, Ottonis filius ex priore conjuge, vir sapiens & prudens, pius, & cunctis affabilis; à patre sibi commendatum, regebat Francorum imperium. Cujus mater, licet peregrina; nimirum Anglicana, Edmundi* (lege Edoardi) *Anglorum Regis filia, nomine Edgitha, nobili tamen genere erat procreata. Hic cum audisset ægrotare matrem Imperatoris, missa sanctitatis feminam, nomine Mathildem, dumq́, ejus expectat funus, proprio funere ipsius funus prævenit.* Hæc de Guilielmo, regii generis sacerdote, placuit annalibus nostris adjicere; quia matrem ex Anglia habuit pientissimam fœminam, Ethelstani, Edmundi, & Edredi Regum sororem.

apud Baron an. 973. n. 5.

Witichin. l. 3. fin.

ANNUS CHRISTI 955.

AGAPITI II. PAPÆ 10.

EDREDI ANGLORUM REG. 10.

I. EDREDUS MORITUR

CUM Edredus Rex, nono regni anno absoluto, decimum inchoasset; ad Regis Regum tribunal sisti, & rationem dicti factique reddere jubetur, anno Domini nongentesimo quinquagesimo quinto, ut omnes omninò Authores consentiunt: Hic ergò, quæ mortem ejus præcesserint; ut piè testamentum condiderit; longè priùs, quàm vitæ periculum immineret: ut denique sanctè quieverit; opportunè dicendum. Nam vitam sanctè actam, pio fine conclusam esse, facilè demonstramus. Porrò Edredum, optimè se ad mortem comparasse, & piorum hominum precibus, eleemosynarum largitione, aliisque operibus, munivisse sibi ad immortalitatem viam Regiam, patet ex ejus testamento, quod Wintoniensis Ecclesiæ Annales recitant, in hunc modum:

II. EDREDI REGIS TESTAMENTUM.

Annales de Hida.

IN nomine Domini; Istud est testamentum Edredi Regis, quod est persolvendum. Imprimis ipse legat loco, in quo sibi placet post obitum suum requiescere; duas Cruces aureas, cum imaginibus aureis: & duos enses, quorum capitulis sunt aurei, & quadringentas libras. Etiam legat veteri monasterio Wintoniæ tres villas: quæ sunt Duntone, Domerhaim, & Calne. Præterea ipse annuit novo monasterio Wintoniæ, tres villas, quæ sunt Whatwell, Andever, & Litre. Insuper annuit monasterio Monialium Wintoniæ, tres villas, quæ sunt Selborne, Hamme, & Bradford. Etiam legat monasterio Monialium apud Cestriam, triginta libras, & monasterio Monialium Wintoniæ, triginta libras: & monasterio Monialium Septoniæ, triginta libras. Præterea ipse concedit, pro remedio peccatorum suorum, propriaq́, animæ salute, ac ejusdem post mortem misericordissima Dei remuneratione, pauperibus, & egenti populo, mille & sexcentas libras; ea intentione, ut à siti reserventur & fame. Et coram omnibus astantibus, & absentibus, cum ad audientiam eorum pervenerit, semetipsum excusat, quod prædicta intentione prædictam summam pecuniæ videlicet, egenis legavit & pauperibus.

III.

Ulterius legat Archiepiscopo Ecclesiæ sancti Salvatoris, quadringentas libras, de istis quatuor Comitatibus. Videlicet de Comitatu Cantuariensi, centum libras: de Comitatu Suthriensi centum libras. de Comitatu Suthsexiæ, centum libras: de Comitatu Barokensi, centum libras, in bonis, cum gaudio ad possidendum toto vitæ suæ tempore. Et si contingat Archiepiscopum viam universæ carnis, fore ingressum; ex tunc transeat ea pensio, in jus monasterii sancti Salvatoris Cantuariæ. Et ad istius donationis confirmationem, totum concilium ipsius Ecclesiæ vocavit testimonium, cum omnibus in prædictis quatuor Comitatibus feliciter degentibus.

IV.

Et etiam legat Elphego, Episcopo Wintoniæ, & Episcopali sedi apud Wintoniam, quadringentas libras, hoc modo percipiendas; videlicet quod recipiat ducentas libras, de Comitatu Southamptoniensi, & centum libras, de Comitatu Wiltuniensi: & centum libras, de Comitatu Dorsetensi. Et si contingat Episcopum, naturæ debitum solvere, permaneat ipsa pensio, sub forma per prius recitata, de Archiepiscopo:

videlicet, illæ quadringentæ libræ meæ donationis, remaneant veteri monasterio VVintoniæ. Ad cujus concessionis fulcimentum, sint omnes fideles in prædictis tribus Comitatibus inhabitantes, in testimonium & testes. Etiam Dunstano Abbati Glasconiæ, & monasterio Glasconiensi, ducentas lego libras, de his Comitatibus percipiendas: videlicet, centum libras de Comitatu Somersetensi, & centum libras de Comitatu Devoniensi. Post obitum verò Dunstani, disposita sit ipsa pensio secundùm formam hactenus a nobis legatam: scilicet quod permaneant monasterio Glasconiensi. Etiam Elphego Episcopo, & sedi VVintoniensi, præter priores quadringentas libras, lego ducentas libras, distribuendas inter pauperes & inopes, in quocumque Comitatu numerosius abundaverint.

V. *Insuper Oskitello Episcopo Dorckaccstrensi, & monachis ejusdem Ecclesiæ, quadringentas dono libras, & Episcopali sedi modo, quo superiùs legavimus. Etiam VVulfelmo Episcopo do quadringentas libras. Et meo præcipuo servienti lego centum viginti mancusas auri: ut ipse de illa summâ distribuat duas mancusas auri, populo pauperi & egeno. Insuper prædicto Archiepiscopo alias duas mancusas auri lego: & Elphego Episcopo alias duas, & tres mancusas Oskitello Episcopo; ut illi distribuant prænominatam summam in ipsorum Episcopatibus, pro remedio animæ meæ, & a pœnis relaxatione. Ulteriùs dono matri meæ terras illas, apud Ambresbyriam, & apud VVanting, & apud Basing: & omnes liberas terras; quas in Comitatibus Suthsexiæ, Suthriæ, & Cantiæ habeo. Præterea concedo Archiepiscopo prædicto ducentas mancusas auri, & mille ducentas libras. Et omnibus Episcopis meis, oratoribus specialibus, centum mancusas auri. & omnibus valectis meis, & meorum equorum custodibus, meis pincernis, & vini propinatoribus, concedo* octo mille mancusas auri: & omnibus meis armigeris, do mille mancusas auri.*

* in Saxonico 180.

VI. MISSÆ PRO DEFUNCTO. *Et omnibus Missam pie celebrantibus, quos disposui & ordinavi, ad deprecandum pro me, quinquaginta mancusas auri, quinquies millenos solidos: & cæteris omnibus sacerdotibus, quinquies millenos solidos. Et omnibus aliorum hominum sacerdotibus conductitiis, quos voluntas mea ordinaverit, ut pro me ad Dominum deprecentur, triginta mancusas auri. Et omnibus meis conductitiis præcipio, quod bona quæ legationem meam hanc excedunt, tradantur ac distribuantur meis consanguineis, quibus nihil in speciali legavi. Insuper, volo, quod mihi servientes, duodecim eligant homines pauperes istius civitatis; & distribuant eis de meis bonis quamdiu vixerint. Et istud testamentum volo quod permaneat immutabiliter, quamdiu Christianitas perduraverit, intuitu divini amoris, & pro expeditione animæ meæ. Et post ipsorum decessum; quod meæ legationis superfuerit, transeat in locum in quo mihi est placitum, corpus meum, relictâ animâ, diem expectare ultimæ Resurrectionis. Amen.*

VII. DE OSKITELLO. Hæ Regiæ voluntatis tabulæ ultimæ, licet è Manuscripto Codice, vitiosæ alicubi videantur; integræ tamen fidei sunt, & à Saxonico, in quo à Rege scriptæ sunt, in numeris tantùm differentes. Hinc ergò colligo (quod * suprà etiam opinari coactus sum) Oskitellum Dorcaccstriæ sedisse, cùm scriptum est testamentum: cur enim ille ita scriberetur? Porrò constat conditum priùs testamentum, quàm Elphegus Wintoniensis moreretur, hoc est, ante annum nongentesimum quinquagesimum primum. Quo tempore, cum Wulstanus, Eboracensis Episcopus, in fide obsequióque principis nutaret; Oskitellus è Dorcacestrensi sede, ad Eboracensem Ecclesiam administrandam videtur transiisse: licet in Fastis, aliisque Authoribus; non nisi à morte Wulstani, audiat Eboracensis Episcopus. Sed quia hæc mea solùm conjectatio est, reddam dicti rationem. Cum Edredus Rex, suæ voluntatis tabulas scripsit (opinor sub annum Domini nongentesimum quinquagesimum) Oskitellus dicitur Dorcacestrensis Episcopus: potuit ergo paulò ante, Ceolulfo successisse, qui satis diu, nimirum ab anno 906. usque ad annum 948. Merciorum provinciam rexerat. Iterum cum Leovinus, circa annum Christi 951. in Fastis scribatur Dorcacestrensis Antistes: & eodem anno Regio diplomati Oskitellus subscripserit, & nomen Episcopi, nec sedem nominaverit; suspicio est, in transitu fuisse ad aliam Ecclesiam; cujus adhuc Antistes in vivis erat. Denique is fuit Oskitellus, cui prima sedes debebatur. Nam Turketuli Abbatis cognatus, è regio sanguine ortus videtur: nec minor ei laus ex animi dotibus: quæ magnæ fuerunt. Nam Godwinus ita de illo: *Oskitellus homo, tam ob innocentiam vitæ, quam literarum non mediocrem cognitionem, multum celebratus.* Conjecturam meam firmat, qui Oswaldi Eboracensis Archiepiscopi vitam scripsit, ubi Oskitellus dicitur Dorcacestrensis Episcopus, ut dicam anno 960. num. 11.

* an. 951. n. 8.

Godwin. in Eboracen.

VIII. EDREDI REGIS ORTHODOXA FIDES. Sed quicquid sit, multò certiùs ex Edredi testamento, Edredi Fidem colligimus, orthodoxam atque Romanam: eam denique, quæ Lucios, Constantinos, & omnium Anglo-Saxonum Reges beavit; & quotquot inter eos, Christo nomen dederunt. Nam eomodo, similibus pietatis operibus, pari erga Missæ sacrificium affectu, sic ad mortis certamen, & animæ remedia procuranda, paraverunt, ut * suprà in Constantino diximus. Pergo igitur in Edredo, quem hoc anno debeo ad extrema deducere, & Deus volet crebra tunsione polire lapidem, cœlestis Hierusalem muro inserendum. Modum, tempúsque mortis, Hovedenus in hunc modum expressit. *Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo quinquagesimo quinto, egregius Rex Anglorum Edelredus, decimo anno regni sui ægrotavit, & desperatus est; qui missâ celeri legatione, confessionum suarum Patrem, Beatum scilicet Dunstanum Abbatem accersivit, Quo festinè ad palatium tendente, & medium jam iter peragente, vox desuper clarè sonuit, ipso audiente, Rex Edelredus nunc in pace quiescit. Ad hanc vocem, equus, cui insedit, pondus vocis Angelicæ ferre non valens; absque ulla sessoris læsione, cum interitu suo in terram corruit.* Hæc ille, & eadem habet Osbernus in vita S. Dunstani: qui dicit: *Vox ab æthere lapsa insonuit dicens: Ecce Rex Edredus obdormivit in Domino: ad quam vocem equus cui insidebat, percussus interiit. Et suis rem aperiens, commendavit animam Regis defuncti in manus Regis æterni:* quod nimirum ipse, eleemosynarum largitione postulaverat. Sepultus est Wintoniæ in veteri monasterio, ubi plerique ante eum Reges quieverunt.

* an. 317. n. 4. 15. 17.

Hoveden. fol. 421.

Capgrav in Dunstano.

IX. LUCTUS PRO REGE MORTUO. Mortuum Regem, cives & optimus quisque planxerunt: adeo ingenuis moribus, & ad pietatem compositis vixerat. Unde Malmesburiensis funus deducit, cum civium lacrymis, & gaudio Angelorum; sic enim scribit: *Decessit Edredus,*

magno

Malmeſb. de Reg. l. 2. c. 7. *magno luctu hominum; ſed gaudio Angelorum proſequutus. Siquidem Dunſtanus, nuntio ægrotantis audito, cùm ille ſonipedem calcaribus urgeret, vocem deſuper tonantem audierit: modò Rex Eadredus obdormivit in Domino. Requieſcit Wintoniam Epiſcopatu.* Ita ille. Felix Edredus, qui Angelo teſte, obdormivit in Domino: nam Chriſto teſte, & Apoſtolo ejus, *Beati mortui qui in Domino moriuntur: opera enim illorum ſequuntur illos.* Edredi opera non obſcura fuerunt; Chriſti cultus & Sanctorum, Templorum ornatus, monaſteriorum ſtructura,

Malmeſb. ſuprà. erga Chriſti Sacerdotes reverentia: *quorum pedibus acclinis* (inquit ille) *Deo & Dunſtano vitam devoverat, cujus monitis tertiones crebras corporis patienter ferre, orationes continuare, prorſus palatium ſuum gymnaſium virtutum facere.* Hæc, inquam, opera, indubiè Edredum beaverunt.

EDWIUS ANGLORUM REX.

X. Edwius regnat. Crevit Edredi laus, & virtus ejus eò fuit illuſtrior, quò ſucceſſor ejus magis in peccatis ſorduit. Edwius is fuit, optimorum parentum nequam filius; qui Regiâ poteſtate ad libidinem abuſus, Regiæ Fidei umbram tantummodò fecit: ſed umbra illa, majorum & prædeceſſorum Re-

Vir impius. gum facta illuſtrabit. Fuit Edmundi Regis, qui ante Edredum regnavit, filius: nec patri ſucceſſit, ob annorum ætatiſque defectum: & utinam nunquam regno ſucceſſiſſet, adeo illud initio fœdavit, cùm corporis elegantiam, quæ eum ſuprà commu-

A pulchritudine dictus πάγκαλος. nem hominum pulchritudinem adeo extulit, ut πάγκαλος vulgò diceretur, mulieribus impiè proſtituit. Debeo igitur, à ſanctitatis orbitâ paululùm declinare; cùm Edwii exordia recenſeo: quæ certè nullo alio modo palliari poſſunt; quàm ætatis ac intellectus defectu: nam tredecim tantùm annorum juvenis, Edredo patruo ſucceſſit, hoc anno ab Odone Dorovernenſi in Regem conſecratus, ad oppidum Kingſton. Quid ipſo conſecrationis die egerit, & quomodo ſceptrum coronámque maculaverit, referre quidem debeo, quia geſtarum rerum ſeries id poſtulat, dicere tamen meus calamus erubeſcit; aliorum ergo verbis

Malmeſb. de Reg. l. 2. c. 7. omnia proſequar. Malmeſburienſis ita Edwium Regem inducit: *Anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo quinquageſimo quinto: Edwius, filius Eadmundi, fratris Æthelſtani ſuperioris Regis, regno potitus tenuit annis quatuor; petulans adoleſcens, &*

Libidini deditus. *qui ſpecioſitate corporis in libidinibus abuteretur. Denique proximè cognatam invadens uxorem, ejus formâ deperibat, ſapientium conſilia faſtidiens. Ipſo quippe die, quo in Regem ſacratus fuerat, frequentiſſimo conſeſſu procerum, dum de rebus ſeriis, & regno neceſſariis, inter eos ageretur, è medio quaſi ludibundus prorupit in triclinium, in complexum ganeæ devolutus. Fremere omnes facti verecundiam, & inter*

* Dunſtan mons lapideus. *ſe muſſitare. Solus Dunſtanus, juxta * nominis ſui firmitatem, nihil regale ſupercilium veritus, laſcivientem juvenem violenter de cubiculo extraxit, & per Odonem Archiepiſcopum pellicem repudiare coactum, perpetuum ſibi inimicum fecit.*

XI. Fuerunt hæc dolorum initia; quæ mulierum impudentia magis accendit. Nam veteres ferè, illas magis quàm Edwium accuſant; quia primò blanditiis illum corruperunt: inde in Dunſtanum, lenocinia illa deteſtantem, acuerunt. Juvat rem totam è Baronio petere, qui Oſbernum recitans, ita præfatur: *Hoc pariter anno (955.) Anglicana Ec-* Baron. hic n. 9.

cleſia, defuncto optimo Rege Edredo, ſive Eadredo, ſuccedente Eduino (ita ipſe, & alii aliquando Edwium vocant) *Edmundi Regis filio, voluptuoſo viro, ſacrarum legum contemptore, non nihil eſt perturbata;* Dunſtanus [illegible] exilio mittitur.

ſancto Dunſtano, ipſo regni exordio in exilium relegato, eò quòd ipſe eum, è ſinu impudentiſſimæ fœminæ violenter abſtraxiſſet. Quomodo autem iſta ſe habuerint, narrat Osbertus his verbis: Erat in illis diebus, mulier quædam, ex magnâ & altâ progenie, filiam adultam ſecum habens. Vtramque, quantum ad corpus ſpectat, formoſa ſpecies decorabat. Sed quod pudicis* * Oſbernus rectius.

mentibus, non parvæ offenſionis erat, libidinoſus animus & habitus, qui juxta in eis operabantur, eandem ſpeciem valdè decolorabant. Hæ præfato Regi Eduino aſſiduè adhærebant, ſuis blanditiis, & nutibus illecebroſis, pro viribus operam dantes, quatenus unam earum ſibi in conjugium copularet. Ad quas ille, impudico illicitis amoris deſiderio fervens, indecenti amplexu nunc hanc, nunc illam, neutrius aſpectum in hoc erubeſcens, diſtringebat. Præterea, die, quo ipſe Eduinus, in Regem eſt conſecratus, à loco convivii, in quo cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, totiuſq; regni Principibus ſedebat, jam pranſus exiliit, & relictis omnibus, in cameram, ubi præfatæ fœminæ erant, ſolus ſecedit, capitiq; coronâ ſublatâ, ſe inter illas medium jecit. Quod optimates cognoſcentes, oppidò indignati ſunt, & rem tractantes inter ſe, Odonem Archiepiſcopum Cantuarienſem, qui dignitate cæteris eminebat, unanimiter hortari cœperunt, quatenus viros mitteret, qui Regem, ſive volentem, ſive nolentem, feſtinè reducerent.

Ad quod agendum, cùm hi, & illi, regiam iram metuentes, ſe excuſarent, tandem ſuper Dunſtanum, & XII. Dunſtanus ab Epiſcopo iubetur Edwium revocare.

ejus conſanguineum Kinſium, Epiſcoporum ſententia verſata eſt. Qui ex præcepto ſummi Pontificis, & aliorum omnium, ingreſſi ad Regem, eum (ut dixi) in medio duarum illarum decubantem repererunt. Tunc Dunſtanus, primùm in ignominioſas mulieres aſpera increpationis verba, vultu & voce contorquens, laſcivias earum, ſicut verum caſtitatis amatorem decuit, deteſtatus eſt. Deinde Regem, ut ſe tanti opprobrii exortem faceret, monens, ad proceres eum redire, eoſq; ſua præſentia exhilarare, ſubmiſſâ voce precatus eſt. Qui animi ſui furore ſimiliter, & vultûs ſui rubore perfuſus, dum ſe reditu eum omnino negaret, Dun- Dunſtanus obedit.

ſtanus manum illius arripuit, & à loco violenter abſtractum, impoſito capiti ejuſdem diademate, ad convivantes introduxit. Quod mulieris ignominia nullatenus æquanimiter ferens, ſævis verborum invectionibus, in virum ſurrexit; & ſe eum confuſione perpetua tradituram, garrula conteſtatione devovit. Et hoc quidem deteſtabile votum, non tepeſcente malitia ejus, facto exercere ſolicita poſtmodum fuit. Effecit namq; apud Regem, ut cuncta quæ in Dunſtani monaſterio habebantur, diripi, ac devaſtari, & ipſum è regno eliminatum, in exilium pelli juberet. Hactenus ex Oſberno Baronius, quæ ideo paullò operoſiùs exſcribo, quia ſectarii noſtri, pro impudicis his fœminis, (mirum!) advocant; & Dunſtano, quem omnia priora ſæcula laudaverunt, irati, eum acriter excipiunt, quod juvenis peccatum, & fœminarum lenocinia turbaverit.

XIII. SECTARIIS DUNSTANI FACTUM DISPLICET.

Quis crederet sancti viri factum, Archiepiscoporum, Episcoporum, omniúmque regni procerum, non solùm suffragio ratum atque probatum, sed eorundem quoque consilio, & authoritate imperatum, potuisse aliquãdo in quæstionem vocari. Et tamen modernæ sectæ primipilus ille, qui Antiquitates Britannicas scripsit, ita Dunstani factum commentatur: *Constat*, inquit, *Dunstanum impudentissimè in Regis ingressum thalamum, eáque gessisse, quæ Sacerdotalis, aut Christiana non sunt verecundiæ.* Sed quænam illa quæ gessit, aut unde id constat? *Ex monachorum*, inquit, *discrepantibus fabulis constat.* Sed revera constat ex Osberni & Malmesburiensis relatione, nihil à Dunstano gestum, quod non probaverit, & imperaverit optimus quisque: impudicas fœminas ad modestiam, lascivientem Regem ad saniorem mentem, & regni proceres ab impuris amoribus, aut reducere studiosè laboravit, aut planè reduxit; & Parkerus non solùm hæc infecta esse vellet, sed Dunstani factum, impudentiam prohibentis, impudentissimum vocat. Sed transeo paullulùm ex Anglorum Republicâ ad Britannorum Ecclesiam, & quid inibi gestum, legentibus exponam.

Antiq. Brit. in Dũstano.

XIV. CUR BRITANNI SEMPER SAXONI SUBIECTI.

Nunquam potuit antiquus incola Britannus, Anglorum jugum excutere; quia perjurio, rapinâ, homicidióque infamis, Deum frequenter irritavit; hoc præsertim tempore, cùm Pater Episcopus, Landavensem Ecclesiam administrat. fuit ille vigesimus quintus illius sedis Antistes; quam ingressus est, post mortem Marchluith, anno Christi nongentesimo quadragesimo tertio. Eo sedente, Nougui Rex. filius Guriath, Ecclesiam expilavit, læsitque libertatem ejus. Quod ægrè ferens *Episcopus Pater, congregavit clericos totius parochiæ* (exscribo Acta Landavensis Synodi apud Spelmannum) *infra Taratir & Tivi, propter factam vim sacrilegii: & audiens Nogui Rex adventum Episcopi, & conventam Synodum, negotio sacrilegii facti, & violati refugii, veniam requisivit apud Patrem Episcopum, & totam Synodum, in Ecclesiâ Maimuon; & redditis rebus Ecclesiæ omnibus, cum satisfactione & lacrymarum effusione, prostratus cadens in terram, * ut datâ sibi veniâ, & junctâ pœnitentia, largitus est in eleemosynam Deo, & Sanctis Dubricio, Telavo, & Oudoceo, & Patri Episcopo, & omnibus Episcopis Landaviæ, villam Guidcon, cum toto suo territorio, id est, cum tribus modiis terræ, & cum totâ suâ libertate, & omni communione in campis & in silvis, in aquâ & in pascuis. De clericis testes sunt Pater Episcopus, Dessaith Lector, Dunia Sacerdos, &c. De Laicis Nougui Rex, &c.* Habes hic impium primò, sed postea pœnitentem Principem: habes Ecclesiæ sanctitatem, quam Reges etiam observare & revereri debuerunt: habes Episcopi, & Cleri potestatem, ligandi atque solvendi.

PATER LANDAVENSIS EPISCOPUS REGEM EXCOMMUNICAT.

Spelman. Concil. fol. 429.

* &

XV. Sequitur, in Britannorum rebus gestis, aliud facinus: quod & aliquorum nequitiam loquitur, & Britannicæ Ecclesiæ potestatem commendat. Nec opus est illud aliter referre, quàm è sententiâ Laodavensis Synodi, quæ ad sacrilegium castigandum, hoc anno coacta, in hunc modum rem omnem narrat. *Anno nongentesimo quinquagesimo quinto, Indictione decimâ tertiâ, à Nativitate Domini, hoc nefarium opus factum est. In diebus enim Nogui filii Guriat, atque Patris Episcopi Sedis Episcopalis famosissimæ, quæ ad ripam Tavi fluminis posita est. Quadam die, tempore messis, quidam Diaconus, nomine illi, filius Beli, quem in anno eodemq; anno ordinavit Episcopus, transiens per segetes, obviavit ei quidam rusticus, nomine Merduerr, filius Iuduc, vituperando dicens ait: Quid tibi timidissime, & armis? Dum verbis vituperationis colloquebantur, irruit Merdutir in eum, extendens manum ad gladium ejus, gladio evaginato, succidit digitum illius Diaconi. Derivante autem sanguine ejus, ait ad eum: reverte ad me, & liga digitum meum. Convertens autem ad eum, & ligans digitum ejus, jugulavit eum Diaconus, & statim defunctus est. Ipse autem Diaconus, vertens se in fugam, declinavit ad Ecclesiam sanctorum Iarmen, & Febric* (Germanum & Fabricium sanctos intelligit) *refugium inquirens. Dum autem aguntur, nuntiatum est amicis defuncti. Postea congregati sunt amicorum ejus multi, & conati sunt frangere Ecclesiam, in quâ erat Diaconus. Tunc affuit famosissimus ille vir Bledcmrit, filius Enniaun, qui prohibuit eos, ne Ecclesiam frangerent, quod scelus erat dictu. Novissimè verò affuerunt sex viri, de familiâ Nogui: quorum sunt nomina Birtulf, & Bristilm, frater ejus, Budat & Biguan filius ejus, & alii duo fratres, filii Cunulic Guodcun, & Alla: statim venientes irruerunt in Ecclesiam, & occiderunt Diaconum ante altare Sanctorum: scelus dictu, resperso sanguine in altari, & in parietibus Ecclesiæ.*

DIACONUS A RUSTICO VULNERATUR.

RUSTICUM DIACONUS IUGULAT.

DIACONUS IN TEMPLO OCCIDITUR.

XVI. *His malis peractis, nuntiatum est Episcopo. qui tunc morabatur apud Houel, Britannicum Regem, in regione Bracham. Ipse statim ut audivit, transmisit nuntios ad monasteria omnium provinciarum totius parochiæ, infra ostium Tarativ-ig-gui, usque ad ripam Tiugui. quarum obedientia subjecta sunt Ecclesiæ Landaviæ, & Sanctis ejusdem Dubricii, Teliavi, Oudocei, & Patri Episcopo, omnibus Episcopis succedentibus in perpetuo, ut congregarentur Sacerdotes, Diaconi, & omnis gradus Ecclesiastici in unum convenirent. Audiente quoque Nougui, cum optimatibus suis, totius Ecclesiæ maledictionem in se, & descendentem super eum, non audens tale pondus maledictionis sustinere, inito consilio, cum doctissimis regionis suæ, & legatis transmissis, appellavit Episcopum ad se. Postea verò obviaverunt sibi Nogui, & Episcopus cum optimatibus suis, in Guentoniâ Urbe: & ex consilio omnium Doctorum utriusque partis; dati sunt illi sex viri crudeles, in manu Episcopi. Adducti sunt ad monasterium sancti Teliavi, illis facientibus sex menses in ferreis carceribus. Nogui iterum postulavit, ut adducerentur viri illi ad supradictum monasterium, in quo occiderunt Diaconum, & illic divinum judicium acciperent.*

OCCISORES PUNIUNTUR.

XVII. *Synodo quoque judicante, definitum est; ut unusquisque eorum suum agrum, suamq; totam substantiam, insuper & pretium animæ suæ, hoc est, septem libras argenti, redderet Ecclesiæ, quam maculaverat. Sed hoc prætereundum non est, quod ante judicium, redacti sunt viri illi, Idguallaun, filius Moruid, & Guinan, Iunathan, & Guelfird, tres filii Ceretic, & totus ager generationis Guorvot, cum campo, & fontibus, cum silvis & accipitribus, cum omni censu, qui antea dabatur Regi, in manu Episcopi, & in potestate Ecclesiæ S. Theliavi. Determinantibus omnibus divino judicio, surrexit Episcopus in medio, & omnes steterunt juxta eum, tenentes Evangelium: & ait ad Nogui: Pone manum tuam super hoc Evangelium: & extendit*

PRÆDIA DANTUR ECCLESIÆ.

Spelman. fol. 429.

Nogui manmus super Evangelium, dicens: Sit hac terra cum incolis suis, in sempiternâ consecratione, Deo, & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & Patri Episcopo, & omnibus Episcopis Landaviæ, libera ab omni laicali servitio; nisi tantùm in oratione quotidiana in perpetuo. De clericis testes sunt Pater Episcopus, D'num Sacerdos, Dissaith Lector, &c. De laicis Nogui Rex, &c. Quicumque custodierit, custodiat illum Deus: qui autem ab Ecclesia Landavia separaverit; Anathema sit. Amen.

XVIII. Hactenus è Landavensi Synodo: ubi è Britannorum senticeto, colligere poteris Ecclesiasticæ disciplinæ, Fideique Regiæ flores: qui sine dubio frequentiores fuissent, & Annalibus digni, si illos authores prodidissent. Sed Britanni undique à Saxone oppressi, ad literarum studia respirare non poterant: & Saxones, suis rebus recensendis occupati, obscurasse potiùs Britannorum facta, quàm illustrasse videntur. Porrò jucundum est, & posterorum memoria dignum, cernere; ut in dissipato, dejecto, abjectóque ferè populo, nihil magis emineat; quàm Ecclesiasticæ disciplinæ rigor, authoritas Episcopi, templorum reverentia, Sanctorum cultus: nimirum illud ipsum, quod in Lucio Britannorum Rege primò, supra descripsimus; & huc usque, inter tot rerum, regnorumque vicissitudines perdurasse; argumentum est è Petri cathedra illud fluxisse: cui dixerat aliquando Christus: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Factiosorum Ecclesia non habet hanc notam characteristicam; sed pro annorum, imo pro animorum numero, mutatur toties, quoties nova figmenta fabulæque placent. quod heri placuit, hodie displicet: quid cras placitum sit, crastina solùm dies aperiet.

XIX. ATHULPHUS HELMHAMENSIS EPISCOP. * an. 870.27 & an. 833.17.

Orientalium Anglorum Ecclesia, Danorum tempestate concussa, gemuerat diu: Nam Helmhamenses, à morte Humberti Episcopi, & priùs Dummcenses, à morte Wilredi,* pastore caruerunt, ad Edwii Regis tempora, ut suprà * adnotatum: & hoc primùm anno, Athulphum accipiunt, ab Odone Cantuariensi Episcopo consecratum: de quo sic scribit Godwinus in Catalogo; ubi Orientalis Ecclesiæ Episcopis recensitis, quos suprà suis locis nominavi, hæc habet: *Post horum tempora, utraque diœcesis* (Dunwicensem & Helmhamensem intelligit) *propter turbas Danicas, centum per annos, præsule mansit destituta. Cantuaria tandem anno nongentesimo quinquagesimo quinto, Edwio regnante, Athelsus quidam, omni Orientalis Angliæ provinciæ Antistes præponitur, & Sedem collocavit Elmhamæ.* Ita ille. Malmesburiensis etiam, ubi de Anglorum Orientalium Episcopis agit; cum Humbrithum & Wilredum nominasset: *Cessarunt Episcopatus,* inquit, *& ex duobus unus factus, Sedem apud Helmaham villam non adeo magnam accepit, fuerunt ergo hi Pontifices Athulf,* &c.

Godwin. in Norwic.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 238.

XX AGAPITUS PAPA MORITUR.

Cum Agapitus Romanus Pontifex decimum in Sede annum egisset, pastorali munere, sanctissimè functus: à mortali vita ad immortalem transiit. & vacantem Sedem puer intravit, pudendo posteris exemplo: Octavianus ille dicebatur, Alberici filius; qui munitione Sancti-Angeli occupatâ, Romanæ Urbis principatum arrogaverat: & eo nunc mortuo, *successor filius, & ipse tyranni hæres, tyrannus duplex efficitur,* inquit Baronius: & addit: *Hic autem revera primus inventus, qui mutavit sibi nomen, ut qui ex Octaviano voluerit nominari Joannes, pro mutata non exuta tyrannide.* Hunc nos Pontificem, Joannem duodecimum appellamus: quem puerum licet, & vitio creatum, Anglia cum cætero orbe recipiet: & quantumvis Scribam, Pharisæum, aut scelestum; ob Sedis sanctitatem, reverebitur. Ab eo post paucos annos Cantuariensis Ecclesia pallio donabitur: & interim orthodoxus orbis Christi se oraculo consolabitur: *Non deficiat Fides tua.*

Baron. hic n. 2.

JOANNES XII. SUCCEDIT.

ANNUS CHRISTI 956.

JOANNIS XII. PAPÆ 1.

EDWII ANGLORUM REG. 1.

I. SUB ÆGRO CAPITE, SANA MEMBRA.

QUi sequitur Christi annus nongentesimus quinquagesimus sextus, Edwii Regis primus nominatur: nam sub finem tantùm anni superioris, in Regem unctus & consecratus est. Quo etiam modò, Joannis Papæ annos numeramus. nec malè malos Principes ita componimus. Nam uterque juvenis, naturæ impetu, à probitatis orbita declinans, pessimè suo munere fungitur. Ille clericus, & gradu altior, sacra præsumpsit, atque temeravit: hic laicus, in Ecclesiam, virósque Ecclesiasticos imperium arrogavit: ut quis mortaliùs in suo genere peccaverit, liceat dubitare. Habuit nihilominus Anglia, habuit orbis, viros fœmináque sanctas: & Ecclesia omni merito dici potuit sancta & orthodoxa: quia licet capite laboraret; vitalia tamen integra, cor rectum, & eadem semper & ubique spectandarum rerum substantia. Unde factiosi agunt factiosissimè, dum è vitio capitis, quod non negamus, putrida fuisse membra colligunt, & supponunt; quod nunquam probant.

II. DUNSTANUS IN EXILIUM POLLITUR.

Luctuosum ergò annum aggredior; quo Edwius Rex, qui superiori anno frontem exuit, explicabit etiam impietatem suam: cùm Dunstanum Abbatem, quem Edmundus Rex, quem Edredus patruus, & optimus quisque summè reverebatur; aqua & igni interdictum, è monasterio ejecit, & omni Insulâ. facinus horrendum: quod luctum Angelis, lacrymas civibus; gaudium tripudiúmque dæmoni solùm, & sectariis nostris, attulit. Malmesburiensis ita tragœdiam explicat: *Mox,* inquit, *miserrimis satellitibus subnixus* (Edwius) *omnes in totâ Angliâ monastici ordinis homines, priùs nudatos facultatum auxilio; post etiam deportatos exilio, calamitatibus indignis affecit. Ipsum Dunstanum monachorum Principem in Flandriam propellit.* Quod ad exilii annum spectat, Wigorniensis & Hovedenus ita scribunt: *Anno nongentesimo quinquagesimo sexto, Beatus Dunstanus Abbas, à Rege Anglorum Edwino, pro justitia proscriptus, mare transiit, & ab Arnulfo, Regia stirpis viro, honorificè susceptus; in monasterio, quod Blandinium dicitur, sub exilii sui tempore, mansionem excepit.* Alii nobilissimam Flandriæ urbem nominant, in qua vir sanctus exilii tempore mansit; Gandavum, inquam. Cur autem illam quietis sedem elegerit, paucis exposui tomo primo Annalium, quod nunc paulò latiùs exequar: si priùs varios animorum motus exposuero, qui

Wigorn. hic Hoveden. fol. 425.

† *Ego Turketulus, licet minister inutilis, finem cernens mei propositi, ob hujus rei gratiam, æternum Deum laudo per omnia, & licet sero veniens sub habitu monachali, & animo contrito, jugo regulari meipsum submisi: ut saltem sic senectutis meæ faces creatori meo cogar immolare. Magnificat ergo anima mea Dominum: & vos fratres, magnificate Dominum mecum; ut in sanctitate & justitia coram ipso servientes semperque mundi Principe triumphato, sic curramus in præsentis vitæ stadio; ut in futuro ad divinæ speculationis bravium pertingere mereamur. Amen.*

XX. MORITUR ÆLFGARUS LICHFELDEN. EPISCOP. SUCCEDIT KINSIUS.

Hactenus Edredi charta, pro Croylandensi monasterio; quam genuinam, & nullo subscribentium Episcoporum errore vitiatam esse constat; præsertim si dixeris, quod est admodum probabile, Ælfgarum obiisse Lichfeldensem Episcopum, quem anno nongentesimo quadragesimo illi sedi præfeci. Tunc enim Kinsium eidem successisse dicendum est: & corrigi possunt Fasti post Malmesburiensem collecti: ubi Kinsii consecratio, ad Lichfeldensem Ecclesiam posterius consignatur, nimirum ad Christi annum nongentesimum quinquagesimum tertium. Aliorum Episcoporum ingressus suprà suis locis adnotavimus. hoc solum monito, Ceolulphum, vel hoc, vel sequenti anno sedem suam Oskitello reliquisse; ut dicam anno 951. num. 8.

MORITUR CEOLULPHUS DORCESTREN. SUCCEDIT OSKITELLUS.

XXI. ETHELWOLDI ABBATIS EXORDIA.

Ethelwoldi, Abindoniensis cœnobii Abbatis mentio, quæ hic primùm occurrit; facit, ut quis ille, & unde in monasterium illud surrexerit, inquiramus: Enimverò frequens imposterum in Annalibus nominabitur, tam sanctitate, quàm rerum pie gestarum gloriâ illustris. Hic ergò repetam ejus exordia, quæ biographi apud Harænum contractiùs recitant in hunc modum: *Parentes sanctus Ethelwoldus ingenuos & Christianos habuit, Wentanæ urbis cives. Floruerunt autem sub Edoardo seniore Anglorum Rege, mandatorum Dei sedulò cultores. Felix ejus genetrix, cum eum in utero ferret, intempestâ nocte somnium vidit ejusmodi. Vidit ex ore suo exilire & avolare quasi auream quandam miræ magnitudinis aquilam, quæ volando cuncta Wentanæ civitatis ædificia, auratis alis obtegeret; & in alta cælorum se subrigens, ab ejus se aspectu subduceret. Cum crevisset puer, traditus est sacris literis imbuendus. Erat autem naturâ agili, & acri ingenio.*

Harænus t. Augusti.

Ubi adolevit, famam ejus Rex Ethelstanus percepit, & celeriter eum ad se accitum, apud se manere voluit, curavitque, eum sacerdotio initiari. Per id tempus, Elphegus Episcopus, simul ordinavit Dunstanum, Ethelwoldum, & Ethelstanum: quorum tertius paullò post ad lubrica sæculi prolapsus est. Ethelwoldus porrò Glastoniam petiit, & sub Abbate Dunstano habitum monasticum induit, vigilisque, & precibus incumbens: & abstinentia corpus suum edomans; semper ad ardua virtutum culmina adspiravit. Ubi cum ab omnibus amaretur: & Abbas eum monasterii Decanum constituisset; tanta humilitatis desuper præbuit exempla; ut quotidiano manuum opere hortum coleret, & fratribus ad prandium poma, & diversi generis legumina præpararet.

SACERDOS AB ELPHEGO CONSECRATUR.

XXII. FIT ABBAS ABINDONIÆ.

Jam Rex Edredus ejus sanctitatem cognoverat; hortanteque eum matre sua Edgiva; locum quendam, quem Abendoniam vocant, ei tradidit: in quo antiquitus exiguum fuerat monasterium, sed tunc neglectum, ac desolatum. Ad cujus instaurandos domos, præbuit ei Rex de thesauris suis, & mater ejus etiam largiùs. Itaque loci illius Abbas effectus, monachos congregavit, eosque in multa vitæ sanctitate gubernavit.* Hæc ibi.

* Edgiva.

Omittitur (quod tamen in Annalibus omitti non debet) insigne vaticinium, quod Elphegus edidit Wintoniensis Episcopus, cum Dunstanum, Ethelwoldum, & alterum, manuum impositione Sacerdotes consecravit. De quo ita Guilielmus Malmesburiensis: *Alio tempore ordinavit* (Elphegus) *ad presbyteratus gradum tres monachos, Dunstanum, Ethelwoldum, & quendam Athelstanum; qui postmodum monachica vestis apostata, cælibatu contempto, in meretricis amplexibus vitam effudit. Completis solenniis, sanctæ recordationis præsul, adhærentes alloquitur. Hodie coram Deo, tribus viris manus imposui: quorum duo Pontificalis ordinis gratiam unanimiter: unus in civitate Wigorniæ, deinde in Cantia: alter meam sedem implebit; quandoque successione legitima; tertius voluptatum volutabro se ingurgitans, miserabilem sortietur exitum. Hic Ethelstanus, qui pro familiaritate cognationis præsens esset, proterva consultatione sacerdotem invasit: Num ego ero unus e duobus, qui Episcopali dignitate sublimandi sunt? Non, inquit, erit tibi pars, neque sors in eo, quem præfatus sum, ordine: neque permansurus es in ea, qua hominum oculis lenocinaris, veste. Quanta sanctissimæ mentis dignitas; ut evidenter, & sine fuco, cælorum efferret secreta? Neque enim in terram ceciderunt verba illa: sed omnia, in rerum solidavit consequentia. quod Dunstanus & Ethelwoldus, angustam viam, quæ ducit ad vitam tenentes, insignes in prædictis Episcopatibus emicuere: tertius latas sæculi semitas cursitavit.*

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 248.

ELPHEGI VATICINIUM.

XXIII.

Hic ergo ille Abendonensis est Abbas, qui Regiæ chartæ subscripsit, quem postea Wintoniensem Episcopum legemus, ut Elphegus prædixit. Nunc Abbatis titulo, cœnobio præest in Bercheriensi agro, cujus exordia ad Inæ Regis tempora supra* retulimus: postea cum Dani, hostili manu Insulam invasissent, & monasteria imprimis evertissent; locus ille, ut cætera omnia, injuriam passus, ab Edredo Rege, luci pristinæ restitutus est, Ethelwoldo illi præfecto. De hujus loci fundatione, ita benè scripsit Clemens Reynerus. *Fundatum est*, inquit, *Abendoniæ monasterium, à Cissa, patre Inæ Regis; & ab ipsomet Ina perfectum; qui regnum inchoavit, circa annum Domini sexcentesimum octogesimum octavum. restauratum postea (cum Danicis incursibus fuisset vastatum) ab Edredo, Alfredi Regis nepote, circa annum Christi nongentesimum quinquagesimum.* Annales de Hida paullò latiùs Edredi Regis pietatem explicant: *Edredus Rex*, inquiunt, *super omnia, monasticam cupiens nobilitare religionem; B. Ethelwoldo, locum quendam, vocabulo Abbendoniæ dedit: in quo modicum antiquitùs haberetur monasteriolum; sed erat tunc neglectum ac destitutum, vilibus ædificiis consistens, & quadraginta tantum mansas possidens. Reliquam verò præfati loci terram centum cassatorum, Regali dominio subjectam, Rex ipse possidebat. Factumque est, consentiente Dunstano Abbate, secundum Regis voluntatem; ut vir Dei Ethelwoldus, prænotati loci susciperet curam: quatenus in eo monachos ordinaret, regulariter Deo servientes. Quem sanctum virum protinus secuti sunt quidam clerici de Glastonia; scilicet Osgarus, Foldbirthus, Frithegarus, & Ordbirthus de Wintonia, & Edricus de Londonia, ejus discipulatui se subdentes. Congregavitque sibi in brevi spatio gregem monachorum; quibus ipse Abbas, jubente Rege, ordinatus est.*

*an. 688. 9

Apost. ætt. tract. fol. 123.

XXIV. Ethelwoldi sanctitas. *Malmesb. de de Pont. l. 2. fol. 243.*

De Ethelwoldo, & sanctitate ejus, ita scribit Malmesburiensis: *Ab Elphego*, inquit, *Tonsuratus in clericum, non multò post, à Dunstano Glastoniensi Abbate, cucullatus est in monachum, ordinatusq; in monasterii Decanum. Hos doctrinâ, illos religione, omnes amore demerebatur. Quo tempore Abbas vidit de eo somnium sanè memorandum: Arborem infra ejusdem cœnobii septa succrescere; quæ per quatuor mundi plagas, ramis diffusis totam inumbraret Angliam; opertamq; per omnes frondes cucullis; maximamq; cucullam in summo positam, cæteras minores, manicarum quasi fomento protegere. Stupefactum illum tantæ visionis miraculo, ab astante venerabilis canitiei sene quæsisse oraculum. Arbor illa, inquit, est hæc insula. cuculla major est monachi eius Ethelwoldi vita: cætera, hominum innumerorum, quos ipse verbo, & exemplo trahet ad Dominum. Consonat huic præsagio, matris ejusdem visio, quæ ipsi jam utero grandiescenti, jamq; puerperium meditanti, ostensa est aurcam aquilam ex ore suo avolasse, quæ pennarum plausu dum civitatem perlustrans, novissime altitudine urbium erecta, cœlum subisset. Harum visionum veracem exitum, jam prælambens fortuna ferebat in populum. Cum ille, arctioris vitæ desiderio, Gallicanum exilium sitiens, ab Edredo Rege retentus est: agente id, & filium stimulante matre Edgisa, omni religionis laude, orbi Britannico nota. Datur ergò ei cœnobium perexiguum, Abendonia dictum, ubi vires suæ prudentiæ experiretur. Nec ipse spei datorum strenuitate abfuit; sed in laudabilem, ut hodie cernitur, celsitudinem erexit.*

Edgisæ laus.

XXV. Ethelwoldus e Gallia monachos petit.

Quòd Ethelwoldus Gallicanum sitiverit exilium; magnorum id virorum votum fuit, & hujus sæculi consuetudo; ex omni agro flores colligere, & eosdem *domum deferre, ut rursum germinaret vinea, quam singularis ferus ærat depastus. Ethelwoldus, Dunstanus, Odo, à Deo eliguntur, ut monachos colligerent; collectosque ad religiosæ disciplinæ normam formarent. Quæ, quia in Angliâ tepuerat: & nuper in Galliâ florere cœperat (nam omnium ubique est rerum vicissitudo) Inde monachorum patres primi, ex horto illo monasticæ perfectionis flores petiverunt. Ethelwoldus ergò ab Edredo retentus, misit in Gallias Ordgarum monachum, ad Corbeiense monasterium, & inde Floriacum, ut suo monasterio impetraret viros, qui cæteris essent exemplo. Nec male ad Corbeienses misit, quos

v. ab. 665. 6. Bathildes nostra * olim fundaverat: & ubi forsan Angli in religiosâ disciplinâ docti, etiamnum versabantur. Ordgarus in patriam rediit, & voto potitus, monachos duxit; qui Abendonense cœnobium, sub Ethelwoldo Abbate illustrarunt.

v. an. 963. 6. Cui etiam, ut * dicemus, in Abbatis munere successit. Sic intelligo, quod Author modò dixit, monasterium illud in *laudabilem celsitudinem* erectum esse Ethelwoldi industriâ. Scio aliquos Ethelwoldi sitim de exilio Gallicano aliter exponere: nimirum quòd desiderio teneretur, invisendi corpus S. Benedicti, quod in Galliâ colebatur. Sed quia Malmesburiensis dixit, sitim ejus, ex *arctioris vitæ desiderio* protectam; angusta nimis interpretatio est: & ille, qui tot prodigiis ostensus est, monasticæ perfectionis restitutor; debuit non è privato studio, sed in publicum monasticæ Reip. bonum, peregrè proficisci: & more boni institoris, mercibus, quibus patria indigebat; patriam illustrare. Nunc Londinum redeo, & ad Concilium illud, unde me Edredi pietas abduxit.

ANNUS CHRISTI 949.

AGAPITI II. PAPÆ 4.

EDREDI ANGLORUM REGIS 4.

I. Edredi expeditio in Northumbriam.

DECRETUM in Londinensi Synodo bellum, anno nongentesimo quadragesimo octavo: non nisi anno sequenti confectum est; nimirum Christi nongentesimo quadragesimo nono. quando Edredus Rex, scripto edito, in Northumbriam proficiscitur, & docet rebellem populum servitutis jugum patienter ferre. Hanc Edredi expeditionem, quidam priùs, alii posteriùs referunt. Ego vix dubito, quin soluto procerum conventu, itum sit ad arma; ita tamen, ut sequenti tantùm vere, cóque adulto pugnatum sit. & turbæ tumultúsque ibi sequuti; quos statim referunt; non ante annum nongentesimum quinquagesimum plenè sopiti. Ita Authores concilio, Hovedenum, Florilegum, & Wigorniensem: quorum hic postremus omnia refert ad annum nongentesimum quinquagesimum, duo priores, ad annum nongentesimum quadragesimum octavum. Nec multùm differunt; quia illi belli exordia, iste finem recenset. Unde sequitur, annum intermedium, Northumbriæ regno fatalem fuisse. quod ita Hovedenus prosequitur: *Anno*, inquit, *nongentesimo quadragesimo octavo: pro infidelitate Northimbrensium, egregius Rex Anglorum Edredus, totam Northimbriam devastat: in quâ devastatione, monasterium, quod dicitur in Rhipum, à sancto Wilfrido episcopo quondam constructum, igne est combustum. Redeunte verò domum Rege, exercitus de Ebraca erumpens civitate, in loco, qui dicitur Chesterford, de extrema parte exercitus Regis, multam stragem dedit. Unde Rex nimis offensus, voluit illicò redire, & totam illam terram *penitùs delere. Verum hoc cognito, Northimbrenses timore perterriti, Ericium, quem sibi Regem præfecerant, abjecerunt: Regis injurias, honoribus; detrimenta muneribus, expleverunt: ejusq; offensam pecunia non modica placaverunt.*

Hoved. lib.

Ripponense monasterium comburitur.

Northumbria vastatur.

Iricius regno exuitur.

II. Haraldus Danorum Rex.

Ita versipellis populus, qua facilitate perfidiaque Reges induunt; eadem eos exuunt, satis inconstanter: Iricius exrex, Haraldi filius ab Huntindonio dicitur: & Haraldum Danorum Regem opinor intelligit; qui hoc anno nongentesimo quadragesimo nono, superatus ab Ottone Rege, qui Edredi sororem duxerat, Christo nomen per baptismum dedit; paulò, quàm Danorum turba, constantiùs. Habuit hic Haraldus, filium alterum, Suenodictum, in Angliæ Daniæque perniciem natum. qui quia adultior Insulam terruit, & Canutum filium hæredem regno reliquit: non erit parergon de Haraldo scribere, quod ex Adamo Bremensi refert hoc anno Baronius. *Otto postquam omnia fermè regna, quæ post mortem Caroli defecerant, suo imperio subjugarat; in Danos arma corripuit. quos antea pater ejus bello compressit. Enimverò tunc rebellare moliti, apud Hadabis Legatos Ottonis, cum Marchione trucidarunt, omnemque Saxonum coloniam funditus extinguentes. Ad quam*

apud Baron. hic n. 2.

Rem ulciscendam, Rex cum exercitu statim invasit Daniam; transgressusq; terminos Danorum, apud Sliaswigh olim positos; ferro, & igne vastavit totam regionem, usque ad mare novissimum, quod Northmannos à Danis dirimit: & usque in præsentem diem, à victoriâ Regis Ottesund dicitur. Cui egredienti Haraldus apud Sliaswigh occurrens, bellum intulit: in quo, utrisque viriliter certantibus, Saxones victoria potiti sunt. Dani victi ad naves cesserunt: eandemq; conditionibus ad pacem inclinatis, Haraldus Ottoni subjicitur: & ab eo regnum suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spopondit. Nec mora, baptizatus est ipse Haraldus, cum uxore Gunild, & filio parvulo, quem Rex noster, à sacro fonte susceptum, Suen-Otto vocavit. Hæc Adam Bremensis.

III. SWANI INITIA.

III. Suen iste parvulus, postquam adoleverit, patrem Haraldum, Christianósque omnes persequetur; regno potietur; sed regno depulsus, ad Anglos fugiet, à quibus non admissus, in Scotiam ibit; ubi cùm quatuordecim annos latuerit, redibit in patriam, regno restitutus: sed iterum à suis destitutus, Christi fidem, vario infortunio, doctus, tandem promovebit. Tunc Angliam repetet, cùm Canuto filio: futurus Ethelredn Regi totique Insulæ gravissimus hostis. Et quia ibi, nec Ecclesiis, nec monasteriis pepercit; mirabiliter à Deo punitus, filio victoriæ spolia, & ea inter, opimam Insulæ coronam relinquet, sub initium sequentis sæculi. Hunc passim Authores nostri Swanum vocant, ut infrà.

IV. S. ALDELMI CORPUS EFFERTUR.

apud Capgr in Aldelmo.

* an. 709. 4.

IV. Hoc anno, Aldelmi corpus, qui egregia sanctitate claruerat, è sepulchro elatum, cultum à fidelibus meruit, & locum ornatiorem. Ita enim in ejus vita legitur: *Post ducentos quadraginta annos, post obitum Aldelmi, scilicet anno Domini nongentesimo quadragesimo nono, elevatum fuit corpus ejus sacrum de terrâ, & in scrinio cum magno honore collatum.* Nos suprà* Aldelmi sancti mortem retulimus, ad annum Christi septingentesimum nonum, à quo ad hunc annum, rectè numerantur anni ducenti quadraginta. Et huc sine dubio respexerunt Magdeburgici, dum scribunt ita:

Cent. 10. fol 333.

Circa annum Domini nongentesimum quinquagesimum, apud Anglos cœperunt mortuorum cadavera, è terra elevari, & certis cærimoniis, ac religione quadam, in capsas aureas poni. Falluntur tamen egregiè, si hunc religionis actum, cœpisse nunc primum apud Anglos putent. Nam priùs Odo Dorovernensis S. Wilfridi corpus è Ripensi monasterio (quod modò flammis succubuit) Doroverniam transtulit, ut suprà*; & dudum Rex Offa S. Albani corpus, è terrâ levatum, splendidè ornaverat, structo insigni mausolæo: quod hodiéque elegans argumentum est, Magdeburgicos hallucinari; dum Lectori obtrudunt, cœpisse tantùm ita coli Sanctos, apud Anglos, anno 950. Nihil enim novi, quod ad Dei Sanctorúmque cultum pertinet, cœpit hoc tempore apud Anglos: sed illi, præcedentium sæculorum exemplo (& mille suppetebant exempla) Sanctorum reliquias coluerunt. quod à Lucio, Constantino, Britannorum Regibus factum, priusquam Saxo in Insulam descenderet. Meminit elevationis corporis S. Aldelmi, Guilielmus Malmesburiensis.

V. an. 793. 15.

Malmesb. de Reg. l. 2. fol. 55.

* an. 709. 24.

Nam in eo monasterio vir sanctus (ut * suprà dictum) sepultus jacuit. quod nunc irregulares nescio qui clerici occupaverant. *Eâ tempestate* (loquitur Guilielmus) *facies monachorum fœda & miserabilis erat. Nam & Malmesburiense cœnobium, plusquam ducentis & septuaginta annis, à monachis inhabitatum; clericorum stabulum fecit.* (de Edwio Edredi successore loquitur) *Sed tu Domine JESU Creator, & recreator noster, bone artifex, multumq; potens, formare nostra deformia, per illos homines irregulares, & vagos; thesaurum tuum, tot annis abditum, in lucem protoplasti, B. Aldelmi corpus dico, quod ipsi de terra elevatum in scrinio locarunt. Accessit clericorum gloriæ regalis liberalitas, ut daret sancto prædium, amplitudine, & vicinitate ipsa peropportunum.* Aldelmus factus est Malmesburiensis Abbas anno 670. Inde ad hunc annum sunt anni 270.

V. ABENDONIENSE MONASTERIUM DITATUR.

* an. 948. 22.

Annales Hidæ in Edredo

V. Vacavit etiam hoc tempore, Edredo Regi, monasterium Abendoniæ augere, quod nuper * Ethelwoldo concesserat. Quo in opere, ab Edgiva matre, pietate hèroinæ adjutus; locus ille, aliorum etiam fidelium munificentiâ, celebrari cœpit. Sic enim in Hidæ Annalibus legitur: *Dedit etiam Rex Edredus possessionem Regalem, quam in Abendoniâ possederat: hoc est, centum cassatos, cum optimis ædificiis, Abbati & fratribus ad augmentũ quotidiani victus. & de Regio thesauro suo, multum eos in pecuniis juvit. Sed mater ejus Edgiva largius solatia munerum eis direxit. Tantamq; gratiam Dominus sibi servientibus contulit: ut ad præfatum cœnobium; quod antea erat rebus pauperrimum; omnes simul divitiæ putarentur affluere. Et sic cuncta prosperis successibus occurrere; ut palam sententia Dominica promissionis impleri videretur, quâ dicitur: Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis. Venit Rex Edredus, quadam die, ad monasterium prænominatum, ut ædificiorum structuram per seipsum ordinaret: mensusq; est omnia fundamenta monasterii, propria manu; quemadmodum muros erigere decreverat.* Ita ibi.

EDGIVÆ IN MONACHOS PIETAS.

VI. Fuit etiam Edredus Rex, in aulicos ac ministros suos, munificus ac liberalis: unde Adelstano cuidam terras concessit, & chartam scribi jubet hoc anno datam: quæ quia; needum, quod sciam, edita; ideo Annalibus inseri potest; ut Episcoporum subscribentium nomina innotescant: Sic ergo loquitur Regia Charta:

EDREDI CHARTA EDELSTANO MINISTRO.

QUicquid inter seculares, in omnibus agendum est terris; muniri apertis debet literis: ut quod obliviscitur mentis memoria; præsens semper custodiatur litera. Ne fortè etiam perdatur invidia cupiditatis, quod est justè adquisitum, dono rectitudinis. Unde ego Eadredus, nutu gratia Dei, Anglorum Rex, omnibus meis notum esse volo fidelibus, quod ego cuidam fideli meo ministro, onomate Æthelstan, pro suo amabili obsequio, seu etiam pro sexaginta mancusis, de probato & purissimo auro; do & concedo decem mansas telluris, in loco quem circummanentes appellant vulgariter Ealun; ut habeat, & possideat, vita comite. Post sua etiam terminum vitæ, cuicumque heredi voluerit, in perpetuam derelinquat hereditatem. Sit autem prædictum rus, liberum ab omni mundano servitio: tribus exceptis, viatici pontis restauratione, arcis regalis constructione, populari etiam expeditione. Si quis autem; quod absit; cupiditatis flamma ascensus, hoc nostrum infringere tentaverit donum; sit damnatus, cum omnibus filiis perditionis Belial in tartareis tormentis; nisi resipiscens digna factione emendaverit. His autem terminorum finibus prædicta terra circumcirca girata esse videtur, &c.

Et ut

VII. *Et ut hæc chartula inviolabile robur firmitatis obtineat.*

† *Ego Eadredus Rex, primus Regali manu confirmo.*
† *Signum Eadgifu genetricis ejusdem Regis.*
† *Ego Oda Dorbernensis Ecclesiæ Archiepiscopus, corroboro.*
† *Ego Wulstanus Eboracæ civitatis Archiepiscopus, adfirmo.*
† *Ego Theodred Londoniensis Episcopus, contestor.*
† *Ego Ælfech Wintoniensis Episcopus, consigno.*
† *Ego Elfsige Episcopus, consentio.*
† *Ego Ælfric Episcopus, delibero.*
† *Ego Æthelgar Episcopus, desidero.*
† *Ego Ælfric Episcopus, cupio.*
† *Ego Eadmund Dux.*
† *Ego Æthelmund Dux.*
† *Ego Ælfgar Dux.*
† *Ego Wulfric Minister, &c.*

Acta est hæc chartula, anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo quadragesimo nono: Indictione VII. *Regnante Rege Eadredo anno II.* Sed malo legere: Regnante Rege Eadredo anno IV. Nam Indictio septima, & Christi annus 949. in Edredi Regis quartum, non secundum annum, cadit.

VIII. THEODREDUS LONDINENSIS EPISCOPUS MORITUR. *Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 240.*

Ex hâc etiam chartâ colligo, Theodredum Londinensem Episcopum, hucusque superstitem; nunc primùm alteri sedem reliquisse: licet Fasti dudum illi successorem assignaverint. Cæterùm diu Episcopum egisse, & hucusque vitam produxisse; præter dictam chartam, Malmesburiensis verba satis innuunt; cùm de suo tempore loquens, ait: *Hujus* (Theodredi) *non penitus exoletam memoriam cives prædicant; dicentes eum fuisse Regis Ethelstani tempore*, &c. Unde satis Fastorum error cernitur; qui eum ante Ethelstanum Regem mortuum scribunt. Fortè etiam erraverunt; quos tamen secutus sum; dum ingressum ejus in sedem Londinensem consignarunt ad annum Christi nongentesimum. Nam inde sequetur quinquaginta annos sedisse: quod certè in Insulâ hac insolens non esse, aliàs ostendi. Successit illi in pastorali munere Wulstanus, qui quamdiu sederit, incertum est: sed paucis tantùm annis præfuisse, colligam infrà *.

WULSTANUS LONDINENSIS. *an. 956. 16

IX. Colligo etiam errasse Florilegum, cum Elphegi Wintoniensis Episcopi mortem collocavit, ad annum Christi nongentesimum quadragesimum sextum, vel certè sequentem; ut eum Baronius intellexit. Cæterorum Episcoporum nomina, qui sine sede ponuntur, posteriùs, opinor, adjecta sunt. unus Æthelgarus potuit hoc anno subscribere. quia Crudiensem Ecclesiam dudum administrandam suscepit, & etiamnum tenet. v. an. 932. 7

X. EDGARUS HEREFORDENSIS EPISCOPUS MORITUR: SUCCEDIT TIDHELMUS.

Edgarus, Herefordensis Episcopus, qui ab anno nongentesimo vigesimo octavo, Ecclesiæ procurationem susceperat; hoc anno moritur. & successorem accipit Tidhelmum, qui nudum nomen posteris transmisit.

ANNUS CHRISTI 950.

AGAPITI II. PAPÆ 5.

EDREDI ANGLORUM REG. 5.

SEQUITUR Christi annus nongentesimus quinquagesimus: quo Northumbriæ regnum, quod unicum restabat, seditionum, simultatumque seminarium, in Edredi Regis potestatem ita cessit; ut non ultra voluerit Regis titulo provinciam ornari; nè sub specie majestatis, in majestatem pugnarent; ut factum hactenus. Itaque Erico mortuo, quem Northumbri nuper Regem elegerant, Comites ab Edredo dati sunt, qui cives in officio continerent. De Erici morte, ita scribit Florilegus: *Anno gratiæ nongentesimo quinquagesimo, Rex Eiricus, in quadam solitudine, quæ Steinmor dicitur, cum filio suo Henrico, & fratre Reginaldo, proditione Osulfi Comitis, à Macone Consule, fraudulenter interempti sunt: ac deinde in partibus illis Eadredus regnavit.* Cæterùm provinciæ illius præfecturam Osulfo Comiti commisisse Edredus videtur. Unde benè Usserus in Chronologiâ dixit, ad hunc annum *Osulfus primus Northumbrorum Comes constitutus est.* Cui consonat illud Hovedeni, ita de Reip. mutatione scribentis. *Deficientibus*, inquit, *Northumbrensium Regibus; qualiter vel quibus Comitibus ipsa provincia subjacuerit, hic placet inserere. Ultimus Regum illius provinciæ fuit Eiricus: quem Northimbrenses, violata fide, quam Regi Edredo juraverant, sibi Regem fecerunt. Quare offensus Rex jussit, ut tota provincia funditus vastaretur. Ideo Northimbrenses, expulso Rege suo: & occiso Amanco filio Oulafi, juramentis & muneribus placaverunt Regem Edredum, commissa provincia Osulfo Comiti.*

I. NORTHUMBRIÆ REGNUM PER COMITES ADMINISTRATUR. IRICTOS MORITUR. *Westmonast. hic.* *Hoveden. an. 953*

Nec multùm ab his dissentit Huntindonius; licet id post duos annos factum affirmare videatur. ait enim: *Edredus Rex septimo anno regni sui, receptus est iterum in regno Nordhumbre. Gens namque patriæ illius, dominum diu non perferens; unum tertio anno regni sui Iric filium Haraldi, ut leviter acceperat, leviter abjecerat; & Regem Edredum, ad se sponte vocatum, regni Sede reposuit.*

II. *Huntind. fol. 355.*

Composito Septentrione, cæteræ provinciæ vacare liberiùs poterant pietati. Turketulus in Merciis, Croylandense cœnobium præclarè auxit, conquisitis undique ac redemptis terris; quas nuperâ tempestate ereptas, vel Regius fiscus, vel proceres aliqui, è Regis donatione indulgentiaque surrepserant: quarum reverà dominium, proprietasque penes Ecclesiam fuerat. Ille ergo inspectis antiquorum Regum privilegiis, olim in monasterii favorem datis; strenuè egit, ut ablata redderentur. Ejus industriam Ingulphus ita explicat: *Alloquitur, quadam die*, inquit, *Lewinum Comitem, qui Spalding, Capelade, & Sutterton, terras olim monasterio Croyland dependentes, occupabat: quadraginta marcas auri, coram præfato Rege* (Edredo) *comiti consulit: & prædictas villas in suam possessionem recepit. Composuit etiam tunc, cum Comite Alphero: & datis eidem decem marcis auri, Drayton Croylandiæ restituit, Standoun, & Badby datis similiter decem marcis auri, Comiti Athelwoldo Croylandia recuperavit. Eodem tempore de Comite Alwino, cum esset juvenis piissimus, & eleemosynis multum deditus;*

III. TURKETULUS ABBAS TERRAS RECUPERAT. *Ingulf. f. 879*

villam de Worburne, ad Croylandiam adquisivit. Tunc enim Bokenhale, & Halington, & Lindesey, de duce Oslaco, datis duodecim marcis auri, Croylandiæ restauravit. Langtoft autem & Baston, tunc Regalis fisci pertinentes, Rex Edredus gratis, & sponte reddidit. Revocavit tunc Glapthorne, Thirming, Laithorp, Kirkby, Peikirke, & utramque Adingtonam, Repingale, Suttonam, & Stapiltonam. Hactenus ibi.

IV. MULTI IN CROYLANDIA MONACHI FACTI.

Non minùs personarum claritudine, religiosam vitam petentium, quàm terrarum amplitudine, Croylandense cœnobium illustratur: Nam Turketulum sequuti sunt plurimi, qui spretis mundi lenociniis, arctiorem cum Deo unionem quæsiverunt. Nec erit abs re, illos recensere, ut hujus sæculi pietas cernatur. Sic ergo de illis Ingulfus: *Sequuti sunt Turketulum, ad monasterium multi literati viri: quorum decem secum schema monachicum susceperunt. cæteri rigorem religionis abhorrentes, adhuc in sæculari habitu permanebant. At nihilominus secum in monasterio habitabant, quia præsentia ejus nullomodo carere poterant. Quorum quidam gradum sacerdotalem obtinebant: quidam in clericali adhuc officio ministrabant. Hos omnes cum multi fuerunt, in cellâ sanctæ Pegæ Virginis, ad Orientalem partem monasterii manere jussit: & unicuique eorum sicuti uni monacho ministrari quotidie de victualibus imperavit. Fabricavitq; illis ibidem capellam, horas regulares, tam nocturnas, quàm diurnas, tempore quo monachi persolvebant, ipsos persolvere jussit. Fiebat autem hoc, ex præcepto Turketuli Abbatis, ut ipso usu fierent aliquando monachicis observantiis aptiores: qui sæcularibus adhuc dediti lasciviis, & regulari vita longiùs erant devii, & discordes*

V.

Habitum etiam omnibus uniformem indixit: scilicet chlamydem nigram vestesq; talares, ac omnes nigri coloris. Præter continentiam, & obedientiam, nihil aliud religionis noverant. Unde vix, vel nunquam contigit, aliquem illorum ad sæcularem vomitum revertisse; tam larga exhibitione procurati; tam laxa regula sunt contenti. Abbas Turketulus præpositum illorum, Priorem dicebat: quem ab ipsis omnibus electum, ille confirmabat. Quidam illorum ibi sanctissimo fine quieverunt, & in eodem loco sepulti sunt. Quidam procedente tempore, ad religionem monachicam conversi, & in ea sanctissimè conversatis etiam ad Abbatis officium assumpti postea meruerunt. Isti fuerunt duo Egelrici; qui de genere, & cognatione suâ, sibi satis carne propinqui; sed spiritu multò propinquiores jam effecti, successivè post illum, Abbatis officio ambo strenuè functi, & eodem defuncti sunt.

NON OMNIS MONACHI QUI SUB MONACHORUM CURA DEGUNT. *Malmesb. de Reg. l. 2. c. 5.*

Hæc libentius exscripsi; quia alibi etiam observo, religiosè viventes, aut sub monasteriorum cura; non statim monachos appellandos esse; licet arctiùs serviendi Deo desiderio teneantur. Quod in altero etiam sexo videre est. Sic Malmesburiensis de Edoardi Regis filiabus: *Prima, inquit, & tertia, cœlibatum Deo voventes, Elfleda in sacro, Ethelhilda in laico tegmine; terrenarum nuptiarum voluptatem fastidiere.* Cæterùm Elfleda in sacrato tegmine, hoc anno mortua, inter Sanctos legitur in nostro Martyrologio, sed de illa plura inferiùs an. 992. n. 7. 8. 9. Qui in S. Pegæ oratorio, ita regulariter vivebant, Pegelandiæ presbyteri sunt appellati. quorum vitæ ratio, ita erat monasticæ conversationi, cognata; ut facilis inde, ad monachi habitum gradus fuerit. Unde sub Abbatis Turketuli extrema tépora, omnes ferè monachum induerunt. Quid inde factum sit narrat Ingulfus.

VI. QUID STATUTUM DE CLERICIS SÆCULARIBUS. *Ingulf. sup.*

Cum autem, circa ultima tempora, Turketuli Abbatis, sub inclyto Rege Edgaro, inciperet ordo monachicus in multis monasteriis ubique per totum regnum restauratis, & quibusdam noviter fundatis, copiosissimè reflorere: rariùsque solito venientibus ad conversionem clericis, ferè omnes Presbyteri Pegelandiæ, sunt effecti monachi Croylandiæ. Unde Pegelandia ferè personis destituta; cœperunt pauci clerici relicti, Abbatem Turketulum multâ instantia pulsare: quatenus complaceret, vel Sacerdotes sæculares eis conducere; vel monachum de monasterio suo, qui divina eis quotidiè celebraret, aliquem assignare. Sæcularis autem aliquis, veniens ad conversionem, cujuscumque gradus fuerat, vel conditionis; illorum prius collegio deputatus est; & apud Pegelandiam probatus. Succedente tempore; prout Pegelandenses de ipso testabantur; receptus, vel repudiatus est. Abbas autem Turketulus, prudentissimâ providentiâ, neutram petitionem Pegelandensium acceptans; nec omnino damnans: concessit pro memoria S. Pegæ Virginis: & constituit ibidem divinum servitium perpetuandum: non tamen amodo aliquod collegium regularium, vel irregularium. quod aliquando fortè fieret monasterio suo injuriosum, vel onerosum, ibidem ullomodo statuendum. Ordinavit itaque unum Sacerdotem; & cum totius conventus sui consensu, communi chirographo sui capituli, confirmavit in perpetuum; qui perpetuis temporibus, pro monasterii sui fundatore, Rege Ethelbaldo, & ejus restauratore Rege Edredo, ac pro Turketulo Abbate, cæterisq; loci benefactoribus, celebraret. Ac ut unus monachus conventualis in refectorio exhiberetur, quotidie post prioris servitium, de eâdem qualitate; tam in prandio, quam in cœna, victualia sua suscepturus: sive domi fuerit, sive foris. Ad alia verò necessaria sua, mediam partem oblationum; quas fideles Christi in dicta Capella soliti sunt offerre, contra sacristam; per æquales portiones amodo recepturus.

VII.

Cur non voluerit prudentissimus vir, Pegalandensium presbyterorom collegium perennare, non est difficile arbitrari. Vidit enim ab Augustini tempore, & deinceps; clerum ita precariò inductum, doctúmque à monachis viam perfectionis: ea postmodum præsumere, quæ monachorum jura, & quietem turbabant. Iterum viderat, eo gradu, in ipsa monasteria clerum irrepsisse, & fixisse sedem tam constanter, ut admodum difficulter inde recedere, aut sua monachis permittere voluerit: quod infrà pleniùs explicabitur, cum, Edgaro Rege, pro monasteriis disputatum. Turketulus igitur, hoc litis seminarium sustulit, cum Pagalandensium clericorum postulata ita solvit: ut Pegæ Virginis memoriam, & fundatorum cœnobii perennem esse, & aliud nihil voluit. Si quærit pius Lector, quænam hæc Virgo Pega fuerit, quæ loco nomen fecit. Respondeo, Guthlaci sororem fuisse, lectissimam Virginem, quæ ab obitu fratris; inter Croylandenses paludes, religiosè latuit: inde Romam profecta, ibidem sanctè moritur: quam cives postea veoerati, locum in Croylandia illi consecrarunt, ubi pietatis suæ tyrocinium fecerat: quæ omnia superiori * tomo suis locis reddita.

DE S. PEGA VIRGINE.

* an. 714. 4. & an. 720. n. 3. 4. 5.

ANNUS CHRISTI 951.

AGAPITI II. PAPÆ 6.

EDREDI ANGLORUM REG. 6.

I. MORITUR S. ELPHEGUS WINTONIEN. EPISCOP.

ANNO Christi nongentesimo quinquagesimo primo, consignatur mors Elphegi Wintoniensis Episcopi. Nam cum ad hunc annum pervenisse multa sunt argumenta: illud præsertim, quòd hoc anno Regiæ chartæ subscriptus legatur. Eadredus enim, cum Elfetho ministro prædia concessit hanc etiam chartam, Episcoporum nominibus firmatam, dictari mandavit.

II. CHARTA EDREDI REGIS ELFETHO MINISTRO.

* deest aliquid.

*DOmino Dominorum dominante in sæcula sæculorum. Regna regnorum hujus præsentis sæculi transeunt; sicut ignominia, & omnis gloria: & locus hujus mundi peribit & non sunt æterna. sed superna æterna sunt. Unde ego Eadred, Rex Anglorum, Gubernator, & rector, cuidam mihi fidelissimo ministro, quem vocitant nonnulli noto vocamine Aelfeth * cassatos perpetualiter concedo, in loco illo, ubi jamdudum solicola illius regionis nomen indiderunt, Æt-Nerthune: ut habeat & possideat, quamdiu vivat: & postquam universitatis viam adierit, cuicumque voluerit heredi derelinquat in æternam hereditatem. Sit autem prædictum rus liberum ab omni mundiali...... quæ ad ipsum locum pertinere dignoscuntur; tam in magnis, quàm in modicis rebus, campis, pratis, pascuis, silvis; sine expeditione, & pontis, arcisve instructione. Si qui denique mihi, non obstante hanc libertatis chartam livore depressi violare satagerint, agminibus atræ caliginis lapsi, vocem audiant examinationis die, arbitri sibi dicentis: Discedite a me maledicti in ignem æternum: ubi cum dæmonibus ferreis sartaginibus, crudeli torqueantur in pœnâ. Si non ante mortem digna pœnitentia hoc emendaverint. Istis terminis ambitur prædicta tellus, &c.*

III. *Hæc Charta Karaxata est anno ab Incarnatione Domini nostri* IESU CHRISTI, *nongentesimo quinquagesimo primo, Indictione nona.*

† *Ego Eadred Rex Anglorum, præfatam donationem indeclinabiliter concessi.*

† *Ego Eadgifa ejusdem Regis mater, cum sigillo sanctæ Crucis confirmavi.*

† *Ego Odo, Dorovernensis Ecclesiæ Archiepiscopus, ejusdem Domini Regis donationem subscripsi.*

† *Ego Aelfeah Wintoniensis Episcopus, triumphale trophæum agiæ Crucis impressi.*

† *Ego Censal Episcopus, consignavi.*

† *Ego Osulf Episcopus, adquievi.*

† *Ego Athelstan Episcopus, corroboravi.*

† *Ego Wulf... Episcopus, non renui.*

† *Ego Oscitel Episcopus, conclusi.*

† *Ego Edmundus Dux.*

† *Ego Athelstanus Dux.*

† *Ego Æthelmus Dux*, &c.

Qui sine sede scribuntur Episcopi, posteriùs subscripserunt; si unum Osulfum exceperis, qui dudum Wiltunensem Ecclesiam administravit, ut dictum anno 934. n. 9. Et Oskitellum, qui à Dorcacistrensi ad Eboracensem Ecclesiam administrandam videtur transiisse. Qui dicitur Wintoniensis Episcopus Ælfeah: ipse est Elphegus, cognomento calvus: quem hoc anno obiisse putamus: & quia nomen ejus, in nostro Martyrologio inter Sanctos legitur, ad primum Septembris. Ideo de vitâ sanctè actâ, & piè conclusa, dicenda sunt aliqua.

IV. ELPHEGI EPISCOPI TESTAMENTUM.

Scripsit ante mortem ultimæ suæ voluntatis tabulas, quas Wintoniensis Ecclesiæ Annales, in hunc modum recitant: *Ista est ultima voluntas Elphegi Episcopi. Imprimis volo, quod omnes servientes homines inhabitantes Episcopatum sciant ac recognoscant, paritérque sint testes, pro jure Episcopatus, & illorum, qui in Episcopatum imposterum succedent: ac pro me, & consanguineis meis, quod est: Ego ad ad præsens jus meum hereditarium, duplici modo dispono: Terras has apud Tauntune Ecclesiæ Episcopatus assigno permanendas. quia per prius mihi ab ipsa Ecclesia tradita erant. Et insuper do terras illas apud Crundele, post obitum meum, Elphego: & post obitum suum transeat in jus veteris monasterii Wintoniæ. Et ulterius dono cognato meo terras illas apud Anna, per totam vitam suam: & post obitum suum transeat in jus novi monasterii Wintoniæ. Et cognata mea dono terras illas apud ambas Wardas, quamdiu vixerint. Et postmodum soror mea, & cognatus meus, uterque habeant, apud Cliere, cum omnibus aliis terris, quas pater meus de proprio jure tenuit. Insuper illas terras, apud Tyceburn, trado Wulfrico Cufinge, ad habendas illas toto tempore vitæ suæ: & post ejus decessum transeat in jus veteris monasterii Wintoniæ. Et ipsas terras apud Kyngwoode, secundum quod per prius legavimus, transeat in jus veteris monasterii Wintoniæ. Et Alfwigo concedo ipsas terras apud Cyllingtone, post viduæ decessum. Et Wulfrico de Wikamterras ipsas apud Letelca. Et ego præcipio tibi, dilecte mi Elfsithe, ut sis testis amborum meorum cognatorum, quæ sunt eorum terræ: & ne permittas quemquam, istud testamentum, alio modo convertere. Si quis enim aliter fecerit, Deus istum destruat: & tam corpus ejus, quàm animam, diabolus in inferno possideat.*

V. ELPHEGI SANCTITAS.

Elphegus igitur, hoc condito testamento, cum ab anno nongentesimo trigesimo quinto, Ecclesiam sibi commissam piè administrasset; provinciámque verbo & exemplo docuisset currere viam mandatorum Dei; hoc anno, meritorum cumulo, quàm annis plenior, obdormivit in Domino. De cujus viri sanctitate, hæc habet Malmesburiensis: *Elphegus ad cæterarum virtutum, quibus tam laudabiliter, quàm abundè pollebat, etiam prophetiâ clarus fuit. Hujusmodi dicti, duo erunt causa exempli.*

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 241.

ET VATICINIUM.

Dies erat cinerum: & Pontifex pro more pœnitentes Ecclesiæ liminibus excludebat. cæteros adhortatus; ut jejunio & castitati vacantes, etiam uxorias delicias abjicerent. Illis diebus, fuctum dignum pœnitentiæ esse: Si qui multa illicita commiseris, etiam licitis abstineas. Doctrinam reverenter audientibus cæteris; unus joculari voce emissâ, alios risum excussit: non posse se temperare convivio simul & conjugio; ut pariter abstineat cibis & venere: Quinimo, uxorem, quam cubili aliquamdiu submovisset, in proximo ad usum noctis revocaturum, petulanti & vulgari verbo, fatuitatem suam aggerans. Tum vox Episcopi submurmurantis, adstantibus audita, & intellecta est. Contristas me miser, nesciens quid ventura pariat dies. Durus prophetiam vicina mors nebulonis excepit. Postero enim mane, in cubiculo repertus est exanimis, incertum an à diabolo guttur elisus. Hæc ille.

VI. Aliud insigne Elphegi vaticinium, cùm Dunstanum, Ethelwoldum, & alium monachum,

Athelstani gratia (à quo provectus fuerat)! imò nec Sacramenti huic de more præstiti, nec patria memorem, vel religionis, quam profiteretur: rebus studuisse Danorum, Christiani nominis hostium crudelissimorum, qui Angliam his temporibus, diuturno atrocissimóque bello affligebant. Ob hoc tantum scelus, mille mortibus plectendum, in vincula conjectus est, anno nongentesimo quinquagesimo secundo: & anno sequenti, clementia Principis inaudita, libertati restitutus. Hæc Malmesburiensis & alii. Verùm, quod ad Malmesburiensem attinet, non ita crudè, sed paulò modestiùs Episcopum excipiens, hæc tantùm habet de ejus facinore. *Wulstanus, pertinacioribus studiis, iram Regis emeritus: quòd Danis contra eum rebellantibus faveret: ita quietum & benignum excitavit animum; ut eum in vincula conjiceret. Sed non multò post, arctus pœnitudine, & respectu clericalis reverentiæ; indemnem abire permisit.* Hæc ille, qui fateor, hoc loco, oblitus ejus quod supra in Regum gestis scripserat; per Regis iram, Edmundum intellexit, Athelstani fratrem, quod fortè Harpesfeldum suprà fefellit.

Malmesb. de Pont. l. 3. fol. 159.

ANNUS CHRISTI 953.

AGAPITI II. PAPÆ 8.

EDREDI ANGLORUM REG. 8.

I. WULSTANUS E CARCERE LIBERATUR.

QUAMDIU Wulstanus Eboracensis in vinculis detentus sit; inde meritò dubitatur. quia Malmesburiensis in Regum gestis disertè affirmat, *diu* detentum esse: sed de Pontificibus scribens, dicit: *non multò post* solutum esse. Puto tamen, sequente captivitatem ejus anno, qui fuit nongentesimus quinquagesimus tertius, eum è custodia dimissum esse: quod Hovedenus & alii passim affirmant. Qui, quia id in Edredi laudibus ponunt; satis ostendunt, Wulstanum peccasse. Edredus enim ita animo ad pietatem, religionémque compositus erat, ita Ecclesiam, Ecclesiæque ministros reverebatur: ita demùm erat *vir purissimæ conscientiæ*; ut locum obloquendi factiosis dederit. Foxius noster, ut novos ubique Martyres, ita novam historiam cudens; sic loquitur: Dunstani consilio Edredus nimis ducebatur: in tantum, ut historiæ prodant, Edredum duris ab eo impositis pœnitentiis, & castigationibus submisisse sese. Quod si verum; vel durus erat Dunstanus pater; vel multùm peccans Edredus Rex. Sed neutrum puto: arbitror potiùs Foxium Anglum, Malmesburiensem latinè scribentem, non esse assequutum. & tortiones corporis; quas à morbi natura profectas, Edredus Rex, Dunstani consilio patienter ferebat; à Dunstano inflictas arbitratum. Sic enim scribit Malmesburiensis: *Edredus, Archiepiscopum Eboraci Wulstanum, qui compatriotis in transfugio connivere diceretur; diu in vinculis tentum, postea clericalis reverentia respectu, venia donatum laxavit. Ipse interea Sanctorum pedibus acclinis, Deo & Dunstano vitam devoverat: cujus monitis tortiones crebras corporis patienter ferre, orationes continuare, prorsus palatium suum gymnasium virtutum facere.* Hoc factiosis hominibus nimium videtur, & ob hoc

Fox in Edredo. fol. 152.

FOXII OSCITANTIA.

conantur Lectori persuadere, Dunstanum in Edredum Regem, nimis sæviisse. Addit Foxus, epiphonematis loco. *Tam cæca erat*, inquit, *in Regibus devotio. & tanta in Episcopis superstitio.* Quasi verò, cæca devotio sit Deum orare, cum patientiæ exercitio: aut Episcopi vapulare debent; quia Dunstanus Abbas, eorum sensu, desipuit.

II. MORITUR ÆTHELGARUS CRIDIENS. EPISCOP. SUCCEDIT ALFWOLDUS.

Moritur hoc anno Æthelgarus, Cridiensis Episcopus: de quo Wigorniensis ita scribit: *Æthelgarus, Cridionensis Præsul, vigesimo primo accepti Episcopatus anno, vitam in Christo finivit, ibidemq; sepultus est. pro quo Beati Dunstani Abbatis consilio, vir venerandus Alfwoldus functus est præsulatus officio.* Hic Parkerus, in Britannicis Antiquitatibus scribit: Cridiensem sedem, Dunstano, ab Edredo Rege oblatam; quam ille, cùm nec Regis, nec Reginæ precibus cedens, nollet ascendere; in somnis ab Apostolis monitum, & reprehensum esse: quod ille monachorum figmentum appellat. Sed nihil Sectariis placet, quod aut præter, aut supra communem naturæ ordinem est: illi solùm vel cum natura, vel contra agunt: elevando Sanctorum facta, cum virtute conjuncta. Quod de Dunstano in hoc genere scribitur, est hujusmodi. *Defuncto Elphego, Wentanæ urbis Episcopo; cùm Rex Edredus, Dunstano pastoralem suscipere curam, persuadere non posset: Regina matri suæ mandat, ut persuadeat. Quod cùm Regina instanter fecisset: ille respondit: Nolo, ait, Domina, illud a me expeti: quod vel concessum meos amicos perturbat; vel non concessum tuos offendat. Neque enim nescio, quàm difficulter suam quisque ante tribunal Christi causam agat; dum aliena causa cognitor aut Iudex ex stat. Cumq; illa negantem suis adhuc rationibus tenere voluisset: motus ille paulisper, ait: Certissimum habeto, Domina, in diebus filii tui, pontificali infula, me non esse sublimandum.*

DE DUNSTANO QUID? *Capgrav. in Dunstano.* EPISCOPATUM RENUIT.

III. INCREPATUR AB APOSTOLIS.

Cumq; sopori membra dedisset, adsunt ei in somnis, Apostoli Dei, Petrus & Paulus, cum sancto Andræa, gladios in manibus tenentes. Erat autem scriptum aureis literis, in gladio Petri: In Principio erat verbum; & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Cæterorum gladiis nomina tenentium scripta erant: Pauli Paulus, Andreæ Andreas. Hos gladios officiosa benignitate sibi obtulerunt. Interea Andream exhilarato vultu aspicit concinentem. Tollite jugum meum super vos: & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Tunc à beato Petro jussus levam extendere, modicum crepitantis ferulæ ictum excepit; hoc ab illo audiens. Hoc tibi sit, & pœna abjecti, & signum ulterius non abjiciendi pontificatus. Evigilans autem vir Dei, gratias egit Deo; cujus munere ita se conspicit honoratum, & divinitus visitatum. Ita Osbernus in vitâ Dunstani. Hæc Apostolorum apparitio factiosos vexat: unde Parkerus ita censuit. *Hoc fabulosum cum interpretatione Regiâ somnium, ex sua ipsius* (Dunstani) *Hypocrisi natum, & monachorum superstitione divulgatum; manu hominis ambitionem, gloriaq; & honorum cupiditatem ostendit.* Ita novus homo Dunstanum traducit; quem septem sæcula sanctum scripserunt. Quasi verò, aut insolens sit, viros Sanctos, animarum onera & honores fugere: aut Deum eos prodigiis, ostentisve, ad animarum curam invitare. Hoc quidem in Sectariorum Synagoga inauditum: in Romana Ecclesia cantatissimum est.

IV. SOMNII ET VISIONIS INTERPRETATIO.

Capgr. suprà.

Sed fortè *Regia interpretatio* factiosis displicuit: nam Dunstanus Edredo omnia aperuit: & Rex somnii interpres, divinæ mentis consilium solvit. de quo author qui suprà: *Cumq; Dunstanus Regi cuncta narrasset: ille visionem absolvens, dixit: Quoniam per arma Apostolica benedictionis, potestas exprimitur pontificalis: noveris te, pro eo, quòd jugum Domini contempseris, increpatum. aut divina electione futurum Pontificem designatum. Porrò quod in principio erat Verbum, gladio Petri Apostoli scriptum vidisti: cum verbum Dei sit unigenitus Filius Dei; qui homo, pro hominibus inter homines factus est: profectò scias te sedis ejus principem futurum, qui Christi nomine Cantuaria honoratur.* Ita è divino oraculo vaticinatur Edredus: quam Regiam interpretationem fabulosum quoque somnium, ex hypocrisi natum, ex monachorum superstitione divulgatum; idem Parkerus vocat; Sanctis æque, ac Regibus benevolus. Nos scimus Dunstanum Andreæ Apostolo devotissimum fuisse: scimus etiam, & suo loco probabimus, eum Londinensem Ecclesiam (quæ à sancto Paulo nomen sortitur) administrasse: scimus denique ad primam in Insula sedem promotum fuisse: nec valde miramur Dunstano hæc omnia, per Apostolos nuntiata: cum Christus de se diligente dixerit: *man*ifest*abo ei meipsum.* Sed quicquid sit; indignè sanè ferendum, majorum facta, Sanctorum, Regúmque ab hesternis hominibus; qui à majorum Fide apostatarunt; impiè commentis nescio quibus aspergi, ut novæ fidei monstra subsistant.

Ioan. c. 14. v. 21.

V. DE ANNO MORTIS ÆTHELGARI.

Harpesfeld. sæc. 10. c. 9. fo 201. margine.

Ad Cridiensem Episcopum redeo, recens defunctum, Æthelgarum nomine: quem ad hunc annum superstitem fuisse colligit Harpesfeldus, è diplomate Regis Edredi, cui ille subscripsit, anno nongentesimo quinquagesimo tertio. ut patet ex monumentis cœnobii Septoniensis. Unde corrigendus est Florilegus, qui Æthelgarum (quem Algarum vocat) mortuum scribit anno superiore. Cæterùm an Dunstanus Cridiensem Episcopatum, mortuo Æthelgaro, an verò Wintoniensem, mortuo Elphego, recusaverit; non multùm laboro: & spectatâ, tam Regis Edredi, & Reginæ pietate; quàm Dunstani Abbatis ac pientissimorum monachorum sanctitate; probabiliter dici potest, utrobique fugisse curam animarum: nam onus illud, Sanctorum humeri, omni sæculo formidarunt. nec primus ille, aut ultimus fuit, qui minori sacerdotio contentus, ad majus suscipiendum, mirabiliter tractus est. Westmonasteriensis tamen, & Osbernus, in vitâ Dunstani, nulla Cridiensis Ecclesiæ facta mentione; Apostolorum apparitiones referunt; cum Edredus, & Regina mater, Dunstanum, Elfego mortuo, substituere voluerunt.

ANNUS CHRISTI 954.

AGAPITI II. PAPÆ 9.

EDREDI ANGLORUM REG. 9.

I. EDREDUS AD MORTEM, SE SIBI PRÆPARAT.

EDREDUS Rex, anno Christi nongentesimo quinquagesimo quarto, videtur se ad meliorem vitam, piis operibus præparasse. Enimverò crebræ corporis torsiones, mortis illi memoriam ingerebant: quas Dunstanus Abbas, in patientiæ argumentum, adeoque immortalis gloriæ augmentum; dari affirmabat. Et verò pius Princeps, quo gloriam illam, certámque suam vocationem faceret; Ecclesiis ornandis impensiùs animum adjecit. Glastoniense cœnobium, cui præerat conscientiæ ejus moderator, & divinæ voluntatis interpres, Dunstanus; variis hoc anno prædiis, & auxit ille, & alius author fuit: Sic enim in illius loci Antiquitatibus legitur. *Anno Domini nongentesimo quinquagesimo quarto. Rex Edredus dedit B. Dunstano, pretio quinquaginta solidorum auri, manerium de Badbury, viginti sex hidas: & juxta oppidum Twinham; id est, Christ-Church, duas hidas: cum captura piscium. Dedit etiam Termic, & Scapelwel, & partem de Novy, & de Ellenberoe. Idem quoque Rex, dedit Wilfrido ministro suo, Horton, decem hidas: quas ipse, consensu Domini sui; post obitum suum; monasterio Glastoniæ delegavit. Sed Alwinus successor suus in hereditate, regulari ibidem suscepto habitu; alterius votum duxit ad effectum. Alfredus consensu Edredi dedit Camelarton, quinque hidas.* Ita ibi.

MONASTERIA DITANDO

II. GUILIELMUS MOGUNTINUS EPISCOP.

an. 913. n. 4.

Mortuo, sub finem hujus anni, Frederico Moguntino Episcopo: successit Guilielmus, Ottonis primi, ex Edgithâ conjuge, filius, de quo * suprà dictum, cùm Edwardi Regis prolem recensui. Ejus hoc loco mentionem faciunt, non solùm Marianus Scotus, & Wigorniensis: sed Baronius etiam, aliíque, qui historias texuerunt. De eo sic scribunt Magdeburgici: *Post Fredericum, Ecclesiæ Moguntinæ gubernationem Wilhelmus, Ottonis Imperatoris ex Editha Angliæ Regina filius suscepit. Ab Arnstadensi autem Episcopatu eò translatum eum esse, ex verbis ipsius, quæ Marianus Scotus, & Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, in hunc modum referunt. Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quinquagesimo quarto, Indictione duodecimâ, Beatæ memoriæ Dominus Fridericus, sanctæ Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus VIII. Kalendas Novembris obiit. Eodem verò anno, ego Guilielmus tantæ successionis indignus: loco ejus, cum consensu cleri & populi, ejusdem sanctæ Sedis, decimo-sexto Kalendas Ianuarii, in loco Aranstedi sum electus: & IX. Kalend. Ianuarii Moguntinæ ordinatus.* Quæ verba non supponunt prius Pontificem fuisse; sed innuunt potius contrarium: nam qui Aranstedi electus, Moguntiæ ordinatur, hoc est consecratur Episcopus: quomodo priùs potuit Episcopus esse?

Cent. 10. fol. 389.

III. EIUS CONSTANTIA IN ARGUENDO SCELERA.

Baron. hic n. 4.

Guilhelmus hic, à multis magnisque viris, plurimum commendatur; ob prudentiæ, pietatis constantiæque argumenta, quæ in pastorali munere dedit amplissima. quod Baronius hoc loco breviter expedivit his verbis: *Eodem anno,* inquit, *defuncto Frederico, Archiepiscopo Moguntino, subrogatus est in locum ejus, Wilhelmus filius Ottonis: cujus magna est laus ex sacerdotali constantiâ, apud Petrum Damianum.* Intellexit author, ea quæ ad Desiderium Abbatem, de obitu Ottonis, scripsit Petrus Damiani, in hunc modum: *Otto Rex Teutonicorum, qui postmodum Imperator creatus est Romanorum, Adelaidem Italiæ Reginam; quæ sibi commater extiterat; suscepit in conjugem, quem filius ejus Almificus Willelmus; qui Moguntinæ præsidebat pastor Ecclesiæ, cœpit constanter arguere: & scelestum lustrandumq; conjugium publicè condemnare. Pater autem vehementer iratus, eum comprehendi præcepit, & carcerali mox custodia mancipavit. Quem per annale circiter spatium carcer inclusit; sed à correctione*

apud Baron. an. 973. n. 4.

linguam

linguam terroris vinculum non ligavit. Cum verò pater eum, quadragesimali decurrente jejunio, de custodia decrevisset educere: antequam psalterium expleret, quod autem extabat apicibus recusavit exire. Veruntamen cum exivit: zelo sacerdotalis accensus authoritatis, non quievit: sed mox in patrem, publica excommunicationis jaculum intorsit. O verè dignum regio sanguine Sacerdotem! qui in causa Dei, non imperiale fastigium, ob paternum recognovit affectum: sed dum paternam ac regiam authoritatem, in solo Deo constituit; hunc hominem ejus legibus resistentem, a se prorsus extraneum deputavit. Dixit autem Patri: Tu arbitraris me adversum te insolenter agere: te verò præjudicium sustinere: sit ita præmonescens; quia die sancto Pentecostes, uterque simul astabimus ante Deum: ibique ventilabitur inter nos, librata justitia lance, litigium: ibique luce clarius apparebit, quis nostrum æquitatis lineam teneat, quis Dei legibus contraducat. Factumque est, ipso qui dictus est sacrosanctæ solennitatis die, dum præfatus Augustus imperialibus infulis redimitus, multorumque Pontificum choris, sive Procerum vallatus agminibus, Missarum solennniis interesset: ut repentino super eum veniente judicio, repertus est mortuus. Episcopus autem in Domino jam quieverat. Sic qui de incesto conjugio contempsit judicari inter homines; ad tribunal æterni Judicis, coactus est pertrahi: & qui subjectum sibi dedignatus est audire Pontificem, terribilem super se non potuit evadere Majestatem.

IV. EXCUTITUR DICTA NARRATIO.

Hæc Petri Damiani de Guilielmo asserta; ab aliis non immeritò vocantur in dubium: quandoquidem Adelaidis cum Ottone conjugium, antiquorum nemo reprehenderit: & filium, ex eo conjugio genitum, ipse Guilielmus Archiepiscopus foverit, educarit, & ad imperium usque promoverit: quod facere minimè debuisset, si infames nuptiæ præcessissent. Nec Petrus ea asseveranter, sed timidè satis pronuntiat: dicit enim: *Hæc ergo, & alia quamplurima, non sine magno formidinis angore conscribo: ne videlicet, vel relatores mei meram veritatis semitam non tenuerint: vel ipse quoque relationum in quolibet immemor, oblivione deliquerim.* His adde, nullum videri dissidium fuisse, inter Ottonem Imperatorem, & Guilielmum filium: cum Otto pater, in Italiam profectus; universum Francorum imperium filii prudentiæ commiserit: quo fidei atque integritatis non potest dari majus argumentum. Cæterùm, quod Otto ei imperium commiserit, Witichindus testatur, cum Ottonis, & unà filii mortem describens, hæc habet: *Eodem tempore, quo hæc in Italia geruntur* (Baronius ea recitat ad annum Christi 973.) *Summus Pontifex Wilelmus Archiepiscopus Moguntinus, Ottonis filius ex priore conjuge, vir sapiens & prudens, pius, & cunctis affabilis; à patre sibi commendatum, regebat Francorum imperium. Cujus mater, licet peregrina; uimirum Anglicana, Edmundi* (lege Edoardi) *Anglorum Regis filia, nomine Edgitha, nobilis tamen genere erat procreata. Hic cum audisset ægrotare matrem Imperatoris, miræ sanctitatis fœminam, nomine Mathildem, dumque ejus expectat finem, proprio funere ipsius funus præcedit.* Hæc de Guilielmo, regii generis sacerdote, placuit annalibus nostris adjicere; quia matrem ex Anglia habuit pientissimam fœminam, Ethelstani, Edmundi, & Edredi Regum sororem.

apud Baron. an. 973. n. 5.

Witichin. l. 3. fin.

ANNUS CHRISTI 955.

AGAPITI II. PAPÆ 10.

EDREDI ANGLORUM REG. 10.

I. EDREDUS MORITUR

CUM Edredus Rex, nono regni anno absoluto, decimum inchoasset; ad Regis Regum tribunal sisti, & rationem dicti factique reddere jubetur, anno Domini nongentesimo quinquagesimo quinto, ut omnes omninò Authores consentiunt: Hic ergò, quæ mortem ejus præcesserint; ut piè testamentum condiderit; longè priùs, quàm vitæ periculum immineret: ut denique sanctè quieverit; opportunè dicendum. Nam vitam sanctè actam, pio fine conclusam esse, facilè demonstramus. Porrò Edredum, optimè se ad mortem comparasse, & piorum hominum precibus, eleemosynarum largitione, aliisque operibus, munivisse sibi ad immortalitatem viam Regiam, patet ex ejus testamento, quod Wintoniensis Ecclesiæ Annales recitant, in hunc modum:

II. EDREDI REGIS TESTAMENTUM.

Annales de Hida.

IN nomine Domini; Istud est testamentum Edredi Regis, quod est persolvendum. Imprimis ipse legat loco, in quo sibi placet post obitum suum requiescere; duas Cruces aureas, cum imaginibus aureis: & duos enses, quorum capituli sunt aurei, & quadringentas libras. Etiam legat veteri monasterio Wintoniæ tres villas: quæ sunt Duntone, Domerhame, & Calne. Præterea ipse annuit novo monasterio Wintoniæ, tres villas, quæ sunt Wharwell, Andever, & Litre. Insuper annuit monasterio Monialium Wintoniæ, tres villas, quæ sunt Selboene, Hamme, & Bradford. Etiam legat monasterio Monialium apud Cestriam, triginta libras, & monasterio Monialium Wintoniæ, triginta libras: & monasterio Monialium Septoniæ, triginta libras. Præterea ipse concedit, pro remedio pœnarum suarum, propriæque animæ salute, ac ejusdem post mortem misericordissima Dei remuneratione, pauperibus, & egenti populo, mille & sexcentas libras; ea intentione, ut à fiti reserventur & fame. Et coram omnibus astantibus, & absentibus, cum ad audientiam eorum pervenerit, semetipsum excusat, quod prædicta intentione prædictam summam pecuniæ videlicet, egenis legavit & pauperibus.

III.

Ulteriùs legat Archiepiscopo Ecclesiæ sancti Salvatoris, quadringentas libras, de istis quatuor Comitatibus. Videlicet de Comitatu Cantuariensi, centum libras: de Comitatu Suthriensi centum libras. de Comitatu Suthsexiæ, centum libras: de Comitatu Barokensi, centum libras, in bonis, cum gaudio ad possidendum toto vitæ suæ tempore. Et si contingat Archiepiscopum viam universæ carnis, fore ingressum; ex tunc transeat ea pensio, in jus monasterii sancti Salvatoris Cantuariæ. Et ad istius donationis confirmationem, totum concilium ipsius Ecclesiæ vocavit testimonium, cum omnibus in prædictis quatuor Comitatibus feliciter degentibus.

IV.

Et etiam legat Elphego, Episcopo Wintoniæ, & Episcopali sedi apud Wintoniam, quadringentas libras, hoc modo percipiendas; videlicet quòd recipiat ducentas libras, de Comitatu Southamptonensi, & centum libras, de Comitatu Wiltunensi: & centum libras, de Comitatu Dorsetensi. Et si contingat Episcopum, naturæ debitum solvere, permaneat ipsa pensio, sub forma per prius recitata, de Archiepiscopo:

videlicet, illæ quadringentæ libræ meæ donationis, permaneant veteri monasterio Wintoniæ. Ad ipsius concessionis fulcimentum, sint omnes fideles in prædictis tribus Comitatibus inhabitantes, in testimonium & testes. Etiam Dunstano Abbati Glastoniæ, & monasterio Glastoniensi, ducentas lego libras, de his Comitatibus percipiendas: videlicet, centum libras de Comitatu Somersetensi, & centum libras de Comitatu Devoniensi. Post obitum verò Dunstani, disposita sit ipsa pensio secundùm formam hactenus a nobis legatam: scilicet quod permaneant monasterio Glastoniensi. Etiam Elphego Episcopo, & sedi Wintoniensi, præter priores quadringentas libras, lego ducentas libras, distribuendas inter pauperes & inopes, in quocumque Comitatu numerosiùs abundaverint.

V. *Insuper Oskitello Episcopo Dorchacestrensi, & monachis ejusdem Ecclesiæ, quadringentas dono libras, & Episcopali sedi modo, quo superiùs legavimus. Etiam Wulfelmo Episcopo do quadringentas libras. Et meo præcipuo servienti lego centum viginti mancusas auri: ut ipse de illa summâ distribuat duas mancusas auri, populo pauperi & egeno. Insuper prædicto Archiepiscopo alias duas mancusas auri lego: & Elphego Episcopo alias duas, & tres mancusas Oskitello Episcopo: ut illi distribuant prænominatam summam in ipsorum Episcopatibus, pro remedio animæ meæ, & a pœnis relaxatione. Ulteriùs dono matri meæ terras illas, apud Ambresbyriam, & apud Wanting, & apud Basing: & omnes libertas terras; quas in Comitatibus Suthsexiæ, Suthriæ, & Cantiæ habeo. Præterea concedo Archiepiscopo prædicto ducentas mancusas auri, & mille ducentas libras. Et omnibus Episcopis meis, oratoribus specialibus, centum mancusas auri. & omnibus valectis meis, & meorum equorum custodibus, meis pincernis, & vini propinatoribus, concedo* octo mille mancusas auri: & omnibus meis armigeris, do mille mancusas auri.*

* in Saxonico 180.

VI. Missæ pro defuncto.

Et omnibus Missam pie celebrantibus, quos disposui & ordinavi, ad deprecandum pro me, quinquaginta mancusas auri, quinquies millenos solidos: & cæteris omnibus sacerdotibus, quinquies millenos solidos. Et omnibus aliorum hominum sacerdotibus conductitiis, quos voluntas mea ordinaverit, ut pro me ad Dominum deprecentur, triginta mancusas auri. Et omnibus meis conductitiis præcipio, quod bona quæ legationem meam hanc excedunt, tradantur ac distribuantur meis consanguineis, quibus nihil in speciali legavi. Insuper, volo, quod mihi servientes, duodecim eligant homines pauperes istius civitatis; & distribuant eis de meis bonis quamdiu vixerint. Et istud testamentum volo quod permaneat immutabiliter, quamdiu Christianitas perduraverit, intuitu divini amoris, & pro expeditione animæ meæ. Et post ipsorum decessum; quod meæ legationi superfuerit, transeat in locum in quo mihi est placitum, corpus meum, relictâ animâ, diem expectare ultimæ Resurrectionis. Amen.

VII. De Oskitello.

Hæ Regiæ voluntatis tabulæ ultimæ, licet è Manuscripto Codice, vitiosæ alicubi videantur; integræ tamen fidei sunt, & à Saxonico, in quo à Rege scriptæ sunt, in numeris tantùm differentes. Hinc ergò colligo (quod * suprà etiam opinari coactus sum) Oskitellum Dorcacestriæ sedisse, cùm scriptum est testamentum: cur enim ille ita scriberetur? Porrò constat conditum priùs testamentum, quam Elphegus Wintoniensis moreretur, hoc est, ante annum nongentesimum quinquagesimum primum. Quo tempore, cum Wulstanus, Eboracensis Episcopus, in fide obsequióque principis nutaret; Oskitellus è Dorcacestrensi sede, ad Eboracensem Ecclesiam administrandam videtur transiisse: licet in Fastis, aliisque Authoribus; non nisi à morte Wulstani, audiat Eboracensis Episcopus. Sed quia hæc mea solùm conjectatio est, reddam dicti rationem. Cum Edredus Rex, suæ voluntatis tabulas scripsit (opinor sub annum Domini nongentesimum quinquagesimum) Oskitellus dicitur Dorcacestrensis Episcopus: potuit ergo paulò ante, Ceolulfo successisse, qui satis diu, nimirum ab anno 906. usque ad annum 948. Merciorum provinciam rexerat. Iterum cum Leovinus, circa annum Christi 951. in Fastis scribatur Dorcacestrensis Antistes: & eodem anno Regio diplomati Oskitellus subscripserit, & nomen Episcopi, nec sedem nominaverit; suspicio est, in transitu fuisse ad aliam Ecclesiam; cujus adhuc Antistes in vivis erat. Denique is fuit Oskitellus, cui prima sedes debebatur. Nam Turketuli Abbatis cognatus, è regio sanguine ortus videtur: nec minor ei laus ex animi dotibus: quæ magnæ fuerunt. Nam Godwinus ita de illo: *Oskitellus homo, tam ob innocentiam vitæ, quam literarum non mediocrem cognitionem, multum celebratus.* Conjecturam meam firmat, qui Oswaldi Eboracensis Archiepiscopi vitam scripsit, ubi Oskitellus dicitur Dorcacestrensis Episcopus, ut dicam anno 960. num. 11.

* an. 951. n. 8.

Godwin. in Eboracen.

VIII. Edredi Regis orthodoxa Fides.

Sed quicquid sit, multò certiùs ex Edredi testamento, Edredi Fidem colligimus, orthodoxam atque Romanam: eam denique, quæ Lucios, Constantinos, & omnium Anglo-Saxonum Reges beavit; & quotquot inter eos, Christo nomen dederunt. Nam eo modo, similibus pietatis operibus, pari erga Missæ sacrificium affectu, se ad mortis certamen, & animæ remedia procuranda, paraverunt, ut * suprà in Constantino diximus. Pergo igitur in Edredo, quem hoc anno debeo ad extrema deducere, & Deus volet crebra tunsione polire lapidem, cœlestis Hierusalem muro inserendum. Modum, tempúsque mortis, Hovedenus in hunc modum expressit. *Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo quinquagesimo quinto, egregius Rex Anglorum Edelredus, decimo anno regni sui ægrotavit, & desperatus est; qui missâ celeri legatione, confessionum suarum Patrem, Beatum scilicet Dunstanum Abbatem accersivit, Quo festinè ad palatium tendente, & medium jam iter peragente, vox desuper clarè sonuit, ipso audiente, Rex Edelredus nunc in pace quiescit. Ad hanc vocem, equus, cui insedit, pondus vocis Angelicæ ferre non valens; absque ulla sessoris læsione, cum interitu suo in terram corruit.* Hæc ille, & eadem habet Osbernus in vita S. Dunstani: qui dicit: *Vox ab æthere lapsa insonuit dicens: Ecce Rex Edredus obdormivit in Domino: ad quam vocem equus cui insidebat, per sussum interiit Et suis rem aperiens, commendavit animam Regis defuncti in manu Regis æterni:* quod nimirum ipse, eleémosynarum largitione postulaverat. Sepultus est Wintoniæ in veteri monasterio, ubi plerique ante eum Reges quieverunt.

* an. 337. n. 4 15. 17.

Hoveden. fol. 425.

Capgrav. in Dunstano.

IX. Luctus pro Rege mortuo.

Mortuum Regem, cives & optimus quisque planxerunt: adeo ingenuis moribus, & ad pietatem compositis vixerat. Unde Malmesburiensis funus deducit, cum civium lacrymis, & gaudio Angelorum; sic enim scribit: *Decessit Edredus,*

magno

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 7.

magno luctu hominum; sed gaudio Angelorum prosequutus. Siquidem Dunstanus, nuntio ægrotantis audito, cùm ille sonipedem calcaribus urgeret, vocem desuper tonantem audierit: modò Rex Eadredus obdormivit in Domino. Requiescit Wintoniæ in Episcopatu. Ita ille. Felix Edredus, qui Angelo teste, obdormivit in Domino: nam Christo teste, & Apostolo ejus, *Beati mortui qui in Domino moriuntur: opera enim illorum sequuntur illos.* Edredi opera non obscura fuerunt; Christi cultus & Sanctorum, Templorum ornatus, monasteriorum structura, erga Christi Sacerdotes reverentia; *quorum pedibus acclinis* (inquit ille) *Deo & Dunstano vitam devoverat, cujus monitu tortiones crebras corporis patienter ferre, orationes continuare, prorsus palatium suum gymnasium virtutum facere.* Hæc, inquam, opera, indubiè Edredum beaverunt.

Malmesb. suprà.

EDWIUS ANGLORUM REX.

X. Edwius regnat.

Crevit Edredi laus, & virtus ejus eò fuit illustrior, quò successor ejus magis in peccatis sorduit. Edwius is fuit, optimorum parentum nequam filius; qui Regiâ potestate ad libidinem abusus, Regiæ Fidei umbram tantummodò fecit: sed umbra illa, majorum & prædecessorum Regum facta illustrabit. Fuit Edmundi Regis, qui ante Edredum regnavit, filius: nec patri successit, ob annorum ætatisque defectum: & utinam nunquam regno successisset, adeo illud initio fœdavit, cùm corporis elegantiam, quæ eum suprà communem hominum pulchritudinem adeo extulit, ut πάγκαλος vulgò diceretur, mulieribus impiè prostituit. Debeo igitur, à sanctitatis orbitâ paululùm declinare; cùm Edwii exordia recenseo: quæ certè nullo alio modo palliari possunt; quàm ætatis ac intellectus defectu: nam tredecim tantùm annorum juvenis, Edredo patruo successit, hoc anno ab Odone Dorovernensi in Regem consecratus, ad oppidum Kingston. Quid ipso consecrationis die egerit, & quomodo sceptrum coronámque maculaverit, referre quidem debeo, quia gestarum rerum series id postulat, dicere tamen meus calamus erubescit; aliorum ergo verbis omnia prosequar. Malmesburiensis ita Edwium Regem inducit: *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quinquagesimo quinto: Edwim, filius Eadmundi, fratris Æthelstani superioris Regis, regno potitus tenuit annis quatuor; petulans adolescens, & qui speciositate corporis in libidinibus abuteretur. Denique proximè cognatam invadens uxorem, ejus formâ deperibat, sapientium consilia fastidiens. Ipso quippe die, quo in Regem sacratus fuerat, frequentissimo consessu procerum, dum de rebus seriis, & regno necessariis, inter eos ageretur, è medio quasi ludibundus prorupit in triclinium, in complexum ganeæ devolutus. Fremere omnes facti verecundiam, & inter se mussitare. Solus Dunstanus, juxta * nominis sui firmitatem, nihil regale supercilium veritus, lascivientem juvenem violenter de cubiculo extraxit, & per Odonem Archiepiscopum pellicem repudiare coactum, perpetuum sibi inimicum fecit.*

Vir impius.

A pulchritudine dictus πάγκαλος.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 7.

Libidini deditus.

* Dunstan mons lapideus.

XI. Fuerunt hæc dolorum initia; quæ mulierum impudentia magis accendit. Nam veteres ferè, illas magis quàm Edwium accusant; quia primò blanditiis illum corruperunt: inde in Dunstanum, lenocinia illa detestantem, ruerunt. Juvat rem totam è Baronio petere, qui Osbernum recitans, ita præfatur: *Hoc pariter anno* (955.) *Anglicana Ecclesia, defuncto optimo Rege Edredo, sive Eadredo, succedente Eduino* (ita ipse, & alii aliquando Edwium vocant) *Edmundi Regis filio, voluptuoso viro, sacrarum legum contemptore, non nihil est perturbata; sancto Dunstano, ipso regni exordio in exilium relegato, eò quòd ipse eum, è sinu impudentissimæ fœminæ violenter abstraxisset. Quomodo autem illa se habuerint, narrat* * Osbertus *his verbis: Erat in illis diebus, mulier quædam, ex magnâ & altâ progenie, filiam adultam secum habens. Utramque, quantum ad corpus spectat, formosa species decorabat. Sed quod pudicis mentibus, non parva offensionis erat, libidinosus animus & habitus, qui juxta in eis operabantur, eandem speciem valdè decolorabant. Hæ præfato Regi Eduino assiduè adhærebant, suis blanditiis, & nutibus illecebrosis, pro viribus operam dantes, quatenus unam earum sibi in conjugium copularet. Ad quas ille, impudico illiciti amoris desiderio fervens, indecenti amplexu nunc hanc, nunc illam, neutrius aspectum in hoc erubescens, distringebat. Præterea, die, quo ipse Eduinus, in Regem est consecratus, à loco convivii, in quo cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, totiusq; regni Principibus sedebat, jam pransus exiliit, & relictis omnibus, in cameram, ubi præfatæ fœminæ erant, solus secedit, capitiq; coronâ sublatâ, se inter illas medium jecit. Quod optimates cognoscentes, oppidò indignati sunt, & rem tractantes inter se, Odonem Archiepiscopum Cantuariensem, qui dignitate cæteris eminebat, unanimiter hortari cœperunt, quatenus viros mitteret, qui Regem, sive volentem, sive nolentem, festinè reducerent.*

Baron. hic n. 9.

Dunstanus in exilium mittitur.

* Osbernus rectius

XII. *Ad quod agendum, cùm hi, & illi, regiam iram metuentes, se excusarent, tandem super Dunstanum, & ejus consanguineum Kinsium, Episcoporum sententia versata est. Qui ex præcepto summi Pontificis, & aliorum omnium, ingressi ad Regem, eum (ut dixi) in medio duarum illarum decubantem repererunt. Tunc Dunstanus, primùm in ignominiosas mulieres aspera increpationis verba, vultu & voce contorquens, lascivias earum, sicut verum castitatis amatorem decuit, detestatus est. Deinde Regem, ut se tanti opprobrii exortem faceret, monens, ad proceres eum redire, eosq; sua præsentia exhilarare, submissâ voce precatus est. Qui animi sui furore similiter, & vultûs sui rubore perfusus, dum se rediturum omnino negaret, Dunstanus manum illius arripuit, & à loco violenter abstractum, imposito capiti ejusdem diademate, ad convivantes introduxit. Quod mulieris ignominia nullatenus æquanimiter ferens, sæva verborum invectionibus, in virum surrexit; & se eum confusione perpetua tradituram, garrula contestatione devovit. Et hoc quidem detestabile votum, non tepescente malitia ejus, facto exercere solicita postmodum fuit. Effecit namq; apud Regem, ut cuncta quæ in Dunstani monasterio habebantur, diripi, ac devastari, & ipsum è regno eliminatum, in exilium pelli juberet.* Hactenus ex Osberno Baronius, quæ ideo paullò operosiùs exscribo, quia sectarii nostri, pro impudicis his fœminis, (mirum!) advocant; & Dunstano, quem omnia priora sæcula laudaverunt, irati, eum acriter excipiunt, quod juvenis peccatum, & fœminarum lenocinia turbaverit.

Dunstanus ab Episcopo jubetur Edwium revocare.

Dunstanus obedit.

XIII. SECTARIIS DUNSTANI FACTUM DISPLICET.

Quis crederet sancti viri factum, Archiepiscoporum, Episcoporum, omniúmque regni procerum, non solùm suffragio ratum atque probatum, sed eorundem quoque consilio, & authoritate imperatum, potuisse aliquàdo in quæstionem vocari. Et tamen modernæ sectæ primipilus ille, qui Antiquitates Britannicas scripsit, ita Dunstani factum commentatur: *Constat*, inquit, *Dunstanum impudentissimè in Regis ingressum thalamum, eáque gessisse, quæ Sacerdotalis, aut Christianæ non sunt verecundiæ.* Sed quænam illa quæ gessit, aut unde id constat? *Ex monachorum*, inquit, *discrepantibus fabulis constat.* Sed revera constat ex Osberni & Malmesburiensis relatione, nihil à Dunstano gestum, quod non probaverit, & imperaverit optimus quisque: impudicas fœminas ad modestiam, lasciviientem Regem ad saniorem mentem, & regni proceres ab impuris amoribus, aut reducere studiosè laboravit, aut planè reduxit; & Parkerus non solùm hæc infecta esse vellet, sed Dunstani factum, impudentiam prohibentis, impudentissimum vocat. Sed transeo paullulùm ex Anglorum Republicâ ad Britannorum Ecclesiam, & quid inibi gestum, legentibus exponam.

Antiq. Brit. in Dũstano.

XIV. CUR BRITANNI SEMPER SAXONIBUS SUBJECTI.

Nunquam potuit antiquus incola Britannus, Anglorum jugum excutere; quia perjurio, rapinâ, homicidióque infamis, *Deum frequenter irritavit; hoc præsertim tempore, cùm Pater Episcopus, Landavensem Ecclesiam administrat. fuit ille vigesimus quintus illius sedis Antistes; quam ingressus est, post mortem Marchluith, anno Christi nongentesimo quadragesimo tertio. Eo sedente, Nongui Rex, filius Guriath, Ecclesiam expilavit, læsitque libertatem ejus. Quod ægrè ferens *Episcopus Pater, congregavit clericos totius parochiæ* (exscribo Acta Landavensis Synodi apud Spelmannum) *jussa Taratir & Tivi, propter factam vim sacrilegis: & audiens Nogui Rex adventum Episcopi, & conventam Synodum, negotio sacrilegii facti, & violati refugii, veniam requisivit apud Patrem Episcopum, & totam Synodum, in Ecclesiâ Mainnon; & redditis rebus Ecclesiæ omnibus, cum satisfactione & lacrymarum effusione, protinus cadens in terram, * ut datâ sibi veniâ, & junctâ pœnitentia, largitus est in eleemosynam Deo, & Sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & Patri Episcopo, & omnibus Episcopis Landaviæ, villam Guidcon, cum toto suo territorio, id est, cum tribus modiis terræ, & cum totâ suâ libertate, & omni communione in campis & in silvis, in aquâ & in pascuis. De clericis testes sunt Pater Episcopus, Dessaith Lector, Dunin Sacerdos, &c. De Laicis Nouqui Rex, &c.* Habes hîc impium primò, sed postea pœnitentem Principem: habes Ecclesiæ sanctitatem, quam Reges etiam observare & revereri debuerunt: habes Episcopi, & Cleri potestatem, ligandi atque solvendi.

PATER LANDAVENSIS EPISCOPUS REGEM EXCOMMUNICAT.

Spelman. Concil. fol. 429.

* &

XV.

Sequitur, in Britannorum rebus gestis, aliud facinus: quod & aliquorum nequitiam loquitur, & Britannicæ Ecclesiæ potestatem commendat. Nec opus est illud aliter referre, quàm è sententiâ Landavensis Synodi, quæ ad sacrilegium castigandum, hoc anno coacta, in hunc modum rem omnem narrat. *Anno nongentesimo quinquagesimo quinto, Indictione decimâ tertiâ, à Nativitate Domini, hoc nefarium opus factum est. In diebus enim Nogui filii Guriat, atque Patris Episcopi Sedis Episcopalis famosissimæ, quæ ad ripam Tavi fluminis posita est. Quadam die, tempore messis, quidam Diaconus, nomine Ils, filius Bels, quem in uno eodemque anno ordinavit Episcopus, transiens per segetes, obviavit ei quidam rusticus, nomine Merduerr, filius Iudnc, vituperando dicens ait: Quid tibi timidissime, & armis? Dum verbis vituperationis colloquebantur, irruit Merduir in eum, extendens manum ad gladium ejus, gladio evaginato, succidit digitum illius Diaconi. Derivante autem sanguine ejus, ait ad eum: reverte ad me, & liges digitum meum. Convertens autem ad eum, & ligans digitum ejus, jugulavit eum Diaconus, & statim defunctus est. Ipse autem Diaconus, vertens se in fugam, declinavit ad Ecclesiam sanctorum Iarmen, & Febric* (Germanum & Fabricium sanctos intelligit) *refugium inquirens. Dum autem aguntur, nuntiatum est amicis defuncti. Postea congregati sunt amicorum ejus multi; & conati sunt frangere Ecclesiam, in qua erat Diaconus. Tunc affuit famosissimus ille vir Bledcuurit, filius Einniaun; qui prohibuit eos, ne Ecclesiam frangerent, quod scelus erat dictu. Novissimè verò affuerunt sex viri, de familiâ Nogui: quorum sunt nomina Birtulf, & Britilm, frater ejus, Budat & Biguan filius ejus, & alii duo fratres, filii Cunulic Guodcim, & Alla: statim venientes irruerunt in Ecclesiam, & occiderunt Diaconum ante altare Sanctorum: scelus dictu, resperso sanguine in altari, & in parietibus Ecclesiæ.*

Spelman. fol. 429.

DIACONUS A RUSTICO VULNERATUR.

RUSTICUM DIACONUS JUGULAT.

DIACONUS IN TEMPLO OCCIDITUR.

XVI.

His malis peractis, nuntiatum est Episcopo. qui tunc morabatur apud Houel, Britannicum Regem, in regione Bracham. Ipse statim ut audivit, transmisit nuntios ad monasteria omnium provinciarum totius parochiæ, infra ostium Tarativ-ig-gui, usque ad ripam Tingui. quarum obedientiæ subjecta sunt Ecclesiæ Landaviæ, & Sanctis ejusdem Dubricii, Teliavi, Oudocei, & Patri Episcopo, omnibus Episcopis succedentibus in perpetuo, ut congregarentur Sacerdotes, Diaconi, & omnis gradus Ecclesiastici in unum convenirent. Audiento quoque Nougui, cum optimatibus suis, totius Ecclesiæ maledictionem in se, & descendentem super eum, non audens tale pondus maledictionis sustinere, inito consilio, cum doctissimis regionis suæ, & legatis transmissis, appellavit Episcopum ad se. Postea verò obviaverunt sibi Nogui, & Episcopus cum optimatibus suis, in Guentoniâ Vrbe: & ex consilio omnium Doctorum utriusque partis, dati sunt illi sex viri crudeles, in manu Episcopi. Adducti sunt ad monasterium sancti Teliavi, illis facientibus sex menses in ferreis carceribus. Nogui iterum postulavit, ut adducerentur viri illi ad supradictum monasterium, in quo occiderunt Diaconum, & illic divinum judicium acciperent.

OCCISORES PUNIUNTUR.

XVII. PRÆDIA DANTUR ECCLESIÆ.

Synodo quoque judicante, definitum est; ut unusquisque eorum suum agrum, suamque totam substantiam, insuper & pretium animæ suæ, hoc est, septem libras argenti, redderet Ecclesiæ, quam maculaverat. Sed hoc prætereundum non est, quod ante judicium, redacti sunt viri illi, Idguallaun, filius Moruid, & Guinan, Iunathan, & Guelfird, tres filii Ceretic, & totus ager generationis Guorvot, cum campo, & fontibus, cum silvis & accipitribus, cum omni censu, qui antea dabatur Regi, in manu Episcopi, & in potestate Ecclesiæ S. Theliavi. Determinantibus omnibus divino judicio, surrexit Episcopus in medio, & omnes steterunt juxta eum, tenentes Evangelium: & ait ad Nogui: Pone manum tuam super hoc Evangelium: & extendit

Nogui manum super Evangelium, dicens: Sit hæc terra cum incolis suis, in sempiternâ consecratione, Deo, & sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo, & Patri Episcopo, & omnibus Episcopis Landaviæ, libera ab omni laicali servitio; nisi tantùm in oratione quotidiana in perpetuo. De clericis testes sunt Pater Episcopus, Dium Sacerdos, Dissaith Lector, &c. De laicis Nogui Rex, &c. Quicumque custodierit, custodiat illum Deus: qui autem ab Ecclesia Landavia separaverit; Anathema sit. Amen.

XVIII. Hactenus è Landavensi Synodo: ubi è Britannorum senticeto, colligere poteris Ecclesiasticæ disciplinæ, Fideique Regiæ flores: qui sine dubio frequentiores fuissent, & Annalibus digni, si illos authores prodidissent. Sed Britanni undique à Saxone oppressi, ad literarum studia respirare non poterant: & Saxones, suis rebus recensendis occupati, obscurasse potiùs Britannorum facta, quàm illustrasse videntur. Porrò jucundum est, & posterorum memoria dignum, cernere; ut in dissipato, dejecto, abjectoque ferè populo, nihil magis emineat; quàm Ecclesiasticæ disciplinæ rigor, authoritas Episcopi, templorum reverentia, Sanctorum cultus: nimirum illud ipsum, quod in Lucio Britannorum Rege primò, supra descripsimus; & huc usque, inter tot rerum, regnorumque vicissitudines perdurasse; argumentum est è Petri cathedra illud fluxisse: cui dixerat aliquando Christus: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Factiosorum Ecclesia non habet hanc notam characteristicam; sed pro auctorum, imò pro animorum numero, mutatur toties, quoties nova figmenta fabulæque placent. quod heri placuit, hodie displicet: quid cras placitum sit, crastina solùm dies aperiet.

XIX. Athulphus Helmhamensis Episcop. Orientalium Anglorum Ecclesia, Danorum tempestate concussa, gemuerat diu: Nam Helmhamenses, à morte Humberti Episcopi, & priùs Dunwicenses, à morte Wilredi,* pastore caruerunt, ad Edwii Regis tempora, ut suprà * adnotatum: & hoc primùm anno, Athulphum accipiunt, ab Odone Cantuariensi Episcopo consecratum: de quo sic scribit Godwinus in Catalogo; ubi Orientalis Ecclesiæ Episcopis recensitis, quos suprà suis locis nominavi, hæc habet: *Post horum tempora, utraque diœcesis* (Dunwicensem & Helmhamensem intelligit) *propter turbas Danicas, centum per annos, præsule mansit destituta. Cantuaria tandem anno nongentesimo quinquagesimo quinto, Edwio regnante, Athelfus quidam, omni Orientalis Angliæ provinciæ Antistes præponitur, & Sedem collocavit Elmhame.* Ita ille. Malmesburiensis etiam, ubi de Anglorum Orientalium Episcopis agit; cum Humbrithum & Wilredum nominasset: *Cessarunt Episcopatus*, inquit, *& ex duobus unus factus, Sedem apud Helmaham villam non adeo magnam accepit, fuerunt ergo hi Pontifices Athulf,* &c.

* an. 870. 27. & an. 833. 17.

Godwin in Norwic.

Malm. lib. de Pont. l. 2. fol. 238.

XX. Agapitus Papa moritur. Cum Agapitus Romanus Pontifex decimum in Sede annum egisset, pastorali munere, sanctissimè functus: à mortali vita ad immortalem transiit. & vacantem Sedem puer intravit, pudendo posteris exemplo: Octavianus ille dicebatur, Alberici filius; qui munitione Sancti-Angeli occupatâ, Romanæ Urbis principatum arrogaverat: & eo nunc mortuo, *successor filius, & ipse tyranni hæres, tyrannus duplex efficitur*, inquit Baronius: & addit: *Hic autem revera primus inventus, qui mutavit sibi nomen, ut qui ex Octaviano voluerit nominari Joannes, pro mutata non exuta tyrannide.* Hunc nos Pontificem, Joannem duodecimum appellamus: quem puerum licet, & vitio creatum, Anglia cum cætero orbe recipiet: & quantumvis Scribam, Pharisæum, aut scelestum; ob Sedis sanctitatem, reverebitur. Ab eo post paucos annos Cantuariensis Ecclesia pallio donabitur: & interim orthodoxus orbis Christi se oraculo consolabitur: *Non deficiat Fides tua.*

Baron. hic n. 2.

Joannes XII. succedit.

ANNUS CHRISTI 956.

JOANNIS XII. PAPÆ 1.

EDWII ANGLORUM REG. 1.

I. Sub ægro capite, sana membra.

QUI sequitur Christi annus nongentesimus quinquagesimus sextus, Edwii Regis primus nominatur: nam sub finem tantùm anni superioris, in Regem unctus & consecratus est. Quo etiam modò, Joannis Papæ annos numeramus: nec malè malos Principes ita componimus. Nam uterque juvenis, naturæ impetu, à probitatis orbita declinans, pessimè suo munere fungitur. Ille clericus, & gradu altior, sacra præsumpsit, atque temeravit: hic laicus, in Ecclesiam, virósque Ecclesiasticos imperium arrogavit: ut quis mortaliùs in suo genere peccaverit, liceat dubitare. Habuit nihilominus Anglia, habuit orbis, viros fœminásque sanctas: & Ecclesia omni merito dici potuit sancta & orthodoxa: quia licet capite laboraret; vitalia tamen integra, cor rectum, & eadem semper & ubique sperandarum rerum substantia. Unde factiosi agunt factiosissimè, dum è vitio capitis, quod non negamus, putrida fuisse membra colligunt, & supponunt; quod nunquam probant.

II. Dunstanus in exilium pollitur.

Luctuosum ergò annum aggredior; quo Edwius Rex, qui superiori anno frontem exuit, explicabit etiam impietatem suam: cùm Dunstanum Abbatem, quem Edmundus Rex, quem Edredus patruus, & optimus quisque summè reverebatur; aqua & igni interdictum, è monasterio ejecit, & omni Insulâ. facinus horrendum: quod luctum Angelis, lacrymas civibus; gaudium tripudiúmque dæmoni solùm, & sectariis nostris, attulit. Malmesburiensis ita tragædiam explicat: *Mox*, inquit, *miserrimis satellitibus subnixus* (Edwius) *omnes in totâ Angliâ monastici ordinis homines, priùs nudatos facultatum auxilio: post etiam deportatos exilio, calamitatibus indignis affecit. Ipsum Dunstanum monachorum Principem in Flandriam propellit.* Quod ad exilii annum spectat, Wigorniensis & Hovedenus ita scribunt: *Anno nongentesimo quinquagesimo sexto, Beatus Dunstanus Abbas, à Rege Anglorum Edwino, pro justitia proscriptus, mare transiit, & ab Arnulfo, Regiæ stirpis viro, honorificè susceptus; in monasterio, quod Blandinium dicitur, sub exilii sui tempore, mansionem excepit.* Alii nobilissimam Flandriæ urbem nominant, in qua vir sanctus exilii tempore mansit; Gandavum, inquam. Cur autem illam quietis sedem elegerit, paucis exposui tomo primo Annalium, quod nunc paulò latiùs exequar: si priùs varios animorum motus exposuero, qui

Wigorn. hic. Hoveden. fol. 421.

abeuntem ex Anglia Dunſtanum proſequuti ſunt.

III. Ob Dunstani exilium omnes lugent.

Imprimis boni omnes, & quotquot modeſtiæ, religionis ac pietatis cultores erant; proceres quoque, cujus imperio Dunſtanus obſequutus eſt, pauperes etiam, & uterque ſexus: ſancti viri diſceſſum graviſſimè tulerunt: ſolùm meretrices, quæ cum pudore, virtutes omnes projecerant; abeunte Sancto, liberiùs vitiis indulgere, & cupiditatem, avaritiámque explere ſe poſſe ſperabant. Quod ſine dubio riſum dæmoni, applauſúmque fecit. Unde in Dunſtani vitâ ſic legitur. *Inter lacrymas monachorum, & gemitum pauperum; audita eſt in atrio templi, vox plaudentis diaboli: quaſi vox juvenculæ, acriter atque minutè cachinnantis. Quem Dunſtanus ſeverâ fronte ſuſpiciens: Nihil, ait, ſuper exilio meo gratularis. Quoniam plus eſt, quòd me redeunte doleas, quam quicquid me exulante latam valeas. Quo dicto, malignus ille confeſtim abſceſſit. Dunſtanus verò in Flandriam navigans, in monaſterio Gandavenſi arctiſſimam vitam duxit.* Sed priuſquam eò perveniret, inſidias viro ſancto fœminina malitia ſtruxerat; cum expilándo Glaſtonienſi monaſterio, & eruendis ejus oculis, omne conamen adhibuit. Sed non permiſit Deus, dæmonem & fœminas ultra in Dunſtanum ferocire. Sic enim ſcribit Florilegus, qui meretricem nominat. *Anno gratiæ*, inquit, *nongenteſimo quinquageſimo ſexto; Algiva, mulierum nequiſſima, ex Edwini Regis conſenſu, omnem ſubſtantiam monaſterii viri Dei Dunſtani diripiens; urgente etiam Regis imperio, tandem ipſum à regno proſcripſit. Qui Gallicanas ſecedens in partes, exilium coactus petivit. Sed mulier, virum Dei deſiderans prævenire; miſit lictores* (ut fertur) *qui ipſum, ſi inveniretur, lumine oculorum privarent. Sed eo non invento, confuſi ad propria remearunt.*

Capgrav. in Dunſtano.

Weſtm. hic.

IV. Dunstanus ab Arnulpho, cum honore excipitur.

Dunſtanus itaque, Dei tutus patrocinio, in Belgium trajecit, ubi honorem virtutibus ejus debitum habuit. Nam Arnulphus, Flandriæ Comes, honorificè, ut ſuprà, eum ſuſcepit. Fuit Arnulphus, Alfredi noſtri, Occidentalium Saxonum Regis, ex Ethelſwida filia, nepos: ideò exulem Anglum, Regibus Ethelſtano, Edmundo, Edredo, conſanguineis ſuis, chariſſimum, benignè fovit; præſertim cùm propter juſtitiam, perſequutionem pateretur: & ipſe Sanctorum virorum cultui eſſet addictus. Nam de Arnulpho hoc, ita ſcribit Flodoardus: *Arnulphus Comes Rhemos venit, & Eccleſiam ſanctæ Mariæ, non modico argenti pondere remuneravit. Unde arcæ, in quibus ſancti Calliſti, ſancti Nicaſii, & ſanctæ Eutropiæ membra, cæterorumq; Sanctorum quondam pignora continentur; ornatæ & coopertæ ſunt. Sed & quendam Evangeliorum librum, auro, argentoq; decoravit: monaſterio quoque ſancti Remigii dona contulit.* Ita è Flodoardo refert Baronius ſub annum Domini nongenteſimum quinquageſimum nonum. Et addere uterque potuiſſet, Arnulphi hujus pietatem, in tranſlatione reliquiarum ſancti Gudwalli Britanni noſtri, de quo multa diximus ad annum Chriſti trecenteſimum quadrageſimum. Nam in vitâ Gudwalli ita legitur. *Arnulphus inclytus Marchio, multorum ſaluti divinitùs deſtinatus, Blandinium illud transferendum curavit; una cum reliquiis nullo pretio æſtimandis, egregii Confeſſoris Bertulfi. Quæ tranſlatio facta eſt, tertio Nonas Decembris, Clotario apud Francos, ſceptra regni moderante.* Mentio hujus tranſlationis in Gallicano Martyrologio ad eundem diem ita legitur: *Gandavi ſuſceptio corporum ſanctorum Gudwalli & Bertulfi, in Blandinienſi cœnobio facta, per ſanctum Gerardum Abbatem, pietate Arnulphi Flandriæ Marchionis.*

apud Baron. an. 959. n. 2.

Arnulphus corpus S. Gudwalli transtulit Gandavum.

apud Harauo . . .

Gal. Mart. 3 Decemb.

V. Tempus translationis.

Quod ad tempus ſpectat hujuſce tranſlationis, ſupradicta nos ferè ducunt ad eum annum, quo in Belgium Dunſtanus trajecit. Nam Lotharii Francorum Regis mentio, & Gerardi Abbatis, ſatis ſignificant Sanctorum reliquias, eo tempore tranſlatas eſſe Blandinium, quo S. Dunſtanus ibi quietem, & contemplativæ vitæ dulcedinem quæſivit. Enimverò Lotharius Francorum Rex, Ludovici Transmarini filius, & Edoardi noſtri Senioris, è filia nepos, in regnum ſucceſſerat, anno Domini nongenteſimo quinquageſimo quarto, ut Baronius, & Flodoardus notaverunt: & paulò poſt, Gerardus ab Arnulpho Comite vocatus, quem calculo laborantem mirabiliter curavit; & cùm ingentem pecuniæ theſaurum accipere recuſaſſet: *Suſcepit laborem* (inquit Baronius) *nempe oblatam curam monaſteriorum totius Flandriæ, quæ reviviſcere fecit monaſticâ diſciplinâ.* quod, opinor, contigit paulò ante Gerardi mortem, quæ incidit in Chriſti annum nongenteſimum quinquageſimum octavum. Cùm igitur conſtet Gudwalli reliquias Gandavum tranſlatas eſſe, Lothario regnante, per Gerardum Abbatem, neceſſe eſt dicere, intra annum nongenteſimum quinquageſimum octavum, illud contigiſſe: & cur non medio tempore, nimirum hoc anno nongenteſimo quinquageſimo ſexto: cum Dunſtanus ab Edwio Rege ejectus, ab Arnulpho Comite in Flandriam invitatus, Gandavi reſedit?

Baron. an. 953. n. 6.

VI. S. Gerardus Arnulphi calculo laborantem curat.

Sub idem ergo tempus, Arnulphus Comes, à morbi calculo, Gerardi Abbatis induſtria, ac pietate mirabiliter curatus eſt: quod quomodo evenerit, ejuſdem temporis fidelis ſcriptor refert in hunc modum: *Manſto bono odore fama Beati Gerardi, præſertim ex illuminatione cæcæ mulieris: ſubmiſſè admodum per celerem nuncium, Arnulphus Gerardum rogat; ut ad ipſum venire minimè gravetur. Venit ille, & Princeps honorificè occurrit venienti: eumq; ut par erat, officioſiſſimè excipit: indicat cum lacrymis, morbi acerbitatem. Orat ut pro ipſo Deum Omnipotentem deprecetur. At vir Dei: crede, inquit, mihi, mi frater, non ego tanta mihi virtutis, ac meriti conſcius ſum, ut tu quidquam hujuſmodi, à me homine viliſſimo, debeas expectare: perfectorum iſtud eſt; eorum maximè, qui jam corpore exuti, Domino ſemper aſſiſtunt. Ego verò quiſnam ſum, ut à me, homine viliſſimo, rem tam difficilem exigas? Si vis, perfectam Domino committe medelam. At Comes è diverſo: Sentio, inquit, mi pater, quid velis; occaſionem quæris, ne id mihi præſtes beneficii: Sed quæſo te, præpotentis Dei bonitate fretus, ne mihi differas adferre remedium: quod ego certiſſimè mihi, in tanta doloris acerbitate, per tuas preces affuturum polliceor. Noli obſecro inhumanum te mihi exhibere: ſed miſerere mei hominis moribundi, ut tui quoque Deus miſereatur.*

apud Surium lib. . . .

Baron. an. 959. n. 4.

VII.

Beatus vir ſic reſpondit lacrymanti: ne videaris fruſtra à me petiiſſe remedium; indicabo tibi quid facias: Iacta ſemper in Dominum cogitatum tuum: & quia multis auctus es divitiis, aliquod ex eis erogato in pauperes, & poteris abolere enormitatem ſcelerum tuorum. Propter peccata enim interdum hujuſmodi mala accidunt.

Vbi

Ubi verò hac ratione tibi Christum propitium reddideris; etiam optatam licebit recuperare salutem. Ad hæc comes: Gravissimum est, inquit, quod hortaris serve Dei; modo possim Christi experiri clementiam: ecce instar Zacchæi illius Evangelici, Dimidium bonorum meorum do pauperibus: si tamen sopiri queat morbus gravissimus, me miserè depascens. Deinde præcipit domesticis suis, ut fideliter sancti viri consilium exequantur. Porrò autem indicit ei vir Dei, triduanum jejunium, ipse pariter cum eo jejunans; ut ea victus parsimoniâ purificati, unà spirituali refectione recreati, dignè ad percipienda Christi mysteria ambo accederent. Eo jejunio, religiosè, ut res exigebat, expleto; Sanctorumq; suffragiis lacrymosè imploratis; vir Dei divinis accingitur armis, Missamq; suo more lacrymabundus celebrat. Cumq; jam sacram sumpsisset Eucharistiam; & Marchioni quoque inhianter expectanti, eam impertiisset; confestim reddendi loeii appetitu, Marchio corripitur. Itaque secedens, cum urina nullo negotio calculum ejicit: & pristinæ sanitati mirabiliter restitutum se gratulatur. Quæ illius animum tunc exultatio obtinuerit, quas Dei laudes, omnes illi faventes deprompserint, quanta erga virum Dei extiterit veneratio; nemo, ut fallor, ecquierit; cùm nulla id possit a nobis oratione explicari.

VIII. Gerardus Dunstanum Gandavi excipit.

Hic ille Gerardus est, qui Gudwalli reliquias, & Dunstanum nostrum Gandavi excipit. Vir è cœlo missus; qui monasticum ordinem vitio temporis in Belgio ferè fatiscentem, decori pristino restituit. Quod enim Floriacensis Abbo in Galliâ Italiâque præstitit; quodque Dunstanus feliciter in Anglia inchoaverat, sed longè felicius perficiet, in patriam redux; hoc ipsum Gerardus in Belgio laboravit, eo tempore, quo è sæculi tenebris, quas Danorum rabies invexerat, respiravit ubique Christi Ecclesia. Quamdiu Dunstanus Gandavi vixerit, exul à patriâ, vix potest certò definiri. Miræus in Fastis ad vigesimum Maii, diu illum apud Gandenses vixisse affirmant: Parkerus in Antiquitatibus, unum exilio annum assignat; sed corruptissimè: dicit enim: *Dunstanus in Galliam profugit, & in Gandavensi, vel Blandivensi cœnobio uno anno exulat.* Probabile est, Anglorum Proceres diuturnam viri absentiam, omni qua poterant ratione, prohibuisse. præsertim cum integræ provinciæ, Edwii Regis facinus detestatæ, in eum surrexerint; ut mox dicam: Cæterùm quòd Gandavi Dunstanus omni eo tempore manserit, illa ratio non malè redditur. quòd monastica S. Benedicti regula, ibi imprimis florere cœperat. Nam ita legitur in vitâ sancti Gerardi: *Blandiniense monasterium, à beato Amando Episcopo Gandavi fundatum, restituit: atque irreligiosis inde ejectis clericis (qui frustra suam ventosam jactabant nobilitatem) ex quibusdam instauratis, religiosos monachos illis substituit.* Profuit ergò Dunstano Gandensis mora: nam monasticæ disciplinæ flores ibi collegit, porrexitque illos Angliæ monasteriis; ut postea videbimus.

Fast. Belg. 20. Maii.

Antiq. Brit. fol. 62.

Hara. 5. Octob.

IX. Edwius in monasteria sævit. Malmesb. de Reg. l. 2. c. 7.

Amoto Dunstano, non idcò detumuit Edwii Regis ira; sed in alios etiam monachos illam effudit: nam illis è monasteriis ejectis, clericos ad suos mores factos, substituit. *Eâ tempestate facies monachorum fœda* (loquitur Malmesburiensis) *& miserabilis erat. Nam & Malmesburiense cœnobium, plusquam ducentis septuaginta annis, à monachis inhabitatum; Edwius clericorum stabulum fecit.* quod postea regulares monachos, & irregularem clerum inter se commisit. Si quæris; cur Dunstani exilio Regis ira non deferbuit; aut quorsum multi luerent, quod unus peccaverat. Respondeo: dæmon, mulier, & avaritia, eo modo monasteriorum ruinæ præluserunt quo superiori sæculo lusum scimus: cùm Romanus Pontifex, nuptias pro libito noluit indulgere. quod igitur tunc actum, perfectúmque est: hoc ipsum Edwius agere, dæmonis & pellicum ope, conatus est: sed conatus tantùm. Noluit enim Deus sidus interire; quod monastico orbi destinaverat: occidere tantùm permisit, ut splendidiùs oriretur; quod sequenti anno factum videbimus. Porrò quòd muliebri oratione flexus, impotens Regis animus, hæc omnia fecerit, Malmesburiensis indicare videtur, cùm ait: *Cæterùm longè horret nostra memoria; quam inmanis fuerit in reliqua cœnobia: & propter ætatis lubricum, & propter pellicis consilium; quæ tenerum jugiter obsidebat animum.*

Quo etiam modo posterius sævitum.

Idem suprà.

X. Odo Regias pellices persequitur.

Fuit & aliud, quod oleum flammæ addidit. Nam Odo Dorobernensis Episcopus, infracti vir animi; qui Dunstano author fuerat, reducendi Regem à mulierum amplexibus; authoritatem suam explicuit: & impudentes fœminas, quæ nullum justissimis precibus locum fecerant, severiùs correxit. Nam primò eas à Regis contubernio amovit, proscripsitque è curia: & deinum cum nullo spirituali remedio curari vellet perversissimus animus; corporali cauterio earum nervos succidit, nè pedes ad malum effusè currerent: sed de illo paulò posteriùs. Nam Ecclesia suaviter omnia, & fortiter agit; nec sæculari brachio utitur non coacta: tunc autem tam pellicem, quàm Regem ipsum à fidelium communione suspensos, pro meritis tractabit. Quod ad hunc annum spectat; nulla, ut videtur, Regem inter, & Odonem, altercatio fuit. Nam clerici quidam è Galliâ venientes, & sacras Audoeni sancti Rhotomagensis Antistitis reliquias deferentes, ab utroque suscepti sunt: ut patet è sancti vitâ, quam refert Capgravius, ubi hæc leguntur.

XI. Reliquiæ S. Audoeni in Angliam deferuntur. Capgr. in S. Audoeno.

Circa annum Domini nongentesimum quinquagesimum sextum, tempore Regis Edgari (sed lege Edwii) *venerunt in Angliam clerici quatuor, & Regali curia se præsentantes, ad conspectum Regis, & colloquium adducti sunt. Qui cùm tempus opportunum se nactos existimarent; quòd in regnum ejus reliquias sancti Audoeni attulerunt, familiari affatu auribus Regis intulerunt. Audito autem Rex nomine sancti Audoëni, obstupuit: nec se hoc credere posse ulla ratione respondit. At illi nihil verius esse asserentes, addiderunt: Proba qualicumque modo magis tibi placuerit: igne, seu quorumlibet miraculorum experimentis. Et si corpus præfati patris, silentibus miraculis, non esse constiterit; nos tanti mendacii reos, lege qua justum fuerit punitos, à tuo exterminabis regno. Et ait Rex, hoc non seculari, sed examine debet Ecclesiastico definiri; audita examinet, dijudicet, & quid in tanta re sit tenendum, sententiam ferat. Cum autem Archiepiscopus sanctus Odo advenisset: & clerici interrogati, in suo proposito perseverassent; & examinatione ostensionis divina, rem investigare magnis precibus exorassent; ait Episcopus: Adducatur Leprosus aliquis; ut ex eventu illius cognoscamus, quid de reliquiis istis certâ Fide teneamus. Tanta siquidem pietatis, tanta virtutis, tantorumq; meritorum credimus esse S. Audoenum: ut si ipse vere est, de quo*

agimus,

agimus, suâ nobis bonitate, ea quæ pro gloriâ Dei, & sua ostensione humiliter petierimus, non negabit.

XII. RELIQUIÆ PROBANTUR MIRACULIS. *Adductus est igitur quidam in medium, horridâ corporis fœditate corruptus: Quem Pontifex Odo, cum uno de ossibus allatis, in modum Crucis, tertiò consignans; ita mox omnis corruptionis horrore detersò, ad invocationem nominis S. Audoeni sanavit; ut tantè mali vestigium, in homine nullum penitus resideret. Allatus est etiam in lecto alter ægrotus, paralypsie morbo, toto corpore, dissolutus; mortis potius, quam vitæ imaginem in se, vultu, voce, & membrorum omnium stupore prætendens. Pontifex ergo ipsarum reliquiarum caput assumens, super corpus jam pene extinctum, posuit; & flexis genibus pronus oravit; quatenus ob merita, & intercessiones B. Audoeni, pristinæ sanitati paralyticus redderetur. Se ipsum quidem caput ejus fuit, dum in hac transitoria vita degebat. Mira Dei pietas, & potentia verè miranda. confestim ad tactum capitis sacri, homo sanus erigitur: & gaudens atque exultans, in voce laudis, & jubilo cordis, ad sua regreditur. Patrata sunt etiam per easdem reliquias, ipso tempore, & alia miracula nonpauca, quæ brevitatis causa transimus.*

XIII. *His ita gestis, Rex, Antistites, & qui aderant, valde exhilarati Deum in Sanctum suum glorificabant. Tunc Rex, cum Pontifice, habito consilio, clericos convenit: & quid eis pro adeptione sacrorum quæ detulerant, facere deberet, diligenter inquirit: Referunt ipsi hoc, & ipsorum voluntati. Tunc Regis munificentia supra id quod petebant, copiam suæ largitatis extendit: Pontificiq; ait: Cum respectus gratia Dei, nos & regnum Anglorum tanti amici sui præsentia sublimaverit; videtur convenire, ut & nos ipsi Sancto, qui ad nos venire dignatus est, in majori & digniore* ANTUARIAM DEFERUNTUR. *loco totius regni, perpetuam mansionem procuremus condonare. Quapropter, reverende Pater, ad Ecclesiam, cui Deo authore præsides, has sacras reliquias condigna reverentia transfer. & ejus patrocinio, atque tuitionis, ipsam Ecclesiam, & quicquid ad eam pertinet; commenda. Quod cum Episcopus fecisset; ipsi clerici, loci dignitatem considerantes, & monachorum religionem; facti sunt monachi inter eos: & in servitio Dei, & B. Audoeni, usque ad finem vitæ suæ jugiter permanserunt. Factum est autem scrinium pretiosum, in quo ossa sacra, diversis involumentis obvoluta, cum honore sunt locata.* Hactenus Legenda. Cæterùm dies & annus hujus Translationis, adnotatur in nostro Martyrologio, ad vigesimum quartum Augusti. Nec unquam de dictorum veritate dubitatum est: donec sacra omnia novi homines abjecerunt.

XIV. Tunc enim, Regum, Episcoporum, atque omnium majorum facta, cum pietate conjuncta; pro cerebri libidine: stant, caduntque. Magdeburgici quatuor ita Edwini Regis; & Odonis acta (Cent. 10. fol. 033.) commentantur: *Odonis hujus temporibus, inquiunt, fortè non sine ipsius consilio, & authoritate, putrida* SECTARII IN SANCTOS BLASPHEMI. *mortuorum ossa apud Anglos ex terrâ effodi, & religiosè, seu (ut verius dicitur) superstitiosè in aureas capsulas reponi cœpta sunt. Ac ipse Archiepiscopus Wilfridi Ripponensis Episcopi, & Audoeni monachi cadavera, honorificè Cantuariam transferri curavit, anno nongentesimo quinquagesimo sexto: ut occasione miraculorum mendacium, per eos ibidem edendorum clericos cum conjugibus ab illa Ecclesia Servatoris ejiceret, ac monachis inhabitandam commederet.* Ita illi omnia pervertunt. Majorum religio tot sæculorum sanctitate probata, superstitio est: & quia clerici monachorum institutum amplexi sunt: ideò clerici cum conjugibus exterminari finguntur. Quare cùm Magdeburgicos lego, quavis occasione orthodoxos calumniantes, in cultu reliquiarum; occurrit illud sancti Hieronymi, ad Riparium ita scribentis: *An Vigilantium os fœtidum rursus aperire, & putorem spurcissimum, contra Sanctorum Martyrum proferre reliquias: & nos qui eas suscepimus, appellare cinerarios, & idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneramur. O infelicem hominem, & omni lacrymarum fonte plangendum; qui hæc dicens, non se intelligat esse Samaritanum & Iudæum.* Ita ille. Quantum à Judæis distent Samaritani & Sectarii nostri; qui Christi Crucem, Imagines, ipsum salutiferum JESU nomen, nullo honore dignantes, ex omni hominum memoriâ obliterare conantur; qui omnium Sanctorum nomina (qui Christum integerrimè coluerunt) è Fastis eradere, eorum festa, memoriámque delere: & nescio quo plebiscito, abolere contendunt; in uno Sabbato gloriantes, non est opus operosiùs dicere; quia facta clamant. Transeo itaque ad tempora feliciora.

A S. HIERONYMO ARGUUNTUR. (Hieronym. Ep. 53.)

XV. MORITUR WULSTANUS EBORACENSIS. Moritur hoc anno Wulstanus, Eboracensis Archiepiscopus; quem Edredus aliquando in vincula conjecit; sed postea, ob sacerdotii reverentiam, vinculis solutum, libertati restituit: sed non diu libertate usus, videtur mortem præ vita elegisse. Nam de eo ita scribit Malmesburiensis (Malmesb. de Pont. l. 3. fol. 269.): *Wulstanus pertinacioribus studiis iram Regis emeruit; quòd Danis contra eum rebellantibus faveret: ita quietum & benignum excitavit animum; ut eum in vincula conjiceret. Sed non multò post, actus pœnitudine, & respectu clericalis reverentiæ, indemnem abire permisit. quamvis ille sibi datam veniam indignatus; vitam è vestigio exuit.* Cum dicit è vestigio mortuum, non debet id pressè intelligi. Nam biennio superfuisse, Authores passim supponunt; qui licet hunc annum 956. nominent: nonnemo tamen, satis probabiliter, sub finem superioris anni, ejus mortem consignat. Ita Godwinus (Godwin. in Eborac.). *Wulstanus biennio postquam libertati restitutus est, videlicet vigesimo sexto Decembris, anno nongentesimo quinquagesimo quinto mortem obiit: & apud Vndalum prope Stanford sepultus est.* Wulstano successit Oskitellus, de quo suprà *. SUCCEDIT OSKITELLUS. (* an. 951. n. 7. & an. 918.)

XVI. WOLSTANUS LONDINENSIS MORITUR ET BRITHELMUS SUCCEDIT. Fuit sub hoc tempus, Wulstanus alter, Londinensis Episcopus, qui Theodredo successit, circa annum Domini nongentesimum quadragesimum nonum: & nunc videtur Sedem alteri reliquisse. Nam sequenti anno, diplomati Regio Brithelmus subscribet; quem Wulstani in Londinense Sede successorem fuisse, vix potest dubitari.

ANNUS CHRISTI 957.

JOANNIS XII. PAPÆ 2.

EDWII ANGLORUM REG. 2.

I. ODO REGEM EDWINUM EXCOMMUNICAT. SEQUITUR Christi annus nongentesimus quinquagesimus septimus: cujus exordio, magnæ nubes in Anglicano cœlo fuerunt: quæ tamen citò dispersæ, Dei bonitate serenitatem induxerunt. & quæ malus genius ad Reip. perniciem machinatus fuerat (Deus bonus!) ad Ecclesiæ & monastici ordinis incrementum, vertit.

Cum

Cum Edwius Juvenis è voluptatum cœno, fœminarum amore cæcus, nollet emergere; utrumque Deus brachium, ad ejusdem correctionem extendit; ut duplici pœna multaretur, qui publicè, privatéque peccaverat. Enimverò quemadmodum illi, qui benè præsunt, teste Apostolo, *Dupl ci honore digni habentur*: Sic qui sublime positus, commissum sibi magistratum impotenter regit; ampliori supplicio castigatur. Odo Dorovernensis præsul, ad Anglicanæ Ecclesiæ clavum sedebat; & Regiam libidinem detestatus; pro Deo & castitate pugnavit. & cum preces minæque non sufficerent, aut fœminas a Rege, aut Regem à fœminis separare, in utrosque justissimè excanduit: quod ita à Malmesburiensi exponitur, libro primo de gestis Pontificum: *Edwinus filius Edmundi* (in libro de gestis Regum Edwium ubique vocat) *& regni post Edredum patruum successor, præcipitis temeritatis, & corpores luxus infamis, Pontificis animos irritavit; ut & ipsam à Christianitate suspenderet; & ganea pellicatum, primo expulsione, post succisura poplitis interrumperet.* quod in vita Odonis ita exprimitur.

1. Timoth 5. v. 17.

Malmesb. de Pont. l. 1. fol. 201.

II. Pellices exilio mulctantur.

Capgrave in Odone.

Odo, ubi Edwinum Regem, nec admonitionibus suis se velle corrigere videt; unam de dictis mulieribus, qua Rex frequentius abutebatur; missis militibus, a curia Regis, in qua manebat, violenter abduxit: & eam in facie deturpatam, ac candenti ferro denotatam, in Hiberniam exilio detrusit. Erat enim sanctus Odo omnium iniquitatum inflexibilis adversarius. Non hunc alicujus gaudii secularis illecebra, non hominum mina, non ipsius datum perpessio, poterant a rectitudine deterrere. Quod ad tempus attinet; cæptum puto inter Regem, & Odonem, hoc anno dissidium, & sequenti ad censuram processum: quando publica sententia Rex jussus est à fœmina divertere. divortii causam authores ferè referunt, in sanguinis propinquitatem. Unde Wigorniensis: *Sanctus Odo*, inquit, *Dorobernia Archiepiscopus, Regem West-Saxonum Eadwinum, & Alfgivam; vel quia, ut fertur, propinqua illius extitit; vel quia illam, sub propria uxore amavit; ab invicem separavit.* Eadem habent Hovedenus & Florilegus, & uterque id factum consignat anno sequenti. Ego tamen puto, Odonem prius spirituali fulmine eos terruisse, quam proceres populúsque in Regem surgerent. Quos enim coelo Deus non flectit, castigare solet damno temporali, ut eo saltem modo, afflictio det intellectum. Ut Deus Edwium Regem suorum civium rebellione puniverit, dicam statim: cum impudentium fœminarum supplicium retulero.

Wigorn. an 958.

III. Odonis factum excutitur, pellices punientis.

Duæ fuerunt, quæ juvenem Regem, à virtutis orbita retraxerunt: sed una inprimis nominatur, Algiva, vel Alfgiva; quam Odo dedecore ignominiáque affectam proscripsisse dicitur, in Hiberniam. quæ etiam in facie deturpata, & candenti ferro notatur; omnium eo quo peccaverat, modo punita. Et quia pedes ad malum effusi erant, ideo succisurâ poplitis, malum id curatur. Sed hic Spelmannus objicit, Odonem peccasse, defectu lenitatis: *Præterea serio hic notandum est*, inquit, *Archiepiscopum succidisse Elfgiua* (ita eam, sed corruptè, vocat) *poplitem; ne rediret properè ad amasium: cum membrum ferro tangere præter morem esset Ecclesiasticæ censuræ.* Ita ipse. Sed quantumvis major olim in utroque foro, sacrorum Antistitum authoritas fuerit; quàm inferiorum sæculorum Canones admittunt; non sunt tamen authorum verba eo sensu accipienda: quod aut Odo ferrum tetigerit, aut tangi fœminas mandavit: sed tantùm permisit sæculari brachio morbum curare; quem ipse nullo medicamenti genere sanare poterat. Quod Harpesfeldus ita melius expressit: *Odo adeo nihil de solito severitatis rigore remisit: ut cum apud impudentia scorta, nullus precibus, obsecrationibus, aut increpationibus ipsius locus daretur; curavit ut procerum consilio & auxilio, una ex illis, quæ maximè effœminabat Regis animum; à Rege, vel invito, extorqueretur, & in exilium, facie stigmate, cauterióque turpiter compunctâ, & dehonestatâ, in Hiberniam ablegaretur.*

Spelman. fol. 431.

Harpesfeld. sæc. 10. c. 5.

Augusta Regis authoritas eximium eum secerat à pœna corporali, in quem, nec Odo Episcoporum Princeps ultra procedere, nec procerum ullus præsumpsit. Deus igitur in vindictam surrexit, & lascivientem Principem egregiè castigavit. Nam qui Dei hominumque mandata spreverat: hunc cives audire, obedire, aut Regem porrò agnoscere, noluerunt. Et qui Odonis, Dunstani, procerumque suorum relicto consilio, se meretricibus prostituit; noluit Deus regnare eum super Israel: Sed quod olim Roboamo factum; scidit Angliæ regnum, & meliorem partem dedit Edgaro fratri. *Anno Gratiæ* (loquitur Florilegus) *957. Eadwius, quoniam in regimine sibi commisso, insipienter egit; a Mercensibus populis, & Norensibus, est penitus derelictus. nempe sapientes quosque regni, & nobiles odio vanitatis, dispiciens; ignaros nihilominus, & iniquos studio dilectionis fovebat. Quo unanimi omnium conspiratione dejectos elegerunt, Deo dictante, fratrem ejus Edgarum in Regem: & annuente populo, res regni publica dispertita inter fratres, ut Thamesis fluvius regnum disterminaret amborum.* Ita ille, per Norenses, Northumbrios intelligens, qui junctis Merciis, hoc est Mediterraneis omnibus, Edwio Regi effœminato Principi, subesse noluerunt: meliori Principi se, suáque submittentes, Edgaro, inquam, qui regni habenas modestiùs tenuit; & Ecclesiam, ut post dicetur, ornavit amplissimè. cujus hoc anno specimen edidit; cum Dunstanum, illustrissimum Angliæ sidus, voluit in suo orbe lucere.

IV. Edwius a Deo punitur.

3. Reg. 12.

Edgarus in regni partem adsciscitur.

Westmonast. hic.

Vix erat Edgarus in regni solio collocatus; cum Dunstanum Abbatem, quem Edwius frater injustè proscripserat; justissimâ sententiâ revocatum, Glastoniensi monasterio, prædiisque restituit. *Mox Rex Mercensium Edgarus*, loquit Hovedenus, *Beatum Dunstanum Abbatem, cum honore & gloria, de exilio revocavit.* Cæterùm ut reditus in patriam esset illustrior: non suo solùm suffragio, sed procerum & Episcoporum omnium consensu, decidi voluit; Dunstani exilium, nullo jure, sed pessimo impetu imperatum esse. Brandfordiam ergo conventum vocat, ut utrsque Resp. resarciretur; quæ rimas agere, & ruinæ proxima videbatur. Spelmannus hunc conventum, concilium vocat, & collocat sub annum Domini 959. ubi hæc habet: *Concilium Regni, ab Edgaro Rege Brandanfordia convocatum, in quo Edwii, alias Edwini, Regis decreta rescinduntur. ablata Ecclesiæ restituuntur: & Dunstanus ab exilio revocatur.* Verùm quod ad tempus spectat, non potuit Concilium illud in annum Domini, nongentesimum quinquagesimum nonum cadere, quia Dunstanus ab exilio Glastoniam, Abbas; inde Wigorniam, Episcopus;

V. Dunstanus ab exilio revocatur.

Hoveden. hic.

Spelman. fol. 431.

Concilium Brandanfordiæ.

& demum Londinum transfertur, ante dictum annum, ut hoc anno & sequenti constabit.

VI. Quod ad Concilii acta spectat: non alia recitat Spelmannus, quàm quæ à Parkero in Antiquitatibus referuntur: quæ quia è Dunstani vitâ petita sunt, inde placet ea exscribere. Sic ergo Osbernus loquitur: *Insurgunt interim contra Regem* (Edwium) *omnes ab Humbre fluvio, usque Thamesim; & ipsum, cum adulterâ, fugientem persequuntur; & quæ digna fuerat morte comprehensam adulteram mulctant: & Regem latebras quærentem usque Cantiam fugere compellunt. Deinde accito fratre ejus Edgaro, super provincias inter aquas prædictas, Regem statuunt. Edwius verò, flagitia non deserens; in Cantia regno aliquamdiu tyrannizat. Edgarus ad regimen regni assumptus, concilium convocat; in quo fratris decreta annihilat, à fratre ablata restituit, Dunstanum ab exilio, in magnâ gloriâ revocat.* Nimirum hoc anno nongentesimo quinquagesimo septimo; quo Dunstanum in Angliam rediisse, Florilegus, Wigorniensis, & Hovedenus affirmant: & sequitur necessario è dicendis.

Capgrav. in Dunstano

EDWII DECRETA ANNULLANTUR.

VII. Edwius Rex, cum se regni parte multatum cerneret; videtur Deum muneribus placare, & peccata sua eleemosynis redimere voluisse. Nam *Anno secundo regni sui* (ut Hidæ Annales habent) *Wintoniensi monasterio quod novum dicebatur, prædia divisit, confirmavitq; hoc diplomate.*

CHARTA EDWII REGIS NOVO MONASTERIO WINTONIÆ.

OMnipotentia divina Majestatis ubique præsidente, & sine fine cuncta gubernante. Ego Edwius, ipso largiente, Rex Anglorum, cunctis gentis nostræ fidelibus innotesco; quod pro salute animæ meæ, quendam fundum, quem indigenæ Hrabtune appellant, septem cassatorum quantitatem continentem, benignè confero monasterio Sanctæ Trinitatis, quod Wentana situm est civitate, novumq; appellatur. Hujus autem libertatis fautores & consiliarii mei fuerunt duces & magnates, qui me ad hanc largitatem donandam incitaverant: qui etiam omnes unanimiter constituerunt, ut donatio ista firma in æternum permaneat: neque à quolibet, seu superiore vel inferiore, commutetur. Et quisquis violare præsumpserit, excommunicetur à societate Dei, & Sanctorum ejus. Proinde sit terra prædicta, ab omni servitio mundano semper libera; exceptis tribus causis; hoc est expeditione, & pontis, arcisve constructione. Istis terminis ambitur prædicta tellus. Sequuntur terrarum limites, quos omitto. Non possum tamen omittere diploma aliud, quod hoc anno Athelgardo ministro suo Edwius dictavit: & in Hidæ Annalibus, post recitatam Regis chartam, legitur in hunc modum:

VIII. *Christo Theo, in sæcula sæculorum, cælum terramq; regente, humanum genus, ab ortu suo fluere, usque ad mortem deficiendo videtur. Sed pius omnium virtutum amator, qui nos copit devitare malum, sectariq; bonum; quotidie de lacrymarum valle, ad cælestia regna, quæ nostrarum mentium sensus excedunt, ire feliciter monstrat. Quia æterna Sanctorum gaudia nunc cogitatione penetrari possunt. Quapropter ego Edwius, Rex Anglorum, ac totius Britannicæ telluris gubernator, & Rector, primo anno imperii mei, literariis apicibus roboravi, quod consensu heroicorum, virorum, tradidi cuidam meo fideli ministro, vocitato vocabulo Athelgardo: pro ejus benevolo obsequio; aliquam portionem terræ perenniter mente devota concedo: id est quindecim mansas, in illo loco ubi priscâ relatione vulgariter nomen insitum rite cognoscitur:*

EDWII DIPLOMA ATHELGARDO MINISTRO.

Æt Stottanwille; ut terram jam præfatam meo scilicet ovanter concessu, transitibus sua possideat vita. Deinceps namque sibi succedenti cuicumque voluerit heredi derelinquat. Seu, ut prædixi, in æternam hereditatem. Maneat igitur meum hoc immobile donum, æternâ libertate jocundum, cum omnibus quæ ad ipsum locum pertinere dignoscuntur, tam in magnis, quam in modicis rebus, pascuis, campis, pratis, silvis: excepto communi labore, expeditione, pontis arcisve coædificatione. Si quis verò hoc nostrum charisma, aliqua machinatione infringere conatus fuerit; veniam, non hic mereatur, nec in futuro, regni cælestis clavigerum propitium habeat; nisi prius hic ad satisfactionem emendare voluerit. His terminis hæc terra ambitur, &c.

IX. *Hæc charta scripta est anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decimâ quintâ.*

† *Ego Edwig Rex Anglorum indeclinabiliter concessi.*
†. *Ego Edgar, ejusdem Regis frater, celeriter consensi.*
† *Ego Oda Archiepiscopus cum signo sanctæ Crucis roboravi.*
† *Ego Aelssinus præsul, sigillum agiæ Crucis impressi.*
† *Ego Brithelm Episcopus confirmavi.*
† *Ego Cenwal Episcopus consignavi.*
† *Ego Oscytel Episcopus adquievi.*
† *Ego Osulf Episcopus corroboravi.*
† *Ego, adulf Episcopus conclusi.*
† *Ardelstan Dux.*
† *Eadmund Dux.*
† *Aelfhere Dux, &c.*

Hactenus Diploma: quod scriptum videtur sub hujus anni initium, priùs quàm aut Mercii, aut Northumbrii rebellarunt. quo tempore, totius Britannicæ telluris Gubernator & Rector dici potuit. non autem posteriùs. Quod ad subscribentes Episcopos attinet: Aelssinus, Wintoniensis fuit, de quo anno 951. num. 6. Brithelmus Londinensis, de quo anno 956. n. 16. Cenwal, Wigorniensis; qui communiter ab Authoribus, Kinewoldus dicebatur, ut * aliàs monui. Oscytellus, Eboracensis; Osulfus, Wiltunensis; Adulfus, Helmhamensis. quos suis locis suprà recensui.

* an. 930 n.

X. Inter hos, hoc anno, Kinewoldus Wigorniensis moritur, de quo sic scribit Florilegus; cùm Dunstanum exulem reduxisset: *Excurso dehinc*, inquit, *brevi temporis intervallo, Kinewoldus Wigorniensis Ecclesiæ Episcopus defungitur: & beatus Dunstanus, licet multum renitens, electus, ab Odone Archiepiscopo Cantuariensi, consecratur.* Idem ferè habet Wigorniensis, qui defunctum Episcopum, Ceonwalchum vocat, *virum magnæ humilitatis, & monasticæ professionis.* Cæterùm, quod ad Dunstani electionem, & consecrationem spectat, non est prætereundum, quod mirabiliter accidit, cùm eum non Episcopum, sed potiùs Archiepiscopum Odo consecravit; de quo sic Malmesburiensis. *Odo Beatissimum Dunstanum, electum Wigorniensem Antistitem, dum Cantuariæ benediceret; totius consecrationis egit ordinem; non ut Wicciorum Pontificem, sed Cantuariæ benedicere videretur Archipræsulem: clericis modestè mussitantibus, vaticinium protulit: scire se quid faceret: quòd se defuncto, Dunstanus primatus Ecclesiæ Rector foret. Quapropter quod ministerio suo, nutus divinus adstitisset; calumniâ, si rectè judicarent, carere deberet.*

KINEWOLDUS WIGORNIENSIS MORITUR. *Wilm. hic.* DUNSTANUS SUCCEDIT. *Wigorn. hic.*

Malmesb. de Pont. l. 1. fol. 200.

Ita

XI. ANGLIA RURSUM ILLUSTRATUR.

Ita Dunstanus, ab exilio, cum honore revocatus, supra Ecclesiæ candelabrum ponitur; pulsurus inde tenebras, quæ orbem nostrum e Regiæ pietatis defectu occuparant. Et mox; quâ ejus, quâ Odonis, & Edgari novi Regis industria, factum; ut Ecclesiarum nitor, & Ecclesiasticorum vita, illustrior esset. Unde Baronius, hujus anni gesta compendio referens, hæc habet. *Hoc eodem anno* (957.) *Anglia depressa ob regimen Edwini Regis, eo pulso, & substituto, ex parte Edgaro, respirare cœpit. Nam statim revocavit ab exilio sanctum Dunstanum, invitumq; præfecit Episcopum Ecclesiæ Wigorniensi. In cujus consecratione, accidit illud mirandum, ut S. Odo Cantuariensis Archiepiscopus, expressis verbis consecraverit eum in Cantuariensem; prophetice quod esset futurum præsignans. Sicq; Apostolico more secundum præcedentes prophetias, ad summum illum Thronum, suo tempore, ascendit. Erat planè idem Odo (inquit rem narrans Osbernus in Dunstano) vir quidam sanctus, & magnarum virtutum prærogativis ornatus. Hic Dunstanum in Pontificem Wiccciorum consecraturus, admonstrantibus, qui adstabant: omisso ipsius Ecclesiæ titulo, ad Archiepiscopatum Cantuariensem titulavit: & quasi successorem, seu consortem sibimet consecravit. Unde à præsentibus, cur hoc faceret rogatus, respondit: Non constringitur lege, donum, & vocatio Dei. Utique vir iste, scio quis sit, & ex dono gratiæ video; quòd eum Spiritus sanctus elegerit. Ex quibus verbis, meritum utriusque, turba quæ circumstabat, præclarum esse coram Deo animadvertit. Hæc Osbernus, de magno Anglicanæ Ecclesiæ lumine.* Hucusque Baronius.

Baron. hic n. 3.

ANNUS CHRISTI 958.

JOANNIS XII. PAPÆ 3.

EDWII ANGLORUM REGIS 3.

I. DE EDGARI CORONATIONE.

ANNO Christi nongentesimo quinquagesimo octavo, ita Angliæ regnum in duos fratres divisum est: ut in Cantio solùm Edwius; alibi ferè Edgarus regnaverit: sed quia minor natu, precario tantum, & nudo civium suffragio, coronam accepit; authores communiter, non nisi fratre mortuo, ejus regnum auspicantur. Priùs tamen coronatum aliqui affirmarunt. Unde Annales Wintonienses ita referunt: *Anno Gratiæ nongentesimo quinquagesimo septimo, Edgarus juvenis sexdecim annorum, apud urbem* * *Acbanam, id est Bathoniam; Idus Maii, die Pentecostes, in Regem consecratus est, qui statim Dunstanum de exilio revocavit.* Ita ibi. Verùm, qui nascitur anno Domini, nongentesimo qoadragesimo tertio, non potuit superiori anno, sedecim annorum juvenis, regnare. Fallitur etiam Polydorus, ita de Edgari coronatione, scribens: *Edgarum Odo Archipræsul Bathoniæ, seu ut quibusdam placet, Kingstoni coronavit, circiter annum salutis, nongentesimum quinquagesimum nonum.* Fallitur, inquam, quia ante illum annum, Odo Dorovernensis vivere desiit. Audiendus ergo Malmesburiensis; qui Regis coronationem in medio relinquens, ait: *Sed hæc quomodocumque se habeant; illud constat, quod à decimo sexto ætatis suæ anno; quo Rex constitutus est, ad trigesimum, sine Regio insigni regnaverit. Tunc enim Principibus, & omnis ordinis viris, undique confluentibus, cum magna gloria Bathoniæ coronatus est, nec nisi triennio supervixit.* Cur coronam posuerit, aut priùs non induerit, dicam inferius.

Annales de Hida, in Edgaro.

* *Acbaman quasi e dolore, vulgò Ache, vide infra an. 773 n. 3.*

Polydor l. 6.

Malmesb. de Pont. l. 3. c. 8 fol. 60.

II. BRITHELMUS LONDINENSIS MORITUR. DUNSTANUS SUCCEDIT.

Moritur, hoc anno, Brithelmus, Londinensis Episcopus, & Edgarus Merciorum Rex, Sedem illam Dunstano commisit Wigorniensi Episcopo. Nam Urbs illa, Merciorum ferè Regibus serviebat: & Edgarus Dunstanum sanctum eximiè coluit, & ab ejus ore, non minùs, quàm Edredus patruus, totus pependit: quod juveni Principi saluti fuit. Nam, eo monitore, exerrantes naturæ impetus faciliùs coërcuit; quos in regio juvene aliquando exorbitantes nemo mirabitur. Sed jure mirari poterit, audientem & obedientem Principem, qui sancti Antistitis arbitrio, coronam suam induit, & exuit. Quod licet Sectarii malis Dunstani artibus attribuant; certum tamen est, Sanctitatis Episcopi, & in Rege, egregiæ piæque mentis, argumentum fuisse. Undè optimè Malmesberiensis, de Dunstano: *Afflaverat profectò,* inquit, *cor Regis divinitatis specie, ut ejus consilium susciperet in omnibus incunctanter;* * *faciens quæcumque Pontifex jubenda putaret. Ille quoque quicquid famæ, & saluti Regis concinnum esse intelligeret, non omitteret; differentem acrius urgere, ipsius prius mores in subditorum speculum effigians: cum excessisset, absque personæ respectu severiùs ulciscens.* Hoc in causâ fuisse videtur, cur Edgarus Dunstanum Londinum traxerit, nimirum, ut eum in vicino haberet, qui salutaria proponendo, suadendoque, prava corrigeret.

* *Malmesb. de Pont. l. 1. fol. 201.*

III. WESTMONASTERIUM RESTITUITUR.

Londini Dunstanus rem Ecclesiæ prudenter piéque constituit: monachos ad Occidentem Urbis; ubi olim * Mellitus cœnobium inchoaverat. posuit: & Wulsium Abbatem, eisdem præfecit, quod ita à Florilego refertur: *Anno Gratiæ nongentesimo quinquagesimo octavo, defuncto Brithelmo, Londinensi Episcopo; Rex Edgarus in loco ejus Beatum Dunstanum substituit. Qui protinus, apud Westmonasterium, constructo ad duodecim monachos cœnobio: in loco ubi quondam Mellitus Episcopus, Beato Petro, Ecclesiam fabricaverat, Sanctum Wlsium, ibidem constituit Abbatem.* Nec voluit Dunstanus monachis necessaria deesse. Unde Hendon oppidum in Trinobantibus; & urbi opportunum, datâ pecuniâ emit; & monasterio concessit. Hic Sectarii stomachantur, quòd Dunstanus duas simul sedes impleverit. *Dunstanus,* inquit Parkerus, *qui unum oblatum Episcopatum respuit: idem postea duos, Wigorniensem, atque Londinensem, conscientiâ salvâ, minimeq; turbatâ, simul tenere poterat.* Sed multò rectiùs, Sanctorúmque vitæ conformiùs, Dunstani ingressum, in Urbem Ecclesiámque Londinensem; Osbernus sic recenset: *Defuncto Londinensi Episcopo, rogatu Regis, & Principum, Dunstanus successione donatur: à civibus; verbis, importunis vocibus, nomen illius acclamatur. Neque illum juvit excusatio, Canonum authoritate prætensa; qui duas Ecclesias uni Episcopo fieri posse non permittunt. Sicq; utrique Ecclesiæ, Londoniensi scilicet, & Wigorniensi præsidens; utramque regens: utriusq; proprius Episcopus fuit: Sicq; gladium Pauli habuit, quem sibi destinatum olim ipse detulit, & ad dividendos Ecclesiæ ministros tradidit.*

* *Westmonast. hic.*

WULFIUS ABBAS.

Antiq. Brit. fol. 68.

Capgrav. in Dunstano.

IV. ALFREDUS SCHIRBURNENSIS MORITUR.

Wulsius Abbas, qui etiam Wulsinus appellatur; dum impigrè officio fungitur, altiorem in Ecclesiâ sedem jubetur ascendere. Moritur enim Alfredus Sherburnensis Episcopus, & in locum

SUCCEDIT WULFSIUS. *Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 248.* ejus Wulfsius eligitur; de quo hæc habet Malmesburiensis: *Wulfsinum Dunstanus, cùm esset Episcopus Londoniæ, Abbatem apud Westmonasterium fecerat. Ita commissum officium sanctè & prudenter administrans, honor Episcopalis apud Schireburnians impactus. Qui confestim in sede Episcopali monachos, clericis ejectis, instituit; ne in tanta contemporaneorum Episcoporum sedulitate, dormitare videretur. Cœnobitis nihil ad victus necessitatem ex Episcopatu largitus; sed ex alieno mercatus. Abbatem quoque instituere cogitavit, illis reclamantibus, quod ejus dulci dominatione, dum adviveret, carere nequirent; cessit invitus, palamque pronuntians, magnarum id calamitatum initium successoribus eorum fore.* Nimirùm si se Episcopis semper diœcesanis subderent. Fecit ergo Wulfsius, quod passim Ecclesiarum antistites hoc tempore faciebant; hoc est clericos seculares, qui vitio temporis, monasteriis irrepserant, amovit: & eorum loco regularis vitæ homines substituit; qui passim nunc in honore apud omnes esse cœperunt. quorum etiam vitæ sanctitate, fideles allecti, passim in verâ fide & pietate crescebant. ut nuper in Odone Cantuariensi vidimus. qui monachus ipse, monachos in suâ sede invenit; & iis administris, verbo vitæ gregem suum, in utroque homine religiosiùs pavit. Sed Dunstanum imprimis imitatus est Wulfsius; qui nullâ clero injuriâ, monachos ibi posuit, ubi Augustini tempore sedem fixerant, *cœnobitis nihil ad victus necessitatem ex Episcopatu largitus; sed ex alieno mercatus.*

V. ODO CANTUARIENSIS MORITUR, SANCTUS. *Hoveden. hic.* Hoc quoque anno, moritur Odo Cantuariensis Archiepiscopus, cùm sedem illam multis virtutum exemplis illustrasset. De eo sic scribit Hovedenus: *Anno nongentesimo quinquagesimo octavo, sanctus Odo Dorobernia Archiepiscopus, vir quidem clarus ingenio, & virtute laudabilis, spiritu quoque prophetiæ pollens; humanis excessit rebus, Angelorum manibus ad paradysum deductus.* Eadem de illo habent Osbernus, Wigorniensis, & Florilegus. Laudatur etiam; quod jure quis mirari poterit, à Sectariis. *Antiq. Brit. in Odone.* *Odo*, inquit Parkerus, *ubi Cantuariensem dignitatem pluribus annis rectè administrasset, tandem senio confectus, animam exhalavit, sepultus in Ecclesiâ Christi, sub Edwino Anglorum Rege jacet.* Hunc igitur omni merito in Ecclesiasticis tabulis Anglia Sanctum scripsit: quo etiam nomine ab externis audit, de quo videri possunt Rosweidus in Fastis, & Molanus in additionibus ad Usuardum. Primus, qui sanctum publicè coluit, Dunstanus videtur fuisse, columbæ indicio motus: de quo ex Osberno ita refert Capgravius:

A DUNSTANO COLITUR. *Capgrav. in Dunstano.* *Primo apud Cantuariam adventus sui die, cum sacris altaribus assisteret* (Dunstanus) *& populo Dei vivificum panem distribuendo, porrigeret: repente, contectâ nube domo, columba de cœlo descendens; quousque sacrificium fuisset consummatum, super illum mansit. Peracto autem sacrificio, requievit supra tumbam Beati Odonis; quæ in modum pyramidis, ad australem partem altaris constructa fuit. Ex qua die sanctum Odonem ita Dunstanus reveritus est: ut nunquam pertransiret, nisi genua flecteret, bonumque illum vocaret, ita dicens: Requiescat Odo Bonus.*

VI. COLITUR ETIAM AB EXTERNIS. Hinc crevit sanctitatis opinio; quam fama etiam ad exteras nationes detulit. Unde reliquias corporis ejus Germani ambitiosè quæsiverunt. Sic Bruno Coloniensis Episcopus, qui vivum familiariter noverat, mortuum coluit, translatis Coloniam ejus ossibus; de quo ita legitur in Fastis Belgicis. *Fast. Belg. 10. Iunii.* *Hujus* (Odonis) *beati viri ossa Beatus Bruno Archiepiscopus Coloniensis (cui Odo familiaris olim fuerat) Coloniam transtulit: indeque nonnulla Boxtellam sunt allata, per nobilem virum Gulielmum Marhemium, Boxtellæ Dominum, in aula Cæsarea tunc gratiosum.* Ita ibi. Est porrò Boxtella Brabantiæ municipium in diœcesi Silvaducensi. Gallias etiam Odonis nomen, & sanctitas pervasit. unde in Gallicano Martyrologio, ad septimum Februarii, in supplemento ita legitur. *Gal. Mart. in Supplemento ad 7 Februarii.* *Ipso die commemoratio sancti Odonis, Archiepiscopi Cantuariensis, cognomento Severi: qui ob micantia in se Dei gratiæ signa, electus nobilis illius Metropolis Pontifex; non priùs electioni assensit, quam monasticis disciplinis, à Floriacensibus Galliæ asceris; quorum erat tum sanctimonio percelebris fama; institueretur, & illis indueretur religiosâ cuculla. Missis igitur eò Legatis, ad sibi aditum flagitandum: ipse illuc paulò post profectus est: ubi assumpta tessera regulari, & haustis piarum disciplinarum theoriis; demum egregiè iis instructus, ad sedem rediit designatam. sumque ordinari se passus est. Ecclesiamque suam Apostolicâ virtute gubernavit; vitiorum acerrimus ultor, Regum correptor, castitatis vindex, divinæque legis fervidus æmulator. Cujus tenorem immaculato calle semper tenuit: & ut servaretur à Regibus, Sacerdotibus, ac populo, intenso semper animo procuravit. Sedit alter seculi sui Ioannes, annis viginti quatuor; miraculisque, quibus in vitâ claruerat, post mortem ampliùs à Deo clarificatus effulsit.*

VII. *Malmesb. de Pont. fol.* Quòd miraculis in vitâ claruerit, testis est Malmesburiensis, dum ita eum cum honore sepelit. *Interea Præsul*, inquit, *mentem in Dominum dirigere; miracula non egenè facere; multa sedis suæ appendicia, prædia, quæ Danica excursione ablata erant, ad jus legitimum trahere; in tantum, ut constet, neminem illius ætatis Archiepiscopum, parem Odoni in talibus fuisse. Quanendum autem est testimonium, quod ei perhibet Osbernus: qui eum dicit, pro sanctitate sua, & industria, ab omni Anglorum orbe semper deflendum, nisi Dunstanus successisset.* Successit quidem Dunstanus; sed alii eum, hoc anno, & sequenti, præcesserunt: quorum unus inverecundè satis in Cantuariensem sedem intrusus est; sed divinâ statim ultione extrusus. alter ad sedem invitatus, cum modestissimè accessisset; & paulò post, onus sensisset suis humeris impar; eâdem qua venit modestiâ, recessit: de quo dicam anno sequenti.

ELFSINUS ODONIS SUCCESSOR. *Capgrav. in Dunstano.* Primus ergò qui Odoni successit; fuit Elfsinus, Wintoniensis Episcopus; non per ostium intrans ad ovilis custodiam; sed furis instar, ascendens aliunde; cum ambitione invidiáque in Odonem æstuans, multùm à virtutis orbita exorbitavit. De eo sic legitur in Dunstani vitâ. *Mortuo Archiepiscopo Odone; cùm Rex Dunstanum adjuraret, ut Archiepiscopatum sumeret; nec ille adjuranti ullâ ratione assensum præberet; Elfsinus, Wintoniensis Episcopus, paratis advocatis, quorum manus impleverat, surrepto Regis edicto, Cantuariam intrusus est. Hic enim, & ante Odonem, Archiepiscopatum ambiebat: sed custos Ecclesiæ Christus, ambitionem illius impediebat.* Si solum ambitionis crimen adfuisset, patientior fortè Deus sustinuisset hominem in primâ Insulæ Sede: qui eodem tempore Romanam Cathedram, hoc est Ecclesiarum Principem, pari modo fœdari permisit.

VIII. Punitur ob Odonis contemptum.

Verùm ubi accessit Sancti prædecessoris sui contemptus; Odonis sanctitatem Deus mirabiliter asseruit; & Elfsini pedem, qui mortui tumbam irreverenter calcaverat, frigore stupefactum, & totum hominem, morte percussit. Rem gestam Osbernus, Malmesburiensis, & Authores ferè omnes recensent: Quam ex eisdem Baronius collegit, & narrat in hunc modum. *Insuper hoc anno (958. moritur sanctus Odo, Cantuariensis Episcopus, successoremq; habuit Elfsinum, nequissimum hominem; qui malis artibus, in eam Sedem irrumpens, Romam venturus accipere pallium, infelici exitu in viâ extinctus est. Res gesta narratur ab authore, qui ante annos trecentos claruit, Matthæo Westmonasteriensi monacho.* Verùm antiquiores nominare potuisset, Gulielmum Malmesburiensem, qui ante quingentos, & Osbernum, qui ante sexcentos annos scripsere. narrantque impium Elfsini ingressum in Sedem Cantuariensem, & ejusdem infelicem exitum. Sed quia Matthæi Westmonasteriensis narratio Baronio placuit, illam audiamus, cum Baronii parenthesi; quæ Cantuariensium Episcoporum consuetudinem probat, Romam petendi, pro pallio, dignitatis insigni. Sic ergo Matthæus, & ex eo Baronius:

Baron. hic n. 5.

IX *Westm. hic.* *Quo etiam anno (958.) idem Odo, vir ingenio clarus, virtute laudabilis, & spiritu prophetiæ pollens, humanis rebus exemptus, in paradisum est Angelorum manibus deportatus. Quo ad cœlestia translato, Ealfsinus, Wentanæ urbis Episcopus; datis muneribus profusis, per internuncios, Regem Eadgarum circumvenire studens, cum Simone Mago, Cantuariensis Ecclesiæ thronum, pecunia interveniente conscendit. Qui primo introitus die abstinere non potuit, quin furias mente diu conceptas evomeret: ad tumulum sancti Odonis accedens, illumq; pede conculcans, dixit: Pessime senex, nunc animam, licet serò, emisisti, & meliori locum faciens, recessisti. Nunc vero quod diu concupiveram, teneo, te invito, & inde tibi malas gratias ago. Et sic fatus; cum rabidus ille, sopori membra dedisset sequenti nocte: Vidit beati Odonis effigiem sibi astare; atque improperare convitium; atque velox ei exitium comminari. Sed Ealfsinus, somnii vanitatem esse, quod viderat existimans, non minùs ad obtinendum pallium Romam properabat (ita, enim antiquo more Cantuarienses Archiepiscopi; non per alios, sed per seipsos Romam adire, & pallium petere consueverunt.) Ubi cum per Alpes viam expediret inceptam; nihil aliud remedii habere potuit, dum invali tempore esset congelatus; nisi ut exenteratorum equorum, adhuc calentibus extis, pedes immergeret, quibus sanctissimi viri conculcaverat sepulturam. Sed nec sic algore deficiente, sed potius invalescente, vitam flagitiosam, morte miserâ terminavit.* Hæc ibi.

In Alpibus mortuus.

X. Brithelmus Wintonien. et Brithelmus Wellen. Episcopi.

Quis illi in Cantuariensi Sede successerit, dicam annò sequenti: Interim debeo Wintoniensi sedi, quam Elfsinus vacuam reliquit; cum Cantuariam translatus est; Episcopum præficere, Brithelmum nomine; ab eo tamen differentem, qui hoc eodem anno in Fastis scribitur Wellensis Episcopus: & Wulfhelmo successerat: quem ideo nunc mortuum putamus, cum ab anno nongentesimo quadragesimo secundo, Wellensem Ecclesiam gubernasset, & ei nunc mortuo Brithelmus sufficitur. de quo ita Godwinus: *Brithelmus monachus Glastoniensis, Wellensis Episcopus creatus est, anno nongentesimo quinquagesimo octavo. Cœnobio Glastoniensi hic concessit jurisdictionem regionis vicinæ; & Archidiaconum a monachis, & è monachis annuatim eligendum ordinavit; qui illam administraret.* Hujus viri virtutes sequenti anno recenseo; quia tunc ad Cantuariensem sedem implendam, quam Ealfsinus vacuam fecit, postulabitur. Interim notandum est, hoc anno duos consecrari Episcopos, Wintoniensem, & Wellensem, quorum uterque Brithelmus appellatur.

Moritur Wulfhelmus Wellensis.

Godwin. in Wellen.

XI. Quando mortuus Elfsinus

Elfsini mortem consignat Wigorniensis, anno sequenti: & fortè sub illius anni initium, in Alpibus extinctus est. Sed quia constat, Romam non pervenisse, nec auctum pallio decessisse; ideo non malè, nec inter Cantuarienses Præsules, in Fastis, & authoribus nominatur; nec vitæ ejus terminus accuratiùs exponitur. Cæterùm, quod Romam non pervenerit, sed in itu perierit; ex sancti Odonis vitâ colligitur: ubi cum Elfsini in Sanctum inhumanitas narratur, ita subjungitur: *Eadem nocte apparuit sanctus Odo custodi Ecclesiæ Salvatoris, vultum lacteum habens, vestimentum vero rosei coloris, ita dicens: Surge, & dic Elfsino Episcopo. Hæc mandat tibi servus Christi Odo: non sum mortuus sed vivo Regi meo omnipotenti Deo; atque ut hoc certissimè experiaris; noverit, quod sicut tu me vivente, ad Archiepiscopatum pervenire non potuisti, ita per me, nunc in cœlesti regno viventem, invasum honorem, in proximo perdet: & quoniam hesterno die me verbis exprobrasti; baculo tuo sepulchrum meum percussisti: prædico tibi, quod mare transfretabis, Alpes ascendes, sed pallium non obtinebis. Cumq; illi ter sic apparuisset; & ille cuncta Episcopo retulisset: ille quæ audierat, parvipendens, verba inepta dicebat comminationis.* Sed verum fuisse oraculum, mors probavit.

Capgr. in Odone.

ANNUS CHRISTI 959.

JOANNIS XII. PAPÆ 4.

EDWII ANGLORUM REG. 4.

I. Brithelmus Dorobernensis Episcopus.

EXTINCTO in Alpibus Elfsino, Cantuariensi electo, Brithelmus Wellensis Episcopus, ad primam Sedem assumitur; cum Dunstanus pientissimè honorem declinasset: Nam non solùm Edgarus; sed optimus quisque in eum ibant. Verùm nondum venerat hora ejus. Et Edwio regnante, noluit Dunstanus injuriæ memoriam refricare: quod necessum fuisset, si Sedem Cantuariæ, ubi Edwius erat, figeret? Hæc una causa declinandæ dignitatis. Sed quorsum, inquies, penes Edgarum potestas fuit: non solùm in Merciorum regno, sed in Cantio etiam, Insulas, & Episcoporum Sedes dispensandi, cum Edwius adhuc, in Cantio saltem regnaret. Opinabar aliquando, falli eos, qui Elfsini electionem ad Edgarum Regem retulerunt; qui optimorum consilium sequutus, meliorem nominasset; sed planè Authores omnes in contrarium eunt; & tam Elfsini, quàm Brithelmi optionem; Edgaro tribuunt. Respondeo igitur: Edwium Regem, ob clavium contemptum, à fidelium communione Odo submoverat, & nulla adhuc pœnitentis animi argumenta dederat. Unde, qui non Ecclesiam ingredi poterat, nec sacrum ullum præsumere; multò minùs Ecclesiarum præsides designare, aut pastorem gregi præficere poterat. Edwius igitur hoc biennio

inglorius vixit, & anno Christi nongétesimo quinquagesimo nono moritur, cum annos quatuor, alus potiùs, quam suis cupiditatibus imperasset; & quintum regni annum inchoasset. Ut eo mortuo, Brithelmus è Cantio ad Wellensem sedem redierit, dicam paullò inferiùs: Interim quæ Edwii sunt reliqua absolvam.

MORITUR EDWIUS.

II. Sunt qui Regium juvenem, cum laude sepeliunt. Ita Huntindonius: *Rex, inquit, prædictus Edwi, non illaudabiliter regni insulam tenuit.* Et iterum: *Edwi Rex, anno regni sui quinto, cum in principio regnum ejus decentissimè floreret, prospera & latabunda exordia, mors immatura perrupit.* Hæc ideo ab authore dicuntur; quia præter odium in monachos, amorémque impurum, quo subditorum animos amiserat; nihil erat in juvene, non laude dignum: aliqua pietatis opera, ad oblucrandam suorum scelerum memoriam, religiosè in speciem fecerat. Sic cum Dunstanum, è Glastoniensi monasterio in exilium trusit, monachosque omnes in Insulâ vexavit: clericorum aliquos, qui Regiam libidinem patientiis ferrent; eorum loco substituit, ditavitque. Observant hoc Antiquitates Glastonienses, ubi dicunt: *Edwin à Beato Dunstano redargutus, ipsum Dunstanum in Flandriam relegavit, & quendam Elsium, pseudo-Abbatem, monasterio Glastonia intrusit; cui dedit Insulam de Padeuebeorh duas hidas, & ab omni servitio liberam. dedit etiam Blakeford, tres hidas.* Sequuntur aliorum ministrorum donationes, eidem loco, ejus consensu factæ. Unde non impium omnino Edwium fuisse, possumus conjicere. Sed quia monachos suis sedibus movit; ideo sequuta statim est ingens contentio clerum inter & monachos; quæ non uno sæculo componi potuit. Præsertim, cum clerus contestaretur, sibi, non monachis, prædia aliquando distributa esse; & Edwium testem ciere possent; qui hoc ipso anno Christi nongentesimo quinquagesimo nono, novo monasterio Wintoniensi chartam scripsit, quæ in Wintoniensibus Annalibus legitur cum hac Epigraphe.

Huntind. l. 5. fol. 356.

III. EDWII CHARTA PRO NOVO MONASTERIO.

Privilegium EDWII Regis de Bykton, anno regni sui ultimo.

OMnium visibilium & invisibilium rerum creatore, in perpetuum regnante, & a summo cœli fastigio, omnium regnorum jura disponente, omnibus philosophia studium, mentis acumine scrutantibus notum est; quod quamdiu hujus infantis labentisq; vita prosperitas, cum terrigenis constiterit: quamdiu secularibus Regibus videlicet, ac potentibus, totis nisibus subjicere conamur. Quantò magis illi Regi, omnium rerum creatori, omni mentis intentione, militare debemus: qui non solum perdita restaurat; sed etiam restaurata conservat. Hinc ergo constat, quod dum tempus est venia; festinemus laqueum totis viribus devitare mortis. Dumq; carnale possidemus patrimonium, spiritale exerceatur mercimonium: quo inter angelicos choros, mereamur adipisci gaudia, sine fine mansura. Quapropter ego Edwige Rex Anglorum, aliquam partem ruris mei, id est decem mansas in loco, cui ruricola illius terra, hoc nomen indiderunt Bicingtune, ad monasterium Sancti Petri, quod situm est in VVentaná civitate: quodq; Anglicá appellatione vocatur The Neuwan Mynster, cum summa jucunditate perpetualiter dedi: quatenus venerabilis illius monasterii familia, ejusq; successorum posteritas; quamdiu Christicolarum religione hac Insula inhabitatur, ad vestimentorum adminiculum habeat, ac possideat: in aternà hæreditate. Maneat igitur, meum hoc immobile donum, aternà libertate jocundum, cum omnibus, qua ad ipsum locum pertinere dignoscuntur; tam in magnis, quàm in modicis rebus; campis, pratis, rivis, silvis; excepto communi labore, expeditione, pontis, arcisve coadificatione.

IV. QUIBUS FACTA CONCESSIO.

Sequitur in eodem diplomate, concessio dictarum mansarum, seu prædii de Bycingtune, Alfrico Regis ministro: cui monasterii incolæ, qui cœnobitæ dicuntur, pactâ pecuniâ, certa lege vendiderunt. Cæterùm ao monachi fuerint, sub regulari Abbate viventes, idcò potest dubitari; quia Authores suprà communiter affirmarunt, in omnes monachos ab Edwio sævitum. fuerunt ergò clerici paulò laxiùs viventes: quos Edgarus post annos aliquot; vel regulariter vivere, vel regularibus cedere, Sanctorum Episcoporum authoritate jubebit. Illi ergò Regiæ donationi hæc addiderunt.

V. *Nos igitur, supradicti sancti Petri monasterii cœnobita, cum Regis consensu, suorúmque heroicorum; nec non nostro communi consilio, hanc supradictam terram, cuidam Regis ministro, vocitato nomine Aelfrico, pro petitione amicorum suorum, atque ejus placabili munere, quod cum humili devotione nobis largitus est; id est, sexaginta mancusas auri; diebus vita sua libenter concedimus. eo tenore, ut cum dissolutionis sua dies advenerit; non cuiquam sua prosapia soboli derelinquat: sed sine aliquo obstaculo, cum omnibus utensilibus, hominibus, ovibus, pecoribusque, monasterio sancti Petri, sicut supradictum est; diligenter restituat. Si quis autem reprobus, falsis machinationibus, per aliquam scripturam, nostrum decretum subvertere conatus fuerit: sit ipse in profundum chaos, igneis nexibus mancipatus; & ejus memoria, caligine mortis obtecta. nisi hic assiduis precibus, prius optabilem consequi mereatur indulgentiam. Prædicta siquidem tellus, istis terminis circumcincta clarescit. Incipit imprimis apud Torneford, &c.*

VI. *Acta est hæc præfata donatio, anno ab Incarnatione Domini nostri* JESU CHRISTI *nongentesimo quinquagesimo nono, Indictione secunda.*

† *Ego Eadwig Rex Anglorum, præfatam donationem concessi.*
† *Ego Byrthelm Dorobernensis Ecclesia Episcopus, cum signo sancta Crucis corroboravi.*
† *Ego Byrthelm Wintoniensis Ecclesia Episcopus, sigillum hagia Crucis impressi.*
† *Ego Osulf Episcopus, consignavi.*
† *Ego Alfvvold Episcopus, subscripsi.*
† *Ego Daniel Episcopus, conclusi.*
† *Ego Aelfric Abbas.*
† *Ego Alfwold Abbas.*
† *Ego Athelwold Abbas.*

Sequuntur locorum nomina, Ducum & ministrorum Regis, quæ omitto, Annales parùm spectantia. Qui ultimo loco Abbas scribitur, Ethelwoldus est, Abindonensis cœnobii præfectus. qui brevi Wintoniensem sedem ascendet, & pleniùs Regii diplomatis mentem explicabit. Altwoldus Episcopus Cridiensis est, aut certè Schirburnensis, Wulsiu successor. Sed tunc dicendum est Wulfsium modico tempore magistratum gessisse; & uno eodémque anno, Abbatem

WULFSI SCHIRNBURNENSIS MORITUR: SUCCEDIT ALFWOLDUS. *Godwin. in Sarisb.*

Westmonasteriensem, Episcopum Schirnhuernensem, & denique mortuum fuisse. Quod tamen Fasti, & Authores alii non admittent. Unus Godwinus ita scribit: *Wulfsinus Abbas Westmonasteriensis, Dunstani tum Londinensis Episcopi operâ, creatus, ad Schirburnensem Ecclesiam ordinatus clericos sæculares inde mox ejecit, & monachos introduxit. Quæ res magnam illi gratiam apud historicos nostros comparavit; qui ubique ut hominem sanctissimum magnis laudibus efferunt: ac inter cætera memorant animam agentem exclamasse, cum Stephano Proto-Martyre: Video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei: tumque, illicò expirasse, anno videlicet nongentesimo quinquagesimo octavo.* Sed quia in Martyrologio nostro, inter Sanctos mortuus ponitur ad octavum Januarii; rectiùs opinor diceretur mortuus ad initium anni nongentesimi quinquagesimi noni. Et tunc Alfwoldus successor, eodem anno potuit subscribere. His tamen omnibus contradicunt Saviliani Fasti; qui octo annos Wulsio Episcopo tribuunt; & nostrum Martyrologium quod tribuit octodecim. Supponunt hi Authores, Wulsium diu ante consecratum; quod & Godwinus videtur innuere, qui Alfredum Schirnhurnensem obiisse scribit anno nongentesimo quadragesimo: & ei Wulsinum successisse.

VII. WULSII ÆTAS EXPENDITUR.

Sed hoc prætee mentem dicitur authorum omnium (cum quibus Godwinus ipse consenserat) qui disertè affirmant; Wulsium à Dunstano Londinensi Episcopo, Abbatem Westmonasteriensi cœnobio præfectum, & inde ad Schirburnensem Ecclesiam assumptum esse. Dunstanus autem, non nisi redux ab exilio nec nisi post Wigorniensis Ecclesiæ administrationem, in Londinensem translatus, à morte Brithelmi; quam in annum Christi nongentesimum quinquagesimum octavum incidisse, Godwinus ipse, disertis verbis, affirmat. *Godwin. in Londin.* Quomodo Wulsius ex Abbate Westmonasteriensi transire potuit ad Schirburnensem sedem, anno nongentesimo quadragesimo, vivente adhuc Alfredo, qui anno nongentesimo quinquagesimo quinto subscripsit regio privilegio, quod Edmundus Rex dictavit Æthelnoto presbytero. Quamobrem Authores non possunt benè componi, aut amicè coire; nisi dixeris Wulsium, in brevi quidem consummasse tempora multa: sed ex Abbate unius anni, Episcopum fuisse, & post paucos administratæ sedis annos, octo fortè, sanctitatis præmium in cœlo consequutum, ut infrà *.

*an 967. n 20

VIII. EDWIUS REX MORITUR.

Quicquid sit, hoc annò Edwius Rex, à Deo vocatur ad reddendam rationem villicationis suæ. de quo Hovedenus, ad hunc annum: *Rex etiam West-Saxonum Edwius, quatuor annis regni sui peractis; defunctus, Wintonia in novo monasterio est sepultus.* Sed quomodo dicti facti rationem Deo reddiderit, non explicat. & odium in monachos, & delicta juventutis, formidabilem exitum præsagiunt. qui sine dubio Edwium mansisset, nisi Sanctorum suffragia Deum ad bonitatem suam, pietatémque inclinassent. Nam ut nuper in monachorum exterminio, ita nunc in Edwii Regis obitu, tripudiantes dæmones Dunstanus vidit: vidit, inquam, & ingemuit; precatusque Deum est, nè inimicum suum, inimicis humani generis, in æternum traderet: & assidua justi deprecatio valuit. Nam piè creditur flexisse misericordem Deum, & Edwium in extremis pœnitentem obiisse, atque ita frustratos dæmones, qui prædam sibi debitam, & opima spolia, spe certâ devoraverant. Quod quia Authores nostri, tam antiqui, quàm recentiores, indubitanter affirmant: ideò Novatores aliqui, Orthodoxis scriptoribus imponunt, quòd Dunstanus Edwii animam, ex inferno liberarit. Magdeburgici ita scribunt de hoc sæculo. *Pro mortuorum animabus preces fiebant: & impii Regis Edwini anima, Dunstani precibus ab inferno liberata, in pœnitentium animarum sortem translata est: ut Ranulphus lib. 6. c. 8. in polychronica nugatur.* Sed revera nugantur ipsi: & ut Sanctorum acta, sic scriptorum verba, & mentem pervertunt. Res ita se habuit, ex Osborno, qui Dunstani vitam scripsit.

Cent 10. fol 331.

IX. DUNSTANUS DEUM PRO EDWIO DEPRECATUR. *Capgrav. in Dunstano.*

Interea mortuo impiissimo Rege Edvvino; atque in sortem magnorum spirituum translato: Dunstanus in Ecclesia, cui præerat, cum orationibus vacaret: ecce tartarea cohors, sub ejus aspectu, exultando, quasi choream ducere; & veluti de captâ prædâ lætas victorias agere cœpit. Inquirit Dunstanus causam lætitiæ: audit Regem abiisse, animam illius gehennalibus statim incendiis TRADENDAM: (non ergo erat tradita) sed priùs hoc sibi ex divino imperio nuntiandum fore. Motus idcirco pietate Dunstanus, in terram prosternitur, copiosus ex oculis lacrymarum imber producitur: pulsat Deum precibus; nec orando quiescit, quousque spiritum Regis liberatum agnoscit. Peractâ autem brevi morâ, redit tristis legio infernalis, magnóque clamore in has voces erumpit: O te pessimum hominum! O fides alienum! O nostris beneficiis semper ingratum. Nos deculminio obsequium (in ejiciendo monachos) tu nobis retulisti supplicium. Ad ulciscendas injurias tuas de regione tenebrarum venimus: & ecce adversis imprecationibus tuis confusi redimus. Cumque ille (Dunstanus) *depromenda veritatis præceptum, dæmonibus indiceret; agnoscit animam Regis, Angelica virtute, ab illis sublatam, ad statutum terminum sub signacula servatam, nihil juris in illam dæmones habere? sed in sortem pœnitentium animarum eandem cedere. Tunc ille exultans in Domino; furores illorum tali ratione compescuit. Quid; inquit, injusti actum est vobis? Si peccavit homo iste; in Christum, & in me peccavit. Sed quoniam meas propter Christum dimisi injurias; dimisit & suas Christus, cujus ego clementiam deprecatus sum. Quod ergo Christus, & ego dignati sumus clementer indulgere, vos quâ temeritate audetis improbè reprehendere? Quâ sententiâ spiritus maligni, quasi sagittâ percussi, velut muscæ à vento raptæ dissiliunt.* Hactenus antiquus author.

X.

Quis crederet muscas, Dunstani virtute prostratas, fugatásque; post tot sæcula, humanum genus infestare: & viri sanctitatem, rerúmque gestarum fidem, evertere posse tam impudenter: ut liberatam ab inferno animam dicerent; quò nunquam descenderat. illum, inquam, infernum, ubi nulla redemptio: nam in alium inferni locum, ubi animæ purgantur, Edwii animam descendisse, libenter damus: sed inde, piorum hominum precibus, Missæ sacrificio, Sanctorum suffragiis, liberari, & in requiem æternam transire potuisse; cum hoc decimo, & superioribus omnibus sæculis, credimus. Quod & Edwii Regis animæ factum putarunt majores nostri; Unde Malmesburiensis post recensita ejus crimina, animam ejus, Dunstani precibus, requiem invenisse affirmat. *Cæterum, inquit, longè hæret nostra memoria;*

quam

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 7.

quàm immanis Edwius fuerit in reliqua cœnobia ; & propter ætatis lubricum, & propter pellicis consilium, qui tenerum jugiter obsidebat animum. Sed ignoscat dolori meo anima, jam dudum in requie collocata, per Dunstani interventum. Luit ille pœnas ausus temerarii, etiam hac in vitâ, maximâ parte regni mutilatus. Quâ percussus injuriâ e vivendi finem fecit ; Wintoniæ in novo monasterio tumulatus. Hîc etiam ego de Edwio finem facio : si Baronii de eo censuram exposuero : *Miser Edwinus*, inquit, *magis procacis meretricis impulsu, quam suâ voluntate peccaverat : haud omninò malus, natus ex Reginâ sanctâ ; cujus precibus factum, ut in fine, suorum scelerum pœnitens, ex hâc vitâ discesserit.* Nunc transeo ad coronam, quam eo mortuo Edgarus induit : quæ tam impatiens fuit impii Principis, quàm Cantuariensis Infula, ambitiosi Præsulis.

Baron. hoc n. 7.

EDGARUS ANGLORUM REX.

XI. EDGARUS MONARCHA SOLUS REGNAT.

Edwio Rege mortuo, Edgarus in totius Insulæ Principatum successit ; Edwii frater, ætate minor, sed virtute prudentiâque major. Nam sedecim annorum juvenis, totidem annos felicissimè regnavit ; & Regiæ prorsus pietatis, fidei, industriæque argumenta dedit amplissima. Unde ingressus ejus in regnum, solito plenius, ab Authoribus consignatur. Nam Rogerus Hovedenus, Wigorniensem sequutus, ita scribit : *Edwii regnum, sui germani, Rex Mercrusium Edgarus, ab omni Anglorum populo electus, suscepit, anno ætatis sua decimo sexto : adventus vero Anglorum in Britanniam, quingentesimo decimo : trecentesimo autem sexagesimo tertio, ex quo sanctus Augustinus, & socii, in Angliam venerunt ; divisaq; regna in unum copulavit.* Hic annorum calculus Annalibus nostris respondet ; qui Anglorum adventum, sub Christi annum quadringentesimum quadragesimum nonum consignant : & Augustini missionem ad annum quingentesimum nonagesimum sextum. Nam adde Anglorum adventui ; annos decem & quingentos ; exibit hic præsens annus nongentesimus quinquagesimus nonus : Qui etiam exit, si ad annum quingentesimum nonagesimum sextum, quo ex Urbe mittitur Augustinus, adjunxeris annos trecentos sexaginta tres.

XII. EDGARI ELOGIA.

Malmesb de Reg. l. 2. c. 8.

Quàm benè Edgarus sceptrum tractaverit, & quàm decorè coronam induerit ; Authores omnes planè significant, & anni singuli testabuntur. ejus exordia ita explicat Malmesburiensis. *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quinquagesimo nono, Eadgarus, honor, & delitiæ Anglorum, filius Eadmundi, frater Edwini, juvenculus annorum sedecim, regnum adipiscens ; eodem numero fermè tenuit. Res ejus multùm splendidæ, etiam nostro celebrantur tempore. Affulsit annis illius, divinitatis amor propitius ; quem ipse mercabatur sedulò, devotione animæ, & vivacitate consilii. Denique vulgatum est, quòd eo nascente, vocem Angelicam Dunstanus excepit : Pax Angliæ, quamdiu puer iste regnaverit, & Dunstanus noster vixerit. Respondit veritas rerum cælesti oraculo : Adeo illis viventibus, splendor Ecclesiasticus effloruit, & tumultus bellicus emarcuit.* Florentius etiam Wigorniensis ; cùm Edgarum in regni solio collocasset ; hæc ait : *Erat Edgarus vir discretus, mitis, humilis, benignus, liberalis, misericors, armipotens, bellicosus ; jura regni bellicâ potestate regaliter protegens ; populum in obsequio Principum, Principes ad justitiam imperiorum formavit. leges rectas instituit ; regno tranquillissimo potitus est : neque bello alium lacessere, neque lacessitus inferre aliis bellum necesse habuit : sed regni sui fines, prudentia, fortitudine, justitiâ, temperantiâ, quoad vixit, (Deo auxiliante) custodivit. Et quoniam iram ferocis Leonis, contra inimicos habuit ; non solùm Insularum Principes, & tyranni, illum pertimuerunt : verùm etiam Reges plurimarum gentium, ipsius audientes sapientiam, & strenuitatem ; quidam timore, & terrore percussi sunt ; quidam verò, pro suâ munificentiâ, eum diligebant, honorabant, magnificéq; laudabant. Imperator etiam primus Otto, qui suam amitam in conjugem habebat ; mira illi munera direxit ; & cum eo pactum firmissimæ pacis firmavit.*

Wigorn. hic.

Nec monachi solùm Edgarum laudaverunt ; quod tamen passim Sectarii objiciunt : sed alii etiam è clero ; licet monachos ubique clero prætulerit. Nam Henricus Archidiaconus Huntindonensis, hæc habet de Edgari primordiis. *Edgarus pacificus, frater Regis prædicti* (Edwii) *sedecim annis regnavit. In diebus ejus, hæc terra maximè meliorata est, & Dei Omnipotentis gratiâ, quam ipse pro posse suo devotissimus meruit, semper dum vixit, in pace regnavit. Ille namq; Christi Fidem, in regno suo, validissimè dilatavit ; & opera salutis, exemplo suo, clarissimè fecundavit. Dilectus namq; Deo, & hominibus, gentes terræ suæ semper pacificare studuit : nec aliquis prædecessorum suorum, tantâ pace, & gaudio, regnum tenere potuit. Ipse siquidem nomen Dei honorabat ; & de lege Dei sæpiùs inquirens, libenter eam discebat, & gaudenter docebat ; & verbis, & operibus, populum suum bonorum operum exercitationi promptus invitabat. Dominus autem omnipotentia, servo suo Edgaro benè gesta, non solùm in futuro ; verùm etiam in præsenti sæculo, retribuit : quia regulos omnes, & consules, & patriæ totius gentem, cum tremore & amore, pro velle suo subdidit, absque prælio, & aliquâ Martis perturbatione. Fama verò, & nomen Regis clarissimum terris universis dilatabatur amplissimè : & veniebant extranei videre gloriam ejus, & audire doctrinam oris ejus.* Ita ille ante annos quingentos.

XIII. AB OMNIBUS LAUDATUR, MONACHIS ET CLERICIS.

Huntind. l. 4. fol. 356

* Non solùm antiqui omnes ; sed Novatores etiam, quod satis mirandum, in Edgari Regis laude versantur. Foxius cum à pietate, devotione, aliisque virtutibus commendat ; & demum addit è Malmesburiensi : *Nullus ferè annus in Chronicis præteriit, quo non magnum, & necessarium aliquid patriæ fecerit.* Non nominat Author illa *opera necessaria, & patriæ utilia* ; quia præter institutum ejus erat, qui ubique monachos & monasteria aversatur. Sed nominant illa Authores alii, qui de Edgaro olim scripserunt. Malmesburiensis imprimis, qui cùm dixisset nullum ferè annum præteriisse, quo non magnum aliquid patriæ fecerit, addit : *quo monasterium novum non fundaverit.* & hoc revera magnum, & necessarium patriæ fuit ; & meritò in pii Principis laudibus ponendum. Sed tunc illi impietatis arguendi sunt, qui à majorum Fide & pietate degeneres : hæc *magna, & patriæ necessaria opera* destruxerunt. Magdeburgici etiam, ubi *virtutum exempla* proponunt, *primæ tabulæ*, ut vocant : Ita de Edgaro nostro. *Edgarus Angliæ Rex, præcipuè pietatem coluit (nihil enim præ religione Christiana magnoperè agendum putabat) virosq; magnæ doctrinæ,*

XIV ANTIQUIS ET RECENTIORIBUS.

Cent. 10. fol. 501.

sanctitatem,

ſanctitatis, integritatis, atque prudentia, in ſuum domeſticum delegit conſilium; illosq́, tantùm populo Chriſtiano praeſſe voluit. Neſcio quid dici poſſit ad Edgari laudem illuſtrius; cum optimorum conſilio uſus, religione in Deum, pietate in patriam, amoréque in ſubditos claruiſſe deſcribatur. Reſtat hic inquirendum, quinam illi viri magnæ doctrinæ, ſanctitatis, atque integritatis, quos actionum ſuarum conſiliarios, & authores habuit, & illi ipſi ſunt, quos Foxius & Magdeburgici oderunt, cane pejus & angue: obliterant ergò ſiniſtrâ manu, quod in Edgari laudem ſcripſerunt dextrâ. quod ubique factioſis in more poſitum.

XV. Dunstanus Doroberniensis Eps.

Intimus Edgari Conſiliarius, & divinæ apud eum mentis interpres, Dunſtanus fuit; quem ab exilio revocatum, Wigornienſi primùm, & mox Londinenſi ſedi præfecerat: & nunc, Edwio mortuo, ad Cantuarienſem invitat; quam ille hoc anno, invitus licet, aſcendit. Electus quidem fuerat ad dignitatem illam, Brithelmus, Wellenſis Epiſcopus, ut ſupra * dictum, ſed onus ſubierat impar humeris. Unde ab Edgaro cedere juſſus, Dunſtano locum modeſtiſſimè fecit.

* hic n. 1.

Wigorn. hic. Brithelmo cedente.

De eo ita Wigornienſis: *Brithelmus, Dorſetenſium Epiſcopus, Cantuaria ad patriarchatum ſedis eligitur: ſed quoniam ad tantam rem minus erat idoneus; juſſus à Rege, Cantuaria diſcedit; atque ad relictam nuper Eccleſiam ſuam redit.* Cauſam cur minùs idoneus eſſet, recenſet Florilegus: *Brithelmus,* inquit, *Wellenſis Antiſtes, ad ſummum ſancta Dorobernenſis Eccleſia ſacerdotium eſt electus. Erat autem nimis modeſtus, humilis, & benignus; adeò quidem, ut tumidos quoſque, & rebelles, ſub correctionis verbere, non ut debuit, cohiberet. Sed cum hoc à Rege compertum fuiſſet; juſſit eum ad relictam redire dignitatem. Cujus loco, omnium judicio, Beatus Dunſtanus Archipontifex ſubrogatur.*

Weſtm. hic.

Sed & divinum præceſſiſſe oraculum, quo ad dignitatem illam, Dunſtanus vocabatur, ſuprà oſtendimus. Ille tamen, non niſi importunis amicorum precibus; Regiſque imperio coactus, Cantuarienſem ſedem intravit. Unde Malmeſburienſis. *Dunſtanus jamdudum Archi-pontifex, divino præſignatus oraculo, Regis Edgari ambitur precibus; ut ſedem primariam dignaretur ſanctitatis ſua induſtriâ. Sed ipſe non ſemel ſurdis auribus, rogantem differens; tandem concordi omnium Epiſcoporum conſenſu preſſus, manus dedit. Fuerat ille Athelmi Archiepiſcopi ex fratre nepos, prius Abbas Glaſtonia, poſt Wicciorum, & Londinenſium Epiſcopus, ultimo Cantuaria Archiepiſcopus: promotionis ſua gradus, indefeſſis cumulabat virtutibus.*

Malmesb. de Pont. l. 1. fol. 201.

XVI. Elfstanus Londinensis Episcopus.

Dunſtano ſic ad altiorem ſedem tranſlato: Wigornienſis Eccleſia, & Londinenſis etiam, paſtore carebat. Falti hoc anno Londinenſibus Elfſtanum; & ſequenti, Oſwaldum Wigornienſibus, Antiſtitem aſſignant. De Elfſtano, non aliud traditur, quàm quod Dunſtano ſucceſſerit. De Oſwaldo plura dicentur anno ſequenti, quando Epiſcopus conſecratur. Interim dico, inter viros magnæ doctrinæ, ſanctitatis, atque prudentiæ; quos Edgarus in domeſticum ſelegit conſilium, unum primúmque, Dunſtanum fuiſſe; à cujus ore Edgarus, ceu ab oraculo, pendebat. *A Dunſtano,* inquit Florilegus ad huncannum, *cum caeteris optimatibus, & ipſe Rex Eadgarus decenter inſtructus: improborum paſſim temeritatem coercuit, rebelles ſub aſperitatis correctione redarguit; juſtos & modeſtos dilexit, deſolatas Dei Eccleſias renovans ditavit; abjectis à cænobiis clericorum ſacularium venereis ad laudem ſummi Creatoris, & gloriam; monachorum, & ſanctimonialium catervas aggregans; pluſquam quadraginta monaſteria, conſtrui præcepit. Hos omnes ut fratres honorabat, & ut filios chariſſimos diligebat: admonens paſtores, quos ipſis præpoſuit; ut illos regulariter vivere exhortarentur, quatenus Chriſto, & Sanctis ejus omnibus complacerent. Erat enim vir Dei Dunſtanus in omnibus, ratione diſcretus, prudentiamq́, fortitudinem, juſtitiam, temperantiam, quoad vixit, Deo auxiliante, cuſtodivit.* Hæc author; & habes Edgari Regis, ſanctíque Dunſtani characterem; quem in ſequentibus exponemus. Habes etiam Baronii ſenſum, de hoc anno ſic ſcribentis: *Hoc eodem anno perfectam pacem obtinet Eccleſia Anglicana, defuncto Eduino Rege, & ſuccedente in monarchiam regni totius, Edgaro.*

Wilm. hic

Baron. hic n. 1.

ANNUS CHRISTI 960.

JOANNIS XII. PAPÆ 5.

EDGARI ANGLORUM REG. 2.

I. Dunstanus Romam pro pallio, proficiscitur.

SEquitur Chriſti annus nongenteſimus ſexageſimus; quo Dunſtanus Anglicanam Eccleſiam perfecturus, Romam proficiſcitur: ut inde honoris, poteſtatiſque privilegium acciperet; unde omnis Eccleſiarum juriſdictio jam olim in hanc Inſulam fluxerat. Profectionem ejus in Urbem, ſic narrat ex Osberno Baronius: *Eodem quoque anno (960.) venit Romam Sanctus Dunſtanus, Cantuarienſis creatus Epiſcopus, ad Joannem Pontificem, ut ab eo pallium acciperet; de eo enim, ita Osbernus in Dunſtano. Poſt hoc, temporis opportunitate acceptâ; Beatiſſimorum Petri & Pauli limina petiit: & eum ſumma Sedis Pontifex, magno ſincera dilectionis affectu, illò venientem accepit. ſecumq́, poſtea familiariter agens, & agendo templum Sancti ſpiritus eſſe cognoſcens, magnificè illum honoravit, ac ſtolâ ſui Apoſtolatus, pro quâ venerat, decentiſſimè decoravit. Sicq́, delegatâ ei legatione Apoſtolica Sedis; genti Anglorum, paſtorem, ac ſalutis eorum proviſorem, deſtinavit. Itaq́, vir Dei, Româ reverſus, & in patriarchatum prima Sedis Britanniarum receptus: in ipſum mundi Principem quaſi gigas ſurrexit. & armaturam Dei verbi, à dextris, & ſiniſtris, conſtanti virtute in eum vibrare, & membra ejus circumquaque debellare, & proſternere cœpit, ac enervare.* Hæc Osbernus.

Baron. hic n. 1.

II. Verùm priuſquam Dunſtanus Româ diſcederet; Apoſtolicas literas impetravit, quibus Cantuarienſis Sedis prærogativæ; quam olim Gregorius indulſerat; firmaretur. Quod Joannes Pontifex, viri ſanctitate motus, abundè præſtitit; ſcriptis literis, quarum partem Malmeſburienſis recitat. & ex eo Baronius ad hunc annum: ſed integras refert Edmerus, libro quinto hiſtoriæ Novorum: ubi legitur hæc inſcriptio:

Literæ Joannis Papæ ad Dunstanum.

Edmer l. 5. Novorum.

JOANNES Papa, DUNSTANO Archiepiſcopo.

IOANNES *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei; confratri Dunſtano Dorobernenſi Epiſcopo, vita perpetua permanendam in Chriſto Salutem:*

Si Paſtores ovium, Solem geluq́, pro gregis ſui cuſtodia;

custodiæ die & nocte ferre contenti sunt, & oculis conspectant vigilantibus, ne aliqua quidem ex ovibus, aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur. Quanto sudore, quantáq; cura debemus esse pervigiles, ob salutem animarum, qui pastores dicimur earum? Attendamus igitur nos officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium: & ne quasi lupo veniente terreti fugiamus: ne in die divini examinis, pro desidiâ nostrâ, ante summum Pastorem, & negligentia nostra excruciemur: unde modo honoris reverentiâ, in sublimiori arce ceteris dijudicamur.

III. *Primatum itaque tuum, in quo tibi ex more Antecessorum tuorum, vices Apostolicæ Sedis exercere convenit; ita tibi ad plenum confirmamus; sicut Beatum Augustinum, ejusq; successores, præfatæ Ecclesiæ Pontifices, plenius habuisse dignoscitur. Pallium verò fraternitati tuæ, ex more, ad Missarum solemnia celebranda commendamus: quod tibi non aliter Ecclesiæ tuæ, privilegiis in suo statu manentibus, uti concedimus; quam ut usum antecessores nostri prodiderunt. Neque tua prudentia hoc incognitum habet, vel * quicunque; quoniam indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honestati morum tuorum hæc ornamenta conveniunt; quatenus auctore Deo, possis esse conspicuus: ita ut vita tua filiis tuis sit regula, & in ipsa si qua fortitudo illis inest, dirigatur: dum in eâ quod imitentur, aspiciant: in ipsa semper considerando proficiant, ut tecum Deum, per hoc, quod benè vixerint, videre mereantur. Cor ergo tuum, neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant: neque adversa dejiciant. Quicquid illud fuerit adversi, virtute in Christo patientiæ, a te devincatur. Nullum apud te locum favor indiscretus, inveniat: in omnibus discretionem alii in te cognoscant. Insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat; nocentem gratia non excuset. Remissum te delinquentibus non ostendas: nec quod illi non profuerit, hos perpetrare permittas. Sit in te, & boni pastoris dulcedo sit, & judicis severa districtio. Unum scilicet, quod innocentes foveas; aliud quod inquietos feriendo a pravitate compescas.*

* cujuscunque

IV. *Sed quoniam nonnunquam præpositorum zelus, dum districtius malorum vindex est, transit in crudelitatem: correptionem in judicio refrena; & censuram disciplinæ discute: ut & culpas ferias, & a dilectione perversorum, quos corripis, non recedas. Misericordiam (prout virtus patitur) pauperibus exhibe: oppressis defensio tua subveniat. Opprimentibus modesta ratione contradicas. nullius faciem contra justitiam accipias. nullum quærentem justa, despicias. in custodiâ æquitatis excellas; ut nec divitem potentia sua, apud vos aliquid extra viam suam de accusatione audeat: nec pauperem faciat humilitas * sua desperare: quatenus, Deo miserante; talibus possis existere, qualem sacra lectio præcepit, dicens. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus uti salubriter poteris, si magistram charitatem habueris; quam qui secutus fuerit, à recto tramite non recedit. Ecce, frater charissime, inter multa alia, ista sunt pallii jura: quasi studiosè servaveris quod foris accepisse ostenderis, intus habes. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratia sua protectione circumdet; atque in timoris sui viam te dirigat; ut post vitæ hujus amaritudinem; ad æternam simul dulcedinem pervenire mereamur. Et hoc scriptum est per manum Leonis Scrinialis sedis Apostolicæ, in mense Octobri, Indictione tertia. Datarum die primo Kalendarum Octobris. Anno XII. summi Pontificis Ioannis.*

* tua

PALLII IURA.

V. Ita Pontificis literas integrè recitat Edmerus: & ultimam periodum paullò aliter Malmesburiensis atque Baronius: apud quos sic legitur: *In mense Octobri, Indictione quarta, die primo Kalend. Octobris anno XII. Summi Pontificis Ioannis.* Sed benè in margine notat Baronius, duodenarium numerum, non ad annos Pontificis, sed ad Joannis nomen referendum esse. Joannes enim post novem in Apostolicâ sede annos, vitam Sedemque reliquit: Legendum igitur anno V. vel VI. Summi Pontificis Joannis duodecimi. Quod ad Indictionem spectat, nulla est differentia, si diversimode Indictionum exordia sumuntur. Imperatores enim, à Septembri mense; Pontifices verò à Januario numerabant. Unde Joannes rectè, *tertiam Indictionem*, quæ hujus anni propria, vocat: quam alii, imperatorio more, qui à Septembri inchoant IV. possunt appellare.

VI. Sed aliud est, quod in Apostolicis literis adverti cupio: nimirum divinum Christi oraculum fuisse, cum dixit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate & facite. Secundum opera verò eorum nolite facere.* Quo planè Pontificiam Sedem colendam ac reverendam esse confirmat, licet Scriba aut Pharisæus illam occuparit. Nos concedimus, quod centies Sectarii ingeminant. Joannem Papam, quem Dunstanus adivit, & à quo accepit pallium, insigne dignitatis suæ; in vitiis natum, vitio creatum, & in pluribus vitiosum fuisse: sed negamus inde Petri Cathedram, quam supra Petram Christus fundavit; aut motam, aut concussam, nedum vitiatam, aut non audiendam fuisse. quod factiosi inferre, multo, sed inani verborum strepitu, contendunt. Dunstanus fecit pientissimè; cum Apostolorum limina, hoc anno, coluit, & sedentem ad Ecclesiæ clavum Joannem: cum inde dignitatis suæ privilegia, officii sui jura, & Pontificiæ curæ documenta, postulavit. Nam illa Joannes solennissimè dictavit, ut patet è literis; in quibus certa divini spiritus assistentia, quam Orthodoxi credunt, Romanæ Sedi peculiari modo, in hujusmodi rebus dictandis, adesse; à quovis, vel, parum oculato, legi, & colligi potest: Imo sicut ex hæreseon ortu, invidiáque in Sedem; quam quovis quæsito colore, lacerare omni sæculo, sed incassum, conati sunt; colligimus Romanæ Sedis constantiam, & oraculi illius veritatem: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Sic majorem Sedis dignitatem, vel inde colligimus: quòd Pontificis persona, quantumvis vitiosa, Sedis prærogativam nunquam violaverit. Quod in Joanne duodecimo manifestè patuit, quem non solùm Dunstanus, & omnis Anglia: Sed Otto Magnus, qui statim Augustus imperabit, hac juramenti formulâ, hoc anno coluit, propositâ Cruce, & Sanctorum reliquiis.

Matth. 23. v. 2.

VII. *Tibi Domino Joanni Papæ, Ego Rex Otto, promittere & jurare facio, per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. & per Lignum hoc vivificæ Crucis, & per has reliquias Sanctorum: quod si, permittente Domino, Romam venero. Sanctam Romanam Ecclesiam, & te Rectorem ejus exaltabo, secundùm posse meum: & nunquam vitam, aut membra, aut ipsum honorem, quem habes; meâ voluntate, aut meo consilio. aut meo consensu, aut mea exhortatione, perdes. Et in Romana Urbe, nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos perti-*

OTTONIS REGIS IURAMENTUM JOANNI PAPÆ.
Baron. hic n. 2.

nent;

nent; sine tuo consilio. Et quicquid in nostram potestatem, de terra Sancti Petri pervenerit, tibi reddam. Et cuicumque regnum Italicum commisero, jurare faciam illum, ut adjutor tuus sit, ad defendendam terram Sancti Petri, secundum suum posse. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Ita Rex Otto. Nimirum sacro-sancta erat Petri Sedes, & à Principibus colenda; quantumvis nequam homo præsideret. Nam ordinaria potestas, non personam, sed officium sequebatur: & non solum Petrus; sed Petri umbra, Deum olim mirabilem fecerat. Unde nihil mirum, simulacrum aliquod in Petri cathedra collocatum, nihil omnino minuisse dignitatem Sedis. Sed illi potius ad miraculum stupidi sunt; qui morum peccata, à fide non distinguunt: aut solem accusant, si nube tegatur. Sanctiùs alii, qui credunt Deum dixisse; de tenebris lucem splendescere; de impugnatione portarum inferi; sive ab intra, sive ab extra pugna nascatur, cognosci Petræ constantiam: denique è vipereâ, & venenosis animantibus, theriacam educi, & pharmacum Fidei.

VIII. OSWALDUS CONSECRATUR WIGORNIENSIS EPISCOPUS.

Dunstanus in Angliam reversus; memor officii, nihil habuit antiquius, sollicitudine Ecclesiarum suæ curæ commissarum. Quare vacantes sedes dignis viris implevit: & decorem domus Dei, ubique dilexit. Wigorniensis Ecclesia pastore carebat, sed Insula non caruit viro illa sede dignissimo. Oswaldum ergò Dunstanus ab Edgaro petit, & impetrat; ut Florentius, illius Ecclesiæ monachus, ad hunc annum affirmat, ita scribens:

Wigorn. hic.

Sanctus Dunstanus, ad Romuleam urbem profectus, Indictione tertiâ, pallium à Ioanne Papa suscepit: sicq; per pacis itinera, ad patriam remeavit. Paucis exindè mensibus interjectis, Regalia petit limina, januam Regiæ pietatis, suggestione, prece que pulsat humillimâ; ut religiosum, mitem, humilemq; monachum, sui prædecessoris Odonis fratruelem, Beatum Oswaldum; quem in timore divino, sanctisq; virtutum operibus verissimè probaverat excrevisse; promoveret ad Pontificale decus Wigorniensis Ecclesiæ. Annuit Rex Edgarus, quod Sanctus petebat Dunstanus; & ab ipso inthronizatur, ad summum sacerdotium Beatus Oswaldus. Hic est ille, qui crescente meritorum cumulo, ad Eboracensem postea sedem translatus; plurima sanctitatis, & aliarum virtutum argumenta dedit: ideóque inter sui sæculi lumina numeratur: quem idcirco tenebræ non comprehendunt. Factiosi, inquam; quibus antiquorum sanctitas sudes est: utpote elegans eorum perfidiæ, & impietatis elenchus. Dicam igitur hoc loco; quis ille fuerit, & quibus gradibus, ad summi sacerdotii dignitatem conscenderit. Ejus exordia sic refert Author apud Capgravium.

IX. OSWALDI PARENTES ET INITIA.

Capgrav. in Oswaldo Episcopo.

Sanctus Oswaldus, nobilissimâ progenie ortus, eleganti formâ enituit. hic puer factus, pueriles ineptias devitare, & ad sanctitatis opera semetipsum informare cœpit. Frater enim patris sui, erat sanctus Odo, Cantuariensis Archiepiscopus, discretione sublimis, moribus gravis, justitiæ cultor, & omni actione suâ circumspectus. Huic enim nepos suus Oswaldus, doctrinis imbuendus, & bonis exemplis & moribus instruendus à parentibus commendatur. Seculari demum scientiâ, & scripturâ sacrâ ad plenum informatus; à sancto Odone, apud Wintoniam Canonicus efficitur: cum cæteri spretâ institutione ordinis sui, desideria cordis sequerentur; institutionem vitæ canonicorum indefessus exequebatur. Decanus itaque in brevi factus, maculatam senum vitam emendare, & pueriles eorum sensus, studio disciplinæ cælestis evacuare, adhuc juvenis ipse curavit. Illi verò magis antiquæ pravæ consuetudinis itinera tenere volentes; nullo pacto illum in talibus se audituros affirmabant. Quo intellecto, spretâ sæculari pompâ, nec non divitiis; Floriacum, ubi corpus sancti Benedicti quiescit, pergere decrevit. Missis enim à sancto Odone commendatus literis, & donis plurimis; juvenem dicto commendavit, & facto. Idem verò sanctus Odo, in juventute constitutus, mare transito, habitum monasticum, apud eundem Floriacum susceperat.

Suscepto itaque habitu sacro, qui ab aliis doceri venerat, talem se exhibuit: ut satis in eo, quo docerentur, quid imitarentur, haberent. Erat enim somno parcus, cibo sobrius, in loquendo discretus, in oratione assiduus. Quàm patiens, humilis, benignus, mansuetus extiterit, & benevolus; ex sinceriâ charitate, quâ supra æstimationem humanam enituit, perpendi potest. Secretum ab Abbate in Ecclesiâ accepit locum, in quo Deo familiarius adhæreret. Illic enim, orationi, meditationi, contemplationi vitæ perennis, ab aliorum inquietudine remotus, operam dare solitus; magnum humani generis hosti fomitem livoris & odii ministrabat. Unde nocte quadam, dum contemplationi, & orationi vacaret; affuit spiritus malignus, & sonos horrificos edens, ut cœpto desisteret; & segnius, aut nullatenus, talia attentaret; hominem Dei terrere moliebatur. At ille, Fidei scuto protectus; non magis ad fremitum Leonis, vel sibilum serpentis; quam ad balatum ovis exterritus est. Harum, & aliarum bestiarum et improbus ille voces ingessit: sed imperterritus cuncta, cum suo authore, despexit. Quod dæmon advertens disparuit. Sed in Angelum lucis evestigio transfiguratus; eidem Sancto apparuit. Sed vir Dei signo Crucis se munivit. Sciens exinde Angelum lucis non irritandum; angelum autem tenebrarum, eminus effugandum. Et factum est ita. Nam malignus ille tentator, viso Crucis signaculo, velut fumus, ab oculis ejus evanuit. X.

Auditâ tandem sanctâ conversatione nepotis sui Oswaldi; immensas Omnipotenti Deo gratias egit sanctus Odo: & missis diversis muneribus Abbati & monachis, pro suo nepote gratias exolvit. Indicavit etiam ipsis, se ipsius præsentiâ, magnopere velle potiri. tum quia senio fessus, mortem sibi propinquam sciebat: tum quia regulari conversatione suæ gentis viros, per eum instituere disponebat. Quo audito gravi mœrore dejecti; non audentes tamen voluntati antistitis obviare, parent; & debito cum honore, ad nutum Præsulis dirigunt. Antequam tamen Cantuariam venire potuit, sanctus Odo debitum carnis exolvit. Præsidebat illis diebus Dorcestrensi Ecclesiæ, quidam Oskitillus nomine; qui audito nepotis sui Oswaldi adventu; benignè suscepit illum, & sincerè dilexit, & sui secreti conscium fecit. Assumpto tandem ad Archiepiscopatum Eboracensem Oskitello, sanctus Dunstanus Oswaldum Regi Edgaro commendatum, familiarem effecit, & jussu Regis Wigorniensi Ecclesiæ præfecit. Hæc author, de religiosissimo viro, qui Floriaci doctus, Benedictinum institutum mirificè illud in Anglia propagavit. Non quod ibi regula illa omnino defeceat: sed quia vitio temporum, ut alia omnia; cum barbari & infideles provinciam vexant, vitium fecerat, amiserátque splendorem illum, quem ordinatâ Dei lege afferunt primitiæ spiritus. Unde qui ad monasticæ vitæ perfectionem anhelabant, eò confluebant; ubi regula Benedicti integriùs servabatur. Quod indubiè Odonem & Oswaldum movit Floriacum petere: *Ibi monastica* XI.

Harpesfeld. sæc. 10. c. 22. *disciplina* (loquitur Harpesfeldus) *illis temporibus, ad unguem conservabatur*: & alibi: *Ethelwoldus Abbas, Ordgarum Floriacum misit, ad exactiorem ejusdem disciplinam hauriendam.* Idem ibi c. 9. f. 203.

XII. Malmesb. de Pont. l. 3. fol. 270. Hoc Oswaldi consilium fuisse significat Malmesburiensis, ita scribens: *Oswaldus non exili progenie oriundus, nepos Odonis Archiepiscopi nepos apud Floriacum alteratus est in monachum, familiari, per id tempus, Anglis consuetudine: ut si qui boni afflati essent desiderio, in beatissimi Benedicti monasterio, cœnobialem suscipèrent habitum, à quo religionis hujuscemodi sumpsit exordium. In hoc ergo loco juventutis fregit lubricum; multis annis religioni & literis serviendo. Et licet ab Archiepiscopo invitaretur; crebris restitit Epistolis, prætendens causam novitatis in veste, teneritudinis in religione: nec nisi tarde venit, nuntio agri jam discumbentis avunculi percussus. Iam ergo Dofris appulsus, ut defunctum audivit, minimum abfuit, quin statim Floriacum rediret: sed admonitu sociorum, necessitudines parentum non negligendas: post justa sancto Archiepiscopo soluta; ad Archiepiscopum Eboracensem Oskitellum, quem proximo consanguinitatis gradu attingebat, venit: ejus dulcedine captus, non paucis annis, religione & contubernio ejus fruitus est. Interea Dunstanus Wigorniensi & Londoniensi Episcopatu decedens, Cantiam transiit, qui sanctitatis & efficaciæ Oswaldi non nesciens, Wigorniensem Episcopatum ipsi à Rege impetrarit.* Quid in Sede collocatus fecerit, & quàm sanctè alus luxerit, indeque ad Eboracensem Ecclesiam transierit; dicam suis locis.

XIII. Gutheardus Selesieñ. Episcop. moritur. Dunstanus pallio auctus, præter Oswaldum Wigorniensem, alios etiam hoc anno ad summum Sacerdotium consecravit. Vacabat enim Australium Saxonum Ecclesia, per mortem Gutheardi, qui ab anno Christi 944. illam (ut dictũ*) rexerat. *an 942. 5. In cujus locum Ælfredus assumitur; de quo ad hunc annum hæc habet Florilegus. Succedit Ælfredus. *Circa eosdem dies* (nimirum cum Oswaldus Wigorniensis consecratur) *defuncto Guthardo Seleseiensi Episcopo Ælfredus successit.* Merciorum etiam Episcopus Leovinus, naturæ debitum superiori anno solvisse putatur: De Leovino Dorcacestrensi. & amplissima provincia, Antistite destituta; donec hoc anno (ut notant Fasti) Ailnothus viduam duxit. de utroque hæc tantum Godwinus: *Leofwinus multa cœnobio Ramseiensi, cõtulit beneficia* (nimirum quod Edoardus senior construxerat, ut suprà*) *& anno 959. defunctus est. Ailnothus consecratus anno 960.* *an. 924. 1. Opinor Dunstani ea Urbe redeuntis ministerio: qui viros industrios, undique conquisivit Ecclesiis præficiendos. Hæc ex eorum sententiâ; nam verius puto, Leovinum ad sex saltem annos superstitem fuisse, ut dicam anno 966.

XVI. Edgarus in Septentrione. Dum hæc in sanctiore Rep. geruntur: Edgarus compositurus alteram, in Septentrionem vadit; & populum ibi tumultibus assuetum, humanitate suâ ad obsequium flexit. Plures certè, etiam è remotioribus provinciis, regiarum virtutum odore allecti, in Eboracensem agrum migrasse videntur. Laudoniam fere Scotis permittit. Unde Laudonia, & Laudoniæ Metropolis Edenburgum, ab Anglis desertum, neglectúmque Scotorum ditioni primùm accessit. quod author libelli, de Albaniæ divisione, qui scripsit circa annum millesimum centesimum septuagesimum sextum, ita refert: *Ingulpho regnante, oppido Eden vacuato, & relicto Scotis usque ad hodiernum diem.* Usser. Primord. f. 667. Quod quia Ussérus in primordiis, & in Indice Chronologico, refert ad annum nongentesimum sexagesimum: fortè Augusti* con- * v. an. 13. 1.

silium sequutus Edgarus, imperii sui limites fixit: hinc fluxit, ut in illo, *Britannia oblivio*; sic in isto, *Laudonia*. Nec ita tamen provinciam Edgarus deseruit; ut nihil in eam juris habuerit: nam supremum retinuit: & non nisi sub finem regni; & certâ lege, Scotis concessit, ut dicam ibi. Unde confirmantur omnia, quæ de imperio Anglo-Saxonum, de Northumbriæ regni amplitudine, denique de Sanctis ad Annales nostros pertinentibus, suprà* pluribus in locis diximus. * an. 827. 5. 860 n. 2. & 881. n. 1.

XV. Vitalis Præpositus S. Dionysii, in Angliam venit. Edgaro apud Northumbrios morante; Vitalis quidam, Sancti Dionysii apud Parisios, monasterio Præpositus; in Angliam venit; exacturus eorum bonorum rationes, quæ donatione Bertualdi ad monasterii sui jura spectabant. Nam suprà ostendi, ad annum trigesimum primum Offæ Regis, dictum Bertualdum, inter Australes Saxones Principem virum; ope Sanctorum Dionysii & sociorum Martyrum, mirabiliter curatum; v. an. 788. 14. in grati animi monumentum æternum, prædia dicto monasterio consignasse. quæ non solum Offa Merciorum Rex*: sed Ethelwolfus* etiam, Occidentalium Saxonum Monarcha Regiis chartis firmaverant, ut suprà. * v. an. 790. n. 30. * & an. 857. n. 3. Cæterùm invenit Vitalis prædia sua; vel Regio Fisco, ut passim aliorum monasteriorum bona, addicta: vel regiorum ministrorum incuriâ, in profanos usus conversa. Conqueritur de injuria et Edgarus ei satisfacit. Ad Edgarum ergo in Septentrionem pergit; de injuriâ conqueritur; & læsi juris satisfactionem impetrat: Cui etiam Rex has scribi literas, pro monasterii indemnitate mandat, quæ in Dionysiani cœnobii Antiquitatibus, hoc modo referuntur.

XVI. Edgari Charta pro S. Dionysio. *EDGARUS, per Dei gratiam Rex Anglorum, præsentibus & futuris. Quia nos ad æterna gaudia bonorum operum exhibitio, sine dubio perducet: dignum est, ut dum adhuc, quandoque morituri, vivimus; unde Deo placere valeamus, instanter operemur. Unde ego Rex, Dei dispensatione; sed meo peccator opere; cum essem florens in palatio meo, & gloriosus in regno: & de hujus mundi gloriâ; quia citò evanescit, sæpè mecum suspirando cogitarem; anno secundo regni mei, Indictione tertiâ, septimo Kalendas Ianuarii; venit ad nos in Eburacâ civitate vir strenuus, Vitalis nomine: & Præpositus Monasterii pretiosorum Martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii; quorum sacra corpora, honorificè locata sunt in Franciâ, in Ecclesiâ Dagoberti Regis, circa Parisii Urbem: ubi & ipse Rex olim sepultus est. Et lamentabiliter in conspectu nostro, & nostrorum Principum, conquestus, super domus nostræ præposito Togred: quod in villa eorum Ridrefelda, trecentas oves, quinquaginta boves; & de Salinis eorum centum mensuras salis: & ab agricolis, qui sunt in Hastengas, & Peneusel, centum quinquaginta solidos denariorum; quasi ex præcepto nostro, abstulerit. Quam injustitiam ego ipse perhorrescens, ad integrum ei cuncta restituere feci. Et hoc ex præsentium nostrorum Principum consensu constituit: ut nullus, eis ulterius, in regno nostro, aliquid auferat; sed collata sibi omnia, eâ securitate & libertate detineant, regant, atque disponant; quâ tenuisse comprobantur illi, qui eis contulerunt. Qui autem contra hoc nostrum præceptum fecerit; & eis aliquid per potestatem abstulerit: capitali sententia puniatur: & illius universa possessio, Regio Thesauro addatur.* Hactenus Edgari charta.

XVII. De S. Edburga Virgine. Moritur hoc anno, cœloque transcribitur, Regis proles, Edburga sancta, Edwardi senioris filia: quæ cum lacte pietatem suxisse, & futuræ sanctitatis

specimen

ſpecimen, in teneris annis dediſſe perhibetur. De câ hæc habet Malmesburienſis: *Edwardus ſenior ſuſcepit de uxore Elſgivâ filias multas, inter quas & Edburgam: quæ dum trima eſſet; ſpectabile futuræ ſanctitatis dedit periculum. Explorare volebat pater, utrum ad Deum, an ad ſæculum declinatura eſſet puſiola; poſueratq́, in triclinio diverſarum * poſſeſſionum ornamenta, Hinc calicem, & Evangelia; inde armillas, & monilia. Illuc virguncula, ulnis nutricis blandientis illata, genibus parentis aſſedit: juſſaq́, utrum vellet eligere; torvo aſpectu ſæcularia reſpuens, promptéque manibus raptans Evangelia & calicem, puellari adoravit innocentiâ. Exclamat cœtus aſſidentium, auſpicium futuræ ſanctitatis in puellâ exoſculatus: Pater ipſe arctioribus baſiis dignatus ſobolem. Vade, inquit, quò te vocat divinitas: ſequere fauſto pede, quem elegiſti ſponſum. Et profectò, & ego & conjux felices; ſi à filiâ, religione victi fuerimus. Ita ſanctimonialium habitu induta, cunctas ſodales ad amorem ſuum, in urbe Wintoniæ, ſedulitate obſequii invitabat. Nec reſupinabat eam alta proſapiæ magnitudo; quod generoſum putaret, in Chriſti inclinari ſervitio. Creſcebat cum ætate ſanctitas; adoleſcebat cum adultâ humilitas in tantum, ut ſingularum ſoccos furtim noctu ſurriperet: & diligenter lotos, & inunctos, rurſum lectis apponeret. Quapropter, licet multis miraculis Deus viventem inſignierit: iſtud exemplum magis in causâ prædico: quod omnia opera ejus inchoabat charitas, & conſummabat humilitas. Denique devotionem pectoris, & integritatem corporis ejus miracula in vitâ, & poſt mortem commendant plurima: quæ templorum ejus æditui VVintoniæ, & Perſcore, neſcientibus vivâ voce pronuntiant.* Hæc author.

Malmesb. de Reg. l. 2 c. 13. fol. 90.

* professionum.

XVIII. Ascribitur Sanctis.

Meritò hæc Virgo in noſtro Martyrologio, ad decimum quintum Junii, cum Sanctis ponitur. Nam diu Chriſto in humilitate & charitate ſervivit, Deo ubique devotiſſima: Sic enim eam nominat Hovodenus: *Edwardus ex Reginâ ſuâ Edgivâ* (inquit) *filios tres; Edwinum, Edmundum, Edredum, filiamq́, Deo devotiſſimam, Virginem Edburgam habuit.* De anno mortis variant Authores. Porterus, qui nuper ejus vitam ſcripſit, mortuam ponit, circa annum Dñi 920. Sed non placet; quia Edgiva. Edwardo primùm nupſit, anno Chriſti 917. ut dictum ibi *. Quare trimula tantùm Edburga fuit, anno 920. cùm parens eam in mũdi cæliq́ue bivio conſtituit. Et verò, mater ejus Edgiva, adhuc ſupereſt, & anno Chriſti 959. bona ſua, prædiáque, & chartas; ac inſtrumenta omnia, Doroberniæ, ad Chriſti Salvatoris altare, anathema poſuiſſe; & poſt triennium mortua ponitur, Edburga ſancta, ſub annum Domini 960. Malè etiam ibi dicitur Monialis habitum induiſſe, & exuiſſe Wiltoniæ. Nam indubiè Wintoniæ legendum: ubi Alſwitha Regina, Alfredi uxor, ſacris virginibus cœnobium poſuerat, ut dixi ſuprà *, quem locum Edoardus ſenior Edburgæ pater, reditibus auxit: ut habet Catalogus ædium deſtructarum; indubiè cum filiam monaſterio cõſecravit. Ibi ergo Edburga jacuit ſepulta, donec Pershorẽſe monaſterium, & Eccleſia recens facta, Sanctorum reliquias de more poſtulavit. Tunc enim Edburgæ ſanctæ oſſa aliquot, eò tranſlata, provincialium pietatem accenderunt. de quo hæc paucis Malmeſburienſis: *Habentur hic* (inquit de Pershorenſi Abbatiâ) *aliquanta felicis Edburgæ oſſa, celebranturq́, inſtanti reverentiâ: Quod ibi frequentiùs quam alias, miraculorum mereat gloria.*

H oveden. an. 899.

* ib. 3.

Spedus in Edoardo ſeniore.

* an. 900. n.

Ejus reliquiæ transferuntur.

Malmesb de Pont. l. 4. fol 285.

ANNUS CHRISTI 961.

JOANNIS XII. PAPÆ 6.

EDGARI ANGLORUM REG. 3.

I. Monasteria construuntur.

ANNO Chriſti nongenteſimo ſexageſimo primo, cœperunt per Angliam monaſteria conſtrui, & illuſtrior eſſe Eccleſia: quam Edgarus Rex, & Dunſtanus atque Oſwaldus Epiſcopi, ornare omni ſtudio contendebant: & hos Principes ſequuti ſunt cives; qui bona ſua; ubi bono animantur exemplo, in Dei obſequium profundũt. Sic *Anno Gratiæ* (loquitur Florilegus) *nongenteſimo ſexageſimo primo, Ordgarus Comes, Cœnobium apud Taviſtoke, in Devoniâ, conſtruxit; & illum religioſis monachis replevit. Erat autem Comes Ordgarus pater Ælſdrudæ Reginæ, Regis Edgari, ex qua genuit Æthelredum poſtea Regem Anglorum.* Addunt aliqui, è charta fundationis liquere; quod Ordgarus divino admonitus oraculo, monaſterium hoc conſtruxerit: nimirum ad Teavum fluvium, qui in Tamaram decurrit: de quo Camdenus: *Teavum fluvium,* inquit, *recipit Tamara, ad quem Taviſtoke floret, cœnobio quondam celebre; quod Orgarus, ſive Odogarus, Devoniæ Comes, Edgari Regis ſocer, virginibus ſacrie, anno Chriſti 961. extruxit. Locus, ut inquit Malmeſburienſis, amœnus opportunitate nemorum, copioſâ piſcium capturâ, Eccleſia congruente fabricâ, fluvialibus ripis, per officinas decurrentibus; qui ſuo impetu effuſi quisquid invenerint, ſuperfluum deferunt. Rumonus ibi ſanctus prædicatur, & jacet Epiſcopus: cernitúrque in eodem monaſterio ſepulchrum Orgari, ſpectaculoq́, ducitur enormitas Mauſolæi filii ejus. Edulfus is vocatus eſt, giganteæ molis, & immanis roboris.* Ita Malmeſburienſem citat Camdenus.

Westm. hic.

Orogarus fundat Tavistokæ monasterium.

Camden. in Devon.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 256.

Rumonus Sanctus.

II. Cæterum omiſit id quod de Sancto addiderat Malmesburienſis: *Rumonus ibi ſanctus prædicatur, & jacet Epiſcopus, pulchritudine decoratus ſcrinii. ubi nulla ſcriptorum Fides aſſiſtit opinioni. Quod non ſolum ibi, ſed in multis locis Angliæ invenies, violentiâ hoſtilitatis abolitam omnem geſtorum notitiam; nuda Sanctorum nomina; & ſi quæ modo prætendunt miracula, ſciri.* ubi eruditus ſcriptor, benè conqueritur, Danorum & barbarorum inſolentiâ, rerum à pluribus ſanctis geſtarum notitiam omninò ſubtractam; & ſola nomina poſteris relicta: quid dicturus ſi in ſæculum noſtrum incidiſſet: ubi Sanctis porrò detrahitur: & peſſimo impetu, ipſa etiam nomina poſteris invidentur. Quis ergò Rumonus hic ſanctus fuerit, incaſſum quæritur, cùm diligens, antiquus, & religioſus author; illud ignoraverit. Solùm dico inter Sanctos nomen ejus in noſtro Martyrologio legi ad quartum Januarii; ubi etiam dicitur; Ordgarum, in ejus honorem, monaſterium Taueſtochæ conſtituiſſe; ſub an. Domini 966. Stetit hoc cœnobium vix annos triginta: & tunc in novâ Danorum inundatione, immiſſo ab eis igne, conflagravit. Sed iterum Wigornienſis Epiſcopi operâ reſtituitur, ut dicam anno milleſimo trigeſimo octavo. Interim dicat Malmeſburienſis. *Eſt in Domnonia cœnobium monachorum, juxta Tau fluvium, qui Taviſtoke vocatur; quod per Ordgarum Comitem Domnonenſem, patrem Elfridæ, quæ fuit uxor Regis Edgari, ſurgendi exordium; per Livingum Epiſcopum, creſcendi accepit auſpicium.*

Quamdiu stetit.

vide Harpesfeld sæc. 10. fol. 204.

Malmesb de Pont. l. 2. fol. 256.

III. Edgari uxores. Ethelfleda mater. Edoardi Martyris.

Elfrida, quæ hic Edgari uxor dicitur; necdum hoc anno illi matrimonii lege conjungitur. Ethelfleda enim illam præceſſit: & eam Edgarus hoc anno in uxorem accepiſſe creditur. Cæterùm filia fuit Ordmari Ducis, viri inter Orientales Anglos Principis; adeò elegantis formæ, ut Ethelfleda, cognomento Candida diceretur. Ex eâ Edgarus, hoc opinor anno, vel ſub initium ſequentis, filium ſuſcepit primogenitum, Edoardum nomine, ad aliorum diſcrimen, cognomento Martyrem. Sed hic Factioſi, hiſtoriæ ordinem interrumpunt: & in Rege, laude digniſſimo, nævos reperiunt, repertos ingeminant; & non repertos, repertos fingunt. Ego, quod hiſtorici munus eſt, Regum crimina non celabo, Edgarum variæ libidinis, & vagi amoris, accuſabo: ſed ſimul dicam, Davidem, adulterii & homicidii reum; peractâ pœnitentiâ, Sanctum fuiſſe: & Magdalenam ſeptem aliquando dæmoniorum habitaculum; cùm Chriſti pedes, ſuis lacrymis lotos, capillis terſiſſet; plenàriam omnium peccatorum indulgentiam meruiſſe. Cæterùm quàm exactè Edgarus Davidem pœnitendo, & Magdalenam in Chriſti pedum unctione, lotionéque; hoc eſt, in eleëmoſynarum largitione, & pauperum ſublevatione, ſequutus ſit; dicam inferiùs. Nunc Novatorum figmentum, de prima Edgari conjuge, quam hoc anno ductam, ſequenti ſepèlivit, dicendum.

IV. Fox. in Edgaro. Num Ethelfleda fuerit monialis?

Aiunt ergò aliqui; & Foxius pluribus probare contendit; Ethelfledam ſanctimonialem fuiſſe, ab Edgaro ita cognitam, Edwardum genuiſſe: Regémque ob id peccatum, ſeptenni pœnitentiâ, à Dunſtano punitum. Sed hi temporis, rerumque geſtarum ordinem pervertentes, in multis impingunt: & neſcio quæ Manuſcripta, quæ lucem non viderunt, manifeſtæ luci objiciunt. Dico igitur, Edgarum Regem, cum verâ moniali nunquam peccaſſe: peccaſſe tamen cum eâ, quæ in monaſterio vivens, velum ſacrum, tuendæ caſtitati, cùm Regis libidinem timeret, induerat. Sed illa, nec Ethelfleda vocabatur, nec Edwardum Martyrem peperit: quicquid factioſi vitioſos codices, & vulgi ſenſum ſequnti, contrà conentur. Nam Guilielmus Malmeſburienſis, integerrimus author, Ethelfledam Edgari conjugem, Edwardi matrem; ab eâ diſtinguit, quam in ſuperficie velatam Rex oppreſſit: & ita de utrâque loquitur: *De Egelfledâ, cognomento Candida, filia Ordmeri Ducis potentiſſimi, Edwardum genuit; & ſanctam Editham, de Wulfritha, quam CERTVM EST, non tunc ſanctimonialem fuiſſe: ſed timore Regis, puellam laicam ſe velaſſe: moxq; eandem arrepto velo, lecto imperiali ſubactam. Vnde offenſam Beatum Dunſtanum; quòd illam concupiſſet, quæ vel umbratice ſanctimonialis fuiſſet, vigorem Pontificalem in eum egiſſe.*

Malmesb. de reg. l. 2. c. 8. fol. 60.

V.

Certum ergò eſt, falli eos; qui Ethelfledam cum Wulfrithâ confundunt; Edoardi natales in dubium vocant: & nunc volunt, nunc nolunt legitimam Ethelfledam conjugem fuiſſe. Sic ſibi parùm conſtat Joannes Spedus, dum uno loco Ethelfledam inter legitimas Edgari conjuges recenſet, Edoardum primogenitum, & legitimum regni heredem vocat. alibi tamen, Foxium ſequutus, ſeptennem Edgari pœnitentiam, ad Edoardi, non ad Edithæ natales, refert. Mihi non ſuppetit majus argumentum; Ethelfledam benè Edgaro conjunctam eſſe: quàm Edoardi in parentis regnum ſucceſſio. Licet enim non ſum neſcius, Edgaro mortuo, de ſucceſſionis jure diſputatum eſſe: Scio tamen, & adverſarii fatentur, Dunſtanum, & optimos quoſque, ab Edoardo ſtetiſſe; dixiſſéque natalium jure, primogenito debitum. Quod certè Dunſtanus non dixiſſet; ſi ob violatas matrimonii leges, ſeptennem illi pœnitentiam, pro Ethelfleda injunxiſſet. Addo, Ethelfleda, ab Autboribus Regina vocatur: Wulfritha non ita: *Rex Edgarus, cognomento Pacificus,* (inquit Weſtmonaſterienſis) *duas fertur ſucceſſive habuiſſe Reginas. Ex primâ, Elfleda ſcilicet Candidâ, cognomento Æneda, Ordmari Ducis filia, Eadwardum genuit, poſtea Regem & Martyrem. Poſt cujus deceſſum, accepit Ælfdritham, Ordgari Comitis filiam, Ethelwoldi Ducis Orientalium Anglorum relictam: ex quâ genuit duos filios, Eadmundum ſcilicet, & Æthelredum. De Wulfridâ concubina, quam certum eſt ſanctimonialem tunc non fuiſſe: ſed timore Regis, puellam parvulam ſe velaſſe; genuit ſanctam Editham.* Hæc ille; quæ Ethelfledam Edgari conjugem, Edoardum legitimum eorum filium, & calumniatores faciunt; qui contra ſentiunt.

Idem in Edoardo n. 1.

Weſtmonaſt. an. 964.

ANNUS CHRISTI 962.

JOANNIS XII. PAPÆ 7.

EDGARI ANGLORUM REGIS 4.

I. Edoardus naſcitur Edgari F.

ANNO Chriſti nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, naſcitur Edgaro Regi, primogenitus filius; quem Edoardum placuit appellare. Quo nato, Ethelfleda, quam ſuprà Reginam, & legitimam conjugem diximus, è vitâ migravit. De illâ ſic ſcribit Joannes Spedus, *Fuit filia Ducis inter Orientales Anglos, Ordmari nomine, Edgaro nupta ſecundo anno regni ejus, & decimo octavo ætatis, qui fuit Chriſti annus nongenteſimus ſexageſimus primus. Fuit ejus uxor non integro biennio, & moritur quarto anno regni ejus, nimirum anno Chriſti nongenteſimo ſexageſimo ſecundo.* Ita ille de Ethelfledâ ſcribens. & paulò inferiùs, cum Edgari prolem recenſet, hæc habet de ejus primogenito: *Edoardus, Edgari, & Ethelfleda Regina, conjugis ejus, filius primogenitus, naſcitur quarto anno paterni regni, paullò antequam mater moreretur, anno Chriſti JESV, nongenteſimo ſexageſimo ſecundo.* Hæc, inquam, ab authore rectè adnotantur: ſed quorſum idem poſtea, Foxio adſtipuletur dicenti, ſeptennem pœnitentiam Edgaro, à S. Dunſtano impoſitam eſſe; ob malè natum Edoardum; nemo dixerit. Si enim Ethelfleda, verè uxor, verè nupta Edgaro, verè Regina, ſuperiori anno; hoc demum anno filium peperit: ſine dubio natus eſt benè. & vel durus & inconſtans fuit Dunſtanus pater, Regem puniendo, ob neſcio quod delictum: vel poſito delicto, & defectu natalium; quod Edoardum in regni ſucceſſione, Ethelredo prætulerit; heredi, ut aliqui volunt, legitimo: vel certè falluntur Novatores: qui quicquid olim ab impiis, & factioſis (quales in omni Rep. facilè eſt invenire) in Sanctos Principes objectum fuit, reſorbent, & novâ in eos factione tumultuantur.

Moritur Ethelfleda. Sped. in Edgaro n. 16.

Idem ſuprà, n. 16.

II. EDGARI VITIA NON TACENTUR.

Edgarus, mortuâ conjuge, viduus, & matrimonii lege solutus, dissolutior hoc anno vixit, & vagis amoribus aliquando animum prostituit: quod in Regio juvene, & calente in venis sanguine, non ita mirandum; sicut mirandum est, de crimine admonitum, se Dunstano submisisse, & cultu supplice, septennem pœnam subiisse. Peccaverat etiam priùs, & monasterii jura violaverat: Nam Wulfritham Virginem, parentes Deo dicaverant, quæ in Wiltonensi monasterio, teneros annos formabat ad monasticæ vitæ perfectionem; quam tamen necdum attigerat. Hanc Rex, cum impuro oculo adamasset; lecti sui sociam facere studuit. Illa factum detestata, & pudori consultura, sacrum velum arripuit, capitique imposuit; securam se putans veli sanctitate. Sed Edgarus, non valens æquam impetum premere, abjecto velo, Virginem è monasterio eductam, vitiavit. Malmesbusiensis ita rem malè gestam narrat. *Virginis Deo dicata audiens pulchritudinem, violenter eam à monasterio abstraxit, abstracta pudorem, & non semel thoro suo collocavit. Quod cùm aures Beati Dunstani offendisset; vehementer ab eo increpatus, septennem pœnitentiam non fastidivit, dignatus Rex affligi jejunio, simulq; diademate carere septennio.* Sed nè putares hanc Virginem Deo sacram fuisse, sed tantùm Deo à parentibus dicatam: subjungit idem Author: *Edgarus habuit Sanctam Editham de Wulfritha, quam certum est, non tunc sanctimonialem fuisse: sed timore Regis, puellam laicam se velasse*, &c. Sed de hoc pleniùs anno sequenti.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 8. fol. 60.

III. EDITHA SANCTA NASCITUR.

Ex vago Regio concubitu, superiori anno patrato, nascitur hoc anno Editha Sancta; quæ Wiltonense monasterium ingressa, cum matre, quæ peccaverat; innocentissimè vixit: & ambæ ita in virtutum stadio cucurrerunt; ut magnum in terris sanctitatis nomen consequutæ sint, & immortale præmium in cælis. Edithæ exordia, ita ab Authore, qui vitam ejus scripsit, referuntur apud Capgravium: *Beata Virgo Editha, filia fuit Edgari Regis, & Wulstrudis, Regii Ducis filia: quam Rex insolubilibus votis regno sociare disposuerat: sed partu explicito, castè vivere, quam illecebris deservire maluit, propter Deum: habitumq; monialium, de manu S. Ethelwoldi Episcopi, apud Wiltoniam suscepit: & virtutibus, & exemplis proficiens, virginibus mater spiritualis effici meruit. Sancta verò Editha, sub materna curâ relicta; de consensu ejusdem Regis, in eodem monasterio, habitum religionis suscepit. Quam mater, non auro, & monilibus, ac vario ornatu: sed literarum ac virtutum decore, ornare studuit. Inter multa autem Sanctorum exempla, quæ in libris legebat; interq; præsentia Sanctorum; & maximè religiosorum propinquorum lumina, vicinius accendebatur virginali palmâ sanctissima amita sua Editha, Edgari Regis patris sui * germana, quæ in monasterio Polesworth, provincia Warwici, meritorum signis, sicut & ipsa Wiltoniæ, refulsit.*

EJUS EXORDIA. *Capgrav. in Editha.*

* Editha senior soror Edmundi, patris Edgari.

IV.

Fuit hæc Editha Virgo, altera, quam etiam Eadgitham aliquando vocant, Edoardi Senioris filia; quæ Sithrico Northumbriæ Regi, nuptui quidem tradita; sed ab eo intacta; ad Ethelstanum fratrem redierat; & Polesberiæ monasterium ingressa, sanctissimè vixerat; vivebatque adhuc, magnarum virtutum exemplar, de quâ * suprà: Hanc Editha junior imitari; & odore sanctitatis ejus, ad perfectionis fastigium contendere studuit: & quia Author, inter *præsentia Sanctorum & propinquorum lumina*, Editham seniorem statuit: hinc non malè deducitur illam, diu post hunc annum superstitem fuisse: nec mortuam ante annum Christi nongentesimum octogesimum; ut dicitur in nostro Martyrologio, ad decimum quartum Maii. Malè tamen ibi, soror scribitur Edgari Regis, & distinguitur ab illâ, de quâ dictum Martyrologium loquitur, ad decimum quintum Julii. Cæterùm, quia plures fuerunt eximiæ sanctitatis, quæ Edithæ, vel Eadgithæ dicebantur; hic paucis eas distinguam: Egbertus Monarchiæ Saxonum primus fundator, filiam habuit, * Editham nomine, quam Moduenna, Virgo sancta ex Hibernis oriunda, virtutem docuit, Christumque colere, in monasterio Polesberiæ. Eodem postea concessit Editha Northumbriæ Regina, Edoardi Senioris filia; quam nunc Editha, Edgari filia sequitur: Denique Germanias, opinione sanctitatis implevit Editha altera, quæ ad sororis discrimen, ab authoribus nostris Edgitha dicebatur: Hæc Edoardi quoque senioris filia, & Ottoni primo (qui hoc anno nongentesimo sexagesimo secundo, Imperator Romæ à Joanne Papa coronatur) nupta, mortua est anno nongentesimo quadragesimo septimo, ut * ibi. His præmissis, Edithæ junioris, quæ hoc anno nascitur, prosequamur reliqua.

* an. 926. 2.

v. an. 980. 6.

EDITHÆ PLURES SANCTÆ.

* v. an. 571. n. 37.

* n. 14.

V. EDITHÆ SANCTITAS, *Capgr. suprà.*

Sororibus Martham, Christo se præbuit Mariam. Singulis in ministrando inclinabatur, & omnes hospites in Christi viscera amplexans, sic abstinens, ac si epularetur: sic epulans, ut frugalitas servaretur: serviens favoribus valedixit; languidis, ac destitutis se impendit: & Regiis natis leprosos præposuit. Quantò quisque apparuerat morbis deformior: tantò hæc affertur benignitate compatientior, & famulatu suffusior. Oculus cæcorum; baculus debilium; vestis & alimonia indigentium; atque desolatorum extitit solatium. Cilicio asperrimo ad carnem utebatur, nitidis vestibus superius decorata. Unde cum Beatus Ethelwoldus videret illam, cum ornatiore habitu aliquando procedentem: ait: O filia, non his itur ad thalamum Christi indumentis; nec exteriori cultu delectatur sponsus calestis. Illa verò; internis conscia habitatoris, taliter respondit: Crede mihi, ô Pater, nequaquam deterior mens, Deo aspirante, sub hoc habitabit tegmine, quàm sub caprinâ melote. Habeo Dominum meum, qui non vestem, sed mentem attendit. Sensit ergo vir Dei, in Virgine, gratiæ authoritatem; nec ausus contristari supernum in illâ præsidem: laetatur magis Dominum, in Sanctis suis, omnia, prout vult, operantem: Animadvertens etiam nihil differre, in purpurâ, aut in sacco; si mens munda resideat. Ubicumq; Editha incedebat, Crux Christi comes erat: Crucem in fronte, in pectore in itinere; in omni opere suo prætendebat. Hæc author: Et verè Christi ancillam se præbuit Editha, cum in omni opere, Christi insigne, & orthodoxæ Fidei hieroglyphicum, præ se tulit. Ut illa monasteriis præfecta sit, cum esset annorum quindecim; dicam inferius *. Interim Edgari crimina, adolescentiæ lubricum, & alia recensco hoc anno facta, quæ septennem pœnitentiam præcesserunt.

CRUCEM FORMANTIS.

* an. 976. 2.

VI. QUÆ DE EDGARO FEREBANTUR CRIMINA:

Unum, ex aliorum potius, quam suâ opinione, refert Malmesburiensis, in hunc modum: *Rex, inquiunt, Edgarus, veniens Andeveram, quæ est vicus non longe à Wintonia; cujusdam Ducis filiam; cujus*

fama

Malmesb. de Reg. l. 2. f. 60. *fama forma percrebuerat, adduci præcepit. Mater puellæ, quæ concubinatum filiæ dedignaretur; adjuta noctis tenebris, ancillam cubili apposuit, virginem sanè, nec inelegantem, nec illepidam. Evolutâ nocte, cum aurora in lucem prorumperet: mulier conata surgere: interrogatáque quid festinaret? ad opus quotidianum Dominæ persolvendum, respondit. Ægrè licet retenta, Regis genibus super statu miseriarum suarum applorat; pro mercede connubii, redderet ingenuitatem. Decere magnanimitatem ejus, ut Regiæ voluptatis conscia, dominorum crudelium ulterius non ingemisceret imperia.* Tunc * *illo, felle commoto, & formidabile ridens; cum in animo fluctuaret, hinc de famulâ miseratio, hinc de dominâ indignatio; quasi in jocos effusus, usus obsequiorum, pœnámque remittit. Mox antiquis dominatoribus (vellent nollent) dominantem magnâ sublimavit dignatione, dilexit unicè, integram lecti uni deferens fidem:* quod legitimam uxorem acceperit, Elfridam, filiam Ordgari.* Hanc Edgarus longè prius, (hoc fortè anno) uxorem ambiverat: sed Ethelwoldi Comitis fraude delusus; aliò animum, amoresque divertere coactus est: donec fraudem fraude compensans, Elfridam obtinuit: eo modo, quem narrat, inter Edgari crimina, Malmesburiensis:

* fortè illo

VII. Idem supra fol. 59. *Sunt*, inquit, *qui ingenti ejus* (Edgari) *gloriæ nævum tentent apponere; dicentes, primis temporibus fuisse crudelem in cives, libidinosum in Virgines. Verbi gratiâ, prioris exemplum ponunt. Athelwoldus quidam erat, sui temporis Comes egregius, & à secretis: huic Rex injunxerat negotium, ut Elfridam filiam Ordgari, Ducis Devoniensium, quæ formâ sui, oculos relatorum pellexerat; quatenus eam Regiis auribus commendaret. Huic, inquam, præceperat, ut illam adiret speculatum; nuptias conciliaturus, si veritas famæ conquadraret. Ille viam celerans; nihilq; præter opinionem comperiens; celato apud parentes nuntio, suis potius usibus puellam applicuit. Rediens ad Regem, quæ suis partibus conducerent allegat; speciei vulgaris, & quotidianæ; pusiolam esse, nec tantâ majestati convenire. Reducto ab his animo, & aliis amoribus intento; delatores nuntiant, quantâ illum astutiâ Ethelwoldus emunxerat. Ille clavo clavum expellens; fraude scilicet fraudem eludens, frontem serenam Comiti ostendere; diem, quo visitaret tam laudatam mulierem, quasi joco edicere. Qui tam terribili joco exanimatus, præcurrit ad conjugem; rogans, ut suæ saluti consuleret: & quantum posset, vestibus se deformaret, tunc primum aperiens facti sui consilium. Sed quid non præsumit fœmina? Ausa est primi amatoris, & primi conjugis Fidem fallere, & speculo vultum comere: nihil omittens, quod ephebi & potentis lumbos penetraret. Nec citra propositum accidit. Visam enim adeo inarsit; ut dissimulato odio, Comitem in Silvam VVarewelle (quæ vocatur Harevvode) gratia venandi accitum, jaculo trajiceret. Vbi cum filius occisi nothus, familiari usu supervenisset, & à Rege interrogatus esset; qualiter ei talis venatio placeret: respondisse fertur: Bene, Domine Rex: quod tibi placet, mihi displicere non debet. quo dicto, ita tumentis animum mansuefecit; ut nihil carius in vita sua post hæc haberet, quam juvenem illum, tyrannidis factæ offensam in patrem, sedulitate Regiâ, in filium allevans. Ob illius sceleris expiationem, ibidem monasterium ab Elfridâ ædificatum, Sanctimonialium frequentiâ inhabitatur.*

VIII. Trans- Verùm non unius monasterii structura (de quo postea) hæc Edgari crimina expiari posse, censuit Dunstanus: sed multo plura injunxit; ut dicam anno sequenti. Interim provincialium fidem ac pietatem colligam. *Circa hos dies reliquiæ sancti David* (ita in Glastoniensibus Antiquitatibus legitur) *à Rosinâ valle, usque Glastoniam translatæ sunt. Quædam enim nobilis matrona, nomine Elswitha, prædictas reliquias adquisivit, per quendam cognatum suum; qui tunc temporis fuit Episcopus, apud Rosinam vallem: quando tota terra illa vastata erat; ut vix aliquis homo inveniretur, nisi paucæ fœminæ, in raris locis; & eas Glastoniæ contulit. Nam VVallenses religiosi terræ illius, eâ tempestate, plurima corpora Sanctorum, & reliquias, Romam ituri, secum Glastoniam detulerunt: & ibidem dimiserunt. Facta est hæc translatio, anno post mortem S. David, quadringentesimo vigesimo: Incarnationis verò Dominicæ, nongentesimo sexagesimo secundo. Dicta quoque matrona has contulit reliquias: De ossibus sancti Stephani Proto-Martyris & Levitæ. Item de sanguine & cinere corporis ejusdem. Item de baculo ejusdem, & una petra unde fuit lapidatus.* Hæc ibi. Nos tomo * superiore, Davidis sancti mortem collocavimus, ad annum Christi quingentesimum quadragesimum quartum. à quo, ad hunc annum, quadringenti & viginti ferè anni numerantur. Sed quænam hæc matrona, in colligendis Sanctorum reliquiis, donandisque Glastoniensi monasterio, tam sedula? Non alia, opinor, quàm Edgari mater, Edmundi Regis uxor, quæ Elfgiva etiam dicebatur. Illa Helenas & Heroinas orthodoxè sequuta; fidem, quam à majoribus acceperat, professa, Sanctos coluit; eorumque reliquias posteris colendas exposuit. infra *, & in iisdem Antiquitatibus, Regina vocatur: unde eandem esse cum Elfgivâ, argumentum est.

latio reliquiarum S. David. Antiq. Glaston.

Elswitha Edmundi Regis uxor.

* v. an. 544 n. 1

* an.

IX. Sanctorum reliquiæ a principibus coluntur. Nec fuit hæc fœmininæ tantùm pietatis religio: nam viri, & Principes omnes orthodoxi, Sanctorum corpora coluerunt. Otto Imperator, qui Edgari amitam duxerat, nuperrimè idem præstiterat: Nam anno superiore, qui est Christi Domini nongentesimus sexagesimus primus, de illo ita scribit Baronius: *Hoc eodem anno, ab Ottone Rege translatum fuisse Magdeburgum, corpus sancti Mauritii Ducis Thebæorum Legionis, & aliorum quorundam suorum sociorum; illicq; decenti honore, eosdem Martyres cultos esse, testatur Dithmarus, hujus temporis scriptor, libro secundo sui Chronici.* Ita Baronius. Cùm Otto, Mauritii sancti corpus transtulisset; sequenti anno (hoc nimirum, nongentesimo sexagesimo secundo) Romam veniens; imperii coronam accepit: eámque Fidei suæ professione illustravit, hunc in modum Romanæ Ecclesiæ privilegia confirmans: *In nomine Domini Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego Otto Dei gratiâ Imperator Augustus, una cum Ottone glorioso Rege filio nostro, divinâ ordinante providentiâ, spondemus atque promittimus, per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi Beato Petro Principi Apostolorum, & clavigero regni cælorum: & per te Vicario tuo, Domino Ioanni, summo Pontifici & universali duodecimo, Papæ; sicut à prædecessoribus vestris, usque nunc, in vestrâ potestate, atque ditione tenuistis, & disposuistis civitatem Romanam, cum ducatu suo, & suburbanis suis, atque viculis omnibus & territoriis ejus; montanis & maritimis, litoribus atque portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis Tusciæ partibus, &c. Nec non exarchatum Ravennatem sub integritate, cùm urbibus, civitatibus,*

Baron. an. 961. n. 3.

Otto Imperator coronam accipit, et

apud Baron. hoc n. 1

Romanam Sedem revertur.

oppidis,

oppidis, & castellis; quæ pia recordationis Dominus Pipinus, & Dominus Karolus excellentissimus Imperator, prædecessores videlicet nostri, B. Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris, jamdudum per donationis paginam, contulerunt: hoc est civitatem Ravennam, Æmiliam, &c.

X. Sequuntur plurima, quæ Ottonis pietatem, fidémque testentur: qui Constantinos, Pipinos, & Carolos sequutus, Rom. Ecclesiam Sedem Petri, amplissimè coluit: quos si cum Anglo-Saxonum Regibus, Ethelberto, Ina, Ethelwolfo, Alfredo, contuleris; invenies, pulcherrima sæculorum serie, Regiam coronam, non aliâ magis re, quàm pietate, cultúque in Deum, in Sanctos, in Romanam Sedem, illustriorem fuisse. Contra, si colligo eos, qui Sanctos, eorúmque reliquias, & Sedem Petri contempserunt: nominare debeo infamia sæculorum vitia, Judæos, gentiles, barbaros, Danos, denique Calvinistas: qui præteritorum sæculorum impietatem supergressi, multò acriùs, in Sanctos, Sanctorúmque reliquias, & primam Sedem pugnant. adeò, ut nec Sanctorum nomina, nec dies

*an.324.38. illis dicatos, quos * olim, ut vidimus, Constantinus Regio edicto colendos præcepit, audire sustineant. conenturque ea ex hominum memoriâ, & omni Festorum genere, eradere. Multum ergò ob Elswithæ pietate, à Britannorum more, qui supra Wallenses appellantur, & ab Ottonis mente differunt: qui Romam tuleri, *Mauritii & sociorum, & plurima corpora Sanctorum*, religiosè collegerunt. Quod & omni sæculo à pientissimis factum; ex quo Dei Ecclesia, Martyres habere cœpit, suprà ostendimus.

ANNUS CHRISTI 963.

JOANNIS XII. PAPÆ 8.

EDGARI ANGLORUM REGIS 5.

I. EDGARI SEPTENNIS PÆNITENTIA. SEquitur Christi annus nongentesimus sexagesimus tertius: quo Edgarus Rex, ob commissa crimina, septenni pœnitentiâ mulctatus, legitimæ uxori conjungitur. Nimirum Alfridæ, Ordgari Comitis filiæ, quam Ethelwoldus Comes, ut suprà, duxerat. Cæterùm, quia multum refert ad dicendorum firmitatem; quorsum Edgarus, tam diuturnam pœnam subiit: & Factiosi indè finxerunt aliqua, contra mentem antiquorum; Osbernum trahentes in sensum suum:

a an 670.6. b ad 17.Maii. c fol. 481 Concil. volo hîc paulò operosiùs, Osbernum exscribere, ut eum Baronius[a], Surius[b], & Spelmannus[c] citant. & inde prudens quisque colliget; num Edgarus Ethelfledæ malè conjunctus, Edoardum filium ex illâ susceperit: ob idque pœnituerit: quod valdè cupiunt Novatores: ut eo argumento liberiùs in monachorum ordinem, quem Edgarus & Edoardus coluerunt, debacchentur. Et ignosce Lector, si dicta repeto; nam argumenti magnitudo id requirit. Sic ergò scribit, & à dictis Authoribus refertur, Osbernus.

II. apud Authores suprà. *Quidam vero Rex* (Edgarus) *in monasterium Virginum, quod Wiltoniæ situm est, venit: ibique captus specie cujusdam puellæ, quæ de Nobilibus Anglorum nata, inter non velatas nutriebatur, & custodiebatur: eam in suum consortium adduci secretiùs jussit. Illa cùm duceretur, timens pudori suo; raptum ab unâ sanctimonialium capitis suo velamen imposuit; eo modo se protegi sperans; si fortè Rex quid inhonesti à se exigere vellet. Quam ipse velatam intuens: Quam subitò, inquit, sanctimonialis effecta es? arreptumque, velum detraxit capiti ejus; illa, conatu quo poterat, frustra obnitente. Abusus siquidem ipsâ est, & gravi scandalo quoque, per Angliam religiosi, ex hoc, mente vulnerati sunt. Quod scandalum, eo vehementius fuit, quod Rex idem legitimam uxorem habebat, Elfledam videlicet* (aliàs Ethelfleda dicitur) *cognomine Candidam, Ordineri* (corrige Ordmeri) *præpotentis Orientalium Anglorum Ducis filiam: de quâ, & sanctum Edoardum genuerat. Ubi verò res Dunstano innotuit; acerbo mœrore percussus est. Igitur cum inire non segnis, ad Regem veniret: & ille venienti, pro more, occurreret; cumque per manum, ad solium suum perducere vellet: manum Dunstanus, turbato vultu, retraxit; nec eam ab homine contingi passus est.* CAUSA SEPTENNIS PÆNITENTIÆ.

III. *Ad quod ille attonitus (non enim illum scire putabat, quod clanculum a se factum existimabat) cur manum sibi non dimitteret, inquisivit: Ait: Tu postposito omni pudore, adulterium commisisti. Tu despecto Deo, & signum castitatis non veritus; virgini suam integritatem præripuisti: & cur manum, summo patri Virginis filium immolanti impuris manibus non tradam, quæris? Lava priùs per pœnitentiam, manus tuas, à sordibus suis: & tunc demum, quo gratia Dei conciliem, honora & amplectere manum Pontificis. Territus ille ad hæc; terra procumbit, pedes Antistitis petit; se peccasse gemitu verba interrumpente, contestatus. Quod Dunstanus videns, tantum in Rege humilitatis exemplum, vehementer complectitur. Velocius illum erexit: & pacato vultu, cum eo familiariter, quæ salutem animæ ejus operarentur, loquens; septennem ei pœnitentiam injunxit. At ille, Pontificali absolutione potitus; omni studio injunctæ sibi pœnitentiæ operam dare: & multa quibus Deum placaret, pietatis opera ipsi pœnitentiæ, instinctu & consilio patris sui solicitus cœpit superaddere. Ipse præterea omni ordini hominum, in suo regno consistentium, legibus sibi in Christianâ religione sancitis uti præcipiebat: ipse secus agentes indictâ vindictâ corripiebat: ipse in pravitate persistentes, condigno examine puniebat. Exempli causâ: Ordo clericalis plurimum, eâ tempestate, erat corruptus: & Canonici cum Presbyteris, plebium voluptatibus carnis, plus æquo inserviebant. Quod malum Dunstanus corrigere cupiens, authoritate Ioannis, Apostolicæ Sedis Antistitis, apud Regem obtinuit: quatenus Canonici, qui castè vivere nollent; Ecclesiis, quas tenebant, depellerentur; & monachi loco illorum intromitterentur.* Hactenus ex Osberno. EDGARI HUMILITAS.

IV. PÆNITENTIÆ OPERA. Capgr. in Dunstano. Superest videndum, quomodo Dunstanus, Edgaro septennem pœnitentiam distinxerit: & quid ei, pro commissis, injunxerit. quod ita è Capgravio recitat Spelmannus: *Denique cum magnitudinem peccati Dunstanus exposuisset; & paratum Regem ad omnem satisfactionem reddidisset: septennem ei pœnitentiam indixit: ut in toto hoc spatio, coronam regni non gestaret: jejunium in hebdomada biduanum transigeret: thesauros suos pauperibus largè dispergeret. Super hæc, sacrandis Deo Virginibus, monasterium Septoniæ fundaret; quatenus qui unam per peccatum Virginem abstulisset; plures, & per plura sæculi volumina aggregaret. Clericos etiam mala actionis de*

Eccleſiis propelleret; monachorum agmina introduceret; juſtas, Deoq; acceptas Leges, ſanciret: & per omnes fines regni populis cuſtodiendas mandaret. Habes hîc, Lector, Dunſtani, de Edgaro, judicium; habes cauſam injunctæ pœnitentiæ: habes Regis peccatum (ſtante matrimonio cum Ethelfleda) commiſſum: habes Edoardum bene natum: & Novatores egregiè falſos: qui ſanctiſſimum Regem, & à Deo deſignatum Martyrem, poſt tot ſæcula calumniando perſecuti ſunt, natales ei dubios affingendo: non aliam ob cauſam, quàm quia, cum monachis ſentire, & cleri peccata ferre non poſſe credebatur. Sequetur enim ingens controverſia, quæ hoc anno inchoata, multos annos vexabit Angliam: quinam, Eccleſiis cathedralibus, & monaſteriis præeſſe, digniores cenſendi ſint: An turpiter, & præter Canonum ſanctitatem viventes clerici: an verò regulariter viventes monachi. Terminabunt quidem hanc litem aliquando ſanctiſſimi Reges, & Epiſcopi. Sed quia naturæ vitio, à recto deviant homines; non decrunt etiam, qui vitia tuebuntur. Sic factum videbis ſequentibus annis; degener clerus, colliget aliquando factionis ſocios, & pro monaſteriis, & fœminarum commercio, advocabit.

V. Olim aliqui mali, nunc peiores.

Sed nunquam id fiet impudentiùs; quàm moderno hocce ſæculo factum cernimus. Poſtquam enim Lutherus, Catharinam è monaſterio abductam (quam Canonica veli impoſitio, verè Deo conſecratam virginem fecerat) ſuo lateri conſtanter adjunxit: Edgari peccatum veniale, imò nullum; & durus Dunſtanus pater apparuit; & illi ſine dubio peccaverunt, qui monachis & monaſteriis faventes, cleri vitia perſecuti ſunt. Quis non videt in omni corpore ſaniem, in omni Rep. factioſos, in Sole maculas; in Angelis etiam aliquando pravitatem reperiri? Quiſquis orbem circumiens, colligere volet hæc ſæculorum excrementa: & inde argumenta conficere: poterit quidem multa dicere; ſed è virtute, aut veritate, parum. Nihil enim tam in fide abſurdum, tam in moribus abſonum erit: nihil in utravis Rep. tam vitioſum; quin alicujus, vel aliquorum etiam patrocinio, dealbari, & ſpecietenus pulchrum eſſe videbitur. Si voles de arbitrii libertate litigare, & virginitatis prærogativâ, habes Simonem magum, Menandrum, & Gnoſticos: Si in Sanctos pugnare vis, eorumque reliquias; habes Vigilantium: ſi Romam odiſti, habes omnium ferè ſæculorum factioſos; qui ſummum illum magiſtratum, ut ſcelerati ſolent, horruerunt. Si paritatem in Eccleſia, & in omni Republica, cupis introducere: habes Luciferum idem conantem, cum dixit: Ero ſimilis altiſſimo. Denique qui hæc omnia, quæ majores noſtri deteſtati ſunt, cupis defendere: Lutherum habes, & Calvinum; veram errorum omnium hæreſumque epitomen. Hâc ſcabie infecti, quicquid Dunſtanus in paſtorali curâ, & quicquid Edgarus humili ſubmiſſione egit, ferunt ægerrimè; clericis conjuncti, qui turpiter vixerunt: ut ſtatim apparebit.

VI. Moritur Brithelmus Wintonien. Episcopus: Succedit Ethelwoldus. v. an. 990. ſ.

Moritur hoc anno Wintonienſis Epiſcopus Brithelmus; & Ethelwoldus ſucceſſit, qui de clericis & monachis tragœdiam primus inchoavit. Nam factus Epiſcopus, Canonum obſervantiam urgere, Canonicos canonicè vivere, demum diligere decorem domus Dei, ſordéſque inde eliminare, ſtuduit. De eo ſic Florilegus: *Anno Gratiæ nongenteſimo ſexageſimo tertio, defuncto Brithelmo Wintonienſi Epiſcopo, ſanctus Ethelwoldus Abbas cænobii Abendonenſis, & à ſancto Dunſtano nutritus, & moribus informatus ei in Epiſcopatu ſucceſſit.* Ethelwoldo in monaſterii præfecturâ, Ordgarus, ſive Oſgarus ſubrogatur: quem olim Ethelwoldus Floriacum miſerat, *ad exactionem ejuſdem diſciplinam hauriendam*, inquit Harpesfeldus. Itaque quod in monaſteriorum reformatione conatus eſt Abbas, hoc factus Epiſcopus, correptos cleri mores, ad exactiorem Canonum obſervantiam reducere laboravit: quod inde multorum jurgiorum ſeminarium fuit. A Wintonienſi Eccleſiâ cœpta contentio: ubi novus Antiſtes, antiquos errantéſque Canonicorum mores ferre non potuit. Unde implorato brachio ſæculari; Edgarum Regem, ad Canonicos ab Eccleſiâ pellendos, obſequentem habuit. Hinc Florilegus, cum Ethelwoldum Wintonienſem Epiſcopum feciſſet: *Eodem anno*, inquit, *juſſu Regis Edgari, expulſis clericis ſæculariter viventibus, vetus monaſterium monachis religioſis, & regulariter converſantibus in eorum loco ſubſtituit.* Ethelwoldus. Sed fortè id hoc anno cœptum, non perfectum eſt.

Weſtm. hic.

v. an. 948. n. 25

Harpesfeld. ſæc 10 c. 9. fol. 203.

Weſtm. hic

VII. Paulatim clerum studet reformare

Enimverò ſanctus Præſul, ex arte proceſſit. exemplo primùm, & verborum lenociniis ad ſanctiores mores induendos, veteréſque exuendos, adhortatus eſt: quod ubi vidit minus prodeſſe; & inveteratum malum, conſuetudine induruiſſe; non ſtatim monachos adſcivit; ſed clerum meliorem: qui cum ipſe, præcedentium veſtigia ſequi inciperet; tum demum monachos: quos ſanctior diſciplina, ad perfectionem fortiùs obligabat; Canonicorum loco ſubſtituit. Hujus rei cauſam Wintonienſis Eccleſiæ Annales referunt in hunc modum: *Nam clerici laborem chori fugientes, & bona Eccleſiæ, pro libito alibi conſumentes; vicarios parum ad victum habentes, loco ſui conſtituerant: Ac cum ipſi ad monita Regis Edgari, Archipræſulis ſancti Dunſtani, ac Epiſcopi ſancti Ethelwoldi, minimè corrigerentur. Rex ipſe præbendas Clericorum prædictorum, præfatis vicariis contulit. Sed & illi; in perſonâ * tamen promoti, vicarios ſibi facientes, facti ſunt pejores prioribus.* Hæc vera cauſa inductionis monachorum: qui non, hoc anno, ſed potius poſt triennium, cum nulla morum in clero emendatio ſequeretur, Wintonienſe monaſterium receperunt: ut dicam ibi. Hoc tamen anno, degener clerus, Ethelwoldum Epiſcopum recta ſuadentem averſari cœpit; deditque anſam, etiam noſtri ſæculi degeneri clero, eundem traducendi.

Annal. Winton. in Edgaro.

* tantum

VIII.

Matthæus Parkerus, à fœminâ, in Cantuarienſem Eccleſiam intruſus Epiſcopus, ita de Ethelwoldo obloquitur: *Ethelwoldus in Glaſconienſi cœnobio educatus, monachiſmum ſuſcepit, ſub ipſo Dunſtano. Cujus juvenilis ætas, primò palam, deinde clam, in libidinibus acta; ſenilis ambitioſiſſima fuit. Et in hit dæmoniacis, ſtupendis, horrendiſq; præſtigiis deſiit. Hic, ut ſanctas, & in Paradiſo à Deo omnium conditore inſtitutas nuptias deleret: dum Paradiſum ſanctitate ſuperare contendit; Anglicanam Eccleſiam, impuro cælibatu, & ſpurio monachatu, atque clero polluit. Ad Ioannem Papam pro pallio profectus, petiit authoritate Papali, ejiciendi e cænobiis, conjugatos clericos; & monachos inducendi, ſibi concedi poteſtatem. Hoc Moechus Papa, qui legitimo thoro ſtringi noluit, indulſit facile. Deinde in Angliam reverſus, cum Rege Edgaro, concubitu pariter vago delectato; de ſuo regio*

Antiq. Brit. in Dunſtano

consensu, tam infelici negotio, adhibendo agit. Is eâdem mente, & facilitate, qua Papa tam impurus assensus est. Quicquid enim Dunstanus voluit; quasi à Deo profectum fuisset oraculum; id Rex statuit, atque vetuit. Hæc ille; impetu quo solent factiosi, atque Novatores; hoc est, omnia pervertens, & vocans tenebras lucem, & lucem tenebras. Multa peccat hic author. Veniale est, quod Joannem XII. nunc sedentem intelligat; ad quem, in clericorum causâ nunquam appellatum est: cum Edgarus Rex, & Pontifices nostri, cum Joanne decimo tertio, pro monachis egerint: ut infrà.

IX. Sed immanè peccat; cum aut Dunstanum, aut Ethelwoldum (nam de utroque vellet intelligi) Antistites, fictis criminibus onerat: quos omnia post sæcula coluerunt. Et ne putes (quod putant factiosi) solos monachos, Ethelwoldum commendasse, audi Archidiaconum Huntindoniensem, silentium Parkero imponentem: *Edgari Pacifici*, inquit, *anno quinto, Edelwaldus venerabilis, feliciter Episcopatum Wincestre suscepit. Hic secundo Episcopatus sui anno, quosdam Canonicos, in veteri monasterio Wincestre degentes, & ordinem suum pigrè, & negligenter observantes, ejecit; & monachos imposuit.* & paullò inferiùs: *Adelwaldus egregius Præsul, ædificator septum fuit, avertens semitas iniquitatis, & plantans radices charitatis. Ipse namque seminator optimi consilii fuit. Cujus monitis Rex Edgarus, povellas plantationes, & arbusta teneritudinis Deo gratissima instituit.* Intelligit monasteria, quæ Sanctus ubique vel instituit, vel restituit. Ejus exordia suprà * retuli: sed quia à factiosis convelluntur, addam quæ de eo scribit Nicolaus Harpesfeldus Archidiaconus Cantuariensis, ut videat Parkerus, quantum à vero exerravit; dum Ethelwoldi juventutem, in libidinibus actam infamare videtur. Sic ergo scribit ille:

Huntind. fol. 350

* an. 948. 21.

X. Ethelwoldi laus. Harpesfel. sæc. 10 c. 6. fol. 199.

Ethelwoldus juvenis Glasconiam profectus est, & Dunstano præfecturam cœnobii gerente, in monachorum album relatus est. Monasticamque ille disciplinam, in jejuniis, vigiliis, orationibus, lectionibus, manibus operando, aliisque piis exercitiis, accuratè excoluit. Decanus deinde illius cœnobii constitutus est: cum pervagata esset virtutum illius fama, Abingdonensi cœnobio, ab Edredo Rege, præpositus est: & deinde ab Edgaro, Sedi Wintoniensi. & paullò inferiùs: *Magna erga Ethelwoldum, hominum accrevit reverentia; tum præsertim vitæ sanctitati, doctrinæ magnitudini, concionandi assiduitati, accurataque illius in cœnobiis construendis, ad cultum Dei castè promovendum diligentia, insignia etiam miracula accesserunt.* * *Venenum quod infesti clerici, ex invidiâ & odio ei paraverant, jamque inscius hauserat, & in viscera trajecerat; magnitudine Fidei vim prorsus omnem à se excussit.* Imitantur factiosi infestos hos clericos, dum venenum Ethelwoldi virtutibus miscent; sed nemo, opinor, in historiâ tam rudis, homo in majores omnes tam impius, qui odium in Parkero invidiámque videns, non videat etiam factiosum hodie clerum imperitè pro uxoribus advocantem; maculare priora & puriora facta, quo suis libidinibus famulentur. Inde in monachos & monasteria; in Ethelwoldum & Dunstanum, in Edredum & Edgarum impiæ voces: non ob aliud, quàm quod peccantem clerum correxerint. ut infrà copiosiùs.

XI. Clericorum eiectio rum mores. Sed quoniam, ad conflandam Ethelwoldo invidiam, uxorati homines, hos clericos è monasteriis ejectos, *pios* vocant, & in *legitimo conjugio viventes*: antiquorum suffragia colligam, quinam illi, & cujusnam farinæ fuerint. In vitâ Ethelwoldi apud Capgravium (idem habet Joannes, in historiâ aureâ ad hunc annum apud Reynerum) ita legitur: *Erant autem tunc in veteri monasterio* (Wintoniensi) *Canonici nefandis moribus implicati, elatione, insolentiâ, atque luxuriâ præventi, adeo, ut nonnulli eorum dedignarentur Missas suo ordine celebrare: repudiantes uxores, quas illicitè duxerant, & alias accipientes, gulæ & ebrietati jugiter vacabant. Quod minimè ferens Episcopus; acceptâ à Rege Edgaro licentiâ, expulit eos; & monachos de Abendoniâ introduxit, quibus ipse Abbas & Episcopus fuit.* Hi ergo sunt pii ii viri, & in legitimo matrimonio viventes; quos Novatores osculantur: non quòd ejusdem cum eis fidei sint, nam Missas celebrare tenebantur, ad quas quinti Evangelii clerici non tenentur: sed quòd iisdem moribus & amoribus implicati. Antiqui, nec pios illos, nec in matrimonio viventes habebant: sed enormiter in Ecclesiam & Canones peccantes: Unde de Dunstano legitur: *Quod clericos illos ferre non potuit, qui in veteri Wintoniâ & illâ alterâ novâ Ecclesiâ, per luxum, & delicias, & libidinem, Ecclesiasticos reditus, contra Canonum, & Ecclesiæ scita, perditè profundebant. Nec prius conquievit, quàm hujusmodi ex illis, & aliis Ecclesiis deturbatis; monachos, qui integrius, castigatiusque viverent, suffecisset.*

Capgr. in Ethelwol. Reyner. in Append. fol. 42.

Harpesfeld. fol. 199.

XII. Clericorum uxores. Sed quænam illa Canonum & Ecclesiæ scita, in quæ clerici peccasse dicuntur; ob quorum violationem, gradu, officio, Ecclesiâque moventur? Unum sanè, gravissimúmque fuit; quod sacrificii à Christo instituti reverentia postulabat homines, mundo & carne paulò majores; qui totos se Deo, divinisque rebus mancipantes; ad mundi, carnisque lenocinia, non descenderent. hoc ab Apostolis, integerrimè observatum; hoc in Synodis ubique cautum, &, plurium sæculorum sanctitate ratum; Wintonienses Canonici neglexerunt: concubinas, uxorum ferè loco, retinentes. quas tamen arbitrio mutabant: ut scirent posteri, legitimum conjugium non fuisse. *Ducebant quidem uxores* (inquit Harpesfeldus) *licet Ecclesiæ totius more, & scitu adversantibus: & ductas eâdem facilitate rejicientes, alias sibi turpiter asciscebant. Quare à præcipuis quibusdam Ecclesiis, eos Ethelwoldus amovit, & monachos substituit.* Ex meritò. Nam labes illa, & usus uxorum, etiam priùs ductarum; in omni Occidente, insolens admodum, & hactenus inauditus est: multò magis, clerum in sacris constitutum, & altari servientem, retro respicere, & fœminam ducere; quod tamen hic degener clerus fecisse videtur: qui ideò non piè, sed pessimè, imò nullo jure, conjugatus, ab optimo quoque habebatur.

Harpesfeld. sæc. 10 fol. 200. prime.

XIII. Verùm pro clero hoc, advocat Foxius; aitque nullâ lege prohiberi Sacerdotum conjugia, usque ad Gregorii septimi tempora: & ideò Canonicos, injustè ab Ethelwoldo sedibus & Ecclesiâ spoliari. Ita ille Anglicè mentitus est, in hâc controversiâ. Qui si latinè loqueretur, ruborem fortè factiosis incuteret, doctioribus saltem, qui norunt ubique in Synodis, præsertim Occidentis, Sacerdotum non solùm matrimonia, sed omne cum fœminis commercium gravissimè caveri. quod præceptum, doctúmque esse ab Apostolis, Carthaginensis secunda Synodus, sub annum

Fox. in Edgaro fol. 154.

Domini trecentesimum nonagesimum septimum, manifestè declaravit, capite secundo, ubi dicitur: *Ita placuit, & condecet, sacro-sanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt; continentes esse in omnibus; quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare. Unde quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant.* Et quia pharmaco hoc Græcia egebat; prior sacro-sancta Nicæna Synodus, de introductis fœminis ita statuerat. *Interdixit per omnia Magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi fortè, aut matrem, aut sororem, aut amitam; vel eas tantùm personas, quæ omnem suspicionem effugiant.* Hic nulla uxoris mentio, quæ tamen imprimis nominanda fuisset; si Paphnutius, ut fingitur, pro uxorum priùs ductarum contubernio, advocasset. Sed nunquam Paphnutius, vel ullus in magnâ Synodo somniavit, post susceptum sacerdotium, Presbytero licuisse uxorem ducere. Unde Magnus Basilius, hujus Canonis authoritate præcepit septuagenario seni, habitantem secum mulierem ejicere, Epistola 17. ubi ait: *Ejice illam ex ædibus tuis, & trade in monasterium. Sit illa cum virginibus: Tu inter viros ministra. Lege Canonem a Sanctis Patribus nostris, in Nicænâ Synodo constitutum; qui manifestè interdixit, ne quis mulierem subintroductam habeat.*

Carthag. Conc. II. c. 2.

Nicæn Conc. I. Can. 3

XIV. Supini ergo valdè sunt Foxius, & Novatores nostri: & valde imperitè pro illis advocant; quos Ethelwoldus, Dunstanus, & pientissimi Principes, ad meliorem frugem reducere, sed frustra, conati sunt. Et quod ad Ecclesiæ Canones attinet, & scita Majorum, Occidenti dictata: sexcenties in jure præcipitur in majori clero cælibatus: & Wintonienses Canonici, nonquam de jure, sed de facto tàntùm, cum Ethelwoldo litigarunt: & quod valdè notandum est, nunquam ad Britannorum Ecclesiam, pro sui criminis patrocinio, provocarunt: nunquam dixerunt Britannorum Sacerdotes conjugatos fuisse. Quid enim in antiquâ illâ Rep. videre poterant: quod Augustinus, & viri Apostolici videre nunquam potuerunt. Cæterùm Novatores, ut supra Græciam lascivmunt, fœminarum contubernia promiscuè clericis indulgendo: ita Wintoniensibus Canonicis impudentiores sunt, Britannis affingendo id, in quo Britanni nunquam peccaverunt. Itaque nullo jure, & nullo à majoribus petito argumento; Wintoniensis clerus, aut pius dici potest; aut legitimo matrimonio, cum fœminis conjunctus. Unde benè ab Ethelwoldo, & Edgaro factum: qui cum premere majorum vestigia, non carnis lenocinia, sequi voluerunt.

XV. Ethelwoldi factum excutitur. Sed durus adhuc pater Ethelwoldus, qui veteres colonos suis sedibus, quas diu præscripserant, movere, & novos incolas substituere, pietatem putavit. Unde enim viverent, qui altari servierant; & nunc effœti, non laborare poterant, & mendicare erubescebant? Sed facilè Ethelwoldus absolvitur; qui neminem, non volentem, sede movit. Si Patrum & Synodorum decreta sequi, si monasteriorum fundatores audire, & ad eorum mentem, mores, vitámque componere: denique si Deo Ecclesiastico more famulari voluissent; manendi in monasteriis, amplissima potestas erat: Quod si nihil horum præstare; nec suo, ad quod consecrati erant munere, fungi vellent: tunc *veteres migrate coloni*: nulli dari potest nisi migrantium, crimini. Antistes enim, ad Canonum observantiam clerum cogere potest, &, si rectè suo munere fungitur, debet. Hoc non aliud fecit Ethelwoldus: quod benè à Malmesburiensi adnotatum, cum primùm Ethelwoldus Episcopus consecratur. Sic enim loquitur: *Ethelwoldus ad Episcopatum Wintoniensem electus, à Dunstano Archiepiscopo consecratus est. Tum verò magnis conatibus, ad Ecclesiarum utilitatem consurgere, extirpare vitia, virtutum inserere plantaria. Nescires quid in eo magis laudares; sanctitatis studium, an doctrinarum exercitium, in prædicatione instantiam, in ædificiis industriam. Clerici Episcopatus* (Wintoniensis) *simul & alterius Ecclesiæ, quæ juxta erat, quam novum monasterium vocabant; datâ optione, ut aut vitam mutarent, aut loco cederent: meliorem partem eligentes, exturbati sunt; monachis introductis. plura eis ex Episcopatu delegata prædia, vicinora situ, ampliora reditu.* Hæc ille. Mitis ergo, & indulgens pater Ethelwoldus; qui molles, & elumbes homines, Ecclesiam suis moribus dehonestantes, de Ecclesiæ bonis vivere concessit. Hæc de Ethelwoldi in monachos conatu, cœpta tantum sunt hoc anno nongentesimo sexagesimo tertio, & sequentibus perfecta.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 244.

ANNUS CHRISTI 964.

JOANNIS XII. PAPÆ 9.

EDGARI ANGLORUM REG. 6.

I. Oswaldus Wigorniensis pro Ecclesia laborat. Quod Ethelwoldus Wintoniæ in cleri correctione, nisus est facere: hoc alii per Insulam, sanctiores Episcopi, præstare conati sunt. Unde Oswaldus Wigorniensis Episcopus, strenuè in Ecclesiæ suæ reparatione laboravit, anno Domini nongentesimo sexagesimo quarto: Edgaro Regi author, ut Ecclesiæ censum, vitio temporis imminutum, novâ largitione augeret: & vitia etiam, quæ in cleri mores irrepserant, brachio Regio emendare, & eâ ratione subditorum suorum saluti consulere, posset. Edgarus ad omnia, aures patientissimè, & manum abundè porrexit: & unâ eademque opera, Wigorniensem Ecclesiam, datis de novo prædiis, & expulsis inde malè viventibus Canonicis, monachis auxit. Quod ad prædia spectat; dedit integram Centuriam in Wigorniensi agro, quæ etiamnum, ab Oswaldo, Oswaldes-law vocatur: illámque Deiparæ Virgini Mariæ, cujus nomini consecrata est Ecclesia, dedicavit: & quicquid Regii juris erat, in dicto loco, id omne, in Wigorniensis Ecclesiæ jura transcripsit. Ut legere est in libro censuali Gulielmi conquestoris, unde Camdenus, cùm Eveshamiensem vallem lustrasset, hæc habet. De Centuriâ, ab Edgaro, Oswaldi operâ, impetratâ.

II. *Juxta hæc*, inquit, *ad partem hanc Australem, centuria est Oswaldeslaw, ab Oswaldo Wigorniensi*

Camden. in Wigorn.

Oswaldi Centuria Deiparæ consecrata.

Episcopo, qui ab Edgaro Rege sibi impetravit, sic dicta. Cujus immunitas, dum Angliæ lustrum conderet Guilhelmus Conquestor, his verbis in acta publica est relata. Ecclesia Sancta Maria de VVircester, habet hundredum, qua vocatur Osvvaldslaw, in qua jacent trecenta hida: de quibus Episcopus ipsius Ecclesia, a constitutione antiquorum temporum, habet omnes redditiones Socharum, & omnes consuetudines, ibi pertinentes ad dominicum victum, & Regis servitium, & suum. Ita ut nullus Vicomes ullam ibi habere possit querelam; nec in aliquo placito, nec in alia quálibet causâ. Hoc attestatur totus Comitatus. Ita ibi, per *Antiqua tempora*, intellexit Guilielmus, Edgari regnum, & præfatam donationem. Cæterùm, quo anno Oswaldus hoc Ecclesiæ suæ privilegium impetrâvit, meritò quæritur. quia extat Edgari Regis diploma, hoc anno noogentesimo sexagesimo quarto datum: ubi tamen multa inseruntur, quæ necessario ad posteriora referenda sunt: ideóque rectè dubitatur, num hoc loco, an inferiùs, ponẽda sit donatio. Quamvis, quia Edgari Regis annus sextus, & octava indictio ponitur, inde concludi videatur, ad hunc annum consignari debere. Quicquid sit, Regiam Edgari chartam accipe; ut eam è duplici Manuscripto exhibet ad hunc annum Spelmannus, cum hac Epigraphe.

Spelman. fol. 432.

ÆDGARI Regis Anglorum Charta de Oswaldeslaw; hoc est, de ejiciendis clericis uxoratis, & introducendis monachis.

III. Edgari Charta Wigorniensi Ecclesiæ.

Altitonantis Dei largiflua clementiâ, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium. Ego Ædgarus Anglorum basileus, omniúmque Regum Insularum Oceani, qua Britanniam circumjacent, cunctarumq; nationum, qua infra eam includuntur, Imperator & Dominus. Gratias ago ipsi Deo Omnipotenti, Regi meo, qui meum imperium sic ampliavit, & exaltavit super regnum patrum meorum: qui licet monarchiam totius Anglia adepti sint, à tempore Æthelstani, qui primus Regum Anglorum, omnes nationes, qua Britanniam incolunt, sibi armis subegit: nullus tamen eorum, ultra ejus fines imperium suum dilatare aggressus est. Mihi autem concessit propitia divinitas, cum Anglorum imperio, omnia regna Insularum Oceani, cum suis ferocissimis Regibus, usque Noruegiam; maximamque partem Hibernia, cum sua nobilissimâ civitate Dublinia, Anglorum regno subjugare. Quos etiam omnes, meis imperiis colla subdere, Dei favente gratia, coegi. Quapropter & ego Christi gloriam, & laudem in regno meo exaltare, & ejus servitium amplificare devotus disposui: & per meos fideles fautores, Dunstanum videlicet Archiepiscopum, & Athelwoldum, & Osuualdum Episcopos (quos mihi patres spirituales, & consiliarios elegi) magnâ ex parte, secundum quod disposui, perfeci, &c. Siquidem temporibus antecessorum meorum Regum Anglorum, monasteria, tam monachorum, quàm Virginum destructa, penitus rejecta, in tota Anglia, erant. Qua ego ad Dei laudem, pro remedio animæ meæ reparare, & servorum & ancillarum Dei numerum multiplicare devovi. Et ipsis supradictis meis cooperatoribus strenuè annitentibus, jam quadraginta & septem monasteria cum monachis & sanctimonialibus constitui. Et si Christus vitam mihi tam diu concesserit, usque ad quinquagesimum remissionis numerum meæ devotæ Deo munificentia oblationem protendere decrevi.

IV. *Unde nunc in præsenti, monasterium quod prædictus reverendus Episcopus Osvvaldus in Sede Episcopali, VVigreceaster, in honore Sancta Dei genitricis Maria amplificavit, & eliminatis clericorum nævis, & spurcis lasciviis; religiosis Dei servis, monachis, meo consensu & favore suffultus locavit. Ego ipsis monastica religionis viris. Regali authoritate confirmo, & consilio & astipulatione Principum, & optimatum meorum corroboro, & consigno. Ita ut jam amplius, non sit fas, neque jus, clericis reclamandi quicquam inde. Quippe qui magis elegerunt, cum sui ordinis periculo; & Ecclesiastici beneficii dispendio, suis uxoribus adhærere; quam Deo castè & Canonicè servire. Et ideo cuncta, quæ illi de Ecclesiâ possederunt, cum ipsâ Ecclesia; sive Ecclesiastica, sive sacularia; tam mobilia, quam immobilia, ipsis Dei servis, monachis, ab hac die perpetualiter regia munificentia jure deinceps possidenda trado & consigno; ita firmiter, ut nulli Principum, nec etiam ulli Episcopo succedenti, fas sit, aut licitum, quicquam inde subtrahere, aut pervadere, aut ab eorum potestate surripere; & in clericorum jus iterum traducere, quamdiu Fides Christiana in Angliâ perduraverit.*

V. *Sed & dimidium Centuriatum, quod anglicè vocatur Cudburigelaxeshundred, ad quod jacent quinquaginta hida, in Croppadorne, quas Offa, Rex Merciorum, quondam familia in Veogorneceastrie donavit, liberas ab omni regali exactione: Ego Episcopus Dei servus, cum eâdem libertate trado, & conscribo. Insuper etiam, ad supplendum ipsum Centuriatum, id est, Hundred, ut ex meo dono illud plenum habeant, terras ipsius Ecclesia, qua hactenus Regia exactioni subjacebant, ab hac die, in perpetuum liberabo, & liberas esse concedo, & præcipio: eas videlicet qua sunt ultra Avena flumen; qua istis vocabulis nominantur. VVerabreodun, cum Peonedoc, Teotintun, cum Muntune, Setgesbearmye, & in monte VVitsisca, Nondfyica, Eoyenland, Dotigltesfotled, & Doriene, & Itracumb, & in ripa Stute fluminis, Stepyoeficun: & ibi juxta eam Blatjoelle: & in Occidentali parte Sabrina, Grimanuloege, cum Vecclage; & Ciubtavvite, & Hallege, cum sibi pertinentibus. & item Heriesfoydeun, juxta Avene, pro supplendo, ut diximus, centuriatu, id est, Hundred, Deo, & Sancta Dei genetrici Maria, ad usum servorum ejus; monachorum scilicet, liberas dono, & quietas esse præcipio, deinceps & in perpetuum, ab omnibus sacularum rerum actionibus; duris & levibus: & ab omni servitute, & exactionibus fiscalibus, magnis & modicis; notis & ignotis; tam Regis, quam Principis, & ministrorum; atque exactionibus eorum: exceptis pontis, & arcis constructione, & expeditione contra hostem.*

VI. *Habeatq; VVinsinus, venerabilis Sacerdos, quem ipse Episcopus Osvvaldus, me favente, & authoritatem Regiam præstante, in Sede Episcopali monachis præposuit, quamdiu ipse vixerit: omnésque post eum successores ejus, qui eidem congregationi præpositi fuerint; ipsum Hundred, cum omnibus debitis, quæ Rex antea in eo habuit; & jus, & potestatem earundem possessionem, cum Tolle & Teame, Saca & Socne, & Infangetheofe & propeis juris debitum transgressionis, & pœnam delicti, quæ Anglicè dicitur oferseues, & giltvvite. Nec sit fas, aut potestas cuiquam præpositurum, seu exactorum, vel ministrorum meorum; nec alicui Principi, vel ex succedentium numero Pontifici, hanc mea munificentia libertatem, & concessionis firmitatem, in aliquo minuere, vel infringere.*

VII. *Facta sunt hæc: anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo quarto, Indictione octavâ, regni vero Ædgari Anglorum Regis, sexto, in regiâ verba, quæ ab incolis † † † † nominatur, in natali Domini, festivitate sanctorum Innocentium, feria quartâ.*

Ego Eadgar Basileus Anglorum, & Imperator Regum gentium, cum consensu, & Principum, & Archiepiscoporum meorum, hanc munificentiam signo Crucis corroboro.

Ego Ælfrith Regina consensi, & signo Crucis confirmavi.

Ego Dunstan archiepiscopus Dorobernensis Ecclesiæ Christi, consensi, & subscripsi.

Ego Oskitel Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiæ, consensi & subscripsi.

Ego Alferic Dux.

Ego Bruthnod Dux.

Ego Aridgari Dux.

VIII. Benè convenit annus Christi nongentesimus sexagesimus quartus, Edgari Regis anno sexto, & octavæ Indictioni, quæ hoc anno è Septembri mense incepit. Sed quomodo contentis in diplomate conveniat; & Edgari titulo, Regum, & Hiberniæ dominatori, meritò quæritur. Sed facilè respondetur, omnia ferè in sequentes annos referenda: cum nimirum constitutis ubique monasteriis; & expulsis heteroclitis Ecclesiæ ministris, Deus ei in præmium, Reges & regna subjecit:

EDGARUS AN HIBERNIAM DOMUERIT? ut dicam anno nongentesimo sexagesimo nono; quando plurium Insularum Reges ejus imperio paruerunt. Quod de *maximâ Hiberniæ parte* dicitur, & *civitate Dublinia*: vix alibi, quàm in Edgari titulis legitur; qui profusè aliquando ob aulicis dabantur. Sic in Manuscriptis reperi Edgari *stilum*

V. S. post Sigeberti chronicon. *exceptum è bulla antiquâ, cum ejusdem Regis in cerâ rubrâ*, ubi hæc habentur. *Edgarus Basileos Anglorum, Imperator Britannicarum, & omnium insularum a Norvegia, usque ad Orcades, una cum dimidio regni Hiberniæ, & nobilissimâ civitate Dublinia. Gratias ago Deo meo Christo, qui ita regnum & imperium meum, præ omnibus progenitoribus meis, precibus, ope, & consilio Dunstani & Osvvaldi Archiepiscoporum, & spiritualium Patrum meorum; quos mihi patres spirituales & consiliarios acquisivi. Cum igitur in honorem ejusdem Domini mei Christi, quinquaginta monasteria, ad numerum Iubilæi, vel de novo construxi: vel olim diruta reparavi,* &c. Hæc, inquam, scribi debuerunt postquam Oswaldus, è Wigorniensi Sede, in Eboracensem translatus, Archiepiscopus potuit appellari: hoc est, post annum Christi nongentesimum septuagesimum secundum. Tunc enim mortuo Oskitello, qui benè in diplomate Archiepiscopus appellatur, Oswaldus successit. Tunc etiam Wallensium, & Insularum Reges, Edgarum Regem præstito juramento, & humili obsequio, agnoverant.

IX. NUM MONACHISMUS DEFECERIT. Nihil ergò, quantum augurari possumus, de hujus anni rebus gestis, in dicto Edgari diplomate reperitur; nisi auctus Wigorniensis Ecclesiæ census, donatione Centuriæ. quod tunc ab Edgaro factum videtur, cùm Oswaldus, recens inauguratus, Ecclesiam suam; tam foris componere, quàm intus reformare conaretur. Tunc ei è sanctissimis Episcopis sine dubio suggestum; *monasteria tam monachorum, quàm virginum destructa penitùs rejecta in totâ Angliâ esse*: quæ ipse, *ad Dei laudem, & pro remedio animæ suæ reparare, & servorum, & ancillarum Dei numerum multiplicare*, in septennis pœnitentiæ partem posset. Sed quid? rejecta penitus, hoc tempore, per totam Angliam, & destructa erant monasteria? Opinor intelligit, monasteria passim per Insulam, monachis viduata, & ferè ad secularem clerum translata esse. Nam Joannes in historiâ aureâ, apud Reynerum, in Apostolatu, Wintonienses etiam Annales, & Capgravius in vitâ sancti Ethelwoldi, dicunt: *Nam usque tunc* (hoc est, usque ad Ethelwoldum consecratum Wintoniensem Episcopum) *in gente Anglorum non erant monachi, nisi in Glastoniâ, & Abendoniâ.* Quod ita tamen intelligendum puto: ut alibi vix fuerint, qui ad Benedictini instituti regulam, quam Dunstanus, Ethelwoldus, & Oswaldus, (ut olim Wilfridus) reducere studebant, se perfectè correxerint. Nam sine dubio Croylandia sub Turketulo, & Doroberna sub Odone, & Dunstano, monachos habuerunt, etiam è sancti Benedicti disciplinâ: sed antiquis moribus assueti, non facilè ad omnes Floriacensis cœnobii observantias flectebantur.

X. Idem ferè de Albanensibus dicendum: nam illustrissimum illud cœnobium, ab Offa Merciorum Rege; in Benedicti disciplinâ fundatum; abiverat dudum ab eâ pulchritudine, quam primitiæ spiritus dederant. Unde Manhæus, illius cœnobii monachus, cognomento Paris, cùm Pauli, decimi quarti Abbatis vitam recenset (Hic cum Lanfranco Cantuariensi, in Angliam veniens, monasterio præficitur, anno Domini millesimo septuagesimo septimo) ait: *Iste quoque Paulus Abbas, vir religiosus, & eleganter literatus, & in observantiâ ordinis regularis, rigidus & prudens: totius monasticæ religionis normam (quam jam olim tam prælatorum,* Paris in Paulo 14. Abbate. *quàm subditorum remissiorum vita illecebrosa voluptas, eliminaverat) cautè, & paulatim, ne repentina mutatio tumultum generaret, reformavit. Et facta est Ecclesia S. Albani, quasi schola religionis, & disciplinaris observantiæ, per totum regnum Angliæ. Attulerat namque secum consuetudines Lanfranci, & statuta monastica, à Domino Papa meritò approbata. Unde odor bonæ famæ hujus Ecclesiæ, Romanam Curiam, & remota regna illustrando pervolavit: & multorum, tam prælatorum, quam magnatum corda, feliciter ei inclinavit.* Quod accuratus hic Author, de suo monasterio notat; remissiorem fuisse monachorum vitam, nec nisi post centum annos correctum: satis arguit. omni eo tempore monachos fuisse. Authores ergò, qui suprà dixerunt, in solis Glastoniensi, & Abendoniensi cœnobiis, monachos hoc tempore fuisse, & indè ferè assumptos, qui alia monasteria reformarent; de Floriacensis Congregationis, & reformatæ regulæ monachis intelligendi sunt. Nam alia ferè monasteria, Danorum tempestas, & militaris licentia, vel everterat, vel fœdaverat.

XI. CUR ITUM FLORIACUM. Hinc nascitur genuina ratio, cur Odo, Oswaldus, Dunstanus denique, è Gallia, vel Belgio, monasticæ disciplinæ rigorem petiverunt: *Et si qui boni afflati essent desiderio, in Beatissimi Benedicti monasterio cœnobialem susciperent habitum.* Malmesb. de Pont. l. 3. fol. 270. *à quo religionis hujuscemodi sumpsit exordium.* Multum ergo sibi, & parum veritati adblandiuntur; qui perfectiorem monasticæ disciplinæ observantiam, in Croylandensi monasterio, hoc tempore, quàm inter Floriacenses invenerunt. *Sanè vel ipsius Croylandensis Abbatiæ sanctitas & observan-* Apost. Benedictin. tract. 2. fol. 112. *tia* (ita legitur in Apostolatu) *sive antiquior; sub*

quâ

quâ omnes, præter quatuor, martyrio sunt coronati; sive recentior tempore ipsius Dunstani, per Turketulum Abbatem restituta, talis extitit; ut in nullo cederet Floriacensibus, aut Cluniacensibus: ut saltem propter disciplinæ gloriam, nec Oswaldus, nec Ethelwoldus, Turketulo posteriores, debuerint trajicere, cum domi habuerint excellentiorem. Modestior Malmesburiensis, qui dicit Ethelwoldum *arctioris vitæ desiderio Gallicanum exilium fitivisse*: modestior Edgarus, & ad sensum, quem dixi trahendus, cùm dicit monasteria passim destructa, & penitus rejecta, per Insulam fuisse. Denique Joannes in historiâ aureâ, Capgravius in vitâ Ethelwoldi, & Annales Wintonienses, nimium repugnant, cùm dicunt, nullos nisi in Glastoniâ, & Abendoniâ, monachos fuisse.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 244.

XII. Albanense Monasterium ab instituto deviavit.

Ego libenter medius intercedo: & assero monachos alibi fuisse; etiam qui S. Benedicti regulam sequerentur: idque in maximis, ac præcipuis Insulæ monasteriis. Albanense monasterium Offa fundaverat: *Qui monachis è multis regionibus sanctitate prælectis, in eâdem Ecclesiâ feliciter aptatis, juxta institutionem, & tenorem regulæ sancti Benedicti, sub Willegodo Abbate, vivere regulariter, ac reverenter ordinavit*, inquit Matthæus Parisiensis, ejusdem monasterii alumnus: qui duos & viginti Abbates numerat, primum consequentes. Croylandia ejusdem instituti monachos habuit, ut* suprà ostensum. qui nunc sub Turketulo florere incipiunt. Idem de Dorovernensi, Eveshamensi, aliisque pluribus, dici constanter, probarique potest. Sed si antiquis Authoribus credimus, perfectionis monasticæ echlipsin aliquam fuisse, necessum est affirmare. quod nemo mirabitur, qui terram, cælùmque contemplatus, & ipsum luminare majus, maculis aliquando in Sole, & frequentes in cælo nubes aspicit. qui Anglicanum clerum, & Canonicos deviasse, imò Canonicorum Principes, Romanam Sedem, cui petræ soliditatem Christus promisit, languidam & laceratam fatetur. Nam fateri etiam debebit, majorem his prærogativam, regulari instituto indultam non esse. Quod sanè Matthæus Albanensis monachus, de suo monasterio (cujus Prælatus, proto-Abbas Angliæ habebatur, sicut S. Albanus, Abbatiæ patronus, proto-Martyr Angliæ, inquit Reynerus) ingenuè fatetur: Nam secundum à Willegodo Abbatem recensens, Wulsigum, hæc de eo dicit, *Regali stemmate procreatus, erectus est cito in superbiam; mutans habitum, tam formâ, quam colore. Qui sericis utens vestimentis, phaleratus incessit, venatum ivit*. &c. Ejus successor Wulnothus, principio colorem restituit, nigrum videlicet, (unde ad differentiam aliorum monachorum, nigri monachi appellati sunt, qui magni Benedicti discipuli censebantur.) postea tamen desipuit. Nam de eo Matthæus sic loquitur. *Wulnothus, duobus vel tribus annis errores prædecessoris diligenter correxit: postea verò pejor priore effectus, tam formam cuculli, & frocci, quam colorem transmutavit præmiserum.* Nescio quamdiu exulavit primitivus color: Benedictini instituti genuinus character: de decimo tamen Abbate Leofrico, notat Matthæus, quòd *purpureis vestimentis, nigris tamen, uteretur*.

Matth. Paris in Abbate

** an. 716. 17*

Reyno tract. 7. fol. 19.

Paris in 4. Abbate.

XIII. Croylandense monasterium regulariter institutum, & nuper Martyrum sanguine illustrissimum, in illâ Danorum tempestate occasum sensit: vel potiùs à morte Godrici Abbatis. Tunc enim quinque tantùm senes remanserunt: & ex eis duo, Brunus & Aio, *cernentes Regem Ethelstanum, suum patronum, ac Abbatem suum Godricum, in fata cessisse, de monasterii sui relevatione, & spiritualium filiorum successione, penitùs desperantes; relictis fratrum suorum contuberniis; prior monasterium Wintoniæ, secundus monasterium Malmesbyriæ adiens, in eorum conventum recepti, & aliquot annis retenti sunt.* tunc, inquam, Croylandensis monasterii monastica disciplina, in tribus relictis senibus, consenuit: nec potuit Turketulus, ex aulâ in monasterium transiens, Benedictini instituti disciplinam exactam, hoc est, monasticæ vitæ perfectionem, quam nusquam didicerat; solâ religiosi habitus susceptione, monasterio inserere; nedum eandem adhuc alios docere. Præsertim monasterio needum plenè restituto. Nam post annum alterum, Edgarum Regem, pro ædificando monasterio impetrabit necessaria. Manet ergò Floriacenses ea gloria; & nostrorum provincialium industriam: qui, quod Danorum infidelium feritas obliterare, per plures jam annos cœperat, peregrè profecti restituere, & utrobique, tam in Ecclesiis, quàm in monasteriis, sartum, tectumque servare conati sunt. Ut à Dunstano, Oswaldo, Ethelwoldo factum, paulò inferiùs è Regiâ Edgari chartâ videbimus. Unde fatendum est, in cælo illo nubem fuisse. aliòquin Edgari Regis, & dictorum Episcoporum elogia; quæ à monachis abundè satis tribuuntur; minus erant illustria. de quibus infrà.

Ingulf. f. 591

XIV. Et quidem, quod ad hunc annum spectat, de reformatis ad sancti Benedicti normam Monachis, intelligendum puto; quod Wigorniensis & Florilegus adnotarunt. *Anno Gratiæ nongentesimo sexagesimo quarto, Rex Edgarus Pacificus, in novo monasterio, apud Wintoniam: & in Middeltonâ, monachos collocavit, & in illis Æthelgarum; istis verò, Kinewardum, Abbates præfecit.* Idem habet Rogerus Hovedenus ad hunc annum. Utrobique prius monachi fuerant: vel saltem, eo fine, ea loca fundata, patet in Wintoniensi novo monasterio; quod Grimbaldus pro sui instituti (Benedictini) monachis erexerat; sed clero prævalente, & Angliâ monachi nomen, non, ut antea solebat) amplexante, Canonicos admiserat. ita tamen, ut monachis aliquando locum fecerit. Nam frater Brunus è Croylandiâ discedens, Wintoniense monasterium petiverat, teste Ingulpho: & inde nuper rediens, sub Turketulo Abbate, Croylandiam repetiit. *Middeltunense cœnobium Ethelstanus Rex fecerat, pro animâ fratris sui Edwini; quem pravis corruptus consiliis, Angliâ ejecerat*, inquit Malmesburiensis, ut suprà* dixi, monachis impletum fuisse: quibus vitâ, aut loco cedentibus, clerici successerant. Jam verò Edgarus, monasterio monachos, & monachis suum monasterium restituit. Non tamen uno impetu, nec è novo Wintoniensi, nec è Middeltunensi Ecclesiâ omnem Clerum exclusit. Quibus tamen locis Abbatem constituit; iis bonorum omnium jus, & imperium in eos qui remanserant, penes monachos esse statuit. E Cathedralibus autem Ecclesiis; ubi Canonici sedem fixerant; majori opus conatu, ad eorundem correctionem. Unde è Wintoniensi Ecclesiâ, seu veteri monasterio, posterius expulsi sunt, ut dicetur. Ubi tamen majores Ecclesiæ, monachos admiserat;

Westm. hic Wigorn. hic

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 251.

** an. 934.*

tum demum, ex aliis etiam locis, quæ monachi occupaverant, ſecularis clerus exulare juſſus. Quæ omnia lites innumeras excitaverunt adeò, ut Rom. Pontificis authoritatem intercedere neceſſum fuerit.

XV. MORITUR JOANNES XII. *an. 963 n. 8.

Non appellatus eſt, ad controverſiam finiendam, Joannes duodecimus, ut Parkerus ſuprà*, inaccuratè ſcripſit. Ille enim hoc anno moritur, cum Romanam Sedem novem annos fœdaſſet. Unde Otto Imperator Leonem quendam, viventi adhuc, ſubſtituit. Sed quia Sedes illa, Ottonis imperio major, laicâ manu diſpenſari non potuit: Romanus clerus populuſque, Benedictum, eo nomine quintum, in mortui Joannis locum elegit.

BENEDICTUS V. SUCCEDIT.

qui licet ab Ottone vexatus; parum ſederit: tamen pro legitimo Pontifice habitus eſt; Leone reprobato. Sub hoc tempus, Exonienſe monaſterium, quod Danis, provinciam vaſtantibus, deſtructum fuerat, egregiè reparatum eſt: de quo

Godwin. in Exon.

ſic ſcribit Godwinus: *Edgarus ad civitatem* (Exonienſem) *accedens, ut Ordgarum Devoniæ Comitem, inviſeret, ſocerum ſuum; ædificia refecit deſtructa, ac monachos ibi collocavit. quibus Abbatem præfecit Sidemannum, Epiſcopum poſtea Criditonenſem.* Id fortè hoc anno inceptum; ſed poſt quatuor primùm annos perfectum, ut dicam anno 967. n. 2.

ANNUS CHRISTI 965.

BENEDICTI V. PAPÆ 1.

EDGARI ANGLORUM REG. 7.

I.

BENEDICTUS in Romanâ Sede legitimè conſtitutus, ab Ottone Papa exulare jubetur, anno Domini nongenteſimo ſexageſimo quinto; ut locum Leoni faceret; quem Imperatoris factio nuper creaverat. Sed Deus Opt. Max. diremit controverſiam; cùm utrumque hoc anno, & vitâ, & Sede juſſit cedere. Tunc Romæ electus Joannes Narnienſis Epiſcopus, appellatus deinde eo nomine decimus tertius. ad quem Edgarus Rex, & Epiſcopi noſtri, in monachorum causâ provocarunt, ut ſequenti anno dicetur. Nam hoc anno, Joannes vix Romæ Sedem fixit, Romanorum quorundam factione pulſus: & ſequenti, cum honore ab iis, à quibus pulſus fuerat, Sedi redditur.

II. BIRNSTANI NOMEN ET SANCTITAS INNOTESCIT. * an. 932. n. 9. 10. & an. 934. 8.

Interim Deus, Sanctos ſuos coli, eorum nomina in hominum memoriâ ſcribi, denique poſteros omnes docere voluit; Dei cultum non minui, ſed augeri, eorum cultu, qui nobis ſanctitate præluxerunt. Birſtanus olim Wintonienſem Eccleſiam paucis annis rexerat, & multa dederat ſanctitatis argumenta, quæ * ſuprà recenſui. Sed cives, Epiſcopi ſui memoriam, penè abjecerant. Unde, quia ſcriptum eſt; in memoriâ æternâ erit juſtus: juſtum quoque fuit Birnſtani nomen ad poſteros tranſmittere: quod factum, hoc anno, teſtatur Florilegus, ita ſcribens.

Wigorn. hic

Anno gratiæ nongenteſimo ſexageſimo quinto, Ioannes ſedit in Cathedrâ Romanâ, annis ſeptem, & menſibus undecim. Per idem tempus, S. Ethelwoldus Wentanæ Urbis Epiſcopus, cum nocte quâdam ad majus Eccleſiæ ſuæ altare, ante Sanctorum reliquias ſtaret in oratione; tres ſibi perſonæ reverendæ apparuerunt; quarum illa, quæ media videbatur, has voces evidenter expreſſit: Ego ſum, inquit, Birſtanus, hujus urbis quondam Epiſcopus: & partem oſtendens dexteram: hic, inquit, eſt Birinus, hujus Eccleſiæ prædicator & pontifex primus. Et ſiniſtram oſtendens: Hic eſt, inquit, ſanctus Swithunus, ſpiritualis hujus Eccleſiæ & civitatis patronus. Noveris quoque, quod ſi ut me, cum eis, vides in tuâ præſentiâ: ita cum eis, in cælo, non diſpari fruor gloriâ. Cur ergò defraudor mortalium honorificentiâ in terris; qui magnificior cæleſtium conſortio ſpirituum in cælis? & his dictis, in aerem eſt elevatus, cum ſociis, pretioſam ſui memoriam comprovincialibus relinquens in terris. Ita ille.

III. CUR REMANSERIT MEMORIA ABOLITA.

Hic eſt Birnſtanus, qui animarum in purgatorio laborantium memor, requiem illis quotidie precabatur: & anno nongenteſimo trigeſimo quarto mortuus, locum Elphego dederat: cujus, ut aliorum etiam Epiſcoporum, Wintoniæ quieſcentium, Sanctitas, Birnſtani nomen obſcurarat: ideò præſertim, quòd in conclavi mortuum inexpectatò reperierint: ſed Deus, vitæ mortiſque Dominus; illum in refrigerio eſſe, quod aliis optaverat, non obſtante repentinâ morte, voluit omnibus manifeſtum eſſe. Advertit hoc Malmeſburienſis, cum ejus mortem deſcribens, hæc

Malmesb. Pont. fol. 242.

habet: *Quâdam die pro conſuetudine ingreſſus, nullâ antea interpellatus moleſtiâ ægritudinis, ſubitò clam omnibus, ſpiritu vitali caruit. Clientes qui conſuetudinem ejus noſſent, tunc quoque orationibus occupatum crederent, totâ die jacere paſſi. At vero ſequenti diluculo irrumpentes, inveniunt cadaver, ſine mente. Conclamatur eſt ergo, & ſepulturæ datus. Sed cives, quod interceptum morte videbant, omnem ejus memoriam obliteravere ſilentio: neſcientes quod ſcriptum eſt: Non poteſt malè mori, qui benè vixerit. Correxit id divina rectitudo, longo poſt tempore, ſuccedente Ethelwoldo; cui noctium principio, ante Sanctorum reliquias lucubrare ſolito, apparuere tres aſſiſtere perſonæ; non in extaſi, ſed planè inſomnis: quarum quæ media, has exprimere voces eſt audita: Ego ſum Birnſtanus,* &c. quæ ſupra retulit Florilegus: & demum addit: *Finierat Birnſtanus, & in aerem cum ſociis elapſus, pretioſâ ſui memoriâ provincialibus appoſitâ, nihil non venerationis deinceps emeruit.*

IV.

Fuerunt hi tres Occidentalium Saxonum Epiſcopi: Birinus à Romano Pontifice in Britanniam miſſus, anno ſexcenteſimo trigeſimo quinto, ut dictum ibi*; Dorceſtriæ quidem ſedem fixerat, & ibi mortuus ſepulchrum acceperat: poſtea tamen, *tranſlatus inde in Ventam civitatem, in Eccleſia Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli poſitus eſt,* inquit Beda; quæ verba magnæ poſtmodum controverſiæ, argumentum fuerunt, ut ſuprà *notatum. Swithinus alter Wintonienſem Eccleſiam rexerat, ab anno octingenteſimo trigeſimo octavo, in magnâ ſanctitatis opinione mortuus, anno octingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Wintoniæ ſine dubio ſepultus eſt; ubi cum centum & decem annos à morte jacuiſſet: reliquiæ corporis ejus mirabiliter inventæ, ab Ethelwoldo Epiſcopo tranſlatæ ſunt, anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo, ut dicam ibi.

* n. 35. &c. Beda l. 3. c. 7. * an. 650

V. EDMUNDUS NASCITUR EDGARI FILIUS.

Naſcitur hoc anno Edgaro Regi, ex Alfrithâ conjuge, filius; quem Edmundum parentes vocaverunt. quadriennio tantum ſuperfuit: reliquit tamen infantilis ætatis monumentum aliquod; cum ſequenti anno Crucis ſignaculum Regiæ Chartæ, *propria manu ſubdidiſſe* ſcribitur: quod

ſtatim

statim prolatis tabulis, verum probabitur. Sed sine dubio ab adultiore adjutus. Sufficiat notare, primum in alphabeto characterem, merito pingi Crucis signum; nam illud non pueri solum, sed infantes etiam, ante alia omnia elementa, docebantur.

ANNUS CHRISTI 966.

JOANNIS XIII. PAPÆ 1.

EDGARI ANGLORUM REG. 8.

I. SEQUITUR Christi annus nongentesimus sexagesimus sextus: quo Joannes Papa, eo nomine decimus tertius, superiori anno Benedicto succedens, & à Romanis in vincula conjectus, libertati, primæque Sedi restituitur, per Ottonis in Urbem adventum: qui piè in eos advertit, quotquot vinculorum Joannis, vel authores erant, vel fautores.

II. *Turketulus pro Croylandia laborat.*

Edgarus interea septennis pœnitentiæ memor; qua piis operibus peccata sua redimere jussus est; egregiè hoc anno pro Ecclesiâ, & monachorum jure vigilavit. Imprimis, cùm Londini esset, & de more, sanctissimæ Pentecostes festum ageret, in conventu prælatorum & procerum; Turketulus Croylandensis monasterii Abbas, supplici libello utrumque ordinem pulsavit; ut nupes rediviva cœnobii sui exordia, & antiqua loci privilegia, novâ Regiâque authoritate firmaret. Ingulphus Turketuli adventum in urbem Londinensem, spémque ejus voto potiundi, ita aperit:

Ingulf. f. 880

Venerabilis Pater, Abbas Turketulus, Dunstanum, sibi quondam familiarissimum, ad Archiepiscopatum Dorobernensem promotum, Osketulumq; cognatum suum, Archiepiscopum Eboraca pariter effectum, Londonias semel adiens; cum quanto gaudio ab utroque sit susceptus, non est facile notare: cum alter suus nutritius, & antiqua beneficia recordatus: alter ei carne propinquus, & pro cognatione, generis amplexatus: uterque jam in castris, dum militem emeritum affectione intimâ veneratus sit. Obtinuit etiam tunc, à Rege Edgaro, videlicet octavo anno regni sui, prædictis Archiepiscopis intercedentibus, Chartam Regiam, de confirmatione Croyland monasterii sui, sub hac formâ:

III. *Charta Edgari pro Croylandia.*

IMperante Domino nostro JESU CHRISTO, *super omnes cælos, & super omnia regna orbis terrarum principatum tenente, qui tollit Reges, & transfert regna, tractatque suo nutu, mundi climata universa. Ego Edgarus, ejusdem Dei nostri largiflua munificentiâ, possidens totius magnæ Britanniæ Monarchiam; statui mecum ab initio regni mei, pro modulo meo, sua beneficia recompensare; & de transitoriâ mammonâ providere beatorum tabernacula mihi; perque caduca bona, promereri sempiterna gaudia. Cum ergo de relevatione Ecclesiarum Christi, & monasteriorum restauratione, frequentissime mihi suggererent spirituales Patres mei, Pontifices & Prælati; teste Deo, cordium inspectore, solicitem eorum petitionibus, semper apertis auribus acquievi. Cum verò sanctissimi Archiepiscopi mei, Dunstanus Dorobernensis, & Osketulus Eboracensis, apertius insinuassent; quomodo celebre monasterium Croylandense, quondam ab Inclyto Rege Merciorum Ethelbaldo fundatum, aliisq; Merciorum Regibus, successoribus ejus, multis & magnis donariis, & dignitatibus ditatum; insuper immunitatibus, & immensis privilegiis amplificatum, & magnificè confirmatum: demum nefandissimis Danis, totam terram opprimentibus, ab iisdem dictum monasterium fuit igne crematum, & devastatum: sed postea, tantâ cessante procellâ, per industriam Venerabilis Patris Turkesuli, cooperante sibi gratiâ piissimi Regis, patrui, & prædecessoris mei Edredi, resurrexit restauratum; & iterum in Sanctorum habitaculum ædificatum; & Regio chirographo confirmatum: gaudio magno gavisus sum.*

Et crescenti quotidie, convalescentiq; indies, per IV.
totam Angliam, cultui Christiano, toto animi præcordio (Deo teste) congratulatus; prædicto viro venerabili, Abbati Turketulo, quondam patris mei, patruorúmque meorum patricio potentissimo; ac omnium hostium Anglici regni triumphatori strenuissimo: jamq; patriâ cælestis amore, Servorum Christi sanctissimo pastori, & prælato: Concedo de Regalibus silvis meis, suo Croylandensi monasterio magis vicinis, & propinquis: scilicet de Ancarigwood, & de Medeshamsteedwood, regalibus maneriis meis: & de Estrey, & de Castre pertinentibus, arbores, & meremium, ad ædificationem sui monasterii prædicti, quot & quantum placuerit accipere: nec aliquis ministrorum meorum, in illâ patriâ præsumat eum in aliquo impedire. Ipsum etiam Croylandense monasterium, cum totâ Insula adjacente, & cum villâ; duobúsque mariscis jacentibus ex utrâque parte aquæ de Weland, versus Occidentem, iisdem limitibus & terminis, quibus dicti monasterii monachi, à suâ primâ fundatione, illa continuè possederunt: & prout plurimorum Regum prædecessorum meorum, & præcipuè inclyti Regis Edredi, patrui, prædecessorisq; mei, chirographa, & monumenta sufficienter, ab Oriente ad Occidentem; & ab Austro ad Aquilonem, declarant; concedo, & confirmo in perpetuam eleemosynam, prædicto Patri meo Turketulo Abbati, & monachis suis, ac omnibus eorum successoribus, ibidem Deo servientibus: scilicet dictam Insulam de Croyland: procedendo de ponte suo triangulo, per aquam de Weland, versus Spaldelinge, usque ad Asendick, ubi Asendick cadit in aquam de VVeland, ex boreali parte Crucis lapideæ, per prædictum Turketulum ibidem affixæ.

Et sic sursum versus Orientem, per Asendik, usque V.
Asentoft; & inde usque Shepishe, in Orientali parte ejusdem Insulæ: & sic usque ad Tedwarthar, & ibi intrando Southee, usque ad Namanlandhirne; ubi Crucem lapideam affigi fecit idem Turketulus; distantem à Southee per sex perticatas: & inde per aquam de Nene, versus Occidentem, per quinque perticata: & inde per eandem aquam de Nene, sicut currit ad prædictum pontem de Croyland, cum separali piscariâ, tam in aquis omnibus ambientibus eandem Insulam, quàm in stagnis & paludibus; infra situm inclusis; unà cum mariscis, & alnetis adjacentibus versus Occidentem; ex opposito ejusdem Insulæ, in omnibus Lincolniæ comitatui connexis, & respondentibus, & per hos limites determinatis: videlicet à Namanlandhirne, per aquam de Nene, versus Occidentem, usque ad Fineston; ubi Crux lapidea affixa est juxta ripam; & inde usque ad Greines; & sic usque ad Folvvardstaking, & inde usque ad Southlake; ubi Southlake cadit in aquam de VVeland. & sic transeundo eandem aquam ad Kenulphston juxta ripam, ex opposito de Southlake: ubi primus Abbas ejusdem monasterii, nomine Kenulphus, posuit Crucem lapideam, pro limite inter Croyland, & Deping. Et inde versus boream, juxta Aspath, usque ad

Warwarlakes & sic usque ad Harinholt, & inde sursum per Wengarlake, & Lurclake, & inde per Oggot, usque ad Wodlade, ubi Wodlade cadit in aquam de Weland cum omnibus commodis, quæ poterunt evenire, vel extorqueri infra prædictos limites, tam subter terram, quàm supra; cum communa pastura, omni tempore anni, pro omni genere animalium sibi, & omnibus hominibus suis & tenentibus suis secum, infra dictos limites cohabitantibus, in mariscis adjacentibus, ex utrâque parte, ab aquâ eâdem, usque ad ædificia de Spaldeling, cum separali piscariâ, in eadem aquâ de Weland, à Kenulphston, usque ad pontem in Croyland: & in aqua de Nene, à limite Fineston nomine, usque prædictum pontem de Croyland: & inde in eadem aquâ, & in aquâ de Weland, coadunatis usque ad Assendick.

VI. *Concedo etiam, quod dicti monachi possint includere de mariscis adjacentibus, versus Occidentem; pro se, & pro tenentibus suis, Croftos, sive pratum, circa pontem separaliter, quantum illis placuerit; prout patruus meus, Rex Edredus, eisdem hæc omnia suo chirographo confirmavit. Concedo etiam & confirmo prædicto monasterio, omnia prata ista, libera, & soluta, ab omni onere seculari: & quod habeant omnes, liberas consuetudines, cum omni illo, quod appellatur Socha, Sacha, Tol, & Tem, Infangthef, Weyf & Straye, & cum his legitimè appendentibus. Concedo etiam, & confirmo eisdem monachis, omnes terras & tenementa; Ecclesias & capellas, & omnes possessiones eidem monasterio pertinentes, quas præfatus Rex Edredus, vel optimates sui, dicto cœnobio pro suorum redemptione peccaminum, in perpetuam eleemosynam donaverunt, vel per præfatum Abbatem Turketulum data, vel acquisita sunt, in Croyland, Spading, Pincebeck, Capelade, Algare, Doncsdike, Draiton, Burtoft, Southerrhon, Bokenhale, Halington, Gernsthorp, Langtoft, Baston, Deping, Eetford, Repingare, Laithorp, Kirby, Wenlingborowe, Adington, Elmington, Glapthorne, Wirthop, Peykyrke, Badby, Morburne, Thirning, Beby, Sutton, Stapleton, Rotenham, Hoketon, Draiton, & Standon.*

VII. *Hæc omnia tenementa, ad honorem Dei, & sanctæ Ecclesiæ suæ relevationem, & ob amorem sancti Guthlaci, corporaliter in cœnobio Croylandensi requiescentis confirmo Venerabili Patri meo Turketulo, Abbati Croylandiæ, ac monachis suis, & eorum successoribus, ibidem Deo servientibus in perpetuum. Prohibeo etiam, ne quisquam ministrorum meorum, in patriâ Girviorum, prænominatos limites mariscorum Croylandiæ introeat, aut se in aliquo intromittat: cum tam de donatione Regis Edredi, patrui & prædecessoris mei; quam de confirmatione meâ, possideant prædictos mariscos, & situm separalem monasterii sui: & marisco meo de Ege, crucibus lapideis, ac aliis intersigniis, & terris, separatos. Contra ergo hujus nostri Chirographi propositum, quicumque dictum Turketulum Abbatem, patrem meum, vel monachos suos vexare, vel inquietare, pro aliquo præmissorum præsumpserit: præter meam indignationem, & vindictam; nisi citiùs cum condignâ satisfactione resipuerit; longius, à Sanctorum congregatione separatus, cum Dathan & Abiron, damnationem gehennalem sentire possit. Qui verò auxerit nostram eleemosynam, aut in aliquo promoverit hujus mei chirographi voluntatem; inter omnes Sanctos, & electos Dei, sempiternam sortiatur felicitatem.*

VIII. *Sancitum est hoc anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo sexto, præsentibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & optimatibus regni mei subnotatis.*

† *Ego Eadgarus totius Albionis Monarcha, istud chirographum, cum signo sanctæ Crucis confirmavi.*
† *Ego Dunstanus, Archiepiscopus Dorovernensis, hoc chirographum cum trophæo hagiæ Crucis corroboravi.*
† *Ego Osketulus Archiepiscopus Eboracensis, devotè collaudavi.*
† *Ego Athelwoldus Episcopus Wintoniensis, multum procuravi.*
† *Ego Oswaldus Episcopus Wicciorum commendavi.*
† *Ego Alfwoldus Episcopus Donevoniæ subscripsi.*
† *Ego Alstanus Abbas Glastoniæ, consilium dedi.*
† *Ego Ethelgarus Abbas novi monasterii Wintoniæ, consensum præbui.*
† *Ego Wulfinus abbas sancti Petri Westmonasterii, extra London, subnotavi.*
† *Ego Merwenna Abbatissa de Rumsege, signum sanctæ Crucis feci.*
† *Ego Ordgarus Dux Devoniæ, consignavi.*
† *Ego * Elsecsus Suthamtoniensis Dux, approbavi.* * Elsegus.
† *Ego Oslac Dux, affui.*
† *Ego Brithnodus Dux, aspexi.*
† *Ego Alwine Dux, consensi.*
† *Ego Alserus Dux, interfui.*
† *Ego Ernulfus Minister, vidi.*
† *Ego Ringulus Minister, vidi.*
† *Ego Adelwardus Minister, audivi.*
† *Ego Vesf Minister, auscultavi.*

Hactenus Edgari diploma pro Croylandensi monasterio.

Altwoldus, qui se Devoniæ Episcopum scribit, meritò Lectorem morari potest; quis ille, & cujus Sedis Episcopus. Suprà * ex aliquorum sententiâ Altwoldum dixi Schirburnensem Episcopum, Wulsii successorem; sed quorsum Denevoniæ, sive Devoniæ vocetur Episcopus, ideò jure dubitatur, quia Schirburnensis sedes, in Dorsetano agro, non videtur, in Devoniensi provinciâ, juris habuisse ditionem: præsertim quia ibi Cridiantum, vulgò Kirton, Antistitem habuit. Adde, quod fortius ligat; hoc eodem anno, in eâdem Londinensi urbe, Episcopi Edgari diploma confirmarunt, subscripseruntque sua nomina: & Alfwoldus inter eos, iterum ibi scribitur *Denevoniæ Episcopus*: cum quo Ethelstanus Cornubiensis, & Westanus Schireburnensis, leguntor. Unde Alfwoldus non videtur Schireburnensis esse. Respondeo: Alfwoldus, Regio Edgari diplomati subscriptus, Cornubiorum Episcopus est, qui apud Cridiantum sedit, & Ethelgaro successit, anno nongentesimo quinquagesimo tertio, ut dictum ibi *. dicitur autem Denevoniæ Episcopus, quia Cridiantum Devoniæ oppidum est. Cæterùm communius, vel Cridiatonensis, ut Fasti; vel Cornubiorum Episcopus, ut Godwinus appellat; dicitur. Unde fortè, pro Denevoniâ, Domnania legendum esset: sic enim Cornubienses olim vocati. IX. Alfwoldus Q? * an. 956. * n. 2.

Merewenna, quæ scribitur Abbatissa de Rumsege; illa est, de quâ Wigorniensis & Florilegus scribunt, sequenti anno, ab Edgaro Rege, monasterio præfectam. *Anno gratiæ* (inquit iste) *nongentesimo sexagesimo septimo, Rex Eadgarus, in monasterio Rummesige, quod avus suus Rex Edwardus construxerat; sanctimoniales congregavit, sanctamque Merwinnam, in eo, Abbatissam ordinavit.* Quod Authores hi Rummesige vocant, Hovedenus errandi ansam præbens, *in monasterio Ram-* X. Merewenna Abbatissa. *Westmon. an. 967.* *Hoveden. an. 967.*

scie,

ssie, inquit, *sanctimoniales collocavit, sanctámque Mervinnam super eas Abbatissam.* Sed distincta sunt loca, atque cœnobia, quæ Rumfeiæ, & Ramseiæ ponuntur, ut dicam anno 992. Perfectum fortè hoc monasterium, anno sequenti, collectisque sacris virginibus, Meruinna præfuit; quam hoc anno Edgarus Abbatissam designarat. Quo in munere, cùm sanctè vixisset; sanctè etiam mortua est, anno nongentesimo octogesimo; & jure suo, in Sanctorum Catalogo locum meruit, ut dicetur. Nunc ad Turketulum Abbatem redeo; solicitum adhuc, pro privilegiorum firmitate: quæ sæculare brachium sufficienter muniverat; noo ita Ecclesiasticum. Nam quod Edgarus diras jecerit in sui chirographi violatores; cupieritque longiùs, à Sanctorum congregatione segregatos, cum Datham & Abiron; noli censuram Ecclesiasticam, sed nudam imprecationem accipere. Et ita Turketulus Abbas sensit; cùm acceptâ Regiæ authoritatis syngraphâ, spirituale adhuc brachium imploravit. quod ita ab Ingulpho refertur: *Venerabilis autem Abbas Turketulus, contra pericula brachii sæcularis, impetrato ab Edgaro Rege tali munimento; etiam pro spiritualis auxilii clipeo, utrumque Archiepiscopum Dunstanum, & Oskctulum, instanter deprecatus, contra filios Belial (si fortè in monasterium suum, instinctu diabolico insurgerent in futurum) hujusmodi censuram Ecclesiasticam, in supra scriptorum regiorum chirographorum violatores (videlicet Edredi & Edgari) in omnes contravenientes, & contrà procurantes, eodem tempore, apud Londonias impetrabat sub istis verbis:*

Turketulus Ecclesiasticum brachium appellat. Ingulf. f.102

XI. *Universis posteris Christianam Fidem profitentibus, Dunstanus Dorovernensis, & Osketulus Eboracensis Archiepiscopi. Athelwoldus Wintoniæ, Oswaldus Wigorniæ, & Leswinus Dorsacestriæ Episcopi, Salutem in Domino sempiternam. Cum naturaliter Ægyptii, pastores omnes ovium, execrantur; & filii tenebrarum, filios lucis, furore implacabili persequuntur. (semper enim Madian prodere populum Domini machinatur) cupientes ideò in futurum, contra sceleratos & sacrilegos, sanctam Matrem Ecclesiam jugiter infestantes, murum defensionis opponere: & quicumque se divino servitio mancipaverunt, & in castris Domini quocumque modo militaverunt, reddere ab hujusmodi perturbatoribus securiores, & in domo Domini tutiores: attendentes etiam sanctissimam devotionem, quam piissimi Reges nostri temporis, scilicet Edredus, quondam Rex, & inclytus Rex Edgarus, nunc superstes (inspirante Sancto Spiritu) conceperunt, ad restauranda sacra servorum Christi monasteria & Ecclesiam Dei ubicumque relevandam, chirographa eorundem Regum benignissimè concessa, venerabili Patri Turketulo, Abbati Croylandensi (qui pro patria cælestis amore, divitias multas, & magnas dignitates fortissimè reliquit) de confirmatione sui monasterii sibi confecta; nos authoritate divinâ confirmamus, ratificamus: ac omnes, qui timore Dei postposito, possessiones dicti monasterii diripere tentaverint; vel pacem dictorum monachorum, contra intentionem, ac voluntatem prædictorum Regiorum chirographorum, perturbaverint, aut perturbari procuraverint; arte, vel ingenio, consilio, vel favore, quocumque colore sua machinamenta, homo seminaverit inimicus, & filius iniquitatis sua fuderit argumenta; extunc excommunicantes, nomina illorum, de libro vitæ tollimus; & à consortio Sanctorum separantes, ac à limite portæ cælestis longius repellentes; nisi condignâ satisfactione citius sua errata correxerint infernalibus incendiis; cum Iuda traditore damnandos, pro suis demeritis irremissibilibus, deputamus.*

XII. *Insuper spiritualitatem totius Insulæ Croylandiæ, villæq; adjacentis, prout à fundatione monasterii sui, dicti monachi hactenus habuerunt; videlicet, quicquid attinet ad Archidiaconatus officium, omnibus correctionibus, ad instantiam partis, vel quocumque modo infligendis, pro quibuscumque delictis, vel criminibus; per quamcumque personam commissis, vel committendis ibidem, præfato venerabili Abbati Turketulo, & omnibus successoribus suis Abbatibus, in eodem monasterio futuris, & eorum Officialibus, ad hoc, vice suâ, exequendum, substituendis, cum consensu Agelnothi Archidiaconi procurantis istud fieri, concedimus, & assignamus: Excommunicantes, & exterminantes à facie Dei, & a glorifica visione vultus sui, in die magni judicii omnes, qui dictum Patrem Turketulum, vel aliquem successorum suorum, super hoc, de cætero inquietaverint; vel aliquod præmissorum violarint, vel violari procuraverint quocumque modo; in perpetuum eos satbanæ, sine fine, tradentes, nisi citius resipuerint; & cum condignâ pœnitentiâ, prædicto monasterio satisfecerint pro patratis.*

XIII. *Istud privilegium sancitum est, & immutabiliter decretum, ad honorem Dei, & sanctæ Matris Ecclesiæ relevationem, ac sancti Guthlaci Confessoris reverentiam, in præsentia Regis Edgari, Prælatorum, procerumq; suorum, anno Dominicæ Incarnationis, nongentesimo sexagesimo sexto, apud London collectorum.*

Ego Edgar, totius Albionis Monarcha, istud privilegium sanctæ Crucis indicio confirmavi †.
Ego Dunstanus, Archiepiscopus Dorobernensis, prædictam censuram Ecclesiasticæ animadversionis, in regiorum chirographorum violatores, irrevocabiliter fulminavi †.
Ego Osketulus Archiepiscopus Eboracæ, perpetuam damnationem, in sanctæ matris Ecclesiæ adversarios; inter Prælatos, istam sententiam corroboravi †.
Ego Leswinus, Dorcacistrensis Episcopus, consensi †.
Ego Allstanus, Londinensis Episcopus, commendavi †.
Ego Osvvaldus, VVigorniæ Episcopus, consensum dedi †.
Ego Alfvvoldus, Episcopus Donevoniæ, consilium præbui †.
Ego Kinsius, Lichfeldensis Episcopus, adjuvi †.
Ego Alfricus Episcopus Est-Angliæ, procuravi †.
Ego Godwinus, Episcopus Roffensis, acquievi †.
Ego Athelstanus, Episcopus Cornubiensis, consiliū dedi †.
Ego VVerstanus, Episcopus Schireburnensis, annui †.
Ego Agelnothus, Archidiaconus, favi †.
Ego Elstanus, Abbas Glastoniæ, consensum dedi †.
Ego Ethelgarus, Abbas novi monasterii VVintoniæ, consensum præbui †.
Ego VVulsius Abbas sancti Petri VVestmonasteriensis, extra London, subnotavi †.
Ego Oswardus, Abbas Eveshamensis, ratum habui †.
Ego Merwenna Abbatissa consignavi †.
Ego VVulwinâ, Merhamensis Abbatissa, communivi †.* * Mercamensis
Ego Orgarus Dux consensi †. Ego Alwinus Dux constabilivi †. Ego Brithnodus Dux aspexi †. Ego Oslacus Dux affui †. Ego Alferus Dux interfui †. Ego Elfegus Dux audivi †. Ego Frithegistus Minister vidi †. Ego Athelward Minister vidi †. Ego Athelmund Minister auscultavi †. Acta sunt hæc in octavis Pentecostes, in Ecclesiâ sancti Pauli Cathedrali.

Hæc omnia Ingulsus.

XIV. In Episcoporum subscriptionibus aliqua sunt, quæ sine notâ præteriri non possunt. Imprimis corrigendi sunt Fasti, post Malmesburiensem collecti, qui in Lichfeldensi Sede Winsium collocarunt, anno Christi nongentesimo sexagesimo quinto, quo etiam anno Kinsium prædecessorem ejus mortuum supponunt. Verùm ex hoc instrumento publico, constat Kinsium, hoc anno nongentesimo sexagesimo sexto, in vivis fuisse: nec potuisse Winsium ante hunc annum succedere. Peccant magis (opinor) Fasti, in Dorcacestrensi Episcopo, Leovino; quem mortuum putant, circa annum Christi sexagesimum supra nongentesimum; & ei tunc mortuo Ælnothum substituunt: Ælnotho etiam mortuo, circa annum 967. Æscwium, vel Æswium subrogant. Nos tamen, è dictis Episcoporum literis, scimus eum non solùm hoc anno superstitem esse: sed infra, ex Edgari Regis diplomate, non antè annum Christi nongentesimum septuagesimum quartum mori potuisse.

KINSIUS LICHFELDENSIS EPISCOP. MORITUR: SUCCEDIT WINSIUS.

Major difficultas, in Est-Angliæ Episcopo, Alfrico; quem Fasti Helmhamensem Episcopum vocaverunt, circa annum nongentesimum sexagesimum secundum. Unde Athulphus, qui eum in eâ Sede præcessit, mortuum supponunt. Cui sententiæ nolui subscribere; quia subscribentem eum video Regiæ chartæ, sub annum Domini nongentesimum septuagesimum: nunc autem cogor dicere, Alfricum in Est-Angliâ Episcopum fuisse, hoc anno 966. Nulla autem ibi Sedes, circa hæc tempora ponitur, præter Elmahamensem. Hunc nodum aliter nequeo solvere, quàm dicendo: Athulpho Antistiti, pro amplissimâ provinciâ, coadjutorem datum, & consecratum Alfricum.

ALFRICUS EST-ANGLIÆ EPISCOPUS.

XV. Nec minor difficultas, de Godwino Roffensi: nam Sedem illam diu vacantem Fasti nobis exhibent: & Episcoporum seriem sub hæc tempora mutilam, & imperfectam, agnoscit Godwinus alter, ultimæ editionis Episcopus, in Catalogo. Nos tamen * suprà Burrhicum invenimus Roffensem Antistitem: cui Edmundus Rex prædia dispensavit: & illi mortuo, Godwinum putamus successisse, eo nomine primum. de quo ad annum 851. n. 15. Post cujus mortem, Roffensis Ecclesia pastore viduata, hucusque luxit, per annos centum; & nunc primùm Godwinus alter Sedem implet: quod author Catalogi fateri videtur, cùm de duobus Godwinis Roffensibus scribens, ait: *Istorum unus diploma confirmavit Edgari Regis, anno nongentesimo sexagesimo sexto, quod apud Ingulfum habetur, nec non & aliud itidem nongentesimo nonagesimo sexto.* Sed quia plures fuere Godwini, Roffenses Episcopi, difficile est arbitrari; quis, cui, quando successerit. & diu vixisse debuit Godwinus iste, nunc subscribens; si idem cum illo fuit, qui anno nongentesimo octogesimo tertio (ut vult Florilegus) diu obsessus, diplomati subscripsit, anno nongentesimo nonagesimo sexto. De quo nos infrà. Duo ultimi subscribentes, Ethelstanus Cornubiensis; & Werstanus Schirneburnensis, Episcopi, inextricabilem nodum habent; si sunt intelligendi, quos eodem nomine ad easdem sedes consecravit Plegmundus, anno sexto hujus sæculi: quibus nos dudum successores dedimus. De Athelstano tamen, nodus solvitur; si verum est, quod habet Godwinus in Catalogo, ita scribens: *Athelstani successores, Cornubiorum Episcopi, hi traduntur extitisse: Conanus, Ruidocus, Aldredus, Brithwinus, Athelstanus secundus, qui vixit anno nongentesimo sexagesimo sexto.* Si idem de Werstano dici posset, nulla foret difficultas: sed fatendum; nulla, de Werstano altero, mentio. Et quod de Athelstani successoribus, seu Cornubiorum Episcopis, habet Godwinus; satis dubiæ Fidei redditur ex eo, quod tradit Malmesburiensis: *Athelstanus*, inquiens, *Cornubiam habebat; cujus successorum nomina nusquam reperio.* & alibi: *Cornubiensium sanè Pontificum succiduum ordinem, nec scio, nec appono: nisi quod apud sanctum Petrocum Confessorem, fuerit Episcopatus Sedes.* Cæterùm idem author, Werstani successores enumerans, Ethelbaldum, Alfredum, Wilsinum (nos Wulsium vocavimus) & demum Alfwoldum nominat; quem nos aliquando hoc tempore, Scireburniæ sedisse putavimus. Sed re meliùs inspectâ, Wulsium adhuc superstitem arbitramur. Et nunc qui Abbas S. Petri Westmonasteriensis subscribitur, alter est ei cognominis.

* an. 945 n. 5.

Godwin in Roffens.

Godwin. in Exon.

Malmsb. de Pont. l. 2. fol. 248. & 257.

XVI. Quod alterius sexus nomina, Ecclesiarum privilegiis adscribantur; arguit, sacrarum quoque Virginum, regulariter viventium, monasteria numerumque crevisse: de sanctâ Werwenna Rumseiensi Abbatissâ, supra satis dictum: de Wulwina Merhamensi, sive Mercamensi, nihil occurrit. Præterquam quod scriptura 52. Reyneri Apostolatus, inter Cistercienses nominat *Abbatissam de Merham.* Dunstani, aliorumque Episcoporum (qui pro monachis & monasteriis excubabant) muneris erat; ita fundare monasteria omnia, legibusque munire, ut unanimes omnes, & unius moris, in domo habitare, & Deo Domino servire possent. Ipse igitur, è variis, quæ domi, forisque didicerat, religiosæ vitæ exercitiis, regulam composuit; ad quam omnia regularium loca componeret, & utrumque sexum, Benedictinæ vitæ perfectionem profitentem, cogeret; non obstante locorum personarumque differentiâ. Quod hoc anno absolutum, ipse regio brachio; quo ad hujuscemodi negotia familiariter utebatur; muniri procuravit. Quoniam verò omnium provinciarum intererat, monachorum mores & vitam contemplari; voluit etiam omnium Episcoporum suffragio probari, quod ipse pro monasticæ conversationis sanctitate, digesserat. Wintoniam itaque Prælati conveniunt, Edgaro jubente: ut indicat rei gestæ proœmium, quod ex vetustissimo exemplari, tum saxonicè, tum latinè, characteribus perpulchris exarato, fideliter exscriptum, Seldenus nobis exhibuit, cum hac Epigraphe.

Reyner. Append. f. 61.

CONCILIUM WINTONIENSE.

Selden. in Spicilegio.

Proœmium Regularis concordiæ Anglicæ nationis monachorum, Sanctimonialiumque orditur.

XVII. REGULARIS CONCORDIA.

Gloriosus etenim Eadgar, Christi opitulante gratiâ, Anglorum cæterarumque gentium, intra ambitum Britannicæ Insulæ degentium, Rex egregius; ab ineunte suæ pueritiæ ætate, licet, uti ipsa solet ætas, diversis uteretur moribus: attamen respectu divino attactus; Abbate quodam assiduo monente, ac Regiam Catholicæ Fidei viam demonstrante; cœpit magnopere Deum timere, diligere, ac venerari. Radiante paulatim Fidei scintillâ, ne otiositatis torpore explosa delitesceret; quibus Sanctorum operum meritis, in fervidiori

perfectio-

perfectionis ardorem accendi valeret; studiosè percunctari solicitus cœpit. Comperto etenim, quod sacra cœnobia, diversis sui regiminis locis diruta, ac pene Domini nostri Jesu Christi *servitio destituta, negligenter tabescerent: Domini compunctus gratiâ, magnâ animi alacritate festinando, ubicumque locorum decentissimè restauravit: ejectisq; negligentium clericorum spurcitiis; non solum monachos, verum sanctimoniales etiam, Patribus matribusq; constitutis; ad Dei famulatum ubique per tantam sui regni amplitudinem, devotissimè constituit; bonisq; omnibus locupletatus, gratulabundus ditavit. Regali itaque functus officio, veluti Pastorum pastor, solicitus, à rabidis perfidorum rictibus, uti hiantibus Luporum faucibus; oves quas Domini largiente gratiâ studiosus collegerat, muniendo eripuit: conjugique sua Alphrida, sanctimonialium mandras; ut impavida more custodis defenderet; cautissimè præcepit: ut videlicet mas maribus, fœmina fœminis, sine ullo suspicionis scrupulo, subveniret.*

XVIII. Edgarus quomodo dictus Pastorum Pastor.

Hunc locum Procemii, ubi Edgarus dicitur, *Pastorum Pastor*, citat Isaacus Casaubonus in Epistolâ dedicatoriâ contra Baronium: & inde argumentum sumit, majestatem alteram Ecclesiis præponendi. Nam valdè cupiunt aliqui terram cœlo, corpus animæ, mundum Deo, Ecclesiæque præferre, viles animæ, & ad Regum arbitria projectæ: cum missâ rerum gestarum substantiâ umbras sequuntur; & contempto nucleo, corticem. Edgarus, quantâ nuper reverentiâ Dunstanum exceperit, suprà vidimus; quàm humili cultu, ad ejus pedes prostratus, septennem pœnitentiam exceperit, Authores omnes loquuntur: quantâ solicitudine, Ecclesiam, virosque Ecclesiasticos foverit, privilegiis, immunitatibus, prædiisque, ad victum & vestitum muniverit, suprà dictum, infràque dicendum. In his, per me licet, Edgarum Reges imitentur: nec premant grammatici verba antiquorum, contra mentem sensumque sæculorum. Edgarus dicatur *Pastor pastorū*, à viro Ecclesiastico; eo sensu quo dictum aliquando à Prophetâ: erunt Reges nutritii tui: & quid inde colliget Casaubonus pro Regum imperio in Ecclesiam? Sed quia ille in verbis versatur, videamus an illa, & quantum instituto ejus famulentur. Non dixit Dunstanus (nam is procemium composuisse creditur) Edgarum esse *Pastorum pastorem*; sed tantum *Pastorum veluti pastorem*: quod longè aliud est: & certè si Pastori similis, simpliciter Pastor, dici non debuit. Sed eo modo quo Constantinum aliquando laudavit Eusebius; cum ejus in celebrando Paschatis festo pietatem recenseret, ait: *Ad hunc igitur modum, ille Deo suo, quasi Sacerdos quidam, sacra faciebat.* & iterum: *Constantinus Ecclesiæ Dei eximiam & peculiarem curam adhibens: cum quidam inter se, in diversis locis dissensione discordarent; tanquam communis Episcopus, a Deo constitutus, ministrorum Dei coegit concilium.* Hunc Edgarus piè imitatus; eo modo, non aliter, *veluti Pastorum pastor* appellatur. Sequitur in procemio.

Euseb. in vita l. 4. c. 22. Idem l. 1. c. 37.

XIX. *Regulari itaque sancti Patris Benedicti normâ, honestissime susceptâ: tam Abbates quamplurimi, quam Abbatissæ: cum sibi subjectis fratrum sororumq; collegiis, Sanctorum sequi vestigia unâ fide, non tamen uno consuetudinis usu, certatim cum magnâ studuerunt hilaritate. Talis igitur, ac tanto studio, præfatus Rex magnoperè delectatus; arcana quæque, diligenti cura examinans, Synodale Concilium Wintoniæ fieri decrevit: illucq; verba exhortatoria, ac pacifica, pitacio luculentissimè caraxata humillimus destinavit: cunctosq; Christi compunctus gratiâ, monuit; ut concordes æquali consuetudinis usu, sanctos probatosq; imitando Patres, regularia præcepta, tenaci mentis anchorâ servantes; nullo modo dissentiendo discordarent. ne impar, ac varius unius regulæ, & unius patriæ usus; probrosè vituperium sanctæ conversationis irrogaret. Hujus præcellentissimi Regis sagaci monitu, spiritaliter compuncti; non tantum Episcopi; verum etiam Abbates, & Abbatissæ: quod talem ac tantum meruerunt habere doctorem, erectis ad æthera palmis, immensas Celsithrono grates, voti compotes referre non distulerunt. Nam illico, ejus imperiis, toto mentis conamine alacriter obtemperantes; sanctiq; patroni nostri Gregorii documenta, quibus B. Augustinum monere studuit: ut non solum Romanæ, verum etiam Galliarum honestos Ecclesiarum usus, rudi Anglorum Ecclesiæ decorando constitueret, recolentes: accitis Floriensis Beati Benedicti, nec non præcipui cœnobii; quod celebri Ghent nuncupatur vocabulo; monachis: quæq; ex dignis eorum moribus, honesta colligentes; uti apes favum nectaris, è diversis pratorum floribus, in uno alveario: ita has morum consuetudines, ad vitæ honestatem, & regularis observantiæ dulcedinem; ut ab his qui viam Regiam mandatorum Domini, absque jactantiæ vitio, lactei adhuc humiliter incedunt, depulso nausæ tædio, sine querelâ, legitimè haustu degustari libentissimo, ac avide amabili possint impleri devotione; temperata cum magna, atque subtili rationis discretione; Christi mundi Salvatoris opitulante gratiâ, hoc exiguo apposuerunt codicillo.*

XX. *Ne igitur singuli, si suam; quod absit; adinventionem suaptè præsumptiosi eligerent, excellentissimum sanctæ obedientiæ fructum, alicujus arrogantiæ fastu, inopinatè seducti, miserabiliter amitterent; ac Sarabaitæ, vel feræ potius, quam monachi, aut homines, viderentur; legitimum votum Domino nostro* Jesu Christo *unanimes voverunt, pactóque spirituali confirmaverunt: se, vitâ comite, jugo regulæ deditos, has adnotatas morum consuetudines, communi palam, custodire conversatione. Cæterum unusquisque, secretis oratorii locis; in quantum Sancti Spiritus gratia clementer instigaverit; peculiaribus, teste Deo, cum bonorum operum vigilantiâ, consultè utatur orationibus. Hoc enim Dunstanus egregius hujus patriæ Archiepiscopus, præsago afflatus spiritu; ad corroborandum præfati Synodalis conventus conciliabulum; providè ac sapienter addidit: Ut videlicet nullus monachorum, vel alicujus altioris gradus vir, vel inferioris: secreta Sanctimonialium audax ingredi lustrando præsumeret: & hi qui spiritualis imperii prioratum; ad disciplinæ utilitatem, non ad sæcularis tyrannidem potentatus; super eas exercent: ita suum, ut Beatus hortatur Isidorus, secretorum temperatè prævideant accessum; ut earum regulari observantiâ minimè contradicant. Id solummodo Catholicis regulari jugo deditis, attendendum censuimus: ne ea, quæ usu Patrum, pro Rege, ac benefactoribus, quorum beneficiis, Christo largiente, pascimur, intercessionis oramina consuetè canimus, nimiâ velocitate psallendo, Deum potius ad iracundiam inconsideratè, quod absit, provocent; quàm providè ad peccaminum veniam invitent. Ita igitur, hortante Patre nostro Benedicto, omnia distinctè psallendo modificentur; ut mens nostra concordet voci nostræ, & impleatur illud Apostolicum: Psallam spiritu, psallam & mente. Si autem, pro qualibet necessitate, quid extra communem regularis consuetudinis usum,*

Vota Regularium.

Oratio secreta.

Monialium claustra.

Psalmodia devote persolvenda.

addendum fuerit: tamdiu agatur, quoadusque negotium, pro quo agitur, Christi opitulante gratiâ, melioretur: &, ut contempto arrogantiæ fastu, gravissimus obedientiæ acquiratur fructus; & gradus ille regularis, in quo præcipitur; ut nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla; diligentissimè custodiatur: nequaquam ulterius præsumptuosè usu teneatur temerario, nisi Concilio Synodali electum, traditúmque, cum discretione, virtutum omnium matre, ab universis fuerit Catholicis.

Monachorum obedientia.

XXI. Præfato equidem Synodali conciliabulo, hoc attendendum magnoperè cuncti decreverunt; ut Abbatum, & Abbatissarum electio, cum Regis consensu, & consilio sanctæ regulæ ageretur documento. Episcoporum quoque electio, uti Abbatum, ubicumque in Sede Episcopali monachi regulares conversantur; si Domini largiente gratiâ, tanti profectus ibi monachus reperiri potuerit; eo modo agatur: nec alio quolibet modo, dum ejusdem sunt conversationis, à quoquam præsumatur. Si autem imperitiâ impediente, vel peccatis promerentibus, talis, qui tanti gradus honore dignus sit, in eâdem congregatione reperiri non potuerit; ex alio noto monachorum monasterio, concordi Regis, & fratrum, quibus dedicari debet, consilio eligatur. Qui ordinatus videlicet Episcopus, in omnibus eundem morem regularem, cum monachis suis, quem Abbas tenet regularis, diligenti curâ, & magnoperè excellenti, jugiter sine intermissione, custodiat: Nec Episcopatus occasione, regulæ præcepta tumidus, vel oblivīosus temere intermittat: Sed quantum excellit honore, tantum & opere. Sæcularium verò prioratum; ne ad magni ruinam detrimenti, uti olim acciderat, miserabiliter deveniret; magnâ animadversione, atque anathemate suscipi cœnobiis sacris, sapienter prohibentes. Regis tantummodo, & Reginæ dominium, ad sacri loci munimen, & ad Ecclesiasticæ possessionis augmentum, voto semper efflagitare optabili, prudentissimè jusserunt.

Episcopus regularis, quomodo se gerat.

XXII. Ad Regis verò obsequium, & Reginæ, Patres monasteriorum, matrésque, quoties expedierit, ad sacri cœnobii, cui præsunt, utilitatem; cum Dei timore, & regulæ observantiâ, humiliter accedant: Potentibus verò; non causâ convivandi; sed pro monasterii utilitate, atque etiam defensione; quoties expedierit, obviandi, intra, infráve monasterium, licentiam habeant. Equitando autem, vel pedites iter agendo, non otiosis fabulis vacent; sed vel psalmodiis inserviant: vel de re necessariâ, opportuno tempore, loquantur. Hoc considerantes, ut horas Regulares, non equitando; sed de equis desiliendo, genu flectentes, nisi dies festiva fuerit, convenienter ut potuerint, cum divinâ compunctione, compleant. Itinerantes verò, non juvenculos, sed adultos; quorum admonitione meliorentur; secum in comitatu ducant. Domi verò degentes; non solum fratres, sed etiam Abbates, adolescentes, vel puerulos non brachiis amplexando, vel labris leviter deosculando; sed caritativo animi affectu, sine verbis adulatoriis, reverenter cum magnâ cautelâ diligant. Nec ad obsequium privatum quempiam illorum, nec saltem sub spiritualis rei obtentu solum ducere præsumant: Sed uti regula præcipit, sub sui custodis vigilantiâ, jugiter maneat. Nec ipse custos, cum singulo aliquo puerulo, sine tertio, qui testis assistat, migrandi licentiam habeat: sed pro more solito, cum totâ scholâ, si res rationabilis ita exegerit, quo necesse est; sub silentio, vel psalmodiis inserviendo, cum benedictione eat.

Egredi monasterio quando licet.

XXIII. Villarum autem circuitum; nisi necessitatis causa magna compulerit, & necessaria rationis discretio hoc dictaverit; vagando nequaquam frequentent. Sæcularium verò convivia, nisi forte itineris hospitalitas inopinatè supervenerit; nullo modo, ausu temerario, nec prælati, nec subjecti, adire præsumant. Victum cum pondere, mensurâ, & numero; vestitum, jejunium, abstinentiam, vigiliam, taciturnitatem, obedientia bona, & cætera quæque; quæ Patronis nostri Benedicti traditione, voluntariè suscepimus; Domini nostri Jesu Christi annuente gratiâ; totis viribus custodientes, de consuetis sanctæ Regulæ moribus; tam à prædicto Patre Benedicto, quàm a Sanctis sequacibus, & imitatoribus suis; palam cum magnâ examinis discussione, jugi custoditu usu; prædicti Regis monitu freti, ac patrum imperiis confisi, solicitè, uti polliciti sumus, in quantum vires suppetent, & Spiritus Sancti gratia instruxerit, ad charitatem fraternæ unitatis custodiam scribendo dilucidemus: ut ab ipso æternæ vitæ remunerationem cuncti concorditer, & gratulabunde conservantes, recipiamus; qui facit unanimes, hoc est, unius moris habitare in domo: ubi est Rex, Christus Dominus, Virginis filius; qui cum Patre, & Spiritu Sancto, vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen. Hactenus Prooemium.

XXIV. Sequuntur Capitula duodecim, de sacris & solennibus monachorum officiis, quæ quia longiuscula sunt, omitto: eorum tantum Epitomen, qui in hunc modum sequitur, subjiciens: *Incipiunt Capitula. Primum, Qualiter diurnis, sive nocturnis horis, regularis mos, a monachis, per anni circulum observari conveniat. 2. Qualiter ordo Hymnorum, tempore hiemali custodiatur, & cætera quæ regulariter agenda sunt, qualiter agantur. 3. Qualiter vigilia Natalis Domini, & ab eadem solemnitate, usque in Septuagesimam agi conveniat. 4. Qui regularis ordo, à Septuagesimâ, tota Quadragesimâ custodiatur. 5. Qualiter diurna, sive nocturna laus. Paschali festivitate agatur. 6. Qualiter Sabbato Octavorum Paschæ, totoq; æstatis tempore, agatur. 7. Qualiter Frater, qui Circa vocatur, suum officium impleat. 8. Qualiter diurnale, sive Nocturnale Officium, hebdomadâ Pentecostes agatur. 9. Qualiter quatuor temporibus agatur. 10. Qualiter mandatum quotidianis diebus, à Fratribus, exhibeatur pauperibus: & quo ordine Abbas, erga peregrinos agat. 11. Quo ordine Sabbato Fratres munditias exerceant; quæq; officia, ob animæ salutem persolvant. 12. Quomodo circa ægrotum fratrem agatur: qualiterq; defunctum humo conveniat reddi.* Hæc est Capitulorum, & regularis observantiæ summa, quam sanctus Dunstanus; vel novis monasteriis, vel aliis è veteri lapsáque disciplinâ, in novum emergentibus, constituit iis omnibus; qui magni Benedicti monachorum in Occidente Patriarchæ, regulam profiteri cupiebant. Quæ omnia in Wintoniensi concilio confirmata videntur. Ubi etiam Edgarus Rex in favorem monasteriorum decretum fecit, quod Seldenus recitat ita præfatus.

XXV. *Absolutis Capitulis hisce, regia subjungitur Sanctio; quâ cautum est, ne demortuis cœnobiarchis, ea quæ ἐκφόρια Iurisconsultis græcis dicta; & Relevia, seu potius Heriota nostratibus; ab iis qui succedunt, fisco penderentur. Antea enim pendi solebant. quod ex sanctione ipsâ quam hic subjicimus, liquet. Præfatus equidem Rex, ut hujus libelluli Epilogum, uti proœmium, fideli ac rationabili exhortationis monitu capit, orthodoxè concluderet; prudenti*

Edgari sanctio.

discutiens

discutiens examine, cum magno sua Regia potestatis imperio interdicens; magnopere jussit, ut nemo Abbatum, vel Abbatissarum, sibi loculum, ad hoc thesaurizet terrenum; ut solitus census, quem indigena Heriatua, usualiter vocitant; qui pro hujus patria potentibus, post obitum, Regibus dari solet: unde pro eis sæcularium imitatione dari posset, haberent: & sic Anania, & Saphira anathemate corruentes, ad magnum sua anima detrimentum, sancta regula precepta, peculiaria omnia prohibentia, adnullarent. Sed hoc eam sibi, quàm sanctis successoribus suis, pro Abbate, vel Abbatissa dari, in Christi, cujus vicarii sunt, ejusq; Genitricis Mariæ, *ac omnium Sanctorum nomine, æterno prohibuit imperio. Hoc autem benevoli intentione hortando suasit: ut monasteriorum Patres, Matresq;, quæcumque super usus necessarios restauraverint; per manus pauperum, in cœlestes, cum magnâ, & jugi compunctione, recondant thesauros: quo corpore in terra degente, animus ibi conversando subsequens maneat; ubi thesauros ordine præmisit justissimo. Si qua verò, priore obeunte, superfuerint, subsequens Abbas, ut Sancti Spiritus gratia instruxerit; non propinquis carnalibus, vel tyrannis sæcularibus; secundum anterioris dictatum dividendo: sed necessitatibus fratrum, & pauperi subveniendo ordinans, suum fratrum consilio sapienter disponat.* Hactenus Edgari sanctio.

Proprietas prohibetur.

Abbas et Abbatissa Christi Vicarii.

XXVI. Heriotum quid et unde?

Quod hic Saxonicè Heriatua dicitur, sequentibus sæculis Hereotum, & etiamnum quoque vulgò appellatur. Est autem donativum aliquod, quod inquilinus moriens, fundi Domino relinquit, in supremi dominii argumentum: unde fortè appellationem accepit; nam *Here*, Saxones Dominum vocant. Nec malè hic conjectat Seldenus, hoc genus tributi, in monasteria etiam irrepsisse: & interdum novos Abbates, è demortui Abbatis peculio, illud Regi pendisse. Quod indignè, ut vides fert Edgarus, liberam Ecclesiam servire illam servitutem. Unde eleganter concluditur, Edgari Regis mentem, sensúmque fuisse: nihil Reges in Ecclesiastica bona præsumere, nullúmque debere penes eos dominii titulum residere. Quodsi in temporalia bona, quæ Reges ipsi Ecclesiæ donaverunt, nullum jus Regibus est (ut sensisse ex hac sanctione Edgarus colligitur) quomodo in Ecclesiam, quæ nunquam Regibus, nisi ad eam fovendam, nutriendam, defendendam, credita; juris aliqua, aut dominii dictio esse potest. Benè igitur cavit Rex, nè servitutis argumentum aliquod, aut bonorum Ecclesiæ subjectio, suo sæculo extaret: nam inde multò doctiùs, quàm è verbulo aliquo, posteri Reges, Regumque parasiti, litem Ecclesiis movere possent: cùm facta fortiùs, quàm dicta probare soleant.

Edgarom nihil in Ecclesiam præsumpsisse probatur.

XXVII. Concilii tempus.

Quod ad tempus attinet Wintoniensis Concilii, & editæ sanctionis, nihil fateor, è dictis colligitur: nisi quod videantur omnia, posteriùs ponenda: Nam ejectum è monasteriis negligentem clerum, & substitutos monachos, loquitur procemium; quod priùs quidem, & hoc potissimum anno tractatum, decretumque: & fortè ex aliquâ parte perfectum: plenius tamen sequentibus annis executioni mandatum. Cæterùm quòd hoc anno, Regularis concordia publici juris facta sit, probataque in Synodo; è Regiâ Edgari chartâ, pro novo Wintoniæ monasterio dictatâ, & plurimorum suffragio firmatâ, deducitur. Cùm enim ibi annus Christi nongentesimus sexagesimus sextus, disertè ponatur; & authores omnes, eo anno, datam agnoscant: patet è Regis, Principum, Prælatorum, Procerumque subscriptionibus, in magno aliquo conventu contestatum esse. De hâc Edgari chartâ, ita scribit Seldenus: *Cæterùm quod ad sedulam Edgari in novandis solitaria vita institutis, curam, atque navatam operam porrò attinet: extat etiamnum Codex, ejus jussu, literis aureis pulcherrimè exaratus, quo ea novo Wintonia monasterio instauravit: præfatione ad illius ævi morem satis turgidâ (qua aliquot paginas occupat, nec tamen ad rem omnino facit) his præmissâ, quod reliquum est, exhibemus.* Ita ille, in notis ad Edmerum, & Spicilegio. Ego verò, qui non spicas post metentes lego; sed messem integram conor in Anglicanæ Ecclesiæ horreum inferre; non debeo Regis procemium, aureis literis olim exaratum, prætermittere; quia Edgari pietas in Beatissimam Virginem, in ipso procemio elucet: quod licet Seldeno, qui Sanctis cultum negat, videatur nihil ad rem facere; mihi tamen, Regiam fidem exploranti, opportunum est, & silentio non tegendum. Sic ergò in M. S. & Wintoniensis Ecclesiæ Annalibus legitur. *Rex iste inclytus Edgarus, quamvis singulis monasteriis, per Angliam charissimus extiterit amicus: specialissimus tamen extitit benefactor, ac fundator novi monasterii Wintonia, quod modo Hida nominatur, prout elucidabunt scripta subsequentia.*

Selden in Spicile

Annales de Hida.

Incipit Charta privilegii, Edgari, benignissimi Principis, concessa novo monasterio Wintonia, quod modo Hida appellatur. cujus rubrica sic cancellatur ✠ Edgar Rex hoc privilegium novo edidit monasterio, ac Omnipotenti Domino, ejusq; genetrici Mariæ, *ejus laudis magnalia concessit.*

XXVIII. Edgari privilegium novo monasterio concessum.

Capitulum Primum.

Ita refert Spelmannus fol. 431.

,, OMNIPOTENS totius machinæ conditor,
,, ineffabili pietate, universa mirificè mode-
,, ratur, quæ condidit. Qui coæterno videlicet
,, verbo, quædam ex nihilo edidit; quædam ex
,, informi subtilis artifex propagavit: Materia
,, Angelica, quippe creatura (in informis materia
,, nullis rebus existentibus) divinitus formata,
,, luculento resplenduit vultu: malè, proh dolor!
,, libero utens arbitrio; contumaci arrogans fa-
,, stu; creatori universitatis famulari dedignans;
,, semetipsum Creatori æquiparans; æternis bara-
,, thri incendiis, cujusvis complicibus jugi meritò
,, cruciatur miseriâ. Hoc itaque themate, totius
,, sceleris peccatum exorsum est.

Capitulum II.

XXIX.

Quare hominem condidit, & quod ei commisit.

,, Evacuatâ animâ polorum sede, & eliminatâ
,, tumidi fastus spurcitiâ; summus totius bonita-
,, tis arbiter, lucidas cœlorum sedes, non sine
,, cultore passus torpere; formatis ex informi ma-
,, teriâ, diversarum rerum speciebus; hominem
,, tandem ex limo conditum, vitæ spiraculo ad sui
,, formavit similitudinem; cui universa totius
,, cosmi superficie, condita subjiciens, scipsum
,, suosque posteros sibi subjecit: quatenus ejus
,, secutura posteritas, Angelorum suppleret nu-
,, merum, cœlorum sedibus superbiâ turgente,
,, detrusum.

Capitu-

CAPITULUM III.

Qualiter in Parad.so sine crimine conversatus sit.

,, Qui Paradisiacæ voluptatis amœnitate locatus;
,, nullius rei patiebatur dispendium; sed ei totius
,, mundi, ad votum suppeditabat facultas. * Foius (* Totus)
,, namque bonitatis ubertate frumenti, nulla ei res
,, Instita resistebat; amore altithrono devotè
,, obsequente, creatura cuncta famulabatur subje-
,, cta; fruebatur lætabundus Creatoris tripudio, &
,, Angelorum alacriter utebatur consortio. Non
,, enim corporalis debilitabat imbecillitas; nec
,, animi affligebat anxietas: non typho levis rapta-
,, batur superbiæ; sed suo se conjungens authori,
,, humilis pollebat mirificè. Non enim inanis
,, tumidum vexabat gloria; sed devotum Creatoris
,, magnificabat memoria. Non invidia eum alieno
,, torquebat profectu: sed charitatis jugiter læta-
,, batur amplexis. Non irâ cruciabatur infestus;
,, sed caritatatis tranquillitate leviabatur patientissi-
,, mus. Nou eum tristitia mœrore dejicebat; sed
,, gaudii spiritualis spe pollente flurebat. Non
,, avaritiâ nimium jactabatur cupidus; sed dapsili-
,, tatis studio exercebatur largissimus: Non illi-
,, citomafficus delectabatur edulio; sed parcitate
,, contentus, licito utebatur cibario. Non luxu-
,, ria eum stimulabat nefaria; sed continentia
,, competens constringebat ad præmia: omnium
,, policrates virtutum, cunctis carens adversis,
,, prosperis, ritè pollebat ingenuus.

XXX.

CAPITULUM IV.

Quomodo cœlum sine morte conscendere confidebat: & diabolus invidus, ne ascenderet, impediebat.

,, Qui prole ad numerum patratâ, superbientium
,, Angelorum universâ comitante prosapiâ, sine
,, loto gustato ligni vetiti fructu, æthereos æter-
,, næ beatitudinis suggestus, * primatum cum (* trimiatum alias triniatim.)
,, Domino regnans conscendere Macrobius con-
,, fidebat. Invidus igitur hoc animadvertens za-
,, bulus, nimiâ percussus invidiâ; rimari callidè
,, versutua cœperat: quibusque insidiis, ne ad
,, tantam numinis conscenderet gloriam, subdolus
,, deciperet: pro nihilo fortè ducens concessa,
,, illicita allubescendo laudans; mulierem admo-
,, dum fragilem pellexit: quæ sui detrimenti mi-
,, nimè contenta; virum muliebriter victum,
,, blandis suasionibus delinitum, exili heu malo
,, gustato, sibi similem faciens perdidit.

CAPITULUM V.

Quomodo in hac miseriâ omnibus privati virtutibus dejiciantur, tandemq; cataclismate de....

,, Utrique tandem præfatis privati donariis, Pa-
,, radisi eliminati metis, in præsentis vitæ ærumnâ,
,, miserrimi dejiciuntur: contemnentes Creato-
,, rem, à cunctis insequuntur creatis. Vita desiit,
,, mors inolevit. · Virtutum catervâ recedente,
,, vitiorum cumulus successit. Succedente nepo-
,, tum prosapiâ, successit cumulata criminum col-
,, legio, universi cum suis sceleribus cataclismate
,, dempti; tandem octo utrisque sexus reservatis,
,, tabescendo deficiunt. Vitiis compotè surgen-
,, tibus, Conditor se hominem fecisse indoluit.
,, Postremo misericors mortalibus, ut pollicitus
,, est, succurrit.

XXXI.

CAPITULUM VI.

Quomodo Christus natus, suâ nos Passione redemit: ac cælos conscendere fecit.

,, Stella emicuit matutina; quâ, è suo radio,
,, mundi tenebras fugaret. Fausta resplenduit
,, MARIA; cujus utero virginali Christus ineffa-
,, biliter editus; peccatorum tenebras, mediator
,, clementissimus dempsit. Viguit Christus vir-
,, tutibus plenus. Incanduit Judæa, ingenti ran-
,, core repleta. Carnem suscipiens pro nobis
,, pati voluit. Quod ejus permissu, infelix auda-
,, cter complevit Judæa. Ligno quippe perditum,
,, ligni scandens gabulum, genus redemit huma-
,, num. Universitas namque hominum, dæmon
,, nationea ludificando insultans: jure, ut mandati
,, transgressorem, possidens, morte multabat
,, perpetuâ: Sanguis vero à mortuis ultorem tro-
,, phæo Crucis divisit. prædam de perfidi Leonis
,, ore tulit: secumque super æthera vehens supe-
,, rius, Anglorum cœtibus consociavit. Ut cum
,, eo communi contubernio fruentes bonitate,
,, perspicui virtutum omnium ubertate referti:
,, exportes peccati, omni contagione privati; sine
,, fine post diem judicii, restauratis corporibus
,, exultantes regnarent. Hanc præcipuam sine
,, dubio, gloriam, credentibus, qui Trinitatis,
,, veræque unitatis Fidem, bonis insudantes ope-
,, ribus sectantur; pollicitus, non credentibus
,, supplicium minatus æternum, perpetuia baratri
,, incendiis justissimè spopondit.

XXXII.

Hactenus præfatio, quam Seldenus omisit: Spelmannus verò, ex Hidæ Annalibus, & Codice aureis literis pulcherrimè exarato, recensuit, libro de Synodis ad Christi annum nongentesimum sexagesimum sextum: ubi licet nullam Wintoniensis Concilii mentionem faciat. dicit tamen eo tempore Edgarum Wintoniense cœnobium condidisse. *Cujus*, inquit, *cœnobitis* (ut Vicarius Christi) *vita regulas & honestatis imponit, tam Ecclesiasticus, quàm saculares.* (Spelman. fol 481.) Quibus planè Regularem concordiam significat, quam suprà dedimus: in cujus prooemio, Wintoniensis Concilii mentio habetur: & in Epilogo, seu Regiâ Edgari sanctione, tam Abbas, quàm Abbatissa, ab ipso Rege dicuntur, *Christi Vicarii*: ut * suprà (* hic n. 25.) vidimus. Unde nescio cur paradoxi homines, orthodoxis toties objiciant, hoc Regis epitheton, cùm Regia Majestas, in Romanâ Ecclesiâ, sacro-sancta semper habeatur, & apud factiosos vilescat: ut miserrima rerum facies, hoc quo scribimus anno, vocale argumentum est. Sed pergo ad Edgari chartam.

XXXIII.

CAPITULUM VII.

De benevolo Regis meditamine.

EDGARI CHARTA PRO NOVO MONASTERIO.

,, Hinc ego Egarus, divinâ favente gratiâ, totius
,, Albionis Basileus rimari magnopere cœperam,
,, quid operum studio exercerem; ut ad tantam
,, gloriam perveniens, Christi Sanctorum ejus
,, cœlo collocatis contubernio coronatus fruerer,
,, tantámque inferni miseriam devitarem. Insti-
,, gante etenim Domini clementiâ, occurrit ani-
,, mo; ut ipse criminibus cessarem cunctis, atque
,, bonis operibus insistens, forma factus gregi;
,, quousque nostri regiminis gubernamine de-
,, genics lucrifacerem. Quosdam igitur suasio-
,, nibus invitans ad præmia, quosdam terroribus

compellens,

compellens, ad gloriam; bona ædificans. mala, ut Domino faciente potui, dissipavi. Scriptum quippe, per Jeremiam memini prophetam. Ecce constitui te super gentes, & super regna; ut evellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Talibus igitur exhortatus doctoribus, quibus nos Dominus per Prophetam clementer admonuit; agens Christo favente in terris, quod ipse justè egit in cœlis: extricans videlicet, Domini culturâ, criminum spurcitias, virtutum semina sedulus agricola inferni.

XXXIV. CAPITULUM VIII.

Quâ ratione clericos eliminans, monachos collocavit.

Timens ne æternam incurrerem miseriam, si adeptâ potestate, non facerem; quòd ipse qui operabatur omnia, quæ in cœlo vult, & in terra, suis exemplis justus examinator innotuit; vitiosorum cuneos Canonicorum, è diversis nostri regiminis cœnobiis, Christi vicarius, eliminavi: quod nullis mihi intercessionibus prodesse poterant; sed potius, ut Beatus ait Gregorius, Justi vindictam judicis provocarent, qui variis viciorum nævis contaminati, non agentes, quæ Deus jubendo volebat; omnia quæ nolebat, rebelles faciebant; avidus inquisitor advertens, gratos Domini cuneos, qui pro nobis incunctanter intercederent, nostri juris monasteriis devotus hilariter collocavi.

CAPITULUM IX.

Quod Spiritus Sancti gratiâ compunctus, Abbatem, & Monachos in novo constituit monasterio.

NOVUM MONASTERIUM DEIPARÆ ET SANCTIS SACRUM.

Hac itaque ratione, Sancti Spiritus attactus flamine, locum Domini mundans Wintoniensis Ecclesiæ; novi monasterii arcisterium, nostro ejusque Genetrici semper Virgini MARIÆ, & omnibus Apostolis, cum cæteris Sanctis dicatum, restauravi. Sciens scriptum: Consentientes & facientes, pari constringuntur pœnâ rebellionis, Omnipotentis voluntati obviantes. Possessionem Domini usurpare non sustinens; clericos lascivientes repuli; ac veros Dei cultores, monachico gradu fungentes; qui pro nostris, nostrorumque inibi quiescentium excessibus, sedulo intercederent servitio: quo eorum intercessionibus nostri regiminis status vigeret munitus; Abbatem, Christo cooperante, eligens altithrono subjectus, illic devotè ordinavi. Hoc submixè cfflagitans deposco, ut quod in suis ego, in mihi ab ipso collatis. Scilicet adversarios nostros dejiciens, amicos sublimando provehat; ut inimicos Sanctæ Dei Ecclesiæ deprimens, amicos ejus, monachos videlicet, beatificans justificavi.

XXXV. CAPITULUM X.

De illorum anathemate, qui monachis insidiantur.

Si autem qualibet occasione, diabolo instigante, contigerit; ut fastu superbientis arrogantiæ, dejecti Canonici, monachorum gregem; quem ego venerans, cum Pastore, in Dei constitui possessione: dejicere insidiando voluerint: agatur de iis, & de omnibus, qui quolibet munere cæcati, juvamen eis impenderint: quod actum est de Angelis superbientibus, & de protoplasto, diaboli fraude seducto; ut Paradisi videlicet limitibus, sublimibusque regni cœlorum sedilibus, ejecti cum iis, qui Domini famulatum aspernantes contempserunt, baratri incendiis detrusi, jugi crucientur miseriâ. Nec inde evulsi, se glorientur evasisse tormenta; sed cum Juda Christi proditore, ejusque complicibus, Acharonte conglutinati, frigore stridentes, fervore perusti, lætitiâ privati, mœrore anxii, catenis igneis compediti, lictorum metu perculsi, scelerum memoriâ confusi, totius bonitatis recordatione semoti; æterno lugubrea punientur Cruciatu.

CAPITULUM XI.

Item de Anathemate insidiantium.

Qui autem jam prædictos novi Wintoniensis Ecclesiæ cœnobii monachos, vel quoslibet ejusdem ordinis, nostro regimine degentes; quæ monasteriis, quæ vitiorum spurcitiis expurgans JESU CHRISTO Domino nostro, victo dæmone adquisivi, eliminare præsumens voluerit, anathema sit: & eadem maledictione, quâ Cain parricida; qui fratrem suum Abel, stimulante invidiâ, lividus interemit, mastigia addictus est; sine termino teneatur obnoxius: atque in Dei persecutione continuo perseverans in hac vitâ, nullum dignitatis adquirat honorem: nec in futuro, sine miseriâ, nunquam persistat: sed cum Ananiæ. & Saphiræ una stix, voragine ejulantem, crucians complectatur.

CAPITULUM XII. XXXVI.

De Benedictione Monachos venerantium.

Quicumque prætitulatos monachos, bonis quibuslibet locupletans, ditare voluerit; Creator cunctitenens clementer eos, eorumque progeniem totius ubertate prosperitatis, hic, & in futuro sæculo, ditando locupletet. Scriptis decenter eorum, in libro vitæ nominibus; cum Christo portionem, in cœlorum habitaculis habeant. qui monachos suos, quos nostris congregatos temporibus possidet, vel verbis, vel factis sanctitatis studio honoraverint.

CAPITULUM XIII.

Quales & qualiter Monachi in hoc monasterio conversentur

Regulares itaque monachi, non seculares, in præfato (Christo comite) degentes monasterio, regulæ moribus obtemperent: Patres venerantes spirituales, sanctorum Patrum imitentur exempla: nihil agentes, nisi quod communis monasterii regula, vel Majorum demonstravit norma. A secularibus igitur pompis remoti, toto nisu corporis custodiant, & animæ castitatem. Humilitatis studio pollentes, corpus parsimoniæ vigore munientes, alacri constringant animo. Civium convivæ, intra urbem perpetuo interdictu fieri erubescant. In civitate degentes, in refectorio pompaticas, lascivásque sæcularium delicias, ut melancholiam apportantes, licitis charitativi utantur cibariis. Extra refectorium autem minimè, nisi domo infirmorum ægroti decubuerint, edentes licitè qui jussi fuerint. Sacri summique ordinis hospites, si ratio exegerit, & peregrini ordinati, longo terrarum

„ ſpatio venientes. ad Abbatis menſam in Refe-
„ ctorio cautiſſimè invitentur. Laicis in hoſpi-
„ tio condecens exhibeatur humanitas: & mona-
„ chorum quiſpiam manducandi vel bibendi cum
„ eis ſecundùm Patrum decreta, licentiam non
„ habeat. In Refectorio autem edendi causâ, vel
„ bibendi, non introducantur. Pauperes, ut
„ Chriſtus, ingenti cordis ſuſcipiantur tripudio.

XXXVII. CAPITULUM XIV.

De Abbatum electione.

„ Divinarum ſtudio literarum luculentiſſimè
„ eruditi, orationum frequentiâ, aſſiduè occupati,
„ charitatis amplexu lætiſſimi, fidei exercitio
„ promptiſſimi, ſpe provehente ſinceriſſimi, pace
„ concorditer fixi, omnium virtutum flore de-
„ corati, ad finem uſque cœptum tantæ bonitatis
„ initium, Chriſto juvante, perducentes, eadem
„ glorioſi fruantur libertate, quam B. Patronus
„ Benedictus, omnibus regulari præcepto ſubje-
„ ctis inſtituit. Scilicet, ut poſt Abbatis obitum,
„ tunc temporis regentis, Abbatem ex eadem or-
„ dinent congregatione; quem ſibi omnis con-
„ cors congregatio; ſive pars, quàmvis minima
„ congregationis, ſalubriori elegerit conſilio.

CAPITULUM XV.

Qualiter Rex Abbatem, & monachos, venerantes muniat?

„ Reges itaque quicumque noſtri fuerint ſuc-
„ ceſſores; nullam extraneam perſonam jus tyran-
„ nidis ſuper monachos exercentem, imponent;
„ ne fortè Deus eos damnans, & regno deponat,
„ & vitâ. Electum verò à fratribus, Chriſti vi- **ITERUM ABBAS DICITUR AB EDGARO, CHRISTI VICARIUS**
„ carium, dignanter ſuſcipiant; eumque charita-
„ tis igne ſuccenſi, locupletando venerentur.
„ Juvamen, in quantum indiguerit, Chriſti amore
„ compuncti alacriter impendant. Mutuo nam-
„ que confortati juvamine, in nullo à regularibus
„ præceptis diſcordantes; Domini gregem, non
„ mercenariis, ſed Paſtores fidiſſimi, luporum ri-
„ ctibus eximentes, intrepidi defendant.

CAPSTULUM XVI.

XXXVIII *Qualiter Abbas & monachi Regem à dæmonum tentatione eripiant.*

„ Abbas autem, armis ſuccinctus ſpiritualibus;
„ monachorum cuneo hinc inde vallatus; chariſ-
„ matum cœleſtium rore perfuſus; aëreas dæmo-
„ num expugnans verſutias; Regem omnemque
„ ſui Regiminis clerum Chriſto (cujus virtute
„ dimicant) juvante; à rabidâ hoſtium perſecu-
„ tione inviſibilium ſolerter, ſpiritus gladio, de-
„ fendens; Fidei ſcuto ſubtili protegens ſutamine,
„ robuſto prælians triumpho, miles eripiat im-
„ perterritus.

CAPITULUM XVII.

Qualiter Rex Abbatem, & monachos ab hominum perſecutione defendat.

„ Rex itidem terrenus, cœleſtis caſtra Regis
„ fortiſſimo roborans munimine, armis ſæculari-
„ bus, viſibiles expugnans adverſarios; hoſtium-
„ que rabiem ſævientium adnihilando dejiciens;
„ conditoris ſui paſcua, gregémque, ſolicitâ in-
„ expugnabili tueatur cuſtodiâ; quatenus ad vitæ
„ bravium perveniens, æternis tripudians fruatur
„ bonis: quæ nec oculus videre aliquatenus po-
„ tuit humanus, nec in hominis cor ullatenus
„ aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.

CAPITULUM XVIII. XXXIX.

De Monaſtica profeſſionis libertate.

„ Sint præfati monaſterii rura, omniſque mo-
„ nachorum poſſeſſio in rebus magnis, vel modi-
„ dicis, internis, vel externis, in urbanis vel ſub-
„ urbanis, prædiis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis,
„ molendinis, rivulorum curſibus, æternâ liber-
„ tate, in Chriſti nomine, ejuſque Genitricis,
„ ditata.

CAPITULUM XIX.

Quod nullus ſæcularium, monaſterii poſſeſſionem illicite uſurpet.

„ Sæcularium quiſpiam, auſu temerario; jus ty-
„ rannidis, non in Chriſti cultura præſumptuoſus
„ exerceat. Non minuat, inſtigante diabolo, quod
„ Sancti Spiritus inſtinctu, tam à me, quàm à præ-
„ deceſſoribus meis: nec non à Catholicis utriuſ-
„ que ſexus hominibus, largiflua conceſſum eſt
„ dapſilitate.

CAPITULUM XX.

De Benedictione augentium.

„ Augenti tribuat rerum cunctarum opifex
„ tranquillum vitæ præſentis excurſum; longævam
„ inſtantis temporis vitam; futuram æternæ bea-
„ titudinis rationem; ſufficientem victualium
„ ubertatem; interminabile proſperitatis augmen-
„ tum; copioſum virtutum omnium juvamen.

CAPITULUM XXI.

De maledictione minuentium.

„ Minuentem perpetua poſſideat miſeria. In
„ Domini maneat perſecutione; ejus Genitricis,
„ Sanctorúmque omnium incurrat offenſam.
„ Præſentis vitæ adverſitas illi ſemper eveniat:
„ nulla ei bonitatis accidat proſperitas. Omnia
„ ejus peculia inimici vaſtantes diripiant. In fu-
„ turo autem, æterni miſerrimum cum hædis in
„ ſiniſtra poſitum damnent Cruciatus: ſi non ſa-
„ tisfactione emendaverit congruâ, quod in Do-
„ mini uſurpans detraxit cenſurâ.

CAPITULUM XXII.

Quibus modis ſæcularibus obtemperent: & quod nullius reatus hoc Domini privilegium minuere valeat. XL.

„ Tribus tantummodo cauſis, ſæcularibus
„ obtemperent præceptis: ratâ videlicet expedi-
„ tione, pontis, arciſve conſtructione: alias
„ æternâ ditati glorientur libertate. Reatus quip-
„ piam, ſi incitante dæmone ſeductus vel Abbas,
„ vel fratrum aliquis fragiliter, quod abſit, con-
„ traxerit; juſtitiâ purgante, ſecundùm regulare
„ præceptum, abolitus damnaretur. maneatque
„ præfatæ munificentiæ libertas, altithrono per
„ noſtram humilitatem oblata, ad monachorum
„ uſus gratuitè ſibi famulantium inviolabilis;
„ æternâ libertate jocunda, quia Deus, qui hanc **RATIO IMMUNITATIS ECCLESIÆ SINE TERMINO.**
„ privilegii largifluam donationem, locúmque,
„ cum universâ monachorum familiâ, cunctáque
„ omnia ſacro ſubjecta cœnobio poſſidet; nun-
„ quam reatum commiſit, nec ullo unquam tem-
„ pore committet. Sit igitur præfata libertas
„ æterna, quia Deus libertatis poſſeſſor, æter-
„ nus eſt.

Anno Incarnationis Dominicæ, nongenteſimo ſexageſimo ſexto. ſcripta eſt hujus privilegii ſyngrapha, his teſtibus conſentientibus, quorum inferius nomina ordinatim caraxantur. XLI.

† Ego

† *Ego Eadgar, divinâ largiente graciâ, Anglorum Basileus, hoc privilegii donum, nostro largiens Redemptori, locoq́ ejus Sanctißimo, primus omnium Regum, Monachorum inibi collegium constituens, manu propriâ signũ hagiæ Crucis imprimens confirmavi.*

† *Ego Dunstan, Dorobernensis Ecclesiæ archiepiscopus, largifluam benevoli Regis donationem venerans, Crucis signaculo corroboravi.*

† *Ego Edmund, Clito, legitimus præfati Regis filius, Crucis signaculum, infantili florens ætate, propriâ indidi manu.*

† *Ego Eadweard, eodem Rege Clito procreatus, præfatam Patris munificentiam, Crucis signo consolidavi.*

† *Ego Ælfthryth, legitima præfati Regis conjux, meâ legatione, monachos, eodem loco, Rege annuente constituens, Crucem impreßi.*

† *Ego Eadgifu, prædicti Regis ava, hoc opus egregium Crucis taumate consolidavi.*

† *Ego Oscytel Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopus, confirmavi.*

† *Ego Athelwold, Ecclesiæ Wintoniensis Episcopus, Regis gloriosißimi benevolentiam, Abbatem meâ altum mediocritate, & alumnos quos educavi, illi commendans, Crucis signaculo benedixi.*

† *Ego Ælstan, Londoniensis Ecclesiæ Pontifex, cõsolidavi.*

† *Ego Osulf Episcopus, confirmavi.*

† *Ego Oswold Episcopus, consignavi.*

† *Ego Alfwold Episcopus, consolidavi.*

† *Ego Byrehtelm Episcopus, confirmavi.*

† *Ego Ælfstan Episcopus, consolidavi.*

† *Ego Eadelm Episcopus, confirmavi.*

† *Ego Athulph Episcopus, consignavi.*

† *Ego Winsige Episcopus, confirmavi.*

† *Ego Æscwig Abbas cõsolidavi.* † *Ego Ordbyriht Abbas.* † *Ego Ælfstan Abbas.* † *Ego Æthelgar Abbas primus huic loco ordinatus, Christo gubernante vigui.*

Sequuntur Ducum, & Ministrorum nomina, quæ prætereo: & demum additur.

XLII. *Omnes, qui nominatim hoc privilegio, Regis jussu descripti videntur; posteritatis nostræ prosapiam submixè deposcimus; ut manuum nostrarum vadimonium, Christi cruce firmatum, nequaquam violantes, irritum faciant. Si successorum quispiam, temeritatis ausu, violare præsumpserit; Corporis & Sanguinis* Jesu Christi *participatione privatus, perpetuâ damnatus perditione, Anathema fit; nisi divino propitiante respectu, ad humilem satisfactionem resipiscens, conversus fuerit.* Hactenus Edgari Charta, concessa novo monasterio apud Wintoniam, quod Hida dicebatur: cujus exordia, ad Alfredum Regem

*an. 900. 3. referuntur: ut suprà * dictum est. Edoardus tamen, Alfredi F. cœnobii structuram primus inchoavit; Grimbaldo * Abbate opus promovente: *an. 903. n. 4. &c.

Cæterùm Edgarus hic, non male dicitur, primus Regum omnium, monachorum collegium ibidem constituisse: quia Grimbaldus externus homo, paucos admodum ad monasticæ vitæ normam adlegerat: unde eo mortuo, & rerum summâ ad Canonicos sæculares devolutâ; penes Clerum, loci jura, prædiáque hactenus resederant. Nunc verò, mutatâ rerum facie; Edgarus Clerum cedere, & monachos succedere, suo, & omnium ordinum suffragio, jubet.

XLIII. Quod ad subscribentes Episcopos attinet (nam eorum potissimum mihi ratio reddenda) qui sine Sede nominantur: ita, opinor, subscribi possunt: Osulfus Episcopus Wiltunensis: nam cum ibi, ab anno nongentesimo trigesimo quarto sedisse, sancti Odonis successorem diximus. Sequitur Oswoldus, sine dubio Wigorniensis Episcopus. Alfwoldus Cridiensis, de quo ad annum 953. num. 2. Byrehtelm (sic enim tam in M. S. Codice, quàm apud Spelmannum & Seldenum scribitur) Wellensis Episcopus est, Wulfhelmi successor; ut * suprà. *an. 958 10 Hæreo paululum in duobus sequentibus: & opinor, adjecta postmodum eorum nomina: nam Ælfstanos, Osulfo Wiltunensi successit, sub annum Domini nongentesimum septuagesimum primum: & paulò ante, Eadelmus Australium Saxonum Episcopus scribitur, nimirum mortuo Ælfredo, qui hoc anno putatur Seleseiæ sedisse. De duobus ultimis facilior lectio: nam Athulfus Orientalium Anglorum Episcopus, non videtur Alfrico locum dedisse, ante annum 970. licet priùs in Fastis Alfricus scribatur Helmhamensis Episcopus. Denique Winsige, Lichfeldensis Antistes est, qui hoc primùm anno; Kinsio in eâ Sede successit. Sed omitti non debet nobilissima fœmina, quæ cum Episcopis subscripsit, *Eadgifu* Regis avia. Hæc enim illa est; quæ Edoardo seniori conjuncta, à Latinis ferè Edgiva dicitur, *& omni religionis laude orbi Britannico nota*, ut supra 948. n. 24: Nam multa de illâ referuntur sanctitatis argumenta. Nimirum quòd anno 959. prædia omnia Christo obtulerit, & Ecclesiæ Cantuariensi: quòd etiam piè mortua sit xxv. Augusti, sub annum Domini nongentesimum sexagesimum tertium. Sed quia hoc anno subscripsit, malo legere 966. Nunc pergo, visurus quomodo Edgarus Rex, hanc Regiam chartam sigillaverit.

Kinsius Lichfeldensis moritur: Succedit Winsius.

XLIV. Extat nobile pietatis ejus argumentum, in Annalibus Hidæ, hoc anno datum, cùm prædia novo monasterio consignantur; quod meritò Edgari chartam poterit coronare: Recensuit illud Spelmannus, & è suo hanc addidit Epigraphen: *Alia charta Edgari Regis: quâ nullos unquam fuisse perhibet, in Wintoniensi hoc cœnobio monachos, ante hos, quos ipse jam introduxit, è monasterio Abingtoniensi.* Sed cum bonâ Spelmanni veniâ; nec verum est, quod habet Epigraphe; nec potest sensus ille è chartâ erui. Enimverò tam constat Grimbaldum, monachum fuisse; quàm novi monasterii incolam, & Abbatem: & quòd ille monachos aliquando ibi collegerit, dixi sub hujus sæculi initium. Peccat etiam Spelmannus, in notâ, quam post recitatam Edgari chartam adjecit; cùm ejectos è monasterio, vocat *sæculares conjugatos: quales*, inquit, *fuisse dicuntur alii omnes* (clerum intelligit) *per totam Angliam; cùm mutationis opus hoc aggressus sit Edgarus: præter illos Abingtonia, & Glastonia, ut Codex M. S. Wintoniensis attestatur.* Ita ille, enormi calumniâ Anglicanam Ecclesiam onerans: & nullo eam argumento probans: Nam Codex M. S. Wintoniensis, nunquam *conjugatos* vocat, è novo monasterio ejectos: sed supponit potiùs, non conjugatos fuisse. Conjugium enim honorabile est: & illi, ob spurcitias, lasciviam, & vitia, quæ emendare noluerunt, pulsi sunt; ut infrà è Codice M. S., dicemus. Falsum quoque est, & à nemine assertum; omnem *per totam Angliam* clerum, conjugatum fuisse: aut illis vitiis sordidum, quæ Edgarus, & optimus quisque, in clero persecutus est. Nam è sæculari clero, sanctissimi

Spelman. fol. 443.

Spelmanni nota rejicitur.

fuerunt omni sæculo: ut in Odone priusquam Dorobemiam transferretur; aliisque Episcopis patet, qui monachi non fuerunt. Fateor tamen, è Danorum nuperâ inundatione, vitiorum diluvium Insulam maculasse. Unde tam Canonici sæculares, quàm monachi ipsi, à morum vitæque puritate deflexerant: illi profundiùs, quia minus votorum sanctitate muniti: isti venialius, atque ideò ad virtutum exercitia facilius redierunt. Nunc chartam legamus, ut eam Spelmannus recitat, & videbis Lector, an dicat Edgarus, *nullos unquam fuisse in Wintoniensi hoc cœnobio monachos, ante hos, quos ipse jam introduxit.* Ut Spelmannus chartæ præfixit, quæ sic loquitur.

XLV. EDGARI CHARTA PRO NOVO MONASTERIO. *Annuente altithroni Moderatoris imperio, totius Albionis creatiatim potitus regimine, non immemor ob hoc mihi recidiva fore concessa ut iis strenuè æterna lucrarer. Quapropter ego Edgar, totius Britanniæ Basileus, quasdam villas, ut nominentur Dunkitone, habens quinque hidas terræ, & Ecclesiam Sueyse, cum viginti octo hidis terræ, & Ecclesiam Tittlescumbe, cum decem hidis terræ: & quandam ruris (portionem)* * *duobus videlicet cassatis terræ, loco, qui celebri Winterburna nuncupatur vocabulo: do, & concedo in puram, & perpetuam eleemosynam, novæ Wintoniensi Ecclesiæ, Beato Petro Apostolorum Principi dicatæ, nec non sancto Edotio, cujus reliquiæ inibi miraculis clarescunt; cum omnibus utensilibus, pratis videlicet, pascuis, rivulis, æternâ largita sint hereditate perspicuus ut Canonicos, qui incorrigibiles perdurarent, de Ecclesiâ dictâ ejeci & monachos de Abundonie loco substitui. Sint autem prædictæ villæ, rus, mansiones, terræ, rivuli, omni terrenæ servitutis jugo liberæ in perpetuum: Tribus exceptis: ratâ videlicet expeditione, pontis, arcisvè restauratione. Si quis autem hanc nostram donationem in aliud, quàm constituimus, transferre voluerit; privatus consortio sanctæ Dei Ecclesiæ, æternis barathri incendiis, lugubris jugiter, cum Iuda Christi proditore, ejusq; complicibus, puniatur; si non satisfactione emendaverit congruâ, quod contra nostrum deliquit decretum.* Hæc Spelmannus, nec plura addit è Regiâ chartâ. Notam tamen adjicit satis importunè; nimirum ejectos illos, quorum ibi mentio; conjugatos fuisse: quod à Fide hujus sæculi alienum est, & ab Edgari dialecto.

* forté *duos.*

S. EDOTIUS.

XLVI. In Codice M. S. unde Spelmannus chartam exscripsit, sequuntur aliqua, quæ omitti non debent: nimirum temporis consignatio: & chartæ confirmatio per subscribentium nomina. Cum igitur hidarum limites, accuratè de more distincti essent, ita subjungitur. *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo sexto, scripta hæc charta, conscripta, & donatio, his testibus consentientibus. † Ego Edgarus Rex Anglorum, divinâ largiente gratia, hoc donum Redemptori, locóque ejus sanctissimo, primus omnium Regum, monachorum inibi collegium constituens, manu propriâ, signum † hagiæ Crucis imprimens, confirmavi.* Sequuntur Dunstanus Dorobernensis, pueri Regii, Reginæque, eo prorsus ordine, & eâdem verborum formulâ, quæ in priori chartâ legitur: Episcopi etiam, Abbates, Proceresque. Unde datam eo tempore constat, quo illi convenerunt.

Annales Hidæ in Edgaro.

ANNUS CHRISTI 967.

JOANNIS XIII. PAPÆ 2.

EDGARI ANGLORUM REG. 9.

QUÆ superiùs decreta sunt, de irregularium clericorum expulsione: non videntur ante annum Domini nongentesimum sexagesimum septimum, executioni mandata. Tunc autem, non solùm Episcopali, sed etiam Regio brachio, compulsi sunt Sedes mutare; tam qui in Wintoniensi Cathedrali Ecclesiâ serviebant Canonici, quàm alii clerici, qui novum monasterium incolebant. Quales illi fuerint, & quorsum expulsi; Novatores nostri, vel ignorare videntur; vel antiqua omnia velle pervertere: cùm conjugatos fuisse, & *piè in matrimonio viventes*, fingunt. quamvis longè aliud in causâ fuerit; & nulla in eorundem expulsione, aut in eorum causæ patrocinio, nuptiarum, aut matrimonii mentio. Dicant ergò Wintonienses Annales; quos Novatores citant, & sequi videntur; dicant, inquam, cur, quando, quomodo, è veteri monasterio (& eadem de novo, causa cessionis) Canonici dimissi sunt. I. CANONICORUM SÆCULARIUM EXPULSIO.

II. *Annal. Hidæ in Edgaro princ.* *In Wintoniâ*, inquiunt, *in veteri monasterio, & etiam in novo monasterio, quod ab adventu Normannorum, nunc Hida dicitur: Edgarus monachos loco clericorum instituit. Nam clerici laborem chori fugientes; & bona Ecclesiæ, pro libito, alibi consumentes; vicarios parum ad victum habentes, loco sui constituerant. Ac cum ipsi, admonitu Regis Edgari, Archi-præsulis sancti Dunstani, ac Episcopi sancti Ethelwoldi, minime corrigerentur: Rex ipse prebendas prædictorum clericorum, præfatis vicariis contulit. Sed & illi, in personâ tamen promoti, vicarios sibi facientes, facti sunt pejores prioribus. Unde Rex turbatus, annuente Ioanne Papâ decimo tertio, expulsis clericis, monachos ibidem introduxit. Expulsi enim sunt Canonici à veteri cœnobio, anno Domini nongentesimo sexagesimo septimo, anno* * *septimo regni Edgari Regis, & Pontificatus sancti Ethelwoldi, Antistitis Wentanæ civitatis, anno quarto, sabbato in capite Quadragesimæ, tum Postcommunio illa canitur: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, nè quando irascatur Dominus, & pereatis de viâ justâ.* Ita ibi, de veteri monasterio. Unde prior facta reformatio: quia Ethelwoldus Episcopus imprimis urgebat: qui Brithnotum monachis ibi præposuit. Quid factum de novo monasterio, ubi aliquot adhuc clerici remanserant, dicam anno sequenti. In anno regni Edgari Regis, manifestus est error: præsertim cùm dicti Annales consecratum Edgarum dicant, anno 957.

* *nono*

Cæterùm animadversione dignum est, cernere quomodo Ethelwoldus Episcopus, cautè prudenterque se gesserit, in clero reformando, & Canonicis expellendis: quod in Osberno ita legitur. *Præsidebat, eâ tempestate, Wentanæ Ecclesiæ Ethelwoldus, vir eximiæ sanctitatis, & educatione Patris Dunstani, non parum insignis. Hic cognita de Canonicis Ecclesiæ suæ; quod minimè sæculares existebant; voluntate Dunstani, monuit eos semel & sæpius, mores & actus mutare, correctioris vitæ semitas, relictis fuminis, arripere. At in præsentiarum* III.

apud Baron. an. 970. n. 9. &c.

quidem

quidem, id sibi possibile esse negantes; voce tenus verò semper in crastinum, correctionem sui pollicebantur. Quod ipse gnarus, non diu sustinuit. Paratis namque quamplurimis monachorum cucullis, die, quo Communio Servite Domino in timore cantabatur: chorum intravit; vestes quas paraverat, secum deferri faciens. Et projectis illis in medium, Canonicis ait: Animadvertistis, quid modò cantaveritis? Animadvertimus, inquiunt. Igitur, inquit, si servire Domino in timore, & ei vultis exultare cum tremore: apprehendite disciplinam; vestem scilicet monachalem; nè pereatis sicut cantastis, de viâ justâ. Ad quod illi obstupefacti, more solito inducias petunt: id se facturos in futuro promittentes. Tunc ille, mihi credite, ampliùs non credam huic vestra responsioni tortuosa. Sed, aut disciplinam, in præsenti, apprehendetis: aut loci istius beneficiis, & conversationis, hinc eliminati, jam cedetis. Itaque nonnulli ex illis statim, abjecto clericali habitu, monachi facti sunt: cæteris, verbo Pontificis, de Ecclesiâ eliminatis. Cæterùm, quia illi, qui noviter fuere conversi, regularis disciplinæ normam, sine aliorum magisterio, doctè servare nequibant: monachi de Abendoniâ, illuc ab eodem Pontifice adducti sunt; qui monasticæ institutionis tramitem ibi docerent.

IV. Ethelwoldus, quo æterna esset in eo cœnobio monachorum successio; cum Dunstano egit; ut Edgari Regis Romanique Pontificis authoritas facto ejus accederet. quod ab utroque factum, Edgaro Rege, à Romano Pontifice has literas impetrante, quas ex Archivis recitat Parkerus.

Joannes Episcopus Servus servorum Dei: Edgaro Regi excellentissimo atque omnibus Episcopis, Ducibus, Comitibus, Abbatibus, & cuncto fideli populo Anglicæ gentis, Christianam Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Antiq. Brit. fol. 91. *Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationabilibus quæruntur desideriis: oportet ut vestra piæ petitionis studium, in privilegiis minimè offendatur præstandis. Scimus enim, gloriose fili, imperii vestri dignitatem, zelo divinæ legis, undique munitam; ut indesinenter, pro venerabilium locorum perpetuiter stabilitate, largitori omnium Deo, abundè fructus referantur millenì. Quare, Rex inclyte, ac fili charissime, quod vestra excellentia, per fratrem & Coëpiscopum nostrum Dunstanum, ab hac Apostolicâ Sede, cui licet immeriti, præsidemus, exposcit; omnibus modis concedimus. authoritate Apostolicâ sancientes, ut de monasterio, in Wintonia civitate, in honorem Sanctæ Trinitatis, & beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli constructo; quod veteris differentia novi illius, quod juxta est cœnobii, cognominatur; Canonici, Domino Episcopo, omnibus Catholicæ Fidei cultoribus expetentibus, culparum suarum turpitudinibus odibiles; & in eisdem secundum impœnitens cor eorum, inverecundè perdurantes; cum suo præposito, utpote vasa diaboli, ejiciantur. Et sicut vestra sublimitas desiderat; dilectissimus frater, & Coëpiscopus noster Ethelwaldus, regularibus disciplinis imprimis imbutus; monachorum secundum præcepta regulæ viventium gregem enutriat; eisque ibi perpetuam mansionem statuat. Illeque, eorum vitam, ita sanctitatis moribus exornet; ut pastore ad laboris sui præmium vocato, non aliundè, quam ex suâ congregatione, alteri in locum regiminis succedat. Quod si impedientibus, quod absit, peccatis; ad hoc Pontificale officium, in eâdem congregatione, idoneum invenire minimè posse contigerit: authoritate Apostolorum Principis Petri cui Dominus ac Salvator noster, ligandi solvendique potestatem contradidit; præcipimus; ut nemo è clericorum ordine, ad hujus regimen Ecclesiæ promoveatur. Sed potiùs ex aliâ qualibet congregatione, qui dignus inventus fuerit, monachus assumatur, & huic Ecclesiæ præficiatur. Si quis enim interea, quod non credimus, has Apostolicæ Sedis privilegii decreta, irrita facere, & ea, quæ à nobis piè indulta sunt, intaminare præsumpserit; authoritate ejusdem cælestis clavigeri Petri, omniumque Successorum ejus, sciat se anathematis vinculo innodatum, & in illo magni judicii die, perpetualiter damnandum. In Christo valeas Domine fili.*

Interim Edgarus, qui plentissimè pro Ecclesiâ steterat, ad componendam Remp, alteram conversus; multa constituit, civium paci salutique, admodum utilia, quæ etiamnum *Edgari leges* appellantur. De tempore, quo dictæ Leges, ab Edgaro conduntur, ita censuit Spelmannus: *Mihi non constat, quonam anno edita sint Leges. Regnare autem cœpit Edgarus, anno nongentesimo quinquagesimo nono; & desiit anno nongentesimo septuagesimo quinto; id est, anno regni sui decimo sexto. Cujus medio tempore, nos, ut alias soliti sumus, istas etiam collocamus. id est, circa annum Christi nongentesimum sexagesimum septimum.* Ita ille. quem ego secutus, hoc loco Edgari leges recenseo: quæ sic è Guilielmi Lambardi versione, in Archæonomiâ ejus leguntur. V. Edgari Leges. *Spelman. fol. 447.*

Leges quas Edgarus Rex, frequenti senatu, ad Dei gloriam, Regiæ Majestatis ornamentum, ac Reip. utilitatem, sancivit.

Primum. *Ecclesia Dei, jura, atque immunitates suas omnes habeto. Decimas quisque primaria (cui is fuerit subjectus) Ecclesiæ; ut ipsum quidem circumducitur aratrum, dato: sive id in prædiis Thanorum propriis, sive in terris villicorum fuerit.* De immunitate Ecclesiæ.

2. *Thanus, si in terrâ, ex scripto possessâ, templum habuerit; circum quod fuerit destinatus sepulturæ locus; decimarumque suarum trientem unam, in id conferre, & integrum esto. Sin circa templum nullus fuerit designatus humationis locus; dato, qui est fundi Dominus, Sacerdoti novem partium reliquarum, quantulum visum fuerit. Atque ex omni quidem ingenuorum terrâ, ipsa seminum primitia, primariæ penduntor Ecclesiæ.* De censu Ecclesiastico. Thani sunt Regum ministri, Barones & liberè tenentes.

3. *Quisque fœtuum decimas omnes, ante Pentecostem, persolvito; terræ quidem fructuum decimas, ante æquinoctium pendito: ipsas autem seminum primitias, sub festum divi Martini reddito. Si quis non solverit, pœnas (ut judiciali libro proditum est) dato. Atque si quis decimas, ad eum quem diximus modum, dare noluerit; præpositus Regius, illius loci, Episcopus, & Sacerdos conveniunto: atque eo, vel invito, decimam Ecclesiæ cui debeatur, partem, nonâ ei reliqua factâ, reddunto. Quod ad residuas octo partes attinet, quatuor Dominus, quatuor Episcopus, habeto. Id quod fiat, sive is fuerit minister Regis, sive Thani alterius cujuscumque.* De decimis.

4. *Denarius autem in domos singulas impositus, ante festum Divi Petri redditor. Qui tum non solverit; denarium illum, & alios præterea triginta, ad Romam* VI. De denario S. Petri.

comportato: certáq; literarum testificatione domum rediens; se eò detulisse confirmato: ac Regi denique centum viginti solidos numerato. Si quis secundò non dederit; denarium illum, ac præterea terdenos, Romam deferat; Regiq; postquam redierit, ducentos solidos dependito. Sin tertiò deliquerit, rebus suis omnibus exuitor.

DOMINICA QUOMODO COMPUTANDA? FESTA ET JEJUNIA SERVANDA.

5. Dies Sabbati, ab ipsâ diei Saturni horâ pomeridianâ tertiâ, usque in Lunaris diei diluculum, festus agitator. Qui non celebrarit; pœnas in judiciali libro descriptas, pendito. Cæteri autem dies, perinde ut fuerint à Sacerdote indicti, festi aguntor. Instituta etiam quam religiosissimè observantor jejunia.

VII. ANTIQUA FIDES, MODERNA PERFIDIA.

Observo Edgari Regis, Majorumque nostrorum pietatem, qui in Synodis, & Comitiis, festa & jejunia, à Sacerdotibus, & Ecclesiâ præscripta, religiosè colebant: volueruntque coli ab omni populo. Nunc mutata sunt omnia: antiqua festa antiquata sunt; & nova jejunia, à populo rogata sancitáque, coluntur, explosis illis quæ Edgarus religiosissimè observari jussit. Verendum igitur, ne illud Isaiæ Prophetæ Novatoribus nostris aliquando occinatur. (Isaia 58. v. 3) *Ecce in die jejunii vestri, invenitur voluntas vestra: ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè.* Ad Ecclesiam spectat Dei, Sanctorúmque cultum indicere, & jejuniorum religionem. Ad alios spectat Ecclesiam audire: quam qui non audit, Christo teste, sicut Ethnicus & publicanus est. Quod Lambardus, hoc loco, diem festum latinè vocat, in saxonico dicitur, *Messe-dag*; id est Missæ dies. Nimirum dies in quo Missa audire præcipitur. Novatores, primo Missam, inde festa omnia sustulerunt. Ecclesiam ita scilicet, & majorum Fidem reformantes. Sequuntur in Lambardo Leges aliæ, quæ populum, & judicia spectant: nec multum ad institutum meum faciunt. Unam tamen, quæ numero quinta est, non omittam, quia tangit Ecclesiam, & est ejusmodi: *Centuria Comitiis quisq; intercesto. Oppidana ter quotannis habentor Comitia. Celeberrimus autem ex omni satrapia, bis quotannis conventus agitor. Cui quidem illius diœcesis Episcopus & Senator intersunto: quorum alter, jura divina: alter humana populum edoceto.* Hanc Legem, quæ Ecclesiasticorum, & laicorum confundit judicia, & tribunalia non distinguit: primus Normannorum Rex Gulielmus abrogavit. ut infra ad annum 1086. num. 4.

DIES FESTUS, DIES MISSÆ.

VIII. ALIA AB EDGARO STATUTA.

Cæterùm quæ Spelmannus, post recensitas Edgari Leges (quas vocat Ecclesiasticas) recitat; multò magis ad Anglicanæ Ecclesiæ Fidem, pietatémque spectant: Sunt autem Episcoporum decreta & leges, ad mores hominum, ac Religionem facientes. Unde, seu in speculo, Anglicanæ Ecclesiæ facies cernitur. Non debeo illas omninò præterire, licet plures sint: nec opus erit omnes apponere. Delibo igitur eas solùm, quas curiosi Antiquitatis indagatores avidiùs legent. Illis Spelmannus hunc titulum præfigit.

(Spelman. fol. 447.)

Canones editi sub Edgaro Rege, & ad leges suas pertinentes: ut è veteri Manuscripto Codice Saxonico, Collegii Corporis Christi Cantabrigiæ reperiuntur, sub hoc frontispicio. Hæc quæ sequuntur, pertinent ad Constitutiones Eadgari Regis. Primi Canones, ad Clerum componendum educuntur: quos libenter refero, ut videam; num conjugati olim fuerint Sacerdotes; quod nuper Spelmannus; & Novatores passim, affirmant. Inde etiam perspicietur; num Canonicorum expulsio, ob conjugium acciderit; ut factiosi ubique somniant. Primi Canonis titulus est.

De Ordinatorum vivendi formulâ. IX.

1. DOcemus, ut ministri Dei ardenter Deo serviant, & ministrent: & ut pro omni Christiano populo, apud Deum intercedant: & ut eorum singuli superioribus suis fideles sint, & obedientes: & in communi necessitate unanimes, auxiliumq; invicem præstantes, coram Deo & hominibus: & ut Sæcularibus suis Dominis firmi etiam sint, & fideles.

2. Docemus etiam, ut unusquisque alterum honore prosequatur. & ut juniores senioribus obedientiam religiosè præbeant, & amorem. Senioresq; juniores suos diligenter instruant.

3. Docemus etiam, ut ad Synodum unamquamque annuò habeantur libri, & vestimenta servitio Dei congruentia. Nec non atramentum, & pergamena, ad eorum Constitutiones describendas, triduanúsque insuper commeatus.

4. Docemus etiam, ut Sacerdos quilibet, ad Synodum veniens, clericum suum habeat, & manupastum suum, seu fidelem in ministrum: neminem autem incognitum, aut stultitia deditum: & adveniant omnes in fidelitate, & in timore Dei Omnipotentis.

5. Docemus etiam, ut si quid mali acciderit Sacerdoti: vel ei quis injuriam fecerit; Synodo referat: suscipiantq; omnes, ut illatam omnibus, ferantque opem, ut emendatio fiat, pro arbitrio Episcopi.

6. Docemus etiam, ut Sacerdos faciat Synodo innotescere, si quem in parochiâ suâ in Deum reperit contumacem: vel qui grave aliquod peccatum foveat: nec hunc valeat, audeatq; ob metum Sæcularium, ad reformationem perducere.

7. Docemus etiam, ut inter Sacerdotes non sint lites, sive jurgia: nec ad arbitrium Sæcularium deferantur: sed vel à partibus suis sint composita; vel (si opus fuerit) ad Episcopum promoventor.

8. Docemus etiam, ut nullus Sacerdos, è propriâ suâ voluntate, Ecclesiam deserat; cui consecratus, sive benedictus fuerat: sed habeat eam, pro legitimâ conjuge.

X.

Hic sisto paululùm, quia Sacerdotum uxores diu quærens, tandem inveni: non illas, quas toties factiosi nobis objiciunt, sed alias sanctiores. Ecclesiam nimirum, cui quilibet Sacerdos, verè & legitimè desponsatur: & à quâ divertere, hoc Canone prohibetur. Unde ad Novatorum stuporem, quis non obstupescat: qui conjugatos ubique Sacerdotes, alio sensu fuisse, mentiuntur: Qui monasteria passim conjugatis Sacerdotibus posita; à quibus nunc, injuriâ scilicet, pelluntur, affirmant. Denique qui omnes *per totam Angliam*, monachis exceptis, tales fuisse pronuntiant: castissimam Insulam maculantes, & Latinæ Ecclesiæ puritatem, inaudito soloecismo. Nam esto: unus, aut alter fuerit, abiens post carnem alteram: esto, quòd fœminæ contubernio usus sit; & eò interdum impudentiæ descenderit; ut uxoris loco eam habuerit: quid hoc, aut ad universitatem Insulæ, aut ad matrimonii sanctitatem? Dico igitur: ratenter id factum: & cùm hoc anno cleri crimina recensuimus, ob quæ è veteri monasterio exclusi sunt, nulla prorsus ejus mentio. Et satis patet ex hoc Canone, Sacerdotes, per Angliam, cum Ecclesiâ solùm conjugari potuisse. Sed quia, naturæ

impetu,

impetu, nisi piè frenetur, ad alterum sexum homo facilè flectitur; ideò fœminarum consortium, etiam inferiùs. Canone sexagesimo, Sacerdoti prohibetur: ubi etiam ejus *uxor propria* Ecclesia dicitur. Vide illum infrà; nam nihil debeo omittere, quod ad fugandas moderni sæculi tenebras, lucem adferre possit. Sequitur ergò.

XI. 9. *Docemus etiam, ut nullus Sacerdos hic se intromittat, quæ ad alium spectant Sacerdotem. Siquidem nec in suâ Ecclesiâ, nec in suâ parochiâ, nec in suo sodalitio, seu fraternitate, nec in re aliâ quapiam ad eundem pertinente.*

10. *Docemus etiam, ut nullus sacerdos, alterius scholasticum subtrahat, ejus non impetratâ veniâ, ad quem prius pertinuit.*

11. *Docemus etiam, ut sacerdos quilibet, ad augendam scientiam, opificium discat diligenter.*

12. *Docemus etiam, ut doctus quisque sacerdos, semidoctum aliquem non spernat: sed qua poterit, operam det, ut doctiorem reddat.*

13. *Docemus etiam, ut nullus sacerdos, claris ortus natalibus, inferioris stirpis sacerdotem lævipendat. Rectè enim sentienti, omnes homines sunt ejusdem genituræ.*

14. *Docemus etiam, ut sacerdos quilibet benè se gerat: nec mercator fit indebitè, nec mercatura......*

15. *Docemus etiam, ut sacerdos quilibet, baptismum administret, quàm citò requisitus fuerit: & ut per parochiam suam, quosque moneat; ut infantes quoslibet, intra triginta septem noctes sinant baptizari: & ut nullus ab Episcopo confirmari diu nimium detrectârit.*

16. *Docemus etiam, ut singuli Sacerdotes Christianam religionem omni promoveant diligentiâ; utrisque omnibus gentilium deleant superstitiones. Prohibemus utique sictas ad libitum adorationes, Necromantiam,*
Saxonicè *Man weorthunga.* *divinationes, incantationes,* hominum cultus divinos: *& quæ præterea mortales adigunt in varios errores: & in* Frith, Spottum, & on Ellenum, *vastasumque aliarum arborum, Saxorum, & rerum multiplicium phantasmata, quæ decipiunt multos, quos non deberent.*

XII. LATINÈ ORATUM. 17. *Docemus etiam, ut Christianâ quisque imbutus Fide, liberos suos Fide etiam imbuat Christianâ: eosdemque doceat Pater noster, & Credo.* Ita legitur in Saxonico: unde sequitur pueros, latinâ linguâ Dominicam orationem, & Apostolorum Symbolum recitasse. Pergo.

18. *Docemus etiam, ut in festis diebus, unusquisque abstineat à carminibus, seu canticis gentilium profanis, & è ludis diabolicis.*

19. *Docemus etiam, ut in die Solis, quisque abstineat à mercatura, & popularibus comitiis.*

20. *Docemus etiam, ut quisque abstineat à fabulosis, & absurdis lectionibus: quin & Cantilenis turpibus, & blasphemis.*

21. *Docemus etiam, ut quisque abstineat à contubernio pellicum, & legitimum amplectatur conjugium.*

22. *Docemus etiam, ut quisque discat* Pater noster, *&* Credon, *priusquam in consecrato sepeliatur cœmeterio: vel idoneus censeatur Eucharistiæ percipiendæ. Propterea quod Christiani non est dignus nomine, qui hæc noluerit ediscere: nec in Baptismo alios valeat è sacro levare fonte, nec in Confirmatione, à manibus Episcopi suscipere, si hæc prius non calluerit.*

23. *Docemus etiam, ut festis diebus, & in jejuniis, nulla sit inter homines ultra modum contentio..*

24. *Docemus etiam, ut festis diebus, & in jejuniis, nulla habeatur aut juramentorum, aut ordalii (hoc est ferventium examinum) administratio.*

25. *Docemus etiam, ut festorum temporibus, & statis jejuniis; conjugatus quilibet ab uxore sua se contineat.*

26. *Docemus etiam, ut Sacerdotes Ecclesias suas, omni honorificentiâ custodiant, in divinum ministerium, purumque, servitium; & in nihilum præterea. Nec illic hi permittant quid superflui; ne vel intro, ne vel in proximo. Nullum illic vaniloquium, nihil factum indecorè. Non hic ordinata compotationis locus, nec vanitatis unquam alicujus, nec Ecclesiæ cœmiterium canis intret, nec porcorum plures, quàm quis possit regere.* XIII.

27. *Docemus etiam, ut nemo quid in Ecclesiâ reponat, quod illic habeatur indecorum.*

28. *Docemus etiam, ut in Ecclesiarum encæniis, unusquisque se modestum exhibeat, & orationi incumbat diligenter, non poculis; nec luxui deditus.* ECCLESIARUM ENCÆNIA
Quæ hic Ecclesiarum encænia latinè dicuntur, Saxonica habent *Circ Waccan*: & manet etiamnum hæc nuda appellatio, c consonante litera, vel in χ græcum, vel cappa solum factâ mutatione (ut alias sæpè) in hunc modum *Church wages.* Dixi, nuda manet appellatio; quia nuda, & nulla est Fides, ubi majorum ritus, & sacra omnia viluerunt.

29. *Docemus etiam, ut nemo quempiam in Ecclesiâ sepeliat; quem non constat, ex vita probitate Deo placuisse, & ex eo judicetur hujusmodi sepulturâ dignus.* XIV.

30. *Docemus etiam, ut nullus Sacerdos Missam celebret in ullâ domo, quæ non sit Ecclesia consecrata; nisi ob extremam alicujus ægritudinem.*

31. *Docemus etiam, ut Sacerdos ne vel unquam Missam celebret, præterquam super altare consecratum.*

32. *Docemus etiam, ut Sacerdos nunquam Missam celebret sine libro; habeatque* * *igitur ipsum Canonem coram oculis, ne alioquin impingat.* * *jugiter*

33. *Docemus etiam, ut Sacerdos quilibet Missam celebrans, habeat corporale, &* subumlem *infra Albam, & Missalia omnia vestimenta, debitè contexta.* vox saxonica.

34. *Docemus etiam, ut unusquisque Sacerdos solicitè curet, ut librum probum habeat saltem, vel fideliter correctum.*

35. *Docemus etiam, ut nullus Missalis Sacerdos, Missam solus celebret: ne sit desideretur qui respondeat.*

36. *Docemus etiam, ut nemo non jejunus, Eucharistiam accipiat: nisi ob nimiam ægritudinem.*

37. *Docemus etiam, ut nullus Sacerdos, Missam sæpius in uno die celebret; quam ter ad summum.*

38. *Docemus etiam, ut Sacerdos semper habeat præparatam (prout opus fuerit) Eucharistiam: & hanc in puritate custodiat; caveatque, ne inveterascat. Sin diutius reservata fuerit, quàm oportuit, ut nauseam pariat, comburetur, tunc in puro igne, condaturque, cineres sub altari; & noxa reus, apud Deum componat.* EUCHARISTIA RESERVATA.

39. *Docemus etiam, ut ne vel unquam Sacerdos adeo temerarius sit, ut Missam celebret, nisi omnia habeat ad Eucharistiam pertinentia: scilicet oblationem puram, vinum purum, & aquam puram. Væ illi qui Missam cœperit, istorum aliquo desiderato; & væ illi qui turpe aliquid in hoc patraverit: similis enim est Judæis illis, qui acetum & fel commiscuerunt; & per ludibrium postea Christo porrexerunt.*

40. *Docemus etiam, ut ne unquam dignus sit Sacerdos Missam celebrare, qui ipse Eucharistiam non*

percipit,

percepit: nec alium consecret, qui nunquam ipsemet consecratus fuit.

41. *Docemus etiam, ut quivis calix, quo quit Eucharistiam consecraverit; fusilis sit, & in ligneo ne omnino consecrato.*

42. *Docemus etiam, ut omnia circa altare, & ad Ecclesiam pertinentia, mundissima sint, & apprimè concinnata. Nihil huc accedat, sed quod sanctum est, honorificè reponatur: & semper in Ecclesia lumen ardeat, dum Missa decantetur.*

43. *Docemus etiam, ut nemo negligat sacratum aliquid: aquam scilicet benedictam, sal, thus, panem, & hujusmodi cætera.*

44. *Docemus etiam, ut altari mulier non appropinquet, dum Missa celebretur.*

45. *Docemus etiam, ut quis statis temporibus campanas pulset; & ut omnis tunc Sacerdos cantum suum horarium, in Ecclesia psallat: Deum in timore invocet solicitè, & pro omni populo preces fundat.*

46. *Docemus etiam, ut nec Missalis sacerdos, nec parochialis aliquis intra ostium Ecclesiæ veniat, vel intra Cancellos; absque superiori suo indumento: nec ad altaris unquam ministerium, absque vestitu.*

v an. 664. n 12, &c. 47. *Docemus etiam, ut nemo in sacris ordinibus constitutus, cæsariem alat, nec tonderi perperam se permittat, si Dei benedictionem speraverit, & sancti Petri, & nostram.* Alludit hic Canon ad varios tondendi mores, quos superiori tomo distinximus: ubi de sancti Petri tonsura, in Synodo disputatum est. & collige hinc Anglorum Ecclesiam, constanter semper Rom. Ecclesiæ ritibus adhæsisse.

48. *Docemus etiam, ut in festivitatibus & jejuniis celebrandis; Sacerdotes omnes sint unanimes. eademque, uno, & eodem modo, indicent populo, ne hunc alioquin in errorem ducant.*

49. *Docemus etiam, ut jejunium omne, erogatis eleëmosynis fiat gratius; quisquis enim ex devotione erga Deum, solicitè elargitur eleëmosynas; jejunium suum apud Deum reddit complacentius.*

50. *Docemus etiam, ut sacerdotes in Ecclesiæ ministeriis, unanimiter operam navent: & in omni Ecclesiâ; consimile annuum stipendium mereantur.*

51. *Docemus etiam, ut sacerdotes sedulò erudiant juventutem; & ad artificia ediscenda eos pertrahant, futuros utpote in rem Ecclesiæ.*

52. *Docemus etiam, ut sacerdotes, in quâlibet die Solis, populo prædicent: præbeantque se exemplum bonæ vitæ.*

53. *Docemus etiam, ut nemo Christianus ullius generis sanguinem comedat.........*

XVII. 54. *Docemus etiam. ut sacerdotes populum instruant de his, quæ de jure Deo sunt reddenda. Decimæ scilicet, & res aliæ. Inter quas, & illa primum, quæ aratri dicitur eleemosyna (aliàs Cyricsceatum, & primitiæ seminum) intra quindecim noctes à Paschatis festo: Fœtuum decima ante Pentecosten: fructuum terræ ante omnium Sanctorum celebritatem: Nummus Romanus (qui denarius S. Petri dicitur) ad festum vinculorum ejus. Et Cyricsceatum, sive primitiæ seminum, ad Missæ sancti Martini celebrationem, (id est III. Iduum Novembris) solvantur.*

55. *Docemus etiam, ut sacerdotes, ita distribuant populi eleemosynas: ut & Deum reddant magis propitium, & populum ad eleemosynas procliviorem.*

56. *Docemus etiam, ut sacerdotes Psalmos canant, cum datas distribuant eleemosynas: hortentur que pauperes, ut pro populo (qui has dabant) solicitè intercedant.*

57. *Docemus etiam, ut sacerdotes ipsi ebrietatem caveant, aliisque perhibeant studiosius cavendam.*

58. *Docemus etiam, ut nullus sacerdos, aut poëta sit, aut ullatenus histrio: sive ut sibi placeat, sive ut aliis. Ita autem se gerat; ut ordini suo convenit, prudenter scilicet, & pro dignitate, gravem.*

59. *Docemus etiam, ut Sacerdotes ne jurent, caveant: aliosque à jurando prohibeant.*

60. *Docemus etiam, ut nullus Sacerdos mulierum consortium plus æquo diligat: sed* propriam suam uxorem *diligito; id est Ecclesiam.* XVIII.

61. *Docemus etiam, ut nullus Sacerdos falso adsistet testimonio: nec sit furibus à consiliis.*

62. *Docemus etiam, ut Sacerdos nunquam se ordalio implicet, nec forensibus juramentis.*

63. *Docemus etiam, ut Sacerdos contra* * *Thanum, in compurgatione non juret, nisi Thanus præjuraverit.* * vel cum Thano id est Barone.

64. *Docemus etiam, ut Sacerdos non sit Venator, nec accipitrarius, nec potator; sed in libris suis versatus, prout ordini suo convenit.*

65. *Docemus etiam, ut Sacerdos quilibet confessionem doceat, & pœnitentiam: nec non ut peccata confitentes, satisfactionem utiquè prosequantur. Ægrotis etiam (prout opus fuerit) Eucharistiam præbeat: & (si desideretur) Vnctionem. Post obitum involucro sedulo detur: & apud corpus nihil permittatur vanum, aut indecorum: sed in timore Dei sepeliatur.*

66. *Docemus etiam, ut Sacerdos quilibet oleum habeat, cum ad baptizandos infantes, tum ad ægrotos ungendos; & reliquum omnem apparatum, publicis suis debitum ministeriis: Fidem Christianam modis omnibus promoveto. hinc bene prædicando; illinc bene vivendo, exemplum præbens. Tunc lucrabitur ut Omnipotens Deus ei sit propitius.*

67. *Docemus etiam, ut Sacerdos quilibet Chrisma repetens: non obliviscatur enarrare, quid in orationibus suis pro Rege fecerit, & Episcopo.*

XIX. Nihil de coniugatis Sacerdotibus statutum.

Hactenus Ecclesiastici Canones, quos sub Edgaro Rege editos, Spelmannus retulit, ad annum Christi nongentesimum sexagesimum septimum: nimirum eo tempore, quo cleri reformatio, ab Episcopis operosè quærebatur. Et quia nusquam conjugatorum Sacerdotum mentio est; supini valdè Novatores fuerunt, qui sæculum hoc, è præteritorum malorum colluvie satis obscurum, obscurius reddiderunt; & maculam Ecclesiæ, quam nunquam contraxit, eidem affixerunt. Si enim Dunstanus & Ethelwoldus, uxorium clerum tantoperè insequuti sunt: ut illi conantur Lectori persuadere: cur nusquam inter hos Canones, quos illi sine dubio condiderunt, hujus nævi mentio? Enimverò qui magnis viribus conati sunt, sequiorem clerum premere, è monasteriis pellere, & ad meliorem frugem reducere: nullo modo tacuissent morbum; quo omnis, ut fingitur, Anglia laborabat. Et inter leges, pro cleri sanctitate latas, remedium aliquod sancivissent. quod factu facillimum; cùm sexcenti Canones Sacerdotum continentiam jubentes, in medium produci potuissent. Adde, cùm nihil hîc de nuptiis statuatur; peccare admodum factiosos homines, qui confidenter asserunt; ante Dunstani tempora, licuisse omni clero nuptias; quas ille scilicet primùm vetuit. Cæterùm, nihil in toto Canone recitato, novum statuitur: ut legenti patet: sed solùm sancti mores, ritusque Ecclesiastici, in memoriam reducuntur; qui præteritorum temporum iniquitate obsoleverant.

XX. Confirmantur hæc omnia, ex eo quod Spelmannus, post recensitos Canones, subjicit. Nimirum præscriptum ab Episcopis, eodem tempore, modum sacramentalis confessionis, atque satisfactionis; quem, quia longiusculus est, omitto. Ibi enim, inter cætera, peccatis ferè singulis remedia præscribuntur: & è remediorum qualitate, non erit arduum morbum conjicere. E Canone trigesimo primo, patet Anglicanæ Ecclesiæ morem fuisse, communem toti Occidenti: nimirum, vel ut cælibes sacerdotii gradum ascenderent: vel si conjugati, ab uxore priùs ducta, omninò continerent. Quod ab Apostolorum tempore, & deinceps Ecclesiis omnibus solemne fuit, præsertim in Occidente. Sic ergò refert Spelmannus, in pœnitentiali (ut ipse vocat) Canonem trigesimum primum, hoc anno, sub Edgaro Rege,* & Dunstano, latum. *Si quis Missalis Sacerdos, sive monachus, vel Diaconus, legitimam uxorem habuit, priusquam ordinem induerat; & relictâ eâ, sacros ordines ingrediatur: postea tamen libidine peruiens, eam denuò clam susceperit: jejunet eorum quilibet, tanquam pro homicidio; & lugeat insuper vehementiùs.* Nescio quid dici potuerit illustrius, vel ad probandam Anglicani cleri continentiam: vel ad tundendam factionem illam, quæ in omnem Antiquitatem pugnans, sanctitatem omnem evertit. Dico Anglicani cleri continentiam de jure, & lege latâ. Nam quòd aliqui incontinentes fuerint, & veneri, ventríque dediti; non iverim inficias. Sed vel inde colligam, nullum intercessisse conjugium: cùm ipsi *adulteri*, illæ *meretrices* appellentur. ut * infrà, ubi Edgarus eleganti in eos oratione invehetur. Moritur hoc anno Wulsius Schirburnensis, de cujus sanctitate * supra dictum: succedit Alfwoldus.

Spelman. fol. 465.

* an. 969. n. &c.

* an. 969. n. 7. 8.

ANNUS CHRISTI 968.

JOANNIS XIII. PAPÆ 3.

EDGARI ANGLORUM REG. 10.

1. Novum Wintoniæ monasterium monachis impletur. Annal. Hida ... Edgari ...

SEQUITUR Christi annus nongentesimus sexagesimus octavus, quo novum Wintoniæ monasterium, à solis monachis, incoli & possideri cœpit; quod priùs quidem à Rege & Episcopis decretum; nunc primùm, emergentibus semper difficultatibus effectui datum. quod ita in Hidæ Annalibus refertur. *Anno sequenti, videlicet anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo octavo* (dele decimo) *anno pontificatus Athelwoldi quinto, Sabbato Ramis palmarum, expulsi sunt clerici à novo monasterio Wintoniæ, quod modo Hida nominatur.* Ita cœpit monasticæ perfectionis observantia in honore esse: & celebre monachorum nomen: cum non solùm monasteria, sed Cathedrales etiam Ecclesias possiderent. Unde duplicis generis monachos distinguere possumus. Cathedrales enim dicebantur, qui matrem Ecclesiam (vulgò Elder Minster) occupabant: animarum curam habentes. Alii, claustrales; qui ab eo onere liberi; sibi propius, suæque saluti studebant. Hoc in primâ, sub Augustino, conversione Insulæ passim observatum; nunc denuo Wintoniæ pollicitum jure restitutum.

II. Exoniense monasterium. Westm. hic. Sidemannus Abbas.

Nec ibi solum, sed alibi passim, Edgarus Rex, pro Ecclesiarum nitore laboravit; nec minus pro monachorum jure, quod clerus passim invaserat. Sic *anno gratiæ* (loquitur Florilegus) *nongentesimo sexagesimo octavo, Rex Edgarus in Exoniâ monachos congregans, virum religiosum Sidemannum, illis jure Abbatis præfecit.* Nullum sanè, hac in re, aliorum juri præjudicium fuit: Nam locus ille, à primâ sui conditione; ab Ethelredo, Ethelwolfi filio, monachis donatus; ut dixi anno nongentesimo sexagesimo octavo: quibus postea deficientibus, vel locum cedentibus, Ethelstanus Rex, è S. Benedicti normâ regulares substituit, anno nongentesimo trigesimo secũdo (ut ibi n. 12.) Si inde clerus monasterium occupavit, debuit de jure cedere.

III. Ramesiensis cœnobii exordia.

Addit Florilegus, ad hunc eundem annum nongentesimum sexagesimum octavum, nobile Ramesciense cœnobium in Huntindoniensi agro, à Comite Æthelwino fundatum esse: *Quod in posterum*, inquit, *in spiritualibus, & temporalibus felix suscepit incrementum.* Æthelwinum hunc, alii communiter Ailwinum vocant: ut patet è chartâ fundationis, ubi ille mirabiliter excitatus dicitur ad cœnobium construendum. dabo chartam, eo anno, quo data est, templúmque Beatæ Virgini consecratum; anno nimirum nongentesimo septuagesimo quarto. ubi omnia Regio diplomate narrantur, probanturque; quæ fundationi causam dederunt. Interim hoc anno locus, à monachis coli cœptus: eique ut videtur, Winsinus quidam præficitur; qui sequenti anno, in Wigorniensem Ecclesiam, & ad monachos ibi regendos, transferetur. Hoc etiam anno, Edgarus monasterium restituit, quod Edoardus senior priùs erexerat, in Hamtoniensi agro: quod Rumsciense dicitur: ubi collectis Virginibus sacris, Merwina præficitur. hunc locum plures cum Ramsciensi cœnobio confundunt, ut Parkerus infra (969. n. 2.) Sed toto cælo differunt, & sexu: Ramesiense monachis, Rumesiense sanctimonialibus, exstruitur. istud in Hamtoniensi comitatu, ad Testum fluvium: illud in paludibus, & Huntindoniensi provinciâ jacet.

IV. Enituit etiam Edgari Regis pietas, in Londinensi cœnobio ampliando, quod & antea multorum Regum industriam exercuerat. Ibi ad urbis Occidentem, Sebertus olim, Mellito tunc Episcopo, monachis ædes posuerat; quæ varias passæ rerum vicissitudines, nunc cultæ, nunc desertæ, jacuerunt; donec nuper Dunstanus Londinensis Antistes, cum iterum in locum, monachos colligeret, anno, ut dictum est, nongentesimo quinquagesimo octavo. Nec quievit ille, licet Cantuariam translatus; donec Edgarum Regem, ad operis inchoati perfectionem impulisset. Nam ita legitur in ejus vitâ: *Dunstanus, cùm à perfectis viris, probatisq; personis, didicisset; quantâ dignatione, Beatus Petrus, Apostolorum princeps, oratorium suum, quod Westmonasterium dicitur, insigniverisset; & per seipsum dedicavisset: Regi Edgaro persuasit, ut ob venerationem tanti Apostoli, loci honori intenderet.* Edgarus Rex, Dunstano aures, & operi manum porrexit; cum hoc anno insigni diplomate, quicquid olim, dicto loco, Principum pietate, donatum fuerat, restituit: & immunitatem, privilegiaque concessit, quæ hac Regiâ chartâ continentur. ubi quicquid supra, varius

in locis de loco illo dictum est, egregiè confirmatur. Sic enim loquitur Edgarus Rex:

V. EDGARI CHARTA PRO WESTMONASTERIO.

Postquam dono Dei, & paternâ successione, in regnum Anglorum inthronizatus, & confirmatus fui: ubi vidi Ecclesias Dei, tam peccatis exigentibus, quàm crebris barbarorum irruptionibus, diruptas: & maximè sanctam & Apostolicam vitam; id est monachorum ordinem, per omnes regni mei provincias funditus deperiisse; graviter dolens, & consilium à Spiritu Sancto, Dunstano Archiepiscopo, & Athelvvoldo VVintoniensi Episcopo, hoc negotium indixi; ut omnia monasteria, quæ intra terminum totius Angliæ sita sunt, supra, vel infra, circuirent, ac reædificarent. Et tamquam dicente mihi Domino; à Capite incipe: imprimis Ecclesiam Domini specialis, & patroni, ac protectoris nostri, Beati Petri, quæ sita est in loco terribili, quæ ab incolis Thorney nuncupatur ab Occidente scilicet urbis London; quæ olim est, Dominicæ Incarnationis anno sexcentesimo quarto, Beati Ethelberti hortatu, primi Anglorum Regis Christiani (destructo prius ibidem abominationis templo Regum paganorum) à Seberto prædivite quondam subregulo Londen, nepote videlicet ipsius Regis, constructa: Et non ab alio, sed ab ipso Sancto Petro Apostolorum Principe, in suum ipsius proprium honorem, dedicata. Dehinc ab Offa, & Kenulpho Regibus, celeberrimis possessionum privilegiis, & variis ornamentorum speciebus, vehementer fuerat ditata: & in qua Sedes Regia, locus etiam consecrationis Regum, antiquitus erat. Hanc præcepi, ut studiosius restruerunt: & omnes possessiones ejus readunarent, &c.*

B. PETRUS SPECIALIS DOMINUS PATRONUS ET PROTECTOR.

* v. an. 610

VI. *Cognoscat ergo magnitudo seu utilitas vestra; quoniam determinamus, & in perpetuum mansurum jubemus, atque constituimus: ut pro reverentiâ reliquiarum, gloriosissimi Apostoli Petri, & pro quiete monachorum ibidem Deo famulantium; honor & laus ejusdem Ecclesiæ habeatur, & observetur. Id est, ut quisquis fugitivorum, pro quocumque scelere, ad præfatam basilicam Beati Apostoli fugiens, procinctum ejus intraverit, sive pedes, sive eques, sive de curiâ Regali, sive de civitate; seu de villâ, sive cujuscumque conditionis sit, quocumque delicto facinoris contra nos, vel succedentes Reges Anglorum, vel contra alium quemcumque fidelem Ecclesiæ sanctæ Dei forisfactus sit; relaxetur, & liberetur, & vitam, atque membra, absque ullâ contradictione obtineat, &c. Præterea statuimus divinâ authoritate, & nostrâ; ut neque nos, neque successores nostri, nec quilibet Episcopus, vel Archiepiscopus; nec quicumque de judiciariâ potestate, in ipsam sanctam Basilicam, vel in manentes in ipsâ, vel in homines, qui cum suâ substantiâ, vel rebus, ad ipsam tradere, vel devovere se voluerint; nisi per voluntatem Abbatis, & suorum monachorum, ullam unquam habeant potestatem. Sed sit hæc sancta mater Ecclesia peculiaris patroni nostri Beati Petri Apostoli, libera & absoluta, ab omni invasione, vel inquietudine omnium hominum, cujuscumque ordinis, vel potestatis esse videantur, &c. Et, ut hæc auctoritas, nostris & futuris temporibus, circa ipsum sanctum locum, perenniter firma, & inviolata permaneat, per omnia tempora illæsa custodiatur, atque conservetur: & ab omnibus optimatibus nostris, & judicibus publicis, & privatis, melius & certius credatur; manus nostræ subscriptione, subtus eam decrevimus roborare, & sigillo nostro jussimus sigillare.*

VII. *Signum † Edgari inclyti & serenissimi Anglorum Regis.*

† Signum Eduardi filii Regis.
† Signum Ethelredi fratris ejus.

† In nomine Christi ego Dunstanus, etsi peccator, Doroberniensis Ecclesiæ Archiepiscopus: hanc libertatem, sanctæ Crucis agalmate consignavi: ac deinde secundum Apostolicum Ioannis præceptum, observatores hujus libertatis, authoritate quâ perfruor, peccatis suis absolvi. Infractores verò perpetim maledixi, nisi resipiscant, & tribus annis, à liminibus Ecclesiæ sequestrati pœnitentiam agant.

† Ego Oswaldus, Eboracensis Archiepiscopus, imposui.

† Ego Elditanus, Londoniensis Ecclesiæ Episcopus, acquievi.

† Ego Ethelwoldus, VVintoniensis Ecclesiæ Episcopus, corroboravi.

† Ego Elfstanus, Roffensis Ecclesiæ Antistes, supposui.

† Ego Eswius, Dorcacestrensis Ecclesiæ Episcopus, impressi.

† Ego Ælsegus, Lichfeldensis Ecclesiæ Episcopus, consolidavi.

† Ego Adelsinus, Sarisberiensis Ecclesiæ Episcopus, commodum duxi.

† Ego Wulgarus, VVilsunensis Ecclesiæ Episcopus, confirmavi.

† Ego Adulphus, Herefordensis Episcopus, ovanter divulgavi.

† Ego Athelgarus, Cissenensis Ecclesiæ Episcopus, gaudenter conclusi.

† Ego Alfricus, Cridensis Ecclesiæ Episcopus, Amen dixi.

† Ego Sigarus, Almanensis Ecclesiæ Episcopus, consigillavi, atque cum prædictis Archiepiscopis, & Episcopis, & Abbatibus, luminibus accensis, violatores hujus munificentiæ dignitatis; imo Apostolici transgressores decreti, in perpetuum excommunicavi, nisi præstitulatam pœnitentiam resipiscendo peragant.

† Ego Folmerus Abbas. † Ego Alfricus Abbas. IX.
† Ego Kinewardus Abbas. † Ego Osgarus Abbas.*
† Ego Athelgarus Abbas. † Ego Sidemannus Abbas.
† Ego Eolbrithus Abbas. † Ego Godwinus Abbas.
† Ego Leofricus Abbas. † Ego Somer Abbas.

† Ego Aldredus Abbas consensi: Et Rege, jussu, præcipientibus, hanc libertatis syngrapham scripsi, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo octavo, Indictione duodecimâ, Idus Martis, anno decimo quarto Regis Edgari.

† Ego Thurredus Presbyter. † Ego Adelbaldus Presb.
† Ego Leoffa Presbyter. † Ego Wolstanus Presbyter.
† Ego VVulfgar Presbyter. † Ego Bermund Presbyter.
† Ego Athelsege Presbyter. † Ego VVinemann Presbyter.

† Ego Oswerdus presbyter, cum supradictis, & cum aliis centum septem Presbyteris, infractores hujus firmitatis excommunicavi.

† Ego Alfera Dux. † Ego Marchar Dux.
† Ego Oslac Dux. † Ego Barnoch Dux.
† Ego Osred Dux. † Ego Eordwin Dux.
† Ego Eredealf Dux. † Ego Anulf Dux.

Ad ultimum, unà cum Rege & filiis ejus: nos omnes confratres, & coëpiscopi, cum totâ populosâ, & sanctâ Synodo ejusdem loci: omnes futuros Abbates, Decanos, atque Præpositos contestamur: verum etiam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti prohibemus; quatenus sacros illius Ecclesiæ thesauros non destruant: neque terras, seu reditus, vel beneficia, in suis, vel parentum suorum usibus, stolidè expendant. Neque a servis Dei, quæ pro illis ibidem habentur,

substantiam subtrahendo minuant. Quod si aliquis præsumpserit; illum, sicut violatorem, atque transgressorem hujus nostri decreti, imo Apostolici, ante summum judicem; cum venerit judicare sæculum per ignem, responsurum denuntiamus.

X. Ita refert Edgari chartam Clemens Reynerus in Apostolatu: ejus etiam meminit Jacobus Usserus, in Primordiis Ecclesiarum Britannicarum. Qui & in Indice Chronologico, *diploma hoc concessum* scribit anno Christi nongentesimo sexagesimo octavo. Verùm oculatus Lector, ex Episcoporum subscriptionibus, facilè colliget, non omnes ibi nominatos, hoc anno subscribere potuisse, eo saltem modo quo leguntur. Oswaldus enim, licet Edgari, & monachorum votis, sine dubio adfuerit; adhuc tamen, Wigorniensi Ecclesiæ præest: nec nisi post annos quatuor, scribi potest Eboracensis Archiepiscopus. Alii etiam subscribentes posteriores fuerunt, ut patet è Regiis chartis, magis authenticis. Necdum enim moritur Leswinus Dorcacestrensis: licet Fasti, & Godwinus, eum mortuum scribant, & successorem nominent Ailnothum: cui superiori anno mortuo Aescwium substituunt. Verùm Ingulphi Abbatis authoritas, & Edgari Regis certius diploma, datum anno nongentesimo septuagesimo quarto, manifestè probat Leswinum tunc in vivis fuisse, & Dorcacestrensem Episcopum. Ælfegus etiam Lichfeldensis, posterior fuit, & necdum, opinor, ad majus sacerdotium assumptus. Wulgarus etiam Wiltunensis, in Fastis primùm scribitur Episcopus, ad annum Christi nongentesimum octogesimum primum: & diu post eum Aoulphus, vel Athulfus Herefordensis. Ethelgarus etiam Australium Saxonum Ecclesiam rexit primùm circa annum Domini nongentesimum octogesimum, ut dicetur. Quod autem in chartâ ponatur Cissenensis Episcopus, novitatem arguit, cum errore conjunctam. Nam Australium Saxonum Præsules, debent adhuc Selsienses vocari: quoniam nisi a Normannorum ingressu, Sedem Cicestriam, sive Cissancestriam transtulerunt. & tunc primùm scribi possunt, non Cissenenses, sed Cicestrenses Episcopi. Aluricus, sive Alfricus Cridensis, Sidemanno successit in eâ Sede, qui adhuc Abbas est, ut ipse fateri videtur. Unde Amen dixit, diu postquam alii, pro Westmonasteriensi privilegio oraverunt.

XI. Sed nihil magis arguit, Episcoporum aliquos, non hoc anno, sed posteriùs subscripsisse, & vitia regiæ chartæ irrepsisse, quam Sigarus Almanensis, qui satis clarè significat Abbates in subscribendo eum præcessisse; dicit enim se cum prædictis Abbatibus transgressores excommunicasse. Et quidem, nullus hoc tempore in Helmhamensi Ecclesiâ Sigarus nominatur Episcopus. Athulfus etiamnum ibi sedet, sedebitque, usque ad annum nongentesimum septuagesimum: cui tunc succedet Alfricus. Alfricum sequentur duo Theodredi, post quos Athelstanus: & Algarus, qui obiisse scribitur anno millesimo vigesimo primo. Et hic fortè Sigarus est. Omiseram ferè Adelsinum, qui scribitur Sarisberiensis Episcopus. Et tamen nova illa Sedes, jure poterit Lectorem morari. Sed & Episcopi nomen ferè incognitum. Dico igitur intelligi Sherburnensem Sedem, in quâ, hoc anno Alfwoldus sedet, decimus octavus illius Ecclesiæ Episcopus: & moritur, (teste Godwino) anno nongentesimo septuagesimo octavo, post eum Ethelricus, & demum sedit Ethelsius: quem charta paulò aliter vocat. Cæterùm nemo potest, hoc anno, dici Sarisberiensis Episcopus: quia Hermannus, Edoardi Confessoris Sacellanus, Normannorum tempore; cùm passim Episcopi oppidulis derelictis, urbes illustriores quærerent; missâ Sherburnâ Sarisberiam migravit primus. Atque inde, non priùs, dicti sunt Sarisberienses Episcopi. Fatendum igitur, Episcoporum nomina, Regiis chartis, non uno semper tempore apponi; & aliquando criticorum vitio, tam imperitè, ut dubitare quilibet de privilegii firmitate, meritò aliquando possit.

Ex Edgari hoc diplomate, nostrorum Principum Fides Regia, illustri argumento concluditur; cum Petrus Apostolorum Princeps, specialis regni *patronus*, ac *protector* audit: & *monachorum vita Apostolica* appellatur. Cæterùm cur Petrus in præcipuo honore apud Reges fuerit: illud sine dubio, inter cætera in causâ fuit; quòd Princeps ille Apostolorum, Insulam hanc peculiari patrocinio foverit, atque protexerit; quòd vivens illam Fidei rudimenta docuerit: & demum Gregorianæ conversionis exordia, tunc nobilitaverit suâ præsentiâ, cùm Westmonasteriensem Ecclesiam, per se ipse consecravit. de quo fusiùs dixi tomo superiore *. Sed quidnam illud est, quod honor jubetur Ecclesiæ deferri, *pro reverentiâ Reliquiarum gloriosissimi Apostoli Petri?* opinor alludit ad id quod vulgò passim creditum est, vestem sacram in eâ Ecclesiâ adservari, quâ usus est aliquando Apostolorum Princeps. Ejus certè meminit Thomas Morus, notæ prudentiæ & integritatis vir, in vitâ Richardi Regis, eo nomine tertii. Quare parum reverenter, & multum antiquitati detrahens Usserus; hæc omnia, quæ de Petrini templi consecratione, à Regibus, & Pontificibus referuntur, inter fabulas rejicit. quo Novatorum more, plus omnibus sæculis sapere, vellet insipientibus videri. Quem ideò * suprà rejecimus. Sed satis de Edgari chartâ. Illud solum in Dunstani subscriptione, notandum, quod Apostolici Joannis præceptum urgeat: quo planè significat; quicquid pro monachorum jure & quiete, aut à Rege, aut Episcopis attentatum est: id omne Romanæ Sedis suffragio, & Joannis XIII. ibi sedentis, perfectum & roboratum esse, quod infrà etiam, prolatis ejus literis, ostendam.

XII. Cur Petrus a Regibus coltus?

* an. 604. n. 64. &c.

Thom. Mor. Ric. 3.

Usser. Primord. f. 742.

* an. 604. n. 67.

Moritur hoc anno Lindisfarnensis Episcopus, qui ad sancti Cuthberti corpus excubabat, Aldredus nomine: eique mortuo successit Alfsius. ita Wigorniensis ad hunc annum. Unde corrigi debet quod Florilegus, ad eundem annum scribit: *Mortuo Lindissa Regionis Episcopo, Ælfsius, vir in rebus Ecclesiasticis eruditus, successit.* Nam per *Lindissa Regionem*, Merciorum Ecclesiam, potiùs quàm Northumbriæ provinciam, intelligimus. De hoc Elfsio legitur, quòd Kinadum, sive Kennethum Scotorum Regem, ad Edgarum Regem adduxerit, de quo infrà *

XIII. Moritur Aldredus Lindisfarnensis et succedit Alfsius.

Wigorn. hic Westmo. hic

* an. 975. 2.

ANNUS CHRISTI 969.

JOANNIS XIII. PAPÆ 4.

EDGARI ANGLORUM REG. II.

I. EDGARUS PRO ECCLESIA VIGILAT.

CUM Edgarus undecimum in Ecclesia annum ageret; cuperet Ecclesiam, Christi sponsam, temporum injuriâ læsam, majestati pristinæ restituere: nec sanctius medium occurreret, quam præficiendo Ecclesiis monachos, qui primam inter Saxones Evangelicæ doctrinæ sementem jecerant: monet Episcopos, ut quod in Wintoniensi Ecclesiâ feliciter cœperant, idem ubique per Insulam perficerent: hoc est, ut malè viventes clerici, vel vitam moresque mutarent; vel locum cederent illis, qui verbo & exemplo populum docerent sanctius. Quare accitos ad se Dunstanum, Ethelwoldum, atque Oswaldum, anno nongentesimo sexagesimo nono, eleganti oratione excitat, ad Ecclesiastici præsulis officium. Novatores hanc Edgari orationem merito laudant, præsertim ubi mentem Regis sensumque pervertunt. Spelmannus eam citat, libro de Synodis, & ita illam inscribit: *Oratio Edgari Regis, ad Dunstanum Archiepiscopum Cantuariæ, Oswaldum Wigorniæ, & Ethelwaldum Wentanæ Episcopos. In quâ Clericorum conjugatorum enumerat crimina, ejiciendósque decernit, & introducendos monachos: Curam rei bis demandat Episcopis, Regiâ fultis authoritate.* Nimirum illud placet, conjugatos fuisse clericos; & Regem, in Ecclesiam præsumpsisse. quorum neutrum ex oratione colligitur: sed planè contrarium; hoc est, nec conjugatos fuisse clericos; nec Edgarum, aliud hoc anno, quàm olim Constantinum nostrum, fecisse.

Spelman. fol. 476.

SPELMANNI παράζυγμα DE CONJUGATIS SACERDOTIBUS.

II. PARKERI OSCITANTIA.

Antiq. Brit. fol. 85.

Parkerus in suis Antiquitatibus, conjugio adhuc altius indormit; nam Presbyteros vult, cum liberis, & uxoribus injuriâ pulsos fuisse. *Anno Domini*, inquit, *nongentesimo sexagesimo tertio, jussu Regis Edgari Presbyteros conjugatos, cum liberis & uxoribus, Ethelwaldus veteri monasterio Wintoniensi exclusit, eorumque loco monachos recepit.* Nec vidit dormitantius iste, nusquam procreandis liberis erata esse monasteria. Pergit autem: *Anno nongentesimo sexagesimo septimo, novum monachorum cœnobium, cum Midelsonensi cœnobio, propè civitatem Wentanam, quæ Hida dicebatur, eodem anno condidit.* ubique claudicat novarum Antiquitatum author. Nam novum monasterium necdum Hida dicebatur, nec illud eo anno condidit Ethelwoldus. Quod sequitur, impium est, & contra fidem scriptorum omnium; tamen benè annum exprimit, quo Edgarus ad Episcopos peroravit. *Quo etiam anno* (nimirum 967.) *Rex Edgarus, in monasterio Ramesia, quod avus suus Edwardus major construxerat, monachos* (Wigorniensis, Florilegus, & alii, *Sanctimoniales* nominant) *collocavit: quibus* * *Merwinam Abbatissam præfecit. Tum biennio post, Dunstano, Oswaldo, & Ethelwoldo præcepit; ut è majoribus per Merciam cœnobiis, amotis conjugatis, monachos collocarent: hujusmodi usus oratione.* Quis non crederet conjugatos fuisse, qui toties conjugati, & tam intrepidè vocantur: quorum liberi & uxores, tam inverecundè memorantur. Horum tamen nihil, Edgarus persequitur; qui tamen, nequiter viventem clerum studio persequitur, & enumerat ejus crimina. Ecce orationem ejus, ut in Magnâ Patrum Bibliothecâ legitur, accuratè descriptâ, ex Ælredi operibus, cum hoc titulo:

Idem suprà.

* vide infra an. 980, n. 6.

III. Bibl. Ma. to. 15. fo. 11.

Continet hoc fragmentum Orationem EADGARI Magnifici & Pacifici, habitam ad Episcopos, cœnobiorumque Præfectos.

EDGARI ORATIO AD EPISCOPOS.

QUoniam magnificavit Dominus misericordiam suam facere nobiscum, dignum est, ô Patres Reverendissimi, ut innumeris illius beneficiis, dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro possidemus terram, & brachium nostrum non salvavit nos: sed dextra ejus, & brachium sanctum ejus; quoniam complacuit illi in nobis. Justum proinde est, ut qui omnia subjecit sub pedibus nostris; subjiciamus & nos illi animas nostras. Et ut hi quos nobis subdidit, ejus subdantur legibus, non segniter elaboremus. Et meâ quidem interest, laicos, cum æquitatis jure tractare, inter virum & proximum suum justum judicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum ejus; egenum & pauperem, à diripientibus eum. Sed & mea solicitudinis est, Ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris Virginum, & necessaria procurare, & paci eorum, ac quieti consulere. De quorum omnium moribus ad VOS spectat examen; si vixerint continenter, si honestè se habeant ad eos, qui foris sunt, si in divinis Officiis solliciti, si ad docendos populos assidui, si victu sobrii, si habitu moderati, si in judiciis sint discreti. Pace vestrâ loquor, Reverendi Patres, si ista solerti scrutinio curassetis; non tam horrenda, & abominanda, ad aures nostras, de clericis pervenissent. Taceo, quod nec illis est corona patens, nec tonsura conveniens; quod in veste lascivia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo; interioris hominis loquuntur insaniam. Præterea, in divinis Officiis, quanta sit negligentia, cum sacris vigiliis vix interesse dignentur; cum ad Missarum solennia, ad ludendum, magis quàm ad psallendum, congregati videantur.

IV.

Dicam, dicam, quod boni lugent, mali rident: Dicam dolens (si tamen dici potest) quomodo diffluant in Comessationibus, & ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitiis; ut jam domus Clericorum, putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi alea, ibi saltus, & cantus; ibi usque ad medium noctis spatium, protracta in clamore, & horrore, vigilia. Sic, sic, patrimonia Regum, eleemosynæ pauperum; imo (quod magis est) illius pretiosi Sanguinis pretium, profligatur? Ad hoc ergo exhauserunt patres nostri thesauros suos? Ad hoc fiscus Regius, detractis reditibus multis, decubuit? Ad hoc Ecclesiis Christi agros, & possessiones, Regalis munificentia contulit, ut deliciis clericorum meretrices ornentur? Luxuriosa convivia præparentur; canes & aves, & talia ludicra comparentur? Hæc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant & saltant: & vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis? Ubi gladius Levi, & zelus Simeonis; qui ut scorta abutentes filiâ Iacob, Sichimitas (eorum habentes figuram, qui Christi Ecclesiam pollutis actibus fœdant) etiam circumcisos succiderunt? ubi spiritus Moysi, qui caput vituli adorantibus, etiam domesticis sui Sanguinis non pepercit? Ubi pugio Phinees sacerdotis, qui fornicantem cum Madianita confodiens, sanctâ hac æmulatione Dominum placavit iratum? Ubi spiritus Petri, cujus virtute perimitur avaritia, hæresis Simoniaca condemnatur?

Æmula-

V. *Æmulamini, ô Sacerdotes, æmulamini vias Domini, & justitias Dei nostri. Tempus faciendi contra eos, qui dissipaverunt Legem Dei. Ego Constantini, vos Petri gladium habetis in manibus; jungamus dextras; gladium gladio copulemus, ut ejiciantur extra castra leprosi, ut purgetur Sanctuarium Domini, & ministrent in templo filii Levi: qui dixit Patri, & matri, nescio vos: & fratribus suis: ignoro vos. Agite quæso solicitè, ne pœniteat nos fecisse, quod fecimus; dedisse, quod dedimus: si viderimus illud non Dei obsequio, sed in pessimorum luxuriâ, impunitâ libertate consumi. Moveant vos Sanctorum reliquiæ, quibus insultant; & veneranda altaria, ante quæ insaniunt. Moveat vos antecessorum nostrorum mira devotio; quorum eleemosynis vesania clericorum abutitur. Proavus meus, ut scitis, totam terram suam Ecclesiis & monasteriis decimavit: Sanctæ memoriæ atavus meus Aluredus; ut Ecclesiam ditaret, non thesauris suis, non patrimonio, non sumptibus, non reditibus parcendum putavit. Avus meus, senior Edoardus, quanta contulerit Ecclesiis, vestram Paternitatem non latet. Pater meus, & fratres, quibus donariis Christi altaria cumulaverint; meminisse vos decet.*

Num. 5. v. 2.

Deutero. 33. v. 9.

VI. *O Pater Patrum Dunstane, contemplare quæso patris mei oculos, ab illâ lucidâ cæli plagâ, interradiantes: audi querulas ejus voces, cum quadam pietate in suis auribus resonantes. Tu mihi Pater Dunstane, tu mihi de construendis monasteriis, de Ecclesiis ædificandis, consilium salubre dedisti. Tu mihi adjutor in omnibus, & cooperator extitisti. Te quasi Pastorem, & Episcopum animæ, morumque meorum custodem elegi. Quando tibi non parui? Quos unquam thesauros tuis consiliis prætuli? Quas possessiones, te præcipiente, non sprevi? Si quid pauperibus dandum existimabas, præsto fui. Si quid conferendum Ecclesiis judicabas, non distuli. Si quid monachis clericisve deesse querebaris, supplevi. æternam dicebas esse eleemosynam, nec aliam fructuosiorem, quàm quod monasteriis Ecclesiisve confertur, quo Dei servi sustentantur; quod superest pauperibus erogatur. O præclaram eleemosynam, & dignum animæ pretium! O peccatis nostris salubre remedium! Quod à sinu Sibyllæ, in peregrinis muris pellicula fœtet; quod ejus auriculas ornat; quod componit digitulos, quod corpus delicatum in bysso stringit, & purpurâ. Hiccine est, Pater, eleemosynarum mearum fructus! hiccine desiderii mei, tuæque promissionis effectus? Quid huic Patris mei querimoniæ respondebis? Scio, scio, cum videbas furem, non currebas cum eo; nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguisti, obsecrasti, increpasti. Contempta sunt verba, veniendum est ad verbera; & non deerit tibi potestas Regia. Habes hic tecum Venerabilem Ethelwaldum Wintoniensem Episcopum, habes Reverendissimum Præsulem Wigorniensem, Oswaldum. Vobis istud committo negotium: ut & Episcopali censurâ, & Regiâ authoritate turpiter viventes de Ecclesiis ejiciantur, & ordinatè viventes introducantur.*

VII. Recensuit hanc Edgari orationem Harpesfeldus, & è Manuscriptis Codicibus illam eo prorsus modo in historiam Ecclesiasticam retulit, ita præfatus. Hæc oratio, *cum rara sit, nec, quod scio, alicubi impressa, & quæ legatur oppido digna, subjiciam eam Lectori, non meis, sed illis, quæ reperi apud Authorem meum, verbis.* Ita ille: Et fallor, si usquam, è Regum ore, processit aliquid, hoc sæculo; aut ad Principis munus explicandum, elegantius, aut ad Scepitri & Sacerdotii jura, distinctius. Enimvero benè Constantini meminit, qui eadem pietate, in Nicænâ Synodo, Sacerdotum crimina Sacerdotibus permisit. Nihil tamen, in antiquorum Regum rebus gestis, tam illustre est, quin si in Sectariorum manus devenerit, obscurari possit, perverti, atque fœdari. Illi Manuscriptos Codices vexant, ut factioni famulentur: & ubi Edgarus pientissimè dixit Episcopis: *De quorum omnium moribus ad VOS spectat examen*: illi Regum auribus blandientes, & Edgari mentem nihil expendentes; legunt: *De quorum omnium moribus, ad NOS spectat examen*; quo nihil insulsius, & ab omni orationis periodo alienius dici, aut ad factionis genium detegendum opportunius, excogitari potuit. Ut orationis seriem, sensumque contemplati, vel primis oculis apparebit.

VIII. Non hic Joannem Foxum accuso, quia ubique vulpeculam agit, & Anglicè solùm incumbit: nec admodum moror Matthæum Parkerum, quia ubique inaccuratus est, & nequiore impetu fertur: Sunt alii etiam, qui eandem Edgari orationem perperam legunt, quos non moror. Miror magis eos, qui è librorum correctione, & re literariâ, nomen aucupati sunt; & tamen in hunc locum turpiter impegerunt. Inde, nullâ genuini sensus habitâ ratione Regibus adulati. Sic Joannes Seldenus, & Isaacus Casaubonus, è perversâ verborum lectione, minuendæ Ecclesiasticæ potestatis argumentum sumpserunt; Ecclesiam sæcularibus substernendo; quia scilicet Edgarus dixit; examen Clericorum, & morum eorundem, Regii tribunalis esse; cum planè contrarium Edgarus, non dixerit modò, sed multo etiam argumento fecerit, atque probaverit. Ad quid enim duorum gladiorum distinctio; Petri, atque Constantini? Cum iterum gladius Levi, & pugio Phinees Sacerdotis, in medium adferuntur; si penes Regem, examen est clericorum. Sed illa fortè remotiora sunt, & fallere Lectorem possunt. Cur Edgarus; si dixit: *Ad nos spectat examen*; statim subjunxit: *Pace vestrâ loquor, Reverendi Patres, si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda de clericis, ad aures nostras pervenissent.* Cur Episcopos arguit quòd *negligerent*, quòd *parcerent*, quòd *dissimularent*; si Regium fuisset omnia præcavere? Quis non videt impertinenter admodum Episcopos reprehendi, in eorum morum examine, quod Regii subsellii erat. & sine dubio Respondissent Episcopi; cur nobis clericorum crimina objicis, aut eorum morum examen, cùm tui id muneris esse pronunties?

Qui sensum perverterint?

Selden in Spicileg. Casaubon. in Epistola Exercitu. præfixâ.

Seldenus et Casaubonus arguuntur.

IX. Dic ergò, doctiùs multò, Edgarum perorasse, quàm vellent Novatores. Excute Regis mentem, sensúmque verborum; qui in omni penè syllabâ, Regis & Episcopi distinguit munera: *Mea*, inquit, *interest laicos, cum æquitatis jure tractare, inter virum & proximum suum, justum judicium facere*, &c. hoc revera Regium est, & proximè coronam spectat. *Sed & meæ solicitudinis est* (eleganter dictum, & nota discrimen) *Ecclesiarum ministris, gregibus monachorum; choris Virginum, & necessaria ministrare, & paci eorum ac quieti consulere.* Hoc etiam Edgarum tangebat: *erunt Reges nutritii tui.* Addit mox, quod Episcoporum erat: *De quorum moribus, ad Vos spectat examen, si vivunt continenter, si honestè se habent ad eos, qui foris sunt: si in divinis officiis soliciti, si ad docendos populos assidui, si victu sobrii, si moderati habitu, si in judiciis sunt discreti.* Quis non videt ad Episcopos

hæc, non ad Reges pertinere? Quis nescit, vel ipsum nomen Episcopi, ad inspiciendos cleri mores, Præsulibus dari? Debentne Reges de clericorum incontinentiâ, rationem Deo reddere? præscribere habitum, chorum inspicere, an devoti adstent divinis officiis, & sobriè domi vivant? Pudet pergere, & porro horum virorum oscitantiam petere. Petri, & Constantini mentio; gladiorum & dextrarum distinctio; & omnis denique Edgari ad Episcopos apostrophe; eloquenter clamant, Ecclesiæ potestatem, à Regiâ differentem esse. Et reges quidem in laicos imperium omne habere: in Ecclesiasticos tantum, ut illis necessaria ministrent: & horum demum mores, ad Episcopos spectare. Sic utraque Resp. superiorem habet: quod pulchrè Edgarus in orationis exordio sic insinuat, Episcopos alloquens: *Justum*, inquit, *est, ut qui omnia subjecit sub pedibus nostris* (hoc est sub Regum & Episcoporum pedibus) *subjiciamus illi & nos, & animas nostras: & ut hi quos nobis subdidit, ejus subdantur legibus, non segniter elaboremus.* Mox infert, quinam quibus subdantur: *Mea quidem interest laicos tractare*, &c. Ecclesiasticis necessaria ministrare; *de quorum moribus, ad VOS spectat examen.* Quod quia omnium sæculorum argumento probatur, non urgeo pluribus.

X. Edgarus in recensendis majoribus, vel memoriâ lapsus est, vel potius amanuensis nomina titulósque transposuit. Errorem vidit Spelmannus: & benè excipit: sed vitiosum sequutus Codicem, majorem fecit. Ubi enim nos, & Seldenus etiam, legimus: *Proavus meus (ut scitis) totam terram suam Ecclesiis & monasteriis decimavit*: ipse sic legit: *Proavus meus Edwardus (ut scitis) omnem terram suam Ecclesiis decimavit.* Quod nomen sine dubio vitio irrepsit. Sequitur enim: *Sanctæ memoriæ atavus meus Aluredus, ut Ecclesiam ditaret, non thesauris suis, non patrimonio, non sumptibus, non reditibus parcendum putavit. Avus meus senior Edoardus quanta contulerit*, &c. Non ergo, pro proavo Edoardus, sed Ethelwolfus ponendus*, qui revera terram omnem decimavit, ut dictum suprà *. Sed nec ille Edgari proavus, nec Aluredus, sive Alfredus atavus dici debet: quia absque controversiâ est Edmundum Edgari parentem, Edoardum avum, Aluredum proavum, Æthelwolfum denique abavum fuisse. Cæterum omnium pietate optimè probatur Edgari intentum: illos Ecclesias & monasteria fundasse, auxisse, ditasse, non incontinenti clero, sed castiùs agentibus cœnobitis. Corrige ergo Novatores omnes, Parkerum, Spedum, Camdenum, Godwinum, Spelmannum, qui cum antiquorum sæculorum injuriâ dixerunt; hos Reges, Edgari majores, conjugatis presbyteris monasteria fundasse. Et ille ante omnes corrigendus est, qui ejectos clericos, quorum crimina Edgarus modo recensuit, *in conjugio legitimo piè viventes* appellavit, Matthæus Parkerus. Malè etiam Spelmannus Edgari orationem commentatus est, cum dixit in titulo: *Clericorum conjugatorum* vitia recenseri. Nam incontinentes clerici, *adulteri*; & fœminæ eorum *meretrices* vocantur; nullâ prorsus matrimonii, nullâ uxorum, nullâ conjugii, aut nuptiarum, mentione.

Spelman. fol. 477.

*an. 854. 4.

Antiq. Brit. fol. 72.

XI. Taceant ergo sectarii, & antiquiores loquantur, quid hoc anno ab Edgaro Rege, & Episcopis, factum: Nam illi, à nuperâ lite remoti, integrius omnia referent. Hovedenus igitur ita scribit; ante annos quadringentos. *Anno nongentesimo sexagesimo nono, Rex Anglorum pacificus Eadgarus, sancto Dunstano Doroberniensis, & Beato Oswaldo Wigorniensis, & sancto Ethelwaldo Wintoniensis Ecclesiæ Episcopis, præcepit; ut expulsis clericis, in majoribus monasteriis per Merciam constructis, monachos collocarent. Unde S. Oswaldus, sui voti compos effectus, clericos Wigorniensis Ecclesiæ, monachalem habitum suscipere renuentes, de monasterio expulit: consentientes verò huic, ipse Antistes monachizavit: eisq; Winsinum, magnæ religionis virum, loco Decani præfecit.* Winsinus hic, è Ramesciensi cœnobio assumptus est, de quo anno superiori n. 2. Verùm hæc majorum Monasteriorum reformatio, vix sine tumultu, & obloquentium clericorum querimonia concipi potest. Wintonienses enim Canonici, sedibus pulsi, injuriam interpretantes, quicquid monachis fiebat, questibus Insulam impleverant. Nec deerant procerum aliqui; quos illi, ut fit, ad partes suas traxerant. Imò querulorum voces Romam penetraverant: ubi Joannes Papa, non mœchus ille, quem fingit Parkerus*; sed alter, Sanctior, Benedicti successor, universæ Christi Ecclesiæ præsidebat. Et ille, re intellectâ, Dunstano mandat; Synodum cogat Episcoporum omnium: statuatque communi suffragio, quid in propositâ lite, è bono commodóque Anglicanæ Ecclesiæ futurum sit.

Hoved. hic

WINSINUS DECANUS MONACHORUM WIGORNIENSIS

Antiq. Brit. fol. 83

XII. De tempore, rebusque gestis hujus Concilii; quod generale ab authoribus vocatur; quia ad illud Episcopi omnes convenerunt. pauci tractaverunt. Spelmannus non malè ad hunc annum nongentesimum sexagesimum nonum retulit, Baronius ad sequentem: locum Synodi, & Episcoporum nomina nemo recenset. Opinor, è sequentibus Synodis, quæ super hac re frequentes fuerunt, colligi potest, hoc anno cœptum de clericorum jure disputari: & sequenti conclusum, pro monachis standum; nec incontinenti clero fundata esse monasteria. Cæterùm quod Spelmannus majusculis literis inscribat hanc Synodum: CONSILIUM GENERALE, A S. DUNSTANO ARCHIEPISCOPO CANTUARIÆ, ADVERSUS CLERICOS CONJUGATOS CELEBRATUM: ab antiquorum dialecto alienum est: ubi nusquam conjugatorum mentio; quod & ipse fateri debet, qui plures citat, eorúmque verba refert: & ne verbo quidem de conjugio clericorum, ut è sequentibus patebit. Osbernus Cantuariensis, qui floruit anno millesimo septuagesimo quarto, hæc habet de Generali Concilio. *Per idem tempus, authoritate Ioannis Papæ, Dunstanus Archiepiscopus, coacto generali Concilio statuit, & decreto firmavit, ut Canonici omnes, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, aut castè viverent, aut Ecclesias, quas tenebant, dimitterent. Habebat autem Regem Edgarum, in hoc negotio, fidelem adjutorem, & firmum defensorem.*

RO[illegible] TIPE[illegible] CONC[illegible] LIUM IN[illegible] DICI I[illegible] BET.

Spelman. fol. 479 Baron. an. 970.

ITERUM SPELMANNUS CÆCUTIT.

CONCILIUM CANTUARIENSE GENERALE. apud Baron. suprà. & Spelman. suprà.

QUID DECRETUM IN SYNODO?

XIII. En, in ipso controversiæ limine, constat quæstionem fuisse de iis solùm, qui conjugari non poterant: quique eum gradum ascenderant, cui continentiæ votum, jam inde ab Apostolorum tempore, annexum fuerat. de minorum gentium clericis, nulla mentio; quia nullâ lege à conjugio arcebantur; quod Sectarii non distinguunt, sacris passim profana miscentes. Non ita Edgarus; qui non solùm, in hoc negotio, *fidelis adjutor,*

& firmus

& firmum defensor: sed fuit etiam Episcopis author, ut decretum, tantâ sæculorum sanctitate ratum; quo fœminarum consortia sacris hominibus, vetantur; vires in totâ Insulâ, robúrque obtineret. Eo enim Regis oratio, quæ Concilium præcessit, omnino tendebat; & eo potissimum excitati classico, statuerunt Præsules, antiquis Canonibus, qui temporum injuriâ jacuerant, in Clericorum continentiâ deferendum. Decretum igitur, ut duobus Episcopis, juris executio crederetur. De quibus ita Osbernus: *Hujus decreti executio*, inquit, *Oswaldo Wigorniensi, & Ethelwaldo Wintoniensi Episcopis, commissa est.* Qui quomodo decreto paruerint, dicetur paullò inferius, cum Synodum solvero. Nam aliud prius in Synodo tractatum, de quo ista Baronius: *Ad idem Concilium Generale* (ita ab eis nominatum, quod omnes Angliæ Episcopi in idem convenissent) *spectat; quod de publica Comitis incestuosi pœnitentia, ibi facta idem Osbertus* (Osbernum nos vocamus) *scripsit his verbis*:

Baron. an 970. n. 11.

XIV. [illegible] Comes [illegible] excommunicatur ob incestum.

Comes quidam præpotens, cognatam suam, illicito sibi matrimonio copulaverat: & à Dunstano semel, secundo, & tertio redargutus, incestum suum divortio expiare nolebat. Quapropter gladio Spiritus sancti à viro Dei percussus, à liminibus est sanctæ Ecclesiæ separatus. Qui typho tactus superbiæ, Regem adit; Dunstanum impiæ & immoderatæ severitatis accusans Regiâ sanctione se ab ejus tyrannide liberum constitui, querulâ voce precatur, & obsecrat. Cujus verbis Rex acquiescens, Dunstano mandat, ut hominem, cum eâ quam duxerat, in pace manere sinat: & à quibus ipsum suspenderat, liminibus sacris restituat. Miratur ille ad audita, & dolet religiosum Regem, per mendacem hominis linguam, ante rei inquisitionem, & examinationem, esse seductum. Ponit tamen hominem ad rationem: & tam pro commisso crimine, quam & propter injustam sui criminationem apud Principem terræ factam, paullo durius increpat; cupiens eo modo, ad pœnitentiam & correctionem, cor illius emollire. At ubi vidit ipsum, non solum verbis suis non consentire; sed insuper contumaci spiritu contra se furere, minari, supra id, quod ab ingressu domus Dei suspenderat, ut dixi, omnem ei communionem fidelium, donec à suâ pravitate discederet, interdixit. Tunc ille, seipso deterior effectus, immani est furore correptus: & nihil eorum, quæ possidebat, alicujus esse momenti reputans: ad hoc solum se totum studebat impendere; ut Dunstano excitaret scandalum, & Christianæ legis jugum, quo à suâ libidine coercebatur, sibi faceret alienum. Legatos itaque suos Romam destinat: & talibus assueta, quorundam Romanorum corda, & ora, in suam causam largo munere, largiore sponsione permutat. Quid inde?

Dunstanum accusat apud Edgarum. [partly illegible]

Et Romanum Pontificem.

XV. Dunstani constantia.

Præsul Apostolicæ Sedis, Dunstano, peccatori homini condescendere verbis ac literis mandat: & eum Ecclesiæ gremio integrè conciliare, monet, hortatur, imperat. Sed si pœnitens (sunt verba Baronii) *peccatum relinqueret, voluit mandatum intelligi: nec enim aliter potuit intellexisse: pergit enim: Ad quæ Dunstanus ita respondet: Equidem cum illum de quo agitur, sui delicti pœnitudinem gerere videro; præceptis Domini Papæ libens parebo. Sed ut ipse in peccato suo jaceat, & immunis ab Ecclesiasticâ censurâ nobis insultet, & exinde gaudeat: nolit Deus. Avertat etiam Deus à me, ut ego causâ alicujus mortalis hominis, vel pro redemptione capitis mei, postponam legem, quam servandam statuit in suâ Ecclesiâ idem Dominus meus Jesus Christus, filius Dei. Hæc ille relata sibi audiens; & Dunstanum ex his quæ certò diceret, inflexibilem esse certissimè sciens: & excommunicationis suæ pœnâ, cum pudore hominum constrictus, tum timore periculorum, quæ talibus nonnunquam accidere solent, perterritus; obstinationem suæ mentis deposuit: & abdicato illicito conjugio, pœnitentiæ sibi cultum imposuit. Dunstano itaque generale totius regni Concilium, de observantiâ Christianitatis celebrante; ipsemet sui oblitus, nudis pedibus, laneis indumentis corpus amictus, virgas manu ferens, e Concilio sese medium ingessit: & ante pedes Dunstani gemebundus, & ejulans corruit. Quo viso, moti sunt omnes qui aderant ad pietatem; & ipse pater omnium, majori præ cæteris pietate motus est. In vultu tamen, servato disciplinæ rigore, utpote hominem Deo conciliare desiderans lacrymas ejus ad horam severus sustinuit: ac demum à toto Concilio postulatus, lacrymans & ipse culpam indulsit. Ita ab excommunicationis vinculo absolutum, communioni fidelium, gaudentibus cunctis, eum restituit. Hucusque de his, quæ ad dictum Generale, in Angliâ celebratum Concilium spectant*, inquit Baronius.

Comitis conversio.

Soluto conventu; Episcopi, quibus Cleri reformatio commissa est, injuncto sibi muneri incumbunt. Ad Oswaldum imprimis Merciorum provincia pertinebat: & illa cultore impigro ad evellenda zizania indigebat. De eo igitur hæc leguntur: *Beatus Oswaldus, septem monasteria, in suâ diœcesi, ejectis clericis insolenter viventibus, construxit: & monachos, & Abbates eis præfecit. In his abbas Pershorensis, Fulbertus, benè moratus, & religionis Monasticæ fervens zelator; sed tamen in subditos sæviens nimium, quod in eo valdè reprehendebatur: cum esset ad extrema perductus: & post obitum in feretro repositus, redeunte spiritu erexit se, cunctis trementibus, atque se à Beato Benedicto, ad conspectum Dei perductum fuisse. Deumq; ipsi peccata sua, ob merita dilecti sui Oswaldi remisisse: ejusq; sanctitatis declarandæ causâ, se revixisse. His dictis conticuit, & percepto Dominici corporis viatico, dimidium supervixit diem, rursumq; defunctus est.* Ita Osbernus. Verùm quod ad Oswaldi sanctitatem attinet, plura inferiùs ejus argumenta proponemus. Interim, ut Ecclesias & monasteria reformarit, videamus. Quod idem Author sic prosequitur:

XVI. Incontinens Clerus è Merciis ejicitur. Capgrav. in Oswaldo. Baron. an. 970. n. 4.

Fulbertus Abbas Pershorensis mortuus

Oswaldi meritis revixit.

In aliis etiam Angliæ locis (ita referunt Baronius & Spelmannus) *insignes Ecclesias Beatus Oswaldus, ob eandem causam, ejectis clericis, monasticæ institutionis viris tradidit. Puta Ecclesiam Sancti Albani, Sanctæ Ethelredæ Virginis in Eli, & eam quæ apud Beamfledam honorabilis habebatur. In Ecclesiâ sancti Albani Elfricum Abbatem Brithnotum, in Beamfledensi Gotmannum. Quæ verò monasteria constituit, ea invisere solebat: & tum sermone, cum opere, ea quæ ad animarum salutem pertinerent, illis paterno affectu ministrabat. Porrò in monasterio Ramesiensi Abbo Floriacensem monachum degere voluit, morum sanctitate præclarum, & literis egregiè eruditum; ut monachos doceret, scholis præesset, & tum regulam, sive monasticam disciplinam, tum literarum scientiam promoveret. Is Abbo, Dunstani hortatu, Beati Edmundi Regis & Martyris passionem accuratè conscripsit. Tandem Floriacum reversus, & Abbas effectus, à suis monachis occisus est. Hæc in actis sancti Oswaldi habentur*, inquit Baronius: & eadem omnino retulit Spelmannus. Uterque videtur vitiosi Codicis errore aliquid omisisse: cum legit constitutum ab Oswaldo in Ecclesiâ sancti Albani, Elfricum Abbatem Brithnotum; nam legendum potius, ut refert

XVII. Baron. an. 970. n. 5.

Capgrav. in Ofwaldo.

Capgravius in vita S. Ofwaldi: *Inftituit in Ecclefia S. Albani Elfricum, qui ad Archiepifcopatum Cantuarienfem poftea fublimatus fuit; In Ecclefiâ Elienfi, Brithnotum: Beamfletenfi Ecclefiæ Godmannum conftituit Abbatem.* Ita ibi. Cum enim tria monafteria nominaffet, fine dubio eorundem monafteriorum Abbates, voluit intelligi.

XVIII. ALBANENSIS MONASTERII ECHLEPSIS.

Ex hoc Ofwaldi facto, clarè deducitur; Albanenfem Ecclefiam, communc cum aliis cœnobiis, naufragium feciffe: & ibi etiam monachos, clero ceffiffe, præter Offæ Regis expreffam mentem, fenfumque fundationis, Ubi fancti Benedicti regula doceri, & omnia juxta eam fieri jubentur. Ut dixi anno Chrifti feptingentefimo nonagefimo tertio, num. 26. Quo pofito, vacillat ferè viginti trium Abbatum vita, quam Matthæus Parifienfis fcripfiffe dicitur: ubi nulla hujufce mutationis mentio, nec totalis illa à Regulâ declinatio recenfetur. Ibi quidem duo Alfrici Abbates memorantur. Alfricus feptimus, de quo dicitur, quod *Plenus dierum, & fanctitate praclarus, poft multa opera laudabilia, migravit ad Dominum*: & in margine ponitur Edgarus Rex. Sed illum, opinor, Ofwaldus Epifcopus, Abbatem non inftituit; quia de Cantuarienfi Sede nulla mentio: ad quam tamen Elfricus ab Ofwaldo inftitutus affumptus dicitur: Eft ergo Abbas Albanenfis alter, numero undecimus, Alfricus nomine: qui Leofrico fratri fucceffit Abbati decimo. Et hic quidem Leofricus (juxta Parifienfem) ad Archiepifcopatum Cantuarienfem electus, primo non confenfit, poftea tamen affumptus dicitur: nihil tale de Alfrico legitur ejus fratre. hoc tantum, quod electus Leofricus non confenferit; afferens *fratrem fuum Alfricum, ad hoc effe digniorem.* Verum hæc omnia, de Leofrico, & Alfrico nutant; quia inter Cantuarienfes Archipræfules, nullus hoc fæculo Leofricus nominatur. Et Aluricius, qui etiam Alfricus dicitur; & numeratur ab Auguftino vigefimus fextus; non ex Albanenfi, fed è Glaftonienfi cœnobio factus eft Abiudoniæ Abbas, & inde Cantuariam tranflatus. Ufferus in Primordiis*, Ealdredum, Albanenfem Abbatem præfuiffe, vult, ab anno 960. ad 970. illique tunc Eadmarum fucceffiffe, quem Matthæus numerat inter Abbates nonum. Iterum idem Author in Indice Chronologico, vult Leofricum, ab aliis Aelfricum, & Aluricium dici, diftinctúmque facit ab ejus uterino fratre, Alfrico. Hæc & plura alia, fufpenfum me habent, quid de viginti trium Abbatum vita, quæ Parifienfi afcribitur, fentiendum fit. Sed de eo, aliorum, per me licet, judicium efto.

Paris in 7. Abbate. — *Paris in Abbate 10.* — *fol. 152. &c.*

XIX. Quod de Elienfi monafterio dicitur, præfectoque illi Brithnoto; fciendum eft: Ediltrudem Virginem, & Reginam fanctiffimam (quæ fupra Ethelreda dicitur) facris Virginibus cœnobium ibi pofuiffe; de quo vide annum Domini fexcentefimum trigefimum tertium, n. 12. Sed illud Danorum inundatione, à Virginibus derelictum; quas barbari immani carnificinâ trucidarunt, ut dictum anno octingentefimo feptuagefimo, Inde locus manfit clericorum præda, ufque ad Ethelwoldi Epifcopi tempora: de quo fic legitur in ejus vitâ: *Ethelwoldus locum quendam, modò Hely vocatum, fifco Regio redactum, dato non modico pretio, emit: monachos ibidem ordinavit: Brithnotum præpofitum fuum, in veteri monafterio Wintoniæ, Abbatem inibi inftituit, & locum ædificiis reparavit.*

Capgrav. in Ethelwold. & Annal. Heda.

XX. De Ecclefiâ apud Beamfled, quæ *honorabilis habebatur*, & cui Ofwaldus Gotmannum dicitur præfeciffe, hæreo quid dicendum. Et quia nihil apud Authores de monafterio ibidem pofito, occurrit, fufpicio eft, nomen vitio irrepfiffe. Eft quidem Beamfleot, Effexienfis agri oppidum, quod foffatis altis & fpatiofis Dani contra Alfredum firmaverunt, anno octingentefimo nonagefimo quarto, ut dictum ibi. Sed quibus, monafteriorum per Merciam conftitutorum, provincia commiffa eft; non videntur in illa Trinobantium regione, Ecclefiam procuraffe. Itaque de tertio hoc monafterio, hoc tempore ab Epifcopis, in fanctiorum ordinem mutato, rectiùs, opinor, in Ethelwoldi vita fic legitur: *Tertium nihilominus locum pretio acquifivit, qui propter fpineta circumquaque fuccrefcentia, Thorneia vocabatur: & monachos ibidem ftatuit, & Godmannum Abbatem eis præfecit.* Eft locus ille in Merciorum provinciâ, & diœcefi Elienfi, ubi revera Ecclefia honorabilis habebatur. Nam ita fcribit Malmefburienfis: *In ejus (Helienfis dico) Epifcopi parochia, eft Thorneia cœnobium. Thorneia ulterior fcripto, & contractior fpatio*, fed prior laudum titulo: paradifi fimulacrum, quod amœnitate jam cælos ipfos imaginetur; in ipfis paludibus arborum ferax, quæ enodi proceritate luctantur ad fidera: æquora, planities, herbarum viridantibus comis oculos advocant; currentibus per campum, nullus offenfioni datur locus. Nulla ibi vel exigua terræ portio vacat. Hic in pomiferas arbores terra fe fubigit: hic prætexitur ager vineis; quæ vel per terram repunt, vel per bajulos palos in celfum furgunt. Mutuum certamen naturæ & cultus: ut quod oblivifcitur illa, producat ifte. Quid dicetur de ædificiorum decore, quæ folum mirabile quantum inter illas paludes folidum inconcuffis fundamentis fuftinet? Solitudo ingens ad quietem data monachis; ut eò tenacius hæreant fuperis, quò caftigatius mortales confpicantur. Fœmina ibi fi vifitur, monftro habetur: Maribus advenientibus, quafi Angelis plauditur. Verè dixerim Infulam illam effe caftitatis diverforium, honeftatis contubernium, divinorum Philofophorum gymnafium, Thorneiæ propter condenfitatem dumorum vocata.*

Capgrav. in Ethelwoldo. THORNEIENSE MONASTERIUM. *Malmesb. de Pont. l. 4. fol. 204.*

XXI. *At verò Ethelwoldus vepres extirpari, fpinas farriri juffit; jam principio Epifcopatus, meditatus, omnibus mundi omiffis, eremiticam exercere ibi vitam. Libabátque, ut poterat, futuræ quietis primitias, diebus quadraginta, in remotiffimâ, quam ipfe conftruxerat, Ecclefiâ, folùs Deo vacans. Idcircóq; non tantum terrarum illuc, quantum alibi, congeffit: fed quantum fibi, & duodecim monachis fatis effet. Omne verò, quicquid loco contulit, ab omnibus in perpetuum publicis fundationibus, liberum fecit, Regis Edicto; cunctorum Epifcoporum & optimatum affenfu firmato. Corpora Sanctorum, qui olim in illa eremo diverfati fuiffent; nec non & aliorum per Angliam tot advexit; ut omnes pene anguli Ecclefiæ pleni fint. Quorum nomina fcribere ultro refugio; quia barbarum quiddam ftridunt. Non quod eos Sanctos, vel difcredam, vel diffitear. Cujus enim authoritatis ego fum, qui in difceptationem vocem, quæ facta confecravit Antiquitas? Sed quia, ut dixi, vocabula eorum inconditum fonant, horridum olent fatuis duntaxat hominibus; quales multos noftra parit ætas, nolo Sanctos exponere ludibrio. Igitur omni reverentiâ, cuftoditâ pace, folum Benedictum aufim propalare, qui Bedæ nutritius & Abba fuit.* Tum pergit author plura narrare,

de Benedicto Biscopo, quæ ego suprà suis locis reddidi: & demum concludit quartum, de Pontificum gestis, librum. *Hujus* (Benedicti) *corpus magno comptum pretio, Adelwoldus Thorneiam advexit, & obscurioribus sanctæ luciflluum jubar invexit.* Hæc dicta sunto de tertio monasterio, & *honorabili Ecclesia*, cui Godmannus hoc anno præficitur: quam Thorneiam potius in Cantabrigiensi agro, quam Beamfletam *in* Essexiensi, appellandam, censeo. Ubi (in Thorneia inquam) *Sexwulfus vir pius eremitam egerat: *Et ubi Edgarus* (inquit Spedus) *operâ Ethelwoldi, monasterium extruxit, anno Domini nongentesimo sexagesimo nono.*

*v. an. 669. n. 8 Sped. Catal. in Cambrig.

XXII. TIDHELM' HEREFORDENSIS MORITUR: SUCCEDIT WULPHELMUS.

Moritur hoc anno (ita saltem è Savilianis Fastis colligo) Tidhelmus Herefordensis Episcopus: & locum ejus Wulphelmus implevit: nec aliud de illis proditur. Pergo igitur in annum sequentem.

ANNUS CHRISTI 970.

JOANNIS XIII. PAPÆ 5.

EDGARI ANGLORUM REG. 12.

I. MONASTERIUM MEDESHAMSTEDENSE RESTITUITUR. Ingulf. f. 882.

ITERUM Ethelwoldus Wintoniensis Episcopus, injunctum sibi à Synodo munus religiosè prosequitur. Et iterum Edgarus septennis pœnitentiæ opera, pientissimè exequitur; cum anno nongentesimo septuagesimo: uterque extruendis monasteriis, ornandisque Ecclesiis, strenuè collaborat. *Restauravit iste Sanctus* (loquitur Ingulphus) *Episcopus Ethelvvoldus tunc devastatum per Danos monasterium, quod Medeshamsted appellatum, & readificatum, Burgum nuncupavit. Et de possessionibus eidem loco, de fisco acquisitis, hujusmodi Chartam, præficiens eidem monasterio in Abbatem, quendam de monachis, Adulphum nomine, de prædicto Rege piissimo* (Edgaro) *impetravit*, in his verbis:

II. CHARTA EDGARI REGIS PRO PETRIBURGO.

GRatia Domini nostri JESU CHRISTI, *Regis omnium seculorum, omnia suo nutu distribuentis regna terrarum, & moderantis habenas rerum: Ego Edgarus, sub ipso sidereo Rege possidens regna Magnæ Britanniæ: sæpè petitionem venerabilis, & Deo dilecti Pontificis Athelwoldi, super stabilitate Ecclesiarum, quarum ipse est infatigabilis instructor, accepi: maximè autem, super antiqui monasterii restitutionem, ac libertatem; quod primitus Medeshamsted, modò, Dei adjutorio, ac suâ, ac nostrâ instantiâ, restauratum, Burch appellatur. quod scilicet quadam prærogativâ gratiæ sancti Petri, ac pristinæ nobilitatis, eminentius diligit. Recolens enim illud à pristinis Regibus, Wulfero, nec non Ethelrede, aliisq; successoribus, magnificè ditatum, & regalibus privilegiis fortissimè stabilitum: sed ab externo Paganorum exercitu destructum: hic Dei sapiens architectus, magno zelo domus Dei studuit reparare: & acquisitis, ac redemptis undique rerum possessionibus; cum nostrâ Regali donatione, prout potuit amplificavit.*

v. an. 669. 8. & an. 678. 7.

III. *Ego itaque, per gratiam sancti Petri, tantiq; Patris charitatem, atque animæ redemptionem; concedo gratantissimè illud sanctum, & Apostolicum cœnobium, in perpetuum esse liberum, ab omni sæculari causâ, & servitute: ut nullus Ecclesiasticorum, vel Laicorum, super ipsum, vel ipsius Abbatem, ullum unquam habeat dominium: sed ipso Abbate, cum subjectâ Christi familiâ, in pace Dei, & superni Janitoris Petri patrocinio, illud regente, ac Rege in omnibus necessitatibus adjuvante, ab omni mundiali jugo, tam securum æternaliter consistat; quam liberum ab Episcopali exactione, & inquietudine, ex Apostolicâ libertate, & reverendissimi Archiepiscopi nostri Dunstani authoritate, cum suis appendiciis; id est, Dodesthorpe, & Ege, & Pastone; perpetuò maneat absolutum. Villam quoque Undale, cum toto jure adjacentium villarum, quod Cathtahundred Anglicè nominatur: & cum Mercato, ac telonio; eâ prorsus libertate donamus: quatenus nec Rex, nec Comes, nec Episcopus, præter Christianitatem attinentium parochiarum: Nec Vicecomes, nec ulla unquam major, minorve persona, ullâ dominatione occupare, nec de ipsâ villâ Undale; ubi legitimè considere debet; in alium locum transferre ullatenus præsumat. Sed tam Abbas prædicti cœnobii, illud cum suis causis, & legibus, totum in suâ potestate liberrimè teneat: & quando, vel in quo loco sibi placuerit, sine ullâ contradictione sedere faciat. Item terras nostro adjutorio, vel dono, vel Optimatum meorum, per præfatum Episcopum. eidem monasterio adjectas; quæ hac ex parte titulantur; id est: Barvve, Wermington, Asoiton, Ketringas, Castre, & Eglisvvorth, Walton, Withrington, Ege, Thorp, & Dodisthorp; ac unum monetarium in Staunford, in perpetuam libertatem concedimus.*

IV. *Sint ergò tam ista villa, quàm cætera omnes, quæ ad ipsum monasterium pertinent; cum universis rebus, & rationibus ejus, & totum, quod appellatur Socha, Sacha. ab omni regali jure, & ab omni sæculari jugo, in æternum libera; & in magnis, & in minimis, in silvis, campis, pascuis, pratis, paludibus, venationibus, piscationibus, Mercationibus, teloniis, omnium rerum procreationibus, Dei beneficio provenientibus. Concedimus etiam quartam partem stagni, quod dicitur Wicklesmere, per Episcopum Athelvvoldum acquisitam, cum omnibus scilicet aquis, piscariis, stagnis, & paludibus, attinentibus, usque ad hos terminos circumjacentes: quorum Septentrionalis est, ubi primum intratur Merelade, de amne Nene, Orientalis ad Kingsdelf; Australis ad Aldvvines Barvve: qui locus est in palude contra medietatem via Ubbemerelade. Occidentalis, ubi aqua de Opbethe finitur ad terram. Quæ omnia antiquitus, ad illud sacrosanctum monasterium, multò latius, & longius pertinuisse probantur. Mercatum quoque constituimus in Burch singulare; ut nullum aliud habeatur inter Stanford & Huntindune. Et ad illud damus, ibidemq; persolvi jubemus totum, sine ullâ contradictione telonium Regis, quod jacet ad Hundred de Normanestros, & de VViclesemer, sicut Merelade venit ad aquam de Nene: & inde sicut aqua currit ad VVelmesford: & de VVelmesford usque ad Staunford: & de Staunford juxta cursum aquæ, usque ad Croyland: & de Croyland usque ad Must: & de Must, usque ad Kingesdelf: & inde usque ad prædictam aquam de VViclesmere. Propter varia quippe lucra, & corporalium, & spiritualium utilitates; hoc mercatum decrevimus illic celebrari; & undique illud requiri: quatenus & Dei ministri inde adjuventur propinquius; & à concurrente populo Christiano, inter terrena necessaria, cælestia petantur subsidia: dummodo per sancti Petri quæsita patrocinia, & per Missarum audita mysteria; secundùm fidem cujuslibet; ibi possint redimi diversarum offensionum debita.*

PETRI PATROCINIO ET MISSARŨ MYSTERIO, PECCATA REDIMŨTUR

V. *Porrò, decedente Abbate, de eadem Congregatione; fratres successorem devotum eligant; & Regis favore ordinetur. Hanc igitur totius Abbatiæ, tam in longinquis, quàm in proximis possessionibus, regificam libertatem, ab omnibus approbatam, exceptâ mode-*

ratâ expeditione, & pontis arcisve restauratione, satagimus per ipsum devotissimum hujus descriptionis authorem, Athelvvoldum, à Sede Apostolicâ Romanæ Ecclesiæ, juxta primævam ejusdem monasterii institutionem, perpetuo corroborari. Quam quicunque, in aliquo, violare præsumpserit; ipsius summi Præsidis Petri, & Romanæ hierarchiæ, omniúmque Sanctorum ordinum animadversione, in infernum æternaliter damnetur. Qui vero provexerit, & defenderit; in sorte electorum Dei remuneretur. Sancitum est hoc privilegium, anno Dominicæ Incarnationis, nongentesimo septuagesimo, terrenique imperii mei, anno decimo (sed lege undecimo, vel duodecimo, nam uterque in Christi annum septuagesimum supra nongentesimum cadit.) *Quod his probabilibus testibus, cum sanctæ Crucis indicio subnotatur, juxta meam subscriptionem.*

VI. † *Ego Eadgarus, totius Albionis Basileus, hoc Privilegium cum signo sanctæ Crucis confirmavi.*

† *Ego Dunstanus, Doroberuensis Archiepiscopus, hoc idem cum trophæo hagiæ Crucis corroboravi.*

† *Ego Oswaldus, Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopus, subscripsi.*

† *Ego Athelvvoldus Præsul, consignavi.*

† *Ego Alstanus Episcopus, favi.*

† *Ego Athulphus Pontifex, consensi.*

† *Ego Afrvio Abbas, non renui.*

† *Ego Osgar Abbas, approbavi.*

† *Ego Athelgar Abbas, consensi.*

† *Ego Alfer Dux.* † *Ego Ailvvine Dux.*

† *Ego Brithnodus Dux.* † *Ego Oslac Dux.*

† *Ego Athelvvard Minister.* † *Ego Arfunlph Minister.*

† *Ego Alfsi Minister.* † *Ego Alfvvard Minister*, &c.

Hactenus Edgari Regis Diploma.

VII. In quo illud animadversione dignum; quod tamen Novatores advertere noluerunt: quàm modestè Edgarus se gerat in Ecclesiam; cùm non personas solùm, quæ Ecclesiæ inserviunt; sed earum etiam bona, ab omni prorsus laicorum jugo, decernit esse absoluta: & bonorum dominium, penes Ecclesiam ita residere: *ut nec Rex, nec Comes*, &c. *ullâ dominatione illud occupare ullatenus præsumat.* Censuit ergò sine dubio Ecclesiasticos omnes, ab omni laicorum jurisdictione, etiam Regiâ, eximios esse: Nec Ecclesiasticorum mores, ad aliud quàm Ecclesiæ tribunal, probandos, aut improbandos esse: Non ergò scripsit, ut * suprà finxerunt Novatores, ad se pertinere in clericorum mores inquirere: sed disertè, Episcoporum id munus esse: suum autem clericis necessaria ministrare. Quod in hâc Regiâ chartâ, aliis verbis, sed eodem sensu dixit: Abbatem debere monasterium regere: *Rege in omnibus necessitatibus adjuvante.* Quod Edgarus, hoc anno, & sequentibus, facto magis, quàm verbo expressit, Optimorum Regum exemplo.

* an. 969. n. 8.

VIII. Inter subscribentes Episcopos, Oswaldus hoc anno, & sequenti, Eboracensis Archiepiscopus scribitur: quia post annum alterum, ut dicetur, revera ad Sedem illam, è Wigorniensi Ecclesiâ assumitur. Unde colligo Episcoporum nomina, non semper apponi eo modo, iisque circumstantiis, quibus facta est subscriptio; quod vel oscitantiâ librariorum, vel criticorum vitio fit, historiæ ac veritati, tenebras adferentium. Qui ultimò inter Episcopos nominatur, Athulphus; Helmhamensis est; quem Odo Cantuariensis ad eam Sedem consecravit, anno nongentesimo quinquagesimo quinto. Hunc Fasti mortuum dudum aiunt, eique duos, ante hunc annum successisse; Alfricum primo, inde Theodredum. Sed hoc Regium Edgari diploma, & chartæ etiam aliæ, quas suprà retuli, satis innuunt, cum adhuc superstitem, Alfrico locum non cessisse, ante hunc annum Christi nongentesimum septuagesimum. Nunc autem, per me licet, eo mortuo, sedeat Alfricus; quia nihil ultra habeo quod excipiam.

Athulfus Helmamensis moritur: Succedit Alfricus

Potuit etiam hoc anno, Selesiensis Episcopus Ælfredus, ut insinuant Fasti, & clarè affirmat Florilegus; Eadelmo Sedem relinquere. qui licet suprà (anno 966.) diplomati subscripserit plures tamen ibi nominantur, quàm qui eo tempore subscribere potuerunt. Unde nihil potui constanter asserere. Nec est par ratio de mortuis: quia vivi possunt posteriùs scribere, mortui nunquam. Hæreo quis illo Alstanus Episcopus? An Londinensis Alstanus, Dunstani successor in Sede Londinensi, etiamnum superstes: an verò cognominis alter, Wiltunensis Antistes, qui Osulpho mortuo (sub hunc annum inquit Wigorniensis) Ecclesiam illam rexit. Æquivocum certè nomen, quia paulò * infra, Alstanus vocabitur Glastoniensis Abbas; & qui Osulpho successit, ex Abindoniensi cœnobio assumptus est, teste Godwino. Sed quæstionem solvit (opinor) Malmesburiensis, qui Osulfi successorem; non Elstanum; sed Algarum vocat. fuit ergo qui subscripsit, Londinensis Episcopus. Vide tamen, quæ dicam, anno 971. n. 26.

Moritur Æ. fredus Selesii Succ[...] Ead[...]mus.

Westm hoc.

Wigorn hic.

* hic [...] n

Godwin. in [...]

O[...] Wiltunensi succedit Algarus

IX. Itaque monasterium, quod prius Medeshamsted audiebat; ab hoc tempore & deinceps Burgum primo simpliciter; inde à patrono, cui Ethelwoldus illud consecraverat, Petri-burgum appellatum est, quod ita in ejus vitâ refertur: *Emit Ethelvvoldus à Rege* (Edgaro) *locum Medeshamsted, modo Burgh vocatum: basilicamq. congruis ædificiis ornatam, in honore Beati Petri consecravit; monachos congregavit, Eadulphum eis Abbatem instituit; qui post sanctum Osvvaldum, Eboracensi Ecclesiæ, in cathedrali honore residebat.* Locum hunc, & Ecclesiam, Sanctorum reliquiis sanctus Antistes ornasse videtur, nam ita Ethelwoldi industriam laudat Malmesburiensis: *Hic beatissimus Æthelvvoldus, monasterium Burch construit, adeo elaboratis sumptibus, & ampliatis possessionibus; ut pene tota circa Regio illi subjaceat. Colunt & fovent in reliquias corporum suorum virgines eximiæ, Kynedreda, & Kinesvvida, Pendæ Regis filiæ. Ambæ ab infantiâ Deo dicatæ, nobile propositum tenuerunt ad senium.* Malmesburiensis, hoc loco, Kinedredam vocat, quam alibi Kineburgam, ut Authores cæteri, appellavit: sed, sui oblitus, virginem dixit, quam alio * loco Alfrido Northumbrorum Regi conjunctam, uxorem agnoscit: & Osredum Regem ejus filium fuisse, nemo negat; & ego superiori tomo * ostendi. ubi etiam ejus reliquias è Dormuncastro, ad Petri-burgum, ab Ethelwoldo Episcopo translatas, dixi: cultámque Reginam, ibi ab omni populo, pridiè Nonas Martii, usque ad annum millesimum decimum octavum, quando Calvinistarum præcursores Dani, monasteria iterum ferro flammâque vexaverunt.

Monasterium Petriburgense.

Congrav. in Ethelvvold.

Malmesb. de Pont. [...]

Idem de Reg. l. 2. [...] 4.

* v. an. 686. n. 25. &c.

X. Ethelwoldi pietas porro progreditur, variis in locis cœnobia vel de novo extruit, vel vetera restaurat; & ubique Dei cultum, & religiosæ vitæ institutum, auget. Unde in ejus vita sic legitur:

Monasteria ubique.

Factum

Capgrav. supra. AB ETHELWOLDO FORMANTUR. *Factum est, consentiente Rege* (Edgaro) *ut partim Dunstani consilio, & actione; partim Ethelwoldi sedula cooperatione; monasteria monachorum, & monialium, ubique in gente Anglorum construerentur. Circuivit vir Dei singula monasteria, mores instituens; obedientes, ut in bono proficerent, verbis admonendo; & stultos & obstinatos, ut à malo discederent, verberibus corrigendo. Erat namque terribilis, ut Leo, discolis & perversis: humilibus & obedientibus, se quasi agnum mitissimum exhibebat: ita serpentina prudentia temperans severitatem; ut columbinæ simplicitatis non amitteret lenitatem. Quem si quando zelus rectitudinis cogeret, ut pura disciplina subjectis imponeret; furor ipse non de crudelitate, sed de amore processit: & intus paternâ pietate dilexit; quos foris, quasi insequens, castigavit. Pater erat, & Pastor monachorum: pervigil sanctimonialium protector & virginum, viduarum consolator, peregrinorum susceptor, defensor Ecclesiarum, corrector errantium, recreator pauperum, pupillorum & orphanorum adjutor.* Hæc & plura, de Ethelwoldi virtutibus, authores passim prædicant.

XI. S. SWITHUNI CORPORIS INVENTIO. Auxit opinionem sanctitatis ejus, quod hoc anno mirabiliter contigit, in sancti Swithuni corporis inventione: de quo sic scribunt Wigorniensis, Hovedenus, atque Florilegus: *Anno nongentesimo septuagesimo, sancti ac Venerabilis Antistitis Swithuni reliquiæ; peractis à sepulturâ ejus, centum decem annis. Indictione decimâ tertiâ, Idus Julii, feriâ sextâ, sublata sunt de monumento, à sancto Ethelwoldo venerabili Præsule. & ab Alfstano Glastoncensis, & Æthelgaro novi monasterii Abbatibus; & in Basilicâ Apostolorum Petri & Pauli decentissimè sunt recondita.* Ita illi. Et ferè convenit annorum ille numerus; cum eo quod supra diximus de sancto Swithuno, cujus mortem assignavimus anno Christi octingentesimo sexagesimo secundo. Cæterùm non câsu aut humanâ industriâ factum; ut Sanctus ille, post tot annorum tenebras, lucem aspiceret: sed voluit Deus; ut structis de novo, aut restauratis ædibus sacris; & crescente in populo Dei cultu, prolitarent etiam ubique nova alimenta pietatis; & per Sanctorum exempla, qui præcesserunt; fideles animarentur ad cultum Dei. Dignum igitur est posterorum memoriâ; quod hoc anno contigit, & sanctum tot annis sepultum, in lucem asseruit: præsertim cum Malmesburiensis, gravissimus author, illud inter Pontificum gesta retulerit; ubi Ethelwoldi pietatis opera commemorans, hæc subjicit.

XII. ETHELWOLDUS ORACULO JUBETUR SWITHUNI OSSA EFFERRE. *Malmesb. de Pont. l. 2, fol. 244.* *Maximo & laudabili operibus ejus emolumento, Beatissimus Swithunus, eodem tempore revelatus. Qui antiqua vita humilitatem tenens; non alicui inflationi personæ; sed homuncioni pauperculo, qui manuum artificio vitam toleraret; per visionem talia proferre visus est. Vade Wintoniam, ad vetus monasterium, requisitoque loci æditno; præcipe, ut dicatur Ethelwoldo Episcopo, quatenus Swithuni, olim Episcopi, Mausoleum aperiens, efferat reliquias; inventurus ibi omni thesauro pretiosiores margaritas. Respexit tempora ejus clemens divinitas; ut per me cœlestibus illustrentur prodigiis: Et ne cuncteris, hoc habe signum: Annulos ferreos violenter cum plumbo lapidi sepulchri affixos, levi annisu, cum voles extrahes; cum voles, appones; cæteri, si idem tentaverint, frustra erit. Ivit ille, & promissionis coram æditno tempore effectus; ad præsentiam Pontificis admissus est. Ibi rem intrepidè prosequutus, fidem dictorum habuit. Die ergo dicta, elevantur ossa de tumulo, componuntur in scrinio. Concurrit vis ingens vulgi, vota offerre, vota cumulare. Nullus se queritur fraudatum; omnia fiunt, cuncta conceduntur. Denique tanta miraculorum copia, in omni genere valetudinum exhibita est; quantam nulla memoria hominum alibi saltem attingere potest: Habet ergo cognomentum pii, Sanctus ille, omni se invocanti; nisi Fides defuerit, adauxiliandum celer. Cujus bonitas jamdudum inchoata; nec nostrâ ætate exolescit.* Ita ille, qui Malmesberiæ senex obiit, anno millesimo centesimo quadragesimo secundo.

XIII. MIRACULA DEUM HONORANT. SED quia futuri erant, qui Sanctorum miracula, vel negarent, vel riderent; pergit idem author, plura de Swithuno addere, quorum ipse oculatus testis. *Vidi ego*, inquit, *quod mirum sit, hominem, cui violentia raptorum effodisset lumina; oculis vel illis, vel aliis (nam illi longiusculè projecti fuerant) receptis; serenam lucem, per Swithuni merita, recepisse. Eratque præterita calamitatis indicium, quod aculei punctionum palpebras deformabant. Vult interea Sanctus; ut in omnibus glorificetur Deus.* (Sed vult Sectarius, ut nullibi glorificetur, vel laudetur Deus, in Sanctis suis) *nec patitur, ut aliquis per eum sanatus, carnis voluntatem lubrico; qui nolit præterito implicari morbo. Quinetiam, cùm olim monachi, miraculorum frequentia defessi essent: & mediis noctibus, eventu alicujus prodigii, sese inopes quippe somno citarent; non latuit torpor eorum Sancti oculum de longè intuentem, continuoque Ethelwoldo, apud Curiam Regis soporato, assistit; vacationem minitans sanitatum; si monachi ulterius à laude Dei putassent cessandum. Cur enim in Dei dormitarent laude; cùm ipse pro eorum vigilaret salute.* Ita ibi. Nemo de horum fide dubitaverit; qui noverit posteros omnes, tantâ miraculorum frequentiâ excitatos, diem illum anniversariâ memoriâ, & solenni (in Wintoniensi diœcesi) festo coluisse; quo sancti Swithuni ossa, dicto modo elata, & culta sunt; nimirum decimum quintum Junii, ut legere est in nostro Martyrologio. ANNIVERSARIA MEMORIA TRANSLATIONIS. *Mart. Angl. 15. Junii.*

ANNUS CHRISTI 971.

JOANNIS XIII. PAPÆ 6.

EDGARI ANGLORUM REG. 13.

I. EDGARUS MONASTERIA FOVET. GLASTONIENSE IMPRIMIS. *Antiq. Glaston.* CURREBAT adhuc Edgari Regis annus duodecimus; cum sub initium anni nongentesimi septuagesimi primi, amores suos in omnia monasteria, & Glastoniense imprimis, explicuit: de quo sic referunt illius loci Antiquitates: *Rex Edgarus, monasteria in toto regno suo collapsa reædificavit; Ecclesias reparavit, monachos fovit; & exaltavit: Glastoniensem Ecclesiam, præ omnibus aliis, dilexit; & magnis possessionibus amplificavit: atque in omnibus; quæ ad Ecclesiæ decorem, sive utilitatem pertinent; tam interius, quàm exterius, invigilavit.* Eloquens argumentum hujusce pietatis Regiæ, est privilegium; quod hoc anno Edgarus scripsit, voluitque à Romano Pontifice confirmari, in Glastoniensis monasterii favorem. de quo hæc habet Malmesburiensis, ex antiquis illius cœnobii monumentis.

II. *Malm. lib. de Reg. l. 2.* *Gloriosæ recordationis Edgarus, Anglorum Rex, filius Edmundi Regis; cujus studium divinis cultibus*

potissimum invigilabat, ad monasterium sanctæ Dei Genitricis Mariæ in Glastingabiri frequenter adveniens; & eundem locum, clariori præ cæteris dignitate, excolere, summo elaborans studio; plura, admodúmque magnifica privilegia contulit, communi Episcoporum, Abbatum, Primorumq; consilio. Quorum primum; ut nullus, nisi ejusdem loci monachus, ibidem fungatur Abbatis nomine, vel officio: nec alius, nisi quem, secundum tenorem regulæ concorditer elegerit, parilis conventus assensio. Quod si alterius loci Abbatem vel monachum, eidem loco præfici, necessitas ingruerit; non alium assumi censuit; nisi quem congregatio ipsius monasterii, secundùm timorem Dei, sibi præesse elegerit. Tamen ne hoc fiat, observato omnimodo, si ibidem quispiam, vel extremus Congregationis, illi officio aptus, reperiri potuerit. Monachus siquidem electionem sui Abbatis perpetuam manere censuit: sibi vero, suisq; heredibus; tribuendi fratri electo, pastoralem baculum, potestatem retinuit. Sanxit etiam ut quoties Abbas loci, vel monachi, aliquos suorum sacris ordinibus insigniri decernerent; a quocumque Præsulum Canonicè ordinatum; aut in illius Sede, aut in eodem Sanctæ Mariæ Glastingensi monasterio, tam monachos, quam clericos; quos idoneos judicarent; ad titulum Sanctæ Mariæ ordinari facerent.

PRIVILEGIA GLASTONIENSIS ECCLESIÆ.

III. CLERICI, NON MONACHI, CUM MONACHIS INTERDUM VIXERUNT.

Concessit etiam, ut sicut ipse in propriâ; ita totius Insulæ causas, in omnibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus negotiis, absque ullius contradictione, Abbas, aut conventus corrigeret. Nec ulli omnino Insulam nativitatis suæ consciam; sive Episcopus, sive Dux, aut Princeps, aut, cujuscumque ordinis alius; licitum foret intrare, causâ quippiam faciendi; quod contrarium inibi Deo servientibus esse possit: sicut & prædecessores sui sanxerunt, & privilegiis suis confirmaverunt: videlicet Centwines, Ines, Ethelardus, Cuthredus, Elfredus, Edwardus, Ethelstanus, Edmundus, omnino prohibuit. Ubi ergo generali assensu, ut dictum est, Pontificum, Abbatum, optimatumq; suorum, hæc privilegia ipsi loco conferre disposuit, lituum propriam, eboreq; decentissimè formatum; auróque decoratum, super altare Sanctæ Dei Genetricis, suis monachis, ea perpetualiter possidenda attribuit. Eundémque lituum, mox in sui præsentiâ, fecit secari in medium, ne eum cuiquam dare, vel vendere posset quilibet Abbatum sequentium: præcipiens partem illius servari in loco, ad jam dictæ donationis testimonium. Recogitans verò, quam multa temeritas humanæ levitatis, quibúsque solet subrepere, veréns que ne fortè quis in posterum, vel hæc privilegia loco illi auferre; vel monachos inde molietur ejicere: Inclyto Domino Ioanni Papæ, qui Octaviano in regiminis honore successit; direxit idem chirographum Regiæ liberalitatis: orans, ut & ipse hæc roboraret scripto Apostolicæ authoritatis. Qui benigne directam suscipiens legationem; concordi assensu Romani Concilii, sancita ab iis, firmavit, scribendo Apostolicæ authoritatis præceptionem terribiliter intorquens in violatores, si qui fortè emerserint; perpetui anathematis ultionem. Hæc omnia ex antiquâ Glastoniensis cœnobii schedulâ Malmesburiensis.

IV. CONCILIUM LONDINENSE.

Eadem ad hunc annum referunt Baronius in Annalibus, & Spelmannus in Synodis. Unde etiam constat; tam Londini in Angliâ, ab Edgaro Rege conventum super hoc privilegio indictum fuisse; quàm Romæ à Joanne Papa, ut idem Apostolicâ authoritate firmaretur. De Londinensi conventu hæc habet Spelmannus: *Concilium,* (inquit) *Londini habitum, sub Edgaro Rege, anno regni sui duodecimo, hoc est, Domini nostri nongentesimo septuagesimo, vel nongentesimo septuagesimo primo, præsentibus, Pacifico Rege ipso Edgaro: Alfgiua* (sed lego Elsgiva) *Regis matre: Edvvardo Clitone, id est, regni successore: Kinedio Rege Albaniæ, sive Scotiæ: Masusio Archipirata, seu marium præfecto: Dunstano Archiepiscopo Dorobernensi: Osvvaldo Archiepiscopo Eboracensi, cæterisq; Episcopis, & omnibus regni Primatibus. In quo celeberrima privilegia, ab Edgaro Rege, Glastoniensi cœnobio concessa confirmantur: Reservatâ autem Regi, & heredibus suis, conferendi baculum pastoralem electo, potestate.* — Spelman. fol. 483.

Tum recitat ea, quæ supra refert Malmesburiensis. Benè quidem utrumque annum nongentesimum septuagesimum, & nongentesimum septuagesimum primum, cum Edgari Regis anno duodecimo conjungit: quia cœptum hoc negotium superiori anno, hoc demum anno perfectum, & Romæ confirmatum est; priusquam Rex tertium decimum regni annum inchoaret.

V. SPELMANI CENSURA DE MALMESBURIENSI.

Malè tamen Spelmannus Malmesburiensem arguit; quòd Joannem Papam vocaverit Octaviani successorem, ita scribens: *Occurrit de Ioanne Papa isto, dubitatio. Quisnam ille, & quotus fuerit? Exemplar Glastoniense, hunc OCTAVVM vocat: Malmesburiense Octaviani successorem. Perperam ambo, & elucidatione indigentia. Obiisse enim fertur Ioannes Octavus* * *anno gratiæ octingentesimo octogesimo primo, id est, annos unum & nonginta, vel circiter ante hoc Concilium, nec eidem igitur suscitandus: & in toto Paparum Catalogo, non perspicue reperitur quispiam Octaviani nominis. Res autem sic se habet: Ioannes iste, Edgari Regis coæqualis, Ioannes erat decimus tertius, quem Platina refert Octavianum primo appellari: & hoc deceptus Malmesburiensis, unum eundemq; Papam è duobus ejus nominibus, duos fuisse Papas arbitratus est. Glastoniensis verò Octavum legens, pro Octaviano, Ioannem istum decimum tertium Octavum nuncupat.* Ita arbitrium suum interponit Spelmannus. — Spelman. 483. * v. an. 881. n. 1.

REJICITUR.

Sed & ipse potius, quam Malmesburiensis, elucidatione indiget. Fateor quidem Glastoniensibus Annalibus errorem irrepsisse, ubi sic legitur: *Hanc privilegii paginam Rex Edgarus duodecimo anno regni sui sacro scripto apud Londoniam, communi Concilio optimatum suorum confirmavit. Eodémque anno Ioannes Papa Octavus hanc scriptam paginam, Romæ in generali Synodo authorizavit; cunctosq; potioris dignitatis viros; qui præfuerunt eidem Concilio, confirmare fecit, ad instantiam prædicti Regis,* &c. Fateor, inquam, Annales errasse, in Joanne nominando: sed errorem hunc vidit, & benè correxit Malmesburiensis, Joannem hunc vocans, *Octaviani successorem*: non quod eo Pontificio nomine, quisquam vocatus sit: sed quia Joannes duodecimus (quem aliqui decimum tertium appellant) priusquam Romanam Sedem invasisset; Octavianus dicebatur, Alberici filius: ut dictum suprà *. Cæterùm noluit fortè religiosus Author, eum Pontificio nomine appellare, quia Sedem Romanam lœdavit potiùs, quàm illustravit. Non est ergò deceptus Malmesburiensis, unum eundemque Papam, è duobus suis nominibus, duos arbitratus, ut habet Spelmannus: sed ipse potiùs decipitur, duodecimum Joannem Alberici filium à decimo tertio non distinguens. Uterque quidem Edgari æqualis dici potuit; Duodecimus tamen ad duodecimum annum Edgari Regis non pervenit. Et licet eum inter, & decimum tertium, — * v. an. 955. n. 20.

Benedictus intercesserit, quia tamen ille statim Urbe pulsus, Sedem vix tenuit; non omnino malè dici potest decimus tertius Joannes, Octaviano, hoc est Joanni duodecimo successisse. Nunc ad Londinense Concilium redeo.

VI. Privilegia in Concilio confirmantur. *Annales Glaston.* Ibi confectum est privilegium, & procerum manibus confirmatum; quod Edgarus Rex Glastoniensi monasterio dictavit: quod Annales illius loci referunt; & unà causam conscripti diplomatis: quæ est hujusmodi. *Accidit quadam die* (inquiunt illi) *adveniente illuc* (Glastoniam) *Rege Edgaro; prout sæpius solitus erat: Rex & Beatus Dunstanus ad mensam sederent in refectorio: & cogitationes, divinæ voluntati contraria ascendebant in cor Regis. Mirum dictu! Imago Dominica, ligno Crucis affixa, supra caput eorum, toto se corpore excussit; ita motus impetu, diadema, quod erat in capite imaginis, inter Regem, & Archiepiscopum caderet: sedebant attoniti cogitantes, quid hoc portenderet. Inquisitus ergo Rex à Beato Dunstano, Quid tunc cogitaret: aut quid actuum fore disponeret; fatebatur, quod eo tempore cogitavit; ut ejusdem loci monachis, ad alium locum translatis, illic moniales aggregaret. Increpatus igitur reverenter ab Archiepiscopo dicente, hoc divinæ voluntati contrarium: Rex tale propositum revocavit in irritum: & omnium Optimatum regni Consilio, dictum monasterium tali confirmavit privilegio: ut nunquam ibi Abbas, nisi ejusdem loci esset; si ullo modo aptus, vel etiam congregationis infimus, inveniri posset. Si verò extrema indigenarum penuria, alterius loci monachum postularet: is promoveretur, in quo Glastoniensis Congregationis unanimiter conveniret. Porrò & ipse Abbas, à quocumque vellet Episcopo, benedictionem susciperet; & monachos ac clericos suos benedici juberet, & suorum servientium commissa, sine præjudicio Episcopi, vel ministrorum Regis, incunctanter coërceret:* & cætera, quæ suprà Malmesburiensis recensuit. In fine autem ita subjungit: *Dedit & privilegium in hæc verba:*

VII. Charta Edgari pro Glastonia. In *nomine Domini nostri* Jesu Christi. *Quamvis decreta Pontificum, & verba Sacerdotum, inconvulsis ligaminibus, veluti fundamenta montium, fixa sunt, tamen plerumque tempestatibus, & turbinibus sæcularium rerum, Religio sancta Ecclesiæ maculis reproborum dissipatur, ac rumpitur. Idcirco profuturum succedentibus posteris esse decrevimus, ut ea quæ salubri consilio, & communi assensu definiuntur; nostris literis roborata firmentur. Quapropter dignum videtur, ut Ecclesia Beatissimæ Dei genitricis, semperque Virginis* Mariæ, *Glastoniæ; sicut ex antiquo, principalem in regno meo obtinet dignitatem; ita speciali quadam, & singulari privilegii libertate, per nos honoretur. Hoc itaque Dunstano Dorobernensi, atque Oswaldo Eboracensi Archiepiscopo adhortantibus, consentiente etiam & annuente Brithelmo Fontanensi Episcopo, cæterisque Episcopis, Abbatibus, & Primatibus: Ego Edgar, divinâ dispositione, Rex Anglorum, cæterarumque gentium in circuitu persistentium Gubernator & Rector; in nomine almæ Trinitatis, pro animâ patris mei, qui ibi requiescit; & antecessorum meorum; præsenti privilegio decerno, statuo, confirmo; ut prædictum monasterium, omnisque possessio ejus, ab omni tributo fiscalium negotiorum, nunc & in perpetuum, libera, & quieta permaneant: & habeant socam & sacam, on stronde, & on streame: & on wealde, & on fielde: on gridbrice hundred setena, adas & ordelas: ealle bordas busan eorderan & benecoderam, infangantheof, & outfangentheof, & flemone ferdere, hamsocne, fridebrice, forstall, toll, & theame: ita liberè, & quietè; sicut ego habeo in toto regno meo. Eandem quoque libertatem, & potestatem, quam ego in Curiâ meâ habeo, tam in dimittendo, quam in puniendo: & in quibuslibet omnino negotiis, Abbas, & monachi præfati monasterii, in suâ Curiâ habeant: si aut Abbas, vel quilibet monachus loci illius, latronem, qui ad suspendium, vel quodlibet mortis periculum ducitur, in itinere obvium habuerit: potestatem habeat eripiendi eum ab imminenti periculo, in toto regno meo.*

Glastoniensis monachorum prærogativo.

VIII. *Confirmo etiam & corroboro; ut quod hactenus ab omnibus nostris antecessoribus diligenter observatum est; Fontanensis Episcopus, vel ejus ministri; super hoc monasterium, vel super parochiales ejusdem Ecclesias; videlicet, Streete, Mirielinge, Budeclea, Schapwike, Sowi; aut super eorum capellas, quæ Insulis continentur; scilicet Bekeria, quo parva Hibernia dicitur, Godeneia, Martenesia, Ferramere, Padenebergia, & Andresia; nullam potestatem omnino habeant: nisi tantum cum ab Abbate, causâ dedicandi, vel ordinandi, advocati fuerint: nec eorum Presbyteros ad Synodum suam, vel Capitulum, vel ad quodlibet placitum convocent: nec ab officio Divino suspendant, & omnino nullum jus in eos exercere præsumant monachos suos, & prædictarum Ecclesiarum clericos, secundum antiquæ Ecclesiæ Glastoniæ consuetudinem, & Apostolicam authoritatem: Archipræsulis Dunstani & omnium Episcoporum regni mei assensu; Abbas à quocumque comprovinciali Episcopo voluerit, ordinari faciat. Dedicationes verò Ecclesiarum, si ab Abbate rogatus fuerit, Fontanensi Episcopo permittimus. In Pascha quoque chrisma sanctificationis, & oleum, à Fontanensi Episcopo, ex more accipiat, & in præfatas suas Ecclesias distribuat.*

IX. *Hoc etiam super omnia, Dei interdictione, & nostrâ authoritate (salvâ tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Dorobernensis dignitate) prohibeo, nè persona cujuscumque potestatis; sive Rex, sive Episcopus, sive Dux, aut Princeps, vel quilibet ministrorum eorum; Glastoniæ terminos, vel supradictarum parochiarum, perscrutandi, rapiendi, placitandi gratiâ, vel quicquam aliud faciendi, quod contrarium possit esse ibidem servientibus, intrare præsumant: Abbati tantummodo, & conventui potestas sit, tam in notis causis, quàm in ignotis: & in modicis, & in magnis, & in omnibus omnino negotiis, sicut supra memoravimus. Quisquis autem hujus privilegii mei dignitatem, qualibet occasione, cujuscumque dignitatis, cujuscumque ordinis, cujuscumque professionis, pervertere, vel in irritum deducere, sacrilegâ præsumptione amodo tentaverit: sciat se proculdubio ante districtum Judicem, titubantem, tremebundumque, rationem redditurum; nisi prius, dignâ satisfactione emendare studuerit. Acta est hæc privilegii pagina, & confirmata, apud Londoniam; communi consilio omnium Primatum meorum, anno ab Incarnatione Domini nostri* Jesu Christi *nongentesimo septuagesimo primo, Indictione quarta decimâ. Hujus doni constipulatores fuerunt, quorum nomina inferiùs caraxari videntur.*

X. *Ego Edgar, Rex totius Britanniæ; præfatam libertatem, cum sigillo sanctæ Crucis confirmavi.*
Ego Elfgiva, ejusdem Regis mater, cum gaudio consensi.
Ego Edward Clito, Patris mei donum, cum triumpho sanctæ Crucis impressi.
Ego Kinedius, Rex Albaniæ, adquievi:

Ego Mascusius Archipirata, confortavi.
Ego Dunstanus Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cum tropheo sanctæ Crucis, & cum Suffraganeis Præsulibus, Regis donum corroboravi.
Ego Oswalde, Eboracensis Ecclesiæ Primas, consentiens subscripsi.
Ego Ethelwold, Wintoniensis Ecclesiæ minister, & Glastoniensis monachus, signũ sanctæ Crucis impressi.
Ego Brithelm, Fontanensis Episcopus, consentiens corroboravi.
Ego Elstan Episcopus, confirmavi.
Ego Oswald Episcopus, adquievi.
Ego Elfwold Episcopus, concessi.
Ego Winsige Episcopus, cum signo sanctæ Crucis conclusi.
Ego Segegar Abbas, vexillum sanctæ Crucis impressi.
Ego Esciwi Abbas, confirmavi.
Ego Ordgar Abbas, corroboravi.
Ego Ertrelgar Abbas, concessi.
Ego Kinword Abbas, consensi.
Ego Fideman Abbas, consolidavi.
Ego Elpheh Abbas, subscripsi.
Ego Adulf Herefordensis Ecclesiæ Catascopus, corroboravi.

XI. *Ego Elphere Dux, Domina mea Sancta Maria Glastoniensis Ecclesiæ libertatem, omni devotione, cum sigillo sanctæ Crucis confirmavi.*
Ego Oslac Dux, consensi.
Ego Ethelwine Dux, hoc donum triumphale agiæ Crucis, propria manus depictione impressi.
Ego Oswolde Minister, confirmavi.
Ego Elfwarde Minister, corroboravi.
Ego Ethelsie Minister, consensi.
Ego Elfsie Minister, consensi.

Hanc privilegii paginam, Rex Edgarus duodecimo anno regni sui, sacro scripto, apud Londoniam communi consilio Optimatum suorum, confirmavit. Eodemq; anno Ioannes Papa octavus, hanc ipsam paginam Romæ in generali Synodo authorizavit: cunctosq; potioris dignitatis viros, qui præfuerunt eidem concilio, confirmare fecit, ad instantiam prædicti Regis Edgari, & Beati Dunstani, ac aliorum nobilium præscriptorum. Et ad supplementum firmioris securitatis, idem Apostolicus dictum privilegium Apostolica suffulsit authoritate.

XII. Hactenus ex Glastoniensis monasterii Antiquitatibus; quia nuper Spelmannus, inter Synodos recensuit, subjecitque diploma Joannis decimi tertii: quod priusquam exhibeo, subscribentium nomina, de more excutiam: & incipiendo ab eo, qui inter Ecclesiasticos ultimo loco nominatur; quæro quis Adulfus *Herefordensis Ecclesiæ Catascopus*? Sic enim cum meo M. scripto Codice, legendum potiùs censui, quàm, ut habet impressum, Spelmannus, Catascapus. Respondeo Athulfum intelligi illius Ecclesiæ Episcopum; non qui hoc anno sedebat: nam Wulfhelmus ille dicebatur, sed qui post Wulfhelmi successorem, Alfricum, vigesimus quartus illius Sedis Antistes numeratur. Unde manifestum redditur, quod aliàs monui, apponi interdum, multò posteriùs, Episcoporum nomina. quod etiam in Oswaldo cernitur, qui semel Episcopus simpliciter subscripsit, & inter Dunstani suffraganeos (qui soli videntur subscripsisse) censeri potuit. Nimirum hoc anno Wigorniensem Ecclesiam administrans; postea Eboracum translatus (de quo anno sequenti) Primatis titulum potuit inserere. Winsige Episcopus, qui cum signo sanctæ Crucis conclusit: Winsius est, quem Kinsio successorem dedi, Lichfeldensi Ecclesiæ, anno Domini nongentesimo sexagesimo sexto. *v. an. 966. n.* Brithelmus, qui toties Fontanensis Episcopus scribitur, Wellensem alii communius vocant, de quo ad annum nongentesimum quinquagesimum octavum. *v. an. 958. n. 10 & an. 959. n. 1. & 15.* Elswold, Schirneburnensis est Antistes, ab anno nongentesimo quinquagesimo nono, quando Regiæ chartæ subscriptus invenitur. *v. an. 959. 6.* De Elstano, an Londinensis fuerit, an verò Wiltunensis, hic hæreo; ut hæsi anno superiori; nam utrobique, hoc anno, sedit, qui ita dicebatur. *v. an. 970. 8.*

XIII. Ad sæculares transeo, qui ante Dunstanum subscripserunt: qui, quia principe loco ponuntur, Reges fuisse, ab Edgaro domitos, illique *perpetuo sacramento obligatos* (ut loquitur Malmesburiensis) *par est existimare*. Kinedius, qui Albaniæ Rex scribitur, à Malmesburiensi, Scotorum Rex Kunadius appellatur. Hunc alii communius Kenedum vocant, eo nomine tertium; cui paulò posteriùs Edgarus Rex Laudoniam concessit, ea lege, *ut annis singulis, in festivitatibus præcipuis; quando Rex, & ejus successores, diadema portarent: veniret ad Curiam, & cum cæteris regni Principibus, festum cum lætitiâ celebrarent*, inquit Florilegus. *Westmon. an 975* Qui Archipirata scribitur, Insularum plurimarum Rex erat; qui Edgarum supremum Principem agnoverat, & ipse Regis titulo ornabitur inter eos, qui Edgarum Regem, in triumphi speciem, per Devam fluvium, remigum more, brevi deducent. Edward Clito, Edgari filius, post paucos annos, totius Insulæ coronam portabit; & eâ honestè, ac religiosè gestatâ, meliore donabitur, corona martyrũ. De quo plura suo loco.

XIV. *ELGIVÆ LAUS.* Nec sexus alter, in hoc pietatis opere, suâ laude fraudabitur. prodeat ergò Elgiva, Edmundi uxor, Edgari mater, lectissima fœmina, & in monasteriorum ornatu præcipua. de quâ hæc refert ex antiquioribus Joannes Spedus: *Spedus in Edmundo fol. 400. n. 6* *Edmundo nupsit, sub annum Domini nongentesimum quadragesimum: uxor ejus vixit annos quatuor & supra; à cæde mariti, in luctu mansit, toto vitæ tempore; adeo pietati & virtutibus dedita, ut ab ejus ævi scriptoribus, Sancta nominetur; eámque, eo nomine, posteris commendarint.* Sed majus argumentum sanctitatis ejus est, quod ab Orthodoxis laudetur. Westmonasteriensis, Wigorniensis, & Hovedenus, eam passim Sanctam vocant. *Westmon. an 9.. Wigorn. ibid. Hoved. ibid.* Hanc ob causam, merito inter Sanctos locum obtinuit, in nostro Martyrologio ad quintum Maii: ubi perperam Elgina vocatur; ut eam etiam Spelmannus, & Spedus appellant. non multo rectiùs Westmonasteriensis, pluribus in locis eam, Algivam vocat: *Westmon. an 943. 911 & 974.* & omnium optimè Malmesburiensis, Edgifa; vel cum Wigorniensi, Alfgina; vel cum Hovedeno, Elgiva, dici debet. *VARIA EIUS NOMINA.*

XV. Malè etiam in Martyrologio, mors ejus consignatur ad annum Christi nongentesimum sexagesimum quartum; quæ, sine ullo dubio, Regiam Edgari chartam, hoc anno, *cum gaudio*, confirmavit. Hoc ergo primum anno mori potuit, & Septoniæ sepeliri: qui locus, *ideo illustris fuit* (inquit Camdenus) *quia Elfgiva pientissima fœmina Edmundi uxor, ibi monasterium erexerat*. *Camden. in Dorset Angl.* Sed malo Malmesburiensem legere. Ita de Septoniæ cœnobio scribentem: *Ibi Elgifa, uxor Edmundi, qui fuit pronepos hujus Alfredi, monasterium sanctimonialium fecit. ibidemque carnis exuvias, post fatum deposuit.* *Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 256.*

Mulier bonis operibus semper intenta, pietate & dulcedine prædita: & ut reos, quos tristis sententia judicum palam damnaverat, ipsa occultè redimeret. I... tinsus amictus, qui nonnullis est leno solvendi ... ris, illi erat supellex munificentiæ; ut quamlibet ... batam vestem, conspecto statim largiretur pauperi: ... ciem corporis, & artificium manuum, mea, livor quoque laudaret, cùm nihil reprehendere posset, de prophetali gratiâ, quam ei Deus effuderat, aliàs dictum est. Et vivens quidem virtutum fecit opera: sed post mortem micuerunt miracula; sicut rithmicè quondam cecini. Nam nonnullis passa annis morborum molestiam, defæcatam & excoctam Deo dedit animam. Functas ergò vita fato beatas exuvias, Infinita clemens signis illustrabat Deitas. Inops visus ... auditus, si adorant tumulum, sanitati restituti prædicant sancta meritum. Rectum gressum refert domum, qui accessit loripes, mente captus redit sanus, bonis sensus locuples. Hæc ille de Elfgifâ sanctâ: quam sub hæc tempora mortuam putamus. de qua etiam infrà*, post annos tres, cum corpus ejus efferetur, agendum.

* ... 974.

XVII.

Hactenus de Londinensi Synodo, & Regio Edgari diplomate; quod hoc eodem Romam missum, a primâ Sede confirmari petitur, quia aliqua continebat Regiâ potestate majora: nimirum baculi pastoralis traditionem; quam hoc tempore (ut supra * notatum) pientissimis Principibus, & Ecclesiarum ac monasteriorum fundatoribus, Romani Pontifices indulgere consueverant. Missi in hanc rem Oratores, ad Joannem decimumtertium, Edgari Regis. & Dunstani nomine; *submisso rogatu*, ut mox audies, privilegia confirmari postularunt. nec abnuit Pontifex, sed vocatâ Episcoporum Synodo, concessit omnia: & Glastoniense monasterium, in sinum Romanæ Ecclesiæ, & Beatorum Apostolorum, protectionem suscepit. De Synodo Romæ coacta, ita Baronius. *Annus Redemptoris nongentesimus septuagesimus primus, Indictione decima quartâ sequitur; quo habita est Romæ à Ioanne Pontifice Synodus generalis: ad quam inter alia missa est legatio, ab Edgaro Anglorum Rege, & à sancto Dunstano Archiepiscopo Doroverensi, sive Cantuariensi (utroque enim nomine ea Sedes est nominata) ut ab eodem Ioanne Pontifice confirmarentur privilegia, concessa ab eodem Rege monasterio sanctæ Mariæ Glastingebiri.* Addit deinde è Gulielmo Malmesburiensi (quem ait scripsisse: *Anno millesimo centesimo quadragesimo, inter Authores rerum Anglicanarum, post Bedam præcipuum*) ea quæ suprà retuli; & demum ex eodem recitat Diploma Pontificium; quo Edgari, & Dunstani postulata conceduntur: quod est hujusmodi:

* an. 964.

ROMANÆ SYNODUS ... GLASTONIÆ PRIVILEGIA CONFIRMANTUR.

Baron. hoc an. 1.

XVIII.

* XIII.

DIPLOMA PONTIFICIUM.

Noverit cunctorum notitia fidelium, quod Ego Ioannes XII. Conditoris clementiâ sanctæ Romanæ Sedis existens indignus Papa: gloriosi Anglorum Regis, nec non & sanctæ Doroverniensis Ecclesiæ Archi-præsulis Dunstani, submisso pulsatus rogatu, pro monasterio Sanctæ Mariæ, videlicet Glastingebiri: quod ipsi, antè amore supremi Regis, in multis & magnis possessionibus ditaverant; monachorum ibi multiplicantes normam; præceptisque Regalis firmaverant. Quod & ipse facere non differam. Quorum assentiens benignæ petitioni, in sinu Romanæ Ecclesiæ, & Beatorum Apostolorum eundem locum suscipio, & privilegiis astruo, & corroboro. Quo sinetenus in eo quocumque pollet, permaneat monachalis ordine. Ipsi quoque monachi, de suis sibi adhibeant pastorem. Ordinatio verò, tam monachorum, quàm clericorum, in arbitrio Abbatis, & conventus sit. Decernimus etiam, ut nulli omnino hominum, eandem Insulam, causâ placitandi, vel aliquid aliud perscrutandi, aut corrigendi, intrare liceat. Si quis autem id molitus fuerit contraire; aut possessionem ejusdem Ecclesiæ auferre, retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare: ex authoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sanctæque Dei Genitricis MARIÆ, ac sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, omniumque Sanctorum, perpetuæ sit addictus maledictioni, nisi resipuerit. Omnibus verò eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri JESU CHRISTI amen, nostraque stipulatio inconvulsa permaneat.*

XVIII.

Actum tempore Ælfardi ejusdem monasterii Abbatis, prædicti Regis Edgari duodecimo anno, qui est Dominicæ Incarnationis nongentesimus sexagesimus quintus. Quo præfatus Papa Romæ in generali Synodo authorizavit, cunctisque potioris dignitatis, qui præfuerunt eidem Concilio generali, ea corroborare imperavit. Perpendant ergò contemptores tantæ comminationis; quanta subjaceant sententiæ excommunicationis. Equidem Beato Petro Apostolo, Principi Apostolorum, Christus ligandi solvendique præsulatum, clavesque simul tradidit regni cælorum. Cuique autem fideli constat perspicuum, atque evidens, quod hujus Apostoli Vicarius, potestatisque potissimum sit heres, Romanæ Ecclesiæ præsidens. Huic sanctæ memoriæ Ioannes laudabiliter præfuit suo tempore: ut hodie quoque viget gloriosâ recordatione; promotus adeò Dei eotimque populi electione. Si ergò decretum Beati Petri Apostoli ratum: consequenter & Ioannis Apostolici ratum. Sed nemo, vel demens, ratum esse Petri Apostoli decretum denegat. Nemo igitur sanæ mentis dissimile fore Ioannis Apostolici decretum repugnat. Aut igitur concedentes Beato Petro, suisque successoribus, collatam à Christo potestatem, transgredi cessabunt tanti interdicti authoritatem; aut floccipendentes, cum diabolo, suisque complicibus, præscripta maledictionis sibi acquirent perpetuitatem. Hæc omnia è Malmesburiensi, Baronius.

XIX. PARACHRONISMUS EMENDATUR.

Irrepsit sinè dubio mendum, in antiqui scriptoris verba: ubi duodecimus Edgari annus, in Christi annum nongentesimum sexagesimum quintum inaccuratè conjicitur; omnino præter mentem Authoris. Unde amanuensis arguendus est, non author Malmesburiensis, qui in annorum computo, non solet oscitanter agere. Vidit hoc mendum Spelmannus: & ita censet: *Duodecimum Edgari annum malè tribuit Malmesburius, anno gratiæ nongentesimo sexagesimo quinto; qui revera quadrat anno Edgari Regis septimo, Indictionis octava; non Edgari duodecimo Indictionis decima quarta, ut in Glastoniensi legitur exemplari. Corrigendus igitur Malmesburius, juxta lectionem illam Glastoniensem, quæ synchronismum anni duodecimi Edgari Regis, verius exhibet, anno gratiæ nongentesimo septuagesimo primo Indictionis decima quarta.* Ita ille. Ego dixissem; corrigendus Malmesburius, ex ipso Malmesburio; qui Edgari Regis exordia recensens, ait. *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quinquagesimo nono; Eadgarus, honor ac deliciæ Anglorum, juvenculus annorum sedecim, regnum adipiscens; eodem numero ferme tenuit.* Censuit ergò duodecimum ejus annum, inchoari anno nongentesimo septuagesimo, & sequenti compleri; in quod Authores omnes communiter

Spelman. fol. 437.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 8.

consentiunt. Adde Glastoniensis exemplaris, per quod Malmesburius corrigi debet, author est ipse Malmesburius; ut patet Codicem manuscriptum invuenti. Sed & Joannes monachus, & Adamus de Domerham, qui postea illius cœnobii Antiquitates compilarunt, ingenuè fatentur se Malmesburiensem sequi, & ejus historiam *à florare*, ut habet Glastoniensium Antiquitatum inscriptio.

XX. Major dubitatio oriri posset de Romani Pontificis nomine, qui à Malmesburio XII Joannes appellatur; nisi ipse hominem hoc loco laudavisset; & paulò superiùs expressisset, Octaviani successorem fuisse. Unde omnino eum intellexit, quem nos eo nomine decimum tertium appellamus. Cæterùm cur Author duodecimum dixerit, multa adferri possunt: Et illud imprimis; quod monstrum illud hominis, quem duodecimum vocavimus, noluerit sanctiore appellatione honorare; sed eo, in suis sordibus relicto; qui probabiliter scriptus non erat in libro vitæ; nomen digniori concessit. ad quem Edgarus legationem decernere; à quo Dunstanus Ecclesiis ac monasteria privilegia petere; & demum omnis Anglia pendere, cum dignitate, possent. Hinc corrige oscitantem valdè, & hæresi ubique indormientem Parkerum; qui monachis & monasteriis iratus, cornu ferit omnes, qui illis, hoc sæculo, quantumvis sanctissimi fuerint, in privilegiis impetrandis adfuerunt. Dunstano *summa*, inquit, *adjumenta, ac præsidia in propagando per totum regnum monachismo, & abrogando ministrorum conjugio, tam à Joanne Papa, & Edgaro Rege, quàm ab Osvvaldo, & Ethelvvoldo Episcopis, & monachis, undique comparata. Qui omnes, quales fuerint, non alienum erit paucis indicare. Ioannes Papa ejus nominis decimus tertius, totam vitam in vario concubinatu peregit: tandemq́, cùm se strenui cujusdam viri uxore, ex Vrbe ambulans oblectaret, ab eodem pugione perculsus, multisq́, confossus vulneribus, octo post diebus interiit. Edgarum ipsum Regem, monachi tradunt homicidam, tyrannum, & mulierosum fuisse. Osvvaldus, Odonis Archiepiscopi, avunculi sui consilio Floriacum studii causa profectus, vesanas sanè & præstigiosas artes didicit. Ethelvvoldus in Glastoniensi cœnobio educatus, monachismum suscepit, sub ipso Dunstano: cujus juvenilia primo palam, deinde clam in libidinibus acta, senilia ambitiosissima fuit,* &c.

Antiq. Brit. fol. 03.

XXI. Si causam quæro, cur antiqui hi Heroes, Edgarus, Dunstanus, Oswaldus, & Ethelwoldus; quos majores nostri sanctissimos venerati sunt; adeo Novatoribus displiceant: non alia reddi potest, quam quod tenebræ eos non comprehendant: & noctuæ soleant ad solis lumen irasci. Leve est illud; magnum tamen imperitiæ & oscitantiæ argumentum, quod Parkerus, Joanni decimo tertio tribuat, quæ duodecimo ab omnibus tribuantur. Sed nequior impetus, & odium in monachos, amorque in *ministros conjugatos*, mentem homini prorsus eripuit: hinc in Solem, Lunam, & sidera natus: hinc Insulæ & Anglicanæ Ecclesiæ ornamenta maxima, premi debent; ut nova factio, quæ aliter stare non potest, subsistat. non est opus meâ spongiâ ad calumnias, quas Regi, & Episcopis imponit, eluendas: Nam ipsi suâ se luce purgant: & sæculum illud, quo illi vixerunt, optime testatur, ignorantiæ tenebras per *ministros conjugatos*; splendorem vero, per Dunstanum, Ethelwoldum Anglorum Ecclesiæ illatum esse. Dicat hoc Ælfricus ejus sæculi author: *Summoperè*, inquit, *admonendi sunt ministri Dei, & viri Ecclesiastici; ut sacram hanc doctrinam, nec perire patiantur, nec deficere: quod pauciu aliquot jam pridem annis, in Anglorum gente contigit evenisse: Ita scilicet, ut Sacerdos nullus Anglicam, epistolam norit, vel latinè edere; (vel è latino) interpretari: usque dum Archiepiscopus Cantuaria Dunstanus, & Episcopus Æthelvvoldus, hanc in monasteriis resuscitassent cognitionem.* Ita ille. Et habes causam cur tenebriones nostri Edgarum, Dunstanum, Oswaldum, Ethelwoldum, sidera cœli nostri illustrissima, ferre non possunt, quia nimirum lucem, quam aversantur, illi intulerunt.

apud Spelm. fol. 610.

XXII. PRÆDIA GLASTONIENSI MONASTERIO DATA. Redeo ad Joannis Papæ literas; ubi Edgarus laudatur, quod Glastoniense cœnobium, *multis & magnis possessionibus ditaverit*: & quæro, quænam fuerint; quia verè ad laudem ejus facit, & fidem Regiam. Intelligit opinor prædia multa, quæ sub hæc tempora, plures viri Principes monasterio donaverunt; quibus Edgarus ipse alia adjiciens, omnia monachis confirmavit regio Diplomate. Sic Ealdredi donationem undecim hidarum, ad hunc annum Christi nongentesimum septuagesimum primum refert Usserus, in Indice Chronologico: *Quæ concessa sunt* (inquit in Primordiis) *Beata Dei genitrici Maria, & sancto Patritio, sub testimonio Regis Edgari, Optimatumq́, suorum, undecim hida de Clifah.* Et fortè eodem tempore, variæ procerum largitiones, quas Glastoniensium Antiquitatum authores recitant, ab Edgaro Rege confirmatæ sunt. *Anno Domini nongentesimo sexagesimo tertio* (inquiunt) *Rex Edgarus dedit ad usum monachorum, in monasterio Glastoniensi, Deo regulariter servientium, manerium de Stoure, quod nunc* * *Stoure minster dicitur, triginta hidas. reddidit etiam manerium de Mekesbury, decem hidas. Dedit insuper Midelton, duas hidas. Lattum, duas hidas. Blakeford, sex hidas. Abbas autem Ælwardus post decem annos prælationis suæ migravit ad Dominum; cui successit Sigegarus. Huic Rex Edgarus anno Domini nongentesimo sexagesimo quinto contulit manerium de Hamme, septem hidas: Dividene, quinque hidas: Wetebul tres hidas.*

Usser fo. [illegible]

Antiq. Glaston.

* est in agro Dorsetano.

XXIII. Priusquam pergo in donationibus aliorum Principum recensendis; quos Edgarus confirmasse, & quibus monasterium ditasse dicitur: occurrit dubium de Ælwardo Abbate, nimirum quo tempore sederit, & num ille sit cujus suprà * meminit Malmesberiensis, cum de Joannis Papæ Diplomate scribens dixit: *Actum tempore Ælfardi ejusdem monasterii Abbatis.* nam de duodecimo Edgari Regis anno manifestè loquitur. Unde Sigegaro Abbati nihil dare potuit Edgarus, anno Christi nongentesimo sexagesimo quinto. Iterum cum Authores Antiquitatum, Ælwardum Abbatem, eo primum anno constituant, quo Dunstanus ad majus Sacerdotium assumitur: nimirum nongentesimo quinquagesimo septimo: & mortuum nunc dicant, post decem annos prælationis; superesse planè debuit eo anno, quo Edgarus prædia Sigegaro donasse dicitur: & mori sub annum Domini nongentesimum sexagesimum sextum, vel sequentem: quod ideo redditur probabile; quia Sigegarus Abbas in Concilio Londidinensi supra, Regio diplomati nomen apposuit. Sed quomodo hæc cum, Malmesburiensi, ubi Ælfardi meminit, cōponi possint, prorsus ignoro:

* hoc n. 18.

& hujusmodi

& hujusmodi dubia, è Manuscriptis Codicibus oriuntur faciliùs, quàm occidunt.

XXIV. *Antiq. Glaston.* *His temporibus* (pergunt Antiquitates Glastonienses) *Alpharus Dux, dedit Westburi quadraginta hidas, & Othlee quinque hidas. Ailwinus dedit Gretinton, viginti quinque hidas: Netelcumb, viginti hidas: & sic complevit votum Wlfrici primi donatoris. Alpharus Ealderman dedit Batcumb, viginti hidas. Ealdred dedit Clifan, undecim hidas. Ealfhelm dedit Derambeorger, duas hidas: Alpheah dedit Cranimore, decem hidas: Ethelsled dedit Hanadon, quinque hidas. Aelswith Regina dedit Winescumb, quindecim hidas; Feninestan, decem hidas: Stretton, sex hidas. Tintenhulle, quinque hidas. Edredeses, dimidiam hidam. Et hæc ornamenta, Stolam cum manipulo, & Casulam incomparabilem. Edred dedit Middelhele, quindecim hidas; & Asscburi, quadraginta hidas. Bisnsige dedit Healton, quinque hidas. Omnes has terras Rex Edgarus, Venerabili Ecclesiæ Glastoniensi, scilicet ducentas & quindecim hidas, Regiâ authoritate confirmavit. Fecit præterea Rex* CRUCI INCLINANDUM. *Edgarus, super majus altare Crucem undique auro & argento contectam. Hæc Crux post combustionem Ecclesiæ, posita est ante vas aquæ benedictæ, ad introitum monachorum: ad quam semper intrando, & exeundo Ecclesiam, reverenter inclinant. Sed erat, in eodem monasterio, quidam monachus, nomine Ailsi; qui per eandem Crucem, & per altaria transiens, nequaquam debitâ reverentiâ, secundùm regularem disciplinam, se inclinavit. Tandem, vel ordinis rigore coactus; vel etiam serò compunctus; ante eandem Crucem transitum faciens, inclinavit. Imago igitur crucifixi, quasi debitis organis formatam in vocem erumpens, ait: Now to late Ailsi, Now to late Ailsi. At ille divina voce perculsus, statim corruens, expiravit.* Hæc ibi. Quid porro Edgarus Glastoniensibus dederit, dicam opportunius anno sequenti.

XXV. *Speed in Catalog. Cambra.* MONASTERIUM CHEATERICUM STRUITUR. Interim alteri sexui sacras ædes, hoc anno*, extruxit ad Cheatericum, in Icenis, & Cantabrigiensi agro, Alwena, *pia fœmina*, inquit Camdenus, eo tempore, quo Ailwinus, maritus ejus, Ramseiensem locum monachis apparavit, de quo post annum sequentem. Si Alwena, *pia fœmina* dicitur, quæ moniales fovit, eisque monasterium struxit: impii fuerunt, qui moniales, & earum monasteria corruperunt. Meminit hujus cœnobii Huntindonius, ubi de Ramesiensi Abbatiâ scribit in hunc modum: *Consilio*, inquit, *Edelwoldi Episcopi, Ailwinus Consul ejusdem Regis* (Edgari) *Abbatiam* *Huntind. Lib. 5. fol. 356.* *Ramsei in Insulâ pulcherrimâ, intra easdem paludes, fixit. Est autem palus illa, latissima, & visu decora, multis fluviis decurrentibus irrigata, multis lacubus magnis, & parvis depicta, multis etiam silvis, & insulis florida. Intra quam, sunt Ecclesia Heliensis, Abbatia Ramesiensis, Abbatia Chaleric,* &c. illa nimirum quam hoc anno (ut Catalogus ædium destructarum affirmat) Ailwena posuit. Edgaro Rege, & Ethelwoldo Episcopo, opem operamque porrigentibus. Hæ namque sunt sepes & novellæ illæ plantationes, de quibus Huntindonius, eodem loco loquitur, cum ait: *Adelwaldus verò, egregius Præsul, ædificator sepium fuit, avertens semitas iniquitatis, & plantans radices charitatis. Ipse namque seminator optimi consilii fuit; cujus monitu, Rex Edgarus novellas plantationes, & arbusta teneritudinis, Deo gratissima, instituit. Abbatiam namque Glastingich construxit, Abbatiam Abancuue super Tamesim composuit, Abbatiam apud Burck prope Stanfordiam stabilivit: Abbatiam Thornez prope illam, quæ est apud Burck, in mediis paludibus, loco tamen amœnissimo fixit.* Tum nominat Ailwini Consulis, in extruendâ Ramesiensi Abbatia pietatem, de quâ nos infrà latiùs.

Mortuo Wiltunensi Episcopo Osulpho successum, hoc anno, tradunt Fasti, post Malmesburiensem collecti; sed successorem nominant præter mentem authoris Alstanum, illius Sedis quartum Episcopum. Malmesburiensis enim ita disertè scribit: *Primus Wiltunensis Episcopus fuit Ethelstanus, secundus Odo, postea Archiepiscopus: tertius Osulphus, quartus Algarus, quintus Elstanus.* non ergo iste, sed Algarus, Osulpho successit. Godwinus fastos & Wigorniensem sequutus. Elstanum Algaro præponit. Vide quæ dixi superiori anno, num. 8. XXVI.

ANNUS CHRISTI 972.

DONI PAPÆ 1.

EDGARI ANGLORUM REG. 14.

SEQUITUR *annus Redemptoris* (ita scribit Baronius) *nongentesimus septuagesimus secundus, Indictione decimâ quintâ; quo Ioannes Papa, cum sedisset annos sex, & menses undecim, & dies quinque, moritur octavo idus Septembris, sepeliturque in basilica sancti Pauli, a dextris ingressus Basilicæ.* Ita ille. Successit illi in Romanâ Sede Donus, sive Domnus, patriâ Romanus; qui trium mensium spatio (non enim ultra Sedem tenuit) non potuit admodum suum nomen illustrare. Et moriens hoc eodem anno successorem accepit Benedictum nomine. de quo plura suo locô. I. *Baron. hic n. 1.* JOANNES PAPA MORITUR: DONUS SUCCEDIT: ET ILLI BENEDICTUS.

Moritur etiam, hoc eodem anno, Eboracensis Archiepiscopus, Oskitellus; cum sedecim annos Ecclesiæ præfuisset: *Homo, tam ob innocentiam vitæ, quàm literarum non mediocrem cognitionem, multum celebratus*, inquit Godwinus. Qui asserens eum anno superiori mortuum, Wigorniensi, Hovedeno, Florilego, & Fastis contradicere videtur. Certè Oswaldi successoris ingressum, in Eboracensem Sedem disertè consignant prædicti Authores ad annum Christi nongentesimum septuagesimum secundum. Ille tam piè, prudenterque, Wigorniensem Infulam, gestaverat; ut Edgarum Regem, & Ecclesiæ proceres, ad ejus electionem provocarit. Cum enim optimus quisque, in id unicè incumberet; ut Ecclesiastica disciplina, quæ temporum injuriâ, vitium fecerat; splendorem pristinum reciperet: & Northumbriæ regnum, cæteris corruptius; egregio duce indigeret: nemo, Oswaldo ad illam provinciam aptior, ad cleri reformationem prudentior, nemo ad populo prælucendum sanctior potuit inveniri. Rexerat jam Wigorniensem Ecclesiam annos undecim, & ea dederat sanctitatis, & prudentiæ argumenta, quæ Clero, populoque gratissimum fecerant: nam Clerum, ad Canonum observantiam; monachos, ad vitæ perfectionem; populum, denique ad pietatem, & bonorum operum exercitia, pellexerat. II. OSKITELLUS EBORACEN. MORITUR. *Godwin. in Eborac.* OSWALDUS SUCCEDIT.

Quod malo in antiquioribus legere; quia nuper Novatores Oswaldum aliter depinxerunt: sed fucum apetiet Malmesburiensis, qui ita Wigorniensem Episcopum laudat.

III. Oswaldi industria in Clero reformando. *Malmesb. de Pont. l. 3. fol. 270.*

Dunstanus, sanctitatis & efficacia Oswaldi non nesciens, VVigorniensem Episcopatum ipsi à Rege impetravit. Ille paullatim considerans, in clericorum ibi consistentium animis, boni materiam inesse: si quis eam hortando animaret, & effigiare nosset: non eos turbulentè repulit; sed sanctissimâ circumvenit arte. Nam quod Sedes Episcopalis, sancti Petri famulabatur honori; alteram in eodem cœmiterio, in Genetricis Dei nomine fecit Ecclesiam. Ubi dum monachos posuisset; libentius cum iis conversari, familiarius divina officia exercere. Quod videns populus, qui benedictionibus tam religiosi Episcopi carere, nefas immane duceret; omnis eò occurrere. Ita clerici in medio relicti, maluerunt monachorum vestem suscipere; quàm sibi dispendio, plebi ludibrio esse. Ex eo tempore dedit locum janitrici cœli, claviger paradisi, pulchro inter cœlicolas commercio, zelo bono. Hujusmodi rumoris aura, multam Oswaldo amicitiam, apud Regem conflavit, & proceres. Rex consilio Dunstani, vacuatum Episcopo Eboracum, viro implevit; qui barbariem gentis moderari, pro antiquo convictu, probè nosset. Nec tamen VVigorniensi Sedi renuntiare permissus est: ne monachorum recens habitatio, altoris sui destitueretur fomento. Optimates submissi viro esse, certatim possessiones ad monasteria, quæ non extabant, fundanda: ad ea quæ deciderant, sublevanda, offerre. Præterea literis excellentes viros in Angliam evocatos, munificenter curare, ne illo bono fraudaret patriam, sine quo cætera bona, pene videntur inania. Quorum unus fuit Abbo, Floriacensis monachus, qui multam scientiæ frugem Angliæ invexit.

IV. Abbo Floriacensis quando venit.

Vide Lector, ut sub optimis Principibus, illustrissimi Præsules; & sub illis, literæ studiaque floreant. Contra, ubi monarchia premitur, ubi Ecclesiarum præsides, & Episcopi exauctorantur, ubi populus tyrannidem occupat: ibi jacent primùm Scholæ; & inde mores in barbariem transeunt; & homo denique hominem exuit. Quod utinam factum nunquam vidissemus. Abbo Floriacensis, non prius in Angliam, ab Oswaldo vocatur, quàm ille Eboracum transfertur. Sic enim in Annalibus Hidæ refertur: *Oswaldus postquam inthronizatus est in Eboracensi Sede; advocavit in patriam literatos viros: de quibus fuit Abbo, Floriacensis monachus.* Itaque Northumbriæ gentis barbaries, quà Oswaldi industriâ, quà monasteriorum erectione, quà literatorum hominum commercio, expoliri cœpit. Benè igitur duplici honore; Wigorniensi inquam & Eboracensi infulâ, dignus fuit; qui ita benè præfuit. Cæterùm quod utramque Ecclesiam tenuerit; licet à factiosis propterea accusetur, qui ubique maculas in Sole quærunt: veniâ tamen dignus censebitur; si id non suâ sponte, sed aliorum imperio, & gravissima de causa factum, ostendi possit. quod ita in ejus vita refertur: *Mortuo Eboracensi Archiepiscopo, cogentibus Rege Edgaro, & sancto Dunstano, omniumq; Clericorum assensu; ad Archiepiscopatum assumptus est. Et ne monachi, quos instituerat, aliquâ, ultra quam ferre valerent, tentatione concuterentur; si pastorali curâ destituti, non haberent, quo inniterentur: authoritate sancti Dunstani, Episcopatus VVigorniensis curam, unà cum Archiepiscopatu solicitè rexit.*

Annales Hidæ.

apud Capgr. in Osvvaldo.

V. Cæterùm, quàm solicitè Eboracensem provinciam rexerit; quàm cautè, prudenterque ovibus prospexerit; quàm piè Sanctorum corpora collegerit: quorum aliquando Northumbriæ regnum erat feracissimum, sequentia declarabunt: *Diœcesim suam opportunis temporibus peragrans, Osvvaldus* (ita legitur apud Capgravium) *quicquid elicere poterat in moribus suorum, oculos summi Dei offendere: paternâ castigatione corripere, atque corrigere satagebat. Hæc agentem, contigit vice quadam venisse Ripum; ubi Beatus quondam Wilfridus, nobili constructo monasterio, meruit sepeliri. Locus tamen ille, à barbaris olim, magnâ ex parte dirutus, latibulis tunc ferarum fuit accommodus. Illic enim pervigil in orationibus noctu persistens, divinâ revelatione didicit; ipso loco Sanctorum corpora condita esse: quæ investigans, cum nominibus singulorum proculdubio inveniret. Facto autem mane, cum terram foderent, Sanctorum corpora, cum tabulis, hæc continente, reperta sunt. Hic requiescit sanctus VVilfridus, Antistes Eboracensis: & Reverendi Abbates Tilbertus, Botvvinus, Albertus, Sigredus, atque VVidenus. Reliquias autem repertas, interim loco apto collocavit. Postmodum verò corpus sancti VVilfridi, in feretro decenter aptato; cum reverentiâ condidit; utpote quem magno VVilfrido, illius loci fundatori, consanguinitate junctum noverat. Corpus namque majoris VVilfridi, à sancto Odone Cantuariensi Archiepiscopo dudum* Cantuariam translatum fuerat. Locatis itaque in feretro reliquiis, VVigorniam cum magno honore transmisit.* Hæc ibi. Nota, constansque antiquorum consuetudo est, majorum suorum, qui sanctitate præluxerunt, memoriâ delectari: quo vestigia premere, & eorum virtutes imitari valeant. Novatores contra, antiqua nauseare, non Sanctorum vestigia, sed Sanctos, premere: nec eorum fidem, aut opera, laudare; sed crimina objicere, virtutes celare consueverunt. ut suprà in Edgaro, Dunstano, Oswaldo, Ethelwoldo, vidimus.

Ejus cura pastoralis.

Capgrav. in Osvvaldo.

Sanctorum corpora efferuntur.

Wilfridus eo nomine secundus, de quo ad annum 21, n. 2. 715. & 741.

* v. an. 943.

VI. Monasterium Croylandense floret.

Nec solum in Northumbriæ regno, ad pristinum splendorem Ecclesiæ restaurantur; sed alibi etiam per Insulam, monasteria ad antiquam sanctitatem redeunt: quod potissimum in Croylandensi cœnobio cernitur: cui Turketulus Abbas prudentissimè præfuit: qui monasterium illud, cum conquisitis undique prædiis, quæ Regius Fiscus, aliique invaserant, insigni industriâ ornavisset; ad pristinos mores, normamque monasticam, omni studio reducere laboravit: quod ope seniorum, qui Danicæ calamitati superfuerunt, sub hæc tempora præstitit. Dignum certè Annalibus est, quod *Ingulphus de eo narrat in hunc modum: *Confirmato monasterio suo, & contra omnes adversantes; tam Pontificali, quàm Regali authoritate sufficienter suffulto, & fortissimo effecto; Venerabilis Pater Abbas noster, jam senior ætate, plenusq; dierum, deinceps in sæculum non exibat: Sed inter seniores monasterii quotidie conversatus; de statu & observantiis antiqui monasterii inquirere, & audire, summopere affectabat. Dum namque Aionem, qui jurisperitus monumenta monasterii veteris optimè noverat; dumq; Turgarum, qui ab infantiâ utriusque monasterii, veteris & novi devastationem, & restaurationem oculis viderat; cæterosq; seniores, quæcunque de suis senioribus, in adolescentiori ætate, audierant, assignans eis fratrem Swetmanum, debitâ diligentiâ exciperet: quatenus suis posteris, tam memoranda, de monumentis veteris monasterii; quam de regularibus observantiis ejus, studiosè traderent, instantissimâ vigilantiâ deprecatus*

Ingulf. f. 885.

est.

est. Ediderunt tunc illi seniores historiam istam, continentem majora memoranda domus nostræ, cum paucis incidentiis regni Merciorum, & West-Saxonum, à nostra prima fundatione, per Ethelbaldum Regem, usque ad decimum quartum regni inclyti Regis Edgari.

VII. STATUTA CROYLANDEN. TURKETULI ABBATIS.

Quo etiam tempore, Venerabilis pater noster, Abbas Turketulus, antiquis observantiis veteris monasterii Croylandensis plenius auditis, examinatis, & integrè intellectis; statuit, & decrevit subsequentia in suo Croylandensi monasterio, perpetuis temporibus, inviolabiliter ab omnibus observanda. Dividens enim totum conventum, in tres gradus; ut quilibet gradus suum statum agnosceret, & teneret, statuit. Videlicet, quòd juniores ab ingressu monasterii, usque ad annum vigesimum quartum in ordine, subirent omnia opera chori, claustri, & refectorii: canendo, legendo, serviendo: & omnes regulares observantias, secundum magistri sui doctrinam, custodiendo. Quæ officia, quicumque tam pro seipso, quam pro sociis suis studuerit diligenter, & devote peragere; ubique majorem favorem à superioribus suis merebitur obtinere. Si quis autem (quod absit) inflatus superbiâ, vel elatus alicujus artis scientiâ; vel confisus literarum copiâ; vel conductus parentum suorum, aut alicujus alterius amicitiâ; si furiosus, vel detractor contentiosus, seu quocumque modo seniorum suorum contemptor extiterit in monasterio, tanquam venenum ab inferis Alecto, ab omnibus cautius evitetur. nec aliquam gratiam in capitulo, nec licentiam in refectorio, nec solatium in infirmitorio; usque ad vitii sui emendationem, de superioribus consequatur. Sed sicut bos cornupeta, domi recludendus; de leunculo ne leo evadat indomabilis, in ipso initio, per Priorum discretionem debite castigetur. Qui verò affabiles & faceti, casti, & pacifici, mites, & modesti, obsequentes & obedientes fuerint, omni favore digni, frequentius solatia sortiantur.

VIII. Porro qui viginti quatuor annos à conversione suâ compleverint; per sedecim annos sequentes, medium gradum tenebunt. Isti sunt absoluti ab officiis parvis, Cantariæ, Epistolæ, Evangelii, & à cæteris minoribus laboribus. Sed cùm alia onera chori, claustri, & refectorii fecerint, cursu suo sæculari, supportationem frequentem à junioribus habebunt: ut bis, vel saltem semel in hebdomadâ, pro bono obedientiæ ipsius, sua officia faciant, in cæteris diebus, à junioribus adjuventur. Et cum illis magnitudo negotiorum, & providentia consiliorum, ac totius loci solicitudo, specialiter incumbat; decet, ut secundum suos labores, præter divinam remunerationem, quam monachi maximè expectant; vultum superiorum suorum sentiant rigidum, vel benignum: affabilem, vel austerum: cum onere recipiant honorem, & juxta sua merita gratiam, vel gravamen. In gradu namque tertio, qui quadragesimum annum attigerint, usque ad quinquagesimum annum in ordine, seniores appellentur, absolvendi ab omni onere chori, claustri, & refectorii: præterquam à cursu Missarum, quæ cum notâ canuntur. In quibus Missis, juniores de primo gradu, & medii de secundo gradu, quotidie se devote offerendo, sua onera supportabunt. Anno etiam quadragesimo secundo completo, erunt isti excusati ab omni officio forinseco; scilicet processoris, procuratoris, cellarii, eleemosynarii, coquinarii, & pictanciarii: nisi aliquid officiorum præmissorum Abbas alicui seni, ex urgente necessitate, decreverit assignandum. Isti tanquam milites emeriti, qui portaverunt pondus diei & æstus, in servitio Dei, & pro statu monasterii sui, carnem & sanguinem suum expenderunt; omni honore digni sunt, & nullam indigentiam patiantur. Hoc omnimodis in isto gradu attendendum, quod hujusmodi dispensationis gratiam illi dignissimè consequantur; qui à primo ingressu in monasterium, usque ad illam ætatem, de nullo crimine convicti fuerint, pro quo pœnam gravioris culpæ sustinere publicè meruerunt.

Quinquagenariis autem in ordine Sempectæ vocandis; honestam cameram in infirmitorio, de prioris assignatione, accipiat, habeatque clericum, seu garcionem, suo servitio specialiter attendentem, qui exhibitionem victualium recipiet, de parte Abbatis; modo, & mensura, quibus ministratur garcioni unius armigeri in Abbatis aulâ. Huic Sempectæ unum fratrem juniorem commensalem, tam pro juniorum disciplinâ, quam pro seniorum solatio, Prior quotidie assignabit: quibus tanquam infirmis, de coquinâ infirmorum victualia ministrentur. Ipse verò Sempecta, pro suâ voluntate, & arbitrio, ingrediens, & egrediens chorum, claustrum, Refectorium, & dormitorium, ac alias officinas monasterii, cum frocco, vel sine frocco; quomodo, & quando voluerit, intrabitque, & exibit. Nihil triste de negotiis monasterii, in ejus audientiâ recitetur. Nullus eum in aliquo audeat offendere; sed summâ pace, animique quiete, finem suum præstolentur. Licentiam habeat, & potestatem, quotidiani capituli monachorum pœnitentias injungere; & injunctas, prout viderit vultum pœnitentis contritum, & compunctum, minuere, vel augere. Omnes etiam licentiæ refectorii, omnia solatia infirmitorii, ejus dispositioni, & arbitrio committantur: & prout hactenus est solitum ministrari, tam de victualibus, quàm de aliis necessariis; sive domi, sive foris fuerit, eodem modo in perpetuum ministretur: nisi convictus de aliquo crimine inveniatur, quia tum admonitione de suâ emendatione (prout sancta regula nostra dictat) procurante: qui Prioratus officium in Croylandiâ semel obtinuerit, usque ad obitum suum Prior perpetuo permanebit. Et quia in medio fratrum, Rector in honore, præter inclinationes, omnis honor ei, & reverentia exhibeatur.

Præcentori tabularum, ac ejus assignatoribus in Choro, tam Abbas & Prior, quam tota cætera Congregatio humiliter obediat. Officio etiam Sacristæ, tunc in augmentum portionis suæ, officium Archidiaconatus super totam parochiam Croylandiæ assignavit: dum sine acceptione personarum, cum timore Dei rationabiliter, & Canonicè, suum officium exequatur. Dedit tunc officio Sacristæ calicem aureum, & duas phialas argenteas, & deauratas, ac in formam duorum Angelorum opere cælatorio fabrefactas; & duas pelves argenteas, miri operis & magnitudinis, pulcherrimè cælatas cum militibus armatis. Quæ vasa universa, Imperator Alamanniæ, Henricus aliquando contulerat; & usque ad illud tempus, semper in suâ capellâ reservaverat. Item officio cameræ monachorum tunc assignavit manerium suum de Beby, cum Ecclesiâ ejusdem villæ; divinam maledictionem imprecans, quicumque dictum manerium, & Ecclesiam ejusdem, dicto officio immutaverit, in damnum conventus, vel procuraverit immutari. Hæc sanctissima statuta sua Venerabilis Pater noster Abbas Turketulus, in suo capitulo publicè promulgata, & ab omnibus acclamata, & obedientissimè acceptata, fecit scribi: & in fine Regulæ sancti Benedicti jussit apponi: ut omnes, cum vellent, valerent legem suam legere: Et ne contingeret aliquem, per ignorantiam contraire.

XI. Edita itaque à prædictis quinque Sempectis, ista præmissa veteris monasterii historiâ: statutis etiam

Venerabilis Abbatis Turketuli prætactis, per dictos sempectas longo libramine digestis, & in regulam, scripto redactis: præfatus Pater, jam senio fractus, & præcipuè vulneribus plurimis, ac laboribus immensis, in ætate fortiori, susceptis, multùm debilitatus, quotidie mitam suæ mortis expectabat: & tanquam bonus operarius, à Domino suo denarium pro fideli administratione, ad vesperam recepturus; finem fieri laborum suorum, vesperumq; venire retributionis æternæ, affectu desiderantissimo, suspirabat: frequentius & ferventius invigilare sanctis meditationibus, & afflictionibus vacare; omnes pauperes de suis indigentiis relevare; mendicantibus, & egenis omnibus victualia præstare; cæteris etiam charitatis operibus insudare; in dies vitam præsentem fastidire, & indesinenter futuram appetere, regularium observantiarum nihil negligere: se tamen semper inutilem servum dicere, & totis animi præcordiis, Christi misericordiam concupiscere; devotionéque indefatigabili, quasi diligentia manuali, quotidie portas paradisi pulsare; ac regni cælestis aditum omni Christiano titulo vendicare. Infantes ac liberos nobilium monachandos; & apud Pegelandensem, clericos ad erudiendum literis deputatos, ne fortè in aliquo negligentius tractarentur; saltem semel omni die visitans; lectionem & laborem uniuscujusque considerabat: & afferente secum aliquo servitore ficus, vel uvas passas, vel nuces, vel amygdala, vel sæpiùs poma, & pyra, vel alia talia munuscula, benè laborantes remunerabat præ cæteris; omnes ad diligentius insistendum suis lectionibus non verbis tantum, vel verberibus; sed sæpissimè precibus, & præmiis, provocaret.

XII. Turketuli obsequia in Sempectas. *Sempectas autem monasterii; qui verbo vitæ eum ipsum ad Dei servitium genuerant; semper in summâ veneratione habebat; quotidie consolatus familiari alloquio: & de mensâ sua aliquo invisens speciali xenio. Cumq; primus prædictorum Sempectarum, & ætate decrepita, & ordinis conversione diuturnâ, cæteris multo senior Dominus Clarenbaldus,* Clarenbaldus moritur. *completis annis vitæ suæ 168.* *148. *infirmatus, jam de manu Domini tam longissimi laboris, in suo sancto servitio, præmia percepturus, lecto decumberet, carnis depositionem, in proximo præstolatus: ipse Venerabilis Pater Abbas Turketulus, servitoris fungens officio; die, noctéque non recedebat: sed juxta recumbans, regulare servitium in auribus ægroti decantabat: & omnia servitia, more paratissimi juvenis, propriis manibus peragebat. Tandem inunctum ac defunctum, in medio choro, cum solemni exequiarum officio tumulabat.* Swarlingus obiit. *Anno proximè sequenti obiit Dominus Swarlingus, completis annis vitæ suæ, centum quadraginta duobus: quem Venerabilis Abbas Turketulus, simili diligentiâ ægrotantem custodivit: & defunctum, juxta Dominum Clarenbaldum, cum simili sepulturæ reverentiâ, tumulo commendavit. Sic Dominum Brunum,* Brunus et Aio moriuntur. *sic Dominum Aionem, omnésque tres, intra annum unum; qui erat inclyti Regis Edgari annus decimus quartus; similiter, & simili ministerio sepelivit. Tandem anno proximo, ultimum omnium obiit Dominus Turgarus,* Turgarus moritur. *venerabilis senex, completis annis vitæ suæ centum & quindecim. Isti quinque senes Sempectæ utrumq; monasterium viderant; & vetus, quod à Danis destructum fuerat, & novum, quod nuper restauratum fuerat.*

XIII. Si cui hæc minutiora videbuntur, nec digna posterorum memoria; sciat is, si factionis morbo laborat, nos libenter majorum sepulchra intueri, & antiqua omnia ideò venerari quia novitatem fugimus, errorésque, quos novissimis temporibus, quidam à fide discedentes, sparsuri erunt juxta Apostolum. 2. Tim. 4. v. 1. Nec possunt illi sanctius præcaveri, quàm majorum nostrorum, qui cum laude præcesserunt, vestigia premendo. Quòd si orthodoxus est; æquanimius, opinor, audiet monasticæ vitæ normam, quam nupturiens hæc ætas immeritò aversata est. Meminerit etiam, & probabit sine dubio, quod in S. Ambrosio legitur: *Sanctorum vita, cæteris norma vivendi est. Ideoq; digestam plenius accepimus seriem scripturarum, ut dum Abraham, Isaac, & Jacob, cæterosq; justos, legendo cognoscimus; velut quendam nobis innocentiæ tramitem, virtute eorum reseratum, imitantibus vestigiis persequamur.* Ambros. de Joseph. Ita declinamus scopulos, in quos hæretici homines, & ignorantes, impingunt; dum facta patrum, decreta sæculorum, denique sanctissima majorum exempla, illustrissimas Christianæ vitæ margaritas; porcorum more in libidinis suæ cœno conculcant. Ingulphus igitur, aliique, utilem orthodoxæ Ecclesiæ operam præstiterunt; dum monasteriorum penetralia [illegible], regularem nobis vitam expresserunt, posteris illam promittentes in exemplum. Nunc videamus hujus anni reliqua.

Huc multi referunt, novi monasterii, quod ad Wintoniam est, consecrationem, ritu [illegible] peractam. Unde Wigorniensis, & Hovedenus, ita dixerunt: *Anno nongentesimo septuagesimo secundo, Rex pacificus Anglorum Edgarus, novi monasterii Ecclesiam à patre suo Edmundo inceptam, à se verò perfectam, honorificè dedicari fecit.* Sed quomodo id stare possit, cum eo, quod sub initium hujus sæculi dictum est; meritò quæri potest. Tunc enim *Grimbaldus nobilissimum Regem Edoardum adiit; nimirùm post gloriosam & laudabilem* (ut in Hidæ Annalibus legitur) *perfectionem monasterii; atque devotissimè pro dedicatione eum admonuit.* Imp. an. 903. E.4. *Qui Rex gloriosus, non segnis executor sanctæ monitionis; imperiali authoritate Reverendissimum Plemmundum Archiepiscopum, cum reliquis personis, quas dignoscebat, aut dignitas ordinis, aut sexus corporis, ad hoc divinum opus coadunavit. Interfuerunt etiam nobilissimi viri de gente Anglorum, & infinitus fidelium populorum numerus: & dedicaverunt venerabilem, & Deo dilectam Basilicam, in honore Sanctæ Trinitatis, individuæq; Unitatis: nec non in veneratione Sanctæ Dei genitricis Mariæ, perpetuæq; Virginis, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo tertio.* Si tunc consecrata Basilica; quorsum denuò hoc annò consecratur? Putabam aliquando, Ecclesiam, à Grimbaldo tumultuario opere factam, à Plegmundo olim dedicatam esse nunc verò adjectum solemnius monasterium, cum honore benedictum esse: quia Florilegus, Ecclesiæ nunc consecratæ non meminit; sed tantùm ait. *Anno gratiæ 972. Rex Edgarus novi monasterii fabricam urbis Wentanæ, à patre Edmundo inchoatam, & à se perfectam, dedicari fecit.* Westm. inc. Sed meliùs, opinor, respondetur; Ecclesiam à Grimbaldo factam, diuturni temporis opus non fuisse nunc autem crescente ubique Ecclesiarum splendore, & numero monachorum (quos ille conatus est quidem ad perfectionem trahere; sed fructu exiguo) ampliari debuit Ecclesia & monasterii spatium dilatari. Cui novo operi Edmundus primam, Edgarus ultimam manum apposuit. Cæterum prius ædificium, in Alfredi & Edoardi laudibus ponitur, ut suprà.

ANNUS

ANNUS CHRISTI 973.

BENEDICTI VI. PAPÆ 1.

EDGARI ANGLORUM REG. 15.

I. Oswal... pallium a Benedicto petit.

ANnus Christi nongentesimus septuagesimus tertius, Benedicti Papæ, eo nomine sexti, primus numeratur, qui superiori anno creatus Pontifex. A quo Oswaldus Eboracensis, pallium petiit, si tamen hoc anno petiit, ut vult Wigorniensis, & cum incautè sequutus Hovedenus. Nam quòd ... Stephanum Papam nominent, à quo pallium Oswaldus susceperit, sine dubio vitiosum est, & ejus loco reponendus, qui toto hoc anno sedit, Benedictus. Cæterùm Eboracensis Ecclesiæ Antistites a Romano Pontifice pallium petere solitos, præsertim ab Egberti Archiepiscopi tempore, certum est, ut * suprà ...

D... um Edgarus ... septennem pœnitentiam à Dunstano injunctam absolverat; & delicta juventutis, ... pietatis opere, magnisque eleëmosynis redemerat: cùm cinerem, & cilicium exuere, inde ad majestatem surgere, Regémque ... omnium ordinum suffragio rogatur. quod ille solennissimè præstitit. Est enim magnis mentibus ... natum, in omni opere egregium esse: hoc est; & humi, demississimè, & in sublimi, eminenter stare. Solebant Anglorum Reges, ter saltem in anno, coronam inducere; Christo nascente, eodem resurgente; & demum post dies quinquaginta, cùm Spiritus Sanctus, Christi locum visibiliter supplevit. His sacris temporibus, Proceres ad Regem convenire, provinciarum negotia tractare, & unà hilariter vesci consueverunt. Edgarus diu à coronâ abstinuerat; quia Regem Regum offenderat: & tandem statuit coronam resumere, & omnia regni insignia. Cæterum de tempore, non levis est difficultas; quæ tamen enodari debet; quia statim diplomata Edgari ... data per annos Regiæ consecrationis ... Sunt autem qui dicant, sub regni initium consecratum Regem & inunctum, à coronâ tantùm postea abstinuisse, septem annorum spatio: & demum ... solenniter gestasse. Sed quo demum anno gestaverit, variant. Movit hoc dubium Spelmannus, sed non amovit. *Quæritur*, inquit, *qui dicatur annus aliquis, è novissimis Edgari Regis (annos sedecim imperantis) consecrationis suæ primus? Fateor me non explicare: ni in injungendo ei septennalem pœnitentiam, Dunstanum etiam ejus consecrationem (ut coronæ regiæ per septennium gestationem) eò usque denegarit.* Inde refert, quid Ranulphus Cestrensis, de Edgaro scribat, quod quæstioni lucem adferre possit. *Edgarus juvenis*, (inquit Ranulphus) *sedecim annorum, in Regem levatus est: & sedecim annos post fratrem suum penè regnavit: in quorum duodecimo anno, apud urbem Acamanni, id est, Bathon, Idus Maii die Pentecostes, à Beatis Dunstano & Oswaldo Præsulibus, in Regem consecratus est.* sive ut alius habet Codex Manuscriptus: *inungitur Rex, & consecratur.*

Spelman. ... 489.

II. Censet ergo Edgarum Regem, anno regni duodecimo, nec priùs; aut sacro oleo unctum, aut coronâ redimitum esse. Unde planè dicendum esset; cum anno Christi nongentesimo septuagesimo, utrumque consecutum. Sed quia Malmesburiensis ait: *Illud constat, quod à decimo sexto ætatis suæ anno, quo Rex constitutus est, usque ad trigesimum, sine regio insigni regnaverit.* Necesse quoque est affirmare, non ante hunc annum, regni insignia consecutum. Qui enim natus est, anno Christi nongentesimo quadragesimo tertio; hoc demum anno circa Pentecostes triginta ætatis annos complevit. Unde benè Wigorniensis ad annum Christi nongentesimum septuagesimum tertium, ita narrat: *Rex Anglorum pacificus Edgarus, ætatis suæ anno trigesimo, Indictione primá, quinto Idus Maii, die Pentecostes, à Beatis Præsulibus, Dunstano & Oswaldo, & à cæteris totius Angliæ Antistitibus, in civitate Acamanni, benedicitur: & cum maximo honore & gloriâ consecratur, & in Regem ungitur.* Eadem prorsus habet Hovedenus; corrigendus tantum, quod dicat: *Edgarus ætatis suæ anno 30. Indictione 5. Idus Maii*, &c. legendumque ut suprà, *Indictione 1. quinto Idus Maii.* Hoc itaque anno, Edgarus septenni pœnitentiæ coronidem, & capiti Regiam coronam imposuit, in eâ urbe, quam Ptolomeus à thermis, ὕδατα θερμά, id est, aquas calidas: Saxones Bathancester appellarunt: & valetudinariorum concursu, Akmanchester, id est, Urbs ægrotorum; quod enim Hispani Achaques vocant, hoc nos contractius, Aches dicimus; & inde urbs illa Acamanni dicitur, ubi homines morbis laborantes curabantur. hodiè latinorum vulgus à Balneis, Bathoniam appellat.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 8. fine.

Wigorn. hic.

V. an. 958. 1.

IV. Quomodo numerandi consecrationis anni Edgari Regis.

Quamobrem si Regiæ consecrationis annos numeramus; quicquid à sacrâ hujus anni Pentecostes die, in sequenti anni Pentecosten excurrit, primus Regiæ consecrationis annus censendus est; ut infrà cum Malmesburiense monasterium regio diplomate Edgarus ornabit, ostendam. Interim coronatus Rex, regni negotia studiosius tractare; terrâ marique hostem excludere, ubique provinciarum quieti consulere, laboravit; ut qui sacram Remp. præclarè auxerat; etiam alteram illustraret. Ejus operam, in tuendo litore; & mari ab hoste purgando, ita laudat Malmesburiensis. *Omni æstate*, inquit, *è mensâ statim Paschali festivitate; naves per omnia litora coadunari præcipiebat; ad Occidentalem Insulæ partem, cum Orientali classe; & illa remissâ, cum Occidentali, ad Borealem. Inde cum Boreali ad Orientalem remigare consuetus: pius scilicet explorator; ne quid piratæ turbarent: hieme, & vere, per omnes provincias equitando, judicia potentiorum exquirebat, violati juris severus ultor. In hoc justitiæ, in illo fortitudini studens: in utroque Reipublicæ utilitatibus consulens.* Quid illi, hoc anno, in maritimâ expeditione contigerit. & quomodo vicinos principes, ad sui obsequium traxerit, referunt Wigorniensis & Hovedenus ita, cum regiam Edgari unctionem absolvissent.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 8. fol. 59.

V. Septem Reges Edgaro fidem præstant et servitutem.

Interjecto deinde tempore; Edgarus cum ingenti classe, Septentrionali Britanniâ circumnavigata; ad Legionum civitatem appulit. Cui sub reguli ejus octo, Kynathus scilicet Rex Scotorum, Malcolmus Rex Cumbrorum, Maccus plurimarum Rex Insularum, & alii quinque Dufnallus, Sifertus, Huwallus, Iacobus, Inchillus, ut mandarat, occurrerunt; & quod sibi fideles, & terrâ, & mari cooperatores esse vellent, juraverunt. Cum quibus die quadam scapham ascendit, illisque ad remos locatis; ipse clavum gubernaculi arripiens, eam per cursum fluminis Deæ peritè gubernavit:

Wigorn. & Hoved. hic.

omni

omnique turbâ Ducum, & procerum, simili navigio comitante: à palatio, ad monasterium sancti Ioannis Baptistæ navigavit. Ubi factâ oratione, eadem pompa, ad palatium remeavit. Quod dum intraret, optimatibus fertur dixisse: tunc demum quemque suorum successorum, se gloriari posse Regem Anglorum fore, cum, tot Regibus sibi obsequentibus, potiretur pompâ talium honorum. Hoc Regiæ magnitudinis argumentum fuit: istud quod modo narraturus sum, magnæ religionis atque pietatis: cum illustrissimos Principes imitatus, regia insignia Deo, Ecclesiæque consecravit: vestem, inquam, quam hoc anno induit, cum coronam accepit; dedit illam Glastoniensi cœnobio; quod gratam accepti beneficii memoriam quotannis retinuit, cum in Edgari anniversario, majus altare, post multa semper sæcula, eo cimelio ornaretur. Et in illius monasterii antiquis annalibus, ea vestis, inter alia Edgari Regis munera, numeratur: quæ quia Regiam ejus Fidem significant, omitti hoc loco non debent.

VI. Vestem Regalem Edgarus Glastoniæ donat. *Vestem Regalem* (ita Antiquitates Glastonienses) *pretiosissimam, in quâ fuerat coronatus, Edgarus monasterio Glastoniensi contulit: unde usque in hodiernum diem, in ejus anniversario, magnificè ornatur altare. Dedit insuper scrinium magnum, argento & auro coopertum, cum imaginibus ex eboro insertis; continens reliquias sancti Vincentii, & caput sancti Apollinaris, quæ ipse Rex dedit. Dedit & reliquias duorum Innocentium de Bethleem translatas: modicum de ligno Domini, de tunica Christi; de vestimento S. Ioannis Baptistæ, & de reliquiis ejus: de virgâ Aaron, de virgâ Moysi, quam dedit ei Deus, ut educeret filios Israel de Ægypto; de stola sancti Petri Apostoli, & de barbâ ejusdem. Reliquias S. Apollinaris Episcopi & Martyris; Reliquias sancti Vincentii Martyris, & Reliquias sancti Valerii Episcopi; Reliquias sancti Cononis Martyris; Reliquias S. Salvii Martyris, & sanctorum Abdon & Sennen Martyrum; Reliquias sancti Geminiani Confessoris, cum multis aliis reliquiis, quas per totum adquirere potuit.* Hæc ibi. Quæ Calvinistæ cum supercilio legent, & tenebras, superstitionem, & cacozeliam appellabunt. Quid facies? Alii, ante Edgarum, Reges Sanctorum reliquias coluerunt, in templis statuerunt, & publici juris factas, coli à fidelibus voluerunt. Quod si Anglo-Saxonum Regum exempla fastidiunt, ascende Lector ad sæculum Constantini; quem proximè Edgarus imitatus est. Nam de illo scribitur, quod Apostolorum reliquias collegerit, & in earum medio sepulchrum sibi struxerit: *incredibili Fidei propensione providens fore, ut defunctus quoque precationum quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ particeps efficeretur.* Hoc idem credidit providitque Edgarus; nam defunctus ipse in Glastoniensi monasterio sepeliri voluit, ut infra* dicetur. Non est ergo in Regia Fide novum, Sanctos, sanctorumque Reliquias coli. In plebeâ solum Fide novum est; quæ Episcopos, ab Ecclesiâ; Reges, è regno; Sanctos, è cœlo: dejicere adlaborat. Nunc redeo ad Principes, qui Edgarum in triumphi speciem, & servitutis argumentum, per Devam fluvium duxerunt.

Antiq. Glaston.

De capillis barbæ S. Petri in Gallias allatis vide Baronium an. 922. n. 3.

Euseb. in vita l. 4. c. 60.

* v. an. 975. 3.

VII. Præter Scotorum, Cumbrorum, & Insularum Reges; quinque alii numerantur: de quorum regnis, aut provinciis, quæri potest. Dufnallus igitur Dimetarum Rex scribitur; qui Britanniæ populos Penbrochiensem, Caermardensem, & Cardiganensem regebat. Siferthus, & Huwallus, Siluribus, & Ordovicibus imperitabant: Inchillus in Westmariâ, nunc Westmorlandiâ; Jacobus in Gallovidia principatum obtinebant: qui cum Kinadio Scotorum, Malcolmo Cumbrorum, & Macculio plurimarum Insularum Regibus, Edgaro Fidem obsequiumque præstantes, ejus imperii amplitudinem ostendunt, causamque cur ille, se totius Albionis Basileum, nec non maritimorum Regum Regem, appellarit. Kinnadius quidem Scotorum Rex, ægrè ferebat, Edgarum, exiguæ staturæ hominem, tot regnis, provinciisque imperare. Unde corporis mole major; Anglorum Regem, homuncionem esse, ludibrio dixerat aliquando. Sensit tamen postea, non è mole corporis, metiendum hominem: & magnos animos, modico interdum corpore contentos esse. Rem gestam refert, qui Regum nostrorum gesta*, in hunc modum Malmesburiensis: *Præterea licet Edgarus (ut fertur) statura fuerit, & corpulentia perexilis: tantas vires in illo corpusculo dignatio naturæ incluserat, ut ultro ad congrediendum lacesseret quemcumque audacem nosset: hoc maxime timens, ne in tali colludio, timerentur. Denique in quodam convivio; ubi se plerumque satirorum dicacitas liberius ostentat, fama est Kinnadium, Regem Scotorum, ludibunde dixisse: Mirum videri, tam vili homuncioni tot provincias subjici. Itaque à quodam mimo, sinistrâ aure acceptum, & Edgaro postmodum, solemni convivio invidiosè objectum. At ille, re suis celatâ, Kinnadium, quasi magni mysterii consultandi gratiâ accersivit; longèque in silvam seducto: unum ex duobus, quos secum attulerat, ensibus, tradidit. Et nunc, inquit, licebit, ut vires tuas experiar, cum soli sumus. Iam enim faxo, ut appareat, quis alteri merito supponi debeat. Tu quoque ne pedem moveas, quin mecum rem ventiles. Turpe est enim Regi in convivio esse dicaculum: nec esse in prælio promptulum. Confusus ille, nec verbo mutire ausus, ad pedes Domini Regis procidit simplicis joci veniam precatus, & confestim consecratus.* Ita ille, de Regii animi magnitudine.

Kennadii iocus Edgaro a rum, — Retunditur.

Malmesb. Reg. l. 2.

VIII. Externorum commercio Insula corrupta est. Hæc Edgari decora, Oceanum emensa, multos in ejus amorem admirationemque traxerunt, nullo Insulæ commodo; sed damno potius: nam externarum gentium commercio, Anglorum mores; qui ad modestiam pietatemque componi cœperant; externa vitia contraxerunt. Dicat id Author* qui suprà: nam externos ego non libenter accuso. *Famâ Edgari, per ora omnium volitante, alienigenæ, Saxones, Flandritæ, quin etiam Dani, huc frequenter annavigarunt; Edgaro familiares effecti. Quorum adventus, magnum provincialibus detrimentum peperit. Quod a Saxonibus animorum incomditam ferocitatem; à Flandritis, corporum enervem mollitiem; à Danis potationem discerent: homines ante hac, in talibus integri, & naturali simplicitate sua defensare, aliena non mirari. Inde merito, jureque culpant eum literæ: nam cæteras infamias, quas post dicam, magis respersêrunt Cantilenæ.* Ita Malmesburiensis, qui postea narrat objecta Edgaro crimina crudelitatis, atque libidinis: quæ Sectarii nostri, pro veris credita, toties Edgaro exprobrant. & hoc est quod toties monui: Antiquorum virtutes, pietatem, & egregiè facta obliterant; vitia undecumque colligunt; & veris falsa plerumque admiscent.

Idem supra fo. 56.

IX. Verùm prudentissimus Princeps, ingruentia mala, solerti industriâ conatus est avertere; lege

EDGARI LEX DE MODO BIBENDI. Selden. in Analect. lib. 2. c. 6.

latâ, nè Danorum bibendi barbara consuetudo provinciales inficeret; de quo Seldenus Jurisperitus: *Pullulantium*, inquit, *malorum ut arescerent germina; saluberrimas Reip. optimus Rex leges sancivit: ut thyrsi lambente tecti hederâ furorem comprimeret: clavos argenteos, vel aureos* (sic Malmesburiensis) *vasis affigi jussit: ut dum metam suam quisque cognosceret: non plus, subserviente verecundiâ, vel ipse appeteret; vel alium appetere cogeret.* Utinam vigeret etiamnum lex illa, quæ prohibet optimam animæ partem, vivam sepeliri. Sed quia Edgari fides exulat; & rogandi leges potestas in eos solùm stringitur, qui Edgari fidem sequuntur: nihil mirum est vitia emergere, quæ priùs cavebantur. Certè in legum observatione, quàm accuratus fuerit Edgarus Rex, & quantum laborarit in purgandâ provinciâ, ut civibus benè esset; è Malmesburiensi colligitur, ita scribente:

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 8. fol. 59.

Sanctitati morum communicabat severitatis animositas; ut nullum cujuscumque dignitatis hominem, leges eludere, impunè permitteret. Nam ejus tempore privatus latro nemo: popularis prædo nullus, qui mallet in fortunas alienas grassari propria vita dispendio. Quomodo enim ausus hominum præteriret; qui etiam omnis generis feras, sanguinis avidas, ex regno exterminare cogitaret: Ludvvalloq; Regi Wallensium edictum imposuerit; ut sibi quotannis tributum trecentorum luporum pensitaret. Quod cùm tribus annis fecisset, quarto destitit; nullum se ulterius posse invenire professus.

TRIBUTUM LUPORUM BRITANNIS IMPOSITUM.

Hæc ille olim Ethelstanus, Ordovicibus illis, quos hodie Northwallenses appellamus, vectigal annuum, in servitutis argumentum, & rebellionis pœnam, edixerat: viginti libras auri, trecentas argenti, & boum tot millia, &c. quæ Edgarus videtur remisisse, regiâ prorsus munificentiâ; quo provincialium agris, bonisque consuleret. quod cum tam domi fecit amari, quàm foris timeri.

** v. an. 926. n. 8.*

X.
EDGARI APPARATUS NAVALIS. Westmon. an. 97.

Quàm externis provinciis formidandus fuerit; probat bellicus apparatus, & ingens navium classis, quam in omnem eventum paratam habebit. Eam ita numerat Florilegus: *Rex Eadgarus pacificus*, inquit, *regni sui prospiciens utilitati pariter & quieti; quatuor millia, octingentas sibi robustas congregavit naves. E quibus mille ducentas, in plagâ Angliæ Orientali: mille ducentas, in Occidentali: mille ducentas, in Australi: mille ducentas in Septentrionali pelago constituit; ut ad defensionem regni sui, contra exteras nationes, bellorum discrimina sustinerent.* Profuit hæc Regis industria civibus; quos ab omni injuriâ tutos, hâc arte reddidit. ita cum in Cantiano agro tumultus esset: & Septentrionalis populus injuriâ pulsaretur; adfuit statim Edgarus, & grassatores avertit. Huntindonius id refert ad undecimum ejus annum. Sed Florilegus, multò posteriùs, qui ita rem narrat.

Huntind. l. 5. fol. 356. Floril. an. 74.

Per idem tempus (ad annum nongentesimum septuagesimum quartum) *applicuerunt in Insulam Thanet mercatores, ab Eboraco venientes, qui continuò ab Insulanis illis capti sunt; & bonis omnibus spoliati. Unde Rex Edgarus, irâ commotus; in raptores illos ita desævit; quod omnes a rebus habitis spoliavit; nonnullos verò vitâ privavit.* Benè igitur Pacifici nomen obtinuit; qui pacem totâ Insulâ servavit: & bellico solùm apparatu bellum avertit, quietâ semper & florente provinciâ.

XI.
MORITUR BRITHELMUS WELLENSIS.

Moriuntur, hoc anno, duo Ecclesiarum Antistites: Brithelmus Wellensis; qui è monarcho Glastoniensi ad majus sacerdotium assumptus, anno nongentesimo quinquagesimo octavo, cum Wellensem Ecclesiam paullulum rexisset, ad Cantuariensem regendam translatus est. Quem tamen locum Dunstano cedens; sanctissimè rediit ad primam sponsam: & demum obiit anno nongentesimo septuagesimo tertio, ut habet Godwinus: Wigorniensis eum vocat Sumertunensem Episcopum, & humatum dicit in Wellum. suprà sæpè, Fontanensis, appellatus est.

Godwin. in Vit. Ep. Wigorn. his.

SUCCEDIT KINEWARDUS.

Successorem habuit Kinewardum, Middeltonensem Abbatem. Moritur etiam, in eodem Occidente, Cridiatonensis Episcopus, Alfwoldus: & in ejus locum consecratur Sidemannus, Abbas monasterii sancti Petri Exoniæ: de quo supra an. 964. n. 15. ut infra anno 977. n. 5.

MORITUR ALFWOLDUS CRIDIATONENS. SUCCEDIT SIDEMANNUS.

ANNUS CHRISTI 974.

BENEDICTI VI. PAPÆ 2.

EDGARI ANGLORUM REG. 16.

I.
BENEDICTUS PAPA SEDE ET VITA PELLITUR. BONIFACIUS INTRUSUS. BENEDICTUS PAPA SEPTIMUS.

ITERUM Romana Sedes injuriam patitur; & universa Christi Ecclesia condoluit; cum factione pessimorum, Benedictus Pontifex capitur, è Sede pellitur, & demum vitâ, anno Christi nongentesimo septuagesimo quarto. Rebellionis author Bonifacius quidam; qui Sedem invadens, dici voluit Bonifacius septimus; sed reclamavit orthodoxus orbis: & malefacium hunc, in seriem Romanorum Pontificum non admisit. Unde Benedicti VI. successorem Authores communiter nominant Benedictum eo nomine septimum, de quo anno sequenti. Interim lætiora in Anglicanâ Ecclesiâ spectemus.

II.

Ibi Edgarus Rex, qui sacram unctionem jam acceperat; Sancti etiam Spiritus unctionem unà accepisse, manifestis operibus declaratur. Nam primum suæ consecrationis annum (qui usque ad hujus anni Pentecostem numeratur) non tam Regum plurimorum famulatu, & magnificâ illâ pompâ, quâ mundus capitur; quàm pietatis & religionis exercitio traduxit. testes sunt varia diplomata, quæ hoc anno dedit, pro monachorum quiete, monasteriorum, & Ecclesiarum fundatione: in quibus, quàm pius in Deum Edgarus fuerit, quàm religiosus in Sanctos, quàm munificus in eos, qui se Christo consecrarant; enucleatè ostenditur. Itaque pro tribus monasteriis pientissimè scripsit, Malmesburiensi, Thorneiensi, & Ramesiensi; de quibus in particulari dicendum; & quorum diplomata, licet aliquando longiuscula, in Regiæ pietatis fideique argumentum, exponenda sunt.

III.
*MALMESBURIENSE MONASTERIUM. * v. an. 648. n. 2. 67. 1. & 67. n. 4.*

Malmesburiense monasterium, quod à Maidulfo Scoto eremitâ, exordia prima nomenque sumpsisse: inde ab Aldelmo sancto illustratum, * diximus in Wiltonensi agro positum: Edwius Edgari frater, Dunstano monachisque iratus, novis incolis fœdaverat. Nam regularibus exclusis, solutioris vitæ homines, induxerat; qui quod optimi Principes, in Dei Sanctorùmque honorem, ac animæ suæ emolumentum, contulerant; in nequiores usus absumpserant. ut paucis deplorat Gulielmus, illius loci monachus; cùm de

Edwid

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 7. Edwio scribens, ait: *Eâ tempestate, facies monachorum fœda & miserabilis erat; nam & Malmesburiense cœnobium plusquam ducentis septuaginta annis, à monachis inhabitatum, clericorum stabulum fecit.* Edgarus huic malo remedium attulit; RESTITUIT MONACHIS EDGARUS purgavit hoc stabulum (in quo Novatores voluptuantur, & inde suorum ministrorum conjugia probant) irregulariter viventes ejecit; & sanctioris vitæ homines, genuinos monasteriorum possessores, substituit; præfecit Alfricum, integerrimæ vitæ hominem (qui etiam Aluricius ab aliis vocatur.) de quo ita Ingulphus: *Ingulf. f. 884* *Hoc eodem tempore*, inquit, *clericis ejectis, de monasterio Maldesmesbiria; quos Edwinus, frater Edgari, monachis expulsis, nequiter intruserat; monachos revocavit* (Edgarus) *præficiens eis in Abbatem Alfricum, virum in Ecclesiasticis officiis tunc celeberrimum: donans ei chartam suam in hunc modum.* ALVRICO ABBATE CONSTITUTO.

IV. CHARTA EDGARI PRO MALMESBIRIA. *Ego Edgarus, totius Albionis basileus, nec non maritimorum, seu Insulanorum Regum circumhabitantium; adeò ut nullius progenitorum meorum subjectione largissimâ, Dei gratia suppetente sublimatus; quid imperii mei potissimum Regi Regum * Domino darem, tanti memor honoris, solertius sæpè tractavi. Pia igitur fautrix devotionis pervigili meæ studiositati, superna subito insinuavit pietas: quæque in regno meo sancta restaurare monasteria, quæ velut muscivis scindulis, cariosisque tabulis, tigno tenus visibiliter diruta; sic, quod majus est, intus à servitio Dei ferme vacua fuerant neglecta. Idiotis nempè clericis ejectis, nulli regularis Religionis disciplinæ subjectis: plurimis in locis, sanctioris servitii; scilicet, monachici habitus; præfeci pastores: ad ruinosa quæque templorum redintegranda, opulentos eis fiscalium munerum exhibens sumptus. Quorum unum nomine Elurecum, virum in omnibus Ecclesiasticum, famosissimi constitui custodem cœnobii; quod Salvatoris nostri, ejusque θεοτόκου semper Virginis Mariæ, nec non Apostolorum Petri & Pauli, Aldelmique almi Præsulis honorem, particulam terræ; & nominatim terram cum pratis, & silvis, munificâ liberalitate restitui.* * Dono Malmesb. EDELNOTUS E MALMESBIRIA EIICITUR. *Hæc a prædictis accommodata clericis, à contentioso injuste possessa est Edelnoto. Sed superstitiosâ, subtilique ejus disceptatione, à sapientibus meis auditâ; & confictatione ejus mendosâ, ab eisdem, me præsente, convictâ; monasterialis à me reddita est usus: Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo quarto, regni verò mei decimo quarto, Regiæ consecrationis primo.*

V. Hæc, non plura, pro suo monasterio refert Malmesburiensis: Ingulphus tamen eo antiquior, Abbatem monasterii Alfricum vocat: & donationem factam ait, Anno Dominicæ Incarnationis 974. & Regiæ consecrationis primo; nulla annorum regni facta mentione. Subdit verò, quod alter omisit, subscribentium nomina, & illa in hunc modum recenset.

† *Ego Edgarus, totius Albionis, finitimorúmque Regum basileus, cum signo sanctæ Crucis, istud chirographum confirmavi.*

† *Ego Dunstanus Dorobernensis Archiepiscopus, istud donum Regium, hagia Crucis tropæo, corroboravi.*

† *Ego Oswaldus, Eboracensis Archiepiscopus, subscripsi.*

† *Ego Athelwoldus, Episcopus Wintoniensis, consignavi.*

† *Ego Lefwinus, Dorcacistrensis Episcopus, consensi.*

† *Ego Alstanus, Episcopus Londoniensis, annui.*

† *Ego Turketulus, Abbas Croylandiæ, subnotavi.*

† *Ego Athelgarus, Abbas novi Monasterii Wintoniæ, approbavi.*

† *Ego Adulphus, Abbas Burgensis, collaudavi.*

† *Ego Alferus Dux, affui.*

† *Ego Athelwinus Dux, affiti.*

† *Ego Brithnotus Dux, aspexi.*

VI. *Ingulf. f. 885* Ita Ingulphus, qui addit. *Ego verò tam remoti monasterii chartam apposui; ut ostenderem quanto igne Spiritus Sancti Regis Edgari (animus) accensus fuerit, Ecclesias ruinosas, & monasteria diruta restaurandi.* Quod ego supra sacræ unctionis effectum dixi: & nunc addo, nullo Sancti Spiritus igne accensos fuisse, qui hæc sanctitatis seminaria; immò ipsum regularium hominum nomen, persecuti sunt. Quod ad datam chartæ, ut Malmesberiensis eam refert, ita censet Spelmannus: *Spelman. fol. 489.* *Peccatur his*, inquit, *de more, in consignandis annis. Annus enim Domini nongentesimus septuagesimus quartus, non respondet anno regni Edgari decimo quarto, sed anno ejus decimo sexto.* Inde dubium movet, quod suprà posui, de primo anno consecrationis Regiæ. ad quod nunc breviter dico: Si data est charta ante hujus anni 974 Pentecostem, data jure dici potest, anno primo consecrati, & iuncti Regis: qui regni ejus est, vel decimus quintus, si annos completos numerare vis: si incompletos, decimus sextus. Cæterùm Spelmannus fallitur, cùm in sequentibus dicit. *Idem seq.* *Sub hac tempestate, anno scilicet Christi nongentesimo septuagesimo quarto, è sæculo migravit inclytus Rex Edgarus Pacificus, patriæ & monasticæ disciplinæ propugnator ardentissimus.* Licet enim sedecim tantùm annos ejus regno Authores omnes tribuant, iidem tamen omnes, nemine quod sciam dempto, Edgari mortem in sequentem annum referunt.

VII. * *v. an. 969. n. 10.* Dixi * suprà, de Thorneiæ cœnobio, quod Ethelwoldus in Cantabrigiensi agro statuit, & monachis implevit: ubi prius anachoretæ sanctissimi vixerant: undè, & nomen aliquando traxerat, ut Anberige diceretur; ab eo forsan tempore, quo * *Saxulfus, vir imprimis religiosus* (loquitur Camdenus) *monasterium cum eremiticis cellis construxit.* *v. an. 669. l.* Jacuerat locus; à Danorum inundatione, per annos centum: & nemo ausus solitudinem illam colere; donec Ethelwoldus nuper Sanctorum vestigia quærens; Author multis fuit eorundem sanctitatem æmulandi. Nunc verò, perfecto opere, præfectóque viro, qui monasticum ordinem alios doceret, & prædiis in commeatum distributis; Regium Edgari brachium, pro monachorum quiete, appellavit: quod ille lubens porrexit: ut æternam beatitudinem, fide vigente Catholicâ lucrarentur; quemadmodum ipse in diplomatis exordio præfatur. Dabo Chartham integram, ut illam refert Reynerus: & est hujusmodi.

VIII. EDGARI CHARTA PRO THORNEIA. *Reyne tract. 2. fol. 24.* *Universis Sophiæ studium, intento mentis conamine, sedulo ruminantibus, liquidò patescit: quod instabile hujus miserrimæ, ac caducæ vitæ periculum, cum marcido inanis gloriæ flosculo, tabescendo lugubriter deficit: & frivola ejus gloria, nunquam in eodem statu permanens; velut fumus, rotatu celerrimo evanescit. Attamen annuente Christi, mundi Creatoris ac Redemptoris gratiâ; tam recidivis præsentis vitæ munusculis, futuram æternæ beatitudinem*

centuplicato quæstu adquirere lucrando. Fide vigente Catholicâ, prudentissimè valemus. Quamobrem Ego Edgar, totius Britanniæ Basileus, quoddam monasterium Beatæ Dei genitrici, semperq; Virgini MARIÆ, ad laudem & honorem ejusdem Domini nostri JESU CHRISTI, mundi Salvatoris dedicatum; in loco, qui quondam Ancraig, nunc verò usitatu Dorneg nuncupatur vocabulo; & jura præfato monasterio subjecta, cum omnibus utensilibus, pratis videlicet, pascuis, silvis, piscariis, capturis, grovis, atque culparum emendationum, quæ reatu aliquo in ipsis peraguntur juribus; Domino nostro JESU CHRISTO, ejusq; Genetrici semperq; Virgini MARIÆ, octavo decimo mei terreni imperii anno: attamen primo meæ Regiæ dedicationis; Adelwaldo mihi Episcoporum dilectissimo, cum omni subjectionis humilitate impetrante; æternâ largitus sum hereditate: eâ semper interpositâ conditione; ut nullius altioris, vel inferioris gradus hominis reatu, à Domino nostro JESU CHRISTO, sanctóque loco; quod tam à me, quàm à prædicto Episcopo, vel à cæteris Catholicis concessum, vel concedendum est; ullâ occasione, diabolo instigante, privetur. Si verò crimen, quod veniâ non sit dignum, suadente diabolo, quod absit, loci procurator commiserit; agatur rationabiliter de eo, quod de Regis agitur Præposito: ut videlicet, reo ritè secutiato, ac justo ordine depulso; ille qui dignus sit, Christo designetur: uti Regis solet præpositura, à nullo sæcularium, Christi possessione violata.

IX. Nam in ipso præfato loco, anachoreticæ vitæ aptissimo: duo quondam præcipuæ sanctitatis germani Antistites, * Tancredus, videlicet & Torhredus; cælestis vitæ beatitudinem: alter Martyris, alter Confessoris gloriâ obtinentes; cum gloriosâ egregii triumphi palmâ, migraverunt ad Christum. Tona verò eorum soror, non solum carnalis propinquitatis fœdere compaginata; sed etiam imitatione virtutum, & charitatis repagulo connexa; in intimâ hujus Insulæ parte, anachoreticam vitam ducens, agonem sanctæ conversationis decentissimè complens; ac pucidam hujus fragilitatis mortem deferens; membrum tripudians perrexit ad caput; quod est Christus, humani generis redemptor: qui cum coæterno Patre, & Spiritu Sancto utrinsque milites tripudii, gloria beatificando coronati. His namque tanta, & tam secreta quietis, ac venustatis locus, peccatis promerentibus, prius à paganis vastatus: & diu postea miserabiliter à sæcularibus possessus, sine Dei servitio, & spiritalium conversatione erat. Tali igitur tantaq; miseria præfatus Præsul compassus: & insulam unius videlicet mansæ quantitatem, à quadam muliere, quæ noto Cejelford vocitabatur onomate, cum quadraginta auri mancusis emendo obtinuit: & ædificia monachorum habitationi convenientia, inibi construens; Ecclesiam ad laudem Trinitatis; quæ in coæternâ Deitatis unitate consistit; in unitate tripartitam construens; ad sanctitatis memoriam trium Sanctorum, quorum suffragiis præcipuè confidebat: Dei scilicet Genetrici, semperq; Virgini MARIÆ, Orientale altaris presbyterium dedicans: Occidentalem verò, cleri ac populi ejusdem Ecclesiæ partem Beato Petro, regni Cælorum clavigero: nec non Aquilonarem ipsius basilicæ porticum, Beato Benedicto, omnium monachorum patrono consecravit: multisq; & diversis telluris portiunculis locupletans; ac diversi Ecclesiastici juris supellectilis ornans decoravit.

X. Vita igitur regularis monachos inibi constituens, ipseque Abbatis vice fungens: Abbatem sanctæ monachorum congregationi præferre post abitum suum instituit: ut ita Abbatum electio deinceps, secundum Regulæ præceptum, ex eadem congregatione, usu teneatur perpetuo. Id est, ut ex eadem congregatione, qui ordinandus est: & aliunde nequaquam; nisi (quod absit) peccatis promerentibus, vel impediente imperitiâ, talis, qui dignus sit, in eâ reperiri nequiverit; cum Regis consilio eligatur. Rex autem, non ad tyrannidem, sed ad loci munimen, & augmentum; uti mos est; super pastorem, & Christi gregem Dominicum, solerti vigilantiâ misericorditer custodiat. Sæcularium verò, nec Episcoporum quispiam, ne ad magni detrimenti ruinam deveniat, ut dominium loci teneat, excepto Rege, nunquam eligatur. Sunt etenim rura hæc, quæ à præfato Rege, & divina servitutis obsequia, cum magnâ humilitate obtinuit: & auro argentóque, non solum à Rege; sed etiam à diversis hominum personis comparavit: & in exordio. Domino nostro JESU CHRISTO, ejusque Genitrici, semper Virgini MARIÆ, nec non Beato Petro Apostolorum Principi; ad usus monachorum inibi, sub regulâ patroni nostri Beati Benedicti degentium, æterno concessit donario: id est, Tclesis, Mìantum, Tideslun, Seabslea, & Oyer Seabslea, Fearres, Heafod, Beatum, Thrasolstet, duas mansas juxta Huntandun, & monasteriolum sanctæ Mariæ, extra oppidum dedicatum supradictum. Nam supradictam Insulam, quæ Tcclesis nuncupatur, totam prudentissimè acquirens; ejus mediam partem, ab Leoffis filio Celfise, cum quadraginta meri argenti libris, & cum sex mansis ad Bisrtasan, emendo obtinuit. Duas verò partes alterius medietatis, cum viginti libris à Leofroni, filio Aynlphi, comparando acquisivit. Tertiam verò partem ejusdem medietatis, & duas partes illius stagni, quod Ticlesmore nominatur; emit ab Vsan, & ab ejus uterinis fratribus; cum triginta argenti libris purissimi. Has autem triginta libras, præfatus miles dedit Haenrico, & sibi ab eo rus, quod Drigtun nuncupatur, cum opiâ argenti pecuniâ; quam illi Episcopus subveniendo, ne depopularetur, dederat; multis coram testibus comparavit; rursumq; cum illi immutare vellent, hanc commutationem; idem Episcopus illis viginti libras appendit.

Myantum, à quodam milite, qui Celfrictild vocitatur, devotissimè primo cum viginti libris: ac deinde, cùm præfatus miles, hoc etiam mutare disponeret; prædictus Episcopus, illi duas mansas ad Riceynam, duásque Tranceaster, unam quoque cercateam mente, insuper & tredecim libras, pro pecuniâ appendit. Et sic altera vice Vxantum mercando acquisivit Leoffan quidam miles, ob patrocinium sui muniminis, Episcopo mansam, & dimidiam, in Tutinmerstle gratuitè dedit: dimidiam verò mansam, quam fur quidam ante possederat; à Rege, cum triginta auri mancusis emit. Tidestun præfatus Præsul, à Rege mutavit; dans villam Palmingtun in commutationem; quam Episcopo superstiti, Celfide post obitum ejus condixerat; viginti quinque mansas, quæ Seakslea nominantur; quas dedit Sanctæ Dei Genitrici semperq; Virgini MARIÆ. XI. Sed Wernig mutavit à Wolstano, primo, cum quatuor & viginti mansis, in passensatum in Subsaxon: Rursumq; cùm ille totum hoc, in aliud transferre moliretur; Episcopus alteram comparationem innovans, cum quadraginta purissimis libris argenti, ab Cealfrico supra nominato, prædictum quinque viginti mansis Sedtun, Seakslea, & Fearresheafd; comparavit. Nam villam, quæ Berny in Lundesise nominatur; idem Episcopus à Rege præfato, cum quadraginta meri argenti libris emendo comparavit: Et insuper munera sibi, multò hac pecunia cariora, pro eadem reddidit tellure.

XII. *Ecclesiam autem in Huntandune, cum cæmiterio, & tribus agellulis mansis, Rex præfatus supradicto monasterio, ob æterna beatitudinis præmium, gratulabundus æterná largitus est hereditate. Hoc excepto, supra nominata rura omnia mutavit, vel emit; vel a Rege, vel à possessoribus, majori minorive pretio. Piscariam verò in circuitu villæ Sarum: Tillan scilicet, & Folun, præfatus emit Episcopus, cum viginti libris, ac una librá: in quibus per singulos annos quindecim millia anguillarum capiuntur: cujus medietatem capturæ, octo scilicet millia, ad Tome; similiter & septem millia ad Burgh, annuatim distribui idem concessit Episcopus. Quartam quoque partem stagni, quod solito Telesmore nominatur; ac duo piscaria, decemq; mutuata sunt jugera, de Tormu videlicet ad Burgh pro commutatione centum viginti porcorum; ac pro domorum, sepium, ac stabulorum emendatione. Sint igitur donanti Domino nostro Jesu Christo, ejusq; Genitrici semper Virgini Mariæ, à prædicto Rege, & Episcopo, perpetualiter repræsentata, cum terrena servitutis jugo libera: tribus exceptis, rata videlicet expeditione, pontis, arcisve restauratione. .... Quorum infra caraxantur vocabula.*

* per aes, aut quid simile.

XIII. † *Ego Eadgar, totius Albionis Basileus, hoc privilegium tantá roboratum authoritate, Crucis thaumate confirmavi.*

† *Ego Dunstan, Dorovernensis Ecclesiæ Archiepiscopus, hoc idem cum trophæo hagiæ Crucis corroboravi.*

† *Ego Oswold, Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopus, subscripsi.*

† *Ego Adelwold Episcopus, consignavi.* (Ethelwold' Winton.)

† *Ego Alstan Præsul, favi.* (Alstanus Londinen.)

† *Ego Alstan Antistes, assensi.* (Alstanus Wiltunen.)

† *Ego Adulf Pontifex, concessi.*

† *Ego Astwit Abbas, non renui.*
† *Ego Osgar Abbas, impressi.*
† *Ego Adelgar Abbas, concessi.*
† *Ego Celfbero Dux.* † *Ego Cewelime Dux.*
† *Ego Beorgnos Dux.* † *Ego Ossal Dux.*
† *Ego Cewelard Dist.* † *Ego Ganalf Dist.*
† *Ego Celsise Dist.* † *Ego Celsweard Dist.*
† *Ego Freigist.* † *Ego Wered.* † *Ego Wureferd.*
† *Ego Celfhelme.* † *Ego Triena.* † *Ego Wulf.*
† *Ego Siseferd.* † *Trump..* † *Wulx.* † *Wureferd.*
† *VVulf.* † *VVulfric.* † *Offerd.* † *VVulstan.*
† *Freigist.* † *Beengulf.* † *Alfstan.* † *Cowalfise.*
† *Leofwist.* † *VVulfcar.* † *Ayelmund.*

Tempus expenditur dati Diplomatis. *Reyner. in Apost. tract. 2. fol. 14.*

Ita refert Edgari diploma Clemens Reynerus; qui pro ratione temporis annique quo datum est, hanc notam adjicit: *Ex anno regni Edgari notato,* inquit, *apparet, scriptam hanc chartam confirmationis, circa annum Domini nongentesimum septuagesimum septimum. Si quidem Edgar cœpit regnare anno Domini nongentesimo quinquagesimo nono: cui numero addantur octodecim anni, exhibit annum nongentesimus septuagesimus septimum.* Ita ille: benè quidem Edgari Regis exordia, ut communiter ab Authoribus traduntur, recensens: sed non advertens, contra mentem authorum omnium esse; quod Edgarus vixerit, au viderit annum Domini nongentesimum septuagesimum septimum; aut quod, ab anno nongentesimo quinquagesimo nono, numerari debeant Edgari Regis anni octodecim: cum passim omnes disertè affirment, regnasse tantummodo sedecim. Melius ergo; si Regiam Chartam in omni apice vis defendere (& certè nihil video in quod excipi possit) dicendum: numerari hoc loco Edgari Regis annos, ab eo tempore; quo Edwium fratrem Mercenses, & Northumbrii abjecerunt: & eo *unanimi omnium conspiratione dejecto elegerunt, Deo dictante, fratrem ejus Edgarum, in Regem: & annuente populo, res regni publica dispertita inter fratres; ut Thamesis fluvius regnum determinaret amborum*, ut loquitur Florilegus. (*Westmon. an. 957.*) Quod cum contigerit anno nongentesimo quinquagesimo septimo, ut suprà* dictum: (* v. an. 957. n. 4.) non male Edgarus, octodecim annos regnasse dicendus est: & tunc octavo-decimus regni annus, ad Christi annum nongentesimum septuagesimum quartum, consignandus. eo prorsus modo, quo eundem Christi annum numeramus ejus regni decimum sextum, repetendo regni exordium, ab anno nongentesimo quinquagesimo nono.

XIV. Major ergo difficultas est, in subscribentium Episcoporum ultimo, qui *Adulf* Pontifex ibi dicitur: Quis ille, & cujus sedis? Nam Athultum Helmamensem dudum sepelivimus; & ejus loco, Alfricum statuimus; qui sub hæc tempora mortuus, sedem Theodredo reliquit. (Alfricus Helmamen. interitu, et successit Theodredus.) Opinor itaque Athulphum, cujus hic mentio, non hoc anno, sed posterius subscripsisse; nimirum sub annum nongentesimum nonagesimum septimum, cum factus est Herefordensis Episcopus, ut ibi dicam. Alii Antistites, qui in diplomate nominantur, hoc anno sederant, Ethelwoldus Wintoniæ; prior Alstanus, Londini; posterior, Wintoniæ, si Fastos sequimur. Sed ego puto adjectivum esse: hoc est post annum nongentesimum octogesimum tertium (quo ille sedere cœpit) additum. Pergo igitur ad aliam Edgari Regis Chartam, pro Ramesiensi cœnobio, hoc anno dictatam: in quâ legere est, Deum, & Sanctos, pro monasteriorum fundationibus mirabiliter operantes: unde nihil mirum, dæmonem, & ministros ejus, contra conari. Ut Ethelwinus Comes, sive Ailwinus, miraculo excitatus sit, ad monasterii constructionem, supra* dicere cœperam, cum prima jecit fundamenta: (* v. an. 968. n. 3.) nunc erectâ Basilicâ, & cœnobio absoluto; Deo, & Beatæ Virgini, locus consecratur: prædiáque, & privilegia, confirmantur, in hunc modum:

XV. Charta Edgari pro Rameseya. *apud Reyner. Append. pa. 2 f. 42.*

Rege Regum, & Domino Dominantium, in æternum, & ultra Omnipotente, ubiq; regnante; & ineffabili suâ clementiâ, universa cælestium, ac terrestrium, ac infernorum agmina gubernante: Ego Edgarus, per magnam ipsius Dei misericordiam, totius Anglorum regni solio sublimatus; omnibus post me futuris Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Vicecomitibus, Centenariis, cæterisq; sanctæ Ecclesiæ filiis, innotesco: quod quidam vir dilectissimus mihi, nec non & propinquitatis consanguinitate connexus, Alwynus Alderman nomine, instigante divinâ clementiâ, cum benevolo meo assensu, ac licentiâ; in Insulâ, quæ nuncupativo usu, ab incolentibus, Rameseya promulgatur, in honorem Beatæ Dei Genitricis, ac perpetuæ Virginis Mariæ, sanctique Benedicti, omniumq; Sanctarum Virginum, arcisterium construxit. Prævidens itaque incertum futurorum temporum statum, omnibus posteris meis scire pro futuro decrevi; quale omnipotentis gratiâ operante, ibidem miraculum emicuit. Sicut non incertâ relatione quorundam Episcoporum meorum; imo & ipsius Aylwini, didici.

XVI. Ailwinus podagra laborans

Igitur diuturno ac laborioso cruciatu podagræ, pedum suorum, prædictus illustris vir Aylwinus, multis laborans annis usquequo non affuit salutifera: in qua piscator quidam ipsius, qui Wlfget vocabatur, cum carinulâ, & asseclis suis, & lino, aquam, quæ Anglico nomine Rammesmere dicitur, ingressus est, piscem videlicet gratiâ, ad usum Domini sui prædicti, usu consueto adquirendi. Sicut itaque noverat Dominum suum velle, rete suum, sedulò huc & illuc projiciendo, aliquid capere nitebatur: sed, ex prædestinatione Dei Omnipotentis, frustra laborans; & tandem piscatio labore nimium fatigatus, in carinulâ suâ soporatus obdormivit. Cui Sanctus in somnis apparuit,

a S. Benedicto

sic fando, Benedictus: Aurorâ spargente polum, tuum ejiciens tragum, multitudini copiosa votis compos obviabis piscium. Captorum itaque piscium majorem, quem vos Haked nuncupatis, Aylwino, Domino tuo, ex meâ parte offerens, dices ei; ut meam donationem benignè assumens, piæ matri Misericordiæ, & mihi, omnibusq; sacris Virginibus, in hac Insulâ, monasterium monachorum habitationi, cum officinis necessariis, congruum; sine dilatione studeat fabricare. Ut ei igitur hæc omnia per ordinem innotescas, exhortor; sermonem addens sermoni, quatenus scrutetur diligentius, in loco prædicto, quomodo noctu fessa terra sua incumbant animalia: ac ubi taurum surgentem pede dextro viderit percutere terram: ibidem proculdubio xenodochii sciat se aram erigere debere. Et ut mente perspicaciori, & fide constantiori, meis hic credat mandatis: hunc eum tibi exteriorem incurvo digitum; quem & ipse, mox à nexu podagræ solutus, & signis certiores indicio roboratus, tibi erigat reparandum.

XVII. *Prædictus igitur piscatorum didascalus, his auditis evigilans; lucisq; diei spiculum in oriente conspiciens: in aquam, sicut sibi jussum fuerat, tragum suum laxare cœpit: & sicut sanctus Pater prædixerat, copiosam multitudinem piscium conclusit: quorum majorem eligens; ex parte sancti Benedicti eum Domino suo obtulit: eiq; omnia, quæ in somnis didicerat, revelavit: digitumq; suum a Sancto incurvatum, ut erigat, obnixè rogavit. Quæ omnia mente sagaci concipiens Ailwinus; digitum viri hærentem erexit, piscemq; suscipiens. Matri Domini Jesu Christi, & sancto Benedicto grates innumeras benedicendo exsolvit: surgensq; vir insignis, festinus jubet navim præparari: & in Insulam ipsam vadens; quomodo jacent sua animalia, ut præceptum erat, explorat. Mira res. & miranda! ubi vir prædictus Insulam est ingressus; ab intractabili statim, & gemino morbo, nutu Dei, funditus liberatus est,*

Sanatur.

*animaliaq; sua in modum Crucis; taurum verò in medio eorum, jacere prospexit. Et sicut quondam sancto Clementi, agnus pede dextro locum fontis: sic viro illi taurus, terram pede percutiendo, locum mensæ futuri arcisterii significavit divinitus. Unde vir præfatus Deum laudans; confestim eruncatis lignis * altitari capellam sibi, pulchro opere præcepit: ac deinde scheniare condecenti, sicut mandatum sibi fuerat; regulari futuræ Congregationi monachorum construxit cœnobium. Deinde revoluto quinquennio, diebusq; duodeviginti, precibus venerabilium amicorum meorum, Dunstani Dorovernensis, & Oswoldi Eboracensis Archiepiscoporum, eandem Ecclesiam in honorem Beatæ Virginis Mariæ, Sanctorumq; prædictorum, sexto Idus Novembris, anno ab incarnatione Domini nongentesimo septuagesimo quarto, Indictione secundâ, solenniter, ut decebat, dedicari concessi.*

*fabricari

XVIII. *Eodem verò anno, cùm in Natali Dominico, omnes majores totius regni mei, tam Ecclesiasticæ personæ quàm Seculares; ad Curiam meam, celebrandæ mecum festivitatis gratiâ, convenissent: a prædictis amicissimis meis Archiepiscopis, iisdem rogatus; omnes donationes terrarum, vel possessionum, quas vel idem Aylwinus, vel quæcumque alia persona, in dotalitium ejusdem Ecclesiæ, & jus hereditatis perseverabile, ad victuale subsidium monachorum, Christo jugiter ibi famulantium, indulserant: dando & concedendo, hoc regiæ majestatis meæ privilegio, coram totâ curiâ meâ, corroboravi: & tam ipsas donationes, quam nomina donatorum, literis meis, ad futuræ posteritatis notitiam exprimere curavi. Hoc est, primitus dona ipsius Aldremanni: scilicet Insulam, in quâ sedet xenodochium prædictum, cum omnibus sibi pertinentibus pratis, pascuis, campis, paludibus, silvarumq; densitatibus. Deinde rus ipsum, quod Upwode nominatur, cum Raveleya, * Berewico suo, Hemmingford, Saltrecam, Stiuiecleiam, Diuintou, Wistou, Hebugch, Walsocnam, cum omnibus ad easdem villas pertinentibus. In Welles quoque, viginti homines piscatores, sexaginta millia anguillarum, singulis annis, debentes ad usum fratrum prædictorum. Wulfina, uxor ejusdem Aldremanni, Brancester, cum omnibus ad eam pertinentibus. Dunstanus Archiepiscopus Dorovernensis, Wardebuk, cum omnibus sibi pertinentibus. Oswaldus Archiepiscopus Eboracensis, Kingeston, id est, Wistowe, cum Ravel, & Biri, Berewicis suis omnibus sibi pertinentibus. Athelstane, Mannessane, Slepani, & Chateriz, & de Elesworth partem Orientalem, cum omnibus sibi pertinentibus, Brithnot Aldremannus, Wychenton, & Ysham, cum omnibus sibi pertinentibus. Hiusth vidua, Granel, Belington, Stoston, & Gillinger, cum omnibus sibi pertinentibus. Aylswoldus, frater Aylwini præscripti, Honaon, Wirton, Riptonam, Cliuton, & Withernam, cum omnibus sibi pertinentibus.*

*Berewicum prædium significat.

XIX. *Hæc itaque rura, ut supra dixi, pro adipiscendâ dulcedinis divinæ misericordiâ, & pro stabilitate regni mei; libente animo, in dote perseverabili animi, cum Ecclesiis, cum terris cultis, & incultis, exitibus, reditibus, viis, inviis, segetibus, silvis, brueriis; secundum antiquos diu servatos confinium terminos, in pratis, pascuis, aquis, aquarumq; decursibus, paludibus, piscariis, marisciis, molendinis, & celoniis, ad se pertinentibus. Et cum omni utilitate, quæ inde poterit omni tempore evenire, & cum omnibus per circuitum terminis, & metis suis; ab Regiâ actione, & angariâ, vel à qualibet humanæ servitutis subactione, liberrima, lege, libertate, consuetudine, tam benè, & tam plenè, sicut ea sub mei juris dominio, suffragatore Deo, melius, & liberius, prænominati nobilissimi possederunt viri, favore & consensu primatum, & optimatum meorum, prænominatæ Ecclesiæ firmiter perpetuo habenda concessi, & confirmavi. Ut igitur hoc donationis meæ decretum, fixiori firmitate, & stabilitate perduret; præsentis paginæ privilegio decerno, & statuo: ut sint libera & expedita, tam prædicta territoria ibidem jam data, quàm ea, quæ a fidelibus deinceps sunt danda; ab omnis angariâ constructionis pontis, arcisve restaurationis, & ab omnibus sæcularibus servitiis, & operibus. Ita quod nullus unquam Regum, vel Episcoporum, seu Principum, procuratorum, sive exactorum, ab illis pastum, nec opera, nec tributa exigat; sed omnia sint libera omnino & quieta, quæcumq; superius prænotantur.*

Loci immunitas.

Præterea ex consulto & admonitione venerabilium amicorum meorum, Dunstani Dorovernensis, & Osvvoldi Eboracensis Archiepiscoporum, decreta utilia statui: ut quicumque majestatis Regiæ reus, vel cujuslibet alterius offensa, ad locum illum confugerit: ejus rei, & membrorum, ac vitæ impunitatem consequatur: semperq; sit habitatio monachorum; ac secundum Beati Benedicti traditionem, post obitum Abbatis, ex eadem Congregatione alter, qui dignus sit eligatur. Aliunde vero nullus ibi præficiatur; nisi nullum, quod absit, ibi contigerit, qui dignus tali officio sit, inveniri. Quod si contigerit, potestatem habeant, de alio noto monasterio, Abbatem eligendi; cujus vita, sapientiâ, & religione clarescat. Laicorum autem, aut clericorum nemo, loci illius dominium usurpare præsumat. Possessiones verò, quæ ibi à quibuscumque donata sunt; non Abbas, non alia qualibet persona, licentiam habeat vendendi extraneis, vel dandi. Sed Regum munimine locum illum semper tueatur. Ipseq; Abbas Regi, Deo soli serviens, spirituali & temporali commissum sibi gregem pastu diligenter foveat: liceatq; ipsi Congregationi; quod sibi per rectam delegationem collatum est; perpetuo possidere: & pro me, & pro stabilitate regni mei, Deum jugiter exorare. Post hujus itaque privilegii mei donationem, excommunicaverunt omnes Episcopi, Abbates, Presbyteri, qui in plurima numerositate eadem die affuerunt; eos, qui hoc institutum infringerent, vel infringi permitterent; quantum in ipsis esset.

XX.

Et ut hæc authoritas, meis, & futurorum post me Regum temporibus, circa ipsum sanctum locum, firma perenniter permaneat, & inviolata; & ut ab omnibus optimatibus meis, & judicibus privatis, & publicis, melius & certius credatur; manus meæ subscriptione hanc chartulam, quinto Kalendas Ianuarii decrevi roborare, & sigilli mei impressione communiri. Signum Edgari serenissimi Anglorum Imperatoris. Signum Edovvardi ejusdem Regis filii. Signum Æthelredi fratris ejus. Ego Dunstanus Dorobernensis Archiepiscopus confirmavi. Ego Osvvaldus Eboracensis Archipræsul corroboravi. Ego Alfstanus Londini Episcopus consolidavi. Ego Æthelvvoldus, VVintoniæ Episcopus commodum duxi. Ego Ælfnothus Dorcensis Episcopus conclusi. Ego Ailstanus Roffensis Episcopus consigillavi. Ego Alfgarus VVintoniensis Episcopus, Amen dixi. Ego Elsinus Abbas, cum Coabbatibus meis, & Presbyteris, infractores hujus firmitatis excommunicavi. Ego Elvvinus Aldermannus, hoc meum desiderium, ad perfectum, Deo suffragatore, perduxi. Hactenus fundatio monasterii de Ramsey, in Comitatu Huntingtoniensi, ex bibliothecâ Cottonianâ: quam refert Clemens Reynerus in appendice.

XXI. Ailstanus Roffen. Eps. Godvvin. in Roffen.

Qui ultimo, & penultimo loco, nominantur Episcopi, an hoc anno subscripserint, meritò dubitatur: in Roffensi Episcopo minor difficultas: Nam Godwinus in Catalogo, Alstanum ibi nominat Roffensem Antistitem, *qui obiit* (inquit) *anno nongentesimo octogesimo quarto*: potuit ergò hoc anno Roffæ sedere. licet ejus exordium, ad annum nongentesimum octogesimum consignent Fasti. Longè major difficultas est in Alfgaro, Wintoniensi Episcopo: non solùm, quia Ethelwoldus adhuc superest, & Regiæ chartæ subscripsit, ejus Sedis Antistes: sed quia nusquam in Wintoniensium Episcoporum syllabo, invenitur qui eo nomine vocetur. Dico igitur probabiliter lapsum esse amanuensem: & pro *Alfgarus Wintoniensis Episcopus*, reponendum: *Algarus Velltanensis Episcopus*. Nam ille Osulpho mortuo sub annum Domini 970. sequenti anno successit. Qui antepenultimo loco scribitur *Ælfnothus Dorcensis Episcopus*, videtur hoc anno ad majus sacerdotium assumptus. Moritur ergò hoc eodem anno Lefwinus Dorcacestrensis, qui suprà* Edgari diploma firmavit: & ejus Sedem occupat, sub finem anni Ælfnothus. ob hanc causam, nec Fastos, nec Godwinum sequutus sum, Lefwini mortem, & Ælnothi successionem, consignantes ad annum Christi nongentesimum sexagesimum. Nunc de Ramesiensis cœnobii fundatore, dicenda sunt aliqua: quia in memoriâ æternâ erit justus, & ab auditione malâ, & Sectariorum calumniis, non timebit.

Moritur Lefwinus Dorcacestren. Succedit Ælnothus. * hic n. 5. Godvvin. in Lincoln.

XXII. Ailwini fundatoris laus.

Ille, Aylwinus communiter, Ethelwinus etiam, & Egelwinus, aliquando ab Authoribus appellatur, eximiæ pietatis vir, & in Dei cultu promovendo nulli secundus; unde semper in Annalibus, cum magno laudis epitheto nominatur. Cùm quinquennio jam, & ultra, in monasterii constructione laborasset; nunc tandem consummato opere, Ecclesiam, ut oraculo jussus est, consecrari fecit; Edgaro, Dunstano, Ethelwoldo, aliisque præsentibus, quos diploma numeravit. Unde difficultas intelligitur, quod habet Florentius Wigorniensis, post annos sedecim ita scribens: *Sanctus Osvvaldus Archiepiscopus, monasterium Ramesege, quod ipse, & Dei amicus Dux Orientalium Anglorum Æthelvvinus construxerunt, divino adjutus auxilio, & confortatus adminiculo, Escvvii Lincolniensis Episcopi, sexto Idus Novembris feria tertia consecravit.* Ita ille ad annum Domini (secundùm Dionysium) nongentesimum nonagesimum primum. cùm Edgarus, Dunstanus, Ethelwoldus è vivis excesserant. Possunt tamen omnia convenire, si hoc anno solennem loci & Ecclesiæ inaugurationem fuisse dixeris: & post sedecim annos, ibidem, oratorium aliquod, aut sacellum ab Oswaldo Eboracensi, & Escwio Episcopis dedicatum esse. tunc enim mortuo Ælnotho Dorcacestrensi Episcopo, Æscvvius successerat, qui hîc Lincolniensis per catachresin dicitur. Nam Dorcacestrensis Sedes, diu post, Lincolniam transfertur. Quare Edgari diploma, integræ fidei est: cui congruit Catalogus ædium destructarum, ubi notantur monasterii Ramesiensis exordia, ad annum nongentesimum sexagesimum nonum. quod chartæ consonat, ubi dicitur dedicata Ecclesia, post quinquennium, anno 974. & benefactores ibi nominantur Alwinus Comes, Elfwoldus ejus frater, Wulfena Alwini uxor, Oswaldus Eboracensis, Brithnot Aldermannus, & Livid vidua, quæ in chartâ Hinith scribitur. sicut Ailwini uxor Wulfina, dicitur, & alibi Alwena.

Wigorn. an. 991.

XXIII. Sanctorum reliquiæ Rameseiam delatæ.

Ad augendum Dei cultum, Alwinus Sanctorum corpora conquiri, & Rameseiam transferri, de more curavit. Ita sancti Felicis, Orientalium Anglorum Episcopi corpus, quod in Soham oppido diu jacuerat; ad monasterium hocce delatum est, ut * suprà paucis innui, cùm sanctum virum cælo donavi, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo. Alia etiam Sanctorum corpora, opinor, sub idem tempus, ad pietatis alimentum, Rameseiam devehuntur; ut Ethelberti, & Ethelredi Martyrum, filiorum Ermenredi Regis Cantii:

* v. an. 605. n. 15.

quos

quos Egbertus, nè regno succederent, sustulit: ut dictum anno sexcentesimo sexagesimo octavo. Confirmantur hæc omnia, è Malmesberiensi, de Ramesciâ ita scribente. *Ramesciensis Abbatia fuit ædificator, sanctus Oswaldus Eboracensis Episcopus, cooperante Egelwino quodam, Orientalium Anglorum Comite, laudabili liberalitate utrique prædicabiles: sed maxime Laicus, qui hoc loco, quòd vidisset Antistitem cujusdam Principis inferias agentem, dulciter defixo in solum lumine, ingenuè illacrymasse; adeò religione ipsius captus est, ut ei omnia sua prona faceret. Sancto ergo favore propensus, cœnobium illud opulentissimè construxit, in palustri quadam uligine situm. Felix ibi Orientalium Anglorum Episcopus primus, de Sebam, jussu Comitis Egelwini asportatus jacet. Sed & duo germani, Egelredus, & Egelbrithus, quos filios patrui sui Egbertus Rex Cantuariorum, in spem regni adolescere metuens, aliquamdiu circa se habitos, tandem ab aulæ frequentiâ removit, contuitum suum eis invidens.* Pergit Author narrare Regiorum puerorum martyrium, quod suo * loco recensui: & demum de eorum sepulturâ hæc addit: *Locus erat sepulchri Sanctorum in Orientali Angliâ, cujus nomen Eastreia. Quapropter Comes provinciæ Egelwinus; de obscurâ levatos Ecclesiâ, celebri pompâ Ramesciam perduxit.* Ex hoc Malmesburiensis loco, corrigi potest sancti Felicis legenda; ubi de sancti translatione ita scribitur. *Tempore Canuti Regis, Abbas Ramesciæ Ethelstanus, ossa sancti Felicis, cum magno honore ad Ecclesiam suam transtulit: ubi usque in hodiernum diem, Christo donante, requiescit.*

V an. 668. n. 4. n. 8. & 9.

Malmesb. de Pont. f. 291.

* V an. 668. n. 4. &c.

apud Capgr. in Felice.

XXIV. ELFGIVÆ SANCTÆ CORPUS EFFERTUR.

Hoc eodem tempore, fidelium pietatem, in Sanctorum cultu, Deus ipse probasse videtur; cùm noluit eos, qui sanctitate aliis præluxerant, post mortem, diu in obscuro esse. Nuper * Elfgivam, Edmundi Regis conjugem, Edgari matrem, lectissimam fœminam, dixi: & cum magnâ sanctitatis opinione sepelivi. Nunc illam efferri Deo placuit, & à fidelibus coli. Nam ita scribit ad hunc annum Westmonasteriensis: *Sub his diebus, revelatum est cælitus corpus Ælgivæ matris Edgari Regis, in loco, qui Septonia nuncupatur.* nam ibi eam sepultam esse dixi suprà. Meminit hujus translationis Martyrologium nostrum, ad quintum Maii; sed malè ibi dicitur facta post triginta annos à morte ejus, & legerem potiùs, post annos tres. Ex hac Reginæ cita resurrectione, & miraculorum multitudine, quæ hoc tempore fiebant; Septoniensis cœnobii gloria, & inde sine dubio Dei cultus, crevit: nam notum est omnibus sanæ mentis, laudari Deum in Sanctis suis.

* an. 971. 14.

Westm. hic.

XXV. ET WITHBURGÆ VIRGINIS

* an. 880. 14.

Idem omnino de Withburgâ Virgine dicendum; quæ in Derham sepulta, ducentos ampliùs annos jacuerat incorrupta: & nunc omnium bonorum suffragio, cultum merebatur. Ethelwoldus Eliense monasterium, ut ante dictum, restauraverat: Ibi sanctissima Ediltrudis (Withburgæ soror) miraculorum gloriâ tam erat illustris: quàm viva fuerat, opinione sanctitatis: Quare Withburgam quoque in honoris reverentiæque participium placuit asciscere. præsertim cùm Derhamense cœnobium, Danorum incursione destructum, paucos haberet, & vicinos tantùm Withburgæ cultores: nullos autem è sanctiore clero, custodes corporis. Ægrè tamen obtentum, quod Ethelwoldus cupiebat; adeò thesaurus ille Derhamensi populo in deliciis erat. Res ita in Withburgæ Virginis vitâ narratur. *Tandem Virginale cœnobium* (Derhamense) *incursione Danorum, tempestateq; bellorum, fugato Virginum cœtu; in parochiam est destitutum. Tempore Regis Edgari, Beatus Ethelwoldus Episcopus, monasterium Eliense reparavit; & congregatâ monachorum catervâ, Brithnotum, Priorem Wintoniæ, primum illis Abbatem fecit. Adjecitq; Rex eidem monasterio cœnobium Derham, unà cum thesauro suo, Withburgâ Virgine. Cùm autem Abbas, cum monachis, ac militiâ armatâ, corpus de terrâ levasset; ac per viginti milliaria, terrestri viâ, progressus fuisset; ad fluvium in Brendunâ devenerunt. Ingressiq; naves remis ac armamentis certatim incubuere. Totoq; illo itinere, per totam ferè noctem, stella splendidissima super Virginis corpus rutilabat: & claros radios effundens, jugiter comes ibat. Et ecce populus de Derham associatis sibi illius plagæ plebibus, fugientes consequitur armatus: Sed sopore omnes gravati, dum tardius explorant corpus Virginis, ablatum reperiunt: & ad arma prosilientes, unanimi impetu proruunt, bipartito agmine, utramque ripam occupant; jactant convitia, intentant spicula, exprobrant sacrilegia, terroribus, & clamoribus, & minis implent aera: Abbas enim cum suis, tanquam surdus non audiens pertransivit: divinumq; auxilium crebris orationibus obtinens; Dei protectione munitus, fesso reditu, confusis persecutoribus, absque cujusquam detrimento, cum sancto corpore evasit; & juxta tumbam sanctæ Etheldredæ, in tumulo honorificè præparato, collocavit. Depositio verò ejus octavo Idus Iulii celebratur. Facta est autem translatio memorata, sub Brithnoto Abbate Heliensis Ecclesiæ, anno Domini nongentesimo septuagesimo quarto.* Hæc omnia Capgravius. Quid porrò factum, de Withburgæ Virginis corpore: & quomodo, è tumulo illo, in alium locum, post annos aliquot, translatum sit; integritate corporis mirabiliter ostendente sanctitatem ejus; dixi suprà, ad annum 660. num. 18.

apud Capgr. in Withburg.

ANNUS CHRISTI 975.

BENEDICTI VII. PAPÆ 1.

EDGARI ANGLORUM REG. 17.

I. FUGATO BONIFACIO SEDIT IN URBE BENEDICTUS VII.

SEQUITUR Christi annus nongentesimus septuagesimus quintus: quo, mortuo Benedicto sexto Romano Pontifice, & Bonifacio in Urbe tyrannidem exercente; Sutrinus Episcopus, & ipse Benedictus; zelo Dei & religione armatus, sanctæ Sedis invasorem; Bonifacium, inquam, Româ fugavit: & omnium suffragio, suóque merito, Romanus Pontifex acclamatur, dictusque est eo nomine Benedictus septimus. Interim Edgarus Rex, regni divitias, vicinis Regibus explicare, & Northumbriæ provinciæ partem Scotiæ Regibus concedere, in supremæ majestatis argumentum pergit: de quo ad hunc annum Westmonasteriensis: *Eodem quoque tempore, Ælfsius Episcopus, & Comes Eadulfus, Kinedum Regem Scotorum, ad Regem Eadgarum conduxerunt. Quem cùm perduxissent ad Regem, multa donaria, à Regiâ largitate suscepit: inter quæ contulit ei centum uncias auri purissimi, cum multis sericis ornamentis, & annulis, cum lapidibus pretiosis. Dedit præterea eidem*

Westm. hic.

Regi terram totam, quæ Laudian, patriâ linguâ, nuncupatur: hac conditione, ut annis singulis, in festivitatibus præcipuis, quando Rex, & ejus successores diadema portarent, veniret ad Curiam; & cum cæteris regni Principibus, festum cum lætitiâ celebrarent. Dedit insuper ei Rex mansiones in itinere plurimas; ut ipse, & ejus successores, ad festum venientes, ac denuò revertentes, hospitari valuissent. Quæ usque in tempora Regis Henrici secundi, in potestate Regum remanserunt. Hæc ille. An Kinedus hac vice, priusquam ad Edgarum duceretur, contra Edgarum molitus sit aliquid, non invenio. Invenio tamen, eum ipsum, ab Edgaro aliquando superatum, eidem obsequium fidemque promisisse. Unde cùm de Anglorum jure in regnum Scotiæ controversum esset; *repertum est in Chronicis* (inquit Walsingamus) *quòd Eadgarus Rex Angliæ superavit Kinadum, filium Alpini, Regem Scotorum, qui juravit ei fidelitatem.* Sed à triumpho, & lætitiâ, ad lacrymas convertamur.

Walsingam hypomeust. pl. 477.

II. EDGARUS MORITUR.

Hic annus Insulæ nostræ, & bonis omnibus luctuosissimus fuit: cùm Edgarus Rex, meritorum cumulo plenus, cùm sedecim annos regnasset; vixissetque annos duos & triginta; ex hac vitâ transiens, pro terreno regno, quod religiosissimè rexerat; consecutus est æternum. Vir, non à monachis solùm, ut Novatores garriunt; sed ab omni ordine, sexu, & ætate, laudatus. De eo sic scribit Huntindonius: *Edgarus Pacificus, Rex magnificus, Salomon secundus: cujus tempore nunquam exercitus advenarum venit in Angliam: cujus dominio Reges, & Principes Angliæ sunt subjecti: cujus potentiæ Scoti etiam colla dedere. cum regnasset sedecim annis, & duobus mensibus, feliciter vivens, feliciter obiit. Nec potuit malè mori, qui bene vixerat; qui tot Ecclesias Deo fundaverat; qui tot bona perennia, brevi tempore statuerat. Cujus plantationum gratia, quantò instantiùs Deum laudare non cessant; tantò Beati Regis, in cælestibus, gloria crescere non desistit: De cujus laude, musam aliquantulum ducere pro meritis promovimus.*

Huntindon. l. 5. fol. 356.

EIUS ELOGIA.

Auctor opum, vindex scelerum, largitor honorum
Sceptriger Edgarus regna superna petit.
Hic alter Salomon, legum Pater, orbita pacis.
Quod caruit bellis, claruit inde magis.
Templa Deo, tēplis monachos, monachis dedit agros:
Nequitiæ lapsum, justitiæq; locum.
Novit enim regno verum perquirere falso;
Immensum modico, perpetuumq; brevi.

III. Ita ante quingentos annos Henricus, Archidiaconus Huntindonius: nec ab eo dissentit Rogerus Hovedenus, qui ita Edgarum Regem cum honore sepelit. *Anno nongentesimo septuagesimo quinto, Anglici orbis Basileus, flos, & decus antecessorum Regum, pacificus Rex Edgarus: non minus memorabilis Anglis, quàm Romulus, Romanis; Cyrus, Persis; Alexander, Macedonibus; Arsaces, Parthis; Carolus Magnus, Francis; Arthurus, Britannis. postquam cuncta regaliter consummavit; anno ætatis suæ trigesimo secundo, regni autem illius, in Merciâ, & Northimbriâ, decimo nono, Ex quo verò per totam Angliam regnavit decimo sexto, Indictione tertiâ, octavo Idus Iulii, feriâ quintâ, ex hac vita transivit: filiumq; suum Eadwardum, & regni, & morum, reliquit heredem. Corpus vero illius Glastoniam delatum, regio more est tumulatum: in Capitulo* (addunt Antiquitates Glastonienses) *ad ostium Ecclesiæ: cujus merita, nulla tacebunt tempora; quippe cum virtutibus famam vicerit. & vix triginta duobus annis, quibus vixit, facta seculorum incluserit: qui patriam suam, prælatâ fortitudine illustrem reddidit; rerum gestarum claritate, & Deo servientium multiplicitate.* Glastoniæ ergò sepelitur, quò multorum Sanctorum reliquias congesserat. ut *defunctus, precationum, quæ ibidem essent ad Sanctorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur:* ut eum docuit Magnus Constantinus. Euseb. vita lib. 4. cap. 60.

GLASTONIÆ SEPULTUS. *Antiq. Glaston.*

IV. Hunc virum, tot nominibus celebrem, majores nostri, in Sanctorum Catalogum tunc retulerunt; cùm Deus multis miraculis (de quibus intrà) eum illustrem fecit: præsertim incorruptione corporis, post annos septuaginta. de quo ita scribit Malmesburiensis: *Nec illud oblitterandum, quod cùm Abbas Ailpardus, ejus tumulum, anno Incarnationis Domini millesimo quinquagesimo secundo, effodisset; invenit corpus nullius labis conscium. Quod cùm eum ad reverentiam debuisset inflectere, ad audaciam levavit. Nam quia locellus, quem paraverat, difficilem prò magnitudine corporis minabatur ingressum; Regales exuvias ferro temeravit. Unde continuò sanguis undatim emicans, astantium corda pavore concussit. Ita Regium corpus in scrinio, quod ipsi Ecclesiæ contulerat; super altare locatum est; cum capite sancti Apollinaris, & reliquiis Vincentii Martyris quæ ille magno empta, decori domus Dei adjecerat. Temeratorem porro sacri corporis mox animus reliquit: nec multò post Ecclesiâ egressum, fracta cervice mors invenit. Nec in his mansit Regiæ sanctitatis ostensio: sed in ulteriora processit, sanato ibi furioso, & cæco. Meritò ergò non infirma inter Anglos fama est; nullum, nec ejus, nec superioris ætatis Regem in Angliâ, recto & æquilibri judicio, Edgaro comparandum. Ita nihil vitâ ejus sanctius, nihil justitiâ probabilius fuit: exceptis vitiis, quæ postea amplis virtutibus delevit.* Hæc ille, vicinus illorum temporum, & in Regum gestis versatissimus.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 8.

INTER SANCTOS REFERTUR.

V. Cæterùm Novatores stomachantur; & quia monasteria, & omnia pietatis seminaria, quæ Edgarus struxit. destruxerunt, omnium sæculorum fidem & facta dehonestantes: ideò sanctissimos quosque proscindunt monasteriorum conditores. Magdeburgici, de Edgaro ita scripserunt. *Monachi Cantuarienses, Edgarum Anglorum Regem, qui singulis annis novum condebat cœnobium; adulterum, homicidam, tyrannum, & trium Scortorum Dominum; in Deorum numerum, cum scorto, & filiâ retulere.* Quibus breviter dicimus, non monachos Cantuarienses, sed omnem Angliam, Edgarum coluisse; & inter Sanctos, non inter Deos retulisse; quod hipocausti calore stupidi, videntur non posse distinguere. Nos insuper fatemur Davidem Regem, adulterum & homicidam; peccatricem Magdelenam; & unum cum Christo crucifixum, latronem fuisse: mentiri tamen constantissimè dicemus eum, qui Ecclesiam accusabit, quòd facinorosos colat, aut Deos faciat. Quod si David adulterii, ac homicidii maculam, pœnitentiâ; si Magdalena, lacrymis; si latro, unico fidei merito, conscientiam eluit; & omnes, ut in confesso est, sanctissimè moriuntur. Cur Edgarus Rex, septenni pœnitentiâ, multisque eleemosynis, redimere non potuit peccata sua, aut emereri delictorum veniam? Sed admodum difficile est placere Aristarchis istis. Etenim, si peccat Rex, indignantur meritò:

NOVATORUM OBJECTIO.

Cent. 10 fol. 361.

SOLVITUR.

rursum

rursum, si in einere & cilicio pœnitentiam agit; accusant Christi passioni injurium. Si cives Edgarus ad justitiam cogit, tyrannus audit & superbus: nec si ad Dunstani pédes humiliter procumbit, ignoscunt, sed mori debèt adulter, homicida, & tyrannus: licet ad aliorum imperia, totâ ferè vitâ, coronam exuerit. Taceant ergò Novatores, qui nec cum majorum fide, nec factis communicant: & maneat Edgarus, omnium sæculorum suffragio Sanctus: & divina, si humana respuuntur, id probent argumenta.

VI. Non pugno pluribus, pro Edgari sanctitate: quia si vel parum tepuit hipocaustum, ipsi Magdeburgici benè de Edgaro sentiunt: nam eodem capite, quo eum accusant, ita scribunt: *Edgarus Angliæ Rex, præcipue pietatem coluit. Nihil enim pro religione Christianâ magnoperè agendum putabat: virosq; magnæ doctrinæ, sanctitatis, integritatis atque prudentiæ, in suum domesticum delegit consilium: illosq; tantùm populo Christiano præesse voluit.*

Cent. 10. fol. 363.

Quo, nescio quid dici potuit, ad Regiam Edgari fidem illustrius: & videor iterum audire, Christi virtute, malum genium vociferantem: *Tu es Christus filius Dei vivi*: adeò virtus in tenebris etiam lucet; licet tenebræ eam non comprehendant. Nunc quid à Regis morte acciderit, videamus: quod breviter nimis Malmesboriensis absolvit, sic dicens: *Post mortem Edgari, res & spes Anglorum retro sublapsæ sunt*: quod paulò diffusius exponendum est; quia duplex factio, utramque Remp. vexavit: & æquè pro coronâ, ac pro Ecclesiâ certatum: de quo ita Baronius:

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 8. fine.

EDOARDUS ANGLORUM REX.

VII. *Hoc eodem anno Ecclesia Anglicana, defuncto Rege Edgaro; cum regnasset à tempore monarchiæ adeptæ annos sedecim; Clericorum in Monachos insurgentium factione nonnihil est perturbata. Sed primùm illa de successore Regis controversia est excitata: aliis filium ejus Edoardum; aliis Ethelredum, ex secundâ uxore, genitum, expetentibus. Quomodo autem res redacta sit ad Episcopale judicium, sic narratur. Edgaro defuncto, de Rege eligendo, magna inter regni principes dissensio orta est. Quidam enim filium Regis primogenitum, Eduardum: Quidam verò fratrem suum, de secundâ uxore generatum, unanimiter elegerunt. Quam ob causam duo Archipræsules, Dunstanus Cantuariensis, & Oswaldus Eboracensis, cum Episcopis, Abbatibus, & Ducibus, in unum convenientes; Eduardum (ut pater ejus moriens dictaverat) elegerunt, electum consecraverunt; & in Regem, quibusdam murmurantibus, inunxerunt. Nam noverca ejus Elfdritha, filium Ethelredum, vix septennem puerulum, conabatur, ut potius sub ejus nomine regnare videretur. Sicq; post discessum Regis pacifici, regni status perturbatus est, & in execrationem commutatus. nam Principes plurimi, & Optimates, Abbates cum monachis, de monasteriis, in quibus Rex Edgarus eos collocaverat, expulerunt: & clericos, ut prius, loco eorum, cum uxoribus, induxerunt. Nam unus eorum, Ælferus nomine; omnia penè monasteria; quæ Reverendissimus Ethelwoldus, in provinciâ Merciorum construxerat, magnâ usus insolentiâ subvertit. Sed super his quæstionibus, ad Beatum Dunstanum delatis, Synodum ad Wintoniam congregavit; & in medio partium conflictu disputationis, imago Dominica, quæ altercantibus astabat in Ecclesiâ, expressè locuta ita allegat, ... quod clericos omnes, & eorum fautores confusos reddidit, & elingues.*

Baron. hoc n. 11.

Contentio de successore.

Westm. hoc

Item de Monasteriis.

A Crucifixo deciditur.

VIII. Ita è Matthæo Westmonasteriensi refert Baronius; qui ultimam periodum, asterisco, notat vitiosam esse: quam Spelmannus ita restituit: *Imago dominica, quæ altercantibus astabat in Ecclesiâ, expressè locuta ita allegatur: Non fiet, non fiet: judicastis benè, malè mutaretis. Quare* (inquit idem Matthæus) *clerici, omnesq; eorum fautores, elingues redditi, nullam deinceps monachis controversiam moverunt.* Quod ad Wintoniensem hanc Synodum attinet; non conveniunt Authores, sub quo Rege; Edgaro, an Edoardo, coacta sit. Nam Matthæus suprà, apertè satis significat, sub Edoardo habitam, post mortem parentis. Verùm Osbernus antiquior, innuit Edgarum Regem præsentem fuisse: quem tamen sequutus Spelmannus, ita Synodum indigitat: *Concilium Wintoniense, sub Sancto Dunstano, Cantuariæ Archiepiscopo, in interstitio regnorum Edgari & Edwardi Martyris Regum celebratum. In quo dum acerrimè contenditur, de clericis uxoratis, monachisve præferendis; imago Dominica, pro monachis dicitur elocuta; & controversiam protinus diremisse. Præsentibus Edgaro Rege, cum suâ conjuge: sancto Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi, cum cæteris Episcopis, abbatibus, &c. Elfero Principe Merciorum; Ethelwino Duce Orientalium Anglorum; Elfwoldo suo germano: Brithnotho Comite, cum nobilitate totius regni.* Ita ille, asserens, & negans, Edgarum Synodo adfuisse. Si enim facta est in interstitio regnorum Edgari, & Edoardi; quomodo potuit Edgarus inter præsentes Synodo numerari? Scio Spelmannum, in notis advertere, Authores hac in re dissonantes esse: Sed nescio, cur in Epigraphe, quæ simplicius reddi poterat, dissonantiam, & ἀσύστατα ponat.

Spelman. fol. 492.

Concilium Wintonien. in causa Monachorum. Quando habitum.

Spelm. suprà

IX. Vidit etiam hunc nodum Baronius, & cùm Westmonasteriensis verba retulisset, addit: *Hæc paulo* expressius ab Osberto narrantur in Dunstano, his verbis. *Igitur ex præcepto Regis, & Archiepiscopi, coit Wintoniam nobilitas totius regni: & Rex cum suâ conjuge adest, ad determinandas querelas negotii hujus. Surgunt hinc inde lites, quas Dunstanus propositis rationibus destruit omnes. Rationabiliter quippe cunctis ostendit; clericos, qui fortè Dei incorrigibiliter per pravitatem vitæ suæ desiliunt; nihil per rectitudinem sibi vendicare posse, ex eis, quæ Ecclesiis data sunt, in subsidium eorum, qui in clericatu purâ conversatione se custodiunt. Quibus auditis, omissa omnis controversia est. Et Rex, atque ex Pontificibus plerique, clericorum precibus ad pietatem usque permoti, Dunstanum interpellant: quatenus hac solâ vice parcat: & clericos jam, quod amodo, si se non correxerint, incursuri sint, reipsa doctos; de Ecclesiâ suâ revestiat. Silet ille ad ista: quidq; potissimum de negotio agendum sit, demisso capite, mente pertractat. Silentium ingens occupat omnes, & suspensi ad responsum Pontificis, erigunt aures. Tunc subitò, crucifixi Dei imago, signo Crucis in edito affixa, audientibus cunctis, dixit: Non fiet, non fiet: judicastis bene; mutaretis non benè. Tremefacto in hû simul universo conventu; intulit Pater Dunstanus, & ait: Quid amplius vultis, fratres mei? Divinâ sententiâ audivistis definitum negotium præsens. Aiunt, audivimus verè. Resederunt ergò monachi Wintoniæ, securi: & quoad clerici ipsi vixerunt; qui eos super istâ causâ inquietaret, nemo fuit. Hæc Osbernus:*

Baron. hic n. 12.

qui

qui tamen potiùs sub dicto Edgaro Rege, ista referre videtur. Verùm hoc ipso anno celebratum esse dictum Concilium, etiam vetustiora, de rebus gestis Anglorum, ad Bedam addita fidem faciunt. Hactenus Baronius.

X. CONCILIANTUR AUTHORES. Ego puto, sequiorem clerum, non semel, sed sæpiùs, pro monasteriis disputasse; & aliquos, ut faverent, in suas partes traxisse: unde, priusquam Edgarus moreretur; orta sine dubio contentio est: & fortè tunc Deus, pro monachis fecit, dixitque mirabiliter: Sed Rege mortuo, longè acrius, ventilata est quæstio; & auctior clericorum spes, monasteria repetendi: cùm Reginam à se stare, & ex Optimatibus aliquos dudum persensissent. Hinc bis, terve, Synodus coacta est, ut passim Authores notaverunt, primò Wintoniam hoc anno: iterum Calnam; denique Ambresbyriam convenerunt utriusque Reipublicæ Principes, ut infra suo loco. De Wintoniensi ita scribit fide dignus Malmesburius: & prius, posteriusque conventum esse significat. *Defuncto Eadgaro, clerici quondam de Ecclesiis expulsi, rediviva prælia suscitarunt: dicentes; ingens esse & miserabile dedecus; ut novus advena veteres colonos migrare compelleret. Hoc, nec Deo gratum putari, qui veterem habitationem concessisset; nec alicui probo homini, qui sibi idem timere posset, quod alii præjudicio accidisse cerneret. Eâ de re, in clamores & iras surrectum: & ad Dunstanum perrectum est: præcipuè proceribus, ut laicorum est, succlamantibus præjudicium; quod clerici passi fuerant injustè, leniori consilio succidi debere. Nam & unus eorum Elferius omnia penè monasteria, quæ Reverendissimus Æthelwoldus monachus, & Wentanus Episcopus, construxerat in provinciâ Merciorum, magnâ usus insolentiâ, evertit. Itaque frequenti Synodo coactâ, primùm Wintoniam ventum. Quis ibi fuerit finis certaminis, alia litera docent: Dominicam imaginem expressè locutam, clericos, eorumque fautores confudisse. Sed adhuc non sedatis animis, Calnæ Concilium indictum*, &c.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 9. princ.

XI. Sæpiùs ergò, de monasteriorum jure controversum: & bis fortè, hoc anno oongentesimo septuagesimo quinto: primùm Edgaro vivente: & iterum eodem in loco, eo mortuo, qui monachorum juri favebat. Tunc enim, nec priùs, Merciorum ille Princeps, in monasteria involavit: tunc etiam de successore regni litigatum: tunc denique nova studia emerserunt: & rebus turbatis, crevit clericorum factio; qui, quo Reginam ad se traherent; Ethelredo ejus filio faventes, de eo in regnum efferendo, laborarunt. Hinc orta, post Edgari mortem duplex quæstio; quæ utramque Rempublicam tangebat. Et quia proceres, ut fit, divisi; non eodem impetu ferebantur; his communi bono, certóque juri; illis privatis rebus, commodóque suo studentibus: facile fuit, Optimatum aliquos, sub fœminino adhuc imperio, pro clericorum concubinis stipulari. Et quia Edgarus aberat, aderatque Regina, quæ filium suum, per fas, & nefas (quis dubitat?) in solium evehere nitebatur; monachorum causa nutabat; nutassetque magis, nisi Deus mirabiliter adfuisset. Miraculum ergò loquentis imaginis, contigisse puto post mortem Edgari: cùm eodem etiam tempore, de successionis Regiæ jure disputatum, nimirum uter filiorum, pientissimo parenti succederet. Cujus litis exordium, inde enatum; quòd Egelfleda Edoardi mater, primaque Edgari conjux; non legitimè Edgaro juncta ferebatur: sed ferebatur tantùm ab iis, qui fœminæ adblandientes, novis rebus studebant: quos enormiter falsos esse suprà * ostendi, cùm peccantem Edgarum, ex Osberno descripsi.

* v. an. 963. n. 2. &c.

XII. EDOARDUS DUNSTANI SUFFRAGIO REGNAT. Sed quid non mortalia pectora cogit Regni sacra fames? Eltrida vidua, hoc futili argumento, filium suum, quinquennem licet, Edoardo præferre, eique regni coronam imponere satagebat: & Elferum, paucósque habuit, qui applauderent: nimirum quos clericorum factio, & Reginæ ambitio, contraxerant. Vidit Dunstanus, quò aulicorum vitia, & Elfridæ cupiditas tenderent: & prudentissimè intercessit: protulit ultimæ voluntatis Edgari tabulas: & primogeniti, adeóque legitimi filii jura testatus, in medium processit: arreptóque Crucis vexillo, quod illi, de more, præferri solebat, Edoardum, quâ pollebat authoritate, & justissimâ causâ, Regem dixit. Episcoporum enim arbitrio litem definitam esse innuit Westmonasteriensis, cùm supra dixit. *Quam ob causam, duo Archipræsules, Dunstanus Cantuariensis, & Oswaldus Eboracensis, cum Episcopis, Abbatibus, & Ducibus, in unum convenientes, Edoardum, ut pater ejus moriens dictaverat, elegerunt; electum consecrarunt, & in Regem, quibusdam murmurantibus, inunxerunt.* Hoc murmur factiosis nostris musica est: nam inde socios nacti, ansam habent monachos premendi, & pro concubinariis advocandi: exauctorandi etiam Edoardum; qui, quoniam Edgari *primogenitus, simplex, & sanctissimus adolescens erat* (ita Ingulphus) *& multum in moribus patrizans*; Dunstano placuit, Regem esse. Et factiosis hodie displicent, quæcunque olim sanctissimis Regibus, & Episcopis, addo & proceribus, placuerunt. arripiunt verò, quod facinorosi homines, & omnium sæculorum arbitrio scelesti, ocquiter moliti sunt. Quod ut fiat manifestum; studia partium, quæ in hac controversiâ fuerunt, ita distinguam; ut vel inde causæ æquitas, vel iniquitas cernatur.

Westm. ...

XIII. QUI PRO MONACHIS, ET QUI CONTRA? Pro Edoardo, & monachis, in Concilio Wintoniensi, Dunstanus, Oswaldus, Ethelwoldus Episcopi: Ethelwinus, Orientalium Anglorum Dux, Elfwoldus ejus frater, & Brithnotus Comes, steterunt, notæ sanctitatis homines: quos non monachi solùm, sed è clero optimi laudaverunt. Rogerus Hovedenus hujus controversiæ cardinem movens, ita scribit: *Edgari discessu totius regni status est perturbatus: & post tempus lætitiæ, quod illius tempore vigebat pacificè; cœpit tribulatio undique advenire. Nam Princeps Merciorum Elferus, compluresque regni primates, magnis obcæcati muneribus; Abbates cum monachis, de monasteriis, in quibus Rex pacificus Edgarus eos locaverat, expulerunt: & clericos, cum uxoribus suis, introduxerunt. Huic* VESANIÆ *viri temerarii, Dux Orientalium Anglorum Ethelwinus Dei amicus, & suus germanus Elfwoldus, & Brithnothus Comes, vir religiosus restiterunt: & in Synodo constituti, se nunquam ferre posse dixerunt, ut monachi ejicerentur de regno:* QUI OMNEM RELIGIONEM TENUERUNT IN REGNO. *Congregato deinde exercitu, monasteria Orientalium Anglorum, maximâ strenuitate defenderunt. Dum hæc aguntur, de Rege eligendo, magna inter regni*

Hoved. hic

Principes

Princi eroborta est dissensio. Quidam enim Regis filium, Eadvvardum; quidam verò fratrem ejus Egelredum elegerunt. Quam ob causam Archipræsules Dunstanus & Osvvaldus, cum Coëpiscopis, Abbatibus, Ducibusq; quamplurimis, in unum convenerunt, & Eadvvardum, ut pater suus præceperat, elegerunt, electum consecraverunt, & in Regem unxerunt.

XIV ELFERUS VIR TEMERARIUS, VESANIÆ AUTHOR. Author ergo censuit, Elferum, Merciorum Principem virum temerarium, & vesaniæ authorem fuisse, hoc est, non sanæ mentis; ideo, quod amotis monachis; non presbyteros, hoc est, sacerdotes conjugatos (nedum enim eò insaniæ venerant) sed clericos in minoribus ordinatos, cum uxoribus, in monasteria introducere, laboravit. Quem morum vitæque solœcismum, religiosi viri, Ethelwinus, Elfwoldus, Brithnothus, & quamplurimi, Duces admittere noluerunt; rem iniquissimam existimantes: eos sedibus, & Ecclesiis pelli; qui omnem religionem in regno tenuissent. Quasi dicerent: Christiana fides primùm in Insulam cum monachis navigavit: & illi eam omni post sæculo, virginem servaverunt: cur nunc eandem a clericis uxoratis prostitui, aut concubinariis presbyteris fœdari pateremur? Hæc de monachis assertio, constantissimæ veritatis fuit, nec ullus in Synodo contra excepit. Quis enim dubitare, aut inficiari poterat; non solum omnem Saxonem, à regularis instituti viris, ad Christi fidem conversum esse: sed altius ascendendo, omnem etiam Britanniæ angulum, eodem instrumento, cadem castra sequutum.

XV. ELFRIDA FŒMINA QUALIS? Præter Elferum, virorum nemo nominatur, qui pro clericis pugnaverit: solùm Elfrida vidua, factionis caput, contra sanctissimos antistites, & æquissimam sententiam, excepit. Sed qualis fœmina? quæ primum conjugem Ethelwoldum, dolo deceptum, morti objecit, ut suprà. & Edoardum Regem, privignum suum crudelissimè (ut dicetur) obtruncavit. Qualis, inquam, vir, & qualis fœmina, quorum impietate factum; ut malorum oceanus iterum Insulam pessundaret; nam passim notant Authores, ex hoc fonte, sequutum diluvium emanasse. quod quia dissimulare non possum, ecce duorum testimonia, majora exceptione. Guilielmus Malmesburiensis ita loquitur: *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo quinto, Edwardus, filius Edgari, regnare cœpit: & tribus annis & dimidio, potestate potitus est. Illum Dunstanus, & cæteri Episcopi consentanei, Regali culmine sublimarunt; contra voluntatem quorundam, ut aiunt, Optimatum, & Novercæ: quæ vixdum septennem annorum puerulum, Ethelredum, filium suum, provehere conabatur: ut ipsa potius, sub ejus nomine imperitaret. Ex tunc, malitiâ hominum pullulante, fælicitas regni imminuta. Tunc visi Cometæ, qui vel pestem provincialium, vel regni mutationem portendere, pro vero asseverabantur. Nec mora, secuta sterilitas arvi, fames hominum, mors jumentorum. apud vicum Regium qui vocatur Calna, casus insolitus.* Hæc ille: & illo antiquior Ingulphus, tumultus in omni angulo Angliæ factos, in Novercam refert, ita scribens.

Malmesb. de Reg. [illegible] c. [illegible]

EX HOC FONTE, MALORŨ OCEANUS

XVI. *Edoardi Regis sanctâ simplicitate, & innocentiâ abusa est factio tyrannorum; per Reginæ favorem, & potentiam, præcipuè roborata: quod per Merciam, monachis de quibusdam monasteriis ejectis, clerici sunt inducti: qui statim monasteriorum maneria, ducibus terræ distribuebant: & sic in suas partes obligati, eos contra monachos destruxerent* (Hoc est quod Hovedenus suprà dicebat: *Magnis occæcati muneribus.*) *Tunc de monasterio Eveshamensi, monachis expulsis, clerici fuerunt introducti: terraq; tyranni, de terris Ecclesiæ præmiati sunt. Quibus Regina, NOVERCALI nequitiâ stans cum clericis in Regis opprobrium favebat. Cum monachis autem Rex, & sancti Episcopi persistebant. Sed tyranni, fulti Reginæ favore, & potentiâ, super monachos triumphabant. Multus INDE tumultus, in omni angulo Angliæ factus est.* Videant, in hoc speculo, Novatores; quinam, & quales, monachorum hostes, & amici fuerint: & sciant se deteriora sequutos; cum Elfridam novercam, & Tyrannos, in monachorum persecutione, nequitiâque superarunt; eos proscribendo, *qui omnem religionem, in regno tenuerunt.* Iis certè nunc ejectis, Religio omnis eversa, sacra omnia conculcata sunt; & modò videmus, scotimus, ploramus, INDE tumultum, in omni angulo Angliæ, factum. Quod sequi necessum est, cum Regia potestas penes fœminam est: & Ecclesiastica bona, vel a laicorum imperio, vel populi plebiscito, dependent. Sed prosequamur historiam, & hujus anni reliqua.

Moritur hoc anno Croylandensis cœnobii Abbas Turketulus, de quo hæc habet Ingulphus: *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo quinto, qui erat Edgari Regis decimus sextus, & ultimus; celebrato cum multâ devotione festo Apostolorum Petri & Pauli, Venerabilis Pater noster, Dominus Abbas Turketulus, ex ferventissimâ illo anno canículâ, febrem incurrens; ultra solitum modum, per triduum, fortissimè laborabat: quarto die, lecto decumbens; totum conventum; monachos scilicet, quadraginta septem, & quatuor laicos fratres, in cameram suam convocavit. & coram omnibus, Dominum Egelricum, tunc provisorem suum, statum domus, tam in thesauris, quam in jocalibus aliis jussit ostendere: & de universis, post obitum suum, per inventuram, conventui respondere. Thesaurus monasterii prolatus palam, tunc ad summam decem millium librarum ferè pertingebat. Reliquiæ verò plurimæ fuerunt, & pretiosissimæ: quas Imperator Alemanniæ Henricus, Rex Francorum Hugo, Princeps Aquitanorum Ludovicus, aliiq; multi Duces, & Comites, proceres, & Prælati; Regum Anglorum benevolentiam & amicitiam captare cupientes, dum Regis Cancellarii officium gerebat, ei crebro contulerant. Inter quas præcipuè colebat pollicem Beati Bartholomæi Apostoli; ita ut illum semper super se gereret; & cum illo in omni periculo, & tempestate, & fulgure se signaret. Dux Beneventanus Imperatori illum dederat; cum eum balteo militari primo juvenem accinxisset. Imperator autem illum, eis adhuc Cancellario contulerat. Item de crinibus sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, quos Rex Franciæ ei inclusos, in aurea pixide dederat. Quoddam os de sancto Leodegario Episcopo & Martyro, per Principem Aquitaniæ donatum. Ac alia multa; quarum quædam distracta sunt; quædam adhuc, ad hæc nostra Normannorum tempora conservantur. Vasa autem aurea & argentea multa; quæ omnia integra, in necessitatem monasterii, sub provisoris, & procuratoris custodiâ, deputaverat conservanda. Erant enim ambo Egelrici, cognati sui secundum carnem, & fratres, secundùm Deum, religiosissimi & devoti: alter monasterii provisor; alter procurator. Provisor in temporalibus tractandis, prudentissimus: Procurator, vir Scholasticus, & omnium literarum scientiâ profundissimâ imbutus.*

XVII. TURKETULUS MORITUR. Ingulf. f. 087.

DE POLLICE S. BARTHOLOMÆI.

illi consiliarii Abbatis fuerant præcipui; priorq; Amfridus, quamdiu vixit. ac sine illorum consilio, nihil magnum, aut minimum faciebat.

XVIII. *Indies ergò crescente febre, & ad extrema deducente; communicatus Christi sacris mysteriis, Crucem, quam de Ecclesiâ ante conventum, ministri attulerant, datam ad osculandum, ambobus brachiis amplexatus; quantis suspiriis, quot lacrymis, quibus singultibus, & quàm frequenter osculatus fuerit; paucis non potest explicari. Tam devota verba, ad singula Christi vulnera dixit; quod omnes circumstantes fratres ad lacrymas uberrimas commoverit: & à multorum dictorum fratrum cordibus, quamdiu postea vixerunt, ejus devotionis memoria deinceps non recesserit. Pridie ante obitum suum ad fratres suos, qui aderant, brevem sermonem faciens; de ordinis observantiâ, de charitate fraternâ, de negligentiâ, tam in temporalibus, quam in spiritualibus cavendâ; & de igne nostri diligenti custodiâ (sive charitatem supponebat, sive combustionem loci significabat, quam præcavere cupiebat: tum illud verbum: Ignem vestrum optimè custodite, frequenter, quasi prophetice, commonebat) tandem dimittens se omnium orationibus commendabat, omnibus ultimum valedicens, & pro omnibus Deum rogans. Cumq; virtus vitalis deficeret; & languor magis, ac magis, violentior ingravesceret; quinto Nonas Iulii, id est, in translatione sancti Benedicti Patris, & patroni sui, officio regulari completo; complevit & ipse, in ipso Completorio dies suos; transiens ex hoc mundo ad Patrem; de sudoribus Abbatiæ ad sinum Abrahæ: sepultusq; est in Ecclesiâ suâ, quam à fundamentis construxerat, juxta magnum altare, in ejus latere dextro; à convicinis Patribus, Adulpho Burgensi, *& Godmanno Thorniensi Abbatibus, anno ætatis suæ sexagesimo octavo, & monachatus sui vigesimo septimo.* Hactenus Author.

XIX. DE VULNERUM OSCULO. Lego libenter hæc antiquæ pietatis argumenta; ubi viri magni, religionem, Deique cultum profitentur; in eo temporis articulo, unde pendent omnia æternitatis itinera Turketulus crucem, & Christi ibi pendentis vulnera, suaviatus; piam fidelium morientium consuetudinem aperit; quæ hodiéque, passim ab Orthodoxis usurpatur: solent enim tunc potissimum sacræ Redemptionis mysteria, proximiùs contemplari; & illa Christi vulnera pientius ingredi; quibus æterna, quæ speratur, salus innititur; nec aliter potest acquiri. Hic, opinor, nulla fit Christo injuria, cum Christus in Cruce colitur: nihil hic Passioni detrahitur: cum passio, unica ad immortalitatem via, & corde creditur, & ore, osculóque ejus Fidei fit professio. mus ergo Crucem, Christúmque eo modo reverendi, antiquus est, & à magnis sanctisque viris usurpatus; non solum hoc decimo Saxonum sæculo; sed longè prius, quàm Saxo hac Insulâ potiretur. Quod enim nunc fecit Turketulus, factum prius à Britannis, qui Christiani fuerunt. Testis Britanniæ proto-martyr Albanus; qui anno Christi ducentesimo octogesimo sexto, prostratus ante Crucem; Christum illi fixum religiosissimè adoravit. *Sic pedes, sic vulneris loca assidua exosculatione demulcens; ac si ad ipsius, quem crucifixi viderat, vestigia procumberet Redemptoris*, ut * suprà suo loco vidimus. Et fortè hinc factum, ut eo sæculo Christiani, Crucicolæ dicerentur, quemadmodum Aldelmus noster, de Diocletiani imperio loquens testatur, ut ibi dictum. Certè, tam notum est omni sæculo, Christianos Crucem veneratos esse: quàm constat Novatores hodie, in Crucis cultum pugnare. Unde meritò dubitandum; si de antiqua stilo & dialecto disputamus; an Christianorum numero censeri debeant, qui Crucicolæ dici non possunt.

* v. an. 286. n. 21.

Aselm. de lau. Virgin. c. 1.

XX. EGELRICUS CROYLANDENSIS ABBAS. Turketulo mortuo successit Egelricus Croylandensis monasterii provisor; & Abbatis locum cum dignitate sustinuit.* de quo sic narrat Ingulphus: *Turketulo successit ad Abbatis officium, electione omnium, Egelricus senior, cognatus ejus, & sub ipso provisor monasterii totius: vir religiosus valdè & in temporalibus tractandis vir excellentis industriæ, ac in omnibus sæcularibus negotiis, prospero fine tractandis experientia immensa, prudentiaq; micanda. Duci namq; Merciorum Alfero carne propinquus, & multâ familiaritate præclarus, sub Rege Edwardo, qui patri Edgaro successerat in regnum; cùm monasteria multa gravissime affligerentur; nullum damnum passus est, nec in minimo molestatus.* narrat inde author plura religiosæ ejus industriæ prudentiæque argumenta, & demum quod ad Ecclesiæ cultum spectat, addit: *Fecit ipse fieri duas magnas campanas, quas Bartholomæum, & Bettellinum cognominavit: & duas medias, quas Turketulum, & Tatwinum vocavit, & duas minores, quas Pegam, & Begam appellavit. Fecerat antea fieri Dominus Turketulus Abbas unam maximam campanam, nomine Guthlacum. quâ cum prædictis campanis compositâ, fiebat mirabilis harmonia: nec erat tunc tanta consonantia campanarum, in totâ Angliâ.*

Ingulf. fo...

C[illegible]MNAS [illegible], NOMI[illegible] INSI[illegible]

Cœpit, opinor hoc decimo sæculo, solennior campanarum usus; quo fideles ad Ecclesiam, & sacra audienda invitantur, usurpari: & quò libentius ac devotius, sacras ædes populus frequentaret; placuit campanis Sanctorum nomina imponere: quorum quasi voce, ac præconio, ad Deo laudes persolvendas omnes concurrerent. Et quoniam teste Apostolo, *Omnis creatura Dei bona est, & sanctificatur per verbum Dei & orationem;* visum est Ecclesiæ proceribus, campanas ad divinam servitutem proximè destinatas, sacris precibus, in nominis impositione, expiare: ut alia pleraque, quæ sacrificio templisque deserviunt.

Corint. 4

XXI. CAMPANARUM BENEDICTIO. Nullum hic alieni cultus, vel leve argumentum, imò ad Dei cultum promovendum, vocale instrumentum est: & tamen nugivenduli Magdeburgenses, campanarum baptismum Orthodoxis objiciunt, & superstitionem existimant. *Ioannes Romanus Pontifex* (inquiunt) *ejus nominis XIIII. primus fuit, qui baptizatis campanis nomina dedit, ipse enim majori Lateranensis Ecclesiæ campanæ, suum communicavit nomen. Qui mos, mox in universam irrepsit Ecclesiam, ac insignis accessit superstitio. quod nimirum, ennéis æris sonitu, fugetur diabolus, præveniantur fulminum ictus, ac omnis generis calamitates, quæ ventorum turbine infligi solent, avertantur.* Ita illi, omnium sæculorum judices. Lateranensis Ecclesia, sancti Joannis Baptistæ solennem memoriam retinet; & Romanus Pontifex, in nominis impositione, eò respexit: voluitque Romam scire; quoties campana illa pulsabatur; toties cogitandum esse, Christi præconem audiendum, & vocem clamantis: *Parate vias Domini, rectas facite semitas ejus.* Nec ulla superstitio est, dæmonem fugare, fulguris vim repellere, aut sacrâ prece aëris inclementiam mitigare. quod variâ experientiâ constat campanarum benedictione fieri. Nam vidimus ipsi, ingentis ventorum vi

Sur. 10 fol. 394

gravidas

gravidas nubes agitari; & segeti vineisque approximantes, magnam calamitatem parturire: sacræ campanæ pulsu, & Sacerdotis prece, aliò conversas, segete, vineisque innoxiis. Quod ergò Joannes XIII. (ita rectius dicitur) in Lateranensi Basilicâ fecit, anno Christi nongentesimo sexagesimo octavo; statim Angliam pervasit, & Turketulus maximam Ecclesiæ suæ campanam, Sacerdotis prece benedictam, Guthlacum, à quo Croylandensis Insula famam meruit, appellavit. Nam ex eâ Urbe, & eâ Sede, sacra excipere, solenne fuit. Cæterùm quòd baptizari dicantur campanæ, id vulgo dandum, & vocibus ad libitum; quas Sectarii ad opprobrium nobis objiciunt: nam dicimus, præter nominis impositionem, nihil habet ritus ille, cum baptismi Sacramento commune: Benedictio tantùm adhibetur; eo ferè modo, quo templa, altaria, aliáque Deo, & sacrificio inservientia, solent ab Episcopo benedici. Sectarii autem, qui hæc omnia nauseant, nihil mirum si benedictis campanis irascuntur, quia malus genius ea omnia aversatur.

ANNUS CHRISTI 976.

BENEDICTI VII. PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLORUM REG. 2.

I.
EDOARDI REGIS, VIRTUTES REGIÆ.

EDOARDUS interea, in regni solio collocatus; explicare cœpit anno nongentesimo septuagesimo sexto, eas animi virtutes, quæ priùs ob privatæ vitæ statum, erant minus illustres. De eo sic referunt Authores: *Edoardus, Edgari major natu filius, optimæ indolis puer, lasciviam omnem, & illecebrosas hujus vitæ voluptates respuens; ita se erga Deum & hominem comparare studuit; ut Deo quidem ante omnia, mentis & corporis integritate sectanda placeret; hominibus verò gratum, & amabilem se exhiberet, multâ industriâ & prudentiâ conspicuus. Atque his pater ejus Edgarus permotus, voluit illum post se regnare. Qui ut à Rege Regum Christo dirigebatur; ita paternis quoque vestigiis insistens; tam rebus bellicis, quam Ecclesiasticis negotiis, strenuum ac devotum intendit animum: sancti Pontificis Dunstani, aliorumq; religiosorum, & spectatæ integritatis virorum consilio, omnia agens. hostibus & flagitiosis hominibus, severum se præbebat, & terribilem: piis & illis præcipue, qui essent sacris initiati; quemadmodum à patre didicerat; benignum, ab omni illos infestatione defendens. Erat præterea hæc illi quotidiana exercitatio; inopes alere, pauperes beneficiis fovere, nudos tegere, in maximis lucris ponere; quicquid in miseros contulisset.*

apud Surium & Haraum 18. Martii.

II.
ELFRIDÆ AMBITIO.

Dum hæc pietatis officia Rex juvenis prosequitur; Elfrida noverca, viam sibi ad Rempublicam tractandam; filióque suo, ad regnandum, quod summa votorum erat, aperuit. Nam Regis bonitate abusa; cùm rerum gerendarum summa penes ipsam esset; eo non contenta, filio regnum, Edoardo mortem, moliri cœpit. Quod ita recenset Malmesburiensis: *Eadwardus fratrem puerulum, & novercam, pietate congruâ colere; solam nomen Regis habere, illis cætera permittere; paternæ religionis vestigia rimari, bonis consiliis aures, & animum accommodare. At mulier novercali odio vipereum dolum ruminans; ut nec Regis nomen filio deesset, insidias privigno struere cœpit.* Sensit has insidias sancta Editha, Edoardi Regis soror, quæ tunc in Wiltoniensi monasterio sanctitatis opinione clarebat. Nàm ita legitur in ejus vitâ: *Cùm quindecim esset annorum, à patre suo Rege Edgaro, super tria monialium monasteria, scilicet Wilton, Berkingum, & tertium, Abbatissa effecta est. à domo tamen, in quâ Deo servire cœperat (nempè à cœnobio Wiltoniensi) avelli non poterat. Sed singulis locis spirituales matres, tanquam efficaciores disposuit: malens matri subesse, quam aliis præesse; matrem timere, quam aliis imperare. Mortuo autem Patre suo Rege Edgaro, & succedente Rege fratre suo Edoardo, adhuc infantulo; somniavit virgo sancta, oculum sibi decidisse dextrum. Quod referens sororibus, simulq; exponens, ait: Videre, inquit, mihi videor, hanc visionem Edordi fratris mei portendere casum.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 9.

Capgrav. in Edith.

S. EDITHÆ VATICINIUM.

Hunc etiam casum Cometa portendit, de quo Florilegus: *Anno Gratiæ nongentesimo septuagesimo sexto, Cometa apparuit, & dira fames subsecuta est.* Illum intellexit Malmesburiensis, cum dixit: *Tunc visi Cometæ, qui vel pestem provincialium, vel regni mutationem portendere pro vero asseverabatur.* Non solum Edoardi Regis, sed monasteriorum etiam, & sanctitatis occasum aliquem, Cometa ille loquebatur; cum hoc ipso anno, Merciorum Princeps Elferus, ut suprà vidimus, in monasteria desævit: quod Edoardus, quantumvis pius, non potuit impedire. Cæterùm qualis ille fuerit, qui monasteria in Merciis hoc anno destruxit, dicat Henricus Archidiaconus Huntindonius, & simul Cometæ portentum explicet. *Edoardus, filius Edgari Regis; qui dicitur Sanctus; regnavit pro Patre suo. Cujus regni principio apparuit Cometa, signum scilicet maximæ famis, quæ in anno sequente secuta est. Tunc verò consul quidam nequissimus, Elfero nomine, Abbatias plures; quas Rex Edgarus, & Edelwld Episcopus construxerat; quorundam potentum assensu, & factione, destruxit. Inde Dominus ad iram permotus, pristinam renovare statuit cladem.* Ita ille. Ut Deus pristinam cladem renovaverit: hoc est, Danos Angliam vexare denuo permiserit, dicam in sequentibus: hic solum adverti cupio, gravissimum è meliore clero virum, pro monachis stare; & censuisse, maximam, quæ sequuta est, Danorum tempestatem, è monachorum exterminio, à nequissimis facto, originem, sumpsisse. Et utinam similis tempestas, quæ hodie Insulam inundat; è Danorum & malorum diluvio, simile principium non posset petere. Sed de hoc sequentia sæcula pronuntient. Illud certum est, Edgarum monachis, & Ecclesiis faventem, procul omni injuriâ, provinciam defendisse: & eo, filióque mortuis (& brevi innocens mori debet) hostem omnia turbasse, cives trucidasse, regnum denique possedisse. non etiam ob causam, quam quod Dei cultus, Deique cultores optimi, nequissimo factione, opprimuntur.

III.
Westm. hic
COMETA APPARENS QUID PORTENDERIT?

ELFERUS IN MONASTERIA SÆVIT: ET QUALIS ILLE?

Moritur sub hæc tempora (hunc annum 976. signant Fasti) Theodredus Helmhamensis Episcopus: & Theodredus alter, priori cognominis eidem succedit. Nam duos ita dictos consequenter, in eâ Sede, fuisse, Malmesburiensis, Wigorniensis, Godwinus, aliique Episcoporum, qui in Oriente fuerunt catalogum texentes, affirmant. Quamvis aliud nihil præter nuda nomina, posteriorum memoriæ commendaverint.

IV.
THEODREDUS HELMHAMEN. MORITUR, ET COGNOMINIS ALTER SUCCEDIT

ANNUS CHRISTI 977.

BENEDICTI VII PAPÆ 3.

EDOARDI ANGLORUM REG. 3.

I. CLERICI TUMULTUANTUR ELFRIDA DUCE.

SEQUITUR Christi annus nongentesimus septuagesimus septimus; quo Elfrida Regina, auspicatura tragediam, quam dudum meditata fuerat, complices in meditati facinoris societatem colligit; & quoniam clericorum nuper è monasteriis ejectorum factio creverat, Elferi *nequissimi Consulis* odio, nuper in monachos expresso: ipsos clericos in familiaritatem suam asciscere, illos bonis spebus implere; omnia denique polliceri incipit. Illi, eâ sequestrâ, rursum cristas erigere, de monachis pro libidine loqui, pro monasteriis audacius advocare, omnia denique susquedeque miscere: rati turbatis aquis illis melius cessurum. Sensit hos motus, qui pro Ecclesiarum pace excubabat, Dorobernensis Antistes, sanctus Dunstanus; & vocat in Concilium, eos omnes, quorum intereat. De tempore locóque conventus hujus, non conveniunt authores: coire tamen possunt, si dixeris; quod omnino dicendum super Clericorum contentione; non semel; sed iterum, tertioque, Ecclesiarum proceres convenisse: sic hoc anno in unum locum, sequenti in alium convenerunt: Primum igitur ad Kirtlingum oppidum in Icenis, & Cantabrigiensi agro: inde in Calnensem urbem, quæ Willoniensis provinciæ est; denique ad Ambrosii villam, in eodem agro (nunc est Ambresbury) Synodus congregatur. Quæ ideo fere Calnensis appellatur; quia ibi rerum gestarum magnitudo, & Deus mirabiliter operans, eminuit. De singulis breviter dicendum.

VARIÆ SYNODI IN CAUSA CLERICORUM.

II. SYNODUS KIRTLINGTONIÆ. *Hoved. hic.*

De conventu hujus anni, ita scribit Hovedenus: *Anno nongentesimo septuagesimo septimo, in East-anglia, apud villam, quæ Kirding nominatur, maxima synodus celebratur.* Idem habet Wigorniensis: sed Synodi locum paullò aliter vocat, Kirtlinege. Verùm neuter ille locus in East-anglia hodie reperitur, ut putat Spelmannus: *Hodie,* inquit, *non reperio in tota East-anglia villam ullam alicujus istorum nominis (nec quæ apud Ierusalensem Kerling dicitur. In nomenclatore verò Cantabrigiensis agri villarum Kirtlinge exhibetur, & eandem esse censeo, quæ hodie Katlage. sedes celebris Baronis de North.* Ita ille, benè de loco conjectans; sed malè supponens in East-anglia non esse: cum Cantabrigiensis ager eò pertineat. nam, teste Camdeno: *Regionem Trinobantibus proximam, quæ postea East-Anglia dicta; & Suffolciam Norfolciam, Cantabrigiensemq; agrum, cum Huntindonensi complectitur, occuparunt olim Iceni,* &c. Eò igitur hoc anno conventum, & Synodus inde dicta: quam ita Spelmannus inscribit: *Concilium magnum Kyrtlingtonia, post Pascha habitum, anno Christi nongentesimo septuagesimo septimo: præsentibus Edwardo Rege (qui Martyrio postea coronatur) & Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi.*

Spelman. fol. 491.

Camden. in Icenis, prim.

III. QUID IBI ACTUM. *Camden. in Cambrid.*

Quid actum, in magnâ hac Synodo, vix ullus prodidit. nam quod Camdenus habet Kirtling celebrem olim fuisse *frequenti Synodo, dum Ecclesiastici, de Paschate celebrando, acriter inter se digladiarentur,* & ad marginem notat annum præsentem; nullum habet in horum temporum historiis fundamentum, dudum sopitâ, tam in Occidente, quàm in Oriente, illâ controversiâ. Melius ergo Spelmannus, cum Synodi titulum retulisset, addit: *De gestis hujus Concilii, nihil mihi occurrit aliud, quam è notâ quadam Saxonicâ, in hisce verbis, quæ latine fecimus: Post Pascha magnum habebatur Concilium Kyrtlingtonia: ubi Sidemannus Episcopus mortem celebrem obiit secundo Kalendas Maii. Erat is Devoniæ Episcopus, voluitq; corpus suum in Episcopali suâ Sede Cridiantunæ sepeliendum. Ordinarunt jam tunc Rex Edwardus, & Dunstanus Archiepiscopus, ut homines rusticani (religionis causâ) ad Ecclesiam sanctæ Mariæ Abbandunensem peregrinarentur quod & fecerunt. Sepelitur autem honorificè (puta Sidemannus Episcopus) ex parte Boreali porticus S. Pauli, Cridiantunæ.* Ita Spelmannus Saxonica interpretatur, nec plura de Synodo hac.

Spelm. sup.

IV. CAMDENI παρόραμα.

Camdenus paulò aliter Saxonica intellexit: Quod enim initio dicebatur, *magnum Concilium habitum Kyrtlingtonia, ofer Eastrom,* ipse reddidisse videtur, *super Paschate*: quasi in Synodo illa, de Paschatis differentiâ, disputatum esset. Sed meliùs, opinor, Spelmannus reddit, *post Pascha*: nimirum notans Concilii tempus. Cæterùm, quod ab Edoardo, & Dunstano, præscriptum dicitur, ut rusticani homines, religionis causâ, peregrinarentur ad Sanctam Mariam Abandunensem, peregrinum est; nec cum Saxonico multum conveniens. Solùm enim jubetur populus Ecclesiam principalem frequentare Deiparæ Virgini consecratam. Nam plures ibi fortè erant Ecclesiæ; & inde parva parochiarum distinctio; præsertim cùm ditiores oratoria construerent; eàque orationis causâ adirent, nec ad parochiam aliam, aut decimas, tenerentur. Edicitur ergò, ut populus parochiam suam agnoscat, & frequentet. & aliud nihil. Peregrinatio in peccati pœnam præcipitur; alia libera est, & dudum in usu.

V. MORITUR SIDEMANNUS CRIDIENSIS EPS. * v. an. 973. n. 11.

Sidemannus, qui in Synodo moritur, Devoniæ Episcopus; ille est, quem * suprà, ex Abbate sancti Petri, Exoniensis cœnobii, consecratum dixi, Criditonensem Episcopum. Quem quadriennio tantùm sedisse constat, si constat hoc anno in Synodo mortuum. quod etiam Wigorniensis affirmat. Tunc autem fallitur Godwinus, qui diu adhuc illum superstitem facit, & Episcopi Sedem aliò transtulisse. Sic enim scribit: *Sidemanno sedente, Dani universam Devoniam, nec non & Cornubiam populati: Bodminam, & Ecclesiam Cathedralem sancti Petroci, unà cum ædibus Episcopalibus ibidem incenderunt. Quæ res occasionem dedit, Sedem ad S. Germani transferendi. Unde non migravit, donec Cornubia, cum Devoniâ unita, Exoniæ utrisque Sedes constituta est. Obiit Sidemannus anno nongentesimo nonagesimo, & Criditonæ tumulatus est.* Ita ille: quæ per Synodum hoc anno habitam corriguntur, de successore potiùs intelligenda: quem Godwinus, Alfredum, Malmesburiensis & Fasti, Altricum vocant. fuerat antea Malmesburiensis Abbas, vir dignus infulâ: de quo sic scribit Pitsius: *Alfredus sanè plusquam vulgariter doctus; sed suprà quam dici potest, rebus Ecclesiasticis delectatus; impensè dilexit decorem domus Dei, Cantum tam vocalem, quam instrumentalem, libenter inter Missarum solennia, & alia officia divina adhibuit: laudans Deum, in chordis, & organo, & in cymbalis bene sonantibus. Ecclesiam suam splendidè semper*

Godwin. in Exon.

ALFRI[CUS] SUCCEDIT.

Pitsius in Alfredo.

ornari

ornari voluit : omnia ibi munda, nitida, bono ordine disposita, libenter contemplabatur altaria benè apparata, vestes sacras, speciosas simul & pretiosas ; candelabra, Cruces, calices, ex auro & argento, gemmis fulgentes. Denique quicquid cultum divinum promovere, & augere, mentesq; hominum ad cælestis gloriæ contemplationem, aut gustum aliquem incendere posset ; illud omne summopere illi fuit cordi. His pietatis & eruditionis titulis, ad Cridiensem Episcopatum promotus est. Ita Pitsius.

VI. Winsius Lichfel. moritur: succedit Elpheg.

Moritur sub idem tempus Lichfeldensis Episcopus, Winsius : & anno nongentesimo septuagesimo septimo, ut consignant Fasti, ad eandem Ecclesiam consecratur Ealfegus.

ANNUS CHRISTI 978.

BENEDICTI VII. PAPÆ 4.

EDOARDI ANGLORUM REG. 4.

I. Concilium Calnense.

SEquitor Christi annus nongentesimus septuagesimus octavus ; quo vel superioris anni Synodus, aliò translata est ; vel potiùs nova indicta, ad villam regiam, quæ Calna dicebatur, in Wintoniensi provinciâ. Quæ quia Kirlingtonensem conventum immediatè sequuta est, Authores fere cum illâ confundunt, & inter superioris anni gesta recensent : melius tamen in hunc annum rejicitur. Unde Spelmannus, illam ita inscribit : *Concilium Calna, Villa Regia, Wilceria, sub sancto Dunstano Archiepiscopo Cantuariæ habitum, anno quarto Sancti Edwardi Martyris : Cui præter Episcopos, & cæterum clerum : omnes aderant Anglorum Optimates. Rege tamen, propter teneram ætatem, absente. In quo, dum acriùs contenditur de ejiciendis monachis, reducendisq; presbyteris sæcularibus ; quos clericos vocant, cum uxoribus suis, & liberis ; conciliabuli decidit solarium.* Ita ille, præter antiquorum dialectum presbyteris uxores, & liberos jungens. Solarii casus, videtur non solum illis, qui Synodo adfuerunt ; sed scriptoribus etiam, silentium imposuisse ; adeo parcè de rebus ibi gestis loquuntur. Novatores tamen ; quia non pro aris, & focis ; sed pro uxoribus, pugnatum est ; avidè Synodi gesta explicant ; & accuratè inquirunt, quinam pro Clero in monachos certarint.

Spelman. fol. 494.

II. Episcopus è Scotia vocatus.

Quoniam verò, inter Anglos, non erat invenire Paphnutium aliquem ; qui pro re uxoriâ loqueretur ; è Scotiâ placuit suppetias petere, & Episcopum aliquem ; conjugati scilicet cleri, patronum. & tandem inventus vir, licet in nomine hæreatur ; tamen sine dubitatione, doctissimus : Qui, vel strenuè pro nuptiis pugnavit ; vel falsi sunt Magdeborgici, ita scribentes : *In Calne, regio vico, alia Synodus congregatur. Evocat autem Elfredus* (nimirum Elferus, Consul ille nequissimus, qui * suprà) *è Scotiâ, Episcopum, insignem doctrinâ, fide, eloquio, & authoritate præstantem ; qui conjugia Sacerdotum, ex verbo Dei ; & non hypocrisin, & tyrannidem monachorum, assereret : Hunc alii Fathodum, alii verò Ethelredum* (ut Balæus scribit) *nominant.* Adde : alii Beornelmum (ut Parkerus) alii Bertelmum (ut Harpesfeldus) vocant. In hac Scotiâ ; in his, inquam, tenebris ; Andabatæ nostri, peritè digladiantur ; monachos prosternunt, & victoriâ sine dubio potiuntur : vel audi illos de triumpho gloriantes : *His* (in Calnensi Synodo, inquiunt Magdeburgenses) *tam validis argumentis, Sacerdotum conjugium adstruitur ; ut monachi veluti divinâ luce obcæcati, non haberent, quod solidè opponere possent* (ita tenebras lucem, & lucem tenebras vocant, & pergunt) *In ejusmodi ergò angustias, cùm denuò redacti essent, libidinosi & crudeles monachi ; ad extremam anchoram, rursum confugiunt, quâ se servant. Quænam verò ea est ? audi. Dunstanus quidem ejus tragœdiæ choragus, dicebat se confectum senio, & laboribus Ecclesiæ ; ut studiis incumbere ulterius nequeat : nec velle se ejusmodi colloquiis deinceps molestari. At licet, inquit, videamini victoriam habere ; eâ tamen non gaudebitis : nec velle vestrum in eâ parte sequetur. Magicis igitur præstigiis, & diabolicâ clementiâ, Dunstanus efficit ; ut subito cœnaculum illum corruat : & nonnullis occisis, aliis verò miserabiliter læsis ; solus Dunstanus, in trabe stans incolumis maneat. Alii ferunt rasum agmen, una cum impostore, ab isto periculo immune fuisse. Sic non verbo Dei, ista controversia dirimitur ; sed diabolicâ sævitiâ, ac tandem cruentâ cæde plurimorum sanctorum virorum, recteq; sentientium, vincit Dunstanus Antistes Cantuariensium, atque dominium in sceleratâ causâ obtinet.*

Cent. 10. c. 4. * an. 976. 3.

Pro nuptiis Clericorum advocare fingitur.

III. Evertitur Fathodi patrocinium.

Fathodus, opinor, hoc casu cœnaculi, obrutus est, & sepultus ; quia nusquam ejus mentio reperitur. Undè in Calnensi primùm Synodo natum puto, & denatum : & quid, quæso, in Ecclesiastico judicio Ecclesiæ Anglicanæ, Scotus faceret ? cujus imperio vocatus, aut quâ authoritate præditus accederet ? Sed ignosce : factiosorum genius est, cum domi nequeunt, & in luce subsistere ; quærunt foris factionis socios, & Danos, Scotos, quid non ? Invocabunt potius, quàm Fidei aut veritati manus dabunt. Si quæris à Magdeburgicis : unde sumpserint narrationem suam, & Scoticæ victoriæ elogia. Respondent, è *Malmesburiensis libro secundo, Ranulpho libro sexto, Polydoro libro sexto, & Capgravio.* in quibus tamen nihil tale legitur. Malmesburiensis, unde alii sumpserunt ita loquitur de Calnensi Synodo : *Adhuc non sedatis animis, Calnæ concilium indictum : ubi cum in cœnaculo, absente propter ætatem Rege, considentibus totius Angliæ Senatoribus, magno conflictu, & controversiâ, res ageretur : & validissimum illum murum Ecclesiæ, Dunstanum dico ; multorum convitiorum jacula impeterent, nec quaterent ; suas partes, cujuscumque ordinis viris, summo studio tuentibus ; solarium totum, repentè cum axibus, & trabibus dissiluit, & concidit. Omnibus ad terram elisis, solus Dunstanus, stans super unam trabem, quæ superstes erat, evasit probè : reliqui, vel exanimati, vel perpetui languoris compede detenti. Hoc miraculum Archiepiscopo exhibuit pacem de clericis omnibus ; Angliis tunc & deinceps, in ejus sententiam concedentibus.* Hæc, nec plura de Synodo Malmesburiensis. Unde Ranulphus, Capgravius, & Polydorus, hauserunt. Nemo prorsus Fathodi triumphantis, aut Dunstani cedentis, aut Magicarum ejus artium meminit : quæ in Magdeburgensi officinâ nata, ficta, & fabricata sunt : ut alia plurima.

Cent. 10. fol. 411.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 9.

IV. Quid Polydorus?

Polydorus autem, in rerum narratione, in Clerum magis quàm in monachos propensus, de Calnensi Synodo ne verbum quidem ; de priori Wintoniæ habita, ita censuit : *Dunstanus Cantuariensis Antistes, Sacerdotum conventum habuit, ad eos*

Polyd. l. 6. fine.

Religionis rectè constituendas, melioremq; earum statum collocandum. Dum hæc geruntur, juvenes quidam honorum cupidi: qui quietâ Rep. desperabant perturbatâ, se consequi posse arbitrabantur, turbas faciunt: quas imprimis adaugebat ira eorum presbyterorum, qui à monachis, ex suis collegiis exacti, de repetundis agendum sibi constituerant. Quamobrem causa judicibus delata est; qui cùm Wintoniæ, in monachorum conclavi, de eâ re, in frequenti consessu agerent: & jam major pars decerneret, presbyteros esse restituendos, ad pristinos honores: ecce subitò vox audita est: Non benè sentiunt, qui presbyteris favent. Quasi jus magis faceret cum monachis, qui aliena rapuerint; quàm cum presbyteris, qui sua repeterent. Ita ille, iniquus causidicus, qui callidè controversiæ cardinem movens, collegia vocat; quæ rectius monasteria dicebantur: Sed vidit vir in *Rerum inventione*, satis versatus; vel ipsâ monasterii notione, jus penes monachos fuisse: nimirum ea possidendi, quæ monachorum esse & fuisse, è terminis patebat. Cæterùm, qui Dunstanum accuset, aut stragis authorem faciat: aut ea scribat, quæ Magdeburgici, in æquissimæ causæ præjudicium finxerunt; nemo est: Unde quæ fides habenda sit sæculorum calumniatoribus facilè cernitur.

V. Taceant ergò Novatores, quoties de majorum nostrorum rebus gestis quæritur: quia vel lædere debent historiæ veritatem; vel eâ candidè narratâ, in omni gestorum apice, causâ cadere. Loquantur porrò Orthodoxi: qui integrius rem narrabunt. Fatigarem hic Lectorem, si monachorum sententias in hac quæstione referrem: & diceret fortè adversarius, illis in suâ causâ minus credendum. Itaque, extra eum numerum, Nicolaus Harpesfeldus est, Archidiaconus Cantuariensis: qui ita scribit. *Recrudunt eadem deinceps lis: accersitusq; est ex Scotia, nescio quis Bertelmus; pretioq; carè redemptus; qui clericorum patronum agerer. nova itaque disceptatio apud villam, quæ Calne dicitur, initur. Dunstanus respondit, illorum causam, & rationum momentis, & Ecclesiæ authoritate, & divino jam olim confossam præjudicio; frustra in novam quæstionem vocari. Optare se, ut ingravescente jam, & præcipiti ætate, quietem colere posset: causamq; se illam, remotâ omni disceptatione, Deo credere, & committere. Vix hæc dixerat, cùm solarium corruit, Dunstaniq; adversarios, tunc illa ruina, aut obtrivit, aut graviter mutilavit. Dunstanum verò, & qui ab eo stabant, ab omni damno immunes erant. Neque monachis deinceps ullum negotium exhibitum est.* Ita ille. Et Harpesfeldo longè antiquior, Archidiaconus alter, Henricus Huntindonius; Deum in hac controversiâ judicem facit, & clericorum nequitiæ, Dunstano resistentium, vindicem. Sic enim loquitur: *Edwardi Regis sancti anno quarto, omnes Optimates Anglorum ceciderunt à quodam solio, præter Dunstanum sanctum, qui, trabe quadam apprehensâ, restitit. Unde quidam eorum valde læsi sunt; quidam verò mortui. Signum quidem Dei excelsi fuit: quòd proditione, & interfectione Regis sui, ab amore Dei casuri essent, & à diversis gentibus dignâ contritione conterendi.*

Harpesf. sæc. 10. c. 6.

Huntind. l. 5. fol. 357.

VI. CONCILIUM AMBRESBURIENSE.

Soluto in hunc modum conventu; Dunstanus in vicinum oppidum Ambresburiam, Patres evocavit. Ibique pro monachis conclusum; illos monasteriis, non nequiter viventes clericos, præesse debere: & tota mansit sententia. Nam quicquid Novatores, de uxoribus somniantes, fingunt; de alio non puto disputatum, quàm de jure ad Ecclesias, & antiqua monasteria. Quis enim controverterit illud, de quo superioribus sæculis, nulla unquam quæstio fuit, in nostro Occidente? Quis ignorare potuit, aut Britannorum, & Saxonum antiquam consuetudinem; aut Canonum in eâ re sanctitatem, tot sæculorum observantiâ ratam. Fathodus ergo, aut Ethelredus, aut Bertelmus, ille multi nominis Scotus; potuit fortè Dunstanum orare, ne Clerici è monasteriis pellerentur, & acriter id urgere: non potuit tamen ut fingitur, tam impudenter, pro eorum uxoribus advocare: & Paphnutio * *vehementius vociferari.* Quamobrem Baronius, qui accuratè Synodi gesta collegit; nihil de conjugio Clericorum; hæc tantum de summâ quæstionis, habet: *Porro, cum adhuc idem Rex* (Edoardus) *puer esset; collectum est Concilium Calaa, cum Clerici adversus sanctum Dunstanum reclamarent; ob pulsos ipsos, & subrogatos, loco ipsorum, monachos.* Pergit, è Matthæo Westmonasteriensi, cœnaculi casum narrare: & cum eo ita concludit: *Hoc miraculum contulit pacem Beato Dunstano, & monachis, ab impetu Clericorum, & aliorum, gratiâ hæc, & similia, operante divinâ.* Cum igitur authores antiqui; & Osbernus, accuratè Dunstani vitam describens; nullam de Sacerdotum uxoribus mentionem faciant, in tribus hisce Synodis: insipidè satis sectarii, Sacerdotum conjugii, quæstioni, de jure ad monasteria, miscuerunt. Perridiculè verò Magdeburgici suprà dicta omnia, ab antiquis contestata, & decreta pervertunt; cum de Wintoniensi Synodo loquentes, nequiorem Clerum vocant: *Sacerdotes in conjugio piè viventes:* monachos verò, non *uni quidem uxori alligatos, sed in plures licentiam habentes.* impiissimum autem est, quod Dunstanum vocent, *scortationis monasticæ insignem patronum.*

* v. an. 325. n. 38. 39.

Baron. an. 979. n. 2.

Cent. 10. fol. 4.

VII. NOVATORUM COMMENTUM. Cent. 1.

Quis sobriè doctus existimare poterit, quatuorviros Magdeburgicos, sobrios fuisse, cùm dicunt: *Synodus Wintoniæ indicitur. Hic Sacerdotes è verbo Dei dilucidè demonstrant, & evincunt: Conjugium non modò permissum; verum etiam mandatum esse Sacerdotibus. Proferunt etiam exempla primitivæ Ecclesiæ plurima: Dunstanus verò cum suis asseclis, omisso verbo Dei, tantum sonat Canones, seu traditiones humanas.* Anglicana Ecclesia hæc monstra orationis nunquam generavit: nunquam aliquis Wintoniæ dixit; Sacerdotes magis ad matrimonium, quàm laicos, obligari: nec primitivæ Ecclesiæ argumenta protulit; conjugium cælibatu sanctius esse. Porrò, muliercularum more, rixantur quatuorviri, cùm dicunt: monachos, non in unam uxorem, sed in plures licentiam habuisse. Hoc enim sequiori clero objectum aliquando, suprà diximus. Et veram fuisse objectionem, luculenter significat Canon ille trigesimus quintus, quem hoc tempore conditum esse, Spelmannus auguratur, recitatque illum inter alios, quos sic inscribit: *Leges presbyterorum Northumbrensium, cùm ad mores eorum corrigendos, tùm ad ipsorum ministeria promovenda.* Canon autem est ejusmodi: *Si presbyter concubinam suam dimiserit, & aliam acceperit, anathema sit.* De Canonis hujus aliorumque ibi authoritate, nihil pronuntio. puto tamen, uxorios homines hinc colligere: clero, etiam in sacris constituto, matrimonium licuisse: sed scire

REJICITUR.

CONCUBINAS ALIQUANDO CLERUS HABUIT. Spelman. 495.

deberent

deberent primò: *concubinam*, uxore viliorem esse iterum, Canonem illum Saxonicè editum, sic habere: *Si presbyter cwenan abegerit, & aliam acceperit anathema fit.* & *cwenan*, meretricem esse norunt Germani omnes, & qui nascuntur ab illis. Et quia lator hujus Canonis Oswaldus putatur, Eboracensis Episcopus, cujus nota sanctitas mihi certum est, eum Ecclesiasticorum Canonum observantissimum; Northumbriæ clerum piè reformasse fœminarum consortium illis interdixisse, & ab eorum contubernio, suspectæ pudicitiæ mulieres amovisse. Sed quoniam naturæ impetu ad consueta facilè ferimur; vigilans pastor, piè cavit, nè clerus, dimissâ meretrice, cujus interdictum ei erat consortium; superinduceret aliam, & consuetudo rediret pejor priore: ideóque gravius punitur. nec dixit in Canone *concubinam suam* ut latinè redditur, sed simpliciter *concubinam*, vel meretricem: quam perperam Sectarii, *uxoris* nomine dealbare contendunt.

Oswaldus legum conditor.

VI

Spelm. ep.

Quoniam verò Spelmannus omnes hos Canones refert libro de Synodis: & quoniam ab Oswaldo Eboracensi, sub hoc tempus, conditos arbitratur: non erit abs re, illius Ecclesiæ faciem, quæ e latis legibus colligitur, contemplari. illos ergò ita recitat.

Leges Presbyterorum Northumbrensium.

1. *Si quis presbytero alicui injuriam intulerit; omnes sui ordinis, auxiliante Episcopo, emendationem diligenter curent: & unicuique fiat justitia: prout scriptum est: Quasi cor unum, & anima una.*

2. *Et prohibemus (sicut a Deo prohibitum est) presbyterum aliquem; Ecclesiam alterius emere: sed neque alterius recipere; nisi illius fuerit, qui ob crimen aliquod capitale, indignus censeatur, ut altari deserviat. Si quis presbyter, contra hoc deliquerit; honore suo exuatur: & parium suorum amicitiâ, Missam nullam celebrato, donec id legitimo permissu faciat. Solvat etiam ei, qui injuriam intulit, viginti oras: & Episcopo duodecim oras: & presbytero, quem ejecit ex Ecclesiâ sua, duodecim oras: Comitibus suis omnibus: Et amittat præterea quicquid pecuniæ, vel rei alterius, si quid dederit, pro Ecclesiâ alterius obtinendâ. Unusquisque etiam presbyter, duodecim inveniat fidejussores, de legibus sacerdotalibus debitè observandis.*

3. *Et si presbyter quispiam deliquerit in officio: & Episcopo inhibente, Missam celebraverit, pendat eo nomine viginti oras: & deliquium nihilominus, quod patraverit, resarcito.*

4. *Si presbyter, ipsius Episcopi edictum neglexerit; viginti oris compensato.*

5. *Si presbyter, cum Laicis contribuerit, quod inter sacros ordines suos debet, viginti oris restaurato.*

6. *Si presbyter edictum Archidiaconi non exequatur; duodecim oris eluito.*

7. *Si presbyter, rem criminis, contra diaconi prohibitionem, Missam celebraverit; duodecim oras dependito.*

8. *Si presbyter officium baptizandi, aut confitendi denegaverit; luat duodecim oris, & veniam apud Deum, acrius implorato.*

9. *Si presbyter chrisma tempore debito, non quærat, adsoratq; duodecim oris hoc exolvat.*

IX. Baptizandi infantes intra 9. noctes.

10. *Infans omnis, intra novem noctes, maturè baptizetur, sub pœnâ sex orarum. Et si infans aliquis intra novem noctes, per negligentiam mortuus fuerit; componatur apud Deum, absque mulctâ seculari. Sed si exactis novem noctibus, per negligentiam mortuus fuerit; componatur utique apud Deum, & solvantur præterea illi parochiæ duodecim oræ, quòd infans tam diu fuisset ethnicus.*

11. *Si presbyter in diebus festis, vel jejuniis populo indicendis, deliquerit; apud Deum veniam petat; & duodecim oras pensato.*

12. *Si presbyter, in alienâ diœcesi ordinationem injustè obtinuerit, duodecim oris mulctetur; Diaconus sex: & exuatur ordine, nisi diœcesanus Episcopus ordinationi pepercerit.*

13. *Si presbyter in ædibus non consecratis, Missam celebraverit, duodecim oris luito.*

14. *Si presbyter super altari non consecrato, Missam celebraverit, duodecim oras dependito.*

15. *Si presbyter in ligneo calice corpus Dominicum consecraverit; duodecim oris emendato.*

16. *Si presbyter, absque vino, Missam celebraverit; duodecim oris abluito.*

17. *Si presbyter corpus Christi negligenter curaverit, duodecim oras solvat.*

18. *Si presbyter sæpius quàm ter, in die uno, Missam celebraverit: duodecim oris mulctator.*

19. *Si quis pacem Ecclesiæ violaverit; componat secundum Ecclesiæ disciplinam: & secundum quod ejusdem sit immunitas.*

20. *Si quis apud Ecclesiam mercaturam exerceat; legis violatæ pœna esto.*

21 *Si quis Ecclesiam suis necessariis deservire fecerit; ut de lege violatâ hoc componat.*

22. *Si quis presbyterum ex Ecclesiâ suâ injustè ejecerit; Laghslit: hoc est, legis violatæ pœnam subeat*

23. *Si quis presbyterum vulneraverit; vulnerationis curam pensato: & propter sacrum ejus ordinem, in compensationem altaris, etiam duodecim oras numerato. Sin autem in diaconum hoc sit perpetratum; sex oras, in altaris (violati) pretium exhibeto.*

24. *Si quis presbyterum interfecerit; plenam capitis æstimationem, (quod Weram dicunt) pendito: Episcopo etiam in compensationem sceleris, in altare edito, viginti quatuor oras. Sin autem in diaconum hoc sit perpetratum; duodecim oras numerato, ob altaris (violati) compensationem.* X

25. *Si presbyter quid commiserit in dedecus Ecclesiæ; honorem omnem, quem ex eâ consequutus est, amittat integre.*

26. *Si presbyter rem aliquam indecentem in Ecclesiâ posuerit: hoc emendato.*

27. *Si presbyter quidpiam Ecclesiæ alienaverit; illud compensato.*

28. *Si presbyter, suâ sponte Ecclesiam deseruerit, in quam ordinatus fuit: id idem emendato.*

29. *Si presbyter alium contempserit; vel in eum verbis, aut factis, peccaverit; id etiam compensato.*

30. *Si presbyter cum alio pugnaverit: emendet hoc, cum apud ipsum, tùm apud Episcopum.*

31. *Si presbyter alicui in injustâ causâ sit auxilio; hoc emendato.*

32. *Si presbyter alicui justum auxilium denegaverit; id compensato.*

33. *Si presbyter alterum non admoneat, de eo, quod novit ipsi detrimento fore; illud compensato.* Presbyter barbam radere tenetur.

34. *Si presbyter barbam, vel comam radere neglexerit, compensato.*

35. *Si presbyter * concubinam suam dimiserit; & aliam acceperit: Anathema fit.* * cwenam

36. Si

36. *Si presbyter ad tempora constituta, vices non pulset, vel horas non cantet: hoc compensato.*

37. *Si presbyter cum armis Ecclesiam intraverit: hoc compensato.*

XI.

38. *Si presbyter malè absolverit anniversarium Ecclesiæ ministerium interdiu, vel noctu, illud compensato.*

ET TONSURAM NON OBVELARE.

39. *Si presbyter ordalium malè disposuerit; compensato.*

40. *Si presbyter tonsuram suam obvelet: emendato.*

41. *Si presbyter ebriosus, aut scurrilis, aut * histrio fuerit: compensato.*

* v. Canonē 58. sub Edgaro ad an. 967. n. 17.

42. *Si presbyter, inter vicinos, in parochiâ suâ, aliquid occultaverit, ad injustum regimen exercendum; hoc emendato.*

43. *Si presbyter anniversarios ritus, per oblivionem prætermiserit, emendet.*

44. *Si presbyter Synodum declinaverit: hoc compensato.*

45. *Si presbyter se justitia non submiserit; sed decreto Episcopi repugnaverit: vel id corrigat, vel a communione separetur ordinatorum; & exuatur tam e societate suâ, quàm honore quolibet; nisi se submiserit, & luculentius satisfecerit.*

46. *Si quis legem divinam, vel humanam calumniatus fuerit; acriter corrigatur.*

XII. PRESBYTERI NON FUERUNT CONIUGATI.

Hæc decreta, pro cleri reformatione; satis significant, quid imprimis in eo ordine, ad clericalis vitæ institutum perfectionémque & deesse, & pro tempore necessarium censebatur. Et quia nulla uxorum mentio; sed solùm concubinarii gravissimè puniuntur: clarè constat, hallucinari eos omnes; qui eodem tempore Fathodum è Scotiâ vocaverunt, in pessimæ causæ patrocinium. Si enim in Northumbriæ regno, Scotiæ vicino (ibi latos esse Canones, & præ se fert titulus, & Canon 49. mox ponendus, suadent) mulieroso sacerdoti anathema dicitur: cultior Angliæ pars; & cur non castior? cum Græcia, & super Græciam lascivire non potuit. Ex his etiam Sacerdotum legibus. Northumbrorum fides, & Ecclesiarum ritus optimè colliguntur: Missarum frequens mentio, altaris consecrati, Chrismatis sacti, Corporis Dominici, argumentum est Northumbriæ clerum, à Sectariorum clero (ubi horum nihil) differentem fuisse. Unde mirari fortè quis poterit: cur nuper Sectarii, fœdus, societatémque pepigerint, cum decimi hujus sæculi clero, in monasticæ vitæ opprobrium: eósque, *piè in conjugio viventes*, appellent. nisi familiare factiosis omnibus cacoethes esset, Reip. excrementa corradere, illisque magistratum, cujus ferulam timent, impetere. Uno impudicitiæ crimine laborasse aliquando videntur clerici, in Northumbriæ regno: & graviter cavetur, nè morbus recrudescat; & ingens pœna in eundem recidivis imponitur. Hanc maculam Sectarii colligunt; fucum inde faciunt; & demum, pro libito, novas merces obtrudunt. Si sacerdos concubinam habuit, uxor vocanda est: & super eam, Babel erigitur; unde, in Romanam, & orthodoxam Ecclesiam; in monachos, Sanctósque omnes, & omnia sæcula pugnant: sed admodum imperitè. Capiuntur enim eodem argumento, quo monachos invectant. Si concubinarii Sacerdotes piè in conjugio vivebant: illi ipsi Missas celebrabant, Dominicum corpus conficiebant ad altare consecratum, Chrismate utebantur: quæ omnia impietatem vocant, cacozeliam, & denique superstitionem. quomodo ergò Sacerdotes ita facientes, piè in conjugio vivere dicendi? Videamus alia, quæ in dictis legibus sequuntur. nam valdè placet, quod de *Unâ fide* tenendâ præscribitur.

XIII. UNA FIDES CHRISTIANA.

47. *Debemus omnes Deum unum venerari, & diligere: unam etiam fidem Christianam tenere mordicus, omnemq; paganismum unanimiter abjicere. Si quis igitur posthac aliquem cognoverit, qui superstitiones aliquas exhibeat; sive per sortilegium, sive per terrem: vel qui veneficiis delectatur, aut idola colit si Thanus sit Regis, decem semimarcis plectitor. una scilicet medietate Christo; altera vero ipsi Regi. Si sit alius possessor prædiorum, qui fuerit: sex hic semimarcas dependito: medietatem scilicet unam Christo, alteram fundi illius Domino. Si inferior quispiam qui Ferbena dicitur, duodecim oras solvat. Si Thanus Regis hoc in lite negaverit; nominentur ei duodecim (compurgatores) & accipiat a consanguineis suis duodecim. Duodecim etiam alienigenas: & si id fecerit, labslitam pendito decem semimarcas. Si possessor prædiorum hoc negaverit; accipiantur ei tot parium suorum, quot Thano Regis indicebantur: & si is defecerit, labslitam pendito, sex semimarcas. Si Cyrliscus (id est rusticus vel paganus) hoc in lite negaverit, accipiantur ei parium suorum, quotquot prædictis aliis est indictum: & si is defecerit, labslitam pendito. duodecim oras.*

48. *Si superstitiosus ille conventus, qui Fridgear dicitur, habitus fuerit in terrâ alicujus, circa lapidem, arborem, fontem, vel nugas alias istiusmodi: pendat, qui hoc fecerit, legis violatæ mulctam, dimidium Christo, dimidium terræ Domino. Et si terræ Dominus noluerit auxilium præbere, ad hoc corrigendum; habeant Christus, & Rex emendationem.*

49. *Mercaturam in die Solis exercere, & curias alicubi celebrare prohibemus: opus etiam quodlibet, & omnimodam vectionem, sive in plaustris, sive in equis, sive in aliis oneribus ferendis. Qui contra hoc deliquerit; liber, mulctam solvat duodecim oras: servus corium perdat, id est, vapulet: nisi sit viator necessitate compulsus; vel propter cibi inopiam, aut ex causâ evitandi inimicos. In vigiliis festorum itinerari ex necessitate licet, inter Eboracum, & sex inde mille passus mensuratos.*

N[illegible] A DIE PROHIBENTUR. QUÆ IN VI[illegible]IS FESTORUM.

50. *Qui festa, aut debita jejunia violaverit; duodecim oris luat.*

51. *Volumus etiam, ut omnis denarius Romanus integrè solvatus, ad Cathedram Episcopalem, ante missam sancti Petri annuatim. Et præterea volumus, in quolibet Wapentachio, duo fideles Thani, & presbyter missalis unus, eligantur ad hunc colligendum: qui acceptum protinus tradant, interposito, si necesse est, juramento. Si vel Thanus Regis; vel quis alius fundi Dominus, hunc detinuerit; mulctam inferat, decem semimarcas: dimidium Christo: & dimidium Regi. Si villaticus aliquis hunc denarium, aut celaverit, aut detinuerit: eum solvat dominus ejus prædiatis, & in compensationem, bovem capiat villatici. Quod si dominus detrectaverit; accipiant Christus, & Rex duodecim oras, in pleniorem emendationem. Si decimas, qui Thanus est Regis, detinuerit; decem pendito semimarcas: possessor prædiorum sex: & Cyrliscus, seu paganus duodecim oras.*

DENARIUS S. PETRI [illegible] SOLVENDUS.

XVI. CLANDESTINA MATRIMONIA PROHIBENTUR.

52. *Prohibemus etiam (ut à Deo est prohibitum) ut nemo habeat, nisi uxorem unicam; & hanc utique debitè conjugatam: & in conspectu (publico) dictam antea: & ut nemo matrimonium contrahat in cognatione suâ, scilicet infra gradum, seu geniculum quartum,*

nec

nec cum conspansali suo ad fontem sacrum. Si quis contrarium fecerit, careat Dei misericordiâ, nisi resipiscat, & secundùm arbitrium Episcopi compensaverit. Sin ulterius in nequitiâ progrediens, moriatur; honestâ careat sepulturâ, & à Dei misericordiâ alienus esto.

53. Si quis cum moniali concubuerit; uterque pendat Weram suam, id est, capitis æstimationem: ipse scilicet, atque illa: & si in hoc moriantur, absque pœnitentiâ; honestâ careant sepulturâ, & à Dei misericordiâ alieni sunto.

54. Si quis uxorem suam, legitimo matrimonio viventem dimiserit, & aliam illegitimè duxerit; careat Dei misericordiâ, nisi emendaverit. Vnusquisque autem justè teneat matrimonium suum, dum uxor vixerit: nisi fortè acciderit, quod consilio Episcopi separentur; ut divisim postea vivant in castitate.

55. Si quis imposterum leges justas violaverit; assiduè componat,

FIDES UNICA. *56. Debemus omnes Deum unum venerari, & diligere, Fidem unicam Christianam tenere mordicus, omnemq; paganismum penitus abjicere. Et volumus, ut Land ceap, & Lah ceap, & responsa prudentium, & verum testimonium, & justum judicium, & Fulloc. & Frum taln, firma permaneant: poculenta etiam & esculenta, Dominoq; fundi debita rectitudines persolvantur: & una semper sit in popolo Christianitas, & regnum unum. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & usque in sæculum.*

XVII. Spelman. fol. 502. Hactenus Northumbriæ leges Ecclesiasticæ, quas Saxonicè & Latinè Spelmannus edidit, hanc notam adjiciens: *Reperitur*, inquit, *istarum Constitutionum exemplar Saxonicum Cantabrigiæ, in Bibliotheca Collegii corporis Christi (vulgo S. Benedicti nuncupati) nulli inscriptarum Synodo, vel authori; nullo loco, vel tempori. E titulo tamen, & 49. earum Canone pertinere cognoscuntur ad provinciam Eboracensem. Et cum in Manuscripto Codice, legibus subjunguntur Eadgari Regis (tanquam ea habita tempestate) nos exemplaris rationem insequentes, eidem, & hic loco designavimus. Oswaldo fortè tribuendas, qui post Eadgari Regis mortem, Archiepiscopatus illius cathedram viginti annos tenuit: & pro severitate, qua in Romanis efferbuit Canonibus observandis, istas noviter censeatur induxisse; vel languescentes denuo suscitasse. Sic jam Britannia pars incultior, arctioribus Ecclesiæ legibus jam coërceretur.* Hæc ille, & omnia accipio: atque inde infero, nihil in Wintoniensi, nihil in Calnensi Synodo, nihil in parte Britanniæ cultioris, de Sacerdotum uxoribus controversum; nedum *acriter*, ut Novatores volunt, pugnatum. nam demus hic impunitum fuisse presbyterum concubinarium, quod factiosus aliquis è Canone 35. volet fortè, aut conabitur saltem, evincere: vel inde constantissimè sequitur, conjugari minimè potuisse: & tamen Spelmannus, Parkerus, & alii passim, cum de hujus sæculi Synodis, agunt: nihil familiarius ingerunt, quàm de conjugatis sacerdotibus mentionem. quod nec primitivæ Ecclesiæ sanctitatem; nec Britannorum, aut Anglo-Saxonum mores, nec hujus sæculi phrasin, aut dialectum, sapit; sed nupera tantùm Lutheri aut Calvini dogmata; nimium, heu nimium, post carnem alteram abeuntia. Cæterùm unde nata sit, hoc loco, uxorum mentio: & corruptatum, Sacerdotes ea voce conjugatos fuisse, dicam inferius, ad annum 1008. num. 8.

XVIII. CUMBRORUM REX MALCOLMUS EDOARDO FIDELITATEM SOLVIT. Gaudebat interea Edoardus Rex, omni, quâ pater, regni amplitudine: & Reges, quos ille, habebat, eodem modo, subjectos. Hinc factum, ut mortuo, sub hæc tempora, Cumbrorum Rege Malcolmo; qui nuper Edgaro Regi fidem, obsequiumque voverat; Legatos in provinciam Edoardus miserit, jusseritque, communi suffragio principem eligi; qui in Cumbrorum regni coronam, & Anglorum Regis patrocinium succederet. Effectum hac legatione est, ut Kinadii Scotorum Regis filius, Provinciæ princeps crearetur; Malcolmus is quoque dicebatur. qui factus Rex è Cumbria in Occidentem venit: & Edoardum Regem, more majorum, fide præstitâ, veneratus est. Ita Scoticarum rerum Authores tradunt.

XIX. MORITUR ALFWOLD' SCHIRBURNENS. SUCCEDIT ETHELRICUS. Vacat hoc anno Schirburnensis Ecclesia, per mortem Alfwoldi Episcopi. de quo hæc tantum Godwinus: *Obiit Alfwoldus anno nongentesimo septuagesimo octavo, & Sherburnæ sepultus est.* In ejus locum successit Ethelricus, cujus nudum nomen ad posteros transiit.

ANNUS CHRISTI 979.

BENEDICTI VII. PAPÆ 5.

EDOARDI ANGLORUM REG. 5.

I. ELFRIDÆ CALAMITATIS INITIUM PRÆBET REGICIDIO. SEQUITUR Christi annus nongentesimus septuagesimus nonus; quo novercali odio turbatæ Anglorum res, calamitati maximæ principium dederunt; cum Alfrida, Edgari relicta, impotentis animi fœmina, Insulæ pacem, & bonorum omnium gaudia, pessimo facinore dehonestat: juvenem Regem, innocentiâ vitæ, & morum sanctitate conspicuum; coronâ vitâque exuendo, ut fatum suum induat. Quod ad Regicidii tempus spectat: scio Wigorniensem, Hovedenum, Florilegum, & eos sequutum Baronium, Edoardi Regis Martyrium, in annum superiorem referre. Scio etiam non deesse, qui scripserit eum innocenter occisum, anno Domini nongentesimo primo, sic author vitæ apud Surium, Lippoloum, & alios. Sed certior est eorum sententia, qui ad exordium hujus anni nongentesimi septuagesimi noni, mortuum scribunt. Qui enim tribus annis & dimidio regnavit, ut Malmesburiensis, aliique sine controversiâ scripserunt. Quique parenti mortuo, sub annum Domini nongentesimum septuagesimum quintum successit: ut constans est assertio scriptorum omnium; nec ante hunc annum, nec post, mori potuit. Benè igitur Huntindonius scripsit: *Edoardus sanctus, cum quinque annis regnasset, occisus est proditione gentis suæ perfidæ die advesperascente apud Corvesgate.* Nos etiam hunc quintum ejus annum vocamus, licet illum tantummodo inchoaverit; sed pressiùs loquendo, ab octavo Idus Julii, anni millesimi septuagesimi quinti, usque ad hujus anni quintum decimum Kalendas Aprilis, quo omnia Martyrologia martyrium ejus recitant, tres tantum annos, & menses octo numerans. Hæc de tempore, nunc ut innocens victima piè ceciderit, videamus. Huntind. l. 5. fol. 157.

II. MACHINATUR EDOARDI MORTEM. *Haraus 16. Martii.*

Cum Author vitæ, apud Surium, Edordi virtutes numerasset, hæc addit de martyrio ejus: *Magna tunc apud Anglos lætitia, inconcussa pax, & tranquillitas, multa rerum opulentia existebat. Videbant enim Regem suum, in tenerâ adhuc ætate, talibus studiis deditum: tum quoque cunctis affabilem, castitate venerabilem, facie jucundum, & decorum, consilio & prudentiâ spectatissimum. Torquebatur interim invidiâ coluber tortuosus, totius boni æmulus, ejusq́; felices conatus, & communia regni totius gaudia, interturbare modis omnibus annitebatur. Itaque odio inflammat animum noverca ejus Elfrida, quæ ægrè ferebat Eduardum, suo filio Ethelredo antelatum. Convertitur autem ad callida consilia mulier detestabilis: & tandem, quod animo secum diu tractarat; quibusdam suis consiliariis, & regni primoribus exponit; qui & in Eduardi necem pariter conspirant.*

III. *Iam tres annos, & menses octo, Eduardus regno potitus erat; & cum in silvam, cui villa Werham adjacet, venationis causâ proficisceus: inde digressus solus ad domum novercæ in locum, quem incolæ Corph vocant, venit. Occurrit illa obvia mox cum satellitibus; tanquam ejus adventu sibi gratulans, illi procedit: blande & comiter salutat, invitat ad hospitium. Quid multa? illo recusante ingredi, tantùmque fratrem se Ethelredum videre, & alloqui velle affirmante: Regina ad alia se transfert machinamenta. Iubet absque morâ, potum Regi adferri. Adfertur potus. Rex nihil mali suspicans, admovet ori poculum: & ecce unus ex Reginæ administris, cæteris ad audendum promptior; cum prius teterrimâ simulatione Regem osculatus esset; quemadmodum Iudas Christum. Rege summis labris potum degustante, in illum cruentissimus latro insilit, cultróque ejus viscera transfixit.*

EDOARDUS REX OCCIDITUR. *Quo ille, tam atroci accepto vulnere, paululum inde deflexit: sed mox ex equo, quo sedebat, exanimis corruit.* Quod sequitur in authore: *Incidit tam barbarum facinus in annum Christi nongentesimum octogesimum primum: &, quod dictu quoque nefas est, in sacrum Quadragesimæ tempus; nempe diem decimum quintum Kalend. Aprilis.* Parochronismus est, in anno Christi: quem antiquorum fortè aliquis scripsit oongentesimum undeoctogesimum fuisse: & male intellectum reddidit alter unum & octogesimum. Cæterùm tres annos & menses octo numerant, à morte Edgari parentis: occurrit facilè Regiæ necis annum fuisse Christi nongentesimum septuagesimum nonum, ut suprà demonstratum.

IV. CORPUS ABSCONDITUR. Mortui Regis corpus, mox amotum, ad tenebras condemnatur; ne fœdum crimen aures lucemque fœdaret: sed noluit Deus impietatem illam, aut occultam, aut impunitam esse: Regis quoque innocentiam, & vitam sanctè obitam, mirabiliter propalavit: quod Author qui supra *apud Haraũ suprà.* ita exponit: *Ubi verò cognovit Regina eum de equo cecidisse mortuum; jubet corpus exanime projici in vicinum domicilium. In illâ autem domunculâ, mulier erat, à primo ortu cæca, quam Regina alebat:* SED LUCE DETEGITUR ET MIRACULO. *quæ cum proximâ nocte illic sola pernoctavit; ipsa intempesta nocte, immensa lux domicilium illud complevit: & cæca illa Dominum deprecans, meritis sancti Regis, lumen diu desideratum obtinuit. In cujus rei memoriam, eodem in loco, postea templum ædificatum est. Illucescente die, cum rem gestam ex fœminâ didicisset crudelis Regina multum animo timere cœpit, cædem, cujus ipsa author fuerat propalatam iri. Mox igitur præcipit tolli sacrum corpus, & in paludes deprimi, ne posset ab ullo unquam reperiri. Sed volens præpotens Deus martyrem suum mundo innotescere; corpus ejus venerabile, quibusdam fidelibus, devotè illud inquirentibus, revelare dignatus est; in loco, ubi in paludem depressum erat, columnâ igneâ sæpius demissâ.* SEPELITUR AD WERHAM OPPIDUM. *Unde & pii viri in vicinâ villâ, in unum collecti; sacrum corpus in suam villam transtulerunt, ad templum Beatissimæ Mariæ: ubi lignea ædicula, a viris religiosis ædificata hodiéque cernitur: & fons, in eo loco, ubi prius jacuerat; dulces, & perspicuas inde, ab eo tempore, emanat aquas; diciturq́; fons sancti Eduardi: ubi sanè multa ægris quotidiè præstantur beneficia.*

V. CONFIRMANTUR SUPRA DICTA. *Malmesb. de Reg. l. 2. c. 9.* Meminit horum miraculorum Guilielmus Malmesburiensis, & villam nominat, ubi sanctus Rex inglorius jacuit: *Tunc quidem*, inquit ille, *sine honore apud Werham sepeliti ferunt; invidentes scilicet mortuo cespitem Ecclesiasticum; cui vivo inviderunt decus Regium. Affectabant igitur publicam, & festivam lætitiam; quod cum corpore pariter infodisset memoriam. Sed affuit divina serenitatis assensio; quæ innocenter cæsum, miraculorum sublimaret gloria. Adeo cœlestia judicia humanis præponderant. Ibi ostensa de cœlo lumina: ibi claudus gressum composuit; ibi mutus organum resumpsit: ibi prorsus omnis invaletudo sanitati locum fecit.* *Malmesb. de Reg. l. 2. fol.* Jacuit ad Werham oppidum in Ecclesiâ Beatissimæ Virginis Edwardi corpus, ad triennium ut habet Malmesburiensis. Et tum demum crebescentibus miraculis, & juvenis sanctitatem vocaliter loquentibus; alio translatum: & inter mirabilia postremum non fuit Elfridæ novercæ pectus emollitum, pœnitentis animi dantis plurima argumenta. TRANSFERTUR SEPTONIAM. Tunc præsertim, cum sacræ Regis exuviæ Septoniam solemni cærimoniâ veherentur: quò amici Regis, & inimici, honoris causâ confluxerant. In quâ evectione, cum consumptâ, ut opinio erat, carne, solum ossa colligere animus esset; inventum est corpus, ab omni labe, tabéque intactum, quod ita refertur apud Capgravium. *Capgrav. in Edward. Martyr.* *Propalatis demum undique miraculis: Editha virgo sancta, Martyris soror, cum matre suâ Wulftrude, & Episcopis, ac multis aliis; corpus de terra extractum, ita ab omni corruptione invenit illæsum, ac si eodem die fuisset sepultum: & assumentes illud cum maximo honore, in monasterium Virginum Septoniæ transtulerunt.*

VI. *apud Haraũ 18. Martii.* Addunt alii funeris pompam, & comites, paulò fusiùs. Sic Author apud Surium: *Sacer ille thesaurus*, inquit, *Werhamæ reconditus est; quousque jam fama divulgante, Episcopi, & Abbates, cum viris aliisq́; fœminisq́; venerabilibus; inter quos, & ipsa sancti Eduardi soror sanctimonialis, & Comes Alferius, è Dorseta; illum cum ingenti gratulatione, ad celeberrimum cœnobium, Septoniam deferunt. quod olim*, diva memoria Elfredus Rex, sancti Eduardi atavus condiderat* *an. 880. (dixisset rectiùs sancti Edoardi abavus: nam Edgarus ejus pater, avus Edmundus, Edwardus senior proavus, Alfredus demum abavus fuit) *ubi deinceps multa sunt ægris divinitus collata beneficia; sicut è contra; non cessavit quoque divina ultio in Reginam, ejus cædis authorem: nimirum dum eò tenderet, progredi nequaquam potuit.* Hæc ibi. ELFRIDA MIRABILITER IMPEDITUR. Verùm quod ad novercam attinet, conantem quidem suâ præsentiâ privigni funus honestare; sed mirabiliter impeditam, ideò est latiùs exponendum, quia conversioni ejus pœnitentiæque principium fuit; quod ita a Malmesburiensi describitur. *Sparsus runter per totam Angliam, Martyris*

meri ta

merita prædicabat. Quo extita interfectrix & iter illuc adoriebatur: jamq; equum ascensum st. mulis urgebat, cùm manifestam Dei iram sensit. Animal namq; familiare, quo sedere consueverat antea, ventis pernicius, quod antes ipsas præcurreret; tunc nutu Dei stabat immobile; instabant ministri, hinc flagris, illinc clamoribus, ut potentem heram, quâ solebat alacritate, eveheret. Cassus labor consumitur, mutato quoque jumento, casus idem sequitur. Intellexit licet tardè brutum pectus; quò portentum illud respiceret: quapropter quod per se non meruit, per alium fieri consensit.

VII. [illegible] PÆNITENS. Intelligit Author Merciorum Comitem, quem suprà monachorum hostem, & ab Elfridæ Reginæ consiliis, dixi. Hunc ille Septoniam ire, & funus, suo nomine curare voluit: quod ipsi quoque saluti fuit: nam sancti Martyris merito, pœnitens factus, & à Deo in hac vitâ punitus, sperare potuit vitam æternam. De ejus legatione, & Reginæ pœnitentiâ, sic scribit Malmesburiensis: *Elferius ille, quem supra culpavi, eò quòd monasteria destruxisset; temeritatis pœnitens, multoq; gemitu animi angens, sacro scilicet corpori, de ignobili loco levato, justas & egregias inferias, apud Sceptoniam solvit: non tamen effugit; sed post annum, vermibus, quos pediculos dicimus, consumptus est. Et quoniam animus indisciplinatus, ipse sibi tormentum est; pa-citurq; suos etiam hic meus anxia manes. Elfrida, de illo regali supercilio inclinata, dirè pœnituit: adeò, ut multis annis apud Werewellam, carnem in delitiis nutritam, cilicio convolveret, noctibus solo strata, sine cervicali, somnum hauriret: cruces præterea quascumque posset, corpori commiscens: speciosa mulier, & pulchre viro fobria; sed quod tantum nefas commisit, pœna digna. Creditumq; & celebriter vulgatum, quod propter ejus in Edwardum insolentiam, multo post tempore, tota patria servitutem infremuisset barbarorum.* Hæc ille addit quoque Regina, ad redimendum peccatum, alia opera pietatis: monasteriorum, inquam, erectiones; ubi plures suis opibus alui; qui iratum Deum quotidianis precibus propitiarent.

Malmesb. de reg. l. 2. c. 9

[illegible]RIDA [illegible]UM CONVERSA

VIII. MONASTERIUM AMBRESBURIÆ FUNDAT. Duo sub hæc tempora fundata sanctimonialium monasteria, Authores passim testantur. unum Ambresburiæ, in agro Wiltoniensi, quod ab Alfrithâ Edgari conjuge, sub annum Domini nongentesimum septuagesimum nonum, positum habet Catalogus ædium destructarum apud Spedum. aliud Whorwellæ, in Hamptoniensi provinciâ: *ubi Ælfritha Regina monasterium construxit.* (sunt verba Camdeni) *ut expiaret gravissimum illud scelus; quo, tollendo Edwardum privignum, nefariè se astrinxit: & etiam cædem mariti sui prioris Athelwoldi Comitis nobilissimi eluneret; quem Edgarus Rex, huc venandi gratiâ avocatum transfixit, quod sibi in amatoriis consiliis illusisset: & hanc ipsam Ælfritham, formâ ante omnes, eo sæculo, venustissimâ, malis artibus sibi præripuisset.* De utroque monasterio hæc breviter habet Malmesberiensis: *De Ambresburiensi*, inquit, *nihil aliud, ad nostram notitiam attigit; nisi quod ab Helfrida sancti Edwardi interfectrice, & illud, & Warewallens. facta sunt, causa pœnitentiæ.* Nec solùm Alfrida pœnitens cœnobia condidit; sed unum eorum ingressa, & omni vita pœnitentiam egisse, dicitur. De quo ita Polydorus: *Pœnituit interea Alfredam commissorum: quæ & jejunio, & verberibus corpus suum afficiens; omne patrimonium, aut indigentibus hominibus partiendo, aut*

Camden. in Hampshire. ITEM WHORWELLÆ.

Malmesb. de Pont. l. [illegible] 2. fine

Polyder. l. 6. fine.

sacras ædes ædificando, reconcinnandóve effudit. Quam ferunt duo condidisse monacharum cœnobia, unum Amisberia in pago Sarisberiensis diœcesis, ordinis Cluniacensis: & alterum ordinis Divi Benedicti, ad VVheruellum vicum, VVintoniensis diœcesis; & in hoc illam vitam egisse. Hæc satis de Elfero, & Alfridâ, monachorum aliquando hostibus. nunc ad Deum vivum & verum, monachósque conversis. ad Edoardum sanctum redeo.

IX. EDOARDUS MARTYR LUGETUR. Extinctum Regem fleverunt boni omnes; & jure timuerunt, quod post evenit; nè Deus Insulæ iratus, hostem revocaret, qui Ecclesiam, pulcherrimè adolescentem, denuò fœdaret. Flevit Ethelredus puer, & occisum fratrem gravissimè conquestus est, licèt ejus unius causâ, Alfrida peccavisset. *Vidi scriptum*, inquit Malmesberiensis, *quod cum decennis puer fratrem necatum, conclamatum audiret; fletu suo furentem genitricem adeò irritavit, ut quia flagellum ad manum non habebat, arreptis candelis innocentem cæderet; nec prius desisteret, quàm pœnè exanimem, & ipsa lacrymis infunderet. Quapropter totâ vitâ, ita candelas exhorruit imposterum, ut nunquam ante se pateretur inferri lumen earum.* Fuit fletus ille calamitatis prænuntius; quam omnis Insula brevi sentiet. & hoc anno Dunstanus, cùm eundem Ethelredum coronaturus est, insigni vaticinio prædicit. Interim Edoardus, multo miraculorum argumento, & omnium provinciarum suffragio, sanctus jure asseritur, cultúsque Sanctis congruus, eidem edicitur. Testatur id Polydorus, cùm ait: *Multa deinde miracula extiterunt: quamobrem Edoardus, non immerito inter Divos relatus.* Benè igitur in Romano Martyrologio ad decimum octavum Martii legitur in hunc modum: *In Britanniâ, sancti Eduardi Regis; qui dolis novercæ necatus, multis miraculis claruit.* Ad quem locum notat Baronius, *extare Epistolam Innocentii Papæ quarti in Vaticanâ bibliothecâ, in registro ipsius anno secundo, paginâ 527. de celebratione diei festi sancti Eduardi Regis.* Sed quia idem observavit, ad diem quintum Januarii. ubi Edoardi Regis Confessoris mentio est; dubium mihi oritur, de utrovis, an de utroque dicatur. Quicquid sit; Anglia certè Regem suum impensè colit. unde ter quotannis, piam Principis memoriam recitat. semel eo die quo martyrium est passus, decimo octavo Martii: iterum cum solenni ritu corpus ejus Septoniensi monasterio infertur, decimo octavo Februarii, post triennium à passione ejus. Denique vigesimo Junii; cùm sacræ corporis reliquiæ è Septoniensi Ecclesiâ ad Glastoniensem translatæ sunt, anno Christi millesimo primo, de quo ibi. Cæterùm Edoardus ideò Martyr appellatur, quia violentâ morte cæsus, miraculorum famâ sanctus celebratur. Et quia plures fuerunt, eo nomine, etiam ante Normannorum adventum: optimè ab Authoribus distincti sunt, ita; ut prior, Edoardi hujus proavus, Edoardus senior; hic autem pronepos, Edoardus Martyr, denique Ethelredi nunc regnaturi è filio nepos, ad omnium sæculorum invidiam sanctissimus; Edoardus cognomento Confessor diceretur. de quo infra, cùm Regiæ Anglorum Fidei coronidem impono.

Polyd. l. 6. fine.

Marty. Rom. 18. Martii.

Baro. in Notis, 18. Mart.

ETHELREDUS ANGLORUM REX.

X. ETHELREDUS REGNAT.

Sublato è vivis Edoardo Rege, succedit Ethelredus frater; ob vitæ desidiam, & degeneres à majorum virtute mores; cognomento *ignarus*: solâ corporis elegantiâ laudabilis. De illo hæc habet compendio Malmesburiensis: *Anno Dominica Incarnationis nongentesimo septuagesimo nono, Ethelredus filius Edgari, & Elfreda, regnum adeptus; obsedit potius, quam rexit annis triginta septem. Ejus vita cursus, sævus in principio, miser in medio, turpis in exitu asseritur. Ita parricidio, cui conniventiam adhibuerat, immanis; ita fugâ & mollitie infamis, ita morte miserabilis fuit. Ignaviam ejus prædixerat Dunstanus, fœdo exemplo admonitus: nam cum pusiolus in fonte baptismi mergeretur, circumstantibus Episcopis, alvi profluvio, Sacramenta interpolavit. Quare ille turbatus: Per Deum, inquit, & matrem ejus, ignarus homo erit.* Hæc ille. Sunt qui ex hoc alvi profluvio, Ethelredum cum Constantino illo componant, qui à simili casu dictus est Copronymus; & labentis Anglorum regni portentum fuisse opinentur. Ita Seldenus: *Alfleda in Regium solium evexit filium suum Ethelredum; cujus ab ipsâ luce primâ, nutantis jam ac dilabentis imperii omnia* (lego omina) *totus vitæ cursus ostendit. Cum enim infans primum, sacro admotus esset fonti, alimoniæ excremento baptisterium* (*unde Constantinum etiam pessimum Imperatorem Copronymum dictum fuisse scribunt*) *fœdè inquinavit. Exclamavit exinde subito Dunstanus: Per sanctam MARIAM, puer ignavus homo erit.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 10. princ.

EIUS EXORDIA, ET BAPTISMUS.

Selde Anal. l. 2. c. 6.

DUNSTANI VATICINIUM.

XI. CŌSTANTINUS COPRONYMUS, ET ETHELREDUS NON EODEM MODO BAPTISMUM FÆDAT.

Est, fateor, in utriusque Principis baptismo, portentum aliquod, & degeneris animi signum: sed valdè differenter. Nam Leonis Isaurici filius, pessimè in Christianam fidem peccavit, interque hæreticos, & paradoxos meritò censetur; quia sacrarum imaginum cultum, ex Ecclesiâ tollere conatus est; ideo jure optimo, pessimus Imperator habitus. Ethelredus in Fidem nunquam peccavit, nec eo crimine maculavit Insulam. Sed tantum à majorum fortitudine, & bellicâ virtute degenerans; mores ignaviâ fœdavit, & coronam Regiam. Iterum Constantinus uno modo Baptisterium fœdavit; alio Ethelredus, nec ita fœtidè. nam de illo, ita scribit Theophanes: *Cum Germanus summus Sacerdos, Constantinum nequitia ipsorum* (Leonem, & alteram ejus parentem intelligit) *& imperii successorem baptizaret; dirum quiddam, & fœdum, parvulus Constantinus, eodem præsignans, exhibuit argumentum; stercus emittens in sanctum lavacrum; ut aiunt, qui diligenter hujus rei facti sunt inspectores: ita ut Germanus sanctissimus prophetice diceret: Constat, Christianis, & Ecclesiæ, maximi mali, per eum efficiendi hoc signum esse futurum. Hinc Zonaras*, aliique Authores, *ob stercus tunc egestum*, inquit Baronius, *in sanctum lavacrum, Constantinum cognomento Copronymum esse dicunt.* Ethelredus non ita fœtuit; nec ita durè, quod Fidem aut Ecclesiam spectat, vaticinatus est Dunstanus: sed tantum, ignavum hominem appellavit: unde in Rep. alterâ sequuta est mutatio: Danis imperio, & Insula potitis, illæsâ Anglorum Fide, ut dicetur. Quod Ethelredus, non ita Baptisterium fœdaverit; ut fœdasse dicitur Constantinus; colligo è vitâ sancti Dunstani, ubi sic habetur: *Ethelredus, dum pusiolus à Dunstano baptizaretur, minxit in sacro fonte. Unde & Beatus prædixit exterminium Anglorum: tempore ejus futurum.*

apud Baron. an. 719.

Capgrav. in Dunstano.

XII. ÆGRE A DUNSTANO CORONATUR.

Huic etiam factum; ut ægrè satis ad Ethelredum coronandum Dunstanus accesserit. Sed nihil eum magis ab inauguratione deterruit, quàm matris impietas; infami crimine, viam ad principatum filio parantis. accessit tamen provincialium votis Antistes: sed matris, & optimatum in novo Rege gaudia, lætitiamque, tristissimâ sententiâ diluit, quam ita recitat Malmesburiensis: *Matris suffragio*, inquit, *proceribus congregatis dies dicta; ut Dunstanus adveniret; Regem jure Archiepiscopi coronaturus. Ille licet infensus esset, supersedit resistere Pontifex avi maturioris, & in sæcularibus emeritus. Iam verò diadema componens, non se continuit, quin spiritum propheticum, totis medullis haustum, ore pleno, effunderet: Quia, inquit, per mortem fratris tui aspirasti ad regnum; audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Non delebitur peccatum ignominiosa matris tuæ, & peccatum virorum, qui interfuerunt consilio illius nequam, nisi multo sanguine miserorum provincialium: Et venient super gentem Anglorum mala, qualia non passa est: ex quo Anglia fuit, usque ad tempus illud, nec multo post.* Hoc Dunstani vaticinium paulò aliter, & explicatius reddit Ingulfus: Cui, (inquit, Ethelredum intelligens) *coronationis officio expleto, dixit sanctus Dunstanus: Quia ascendisti ad thronum tuum, per mortem fratris tui, quem occidit mater tua: propterea audi verbum Domini. Hoc dicit Dominus: Non deficiet gladius de domo tua, sæviens in te, omnibus diebus vitæ tuæ: & interficiens de semine tuo, & de gente tuâ, usque dum regnum tuum transferatur, ad regnum alienum; cujus ritum & linguam, gens tua non novit: nec expiabitur nisi longâ vindictâ, & multâ sanguinis effusione peccatum tuæ matris, & peccatum virorum pessimorum qui consenserunt consilio ejus nequam, ut mitterent manum in Christum Domini, ad effundendum sanguinem innocentem.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 10.

DUNSTANI VATICINIUM.

Ingulf.

XIII. VERITAS EIUSDEM

Vaticinii hujus veritatem probant omnia, quæ de Danorum incursibus, rapinis, regnique invasione, dicentur inferius: quibus omnibus Alfredæ parricidium, & Elferi Comitis Merciorum odia in monachos, causam præbuisse, non solùm Dunstanus testatus est; sed antiquiores omnes eidem scripserunt. Parkerus tamen Britannicarum Antiquitatum author, valdè cupit Lectori persuadere, aliud in causâ fuisse consecutæ cladis. Cum enim dixisset: Beornelmum, Scotorum Episcopum, Calnensi Synodo adfuisse; mox infert: *Is doctrina & facundiâ singulari, sacerdotum conjugia defendit: & simulatam monachorum castitatem oppugnavit: adversarios apertis scripturarum locis obruit, ac refellit: & conjugatorum pars in hoc concilio superior fuisset, nisi Dunstanus prodigiis potius, quam argumentis certare statuisset.* Tunc infert, calamitatis oceanum, qui Insulam inundavit; ex eo fonte manasse; quod Sacerdotibus ultra cum fœminis lascivire, interdictum, scilicet fuisset. & ait: *Post portentosam Calnensem Synodum, omnes clades & calamitates, tanquam è divinâ vindictâ, in Anglicam gentem invecta fuerunt; quæ nunquam desliterunt; donec Normannus marte obtigisset imperium. Monachi ut à se, & Dunstano, transferrent irritati divini Numinis culpam; Reginæ facto, Regiaq; necis causa attribuunt, omnia: neq; exquirunt, quo occulto Dei judicio Rex ille spurius, cujus authoritate, Dunstanus legitimo thoro copulatos spoliavit, tam*

PARKERI PERVERSITAS.

Antiq. Brit. fol. 87.

subito

subito sublatus fuerit. Quasi diceret: Dunstanus, & Eduardus sancti, potius, quem Elfrida, & Elferus, causa fuerunt Anglorum exterminii; quia Sacerdotum conjugia damnaverunt. de quibus tamen nunquam fuit in Synodo disputatū. & esto fuerit: vetuerintque illa Patres: nunquid illi primi fuerunt in orbe Catholico, qui legem illam tulerunt. pudet pergere, aut ultra in hæc fœminarum & cupiditatum mancipia pugnare. licet ægrè ferre possim Regiam Edoardi sanctitatem lædi, & eludi sensum Spiritus Sancti; ut Lutheri cum Catherinā, & heterocliti Clericorum amores, sanciantur.

XIV. VERA MISERIARUM CAUSA.

Veram igitur miseriarum causam Dunstanus aperuit: quod non monachi solum, sed Regina ipsa, & Elferus Comes, probè intellexerunt; magnâque pœnitentiâ avertere conati sunt. Ipsi etiam clerici melius sentientes, non in Edoardum Regem, sed in Edoardicidas, causam cladis, culpámque conjiciunt. Polydorus enim longè in clerum, quàm in monachos proclior, ita librum septimum auspicatur: *In demortui Edoardi locum Etheldredum, a Cerdicio vigesimum Rex substituitur; cujus socordia publica res, in talem pervenerunt statum; ut merito, sub eo, regni senecta ætas cæperit. Repentè enim fames, pestilentia, atque bellum sævit. Ea mala Dunstanus Archiepiscopus, paulo antequam sequerentur, fore prædixerat. Recusabat bonus Antistes Ethelredum Regem sacrare, qui per cædem fratris, ad regnum aspirasset: sed cum id facere coactus esset; tum prædixit futurum, ut populus Anglicus, amissâ libertate, generatim pœnas miserabiles daret.* Sed & Polydoro multo antiquior, Archidiaconus Huntindonius, de Edoardi Martyrio loquens, quod cædis authores celare satagebant, hæc habet: *Compertum est, contra Divinam providentiam, non sufficere pravum cor hominis, & inscrutabile. Quem enim perfidi terris abjecerant, Deus in cælo gloriosè suscepit: & memoriâ æternâ insignivit eum Dominus, cujus mentionem proditores obnubilare studuerant. INDE Dominus iterum ad iram promotus, & plus solito irritatus, genti pessimæ malum inextricabile conferre cogitavit.*

Polyd. l.

Huntind. l. 5 fol. 357.

XV. PROBATUR AB EVENTU.

Sed missis Authoribus, videamus gestarum rerum seriem: an Deus monachorum studiis, an verò factioni alteri iratus, Insulam castigaverit. Inde enim colligere erit, uter magis peccaverit, Dunstanus expellendo nequiter viventem clerum; an Alfrida noverca, utramque majestatem lædendo; humanam in Edoardi innocentis cæde; divinam in Ecclesiarum pace turbandâ. Quis non putaret, Edoardo Rege, monachorum fautore, mortuo; & Dunstano, effeto jam corpore: contra verò Alfrida noverca, & Elfero Comite, ad Reip. clavum sedentibus; monachos omni causâ casuros, & expulsos nuper clericos denuò prostituturos Ecclesiam. Ea tamen divinorum oraculorum constantia fuit; ea Synodorum certa, & rata definitio; ea denique omnium de perversis clericorum moribus (quos Sectarii ita suaviantur) opinio: ut horum nihil, quæ jure timeri poterant, evenerit. Nam Alfrida, tam de offensis monachis, quàm de parricidio pœnituit: & utrumque scelus omni vitâ expiare conata est. & Elferus, *eò quòd monasteria destruxisset, temeritatis pœnitens* (sunt verba Malmesburiensis) *multóque gemitu animi angens, post annum vermibus consumptus est.* Ita sopita omnino contentio est, & monachi monasteria sine lite tenuerunt. Cæterùm de conjugiis presbyterorum, quod Novatores toties ad nauseam ingerunt; nec antea in Synodis disputatum, nec postea ab ullo controversum, invenio.

ANNUS CHRISTI 980.

BENEDICTI VII. PAPÆ 6.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 2.

I. CALAMITAS A DANIS.

SEQUITUR Christi annus nongentesimus octogesimus; & incipit Dunstani vaticinium, & gemitus Insulæ: cùm Danus, qui olim provinciam vexaverat, rediviva prælia suscitans; ignaviâ Principis, justóque Dei judicio, post clades varias Anglis illatas, regno tandem potitur, sub initium sequentis sæculi; Suano Danorum Rege, Ethelredum ex Insulâ fugante. Cui tragœdiæ, quia præsens annus initium dedit; Danici regni statum, & Suani exordia retexam, quæ commodè Baronius, ex Adamo Bremensi, ad hunc annum refert, ita scribens. *Usus est Suano Dominus ultore, ad puniendam sancti Eduardi Martyris necem; sicut ac dicti haud pridem fuisse vaticinatum, à sancto Dunstano, Cantuariensi Episcopo.* & paulò ante, de Suano, patrem suum Haraldum, è regno, vitâque pellente, hæc recitat ex Adamo, quem sincerum Chronographum vocat, & illis temporibus proximum.

Baron. hic n. 10.

II. DANICI REGNI STATUS. Adam. l. 2. c. 18.

Novissimis Archiepiscopi temporibus (Adalgadum Hamburgensem intelligit, qui Sedi præfuit annis quinquaginta tribus, & moritur anno nongentesimo octogesimo octavo.) *Res nostra inter barbaros fracta, Christianitas in Daniâ turbata est: pulchrisq; divinæ religionis initiis invidens inimicus homo; superseminare zizania conatus est. Nam tunc Suen-Otto, filius magni Haraldi, Regis Danorum, multas in patrem molitus insidias; quomodo eum jam longævum, & minus validum, regno privaret: & consilium habuit cum his, quos pater ejus ad Christianitatem invitos coegit. Subitò igitur factâ conspiratione; Dani Christianitatem abdicantes, Suen Regem constituunt, & Haraldo bellum indicunt. At ille, ab initio regni sui, totam spem in Deo posuerat: tùm verò, & maximè, Christo commendans eventum; cùm bellum execraretur, armis se tueri decrevit: & quasi alter David procedens ad bellum, filium lugebat Absalom; magis dolens illius scelus, quàm sua pericula. In quo miserabili, & plusquam civili bello, victa est pars Haraldi. Ipse autem vulneratus, ex acie fugiens; ascensâ navi elapsus est ad civitatem Sclavorum, quæ Iumne dicitur; a quibus contra spem, quia pagani erant, receptus; post dies aliquot, ex eodem vulnere deficiens, in confessione Christi migravit.* Hæc author, de impio Suani parricidio, quo viam sibi ad Daniæ regnum aperuit: pergit autem persecutionem exponere, quæ Danorum Ecclesias, fidémque læsit: & post multa, Suanum à Deo castigatum, regno privatum, & in Angliam pulsum, indéque repulsum, scribit in hunc modum.

SWANUS HARALDUM PATREM PERSEQUITUR.

HARALDUS EX VULNERE MORITUR.

III. Idem l. 2. c. 21.

Quo tempore, cùm magnam Suen persecutionem Christianorum exercuisset in Daniâ; fertur Archiepiscopus, supplicibus legatis, & crebris muneribus laborasse; ut ferocis animum Regis, Christianis redderet

mansuetum. Quibus ille relictis, in suâ crudelitate, ac perfidiâ, sævire cœpit. Secuta est ultio divina, Regem Deo rebellem. nam cùm bellum suscepisset, contra Slavos; bis captus, & in Slaviam ductus; toties a Danis, ingenti pondere auri redemptus est: nec tamen adhuc reverti voluit ad Deum; quem primò in morte patris offendit: & deinde in nece fidelium irritavit. Et iratus est furore Dominus; & tradidit eum in manus inimicorum suorum, ut disceret non blasphemare. Tunc potentissimus Rex Sueonum, Hericus, exercitu innumerabili, sicut arena maris, collecto; Daniam invadit: & occurrit ei Suen derelictus a Deo, frustra sperans in idolis suis. Multa utrimque bella navalia (sic enim ea gens confligere solet) copiæ Danorum omnes obtritæ. Hericus Rex victor obtinuit Daniam. Suen à regno depulsus, dignam factis suis, à Deo zeloto, recepit mercedem, &c. Post vindictam ergò scelerum, quæ in Ecclesias Dei, & Christianos commiserat Suen, Rex victus, & a suis desertus, quippe quem Deus deseruit; errabundus, & inops consilii, venit ad Northmannos; ubi tunc filius Haconn Thrucco regnavit. Is quoniam paganus erat; nullâ super exulem misericordiâ commotus est. At ille infelix, & a toto orbe dejectus, in Angliam transfretavit, frustra solatium quærens ab inimicis. Quo tempore Britannis Adalraad, filius Edgari imperavit. Is non immemor injuriarum, quas Dani ex antiquo Anglis inflixerant, exulem repulit. Quem tandem miseratus infortunii, Rex Scotorum, benigne suscepit. Ibiq; Suen, bis septem annos exulavit, usque ad mortem Herici. Quid postea acciderit; ut Suenus post quatuordecim exilii annos regnum repetierit: & inde Angliam invaserit; dicendum est inferius; nunc primum ejus appulsum, è rectâ temporum serie metiamur. SWANUS IN ANGLIAM VENIT.

IV. Authores nostri, nullam adhuc Suani mentionem faciunt: sed primùm, anno 994. inde sub sequentis sæculi initium, quando Insulam semel iterùmque ingressus, eâ tandem potitus est, eundem nominant. Omnes tamen Danorum infestationes, & incursum aliquem ad Ethelredi exordia referunt. & tamen Swanum cum illis fuisse è superiori narratione confirmari potest. nam ille, post annos quatuordecim nimirum anno nongentesimo nonagesimo quarto, è Scotiâ solvens, repulsam, quam hoc anno tulit, ulciscetur. Adamum ergò ideò fusiùs exscripsi, quia supplet & illustrat, quæ in historicis nostris desiderantur. Igitur de Suani adventu intelligendi sunt, Wigorniensis, Florilegus, Hovedenus, & alii, qui ita scribunt: *Anno nongentesimo octogesimo, Suthamtonia, à Danicis piratis devastatur: & ejus cives omnes ferè, vel occisi, vel captivi abducti sunt. nec multo post Tenedland Insulam idem devastavit exercitus. Quo etiam anno civitatis Legionum provincia, à Norwegensibus piratis devastatur.* Eadem habet Huntindonius; sed referre videtur ad annum sequentem. *Anno tertio*, inquit, *Regis Edelredi septem puppes Danorum, quasi prænuntiæ futuræ vastationis, venerunt, & prædaverunt Hamptune.* Sed quod ad tempus attinet, sequitur Huntindonius eos, qui Edoardi Martyris necem consignant ad annum nongentesimum septuagesimum octavum. à quo hic annus tertius numeratur. Licet Malmesburiensis etiam, qui nobiscum est in Edoardi morte, tertium ab eo annum numeret. Sed quod ad Hamtoniensem urbem attinet; eam hoc anno direptam, & ab Anglo desertam, scribit Camdenus: *Cum omnia*, inquit, *Danicis bellis fracta, & debilitata; Hantonia etiam eorum direptioni, anno Domini nongentesimo octogesimo, relicta fuit.* Eandem urbem post quatuordecim annos à Dano, iterum & Danorum Duce Swano, direptam, dicemus suo loco.

Hoved. hic.

Camden. in Hampsh.

V Quicquid sit, ex Adamo Bremensi colligo Suanum, expeditionis hujus principem fuisse, qui regno expulsus, sedem quærebat. Sed quia Christianorum juratus hostis; ab Anglis rejectus, noluit sine prædâ discedere. Cæterùm quòd captâ prædâ aufugerit; testis est Malmesburiensis, qui Dunstani vaticinio recitato, mox addit: *Nec multo post, id est anno ejus (Ethelredi) tertio, venerunt Hamptuniam portum, juxta Wintoniam, septem naves piratarum: & populatâ orâ maritimâ, refugerunt in altum.* Cæterùm ita fugit in altum Danorum hic exercitus; ut aliò prædatum, necdum in Scotiam iverit. nisi fortè dixeris Suanum, missâ piraticâ, exceptum à Scotis, servitutem exuere meditantibus; visâ Ethelredi Regis inertiâ. Et verò vicinum illud regnum, & Anglorum provinciis imminens; libenter semper admisit, quæsivitque secessionis instrumenta: & Danos, Normannos, ipsos etiam Anglos, in Angliæ perniciem armare paratum est, etiam Anglorum coronæ anoxium. Quicquid sit: Tanetum Insulam in Cantio, & urbem Legionum, hoc anno, iidem Dani depopulati sunt: quid inde ab iis factum, dicam anno sequenti.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 10

VI. Moritur hoc anno, cæloque ascribitur Editha sancta (aliàs Eadgitha) quæ ad differentiam alterius, quæ vivebat hoc tempore, senior appellari potest. Fuit illa Edoardi senioris, ex Eguinâ, primâ conjuge, filia; quæ Sithriæ Northumbriæ Regi nupta, sed ab eo intacta, ad Athelstanum fratrem rediit, & castissimè mutavit amores suos. *Nam sancta puella, virginitate sibi reservatâ* (inquit Westmonasteriensis) *apud Polesberiam, jejuniis & vigiliis, in orationibus, & eleemosynarum studiis, usque ad finem vitæ suæ, bonis pollens operibus perseveravit. transiit autem post laudabilis vitæ cursum, ex hoc mundo, idibus Iulii. ubi usque hodie divina miracula non desinunt celebrari.* Hæc ille, quibus adde quod habet Martyrologium nostrum, ad eundem diem; mortuam nimirum circa annum Domini nongentesimum octogesimum. Hæc ille, quam adhuc viventem, Editha junior, Edgari Regis filia, colebat; & cujus æmulata virtutem, sanctissimè vixit. nam de illâ sic legitur: *Inter multa Sanctorum exempla, quæ libris legebat: interq; præsentia sanctorum, & maximè propinquorum religiosorum lumina, vicinius accendebatur virginali palmâ sanctissima amita sua Editha, Edgari Regis patris sui * germana, quæ in monasterio Pollesworth, provinciæ Warwici, meritorum signis, sicut ipsa Wiltoniæ, refulsit.* Sed de sanctâ Edithâ, Editham sanctam colente, plura inferius; quam brevi, & ipsa cælum ascendet: & cujus virtutes æmulata est; etiam præmia consequetur. Ad hunc etiam annum, signant Fasti nostri, obitum sanctæ Merwinæ Virginis, & Abbatissæ Ramseiensis cœnobii, cujus suprà * facta mentio: quæ cùm plures sacras Virgines, Christi amorem docuisset; & eisdem virtutum exemplo præluxisset; cum sanctitatis opinione mortua, inter Sanctos locum meruit, ad decimum tertium Maii. Successit in ejus locum Elwina; & illi post triennium Elfleda Edoardi senioris filia: quam infrà * etiam inter Sanctos, recenseo.

v. an. ... MORS ... S. ... EADGITHÆ NORTHUMBRI Æ REGINÆ. v. an. 926. & Westmin. an. 925.

Mart. Angl. 15. Iulii.

v. an. 962. 3.

apud Capgr. Editha.

* Editha senior soror Edmundi patris Edgari.

* v. an. 969. 2.

* v. an. 992. n. 7.

recenseo. ubi etiam de Merwina plura dicentur.

VII. EADHELMUS EPS. SELESEIENSIS MORITUR: SUCCEDIT ETHELGARUS. *Godwin. in Lucif.*

Moritur, hoc quoque anno, Seleseiensis Episcopus, Eadhelmus: & in ejus locum succedit Ethelgarus; quem suprà novi monasterii Wintoniensis, Abbatem vidimus: & infrà, post Dunstani mortem Cantuariensi Ecclesiæ præfectum cernemus. Eum hoc anno, Australium Saxonum consecratum esse Episcopum, habet Wigorniensis; & ex eo Godwinus, sic scribit: *Ethelgarus Abbas novi monasterii Wintonia, consecratus Maii sexto, anno nongentesimo octogesimo; Cantuariam translatus est anno nongentesimo octogesimo octavo.*

ANNUS CHRISTI 981.

BENEDICTI VII. PAPÆ 7.

ETHELREDI ANGLORUM REG 3.

I. DANI ITERUM VEXANT INSULAM. *Hoved. hic*

ITERUM Dani Angliæ maritima invadunt. Nam *anno nongentesimo octogesimo primo, sancti Petroci Confessoris matyrium* (ita scribit Hovedenus) *in Cornubiâ devastatur a piratis; qui anno præterito Suthamtoniam vastaverunt. Qui deinde in Domnaniâ, & in ipsa Cornubia circa ripas maris frequenter prædas agebant.* Hac tempestate Cornubiensis Ecclesia graviter jactata est; & Episcopi, suâ Sede, pulsi. quò respexit Godwinus cùm scripsit: *Dani universam Devoniam, nec non & Cornubiam populati, Bodminam & Ecclesiam cathedralem sancti Petroci, una cum ædibus Episcopalibus, ibidem incenderunt. Qua res occasionem dedit, Sedem ad sancti Germani transferendi. Unde non migravit, donec Cornubiâ, cum Devoniâ unitâ, Exonia utrisque Sedes constituta est.* Ita ille, sub Sidemanno Episcopo id factum putans: quem nos suprà sepelivimus: & Alfricum illi substituimus. Quamvis, fatendum est, obscura fuerunt Cornubiensium Episcoporum, & nomina, & Sedes. Unde Malmesberiensis, qui Episcoporum gesta accuratè descripsit: *Cornubiensium*, inquit, *Pontificum succiduum ordinem, nec scio, nec appono; nisi quod apud sanctum Petrocum confessorem, fuerit Episcopatus Sedes. Quidam dicunt fuisse ad sanctum Germanum, juxta flumen Liver.* Hæc ille. Posteri tamen paulò constantius, illorum Antistitum Sedem definiunt. primò Bodminiæ, quò sancti Petroci corpus translatum diximus*; inde, cum Danus in Ecclesiam hoc anno, & provinciam sæviret; ad sancti Germani: ubi *cum pauculi sedissent Episcopi* (ita Camdenus) *Levinus Præsul Cridiensis; qui gratia multum apud Canutum Danum valebat; regia authoritate intercedente, obtinuit ut suæ Sedi conjungeretur. Ex quo tempore, unus Episcopus, & huic provinciæ* (Cornubiæ) *& Devoniæ præfuit; qui nunc Exoniæ sedet.* Cæterùm priusquam Sedes Exoniam transfereretur, nec à Bodminiâ, nec à sancto Germano, sed à Cridiâ villulâ (nunc Kirton) Devoniensis provinciæ, dicti sunt Cridienses; vel (ut Fasti) Cridiatonenses Episcopi; & illorum nomina recensuit Malmesberiensis.

Godwin. in Exon.

Malmesb. de Pont. l. 2 f. 25 prope.

* v. an. 564. n. 1. 2

Camden in Cornwal

II. *Westmonast*

Interim Ethelredus, in martis armorumque castris parum versatus; alio modo Rempublicam stabilire, nomenque suum perennare adlaborat. Unde de eo Florilegus: *Anno gratiæ*, inquit, *nongentesimo octogesimo primo; Rex Æthelredus cujusdam Ducis filiam, accipiens uxorem, genuit ex ea filium, quem vocavit Eadmundum.* Ita ille, nec filiam, nec filiæ parentem nominant. Alii ergo Elgivam vocant primam Ethelredi conjugem; quam etiam Elfledam aliquando dici notant: & eam Thoredi Ducis filiam faciunt. cujus virtus in Danis ab Insulâ pellendis, hoc tempore, emituit. Cæterùm hæc conjux, Ethelredo peperit prolem multam. filios sex; Ethelstanum, Egbertum, Edmundum, Edredum, Edwium, Edgarum; de quibus infrà. Edmundus fortè à Florilego ideo solum nominatur; quia solus è fratribus, sceptrum tenuit; à fortitudine quidem sortitus nomen, *Ferreum latus*: sed vix sceptro potitus, ferro patuit latus ejus; & Angliæ imperium, libans potius quàm hauriens, Insulæ monarchiam Dano reliquit. ut infrà.

ELGIVAM DUCIT ETHELREDUS.

EX EA PROLES SUSCEPIT.

EDMUNDUM COGNOMENTUM FERREUM LATUS.

ANNUS CHRISTI 982.

BENEDICTI VII. PAPÆ 8.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 4.

ANNUS Christi nongentesimus octogesimus secundus, non uni provinciæ; sed universæ ferè Insulæ, gravis fuit; variâ clade; quam paulo antea nubes signaverat, de qua Wigorniensis: *Nubes*, inquit, *per totam Angliam, media nocte, nunc sanguinea, nunc ignea, visa est: dehinc in radios diversos, & colores varios mutata, circa auroram disparuit.* Nimirum cælo scribente, & cum Dunstano suffragium ferente; nè posteri opinione vacillarent. Sanguinem supra vidimus, à Dano fusum; nunc sanguinem legemus, & ignem. utrumque conjunxit Hovedenus, cùm dixit: *Anno nongentesimo octogesimo secundo. ad provincias Dorotensium tres naves piratarum appliuerunt, & Portland devastaverunt. Civitas Lundonia igne cremata est.* Sed librariorum vitio provincia Dorotensium, pro Dorsetensium scribitur, ut Wigorniensem & Florilegum legenti constat. Ibi etiam Portlandia est, *quæ vergente Saxonum imperio* (inquit Camdenus) *Danorùm rabiem, si qua alia, subinde experta est.* Sæviit etiam hoc tempore pestis, in animalibus lues, fames etiam, & varia morborum genera, vindictam pro Edoardo clamantia tam vocaliter; ut cives, & quondam subditi, ad honorandum Principem, placandúmque Deum, magno studio certaverint.

I. NUBES SANGUINEA CLADES NUNTIA. *Wigorn. an. 978.*

Hoved. hic

Camden, in Dorset.

Tunc Elferus Comes, monachis placatior; Edoardi corpus Septoniam transtulit, eâ cærimoniâ, iisque honoribus, quos *suprà recensui: Tunc incorruptum ejus corpus inventum, inimicis stuporem, amicis gaudium, omnibus admirationem attulit. Tunc etiam Elfrida, pœnitentiæ argumenta dedit plurima: & inter ea, Redingi in Atrebatiis, & Bescheriensi agro, sanctimonialibus cœnobium posuit. *ad expiandæ sua scelera* inquit Camdenus. Ita sancti Martyris memoria, in Septoniensi monasterio, celebrari cœpit; deditque illi loco nomen, famámque; cum plurimæ Virgines, spretis mundi amoribus, Deo ibi famulari, eúmque in sanctis suis colere, religiosissimè studuerunt. Id innuit Malmesburiensis, cum ait: *Certè apud Sceptoniam, splendidum regiæ*

II. EDOARDI CORPUS SEPTONIAM TRANSFERTUR. * v. an. 979. n. 5. 6. INCORRUPTUM. *Camd. in Berch.* MONASTERIUM REDINGI

Malmesb. de Reg. Li. c.9

sanctitudinis refulgurat speculum; quoniam illinc (Edoardi) *meritis depretatur, quod eo loci, multus devotarum Deo fœminarum chorus, claritate religionis, terras illas irradians; etiam ipsa perstringit sidera. illic sacra Virgines, nullius penitus corruptela conscia, illic religiosa continentes, post primi thori damna, secundi ignis nescia. In quarum omnium moribus ita facetus pudor, cum severâ consentit elegantiâ; quod nihil supra. Denique incerto hæreas, quid potissimum prædicare velis; an assiduitatem, ad Dei famulitium; an affabilitatem, ad hominum colloquium. Unde non injuriâ credulitas apponitur dicentibus; quod per illarum orationes, totus sustentatur orbis; qui jam pridem suis vacillat peccatis.*

III. HERELWA ABBATISSA SCEPTON. MORITUR.

Præerat cœnobio, cùm illuc Edoardi corpus infertur, cum Abbatissæ titulo, Herelwa: quæ viso thesauro, petiit dissolvi, malens cum Edoardo vivo quàm mortuo, esse. Moritur igitur hoc anno; & memoriam ejus posteris reliquit Wigorniensis; ita scribens ad hunc annum: *Herelwa Sceaftesbyriensis, & Wulwin Werhamensis Abbatissæ, de hac vitâ transierunt.* Harum duarum transitus, quia tam accuratè in Annalibus consignatur; argumentum est, monasticæ ac religiosæ vitæ duces, ac sanctitate insignes fuisse, & æterna memoriâ dignas.

IV. ETHELREDUS WINTONIENSE MONASTERIUM AUGET.

Anal. Hida

Interim Ethelredus Rex, cladem anni præsentis, à suâ civiùmque suorum cervice cupiens avertere, & Deum iratum propitiare; terras prædiaque monasteriis assignat. Hoc pietatis impetu, Wintoniense cœnobium, quod novum dicebatur, regiâ largitione, & diplomate cohonestat; quod in illius loci Annalibus legitur, cum hac Epigraphe. *Sequitur donatio Regis Ethelredi de Heantune, in novum monasterium Wintonia, quod modo dicitur, Hyda: anno regni sui quarto.* Tunc incipit præfatio ad morem sæculi turgida. quam nec omittere debeo; nec possum accuratè describere: quia adhuc ineditam, in manuscriptis Codicibus solùm reperio, ubi obscura vocabula obscuriùs redduntur, & interdum vitiosè. Do igitur, ut invenio: quod alii poterunt imposterum castigatiùs, aliorum manuscriptorum ope describere.

V. CHARTA ETHELREDI REGIS PRO WINTONIENSI MONAST.

OMnicreantis disponente clementiâ, cuncta suis obtemperans pacta principiis: & hominum decus eximium præcipuè hæcumpag. periudiget consiliis: uti cuj sidon perlucens præclarissimi famina Doctoris: Omnia fac rato cum consilio; postq. factum, non pænitebis. Qua de re, quicquid usquam præpotentium sancitum, decretumve fuerit consiliis apium fere caraxandum, firmandumq. novimus, signifero calami fore notamine; nè successura sobolum posteritas, philargyria pestifero illecta vestigio, frustratum ire tentet conamine stolidissimo; quod proavorum probitas statuit nobilissimo sophia instituta magisterio. Quamobrem ego Ethelredus totius Albionis, Dei annuente clementiâ, basileos; quasdam terrarum particulas, tredecim videlicet mansas, in locis variis derivatas; ad monasterium sancti Salvatoris, Sanctorumq. mihi quiescentium, animo serenissimo, in perpetuam concedo hæreditatem; quæ ob cujusdam culpa notam, à quodam viro, Lufa vocitamine perpetratam; ad mei juris potestatem justissimè sunt deputata: & ipsas easdem terrarum particulas; postea a me, pretio mihi placito, affabilis mihi Dux Athelmerus, cum centum videlicet auri mancusis comparavit. Principum meorum utriusque eximius testimonio constipatus. Ipse vero avi lubentis ultimam claudens diem; antedicta ruricula, cum omnibus quæ ad eadem pertinere poterant, ad monasterium prædictum sancti Salvatoris, ubi tumulatus pausat; jure perpetuo libentissimè concessit: quæ in suis semote locis, ut in sequentibus adnotatur, locata consistunt.

VI. *Igitur in Insulâ, quæ dicitur Vecta, septem sunt hujus terra manentia, quatuor in locis divisa. Duo quippe, in loco, cui nomen antiqui indidere Et-Heantune: & bina, in loco, cui vocabulum est insitum Aetbeadingabutnam: duo quoque in loco, qui appellatur Aetmcolocdune. unum verò in illo prædiolo, quod dicitur Agstathe. Hac infra prædictam Insulam omnia constant, ut prædiximus, locata. In alia denique Insula, quæ dicitur Poltesige, quinque reperiuntur cassata, in loco, qui usuali vocabulo appellatur Aetfrodinctune: & unum, quod noto onomate vocatur Aetfugginæg-pirthe: & pratum fœni, quod interjacet flumen, quod dicitur Meone; & aquæductum, quod cursum suum dirigit ad quoddam molendinum, quod nominatur Cyninges-mylen. quod alio, latino videlicet usu nominatur, Regis molendinum. Sint autem prædicta ruricola, libera ab omni mundiali obstaculo, cunctæq. jugo servitutis, cum omnibus ad ea pertinentibus, campis, pascuis, pratis, silvis, piscationibus, aquarumq. cursibus: excepta expeditione pontis, arcisve instauratione. Sit autem hæc libertas firmissima: et si eventu contigerit temporum variante, vitio aliquo, quempiam hominum, libelli alicujus schedam obliterare illorum apicum; hæcq. contra machinando demonstrare: sit omnimodis interceptâ, omniq. abolitâ veritatis industriâ, cujuscumque Regis antecessorum meorum tempore fuerit præscripta. Quia uti in præscriptis insertum fore perspicitur: ad mei juris absolutissimam potestatem, meiq. Ducis dominium, atque præfati monasterii libertatem, devenere. Si qui denique, mihi non optanti, hanc libertatis chartam, cupiditatis livore depressi, violare satagerint; cum agminibus tetra caliginis lapsi, vocem audiant, examinantis die magni judicii, sibi dicentis: Discedite à me maledicti in ignem æternum: ubi cum dæmonibus, ferreis sartaginibus, crudeli torqueantur in pœna; si non ante mortem, dignâ hoc non emendaverint pœnitentiâ. Istis verò terminis, prædicta ruricula, in suis divisè locis, circumcincta esse videntur.* Sequuntur terminorum limitùmque descriptiones. & demum conclusio.

VII. *Acta est autem hæc donatio, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo secundo, Indictione decima, anno verò quarto Regis Ethelredi, sub præsentiâ Antistitum. Ducum, satellitum, quorum hic nomina titulata visuntur.*

† *Ethelredus, Dei gratiâ Rex, hanc donationem firmiter stabilivi.*

† *Ego Ælfthryth, ejusdem Regis mater, libenter firmavi.*

† *Ego Dunstanus, Archiepiscopus Dorovernensis Ecclesiæ, Crucis thaumate consecravi.*

† *Ego Oswaldus, Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopus, prætitulavi.*

† *Athelwaldus, Wintoniensis Ecclesiæ Præsul, annotavi.*

† *Ego Ælfstanus, Londinensis Ecclesiæ Præsul, adquievi.*

† *Ego Ælfstanus, Roffensis Ecclesiæ Præsul, solidavi.*

† *Ego Ethelgarus, Australium Saxonum Præsul, benedixi.*

† Ego

† *Ego Ælfrig, Dorcacestrensis Ecclesiæ Præsul, [illegible].*

† *[illegible] Ælfstinus, Schireburnensis Ecclesiæ Præsul, [illegible].*

† *Ego Elfhere Dux.*
† *Ego Ethelwine Dux.*
† *Ego Byrthnodus Dux.*
† *Ego Ethelweard Dux.*
† *Ego Edwine Dux.*
† *[illegible] Dux.*
[illegible] *go Elfweard Minister.*
† *[illegible]go Elfric Minister.*
† *Ego Aethelsige Minister.*
† *[illegible] M.* † *Ego Wlfsige M.*
† *[illegible] M.*

VIII. Hactenus Ethelredi Regis donatio: quæ integræ Fidei esse videtur: & inde licet colligere; quo tempore Episcoporum Sedes Præsules mutaverint. Cum enim Regis annus, Christique Domini, & decima Indictio rectè consignentur: probabile est Ælfstanum Londinensem Episcopum [illegible]usque sedisse: noluit ergo Fastos sequi, qui superiore anno mortuum affirmant: eique hunc Wulfstanum successisse. Qui nec hoc quidem anno po[illegible] Alfstani successor, quia anno nongentesimo octogesimo septimo, Ethelredi chartæ [illegible]. Iterum Ælfnothus Dorcacestrensis, [illegible] hæc tempora mortuus videtur, & in ejus Sedem [illegible], qui tamen in Fastis Episcopus [illegible], sub annum Domini nongentesimum sexagesimum [illegible] primum. quod supra ad annum nongentesimum septuagesimum quartum ostendi, Regis chartis non constare. Ethelricus etiam quem [illegible] per Schirburnensem Episcopum appella[illegible], hoc tempore mortuus, ideo putari potest: [illegible] [illegible]helsinus, Ethelredi donationem, hoc, & sequenti etiam anno confirmat. licet paulò postea, nimirum ad annum Christi nongentesimum [illegible]ogesimum sextum, in Fastis primùm scribatur [illegible] Episcopus. Cæterùm licet aliàs dixerim, è Regis chartis nihil posse aliquando constanter affirmari, de tempore subscribentium: quia sæpè, post datam Chartarum, Episcopi nomen apponunt. tamen ubi nihil in contrarium est; possumus è Chartis probabile saltem argumentum deducere. [illegible], vel simile deduci posset, pro Orientalium Anglorum Episcopis, ubi post Theodredum, [illegible] Elmhamensem Sedem evveximus*, alter [illegible] ejusdem nominis, ut omnes fatentur; sed incertum quo anno: de quo aliquid sequenti anno.

IX. Interim Britannorum Ecclesiæ, Cantuariensem sedem agnoscere, Episcoporum suorum consecrationes inde petere, Dunstanum denique colere incipiunt: quod licet ægrè, diuque reluctantes fecerint: tamen Menevenses Episcopi, qui dudum pallio orbati sunt, nimirum a sancti Sampsonis tempore, uti dictum*: admittere tandem coguntur. Ita vacante hoc anno, Landavensi Sede, per mortem Patris, de quo supra*, Gucanus ad eam Sedem eligitur, & à Dorobernensi Archiepiscopo consecratur: cum prius, tam Landavenses, quàm alii Britannorum Antistites, à Menevensi videantur consecrati fuisse. De Gucano, sic scribit Godwinus. *Gucanus consecratus est, per Dunstanum Cantuariensem Archiepiscopum, anno nongentesimo octogesimo secundo. Illi Morchiaun, filius Ritherc[h] dedit Lancarvan, de quo dicit, in Chartâ donationis: utrisque gemmis decoratum eum fuisse; sapientiæ videlicet sacrarum Scripturarum divinæ & humanæ; & regali nobilitate parentelæ, simul cum dignitate Pontificalis Cathedræ.* Possumus ergo ex hoc tempore, juris, factique argumentum sumere, Cantuariensis prærogativæ in Britannorum Ecclesias: præsertim, cum non modò Gucanus hic, sed Bledri, Joseph, Herewaldus, Urbanus, Utridus, eum meâ Sede consequentes; à Cantuariensibus Episcopis, Siricio, Ælnotho, Sigando, Anselmo; Thenbaldo, consecrationem acceperint, ut fatetur Godwinus, aliquando dictus & ipse Landavensis Episcopus. Nescio ergo cur idem dicat, Menevenses Episcopos, licet pallio carentes, *Archiepiscopalem tamen authoritatem semper exercuisse, Episcopos suffraganeos suos consecrando, & alia munia obeundo: professione nullâ Sedi Cantuariensi factâ, ad tempus usque Henrici primi.* Nam licet, sub eo Rege, nata sit controversia, de jure subjectionis, & primatus Cantuariensis Ecclesiæ, atque in Concilio Rhemensi ventilata: Eugenius tamen Rom. Pontifex, & Senatus ille, pro Cantuariensi dixerunt; cum præscripti juris factique argumenta suppeterent. Et Bernardus Menevensis, causâ cecidit, licet Henrici Regis favore, & aliorum Principum adminiculis uteretur.

Margin notes: [illegible] SUCCEDIT [illegible] THEODREDO [illegible] an. 9[illegible] [illegible]14. BRITANNORUM [illegible] CANTUARIENSEM AGNOS[CUNT]. [illegible] GUCANUS [illegible] EPISCOPUS. Godwin. in Catalog. Landa. — Idem in Menevens. MENEVENSIS ECCLESIA CUM CANTUARIENSI CONTENDIT.

ANNUS CHRISTI 983.

BENEDICTI VII. PAPÆ 9.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 5.

I. SEQUITUR Christi annus nongentesimus octogesimus tertius: quo cessante paululùm externâ vi; civili discordiâ certatum est: & ferrum, quod in Danos stringere Ethelredus debuisset: in suorum provincialium pectora acuit. Causam Authores omnes, vel dissimulant, vel non exponunt. Ego timeo ne Rex obviaturus Danorum incursibus; qui in numerum, & prædas indies surgebant; Ecclesias nimium vexaverit, Christique sponsam ad tributa damnaverit; atque ita iratam Dei manum, ad vindictam magis armaverit. Quicquid sit, Florilegus hunc annum, & Malmesburiensis rem gestam ita describit: *Surrexerat inter Regem ipsum, & Episcopum Roffensem simultas; incertum quâ de causâ. Quo circa contra civitatem Rex exercitum duxit: Mandatum ei ab Archiepiscopo, ut à furore desisteret; ne sanctum Andream, in cujus tutela Episcopatus est, irritaret; sicut ad indulgendum, facilem; ita ad ulciscendum terribilem. Verborum nuditate contemptâ, adornat præceptum pecunia: & mittit centum libras, ut obsidionem solveret; emptus pretio abiret. Quo ille accepto; receptui cecinit; præcinctum militem feriari permisit. Miratus Dunstanus hominum cupiditatem; hæc per nuntios retulit: Quoniam prætulisti argentum Deo, pecuniam Apostolo; cupiditatem mihi; velociter venient super te mala, quæ locutus est Dominus. Sed hæc, me vivente non fient: quia & hæc locutus est Dominus.* Hæc ille. Præteritæ clades, præludia tantùm futurorum fuerunt: & nihil gravius Insulæ accidit, Dunstano & Ethelwoldo vivis; qui Moysis instar Deferentis manum sustinuerunt: at utroque mortuo miserarum diluvium fuit.

Margin notes: ETHELREDI AVARITIA NUTATUR. — Malmesb. de Reg. l.2.c.10.

II. Ditat Wintoniense monasterium.

Pientior Ethelredus in novum Wintoniæ monasterium; quàm in Roffensem Ecclesiam fuit. nam hoc iterum anno illud ditavit; resarciturus fortè damnum, quod Ælstano Roffensi, Ecclesiæque ejus intulerat. Extat in Annalibus Hidæ, Ethelredi donatio Manuscripta, hunc Regis, Christique annum præferens, & ideò suo jure Annalibus nostris inserenda. Inscribitur autem sic: *Annal. Hidæ in Ethelredo.* *Sequitur Donatio Regis Ethelredi de prato; quod modo The Hyde mooris appellamus; in novum monasterium Wintoniæ, quod modò dicitur Hida, anno regni sui quinto.* Incipit autem in hunc modum.

III. Charta Ethelredi Regis Wintoniensi Monasterio.

Præpollenti cunctitonantis dapsilitate, trina fauste rerum machina extat disposita; at tam mirifica exhausta bonitatis clementia, * *citra aliarum creaturarum visibilium videlicet seriem, ac materiem protoplastum luteo confectus tegmine somalis, felici permanet dicatus privilegio: ut per male suada refrenationem superbia, ac imitationem humilitatis limpidissima, perque refrigerationem inopum, necne bonorum distributionem terrestrium, ad nanciscendam olympicæ amænitatis felicitatem, valeat omnino terrestris theorica vita percipere gaudia, virtutum nobiliter decoratus bonarum prærogativis. Quapropter Ego Ethelredus, divina disponente providentia, industrius Anglorum, aliarumque circumjacentium regionum Basileos; cuidam mihi oppidò dilecto Antistiti, Adellaro vocitamine: ob illam placabilissimam fidelitatem; quoddam pratum, quod in aquilonari parte jacet famosæ urbis, qua scibili appellamine Wyncanceaster vocitatur: quodque in orientali parte circumjacet fluvius, qui Icene nuncupatur, ad usus sibi necessarios; in perpetuam concedo hereditatem, cum omnibus ad illud pertinentibus; tam in magnis, quàm in modicis rebus: videlicet aquarum cursibus, piscium captionibus, molendinorumque rotationibus: quatenus ille prosperè perfruatur, ac perenniter possideat; dum labentis ævi incolatum, artuum organo pertrahunt. Postque, vocante mortalibus notissima morte, debitum jure ut solvat; cuicumque sibi libuerit successori, jure hereditario, cum Christi benedictione, nostraque libertate derelinquat.*

* intta

IV. *Si quis autem, quod absit, hanc donationem, livore pressus nequissimo, evertere studuerit in aliud, quàm hic extat insitum: vel si quis spiam fortuitu, ad hoc destruendum, schedam aliquam demonstraverit; perpetua combustionis atrocitate damnatus, cum Iuda Christi traditore, ac sathana, pestifero Iuliano, necnon miserrimo, Pilatoque lugubri, ac cæteris infernalium claustrorum sævissimis tomicanipularibus horrisonis sartaginibus perpetua gehenna decoquatur; ac picen tenebris, miserisque perennibus permaneat addictus: nisi ante mortis articulum, cum nimiâ satisfactione emendare, at tantam præsumptionem obliterare, toto conamine, studuerit. Hujus sanè quantitatem prati, longitudinem, necne latitudinem hic Lector perspiciet legens: Ista est longitudo hujus prati, ex parte occidentali quinque stadia, & quinque virgatas in medio continet quinque stadia, & viginti sex virgatas: ex oriente per longum rivuli quinque stadia. Ista est latitudo istius prati: In aquilonari parte continet tria stadia, & unam virgatam: in medio tria stadia, & viginti septem virgatas, ex australi parte, tria stadia, & undecim virgatas.*

V. *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo tertio scripta est chartula hac, his primariis consentientibus qui subter pranotantur.*

† *Ego Ethelredus, Anglorum Basileos, hanc donationem libenter concessi.*
† *Ego Ælstrith, ejusdem Regis mater, adsignavi.*
† *Ego Dunstanus, archiepiscopus, confirmavi.*
† *Ego Osvvaldus, Archiepiscopus, adquievi.*
† *Ego Athelvvoldus, Episcopus, consensi.*
† *Ego Elstanus, Episcopus, adnotavi.*
† *Ego Ethelsinus, Episcopus, roboravi.*
† *Ego Æscvvigus, Episcopus, prænotavi.*
† *Ego Wulfgarus, Episcopus, impressi.*
† *Ego Ethelvvine Dux.*
† *Ego Elfric Dux.*
† *Ego Beorhtnoth Dux.*
† *Ego Thore Dux.*
† *Ego Ethelvveard Dux.* † *Ego Elfric*
† *Ego Oordbyrht Abbas.*
† *Ego Sigeric Abbas.*
† *Ego Ethelvveard Abbas.*
† *Ego Leofric Abbas.*
† *Ego Elfvveard Minister.*
† *Ego Elfgar minister.*
† *Ego Elfsige Minister.*
† *Ego VVulfsige Minister.*
† *Ego VVulfric Minister.*
† *Ego Ethelmeor Minister.*
† *Ego Elfhelm Minister.*
† *Ego Elfvvine Minister.*
† *Ego Beorhtvvold Minister.*

Hic omnia, in Episcopocum subscriptionibus superioribus constant, eaque confirmant; Wulfgarus Episcopus solum adjicitur: & videtur Wiltunensium Episcopus esse: quem Godwinus eundem, cum Algaro facit: nec possum reluctari. Cæterùm puto eum ultra hunc annum non sedisse: nam Alfstanus ad eam Ecclesiam consecrari debet, qui dudum in Fastis, & ante Wulfgarum, Wiltunensis Episcopus scribitur. Sed Malmesburiensem sequar, & Algarum seu Wulfgarum præpono. Moritur ergò hoc tempore Algarus Wiltunensis, & locum ejus intrat Alfstanus, ex Abindoniensi cœnobio assumptus. de quo hæc tradit Malmesburiensis: *Quintus* (inquit de Wiltunensibus Episcopis scribens) *Elstanus. Hic primo monachus sancti Ethelvvoldi, apud Abendoniam fuit; cujus obedientia miraculum relator ejusdem vita sic insinuat: Erat in Congregatione quidam frater, Elstanus nomine, simplex & magna obedientia vir; quem Abbas jussit providere cibaria artificum monasterii. cui servitio devotissimè se subdens, coxit ipse carnes quotidie, & operariis sedulus attendebat, aquam apportans, & vasa denuo emundans: existimante Abbate illum, hoc cum solatio & juvamine alterius ministri facere. Accidit namque quadam die, cum Abbas, more solito, peragraret monasterium; offendit inopinate fratrem illum, juxta ferventem lebetem stantem: viditque omnia vasa munda, & pavimentum scopatum. Delectatus ergo facto, dixit ad eum: Frater Elstane, hanc obedientiam mihi furatus es; sed si talis miles es, qualem te ostendis; mitte manum tuam in bullientem aquam, & frustum de imo mihi impiger attrahe. Paruit ille, fecitque fervor indomitus audacis Fidei; nihilque est læsus monachus. Eundem fratrem postea Abbatem vidimus, qui etiam deinde Pontificali honore sublimatus sancto fine quievit in Domino.* Hæc Author innominatus, qui Elstani hujus vitam scripsit, & antiquorum monachorum sanctitatem sonant.

Mo[illegible]

Succedit Alfstanus.

Malmes. de Pont.

[illegible] monachus Abindoniæ.

Obedientiæ miraculum.

VII. ELFERUS MORITUR.

Moritur hoc anno, monachorum aliquando hostis, tunc fautor, Elferus; qui insigni pœnitentia, alieni animi crimina expiasse putatur. Nam quem passim in vita nequissimum Consulem appellabant; mortuum tamen cum honoris prærogativa nominant. Unde Wigorniensis, & Hovedenus, ita de eo: *Anno nongentesimo octogesimo tertio, Dux Merciorum Alferus, Regis Anglorum Eadgari propinquus, decessit; ejusq; Ducatum filius suus Alfricus suscepit.* Hic est *Elfric* ille Dux, qui Regio diplomati, hoc anno, subscripsit. Nam parens Elferus, & Alferus; filius etiam, Alfricus, & Elfricus, pro scribentium libidine scribitur. Hic repeto quod de parente scribit Malmesburiensis: *Elferus ille*; inquit, *quem supra culpavi, eo quod monasteria destruxisset; temeritatis pœnitens, multoq; gemitu animus angens, sacro Edoardi corpori, de ignobili loco levato, justas & egregias inferias, apud Sceptoniam solvit: non tamen effugit; sed post annum vermibus, quos pediculos dicimus, consumptus est.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 9

Ethelstanus hoc anno in Fastis ponitur Helmhamensis Episcopus: unde dicendum est, Theodredum eo nomine secundum, naturæ concessisse. Sed non accedo; quia Theodredus infra, post annos sex, inter Episcopos numerabitur: & tunc tantùm, Ethelstanum illi substituam. Nam Authores, eos, hoc ordine, inter Orientalium Anglorum Episcopos numerant, sed præter nuda nomina, nec ingressum in Sedem, nec egressum consignant. Idem de Herefordensibus dici potest: ubi Wulthelmus hoc tempore nominatur Antistes: sed ultra hunc annum, sedisse non videtur: nam Fasti Alfricum illi substituunt.

ANNUS CHRISTI 984.

JOANNIS XIV. PAPÆ 1.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 6.

I. MORITUR BENEDICTUS PAPA, SUCCEDIT JOANNES XIV.

MORITUR anno nongentesimo octogesimo quarto, Romanus Pontifex Benedictus; cùm sedisset annos novem: & successorem habuit Joannem, qui olim Petrus appellatus est, fueratque Papiensis Episcopus, & Othonis Imperatoris Archicancellarius. Vix Petri cathedram ascenderat; cùm Bonifacii factione, qui olim Pontificis nomen suffuratus, Constantinopolim fugerat, descendere coactus est, ut dicetur anno sequenti.

II. ETHELWOLDUS WINTONIENSIS MORITUR.

Interim Ecclesia Anglicana Præsulibus orbatur, quorum ope in magnum splendorem & sanctitatem surrexerat. Nam Wintoniensis Episcopus Ethelwoldus, & Roffensis Elfstanus, hoc anno vivere, & provinciis lucere desierunt: quod inter clades hujus temporis, non minima numeratur. De Ethelwoldo hæc habet Malmesburiensis: *Athelwoldus, ex monacho Glastoniensi, Abbas Abendoniensis, idemq; posthac Episcopus Wintoniensis; tot & tanta monasteria fecit, quod vix modò credibile videatur, ut talia fecerit Episcopus urbis unius; qualia vix posset Rex Angliæ totius. Fallor, & præcipiti sententiâ pecco; si non palam fit quod dico. Quantula sunt cœnobia, Heliense, Burchense, Thorniense; quæ ille à fundamentis suscitavit, & suâ industriâ perfecit. Quæ cum semper exactorum vellicet nequitia, sunt nihilominus habitatoribus suis sufficientia. Hujus vitam Wulstanus quidem Cantor Wintoniensis, discipulus ejus scilicet, & alumnus, composuit stylo mediocri.* Hæc ibi. Fuit Ethelwoldus, ut animi virtute, & monasticæ vitæ perfectione eximius; ita in pauperes pientissimus, quod maximè apparuit in nuperâ fame, & plurimorum egestate, quam vir sanctus devotissimè sublevavit. De quo ita legitur apud Capgravium: *Accidit ut acerba fames, universam Britanniam vehementer premeret; & inopia magnitudo plerosque dirâ clade extingueret. Vir autem Domini Ethelwoldus, omnem pecuniam quam habebat; in usus pauperum expendit. Cumq; pecunia deficeret; tolli jussit ornamenta quæque, & argentea vasa perplurima, de thesauris Ecclesiæ confringi jussit; & in pecuniam redegit, intimo cordis suspirio protestans, se æquanimiter, ferre non posse; multa metalla integra perdurare: hominem verò ad imaginem Dei creatum, pretioso Sanguine Christi redemptum, mendicitate & inediâ perire. Sustentavit itaque innumerabilem multitudinem egenorum: qui periculum famis evadere cupientes, ad eum undique confugerant. In plateis omni solatio destitutos refocillando sublevavit; singulis necessaria ministrans; donec misericordia Dei, de cælo in terram prospiciens; & humano generi solitâ pietate subveniens; malum inopiæ temperaret.*

Malmesb. de Reg. l. 2. f. 56

Capgrav. in Ethelwold.

EIUS IN PAUPERES CHARITAS.

III. Novatores licet cætera in Ethelwoldo vituperent, hoc tamen pietatis opus Annalibus dignum putaverunt. Godwinus eum vocat, *Monachismi magnum patronum, & Clericorum conjugatorum acerrimum persecutorem. Hoc interim*, inquit, *non pigebit exscribere, à Malmesburiensi prætermissum, quod in magnâ annonæ caritate, Ecclesiæ suæ omne argentum cælatum, & ornamenta paulò pretiosiora vendidit: & pecuniam coactam pauperibus distribuit, dicens: Ecclesiæ de ornamentis ut prospiciatur, quandoq; fieri posse: fame vero qui perierit, nullo pacto ad vitam revocandum.* Hæc ille: in eo falsus, quod prætermissum id dicat à Malmesburiensi libro de Pontificibus. nam idem, eodem libro, hæc habet. *Inedia ciborum provinciam invaserat, pro sterilitate soli. Jussit ille* (Ethelwoldus) *sacrata vasa confringi, & distribui: protestatus, melius esse ut metalla miserorum inopiæ, quàm Sacerdotum famularentur jactantiæ.* Quantam igitur jacturam, ex hujus sancti obitu, passura esset Insula, facilè quis poterit æstimare. Dunstanus certè, cum cælitus vicinam ejus mortem cognovisset; non potuit lacrymas, & mœsti cordis suspiria, moderari. Rem gestam, & lectu dignam, Wulstanus in ejus vitâ, posteris reliquit, & ex eo Baronius ita illam describit ad hunc annum nongentesimum octogesimum quartum, quo ejus mortem omnes consignant:

Godwin. in Winton.

Malmesb. de Pont. f. 244. fine.

IV. *Hoc eodem pariter anno, ipsis Calendis Augusti* (ut testatur qui res ab eo sanctè piéque gestas conscripsit Wolstanus ejus discipulus) *ex hac vitâ, migrat in cælum, sanctus Ethelwoldus, Wintoniensis Ecclesiæ Episcopus; necnon Roffensis Episcopus, æque pietate insignis: quorum prævidens exitum sanctus Dunstanus, doluit in tot discriminibus laborantem Angliam his viris orbari: quod & lacrymis testatus est. De this enim Osbertus ista: Quodam tempore venit Cantuariam supra memoratus Ethelwoldus, Wentanus Episcopus & aliquot diebus ibi detentus est. Detentus est etiam Roffensis Episcopus; qui illo simul venerat: detinente utrumque Patre Dunstano, charitativâ affectione, dulcifluâ vitæ perennis contemplatione, divini*

Baron. hic. n. 7.

DUNSTANI DE ETHELWOLDI MORTE VATICINIUM.

verbi collatione, & sacrorum morum exhortatione, & instructione. Cum autem ipse Pontifex in pater, comitatus ipsos duos Episcopos, Cantuaria decederet; & pariter longius remotos quemque ab altero destinati hospitii via dimitteret; ambo Pontifices, à Dunstano benedici petentes, ab eo divertere, & suum iter cupiebant accelerare. Verum ipso manum extendente ad benedicendum; subitò in lacrymas acerbas erupit; coeptaque benedictionis verba singultus subsequens interrupit. Illis verò grandi ad rem stupore perterritis quidnam haberet, quod tam anxie fleret, sciscitati sunt. Respondit: fleo, quia vos, quos modo sanos, & alacres video; in hac vita non amplius me visurum doleo. nam in proximo estis morituri, & ad gaudia regni cælestis transeuntes; me in istius vita miseriis relicturi. Cui cum ipsi dicerent. Ne Pater, oramus, de nostra morte ita loquaris: Fixum, ait, quod dixi, tenete; quoniam sic est; & non est mutabile. In hunc dato alterutrius osculo pacis, ab invicem divisi sunt.

V.
EILSTANUS ROFFENSIS MORITUR

Igitur Antistes Roffensis, mox ubi sui pontificatus civitatem ingressus est, elanguit: & volutus in infirmitate diebus paucis, defunctus est. Wintoniensis verò, priusquam ad sedem suam venire posset, languore corripitur: & juxta verbum viri Dei, non longâ morâ interveniente, finitur. Ex cujus viri obitu gravis mœror Dunstanum corripuit: tum quia tanti viri ingens solatium amiserat; tum quia, cui potissimum tenera adhuc statum Ecclesiæ regendum committeret, dubius fluctuabat. Quos fluctus ingerebant animo ejus, hinc monachi nuper intromissi: hinc clerici ab Ecclesiâ illa ejecti. Monachi quidem suæ professionis virum habere Episcopum peroptabant: Clerici verò sui ordinis hominem, sibi præfici desiderabant. Illi videlicet, per monachatum, in Ecclesia sibi collatâ, cupientes solidari: isti, per clericum Ecclesiæ sibi ablata sperantes reformari. Sed hæc providentius sapientia, & sapiens providentia Dei, citius determinavit. Nam per Beatum Andream Apostolum; cui speciali quodam devotionis affectu Dunstanum inhærere Deus concesserat: Dunstano mandavit; quatenus nihil hæsitans, Elphegum Abbatem Bathoniensem, constitueret Wentanæ Ecclesiæ summum Sacerdotem. Lætatus est Dunstanus in istis: & redditâ Deo gratiarum actione, pro suis beneficiis in Elphego perfecit, quod ei per Apostolum suum Deus ipse præcepit. Hucusque Osbertus. Sic igitur Deus bene consuluit Ecclesiæ Anglicanæ: ut duobus luminibus subductis, penitus non remaneret obscura: sanctissimum Episcopum, martyrii candidatum subrogans antistitem in Ecclesia Wintoniensi. Hæc omnia Baronius.

DUNSTANUS IN B. ANDREAM DEVOTUS.
ELPHEGUS ABBAS BATHONIEN.
CONSECRATUR WINTONIENSIS.

VI.

Verùm priusquam Elphegum è monasterio abstractum, ad majus sacerdotium promoveo; de Ethelwoldo dicenda sunt reliqua. Illud imprimis quod inde tempore mortis locóque sepulturæ ejus, ab Authore vitæ ita refertur: *Hic sanctus Episcopus, Kalendis Augusti, anno Domini nongentesimo octogesimo quarto. Episcopatus sui vigesimo quarto, regnante Ethelredo Rege; migravit ad Dominum. cujus corpus subita immutatione fuit renovatum, lacteo candore perfusum, roséoque rubore venustatum; ita ut quodammodo septennis pueri vultum prætendere videretur: & apud Wintoniam in veteri monasterio, in crypta ad australem plagam sancti altaris; sicut olim sibi cælitus ostensum fuerat, cum magno honore sepelitur.* Quod attinet ad annos sedis ejus ab anno nongentesimo sexagesimo sexto, quo ille primùm cucullam induit; duo tantum & viginti anni numerantur ad hunc annum nongentesimum octogesimum quartum: corrigendus etiam Godwinus, qui pauciores sedis annos numeravit. *Ethelwoldus*, inquit, *Abendonensis Abbas, consecratus est anno nongentesimo sexagesimo tertio, sedit annos undecim & Augusti primo, anno nongentesimo octogesimo quarto decepit.* Antiquitates Glastonienses mortis circumstantias sic enumerant: *Beatus Ethelwoldus infirmitate attactus, & sacri Olei liquore perunctus; Dominici Corporis & Sanguinis perceptione, exitum munivit: & dans pacem filiis suis, inter verba orationis spiritum reddidit Kal. Augusti anno Domini 984.* Quod dicitur supra, *cum magno honore sepultus*; id dandum sanctitati ejus, quam Deus in illis miraculis illustravit. Unde ab universo Orbe cultum meruit, & locum in Romano Martyrologio, ad primum Augusti, nec mortuum solum, sed vivum etiam Deus, rebus mirabiliter gestis, sanctum dixit. Unde Malmesburiensis, cum Swithuni sancti translationem & miracula tunc facta recensuisset, addit. *Sed nec ipse Ethelwoldus a miraculis otiabatur; videbaturque, æmula vivi, & mortui Sanctorum pietas dum hinc inde crebrescentibus Sanctorum prodigiis; hujus corroboraretur Fides, hujus valetudini revocaretur sanitas: mortiferum virus, fraudulentiâ ministrorum haustum, cum jam per artus serpens depasceretur vitalia, fide discussit*: non modernâ, quæ Deum in Sanctis mirabilem negat, sed Romana, & Orthodoxâ, qua muniti, si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Plura recenset ejus Author, quæ vivens Ethelwoldus mirabiliter gessit: nec pauciora de mortuo leguntur, cum post duodecim annos, corpus ejus, è tumulo effertur. de quo ibi an. 996. num. 5.

apud Capgr. in Ethel.
ETHELWOLDUS WINTONIÆ SEPULTUS.
Godwin. in Winton.
Malmesb. de Pont. l. 2.

VII.
DE ROFFENSI EPISCOPO.

Quis ille fuerit Roffensis Episcopus, qui hoc eodem anno sanctè moritur; ideo jure controvertitur; quia Authores Sedem, non nomen, exprimunt. Godwinus, hac in re, non videtur constans sibi; nam cum Burrhicum nominasset, vigesimum-quartum Roffensis Ecclesiæ Antistitem, de ejus successore hæc tantum habet: *Alfstanus*, inquit, *obiit anno nongentesimo octogesimo quarto.* Id benè quidē, & prædictæ narrationi congruum, sed malè, de ejus successore (quem benè Godwinum vocat) pergit dicere: *Ubi*, inquit, *a Westmonasteriensi, aliisque, Scriptoribus narratur: Episcopum Roffensem, cujus nomen non edunt, ab Ethelredo Rege, in civitate Sedis suæ anno nongentesimo octogesimo tertio, longo tempore obsessum; neque obsidionem voluisse solvere Regem (quantumvis suadente, ut id faceret Dunstano) donec ab eo centum libras extorsisset: dubitari certe non potest, Godwinum appellatum Episcopum sic obsessum.* Revera, si id factum anno 983. & hoc anno moritur Alfstanus Roffensis Episcopus; ut Godwinus concedit; multò rectius existimare possumus, unum fuisse eundémque, qui superiori anno obsessus; hoc anno mortuus est: quam dicere, Alfstanum obiisse anno 984. ejusque successorem obsessum esse anno 983. Quamobrem cum Malmesburiensis, Wigorniensis, & alii passim, Burrheicum sive Burrichum, Alfstanum in Roffensi Sede præcessisse, & Godwinum utrumque subsecutum scribant: cumque Godwinus ipse fateatur Alfstanum obiisse anno 984. eundem etiam, superiori anno, ab Ethelredo Rege vexatum credimus; & ei demum mortuo, Godwinum successisse, cognomento Seniorem, quia duo ejusdem nominis consequenter ibi sederunt.

Godwin. in Roffen.
GODWINUS ALFSTANI SUCCESSOR.
GODWINUS ROFFEN. EPS.

sederunt. His tamen obstant, Ethelredi Regis diploma sub annum Domini 988. & Synodus Londinensis sub Ethelgaro: nam utrobique ... Roffensis mentio. Nunc de Ethelwoldi successore dicendum.

VIII. *Malmesb. de Pont. l. 2. f. 245.* Elphegus dicebatur, *Abbas Bathoniensis, vir literatus, & moribus ornatus*, inquit ad hunc annum Florilegus. Ejus exordia sic recitat Malmesburiensis: *Puer librorum amplexus Scholas, adolescens alteravit habitum apud Dirhest, tunc exiguum cœnabium, nunc inane antiquitatis simulacrum. Illic cum ritu monachilis regulam accipisset; altius quid anhelans, Bathoniam contendit; ubi se cellæ la secretioris parietibus includens, cælestia mente libat. Plures per eum boni, ad locum monachi congregati; etiam, ut fit in magno corpore, corruptelam morbi contraxere. Quidam enim ex eis, nesciente patre, convivia in noctem ducere, perindeq; potationibus ad lucem insistere. Non tulit id diutius Deus; sed signiferum factionis, in æde conventiculorum consitâ, morte perculit nocte intempestâ. Interim sanctus orationibus interpolatis, concepit auribus sonum; ab eadem domo prolatum; quasi vim inferentium & sustinentium. Miratus rei novitatem, pedetentim suspenso halitu accessit ad ostium. Tum vero per rimas fenestrarum, videt duos ingentes dæmones cadaver exanime, crebris malleorum ictibus torquentes; illo miserabilibus ejulatibus suffragium quærente. Respondebant hostes: Nec tu obedisti Deo; nec nos tibi. Quod enim mane ceteri retulisset: non mirum fuit, si commessationum complices, facti sunt abstinentes. Defuncto ergo VVentano Episcopo, Dunstanus Archiepiscopus: Andrea Apostolo, Elphegum nominatum eligentis, animatus oraculo, eundem substituit throno. Ipse prudens in sæculo, simplex in Deo, extima providere, intima non negligere. Atque ut tanti patris sedem digne ornaret; vestigia sanctitatis ejus tenens, quando sedebat ad mensam, nec ventris ingurgitabat lacunam; nec abstinentiis incurrebat pompam. Carnibus nunquam, nisi æger, indulsit; pocula summo tenus ore semper libavit. Prodebat abstinentiam comestionis, tenuitas corporis: quod vix ossibus hærebat. Noctibus fallens custodes, procedebat solus ad amnem: ubi demersus ad ilia, & in Dei laudibus excubans, albescente jam diluculo, nescientibus suis, succedebat cubiculo.* Hæc Author antiquus, reliqua de assumptione ejus ad Cantuariensem Ecclesiam, & inde ad Martyrii coronam dicentur suis locis.

IX. S. Editha Virgo moritur. *Baron. hic n. 7.* Nunc me vocat sidus aliud; quod in Anglicano cælo ortum, cùm insigni cursu Zodiacum bis ferè lustrasset, hoc anno in occasum tendit. de quo sic loquitur Baronius: *Eodem quoque anno* (nongentesimo octogesimo quarto) *decimo sexto Kalendas Octobris, pariter in cælum, ex hac vitâ, abiit sanctissima Virgo Edita, soror sancti Eduardi Regis: quam S. Dunstanus sepelivit in Ecclesiâ sancti Dionysii. Alumna ista fuit, & exculta institutione sancti Ethelwoldi, VVintoniensis Episcopi, ut in ejus vitâ legitur. claruit hac insignibus post obitum miraculis.* Ita Baronius. Hujus stellæ ortum, & progressum * supra recensui: nunc restat occasum describere, & insignia post obitum miracula, de quibus Baronius. Flebit quidem denuò Dunstanus, qui Insulam prævidit insigni luce carituram: sed gaudebunt posteri, quòd cælo miserint tam sancta, & illustria ornamenta. Sub initium Augusti hujus anni, Ecclesiam Wiltoniæ, quam Editha, Deo, & sancto Dionysio, sacram fecerat; consecravit sanctus Dunstanus. & in ipso inaugurationis mysterio, vidit Regiam Virginem ad cælum invitari; cùm prius Cruce religiosissimè signatam conspexisset. Sed malo, in re antiquâ, Malmesburiensem audire: *Viderat* (inquit ille) *Editham sanctus Dunstanus, in consecratione Basilicæ Beati Dionysii; quam illa ob amorem Martyris ædificaverat; pollicem frequenter dexterum protendere, & signum Crucis fronte, e regione, pingere: delectatusq; admodum; Nunquam, ait, putrescat hic digitus. Continuoq; inter Missarum agenda, prorupit in lacrymas; lacrymas adeo profusas; ut singultiente voce Diaconum propè astantem concuteret. Causam quæsitus: Cito, inquit, hæc florida rosa, marcescet: cito avis Deo dilecta evolabit post sex ab hoc die septimanas.* Hoc Dunstani vaticinium paulò distinctiùs, in vita sanctæ Edithæ legitur, in hunc modum:

** v. an. 962. 3. & 976. 2.*

Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 252.

Dunstani de S. Editha vaticinium.

X. *Capgrav. in Editha.* *Dunstanus suspirans, imòque trahens à pectore vocem, dixit: Hæc Deo dilecta anima, hæc siderea gemma, ad Sanctorum patriam rapietur, ab illuvione terrenâ, & ærumnosâ cohabitatione nostrâ. Neque enim sceleratus mundus, jam dignus est tantæ lucis præsentia. Quadragesimâ enim tertiâ die, ab hodiernâ, occidet nobis hæc præfulgida stella. auferetur ab ergastulo nostro sanctorum luminaria, & nos sedemus in tenebris, & mortis umbrâ. Nos pigritantes fomes damnat ætas immatura, quæ nobis dorui tantibus meruit cœli palatia.* Hi fuerunt Dunstani gemitus, cum Edithæ mortem prævidit, & pio vaticinio prædixit. *Consequuta est e vestigio* (pergit Malmesberiensis) *rerum veritas Pontificale vaticinium. namq; illa nobilis propositi tenax, prædictâ die, citra juventa terminum efflavit, cum esset annorum viginti trium.* Verùm priusquam spiraret ultimum, morienti adfuit sanctus Dunstanus; eamque ad transitum piè animavit: ut in Edithæ vitâ apud Capgravium legitur. ubi alia etiam mortem ejus consecuta narrantur, in hunc modum: *Appropinquante horâ, quâ de hoc mundo transiret ad Dominum; adest sanctus Dunstanus, & exhortationibus, atque orationibus animam ejus armans, egressam a corpore, in manus Dei recommendavit. Quædam interim soror trepida, currens de Ecclesiâ S. Dionysii; ubi Virgo sancta obierat, ad monasterium; audit tanquam in choro multitudinem psallentium. Cui hærenti occurrit quidam speciosi vultus, & habitus gloriosi. Ne appropies, inquit, hac; quia Angeli sancti GODAM puellam (sic enim gratiosius appellabatur, quæ patria voce BONA cognominatur) convenerunt, ut ad æterna gaudia hinc secum auferant. Quatenus, cum isto concentu, exercitus cælestis, aulam introeat perpetuæ jucunditatis. Sicq; anno vigesimo tertio ætatis suæ sexto-decimo Kalend. Octobris migravit ad Christum, circa annum Domini nongentesimum octogesimum quartum. Et sepelivit eam Dunstanus in Ecclesiâ Beati Dionysii, quam ipsa fundaverat.*

Sepelitur a S. Dunstano.

XI. Nec omitti debet, quod Editha Virgo Ecclesiam fundatura, ibidem sibi sepulchrum prævideri. Probabile etiam, quòd à morte, Wulfrudam matrem, quæ etiamnum sanctè vivebat, cum gloriâ visitaverit: quæ sic in supra dictâ vitâ narrantur. *Hunc locum, præsaga mente, sæpè Virgo notaverat: Et hic locus requietionis mea est, dixerat: Atque hunc frequentans, assiduo imbre lacrymarum terigaverat. Xenodochium, in atrio monasterii, quo tredecim pauperes usque hodie reficiuntur, instituit. Tricesimo obitus sui die, apparuit Virgo sancta, genetrici suæ Wulfrudæ ita pulchra, & læta, ac lumine,*

Capg. supra.

Apparet matri Wulfrithæ.

ficut vestimento, amicta, & gloriosa; narrat se Regi suo benè acceptam in gloriá æterná. Et sathanas, inquit, me coram Domino meo accusavit: sed Sanctorum Apostolorum præsidiis, caput ejus contrivi: Et in Cruce Jesu mei dejectum, & conculcatum triumphavi.

COLITUR

Hæc aliáque multa, quæ Deus mirabiliter ostendit sanctitatis ejus argumenta, Edithæ Virginis cultum in hac Insulâ proclamarunt: & quæ Dionysium, aliósque Sanctos religiosè coluerat, Deúmque imprimis à teneris annis amare ac venerari didicerat; à posteris & ipsa venerationem meruit; multis in honorem ejus dicatis templis & altaribus. Sic in Cornaviis & Staffordiensi agro, ad Tamordiam oppidum, Ecclesia est, Edithæ huic Virgini sacra. nam ibi vivens monasterium struxerat Virginibus sacris: de quo Camdenus: *Editha*, inquit, *Edgari Regis filia, quæ nuptias aversata, castitatis opinione, in Sanctarum Catalogum irrepsit; ædiculam Virginibus velatis Tamordiæ constituit. quam post paucos annos Marmions Normanni, quibus hoc oppidum largitus est Gulielmus primus, ad Pollesworth transtulerunt.*

Camden. in Stafford.

XII. SANCTIS ASCRIBITUR.

Martyr. R. 16 Septem.

Nec in Angliâ solùm, sed ubique terrarum, cultum meruit Editha Virgo. nam in Romano Martyrologio ita legitur ad decimum sextum Septembris: *In Angliâ sanctæ Edithæ Virginis, Edgari Anglorum Regis filiæ: quæ in monasterio à teneris annis Deo dicata, sæculum hoc ignoravit potius, quàm reliquit.* ubi notat Baronius; res ab ea gestas, & post obitum edita miracula, è veteribus monumentis à Surio recenseri. Intelligit opinor ea quæ scriptor vitæ, Malmesburiensis, aliíque veteres referunt, post tredecim à morte menses accidisse: cum Editha virgo à Dunstano petiit in lucem prodire & efferri. Quod ita in ejus vitâ narratur: *Elapsis post depositionem sanctæ Edithæ mensibus tredecim* (malè scribitur annis tresdecim) *apparuit Dunstano Archiepiscopo dicens: Reminiscens, inquit, Dominus miserationum suarum, assumpsit me: placétque ineffabili bonitati suæ, ut clarificet in salutem fidelium suorum, apud homines; quam glorificavit apud Angelicos concives in cælis. Vade ergo VViltoniam, & divina mandata exequere: & corpus meum de terrâ elevare stude. ne dubites, nec ullâ te fantasiâ deludi existimes: hoc enim veritatis tibi dabitur signum: quod scilicet præter officia membrorum, quibus in puellari levitate abusa sum, id est, oculorum, manuum, pedum; invenies reliquum corporis, sicut illibatum; ita & incorruptum. Nam libidinis & crapulæ expers semper fui. Pollicem quoque dextræ manus: quo mihi assiduè sanctæ Crucis impresseram signum; videbis nihilominus illæsum: ut appareat benignitas Domini, in parte servatâ, & paterna castigatio in parte *assumptâ.* Dunstanus huic oraculo Fidem adhibuit: nam in Occidentem profectus legitur: ibi iterum è cœlo monitus, Virginis cultum promovere. Sic enim pergit Author, qui suprà;

Capgrav. in Editha.

DUNSTANO APPARENS, EFFERRI POSTULAT IN LUCEM.

* *consumpta*

XIII.

Capg. supra.

Dunstanus itaque, cum apud Sarum, prope VVilloniam, pernoctaret: per visum transfertur in Ecclesiam VVilloniæ, usque ad tumulum Virginis sanctæ: Et ecce videt; Angelicâ claritate, sanctum Dionysium altari assistere, & Virginem Editham, luce & candore splendidam; tali dilectum patronum compellare devotione. Scis, pater, de me, quid Dominica placuit gratiæ; in summi consiliis susceptes, & divinæ voluntatis legate, hanc advenæ, quâ fide, & authoritate huc cum invitaverim, edissere. Sanctus Dionysius ait: Animadverte frater, visionem quam nuper vidisti, veram esse, super hujus dilectæ Domino declaratione. Digna est à terrigenis venerari; quæ inter cæligenas meruit coronari: dignum est honore hoc corpus, hoc templum virginalis pudicitiæ; in quo amator Virginitatis regnavit Dominus Rex gloriæ. nam ejus placabilia apud Christum suffragia, mortalibus sunt necessaria. Igitur tertio nonas Novembris, corpus sanctum de terrâ levatur: & omnia, ut præmittitur, inveniuntur. Hæc ibi. Quæ Malmesberiensis paucioribus refert, & ex illo corrigi potest; hoc, non post tredecim annos; sed potius post tredecim menses contigisse. cum enim annorum 23. mortuam dixisset; mox addit: *Nec multo post, idem Beatus* (Dunstanus) *vidit somnii visione sanctum Dionysium, Virginem amicabiliter manu tenentem: & ex oraculo divino jubentem: ut à famulis honorificaretur in terris; sicut à sponso, & Domino, venerabatur in cœlis. Ita crebrescentibus ad tumbam miraculis: edictum ut efferretur Virginis corpus. Inventumq́; totum in cineres solutum, præter digitum, & alvum, alvóque subjecta. Unde sancto dubitanti, virgo ipsa per visum assistit, dicens non mirum esse si partes illæ corporis putruerint; quod usus habeat exanimata corpora in quosdam arcanos naturæ sinus defluere. & ipsa utpote puella membris illis peccaverit. Ceterum ventrem nulla corrumpi justè putredine, qui nulla unquam aculeatus sit libidine, immunem se fuisse crapulæ, & carnalis copulæ.*

Malmes. Pont. l.

V... IN... RU...

Scio non defore aliquos, qui hæc inter decimi sæculi deliria reponent, dicentque Edgari filiam, è vago concubitu natam, sanctitatis famam, non nisi vitio collegisse. nam ante hæc infelicia tempora, quæ bellum sanctis indixerunt; fuerunt aliqui, idem opinantes: Sed Deus manifesto infortunio docuit illos melius sapere; utinam docturus alios, eodem argumento. Canutus Rex, externus homo, Sanctos quidem coluit: sed cum Angliæ regnum injuriâ occupasset; de Anglorum sanctis humiliter nimis sensit; donec cœlesti prodigio territus, pœnituit. rem gestam ita refert Malmesburius. *Cnuto*, inquit, *natione Danus, vir efficax: sed qui pro gentilitiis inimicitiis Sanctos Anglos non diligeret. Quâ consuetudine contumacior; cum quadam Pentecoste apud VViltoniam esset; in ipsam Virginem solemnes cachinnos effudit: nunquam se crediturum, filiam Regis Eadgari sanctam esse; qui vitiis deditus, maximéque libidinis servus, in subjectos propior tyranno fuisset. Hæc dum ille, stomacho suo serviens, credulitate ructaret barbaricâ; contradicebat Ednodus Archiepiscopus, qui aderat. Cnuto concitatior aperiri sepulchrum jubet, visurus quid Sanctæ mortua Virgo afferret. Effracto ergo mausolæo, defuncta, oppenso ante faciem velo, cingulo tenus assurgere, & in contumacem Regem impetum facere visa. Hoc ille turbatus metu, longè reducto capite, debilitatoq́; vigore genuum, lapsus humo concidit. Ruina corpus attrivit; adeo ut intercepto diutius anhelitu exanimis putaretur. Sed redeunte paulatim vigore, lætus erubuit; quod quamvis severe castigatus, pœnitentiæ reservatus sit. Habetur ergo in plurimis locis Angliæ festum ejus venerabile, quod nemo impunè temerare præsumat.* Ita Malmesburiensis. Addit Capgravius: *Canutus deinceps S. Virginem in magno honore habuit. Unde semel, ortâ in mari tempestate, B. Editham invocavit: & serenitate reddita ad portum optatum applicuit.*

TR... ON... CRI... OC... RITUR.

Malmesb.

XV. BAPTISMI RITUS SACRI.

Omiseram ferè, quod tamen Ecclesiæ nostræ Annalibus ideò inferendum est, quia religiosum baptismi ritum, morémque sæculi designat, quem

tuamnum servant Orthodoxi: nimirum cùm infans baptizatur, patrinum habet, sive è fonte susceptorem: & insuper cereus, rectæ fidei hieroglyphicum, in manus traditur. Utrumque hoc anno factum, cùm Editha moritur; quæ paulò ante mortem rogata, matris, in baptismo, officio fungi: ac mancipii responso, petitionem solvisset, ante natum infantem moritur: officio tamen pietatis non videtur defuisse. nam ita in ejus vita legitur. *Tricesimo transitus sui die, nata est ex illustrissimis parentibus parvula; super quâ, ipsa Beata Editha, ante mortem rogitata, ut de sacro fonte hunc partum, cum nasceretur, susciperet: Suscipiam, inquiam, quomodo Deo placuerit. Sed illa ante nata est cœlo quam ista mundo. Allata itaque ad Ecclesiam infantula, cum Elphegus illam baptizaret; & post, cereum prætenderet, dixit: Accipe puella lampadem, cum qua introeas ad nuptias Domini: subitò quasi sancta Editha coram tenente susceptam infantulam palmulam porrexit, cereumque ultro suscepit, & tenuit. Intellexit repentè sanctus Elphegus Episcopus, hoc esse mirabile præsagium divinæ electionis, & statim parentibus ejus ait: Hanc infantulam soli Deo desponsandam nutrite: & post ablactationem, monasterio tradite. Hæc enim puella, Brithgiva vocata, apud Wiltoniam Abbatissa effecta, in sanctâ conversatione vitam finivit.* Itaibi. Brithgina hæc, ab aliis Brithina appellatur: præfuit Wiltoniensi monasterio, sub annum Domini millesimum duodecimum; cum stupente mundo prodigium accidit, præteritis sæculis vix auditum: cum plures à Deo percussi; quod Christi natalitia, ludibundi temerassent: quorum unus ad Edithæ Virginis sepulchrum, sanitatem recepit. de quo ibi.

Restaret dicendum, de Edithæ Virginis parente alterâ, quam Authores variè nominant. Malmesburiensis * nunc Wulfritham, nunc * Wilfritham vocat: alii * Wulftrudem, & Wolfhildam, & Wulfridam appellant. Sed nominum confusio difficultatem parit, & errandi (vereor) ansam biographis præbuit: nam distinguere quidam videntur Wulfhildam, a Wulfritha, & Wulftrude. Capgravius Wulfhildam Virginem laudat, Wulfhelmi Comitis filiam: eam ab Edgaro quidem ad impura solicitatam; sed nunquam vitiatam scribit: & denique monasteriorum matrem, & Abbatissam. quæ etiam in Martyrologium nostrum * irrepserunt. Ego probabilius puto Wulfhildam, ab eâ non distingui, quæ Editham Virginem peperit: & ab Edgaro corrupta est: certum tamen est, eandem sanctè vixisse, Virginibus præfuisse, monasteria fundasse, peccatum expiasse; piè mortuam, & in eadem Ecclesiâ, cum Edithâ filiâ, sepultam. Hæc omnia constanter asserit Malmesburiensis, qui cùm in Wiltunensi Ecclesiâ Editham sepelivisset: *Iacet*, inquit, *in eâdem Ecclesiâ, mater ejus Wilfrith, quam non sanctimonialem, sicut opinio vulgaris delirat; sed subito timore Regis, suo tantùm consilio velatam, constat; abrepto velo, regio cubili subiectam. Unde ille, quod fœminam attigisset, quæ vel umbraticè sanctimonialis fuisset; à sancto Dunstano redargutus, septennem exegit pœnitentiam. Illa quoque partu explicito, voluptati frequentandæ non inhæsit: Sed doluit potius, & sprevit: sanctéque pro vero asseritur, & celebratur.* Quamdiu vixerit, & quo demum anno mortua, incertum est. Nam quod aliqui velint eam anno 980. decessisse; non constat cum eo, quod de sanctâ Wulfhilde narrat Capgravius; è Berkingensi monasterio, invidâ presbyterorum ambitione ejectam, operâ Alftrudis, Ethelredi Regis matre; & post annos viginti eidem monasterio restitutam septennio, deinde vixisse. Nihil ergo definio; sed Malmesburiensem sequutus, cum filiâ, sanctam sepelio.

ANNUS CHRISTI 985.
JOANNIS XV. PAPÆ 1.
ETHELREDI ANGLORUM REG. 7.

ANnus qui sequitur nongentesimus octogesimus quintus, Romanæ Ecclesiæ gravis fuit; cùm Bonifacius Apostolicæ aliquando Sedis invasor, iterum ex Oriente in Urbem redit, sedeméque ibi Joannem decimum quartum è Sede pellit, in vincula conjicit, & demum mediâ confectum, hoc anno occidit. & Summi Pontificis nomen arrogat. Sed spurium vitulamen radicem in eâ Sede figere non potuit: post quatuor menses, à præsumpta tyrannide, mortuus, & miserè à suis, etiam post mortem, distractus, meliori locum fecit. Is fuit Joannes decimus quintus, patriâ Romanus; qui sub finem hujus anni creatus; deinde Legatum in Angliam misit, ad Ethelredum Regem, de quo postea. I. MORITUR JOANNES XIV. SUCCEDIT JOANNES XV.

Interim moritur in hac Insulâ Kinewardus, Wellensis Episcopus, cùm undecim annos Sedem tenuisset. in ejus locum successit Abbas Glastoniensis, Sigarus nomine: de quo in Antiquitatibus Glastoniensibus hæc leguntur. *Ethelredus Rex contulit Sigaro Abbati Aullancliff sex hidas, Siteberg unam hidam, reddidit manerium de Pokeleschurch triginta hidas. Dedit insuper in Wilton unam mansam, emptam quadraginta markis auri.* II. KINEWARDUS WELLEN. MORITUR, SUCCEDIT SIGARUS. *Antiq. Glast.*

ANNUS CHRISTI 986.
JOANNIS XV. PAPÆ 2.
ETHELREDI ANGLORUM REG. 8.

ANno Domini nongentesimo octogesimo sexto; Ethelredus Rex, pro regno, quod matris crimine occuparat; iterum à Danis punitur: quos cum ferro vincere ignavus homo, aut non posset, aut non auderet: auro, argentóque vincere, & eo solùm armorum genere, ab Insulâ arcere, coactus est. Ita avari Principis cupiditas, quâ nuper in Andream sanctum, & Roffensem urbem peccaverat, justissimè expiatur. quod optimè observavit Florilegus: *Anno gratiæ*, inquiens, *nongentesimo octogesimo sexto, Rex Anglorum Æthelredus; qui prohibente Beato Dunstano, centum libras ab Episcopo Roffensi extorserat; pro pace brevissimâ, pensionem sedecim millium librarum persolvere compulsus est.* Hoc primum ignaviæ Regis argumentum, primúsque census Dano persolutus; qui postea in immensum crevit, ut dicetur. nam hactenus Dunstanus, qui adhuc superstes; iratam Dei manum continet. Sed eo mortuo; idem hostis, quà Regis ignaviâ, quà provincia- I. ETHELREDUS DANOS PECUNIA AVERTIT.

lium

lium ioertiâ, audacior factus; ingentem sæpius pecuniæ summam, & tandem totius Insulæ imperium, emunget.

II. MORITUR ELSTANUS WILTUNENSIS SUCCEDIT SIRICIUS. *1 an. 983. 6

Moritur eodem anno Elstanus, Wiltunensis Episcopus, de quo * superius, insigne religiosæ obedientiæ argumentum recensui. & ideò inter Sanctos legitur ad sextum Aprilis. de quo etiam relator vitæ ejus, apud Malmesburiensem ita scribit: *Fundeyn Elstanum, Abbatem vidimus, qui etiam deinde pontificali honore sublimatus, sancto fine quievit in Domino.* mortuum hoc anno, quo juxta Fastos, successorem accepit Siricium illum; qui post paucos annos Cantuariensem Sedem ascendet. de quo, mendosè, ut cætera solet, Parkerus ita scribit:

Antiq Brit. fol. 90.

Siricius ex monacho Glastoniensi. Augustiniensis cœnobii Abbas, Dunstani Archiepiscopi beneficio, creatus est: postea verò sub eodem Dunstano, ad Episcopatum Wintoniensem evectus fuit. mendosè, inquam; quia vivit etiamnum, & diu vivet, Ethelwoldi successor, Elphegus, Wintoniensis Episcopus. lege ergò, Siricium à Dunstano evectum, ad Episcopatum Wiltoniensem: quem brevi, cum Cantuariensi, commutabit.

ANNUS CHRISTI 987.

JOANNIS XV. PAPÆ 3.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 9.

I. PESTE INSULA CORRIPITUR.

DANORUM audaciam, inter cætera, auxit calamitas, quæ anno nongentesimo octogesimo septimo, universam ferè Insulam occupavit; pestis, inquam, & hominum, addo & jumentorum interitus: unde minor virorum numerus, & Danorum viribus impar fuit. *Duæ pestes* (inquit ad hunc annum Florilegus) *Anglorum gentem; febris scilicet hominum, & mortalitas animalium, afflixerunt: & clade pervalidâ, tam populum afficiendo, quam jumenta consumendo, per omnes fines regni graviter contriverunt.* Utramque pestem gravissimam fuisse, ac Anglorum genti retro sæculis incognitam, Wigorniensis & Hovedenus affirmant, adduntque inedicibiliter eandem sævisse.

Westm. inc.

II.

Juvat, hoc loco, Regiam Ethelredi chartam apponere; quam Ethelsigo ministro dictavit: quæ licet lucem in impressis Codicibus nunquam viderit, & Manuscriptum imperfectum sit: genuinum tamen, & huic anno proprium, Episcoporum, & Abbatum nomina repræsentat; quibus annorum series stabilitur. Diploma est hujusmodi:

DIPLOMA ETHELREDI REGIS ETHELSIGO DICTATUM.

*ANnuente Dei patris ineffabili humanitate, proclementiâ, qua adnullato primi tersigenæ piaclo, nova restaurationis admirabile quoddam decus, æterna consortem majestatis, filium suum visitare dignatus est. Qui terrena condolens fragilitati, custodita per virgines pudicitiam flosculi, afflatu Angeli, virginis claustra subintrans, nova Incarnationis mysterium, se ostentandum dedicavit, ostendens se dictis, factisque, miraculorum, quibus desifice pollebat, Dominum: cunctaus omnium, imperante sermone, ægrotationum pondus. Tandem quadrati pro nobis ferens supplicia ligni; jugum hereditaria mortis absumens; diu, longeque interdicta reseravit limina portæ. Pro cujus inenarrabilis gloriæ recordatione: Ego Ethelredus, gratia Dei sublimatus, Rex & gubernator totius Angligenæ gentis, aliarumque gentium in circuitu persistentium; cuidam meo fideli Ministro, vocitato nomine Ethelsige pro suâ humillimâ devotione, quandam telluris particulam, duodecim videlicet mansas largiendo; libenter concedens, perdonabo illic, ubi * colones antiqui ita nuncupando nomen indiderunt At Æsce: ut habeat, ac perenniter possideat, quamdiu vivat, in æternam hereditatem. & post se, cuicumque sibi placuerit..*

* *coloni*

Si quis igitur hanc nostram donationem in aliud quam constituimus transferre .... barathri incendiis lugubris jugiter cum Iuda Christi proditore, ejusque complicibus puniatur; si non satisfactione emendaverit congruâ; quod contra nostrum deliquit decretum. Sit autem prædictum rus liberum ab omni mundiali obstaculo, cum omnibus ad se ritè pertinentibus campis, pascuis, pratis, silvis: tribus exceptis causis, expeditione videlicet, pontis arcisve constructione. Istis terminis prædicta terra fit distincta, & circumcincta claressit: &c.

Anno ab Incarnatione Domini nostri JESU CHRISTI *nongentesimo octogesimo septimo, Indictione decima quintâ, scripta est hæc Kartula his testibus consentientibus, quorum nomina infra caraxata sunt.*

Ego Æthelred, Rex Anglorum, hujus donationis libertatem, regni totius fastigium tenens, libenter concessi.*

Ego Dunstan, Archiepiscopus Dorovernensis Ecclesiæ, cum signo sanctæ Crucis confirmavi

Ego Oswold, Archiepiscopus Eboracæ Civitatis, Crucis thaumate adnotavi †.

† *Ego Elstan, Episcopus, consensi.*

† *Ego Ælfheh Episcopus, acquievi.*

† *Ego Ethelgar Episcopus, consolidavi.*

† *Ego Æscwi Episcopus, impressi.*

† *Ego Æthelsige Episcopus, roboravi.*

† *Ego Sigeric Episcopus, non renui.*

† *Ego Alfwold Episcopus, non renui.*

† *Ego Osdbyrht Abbas.*

† *Ego Leofric Abbas.*

Qui sine Sede scribuntur Episcopi ita distinguendi sunt: Elstanus fuit Londinensis Episcopus, sic enim in alio Diplomate hoc anno dato [illegible] scribitur. Ælfheh, opinor Elphegus est, Wintoniensis Episcopus, Ethelwoldi successor: vel certè Lichfeldensis: nam eo etiam nomine ibi sedet Antistes. Æthelgarus, Australium Saxonum [illegible] Selesciensis Episcopus est; qui sequenti anno Dunstano succedet in Cantuariensem sedem assumptus. Æscwius, Dorcacestrensem; Æthelsigus, Shireburnensem Ecclesiam administrat. Sigeric Episcopus, non alius ab eo, quem suprà Siricium vocavi, Wiltunensem Episcopum. Nam benè norant Fasti, eum Siricum, Sigericum, & Siericum, appellari. prædictorum Episcoporum sedes, è sequenti Ethelredi Regis charta confirmantur. Allwoldus denique Cridiensis Episcopus est, eo nomine secondus, qui satis probabiliter hoc anno, post mortem Alfrici, ejusdem sedis Antistitis, consecratus est. nam omnes passim eum Alfrici successorem nominant. licet Fasti ingressum ejus, post annos octo consignent. & Godwinus velit Alfricum obiisse anno Christi nongentesimo nonagesimo nono. Unde nihil constanter potest affirmari. & mihi, præter dictam Ethelredi Chartam nullum aliud suppetit argumentum contra opinandi. nam satis scio Episcoporum nomina posterius aliquando Chartis apponi.

ALFRI[illegible] C[illegible] MOR[illegible] SUC[illegible] AL[illegible]W[illegible] OUS [illegible]

V. Leofricus Albanensis Abbas. Pares in Ab... Abb. 20.

Abbates duo, qui in diplomate nominantur, Ordbright,& Leofricus, magni nominis fuerunt. Leofricus, opinor, Albanensis cœnobii Abbas est, quem Matthæus Parisiensis, decimum numerat: & hæc de eo habet: *Electus est Leofricus, loco Fadwari, in Abbatem: vir elegantissimæ staturæ, & venustæ faciei, filius Comitis Cantiæ; qui dum adhuc sæcularis esset, assumpturus habitum religionis: hereditatem paternam pro hereditate cœlesti reliquit: Fratri suo, qui consequenter natu minor erat, benigne ipsam concedens: quia ipsum tenerrime diligebat. Ut intrans claustrum vere ... possit, regnum mundi, & omnem ornatum ejus contempsit.* Spectabilis *Expectabilis, inquam, erat corpore & facie: sed pulchrior Fide, & moribus. Hunc exigentibus ejus præclaris meritis, in Archiepiscopum Cantuariensem electus, non consensit; asserens fratrem suum Alfricum, ad hoc esse digniorem.* Hæc ibi. Sed quæ sequuntur, de assumptione ... ad Archi-præsulatum Cantuariensem; ... purpureis usus sit vestibus, nigris tamen: & alia, qui in margine notantur, plané nutant. Nullus enim in Cantuariensi sede Leofricus, hoc sæculo, nominatur. & Alfricus ejus frater, qui Leofrico in Albanensis monasterii præfectura successit, differt omnino ab eo qui Cantuariensem Sedem ascendit, sub annum Christi nongentesimum nonagesimum quintum, ut dicetur. Ordbrythus Abbas, sequenti anno, Ethelgaro succedens, ad majus sacerdotium consecratus, Australium Saxonum Ecclesiis præerit.

Est Ethelredi Diploma aliud, quod Hidæ Annales exhibent hoc anno datum; & quia Episcoporum firmandas Sedes spectat, nolo illud omittere. Sic autem inscribitur: *Charta de Manyngford, ex dono Ethelredi Regis: videlicet anno regni ... nono.* Sic verò incipit:

M*undi denique status, Christi moderatoris disponente clementiâ, vario subjacet Principum regimini: hocq; mirâ altum divinæ dispositionis providentiâ, ... ut quos ... prosapiâ, par attolleret sublimitas: ut quos decus adornat humilitatis; hos Regum majori provehat dignitate sublimitas: quosque elationis fastus reddit turgidos; hos æqua Heroum prosternat severitas. Quamobrem Ego Ethelredus totius Albionis basileos, cuidam mihi obsequentium, Athelwoldo vocitamine, pro ejus placabili obsequio, quandam terræ particulam, id est, decem manentia, in eo loco, quem ... Manyngford appellant, in perpetuam concedo hereditatem: quatenus ille benè perfruatur, ac prosperè possideat: quamdiu præsenti fruitur vitâ: & post post vitæ suæ terminum, cuicumque sibi placuerit, heredi derelinquat. Sic autem præfata terra liberrima, ab omni mundiali obstaculo, cum omnibus ad illam pertinentibus, in campis, in pascuis, pratisq;, ac cursibus aquarum, tribus tantum modo causis exceptis: id est, expeditione, pontis, arcisve restauratione. Si quis autem hanc donationem pervertere studuerit, perpetuæ maledictionis incurrat reatum. & gehennæ æternum sustineat incendium, nisi mortis ante exitum, hanc præsumptionem emendare curaverit, per satisfactionem ... Istis terminis ambitur præfata tellus, &c.*

Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo septimo: anno verò nono præfati Regis, scripta est hæc Chartula his consentientibus, qui subterscripti videntur.

† *Ego Ethelredus, Anglorum famosus Imperator, hanc donationem libenter confirmavi.*

† *Ego Dunstanus Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopus, adquievi.*

† *Ego Oswaldus, Eboracensis ecclesiæ Archiepiscopus, consolidavi.*

† *Ego Elfstanus, Londoniensis ecclesiæ Episcopus, consignavi.*

† *Ego Ethelgarus, Australium Saxonum episcopus, stabilivi.*

† *Ego Elfeagus, Wintoniensis ecclesiæ episcopus, roboravi.*

† *Ego Rigerius Corniensis* (lego Sigericus Cornubiensis) *ecclesiæ episcopus, impressi.*

† *Ego Ethelsinus, Schireburnensis ecclesiæ episcopus, annotavi.*

† *Ego Beorhtnoth Dux.* † *Ego Elflic Dux.*
† *Ego Ethelwine Dux.* † *Ego Ethelweard Dux.*
† *Ego Ordbricht Abbas.* † *Ego Eadwine Abbas,&c.*

VIII.

Colligo ex hoc Diplomate, Elfstanum Londinensem, ad annum hunc superstitem fuisse: nec prius Sedem Wulstano dedisse; quem passim Authores, ejus successorem faciunt: & dudum Fasti, hoc est, ad annum Christi nongentesimum octogesimum primum, in Londinensi sede collocarunt. quod duo hæc diplomata non admittent, neque alia inferius ponenda. In aliis Episcopis nulla difficultas. Ethelwoldus hic cui facta donatio, cujus testamentum condidit; dictam terram novo monasterio legavit; aliaque dedit, quæ in ultimæ voluntatis tabula leguntur, in hunc modum:

Testamentum Athelwoldi.

Ethelwoldi testamentum.

I*Mprimis precatur cognatum suum, propter amorem Dei, & suam gratitudinem. quod legatio sua inviolabiliter stare possit: & quod impleatur, de rebus secundum quod scriptura inde confecta demonstrat. Imprimis legat, pro salute animæ suæ, viginti marcas auri, novo monasterio Wintoniæ, & unum cyphum, ut habeant illum, in suis memoriale sempiternum. Insuper legat 20. marcas auri fratribus suis Abindoniæ. Insuper legat consanguineo suo 30. marcas, ad custodiendum ipsum meliori modo, quo poterit, in infirmitate suâ; & duo lectisternia, duos equos, duos enses, duos clypeos, duas lanceas: Insuper legat uxori suæ, decem hidas terræ apud Manyngford, quamdiu vitâ gaudet hac temporali: & post diem defunctionis suæ permaneant prædicta decem hidæ terræ novo monasterio Wintoniæ: pro utriusque eorum animæ salute. præterea legat uxore suæ 30. marcas auri, & unum cyphum: & dat filio uxoris suæ, unam hidam terræ apud Upton, & unum lectisternium: & dat omnibus aliis servientibus suis unam loricam, & Leofwino alteram.*

ANNUS CHRISTI 988.

JOANNIS XV. PAPÆ 4.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 10.

I. Britannorum dissidia, unde?

ANno Christi nongentesimo octogesimo octavo; Britanni, qui Insulæ hujus ardua & montana incolebant, à Saxone eò coacti, civili inter se discordiâ; non tam in cives, quàm in sua viscera armantur. Silurum gens, quam Tacitus notat, *quod non atrocitate, non clementiâ mutaretur, quin bellum exerceret*: ubi à Saxone

vexari d[illegible] fierunt: nec ausi sunt contra niti; provincias inter se partiti, bellorum seminaria fecerunt. Dum enim pro se quisque litigat, & privatis affectibus servit; Remp. languere, & in exitium ruere necessum est. quod alibi sæpius, nunquam melius, quàm in Britannorum ruinâ legitur. Sensit hoc olim Tacitus, & Britannos intelligens, ait: *Nec aliud adversus validissimas gentes, pro nobis utilius; quam quod in commune non consulunt: rarus duabus tribusque civitatibus, ad propulsandum commune periculum, consensus. Ita dum singuli pugnant, universi vincuntur.* Erat igitur inter Silures vir Princeps, Arthmail nomine; qui & Guentiæ Rex dicebatur; quod antiquam urbem, quæ Venta Silurum audiebat, & vicinam ei provinciam regeret. Ille cum fratre simultates fovens, eundem hoc anno tandem occidit: quod facinus Britannorum Ecclesia detestata, Regem a fidelium communione tamdiu separavit; donec reus, de facto pœnitens, crimen expiaret. Factum hoc in Synodo, cui Landavensis Episcopus præfuit; & ubi res gesta pleniùs exponitur: quam Spelmannus recitat ita inscriptam.

Tacit. in Agricola.

II. apud Spelm. fol. 402.

Synodus Landavensis, sub Gucano (aliàs Gucauno) vigesimo sexto Landaviæ Episcopo, à S. Dunstano Cantuariæ anno Domini 982. consecrato: Qua Arthmail, Rex Guentiæ ob fratricidium, Anathema declaratur.

SYNODUS LANDAVENSIS.

ARthmail Rex Guenti, filius Nougui, occidit fratrem suum Elised; imo semetipsum, ut est metricè dictum:

Quicumque alium molitur lædere, primum
Ipsum se jaculo percutiet proprio.

Et facto tam execrabili homicidio, & humano generi exoso: Episcopus Gucannus, missis Legatis per totam parochiam sibi subditam, & obtemperantem Ecclesiæ suæ Landaviæ; propter clericos omnes de majoribus gradibus, usque ad inferiores gradus, ut simul convenirent apud Landaviam. Et congregatis illis omnibus, de fine ad finem, ut prædiximus; affirmante totâ Synodo; fecit Regem anathematizare: & ablatâ sibi totâ Christianorum communitate; & audito sibi facto anathemate; requisivit veniam lacrymabili devotione, apud Landaviam: & injunctâ sibi pœnitentiâ, de fratricidio perpetrato; largitus est in eleemosyna Deo, & sanctis Dubritio, Teliauo, & Oudoceo, & Gucanno Episcopo, & omnibus successoribus Landaviæ in perpetuo, Lann Mihangel Lichrit: Sed melius, opinor, hæc ultima verba in Godwino exprimuntur, ita: *Arthmael filius Nougui, Rex Gwentiæ, postquam occidisset fratrem Elised, dedit Lannmihangel, Lichrit, & alia prædia.* Hunc in modum, Ecclesiastica disciplina, etiam inter Britannorum miserias, viguit: & Episcoporum authoritas, à primo mane eorundem fidei, ad ultimum vesperum mansit. Quod non solùm Occidenti nostro, sed Orienti etiam, Austro, & Septentrioni quoque: hoc est universo mundo, quaqua patuit Christianus orbis, solenne fuit: donec novissimis temporibus discesserunt quidam a fide: qui dum pro fide pugnare se fingunt, omnem fidem impugnant.

III. MORITUR S. DUNSTANUS.

Moritur hoc anno, Episcoporum decus, & Ecclesiæ nostræ ornamentum singulare, Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus. prævio enim calamitatis oceano, qui Insulam inundaturus [illegible] visisque præludiis, quæ illum innuebant [illegible] animæ suæ, ut moreretur: paulo ante ge[illegible] quòd Ethelwoldum, & Elfhaun seq[illegible] fet: nunc vero insigni visione [illegible] mente [illegible] conf[illegible]atur, invitatque ad cæli gaudia; ip[illegible] cendentis Christi [illegible] die: Quod ille nunquam devote excepit, causatu tamen [illegible] quas proximorum amor dictaverat. Qui [illegible] Dunstani scripsit apud Capgravium [illegible] ejus re[illegible]nscit: *Anno Domini duodecimo [illegible] lisimo, adventus Anglorum in Britanniam [illegible] sino tertio, Archiepiscopatus sui tri[illegible]simo tert[illegible] sua septuagesimo, sanctus Christi [illegible] Dunst[illegible] virtutibus plenus, & operibus bonis, [illegible] ad [illegible]minum. Cum enim instaret dies Ascensionis Dominica, peractis vigiliis, remansit Dunstanus in oratione [illegible] Ecclesiâ solus: & ecce innumera [illegible] laudatorum [illegible]tudo, coronas aureas in capite gestantium, [illegible] bili fulgore micantium; per Ecclesiæ januam irrui[illegible] ante ipsum conglobata astitit, unâ voce salutans & dicens: Salve Dunstane noster, [illegible] tibi, quem pie desideras, Filius Dei [illegible] ratus es, venias, & diem hanc, ad cujus ga[illegible] rus, nobiscum celebres. Ad quod il[illegible] perterri[illegible] manens, sciscitatus est, qui essent? [illegible] quiunt, & Seraphim sumus: & respond[illegible] Tunc ille: hodie dies solennis[illegible] est; & [illegible] mihi pane verbi Dei ple[illegible] ostendere illi, qui [illegible] ad hoc gaudium possit pervenire: propter quod & multi convenerunt, nec debeo eos deserere. C[illegible] hodie venire non possum. Qui dixerunt: Esto paratus ergo, in diem Sabbati, præstò [illegible] hinc nobiscum Romam venire: & coram summo Pontifice Sanctus, Sanctus, Sanctus æternaliter canere. Annuit ille: & illi recedunt.*

Capgrav. in Dunstano.

Lecto igitur, eo die ad Missam Evangelio, loquutus est ad plebem, qualiter nunquam antea fuerat loq[illegible] ostendens, qua ratione Filius Dei, carnem induerit [illegible]cur humani generis salvationem, non nisi mor[illegible] compleverit. quemadmodum, resurgens à mortuis, mortis principem superaverit: & famulantibus Angelis, cælum ingressus sit. Deinde Sanguinem Christi incomparabiliter omnibus creaturis docuit esse præstantiorem: tantamque fiduciam in effusione Sanguinis [illegible] mundum habere posse, ut si unus aliquis totius mundi peccata haberet; neque de multitudine, neque de magnitudine criminum, illi esset desperandum, si me[illegible]torem Dei, & hominum haberet advocatum. [illegible] versus ad altare, celebravit mysteria. Ubi autem [illegible]tum est ad benedictionem, super populum, iterum ab altari prædicaturus regreditur: ita ut non hominem, sed Angelum loqui putares. Iterum ad altare reverti[illegible]tur. & datâ benedictione, iterum ad populum red[illegible] stupentibus cunctis: Et mox, ut ad loquendum, os aperuit; tantâ claritate vultus ejus resplenduit, ut nemo in eum intendere posset. Obitum suum illis instare prædixit, promittens se illis nunquam defuturum. Et tunc ad mensam Domini [illegible] est. Eadem die, cum amentiâ, sumpto cibo, surrexisset, Ecclesiam petiit, & designavit locum in quo sepeliri voluit.

Mox languor eum invasit: sexta feria [illegible] decubuit, omnesque adventantes ad sequenda Christi vestigia incitavit. Sabbato enim cum horam suam expectaret, subito cum lecto, in quo jacebat, usque ad superiora levatus est: & trabibus ob[illegible] ut ad terram leniter demissus. Iterumque usque [illegible] ales, [illegible] suo, raptus est, ut prius; & iterum leniter demissus.

V

Hoc usque tertio factum est. Videntes hoc qui adstabant, territi fugientes, & parietibus innixi, de longe sursum aspicientes, exitum rei videre cupiebant. Convocat omnes Dunstanus, qui fugam inierant, talibus eos demulcens: Vidistis, ait, filii, vidistis charissimi, quo me Deus vocat; quò ineffabilis Dei misericordia invitat. Semita itineris mei, præ oculis ostensa est vobis: at nullus vestrum de præmio diffidat, qui vitæ meæ diligens sectator extiterit; Sursum est, quod amplector; sursum, quò gradior. Estote ergò vitæ imitatores; si itineris mei cupitis esse sectatores. Nolite boni videri, sed esse. Hoc enim maximum inter homines malum est; quod omnes cupiant boni videri: & nolunt non esse mali. Pacem semper sectamini.

Dunstani prædictio.

Prædico etiam vobis Anglorum gentem, dira ac diuturna mala ab exteris gentibus esse passuram: sed in fine dierum, miserationem Dei, super illam, stillaturam. Et extensis ad cœlum manibus, inter verba orationis, videt illos, qui se, ad cœleste convivium invitaverant, beatos Angelos assistentes, & cœleste illi obsequium præparantes. Quorum veneranda præsentia felix anima illius, de habitaculo corporis egressa, ad contemplandam æterni Regis claritatem; cum illis profecta est, decimo quarto Calendas Junii. & in Ecclesiâ Salvatoris Cantuariæ, cum magno honore sepelitur.

Angeli adsunt morienti.

Hactenus ex Osberno, de Dunstano retulimus: sed qui primùm ex Osberno collegit, annorum seriem non probè assecutus, peccat, ut suprà cum Dunstanus nascitur ostendimus. Hinc qui natus est, sub annum Christi nongentesimum vigesimum quintum; & denatus anno nongentesimo octogesimo octavo, ut omnes passim affirmant; septuaginta annorum esse non potuit. Iterum, qui Cantuariensem Sedem intravit, anno nongentesimo quinquagesimo nono, & hoc anno exivit, octo tantùm & viginti annos ad summum sedisse potuit; non tres & triginta, ut ille supputavit. Melius ergò Malmesburiensis Sedis annos collegit, ita de ejus morte loquens, cùm viventis virtutes numerasset: *His*, inquit, *gloriosus triumphis, victoriosus adoreis, vicesimo septimo patriarchatus sui anno exacto, translatus est, ingenti suâ gloriâ, imminenti patriæ ærumnâ: Siquidem statim læta elementorum facies emarcuit; pax per ejus sapientiam procurata; superventu Danorum evanuit: quamvis ille maximis fignis filiorum calamitates levigaret.*

V. Tempus vitæ, se... et ... or is ...cutitur.

Malmesb. de Pont. l. 1. f. 293.

Cæterùm de Dunstani ætate, in Antiquitatibus Glastoniensibus, ita legitur: & consonat his, quæ superiùs notata, & consignata sunt. *Beatus Pater Dunstanus transiit ad Patres suos, anno ætatis suæ sexagesimo quarto, ab ordinatione suâ, in Archiepiscopum vigesimo septimo. Incarnationis verò Domini nongentesimo octogesimo octavo. & in Ecclesiâ Christi Cantuariæ condigno honore conditus est; sed qualiter Cantuariam translatus, postea subjungendum.* nos etiam infrà illud ponemus.

Antiq. Glast. fol. 76.

VII. Colitur Sanctus.

Dunstanum mortuum Orthodoxus orbis veneratus est, & nomen ejus Martyrologiis omnibus, ad æternam illustrissimi viri memoriam coluit: in hac Insulâ præsertim, ubi ædes ejus nominis sacræ hodiéque visuntur: sed quamdiu visentur, incertum; ita oudifidis protestantes, in nullam Fidem desinentes, Orthodoxam Fidem, & omnia ejus sacra persequuntur. Quam benè de Fide, de Ecclesiâ, de omni Rep. meritùs sit Dunstanus, & ita nomen cultumque Sancti, dicat Polydorus: *In hæc tempora*, inquit, *incidit Dunstanus, qui pariter de patriâ rectè consulendo, prudenterque, monendo; atque de religione rem divinam augendo, benè meritus est. cujus sanctitas pietasque, mortalibus perspecta. Deoque grata faciebat: ut & illius memoria in dies magis perpetuaretur; & dum vivebat multis miraculis niteret. Is per omnes dignitatis gradus, ad Archiepiscopatum pervenit. Fuit prius Abbas Glastoniensis, deinde Episcopus Wigorniensis, atque simul Londinensis. Quippe qui idoneus dignùsque erat, qui magnis & multis fulgeretur honoribus: postremo Cantuariensis Archiepiscopus factus, Edoardum atque Ethelredum* (Adde Edgarum) *Reges sacravit. Qui ætate jam detrusâ, vitâ excessit, anno cum sedere cœperat, octavo & vigesimo: fuitque inter Divos, ob vitæ sanctitatem, relatus.* Hæc ille.

Polydo. l. 7.

VIII. Baronii elogium

Baron. hic n. 5.

Sed omnium (ut solet) optimè, Annalium conditor Baronius, ita hunc annum nongentesimum octogesimum octavum concludit: *Moritur*, inquit, *hoc pariter anno, mirificus ille Dunstanus, Archiepiscopus Cantuariensis, quem egregia vitæ sanctitas, sacerdotalis immota constantia, claritudo miraculorum, & omnia Spiritus sancti Charismata illustrarunt: Ut hac ex parte Anglia non habuerit, quod invideret aliis nobilissimis civitatibus. Res ab eo præclarè gesta: ex quibus nonnulla, ad Annales spectantes, diversis locis, superius, pro ratione temporum collocavimus, ab Osberto* (Osberno rectiùs) *monacho diligenter fuere conscripta. Planè accidit, quod & vaticinatus est, ut post mortem ejus, multa mala Angliam occuparent.* Verùm priusquam hæc mala recenseo, Dunstani successorem in Cantuariensi Sede nominare debeo. quod breviter a Malmesberiensi sic narratur: *Dunstano*, inquit, *successit anno uno Ethelgarus: qui primus in novo monasterio Abbas, à Beato Ethelwoldo Wintoniæ factus: post etiam præsulatum Australium Saxonum acceperat: cujus Sedes tunc erat apud Selesiam: nunc est Cicestria.* Illi Cantuariam translato, successit in Selesiensi sede Ordbrightus: Abbas, opinor, qui Regiæ Chartæ nuper subscripsit; sed cujus cœnobii Abbas fuerit necdum reperio. nunc Dunstani sancti vaticinium explicemus; & mala quibus, eo mortuo, ingemuit Insula.

Malmesb. de Pont. l. 1. f. 293.

Ethelgarus Episcopus Cantuarien.

Ordbrightus Selesien. Eps.

IX. Prædictionum Dunstani veritas.

Antiq. Glast. fol. 76.

Igitur Dunstano mortuo (ita habent Glastoniensia monumenta) *supervenerunt Dani, quasi in quolibet Angliæ portu, in multitudine maxima: ita ut nesciretur; ubi illis posset occurri.* Portum unum nominat Hovedenus: *Anno*, inquit, *nongentesimo octogesimo octavo, Werced-port a Danicis piratis devastatur: à quibus satrapa etiam Domnaniæ Goda nomine, & miles fortissimus Stremewoldus, cum aliis nonnullis perimuntur: sed tamen ex illis plurimis occisis, Angli loco funeris dominantur.* Ita etiam Wigorniensis. alii tamen, prostratos ferè Anglos, non uno in loco, affirmant: *Venerunt Daci*, inquit Huntindonius) *& operuerunt Angliam quasi nubes. Ex unâ parte Weche-port prædata est. Inde autem Daci progredientes, exercitui Anglorum obviati sunt. Qui confligentes, Godam-Ducem eorum occiderunt: & partem illam exercitus in exterminium redegerunt. Ex aliâ vero parte Wic prædata est. Britnod vero Consul, cum magnis viribus obvians illis, pugnavit, & victus est, & gladiis cæsus occubuit. & phalanges ejus in perniciem redactæ sunt.* Sunt hæc initia dolorum, quæ hunc & sequentem annum fœdaverunt. Sequentur alia, quæ gravius ferient; cum Dacis omnis Insula tributo obligabitur, quæ in unum conjunxit Ingulphus ita scribens:

Hoved. hic

Huntind. l. 5. fol. 357.

Ingulf. fol. 90

Post obitum sancti viri (Dunstani) *caperunt dicta prophetia indies adimpleri: & mala innumera totam terram tribulare. scilicet Danici pirata, primo nostra litora, in omni terra latere, crebris assultibus infestare. Postmodum magna classe advecti exercitus eorum invicti, urbes & castella licenter expugnare: eodem etiam tempore fames valida indigenas maximè vexare, & vastare: morbus deinde qui dysenteria dicitur, tam in jumenta, quàm homines desævire: pestilentia cùm his multa millia, tam divitum, quàm pauperum, percutere, ac omnes hostes in capite super Anglos semper vincere, & in omni certamine semper prævalere.*

X. Ethelgarus Episcopus prædia commutat.

Omiseram ferè, quod hoc anno contigit, priusquam Dunstanus moreretur. Athelgarus Australium Saxonum Pontifex, ab Ethelredo Rege dono terram acceperat, Lamburn dictam, quam cum Alfrico Comite, pro aliis prædiis commutavit: assensumque Ethelredi Regis super eo, & concessionis chartam, impetravit; quam Annales Wintonienses in hunc modum recitant.

Ethelredi Charta de Heantune.

R*Egnante in perpetuum Domino nostro* Jesu Christo: *omnis status mundanarum rerum, superno gubernatur moderatore: ejusq; inexhausta dapsilitatis largiflua distributionis accensura pietatis invida, Regum, Satrapumq; prosapia mundi, jam jamq; principatus fastigio prasluente moderamine. Unde quicquid nobilitatis eorum industriâ statutum, deliberatumve fuerit; literarum id fore credimus evidenti approbandum serie. Quapropter ego Ethelredus, totius Albionis Basileus, cuidam mihi dilecto Antistiti, vocitato Ethelgaro, quandam telluris particulam; id est, septem manentia; in eo loco qui ab incolentibus, Heantun cognominatur; in perpetuam concedo hereditatem. Quam denique terram, favente mea dignitatis sceptrigera licentiâ; Comes Alfricus, prafato Pontifici, mutationis ratione dederat, pro ipsâ terrâ, qua Lamburna dicitur. Quam ego prius eidem Episcopo libertatis dono condonaveram: dum pro quodam facinore, ad meæ juris imperium extitisset addicta. Sit autem hac antedicta jam terra, liberrima ab omni mundiali obstaculo, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, in campis, & pascuis, pratis, & silvis, aquarumq; cursibus. Tribus tantùm casibus exceptis: qua hujus incola hactenus patria ritu observant legali. Id est: cum hostium cuneos, commilitonum corripere compulerimus arma: vel cum recuperationem expetunt pontium vada: seu cum arvis munitionem vastitas flagitat urbana. Libertatis igitur jure hanc tellurem prafatus possessor, longavâ tempestate possideat: & occidente invido membrorum situ, cuicumque sibi libuerit successori, jure hereditario derelinquat. Si autem, quod absit, quispiam hominum hanc evertere, vel adnihilare studuerit pagiunculam, invido animi tactus rancore; seu per antiquioris scedulæ adinventionem, hanc prasumptuosè pervertere conamine stolido tentaverit chartulam; noctis horrifica lethale excipiat exitium, cum pertinaci acie invidorum; ubi Belial infandissimus in seria perpetua obtinet imperium. nisi mortis, ante exitum, per satisfactionem congruam, tam perversa machinationis insaniam emendare curaverit nimium. Istis terminis ambitur, &c.*

XI.

Anno Dominica Incarnationis nongentesimo octogesimo octavo. indictione prima. decimo sexto Calendas Maii, scripta est hac chartula, his consentientibus testibus, qui subter caraxati certissimè visuntur. Est quoque octavus prafati Regis imperii annus, dum hujus mutuationis, ac libertatis concessa, ac titulata est firmitas.

† *Ego Ethelredus, Anglorum Imperator, hanc libertatem satis placabili actu meo Pontifici dilectissimo confirmavi.*

† *Ego Dunstanus, Dorovernensis Ecclesia Archiepiscopus, Regis devotioni libentissimè favi.*

† *Ego Osvvaldus, Eboracensis Ecclesia Archiepiscopus, consensi.*

† *Ego Elstanus, Londonia Prasul, acquievi.*

† *Ego Elgarus, Australium Saxonum Prasul, Regis donationum subinnse.*

† *Ego Ethelsinus, Schirburnensis Ecclesia Prasul, stabilivi.*

† *Ego Elpheagus, Wintoniensis Ecclesia Episcopus, roboravi.*

† *Ego Sigericus, Cornubiensis Ecclesia Prasul, consignavi.*

† *Ego Æscvvius, Dorcacestren. Ecclesia Prasul, impressi.*

† *Ego Elfstanus, Roffensis Ecclesia Prasul, pratitulavi.*

† *Ego Athulphus, Herefordensis Ecclesia Prasul, annotavi.*

† *Ego Ethelvvine Dux.*

† *Ego Beorhtnoth Dux.*

† *Ego Elfricus Dux.*

† *Ego Ethelvveard Dux.*

† *Ego Oordbyrht Abbas.* † *Ego Eadvvine Abbas.*

† *Ego Leofric Abbas.* † *Ego Leofsige Abbas.*

† *Ego Leofric Abbas. &c.*

X.

Hæreo hic, in Roffensi Episcopo, qui Elfstanus scribitur, quem dudum sepelivi: & quomodo nunc revixerit, nescio: præsertim cum unus tantùm eo nomine in Roffensium Episcoporum syllabo legatur. minor in Athulpho difficultas erit, si Alfricum, quem anno octingentesimo octogesimo tertio Herefordensi Ecclesiæ præfecimus, mortuum dixeris. nam omnes successorem ejus Athulfum vocant, quem Fasti paulò posterius, nimirum ad annum Domini nongentesimum nonagesimum septimum Herefordensem Episcopatum suscepisse, primùm scribunt. Cæterum malè dicitur hic Christi annus nongentesimus octogesimus octavus, Ethelredi Regis annus octavus: cùm omnes planè consentiant, Edoardum Martyrem obiisse in Martio mense anni nongentesimi septuagesimi noni; à quo, ad decimo sexto Calendas Maii præsentis anni, nonus integrè, decimus inchoativè, Ethelredi Regis annus numeratur. Ad Abbates, quod attinet: Ordbrithus post scriptam chartam, in Ethelgari (qui hic Elgarus dicitur) Australium Saxonum Episcopi locum subrogatus est, ut supra. Eadwinus, Abendonensis est Abbas, qui juxta Florilegum, sequenti anno moritur: prior Leofricus, Michelnensis; posterior, Exoniensis est Abbas, de quibus anno sequenti.

Moritur Alfricus. Succedit Athulfus.

Eadwinus Abbas Abindoniæ.

ANNUS CHRISTI 989.

JOANNIS XV. PAPÆ 5.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 11.

I. Wulfboldus contumax punitur.

QUi sequitur Christi annus nongentesimus octogesimus nonus, Ethelgari Cantuariensis Episcopi primus, secundus, & ultimus numeratur: quo Wulfboldus quidam Regius minister, Ethelredo rebellis, & ad parendum contumax,

vocato

Concilium Londinense.

Annal. Hidæ in Ethelredo

vocato Londinum procerum concilio, bonis omnibus exuitur: Quo etiam tempore Episcoporum & Prælatorum Synodus ibidem cogitur. Quæ omnia in Wintoniensibus Hidæ Annalibus referuntur, & causa, cur Wulfboldi prædia, Regio fisco addicta sunt in hunc modum. *Ista sunt foris factura in quas Wulfbold, valectus, cum omni sequelâ suâ, dilapsus est. Imprimis, progenitore suo viam universæ carnis ingresso, iste Wulfboldus terras noverca sua invadens; prædavit omnia, quæ ibi invenit. Audiens hoc inclytus Rex Ethelredus; misit nuntium ad prædictum invasorem, vice ternâ. Noluit tamen malevolus Wulfboldus seipsum refrenare; nec Regalibus obtutibus suam præsentiam, juxta Regis præceptum, adhibere. Cernens ista princeps nobilis, consilium vocavit Londoniis; in quo, inclinantibus regni magnatibus, adjudicatus est prædictus Wulfboldus, judicio Regio: & omnia quæ habuit sub cælo, Regi Ethelredo concessa sunt, prout in linguâ Anglicâ declarabitur.*

II. Synodus ab Ethelgaro indicta.

Sequitur narratio in linguâ Anglicâ: ut contumax Wulfboldus à concilio proscriptus, Regio arbitrio permissus sit, quoad vitæ bonorumque usuram: Cumque ejus prædia, ministri Regii occupassent: Wulfboldi uxor, Edmerum, & alios quindecim, immisso milite, trucidavit. Eodem tempore Athelgarus Archiepiscopus, cleri Synodum, in Londinensem urbem vocavit: ubi Wulfboldus capitur, & bona Regi addicta confirmantur. Et quod ad Synodum spectat, hi Ecclesiarum præsides adfuisse dicuntur: Athelgarus Archiepiscopus, Oswaldus Archiepiscopus, Elfstanus Londinensis Episcopus, Sigericus Episcopus, & Elfstan Roffensis Episcopus, Ordbrithus Episcopus, Elfeah Episcopus, Ethelsige Episcopus, Alfwold Episcopus Devoniæ, Eldred Episcopus, Sigegardus Episcopus, Efwius Episcopus, Theodredus Episcopus, Elfeah Episcopus, & Athulphus Episcopus. Adfuerunt etiam Abbates, quorum aliqui eum præfecturâ nominantur, in hunc modum: Eadulfus Abbas, Wulffige Abbas, Leofric Abbas, Sigewardus Abbas, Leofricus Abbas Milhelnensis, Leofricus Abbas Exoniensis, Alfun Abbas. Sequuntur proceres, & ministri Regii, qui ad Ecclesiasticos Annales parum faciunt: Episcoporum nomina omitti non possunt; quia ad temporis rationem, ad sedium ingressum, & egressum faciunt.

III. Itaque quod ad annum spectat rei gestæ; cum Ethelgarus Archiepiscopus, Synodi Princeps nominetur: & ille unum annum, & tres menses, sedisse à Dunstani morte, dicatur; vix dubium esse potest, quin anno Christi nongentesimo octogesimo nono, Wulfboldus, reus inventus, pœnam subierit, & bonorum jacturam. Necdum ergo Elstanus Londinensis Episcopus obierat, qui tamen in Fastis dudum successorem habuit, Wulstanum nomine: quem ego ante hunc annum sedisse non puto. Et quia, cum Wulfboldi prædia, Elfrithæ Regis matri donabuntur, anno Regis Ethelredi decimo-octavo; Wulstanus in diplomate scribetur Londinensis Episcopus; Elstanus fortè hoc anno moritur: & locum Wulstano fecisse dici potest. Elstanus alter Roffensis difficultatem habet, quam nequeo solvere. præsertim si ille; qui cum sancto Ethelwoldo, è Dunstani prædictione sanctissimè obiit, eo nomine vocabatur. nam tunc dicendum erit, Godwinum ejus successorem, binominem fuisse, & prædecessoris sui nomen induisse. Frequēs hæc nominatio hoc præsertim sæculo: nam qui sequitur Elstanum Lond. Sigericus Episcopus; alio nomine passim dicitur Siricius; qui Wultunensis est, & hoc anno, ut quibusdam placet, Ethelgaro successit Cantuariensi Episcopo: de quo anno sequenti. Ordbritbus superiori anno consecratus est, Australium Saxonum Antistes. Elphegus, qui sequitur, Wintoniensis, Ethelsigus, Schireburnensis est, & communiter Ethelsinus dicitur. Alfwoldus, Cridiatonensis; Eldredi Sedem non invenio. Sigegardus, Sigarus videtur Wellensis Episcopus. quem anno nongentesimo octogesimo quinto Ecclesiæ illi præfecimus: Æsewius, Dorcacestrensis: Theodredus, Helmhamensis est, qui hoc potius anno, quàm anno 983. ut Fasti putaverunt, moritur: & successorem in eâ Sede accipit, Ethelstanum. Elphegus alter Lichfeldensis; Athulphus denique Werefordensis Episcopus est; de quo anno superiori.

Elstanus Londinenses moritur: Succedit Wulstanus.

Moritur Theodredus Helmhamensis: Succedit Ethelstanus.

IV. Moritur Ethelgarus Cantuariensis.

Hoc anno moritur Ethelgarus Cantuariênsis Archiepiscopus, cum annum unum & menses tres, Ecclesiæ præfuisset. Quis ei in Sede successerit; ideo controversum est: quia Malmesburiensis de Ethelgaro scribens, ait: *Hoc de medio facto, sedit annis undecim, Wiltunensium prius Episcopus Ælfricus; qui & ante Abbas Abbendonensis fuerat.* & Florilegus eum, ut videtur, sequutus ita scribit: *Anno gratiæ nongentesimo octogesimo nono, defuncto Æthelgaro, Cantuariensi Archiepiscopo, successit ei Ælfricus: qui prius Abbas Abbendonensis erat.* Cæteri tamen omnes, & Fasti, Siricium Ethelgari successorem faciunt: quod videtur omnino dicendum: quia quæ de Siricio narrantur etiam à Malmesberiensi, & Florilego; de Ethelgari successore intelligi debent. Quod sciens Florilegus, sequenti anno Ælfrico mortuo Siricium substituit. Malmesburiensis tamen, & cæteri omnes Siricio quinquennium tribuunt Sedis. Dicendum ergò lapsum, hac vice, memoriâ Malmesburiensem, Alfricum Siricio præponentem. sicut lapsum etiam constat amanuensem, cum Siricium vocat Wintoniensem præsulem: qui Wiltunensis dici debet, ut alibi Malmesburiensis ipse fatetur. Dicamus ergò, cum Wigorniensi, Huntindonio, Harpesfeldo, Fastis, & communi sententia, Ethelgaro successisse Siricium; de quo ita Godwinus: *Siricius, ex monacho Glastoniensi, Dunstani operâ, Abbas primùm factus S. Augustini Cantuariæ; ac deinde (non Wintoniensis, ut perperam, quidam sed) Wiltoniensis Episcopus, Ethelgaro defuncto sufficitur, anno 989.* Idem etiam colligam inferiùs ex ipso Malmesburiensi, cum Siricii successorem in Sede Wiltunensi ex eodem authore profero.

Wigorn. hic

Siricius Ethelgaro succedit.

Malmesb. de Pont. l. 1. fol. 201.

Godwin. in Cantuar.

V. Edmundus Ferreum latus nascitur.

Nascitur, hoc anno, Ethelredo Regi filius, Edmundus nomine: qui solus ex Ethelredi liberis, labentis Anglorum regni fortunam sustinuit: & brevi quidem tempore; fortiter tamen Danorũ impetus stitit; stitisseque diutius; nisi dudum à Deo decretum fixumque fuisset, Edwardi Martyris necem expiare. Plures jam nati erãt Ethelredo, ex Elgivâ, primâ conjuge, filii: Ethelstanus primogenitus: qui natus anno nongentesimo octogesimo sexto, denascitur anno Ethelredi Regis tricesimo. Egbertus secundo genitus, biennio post Ethelstanum nascitur; qui in tenerâ ætate decedēs: nihil fecerat (inquit Spedus) memoriâ dignum.

Ethelstanus Ethelredi F. quando nascitur.

Invenio tamen eum Regio diplomati subscripsisse, anno millesimo secundo; & iterum anno Christi millesimo sexto, Albanensis monasterii privilegia confirmasse: quod Regiâ fide, memoriâ posterorum, & Annalibus, dignum. Tertio genitus est Edmundus, qui patri in regno successit: & ob plurima fortitudinis argumenta, *Ferreum Latus*, cognominatus est: de quo inferius: tres alios * infra nominabo masculini generis. nam quatuor, præter istos, fœminæ fuerunt.

** v. an. 1002. n. 5.*

ANNUS CHRISTI 990.

JOANNIS XV. PAPÆ 6.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 12.

I. SIRICIUS CONSECRATUR CANTUARIENSIS EPS.

ANNUS Christi nongentesimus nonagesimus, multorum Præsulum inauguratione nobilis, vix aliud Annalibus argumentum ministrat. Imprimis Siricius Cantuariensis, superiori anno electus, hoc demum anno consecratur. Sic Wigorniensem intelligo, qui Alfsii Lindisfarnensis Præsulis mortem, cum Siricii consecratione componit. Cæterùm errasse convincitur Matthæus Westmonasteriensis, qui cum superiori anno, perperam dixisset, Ælfricum Ethelgaro in Cantuariensi Sede successisse: hoc anno ait: *Ælfrico Siricius in Cantuariensi Ecclesiâ successit.* cùm certum sit Ælfrici præsulatum diuturniorem fuisse; & ferè æquè certum, Siricii præsulatu posteriorem.

Westm. hic.

II. ALFSIUS LINDISFARNENS. MORITUR. ALDUNUS SUCCEDIT.

Moritur hoc anno Lindisfarnensis Episcopus, quem supra Alfsium vocavimus; qui ab anno nongentesimo sexagesimo octavo magistratum gerens; nunc illum exuens, successurem accipit Aldunum, sive Aldwinum. Malè ergo ad hunc annum Florilegus: *Anno gratia*, inquit, *nongentesimo nonagesimo, Mildredo Lindisfarnensi Episcopo, ex hac luce subtracto; Aldunus successit.* nam Mildredi, seu potiùs Aldredi successor in eâ Sede, non Aldunus, sed Alfsius dicebatur. quod Florilegus ipse supra scripserat; sed parum accuratè, cum dixit ad annum Domini nongentesimum sexagesimum octavum. *Mortuo Lindissa Regionis Episcopo, Ælfsius, vir in Ecclesiasticis rebus eruditus, successit.* de eo hæc solùm habet Godwinus: *Alfsius, vel Elfsinus, obiit anno nongentesimo nonagesimo, Lindisfarnensium Episcoporum postremus.* quod ideò dicitur; quia successor ejus, Aldunus, cùm quinquennio Cunecestriæ sedisset; cælesti oraculo monitus, sancti Cuthberti corpus inde tollere, aliò migrare, & Dunelmi demum quiescere jubetur; à quo tempore, non ultra Lindisfarnenses, aut Cunecestrenses, sed Dunelmenses Episcopi appellantur.

Florileg. hic.
Idē an. 968.
Godwin. in Dunelmen.

III. ALFRICUS WILTUNENSIS EPS.

* Vacat interim Wiltunensium Ecclesia, per Siricii translationem, ad Sedem altiorem. Illius ergò locum intrat Alfricus; non alius ab eo, qui postea Cantuariensis appellatus est. Unde quæ de Ethelgari successore diximus, confirmantur; & confirmantur ab eo, qui solus videtur difficultatem fecisse. nam Malmesburiensis, ita de Wiltunensibus Episcopis scripsit: *Sextus Siricius; septimus Alfricus; qui ambo* (ut superius memoratum est) *Archiepiscopi fuere Cantuarienses.* Ita quidem supra dixerat Malmesburiensis, sed Alfricum Siricio præposuerat: quod benè memoriæ lapsum non vitium intellectus, appellavi. Alfricus hic ille est, qui inter illustres Angliæ scriptores numeratur. *Vir pius*, inquit Pitsius, *& supra vulgarem hominum morem eruditus. Erat autem tam immoderate Grammaticis studiis addictus, ut penè totam ætatem in iis consumpserit. Unde & Grammatici nomen consecutus est. Successu tamen temporis, ad Episcopatum Wiltunensem; imo ac tandem ad Archiepiscopatum Cantuariensem assumptus est.* Addit author, eum multa scripsisse: sermones linguâ Saxonicâ centum & octoginta: Canones etiam Nicæni Concilii, in linguam Saxonicam transtulisse: & alia plura. Sed hic nominum identitas, ingentem parit caliginem; quam ægrè dispellere, & lucem Alfrici scriptis adferre possumus. Sunt enim qui Alfricum Grammaticum, Albanensis monasterii Abbatem statuunt; illum nimirum quem Matthæus Parisiensis, leprimum inter illius cœnobii Abbates numerat. Alii Malmesburiensi monasterio præfectum scribunt; alii Abendoniensi. & indubiè fuerunt plures eo nomine Abbates, hocce sæculo. præsertim si Leofricus & Alfricus synonyma sunt, ut Usserus dixit in Indice Chronologico.

Malmesb. de Pont. l. 2. f. 249
Pitsius in Alfrico Abendonen.
Usser. ad an. 993

Inter hos, qui proximè ad hunc annum accedit; quique consecrari potuit Wiltunensis Episcopus; Alfricus ille videtur, qui *in scholâ Venerabilis Præsulis Ethelwoldi eruditus est*; ut ipse, de se, testatur. nam ab Elphego, Wintoniensi Episcopo, missus est ad Cernelense monasterium restaurandum; antequam Wiltunensi Ecclesiæ præficeretur: quod ipse insinuat in præfatione ad *Sermones Catholicos*, ubi hæc habet: *Ego Ælfricus, monachus & missalis presbyter; tenuior licet, quàm talo convenit ordini; missus fui in diebus Æthelredi Regis, ab Ælfeago Episcopo, successore Æthelwoldi, ad monasterium quoddam, Cernel appellatum, rogatu Æthelmari Thani. Cujus ortus, atque bonitas, usquequaque innotuere. mihi jam tam in mentem venit (& Dei spero nutu) librum istum, è latino sermone, in Anglicum transferre.* Hæc ille, de Cernellensi monasterio, & Æthelmaro Thano, ejusdem cœnobii in Dorsetano agro *fundatore*, inquit Spelmannus. restaurationem potius dixerim; nam suprà monasterium ibi fundatum ostendi; quod vel temporum iniquitas, vel nobilium fiscus, aboleverat, & Ailmerus Cornubiæ Comes, ut habet Catalogus ædium destructarum, reparavit, circa annum Christi nongentesimum septuagesimum. Et quia Æthelmerus iste regio diplomati Ælfrico Dorobernensi concesso subscribet, anno millesimo sexto: hinc colligere licet, Ælfricum, cognomento Grammaticum, qui Canones scripsit, vel potius transtulit; hoc anno Wiltunensem, & post quinquennium Cantuariensem sedem ascendere potuisse. De scriptis ejus dicam inferiùs cum moritur, quia incerti temporis, & anni fuerint.

Q… AL…RI… WIL…NEÓ E…
apud Spelm. fol.
Spelm. in Catalog.

V. D…IS-SIDIO INTER ETHELREDUM, ET RICHARDUM NORMANNIÆ DUCEM.

Quæ narrat Florilegus ad hunc annum, insignem parachronismum continent, & corrigi debent: Ita ergo ille: *Eodem tempore suborta est discordia, inter Regem Anglorum Æthelredum, & Richardum Ducem Normannorum, hac de causa. Habuit Rex Æthelredus, Emmam filiam prædicti Ducis sibi matrimonio copulatam; quæ Regi duos filios Ælfredum generavit & Eaduardum. Huic uxori sua Rex adeo protervus erat; ut vix eam in cubiculo admittere dignaretur. Illa autem, alti sanguinis progenie ducens*

Westm. hic.

originem, in maritum tumebat; famámque viri sui apud patrem suum, non mediocriter denigravit. Vnde idem Dux, quoscumque homines, clericos, sive laicos, de regno Anglorum, qui per terram suam transitum faciebant, capiens, quosdam interfecit, & nonnullos sub arctati custodiâ deputavit. Hoc quoque dissidium cum à Papa Ioanne fuisset compertum, misit in Angliam Leonem Treverensem Episcopum, qui pacem firmam inter eos reformavit, & potentes jam dictos, ad unitatem reduxit. Ita ille; sed peccat, veris falsa miscendo. nam hoc tempore & diu post hunc annum, in vivis fuit Elgiva, prima Ethelredi conjux: quæ hoc anno Edmundum, ut dixi & postea Edredum, Edwium, Edgarum, & filias quatuor Ethelredo genuit; nec mortua ante annum millesimum tertium. Non potuit ergò, hoc tempore aut Etheldredus Emmam premere; aut in Regem Emma tumere. Cæterùm, quia constat inter dictos Principes, discordiam fuisse: & constat Joannem decimum quintum, sequestrum pacis fuisse; aliam simultatis causam oportet assignare.

Florilegum fefellit Malmesburiensis narratio: qui cùm primò dixisset; Ethelredum Regem in ... minam habuisse; & volutando cum pellicibus, majestatem fœdasse; Richardi Comitis, ... patris, mentionem posterius injicit ... quinquaginta duobus annis Normanniæ præfuisse: addit etiam apud Fiscannum cœnobium ... aliquantis reditibus ampliatum, religione monastica insigniverat. & demum de eo addit: *Hic eximius*, inquit, *qui etiam Ethelredum sæpe injuriis pulsaverit. Quod cùm auditum Roma esset, non passa Sedes Apostolica duos Christianos dilaniari; misit in Angliam Leonem, Treverensem Episcopum, ut pacem componeret.* Hujusce simultatis causa, non Emma, necdum ducta; sed longè alia extiterat: nec culpam Author in Ethelredum nostrum sed in Richardum potiùs confert. nec ... erosè quærendum, quorum Principes litigaverint ... cùm inter vicinos, obvium sit quotidie com... rum ratione dissidere. Cœpta ergò hoc ... controversia, sequenti per Romanum Pontificem sopita est.

ANNUS CHRISTI 991.

JOANNIS XV. PAPÆ 7.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 13.

SEQUITUR Christi annus nongentesimus nonagesimus primus: *quo à Ioanne Romano Pontifice decernitur legatio ad Angliæ Regem*: (ita loquitur Baronius, sed annum superiorem, Florilegum secutus, consignat) *& Ducem Northmannorum, inter se invicem dissidentes. Eo functus est munere Leo, vice-Episcopus Trevirensis, qui eos in concordiam revocavit. De legatione hac Leonis à Ioanne Papa in Angliam missi: & de concordiâ inter Principes initâ: extat diploma ejusdem Pontificis apud Gulielmum Malmesburiensem datum hoc titulo*: ita Baronius, qui mox titulum addit in hunc modum.

II.

Epistola JOANNIS Papæ decimi quinti.

JOANNES QUINTUS DECIMUS SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PAPA Omnibus Fidelibus Salutem.

NOverint omnes sanctæ Matris Ecclesiæ fideles, & nostri utriusque ordinis per climata sæculi dilatati: qualiter nobis relatum est, à compluribus, de inimicitiâ Ethelredi Saxonum Occidentalium Regis; necnon & Richardi Marchionis. Unde nimium tristis effectus, utpote de filiis nostris spiritualibus. Tandem, inito salubri consilio; accersivi quendam apocrisarium nostrum Leonem, Vice Episcopum sanctæ Trevirensis Ecclesiæ & misi eum illuc, cum literis nostris exhortatoriis; ut resipiscerent ab hac dissensione. Qui transiens vastas intercapedines terrarum, tandem marinos transmeavit fines, & in die Nativitatis Domini, pervenit ante conspectum Regis præfati. moxq; ex parte nostrâ salutato, obtulit literas, quas illi misiramus. Qui accersitis cunctis sui regni fidelibus, utriusque ordinis sapientioribus: ob amorem, & timorem Dei Omnipotentis; necnon & sancti Petri Apostolorum Principis, & per nostram admonitionem paternam; firmissimam concepit pacem, cum omnibus filiis & filiabus suis, præsentibus & futuris, & cum omnibus fidelibus suis sine dolo. [apud Malm. l. 2 Reg. c. 10.]

JOANNES PAPA SCRIPSIT AD REGEM.

Quâ de re misit Edelsinum sanctæ Schireburnensis Ecclesiæ Præsulem; necnon Leofstanum, filium Alfvoldi, & Wulstani filium, * *Ederelnotum: qui transierunt marinos fines; & pervenerunt usque ad Richardum præfatum Marchionem. Qui & monita nostra pacifice suscipiens, simulq; audiens decretum præfati Regis; libenti animo pacem firmavit eandem, cum filiis & filiabus, præsentibus & futuris, & cum omnibus fidelibus suis; eo rationis tenore: ut si aliquis eorum vel ipsi, injustè aliquid contra alium perpetraverint, dignâ emendatione purgentur: paxq; maneat perpetualiter & inconvulsa, Sacramentorum utriusque partis stigmate stipulata. Ex parte scilicet Regis Ethelredi, Edelsinus Præsul sanctæ Schireburnensis Ecclesiæ, Leofstanus, Alfvoldi filius, & Ederelnothus, Wulstani filius: Ex parte Richardi, Rogerius Episcopus, Rodulphus, Hugonis filius, Truthemo filius Thurgis. Actum Rothomagi Kalendis Martii, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo nonagesimo primo, Indictione quartâ. Additum: ut de hominibus Regis, vel de inimicis suis nullum Richardus recipiat; nec Rex de suis, sine sigillo eorum.* Ita ibi. Ex quâ adjectitiâ clausulâ, colligo; non Ethelredi pellices, aut Emmæ tumentis iras; sed potiùs facinorosorum hominum transfugia, dissidii causam dedisse.

III. EDELSINUS SCHIREBURNEN. MITTITUR IN NORMANNIAM. * al. Ethelnotum.

IV. DANORUM INCURSUS.

Sed domi major calamitas imminet: nam Dani, hoc anno, infestant litora. Enimverò in Icenos delati, & Gipsingum fluvium ingressi, urbem Ipswicum, & oram ibi maritimam, barbarâ crudelitate deprædantur. Alii etiam, eodem tempore, Orientem aggressi, Camalodunum oppugnant, & adeò distrahunt Anglorum vires; ut fortem etiam Principem, nedum ignavum, & torpentem, lacessere, & demum frangere potuerint. Horum Duces erant Justinus, & Guthmundus: quos, cùm aliquamdiu provinciam prædati essent, Brithnodus fortissimus Anglorum Orientalium Dux excepit; commissoque prælio, cùm multus utrimque miles cecidisset; Dux ipse pro patriâ viriliter pugnans, occubuit: & Dani liberiùs

EORUM DUCES.

deinceps

deinceps grassantur. Perculsit Insulam hæc clades: unde Ethelredus, malo remedium quæsiturus, Senatum vocat: ubi pauci erant, qui vim viribus opponere, & antiquam gentis gloriam renovare, persuaserunt: plures, quibus nota Regis ignavia; avaros Danorum animos dicebant pecuniâ non ferro placandos. Hos inter princeps ponitur, Siricius Cantuariensis Antistes: & sanè Ecclesiam, ea vox, quàm militem, decebat magis. Sed & laici idem censebant, Ethelwardus & Alfricus, Duces: *quorum consilio*, inquit Hovedenus, *Danis tributum, quod erat decem librarum, primitus datum est*: (sed lege tributum, quod erat decem millium librarum) *ut a crebris rapinis, incendiis, & hominum occisionibus, quas circa maris ripas frequenter agebant, desisterent: pacemq́ firmam cum eis tenerent.*

Tributũ 10000 librarum.

Hoved. hic.

V. Danegeldum.

Annuus hic census fuisse videtur; & primùm hoc anno Danis persolutus, e Senatusconsulto; latâ lege, ut cives omnes ad onus dividendum cogerentur. Quod enim supra diximus, sedecim librarum millia, Danis aliquando concessa: putamus exactum vi, non quotannis soluta. nunc ergò primùm, in singula civium capita decretus census, qui Danegeldum dicebatur. De quo in Edoardi Confessoris legibus, ita legitur: *Danegildi redditio, propter piratas, primitus statuta est. Patriam enim infestantes, vastationi ejus, pro posse, insistebant. Ad eorum insolentiam reprimendam, statutum est Danegeldum annuatim reddi: scilicet duodecim denarios, de unaquaque hidâ totius patriæ, ad conducendos eos, qui piratarum irruptioni resistendo obviarent.* Duravit hæc servitus, ad decimum Edoardi Regis annum, id est, annos omnino sexaginta: quando ipse cives eo onere liberavit. Scio Hovedenum paucioribus annis, servitutis epocam, & annui tributi tempus circumscribere. Scribit enim sic: *Rex Edwardus absolvit Anglos à gravi vectigali, trigesimo octavo anno ex quo pater suus Egelredus primitus Danicis solidariis, solvi mandarat.* Verùm ab hoc anno nongentesimo nonagesimo primo: quo Authores omnes, & ipse inprimis Hovedenus, piratis datum esse fatentur; ad annum millesimum quinquagesimum primum, qui Edoardi Confessoris, decimus numeratur; plures anni excurrerunt. Quoniam verò auctum aliquando est hoc genus servitutis; Hovedenus fortè intelligit, gravissimam tributi pensionem tantumdem duravisse: quo etiam modo Ægyptiacæ servitutis annos, vario calculo supputamus. Cæterùm si strictè vectigalis hujus exordium metimur, ab hoc anno inchoandum est. & Normannorum etiam tempore diu post Edoardi Confessoris mortem, persolutum. nam ita de suo tempore (qui claruit circa annum Domini millesimum centesimum quadragesimum) scribit Huntindonius. *Edelredi Regis anno decimo tertio, primum statuerunt Angli, consilio infausto Sirici Archiepiscopi, quòd ipsi censum Dacis persolverent: quatenus a rapinis, & cæde cessarent. Et dederunt eis decem mille libras. Hoc autem malum, usque in hodiernum diem duravit: & diu, nisi Dei pietas subveniat, durabit. Regibus namq́ nostris modo persolvimus ex consuetudine, quod Dacis persolvebatur ex ineffabili terrore.*

apud Hoved. fol. 603.

Quomodo solvendum

Hoveden. an. 1050.

Huntind. fol 357.

VI. Ecclesia libera.

Adverte autem, ex Senatusconsulto, quod cives ad tributi solutionem condemnat, Ecclesiam omnem, quam Angli summè venerabantur, eximiam fuisse. nam ita lex cavebat: *De Danegeldo omnis Ecclesia libera est, & quieta: & omnis terra, quæ in proprio dominio Ecclesiæ erat, ubicumque jacebat, nihil prorsus in tali redemptione persolvens: quia magis in Ecclesiæ confidebant orationibus, quam in armorum defensionibus, usque ad tempora Gulielmi junioris, qui Rufus vocabatur.* Ita quidem à sapientibus in Concilio decretum & pietati admodum consentaneè. Sed ubi insipientium arbitrio & plebiscito res agitur; aut ubi penes militem licentia est, prima ad injuriam semper est quæ remotissima esse deberet Ecclesiâ. Ethelredus, vel certè exactores ejus, nullo Comitiorum jure [illegible] pro libidine, E[illegible]ias & monasteria expilaban[illegible]. unde de sua Croylandiâ, & hac temporum licentiâ, quæ paulo post secuta est, sic conqueritur Abbas Ingulphus. *Cœperunt tunc omnia [illegible] qu[illegible] terra monasteria a Rege Ethelredo, ac Ducibus ej[illegible] ac ministris, gravissimis exactionibus subjec[illegible] satisfaciendum Danicis tributis, pro immensis pecuniarum summis, sibi impositis; supra modum affli[illegible] Et direptis thesauris, ac monasteriorum tam sacris calicibus, quam aliis jocalibus etiam Sanctorum [illegible] jubentur ab exactoribus spoliari. Venerabilis ergò pat[illegible] Dominus Osketulus Abbas Croylandiæ, quadri[illegible]entas marcas pro talibus tributis variis vicibus exolverat.* Sed hæc paulò posterius: nam Osketulus, Abbatis officio fungi incipit sub annum Domini nongentesimum nonagesimum tertium, vel [illegible]quentem.

apud Hoved. fol. 603.

ANNUS CHRISTI 992.

JOANNIS XV. PAPÆ 8.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 14.

SUa initium anni nongentesimi nonagesimi secundi, moritur sanctissimus Eboracensium Archiepiscopus, Oswaldus; vir cælo maturus quem inter Angliæ sidera recensuit Malmesberiensis: *Eo tempore*, inquit, *micuerunt per Angliam Sanctorum virorum lumina; ut crederes e cælo arridere sidera.* Intelligit Dunstanum, Ethelwaldum, & denique Oswaldum; qui omnium postremus immortalem coronam accepit. Hic primum Wigorniæ, deinde Eboraci sedens, utramque Ecclesiam sanctè composuit. & *multis annis utrique sufficiens Episcopatui*; inquit alibi idem author, *magis ad Wigorniam ventitabat. Supervixit quinque annis Dunstano; decem Ethelwaldo tantamq́ sui admirationem Angliæ præbuit: ut solus eos exhibere videretur: authoritate illum, efficaciâ istum, ambos sanctimoniâ. pridie quam excederet, Wigorniæ pro foribus stans, diu suspexit cælum, lætabiliter illacrymatus. Percunctantur qui aderant, quid ita, irreverberato lumine, aspectaret, respondit: Sinite me eò respicere, quò intendo pergere. Velox est depositio corporis mei, & tempus resolutionis meæ instat: mirati sunt illi: quòd nec ante aliquam suspicionem ægrotantis dedisset, sed largiori cura corporis indulsisset. Sed postero die, cum, pro more, lotis pauperum pedibus diceret, hymnum Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in ipsâ genuflexione, vitali spiritu privatus est.* Ita ille brevi nimis compendio Oswaldi obitum absolvit. Quo non contentus Annalium conditor

Baronius

Baronius, plures rei gestæ circumstantias addens, è fidelissimo authore, sic loquitur:

II. Baron. hic n. 62. *v. an. 960, n. 8.

Hoc eodem anno (992.) Magnus ille Oswaldus, Wigorniensis in Angliâ Episcopus, ex hac vitâ migravit in cælum. ubi sedisset annis triginta. Quippe qui creatus fuit Episcopus, anno nongentesimo sexagesimo secundo. Cujus cùm vita fuerit admiranda; obitus quoque talis extitit, qui dignè Annalibus intexatur. Hæc ille præfatus, Sedis annos numerat, à susceptâ Wigorniensis Ecclesiæ curâ. A quo nos paulò plures numeravimus. nam Wigorniensem Sedem intravit anno nongentesimo sexagesimo: & Eboracensem decennio post. Pergit Baronius ejus exitum describere: *Die quadam* (ait fidelissimus scriptor vitæ illius) *egressus cum fuit ex oratorio, sub Divo stans, in cælum intentissimè oculorum aciem defixit; Christum, quem suspirabat, pro corde & ore attentius orans. Nec verò oculos, ut fit, citò retraxit: sed perinde ac si uorsquidpiam, cum summâ animi voluptate contemplaretur; diutissime in eo quod intuebatur, defixus fuit. Rogatus, ecquidnam videret, ita respondit: Contemplor id quo tendo; idq; crastino die, etiam me tacente, res ipsa vobis declarabit. Æterna namq; beatitudo, cujus causâ, in terris hucusque laboravi, nunc instat. Nec ante, crastina occumbet lux; quam me in eam Dominus, sicuti est pollicitus, introducat. Reversusq; in oratorium, convocatis fratribus; hortatur eos, ut impendant ipsi ministerium sacræ Unctionis, cum viatico Dominici Corporis.*

apud Surium 15. Octob.

Uncto-xem pe-[illegible] [illegible] cum.

III.

Nocte sequenti, oblitus adversa valetudinis suæ, in templum se contulit, officium divinum explevit, & reliqua noctis spatia in Dei laudibus expendit. Mane, solito more, linteo præcinctus, pedes pauperum lavit, atque extergens; quindecim psalmos, quos in illo ministerio dicere solebat, persolutis subjunxit: Gloria Patri, & Filio. cumq; pauperes, pro more, gratias agentes surgerent: ille autem diceret: Spiritui Sancto, ante illorum pedes, in manus Christi spiritum reddidit. Cum autem corpus ejus ad Ecclesiam, quam construxerat, deferretur: nivea columba, è cælo descendens, expansis alis, lento volatu, illud protegere visa est. Ignea quoque sphæra, cælitus lapsa, super feretrum apparuit; depositoq; ante altare sacro corpore visio illa, tanquam locum sepulturæ ejus designatura, ad australem Ecclesiæ plagam juxta altare divertit, sicq; ab oculis intuentium abducta est: &c. Sequuta sunt ista admiranda signa: quibusq; virum sanctissimum, cum Christo, in cælo regnare, quam certissime docuêre. Hæc omnia Baronius. Sepultus est sanctus Oswaldus Wigorniæ, in Ecclesiâ Deiparæ Virginis. Unde post aliquot annos, sacræ ejus reliquiæ, Eboracum transferentur.

IV. [A]dulfus [W]ora-[nie]n. et Wigor-niei Eps. Malmesb. de Pontif. [illegible] fol. 2[illegible]

De ejus successore sic scribit Malmesburiensis. *Successit Oswaldo, in utraque Sede, Aldulphus; ex Abbate Burchensi; sanctus, ut perhibent, vir, & Reverendus. Ipsi, pro sanctitate ignoscitur; quod contra regulas Canonum, duas Sedes tenuerit: quod scilicet; non hoc ambitione, sed necessitate fecerit. Wulstano non ita, qui sanctitate discrepabat & habitu.* Sed Novatores non ignoscunt, ægrè ferunt sanctitati adeo delatum, & Ecclesiarum necessitati. sic Parkerus, Britannicas Antiquitates fœdat. *Oswaldum sequutus Aldulfus, utramque Ecclesiam possidebat. Quibus hoc indulgent, & ignoscant, omnium iniquissimi censores monachi; quia ex eorum grege, ordineq; fuerant. At Wulstanum, eandem ob causam, qui habitu discrepabat, reprehendunt.* Hic

Antiq. Brit. fol. 83.

apertè antiquos calumniatur; quòd in solo habitu, dignitatem ad honores, & plura beneficia, collocaverint. cùm potius rerum temporúmque necessitati, & sanctitati detulerint. Quis enim nescit, & Alfredus Magnus *supra testatus est, magnas literarum, & scientiarum ferias, in transhumbranis partibus aliquando fuisse. Unde quod doctioribus & sanctioribus, in illâ rerum peristasi, licet; non debet trahi in exemplum. Dunstanus, Ethelwoldus, Oswaldus foris docti, non tantum sanctiorem disciplinam, sed ampliorem etiam divinarum rerum scientiam collegerant: & ideo magnis muneribus pares censebantur. de quo iterum infra*, cum Wulstanus succedet.

*v. an. 890 n. 11.

*v. an. 1[illegible] n. 14.

V. Ducum prodi-tione res tur-bantur.

Ethelredus interea tot miseriis castigatus, ignaviam suam condemnare incipit. nam intellecto Danos, quos auro paullò ante expugnarat; Fidei & Sacramenti oblitos, rursum Angliam impetere: classem instruit, instructamque suis Ducibus commendat. Qui si fidem Regi servassent; Danos nullo negotio, ab injuriâ, & omni Insulâ, pepulissent. Sed sub ignavo Capite membra sunt inconstantia. Rem hoc anno gestam sic narrat Wigorniensis: *Consilio jussuq; Regis Anglorum Ethelredi procerumque suorum, de totâ Angliâ robustiores Lundoniæ congregatæ sunt naves. Quas Rex lectis instruens militibus, illis Alfricum, & Thoredum Duces, Alfstanum Wiltunensem & Æscwinum Episcopos, præfecit. Mandans, ut si quo modo possent, Danorum exercitum, in aliquo portu circumvallando, comprehenderent. Verum Dux Alfricus, clanculo nuntium ad hostes mittens; hortatur, ut sibi consulerent: & præcaverent, ne ab exercitu Regis, de improviso circumvenirentur. Ipse verò Dux, exemplum flagitii singulare; nocte, quæ præcessit diem, quo cum Danis Angli statuerant fortiter dimicare; clam omnibus ad classem profugit Danicam, & cum eis mox fœdam iniit fugam. Quod ubi cognovit classis Regia, fugientes insequitur. Nec mora una ex eis tantum navis capitur, omnique in ea multitudine cæsâ, spoliatur; cæteris per fugam lapsis: solum Lundonienses, cum Orientalibus Anglis, fortuito casu occurrerunt; commissóque prælio multa millia Danorum occiderunt. Insuper etiam Ducis Alfrici navem, cum militibus & armis (ipso per fugam vix elapso) ceperunt, & victores extiterunt.* Hæc alternantis fortunæ ludibria, & civium ad Danos defectionem; aversis tantum oculis aspicio: & transeo ad sanctiora.

Wigorn. hic.

Alfricus Dux ad Danos defecit.

VI. Ethelwinus moritur, Rames. Monasterii funda-tor. Wigorn. hic

Moritur hoc anno Ethelwinus Ramesciensis cœnobii fundator, vir omni posterorum memoriâ dignissimus. de quo hæc habet Wigorniensis: *Nec diu post excessum Beati Oswaldi, egregiæ Dux memoriæ Æthelwinus, Dei amicus, defunctus est: qui fratribus suis Æthelwoldo, & Alfwoldo, & Agelsino, licet junior ætate: illos tamen mansuetudine, pietate, bonitate, & justitiâ excellebat: & ut vir maximæ honestatis, & munditiæ, paradisi civibus (uti credi libet) est allectus. Cujus corpus cum maximo honore, Ramesegiam delatum, à sancto Alfeago, Wintoniensi Episcopo est tumulatum.* Hic ille est, qui suprà * mirabiliter excitatus legitur ad monasterii fundationem: quod & in Regio Edgari diplomate legitur ut suo loco* dictatum. Unde Æthelwinus passim *Miraculosus Ramesciensis monasterii* fundator audivit. quem titulum etiam mortuus retinuit. nam teste Camdeno, ejus sepulchro ita legitur inscriptum:

*v. an 968. 3. & 974 22

*v. an. 974. n. 15.

apud Camd. Humind.

Hic requieſcit Ailwinus incliti Regis Edgari cognatus: totius Angliæ Aldermannus, & hujus ſacri cœnobii Miraculoſus fundator.

VII. *v. an. 968. 3. & an. 924. 1.* *v. an. 913. 3. & an. 980. 6.* ELFLEDA RUMSEIENSIS ABBATISSA.

* Erat Rumeſeiæ, in agro Hamtonienſi monaſterium aliud, pro ſexu altero; quod Edoardus ſenior dudum poſuerat, ut * ſupra. ei loco Edgarus Rex Merwinnam Virginem præfecerat. Cujus mortuæ locum ſupplevit primò Elwina, inde Elfleda virgo, Edoardi ſenioris filia, ut opinor. nam ſunt qui alios parentes aſſignent, Ethelwoldum, & Brithwinam. Sunt etiam, qui Elfledam, non in Rumſeienſi, ſed in Rameſeienſi monaſterio, monialem primò, inde Abbatiſſam faciunt. Sed illi ſcribunt accuratiùs, qui unum monaſterium ab alio diſtinguunt. Ita Malmeſburienſis de monaſteriis loquens, quæ in Wintonienſi diœceſi olim fundata, Sanctorum corpora collegerant, hæc habet: *Apud Rumeſeiam; quod cœnobium præcellentiſſimus Rex Edgarus inſtituit; novi jacere duarum virginum corpora, Merewinnæ, & Elfledæ: quarum geſta, quod neſcio, non tam prætereo, quam ad majorem ſcribendi diligentiam reſervo, ſi forti cognovero.* Ita ille. Elfredam vocans Merwinæ ſuccedentem, in Rumſeienſi monaſterio; quam alii communiter Elfledam vocant. & noſtrum Martyrologium, Spedus etiam, Edoardi ſenioris filiam ſcribunt. Sed quicquid ſit, ſanctam fuiſſe, & ita à majoribus cultam, multo conſtantius affirmatur. Unde dicenda ſunt, quæ Authores de illâ tradiderunt. Eos inter Capgravius ita refert.

Malmesb. de Pont. lib. 2. fol. 247. *Mart. 29. Octobr. Spedus in Edward. sen.*

VIII. ELFLEDÆ EXORDIA. *Capgrav. in Elfleda.*

Rex Edgarus probitatis paternæ non immemor, fecit Elfledam in Romſeia monaſterio virginum collegio ſociari: ubi Merwenna Abbatiſſa, devota Dei famula, ſanctitatis converſatione manſueta, & in præceptis Dominicis ſtudioſa; a Rege præfato conſtituta fuerat magiſtra. Cujus diſciplinæ virginem Elfledam tradidit imbuendam. Quam tanto diligebat amore; ut die noctéq; ſecum illam habens, velut mater dilecta, in omni ſanctitate, & virtutum exercitio, educavit. Sequitur miraculum, & mors Merwennæ Abbatiſſæ, in cujus locum Elwina ſubrogatur: *quæ ante altare, in oratione procumbens, audire vocem meruit* (proſequitur Capgravius) *cœlitus illapſam, de Danorum adventu ad monaſterium Romſeia, in futurâ veſperâ. Quæ aſſumptis reliquiis, ceteriſq; rebus, unà cum ſororibus, uſque VVintoniam profugit. Veniens Rex itaque Danorum Svvanus ille ſæviſſimus, cum filio ſuo Canuto, ad partes illas, cæde & incendio cuncta vaſtavit. Mortua poſt tres annos Abbatiſſa Alvvina; ſancta Virgo Alfleda, in Abbatiſſam electa, facta eſt ſimplex, ut columba, & omnium bonorum fructu fœcunda; CHRISTO JESU dilecta; qui eam ab infantiâ ſibi famulam elegit. Quis enim referre poteſt, quantas egenis diſtribuerit eleemoſynas; quantaſq; orationes Deo fuderit. quantaſq; pro peccatorum ſ[uorum] & omnis Eccleſiæ Catholicæ remiſſione, effuderit lacrymas. & quanta * illis, bonis in omnibus etiam actibus jugiter inſtiterit curioſitas.* Cum hæc & plura Author narraſſet, de mirabili Virginis ſanctitate:

ELIGITUR ABBATISSA.

* fortè illi

tandem de ejus morte, & temporis ratione, ita concludit.

IX. MORITUR ET QUANDO.

Cum autem annis multis in omni ſanctitate, vitam Deo placitam duxiſſet: in ſenectute bonâ, quarto Calendas Novembris, cœleſtia, terram relinquens conſcendit. Floruit autem circa annum Domini nongenteſimum quinquageſimum nonum. Quæ ratio temporis, cum rerum geſtarum ſerie non concordat. nam Merwinnæ mortem, * ſupra ſtatuimus ad annum Domini noogenteſimum octogeſimum: poſtquam Elwina triennio præfuit, & demum ab ejus morte florere potuit, & Virginibus prælucere, quæ privata prius vixerat, Elfleda. Iterum quod de Danorum Rege Swano filióque ejus dicitur, de primo ejus adventu repulſâque intelligendum eſt: hoc eſt, de anno Domini nongenteſimo octogeſimo, quando mortua Merwina, Elwina in cœnobii præfecturam ſucceſſit. tunc enim, Hamtonienſis ager vaſtatus eſt, ut ſupra vidimus, tunc etiam Elwina cum reliquiis fugit, & ſacris Deo ſororibus. & brevi poſt, vitâ, & Abbatiſſæ munere defuncta, Elfleda illi ſucceſſit quæ ſancta demum mortua, locum meruit in Anglicano Martyrologio; ubi tamen malè nunc ponitur mortua, circa annum Domini nongenteſimum quinquageſimum: cum prius Chriſti annus nongenteſimus nonageſimus ſecundus, ibidem & multo melius legeretur. Cæterùm quod in primâ Martyrologii editione, ponatur filia Ethelwoldi Comitis Orientalium Anglorum: in alterâ verò, Edoardi ſenioris filia: vix habeo aliquid dicere. Adverto ſolùm, Malmeſburienſem de Edoardi filiabus ita ſcribere: *Elfleda in ſacrato, Ethelhilda in laico tegmine, terrenarum nuptiarum voluptatem faſtidiere. Iacent ambæ VVintoniæ, juxta matrem tumulatæ.* Hic Elfledam vocat, Edoardi ſenioris filiam: Rumſeienſem virginem, Elfredam ſupra appellavit. Sed quia Rumſeienſe monaſterium prope Wintoniam eſt: & eo ſacræ Virgines, ob Danorum metum, fugêre: poteſt una eadémque eſſe. Qui vitam ſcripſit apud Capgravium, Rumſeienſis Virginis & Abbatiſſæ parentes nominat, Ethelwoldum, & Brithwinam. Ego nihil definio, quia Malmeſburienſis ſe neſcire fatetur.

* v. an. 980. n. 6.

Malmesb. [...]

ANNUS CHRISTI 993.

JOANNIS XV. PAPÆ 9.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 15.

I. DANI ITERUM DEPRÆDANTUR INSULAM. *Hoved. hic*

ITERUM Dani provincias vexant; & iterum Angli produnt patriam, turpi ad Danos defectione: dicat hoc è Florentio Wigornienſi, Rogerus Hovedenus, quia patriæ malis non libenter immoror. *Anno nongenteſimo nonageſimo tertio, prædictus exercitus Danorum, Bebbanburg infregit (nunc eſt Bamberovv oppidum in Ottadinis, & Northumbriæ Comitatu) & omnia quæ in eâ reperta ſunt, ſecum aſportavit. Dehinc ad oſtium Humbre fluminis curſum ſuum dirigens, in Lindiſſege, & Northimbriâ, multis villis incenſis, hominibuſq; cæſis; magnam prædam cepit. Contra quos, provinciales quamplures conglobati, properanter aſcenderunt: ſed cùm prælium eſſent commiſſuri, duces exercitus Frana videlicet,*

Fritegistus, & Godvvinus, quia ex paterno genere, Dani uerunt, suis cusidantes; aut hostes fuga primitus extiterunt. Habes hic captivitatis Angliæ, & Danicæ Dominationis rtissimam causam: nimiam Angli sanguinis, cum Danico mixtionem: unde mixtos mores, dubiamque in publicam rem, fidem, nasci nec ssum est. Danus hoc commercio fretus; non solum existimabat, licere sibi omnia sed factionis socios, & Principes rns, adjuto habuit. Edgarus cætera laudatissimus Princep erat *inde tamen merito, jureque culpant eum cetera* ii Malmesburiensis quo nimio cum ext is ommercio patriam fœdaverit, ut supra adnotavi.

II. Hæc Dan rum inundatio, toti Insulæ gravissima. nam qui superi ribus annis maritima tantum de- ci i discesserant nunc Northumbriam ing i,& inde in Lincolniensem provinciam pro- te i, Angliæ mediterranea, non tereuerunt solum, sed ferro flammâque vastaverunt. Tunc a it, quod Ingulphus Abbas refert, de sancti Neot i us, Danorum impietati subductis, i C landiam, seu in tutiorem locum, de- portat. Dixi supra * sepultum eum in agro Hu dome , i loco qui o n, ab Ainulpho nom habu postea tamen S. Neoto appellati fortitus. Iam vero Danorum incursu terri feles Sa orum reliquias ubique solicit S. Neoti reliquiæ uxe bant: non quo an um, gentum, sed qu res super aurum & zi ri condirent. Quod i Britan- um et i R p. & omni post sæculo à fidelibus m dixi . De S. Neoti translatione sic Ingulphus

t mpore Domini Osketuli Abbatis Croylandia; cu Dani totam terram inquietarent; indigenæ de vil c vicis ad civitates & castella, & plurimi a palu Lacus, loca invia refugientes Dano- rum tra it m, & discursum pro anima pracavebant. Ac te er o, quandam magnam Dominam villa, qua n be bir vocatur, Lefvvinam nomine, sororem l et ex parentum propagine Domini Osketuli Ab- t s lands, ad Vvitlesey, tunc villam suam ve- nire cum sacras reliquias, scilicet sacrati m im ancti Neots Confessoris, de Elnoibes. y, quia minus honor sicè jacuerunt ac Danos in depradationi patuerunt, m iusto ad hoc aptato deferre. Qua dirigens cel rem nuntium, ad fratrem suum. Dominum Abbatem Osketulum; s pplici postulabat supplicatione quatenus um congruo fratrum suorum Comitatu Vvitlesiam placeret accedere & dictas reliquias sancti Neoti Confessori, secum in suum monasterium cum dignâ reverentiâ deportare. Ille gaudens, & exultans; assumptis secum quibusdam fratribus; Vvitlesiam adiit & dictas sanctas reliquias, cum debitâ honorificentia, & psalmorum melodia, ad Croylandiam transtulit: ac juxta sancta Dei genitricis Maria altare, cum devotione debitâ collocantur. Quod factum hic Croylandia; aliis etiam in ocis, fieri consuevisse docebunt sequentia. iurcem hujus anni reliqua videamus.

IV. ETHELSTANUS HELMH. MORITUR SUCCEDIT ALGARUS

Moritur Orientalium Anglorum Episcopus, Ethelstanus, qui ab anno nongentesimo octogesimo nono, Helmhamensem Ecclesiam rexerat: & in ejus locum succedit Algarus, qui diutius sedem m tenuit Vix enim aliud de eo traditur, quam quod obierit anno Christ 1021. quod Gudwin mat: & è Fastis colligitur.

ANNUS CHRISTI 994.

JOANNIS XV. PAPÆ 10.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 16.

I. SWANUS IN ANGLIAM REDIT.

Sequitur Christi annus nongentesimus nonagesimus quartus; qui decimus quartus numeratur à primo Swani, Danorum Principis adventu in Angliam, quem supra posuimus ad annum Christi, nongentesimum octogesimum. Ille hinc ab Ethelredo Rege repulsus, cum maritima deprædatus, nullam in Insulâ stationem fidam invenisset; in Scotiam secessit: ubi cum annos quatuordecim exul mansisset; intellecto Ericum obiisse, qui Daniam occupaverat, in patriam regreditur: sed Angliam prius delibare voluit, & repulsæ injuriam ulcisci. Quid ab eo factum, dicat Florilegus: *Anno gratia, inquit, nongentesimo nonagesimo quarto, Sovanus Rex Danorum, & Aulafus Rex Norvvegensium, in die nativitatis Beata Maria, cum cogonibus nonaginta quatuor, Londonias advehuntur. Quam mox acriter invadentes, eam subjugare disponunt. Sed a civibus, cum magno suorum detrimento repulsi, ad East-Sexia, Cantia, Suthsexia, Suthamtonia provincias, furorem suum convertentes, eas spoliaverunt, & casis populis graviter contriverunt.* Ita ille: Cogones vocans, quas alii, vel trieres, ut Wigorniensis, vel naves appellant, ut Huntindonius: qui Londinensem urbem non tam à civibus; quàm à Beatissimâ Virgine mirabiliter defensam innuit his verbis: *Anlaf & Svvain Lundoniam impetierunt, cum nonaginta quatuor navibus, in nativitate sancta Maria. Cujus gloriosa Virginis auxilio, liberati sunt Christiani, à paganis. Urbem namque assilientes, & flammis demoliri parantes; inastimatâ confusione repulsi sunt. Quamobrem ipsi frustrati in Eassexe; & Cent, & Sudsexe, & Hamtunscire, acceptis equis; saviores solito perrexerunt; omnia cade & incendio replentes.*

Westm. hic

DEIPARÆ AUXILIO A LUNDINEN. URBE REPELLITUR.

Huntind. fol. 338.

II. QUIS ANALAFUS.

Ex dictis colligo tam Swanum, quàm collegam ejus Analafum, paganos fuisse, *quos Londinenses divina ope* (Dei suæque genitricis MARIÆ juvamine, inquiunt ad hunc annum Wigorniensis & Hovedenus) *fugaverunt.* De Swano suprà dictum, ut in parentem impius, & rebellis fuerit. Analafus Norwegensium Rex, fuisse videtur: ab aliis Authoribus Olaph (opinor) appellatus, dictusque Northmannorum Rex: qui Swano, ad fidem converso, bellum inferens, periit; de quo Adam Bremensis: *Rex Northmannorum Olaph filius Trucis, collectâ classe innumerâ, bellum intulit Regi Danorum. Congressi ergo Northmanni, a Danis victi & fusi sunt. Olaph Rex, qui fortè solus remansit, in mare se pracipitans, dignum vita finem invenit. Narrant tum aliqui Christianum fuisse; quidam Christianitatis desertorem. omnes autem affirmant peritum auguriorum. servatorem sortium. & in avium prognosticis omnem suam spem posuisse: quare etiam cognomen accepit, ut Olaph diceretur. nam & artis magica (ut dicunt) studio deditus, omnes quibus illa redundat patria, maleficos habuit domesticos: eorum; deceptus errore periit. Quo interfecto, Suen duo regna possedit. Ipse igitur mox destructo ritu idololatria, Christianitatem in Noruegiâ per edictum suscipi jussit. Tunc etiam Gotebaldum quendam, ab Angliâ venientem Episcopum, in Scaniâ posuit Docto-*

Adam l. 2. c. 20. apud Baron. an. 980 16.

rent; qui aliquando in Suediâ dicitur evangelizasse, etiam in Norvegiâ. Hæc omnia Adamus. Quis extra ordinem refero ut quis, qualisque Analafus noster fuerit, elucescat. H[illegible] F[illegible], non male Aulaf[illegible]n, alii mi[illegible] [illegible], & Analafum vocarunt. Sed quoniam ab [illegible] auctoribus dubitatur, Chr[illegible]ianú[illegible] hoc è nostris cumulatè proditur. Cum enim [illegible] [illegible]ermes provincias, [illegible]le, & [illegible] notum Rex Swanus, miserè vexarent Ethelreans civium [illegible] ute consultorus; pacem iterum à Danis emere coactus est: & inter pacis fœder[illegible] Aulafus Chr[illegible]sti castra sequutus est, fidemque quam Ethelr[illegible]do dedit, multo [illegible]ctius qu[illegible] Deo datam servasse reditur. Sic [illegible]m rem g[illegible]stam narrat Hovedenus

III. Hoved. hic. *Tunc Rex procerum suorum [illegible]onsi[illegible]o, ad eos, legatos misit, promittens tribut[illegible] [illegible] [illegible]ndum ea conditione illis se daturum; ut [illegible] [illegible]tate omnino desisterent. [illegible] [illegible]petitionis [illegible] adquiescentes, ad [illegible] reversi sunt [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]ntum totius congregatus exercit[illegible] [illegible] [illegible]dem h[illegible] naverunt. Q[illegible]bus de tota West-Saxonia [illegible] [illegible]nda [illegible]atur: de tota vero Anglia tributum, quod erat [illegible] decimb[illegible] [illegible] rarum dependebatur. Interea jussu Regis Egelredi, [illegible] [illegible]tensis Episcopus Elfegus, [illegible] [illegible] Dux, Athelwaldus, Regem Alafum ad eum; obsidibusque datis; illum ad [illegible] [illegible]am villam Andeafaran, ubi Rex manebat, cum honore deduxerunt. Quem Rex honorifice [illegible]cepit, & confirmari ab Episcopo fecit, sibi [illegible] [illegible]lium adoptavit, & Regio munere donavit. Ille vero, se non amplius ad Angliam, cum exercitu venturum, Regi Egelredo promisit. Et post hæc, ad naves rediit: Æstate quoque imminente ad patriam devectus sua prom[illegible] [illegible]ne custodivit.* An promissam in Sacramento [illegible] benè custodierit, ob supra dicta dubitari potest.

Swanus Daniæ regnum accipit. Swanus interim, prædâ onustus & provinciarum spoliis, in patriam reversus, mortuo [illegible] Daniæ regnum, hoc anno qui exili[illegible] sui [illegible]mus quartus numeratur, accepit. de quo sic narrat Adam. l. 2. c. 28. Adam Bremensis. *Post mortem diu optatam Herici; Suen ab exilio regressus, obtinuit regnum patrum suorum; anno depulsionis suæ & peregrinationis, decimo quarto: & accepit uxorem Herici relictam, matrem Olaph, sive Olavi: quæ peperit ei Chnut. Sed nihil profuit ei affinitas connubii, cui Deus iratus est. Olaph Rex Sueonum Christianissimus erat, filiamque Slavorum Estred, ac[illegible]cepit uxorem. Hic qui post obitum patris Herici, regnum [illegible] per Suecos accepit [illegible] um exercitu superveniens; inf[illegible] [illegible]em Suen regno expulit, & ip[illegible]e obtinuit Daniam. Cognovit autem Suen, quod Dominus ipse est Deus. & re[illegible]ersus in semetipsum, peccata sua præ oculis habuit. pœnitensq[illegible] oravit ad Dominum; qui exaudivit eum [illegible] dedit illi gratiam in conspectu inimicorum & restituit eum Olaph in regnum suum: fecerunt[illegible]q[illegible] pactum firmissimum, ut Christianitatem in regno [illegible] plantatam retinerent, & in exteras effunderent nationes.* Hæc ibi.

IV. Camdeni expositio de Aulafi baptismo. Alius est hic Olaph Rex Sueonum Christianissimus, ab eo qui Northmanno[illegible]m Rex di[illegible]itur & filius Tru[illegible]is; quem Ethelredus R[illegible]x in sacramento lusc[illegible]pit hoc ipso vel sequ[illegible] anno, in Hàmtoniæ [illegible] provincia. Unde Camdenus non rectè vi[illegible]etu annum supputasse. [illegible] ado[illegible]tionis mysterium plenè nodasse. sic scribens de flumi-

Camden. in Hamshire. [illegible]oe, quod nunc [illegible]st, olim Anton d[illegible] [illegible]ur. *Anton*, inquit, *e[illegible] [illegible]bute altu exem eus primum Andover adit, Saxoni[illegible] A[illegible] [illegible]-faran, i[illegible] [illegible]st, Ant-traje[illegible] [illegible]n [illegible]bi anno salut[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] nonagesimo tertio*

Ethelredus [illegible]x Ang[illegible] [illegible] cum Dani ejus regnum undique rapta [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]gionis, tuta, & [illegible] an [illegible] nulla pa[illegible]e gaude[illegible] [illegible]: Aulafum Danum in suam [illegible] n[illegible]am [illegible] [illegible] que tamen statim irrita, [illegible] [illegible]ut nec enim ta[illegible] [illegible]onor barbari animum à rapin[illegible] [illegible]ocare poterat. A[illegible] [illegible], antiq[illegible] m[illegible] ret[illegible] [illegible] [illegible] ve[illegible] [illegible] p[illegible] [illegible] [illegible] ad C[illegible] [illegible] [illegible]is [illegible]acram[illegible] [illegible] [illegible] ad [illegible] pt[illegible] [illegible] c[illegible] n[illegible] [illegible] p[illegible] [illegible] um [illegible] [illegible] sæculi [illegible] ar [illegible] S[illegible] [illegible] Ber[illegible] [illegible]tini, [illegible] a[illegible] fili[illegible] in [illegible] [illegible] in[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] pr[illegible] [illegible] R[illegible] v[illegible] on[illegible] d[illegible] [illegible] quæque [illegible] u[illegible] ho[illegible] [illegible] [illegible] u[illegible] in [illegible]lu[illegible] unt[illegible] quartur[illegible] [illegible] ator traducere, [illegible] ad p[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] a[illegible] bbr[illegible] it. C[illegible] [illegible] Malmesb[illegible] [illegible] A[illegible] laf[illegible] [illegible]ac[illegible] n sit [illegible] [illegible]t. [illegible] *gem [illegible] [illegible] Analafum, [illegible] [illegible] [illegible] re[illegible] cit, bapt[illegible] [illegible] d[illegible] [illegible] ficent. [illegible] [illegible], Sacramenti [illegible] [illegible]; ne [illegible] revert[illegible] [illegible] in A[illegible].*

Quod Sac[illegible] [illegible] [illegible] nemo [illegible]xplicat. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] c[illegible] per[illegible] ul[illegible] m[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] pro A[illegible] [illegible]m, [illegible] Da[illegible] [illegible] [illegible] Lambar[illegible] [illegible] [illegible] modum[illegible]

FÆdus quod olim E[illegible]elredus R[illegible]x [illegible] Anlavi, Iustini, & Guthmundi, [illegible] [illegible], [illegible] pientum suorum co[illegible] [illegible] [illegible] 1. I[illegible] mundana pacis fœdus Ethelredo [illegible], a[illegible] [illegible] [illegible], [illegible]um exercitu illo cui p[illegible]cumam Rex er[illegible]avit, [illegible] [illegible] sancitumque esse ad formulam pa[illegible] [illegible] a[illegible] [illegible] Archiep[illegible] Æthelwardo [illegible] Ælfrico . [illegible]atoribus facta, ut primo impetrarunt a [illegible] ut [illegible] tota portione [illegible], q[illegible] sub eo gubernabant, pacem eo pretio conciliare [illegible].

Si qui [illegible] [illegible] [illegible] navalis apparatus in Anglia prædam fecerit, h[illegible] nobis auxilium ferat exercitus [illegible] es[illegible] quamdiu in Fide man[illegible]it qua ad commeatum suppeditent parabimus omnia. Atque si cum [illegible] in Anglia fuerint prædati, pacem [illegible] cerit ext[illegible]a natio aliqua, nobis atque exercitus, [illegible] ea inimicitia [illegible] tercedunto.

[illegible]. *Mercatorum navigia, vel inimicorum quidem, quæcumque ex alto nullis jactata tempestat[illegible] in portum aliquem invehentur; tranquilla pace fruuntor. Quin etiam si maris acta fluctibus, ad do[illegible] cilium aliquod illustre, ac pacis beneficio donatum, navis appulerit inim[illegible]a: atque istuc nautæ confugerint ipsi ac res illorum omnes, augustâ pace potiuntor.*

Socii ac fœderati nostri omnes per mare & terras, in portu, & extra quidem, pace fruuntor: atque si exercitus regionem aliquam adierit, Regi inimi[illegible] cam [illegible] & e[illegible] [illegible] am loci eorum aliquis [illegible] cui est cum Ethelredo Rege amicitia [illegible] advenerit ipsi, navi, [illegible] rebus suis omn[illegible]us summa pax dator. Quin etiam si [illegible]assem ad terram applicuerit, a[illegible] lam paravit, a[illegible]t tabernaculum posuerit, ipse tamen, ac bona ejus omnia in pace sunto. Si[illegible] res suas simul cum hominu[illegible] inimici bonis in ædes comportarit [illegible] rebus mulctatus [illegible], ipse, [illegible] m[illegible]do in publicum prodierit pace ac vitâ fruitor. Atqui si [illegible] [illegible]se in fugam ded[illegible]it, aut repugnarit, aut [illegible] [illegible]se non indicarit atque occidatur n[illegible] [illegible] [illegible] quam propterea penditor.

4. Si

VII. [illegible] *[illegible] to, de navi compertum fue-[illegible] naval[illegible]bus, damnum præstato; aut [illegible] juste ac legitime [illegible] ante facerat ab eo affirma-[illegible] co[illegible].*

[illegible] Anglus, si Dacum interfecerit, [illegible] libras: ni se ultro [illegible]. Idem [illegible]. si Anglo Dacus [illegible] Dacum Anglus [illegible] integram solvito libram. Da[illegible] interfecerit, noxia pœna par esto. [illegible] damnum octo, sed is læsum cens[illegible] [illegible] sive extra quidem fiat. Sed fuerit [illegible] us, octonario minor; pro eo ac fuerit [illegible] atio compensatio sequitor.

VIII. *[illegible] in oppido hæc fiat pacis violatio, homi-[illegible] oppidani, sive vivos sive mortuos comprehen-[illegible] eorum cognatione proximos [illegible] capita reddunto. [illegible] quod si [illegible] fa[illegible]to. Hic sinon confecerit: [illegible]. Rex denique si id non [illegible] erit: [illegible] fœderis, regio illa [illegible].*

[illegible] in depreptiones, ac damna ante [illegible] dus [illegible] ttuntor: neque vero propterea [illegible] pensationis nomine petatur [illegible] alteruter servum præ-[illegible] utique non admittemus.

[illegible] furti, aut homicidii argua-[illegible] creatione, pirata, ac ter-[illegible] affirmarint, nulla ei excusationis [illegible] eorum aliquis pecudes nostras ca-[illegible], atque exercitus, excurrit in loco [illegible] nec ulla esto compensationis [illegible] exercitui, auri & argenti [illegible] pacem Angli impetrarunt.

[illegible] alia capita: nonum De iis, qui [illegible] : & decimum De Advo-[illegible] apud Lambardum legi possunt [illegible] nihil admodum conducunt.

ANNUS CHRISTI 995.

JOANNIS XV. PAPÆ 11.

[illegible]REDI ANGLORUM REG. 17.

I. S. Cuth[illegible]

Annus Christi nongentesimus nonagesimus qu[illegible]s, a Cuthberto sancto, olim Lindisfarnensi Episcopo maximè illustratur: quando novo [illegible], arca Domini, translata olim de ter[illegible] multos jam annos peregrinata, tandem [illegible] est in a[illegible]em Sion [illegible]amque stationem, post m[illegible]rum annorum labo[illegible]s, tenuit. Cuthberti [illegible] qua[illegible] quod sui integritate ac miraculorum mu[illegible] provinc[illegible] suum amores, [illegible]ltumque meruerat: hoc demum anno quietis [illegible]edem habuit. Jacuerat apud Conderc[illegible], sive [illegible]ceestriam, ab anno [illegible] octingentesimo [illegible]ctogesimo secundo. & nunc D[illegible] omnia vastantibus, nec ib[illegible] potuit secure quiescere. Porro dum Aldunus Episcopus de [illegible] illo sollicitus, an[illegible] penderet, in quam mundi plagam tenderet [illegible] cœlo [illegible], ubi Sed[illegible] sibi, & [illegible]cro corpori quietem, pararet. Quod ad tempus spectat, una omnium sententia est ad hunc annum referendum esse. Unde Florilegus: *Anno gratiæ nongentesimo nonagesimo quinto corpus sancti Cuthberti Pontificis, sicut oraculo cœlesti fuerat præostensum, in Dunelmum translatum; ubi sedes Episcopalis est deinceps constituta.* Cæleste oraculum, in vita sancti Cuthberti in hunc modum declaratur. Westm. hoc

*Anno gratiæ nongentesimo * nonagesimo quinto, Aldunus Episcopus, cœlesti oraculo præmonitus; ut cum incorrupto sancti Cuthberti corpore, quanto jus fugiens piratarum rabiem declinaret. tulit illud centesimo tertio de imo anno, ex quo in Cuncacestre locatum fuerat, in [illegible] per quatuor menses moram traxit. Cum vero sanctum corpus ad priorem locum reportarent: & jam ad Orientalem plagam Dunelmi. in locum, qui Wardelaw dicitur, devenissent vehiculum ulterius nullo moveri poterat ingenio. Præcepit ergo Episcopus, omnes per triduum jejuniis, vigiliis ac precibus insistere; ac Dei voluntatem, omni instantiâ devote postulare. Quo facto, revelatum est ei, ut in Dunelmum transferre ibidemq́; locum requiescendi deberent præparare. Episcopus autem Dunelmum veniens, locum quidem natura munitum; sed non facile habitabilem invenit. Totius ergo populi, & Comitis Uhtredi auxilio, totâ extirpatâ silvâ; Ecclesia ædificatur: & corpus sanctum in ea honorificè collocatur. A primâ igitur institutione Lindisfarnensis sedis, usque ad hunc annum computantur anni trecenti sexaginta unus: & ab obitu sancti Cuthberti, trecenti novem.* Hactenus author. Quæ chronologiæ ratio optimè congruit rationi temporum, quam supra * sequuti sumus; cum Aidani ingressum in Lindisfarnensem Ecclesiam, ad annum Christi sexcentesimum trigesimum quintum collocavimus: & sancti Cuthberti obitum, ad annum Christi sexcentesimum octogesimum septimum. II. * vicesimo quinto. Cap. [illegible] in Cuthberto. In Riponensi agro quiescit primum. Inde Dunelmum transfertur. * v. an. 635 n. 201

Hæc sunt nobilissimæ Sedis; quæ postea Dunelmensis dicta est; prima exordia: quæ incorrupti corporis miraculum, trecentorum jam annorum argumento roboratum, illustrissima fecit. Unde [illegible]rus populorum concursus, & ardor sancto serviendi, des[illegible]imum prius locum, ornavit adeo; ut brevi [illegible] justi oppidi magnitudinem excre[illegible]t. De cujus initiis, hæc paulò fusius Simon Dunelmensis: *Conitans sanctissimi Patris Cuthberti corpus, universus populus, in Dunhelmum venit, quem densissima undique silva occupaverat: tantum in medio erat planities non grandis, quam orando, & seminando excolere consueverant. Ubi Episcopus Alduinus non parvam de lapide Ecclesiam postea construxit. Igitur præfatus Antistes, totius populi auxilio, & Comitis Northumbrorum Uthredi adjutorio, totam extirpans silvam succidit: ipsumq́; locum brevi habitabilem fecit. Denique a flumine Coquedo, usque Teisan, universa populorum multitudo tam ad hoc opus, quam ad construendam postmodo Ecclesiam, prompto animo accessit; & donec perficeretur; devotè insistere non cessavit. Eradicatâ itaque silvâ, & unicuique mansionibus forte distributis: Præsul antedictus, amore Christi, & sancti Cuthberti fervens; honesto, nec parvo, opere inchoavit Ecclesiam: & ad perficiendam omni studio intendit.* Addit Godwinus in Catalogo. *Hæc fuerunt initia Dunelmensis Ecclesiæ, & civitatis, quibus indita est appellatio a Dun, quod montem, & Holm, quod lingua Saxonica, insulam amnicam significat: quia Coquedus fluvius, per Mæandrum quasi in se reductus, montem* III. Dunelmensi. Ecclesiæ exordia, a sancto Cuthberto. apud God. & Camd. Godwin. in Dunelm. Eps.

ab omni ferè parte circumluit, quasi Insulam molitur; in quo Dunelmum, Anglicè Durham, situm est.

IV. Eodem modo Camdenus, & alii recentiores, Dunelmensis oppidi, à sancto Cuthberto ortum habuisse, ingenuè fatentur: magis tamen in loci naturâ explicandâ occupantur, quam aut in cælesti oraculo, aut sacri corporis miraculo referendo. Verùm qui majorum fidem, cujus inquisitio longè præstantior, & eorum facta, fidem testantia, inspicere cupit: multo libentius causam rimatur unde tantus animorum motus? tam constans provincialium in sanctum affectus? tam subita novi oppidi erectio, emerserit? Quæ omnia in Dunelmensis urbis institutione, manifestè cernuntur. Nam sacri corporis incorruptio, tam vocale fuit sanctitatis ejus argumentum; ut summos pariter infimósque ad cultum erexegit. Et Deus piis mentibus adfuit; qui semper colitur in Sanctis suis. Hoc Novatores non advertunt; hunc fidei nucleum nolunt edere; sed cortice tantùm contenti, urbes ædificant, Ecclesias numerant: & Sanctos, obiter tantum, & per transennam, recensent. Cum tamen paulo curiosius Insulam lustranti, facilè pateat: vix oppidum, aut Ecclesiam in Angliâ illustrem inveniri: quæ non a sancto aliquo, & fide ejus orthodoxâ; hoc est Catholicâ, atque Romanâ, vel ortum sumpserit; vel certè incrementum. Unde Dunelmenses, Cantuarienses, Albanenses, Edmundi-burgenses, Croylandenses, Beverlacenses, &c. mirabilis stupor occupat; quod illos sanctos, illam fidem, eos ritus & sacra dehonestent: a quibus ipsi, non vitam solùm, sed lucem omnem splendorémque acceperunt. Mihi certum est in die judicii, clamabunt lapides, & saxa, & pugnabit hic universus orbis noster, contra insensatos. Sed ad causam redeo enatæ Urbis, & Ecclesiæ.

ILLUSTRIORES ECCLESIÆ A SANCTIS ORTUM HABENT, ET EORUM CULTU.

V. Illæsum ab omni tabo Cuthberti corpus, merito inter hujus sæculi miracula, & Dei opera, recensetur. Quo certè testari voluit, & Cuthbertum sanctum esse, & populo exponendum, in sanctitatis exemplum. Et quoniam Lindisfarnenses monachi, devoto semper obsequio, in omni peregrino labore, ad ejus corpus excubabant: probavit sine dubio Deus, eorum; & quotquot Cuthbertum culturi erant, obsequiom; continuo trecentorum annorum miraculo. Unde Romanam, & orthodoxam fidem; quæ Sanctorum cultum urget; necessario sequitur, à Deo probari; vel certè debet incorrupti corporis miraculum negari. Sed nemo quod sciam, etiam Novatorum, adeò frontem perfricuit: ut rem adeo certam, testatámque multum controverterit. Certè Malmesburiensis tempore, qui sub annum Christi millesimum centesimum quadragesimum vixit, extra omnem controversiam erat. *Celeberrimus*, inquit, *& illibato corpore adhuc pausans, eximius Cuthbertus: qui solus hanc gratiam meruit; quod unquam ejus incorruptio vel in quæstionem venerit.* Cæterum diu post Malmesburiensis tempora, eadem mansit integritas corporis: nam Harpesfeldius nostro sæculo vicinus, testatur Cuthberti corpus, eousque incorruptum mansisse & quia elegans inde argumentum conficit fidei orthodoxæ; non erit huic loco importunum illud inserere. Sic ergò:

CUTHBERTI CORPUS INCORRUPTUM.

Malmesb. de Pontif. l. 3. fol. 275.

VI. *Admiranda sanè Deum* (inquit) *ad servorum suorum beatas reliquias, & sacra corpora, per omnem Ecclesiæ memoriam, opera miraculaq; patrasse; probatissima Ecclesiæ historia passim demonstrant. Quæ, & quanta sint, beata illorum animæ apud Deum in cælo gratia; supremaq; illius defunctorum resuscitationis olim futura & quanta sit etiam corporum beatorum, post illam, futura in cælis gloria; facilè fidem, vere Christiano homini, facere poterint. Inter cætera verò non aliud admirabilius, vel ad confirmandam Christianam, de communi illâ corporum resuscitatione, persuasionem, efficacius videtur quàm quòd plurima multorum beatorum corpora, ad multa postea sæcula, incontaminata, atque inviolata permanserint: & adhuc permaneant. Quod spectaculum, nescio an in ulla aliquâ Christiani orbis provinciâ, insignius; quam in hac nostrâ Britanniâ sit repræsentatum. Tradunt certè nostra Ecclesiastica historia, admiranda in hoc genere, de corporibus Edoardi Regis atque Confessoris, Divæ Etheldreda, Divæ * Withurga, Elphegi Archiepiscopi, & Martyris, Edmundi Regis & Martyris. Cæterùm quod ad nostram ætatem in sua integritate perduraverint, non mihi satis liquet. De Divo autem Cuthberto, res est explorata, atque expedita.* Hæc ille. de Etheldredæ, Withburgæ & Edmundi incorruptione, supra dixi suo loco, de Elphego Cantuariensi dicam inferius: denique Regiam Anglorum fidem, Regio Edoardi Confessoris miraculo coronabo.

Harpesfel. sæc. 7 c. 14.

* [illegible] ga.

Dunelmensi Ecclesiæ plurima à fidelibus oblata sunt munera, concessa prædia, & integra etiam oppida. unde crescente semper provincialium pietate, inter ditiores Angliæ Sedes numerata est. Derlington oppidum prope Tesim in Dunelmensi Comitatu. sub hoc tempus, saltem, Ethelredo adhuc Rege, donatum est. de quo Camdenus: *Prope Derlington*, inquit, *frequens forum agitur, quod Seir filius Ulfi S[illegible]o, impetratâ ab Ethelredo Rege veniâ, Ecclesiæ Dunelmensi donavit. Hugoq; de Puteato, sive Pudsey templo & ædificiis exornavit.*

Moritur hoc anno Siricius, Cantuariensis Episcopus, cùm quinquennio sedisset. & vacasse videtur aliquamdiu mater Ecclesia, cùm de sufficiendo Præsule deliberatum est. Itum tamen postea in Alfricum Wiltunensem Episcopum. qui sequenti demum anno consecratur.

V. [illegible]

ANNUS CHRISTI 996.

GREGORII V. PAPÆ 1.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 18.

I. ANNO Domini nongentesimo nonagesimo sexto, moritur Joannes decimus sextus, cùm Romanæ Ecclesiæ præfuisset, annos decem, & menses aliquot. Ab ejus obitu, post mensem unum, & dies sex, in locum ipsius subrogatur Gregorius Quintus: nequicquam obstrepente Joanne Placentino: quem Crescentius quidam, ad primam Sedem evehere, sed frustra, conatus est. Sed misso eo schismate; vacantem in Angliâ primam Sedem revisamus. Ibi Cantuariensis clerus, de pastore solicitus, cùm unanimi sententiâ, in Alfricum convenisset, hæc de electo a se viro,

MORITUR JOANNES XV. PAPA SUCCEDIT GREGORIUS V.

literas

ALFRICUS CANTUARIENS. EPS.

literas dedit; quas è Chronico Abindoniensi recitat Harpesfeldus, ita.

Universis sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ filiis: Clerus & populus ejusdem Ecclesiæ devotas orationes.

II. ALFRICI ELOGIA.

VNiversitati vestræ est cognitum, quantum temporis est, ex quo accidentibus variis eventibus, mater Ecclesia Angliæ, suo sit viduata pastore, ac destituta Rectore. Quod non solum ad nostrum, verùm & ad vestrum, ac omnis hujus Insulæ detrimentum pertinere dignoscitur: cum totius patriæ solicitudinem Metropolitanæ constat esse commissam. Propterea elegimus sanctæ Abendonensis Ecclesiæ monachum, Elfricum nominee nobis sufficientissimè cognitum, natalibus, & moribus nobilem; Apostolicâ, & Ecclesiasticâ disciplinâ imbutum; fide Catholicum, naturâ prudentem, docilem, patientem, moribus temperatum, vitâ castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, literatum, in lege Dei instructum, in Scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatum. & secundum tramitem Scripturarum, traditionemq; orthodoxorum. & Canonum, ac decretorum Sedis Apostolicæ, Præsulum constitutiones. sano sensu Ecclesiasticas regulas intelligentem; sanóque sensu docentem, atque servantem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, sermonem fidelem: & cum modestia corripientem eos, qui resistunt; & qui sanæ doctrinæ adversantur, eis resistere, & redarguere prævalentem. hospitalem, modestum, domui suæ bene præpositum: non Neophytum, habentem bonum testimonium in gradibus singulis secundum traditionem Ecclesiasticam ministrantem, ad omne opus bonum, & ad satisfactionem omni poscenti rationem, de eâ, quæ in illo est, spe paratum.

III. ALFRICUS IN FIDE INTEGER.

Notanda sunt hæc elogia; quæ Cantuariensis Ecclesia electo suo Antistiti tam profusè condonat: & illa imprimis, quæ fidem, & sanum Scripturarum intellectum respiciunt: quia nuper* Novatores, post elusa & explosa omnium sæculorum sensa; de Venerabili Sacramento, Christi ore verbisque dilucidè satis asserto: nescio quid in Alfrico invenerunt, in Orthodoxum Catholicorum sensum peccans, ut multis conatur ostendere, tunc Midensis, nunc Armachanus nomine Episcopus. Excutiam illud, cum Alfricus moritur. Interim eum in Romanâ fide integrum suppono: eò constantiùs, quod suprà à Clero sui sæculi, populoque, eo nomine, laudetur: & quod postea Balæus cognomento Apostata, eum vocet *astutum Papistam, eaq; ratione promotum in primam Sedem.* Et sanè, non admodum erravit, si Romanæ fidei Ecclesiæque cultorem intellexit. nam hoc ipso anno; ut dictum Abendonense Chronicon; Alfricus Romam pro pallio adipiscendo, idque nudis pedibus profectus est: penulamque, quâ in eo itinere usus est, in monumentum postea Abindoniæ reservatam, quidam affirmant. Hinc valdè mirandum erit, & magnis argumentis probandum: quod à Romanâ Fide, sensuque Orthodoxo, tantum deviarit, quantum nuper Novatores finxerunt. de quo postea.

*v. an. 1006. n. 3. &c.

ROMAM NUDIS PEDIBUS PROFICISCITUR.

IV. ET QUORSUM?

Cæterùm quod ad Romanam Alfrici profectionem attinet: aliud præter pallii honorem, à Romano Pontifice postulatum, impetratumque in causâ fuisse Authores aliqui putaverint. quos sequutus Parkerus, vult Ethelredum Regem, cum Alfrico (quem Aluricium vocat) conspirasse; ut amotis Clericis è Cantuariensi Ecclesiâ, substituerentur monachi, Apostolicâ authoritate: quod à Rom. Pontifice indultum. Sic enim scribit Parkerus: *Aluricio accedenti, Papa cum magno honore, ad Petri altare, pallium ipse imposuit. Cui etiam decedenti, quod Aluricius optavit, Papa imperavit, ut in Ecclesia suâ non alium virorum ordinem toleraret, quàm monachorum à Gregorio præceptum Augustino. Id quod reversus sine morâ perfecit.* Hæc solum altercandi causâ dicuntur. Novatores enim factionis socios, in omni sæculo avidè quærunt, inventos suaviantur: non inventos, quâ pollent industriâ fingunt, ut tricari cum Orthodoxis possint. Malmesberiensis Alfrici sæculo, longè quàm Parkerus, vicinior, ita censuit: *Quidam dicunt, Ælfricum, Cantuariæ monachos, proturbatis clericis posuisse: quod verisimile non videtur. Constat enim monachos in Ecclesiâ Sancti Salvatoris fuisse à tempore Laurentii Archiepiscopi: qui primus Beatissimo Augustino successit: sicut in Epistolâ Bonifatii Papæ, ad Regem Ethelbertum, constat.* Ita ille. Nos has Bonifacii literas suo loco recitavimus. Nec putamus Alfricum à Romano Pontifice impetrasse, quod dudum fuerat ab eadem Sede indultum. Cæterùm quicquid ille, in hac re fecit, solo Ethelredi Regis nutu factum: de quo infrà an. 1003. num. 5. &c.

Antiq. Brit. fol. 95.

Malmesb. de Pont. l. 1. fol. 203.

*v. an 610. n. 26.

V. S. ETHELWOLDI CORPUS EFFERTUR.

Hoc anno, Elphegus Wintoniensis Episcopus, sancti Ethelwoldi prædecessoris sui corpus, publici juris fecit, & ad cultum extulit. de quo sic Malmesburiensis: *Elphegus, Antecessoris sui ossa extulit anno duodecimo, post depositionem ejus, signis quibusdam, & eis non levibus, ad audendum persuasus.* Quænam illa fuerint, in Ethelwoldi vitâ produntur: ubi sic legitur. *Anno duodecimo, post obitum Ethelwoldi, cuidam cæco apparuit, præcipiens ut Wintoniam pergeret, & ad ejus tumbam, visum reciperet. Idcirco, inquit, te visito, & quæ tibi ventura sunt, prænuntio, ut per tua salutis signum manifestetur; quia me oportet levari de tumulo, in quo nunc jaceo. Qui cum locum tumuli se nescire diceret: sanctus ait: Cum illuc veneris, monachum accersiri facias, nomine Wlstanum: Hic cum verba tua audierit; mox te, ad meum perducet tumulum: & ibi recipies lumen oculorum tuorum. Qui cùm omnia, ut jussum fuerat, perfecisset; sanitatem integram reportando, ad propria remeavit. Translatum est corpus, quarto Idus Decembris, & in choro Ecclesiæ collocatum. ubi meritis ejus multa miracula, usque in hodiernum diem operari dignatus est Deus.* Hæc ibi. Sequuntur plura quæ Ethelwoldi merita & sanctitatem loquuntur. sed illa satis superius asserta sunt.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 245. apud Capgr. in Ethel.

VI.

Extat Ethelredi Regis rescriptum, hoc, opinor, anno datum: quo terras, regio quondam fisco addictas, in Alfrithæ matris jura transcribit.

CHARTA ETHELREDI REGIS MATRI ALFRITHÆ.

IN nomine Dei, & Domini nostri JESU CHRISTI: Anno ab Incarnatione Dominicâ DCCCC III. (sed lego DCCCC VI.) *Indictione nonâ: Ego Ethelredus Rex Anglorum, totiusq; Britanniæ orbis gubernator; supernâ annuente gratiâ, ab eodem Deo, & Domino nostro, populis, & tribubus præordinatus in Regem: anno imperii mei decimo octavo, dono concessi meæ Venerabili matri, Ælfthritha vocitamine, quasdam terrarum particulas, semotis in locis. id est, septem *sublunnga, in loco qui Bradanburna vocitatur:*

* mensuræ terræ. pl. weland.

& quart. ini

& quartam semis, ipso in loco Æt-theofatotan dicitur. duo quoque nec minus Æburhwaresfelda. tria itidem eo in loco, quem solicola, Æt-natiucgdune appellant. Item quoque tria Æt-cealconat. id est, Æt-wiregeun, tali tenore: ut easdem prædictas terras habeat, & possideat. quamdiu in mortali carne vitalem spiritum inextinctum contineat. Deinceps namq; sibi succedenti cuicumque placuerit, relinquat hæredi. seu supra monstravimus in æternam hæreditatem. Maneat igitur nostrum hoc immobile donum, ac æterna libertate jocundum; cum omnibus, quæ ad ipsum locum pertinere dignoscuntur; tam in notis causis, quàm in ignotis: in modicis, & in magnis, campis, pascuis, silvis, aquarum cursibus: exceptis istis tribus, expeditione, pontis, arcisve coædificatione. Et hoc mandatum mandamus in nomine Patris, & Filii. & Spiritus Sancti: ut nullus superveniret hominum, superbiâ inflatus, aut aliquâ malevola instigatione; hanc præfatam libertatem in alicujus oneris molestia vitare satagerit, & præscriptis statutis noluerit consentiens esse: sciat se alienum esse à consortio sanctæ Dei Ecclesiæ: authoritate Beati Petri Apostoli, omniúmque sociorum ejus. nisi hic dignâ emendaverit pœnitentiâ, ante mortem; quod contra nostrum decretum malevola machinatione fecisset. Quia dicitur per psalmigraphum: Nolite tangere Christos meos. Has sanè præfatas terras, quidam vir, vocitamine Walboldsus, habuisse dignoscitur. & ob reatus sui offensam, Principum meorum omnium æquissimo examine, ad mei juris imperium sunt addicta. Hacq; territoria illi concedo, pro nostra terra, quam ille mihi prius donaverat, idest, Ceolsige: rependens munere munus, divinum optans consequi promissum: Date & dabitur vobis.

VII. † *Ego Æthelredus, Rex totius Britanniæ, præfatam donationem, cum sigillo sanctæ Crucis † confirmavi.*

† *Ego Æthelfricus, Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopus, consignavi.*

† *Ego Eadulphus, Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopus, corroboravi.*

† *Ego Elfheah, Wintoniensis Ecclesiæ Episcopus, consensi.*

† *Ego Wulstan, Londoniensis Ecclesiæ Episcopus, impressi.*

† *Ego Æscwi Episcopus, consignavi.*

† *Ego Elfheah Episcopus, consensi.*

† *Ego Athulf Episcopus, conscripsi.*

† *Ego Orcbyrht Episcopus, consignavi.*

† *Ego Elfwold Episcopus, consensi.*

† *Ego Ælfweard Abbas.* † *Ego Ulfsige Abbas.*

† *Ego Wulfgar Abbas.* † *Ego Leofric Abbas.*

† *Ego Byrthelme Abbas.* † *Ego Ælfere Abbas.*

† *Ego Brorthnoth.* † *Ego Germus Abbas.*

† *Ego Ælfwold Abbas.* † *Ego Athelweard Dux, &c.*

VIII. Quod ad datam diplomatis spectat; ex Indictione nonâ, & Ethelredi Regis anno decimo octavo, satis colligitur referendam esse ad annum Christi nongentesimum nonagesimum sextum: licet amanuensium errore in M. S. habeatur annus nongentesimus nonagesimus tertius. Sed quia, eo anno, Alfricus, qui hîc Ethelfricus dicitur, nondum Cantuariensem Sedem ascenderat; multo rectius huc refertur. Quo posito: dicendum; Elphegum Lichfeldensem, & Æscwium Dorcacestrensem Episcopos, ad hunc annum Sedes tenuisse: & corrigendos Fastos, qui Elphego successorem dederunt Godwinum, ad annum Christi nongentesimum nonagesimum: & Æscwio Ælfelmum, anno nongentesimo nonagesimo quarto. Cæterùm uterque melius hoc anno, post Elfeagi & Æscwii subscriptionem, ponitur: Godwinus, Lichfeldensis; Elfelmus, Dorcacestrensis, Antistes.

MORITUR ELFEAGUS LICHFELDEN. SUCCEDIT GODWINUS.

MORITUR ÆSCUIUS DORCAC. SUCCEDIT ÆLFELMUS.

IX. Alfrico Wiltunensium Episcopo, ad altiorem Sedem assumpto, Brithwoldus successit; & Wiltunensem pro ea administravit Ecclesiam. De eo, ejúsque largitionibus in Glastoniensem Ecclesiam (nam inde ad majus sacerdotium evectus est) dicam plura inferius. Sanctitatem ejus non possum hoc loco silentio premere: nam is, ille est, quem de Regiâ Anglorum stirpe anxium, Petrus Apostolorum Princeps consolatus est, cùm dixit: *Regnum Anglorum, regnum Dei est.* Quod oraculum, Canuto Rege fusum, dabo inferius [a]. nam Brithwoldus ad annos quinquaginta Episcopali infulâ illustris fuit. & alia prædixit, de quibus infra.

BRITHWOLDUS WILTUNENSIS EPS.

[a] 14.

ANNUS CHRISTI 997.

GREGORII V. PAPÆ 2.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 19.

ANnus Christi nongentesimus nonagesimus septimus, novis Danorum incursibus infamis fuit. multis illi in locis, terrâ, marique prædantes, provincialium animos, virésque distraxerunt, in Occidente præsertim: ubi urbes, agri, Ecclesiæ, barbarorum impetum senserunt. De quo sic scribit Huntindonius: *Edelredi Regis anno decimo nono, Daci circa Cornugalliam perrexerunt in Savernam, prædantes in Damene, & Sudwales.* Quod paulò latiniùs è Wigorniensi, sic reddit Hovedenus: *Anno nongentesimo nonagesimo septimo, Danorum exercitus, qui remanserat in Angliâ, circumnavigatâ West-Saxoniâ, ostium Sabrinæ fluminis intravit: & nunc Septentrionalem Britanniam, nunc Cornubiam, nunc in Domnaniam, Wesedport devastavit: villisq; quamplurimis incensis, multas hominum strages dedit. deinde Penwithsteord regyrato, in ostium fluminis Tamaræ, Domnaniam & Cornubiam, sequestrantis navibus devectus prosilivit: nulloq; prohibente, usque ad Lidefordam, suum continuavit incendium: & cædes hominum reiteravit. Ad hæc etiam,* [a] *Ordulfi primatis monasterium, quod Tavistocke dicitur combussit: ingentiq; prædâ onustus, ad naves repedavit, eodemq; in loco hiemavit.* Ita ille.

DANI ... PRÆ... INFESTANT

Hunt. fol.

Hoved.

[a] 961.

AVIS OMNIUM DESTRUITUR.

II. Meminit hujus Danorum excursionis, in oppidorum descriptione Camdenus. ubi de fluvio, qui Devoniensem agrum à Cornubiensi distinguit, hæc habet: *Tamara, quæ regiones has disterminat, primùm, Lid fluviolum, ab ortu hospitio excipit: ad quem Lidford, nunc viculus, olim celebre oppidum, Danico turbine, anno nongentesimo nonagesimo septimo concussum: quod non alio tempore, nec aliâ ratione; quam Londinum censeri solebat.* & paulò infrà: *Inferius Teavum fluviolum recipit Tamara: ad quem Tevistoke, vulgo Tavistoke floret, cœnobio quondam celebre; quod Orgarus; sive Odogarus Devoniæ Comes, Edgari Regis socer, virginibus sacrum, anno Christi nongentesimo sexagesimo primo extruxit. Sed tricesimum tertius, ab hoc condito vix agebatur annus cum Danicâ incensum tempestate deflagravit.*

Camden. in Damnon.

Harposfeldus tamen paulò accuratius videtur annos supputasse, cum ait. *Tricesimo sexto post anno, cum ea pars Wallia, qua respicit Septentrionem, cum Dorsetaná provinciá, Devoniá, & Cornubiá miserè à Danis vastaretur, immisso ab eis igne Tavistochiense cœnobium conflagravit.*

Harposfeld. sæc. 10. c. 9.

III. Sigarus Wellen. moritur: Succedit Alfwinus.

Moritur hoc anno Sigarus, qui ab anno Domini nongentesimo octogesimo quinto, Wellensem Ecclesiam rexerat: & in ejus locum Alfwinus sufficitur quem Godwinus Adelwinum & Alwinum vocat. De tempore ingressus ejus; non est una omnium ratio. nam Sigarum anno Domini nongentesimo nonagesimo quinto obiisse vult Godwinus. Fasti tamen, & Westmonasteriensis hunc annum consignant.

ANNUS CHRISTI 998.

GREGORII V. PAPÆ 3.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 20.

I. Angli a Danis vincuntur.

DAnus, qui in Insulâ hiemaverat, sub veris initium, ad prædam convertitur: & qui paulò ante Cornubiam atque Devoniam vastaverat; nunc in vicinas illis provincias grassatur. Anglus quidem aliquando, hosti se opposuit: sed vel turpi fugâ, vel sociorum defectione, ignominiam pro victoriâ reportavit. Unde Hovedenus breviter hujus anni calamitatem sic explicat. *Anno nongentesimo nonagesimo octavo, memoratus exercitus paganorum ostium fluminis quod dicitur Frome appulsus; Dorsetaniam repetiit: &, more solito, prædâ instituit. Et quotiescumque invecta jacuit; de Suth-Saxoniâ, & Suthamptunensi provinciâ, sibi victum accepit; adversus tantam tempestatem multoties congregatus exercitus est. Sed quoties prælium essent commissuri Angli; aut insidiis, aut aliquo infortunio impediti, terga verterunt, & hostibus victoriam dederunt.*

Hoved. hic

II. Ethelsinus Schirburnen. moritur: Succedit Brithwinus.

Moritur hoc anno (si Fastos sequimur) Ethelsius, sive Ethelsinus Schireburnensis Episcopus: & vacantem Sedem intravit Brithwinus. de quo non aliud traditur, quàm quod obierit anno nono sequentis sæculi: nimirum cùm annos undecim sedisset. meritò tamen de ingressu ejus ad Schirburnensem Sedem dubitari potest; an hoc anno contigerit; cùm sexto sequentis sæculi, Ethelsius Ethelredi diplomati subscriptus reperiatur, ut ibi num. 32.

ANNUS CHRISTI 999.

SILVESTRI II. PAPÆ 1.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 21.

I. Gregorius V. moritur. Succedit Silvester.

GRegorius Quintus, cum Romanam Ecclesiam annos duos, & menses aliquot gubernasset, anno Domini nongentesimo nonagesimo nono, moritur: & Gerbertus Ravennatum Episcopus in ejus locum, laico magis quàm Ecclesiastico imperio, subrogatur; dictus deinde Silvester eo nomine secundus: sed qui primi sanctitatem nunquam assecutus est.

II. Dani vexant provincias.

Wigorn. hic

Interea Dani Insulam novis incursibus vexant. *Nam sæpe dictus paganorum exercitus* (ita loquitur ad hunc annum Wigorniensis) *ostium Thamesis fluminis ingressus, per flumen Meadweage, Roveceastram advehitur: eamq; paucis diebus obsidione cinxit. Ad quos repellendos, conglobati Cantuarienses, asperum cum eis prælium ineunt: sed multis ex his, & illis casis, Dani loco funeris dominantur. Hinc equites effecti, Occidentalem Cantia plagam fermè totam sunt demoliti. Qua re cognitá, Rex Anglorum Æthelredus (suorum primatum consilio) & classem, & pedestrem congregavit exercitum. Verùm dum parata essent naves; duces exercitus, de die in diem moram capiis innectentes; populum graviter vexabant. Ad ultimum verò, nec classica, nec pedestris manus, quicquam communis utilitatis agebat: præter populi laborem, pecuniæ perditionem, hostium incitationem.* Nimirum Anglorum imperium, ad occasum declinat: & sub ignavo capite languet. Quamvis non desint, qui languentis Reip. mala, non in Ethelredi ignaviam, sed aliò referant. *Veruntamen multa mihi cogitanti mirum videtur* (inquit Malmesburiensis) *cur homo, ut à majoribus accepimus, neque multum fatuus, neque multum ignavus in tam tristi pallore tot calamitatum, vitam consumpserit. Cujus rei causam si quis me interroget; non facilè respondeam, nisi Ducum defectionem, ex superbiâ Regis prodeuntem. Nam præter Anglos, quos nullis causis extantibus, exheredabat; vel affictio crimine, opibus emungebat. Præter Danos, quos tenuibus suspicionibus, omnes, uno die, in tota Angliá trucidari jusserat: præter hoc etiam in uxorem adeo protervus erat, ut eam vix dignaretur, sed cum pellicibus volutatus, Regiam majestatem infamaret.* Sed hæc posteriora fuerunt, & calamitatis cumulum auxerunt.

Malmesb. de Reg. l. 2 c. 10 fol. 63. fin.

Ethelredus Rex, malorum causa.

III. Brithnothus Comes rem fortiter egit, pièque, et moritur.

Fuerunt tamen, qui fortiter agendo, pièque operando, Dei ferientis manum sistere: & Remp. contra Danorum impetus tueri conati sunt. Hos inter, præ cæteris eminuit Comes Brithnothus, qui se totum Deo, & Reip. voverat. Unde hoc anno nongentesimo nonagesimo nono, priusquam se Danorum incursibus opponeret; Eliensi monasterio, quod dudum sanctus Ethelwoldus monachis auxerat; multa prædia donavit: nimirum Somerham, Spaldwil, Trumpinton, Ratindun, Heisbury, Fulburn, Tiverston, Triplestoum, & Impetum. Ita illa refert Camdenus, & addit, eum postea Camaloduni mortuum, cum dies quatuordecim continuò cum Danis conflixisset.

Camd. in Cambrig.

ANNUS CHRISTI 1000.

SILVESTRI II. PAPÆ 2.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 22.

I. Dano recedente quievit Insula.

SEquitur Christi annus millesimus; quo à Danorum rapinis respiravit paululum Insula: & Ethelredo Regi vacavit, distractos civium animos componere. Danus hostis, in Gallias trajecit: non animo quiescendi à rapinis: sed ut Normannorum viribus fortior, ad injuriam rediret.

Interim Ethelredus, veternum excussit, Danorum reliquias, qui in Insulâ manserant, persequitur, & ea inprimis loca occupat, quæ Dano magis opportuna, viam illi, ad vexandos cives, & invadendam provinciam, fecerant. *Anno millesimo* (inquit Hovedenus) *Danorum classis præfata, Normanniam petiit: Rex Anglorum Egelredus, terram Cumbrorum depopulatus est. Hi sua classi mandavit, ut circumnavigatâ Septentrionali Britanniâ, in loco constituto, sibi occurrerent: sed vi ventorum præpedita, non potuit: Insulam tamen quæ Mon ge dicitur, devastavit.* Præcipua Ethelredi expeditio, in Cumbros fuit; nam ibi Dani, Scotorum commercio, & vicinitate, Anglorum cervicibus maximè imminebant. Eò igitur pedestres copias omnes convertit. ut advertit Huntindonius: *Rex Edelred*, inquiens, *ivit in Cumberland, cum exercitu gravissimo: ubi maxima mansio Dacorum erat. vicitq; Dacos bello maximo, totamq; fere Cumberland, prædando vastavit.*

Hovid. hic

ETHELREDUS CUMBRIAM DEPOPULATUR.

Huntind. fol. 358.

II. ET MONAM OCCUPAT.

Cùm hostem, è Cumbriâ, submovisset: Insulas aggreditur; quò piratarum copiæ se recipere, & inde opportunè, importunè, in provincias incurrere, consueverant. Mona, Hiberniam, inter & Angliam, jacebat media: quæ in hoc bellorum turbine, primùm occupanda fuisse videtur. Hunc Danorum nidum destruere; & reliquias hostium inde profligare Ethelredus feliciter satis conatus est. Sed lucida hæc felicitatis intervalla, diuturna non fuerunt & corona, quam Ethelredus a fratre extorserat; nullam iniquo possessori quietem indulgere debuit: & demum in alium cadere: ut latius in sequentibus apparebit. Interim illud portendisse videtur, & mortalibus indicasse, quod narrat Sigebertus: *anno* JESU CHRISTI, inquit, *millesimo, secundùm computationem Dionysii; multa prodigia sunt visa. Terræ motus factus est permaximus. Cometes apparuit, 19. Calendis Ianuarii, circa horam nonam, aperto cælo, quasi facula ardens, cum longo tractu fulguris instar, illabitur terris, tanto splendore; ut non modo, qui in agris erant; sed etiam in tectis; irrupto lumine, ferirentur. Qua cæli scissura, sensim evanescente; interim visa est figura, quasi serpentis, capite quidem crescente, cum ceruleis pedibus.* Ita Sigebertus. quæ meliùs rerum narratione, quàm alio commentario, elucidantur.

Sigebertus in Chron. hic.

PRODIGIA ANTE DANORŪ ADVENTUM.

COMETA.

SERPENS.

III. Interim Anglorum Fides; quæ, domi Danorum infestatione cæpit paululùm obscurari; foris fuit illustrissima: nam plures ex Insula secedentes, Christum in Borealibus provincialibus prædicavérant, factâque non parva Fidei semente, messem collegerant. Hos inter Sigfridus Eboracensis, cum tribus nepotibus, Wiamano, Unamano, & Sunamano, dudum in Gothiam profectus, Christi Fidem eò provexerat: omnes tamen, in unum ovile colligere non potuit. Unde infidelium aliqui, in Sigfridi nepotes exasperati, eos Christum prædicantes, & idolorum vanitatem ostendentes, hoc anno ab iis interfecti, in nostro Martyrologio (ad 25. Julii) inter Martyres leguntur. Eorum etiam meminit Joan. Magnus in historiâ Gothicâ, l. 17. c. 20. & Olaus Magnus in additionibus, An eorum unus ad majus sacerdotium assumptus sit, nescio. Invenio tamen Unwanum quendam Hamburgensem Episcopum, in Fide propagandâ solicitum: de quo Magdeburgenses, ubi agunt de iis qui contra idola & vanitates gentilium pugnaverunt. *Aliqui etiam Episcoporum*, inquiunt, *non tam ore, quam forti manu iisdem restitere. Unwanus enim Hamburgensis Præsul, omnes ritus paganicos, quorum reliquiæ adhuc multa supererant, ex Holsatiâ prorsus extirpavit.* Ita illi; Qua an in Sigfridi nepotem cadere debeant non pronuntio. licet * infra pluribus, Norwegos, Gothos, Danos, Suevos, & omnem illum borealem populum, Anglorum operâ in Christum credidisse, non uno loco ostendam. Quorum aliqui Ecclesiis præfecti, & in Episcopos consecrati sunt. Unde inter Daniæ Episcopos, qui hoc tempore floruerunt; Guilielmus, natione Anglus, numeratur. de quo Saxo Grammaticus, & ex eo Magdeburgici ista scripserunt. *Guilelmus Anglus, quo Canutus major, & scribâ, & sacerdote usus erat, sub Suenone Estrita filio constituitur Rosbildensis Præsul.* Sed fortè is posterius, Quando plures, ut dicetur, in Septentrionis illius conversionem conspirarunt. à Sigfrido, & nepotibus ejus, qui præcesserant animati.

Cent. 11 fol. 695.

* 1104. & 1027. 12.

Cent. 11. f. 626.

Restat horum trium Unamani, Wiamani, Sunamani martyrium exponere. quod quia Olavus magnus, Gothicæ historiæ lib. 17. cap. 20. amplissimè exposuit, hîc solùm compendio referam, è Magdeburgensibus, qui ita illud recitant. *Dum apud Westgothos, à Sigfrido Anglo instauratio religionis fit; tres ejus nepotes, quibus Ecclesia Vexoviensis curam commiserat; dum latius conantur diffundere Evangelium Christi: a proceribus quibusdam regni, partim odio veræ religionis, partim prædæ cupiditate, crudeliter occiduntur. nam res pretiosas isti Anglici Doctores attulerant: quas illi latrones auferunt. Patratâ igitur cæde, capita vasi inclusa, appensóque lapide magni ponderis, in stagnum propinquum demergunt. truncos verò cadaverum, in paludem abjiciunt. Sperantes authores tantæ homicidii in perpetuum latere posse.* Prosequitur Author pluribus narrare mirabilem capitum inventionem, Olavi Regis justissimam iram, Sigfridi preces pro homicidis: & Deum ubique Martyrum fidem fideique constantiam, rebus supra communem naturæ ordinem gestis approbantem. adverto solùm, *res illas pretiosas*, quas Anglici Doctores attulerant: & quas cacodæmon, & ejus genio impulsi infideles, auferre laborarunt, calices, patenas, aliáque sacrificio servientia vasa fuisse, quæ à Christo passo ad ea tempora, fideles in sacris usurparunt. & quæ nunc paradoxi, eodem cum infidelibus impetu, nè Christo inserviant, suffurari conantur. Nunc ad prodigii supra memorati sensum: hoc est, ad historiæ filum, & rerum gestarum ordinem redeo: & annum sequentem. IV

ANNUS CHRISTI 1001.

SILVESTRI II. PAPÆ 3.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 23.

CREVIT serpentis caput, cum ceruleis pedibus: ubi Dani; qui paulò antea in Gallias trajecerant; anno Christi millesimo primo; cum armatâ manu cærula verrentes, redeunt in Angliam: & Iscæ fluminis ostium ingressi, Devoniensem agrum, & urbem ibi principem, I.

I. DANI IN DEVONIENSEM AGRUM PUGNANT

impugnant

impugnant. Sed civibus urbem strenuè defensantibus repulsi: inde, ad prædas conversi; minora oppida incendunt, agros depopulantur, armenta avehunt, & agrestes ac inermes populos immaniter trucidant. quod ita è Wirgorniensi recitat Hovedenus: *Anno millesimo primo, memoratus exercitus paganorum, de Normannia Angliam revectus, ostium fluminis Eaxe ingreditur: & mox ad expugnandam urbem Exancestram egreditur. Sed dum murum illius destruere molireture à civibus urbem viriliter defendentibus, repellitur. Inde nimis exasperatus; more solito, villas succendendo, agros depopulando, homines cædendo, per Domnaniam vagatur. Quare Domnanienses, & Summerseatunenses, in unum congregati, in loco qui dicitur Peahon, certamen cum eis ineunt. Sed Angli, pro militum paucitate, Danorum multitudinem non ferentes, fugam capessunt. Illi vero, multâ strage factâ, victores existunt. Deinde adeptis caballis per totam ferè Damnoniam, pejora prioribus mala gesserunt: ingentique prædâ captâ, naves repetierunt. Inde ad Vectam insulam, cursum direxerunt: & modo in eâ, modo in Suthamtoniâ, modo in Dorsetaniâ, nullo obsistente, diu solita præda institerunt: & in homines, ferro, & in villas igne, sunt in tantum grassati: ut cum illis nec classica manus, navali; nec pedestris exercitus certare auderet prælio terrestri. Idcirco, & Regi non parva mæstitia; & populo incredibilis tristitia inerat.*

Hoved. hic

EXONENSEM URBEM VEXANT.

VECTAM INSULAM DEPOPULANTUR.

II. ETHELREDUS EXTERNORUM PRINCIPUM AMICITIAS, PESTEM CUPIT AVERTERE.

Fractus hoc infortunio Ethelredus; vidit, quà crescente serpentis capite; quà suorum civium defectione; Anglorum vires, non posse ultra ferre inimicum impetum. Igitur externorum Principum ambire amicitiam; cum illis fœdera inire; eorum denique auxilio firmare suum regnum, Insulámque, constituit: consilio, in speciem, bono, ac prudenti: sed porrò intuentibus, rémque ex eventu metientibus, imprudenti. Enimverò, quo medio, Danos ab injuriâ avertere cogitavit; eodem Danos, & Normannos, in perniciem Insulæ armavit. Richardi Normannorum Ducis filiam, ab elegantiâ laudatam, in uxorem petit: cum illâ manum, cum parente, societatem jungere statuit. Quis non diceret, vicinum, & potentem Principem, magno Reipublicæ bono quæsitum, arctóque fœdere conjunctum, ingens regno emolumentum fore. Scimus tamen divino consilio, humana omnia consilia cedere: & ubi Deus extentam manum ad feriendum habet: nulla hominis prudentia potest illam tenere. Et sæpè, quò magis fugere venturam iram, humanis viribus, nitimur: eò magis iram promeremur. Constat hoc in Ethelredi facto, & cupitis nuptiis: nam Normanno, matrimoniali fœdere, junctus: Normannos unà, ad Angliæ coronæ participium vocavit. Hinc illi, æquè ac Danus, & fortè magis, Anglorum regno inhiabunt. & Anglus, hinc ab uno, illinc ab altero, æternùm premetur. Adeo Elfrithæ facinus, Edoardo sancto vitam, & regnum suffurantis, justissimus Deus execratus est.

PETIT IN UXOREM RICHARDI NORMANNORUM DUCIS FILIAM.

III. ELGIVA MORITUR ETHELREDI PRIMA CONJUX.

Cœptum superiori anno, de lege fœderis, cum Richardo Normannorum Principe tractari; cùm Danus ferias in Angliâ permisit, & Elgiva Ethelredi conjux vivere desiisset: sed hoc primùm anno, de nuptiis conclusum. unde corrigendi sunt illi, qui Elgivæ vitam, ad duos adhuc annos produxerunt. nam illa Ethelredo conjungitur, anno Christi nongentesimo octogesimo quarto, hoc est anno regni sexto: & septemdecim tantùm annos, uxor vixit; ut Spedus fatetur. malè ergo idem Author, Elgivæ mortem consignat, ad Christi annum tertium supra millesimum. præsertim cùm de Emmæ conjugio sic scribat Huntindonius. *Anno millesimo ab Incarnatione Domini, Richardi Consulis Normannorum filiam Rex prædictus Edelred, in conjugem assumere præcogitavit, ad tuitionem regni sui. Ille enim fortissimus erat, & omni regno Francorum formidabilis. Ipse autem se suosque, valde debilitatos videbat; futuramque cladem non mediocriter horrebat.* pergit Author narrare divinæ mentis consilium permittentis nuptias in Anglorum perniciem; quas alii ad salutem, & tuitionem retulerant: & ita loquitur: *Hoc autem Dei nutu factum esse constat: ut veniret contra improbos malum. Genti enim Anglorum, quam sceleribus suis exigentibus disterminare proposuerat: sicut & ipsi Britones, peccatis accusantibus humiliaverant: Dominus omnipotens duplicem contritionem proposuit, & quasi militares insidias adhibuit. Scilicet ut hinc Dacorum persecutione sæviente: illinc Normannorum conjunctione accrescente, si ab Dacorum manifesta fulminatione evaderent; Normannorum improvisam, cum fortitudine cautelam non evaderent. Quod in sequentibus apparuit, cum ex hac conjunctione Regis Anglorum, & filia Ducis Normannorum; Angliam juste, secundùm jus gentium, Normanni & calumniati sunt, & adepti.*

Spedus in Ethelredo n. 40.

Huntind. l. 6 princ.

RICHARDUS NORMANNORUM CONSUL, PRINCEPS MAGNUS.

IV.

Nescio quid hic Author, per *jus gentium* intelligat; cum è Richardi filiâ, nullum in Gulielmum descendere jus potuerit ad principatum Insulæ. nam illa Richardi Normannorum Ducis, eo nomine primi, filia; fratres habuit Richardum II. & ex eo nepotes, Richardum III. & Robertum, qui Gulielmum genuit, vulgo Bastardum. cui nulli juris apices favent; ut patrio, nedum externo honorum privilegio potiretur. Gulielmus ergo, non, jure gentium; sed nescio quâ pactorum sanctitate, & ferrum fortiter stringendo; adeptus est imperium Insulæ. Quo etiam jure, Danus paulò ante Saxonem; & olim Saxo, Britannos vicerat. Deo ubique scelera castigante, & regna dispensante, prout vult. Et sane nulla videtur scelerum vindicta gravior (si momentaneum hoc spectamus) quam ubi permittit Deus, externos, quos hebræa dialecto barbaros dicimus; ferro flammâque dominari. Sic enim scimus, Italiam, Hispaniam, Germanias, Galliasque olim à Vandalis, Gothis, Saracenis, sæpiùs esse castigatas. eodem planè modo, quo hoc undecimo sæculo, Danus & Normannus hanc Insulam affligent. Quod divino consilio factum esse Deus Brithwoldo Wiltunensi Episcopo, sub hæc tempora, revelare dignatus est. Nam illum intellexit Huntindonius, cum ad supradicta statim adjunxit insigne vaticinium: *Prædixit quidam vir Dei*, inquit, *quod ex scelerum suorum immanitate; non solum quia semper cædi, & proditioni studebant: verum etiam, quia semper ebrietati, & negligentiæ domus Domini, dediti erant: eis insperatum à Franciâ adventurum Dominium: quod & eorum excellentiam in æternum deprimeret; & honorem sine termino restitutionis, eventilaret.* Vaticinii hujus veritatem, sequentia explicabunt: & Brithwoldum inde sanctum colligemus.

BRITHWOLDUS WILTUNENSIS EPISCOPUS PRÆDICIT INSULÆ EXCIDIUM.

Huntind. supra.

V. ALIUD BRITHWOLDI VATICINIUM.

Porrò aliud quoque oraculum, eodem tempore, Brithwoldus edidit: quod è cœlo fusum; decimum-septimum sæculum, in quo sumus,

respicere videtur. Illud quidem non libenter refero; quia necdum plenè completum est, sed quia gestarum rerum ordo postulat, & ingentia venturæ iræ argumenta suppetunt, non debeo hoc loco prætetire. nam & Brithwoldi sanctitatem, & hujus temporis calamitatem explicant. Sic ergo pergis Huntindonius:

Idem suprà.

Prædixit etiam, quod non ea gens solum: verum & Scothorum, quos vilissimos habebant, eis ad emeritam confusionem dominaretur. Prædixit nihilominus varium adeo sæculum creandum; ut varietas, quæ in mentibus hominum latebat, & in actibus patebat; multimodâ variatione vestium, & indumentorum designaretur. Ego memor instituti, vaticinii hujus (quod futurum spectat) non agam interpretem. Silere tamen non debeo, quod oculis cernimus, quod manu tangimus, quod denique omnium sensuum argumento probamus; varium esse sæculum; sive vestes, sive mores, sive mentes hominum, exploraveris. De negligentiâ domus Domini nihil dicendum, quia nusquam, si quæris, Domus domini invenitur. Dudum templa omnia prophanata sunt: & magnis vocibus clamatur, plebiscito sanciendum; nullum in terris locum, altero sanctiorem. Sic Ecclesiæ, quas Regum antiquorum pietas ornatissimè struxit; populari factione vilescunt: & iterum terra sancta, Turcarum imperio subditur. Sed surge Deus, & judica causam tuam: quia *venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, & posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Ierusalem; & non erat, qui sepeliret. Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.* Hoc factum vidimus; & quotidie lugemus: oramus etiam psalmi sequentia: *Vsquequò Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus? Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt: & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Et parce huic Insulæ, quæ omnium provinciarum prima, tuum nomen invocavit; quæ Reges & Augustos, Britannorum tempore: quæ omni post sæculo, Principes habuit, numero multos, potentiâ magnos, fide & pietate illustrissimos: parce Insulæ, quam unâ quindecim sæculorum Orthodoxâ Fide beasti; quam Sanctis olim fertilem, quam denique Deiparæ Matris tuæ dotem fecisti. & varium hoc sæculum, fidem cum veste commutans, luci splendorique, quem olim habuit, restitue: *O Deus virtutum convertere; respice de cœlo & vide, & visita vineam istam, & perfice, eam quam plantavit dextera tua.*

ECCLESIARUM NEGLECTUS DEO DISPLICET, ET EXCIDII CAUSA EST.

Psalm. 70.

Psalm. 79.

VI. ORATORES IN NORMANNIAM MITTUNTUR.

Redeo ad sæculum undecimum: unde me Brithwoldi vaticinium, ad hujusce temporis miserias traxit. Ethelredus in matrimonii proposito constans, Emmam Richardi Normannorum Ducis filiam petit, & impetrat: missique hoc anno Oratores, qui sponsam cum honore deducerent. Sed, quia uterque Princeps explicare voluit majestatem suam: & quia dum fœmina comitur, annus est: illa, non nisi sequenti anno, in Angliam descendit. Unde benè scripsit in hanc rem Huntindonius: *Hac igitur providentiâ, cum legati in, ad Ducem Normannorum missis, Rex Anglorum, suæ petitionis concessionem obtinuisset: statuto tempore, tanto digno ministerio, ad dominam suam recipiendam, & adducendam proceres Anglorum mittuntur in Normanniam, quæ LONGO, & digno Regibus apparatu, dirigitur in Angliam.* de quo nos anno sequenti.

EMMÆ EXPEDITIO IN ANGLIAM PARATUR.

VII. EDOARDI MARTYRIS CORPUS EFFERTUR.

Interim Regia Anglorum fides, in cultu Sanctorum, hoc anno, inter miseriarum cumulos eminenter apparuit: cum Deo revelante, & bonis omnibus applaudentibus, Edoardi Martyris corpus lucem aspexit, & miram intuentibus voluptatem attulit. Hoc enim anno accidit, quod in ejusdem Martyris vitâ refertur in hunc modum:

apud Capgr. in Edoard. Mart. fine.

Apparuit sanctus Edoardus cuidam religiosæ, in somnis dicens: Surge & ad cœnobium Septoniæ velociter pergens: Abbatissæ denuntia: Quia in loco, in quo nunc jaceo, diutius esse nolo. Et ut hoc fratri meo Ethelredo Regi, absque dilatione annuntiet, admoneo. Quo facto, Rex, Episcopis, & majoribus Ecclesiæ præcepit; ut corpus fratris sui, ad locum magis honorabilem transferre maturarent. Quod cùm facerent tanta ex eo odoris flagrantia emanare cœpit, ut omnes in loco præsentes, in paradisi deliciis constitutos se fore æstimarent. Elevatumq; est corpus ejus sanctum; & ad locum decentiorem translatum, anno martyris sui vigesimo primo, & Incarnationis Dominicæ, anno millesimo primo. Hæc ibi. Crevit ex hac sacri corporis elatione, Septoniensi monasterio nomen & fama: & tunc imprimis cœpit, quod prædicat Malmesburiensis:

Malmsb. de Reg. l. 2. c. 9. fine.

Apud Septoniam, inquit, splendidum regiæ sanctitudinis refulgurat speculum. Quoniam Edoardi meritis deputatur; quòd eo loci, multus devotarum Deo fœminarum chorus, claritate religionis terras illas irradians; etiam ipsa perstringit sidera. Illic sacræ virgines, nullius penitus corruptelæ consciæ: illic religiosa continentes, post primi thori damna, secundi ignis nescia: in quarum omnium moribus, ita facetus pudor, cum severâ consentit elegantiâ; quod nihil supra. Denique incertò hæreas, quid potissimum prædicare velis: an assiduitatem ad Dei famulitium: an affabilitatem ad hominum colloquium. Unde non injuriâ credulitas apponitur dicentibus: quòd per illarum orationes, totus sustentatur orbis, qui jampridem suis vacillat peccatis.

SEPTONIENSE MONASTERIUM ILLUSTRATUR.

VIII. TRANSGRESSIO AC PRÆSENTIS SÆCULI STATUM.

Vacillabat tunc orbis, stantibus monasteriis; quæ, nè orbis rueret, ceu sanctissima fulcra illum tenuerunt. nunc planè cecidit Christianus orbis; & in calamitatum profundo est: cùm monasteria primùm, inde templa, & Ecclesiæ: quæ sola iratum Deum placare solebant, corruerunt. Periit etiam Ecclesiæ facies omnis, & decor; cum nudi templorum parietes, & nuda fides, nulla pietatis opera proferant: & cum Clerus & Episcopi, qui solo nomine remanserant, in ordinem rediguntur: sic enim impletur illud Isaiæ Prophetæ:

Isaia 24. v. 2.

Dissipabit Dominus terram, & nudabit eam, & affliget faciem ejus: & disperdet habitatores ejus. Et erit sicut populus, sic sacerdos: & sicut servus, sic Dominus ejus: & ratio festinè redditur: *quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.* Transgressi sunt majorum leges, fidem quindecim sæculorum authoritate ratam: dissipaverunt ritus etiam, & sacra omnia: quæ Christus, & Ecclesia, sempiterno fœdere sanciverunt: *Propter hoc maledictio vorabit terram* (prosequitur Isaias) *& peccabunt habitatores ejus: ideoq; insanient cultores ejus: & relinquentur homines pauci.* præsertim cum cives in cives, filii in parentes, parentes in filios, armantur: Protestantes denique pro fide protestantium, in protestantes pugnant. Sed nihil mirum: Quia *deceperunt Ægyptum, angulum populorum;*

Isaia 19. 44.

Dominus

Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis: & errare fecerunt Ægyptum, in omni opere suo. Sed multò libentius in antiquorum pietate versor, & rebus gestis hujus anni, quæ sequuntur.

IX. Westm. hic INVENTIO CORPORIS S. IVONIS.

Eodem anno (inquit ad annum gratiæ 1001. Westmonasteriensis) *inventum est, non procul à cœnobio Ramesiæ, corpus sancti Ivonis Episcopi, & Confessoris, octavo Kalendas Maii. Cujus inventionem, cùm non reverenter acceptasset Abbas Ramesiensis, graviter punitus est.* Quis hic Ivo fuerit: Unde domo; quâ ratione, è Persiâ in Britanniam venerit: quàm sanctè demum ibi mortuus, dixi superiori tomo, ad annum Domini sexcentesimum. nec opus repetere. repeto tamen, quod hoc anno factum; cùm denuo inter nos, quodammodo revixit. Quod in hunc modum refert Malmesburiensis, ubi de Sanctis, in Ramesiensi monasterio quiescentibus agens, hæc habet: *Superat illum, & istos præcedit miraculis, transcendit signis, qui jacet ibidem Ivo Persa, Episcopus. Is quondam pertæsus deliciarum, quas amplissimus Episcopatus administrabat; reliquit, illam suis, omnia, peregrinationem longissimam, tribus tantùm sociis, aggressus. Multorum ergò annorum iter permensus; & rusticum se habitu pannoso videntibus, ementitus: Angliam tandem adnavigavit. delectatusque, admodum ignota lingua barbaræ: quod quasi fatuus ab omnibus rideretur; in luteosâ provinciâ substitit. Ibique, vitam suam, quanta fuit, exegit. Sequuti sunt ordine, quo Deus prævideras, comites provinciales, nec locum sepulchri, nec nomen sancti norant. Lapsa sunt multorum momenta temporum: jacebatque sub oblivionis obscuro cæleste margaritum. Iam Beatus Osvvaldus reliquerat terras: Iam Egelvvinus* (supra* Ailwinum & Ethelwinum, miraculosum Ramesiensis cœnobii fundatorem sepelivi) *finem vitæ fecerat. Cum autem complacuit ei, qui tempora disponens in mensurâ, & numero, & pondere, cuncta ordinat: apparuit in visu sanctus Ivo, simplicitatis innocentis viro: eique nomen, & gradum, & sepulchri locum, per ordinem, exposuit. Iret ergo; & Abbati Ramesiensi seriem visionis explanans, adjiceret: ut se Ramesiam exportato, socios sibi relinqueret: non corpus suum locandum in scrinio; sed in loco, altari contiguo, adeuntibus opportuno.*

v. an. 600. n. 1. 2. 3. 4.

Malmesb. de Pont. lib. 4. fol. 292.

* v. an. 992. 6

X. MIRACULA PER S. IVONEM FACTA.

Hactenus hæc visio valuit, ut Abbatis Ramesiensis credulitatem eliceret. Qui sicut ad credendum tardius: ita semel fide conceptâ, ad facienda, quæ visa fuerant, velox & maturus. Perrectum est igitur, & sepulchrum quæsitum, inventum, apertum. Continuoque, sancto corpore in linteo exposito; ex ipsis mausolæi sinuosis anfractibus, erupit unda, bullit uberrima fugacibus. Manat ad hunc diem fons dulcis potui, ac commodus omnium valetudini. Nec potest numero æstimari, nedum comprehendi scripto, multitudo per beatum illum sanatorum: adeo, ut nullus sit in Angliâ sanctus, Ivone, vel exoratu facilior; vel effectu efficacior. Vidi ego quod dicam. Monachus quidam morbo intercutis aqua languebat. Jam turgida pellis in altum creverat. jam graves halitus astantes subruebat: ipse sibi epotaturus totos amnes, exsiccaturus plena dolia videbatur. Admonitus in somnis, ad sanctum Ivonem perrexit: ibique tertio potatâ aquâ, nudam superflui humoris ore rejecit. Detumuit venter, remarcuerunt crura: & ne plura, totus homo in sanitatem revixit: tandemque gloriatus est, pro tam salubri vomitu, se aliquando satiari posse de potu. Hæc Malmesburiensis, de suo tempore, qui hoc undecimo sæculo nascitur: nam, mortuus est anno millesimo centesimo quadragesimo secundo, plenus dierum.

XI. OPPIDUM A S. IVONE DICTUM. Camd. in Huntind.

Crevit ex hac corporis translatione Ramesiensis cœnobii gloria; sed & loco, ubi corpus repertum, nomen ab Ivone datum. de quo Camdenus: *Usa fluvius, cum Cantabrigienses jam aditurus est, oppido satis nitido, & non infrequenti, affunditur. Quod Slepe olim Saxonicè, nunc verò S. Ives dicitur, ab Ivone Persâ Episcopo, qui circa annum Christi sexcentesimum, Angliam magnâ sanctitatis opinione perlustravit; divinum verbum sedulo proseminavit: suumque nomen huic oppido, in quo fatis concessit; reliquit. Unde tamen corpus ejus Ramesiam transtulerunt religiosi.* Sed malo audire Harpesfeldum, qui inventi, translatique corporis circumstantias ponit, rationemque reddidit: Cur meritò ab Anglis externus Sanctus colatur. *Ramesiense cœnobium,* inquit, *hoc sæculo, valde, propter Ivonis Episcopi corpus eò translatum, illustre fuit. Non ille quidem noster, aut alicujus vicinæ regionis; sed Persidis olim fuit Episcopus: quem tamen hic, & inter nostrates recenseo, propter beatas illius, quas possidemus, reliquias: & quod noster sit locus, unde Beati corpus, ad supremum Christi tribunal sit proditurum. & propter varia illius in nostrates beneficia; & singulare apud Deum, pro nostrâ gente, patrocinium. Quemadmodum itaque, Stephani Proto-martyris in Iudeâ; Protasii & Gervasii Martyrum, in Italiâ; Albani & Amphibali Martyrum, in Angliâ; & aliorum alibi Deus sacra corpora, post multos annos, a beatâ ipsorum requiete, in lucem, notitiam, hominúmque venerationem, tetrâ caligine ignorantiæ prius abditâ, sæpè produxit: Ita in eadem Angliâ, in Beato Ivone, similem providentiam ostendit.*

Harpsfeld. sec. 11. c. 22.

XII. IVONIS VITÆ COMPENDIUM.

Fuit is Persidis Episcopus, summóque loco natus. Qui cum varia Christiani orbis loca, religionis ergo peragrasset: à Româ Galliam, inde Britanniam, circa prima Christianæ nostræ Fidei, ad Augustini adventum, primordia, adiisse traditur. Pervenit autem, ad quendam locum Sleepe Anglicè appellatum: quod est, si interpretere, dormitio: prope oppidum Huntindonense, & monasterium Ramesiense. Eo etiam loci, in Christo dormivit; ibidem sepultus est. Sed verissimum est, quod Poëta ait: Vivit post funera virtus. Virtutes Beati viri, quæ eo vivo, soli ferè Deo cognita erant; post multa sæcula, etiam hominibus Deus, illustri elogio, commendatas esse voluit. Etenim dum rusticus vomere terram in agro aperiret: incidit in lapideum sarcophagum; quem cum lucro inhians, quod sperabat delitescere aperuisset: auri quidem nihil, sed thesaurum auro nobiliorem invenit. Repertus est vir quidam, sub formâ Episcopi, toto corpore integro, & illæso; quasi pridie fuisset humatus. Ad eas novitatem rusticus obstupescit: accurrit frequens vicinia, accersitur Ednothus Ramesiensis cœnobii Abbas. Eveniunt interim admiranda quædam sanitatum, aliáque signa; quibus innotuit, quis esset, unde profectus, & quo tempore esset defunctus. Quæ quidem tam certa, & nota fuerunt; ut eo loci, ubi corpus fuerat repertum, Ecclesia fuerit statim constructa; Sanctóque Pontifici dicata. tamque celebris locus ille evasit; ut veteri nomine obliterato, Ivonis ab eo tempore villa dicta sit. Ut mira Dei providentia, vetus illud loci nomen, Beati viri dormitionem, admirabili præsagitione, notasse videatur. Incidit hæc Beati viri patefactio in annum Christi millesimumprimum, post quatuor sæcula, quam decesserat: & ad Ramesiense cœnobium translatio solemniter celebrata est, octavo Kalendas Maii.*

Hæc omnia Harpesfeldus. In nostro Martyrologio ad eandem diem legebatur aliquando sancti Ivonis translatio: Cur in novâ editione omissa, nescio.

XIII. GODWINUS ROFFENSIS MORITUR: ET GODWINUS IUNIOR SUCCEDIT

Hic Fasti Saviliani novum consignant Roffensem Episcopum, quem Godwinum vocant: & seniorem intelligunt. Ego puto seniorem, hoc anno, obiisse: & juniorem ei mortuo successisse; qui annos quadraginta, Roffensem Ecclesiam gubernavit. nam duos consequenter, eo nomine, dictos, sedem illam implesse, omnes affirmant, quantumvis de ingressu, egressúque dubitent. & certe dubiis plena sunt omnia, quæ de Episcoporum Roffensium serie dicuntur, sed inspectis Regum Chartis, expensisque rerum ac temporum circumstantiis, si non certa, quæ tamen certis propiora sunt, conamur adferre. meminit Harpesfeldus Ethelredi Regis regiæ Chartæ, in qua hoc anno millesuoo primo, ita legitur: *Ego Godwini Rovetensis Ecclesiæ Episcopus.* quod de seniore, an junioro, intelligendum, nescio.

ANNUS CHRISTI 1002.

SILVESTRI II. PAPÆ 4.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 24.

I. CUM DACIS PAX COMPONITUR.

ANnus Christi millesimus secundus, principia læta, jucunda, pacifica; sed cruentum exitum habuit. Ethelredus Rex hymeneum cantaturus; nè musicam Dani turbarent, cum illis novum amicitiæ fœdus inire, ac ita pacem provinciis inferre, è procerum consilio, decrevit. Missi ad Dacos oratores; pactâque pecuniâ, omnia è voto referunt. quod paulò latiùs Wigorniensis in hunc modum narrat: *Rex Anglorum Æthelredus*, inquit, *habito consilio, cum regni sui primatibus; utile duxit, à Danis dextras accipere: illisque, ut à malis cessarent, stipendium dare, & placabile tributum solvere. Hujus rei gratia, Dux Leofsinus ad eos est transmissus. Qui cum venisset, stipendium & tributum ut acciperent, flagitavit. Illi verò legationem ejus libenter amplectentes; petitis acquieverunt: & pro tenendâ pace, quantum tributi sibi dependeretur, statuerunt. Nec diu post viginti quatuor millia librarum illis persolvebantur.* Ita ille. Compositâ in hunc modum Rep. vacavit Regi, uxorem ducere, & ab aliis curis feriari.

Wigorn hic

TRIBUTUM DANIS PERSOLVITUR

II. EMMAM ETHELREDUS DUCIT UXOREM.

Itaque Emmam, Richardi Normannorum Ducis filiam, quam superioribus annis ambiverat; hoc anno, solenni cœrimoniâ, uxorem accepit: quæ cum & ipsa, à Danis descenderat (nam mater Gunnor, Hersasti Dani filia dicitur) constantior, cum Danis, futura pax credebatur. Sed fallitur quisquis ponit carnem brachium suum, & fœdera nuptiarum; quicquid initio blandiantur; sæpè trahunt contentiosissimos funes. ut Emma, à Danis & Normannis oriunda argumentum est: quæ adeo familiare, cum utrisque, commercium intulit; ut utrorumque numerum, & factionem auxerit. hoc est, Anglum coronâ imperióque exuerit. Fallitur hic Spedus, qui Emmam Richardi Normannorum Ducis, eo nomine secundi filiam asserit. nam multò rectius Malmesburiensis, de Emma loquens, ait: *Ea fuerat filia Richardi Comitis Normanniæ, filii Guilielmi, qui post patrem, quinquaginta duobus annis, illi Ducatui præfuit: & vicesimo octavo anno hujus Regis vitam finivit.* Thomas etiam Walsingamus, de primo Richardo scribens, in hunc modum loquitur: *Ipse verò quandam speciosissimam virginem, nomine Gunnor, ex nobilissimâ Danorum prosapiâ ortam, sibi matrimonio copulavit, Christiano more, ex quo filios genuit, Richardum videlicet & Robertum, &c. nec non & tres filias, quarum una, Emma nomine, nupsit Egelredo Regi Anglorum. de quâ idem Rex Edoardum Regem, &c. procreavit.* Meritò ergo Wigorniensis, & Hovedenus, ad hunc annum dixerunt ita: *Anno millesimo secundo Rex Anglorum Egelredus uxorem duxit Emmam, saxonicè Elgivam, vocatam, Ducis Normannorum Richardi primi filiam.* Et quia de illâ infra sæpiùs dicendum; Ethelredo enim supervixit, & Canuto Anglorum Regi nupsit; non aliud impræsentiarum dici potest, quàm quod ob vultus elegantiam, Normanniæ flos, & Normannorum gemma vocaretur.

FUIT RICHARDI PRIMI DUCIS NON SECUNDI FILIA.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 10. fol. 64.

Walsinga. hypod. Neust. fol. 425.

Wigorn. hic

III. WA[illegible] WI[illegible] E[illegible] Æ NOBI[illegible] ETHELREDUS DITA[illegible].

Auctus hac gemmâ Ethelredus, ad pietatis opera se convertit: Et quia dudum Elfridam matrem sepeliverat; incertum quo anno, ejus animæ consultum esse voluit. Hinc, locum, quem illa excolere cœperat, & piè fundare; hoc anno, datis de novo prædiis, ampliavit. opinor, quia locus ille mortuam parentem exceperat, & illa, ibi plurima pœnitentis animi argumenta dederat: de qua Malmesburiensis. *Elfrida, de Regali supercilio inclinata, diu pœnituit: adeò ut multis annis, apud Warwellam, carnem in delicijs nutritam, cilicio convolveret, noctibus solo strata, sine cervicali somnum hauriret; cruci præterea quascumque posset, corporis comminisceretur: speciosa mulier, & pulchre vitio sobria, sed quod tantum nefas commisit, pœnâ digna.* Itaque Warwellense cœnobium vivens fecerat; ibi se ad pœnitentiæ opera concluserat: & quia sanctissimæ Crucis mysterio, expiari posse peccata sua, orthodoxè credebat; Ecclesiam à se structam, Cruci dedicavit. Sub cujus patrocinio, pœnitentiæ opera exercens, adimplevit quæ deerant passionis Christi. In Cruce dedicandâ, Helenam & Constantinum; in pœnitentiæ operibus, Doctorem gentium imitata. Utrumque conjunxit Malmesburiensis, cùm dicit: *De Warwella monasterio fertur; quod Elfrida, uxor Regis Edgari, ædificaverit illud, in honore sanctæ Crucis: compuncta privigni sui nece indignâ; cujus ipsa conscia, & author fuit.* Hunc ergò locum Ethelredus Rex, prædiis, & immunitate ornavit, scripsitque regium diploma, quod Clemens Reynerus ita recitat.

Malmes. de Reg. [illegible] c. 9. fol. 61.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 247

IV. ETHELREDI CHARTA PRO WARWELLENSI CÆNOBIO.

apud Reyne. tracta. 2. fol. 127.

EGo Ethelredus, gentis gubernator Angligenæ, totiusq; Insulæ theraguli Britannicæ; & cæterarum Insularum, in circuitu adjacentium; quoddam nobile cœnobium, in villâ circumquaque sibi connexâ, Christo, Sanctisq; omnibus, humillimâ offero devotione: quod vulgares suapte, à vicinitate fontis, etiam Wherwelle, id est, Viera fontem, appellare consueverunt, cum villulis; quæ vel præscripto arcisterio, vel villæ, ut prædiximus, subjacent, circumposita. Quæ utriusque portio tota pariter in unum collecta, quantitatem in se continet mansarum septuaginta: licet diversis disjaceat in locis. ut sit particulatim monasterium, cum omnibus, quæ supra taxata sunt, ad se rite pertinentibus, omni mundiali jugo æternaliter liberum. Et hoc devote ipsi omnium largitori bonorum obtuli; pro remedio animæ patris mei Eadgari, &

matris meæ Ealfrida vocitata: quod ipsa, dum vixit, possederat: & jugi aggressa est extruere diligentiâ. Existimavi etiam me participem fore retributionis æternæ, in eleemosynariâ partitione possessionis transitoriæ. Atque idcirco hoc ego; ne me argui pertimescerem, ante districti tribunal judicii; si supra memoratam ipsius sententiam; dum scirem, quid in oculis suæ vitæ status esset placitum; contempsisse, seu neglexisse convincerer. Adhuc autem, ut in illo tremendo examine misericordiam, in conspectu tam justi censoris invenire: & in dexterâ parte inter oves ascisci merear in judicio, munus sincerissimæ devotionis tribuens, ad adminiculum victus & vestitus sanctimonialium, in prænominato monasterio, Christo sedulò servientium; aliud rus situm in provinciâ Saxonum Australium, quod loci accolæ Edehungedon cognominant, casatorum sexaginta. Quod & ipsa prædicta Regina, quamdiu spiraculo vitæ potita est; in usus usurpavit proprios; ut subjiciatur hujus pretio telluris crebrius præscripto cœnobio: quatenus illi sanctæ familiæ, ad usus suos nihil desit necessarios: tantum, ne laus Christi, nunquam per ... murationis torpescat gravedinem, nec regulæ san... frigescat observantia; prævalente qualibet naturalis inopiâ resocillationis.

V.
EANFLEDA ABBATISSA WERWELLENSIS.

Ut verò illud nostrum decretum, stabile capiat solidamentum; hujus curam regiminis commendo Abbatissæ Venerabili, Eanfleda agnominatæ, quæ ad eundem locum famulum; ipsum honoris, & ut verius dicam, oneris sortita est gradum: ut ipsa hæc omnia, quamdiu spiritum gesserit vitalem, diligenti curâ, juxta Dei velle, prævideat. Postq; sui defectum excessus, habeat ipsa religiosa congregatio, cum sui consilio Metropolitani, sibi inter se arbitrium eligendi, si inter eas talis inveniri possit; cui omnes obediant, more regulari. Et nè fastidium faciam in multiloquii prolongatione; omnes Christi timentes, per ejus adjuro crucifixionem: nè quisquam elationis inflatus supercilio; hoc nostrum munus, quod Deo obtuli, evertere, seu in aliud quid transmutare, vel minuere præsumat: servatâ æternaliter à cunctis hujus institutione privilegii. Si quis autem &c. Scripta siquidem est hæc chartula, anno Dominicæ Incarnationis millesimo secundo. his unanimis conspirantibus testimonio; quorum inferius subsequuntur nomina.

VI.
ETHELREDI FILII SEX: ETHELSTANUS, EGBERTUS, EDMUNDUS, EDREDUS, EDWIUS, EDGARUS

Ego Ethelred, Rex Anglorum: & sequebantur subscriptiones sex filiorum Regis, duorum Archiepiscoporum, sancti VVulstani, aliorumq; Episcoporum, Abbatum & procerum. Hæc, nec plura refert Reynerus. Ego Episcoporum nomina libens legissem, nam inde aliqua collegissem, Annalibus opportuna. filiorum nomina, qui chartæ subscripserunt, conjicere possumus; fuisse Ethelstanum, Egbertum, & Edmundum, de quibus supra*. Edredum, qui nascitur anno Christi nongentesimo nonagesimo secundo. Edwium, sive Edwinum, quem à Canuto proscriptum, inde mox mortuum dicemus, anno Christi millesimo decimo septimo n. 7. & Edgarum denique, qui sextus Ethelredi, & Elgivæ filius perhibetur. Hujus nomen, inquit Spedus, in regiis Chartis invenitur, usque ad annum Ethelredi Regis primum & vigesimum; & quia nulla post ejus mentio: ideo meritò opinari possumus, non ultra vixisse. Verùm, si sex filiorum Ethelredi nomina huic Chartæ leguntur subscripta; meritò etiam conjicere possumus, eum ad hunc Regis annum quartum & vigesimum, in vivis fuisse. nam Edoardus, ex Emma filius, non nisi sequenti anno nascitur: & Ethelredi filias diplomati subscribere solitas, needum reperi. de illis nunc pauca dicam, quia infrà necessario nominari debent.

* v. an. 989. n. 3.

VII.
ETHELREDI FILIÆ

Primogenitam Ethelredi filiam, è primâ conjuge, Ethelstano Duci nuptam fuisse, exinde colligunt aliqui, quòd Ethelstanus, pro Ethelredo pugnans, & moriens, anno millesimo decimo, Ethelredi gener appellatur. Verùm cum Florilegus prælium illud recensens, Ethelredi sororium vocet, non admodum constans est argumentum. Eâ igitur missâ, cujus nomen ignoratur, de Edgithâ, alterâ Ethelredi filiâ, dicendum. nupsit illa Edrico Merciorum Principi; qui ob avaritiæ notam cognominatus est Strettone. Sed debuit potiùs Proditor appellari, quia patriam & duos Reges, Ethelredum atque Edmundum, Danis prodidit. & tandem ob perduellionis crimina, meritas pœnas dedit. Tertia Ethelredi filia, quæ Elfgiva dicebatur, Utredum, cognomento audacem; conjugem habuit: unde Northumbriæ Comites procreati. Goda, Ethelredi quarta filia, è Waltero de Maine, nobili Normanno, & Edoardo fratri charissimo, Rodulfum* genuit, Herefordiæ Comitem. Inde vidua, nupsit iterum Eustachio seniori, Boloniæ, & Picardiæ Comiti; qui è filio prius genito, Godefridum nepotem habuit, Jerosolymitanum Regem. Hanc prolem Ethelredus susceperat, priusquam Emmæ jungeretur. ex quâ duos tantum filius genuit, de quibus infra. Hæc dicta sunto, ob Warwellensis cœnobii mentionem, & regiam chartam, ubi proles regia memoratur. Nunc anni reliqua prosequamur; luctuosa quidem illa, sed quæ omitti, aut dissimulari non possunt.

ENGITHA.

ELFGIVA.

GODA.

* v. an. 1051. n. 3.

VIII.
ETHELREDUS CUR DICTUS IGNAVUS?

Ethelredus, ignavi cognomentum sortitus est; tum ob alias causas, tum potissimum, quia Danos, quos avitâ fortitudine arcere ab Insulâ debuisset; precibus, suppliciis, muneribus denique, non aliis armis avertit. Nunquam tamen magis ignavi appellationem meruit; quàm cum hoc anno, novis artibus eliminare Danos omnes è provinciis statuit. Tumebant illi quidem, & superbius efferebant sese; quàm, aut deberet externus hospes; aut ferre posset patienter incola. Et quia Ethelredus non potuit fastum premere, eo modo, quo Regem decuit; occultis insidiis, & infami ad omnem memoriam facinore, obliteravit majorum suorum nomen famámque, & sibi ignavi nomen acquisivit: cùm *Danos, levibus suspicionibus; omnes, uno die, in totâ Angliâ trucidari jussit* (loquitur Malmesberiensis, & pergit) *ubi fuit videre miseriam, dum quisque charissimos hospites, quos etiam arctissima necessitudo dulciores effecerat, cogeretur prodere; & amplexus, gladio deturbare.* Ita ille. Sed pro criminis immanitate breviter. paulò latiùs Huntindonius rei gestæ circumstantias explicat, in hunc modum. *Millesimo secundo anno, Emma, Normannorum gemma, venit in Angliam, & diadema nomenq; Reginæ suscepit. Quo provectu Rex Adelred, in superbiam elatus, & perfidiam prolatus; omnes Dacos, qui cum pace erant in Angliâ, clandestinâ proditione fecit mactari, unâ eademq; die; scilicet in festivitate sancti Bricii. De quo scelere, in pueritiâ nostrâ, quosdam vetustissimos loquí audivimus: quòd in unamquamque urbem Rex præfatus occultas miserit Epistolas: secundùm quas Angli Dacos omnes, eadem die, & eadem horâ, vel gladiis trucidarunt impræmeditatos: vel igne simul*

DANOS OMNES CURAT INTERFICI.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 10 fol. 64.

Huntind. l. 6 princ.

cremare unc

cremaverunt subitò comprehensos. Ita ille, qui sequenti hoc factum sæculo vixit.

IX. Crudelitas nimium efferetur. *Walsinga. hyped Neust fol. 427. Gemiticen. l. 4. c. 6.*

Alii majorem adhuc barbariem notant: & fortè vulgi effata, quæ inconstantissima sunt, scriptis mandarunt. nam Thomas Walsingamus, & Gulielmus Gemiticensis, ita Regis carnificinam amplificant. *Rex Anglorum Ethelredus* (inquiunt) *regnum, quod sub magnâ potentissimorum Regum gloriâ diu floruerat; tanto nefariæ proditionis scelere polluit; ut etiam pagani nefas tam execrabile, horrendum judicarent. Nam Danos per omne regnum, unanimi concordiâ, secum pacificè cohabitantes, mortis periculum minimè suspicantes; subito furore, sub una die peremit: mulieres quoque alvo tenus terra esse defossas, & ferocissimis canibus concitatis, mamillas ab earum pectoribus crudeliter extorqueri: lactentes verò pueros ad domorum postes allisos excerebrari jussit: nullis criminum existentibus culpis.* Nimium hi Authores Normannis Ducibus blandiuntur, & immane facinus, immanius reddunt, cùm nullas præextitisse causas affirmant. quas tamen Authores nostri, factum minimè probantes, recitant.

Causæ dictæ carnificinæ. *Wigorn. hic.*

Wigorniensis ita ad hunc annum: *Rex Æthelredus omnes Danos, Angliam incolentes; majores & minores, utriusque sexus occidi jussit: quia illum, subsque primates, vitâ regnoque privare, & totius Angliæ dominium suæ ditioni conati sunt subdere.* quæ premendi & persequendi Danos amplissima causa fuit; insufficiens tamen, innocentes, & utrumque sexum, tam crudeliter occidendi. Florilegus impiissimi facinoris invidiam, in unum Regis consiliarium, quem Hunam vocat, conjicit: & carnificinam hanc post annos decem factam narrat, pluresque stragis causas, in hunc modum.

X. Huna author carnificinæ. *Westmon. an. 1012.*

Huna quidam, Regis Angliæ Æthelredi militiæ Princeps, vir strenuus & bellicosus; qui sub Rege, regni negotia disponenda susceperat; videns Danorum insolentiam; qui jam post pacem factam, per totam Angliam, adeò superbiendo invaluerant; quòd uxores virorum nobilium, & filias, vi opprimerent, & ubique ludibrio tradere præsumpserant: accessit perturbatus ad Regem; & querelam super his deposuit luctuosam. Tum Rex, non mediocriter commotus, ejusdem Hunæ consilio; misit literas in omnes regni fines, mandans nationibus singulis, & universis: ut sub unâ die, in festo scilicet sancti Britii Episcopi; omnes Dani per Angliam constituti, furtivo impetu morti traderentur: ut simul, & semel, ab oppressione Danicâ, omne genus liberaretur Anglorum. Sicque Dani, qui firmo fœdere, paulo ante utrimque jurato, cum Anglis pacificè habitare debuerant; opprobriosè nimis sunt perempti: mulieres cum liberis, ad domorum postes allisæ, miserabiliter animas effuderunt. Cum igitur hujus decreti sententia, apud urbem Londoniarum absque misericordiâ exequeretur; fugerunt multi Danorum ad quandam Ecclesiam in civitate: ubi omnes sine pietate, ipsis astantes altaribus, sunt perempti. Ita ille, nec Londini solùm, sed aliis etiam in locis, Ecclesiæ, & loca sacra, igne, ferro, sanguine fœdantur: quod Anglici regni excidium accelerasse imprimis videtur. Sic Oxonii, cœnobium sanctæ Fridesvvidæ, de quo dixi ad annum septingentesimum quadragesimum; incendio conflagravit: quod mox Ethelredus, facti pœnitens, opulentius restituit, teste Malmesburiensi, ita scribente: *Tempore Egelredi; cùm Dani neci adjudicati, in monasterium illud confugissent, pariter cum domibus, insatiabili ira Anglorum, flammis absumpti sunt. Sed mox Regis pœnitentiâ purgatum, veteres terræ reddito, recentes possessiones addita.* fortè hæc monasterii conflagratio, posterior fuit; ut dicam anno 1015. num. 2.

Oxoniensis monasterii conflagratio. *Malmesb. de Pont. l. 4. fol. 291.*

XI. Gunildis Swani soror occiditur.

Itaque divina simul & humana jura, hoc impio facto temerantur. nec obsidibus parcitum, aut alteri sexui, qui recens in Insulam, firmandæ pacis ergo, venerat. Ita periit Gunildis, Swani Regis soror; & morte suâ Danis Angliæ regnum asseruit. nam atroci homicidio excitus frater justissimâ irâ in vindictam surrexit, filioque Canuto propterea principatum Insulæ reliquit. De Gunildâ immaniter trucidatâ, hæc habet Florilegus. *Erat Gunildis, Palingo Comiti, nobili viro, lege conjugali copulata; quæ prioribus annis, cum viro Angliam ingressa, fidem Christi, & Sacramentum baptismatis, suscepit. Hæc virago prudentissima, pacis inter Anglos & Danos mediatrix existens, sese obsidem, cum viro, & unico filio, quem habebat, Regi Ethelredo ad pacis securitatem dedit. Hæc à Rege, cum esset Eadrico Duci nequissimo ad custodiendum commissa; post dies paucos, in ejus præsentiâ, virum suum, cum filio suo, quatuor fecit lanceis proditor ille Eadricus jugulari: qui & illam novissimè decapitari præcepit. mulier verò mortem forti animo perferens, nec moritura expalluit; nec mortua consumpto sanguine vultus sui serenitatem amisit. Veruntamen moriens fiducialiter pronuntiavit. quod sui sanguinis effusio, magno toti Angliæ fieret detrimento.* Hæc ibi, & eadem ferè habet Malmesburiensis. Prædictioni respondit eventus. nam Dani, & Danorum Rex Swanus, Gunildis frater, castigarunt hoc facinus, multorum morte, regnique excidio. Et qui hactenus furtim, & privato solum impetu, Insulam infestarunt, prædonum tantummodo, & piratarum more: nunc justissimo Danorum imperio conscriptus miles, missusque in vindictam, acriùs pugnabit; & pugnantibus aderit, qui solet innocentes tueri, Deus.

Westmon. an. 1012.

XII. De adventu Danorum in Angliam. *Walsing. hyped. Neust. fol. 427*

Enimvero fusus nocenter tot innocentium sanguis, in cœlum clamans, Daniæ regno statim innotuit, & ultio evestigio sequuta est. de quo ita Walsingamus: *Cum apud Londoniam, sub hujus decreti die, hæc congeries peremptorum, lictorum sævitiâ, in immensum cumularetur: quidam juvenes agilitate pernices, ad quandam navem se conferentes, fugæ præsidio, per Thamesis alveum celeri remigio petierunt maris sinum. Permenso prolixi ponti spacio, novissimè cupitum applicant Dannmarchiæ portum, Regi Sweno cruentæ gentis suæ exitia nuntiantes. Tunc Rex, dolore cordis tactus intrinsecus; accitis totius regni sui Principibus, cunctam rei seriem illis exposuit; quidque agendum consulerent, diligenter inquirit. Qui amicorum, & propinquorum ærumnis, atque luctu moti, quasi ex uno ore omnes, eorum sanguinem decreverunt totis viribus ulcisci debere. His Rex auditis, sub festinatione cunctos degentes sub suo regimine, præparare misit: missisque hac illacque veredariis; milites cupidos lucri, de exteris regnis, ad hanc expeditionem, sub præfixo ab eo die; venire mandavit.* Quid inde factum dicam anno sequenti: Cum enim Danorum strages in tertium-decimum Novembris inciderit: quem diem, ut apparet, majores nostri sancto Briccio; qui Martino sancto, in Turonensi sede successerat; consecrabant: nihil hoc anno hostile à Danis tentatum aliud; quàm quod iras & arma in vindictam acuentes, militem scripserint, exercitum collegerint, & in ignavum, perfidumque

Principem pugnaturi; ſpe Inſulam devoraverint. videamus ergo, ſi quid aliud, hoc anno, geſtum in Inſulâ.

XIII. S. Oswaldi Episcopi ossa exponuntur.

Oſwaldus, Eboracenſis quondam Archiepiſcopus, qui paſtorali munere ſolerter functus, cum magnâ ſanctitatis opinione obierat: ſub modio diutius latere non debuit. voluit ergo Deus, & provincialium vota acceſſerunt: ut hoc anno in lucem prolatus, ſuper Eccleſiæ candelabrum poneretur. quod factum ſolenni cæremonia, de quo Wigornienſis: *Aldulfus Archipræſul Eboracenſis, Coepiſcopis, Abbatibus, presbyteris, monachis, religioſis quoque viris aggregatis: ſancti Oſwaldi Archipræſulis oſſa, anno Regis Anglorum Æthelredi vigeſimo quinto, Indictione decimâ quintâ, decimo ſeptimo Kalendas Maii, feriâ quartâ è tumulo levavit: & in ſcrinio, quod paraverat honorificè locavit: & non multo poſt, id eſt, ſecundo nonas Maii, ipſe defunctus, in Eccleſiâ ſanctæ Mariæ Wigorniæ eſt ſepultus.* Quod ad tranſlationis tempus attinet: authores paſſim conſignant Chriſti annum milleſimum ſecundum, cui Indictio decima quinta reſpondet, & Ethelredi annus vigeſimus quartus. nec enim ultra Aldulfus vixit. unde corrigendum, quod in Oſwaldi vitâ legitur, factam eſſe tranſlationem duodecimo anno, ab Oſwaldi obitu. Cum enim ille cœlum conſcenderit, anno nongenteſimo nonageſimo ſecundo; decem tantum annos, ſub modio latuit. Cæterùm quod Deus cum noluerit ultra latere; benè refertur ibi in hunc modum: *Poſt obitum verò Oſwaldi, anno duodecimo* (lego decimo) *Aldulfus Eboracenſis Archiepiſcopus, revelatione divinâ admonitus; Wigorniam, ubi ſanctus Oſwaldus ſepulturam elegerat, properans. oſſa ſancti Antiſtitis, de terrâ levavit, & in ſcrinio cum maximo honore collocavit. Aqua verò cum quâ oſſa lavata ſunt, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, & quibuſcumque debilibus ſanitatem reſtituit. Veſtimenta enim omnia integra, & illibata, in ſepulchro odore ſuaviſſimo fragrantia reperta ſunt.*

Wigorn. hoc. an. Aldulfo Eboracensi

apud Capgr. in Osvaldo Ebor.

XIV. Moritur Aldulfus Eboracensis Episcop. — *Malmesb. de Pont. lib. 3.* — fl... vir Sanctus.

Eodem ergo Chriſti anno; ut Weſtmonaſterienſis, Wigornienſis, Hovedenus, & Faſti poſt Malmesburienſes conſignant; moritur Aldulfus Eboracenſis Antiſtes, *Ex Abbate Burchenſi* (Petroburgenſem intelligit Malmesburienſis) *ſanctus ut perhibent vir, & reverendus.* & addit: *Iacet Aldulphus Wigorniæ; etiam Floriacenſi monaſterio, pro copiâ xeniorum, quibus Oſwaldi munificentiam æmulari ſategit, prædicandus.* Eo mortuo, duæ vacant Eccleſiæ, Eboracenſis, atque Wigornienſis. Utramque adminiſtrandam accepit Wulſtanus, eo nomine ſecundus, Eboracenſis Epiſcopus, & primus eo nomine Wigornienſis: quem Hovedenus, Abbatem vocat: ſed monachum non fuiſſe, ex eo colligunt Parkerus, Godwinus & alii: quod Malmesburienſis planè ſignificet cum à prædeceſſoribus ſuis, Oſwaldo, & Aldulfo; qui utramque Sedem tenuerant; *ſanctitate diſcrepaſſe, & habitu.* quæ verba (mitiorem quàm Novatores ſolent) ſenſum ſuprà* interpretatus ſum. Nec inde ſequitur, monachum omnino non fuiſſe. nam monachos, omni ſæculo, in Angliâ fuiſſe, habitu differentes, conſtantiſſimè poſſumus affirmare: licet inter eos; Benedictini inſtituti ſanctitas eminuerit, velut inter ſtellas Luna minores. Cum ergo Wigornienſis, & Hovedenus, disertè ſcribant: *Aldulfo ſucceſſit Abbas Wulſtanus*, monachum fuiſſe eſt longè probabilius. Nec enim hæc ſanctiores

Wulstanus I. Eboracensis Ep. — An fuerit monachus?

* A. 992. 4.

ætas, Abbates, titulo tenus. & aliunde (non per religionis oſtium) intrantes novit. Quare frivola vox illa, nec Epiſcopo digna, quâ Godwinus, Malmesburienſem pulſat; quod dixerat: Wulſtano non ignoſci, quod duos Epiſcopatus ſimul tenuerit; *quia ſanctitate diſcrepabat & habitu.* ad quæ verba: *Quare quæſo?* (inquit ille) *monachus non fuit. O monachum iniquum, quod in monacho probat; hoc alteri, pro ſcelere, imputat.* Reſpondeo: neutrum è Malmesburienſi colligitur. quia nec ſceleris notam Wulſtano inurit: nec dicit eum monachum non fuiſſe.

Godwin in Eboracen. Godwinus arguitur.

XV.

Moritur hoc anno ſanctus David Abbas, & Confeſſor: qui è Britanniâ noſtra olim in Succiam ſolvens, ibi Chriſti fidem propagavit, & multâ animarum meſſe collectâ, audire tandem meruit *Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.* Ejus memoria in noſtro Martyrologio recitatur ad decimum quintum Julii, quo etiam die in Suecorum Breviario, cum Sanctis colitur.

ANNUS CHRISTI 1003.

SILVESTRI II. PAPÆ 5.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 25.

I. Dani in Insulam descendunt.

SEQUITUR Chriſti annus tertius ſupra milleſimum; quo Danorum claſſis, quæ hactenus nullo jure Angliam vexaverat; nunc jure juſtitiâque armata, & cives ac ſocios nocentiſſimè occiſos ultura, pugnat in Inſulam: & eò pugnat periculoſius; quò juſtius læſa fidei ac pactorum fœdera, violata etiam jura gentium, vindicat. In quam provinciam primò deſcenderint, non una eſt Authorum ſententia. Guilielmus Gemiticenſis, & Thomas Wallingamus, volunt Danos in Eboracenſem agrum, primum iræ impetum effudiſſe: quo vel vaſtato, vel in deditionem accepto; & pacto cum Duce Normannorum Richardo fœdere: porrò in provincias alias deſcenſum. Sic enim ſcribunt: *Termino adveniente ſtatuto; ad naves immenſus illico concurrit exercitus. Dehinc regalia in ſublime elevantur vexilla: & librantes vela ventis; velificato protenſi maris intervallo, ad Eboraca devehuntur territoria. Ibi quippe Rex, dimiſſo exercitu, cum nonnullis navibus, petenda pacis gratiâ, apud Rhotomagum, Ducem Richardum aggreditur. Quem cùm Dux, aliquantâ morâ regaliter tractaret: dum & ipſi milites, poſt tantum navigii laborem recrearentur; pacem continuam inter ſe firmaverunt. Eâ videlicet lege, ut per ſuccedentia Danorum Regum, Normannorumque Ducum, ac eorum heredum tempora; firma perpetualiter inter eos maneret. Et quæ Dani abſtuliſſent inimicis, emenda conferrent Normannis. Si quis verò Danorum invalidus, aut vulneratus, amicorum indigeret juvamine: apud Normannos, quaſi in domo propriâ, ſub ſecuritate ſanaretur. Quæ lex, ut rata maneret; ab utraque parte, Sacramentorum tenore Principes eorum, illam ſanxerunt. Quibus Rex ad votum expletis, condignis à Duce muneribus muneratus; quantocius ad ſuos regreditur lætus. Qui ut ſuo junctus eſt exercitui: continuò Anglorum regnum tradit ultricibus flammis. Videntes itaque Eboraci, ſe à nullo juvari: datis obſidibus, ſe*

An primò in Eboracensem agrum?

Gemiticen. de duc. Normannis l. 4. c. 7.

Cum Normannis paciscuntur.

subigunt illius dominatui. Inde verò progressus ad Thamesis ora procluitur. Hæc ille.

II. EXONIENSEM URBEM DESTRUUNT. *Huntind. l. 6. f. 360.*

Verùm Authores nostri, qui articulatiùs Danorum legunt itinera; missâ Eboracensis expeditionis, & Thamesis mentione, in Occidente solùm pugnatum, hoc anno, memorant. Unde Huntindonius: *Millesimo tertio anno*, inquit, *irâ Daci exarserunt dignâ, sicut ignis: quem sanguine velit aliquis extinguere. Advolantes igitur, quasi multitudo locustarum, quidam Exaccastriam venerunt: & urbem totam funditus destruxerunt: & omnia spolia secum, cineribus tantum relictis, deportaverunt.*

HUGONIS NORMANNI INCURIA. *Hoved. hic*

Hic perfidiam perfidiâ compensatam norunt Annales, cum Hugonis Normanni incuriâ; quem Emma Regina urbi provinciæque præfecerat; Exoniam Danis proditam, & ab eis destructam, scribunt. sic Wigorniensis, & Hovedenus: *Anno millesimo tertio*, inquiunt, *Rex Danorum Swein, per incuriam & proditionem Normannici Comitis Hugonis; quem Regina Emma Domnoniæ præfecit, civitatem Excestram infregit, spoliavit, murum ab Orientali, usque ad Occidentalem portam destruxit: & cum ingenti præda naves repetiit.* Ita urbem nobilissimam Dani secundo vexaverunt: nam priùs nimirum anno octingentesimo septuagesimo sexto, eadem civitas Danorum impetum sustinuit, ut dictum ibi, n. 3. Cæterùm ut Ecclesias piè restauraverit Canutus, Swani filius, infrà opportunè referam (an. 1019. n. 1)

III. WILTUNENSIS PROVINCIA VASTATUR. *Hoved. hic*

Non hic quievit inimica rabies; sed ingressus hostis Wiltoniensem provinciam; ibi etiam; novâ Ducis proditione; urbem principem afflixit. quod ita narrare pergit Hovedenus: *Post hæc verò, cum Wiltoniensem provinciam devastaret* (Swanus Danorum Rex) *fortis exercitus de Southamtunensi, & Wiltunensi provincia congregatus; viriliter & constanter adversus hostes pugnaturus ascendit. Sed cum tam propè essent exercitus; ut alter alterum videre potuisset. Alfricus Dux, qui loco Ducis, Anglis tunc præfuit, antiquas artes statim prodidit: & simulatâ infirmitate, vomere cœpit, dicens, magnam infirmitatem incurrisse: & ob hoc, cum hostibus, dimicare non posse. Cujus inertiam, & timiditatem ut vidit exercitus, à suis inimicis sine pugnâ divertit mœstus. Unde dictum est, in antiquo proverbio: Tremescente Duce in prælio, cæteri omnes præliatores efficiuntur pavidiores. Swein autem videns Anglorum inconstantiam; ad civitatem Wiltoniam, suum duxit exercitum: eamq; devastavit, & incendit. Simili quoque modo Serbiriam consumpsit: & post suas naves repetiit.* Ita omnis Wiltoniensis provincia: duoque præcipua oppida, Sarisberia, atque Wiltonia, Danorum præda fuerunt.

ALFRICUS DUX PRODITOR PROVINCIÆ.

IV. SWANUS ET CANUTUS FILIUS PRINCIPES. *Adam l. 2 c. 30. apud Baron. an. 980. 17.*

Ex dictis constat, Swanum Danorum Regem, hujus expeditionis principem fuisse: sed quinam alii, cum eo, venerint, silentio transeunt Authores nostri. Aliunde tamen apparet, Canutum ejus filium, cum Patre fuisse. Unde Adamus Bremensis, ita scripsit: *Suen, Rex Danorum, atque Northmannorum, veteres injurias tam occisi fratris, quam sua repulsionis ulturus; classe magna transfretavit in Angliam; ducens secum filium Chant, & Olaph, filium Gatabem. Ita multo tempore, multis præliis, adversus Anglos exactis, Suen veteranum Regem depulit Ethelredum: & insulam tenuit suâ ditione.* Hæc multa *prælia*, hoc anno cœpere, & decennio duravere; vario eventu, pluribus in locis, iratâ semper Anglis fortunâ. post decennium, fugato Ethelredo, Dano parebunt omnia: & Insula serviet miseram servitutem. respirabit tamen aliquando: quando is, qui hoc anno nascitur, ex Emma Reginâ filius, Insulæ principatum obtinebit, Edoardus cognomento Confessor; qui Anglo-Saxonum nomen, & imperium, post vitam sanctissimè actam, cum honore sepeliet. Interim languentem rerum omnium statum, & utriusque Reip adversa, mœsto calamo prosequamur.

NASCITUR EDWARDUS CONFESSOR.

V. MORS SILVESTER PAP. SUCCEDIT JO[illegible] *Baron. n. 7.*

Moritur hoc anno Silvester Papa: & sedem ejus implet Joannes cognomento Siccus, dictus plerumque Decimus sextus: quem alii tamen Decimum octavum vocant. eo, post quinque à creatione menses mortuo, subrogatus est alter Joannes, quem authores nunc Decimum septimum, nunc Decimum-nonum appellant. *Tamen si frequentior usus obtinuit*, inquit Baronius, *ut hic posterior numeretur Decimus-nonus: sed præter omnem rationem; dum hoc numero, schismatici, indigni Pontificis nomine, includuntur.* factum hoc putat Annalium conditor, laico Tusculanorum Comitum imperio, quorum factione, Romani Pontifices denuo creabantur: cum igitur prius, in Petri Cathedrâ, aliquos, Joannis nomen præferentes, injuriâ collocassent: ad firmandam eorum seriem, & factionem stabiliendam, vitio olim creatos, includi voluerunt. Hunc Baronius ita definit: *Ad evitandum in numero ejusdem nominis Pontificum confusionem atque perplexitatem: quæ lectoribus molestiam posset adferre: non pro meritis singulorum, sed pro communi assertione: nullum interim præjudicium inferentes veritati numerabimus duos Ioannes hoc anno Pontifices, priorem Decimum-octavum, posteriorem Decimum-nonum, quem tradunt cognomento dictum esse Fasanum; creatúmque hoc anno XII. Kalend. Decemb.* *Baron. n.*

VI. ALFRICUS LABORAT PRO CANTUARIENSI ECCLESIA. INDE SECULARITER VIVENTES EJICIT.

Ad avertendam divini Numinis iram, quæ extrema omnia Insulæ minabatur: Ethelredus Ecclesiam ornare constituit: quod optimum malo remedium, Pontifices & Ecclesiarum præsides dictaverunt. A capite igitur hoc anno cœptum, cum Alfricus Cantuariensis Episcopus, languentem in suâ Sede disciplinam Ecclesiasticam cernens, Canonicos amovendos, quotquot sæculari nomine vocabantur (nam adhuc mixti, sed irregulariter viventes remanserunt) & monachos eorum loco substituendos, censuit. Cui Rex non consensum modò, sed auxilium etiam, & voluntatis suæ æternum monumentum dedit. diploma nimirum, quod Spelmannus recitat, inter Synodos: illi præfigens hanc Epigraphem:

Spelman. to. [illegible] 324.

Privilegium Regis ÆTHELREDI Ecclesiæ Christi Cantuariensi: qui ejectionem Clericorum de monasterio Christi Cantuariæ: & inductionem monachorum gratulatur, & confirmat villas eidem plurimas, & amplissima privilegia concedens.

VII. ETHELREDI CHARTA PRO MONACHIS IN CANTUARIENSI SEDE COLLOCANDIS.

IN NOMINE DOMINI DEI OMNIPOTENTIS. *Ego Æthelredus, dono Dei, populorum Anglicorum Rex, & aliarum Insularum circumjacentium Rector: Omnibus Christianis Anglis notum facio. Quod venerandus Archiepiscopus Ælfricus ex suâ sapientiâ, & curâ pastorali; me circa præcepta Dei sæpius occupatum reddidit. Et quod ego ipse, quicquid præceptorum Dei, quicquid doctrina sacra necessarium fuerit;*

sedulo

sedulo mihi ediscendum statuo. Hanc vero disciplinam ex hominum pravitate, & nequitiâ, longè lateq; pessundatam, & abolitam intelligo. Video insuper, & intellectu meo planè perspicio, consuetudinem bam presbyterorum negligentiâ, & inobservantiâ, per universam quasi terram evanuisse: & Dei servitium, sic neglectum, & frigescens, Ego vehementer deploro. Dixi etiam Consiliariis meis: qui me tum in rebus divinis, tum in humanis instruunt, ejusmodi illos Deum ingemium dedisse, quod mihi in animo mei cruciatum cessit. Retulerunt illi, satius divino auxilio eventurum: si ego ab Ecclesiis Christi presbyteros, ob illorum crimina, & vitia manifesta, expellerem: & in iisdem monastici ordinis homines constituerem: qui pro me, & pro populo meo, preces & grates, Deo ibidem rite funderent. Hoc idem ego effeci. & monachos ejusdem ordinis, quem huc attulit sanctus Augustinus, in Ecclesia posui. Ordinis [illegible] cer, quem ille, ex præcept[o] sancti Gregorii, & ex magni Re[g]is Æthelberti Con[s]titutione, & auxilio, in terram ha[nc] intulit: & ejusdem monachos sanctos, in Eccles[ia] [C]hristi disposuit. Monachi illi post[m]odum fa[ct]a sua conversatione Episcopi facti sunt, & Ecclesiâ suâ locupletarunt.

Monachi igitur in eadem ha[bi]tantes, ibidem in æternum stabiliti sint. Quod [et] ego, diversis hisce Privilegiis confirmo, atque villas suas, & antiquitus à me Anglo[ru]m Rege, [&] ab aliis leg[ibus] meis, ad illorum Sedem [s]acram datas; nominatim hic describo. Primò Eastrige, quam tam in rebus, quam in liberis; Ego pro animâ meâ, ad Ecclesiam Christi, perpetuâ donatione concedo. Tum Iecham, Bosingtun, Edesham, & Arveldra, Berevvic parvulam, & Svvyrdblincas, Pre[s]tatun, Gravanea, Wylan, Ceart, Fernleah in Sut[s]exia, Peccingas. In VVest Cent, Meapham, Culingas. In Suthria, contra Londoniam, VVealsvvyrth statim trans Thamesim. Hrisebyrgam juxta marginem Chilternia, ad cœmiterium Ecclesiæ Christi jacentem in Estsexiâ. Leling in East-Angliâ, Hadlah. & in vicinia Illaleh: aliquas etiam terras, in Insula Thanet.

[Li]berum autem sit monasterium hoc antedictum, [cu]m omnibus villis ad idem pertinentibus ab omni ser[viti]o, in campis, in pascuis, in pratis, in silvis, mari[...], in piscium, ferarum, & volatilium venat[io]ne: hisce tribus solummodo exceptis: scilicet expeditione, pontium operatione, & arcium reparatione. Quicumque igitur bona voluntate, hoc meum Privilegium multifariam, in bonis aliquibus auxerit; huic Deus Omnipotens habitationem in cœlis, cum Sanct[is], augeat. Si quis verò malus, à dæmone seductus, privilegium hoc multifariam minuerit, & parvi fecerit. Hic Iudæ, qui Christum prodidit, & dæmonum socius f[ac]tus, inter æterna gehennæ supplitia, canum infernalium dentibus laceretur: nisi ante obitum suum, justa compensatione, emendaverit; quod contra Dominum impiè perpetravit. Satius siquidem est, hominem peccata sua ante cavere; quam laboriosa satisfactione commissa diluere. Obsecro igitur, & adjuro vos omnes legitimos successores meos Reges, Episcopos, Comites, & populos subditos, ne sitis Ecclesiæ Christi prædones; sed sitis patrimonii ipsius Christi, & monachorum, ibidem Deo servientium, defensores seduli; ut vita, & gaudio æternis, cum hominibus Dei Sanctis, in æternum fruamini. Amen.

† *Ego Æthelred. Rex Angliæ, diversas has Ecclesiæ Christi immunitates ex authoritate Christi confirmo.*

† *Ego Ælfricus. Ecclesiæ Christi archiepiscopus, boni hujus Regis munificentiam signo Crucis in æternum corroboro.*

† *Ego VVulfstan, Lundoniensis Episcopus, Domini mei dono excellenti consensi.*

† *Ego Ælfheah VVincestrensium Episcopus, antedicti Regis scriptum viribus meis confirmo.*

† *Ego Ordbrih[t], Episcopus, hoc idem, in Dei benedictione, feci.*

† *Idem ego Æthelric Episcopus, feci.*

† *Idem ego Athulf Episcopus, feci.*

† *Illud idem ego Godvvin Episcopus, feci.*

† *Ego Liffing Episcopus, Domini mei voluntatem, & bonitatem in æternum confirmo.*

† *Ego VVulfric Abbas veritatis testimonio sum.*

† *Ego Ælfvvard Abbas idem facio.*

† *Ego VVulgar Abbas.*

† *Ego Ælfsige Abbas.*

† *Ego Leofric Abbas.*

† *Ego VVighard Abbas.* *Sequuntur plures Laïci, Comites & ministri Regis, quos omitto.*

Ita refert, è Saxonico, hoc diploma Henricus Spelman; & putat ab Ethelredo dictatum esse, circa annum millesimum tertium: quantumvis in alio exemplari latino, quod *prisum vocat*, *& à Saxonico in nonnullis discrepans*, hæc habeantur: *Scriptum* est hoc privilegium, mille decurso, anno verò VI. quod vitio factum putat. quia *Wulfstanus Londinensis Episcopus*, inquit, *qui testis habetur*; *obiit juxta Savilis fastos, in anno millesimo tertio, vel millesimo quarto. id est, Regis Ethelredi vigesimo quinto, vel vigesimo sexto. In latino autem exemplari, ad annum Domini millesimum sextum refertur. perperam, vereor, MVI. substituens pro MIII. Mortuo enim VVulstano Episcopo Londinensi, Alfhunus successor ejus Sedem tenuit, ut nostrates asserunt, in anno Domini millesimo quarto. Et nos igitur circa annum Domini millesimum tertium potiùs collocandum censemus.* Ita ille. potuit etiam è Fastis opinionem suam firmare: ubi Ordbrithus, Australium Saxonum Episcopus; qui inter testes quoque numeratur; obiisse hoc anno supponitur, & Ælmarus in ejus locum intrasse. Sed vidit fortè id cum aliis Ethelredi chartis non constare. nam infra unam recitabimus; ubi Ordbrithus superstes est, anno sexto currentis millesimi: Qui post Ordbrithum subscribit, Æthelric Episcopus, nodum habet parum solubilem. nam nullus, hoc tempore, eo nomine, Antistes invenitur. Æthelricus enim Sciurburnensis, dudum obiit, ut dictum supra*. & nemo ita dictus post eum reperitur. Opinor itaque Æthericum intelligi, qui post Eadnothum Dorcacestrensem Ecclesiam rexit, vel ab anno Christi millesimo decimo septimo, ut notant Fasti: vel potiùs ab anno millesimo decimo sexto, ut dicam ibi. nomen ejus adjectum est postea. Qui Liffing scribitur, Livingus est, ut patet è latino exemplari. Is Wellensis Antistes consecratus est anno millesimo septimo, ut notant Fasti; vel paulò prius: mortuo Alfwino, qui ibi sedebat. nam anno millesimo sexto, iterum subscribet. Athulfus Herefordensem; Godwinus Roffensem, boc anno, Sedem tenent. ut supra.

XI.

Spelman. fol. 508.

MORITUR WULSTANUS LONDINENS. SUCCEDIT ALFHUNUS.

* v. an. 982. n. 8.

MORITUR ALFWINUS.

ANNUS CHRISTI 1004.
JOANNIS XIX. PAPÆ 2.
ETHELREDI ANGLORUM REG. 26.

I. DANORUM INCURSUS. CHristi Salvatoris annus millesimus quartus, Insulæ luctuosus, Danorum iras sensit; cùm cæde incendióque omnia flagrarent. quod breviter Florilegus in hunc modum narrat: *Anno gratiæ millesimo quarto, Ioannes sedit in Cathedrâ Romanâ, annis quinque. Quo utique anno Dani* (Westm. hist.) *furore crudelitate inauditâ Angliam totam, sicut locusta cooperientes, omnia spoliantes, homines neci tradentes: nec fuit inventus quisquam, qui hostibus obviaret.* Ita ille, de hujus anni clade generatim. Quid factum apud Icenos, Wigornensis & Hovedenus paulo latius explicant. Ibi Norwicum, (NORWICUM INCENDITUR.) elegans oppidum, Danorum injuriæ patuit: qui cùm cives opibus exuissent, ædificia, & omne reliquum incendio deleverunt. quod eò accidit luctuosiùs; quia noviter urbs illa, in cel. brigatem aliquam, & ampla ædificia, surgere cœperat. Unde Camdenus de Norwico loquens, ait: (Camden. in Northf.) *In ipsa hujus urbis quasi infantiâ cùm Ethelredus, vir mentis & consilii inops, regnaret: Sueno Danus, qui Angliam magnis copiis pervasit, primum diripuit; & postea, injecto igne, succendit.* Sed meliùs antiqui, hujus anni calamitatem explicant: & quid actum ab Orientalibus Anglis, cum Swanus Norwicum delevisset.

II. (Wigorn. hic.) *Rex Danorum Suanus* (ita ad hunc annum Wigorniensis) *cum sua classe Northwyche adveniens, illam devastavit, & incendit. Tunc magna strenuitatis Dux East-Anglorum Ulfketellus, qui ex improviso* (EST-ANGLI VASTANTUR.) *venit: nec contra eum, spatium congregandi exercitum habuit; cum majoribus East-angliæ habito consilio, pacem cum eo pepigit. Verùm ille, dirupto fœdere, tertiâ post hac hebdomadâ, cum copiis suis, latenter e navibus prosiliens, Theotfordam invadit, de-* (THETFORDIA INCENDITUR.) *vastavit: nocte unâ in eâ mansit, diluculo incendit. Quo cognito, Dux Ulfketellus, quibusdam de provincialibus mandavit, ut hostium naves confringerent.* (ULFKETELLUS IN DANOS PUGNAT.) *At illi, vel non audebant, vel jussa perficere negligebant. Ipse vero interim, quam citius potuit; clam suum congregans exercitum; adversus hostes audacter ascendit: quibus ad naves repedantibus, non æquâ manu militum illis occurrit, durissimumque cum illis prælium commisit: multisque ex his, & illis, cæsis, nobiliores quique de East-anglia corruerunt. Dani vero vix evaserunt. Sed si vires East-anglorum jam adessent; nullo modo naves suas repeterent. Ut enim ipsi testati sunt; durius & asperius bellum in Anglia nunquam experti sunt, quam illis Dux Ulfketellus intulerat.*

III. ETUS VIRTUS. Emicuit in hac pugnâ, Anglorum Ducis virtus, quem Malmesburiensis Ulkillum vocat: & magna utrimque clades fuit, Danorum imprimis: licet penes eos victoria steterit, sed stetit multo sanguine. nam hanc pugnam intelligit Malmesburiensis, cum ait: (Malmesb. de Reg. l. II. c. 10. fol. 63.) *Solus ex omnibus Comes Orientalium Anglorum, Ulkillus, tunc impigrè contra invasores restitit. ita, ut quamvis nomen victoriæ, ad hostes concessisset, multo plus afflicti, qui vicerant, quam qui victi fuerant, æstimarentur. Nec fuit piguit barbaros veritatem confiteri; cum multoties illam victoriam deplorarent.* Sed satis de tot sanguine: dicamus aliquid, de alterâ Republicâ, in quâ versor lubentius; quia ibi, etiam inter classica, & bella infortunia, majorum fidem, pietatem, & virtutes ego, Ecclesiasticis annalibus opportuna. Ex Oriente itaque ad Mercios transeo: ubi *Vulfricus* (Westmon. an. 1004.) *vir magnæ sanctitatis*, inquit Florilegus, *& authoritatis, fuit providens, futura perpendendo, nobile cœnobium de Brituna, super fluvium de Treut, fundasse* [illegible] *& multis possessionibus ampliasse.* (WULFRICUS [illegible] MONASTERIUM [illegible]) quod [illegible] ad annum superiorem prefert. Tunc enim [illegible] potius de extruendo monasterio [illegible]. Sed hoc demum anno perfe[illegible]tum, & Regiâ authoritate dota[illegible] ergo de monasterio, locique fundato[illegible]re, breviter d[illegible]dum.

Cœnobium [illegible]ud, in Cornaviis, & Staffordiensi agro ex[illegible]tum est, ad oppidum Bu[illegible] quod quia Trenta fluvius alluit; inde ad aliorum oppidorum ejusdem nominis differentiam, B[illegible]ton super Trentam appellatur. Locus ol[illegible] Moduennæ Virginis [illegible]essu, nobilis; ut sup[illegible] dictum: sed nunc multò illustrior, post [illegible]structo monasterio, sacræ Virginis off[illegible], op[illegible] auxerunt. Ibi ergo Wulfricus, quem aliq[illegible] Ulf[illegible] cum vocant; cognomento Spot, Merc[illegible]rum Comes, æternam sui nominis memoriam r[illegible]qui cum nigris monachis cœnobium po[illegible] ditavitque. de quo liber Abingdonensis. *Quidam minister Athelredi Regis, dictus Wulfricus Spot, construxit Abbatiam Burton, deditque ei omnem hereditatem paternam, appretiatam septingentas libras. Et ut hæc donatio rata haberetur, dedit Athelredo Regi trecentas mancas auri, pro ejus confirmatione, & unicuique Episcopo, quinque mancas. insuper Alfrico Archiepiscopo Cantuariæ, villam Dumbletonam.* Ita ibi. Necdum videre potui fundationis Chartam quam Ethelredus Rex dictasse, & fundationem confirmasse, scribitur. Joannes Stous, accuratus hujusmodi rerum collector, diplomatis ec[illegible] datam firmamque, refert in hunc modum: *Millesimo quarto, Indictione secundâ, horum testimoni[illegible] pientium, quorum nomina inferius annotata cernuntur.*

Ego Ethelred, Rex Anglorum, hoc donum perpetuum ditavi libertate.
Ego Ethelstan, filius Regis.
Ego Egbrith, filius Regis.
Ego Edmund, filius Regis.
Ego Aldred, filius Regis.
Ego Ading, filius Regis.
Ego Aidgar, filius Regis. Duodecim Archiepiscopi, & Episcopi: duodecim Abbates, & tres Duces, &c.

Ita ipse Regiæ prolis solùm nomina expressit quam Elgiva, prima uxor, Ethelredo peperit ubi tamen posteriores duo, meliùs ita scribuntur, Eadwig, & Eadgar: ut patet ex aliis chartis, quæ inferius recitantur.

V. Fortè hæc nomina ultimam Wulfrici voluntatem firmaverunt; quæ Anglicè manu scripta penes me est: & *Wulfrici testamentum* dicitur. quod latinè (si tamen voces barbaræ latinè efferri possunt) ita sonat:

(WULFRICI TESTAMENTUM.) IN NOMINE DOMINI. *Hic ostendit Wulfricus dilecto suo Domino testamentum, & omnem libertatem suam. Imprimis lego Domino meo Regi, ducentas mancas auri, & duos gladios, cum manubriis argenteis. & quatuor equos. duo nova Ephibbia, cum omnibus appertinentibus. Et lego Alurino Episcopo,*

quinque

quinque mancusas auri: & duobus Archiepiscopis, unicuique de eis mancusas auri. Et lego Alcuino, [illegible] so monacho, unam libram auri: & singulis Abbatibus, & Abbatissis, quinque mancusas auri. Dono [illegible] per Alfrico Archiepiscopo terras apud Dumalton, cum alio Dumalton pro animâ meâ; ut sit amicus, & adjutor, loco quem fundavi. Lego etiam Elfelmo, & Wulfago, terras inter Ribellum, & Merseium, fluvios, ut æqualiter eas dividant. Do etiam Elfelmo, Boleston, & Herleseston. & eidem do terras in Congesburgh, e[t] lego, ut monachi, tertiam partem piscium, ipse duas partes, habeant. & Wulfago dono terras, apud Athelwaldeston. Et Usegato, do terras apud Norton, eâ intentione, ut faveat, & promoveat locum apud Burton. Et primogenita filia lego terras apud Elford, & terras apud Acloë, cum omnibus appertinentibus, quamdiu vixerit. & post ejus obitum, transeant ad Burton. & ipsa nullo modo lædat; sed servet, & foveat, quantum poterit: quia patrini mei donum fuit. Volo etiam Alfemam habere terras, apud Slnimund, & Tonwarton, sine ulla servitute; ut [illegible] venius sit Dominus. Lego etiam Wulfgaro, meo [illegible] terra apud [illegible] alerisbele, ut pater ejus eas habuit. [illegible] do terras, apud Valeshale, & apud Gre[illegible] apud Wickrvicke, & apud Clune, [illegible] rgh, & Ducemaneston, & Moresburgh, & apud [illegible] tington. & apud H[illegible] ston, & apud Doncester, & apud Mor[illegible] sten. Et do uxori ejus Aldalceller prædia, & bona mea. Do Alf[illegible] lmo cognato meo terras, apud [illegible] alserton: & Athe[illegible] rico do terras, apud Wibrost, & apud [illegible] ongen, omnibus diebus vitæ suæ: & post obitum ejus, transeant ad Burton, pro anima [illegible] & matris meæ, & suâ.

Hæ sunt terræ, quas lego Burtono: Imprimis Burtonium ipsum, ubi erectum est monasterium, & Stretton, & Bromley, & Bedington, & Gagaley, & Wy[illegible] ton, & Lagansford, & Stirley, & Newton apud [illegible] rvic, & Wadon, & parvam terram, quam voco Suwanton, & Wyneshel, & Sutton, & Tenkenhal, [illegible] Scenten, & Wargeston ....

& [illegible] st duorum virorum obitum, Orleston & omnia appertinentia. videlicet Rudigare, & parvam terram, apud Gosewalton & unum lectum, cum omnibus ad eum pertinentibus: & arcam, cum rebus quæ ibi sunt: & terras apud [illegible] lum, & Chelsdon, & Cateschurne; [illegible] terram conductam apud Sutton. & Morley, & Brad[illegible], cum omni [illegible] bertate quam habet: & terras apud [illegible] ge, & [illegible] ston, & Wynfield, & Suodeswicke [illegible] lis apud Tathawik: & terram apud Applebie, quam emi pecuniâ [illegible] apud Weston & Burton: & hidam apud Sciernesburd: & terras apud Hersburgbrige, & Alderswerth, & Alfredington, & Ecclesbale, & Wadon, & unam hidam apud Stone. Do etiam conventui apud Tamworth, terras apud Langdon, juxta pactum prius initum: ut ipsi dimidiam partem, & alteram dimidiam Burton habeant; cum bonis, catallis, & hominibus, in æternum ....

Et volo, ut Rex, sit Dominus, & fundator monasterii, quod erexi; & monachos habere terras quas legavi, pro amore Dei, & pro Domino Rege, & pro anima meâ. Et volo, ut Alfricus Archiepiscopus, & Al[illegible] lmus meus frater, sint amici & defensores monasterii Burtonensis, contra homines quoscumque: & nolo alios in[illegible] habitare, quàm religiosos ordinis sancti Benedicti: & spirituali filiæ meæ Morcares, & [illegible] lgithæ, do terras apud Stratton; & cyphum, qui [illegible] t aliquando ipsius aviæ. De etiam monasterio Burtonensi centum equos silvestres, & sedecim domesticos: & omn[ia] alia, quæ vivens possideo, iis exceptis, quæ prius legavi. Deus Omnipotens conservet illud, ab omni malo; & æternâ hominum dominatione, Rege excepto: quem spero monasterio fore benevolum.

Christi millenis transactis quatuor annis
Est fundata domus Burtonæ Cuique patronus
Wulfricus Spot erat, si quis de nomine quærat.

Hic est sensus, quantum conjicio, verborum testamenti: quod veterum dialecto descriptum, [illegible] ntius [a]liquando loquitur: nec ubique illud assequor. illud constat ab hoc anno, & deinceps, ab illato præsertim sanctæ Moduennæ corpore, (nam similia loca ita Deo consecrantur) in magnum nomen Burtonense monasterium crevisse. — VII. MODUENNÆ CORPUS MONASTERIO ILLATUM.

Enimverò licet Moduenna sancta, vitam in Hiberniâ, unde erat oriunda, terminaverit: sepeliri tamen voluit, in eo loco, quem olim septennio incoluerat prope Trentam fluvium, ut supra* adverti. nunc autem structo nobili monasterio, perfectâque Ecclesiâ, thesaurum prope jacentem placuit inferre: quod ita in Moduennæ vitâ narratur. *Moduennæ corpus in Angliam delatum, apud Andresciam honorifice sepultum est. Postquam autem monasterium de Burton, super Trentam fundatum est: vel quia sancta Virginis illuc translata sunt.* Nescio, an supra recensitæ Ethelredi & filiorum ejus subscriptiones, huic testamento annexæ fuerint, cum duodecim Episcoporum nominibus: aut illud intellexerit Clemens Reynerus, cùm dicit: *Abbatia Burtona super Trentam fundata fuit ab Ulfrico Comite: & fundatio corroborata, ab Ethelredo Rege, circa annum Domini millesimum, cujus confirmationis exemplar vidimus.* Constat tamen nobile cœnobium fuisse, & annuo proventu feliciter auctum. nam ita de eo Harpesfeldus: *Burtonense cœnobium, prope fluvium Trenta, exædificavit nobilis vir Viricus* (lego Ulfricus) *amplisq; redditibus ornavit.* Et quod ad annum fundationis spectat, catalogus ædium destructarum hunc planè annum millesimum quartum consignat.

*v. an. 87. n. 39.

apud Capgr. in Moduen.

Reyner. in Apostola. tracta. 2. fol. 138.

Harpesfeld. fol. 260.

Quo etiam anno, mortuus ponitur in nostro Martyrologio, sanctus Gotebaldus, Noruegiæ Episcopus: quem superiori sæculo, Swanus Danorum Rex, ad Christianam Fidem conversus, in Scaniam misit, ad Christianæ Fidei sementem spargendam. de quo hæc habet Adam Bremensis, & ex eo Baronius: *Suen destructor idololatriæ, Christianitatem in Noruegiâ, per edictum suscipi jussit. Tunc etiam Gotebaldum quendam, ab Angliâ venientem, Episcopum, in Scaniâ posuit doctorem: qui aliquando in Suediâ dicitur evangelizasse, etiam in Noruegia.* Exigua apud Authores nostros Gotebaldi mentio; nec aliorum etiam qui frequentes tamen, ad animarum messem, ex Angliâ exiisse videntur, de quibus statim. De Gotebaldo igitur intelligendum puto, quod Gothorum Suecorumque historia refert, capite 15. *Missi,* inquit, *à Bremensi Archiepiscopo, doctores in Gothiam, & Sueciam: ibi prædicabant Christi Evangelium constanter, & diligenter; & crescebat quotidie, cum magno fructu, divini verbi plantatio: baptizabatur magna populi multitudo: tantusq; omnium ardor ad baptismum erat; ut exactis paucis diebus, nulli, aut paucissimi incolæ, in universâ civitate Bircensi, quæ tunc frequentissima erat, invenirentur, qui Christiana militia ascripti non essent.* Ita ibi, quod de superiori sæculo intelligendum, nimirum cùm Suenus ad Christum conversus, fidem propagavit.

VIII. S. GOTEBALDUS EPISCOPUS.

Mart. Angl. 5. April. Adam. l. 2. c. 26. Baron. an. 980.

apud Cent. Cent. 10. fol. 385.

IX. ANGLI IN NORWEGIA FIDEM PRÆDICANT.

SIGFRIDUS EBORACENSIS

Cent. 10. c. 7 f. 643.

Cæterùm quod Norvegiam spectat; nominantur in historiis, Anglorum aliqui; quorum ope, Christianam fidem, provincia illa suscepit. Sic Sigfridus quidam Eboracensis Archidiaconus, inter Sanctos numeratur, postitutque circa hæc tempora mortuus: qui sub finem superi... sæculi cùm Olauus Rex ab Ethelredo nostro fidei doctores peteret; ex Angliâ emissus, una cum nepotibus suis Wiamano, Unamano & Sunam...o, egregiam in docendâ fide op... posuit. De eo sic scribunt Mag...burgici. *Ioannes Magnus ca pite decimo nono, de rebus Gothorum, Sigfridum quendam Eboracensem Episcopum (cujus tamen nulla hoc seculo apud probatos rerum Anglia scriptores mentio fit) ab Eldredo, Anglorum Rege, precibus Olavi Regis in Norvegiam missum esse scribit. qui Regem, plurimamq; subditorum multitudinem, sacris baptismi initiarit.* Ita est, nulla Sigfridi Eboracensis Episcopi apud nostrates mentio. Sed nec apud externus, quod sciam, probatos Authores. Verùm Sigfridum, Anglum presbyterum, Olavo Regi adfuisse, eùmque & subditos, & vicinas provincias, orthodoxam fidem docuisse; nemo meliùs nosse, testarique possunt, quàm externi, apud quos docuit, scriptores. Inter eos Adam Bremensis ita loquitur. *Augures omnes Beatissimus Rex Olaph persequi decrevit: ut sublatis scandalis, firmius in regno suo clarescere Christiana religio. Habuitq; secum Episcopos multos, & presbyteros ab Angliâ: quorum monitu, & doctrinâ, ipse cor suum Deo preparavit; subjectumq; populum ad regendum commisit. Quorum clari doctrina & virtutibus erant Sigefrid, Gunichild, Rudolph, & Bernard. Hi etiam jussu Regis, ad Sueciam, Gothiam, & omnes Insulas, quæ trans Northmanniam, accesserunt, evangelizantes barbaris verbum Dei, & regnum* JESU CHRISTI. Hæc ille, de Anglis: quorum nonnemo ad majus ibi sacerdotium assumptus, ut munere solenniùs fungeretur. Ita Sigfridus patria fortè Eboracensis, aut illius Ecclesiæ presbyter*; extra Angliam factus est Episcopus; aliorum præter Sigefridum obliteratâ ferè memoriâ. Sed patet ex Authore, Anglos esse.

Adam l. 2. c. 40.

GUNICHILD, RODULPHUS, BERNARDUS.

X.

Cent. 10. fol. 643.

Bernardi tamen mentio, apud Saxonem Grammaticum; qui vult Olaum Regem ab eo baptizatum. Sic enim scribunt Magdeburgici: *Bernardi Angli, cujusdam prædicatione; Norvegia fidem Christianam didicit. Ipse etiam Olaus, ab eo, baptismum accepit; ac mutato priore nomine, Iacobus dici voluit; Saxone Grammatico, libro decimo Danica historia, & Ioanne Magno libro decim... ...timo, capite decimo septimo, de rebus Gothorum, testantibus.* Hæc nos ab externis Authoribus emendicare cogimur: quia domestici vix ea prosequuti sunt, quæ domi fiebant. Quia tamen eorum unus qui Sigfridum comitatus videtur, in patriam redit, vixitque ibi sanctissimè: & demum ibi mortuus, inter Sanctos relatus est: ejus nomen in Sanctorum nostrorum catalogo recitatur & Bartholomæus dicebatur: de quo, quod ad præsentem materiam spectat, ita Capgravius in ejus vit...; *Adolescens Bartholomæus, diversarum gentium nationes, & mores inquirens; in Norvegiâ tandem, cuidam presbytero adhæsit; & ab Episcopo loci, sacerdotii gradum suscepit.* atque superioribus quatuor annumerandus est. Se... diu in Norwegiâ non mansit: nam redisse scribitur in Britanniam, ibi monachum induisse, & demum in Farnensi Insula,* cum illustria dedisset sanctitatis argumenta, mortuus anno decimo hujus sæculi, ut habet Martyrologium nostrum: ubi nomen ejus inter Sanctos legitur ad 24. Junii. De san... etiam ...hillo Episcopo, & Martyre, dicam inferius *, è Sigfridi Comitibus unum fuisse. Nec mirum, aut insolens videbitur; Anglos in Norvegi..., Goth... & Borealibus provinciis, prædicare: in superioribus tomis dicta conferantur. Nam Norvegiam, Britanniæ annexam aliquando Authores nostri prodiderunt. & provinciam illam, vel ab Arthuro Re... ve... Kentigerno potius, & discipulis ejus edoctam esse, suo loco ostendimus. denique Norvegiam, ab Adriano quarto Papâ, nationi Anglicæ conv...rsam esse dixit, in publico proc...rum ...egnique conventu, Cardinalis P...lus. Et in Gothiâ Ang...s olim sedem fixisse, monast...ia struxisse, strenue laborasse. Al...nus noster ...is insinuat, Episto...a nonagesi... non... qu... scribitur: *Sanctissimis in Christo Patri... D..., in diversis Gothia partibus, fideliter servientibus, humilis levita Alchuinus, Salutem.* & iterum Ep... septuagesima ...imâ, quam ita exorsus est ... *...lissimis viris, Fratribus & Patribus in provincia ...thorum, humilis Ecclesiæ Christi vernaculus Al... Salutem. Plurima vestræ sagacitatis, & reli... laus, nostris sæpius insonuit auribus: seu propter sacratissimam monachorum vitam, seu propter reli... sam laicorum conversationem. dum ibi a... ...n strepitu sæcularis inquietudinis, soli Deo vacare desiderant: & isti inter mundanas occupationes, castissimam in vitam rationali consideratione degere dicuntur.* Excubabant ergo Angli, omni tempor... & in promptu erant, petentibus panem vitæ porrigere. Hinc Gotebaldus, Sigfridus, Bernardus aliique, boreales partes illustrarunt, & in Anglorum annalibus, ut in cœlo etiam, locum merentur. nunc ad Angliæ Episcopos transeo.

* v. an. 10... c. 19.

v... & an.

Alc...

Elfelmum, Durcacestrensem Episcopum, qui ab anno nongentesimo nonagesimo sexto ...clesiam administravit; hoc anno mortuum esse supponunt Fasti: nam successorem assignant Eadnothum; illum nimirum, quem suprà * Ra...mesciensem Abbatem appellavi, cum sanc... Ivonis corpus inventum & translatum est. V...rum cum post sequentem annum nomen subscrips...it Chartæ Regiæ: ...olo paululum ejus mortem, & successoris ingressum differre; interim transeo ad annum sequentem.

* an...

ANNUS CHRISTI 1005.

JOANNIS XIX. PAPÆ 3.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 27.

I. FAMES MAGNA. *Westmon. hic*

DEus adhuc Insulæ iratus, Danorum crudelitati, famem addidit: Nam *anno gratiæ millesimo quinto* (ita scribit Florilegus) *tanta famis molestia Angliam invasit: quantam nullus hominum meminit invasisse.* mortalium plurimi hac fame perierunt: & qui superstites; adeo fracti viribusque destituti sunt, ut hosti impares, eidem omnia cedere cogerentur. Hunc annum intellexit Malmesburiensis, cum ait: *Tunc ver..., ne quid miseria, Regi Ethelredo deesset; fame per totam Angliam*

Malmesb. de Reg. ... fol. 63.

debacchante,

debacchante, vulgus, quod bello reliquum erat, absumptum mediâ. Hostes adeo liberè in regione vagabantur ut per quinquaginta millia, prædam per terram, ad naves convectarent, nullas provincialium insidias formidantes. Ita ille: sed non diu vagati

Danos fugat.

sunt; quia consumptis omnibus, cum nihil ad prædam reliquum esset, & commeatus deficere inciperet: ipsum etiam Danum fames abegit: & Swanus Rex, reverti cogitur, ciborum inopiâ victus. Unde Wigorniensis ad hunc annum ita scribit. *Hoc anno, dira, magnaq́; fames. Angliam invasit. Quapropter Rex Danorum Swanus, Denemerciam revertitur; post non longum tempus reversurus.*

Wigorn. hic.

II. Einshamense monasterium, ab Ethelmaro fundatur.

His malis eruditi, quibus Deus cor & intellectum dedit, peccata sua plangere, & eleemosynis redimere, religiosè cœperunt. Hinc Ethelmarus Cornubiæ Comes, spe futurorum, cùm præsentia fastidiret; monasterium in Dobunis, & Oxoniensi provincia erexit, ad Einshamum oppidum. *Villam olim Regiam* (loquitur Camdenus) *inter amœnissima prata cositam, quam Cuthwulfus Saxo, devictis Britannis, primus abstulit: Æthelbaldus Mercius postea monasterio illustravit; quod nunc in privatas ædes conversum.* Ita ille, in primâ editione. Se[d] secundæ curæ locum correxerunt; & loco Æthelbaldi Mercii, Anglicè multò melius restituitur, Æthelmarus, vir nobilis, diu post locum illum, Abbatiâ illustravit. *quam*, inquit, *Æthelredus Rex, anno salutis millesimo quinto, Benedictinis monachis confirmavit; & in confirmatione suâ, privilegia libertatis loci illius signavit, signaculo sanctæ Crucis.* Meminit monasterii hujus catalogus ædium destructarum; ubi fundationis annus consignatur quintus hujus sæculi. Alibi parva mentio. nec enim Malmesburiensis ubi Oxoniensis provinciæ monasteria lustrat: nec scriptura trigesima septima apud Reynerum, ubi *Fundatio plerorumq́; monasteriorum ordinis nigrorum sancti Benedicti in Angliâ, ex veteri Manuscripto Abbatiæ de Evesham,* refertur; Einshamense monasterium nominant: cùm ergò, injuriâ temporum, à monachis relictum, à laicis possessum, revixisse, ut alia, non videtur.

Camd. in Doba. [partly illegible]

III. Monasteria expilantur.

Minus læta aliorum per Insulam monasteriorum facies erat; cùm, quà fame, quà Dano, quà domestico fure, & exactorum, omnia consumerentur: & sanctiora etiam loca tabescerent. Unde monasteriorum Abbates, quos Regum pietas olim ditaverat, & liberos ab omni exactione fecerat; nunc temporum impietas expilavit. Moritur in hac miseriâ Croylandensis cœnobii Abbas, Osketulus: & locum Godrico cessit. Unde Ingulfus ansam capit, explicandi statum monasterii sui. Et quia inde, aliorum monasteriorum faciem contemplari licet; non pigebit illum audire. Sic ergò loquitur. *Venerabilis pater Dominus Osketulus, Abbas Croylandiæ; tandem, duodecim annis in officio pastorali, fauslè, ac strenue consummatis; mortis sacra compendio, regias exactiones, universosq́; sæculi timores, cum carnis depositione finaliter exuebat, duodecimo Calendas Novembris, anno scilicet Domini millesimo quinto. Cui successit, ad Abbatis officium, Venerabilis Pater, Abbas Godricus, electus & effectus Abbas, in diebus angustiæ, tribulationis, & miseriæ. sicut anterior ejusdem nominis Abbas Godricus, multis annis præfuerat quondam * monasterio, in tempore desolationis, & destructionis suæ, laboriosissimeq́; rexit monasterium quatuordecim annis, sub prædicto Rege Ethelredo. Hujus Abbatis tempore; cùm Dani, totius terræ ferè obtinerent dominium; & tam per Ethelredum Regem, & ejus Duces, Edricum, Alfricum, Godwinum, & alios plures importabiles impositiones, pro Danorum tributis persolvendis; ac aliæ exactiones gravissimæ, ad eorundem Ducum expensas plurimas restaurandas; quàm per Analaphum & Swanum, ac eorum exercitus deprædationes, despoliationes, & destructiones, assiduè fierent. Sæpe multa monasteria, de omni denario emuncta sunt: non tamen exactores ultimum quadrantem se extersisse credere voluerunt. Ita tunc religiosi; quò magis premebantur, magis putabantur habentes; magis putabantur abundantes. Hinc Venerabilis Pater Abbas Godricus, solvit primo anno Regi Ethelredo ducentas marcas: Ducesque sui, pro suis expensis, similiter ducentas marcas extorquebant: præter minores sumptus, qui quotidie regiis ministris irruentibus continuè fiebant. Secundo, tertio, ac quarto anno similiter actum est.* de quibus infra, an. 1008. n. 17. & an. 1009. n. 4.

Ingulf. f. 890

Osketulus Abbas moritur.

Godricus ejus loco succedit.

* v. an. 870 n. 1[…]

ANNUS CHRISTI 1006.

JOANNIS XIX. PAPÆ 4.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 28.

I. Dani redeunt et grassantur.

ANNO Domini millesimo sexto, Dani, quos fames, non gladius, ab Insulâ expulerat; iterum ad prædam reversi, Insulæ gravissimè incumbunt: cùm interim Ethelredus Rex, paulò majores animos induens, parat exercitum; qui ferocientis inimici impetum sisteret: Sed noluit Dominus Deus exercituum ejus cœptis favere: nam quà numero hostium; quà provincialium ignaviâ; impunè Danus grassatus est; dicat hoc Wigorniensis. *Mense Iulio*, inquit. *Danorum classis innumera, Angliam advecta, portum Sandwicum subiit: & cæde, ac incendio obvia quæque consumens; modò in Cantiâ, modò in Suthsaxoniâ, maximam prædam egit. Ob hæc Rex Æthelredus, de Merciâ, & West-Saxoniâ, exercitum congregavit: & cum eis fortiter dimicare statuit. Sed illi, cum eo, palam confligere nullatenus voluerunt. Verum nunc in his, nunc in illis locis, rapinas frequentes exercuerunt: & mox ad naves, more solito, repedabant. Eoq́; modo per totum autumnum, Anglorum vexabant exercitum. Quo domum redeunte; nam hiems imminebat; illi, cum enormi prædâ, Vectam Insulam adiere: & ibidem usque ad Nativitatem Domini mansere. Qua adveniente; quia Rex tunc temporis in Scrobbesberiensi provinciâ morabatur; per Suthamtunensem provinciam, ad Bearrucsbire venerunt: & Readingum, Walingafordam, Ceolesegam, eorumq́; quamplurimos combusserunt. Inde moventes Æscesdune transito, Cuiccelmeslawe adierunt. Unde per aliam viam revertentes, juxta Kenetan, incolas loci, paratos ad prælium, offenderunt; statimq́; cum eis commiserunt, illosq́; fugaverunt: & postmodum cum prædâ, quam ceperant, ad naves repedarunt.*

Wigorn. hic.

Berchf[…]sem provinciam vastant.

II. Swani Comites [illegible]

Ingens hæc calamitas fuit, & multiplex malum; quod universam Insulam concussit. Unde meritò scripsit Huntindonius. *Anno sexto* (post millesimum) *cùm Suain vir audacissimus, cum magnâ*

classe

Hunting. fol. 360.

classe rediisset ad Sandvvic; quem semper comitabantur tres sociæ, prædatio, combustio, occisio. Fremduit omnis Anglia, & commota est, velut arundinetum, Zephiro vibrante, collisum. Quocumque autem pergebant; quæ parata erant hilariter comedentes, cùm discederent; in retributionem procurationis, reddebant hospiti cædem, hospitio flammam. Auxit miseriarum cumulum intestina discordia: cùm quasi non sufficeret Danus ad fundendum sanguinem; Anglus in Anglorum jugulum arma convertit. Sic perfidus Edricus, ad Angliæ excidium natus, Athelstanum Ducem per insidias trucidavit. de quo ad hunc annum Florilegus.

Athelstanus Dux occiditur.
Westm. hic.

Dux perfidus Eadricus Ducem nobilem Æthelstanum, apud Salosbrsberiam, ad magnum, quod præparaverat, convivium invitavit. ad quod cùm invitatus venisset: quartâ convivii die, ipsum in silvam venatum duxit: ubi, cunctis circa venationem occupatis, quidam carnifex, nomine Codrvinus, quem Eadricus antea donatus corruperat. ex insidiis subitò prosiliens, Ducem Æthelstanum nefariè nimis peremit. In cujus rei ultionem, duo filii ejus, jussu Regis Æthelredi, excæcati sunt. Hæc ibi.

III.
Moritur Alfricus Cantuariensis Episcop.
Godvvin. in Cantuar.

Hac rerum tempestate; eâ imprimis quæ Cantium concusserat; jactatus Alfricus, Dorovernensis Episcopus, moritur. de quo Godvvinus: *Obiit Alfricus anno millesimo sexto: & Abendoniæ ad tempus humatus: deinde translatis ossibus, in Ecclesiâ sua conditur sepulchro.* Hic est illo, qui putatur illustris scriptor homiliarum centum octoginta, quæ Cantabrigiæ in publicâ bibliothecâ prostant: & ansam dederunt altercandi, de Fidei dogmate nobilissimo: sed iis tantum, qui majorum sensa respuentes, novâ fide omnia metiuntur. Illi volunt Alfricum, non in Romanâ, sed in Calvini scholâ doctum, realem Christi præsentiam, in Eucharistiæ Sacramento nescivisse: sed credidisse, & docuisse contrarium. Quidam etiam ulterius progressi; contendunt, à Christo nato, ad usque Lanfranci Cantuariensis tempora; Insulam hanc, in eâ, hoc est, Calvini fide fuisse. Unde Jacobus Usserius, in responsione suâ Anglicâ, non verecundatur dicere: *Lanfrancum fuisse primum, qui carnalem Christi præsentiam Insulæ obtrusit.* Quo nescio quid dici potuit, magis ab omni historiarum fide alienum, cum nuper*, in ipsâ Angliâ, in ipsa urbe Cantuariæ, quibusdam de eo mysterio dubitantibus, sanctus Odo, illustri miraculo; carnis, corporis, sanguinis veritatem probaverit. Quo viso, & palpato; non solum Didymi aliquot, in Orthodoxâ Fide vacillantes, eruditi sunt: sed omne Apostolorum collegium, & universus fidelium cœtus, adeo confirmatus, ut nusquam inde dubitatio aliqua mentem pulsaverit. Cur enim, quod Roma semper credidit, quod Oriens omnis, & Occidens constanter amplexus est; Anglia controverteret? Et si hoc parum est: cur Christo dicenti, repetenti, probanti: Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus, verè est potus; unus terræ angulus obstreperet?

Excutitur Alfrici sensus de Eucharistia.
Usser. in Resp. fol. 77.
*v. an. 947. n. 4.

IV.
Usser. in Resp. supra.
Alfrici verba expenduntur.

Sed Alfricus, inquit ille*, *Malmesberiensis Abbas, in homiliâ Saxonicâ, quam scripsit sexcentis quinquaginta ab hinc annis: omnino cum Ratramno est: & non solum ejusdem sensûs, sed ejus interdum sententiam Saxonicè reddit.* Hic multa aut perversè, aut indistinctè ponuntur; Alfricus, Malmesberiensis Abbas, author homiliæ; quem alii passim alterius cœnobii monachum dixerunt: Ratramus, quem doctiores Bertramum vocant: sed minutiora sunt illa; ubi de Fidei articulo, & sperandarum rerum substantia agitur. Videamus, quid Bertramus dixerit, quæ Alfricus Saxonicè eloquutus, & quomodo Usserus ea Anglicè reddiderit: qui sua, sive Alfrici verba, in contextu posuit; Bertrami, in margine. Sed cupio imprimis Lectorem advertere: quod in similis controversiâ suprà* notavimus: antiquas Saxonum leges, & *prædicationes* (Alfrici homilias ea voce intelligit Parkerus) ad Augustinum nostrum premendum, & refellendum Pontificios, nuper inventas, & in Anglicum translatas esse, teste Parkero: ubi scilicet Transubstantiationis mysterium, & Christi Corporis, Sanguinisque veritas negatur. Sed quàm feliciter, aut Pontificios refellant; aut Augustinum feriant, dictum ibi. Hic, vel mediocriter doctus, vel saltem sanæ mentis, colliget: Augustinum, qui premitur, arguiturque solum cærimoniarum, non Fidei magister: & Pontificios ab eo doctos; Transubstantiationem, & realem in Sacramento Christi Corporis præsentiam credidisse. Cur enim, si non ita creditum, Saxonum leges & prædicationes, tam mirabiliter inventæ, conservatæque sunt, ut finxit ille: & demum in Anglicum translatæ? Quomodo ergo Usserus, tam liberè pronuntiat, antè Lanfranci Cantuariensis tempora (non ante annum millesimum septuagesimum sedit Cantuariæ) *carnalem Christi præsentiam* (ita vocat Catholicum dogma) Anglis obtrusam non fuisse?

*v. an. 597. n. 26.
Antiq. Brit. fol. 15.

V
Veritas corporis in Eucharistia quomodo intelligatur.

Sed sæpè fit, ut qui aberrant à fide, & majorum sensu; sensum omnem, & sanum de rebus intellectum, exuisse videantur. Unde nec quæstionis statum exponere, nec dubii nodum invenire; multò minus controversiæ cardinem vertere, ex arte, norunt. Sic hoc loco Usserus, in terminorum sensu planè claudicat: cum carnalem, & spiritualem Christi carnem, in Eucharistiæ Sacramento, suo primum sensu metitur; inde in Orthodoxos pugnat; alio sensu carnalem & spiritualem Christi præsentiam metientes. Et quis non videt, contentionis funem in immensum protrahi posse; imò nupero sæculo protractum esse; cum hæresim amantes somnia fingunt: & illa adorantes, Orthodoxum sensum, & omnium sæculorum fidem enervare se putant; cum revera aerem verberant. Breviter: si carnalem Christi præsentiam Usserus intelligit, ut olim Capharnaitæ: nos, cum Ussero, illam respuimus: & dicimus Christi corpus, in Eucharistiæ Sacramento, non eo, hoc est, carnali modo: sed longè aliter; verè tamen & realiter, esse. Si essendi modum quæris. facillima responsio; quam tamen paradoxorum nemo intelligere videtur. Dicimus enim, verum Christi corpus, non vulgarem, aut ordinarium, corporeum, carnalemve existendi modum habere; sed alium prorsus, extraordinarium; non specietenus corporeum, aut carnalem, per partes extra partes, in ordine ad locum: sed verè totum, in toto, & realiter totum in singulis partibus esse. Quo modo in humano corpore animam existere, nemo est, qui nesciat. Qui existendi modus, cum spiritui conveniat: non malè spiritualis existendi modus appellatur: & quicquid ita, aut è naturâ suâ, aut præter naturam existit: spiritualem habere existentiam, aut spiritualiter existere, salvâ rei, corporisque substantiâ, dicimus. Nunc quid contra

Modus essendi qualis?

Orthodoxum hunc sensum, aut Alfricus senserit, aut Bertramus docuerit, aut Usserus ex eis protulerit, videamus.

VI.

Primus Bertrami locus; in quo, cum Alfrico contesserat, Ussero interprete, habetur in tractatu de Corpore & Sanguine Domini. pag. 182. Editionis Coloniensis anno Domini 1551. & est hujusmodi: *Ille panis, qui per Sacerdotis ministerium, Christi corpus efficitur: aliud exterius humanis sensibus ostendit: & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur; ast interius, Christi corpus ostenditur.* Ita ibi. Hæc verba, Alfricus in suam homiliam, quæ *Paschalis* appellatur, transtulit, inquit Usserus; qui unà Alfricum Anglicè loquentem, eodem ferè modo, adducit. Sed quid inde, pro suâ sententiâ contra Orthodoxos concludat, nescio. Itaque locum alium videamus. *Consideremus*, inquit, *fontem sacri baptismatis; qui fons vitæ non immeritò nuncupatur. In eo si consideretur solummodo, quod corporeus aspicit sensus; elementum fluidum conspicitur: corruptioni subjectum; nec nisi corpora lavandi potentiam obtinere. Sed accessit Sancti Spiritus, per Sacerdotis consecrationem virtus: & efficax facta est, non solum corpora, verùm etiam animas diluere: & spirituales sordes, spirituali potentiâ demovere. Ecce in uno eodemq; elemento, duo videmus inesse sibi resistentia, &c. Igitur in proprietate, humor corruptibilis: in mysterio verò, virtus sanabilis. Sic itaque Christi corpus, & sanguis, superficietenus considerata, creatura est, mutabilitati corruptelæq; subjecta: Si mysterii verò perpendis virtutem, vita est, participantibus se tribuens immortalitatem.* Ita Bertramus, ex Bertramo Alfricus, ita ex utroque Usserus in Orthodoxos, & veram Christi corporis in Eucharistiâ præsentiam pugnans. Sed infeliciter; nihil enim ibi, nulla periodus, nullum verbum, aut verbi apex, Alfricum facit cum Calvinistis sentire. Et utinam sensus ille verborum, in Anglorum Ecclesiis remansisset: nam longè alia, quàm hodie cernimus, Sacramentorum, & Ecclesiarum, reverentia, & majestas foret. Sed eheu! Sponsa Christi, quæ olim, Reginæ instar, astitit à dextris virtutis Dei, circundata varietate, lugens clamat: *Percusserunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum.* Quæ verba sic intelligit Justus Urgellitanus. *Quando Ecclesias ad solum usque demoliti sunt: & altaria simul, cum Evangeliis, & cæteris libris Canonicis, ignibus cremaverunt. Quando Sacerdotes concluserunt ad metalla condemnatos: Quando nec sacrificandi locus; nec baptizandi libertas, nec communicandi est attributa licentia. Cùm hæc persecutores agerent: tunc quodammodo Sponsæ Christi, id est, Ecclesiæ, quasi quoddam pallium abstulerunt.* quod hodie factum cernimus.

Usser in Resp. fol. 77.

Usseri argumenta e Bertramo.

Idem suprà.

Cant. 5. v. 9.

Justus Urgel. expla. in Cant. ad c. 5.

VII.

Ad Alfricum redeo, quem nobis, cum pallio auferre conantur aliqui; ideò solùm quia quædam Bertrami loca in homiliam suam Saxonicè transtulit. Quod si ab eo factum, præcisis, & secretis erroribus, quos Orthodoxi in Bertramo notaverunt: quis vitio vertat, aut non laudet potiùs ejus industriam, qui missis zizaniis collegit triticum? Alius ergò Bertrami locus, quem Alfricus exscripsit, est ejusmodi. *Multa differentia separantur, corpus in quo passus est Christus; & hoc corpus, quod in mysterio passionis Christi quotidie à fidelibus celebratur. Illa namq; caro, quæ crucifixa est; de Virginis carne facta est, ossibus & nervis compacta, & humanorum membrorum lineamentis distincta; rationalis animæ spiritu vivificata, in propriam vitam, & congruentes motus. At verò Caro spiritualis, quæ populum credentem spiritualiter pascit: secundùm speciem, quam gerit exterius; frumenti granis manu artificis consistit, nullis nervis ossibusq; compacta, nulla membrorum varietate distincta, nulla rationali substantiâ vegetata, nullos proprios motus exercere. Quicquid enim in ea vitæ præbet substantiam, spiritualis est potentia, & invisibilis efficientia, divinæq; virtutis.* Hîc nulla carnis, nulla veri corporis, in Eucharistiæ Sacramento, abnegatio est: sed potiùs in omni ferè apice; veri corporis carnisque assertio: cum eâ tamen differentiâ, quam modò exposui. nimirum, alium, & alium, existendi modum habuisse corpus Christi, in quo passus est Christus. & idem corpus, quod in Missæ sacrificio conficitur. Et quia corpus utrobique ab Alfrico appellatur: quis dubitat, de vero realique corpore, sermonem esse. de corpore, inquam, illic nervis membrisque compacto: hîc, *secundùm speciem quam gerit exterius*, aliter confecto, *nullis nervis ossibúsque compacto, nullâ membrorum varietate distinctâ*, &c. quæ verissimè dicuntur: nec intelligi possunt, nisi utrobique veri corporis notio supponatur. Enimverò dicere, corpus Christi, quod natum è Virgine pependit in Cruce; multum differt, ab eodem corpore, in Eucharistiâ confecto; signatâ solùm differentiâ, in modo existendi (qui revera diversissimus est, & quantum à corpore differt spiritus) & in specie, quam gerit exterius. supponit necessariò in verâ realique corporis substantiâ, nullum omnino discrimen esse. Ex his ergò Alfrici verbis, undecumque illa sumpsit, Alfrici fides Romana, Catholica, & orthodoxa esse convincitur.

Usser. suprà fol. 78.

VIII.

Refelluntur argumenta.

Hic interpres, qui verba præcedentia Anglicè reddidit; aliqua interserit, quorum in latino nulla mentio: & nescio an Alfricus ita Saxonicè loquutus sit. Corpus, inquit, natum è Virgine, cum sanguine, osse, pelle, nervisque & humanis membris, & animâ rationali. Sed spirituale corpus, quod Sacramentum vocamus, conficitur è multis granis, sine sanguine, sine osse, sine membris, sine animâ: & ideò nihil ibi corporaliter, sed spiritualiter solùm intelligendum. Hæc verborum translatio, multum jacet: & abit plurimum à latino sensu. Unde subit ingens suspicio, verè Parkerum dixisse; Alfrici homilias ad refellendum Pontificios translatas esse: & suprà* ostendi fraudulenter esse translatas. Si enim Alfrici verba, ac sententiæ, eædem prorsus esse, cum Bertrami verbis asseruntur: cur in discursu omittitur, quod in quæstione erat præcipuum. Cur tacetur illud: *secundùm speciem quod gerit exterius*: quæ clausula sensum ubique orthodoxum reddit. nihil enim oculis nostris objicitur in Sacramento, quod nervorum, ossium, aut membrorum distinctionem ostendat; aut actum aliquem, motumve animæ rationalis. ut nos ingenuè fatemur; dicimusque, cum eo, veritatem corporis, veritatem carnis stare posse. quod Alfricus nusquam negat; imò è mente, sensúque verborum, planè affirmat; cum inter corpus, & corpus discrimen ostendit, in modo existendi tantummodo. quem etiam modum planè significat, cùm ait (si

** v. an. 1071 n. 28.*

tamen Alfrici verba sunt, & non interpretis) *nihil hic, corporaliter, sed spiritualiter intelligendum.* Qui enim de vero Christi corpore loquutus est, & duplicem existendi modum in eo posuerat: unum, nati passíque Christi; obi nervorum, ossium, membrorum visibilis distinctio: alium in altaris Sacramento: ubi, secundùm speciem, quam gerit exterius, eorum nihil cernitur: supponit planè secundum aliud, quod interius creditur, adesse omnia, quæ veri corporis substantia postulat: quæ tamen non corporeo modo; sed prorsus spirituali, hoc est, non corporaliter, sed spiritualiter intelligenda. facessat ergò Novatorum tergiversatio; qui cum in magno Augustino, aliísque antiquis Patribus legunt interdum, spiritualiter aliquid in Sacramento credendum: cœnam inde Calvinisticam apparant, tam insipidè: ut missâ carnis, veríque corporis substantiâ; quæ centies nominatur; nullo sale, cum adverbio illo velitantes, aerem fortè. Orthodoxos verò nunquam, feriunt: asserentes, antiquos aliquando cum Calvino esse.

IX. De speciebus in Sacramento.

Eodem planè modo peccant, ubi in Venerabili Sacramento, species nominantur. nam Anglicè *species*, in figuram transferunt: & inde cum corpus Christi, sub speciebus esse dicitur: magno verborum strepitu, corpus Christi in figurâ esse contendunt. quem litigandi stuporem, ideò curare non possumus; quia à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem, & sua somnia convertuntur. In latino (quod Alfricus sequitur) ita legitur: *Hoc corpus, pignus est, & species: illud verò, ipsa veritas. Hoc enim geritur donec ad illud perveniatur: ubi verò ad illud perventum fuerit, hoc removebitur.* quæ verba orthodoxus cum Paulo Gentium Doctore ita efferret: *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* (1. Cor. 13. v. 12.) Usserus tamen, aut qui Alfricum transtulit, ad refellendum Pontificios, ita reddit: *Hoc mysterium est pignus & figura, Christi corpus est ipsa veritas.* quæ planè, latinè scribentis mentem, & sensum, destruunt. Nam ibi *Corpus* nominatur, & *species*, cui subest: nimirum in Sacramento: quod extra, sine specie, sine ænigmate, in veritate cernitur. Interpres loco corporis, mysterium intrusit, & pro specie figuram: ratus, eâ araneârum telâ, Alfricum, jam mortuum, capi posse: & alios aliquot; qui verborum cortice contenti, de rerum substantiâ, parum solliciti; Fidei argumenta, non tam ad animæ salutem, quàm ad bona fortunæ conservanda, & augenda, trahunt. Hæc sufficiant de Alfrici sensu, circa veritatem Corporis Christi.

X. De Transsubstantiatione quid senserit Alfricus?

Ad Transsubstantiationem quod attinet; Alfricus semper est habitus integerrimæ Fidei: & licet aliquando, in eo mysterio dubia emerserint; Alfrici tamen numen, non prius in quæstionem venit, quàm nuper inventæ Saxonum leges, ad nuperam Babelem extruendam, firmandamque translatæ sunt. Tunc quod latinè Orthodoxum erat; paradoxè pervertitur, ut Alfricus à factiosis stare probetur. In Latino, quod ille Saxonicè ad literam reddidisse dicitur hæc habentur. *Sicut Christus paulò ante quàm pateretur, panis substantiam, & vini creaturam convertere potuit, in proprium corpus, quod passurum erat: & in suum Sanguinem, qui post fundendus extabat: sic et ante in deserto, manna, & aquam de petrâ, in suam Carnem & Sanguinem convertere prævaluit.* (apud Usser. in Respon. fol. 79. marg.) Quæ verba, & Christi potentiam, & Transsubstantiationis mysterium planè supponunt, factum in Sacramento; possibile in deserto. Usserus, qui ipsissima verba in margine posuit; eadem Anglicè in contextu ita pervertit: *Sic nihilominus, invisibili virtute, convertit panem, in Corpus suum, & vinum illud, in suum Sanguinem: sicut antea in deserto fecerat priusquam nasceretur: quando convertit cælestem cibum, in carnem suam; & aquam de petrâ manantem, in suum sanguinem.* (Idem suprà in contextu.) Hic vides, Lector factionis genium. In antiquis Angliæ scriptoribus, nihil, nihil planè inveniunt, quod ullo modò patrocinetur erroribus; quos nupera ætas in priorum sæculorum ignominiam cudit: nisi antiquorum verba vexent, torqueant, & omnino pervertant. Usserus, cum dixisset, Alfricum, non solùm idem cum Bertramo sensisse: sed in multis locis, cum *directè* in suam homiliam transtulisse: & citat loca supradicta; ubi revera Alfricus magis, quàm Bertramus convincitur insanivisse. Nescio an Usserum, an verò Alfrici interpretem accusem. unum scio, non *directè*, sed admodum indirectè; non ad antiquorum, sed ad novatorum sensum; non ad Alfrici, sed ad interpretis Fidem, Saxonica omnia transferri. & quia linguam diu exoletam, & characteres planè antiquatos, pauci capiunt: & nemo perfectè assequitur: ideo amplum altercandi campum nacti, fugiunt primò lucem sæculorum, quæ illustrissima est; inde ad tenebras conversi, quidlibet ex quolibet, pro libidine fingunt. Ego his hominibus propterea non irascor: quia qui apertissima Christi verba respuentes, ad figuras, & tropos fugiunt: in Alfrici, & aliorum sensu pervertendo multo peccant venialiùs. Minus tamen ferenda Usseri oscitantia, in Chrysostomo exponendo, cujus Latina verba, cum citasset, in hunc modum: *Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus. divina autem illum sanctificante gratiâ, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis; dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit.* Hanc ultimam vocem perperam transfert à præterito tempore, in præsens ita: **although þe nature of bread remayne still init.** hoc est: *etiamsi natura panis in ipso adhuc permanet.* quod in Grammatico puero non ferendum. (Usserus fol. 65. citans Chrysost. epistolam ad Cæsarium.) multò rectiùs Chrysostomi mentem exposuisset ita: Panis ille, qui fuit panis; Dominici corporis appellatione dignus est, licet natura panis in illo prius aliquando præivisset. Enimverò si liberatus est ab appellatione panis; quomodo dici vel fingi potest, adhuc manere ibi natura panis. cum revera panis dici debeat, ubicumque est natura panis. Sic Christum verè Deum dicimus & hominem; quia divina humanaque natura illi inest. Unde utriusque, hoc est, Dei, & hominis appellatione dignus est: nec potest ab utravis appellatione, sine manifesta hæresi liberari.

XI. Alfricus fuit Monachus et Missalis Sacerdos.

Sed missis verborum ambagibus; ubi Attica, Dorica, Æolica, Jonica, dialectus: hoc est, non unus, sed multiplex hominum genius, non eundem semper seorsum facit: si scire cupis Lector. Alfrici fidem, contemplare ejus facta. nam illa, quis dubitat, fortius probant. Alfricus, homiliæ author, *Monachus* fuit, & *Missalis Sacerdos*: Ita enim seipsum vocat, præfatione ad homilias: ubi hæc habet, quæ supra* posui: *Ego Ælfricus, Monachus,* (v. an. 990. 4.)

& Missalis

& Missalis Sacerdos, tenuior licet. quàm tali conveniret ordini; missus fuit, in diebus Æthelredi Regis, ab Ælfeago Episcopo, successore Ethelvvoldi ad monasterium quoddam Cernel appellatum, &c. Si hic idem Alfricus, ad Cantuariensem sedem promotus est, ut passim creditur; de Romanâ ejus fide, non potest dubitari: nam monstrum hominis fuisset, à sequentibus sæculis notatum; si Sedem illam, quam Romani Pontifices amplissimè ornaverunt, occupasset aliquis, à Romanâ, hoc est, majorum Fide, degener. Quod si iterum è factis, fidem ejus metiri vis; repete quod suprà * dictum, cum Cantuariensem sedem ingreditur. Tunc enim non solùm pro pallio Romanam Ecclesiam appellavit, ut antea fecerant majores ejus: sed eos omnes supergressus, Romam nudis pedibus ivit: quo, se illius Ecclesiæ alumnum, nec alterius Fidei filium devotissimè ostendit. Addo Cantuariensia Ecclesiæ Elogia, quibus Alfricum ornaverunt, cum electus est: ubi ejus Fides plurimum commendatur. Novatores ergo, vel premuntur egestate maximâ; vel deploratissimâ causâ laborant; cum ad augendam factionem; ubi antiqui sæculi neminem inveniunt: Monachos, Missales Sacerdotes, & Romanæ Fidei addictissimos, in classem suam, per fas & nefas, trahere coguntur. Cæterùm, quàm injuriâ Alfricus trahatur; & quomodo interdum ejus verba pervertantur: patet è Canonibus, quos Saxonicè Ecclesiis, & Episcopis dictavit, & Novatores aliqui, Latinè simul & Saxonicè impresserunt. Habentur illi in Spelmanno, ad annum Christi millesimum quinquagesimum secundum: sed quia eorum author Alfricus creditur, qui homilias composuit: hic potius, quàm alibi, locum merentur. Quicquid sit, ita inter Synodos inscribuntur à Spelmanno:

* v. an. 996. n. 3.

v. an. 996. n. 2.

XII.

CANONES ÆLFRICI, AD WULFINUM EPISCOPUM.

Spelman. fol. 572.

Habentur Canones isti ad finem libri Catholicorum Sermonum, Anglicè in Ecclesiâ recitandorum, in celebri bibliothecâ Corporis Christi, vulgò S. Benedicti Cantabrigiæ, prout sequuntur.

Incipit Epistola de Canonibus.

ÆLFRICUS *humilis Frater, Venerabili Episcopo Wulfino Salutem in Domino. Obtemperavimus jussioni tuæ libenti animo; sed non ausi fuimus aliquid scribere de Episcopali gradu: quia vestrum est scire: quomodo vos oporteat optimis moribus exemplum omnibus fieri: & continuis admonitionibus, subditos exhortari ad salutem, quæ in Christo JESU dico*: tam quod sæpius deberetis vestris clericis alloqui, & illorum negligentiam arguere, quia pene statuta Canonum, & Sanctæ Ecclesiæ religio, vel doctrina, eorum perversitate, deleta sunt. Idcóque libera animam tuam: & dic eis, quæ tenenda sunt, sacerdotibus, & ministris Christi; ne tu pereas pariter, si mutus habearis canis. Nos verò scriptitamus hanc Epistolam, quæ Anglicè sequitur, quasi ex tuo ore dictata sit: & locutus esses ad clericos tibi subditos, hoc modo incipiens.* Hactenus Epistola, Canonibus præfixa: quos priusquam recito; de Wulfino, cui inscribuntur, dicendum aliquid.

* forte dico tamen.

XIII. De Wulfino Episcopo.

Disputat hoc loco Spelmannus; quis Alfricus, Canonum author: quis Wulfinus Episcopus, cujus causâ Canones componuntur: & benè dicit: *estimatu non est facile*: conjectat autem utrumque fuisse Episcopum: quia Alfricus alterum, *fratris nomine* alloquitur. Cæterùm quod ad Canones spectat, dictatos putat, *in diebus Ethelredi Regis; cum jam mortuo Ethelvvoldo, Wintoniensem Cathedram obtineret Ælpheagus, hoc est, inter annum Domini nongentesimum octogesimum tertium, quo Sedem illam adiit; & millesimum sextum, quo evectus inde est, in Archiepiscopatum Cantuariæ. Floruisse etiam, subeodem tempore deprehendimus Ethelmerum thanum, de quo Alfricus loquitur, Cernensis monasterii, in Dorcestrensi* (Dorsetano potiùs) *pago fundatorem.* Ita ille. Quæ cùm satis probabiliter dicantur; sequitur etiam, non malè, hos Canones, Alfrico Cantuariensi, qui hoc anno moritur, attribui. obstat solùm, nullum hoc tempore, Wulfinum, inter Episcopos recenseri. Duo enim in Episcoporum serie, nec plures hoc, & superiori sæculo, Wulfini Antistites nominantur. Unus Schirburnensis, qui, ut dictum, anno 958. majori sacerdotio auctus est: alter Dorcestrensis, qui sub annum Domini millesimum quinquagesimum tertium, in Fastis sedisse ponitur. In hunc Spelmannus satis propendet, & tunc Alfricum, Canonum dictatorem, Eboracensem Archiepiscopum, cognomento Puttam, fuisse opinatur. Sed ille, si Fastos sequimur, moritur anno 1051. hoc est, biennio priùs, quàm Wulfinus Dorcacestrensem Ecclesiam obtineret. Ego Wulfino alteri accedo, qui moritur anno 967. quem Alfricus, tunc monachus; sed eruditione præcipuus; ut supra *; Ecclesiasticam disciplinam probè callens, alium ad Canonum scientiam, in Episcopali munere, manu ducere poterat. Et quia inter Alfrici hujus lucubrationes, quas Pitsius enumerat; una est: quòd *transtulerit Canones Nicæni Concilii, in linguam Saxonicam.* hoc ipsum opus intelligo, Wulfini Episcopi precibus confectum. ubi Nicæni Concilii plurima inseruntur, ut legenti constabit. nam ita Canones loquuntur:

Spelman. fol. 585.

Ethelmerus fundat Cernel monasterium.

* v. an. 990. n. 1.

XIV. Ælfrici Canones.

1. D*ico vobis Sacerdotibus, Ego ipsemet non feram negligentiam vestram, in vestro ministerio: sed in veritate vobis annuntiabo, quid de Sacerdotibus constitutum est. Christus ipse nobis exemplum præbuit Christianæ institutionis, & puritatis vitæ, seu castitatis. Omnes igitur, qui in viâ suâ, secum ambulaverint, mundana omnia reliquerunt, ne uxores respicientes. Unde ipsemet, in quodam Evangeliorum suorum ait: Qui uxorem suam non odit, indignus est meus esse discipulus.*

Christus exemplū Castitatis.

2. *Post Christi verò Ascensionem in regnum cælorum; & post excessum Venerabilium ejus Apostolorum: tanta excitata est in terrarum medio persecutio: ut ad Synodum congregari nequibant ministri Dei: propterea quod eorum vitis insidiabantur gentes Ethnicæ: donec Constantinus Cæsar Imperium orbis assecutus, Christianus fieret.*

Persecutio post Christum impedit Synodos.

3. *Tunc congregavit ille, in Nicæâ civitate trecentos octodecim Episcopos, ex omnibus nationibus, ad confirmandam fidem Catholicam. Erant in hac Synodo multi Episcopi, insignibus clari miraculis: Et hi Missalem quendam Sacerdotem, Arium nomine, telo anathematis perstrinxerunt: quod non crederet Filium Dei viventis in perpetuum, æqualis esse potentia, cum*

Primum Cōcilium Nicææ.

Arium damnat.

Patre suo glorioso ipsumq; igitur satanæ tradiderunt omnes. Sed is noluit resipiscere, usque dum effusa, cum alvo, intestina sua in latrinam viderat.

XV. Liturgiam & Symbolum edit.

4. *In hac Synodo, instituta sunt sancta Ecclesiæ Liturgia, & Fidei symbolum, quo in Missa utimur; nonnullaque alia, ad cultum & servitium Dei pertinentia: Symbolum fidei ab Apostolis: & Liturgiæ substantiam (quis dubitet?) à Christo institutam, Nicæni Patres, ordinem, & decentiam addiderunt.*

Sacerdos non habeat mulierem in domo.

5. *Decreverunt jam tum omnes unanimi cogitatione: ut neque Episcopus, neque Sacerdos Missalis; neque Diaconus: nec qui vere est Canonicus; in domo suâ secum haberet aliquam mulierem; nisi matrem, vel sororem suam, amitam, vel materteram suam: & qui aliter fecerit, ordine & gradu suo privaretur.*

Ecclesia conjux Sacerdotis.

6. *Considerate igitur digna hac auditu: cum enim habueritis vestra sollicitudinem è contrario . . . . add-it: . . . . quasi periculosum non esset Sacerdotem vivere, more conjugati. Sed dicetis eum non posse carere muliebribus servitiis. Respondeo quonam pacto vitam transegerunt sancti olim viri, absque fœmina, vel uxore, qui in mercedem castæ suæ animæ, vitâ nunc fruuntur sempiternâ. Ad hoc dicent Sacerdotes: Petrum habuisse uxorem. Verum est: sub Lege enim veteri; dum in Christi adhuc non venisset clientelam; benè ei licuit. Quamprimum autem factus est discipulus Christi; qui castitatis exemplum præbuit, uxorem dereliquit, & mundana omnia.*

XVI. ECCLESIA SACERDOTIS CONJUX PROPRIA.

Hunc Canonem, ut vides, mutilum, Spelmannus ita recitat: sed benè verborum, quæ omissa sunt, sensum videtur exprimere: dum in margine hanc notam apponit. *Ecclesia conjux Sacerdotis.* Benè, inquam, quia priorum sæculorum more loquitur. Et Canon ille, non differt ab alio Canone, sub Edgaro Rege edito: ubi eodem modo, Ecclesia, Sacerdotis *legitima conjux*, dicitur. Vide inter eos Canones, Canonem octavum, & Canonem sexagesimum, qui talis est: *Docemus etiam, ut nullus Sacerdos mulierum consortium plus æquo diligat. Sed propriam suam uxorem diligito, id est Ecclesiam.* Et certè inter Occidentalis Ecclesiæ statuta, & Canones, nihil notius, nihil exploratius, nihil magis à Canonum conditoribus inculcatum: quàm clerum, à suscepto sacerdotio continere; & Ecclesiam, uxoris loco habere, debere. Et tamen occidens noster (hesternos tantùm homines, & ignorantes intelligo) cùm in Britannorum Republicâ maculam finxissent, & nescio quæ clandestina matrimonia, sine parocho, sine testibus, sine authore ullo, contracta; valdè cupiverunt eundem solœcismum in Anglo-Saxonum Ecclesiâ reperire. Sed reverà utrobique falluntur, ut constat è Britannorum, & Anglo-Saxonum Synodis, & statutis Ecclesiarum, & Canonibus: è praxi denique sæculorum: quæ sacris hominibus castitatem inprimis commendat. Sed pergat Alfricus: & dicat cur Mosaicæ legis Sacerdotes conjugari poterant, non ita in lege Christi.

v an. 967. n. 9.

v. n. 18.

XVII. Differentia novæ Legis & veteris.

7. *In Lege veteri, Pontifici licuit uxorem sibi sumere puram virginem, & ex eâ prolem suscitare, usque in tempus constitutum: propterea quod ex unâ tantum familia, ad eundem ordinem, & non ex aliâ unquam consanguinitate cooptandus esset Pontifex. Nec tamen ei licuit plures, quam semel uxorem ducere: nec hanc viduam, aut repudiatam: sed ut jamjam diximus, puram virginem. Bene tamen sub iis sæculis uxore fruerentur. Neque enim Missam celebrabant, nec Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi administrabant: sed boves offerebant; usque dum Christus, ante Passionem suam, illud Sacramentum sanctificaverat, Missamq; instituerat . . . . . modo per eum existentem.*

Bigami ad sacerdotium non assumuntur

8. *Constitutum etiam fuit in eadem Synodo: ut is qui viduam duxerat, repudiatam, aut ad secundas nuptias transierat; ad sacrum Ordinem nunquam postea assumeretur; nec consecraretur in sacerdotem. Sed is qui casta unius uxoris maritus fuerat; ad castum ordinem eligendus foret; juxta id quod Apostolus Paulus in Epistolâ suâ scriptum tradidit.*

S[illegible] [illegible]

9. *Nulli liceat sacerdoti iis interesse nuptiarum celebritatibus, in quibus aut secunda viro uxor jungitur, aut secundo viro fœmina: nec vel iisdem benedicere, ut admonuit eum . . . . Ita quod in castitate degant. Sic Doctores scripserunt. Licet Apostolus veniam concesserit, iterum ducendi uxorem, si uxor ejus . . . . Canones autem jam tum prohibent benedictionem: & ejusmodi connubentibus imponunt etiam pœnitentiam.*

XVIII. [illegible] Ordinibus Ecclesiæ.

10. *Septem gradus constituti sunt in Ecclesiâ: primus, Ostiarius; secundus, Lector; tertius, Exorcista, quartus, Acolythus; quintus, Subdiaconus; sextus, Diaconus; septimus, Presbyter.*

Ostiarius.

11. *Primus, Ostiarius, est ostiorum templi, seu Ecclesiæ custos; qui campanarum sonitu designat, fidelibusq; Ecclesiæ fores aperit: infidelibus verò occludit.*

Lector.

12. *Secundus, Lector is est, qui legit in Ecclesiâ Dei, ad hoc etiam ordinatus; ut verbum Dei populo prædicet.*

Exorcista

13. *Tertius, Exorcista idem est, qui malignos spiritus, homines cruciantes, Omnipotentis Dei nomine, prodire ex eisdem adjurando cogit.*

Acolythus,

14. *Quartus, Acolythus dicitur, qui candelam, vel cereum accensum fert, dum Evangelium legitur, in Dei ministerio, vel dum Sacerdos Sacramentum Corporis Domini ad altare consecrat, non ita tamen ad arcendum caliginosas tenebras: sed ad indicandum eo lumine beatitudinem; ad Christum honorandum, qui est lumen nostrum.*

Subdiaconus.

15. *Quintus, Subdiaconus, verè under-Deacon, is est, qui Diacono vasa porrigit; & omni cum humilitate ad altare sanctum eidem famulatur, vasa subministrans, ad Sacramentum Corporis Domini nostri pertinentia.*

Diaconus

16. *Sextus, Diaconus est, qui Missali sacerdoti est à ministerio: Oblationes super altari ponit: & in divinorum celebratione Evangelium legit. Ei liceat baptizare, populóque cœnam Domini exhibere . . . . salvatori deservire: & vitæ cœlestis rationem, & in castitate colere, & omnia . . . . . . sicut decet illum ordinem. Sacerdos qui versatur absque Diacono, nomen tenet, non ministerium.*

Presbyter

17. *Septimus, Presbyter, est Sacerdos Missalis, aut senior: non à senectute; sed quod senili gaudet prudentia. Illius est Corpus Domini in Sacramento consecrare, eodem modo, quo Salvator ipse instituit. Ejus est, ut populum ducat ad Fidem, cum & prædicando, tum & sacra ministeria caste exequendo, Christianis se exemplum præbens; & vitam agens, non pro more laicorum. Haud pluris interest, inter Missalem presbyterum & Episcopum: quàm quod Episcopus constitutus sit ad ordinationes conferendas: & * ad visitandum, seu inspiciendum, curandúmque ea, quæ ad Deum pertinent; Dei jura, quod nimia crederetur multitudini, si omnis Presbyter hoc idem faceret. Ambo siquidem unum tenent eundemque ordinem; quamvis dignior sit illa pars Episcopi.*

Episcopi, & Presbyteri differentia.

* Melius [illegible] Biscopedne: hoc est, confirmare.

81. Non

XIX.

18. Non est alius Ordo constitutus in Ecclesiastico ministerio, præter memoratos septem istos: Monachorum & Abbatum classes, alterius sunt generis: & neque istis annumerantur; neque Ordinis alicujus nomen obtinent. Dicti autem Ordines sancti sunt; & perducunt Presbyterorum suorum animas ad beatitudinem, si pure teneantur.

Ut Presbyter servet Horas Canonicas.

19. Ad Presbyteros spectat, & ministros Dei omnes: ut Ecclesiam suam sancto colant obsequio: septem in eâ horarios cantus psallant: ut a Synodo constitutum est. Videlicet Uht-sange, id est, Cantus antelucanus: Prim-sang, id est, Cantus matutinus. Under-sang, id est, Cantus tertianus, vel ad horam diei tertiam; Middæg-sang, id est, Cantus meridianus; Non-sang, id est, Cantus nonalis, vel ad horam nonam diei; Æfen-sang, id est, Cantus vespertinus; Niht-sange, id est, Cantus nocturnus, qui est septimus.

Ut oret pro Rege & populo.

20. Tenentur hi etiam preces obnixiùs fundere, pro Rege, & ipsorum Episcopo; etiam pro suis benefactoribus, & pro omni populo Christiano.

Ut habeat Codices.

21. Habebit etiam Presbyter quilibet, priusquam ordinatus fuerit, arma ad opus spirituale pertinentia; videlicet codices sacros, id est, Psalterium, Epistolarum librum, & librum Evangeliorum, librum Missalem, libros Canticorum, librum Manualem seu Enchiridion, Gerim, & Passionalem, Pœnitentialem, & Lectionarium. Hæc ut habeat, necessarium est, & curet Presbyter diligenter, ut accuratè omnia sint correcta, & à scribarum vitiis liberata.

Et supellectilem Ecclesiasticam.

22. Habebit etiam Missalia vestimenta, ut Deo serviat, prout debet, honorificè. Nec sint ea mucida, ne vel aliquantulum ... & Altaris etiam pallia affabre sint contexta. Calix ejus è purâ unâ materiâ factus, putredini non obnoxiâ: & sic etiam patina. Corporale item nitidum, ut Christi convenit ministerio. Nemo quidpiam impune proferat, quod non semper dignum fuerit apud Deum, ut ei serviat, cum in prudentiâ, tum in puritate.

XX. Diebus Dominicis & Missalibus Evangelium Anglicè exponendum. Item Pater & Credo.

23. Presbyter etiam, seu Missalis sacerdos, in diebus Solis, & Missalibus, Evangelii ejus intellectum, populo dicet Anglicè; & ipsorum etiam Pater noster, *&* Credo*: toties, quoties poterit eos instruendos adhibere) & Symbolum Fidei memoriter discant: Christianamq; suam teneant Confessionem. Monente hoc Domino, unà & Prophetâ inquiente: Canes muti non possunt latrare. Oportet nos latrare, & exhortari laicos: ne fortè pro defectu instructionis perdamus eos. De insipiente Doctore, ait Christus, in Evangelio: Cæcus, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Cæcus est Doctor, qui literas nescit: & ignorantiâ suâ laicos, & indoctos decipit. Caveatis in hoc igitur, prout opus fuerit.*

Decimæ dandæ.

24. Sancti etiam Patres statuerunt, ut Ecclesiæ Dei decimas suas quisque conferant, tradanturq; ea sacerdote: qui easdem distribuat in tres portiones; unam ad Ecclesiæ reparationem; alteram pauperibus erogandam: tertiam verò magistris Dei, qui Ecclesiam ibi curant.

Locis Missis.

25. Constituerunt etiam, ut nemo Missam celebraret, in domo non consecrata: nisi urgente necessitate: vel quod quispiam sit infirmus, & ad Ecclesiam proficisci nequeat.

Baptizandus properè.

26. Si puer non baptizatus, liberè adducatur ad Presbyterum. (Caveat ille) ut eundem protinus baptizet, ne fortè moriatur Ethnicus.

XXI. Ut non vendat ministerium.

27. Nullus Presbyter, pro pecuniis vendat ministerium suum, nec quicquam petat, neque pro baptismo, neque pro alio aliquo ministerio exequendo: ne sit eorum similis, quos de templo Christus ipse flagro expulit, quod mercaturam nequiter exercebant in eodem. Dei siquidem ministri, non jam faciant ministeria, ut pecuniam inde sibi conferant; sed ut gloriam mereantur sempiternam.

Pro lucro non transeat ab Ecclesia.

28. Nullus item Presbyter, ex quacumque lucri, aut cupiditatis causâ; ab unâ Ecclesiâ ad aliam transeat: sed ad mortem usque in eadem hæreat, cui primitùs ordinatus fuit.

Nec sit bibax.

29. Nullus Presbyter, ex ineptiâ bibat plus quàm debet; nec alium provocet ad bibendum, ultra quod desiderat: ne fortè minimè compos fuerit: cum vel infans baptizandus, vel moriturus, quispiam viatico sit donandus. Quod si non acciderit; haud tamen fiat ebrius; quia Dominus ministris suis interdixit ebrietatem.

30. Presbyter, nec sit mercator, nec mercatura cupidus; nec omisso Theologiæ studio, se ad mundanas conferat sermocinationes; nec arma ferat, nec (confidens sit) vel lites agat; nec in œnopoliis bibat, more secularium. Juramentum etiam ne jurato. Semper autem, & simpliciter verum dicat, absque mendacio, ut servi Dei docuerunt.

31. Distinctè etiam peccatoribus instituet pœnitentiam: unicuique scilicet, juxta meriti sui rationem: sicuti probabiliùs eam assequatur. Infirmis & ægrotis, cœnam Domini ministrabit; dum tamen valeant hanc deglutire, semimortuo autem non porriget; quia Christus dicit: Homo manducat hoc Sacramentum.

XXII. Oleum sacrum habeat Sacerdos.

32. Habebit etiam Presbyter consecratum oleum duplex: hoc infantibus, id ægrotis paratum. & ægrotos semper unget jacentes. Quidam verò ægroti hoc nihili pendunt, & in ægritudine suâ, se non concedunt ungi. Dicam quid de iis docuit Iacobus Domini Apostolus: qui credentibus ait: Tristatur aliquis vestrum? oret æquo animo, & psallat. Infirmatur quis ex vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini. & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini. Hæc locutus est Iacobus de ungendis ægrotis.

Ungendi ægroti prævia Confessione.

Ægrotus autem priusquam inungatur, confitebitur ab intimo corde, si quid peccati commiserit, pro quo dignam non contulerit satisfactionem: sicut Apostolus hic jam suprà eum monuit: & nemo eum præsumat ungere: nisi exoratus, post peractam confessionem. Si antea peccator fuit, & negligens; faciat jam deminuis confessionem, pœnitentiam, & eleemosynam, ante obitum suum; ut inferno non adjudicetur: sed divinâ gaudeat misericordiâ.

XXIII. Quatuor Synodi. Nicæna. Constantinopolitana. Ephesina. Chalcedonensis.

33. Quatuor erant Synodi, pro vera Fidei defensione, contra hæreticos, blasphemias eructantes; in sanctam Trinitatem, & Salvatoris nostri humanam naturam. Prima Nicææ, ut hic antea memoravimus. Post eam altera Constantinopoli, è centum quinquaginta Episcopis, sanctis Dei servis. Tertia Ephesi fuit è ducentis Episcopis. Quarta verò Chalcedone, ubi multa aderant Episcoporum centuria. & hi omnes unanimi assensu omnia confirmarunt, quæ in Nicænâ statuebantur Synodo: & in quibus violata fuit & ea omnia refecere. Quatuor istæ Synodi, adeò observandæ sunt à Christi Ecclesiâ, ut quatuor Christi codices. Multæ ex eo tempore fuerunt Synodi: sed hæ quatuor erant firmissimæ. Extinxerunt enim istæ hæreticas illas doctrinas, quas adversus Deum, hæreticè posuerunt hæretici: & construxerunt pariter Ecclesiasticum ministerium.

Observandæ, ut quatuor Evangelia.

34. *Quâ igitur audaciâ (ô Sacerdotes) istorum omnium despexeritis constitutiones? Monachi enim, unius hominis constitutiones tenent; sancti videlicet Benedicti; & secundum regulam ejus vivunt. Quam si violaverint, corrigunt statim, omni cum humilitate, juxta Abbatis eorum sententiam. Vos etiam habetis regulam; si vel eam legere volueritis; videretis quid sit vobis constitutum. Vos autem mundanis delectamini collocutionibus; Vicecomites fieri, Præpositi, seu Ballivi: neglectâ interea Ecclesiâ vestrâ, & hîs unà constitutionibus.*

35. *Volumus, ut Constitutiones perhibent, vos vosmetipsos, prout Christianos decet, citius expedire, Ecclesiæq; vestræ sedulò indulgere. In Ecclesiâ, ne vel fabulari liceat, aut loqui: orationis enim domus est, & Deo consecrata, in sermonis spiritualis exercitationem. Nec in eâ quispiam bibat, aut indebitè edat: cùm sit illis sanctificata, qui ibidem Corpus Domini* IN FIDE MANDUCAVERINT. *Hæc quamvis turpia faciunt homines bacchantes sæpè, & usque ad insaniam bibentes, in domo Dei, contumeliosè etiam, & turpiter ludentes: qui & fœdis sermonibus, ipsam hanc domum contaminantes. Satius eis foret, in lectis suis acquiescere, quàm Deum istiusmodi irritare.....* Hactenus Alfrici Canones

XXIV. Cum tomo superiori, de nostri Augustini Apostolatu disserem, hujus ultimi Canonis partem delibavi; ut Parkeri firmarem sententiam, dicentis; nuper inventas *Saxonum leges, & prædicationes*, & ad refellendum Pontificios, in aliam notiorem linguam translatas. Ex illis, sic translatis, colligit argumenta contra Augustini doctrinam, contra Transubstantiationis mysterium, contra denique Dominici corporis, in Sacramento, veritatem: nimirum Christum, non aliter in Eucharistiâ, quàm *in Fide*, sumendum. Et ecce, qui Alfrici Canones transtulit: eodem impetu geniôque fertur: & vellet Lectori persuadere; Saxones eo modo de Venerabili Sacramento locutos; quem nuper Calvinus, aut Zuinglius, docuerunt: hoc est: Crede quod habes, & habes. non. Christi verbis Sacerdotis ore prolatis; sed fide sumentis Christi corpus stare, vel cadere. Cui somnio hic favet Alfricus, cùm dicit Ecclesiam illis sanctificatam, qui Christi corpus IN FIDE manducant. Sed bonâ Spelmanni veniâ, in utramque Fidem, divinam & humanam, peccat ejus translatio: & non Alfricus, sed Spelmannus vult Sacramentum *in Fide* manducari. Alfridus Saxonice dixit: Christi corpus, *mid geleafan*: hoc est, *cum Fide*, manducandum. & quis nescit, orthodoxos, in omni sumente, fidem requirere: & Eucharistiam dici *Mysterium fidei*. Adde primitivæ Ecclesiæ morem, qui expressum fidei actum, dum Sacramentum sumebatur, postulabat. tunc enim porrigenti Sacerdoti, ac dicenti: *Corpus Domini*; sumens respondebat Amen. hoc est, *verè*: vel teste S. Ambrosio, *Verum.* quâ voce, veritatem Corporis Christi, fidémque suam, egregiè testabatur. Non potuit Spelmannus ignorare *Mid* Saxonicè, non per *In*, sed per *cum*, efferendum: nam superiùs in primi Canonis translatione, quod ipso latinè reddidit, de Christo loquens: omnes qui in via suâ *secum* ambulaverint: Id *secum* Alfricus *Mid-him* dixerat. Et iterum, quod Jacobus Apostolus habet Ungentes cum oleo, Alfricus reddidit, *Smyrion mid ele.*

v. an. 597, n. 32.

Ambros. de Sacrament. l. 4. c. 4.

XXV. Itaque omnes hi Canones, quos Novatores ipsi referunt, orthodoxi sunt; ubique orthodoxæ fidei dogmata, ritus, sacra explicant: & quod ad Christi Corporis, in Eucharistiâ, veritatem attinet; singuli ferè apices illam significant. Ideò Ecclesiæ sanctificantur; ideò Sacerdos Christi puritatem, ac castitatem imitari docetur: ideò varii in Ecclesiâ ministrorum ordines, sacrificio famulantes. Ideò in templis decor & ornatus, in sacris vestibus elegantia, in sacris vasis munditia: quæ omnia non solùm Christi Corporis veritatem; sed ejus etiam majestatem, & hujus sæculi fidem, multò eloquentiùs, quàm verborum argumenta significant. Et Novatores admodum hallucinati sunt, cùm errorum suorum patrocinium aliquod, ab Alfrico, sperantes; eum ad se trahere iniquis artibus laborant; qui si loqui permittatur, ut sentit; nihil a Romanæ Ecclesiæ sensu alienum, nullam novi erroris umbram, habet. Sed ubique est orthodoxus. Nunc tempus est designandi illi successorem. nam Cantuariensis Ecclesia, non debet diu vacare, quæ prima princepsque Ecclesiarum, est hujus Insulæ.

XXVI. Alfrici successor, Elphegus est, Wintoniensis Episcopus, vir eâ Sede, & prærogativâ, dignissimus: cujus exordia & sanctitatem, quia superius [m] retuli: hîc tantùm, de ejus translatione, & Romanâ profectione, quæ huic anno propria, agendum. nec multâ opus industriâ: quia Baronius, ex Authoribus nostris, id omne collegit, quod ad institutum nostrum pertinet; sic enim scribit ad hunc annum: *Eodem anno sanctus Elphegus translatus in Cantuariensem Ecclesiam, ex Wintoniensi, Romam se contulit ad Ioannem Papam, ab eo pallium accepturus. Hæc Osbertus in vitâ ipsius. & Guilielmus Malmesburiensis. Quæ autem ei in itinere contigerint, quibus ejus sanctitas est declarata, ab eodem Osberto sic accipe. Anno autem Domini millesimo sexto, ab adventu Anglorum in Britanniam quingentesimo septuagesimo octavo, anno suæ ætatis quinquagesimo secundo, Elphegus Archiepiscopus Cantuariensis effectus est. Cumq; iter versus Romam, pro pallio habendo arriperet: & quoddam oppidum, hospitandi gratiâ, intraret: oppidani hominem extraneum incognitum videntes, & avaritiæ suæ consulentes, in domum irrumpunt; res ejus diripiunt, cúmque omni supellectile privatum, verbis & verberibus exire compellunt. At ille injurias suas leniter ferens, suorum verò mediocriter dolens; viâ quâ venit regreditur. Necdum ab oppido longè recesserat: & ecce horrendæ voces mœnia corripiunt; quæ civibus & ædificiis celerem minantur ruinam. Nec mora vorax flamma oppidum consumere cœpit. Cumq; ignis vehementer excresceret; nec evadendi spes aliqua superesset; virum sanctum adeunt, fatentur delictum, veniam petunt. Mox sanctus ille compatiens, preces ad Dominum fudit; & ignis molestia protinus extincta cessavit. Restitutis ergo Episcopo rebus suis; acceptóque à Papa pallio, domum prosperè regreditur, hucusque Osbertus,* & Baronius.

ELPHEGUS CANTUARIAM TRANSFERTUR.

[m] an. 98 ... 1.

Baron. hoc an. n. 3.

ROMAM PRO PALLIO PROFICISCITUR.

XXVII. Sed priusquam Elphegus Româ discederet; vidit successoris sui, in Wintoniensi Sede, infelicem exitum; mirabiliter, inquam, vidit, ingemuit, & palam fecit. Kenulphus is erat, Petroburgensis Abbas; qui monachi vestem fœdavit, cùm vacantem Wintoniensem Ecclesiam turpiter nundinatus, brevi Ecclesiam illam, & vitam exuit. Indignus enimverò, qui Sedem, quam

KENULPHUS WINTONIENSIS EPISCOPUS.

Malmesb. de Pont. lib. 2. fol. 245.

Elphegi duo, & Ethelwoldus, sanctissimi Præsules, nuper occupaverant, diutius occuparet. De eo hæc habet Malmesburiensis. *Wentanum Episcopatum Kenulphus Burgensis Abbas, nummis nundinatus fuerat. Sed non diu sacrilego ausu lætatus: ante duos annos, hominem exuit* & pauló infra: *Elphegus Romæ cùm esset, excessum successoris sui, nemine, ut aliàs dictum est, afferente, vidit, & enuntiavit.* Ita ibi, qui libro de Pontificibus, de Elphego dixerat. *Ejus vitam scripsit Osbernus, plenam virtutibus, & miraculis. Illo præcipue, quòd Romæ positus, obitum Kenulfi., qui ei in Wintoniâ successerat, perspicuâ veritate suis nuntiavit.* nimirum post sesquiannum ab ingressu futurum. de quo nos anno sequenti. Interim, quid Ethelredus Rex in Angliâ gesserit Annalibus dignum, videamus.

XXVIII. Ethelredi Regis pietas.

Ille tot castigationibus eruditus; cùm Danos indies fortiores cerneret Insulæ imminere: cœpit cælum suspirando, animæ consulere: & ad cæleste regnum; quia aliud diu tenere non poterat; religiosiùs anhelare. Eâ mente, pietatis opera amplexus, sanctum Albanum Britanniæ Proto-Martyrem coluit, & seu datis de novo, seu restitutis prædiis, Ecclesiam ejus devotè ornavit. scripsitque Regiam chartam, quæ sequitur.

Ethelredi Charta pro S. Albano.

Cum nos, in extremâ penè hujus vitæ margine, cernamus sistere, & ultimus quæque senescentis mundi pericula, indesinenter luere; admonemur, per hoc, patenter parvipendere fugitivam, atque caducam hujus temporis pompam; & ad immarcessibilem æternæ beatitudinis, per bonorum operum exhibitionem, tendere palmam: & quicquid utilitatis, nostris fuerit, Dei mirificâ allubescente clementiâ, statutum temporibus; hoc apicum notis inserere chartis: ne hoc ipsum (quod absit) à subsequentibus, causâ ignorantiæ, annullari ullo modo queat; & in nostra tunc mercos minoretur. Quapropter Ego Ethelredus, sceptriverâ ditione Anglis, cæterisque, sistentium in circuitu gentibus, voce, habitu, morumque varietate distantibus, Rex subtronizatus; ob meæ remedium animulæ, & ob stabilimentum regni, cælitus mihi concessi. Atque etiam ob maximæ pecuniæ pretium, mihimet pro hoc ipso collato; condono ad sanct., & eximii hujus patriæ Proto-Martyris Albani cœnobium, quandam juris mei portiunculam; Casatas equidem senas, binis locis semotas. Unam scilicet, ubi ab incolis usitato nomine dicitur Fleamstede: & quinque, ubi noto vocitamine, ob olim castellum jam pene dirutum, Ansonicâ linguâ, dicebatur Verulamium: quod nos vulgariter dicimus Wetlingaceaster. Ubi & ipse sanctissimus Christi agonista, varia pro Fide Christi pertulit tormentorum cruciamenta. Hoc sagaciter meo revolvens animo: justius fore multo, locum in quo passus est, suo æternaliter mancipari cœnobio almifico; quàm diutius fisco regali, vel cuilibet terreno audacter subjacere negotio.

XXIX. *Decens est enim, ut locum, quem suo sacratissimo agonizans pro Christo, aspersit & sacravit cruore, ad ipsum perpetualiter revertatur locum: ubi & ipse martyrio expleto, capite truncato, bravium cæleste, & immarcessibilis vitæ meruit coronam. Hoc nempè dapsilitatis emolumentum liberis sub æternali libertate, liberum concedo: sicut abavus prædecessor meus, Offa scilicet Rex inclytus, omnia quæ ipse, ad ipsum cœnobium contulit, libertate ditavit. Eadem, inquam, libertate, non solùm hanc possessiunculam liberam libens statuo; sed etiam quicquid à meipso, vel à qualibet personâ majori, sive minori, ab heri, & nudiustertius, & exin, usque ad terminum istius transitorii regni, vitæque labantis extrema, datum fuerit, ad supradicti Martyris tumbam: sub hac libertatis & renovationis chartulâ, æternali libertate permaneat liberum. Et ne fortè quis præsentium, vel magis futurorum ambigeret qua sit illa libertas, qua ipsum cœnobium Rex benevolus Offa ditavit: & egomet nunc confirmando renovavi: dicam planè. Quia omnimodis cuncta illius monasterii possessio, nullis est obnoxia fiscis: scilicet, nec expeditionis, nec pontis, & arcis ædificamine; nec juris Regalis fragmine, nec furis apprehensione: & ut omnia simul comprehendam: nihil debet exolvi, vel Regis præposito, vel Episcopi, vel Ducis, vel ullius hominis. Sed omne debitum exolvant jugiter, qui in ipsâ possessione fuerint, ad prædicti Martyris mausolæum: secundum quod ordinaverit Abbas, qui ipsi præfuerit cœnobio.*

XXX. *Notum etiam vobis cupio fore, quantulum pretium pro hoc ipso Abbas ipsius cœnobii, nomine Leofricus, mihimet contulit: quando illud grave vectigal Danis exolvebamus. Præstitit nempe mihi ducentas libras auri & argenti, ex appensione Danorum: & pro fœnore ipsius pretii, accepit à me villam, quæ dicitur Eadulfinctun, quinquaginta quinque mansas habens, & has etiam sex mansas. Et nunc gratanter ipse mihimet, mente benevolâ, reddit prædictas quinquaginta quinque mansas: & contentus est in ipsis sex mansis, pro ducentis libris. Ideoque hanc libertatis & renovationis schedulam facilius adeptus est. Permaneat itaque prædicta possessio, cum omnibus utensilibus, ad se ritè pertinentibus, sub prædicta libertatis Chirographo, voti compos. Et quisquis hoc nostræ liberalitatis donum augmentare, mente maluerit jocundâ, sentiet se donis, per hoc locupletari divinis. Si autem, quod absit, usquam quis barbarico actactus instinctu; mente hoc subdolâ machinatus fuerit adnullare; vel quidpiam in pejus, quam constituimus, transvertere: suâ pro audaciâ, à cœtu in hac vitâ anathematizetur fidelium: & in tremendo Dei examine, astantibus cælorum agminibus, hominumque turmis: nec non horrendis Erebi vernulis, palam cunctis damnetur, cum hædis; averni cruciamenta, sine fine, luiturus; ni ante obitum, condigne emendaverit. His metis prædicta tellus circumgiratur. Scripta est autem hujus libertatis Chartula, decursis annis ab Incarnatione Christi nongentis nonaginta, novennis terque, deinis incursu millenario equidem sexto. His testibus faventibus; quorum dignitates hic, cum onomate, contemplari valebis.*

XXXI. *† Ego Ethelredus, Regiâ insulâ comptus, propria munificentia donum stabiliter confirmo.*

† Ego Wulfstanus, Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiæ, confirmo.

† Ego Ethelstanus, Clito.

† Ego Ecbryrht, Clito.

† Ego Eadmundus, Clito.

† Ego Eadward, clito.

† Ego Eadred, clito.

† Ego Eadwig, clito.

† Ego Eadgar, clito.

† Ego Elfheh, Episcopus.

† Ego Ordberht, Episcopus.

† Ego Athulf, Episcopus.

† Ego Ethelsie, Episcopus.

† Ego Lning, Episcopus.

† Ego alfwold, Episcopus.

† Ego Elfhelm, Episcopus.

† Ego

† *Ego Elfric, Abbas.*
† *Ego Wulgar, Abbas.*
† *Ego Lrewulf, Abbas.*
† *Ego Elfric, Abbas.*
† *Ego Leofric, Abbas.*
† *Ego Eadnow, Abbas.*
† *Ego Elfword, Abbas.*
† *Ego Elfric Comes.* *Sequuntur plura Comitum, & ministrorum Regiorum nomina, quæ omitto.*

XXXII. Ita Regiam Chartam descriptam reperio in *Auctario Additamentorum*, apud Matthæum Parisiensem. ubi annus sextus post millesimum obscurè satis ponitur. Et fortè illius anni initio data est, cum mortuo Cantuariensi Alfrico, Elphegus Wintoniensis, qui primus post regiam prolem, Episcopus subscripsit, necdum esset ad Cantuariensem Ecclesiam electus. Et tunc in aliis Episcoporum nominibus vix erit difficultas, si Savilliani Fasti paululùm corrigantur. Juxta quos, Ælmarus, Australium Saxonum Episcopus ad Selesciensem Ecclesiam consecratus ponitur anno millesimo tertio, qui melius scriberetur hoc anno sedem illam intrasse, quia Ordbertus ad anni principium subscripsit. Athulfus, Herefordensis, & ad finem superioris sæculi, in Fastis ponitur, & etiamnum sedet. Ethelsio Schirburnensi Episcopo successorem Fasti dederunt, anno nongentesimo nonagesimo octavo; quos tamen sequi noo sum ausus; quia hoc anno Diploma supradictum confirmavit. nunc ergo primùm, eo mortuo, Brithwinus Ecclesiam illam administrat. Luing, qui in Episcoporum serie sequitur, Wellensem sedem ingressus est: Alfwinu mortuo; quem anno nongentesimo nonagesimo septimo, Ecclesiæ illi præfecimus. Successor ejus communiter ab authoribus, Livingus appellatur; qui post paucos annos, ad Cantuariensem sedem transferetur. De Alfwoldo dubitari potest, an secundus fuerit, eo nomine, Cridiensis Episcopus, an verò tertius. Nam duo successivè Sedem illam tenuerunt. Sed quia secundi ingressum consignavi ad annum nongentesimum octogesimum septimum; ob Ethelredi chartam, quam tunc firmavit: liceat mihi conjectare, eum obiisse; & alterum ei cognominem successisse. Conjecturæ argumentum non aliud esto, quàm quod ibi Alfwoldus ante Ordbertum subscripserit: hic verò posterius. Restat Elfhelmus Dorcacestrensis, quem Fasti ante duos annos mortuum supponunt, & successorem ejus nominarunt. Eadnothum: quem ante hunc annum sedisse arbitror: & nunc per me licet, agat Episcopum. Nec abeo hic multum à mente Fastorum; qui Ædnothi, Livingi, Alfwoldi ingressus non presè annum definiunt, sed tantum per tria elementa, *c. h. t.* quæ, opinor, ita redduntur: *circa hoc tempus*, vel circa hæc tempora, unde cum duorum aut trium annorum differentia, stare possunt non incommodè. & certè in minorum gentium Episcopis, nihil aliquando dici potest constantius. Possumus tamen, è Regum chartis, aliisque publicæ Fidei instrumentis colligere: quousque subscribentes Episcopi, hoc est, ad quotum Christi annum vixerint: & inde eorum exitum; ingressum tamen, non ita rectè conjicimus; quia sæpè post dati Diplomatis annum, imò post annos plures, Episcoporum nomina apponuntur.

Parisien. in Auctar. Addit. fol. 241.

MORITUR ORDBERTUS SALESEIEN. ET SUCCEDIT ELMARUS.

MORITUR ETHALSI SCHIRB. SUCCEDIT BRITHWINUS.

MORITUR ALFWOLDUS II. CRIDIEN. SUCCEDIT ALTER ALFWOLDUS III.

ELFHELMUS DORCACEST. MORITUR: SUCCEDIT ÆDNOTHUS.

ANNUS CHRISTI 1007.

JOANNIS XIX. PAPÆ 5.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 29.

I. QUI sequitur Christi Domini annus, septimus supra millesimum; Danum initio hostem; inde, pudendo fœdere, amicum habuit, ditavitque; ut licentius postea (quod eventus docuit) in Anglorum jugulos ferociret. Ethelredus togâ, quàm sago felicior, cum cerneret Danum, qui vicinas Insulas occuparat, non aliis armis, quam pecuniâ vinci posse. Cumque quotidiè ad prædam descenderet, provincialibus formidandus, pacis consilia libens amplectitur. Si id optimorum virorum industriâ; & pacis sequestro perfectum foret, qui pacem revera, aut patriam, amasset: opportuna forsan pacis mentio, deploratis rebus fuisset. Sed cum Deus castigare provincias decrevit; sinit Regem, ab iis duci, & seduci; qui publica regni negotia, privatis rebus studiisque substernunt. Eadricus Mercius, linguâ, quam manu, promptior, inter Regis intimos censebatur: qui licet superiori anno Ethelstanum Ducem perfidè per alium obtruncasset, & Ethelredi iram meruisset; insinuaverat se tamen in Regis amicitiam; eúmque, à bello satis aversum, ad pacis consilia, hoc anno, inter primos inclinat; *Itaque Rex Anglorum Æthelredus* (ita scribit Wigorniensis) *cum consilio primatum suorum, nuntios ad Danos legans, eis nuntiare mandavit: quòd sumptus, & tributum, eo tenore, illis dare vellet; ut à rapinis desisterent, & pacem cum eo firmam tenerent. Cujus postulationi consenserunt: & ex eo tempore, de totâ Angliâ sumptus illi dabatur, & tributum, quod erat triginta sex millia librarum, persolvebatur.*

ETHELREDUS CUM DANO PACISCITUR.

Wigorn. hic

II. Pudenda pax, quæ tantâ pecuniâ, tanto civium sudore, & tot lacrymis emitur: Sed multò pudentior; quia, eo sequestro, empta est, qui perditam Remp. non salvam esse cupiebat. Eadricus à Rege eligitur princeps legationis; & illi, paciscendi cum Dano, provincia demandatur: homo versipellis, qui nullo sanguinis, aut nobilitatis titulo clarus, in Regis amicitiam irrepens, honorem authoritatémque sibi conciliaverat: quâ nunquam in patriæ commodum, sed semper in rem suam usus, & abusus est. Is ita cum Dano egit; ut sibi soli, non Regi, non Reip. consuluerit: nam omnem Insulam, ut mox dicetur, Danis, hac legatione, aliisque, vendidisse putatur. Eum tamen Rex, hoc anno, quasi re benè gestâ, Merciorum Ducem creavit. Sed qualem virum? dicat hoc Wigorniensis, *Quo etiam anno (1007.) Edricum; hominem humili quidem genere; sed cui lingua divitias, & nobilitatem comparaverat; callentem ingenio, suavem eloquio: & qui omnes id temporis mortales, tum invidiâ, atque perfidiâ, tum superbiâ & crudelitate superavit, Merciorum constituit Ducem.* Ethelredus cum Ducis titulo, & Merciorum provinciâ; donavit etiam eidem filiam, quam è primâ conjuge susceperat, Edgitham nomine. Quis noo putaret, hominem, tot donis auctum, donanti, & socero suo, grati animi argumenta profusurum. Sed humi natus, sic sublime positus, & honoribus ebrius, nullo pede constare potuit. nunc Ethelredo adblandiens,

EDRICUS AD DANOS LEGATUS MITTITUR.

CREATUR MERCIORUM DUX.

Wigorn. sup.

ETHELREDI FILIAM DUCIT.

nunc

nunc cum Dano secretò communicans: ubique perfidus; utrorumque consilia, quæ curiosiùs exploraverat, suæ cupiditati ambitionique substernens, adeò; ut ejus unius culpâ, perversóque studio, Anglorum monarchia periisse videatur. Nam *Dominus miscuit in medio ejus, spiritum vertiginis: & errare fecit Ægyptum, in omni opere suo; sicut errat ebrius & vomens. Hinc nihil mirum si stulti facti sunt Principes Taneos, emarcuerunt Principes Memphesos, & deceperunt Ægyptum angulum populorum.*

Isaia 19. v. 14.

III. ETHELREDI IGNAVIA.

Et certè *onus Ægypti* in Angliam cecidit: nam sequitur: *In die illa erit Ægyptus quasi mulieres; & stupebunt, & timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebat super eam.* Hunc stuporem in Ethelberto Rege, non malè expressit Malmesburiensis, causamque ejus: *Rex interea strenuus, inquit, & pulchrè ad dormiendum factus; tanta negotia postponens, oscitabatur: & si quando resipuerat; ut vel cubito se attolleret; confestim, vel gravante desidia, vel adversante fortunâ, in miseriam recidebat. Exagitabant illum umbra fraterna, diras exigentes inferias. Quis possit enumerare, quoties exercitum congregarit? quoties naves fabricari jusserit? quoties Duces undecumque evocaverit: & nihil bonum unquam processerit?* Deinde aperit author malorum omnium fundamentum: quod quamvis ex optimatum consilio Ethelredus omnia ageret: illud tamen ipsum, discordibus sententiis actum: & quidquid inter eos scitum, decretumque: id omne Dano, per secreta nuntia, intimatum: Edrico imprimis consilia revelante. Sed dicat id author, qui supra. *Duces,* inquit, *si quando ad consilium convenissent; pars hoc, pars illud elegerunt: vix, aut nunquam, in bonam sententiam convenerunt. Magis enim de simultatibus domesticis; quàm de publicis necessitatibus consultabant. Iam verò, si quid urgente periculo, utile & arcanum decrevissent: statim ad Danos, per proditores deferebatur. Nam præter Elfricum, Elferus qui superiorem Regem occiderat, successorem; erat in talibus improbè idoneus, Edricus; quem Rex Merciorum Comitatui præfecerat, fax hominum, & dedecus Anglorum: flagitiosus belluo, versutus nebulo: cui non nobilitas opes pepererat; sed lingua & audacia comparaverat. Hic dissimulare cautus, fingere paratus, consilia Regis, ut fidelis venabatur, ut proditor disseminabat. Sæpe ad hostes missus pacis mediator, pugnam accendit. Cujus perfidia, tum crebrò hujus Regis tempore, tum vel maximè sequentis apparuit.* Hactenus ille.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 10 fol. 63.

Idem suprà

EDRICI IMPROBITAS.

IV. MORITUR KENULFUS WINTONIEN. EPS.

Moritur hoc anno Wintoniensis Episcopus, Elphegi sancti non sanctus successor, Kenulfus; qui simoniacè Sedem nundinatus, non diutius meruit sedere. Ejus futuram mortem, Elphegus Romæ præviderat, & prædixerat, ut supra*: quod præsagium nunc impletum. Et, eo amoto, Ethelwoldus successit, juxta Malmesburiensem, Wigorniensem, & Fastos, ad hunc annum. Unde nescio cur Godwinus in Catalogo, Brithwoldum nominet Kenulfi successorem: & de eo narret id omne, quod de Brithwoldo Wiltunensi retulit ad annum Domini nongentesimum nonagesimum sextum. Sed postea tamen sententiam retractare videtur, cùm ait: *Nonnulla Malmesburiensis exemplaria, hæc tradunt de Brithwoldo, non Wintonia, sed Wiltonia Episcopo, qui vixit ad annum millesimum quadragesimum quartum. Et sane qui temporum rationem spectaverit: de illo probabilius hæc dici existimabit, quam de hoc nostro, qui anno millesimo decimo quinto diem clausit extremum.* Ita ille; sed rectiùs, opinor, fecisset, si Brithwoldum suum, quem Kenulfo successorem facit, Ethelwoldum appellasset.

v. an. 1006 n. 27.

ETHELWOLDUS SUCCEDIT.

v. an. 996. 9

Godwin. in Winton.

Sub eundem annum, Lichfeldensis Episcopus moritur, Godwinus nomine, qui ab anno nongentesimo nonagesimo sexto sedisse putatur: & nunc Leovegaro Sedem resignat; quem alii passim Leofgarum vocant: nec aliud de eo referunt quàm quòd Godwinum in Lichfeldensi Sede exceperit. quod Fasti conjectant hoc anno factum.

V. GODWINUS LICHFELDEN. MORITUR: SUCCEDIT LEOFGARUS.

ANNUS CHRISTI 1008.

JOANNIS XIX. PAPÆ 6.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 30.

I. CLASSEM PARAT ETHELBERTUS.

NON potuit, sub ignavo Principe, diu stare Respublica tam infidis Ducibus, & tam variâ Procerum factione, lacera. Multis ergò opus adminiculis, ut vel paululum subsistat. Ita anno Domini millesimo octavo decretum est, communibus regni impensis, parari classem, quæ Danorum cupiditatem frenet: nunquam alias, nisi penitus exhausto ærario, nudatisque civibus, quieturam.* Taxati in hanc rem omnes, quotum intererat: jussúmque, ut qui plura in bonis numeraret; plus etiam opis, operisque ad communem hostem propulsandum adferret. Quotam assignant hoc loco passim Authores, eam quam refert Huntindonius: *Anno octavo* (post millesimum) *qui est annus trigesimus regni prædicti Regis* (Ethelredi) *fecit Rex parari per totam Angliam, ex trecentis decem hidis, navem unam: & ex octo hidis loricam, & galeam. Hida autem Anglicè vocatur, terra unius aratri cultura sufficiens, per annum.* Ita ille. Alii non hidam, sed cassatam vocant, eodem sensu. sic Wigorniensis, & Hovedenus: *Anno,* inquiunt, *millesimo octavo, Rex Anglorum Egelredus, de trecentis & decem cassatis, unam triremem; de novem verò loricam, & cassidem fieri, & per totam Angliam naves intentè præcepit fabricari. Quibus paratis, electos in eis milites, cum alimentis posuit: & ut ab exterorum irruptionibus, fines regni sui defenderent, illas ad Sandwicum portum congregavit.*

TRIBUTO IMPOSITO.

Huntind. fol. 360.

HIDA QUID?

CASSATA TERRÆ.

Hoved. hic & Wigorn.

II. ELPHEGUS, CANTUARIEN. SYNODUM HABERI POSTULAT.

Sed quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam: censuit Elphegus Cantuariensis Antistes, sanctiorem Rempublicam; quam Danorum insolentia æquè vexaverat; componendam prius muniendamque esse. Quamobrem generalem ordinum conventum indici postulat; ubi prius Ecclesiasticorum mores, ad sanctè vivendi normam, & sacrum Canonum observantiam, tralierentur. Tum verò de navibus fabricandis, tuendóque cive, decerni posse. futurum hac ratione, ut Deus Ecclesiæ precibus, Sanctorúmque suffragiis concederet felicem rebus aliis, quem hactenus negaverat, exitum. Annuit Ethelredus, & Senatum vocat in villam Regiam, Oxoniensis provinciæ, quam suprà * Einshamum appellavi. Eò undique convocatum, tam frequenti Senatu, ut illum Spelmannus generale Concilium inscripserit, hunc in modum: *Concilium*

v. an. 1005. n. 2.

EINSHAMUM ORDINES VOCANTUR.

apud Spelm. fol. 510. *Æenhamense, Generale, seu Pan-Anglicum, hortatu Ælfeagi Dorobernensis, & Wulstani Eboracensis Archipræsulum; ab Æthelredo Rege edictum, accersitisque Episcopis, & universis Anglorum Optimatibus, in die Pentecostes, celebratum: scilicet inter annos Domini millesimum sextum, id est, Regis Æthelredi vigesimum octavum (quo Ælfeagus à Wintonia ad Dorobernum translatus est) & millesimum decimum tertium, (hoc est Æthelredi trigesimum quintum) quo truncato a Danis nefandissimè Ælfeago, Livingus successit in Dorobernensi Archiepiscopatu.* Ita ille. Conventum inscribit & tempus colligit, quo indictus est. Cæterùm licet indefinitè videatur annum exprimere: refert tamen ad annum millesimum nonum, more suo, medium tenens incerti temporis.

Tempus indictæ Synodi. Ego verò, quoniam post tractatam rem Ecclesiasticam, de navali expeditione, & bellico apparatu, actum decretumque esse video; hunc annum millesimum octavum; quo juxta Authores omnes, classis fabricata est; conventui assigno. Nec enim soliti Reges, tantum onus, sine ordinum consensu, civibus imponere.

III. Duo Canonum exemplaria. Porro quod ad Synodum attinet, & latos ibi Canones, ac decreta; è duplici exemplari, Spelmannus ea retulit. uno Saxonicè scripto, quod primo recitat, additque è suo Latinam versionem; quia quod Latinè manuscriptum est, à Saxonico non semel discrepat. Ego misso Saxonico, Latinum exhibeo; quod ille *Exemplar vetus* appellat: & benè observat, hujus Concilii Canones, Canutum Regem in suas Leges postea transcripsisse: de quo Malmesburiensis:

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 11. fol. 73. *Omnes Leges, ab antiquis Regibus, & maxime ab Antecessore suo Ethelredo latas, sub interminatione Regia mulcta, perpetuis temporibus Canutus observari præcepit: in quarum custodiam, etiam nunc, tempore bonorum, sub nomine Regis Edoardi juratur: non quod ille statuerit, sed quod observaverit.*

v. an. 1066. n. 25. Ita ille. Unde Ethelredi statuta, ab Elphego, & Wulstano hic decreta, posteriorum legum prototypon fuerunt: quæ licet communiter à sancto Rege, & Confessore, Edoardo nominentur, originem tamen à sancto Episcopo, & Martyre Elphego, trahunt. Sic autem in Latino veteri exemplari referuntur.

INCIPIUNT SYNODALIA, DECRETA

IV. Einshamensis Synodi statuta. apud Spelm. fol. 525. *Quondam tempore contigit, ut Regis Æthelredi edicto concrepante, Archipræsulumque Aelfeabi, & Wulfstani hortatu instigante, universi Anglorum Optimates, die sancto Pentecostes, ad locum ab indigenis Eanbam nominatum, acciti sunt convenire. Collecto itaque ibidem Christicolarum cætu venerabilium quamplurimorum: de catholico cultu religionis recuperando: déque etiam rei statu publicæ reparando, vel consulendo; plura, & non pauca, utpote divinitus inspirati, ratiocinando sermocinabantur. Denique in eorundem Synodalis exordio sermocinationis; Episcopi semetipsos primitus, Fidei, Speique, & Charitatis, quatuorque principalium virtutum Prudentiæ videlicet, & Iustitiæ, Fortitudinis quoque, & Temperantiæ decore, adornari, mutuis colloquiorum instructionibus salubrium invicem cohortabantur. Statueruntque pro invicem quotidianam interventionem, atque pactum pacis, & concordiæ fideliter firmiterque inter se confirmabant.*

Caput 1. *Omnem quoque populum monebant; unum Regem, sub unius cultu Religionis Christianæ; superstitionis ritu fanatica omnimodo abjecto; & timere, & diligere. Deinde uniuscujusque ordinis, vel sexus, vel ætatis catervam accitam assistentemque; ut juxta legis sanctiones Catholicæ, suam sobriè, justè, ac pudicè, in hoc sæculo, vitam instituerent: suggestionibus multimodis, secundùm Apostoli monita beati, arguebant, obsecrabant, increpabant. Ibi ergò Episcopi, ut erga creditam sibi salutem plebis (paganorum incursionibus, vel irruptionibus, cæterisque calamitatum ærumnis, pluriformium opprimentibus; à religionis tramite recto, anfractibus errabundis exorbitantis) pervigiles existerent: eique vitæ pabula, vel alimenta, quibus ad fidei cultum Catholicæ recrearentur, solicitè instanterque ministrarent; monitu cogebantur intentis. memores enim fore Prophetæ monebantur dicentis: Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* V. Regem unum & unam Fidem colendam.

Cap. 2. *Abbatibus námque, nec non Abbatissis, maximis ibidem prædicabatur obsecrationibus, ut vitæ propria legis frena regularis imponerent; collaque jugo Christi levissimo, omnimodis infatigabiliter, humiliterque supponerent: & sedula instantia sagaci, citatique studio intensissimè monita sibimet subjectis salutaria: actuumque exemplaria bonorum nomina, * majorum officiis æquantes, vel implentes, studiosissimè impendere procurassent: eosdemque à sancta tramite religionis, vel ab almi normâ Patris Benedicti, per anfractus obliquos, dextrorsum, vel sinistrorsum, nequaquam deviare permitterent.* Cœnobitæ regulam S. m. vel S. Benedicti teneant. * locus corruptus forte majorum.

Cap. 3. *Archi-pontifices etiam, unà cum cæterorum consensu Pontificum, Orthodoxorumque jam tunc præsentium; salubre hoc, piumque, cælitus afflati elegerunt, tradiderúntque consilium: ut si quispiam monachorum, vel quæpiam monialium, ex cujuspiam monasterio Abbatis, vel Abbatissæ; ipsius videlicet, vel antecessorum ejus temporibus regiminis, ritu apostatico, per proprium arbitrium, egressi; vel proprio reatu delinquii expulsi, alicubi reperti fuerint; in monasterium iterum revertantur: & absque ullâ contradictione suscipiantur. Caveant etenim Abbates necnon & Abbatissæ; ne illud Propheticum de illis dicatur. Quod infirmum fuit, non consolidastis; & quod ægrotum non sanastis.* VI. Monachi vagi redeant ad monasteria.

Cap. 4. *Reversi ergo monachi, vel moniales, observantiæ regulari humiliter subjaceant; negligentiasque priores nimium pæniteant: & à cunctis amodo vanitatibus desistant. Vota enim, vel promissa, quæ Deo voverunt, mente solicitâ revolvant; factisque eadem persolvere studeant.* Et regulariter vivant. *Si autem cujuspiam monachorum monasterium; quod se per promissionis votum, perque habitus susceptionem spiritualis, Domino obtulit omnipotenti; velut plerumque, mutatâ temporum vicissitudine, contingere solet; cum Canonicis, vel cum Sanctimonialibus constitutum sit. Isque, tam aliunde Ecclesia, vel Monasteriolo, in Christi famulatu deditus fuerit: idem ipse Pontificem; ad cujus diœcesim eadem Ecclesia, vel Monasteriolum, cui præest, pertinet; promptissimè adeat: triáque hæc se semper servaturum, data dextrâ, devoveat: castitatem videlicet, habitumque monachicum, & perpetuam in Christi servitute perseverantiam. Quod si hæc persolverit, dignior habeatur.* Tria voveant. *Canonici namque, in suis se monasteriis ita observent: ut in continentiâ purâ, & castitate magnâ, Domino regulariter deserviant: horis competentibus officium divinum, in Ecclesiis pariter concelebrent: etsi eo loci, substantia abundantia victualis* Canonici, qua lege monasteria retineant.

non defuerit, in suis per dies singulos prandeant Refectoriis. Noctibus quoque singulis, ut eis regula monstrat authoritas, in dormitoriis requiescant. Quod si hæc observare neglexerint: vel regulariter emendentur; vel de monasteriis ejiciantur, & Dei hereditate careant.

VII. Sacerdotum continentia.

Cap. 5 *Sacerdotes itaque, sive presbyteros summoperè obsecramus, ut castè & continenter Domino jugiter servientes; à connubiis se fœmineis omnino abstineant. Sicq Domini iram devitent. Si enim Domino taliter servire voluerint, Domini cunctipotentis misericordiam, hic, & in futuro, consequantur perpetuam. Insuper, & nobilium honore personarum, & in vitâ præsenti, & post vitæ terminum, digni habeantur. Quod si hæc observare noluerint; omni honore penitus priventur.*

Fœminæ non uxores hac lege arcentur.

Quod de *connubiis fœmineis*, hîc præcipitur; nihil differt à sensu aliorum Canonum, quos supra, inter Saxonum leges, adduximus. tantùm enim fœminarum consortia Sacerdotibus inhibentur: Ut post Nicænæ Synodi decreta, tam orientalis, quàm occidentalis Ecclesia sanctissimè observavit. Nihil ergò de Sacerdotum matrimoniis hic statuitur; ut patet è Saxonico exemplari, si rectè transferatur. Spelmannus ita reddidit. *Certius enim norint, quod non habeant debitè, ob aliquam coitus causam, uxoris consortium.* Benè dixit *consortium*; non connubium. Sed ambidexter posuit vocem *uxoris*: qui multò, ad legislatoris mentem, conformius, fœminam vocavisset. Cum enim ipse, eodem loco, in margine fateatur, Saxonicum *Wyfe*, æquè fœminam, ac uxorem, significare. Ibi sine dubio, multò integriùs, *fœminam* reddidisset. nam sequitur in Saxonico: *In more tamen est, ut quidam duas, quidam plures habeat: & nonnullus, quamvis eam dimiserit, quam nuper habuit; aliam tamen, ipsâ vivente, accipit; quod nulla Christianorum lege est permissum.* Quod idem omnino est, cum eo, quod Northumbrensium presbyterorum lege nuper * cautum est: *Si presbyter concubinam suam dimiserit, & aliam acceperit, Anathema sit.* fœminarum ergò & concubinarum consortia, sacris hominibus interdicta sunt, nulla propriè de uxoribus mentio.

apud Spelm. fol. 514.

* v. an. 978. n. 10

VIII. Vox Saxonica Wyfe quid significet?

Dixi propriè; quia si in Saxonicâ dialecto ludere volumus; fateor interdum, fœminas, quæ Sacerdotibus inhibentur, per Wyfe efferri: quod hodie uxorem sonat; sed antiquum loquendi usum si spectes (& spectare omnino debet, qui aut historiam, aut controversa tractat) *Wyfe* promiscuè fœminam, & uxorem significat, ut supra Spelmannus admarginat. Secundùm ergò subjectam capacémque materiam; *Wyfe*, nunc per fœminam, nunc per uxorem, reddi debet. Cum ergò, omni ævo, sacris hominibus, nuptiæ, matrimonium, imò quarumlibet fœminarum commercia, fuerint interdicta: Impropriè admodum ambigua, & indifferens vox, per id redditur; quod minus intenditur. imò quod nullo modo potest intendi. Si enim uxorum pluralitas, laico semper fuit interdicta: Quis dicet Angliæ Sacerdotes, id præsumpsisse: quod nè laici quidem ausi fuissent. Iterum si de verâ, propriâ, legitimâ uxore sermo est, illa Saxonicè non Wyfe, sed Æwe dicebatur. Hoc me docuit Saxonicarum legum interpres, non antiquæ, sed novæ fidei homo: & ideò illi in propositâ quæstione credendum. supra *, inter Canones, ab Edgaro Rege latos, unum protuli, numero octavum, ubi dicitur: Sacerdos habeat Ecclesiam, *pro legitimâ conjuge*: Saxonicè, riht Æwe. & alibi, inter eosdem Canones, est Canon sexagesimus, ita constituens: *Decemus etiam, ut nullus Sacerdos, MULIERUM consortium plus æquo diligat: sed propriam suam uxorem diligito, id est Ecclesiam.* E quâ periodo, quid Wife, quid Æwe, differant, planè evincitur. nam Saxonicè sic habetur: nullus Sacerdos, *Wyfe* consortium, plus æquo diligat: sed propriam suam *Æwe* diligito, id est Ecclesiam. Si utrobique interpres, *legitimam conjugem*, & *propriam uxorem*, per *Ævve*, intellexit: quam, aliam ab Ecclesiâ, Sacerdos nunquam habuit: Cur quæso Novatores, Sacerdotum concubinas, quæ propriè in aliis legibus supra *, *cuenan* appellantur, atque meretrices; uxorum nomine dealbarunt: & inde, facto gradu, conjugatos, & uxoratos Sacerdotes; imò piè in conjugio viventes, tam inverecundè pronuntiant. Nam demus aliquando secundariam uxorem, hoc est, legitimæ uxori, illegitimè superinductam, *Wyfe* appellari, Saxonum dialecto: Saxonum tamen Ecclesia, latâ lege dixit, solvi, non fieri conjugium: Nam Canon decimus octavus: ubi modus imponendi pœnitentiam præscribitur; Edgari tempore latus, apud Spelmannum, ita loquitur: *Quisquis uxorem suam repudiat, & aliam ducit, conjugium solvit.* Saxonicè: Quisquis suam *Ævve* repudiat, & aliam *Wyfe* ducit; *Ew* frangit. Quo posito; Sacerdos, si relictâ Ecclesiâ, propriâ suâ, & legitimâ conjuge, *Wyfe* duxerit: cum matrimonium violet, nullo modo dici potest, conjugatus esse, nedum piè in matrimonio vivere. Quod tamen Parkerus, ad nauseam repetit: adeo uxoris mentio, quinti Evangelii professoribus, & quintæ conjugationi Clericorum, suavis est, ac jucunda. Quia verò, in Edgari legibus versor, non abs re erit Lectorem advertere, semper ibi *Fœminam*, & *Mulierem* per *Wyfe* efferri. Nam cap. 27. ubi dicitur: *Si fœmina religiosum ordinem susceperit*, &c. Saxonicum habet: *Si Wyf-man ordinem susceperit.* Unde datur intelligi, *Wyf-man*, & *Woman* synonyma esse. quod è Lambardo, legum Saxonicarum interprete, confirmatur, qui *teneræ ætatis virginem*, *reddidit*: ubi lex Wyfman habet. Vide Aluredi leges. l. 25. vide Lambar. fol. 35. Sed quid moror in re apertâ: cum nuper Seldenus doctè probet. Vocem *Wyfe*, sexum tantùm, non conjugium innuere: & vario exemplo, è Saxonum libris confirmat. nam ubi in Evangelio legitur: *Benedicta tu mulieribus*; Saxonicè habetur: *Thou art gheblessed on vvysu, & betvvixt vvysum*: & pro illo: Lucæ 11. v. 27. *Extollens vocem quadam mulier dixit ei*: Sum wife him to cwedh. Et: *Erat enim mulier gentilis*: That wife wæs hædhon. *Venit mulier de Samaria*: An wife of Samaria; qualia occurrunt sexcenta, inquit Seldenus lib. 5. de jure Gentium, cap. 7. Quibus adde Bedam, Saxonicè ab Alfredo Rege redditum: ubi l. 1. c. 8. cum Latina habeant: *Constantinum filium Constantii ex concubinâ Helenâ*: pro *concubinâ*, *vvife* legimus. Eodem modo Saxonicus interpres, Paulum Orosium, de concubinâ loquentem, l. 7. c. 25. reddidit. Unde manifestè constat turpiter lapsos esse eos omnes, qui Saxonum Ecclesiam, & sacrum presbyterorum ordinem, uxorum mentione devirginant: cum meretrices solùm, à sacrorum

v. an. 967. 9

v. an. 967. n. 17.

* v. an. 978. n. 10.

apud Spelm. fol. 463.

hominum amplexibus, arcebantur. Redeo nunc ad Elphegi & Episcoporum Canones: ubi Orthodoxæ Fidei professio, quæ in omni Synodo imprimis spectabatur, eleganter exponitur.

IX. Fides orthodoxa explicatur.

Cap. 6. *Posthac igitur Archi-pontifices prædicti, convocatâ plebis multitudine collectâ, Regis edicto suprascripti; omniúmque consensu Catholicorum; omnibus communiter prædicabant, unum Deum colendum esse debere: Patrem, videlicet, & Filium, & Spiritum Sanctum. Patrem siquidem, ingenitum; Filium autem, ante tempora genitum à Patre, in tempore natum è matre: Spiritum verò Sanctum, ab utroque procedentem. Trinitatem siquidem in personis, Unitatem in substantiâ, Deitate coæqualem; honore & gloria coæternam. Unum, inquiunt, Deum, unamque Spem, & unam Fidem, atque unum Baptisma, nos colere oportet & omnes paganas superstitiones contemnere. Incantatores autem, magos, pythonicos, & veneficos, necne idolorum cultores, acriter oportet constringere; vel etiam è patriâ ejicere. Decreta namque, vel statuta, vel scita legalia, æqua & justa semper teneantur. injusta autem, legíque contraria, penitus exterminentur, & ab omnibus eliminentur. Iura quoque statuta civilia æquissima, nulli abstrahantur personæ, nobili, neque ignobili.*

Cap. 7. *Fides firma, Charitas non ficta, amicitia vera, & non falsa, inter singulos teneantur.*

Christianus non vendendus extra patriam.

Cap. 8. *Nemo etiam pro pecunia commutatione alienjus, quempiam Christianum insontem, ex patriâ ejiciat: sed nec paganorum dominio subdat. Nefas igitur est, ut quos Christus Sanguinis sui effusione redemit, Iudæorum, vel Gentilium vinculis sint irretiti.*

X. Non facilè morte puniendi.

Cap. 9. *Delinquentes etiam pro delictis modicis, morti minimè tradantur: sed pie cautéque puniantur: ne fortè punitionis severitate, judicis iram districti provocent punientes. Dominus enim dicit: Nolite condemnare, &c. Et item: In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Et Apostolus dicit: Castigate, & non mortificate. plasmati namque, Domini plasmantis, quod proprio Sanguine redemit, semper ubique parcatur.*

Connubia illicita.

Cap. 10. *Connubia illicita cunctis generaliter interdicimus Christianis: sed leges Divinæ, cum Dei timore, ubique astringantur. nemo igitur illicitis conjunctionibus se inquinet; id est, cum cognatis; vel cum conjugatis; vel cum Deo sacratis, seu cum aliis illicitis personis.*

Ecclesiæ libertas.

Cap. 11. *Ecclesiæ itaque per loca singula ædificatæ, in Domini subsidio cunctipotentis nec non & Regis terreni, cunctæq; plebis Catholicæ tuitione, semper persistant: nec quispiam, pro quopiam commercio, jugo servitii suam subjugans Ecclesiam, venditor efficiatur Ecclesiarum: sed in Christi servitute levissima liberè semper permaneant. Neque Sacerdotes, vel ministri, Deo ibidem fideliter servientes; absque Pontificis consilio inde expellantur. Nec Ecclesiæ, antiquitus constitutæ, decimis, vel aliis possessionibus priventur; ita ut novis oratoriis tribuantur.*

Decimæ reddãtur antiquis Ecclesiis.

XI. Decimæ reddendæ & quando, & quales?

Cap. 12. *Decimationes frugum, & vitulorum, & agnorum, nec non & aratrales eleemosynæ, Ecclesiasticáq; munera; Domino, per singulos annos temporibus rependantur congruis. Eleemosyna videlicet aratrales, quindecim diebus, post Pascha peractis. Vituli quoque, & agniculi decimales, erga Pentecostem. Frugum verò terræ decimationes, circa omnium festivitatem Sanctorum, Ecclesiis persolvantur opportunis.*

Denarius S. Petri.

Cap. 13. *Pecunia quoque Romana, erga Beatorum solennitatem Apostolorum Petri & Pauli, Pontificibus per singulos annos reddatur. Ecclesiastica verò munera, in Beati festivitate Martini; per singulos annos Ecclesiis donentur, competentibus. Lumina etiam cereorum, ter in annis singulis reddantur, augeantur, reparentur. Munera nec non defunctorum animabus congruentia, puteo impendantur aperto.* Obscurius hoc dictum de *puteo aperto*, clariùs è Saxonico redditur. Semper enim pecuniæ, & eleemosynæ, in animarum suffragia erogari solita erant; quibus preces, & Missarum sacrificia, offerebantur pro defunctis. Hæc munera, interdum tardiùs, & serò dabantur; quæ hoc capite præcipiuntur dari, priusquam defuncti corpus terræ mandatur. & *puteo*, hoc est, sepulchro adhuc patente. ne forte memoria horum munerum, cum defuncto sepelitur: quod defunctorum animabus incommodum foret. Hinc è Saxonico exemplari, sic transfertur: *Æquissimum est, ut animæ symbolum, quam pecuniam sepulchralem nunc vocant, semper dependatur, cum sepulchrum sit effossum.*

Pecuniæ in animarum auxilium erogatæ.

XII. Jejunia & Festa servanda.

Cap. 14. *Jejunia Quadragesimalia, & cætera, à Sanctis Patribus indicta, Sanctorúmque festivitates à Catholicis instituta; summoperè observentur.*

Cap. 15. *Dominica solennia diei, cum summo honore, magnoperè celebranda sunt: nec quicquam in eadem operis agatur servilis: negotia quoque secularia, quæstionésque publicæ, in eadem deponantur die.*

Festa B. MARIÆ jejunantur.

Genitricis namq; Domini nostri, almæ videlicet Mariæ festa solennia primò cum jejunio: & postea cum suavisonâ melodiarum cantilenâ, honorificè ab omnibus solenniter celebrentur.

Festa Apostolorum.

Festa quoque Apostolorum cunctorum, similiter cum jejuniis, concentibúsque spiritualibus, summoperè colenda sunt.

Jejunia 4. temporu.

Cap. 16. *Jejunia verò Quatuor temporum, nos observare oportet; ut sanctus Gregorius nobis constituit, quamvis aliæ gentes aliter exercuerunt.*

Ex F[illegible] sextæ.

Cap. 17. *Sextæ etenim jejunia feriæ, ab omnibus magnoperè per singulas hebdomadas exercenda sunt: si tamen in eadem die festivitas non evenerit.*

Ordalium in [illegible] & [illegible] prohibetur.

Cap. 18. *Iudicium quippe, quod Anglicè Ordal dicitur; & juramenta vulgaria; festivis temporibus, & legitimis jejuniis; sed & ab adventu Domini, usque post octavas Epiphaniæ: & à Septuagesima usque quindecim dies post Pascha, minimè exerceantur. Sed sit his temporibus summa pax, & concordia inter Christianos, sicut fieri oportet.*

XIII. Viduæ per [illegible] num innubæ.

Cap. 19. *Viduæ singulæ, in subsidio Dominico, inque Regis, cunctæq; plebis munitione, Catholicæ semper consistant. Perque menses duodecim, in continentia perseverent. Quibus peractis, libero utantur arbitrio, vel nubendi, vel in continentia permanendi.*

Confessio & Communio creberrima.

Cap. 20. *Christiani quique, colloquia frequentia, & salubria cum Sacerdotibus crebro exerceant. Suaq; sibi peccata inverecunde depromant ac confiteantur. Confessáque juxta Sacerdotis institutionem pœniteant, atque emendent. Séque per continentiam, & per reliqua operum studia bonorum, ita purificent: ut Corporis, & Sanguinis participatione creberrime digni, & mundi efficiantur.* Hic Saxonicum exemplar; licet frequentem sacri Corporis communionem insinuet: tria tamen tempora maximè necessaria præscribit: his verbis: *Reverenter etiam præparatus, quisque adeat sacram Eucharistiam; quando ei ad arbitrium videbitur maxime necessarium; saltem ter quotannis.* Intelligit opinor, Nascentis,

& Resur-

& Resurgentis Christi, & Pentecostis solemnia; quæ aliquando universos Christi fideles ad sacræ Eucharistiæ sumptionem obligabant.

Votorum observatio.

Cap. 21. *Verba & facta unusquisque justè disponat: juramenta, & vota fideliter compleat.*

Multa mala prohibentur.

Cap. 22. *Nequitia namque cunctigena, à cunctis Christianis penitus ejiciantur: ira videlicet, rixa, dissensiones, blasphemia, adulteria, homicidia, furta, rapinæ, necromantiæ, avaritia, fornicationes, perjuria, sacrilegia, sortilegia, ebrietates, comessationes, idololatria, falsa testimonia, fraudes subdolæ, maleficia, veneficia, pondera dolosa, mensura iniqua, statera fraudulenta; cæteraq; pestes quæ ad interitum hominem pertrahunt. Si enim istas mortiferas pestes, à nobis avellere voluerimus; Omnipotens & Misericors Dominus nobis nostræq; genti procul dubio miserebitur.*

Fraus itaque monetariorum funditus absistat: exq; purâ, & simplici materia, pecunia cudatur. Furta autem, & latrocinia omnia, radicitus absistant; vel ea perpetrantes multimodis pœnis puniantur.

Arcium muri, urbes, oppida, castella, civitates, pontes, reparentur, restaurentur, renoventur: vallis & fossis muniantur, & circumvallentur.

XIV. Navalis expeditio.

Cap. 23. *Naves, per singulos annos, ob patriæ defensionem, & munitionem præparentur: postq; sacrosanctum Pascha, tunc cunctis utensilibus competentibus, simul congregentur. Quæ igitur etiam pœnâ digni sunt, qui navium detrimentum, in aliquibus persolvunt, notum cunctis esse cupimus. Quicunque aliquam ex navibus, per quampiam inertiam, vel per incuriam, vel negligentiam, corruperit: & tamen recuperabilis sit: in navis corruptelam, vel fracturam ejusdem persolidam prius recuperet: Regiq; deinde ea quæ pro ejusdem munitionis fractura, sibimet pertinent, ritè persolvat.*

Cap. 24. *Si autem de expeditione; id est, de præcinctu, cui ipse Rex intererit, sine licentiâ quisquam discesserit: rerum facultatumq; cunctarum discrimen incurrat.*

Cap. 25. *Si etiam quisquam de excommunicatis; nisi causa refugii, in Regis præsumpserit præsentiâ, ante pœnitentiæ satisfactionem peractam consistere; facultatum proscriptione damnetur.*

Cap. 26. *Si quis dæmoniaco instinctu, Regem circumvenire molitur; illum dignum morte judicamus: nisi fortè maximo juramento, vel ferventi ferro, excusetur.*

Cap. 27. *Et si quis Legi Dei manifestè resistit, vel contradicit; reddat quod debet Legis desertor. Et si in contrarium rebellare armis nititur; & sic occiditur; jaceat semper absque redditione.*

Nonna Deo dicata, non violanda.

Cap. 28. *Nullus itaque Christianus, Nonnam Deo dicatam, violet: nemo viduam vi opprimat, sine periculo substantiæ suæ.*

XV. Conclusio.

In his itaque, & in cunctis, iniqua omnia, & injusta; quæ Rex N. una cum optimatibus exterminare decreverat, vel mandaverat; semper, & ubique penitus abjiciantur, eliminentur, omnimodisq; excludantur: justitiaq; & veritas semper servetur; sicque pax summa, frugumq; fertilitas, omniumq; copia bonorum, in patriâ abundabit; Domino patrocinium præstante, qui vivit, &c.

Hæc itaque legalia statuta, vel decreta, in nostro conventu Synodali, à Rege N. magnopere edicta, cuncti tunc temporis optimates, se observaturos fideliter spondebant. idcircoq; Ego N. gratia Domini disponente, Eboracensium archiepiscopus; eadem ad sequentium memoriam; nec non ad præsentium, vel futurorum salutem; literis infixi, Domini videlicet, proximique dilectione compunctus. Hucusque Ænhamensis Concilii Canones: seu capita. in quibus, quia pleraque Ecclesiam spectant, non malè Synodalia decreta appellantur. Potest etiam Regium Concilium dici hæc Synodus; quia alteri etiam Reip. consultum; Arcium munitione, navium ædificio, monetæ cusione, denique apparatu bellico. Unde ad hunc annum, quo juxta Authores omnes, classis instrui præcipitur, convocatos Proceres puto.

XVI. Aliæ Ethelredi Leges. *apud Spelm. fol. 532.* Concilium Woodstochiæ; Item Wanetingiæ.

Fuerunt & aliæ, ab Ethelredo latæ leges, vario tempore. nam Jornalensis Codex, apud Spelmannum, quatuor legum partes refert; quatuor editas temporibus; & diversis totidem Conciliis. primam Wodstochiæ in provinciâ Merciorum, ad pacem promuvendam: Lambardus illam recenset in Archæonomiâ, paucis tantùm capitibus comprehensam: quæ quia nihil ad Ecclesiam facit, omitto. Alteram Wanetingiæ, in occidentali Saxoniâ; ad felicitatis, ut ibidem dicitur incrementum. Fortè illa est, quæ ita inscribitur apud Lambardum: *Consultum, quod Angliæ sapientes, & VValliæ consiliarii, de monticolis fecerunt.* Ubi de jure Anglis, & Wallis æqualiter dividendo, potissimùm tractatur: atque ita concluditur: *Sane quidem Demetia monticolis paruit aliquando: videtur tamen potiùs ad occiduos Saxones pertinere. Eò etenim censum, pacisq; obsides mittant, oportet.* Quia igitur latæ leges, in Occidente, dicuntur; intelligi puto illud Senatusconsultum, quod de Walliæ monticolis inscribitur. Tertia legum pars, ab Ethelredo dictarum, ad fœderis confirmationem spectat; quam ille cum Anlafo sancivit, anno nongentesimo nonagesimo quarto: & illam supra retuli.

Et ad Andoveram.

apud Spelm. suprà. Et Habam.

Quarta denique apud Habam dictatur; in qua *post lugubria rerum discrimina; divinam Rex misericordiam appellat, fletu, oratione, jejunio, confessione, resipiscentia; crebris eleemosynis, & operibus pietatis, in Ecclesiam Christi atque pauperes erogatis.* inquit Spelmannus, de quâ legum parte dicam inferius *, quia spectat Ecclesiam.

v. an 1012 n. 19.

XVII. Navalis apparatus quare necessarius.

Erat hoc anno necessaria classis ad regni defensionem: & ideò in Concilio decreta: nam plurimæ, quas priorum industria instruxerat; vario infortunio perierant. Enimverò Wulnothus, in Australibus homo potens; quem Rex Ethelredus proscripserat; fugam cum viginti navibus dudum inierat, & vastabat maritima. Quem Brithricus, Edrici, Merciorum Ducis, frater; dum assumptis octoginta triremibus persequitur; non aliter eum, quàm navium jacturâ, assequutus est. nam vi tempestatis concussa classis; in terrámque projecta, in Wulnoti manus tota pervenit: & ille, quas prædæ inutiles vidit, subjecto igne consumpsit. *Eâ re cognitâ* (inquit Wigorniensis) *Rex cum Ducibus & Proceribus, domum redit: classis verò jussu illius, Lundoniam adiit. Sicq; totius populi maximus labor periit.* Nuper enim fabricatæ naves, collectáque undique pecunia ad classem instruendam, exhausta etiam in eam rem monasteria: nam Ingulfus refert, quod tertio Godrici Abbatis anno, qui est Christi millesimus octavus, Croylandia ad sumptus pro classe instruendâ condemnatur. *Tertio etiam anno*, inquit, *pro triremibus, per omnes portus fabricandis, & navali militia, cum victualibus, & aliis necessariis exhibenda, ducenta libra exacta sunt.* Ita ille.

Wigorn. hic.

Ingulf. f. 891.

ANNUS CHRISTI 1009.

SERGII IV. PAPÆ 1.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 31.

I. Moritur Joannes Papa: Succedit Sergius.

ANNO Christi millesimo nono, moritur Joannes Papa, dictus communiter decimus nonus; qui Christi tunicam inconsutilem cupiens; ubique schismati januam clausit: & orientis Ecclesiam, quæ dudum ab occidentis, recesserat; prudentissimè reduxit; fecitque ut unum esset ovile, & unus pastor. Illi mortuo, ad totius Ecclesiæ clavum successit Sergius, Albanensis Episcopus.

II. Turkildi Danus Angliam vexat. Cantuaria oppugnatur.

Fractus est Anglus superioris anni clade, jacturâque navium: & erectus Danus, ad novam spem, Insulâ potiundi. Unde turmatim, hoc anno, variâque classe, in provincias irrumpit. Principio Turkillus, vir illustris, cum validâ Danorum manu appulit: eum sequuti, cum aliâ classe, Hemmingus, & Ailafus, junctis viribus, in Tanatum Cantii Insulam descendunt. Tum è Rutupino litore, ubi naves dimiserant, in mediterranea progressi, Cantuariensem Urbem oppugnant: nec erant resistendo cives. Quamobrem pactis trium librarum millibus; exoraverunt hostem ut discederet. Qui pecuniâ, & commeatu onustus, repetiit classem; cursûmque inde ad Vectam Insulam flexit. Deinde in *Southsaxoniâ* (loquitur Wigorniensis) *& Suthamtunensi provinciâ, circa ripas maris, uti consueverant, frequenter prædam egerunt, & villas quamplures incenderunt.* Tunc enimverò Ethelredus Rex, veluti excitus è veterno, collectis ex omni Insulâ viribus; sui avertere à civium cervicibus communem hostem, aut cum laude mori, decrevit. Quod sanè perfecisset, sibique immortale nomen peperisset; nisi Edrici Ducis perfidia, habitam penè in manibus victoriam evertisset. Wigorniensis ita pergit narrare Regis industriam, & frustratam spem.

Wigorn. hic

III. Ethelredus Danis occurrit, sed proditur. *Wigorn. hic* Edricus perfidus

Quocirca Rex Ethelredus, de totâ Angliâ, exercitum congregavit: & per provincias, mari vicinas, adversus illorum irruptiones, locavit. Sed illi pro hoc non destiterunt; quin pro situ ubique locorum, rapinas agerent. Quadam igitur vice, dum illi solito longius, à mari prædatum discederent; & onerati prædâ, redirent viam, quâ ad naves suas reversuri erant, Rex præoccupavit, multis millibus armatorum instructus: & ut totus erat exercitus, mori, vel vincere paratus. At perfidus Dux Edricus Streona, gener ejus, (habuit enim in conjugio filiam ejus Eadgitham) & insidiis, & perplexis orationibus, nè prælium inirent; sed ea vice suos hostes abire permitterent, modis omnibus laboravit. Suasit & persuasit: & à manibus Anglorum Danos (ut patriæ proditor) eripuit, & abire permisit. Illi verò ab eis divertentes; magno cum gaudio, ad suas naves regressi sunt. Post hæc, evenit à sancti Martini festivitate, in Cantiam devecti; in Thamesi flumine, hiemalem stationem elegerunt: & sumptus de East-Saxoniâ, aliisq; provinciis, utrique ripa fluminis vicinis, sibi rapuerunt. Sæpè etiam civitatem Lundoniam aggressi expugnare moliti sunt: sed a civibus, non sine magno suorum detrimento, repulsi sunt. Hæc ille.

IV. Insulæ calamitas.

Nunquam magis Anglorum robur elanguit; quàm ubi præsentis anni calamitas innotuit: nam, quà Ducum perfidiâ, quà civium defectione: cum terrâ marique præconceptam victoriam amisissent: cum cælum, & oceanum suis votis irata, sensissent: inde diuturnum non fore Ethelredi imperium facilè conjectarunt. Unica ferè provinciarum spes, ac tutamen, in navibus erat; quas, hoc anno, ingenti sumptu, & collectâ ab Ecclesiis, & monasteriis, pecuniâ, instruxerat Ethelredus. Quæ cum procellarum vi, & inimicorum irâ, inutiles essent; nudum latus, litusque, ferocienti militi provinciæ omnes ostenderunt. Quod Malmesburiensis ita expressit: *Naves ad tutandam oram maritimam fabricatas, cum in anchoris constitissent; repentè coorta tempestas corripuit: & collisas inter se, disjectis armamentis, inutiles reddidit. Pauca de reliquiis multarum facta, impetu cujusdam Wlnodi, quem Rex exlegatum effecerat, submersa, vel incensa. spem totius Angliæ fefellerunt.* Dixi supra ad classem hanc instruendam, coacta esse monasteria: & ecce Ingulfus Croylandensis Abbas, de suo monasterio, & hujus anni calamitate sic conqueritur. *Quarto etiam anno* (Godrici Abbatis) *cum Turkillus, Danicus Comes, cum fortissimâ classe applicuisset; pro centum libris missum: & ad solutionem, per exactores crudelissimos, commissum est. Discurrentésque Dani tunc per provincias, omnia mobilia diripientes, immobilia cremantes, Draiton, Rotenham, & Hoketon, maneria Croylandiæ, cum totâ Comitatu Cantabrigiæ, direpta ignibus tradiderunt. Sed hæc nuntia sunt malorum. Quippe, cum quolibet anno sequenti, quater centum marcæ Regis exactionibus, & Ducum suorum sumptibus communiter solverentur.* Ita ille.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 10. fol. 63.

Ingul. f. 91

V. Moritur Brithwinus Schirb. Epi. *Godwin in Sarisb.* Succedit Elmerus

In hac hieme temporum, Brithwinus Schirburnensis Episcopus, cùm triennio Sedem occupasset, moritur. Quamvis enim Fasti, eum sedisse, ab anno nongentesimo nonagesimo octavo putent, quia tamen Ethelredi chartæ subscripsit anno sexto hujus sæculi, non possum cum illis sentire. Quicquid sit, hoc, & non aliud, de eo, refert Godwinus: *Brithwinus*, inquit, *sive Brithricus obiit, anno millesimo nono.* Eodem igitur anno Elmerus, sive Ælmarus ad eandem Ecclesiam consecratus est. qui, & ipse obscurè inter bellicos tumultus, vixit. nam vix aliud præter nudum nomen ad posteros transiit. Nec aliud passim Authores, quàm belli infortunia, & civium calamitates explicant. quibus ego non libenter immoror: cogor tamen; quia Deum, mutantem regna, & transferentem imperia; nunc Insulæ faventem, nunc iratum debeo venerari: & Regiam Fidem, utrobique illustrem ostendere.

ANNUS CHRISTI 1010.

SERGII IV. PAPÆ 2.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 32.

I. Dani iterum grassantur in Dobunis

SEQUITUR Christi annus millesimus decimus, quo Danus Insulæ gravissimè imminens; cum provincialium bona crudelissimè rapuisset, vitam etiam eisdem invidit, ipsum Anglorum nomen obliterare conatus. Enimvero necdum exeunte hieme, ipso Januario mense, stationem relinquens; Angliæ mediterranea ingreditur: & per

collina

OXONIUM INCENDŪT.

collina Catieuchlanorum, quæ nos hodie, & olim fere Saxones, Chilterne appellamus, pergentes; in Dobunorum provinciâ grassatur. ubi Oxoniensem urbem depopulantes, incendunt. Inde ad naves reversi; Deus bone! quot uno anno loca vastaverunt. Ego certè, si singula percurro manum æquè ac pedem fatigabo. Cæterùm quia surgentem Danorum fortunam expono; necessum est dicere, quibus gradibus, ad imperium surrexerint. Hoc enim primùm anno, ita pedem in Insulâ fixerunt; ut inde per plures annos; non solum sedem sibi, sed regnum etiam, suum fecerint. Breviter igitur, eorum hoc anno vestigia legens, quæ loca, quas provincias percurrendo, vastando, incendendo corruperint, breviter indicabo.

II. DANI INSULAM DIVISIM AGGRESSI

Danus ergo, qui adunatis navibus, latissimum Thamesis alveum impleverat; cum terrorem Anglis, & provinciis pluribus incussisset; distraxit vires, & divisit exercitum. Hi altius flumen ingressi, ad Stanam, oppidum in Trinobantibus, anchoras jacent. Inde in vicinos agros profecti, per Australes Saxones; ditissimam ad naves prædam advexerunt. Illi in Eastangliam navigantes; Suffolciensem provinciam, & Ipswicum, orbem nobilem, graviter premunt. Convenerunt eò, è vicinis regionibus, provincialium aliqui, Ulfketello Duce, parati Danum excipere. Nec ille, Anglorum ignaviam probè doctus, certamen abnuit. Quamobrem tertio nonas Maii, cum uterque exercitus egregiè concurrisset, fortissimè utrinque pugnatum est: donec Turketillo quodam, è Danis oriundo (cum Anglis tamen, in Danos pugnabat) fugam arripiente, Estangli terga verterunt. majorem paulò laudem Iceni meruerunt; qui venerunt è Cantabrigiensi agro: nam diu viriliter prœliantes, inimicum impetum fortissimè sustinuerunt. Sed & ipsi laudem, multis in prælio desideratis, cedere compulsi, victoriam hosti permiserunt. *In eo prælio*, inquit Wigorniensis, **gener Regis Æthelstanus, nobilis minister Oswinus, cum filio; Wulfricus, Leofwini filius, Eadwinus Alfrici germanus, & multi alii nobiles ministri; populusq; innumerabilis, corruerunt. Dani verò loco funeris dominati, East-angliam obtinuerunt. Et equites effecti, tribus mensibus, per totam provinciam discurrere, prædas agere, villas cremare, homines & animalia non cessabant trucidare. In paludibus etiam idem, per omnia, fecerunt. Exin Theotfordam, & Grantebrigge devastantes, cremarunt.*

Wigorn. hic.

* Sororium vocat Huntind. f. 361.

III. QUID PALUDUM NOMINE INTELLIGITUR.

Hæc author, de Danorum impetu, in Orientales Anglos, in Icenos, & paludes, facto. Cæterùm quid paludum nomine intelligat, est modò inquirendum; quia structæ ibi nobilissimæ Ecclesiæ, & Regum pietate aucta monasteria; avarum cupidumque hostem eò pellexerunt. Imprimis Girviorum Regionem intelligit: & eos, qui Cantabrigiensis agri palustres Insulas incolebant, quæ ita apud Camdenum describuntur: *Est immensæ magnitudinis palus, quæ à Granta fluminis ripis incipiens; nunc carectis, interdum nigris fusci vaporis laticibus, nec non insularum nemoribus interveniencibus, & flexuosis riparum anfractibus, ab austro, in Aquilonem mare tenus, longissimo tractu protenditur.* ut infra. Hanc regionem Huntindonius vocat *latissimam, & visu decoram*. Unde paludum nomine, non solum Eliensis Insula, & vicina illi monasteria, quæ supra * nominavimus, veniunt; sed alia etiam loca; quæ ab austrô in Aquilonem,

Camden. in Cantabrig.

Huntindon. apud Camd. suprà.

* v. an 969 n. 20. 21.

longissimo tractu protenduntur. Ita non solum Cantabrigiensem agrum, sed Huntindoniensem, Northamtonensem, & Lincolniensem provinciam, & loca ibi palustria, author intelligit. Quibus in locis, olim structa à Principibus viris, illustria cœnobia, suprà diximus: quæ quamvis ante plures annos, Danus destruxerat, & solo passim æquaverat: sequentes tamen Principes, Alfredus, Ethelstanus, Edoardus, & præcipuè Edgarus, nobilissimè erexerant, atque ditaverant. Ibi ergo iterum Danorum furor maximè efferbuit; ubi inermes viri, & imbellis sexus, aliam & sanctiorem militiam voverant. Porrò quæ fuerint in *illa palude* monasteria, quæ hoc anno injuriam passa, Danorum impetum tulerunt, ex Huntindonio colligitur ita scribente: *Est autem palus illa, de qua loquimur latissima, & visu decora, multis fluviis decurrentibus irrigata, multis lacubus magnis, & parvis, depicta; multis etiam silvis & insulis florida: intra quam, sunt Ecclesia Heliensis, Abbatia Ramesiensis, Abbatia Chateric, Abbatia Thorney, Abbatia Cruland: sed juxta eam sunt Abbatia Burgensis, Abbatia Spalding, Ecclesia S. Ivonis, super Usam fluvium Huntendoniæ, Ecclesia S. Ægidii super Grentam, fluvium Cantabrigiæ, Ecclesia S. Trinitatis in Tedfordia.* Ita author lib. quinto: qui sequenti, cum hunc Danorum incursum narrat, hæc habet de palude: *Daci victores, terram Estangle tribus mensibus; & etiam paludes, præcedenti libro descriptas, cum Ecclesiis, vel prædati sunt, vel combusserunt.*

Huntind. l. 5. f. 356.

MONASTERIA INTER PALUDES.

IV. CALAMITATIS EXPLICATIO

Hic igitur annus est Ecclesiæ luctuosus; cum tot Regum opes, tot annis congestæ, barbarorum libidini servièrunt. Tunc sacrarum Virginum ædes, ubi animæ saluti, corporisque puritati consulebant, destructæ. Tunc Dormundcaster, ubi Kineburga Regina sanctissimè vixerat, penitus deletum. de quo Camdenus: *Dormundcaster*, inquit, *in quo Kineburga illa Christianissima, Pendæ pagani Regis filia, & Alfredi Northanhumbrorum Regis, mutavit imperium in Christi ancillarum, & huic suo monasterio, tanquam mater sacrarum Virginum præfuit. quod postea circa annum salutis millesimum decimum, Danico furore, solo erat adæquatum.* Tunc etiam alia superiùs nominata monasteria, quotquot in palude erant, similem fortunam experta sunt. Tunc Croylandia, quam Danus anno octingentesimo septuagesimo crudeliter vexaverat, quam postea Turketulus Abbas, amplissimè restituerat; iterum barbarorum manum sensit. & licet aquis benè munita, hostem ab ingressu arcere potuerit; ita tamen vicina omnia direpta, vastata, incensa sunt; ut eorum infortunia in Croylandense monasterium reciderint. quod benè expressit Ingulphus, ubi & aliorum cœnobiorum calamitatem explicat: solum in tempore designando, non ipse quidem, qui accuratè scribit; sed amanuensis, vel hypotheta errasse videntur, cum annum 1018. pro 1010. consignant. Cæterùm patet evidenter, in priore numero vitium esse, cum Swanus, qui ibi dicitur turbarum princeps, diu ante illum annum obierit. Cum igitur Huntindonius suprà Croylandiam nominaverit, cum iis locis, quæ in palude sita, Danus hoc anno vexavit: cum Camdenus etiam eundem annum expresserit, vix est dubium, ea huc referenda, quæ Ingulphus in hunc modum refert:

v. an 696. n. 25.

Camden. in Huntin.

v. an. 870 6.

v. an. 948. 5.

V. DANORUM CRUDELITAS. *Ingul. f. 191.*

MONASTERIUM S. PAGÆ COMBURITUR.

Rex Swanus, veniens cum classe recenti, exercitu ferocissimo tunc omnia depopulatur. Irruens enim de Lindeseia, vicos cremat, rusticos eviscerat, religiosos omnes variis tormentis necat. Tunc Baston, & Langtofe flammis donat. It erat annus Domini 1018. (lege 1010.) *Tunc monasterium sancta Pega, omniaq; sua contigua maneria; scilicet Glinton, Northumburtham, Wakesey, Elton, Badington, & Bernake, omnia una vice combusta: tota familia casa, vel in captivitatem ducta. Abbas cum toto comitatu, nocte fugiens, & navigio in Croylandiam veniens, salvatus est. Similiter monasterium Burgi, villaq; vicina, ac maneria sua, Ege, Thorpe, Walton, Witheringtou, Paston, Dodisthorpe, & Castre, prius omnia direpta; postea flammis tradita sunt. Abbas, cum majore parte conventus sui, assumptis secum sacris reliquiis sanctarum Virginum, Kineburga, Kinesvvitha, ac * Tilba, Thorneiam abiit. Prior autem, cum nonnullis fratribus, assumpto secum brachio sancti Osvvaldi Regis, ad Insulam de Ely aufugit. Suppeior verò, cum Decem fratribus, ad Croylandiam venit feliciter. Illo anno, ex frequentibus pluviis inundationes excreverunt; & vicinas paludes, circumque jacentes mariscos immeabiles reddebant. Ideo totus mundus advenit, populus infinitus affluxit: chorus, & claustrum replebantur monachis; catera Ecclesia Sacerdotibus, & clericis. Abbatia tota laicis: cæmiterium, nocte, ac die, sub tentoriis, mulieribus & pueris. Fortiores quicumque inter eos, ac juvenes, in silvis, & alnetis, ora fluminum observabant. Erantq; tunc quotidie (ut catera onera taceantur) centum monachi in mensa.*

* Tibba. KINEBURGÆ RELIQUIÆ THORNEIAM TRANSFERUNTUR.

VI. CROYLANDIA MILLE MARCAS SWANO SOLVIT.

Super hac omnia, per nuntium, Rex Svvanus monasterio Croylandia mille marcas imposuit, & sub pœna combustionis totius monasterii, solutionem dicta pecunia, certo die apud Lincolni assignavit. Pergit Author narrare malorum cumulum; cum non Danus solum, sed Regis Ethelredi curiales, & ministri, bonis monasterii inhiaverint; & barbarè utrimque sævierint: Et quâ arte monachi, vexationem redimentes, monasterii prædia distraxerint. Quod quis alibi similiter factum, probabile est: inde Ecclesiasticorum bonorum, ad laicos, translatum dominium, nemo poterit deinceps admirari. Ideo quod à Godrico Croylandensi Abbate, cum Regiis ministris conventum, pactumque est; erit operæ pretium referre. Ingulphus id ita narrat: *Omnes seta tempora flebant: felices, qui quocumque modo in fata processerant. Abbas Godricus maxime, cui cura tanti populi incumbebat; & quem Rex Ethelredus cumulos argenti habere existimabat. Danicus verò Svvanus, suusque totus exercitus, et tanquam Domino de manibus eorum refugientium, juges insidias, & minas semper maximas, ingerebat. Demum expensis internis, exactionibus externis, totus thesaurus Domini Turketuli Abbatis distractus est: bocca amborum Egelricorum demolita sunt: cum adhuc Regis exactores, pro pecuniis quotidiè tremerent: & eum tanquam patria proditorem, & Danorum proviserem, Regi in proximo, cum digno compedibus, deducendum, & suppliciis tradendum, pro suis demeritis, affirmarent.*

Ingulf. supr.

CROYLANDIÆ PRÆDIA DISTRAHUNTUR.

VII. DEFENSOR MONASTERII ELIGITUR.

Perculsus ergo Venerabilis Pater, Abbas Godricus, dolore cordis intrinsecus, pro tot nimis terribilibus convocat totum suum conventum: & nuntians nummos monasterio deficere; orat, & exorat, quatenus doceant, & decernant in medio, quid contra nequam seculum magis expediat faciendum. Tandem longo tractatu placet hac sententia cunctis, aliquem mimstrocum, seu satellitum Edricii Ducis Merciorum conducere. & cum pecunia deficerent; terris & tenementis, ad terminum vita concedendis, in suum defensorem contra imminentia pericula obligare. Erat enim iste Edricus potentissimus post Regem in terrâ; & cum Rege Ethelredo, & cum Svvano Rege Danorum familiarissimus: & postea cum Cnuto filio suo. Conductus est ergo quidam maximus satellitum dicti Ducis Edrici, nomine Normannus: sanguine summè clarus, filius videlicet Comitis Lefvvini, & frater Leofrici nobilis Comitis Leicestria: dato sibi (prout postulabat) manerio de Badby ad terminum centum annorum. Ille dictum manerium acceptans, tenere de sancto Guthlaco, per firmam in grano piperis, per annum, in festo sancti Bartholomai, singulis annis persolvendo, fideliter promittebat. & se futurum procuratorem, ac protectorem monasterii, contra omnes adversarios, confecto inde chirographo. obligabat. Valuit istud monasterio, aliquanto tempore: scilicet omnibus diebus vita sua. Ita Ingulphus. qui narrat inde, post annos septem, Normanno occiso, Canutum prædium illud Leofrico, Normanni germano fratri concessisse: & demum, in Eveshamensis cœnobii jura transiisse, ut dicam infra *. nunc Danorû itinera prosequamur.

NORMANNUS FILIUS LEOFWINI.

COI BADBY CONCEDITUR PER ANNOS CENTUM.

* V. an. 1017. n. 5. 6

VIII.

In hac expeditione, Danus, opulentam Icenorum urbem, ad Theti fluminis ripam, Sitomagum vastat (ubi anno quarto hujus sæculi, Swanus cæde, & incendio pugnaverat) nunc verò, quicquid habebat dignitatis, penitus amisit. Studium etiam Cantabrigiense svacissimus miles pervasit, & inermes Musas, quibus Mars ipse pepercisset, captivas nunc, ambitioni barbarorum ancillari fecit: nec illæ, nisi longo post tempore, servitutem solverunt. De Danorum facinore ita loquitur Camdenus, cùm Cantabrigiam perlustrat. *Nec à Martis furore, quamvis Musis sacrata, omnino libera fuit. Cum enim Dani passim latrocinia agitarent; sæpius hic hibernarunt: & anno salutis decimo supra millesimum; cum Sueno Danus, omnia acerbissimo tyrannidis terrore oppremeret; nihil fama, & Musis donarunt. Quod tamen Sullam Athenis fecisse legimus: sed totam incendio misere deformarunt.* Nec aliud sanè, à milite, à barbaris, à vulgo, cum regnant, sperandum. Musæ enim cultos hominum mores, Ecclesiam, & sacra, castè custodiunt, doctè defendunt, & plebis inscitiam tundunt. Ideò si populo, vel paululum sceptrum porrigis; in Musas pugnat; vel illas plebiscito suo ancillas facit. Quod utinam Anglorum studia, nunquam, nisi Danorum tempore, sensissent. Sic enim, in omni re controversâ, docti disertè loqui, non plebs pro arbitrio garrire, sinerentur. Sic Ecclesia, ut olim florere; sacra tot sæculis sancita, in honore cultúque esse: & Fides denique, quæ majores nostros immortales fecit, pristinum suum locum obtineret.

CANTABRIGIA PATITUR.

Camden in Cantabrig.

MUSÆ A PLEBE MISERE TRACTANTUR.

IX. OXONIUM A DANIS VEXANTUR.

Non solùm Cantabrigiensi studio malus genius irascitur: sed eodem anno, in Dobunos pergens, Oxoniensem urbem, quam dudum Alfredus studiis dicaverat, importunus miles exagitat. Ibi, sub piis Principibus, res literaria, magnum cœperat incrementum, & feliciter regnabat: sed *felicitatem hanc paucis post annis* (ita Camdenus) *una & altera calamitas excepit. Dani enim, regnante Ethelredo, predatorio incendio eam involverunt: statimq; Haraldus Levipes, barbara immanitate, ita in eam sævit; ob quosdam e suis tumultu interfectos; ut tristissimum studiorum exilium subsequutum fuerit:*

Camd. in Oxon.

ET IACENT STUDIA.

& Academia luctuoso spectaculo, quasi intermortua, ad Gulielmi Normannici usque tempora jacuerit. Hanc Oxoniensis provinciæ cladem, & quid inde sequutum sit, sic breviter narrat Wigorniensis;

Wigorn. hoc.

Paucis diebus interjectis, Dani iterum deprædaturi exierunt; & recto tramite ad Oxenefordensem provinciam tetenderunt; eamq; primitus; deinde Buckingamensem, Bedefordensem, Heortfordensem provincias, villasq; cremando, homines, & animalia trucidando, depopulati sunt: & post ad naves suas, cum ingenti prædâ regressi sunt. Nec diu ibi quieverunt; nam ab Austro, in Septentrionem; ab Oriente, in Occidentem profecti; vix ullum Insulæ angulum intactum reliquerunt. Sic enim pergit idem author: *Post hæc, circa festivitatem sancti Andreæ Apostoli Northantuniam, & in circuitu ejus, quantum volebant, igni tradiderunt: & inde Thamesim fluvium transeuntes, West-Saxoniam adierunt; & * Kanningamersice, majorique parte Wiltunensis provinciæ crematâ, more solito, cum prædâ magnâ, ad suas naves, circa Nativitatem Domini reversi sunt.* Ita ille, quæ verba transcripsit Hovedenus: sed malè pro Wiltunensi provinciâ, Wintoniensem reposuit.

ALIÆ PROVINCIÆ INFESTANTUR.

Idem suprà.

*Loca limitanea, quæ Mercios ab Occidentalibus separant forte ubi Cunetio fluvius in Wiltonensi agro. Vide Camden.

X.

Sic habes Danicæ tempestatis annum luctuosum; quæ Januario mense orta, nonnisi ad finem anni denata est: cæli semper, & ubique nubilo. Inter tamen hæc nubila tempora, Christianæ fidei, illustrissimos radios passim emisit. Enimverò provinciales, non tam sibi, quàm Sanctorum reliquiis timentes, eas cum insigni fidei, & devotionis significatione, in tutiora loca transtulerunt, ut supra factum in Paludibus dixi. Sed & in Est Angliâ quoque, eadem pietas emicuit: cum ibi sancti Edmundi Regis, & Martyris corpus; quo pretiosius nihil habuit Oriens ille; Danorum furoribus ereptum, in tutissimam Insulæ arcem, Londinum, inquam, deferri curavit. factum id, cum nonaginta annos, ad Bedericiurbem, quam nunc ab Edmundo, Burgum appellamus, quievisset. Nunc autem revertentibus ad prædam Danis, & Est-Anglorum provinciam, ut supra depopulantibus: non Alwinus Helmhantensis Episcopus, ut Stous eum appellat: sed Alfhunus Londinensis, sacrum thesaurum in urbem suam evehendum edixit, hoc ipso anno decimo supra millesimum, ut Stous affirmat. Tunc iterum, incorrupti corporis integritas, stuporem, admirationémque spectantibus, & undique concurrentibus populis, præbuit: constabat enim adhuc sanctissimis membris suus vigor; & immundities esu tabes pepercerat sancto; ut Deus probaretur mirabilis, in Sanctis suis. Rem gestam, ab Hermanno quodam Archidiacono traditam, sic compendio recitat Harpesfeldus.

ORIENTALIUM PIETAS IN TRANSFERENDIS SANCTORUM RELIQUIIS.

V an. 920. n. 1. &c.

Stous in Ethelredo

EDMUNDI MARTYRIS CORPUS INCORRUPTUM.

XI.

Cum Danicæ illæ infestationes, Angliam graviter vastarent: & Turkillus ille Dux Estangliam immaniter depopularetur: pii quidam viri; veriti, ne sacro corpori (sancti Edmundi) *violentia aliqua barbarica inferretur; in alias illud oras; quo tutius esset; huc, illúcque transtulerunt. In quo itinere illud miri accidit; ut currus, qui sacrum illum thesaurum deferebat; pontem quendam, ipso curru longe angustiorem, sine noxâ & detrimento, cum maximo omnium præsentium stupore, pertransiret. In illo itinere, multi, beati Martyris ope; multos morbos, quibus periculose affligebantur, excussere. Sed nullibi frequentius, & admirabilius, quam Londini. ubi cum sacrum corpus, ab eâ portâ qua Ealsgate appellatur, ad Ecclesiam Divi Gregorii Papæ deveheretur; octodecim desideratam sanitatem recuperarunt.* Ita ille. Londinum ergo corpus delatum, cum Alfhunus ibi Ecclesiæ præesset: qui magnis votis Edmundum sanctum, in principe Urbis templo, Doctori gentium Paulo, consecrato, excipere cupiebat; sed Egelwinus monachus, custos depositi; qui adeo *sancto Martyri devotus erat, ut ejus secretalis cubicularius, meritò ab omnibus vocaretur* (inquit vitæ scriptor apud Capgravium) intercessit: qui merito verebatur; ne cum vellet; possessionis prærogativâ victus, amovere inde non posset: thesaurumque suum, in Principem ædem; vel Canonum jura, vel Regum & Episcoporum scita devolverent. Ideo in sancti Gregorii, communis Angliæ Apostoli, Ecclesiâ, Edmundi corpus depositum. ubi cum triennium quievisset: & dies, halcionarii serenitatem attulissent; Egelwinus monachus exulem sanctum, in patriam reduxit, ut dicam anno Christi millesimo decimo tertio, num. 8.

LONDINUM TRANSFERTUR.

Harpesfeld secul. 9. c. 8. fol. 167.

Capgrav. in Edmundo Martyr.

ANNUS CHRISTI 1011.

SERGII IV. PAPÆ 3.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 33.

I.

CUM Annum Christi millesimum undecimum Baronius, Annalium conditor, recenset, ita loquitur ad rem nostram. *Adsunt jam tempora illa infestissima, Ecclesiæ Anglicanæ, quæ prædicta fuere a sancto Dunstano. Etenim hoc anno Dani, qui anno superiori invaserunt Angliam; potiuntur Cantuariensi civitate; atque diram stragem, sævientes in Christianos, exercuerunt. Petamus ista à Rogerio* (Hovedenum intelligit) *fidelissimo antiquorum historicorum, qui in priori Annalium parte hæc habet. Eodem anno millesimo undecimo, Danorum exercitus, vastatâ magnâ parte Angliæ ad ultimum, inter Nativitatem sanctæ Mariæ, & sancti Michaelis festivitatem, urbem Cantuariam circumvallentes obsederunt. Vicesimo autem obsidionis die, per insidias Elmerici Archidiaconi, quem sanctus Elphegus, nè morti traderetur, prius eripuit; pars civitatis incenditur, exercitus ingreditur, urbs capitur. Alii ferro jugulantur; alii flammis consumuntur; plures quoque de muris præcipites dantur. nonnulli per verenda suspensi defecerunt: matronæ crinibus per plateas civitatis distractæ, demum flammis injectæ, moriuntur. Parvuli à matrum uberibus avulsi, aut lanceis excipiuntur; aut superacto carro minutatim conteruntur.* Hæc & plura, ex Autoribus nostris Baronius. quæ priusquam prosequor, aut latiùs explico: quid Ethelredus Rex, quid Proceres, quid misera plebs, ad hostis iram avertendam fecerint, attende.

Baron. hic n. 4.

CANTUARIENSEM URBEM DANI DEPOPULANTUR.

II.

Agunt hi omnes cum hostili exercitu, infimis precibus, agunt etiam muneribus, & pactâ, ac oblatâ pecuniâ, ut à cæde civium, & incendio tectorum cessent. Sed oleum flammæ addiderunt, & cupidorum animos accenderunt magis, quàm expleverunt. nam hostis, sub pacis specie, pecuniam accipiens; nihilo minus ab injuriâ cessavit. testatur id Wigorniensis; qui cum provincias; à Danis ferro flammáque temeratas, recensuisset, ita scribit ad hunc annum: *Rex Anglorum Æthelredus,*

NON PECUNIA, NON MUNERIBUS PLACANTUR.

Wigorn. hic.

Wigorn. hic.

& regni sui primates, ad Danos miserunt Legatos, pacem ab eis petentes; & ut à depopulatione desisterent, stipendium, & tributum promittentes. Quibus auditis; ut rei probavit exitus, non sine dolo, & simulatione, oblatis consenserunt. Licet enim affluenter sumptus pararetur; & ad sua vota tributum penderetur, non tamen destiterunt, quin turmatim, per provincias obviam discurrentes; villas devastarent, rebus suis miseros quosdam spoliarent: quosdam verò necarent: ad ultimum, inter Nativitatem Sanctæ Mariæ, & sancti Michaelis festivitatem, Cantuariam circumvallantes obsederunt. Ultimum vocat hujus anni facinus; quia crudelitatis perfidiæque extrema, in Cantuariensem Archiepiscopum, hoc est, Ecclesiarum nostrarum Principem, expresserunt. Quod eo sceleratiùs factum; quia Swanus Danorum Rex, & primi inter eos, Christiani fuerunt: quos oportuit; non Calvinistarum more; sanctos viros & infulâ dignissimos: sed Christianorum more, tractare. At virtus in infirmitate perficitur: hoc est, Elphegi victus sanctitasque conterenda est; ut latiùs spargat odorem suum.

III. ELPHEGI ARCHIEPISCOPI INDUSTRIA.

Verùm, non erat opus; cum explicaret se satis sanctissimi Præsulis industria, cum commissum sibi gregem, in luporum fauces, cecidisse cerneret. Nam egit viis omnibus, ut eriperet. Dicat id hujus sæculi scriptor Osbernus Cantuariensis: *Obsessâ tandem à Danis civitate, per viginti dies: & quicquid ad usum vitæ cives paraverant exhausto, mittitur ab Elphego Pontifice, qui Danis suggerat, ut ab incepto desistant, populóque innocenti parcant: caveantque, ne divinæ correptionis flagello, pro filiorum castigatione, ad tempus concesso, nimiùm insolenter abutantur. Sed Dani mandata prætermittentes; terras extruere, arietibus murum ferire, igneas faces jacere, constanter cœperunt. Et ecce vorax flamma, per domos succenditur; ac sæviente Austro se dilatando dispergitur. Tunc miseranda inter cives facta est cunctatio; utrumnam desertis murorum propugnaculis, ad proprias domos convolarent; an eis neglectis, munitioni incumberent. Vicit communem utilitatem privata affectio, filiorum dulcis recordatio, tuendæ familiæ innata compassio. Currunt itaque & rapiunt de mediis flammis, conjuges, & charos liberos, hostili gladio statim feriendos. Et ecce, effractâ urbe, exercitus ingreditur; terribilis sonitus, ex clamore vocum, & clangore tubarum attollitur; adeo, ut omnia civitatis fundamenta concuti viderentur.*

apud Capgr. in Elphego.

Quid inde factum supra dixit ex hoc authore, eisdem planè verbis Rogerius, à Baronio allatus. nimirum plures flammis consumptos, alios præcipitio elisos, matronas denique in ignem conjectas.

IV. EIUSDEM PIETAS.

Sanctus autem Elphegus (pergit Osbernus) *non ferens tantam suorum depopulationem; dum turba monachorum in Ecclesiâ circumscripti fuisset; repente de manibus tenentium elapsus, de Ecclesiâ evasit; currensque ad locum cadaveribus plenum, inter cuneos hostium se ingerens, exclamavit: Parcite, inquit, parcite: & si viros vos esse cognoscitis; innocentem ætatem persequi cessate. Non est ista victoria; quâ lactentium perimitur innocentia: nec laudi ascribitur, quicquid in simplices, & mites, bellando peragitur. En me, qui vestræ impietatis crimina, libero semper ore, clamavi. En qui captivos, & mulctatos pavi, vestivi, redemi. In me vestra potius ira desæviat. Mox itaque capitur, & interceptâ manibus gutture, vox loquentis præpeditur. vinculis palmæ nectuntur, genæ unguibus dissecantur, pugnis & calcibus latera*

ELPHEGUS CAPITUR.

tunduntur. Ecclesiam igni comburunt, & gregem Domini, in ore gladii, consumunt. Episcopumque septem mensibus, in arcto carcere, custodiunt. Ita conteri cœpit Elphegus sanctus, vel potius, ut aurum in fornace probari; quod post examen, purissimum invenitur: & Deus id dixit miraculo. Nam sequitur in eodem Authore: *Interea cœpit ira Dei in homicidam populum adeo desævire; ut parvo temporis intervallo; duobus eorum millibus, per diros internorum cruciatus prostratis; cætera quoque multitudo similiter percussa, simile exitium expectaret. Commoniti sunt autem, à fideli populo; ut de peccatis pœniteant, ut Pontifici satisfaciant. Sed illi differunt, arbitrantes hoc malum, ex fortuitis, accidisse. Prævaluit interim clades super omnem carnem, quæ Pontifici mortem inferre nitebatur. Et nunc denis, nunc vicenis, terribili viscerum dolore, capitisque, absumptis, magnam formidinem viventibus incussit.*

V. SANAT MIRABILITER ÆGROS.

Citato igitur consilio, mox ad Episcopum currunt; & de perpetrato facinore cum lacrymis veniam deplorant: & de carcere eum extrahentes, ad publicos populi conspectus, cum honore deducebant. Et ait illis Episcopus: Et si vestra incessabilis crudelitas veniam non promeretur, tamen quid nos facere deceat, exemplo Domini edocemur: qui cum suorum dignatus est lavare pedes discipulorum; non illum extrusit, à quo se tradendum esse præscivit. Immo ipsum sanctissimo pane cibavit: Pharisæorum ministros, potentia sua verbo elisit; sed confestim eosdem erigendo sanavit. & quod magnæ bonitatis insigne est; quos quotidie mandatis cœlestibus, pertinaci animo, cernit resistere: eos in cœlo sedens, adhuc patitur vivere; imo humanis rebus, plus quam cæteros præstare. Quapropter quoniam exemplorum illius devotus cupio imitator existere: oblitus incendii civitatis, innocentium cædis: Oblitus, inquam, quæ in me acta est præteritæ impietatis: sicut ipse patrem pro suis persecutoribus: ita ego pro meis tortoribus, ipsum interpellabo. Afferte ergo panem, statim vobis reddendum salutarem; quatenus ex hoc refecti, & cupitæ salutis beneficium adepti; aut gratias Salvatori reddatis; aut sceleratiores blasphemi remaneatis. Et dato omnibus pane à se benedicto; omnes de exitiali liberavit clade. Hæc Osbernus, quæ & recitat in suis Annalibus Baronius. Quid inde sequutum sit: & quomodo mortalium ingratissimi, pro accepto sanitatis beneficio, Elphegum donaverint corona Martyrii, dicam anno sequenti. Interim quæ sunt Cantuariensis Ecclesiæ reliqua, & cladem ibi, prosequamur.

VI. DECIMATUR AD MORTEM CIVITAS.

Elphego capto, non ideò minor fuit barbarorum rabies; sed facilior potius in gregem victoria. Et quia urbs, per dies viginti, Danorum impetum viriliter represserat; frustrato tamdiu, & cæso hoste: idcirco castigare cives placuit, inauditâ decimâ: & omnem castrensis disciplinæ severitatem, novâ crudelitate superare. Solet enim aliquando militaris licentia, captâ urbe, in decimum quemque civem, cùm urbs tota peccaverat, ferocire: datâ nonis civibus indulgentiâ. Sed barbarus hic noster, novem civibus occisis, uni decimo pepercit. dicat hoc Osbernus, qui rem gestam videre poterat, & ex quo Wigorniensis, Hovedenus, Florilegus, & recentiores plurimi, denique ad hunc annum Baronius, transcripserunt. *Capiuntur*, loquitur ille, *Godwinus Roffensis Episcopus, Leofruna Abbatissa monasterii S. Mildredæ,*

Osber. apud Baron. hic n. 4.

Godwi-nus Epi-scopus ... tur. ... Leofruna ... datis- ... numerus ... 150- ... ad hunc ... num.

Alfredus Regis Præpositus, monachi quoque, & clerici, populúsque utriusque sexus innumerabilis. Ecclesia ... spoliata comburitur: grex monachilis, & turba virilis; sed & muliebris, necnon infantilis, decimatur, novem trucidantur, decimus vita reservatur. Quatuor monachis, & octingentis viris decimatorum summa perficitur. Ita de hac strage Osbernus. Unde alii colligunt cæsorum numerum: septem millia ducentos triginta quatuor, hac calamitate periisse. Quicquid sit, nobilissimæ urbis excidium ita luget Huntindonius: *Videres,* inquit, *spectaculum horrendum; faciem urbis antiqua, & pulcherrima, totam in cineres redactam; cadavera civium, per vicos densissimè jacentia, sanguine solum flumenque nigrescentia: fletum & ejulatum puerorum, & mulierum, in captivitatem transducendorum caput Fidei, fontémque doctrinæ Anglorum, vinculis mancipatum, opprobriosè pertrahi.*

VI. Godwinus liberatus. Quid de iis actum, qui captivi à Danis abducti sunt, non invenio: sed quia principes viri, fœminæque solùm nominantur: existimo Danorum avaritiam, illis tamdiu vincula injecisse; donec pecuniâ solutâ libertatem emerent. Ita Godwinus Episcopus vitæ consuluit: quam cum, ad annum hujus sæculi quadragesimum, superstitem reperio. Aliter de Leofruna Abbatissâ actum. nam in nostro Martyrologio legitur nomen ejus inter Sanctos, ad vigesimum tertium Septembris, martyrio coronatæ. Unde dicendum est, quod vel decimationis sententiam obierit, quia pecuniam hosti noluit solvere; vel quia, cùm Tanatos Insula, à Danis vastaretur; ipsa cum aliis virginibus, quibus præerat, hostilem manum sensit. Dictum superiori tomo, ut à sanctâ Mildredâ positum in Tanato monasterium, sacras virgines ad multam ætatem transmiserit. Senserunt illæ sæpè barbarorum incursus, & primum ferè impetum; quia mari viciniæ, & hostium excursioni obviæ, patebant ad injuriam: Nunc verò priusquam Danus ad Cantuarienses ascenderet, monasterium illud aggressi, cum pecuniam extorquere non possent, igne absumpserunt: virginibus vel occisis, vel in servitutem abductis; & Leofruna Abbatissarum ultima, communem cum sororibus sortem subivit. Thornæus, sive Gulielmus Spina, illius cœnobii originem repetens: cum loci fundationem, & plures loci Abbatissas numinasset, ita scribit: *Plures Matres in ipso monasterio successerunt. Quarum ultima Leofrina censebatur Abbatissa. Cujus tempore, scilicet anno millesimo undecimo, Suanus, cum Danis, & Gentilibus; non jam ad prædandum, sed ad subdendam totam Angliam, venientes; ipsum primò Thanetum, nulli sexui, vel ordini parcentes devastabant: & dictum ipsum cœnobium, cum suis Virginibus funditus concremarunt. A quo tamen incendio, mirâ Dei operatione, Mildredæ monumentum permansit illæsum. Ex tunc autem, nulla ibidem Virgines permanserunt: sed readificato loco, facta est Ecclesia, duorum, vel trium clericorum plebeia parochia donec regnante Cnuto, prædicti Suani filio, prædictum Virginale monasterium, cum tota suâ substantiâ, monasterio Augustini esset incorporatum.* De quo nos infrà ad annum 1030. cum Mildredæ Virginis corpus Cantuariam transferetur. Interim opinor Leofrunam Abbatissam hoc anno, visa Danorum classe, cum Virginibus aliquot, Cantuariam secessisse: ibique; cum hostis Tanatum vastasset; occisis quæ in monasterio erant reliquiis; captam, cum nulla pecuniæ spes esset, decimatam. Unde hic annus, lilia, rosásque, in cœlum plurimas misit, Christi Martyrum Principi gratissimas. Leofrunæ solius nomen ad posteros transiit, ut pro cæteris loqueretur. Elphegus Episcopus, superest adhuc: sed brevi in arenam descendet; & post septem carceris menses, ab Octobri hujus anni numerandos; fortiter, pro Deo Ecclesiáque stans, & victima cadens; illustrabit annum sequentem.

Mart. Angl. Septem.

... 8. & 67 ... 10.

apud Reynerum tract. 1. ... 2.

ANNUS CHRISTI 1012.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 1.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 34.

QUi sequitur Christi annus duodecimus, supra millesimum, obitu Sergii Papæ notatur, à Mariano Scoto, Hermanno, atque Sigeberto. quos parum invitè sequitur Baronius; accedit tamen; quia sepulchralis Sergii inscriptio, hunc Dominicæ Incarnationis annum, & Indictionem decimam consignat. In ejus locum subrogatur Benedictus, eo nomine octavus, cujus duo diplomata, quæ annum Sedis, & Indictionem referunt, non leve argumentum sunt, eundem Benedictum, non hoc, sed sequenti anno, exordium suæ Sedis computasse. Quicquid sit, Baronius mavult cum multis loqui, quàm sua sensa sequi: & illum ego sequendum proposui. nec hac in re difficultas est, si Benedicti duplex in sedem ingressus pensetur: nam hoc anno canonicè electus, adversarium habuit, Gregorium quendam, non jure, sed potentiâ potiorem; à quo è Sede expulsus, ad Henricum Regem in Saxoniam fugere coactus est. Et ille; sequenti anno Benedictum pientissimè Urbi, orbíque restituit. A quo tempore, suæ Sedis annos, novus Pontifex numerasse dicendus est. I. Moritur Sergius Papa. Succedit Benedictus VIII.

Ad Angliam quod spectat, vis major, violentiáque primæ Sedi infertur. nam Cantuariensis Ecclesia, sanctissimum Præsulem, amisitnè dicam, an præmisit in cœlum? Certè *locupletata est, &* *illustrata* (sunt verba Baronii) *hoc anno Anglia sanguine Martyrum, quo sanctus Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus, plurima passus, tandem martyrium consummavit.* Dixi suprà, ut tractus vir sanctus in carcerem plurima à milite passus, beneficia pro injuriis retulerit; & dato ægris pane benedicto, à morbis eos liberaverit: nunc dicam, quid inde sequutum. *Cumq; sanitati redditi essent* (sic refert ex Osberno Capgravius) *Principes quatuor Episcopo mittunt. Et primo quidem, pro impenso beneficio gratias agunt. deinde si vitâ ac libertate velit potiri: tria millia marcarum persolvat. Quod cum ille facere renuisset, eum ligaverunt; & inauditis tormentorum quæstionibus die Dominica Resurrectionis affligentes, in carcerem retruserunt. Cumq; in omnibus his laudes Deo ageret: ecce apparuit ei spiritus malignus, in specie Angeli: mentiturq; de supernis sedibus destinatum: quatenus illum, ad communem gentis salutem, de squallore carceris educat. Nec veretur ignavi militis vocabulo notare: cum neque Petro humilior, nec Paulo esset robustior. Quorum alterum* II. Elphegi martyrium. Baron. hic n. 1 apud Capgr. in Elphego.

sporta contexit; alterum verò, carcerali stridore gravatum, Angelus absolvit. Christus quoque, ut lapidantium manus effugeret, de templo exivit: ac fugiendi licentiam, Evangelico præcepto, suis mandavit. His ille sermonibus, veluti unguentis, delibutus, carcerem egreditur; illum sequens. Plurimis autem aquarum alluvionibus, per obscuras noctis umbras, transvadatis, repentè malignus disparuit.

DÆMON SUADET EGRESSUM E CARCERE

III. DÆMONIS FRAUDEM SANCTUS AGNOSCIT.

Tunc Sanctus, pestiferi ductoris machinas intelligens, ex imo pectoris dolorem attraxit; mediis se paludibus injiciens, cum maximo fletu Salvatorem implorat dicens: O vitæ dator: ô stirpis Adæ unice miserator, cur senem me tua gratia destituis; quem, in florida ætate, nunquam destituere consuevit. Tamdiu misericorditer servatum in extremo vitæ pateris porro abjectum? Quoties te in hujus vitæ naufragio salvatorem inveni; experiar nunc quæso consolatorem, in hac dæmonis illusione, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Carcer à tergo, à fronte flumen, in gyrum tenebræ, auctor omnium juxta Elphegus omnibus ærumnis inclusum. Tibi soli derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor. His, & hujusmodi, divinas aures implorare non cessat. Et ecce apparuit ei juvenis, aureo splendore amictus, divinis signaculis vexilla præferens, dixitque: Quò te tui distrahunt pedes? quo impetus fugæ? quò ductoris insidiæ? Sicine venis ad coronam fugiendo certaminis luctam? aut quomodo potest bravio palma fulgescere, qui currendi metas, in stadio, noluit perficere? Cui cum excellentissimus Sacerdos: non se fugere, sed divini numinis imperio paruisse. Non hoc, ait, imperium fuit divinitatis, sed diabolicæ malignitatis commentum. Nec tam te ille de carcere educere, quam extra carcerem voluit seducere. Urget namque illum præterita vita tua pia operatio; & in tantis tribulationibus præsens tibi semper Sancti Spiritus consolatio; cujus præsentia omnibus constantiam donat; constantia victoriam; victoria gloriam. Redi ergo ad locum amissæ coronæ, col tui tibi deputatum: futurus, quod te, die crastino, Pater honorabit in cælo; honore illo maximo, ut in æternum sis cum ejus filio.

IV. SANCTUS MULTA PATITUR.

Elphegus igitur, ad locum certaminis, ab Angelo revocatus; totus expectabat horam, quâ à Deo perciperet coronam. Sed cum prope fuisset, ut carcerem intrare debuisset; comprehensus à carnificum turbâ, plagis afficitur maximis. Insuper cerebro capitis violato semivivus ergastulo recluditur. ubi accenso foco, & quicquid fœtidissimum fumum, vel generaret, vel genecatum nutriret, per singulas dierum horas injecto, carceris januas claudunt. Transactâ igitur magnâ noctis parte [illegible] cœpit domus cælestis gratia parte ipsum suscipere; æternæ vitæ odoramenta spirare, hymnos mellifluis Sanctorum vocibus sonare. [illegible] Beatus Elphegus intuitus, cum magna cordis lætitia, Dunstanum quondam Archiepiscopum, vultu & visu gloriosum conspicit assistentem; protensisque ad illum manibus ita dicentem: Ad te, æterni Regis invictissime miles, ad te, nostro honorandus obsequio venimus; missi ab illo, qui tibi & victoriam præstitit de inimico, & sempiternam coronam præparavit in cælo. In quorum collegio, post mortem carnis, in perpetuum frueris civis Hierusalem cælestis, & domesticus Dei [illegible] passionum Christi, amore in carne tua pat[illegible] supplicia. Vidimus namque multiplices urbis la[illegible], in[illegible] incendia, filiorum necem, tua cum vinculis opprobria; & post impensa beneficia, duplicata tormenta. Quod ergo reliquum [illegible] potes [illegible] libens accipe. [illegible] temporis ad [illegible] gloriam, [illegible]

S. DUNSTANUS ELPHEGUM ANIMAT.

Unus namque dies ad supplicium [illegible] sed jugis & [illegible] ternus erit ad præmium. Inter hos laxantur vincula: & integrè omnis corporis sanatur plaga. Elphegus psallens cum psallentibus, exultans cum exultantibus, incedit.

Mane autem facto, cum armatorum manu non parvâ, de carcere eductum: & super jumentum positum, ad judicium pertrahitur. Dixerunt autem ei [illegible] aurum, aut mundo hodie eris spectaculum. Et [illegible] Aurum vobis divinæ sapientiæ propono, ut relictâ [illegible] tate, quam diligitis; ad unum verum, & verum D[illegible] studia convertatis. Quod si consilium Dei, per me [illegible] annuntiatum, obstinata mente spreveritis [illegible] fectò, quam Sodoma, morte peribitis: nec in hac terr[illegible] in perpetuum judicabitis. Tunc diaboli satellites, in ipsum prosiliunt; aversis securibus dejiciunt, lapidibus eum obruentes. Qui genua flectens, [illegible] Deo fudit, dicens: Altissimi Patris unigenite [illegible] CHRISTE, qui per uterum intactæ Virginis, ven[illegible] in hunc modum, peccatores salvos facere: & me in pace suscipe: & istis miserere. Et prolapsus in terram, iterumque resurgens; denuo sic ait: Pastor bo[nus,] pastor singularis, filios Ecclesiæ, quos tibi moriens commendo, tuere. Accurrens autem quidam, quem & ipse de sacro fonte susceperat, securim capiti [illegible] infixit. Qui statim, in æterna patria requiescens, [illegible] electum spiritum, cum triumpho, tertio decimo Kalendas Maii dirigit ad cælum. Hæc omnia ex Osberno Capgravius, qui paulò inferius Martyrii annum paulò enucleatius exponit, ita scribens: *Anno autem Domini millesimo duodecimo, adrespera[s]cente Sabbato Paschalis hebdomadæ, sanctus Elphegus, cum martyrii coronâ, tertio decimo Kalendas Maii, anno Episcopatus sui septimo: & nativitatis suæ quinquagesimo nono, migravit ad Dominum.*

Passus est Elphegus, apud Grenovicum in Cantio, locum, eo nomine, imprimis nobilem; ubi Danica classis stationem habebat: Posteri in occisi Martyris memoriam, ædem ibi illi sacram statuerunt: cum statim à morte miraculis inclaresceret. *Corpus ejus, die mortem sequenti, Lundoniam defertur,* (ita Osbernus) *à civibus honorificè suscipitur: & ab Episcopo Ednotho Lincolniensi, & Alfhuno Lundoniensi, in Ecclesia sancti Pauli sepelitur.* Ednothum Lincolniensem vocat, quem nos supra * Dorcacestrensem appellavimus: quia Episcopi sede, hoc sæculo, Dorcestriâ Lincolniam translatâ; inde semper Lincolnienses appellati sunt, qui Merciorum Ecclesiam procurabant. Crevit Elphegi nomen miraculorum gloriâ, & opinione sanctitatis: quam Dani occisores, etiam testati sunt. Hinc in nostro Martyrologio, ad decimum nonum Aprilis, nomen ejus cum Sanctis recitatur. Sed & Romanum Martyrologium, ad eundem diem, ita canit: *Cantuaria in Anglia sancti Elphegi, Episcopi & Martyris.* Nec malè Ma[rtyr] appellatur, qui Ecclesiæ bona prostituere noluit ad latronum avaritiam sitimque explendam. C[æ]terùm Martyris nomen statim à morte adeptus [vi]detur, cultumque [illegible] [cæ]libus Martyri congruum. Unde Lanfrancus, qui Cantuariensem [illegible] hoc sæculo implevit, dubitationem dicitur [illegible] visse, super M[artyris] [a]ppellatione: fortè quia Danorum Rex Swanus, fidelis erat, & Ch[risti] Fide i[m]butus. Un[de] non f[i]dei, sed alia de cau[sa] mortem sustinuisse videri poterat. S[e]d [illegible] Lan[franci] dubium [illegible] [illegible] miraculorum [illegible] S[e]d & [illegible]

x[illegible] & mors *propter justitiam* tolerata, quæ [illegible]em Christi oraculo Beatum prædicat. [illegible]gò do mortis causâ breviter dicendum.

VII. MARTYRII CAUSA EXPENDITUR. apud Baron. [illegible] rit.

Ed[illegible]erus, cum sancti Anselmi vitam describite d[e] Elphegi martyrio hæc habet: *Movit aliquando Lanfranci Episcopi animum, cur Angli venerarentur sanctum Elphegum, & Martyrem reputarent: Cum non Fidei confessionis causâ, vel testanda veritatis: sed tantum [illegible] sit; eo quod barbari aurum quod poscebant, apud ipsum non invenissent. De hac re, ille sollicitus; consuluit sanctum Anselmum. Qui respondit, [s]e firmâ ratione novisse Elphegum esse Martyrem; eo quod pro justitiâ occubuisset.* Ita ille. Non potuit Lanfrancus ignorasse, mortem, ita obitam, in Martyrum classe ponendam; sed aliam fortè causam inaudierat; quæ merito virum aliàs doctissimum morari poterat. Varii ergo de Elphegi morte rumores in vulgum sparsi; cum impiissimum facinus celari non posset: & quis dubitet, nequitiæ velamenta fuisse? Quidam ergo vulgaverant, promissam ab Elphego Danis pecuniam, & postea n[o]n [s]olutam; eorum iras acuisse. Ita deceptus est Dith[m]arus, Mersepurgensis Episcopus, qui eodem t[em]p[o]re Chronicon texoit: de Elphegi morte, [il]l[i]corus: *Percepi à relatu Sewaldi, factum miserabile; quod perfida Northmannorum manus, duce adhuc Turkilo, Cantuariæ civitatis egregium Antistitē, Elphegum nomine, cum cæteris caperet; & vinculis, & inedia, ac ineffabili pœnâ, more suo nefando, constringeret. Hic humanâ motus fragilitate, pecuniam eis promittit: & ad hanc impetrandam, inducias posuit; ut si in his acceptabili redemptione mortem momentaneam evadere nequivisset; semetipsum gemitibus crebris interim purgaret, hostiam Domino vivam ad immolandum. Transactis tunc omnibus designatis temporibus, vorax piratarum Charibdis, dominum famulum evocat: & sibi promissum celeriter solvi tributum, minaciter postulat. Et ille, ut mitis agnus: presto sum, paratus ad omnia, quæ in me nunc præsumitis facere, Christi amore; ut suorum merear fieri exemplum servorum. Non sum hodie turbatus, quod hodie mendax videar: non mea voluntas, sed dira fecit egestas. Corpus hoc meum, quod in hoc exilio, supra modum [d]i[l]exi, vobis culpabile offero: & quod de eo faciatis in vestrâ esse potestate cognosco. Animam autem peccatr[ic]em, creatori omnium, vos non respicientem, supplex committo. Talia loquentem prophanorum agmen vallavit, & diversa adhunc interficiendum arma congerit. Quod cum eorum Dux Turkil, à longe vidisset, celeriter occurrens: ne quæso sic faciatis, infit: aurum & argentum, & omne quod hic habeo, vel ullo modo acquirere possum, exceptâ navi soli, ne in Christum Domini peccetis, libenti animo vobis omnibus trado. Tam dulci affatu infrenatâ sociorum irâ, ferro & saxis durior non mollitur. [S]ed effuso innocentis sanguine [p]lacatur quem [c]om[m]uniter capitibus boum, imbribus lapidum, atque lignorum infusione protinus obruunt.*

Peregrina [illegible] na[rrati]o est, & authoribus nostris, etiam anti[illegible] parum consentit, in eo [q]uod dicat, [illegible] Dan[os] verbis fefellisse [&] Turkillum ei [illegible] [pa]trocinatum esse. quem historici nostri *malorum omnium Principem* appellant. [illegible] n.9. melius [illegible] Malmesburiensis mortis [c]ausam expressit, cum de tributo Danis persolvend[o] [i]t loq[uitur]: *Imperta[illegible] tributi pensio impo[si]ta [illegible], [illegible] provincialium, ad solum usque d[e]f[l]u[x]it. [illegible]d [illegible]m[illegible], ex Episcopo Winto-*

niensi, Archiepiscopus annis sex & mensibus septem, facere contemneret: ne mollitiem otii sui miserorum dispendio mercaretur: Tentus, & compedes conjectus; postremoq; ab ipsis Danis lapidatus, animam cælo dedit. Cujus vitam scripsit Osbernus, plenam virtutibus, & miraculis. Ille præcipue quod Romæ positus, obitum Kenulfi, qui ei in Wintoniâ successerat, perspicuâ veritate suis nunciavit. Præterea die gloria sua illucescente jam jamq; morte furorem hostium satiaturus; vidit Dunstanum, transitoriam prænuntiantem pœnam, & futuram promittentem gloriam. Nam quod corpus ejus, etiam recentis cruoris præferens vestigia, labem putredinis, ad hunc diem, ignoraverit; & aliàs dixi, & popularìter creditum, non eget inculcari. Hæc omnia Malmesburiensis. Non imposuit Danis Martyr Elphegus, aut pecuniam promisit. Sed potius eorum cupiditati constantissimè restitit: & clero volente trium millium solutione Pastorem redimere, redimi noluit; vetuitque pecuniam pro se dari. Ita disertè Huntiodonius: *Anno duodecimo* (post millesimum) inquit, *cum Sabbatum adesset, in hebdomadâ Paschali, commoti sunt Dani, erga Archiepiscopum; quia prohibebat pecuniam dari pro se. Erant etiam ebrii vino, quod venerat ab Austro. Adducto igitur Archiepiscopo, in medio eorum, jactaverunt in eum ossa, & capita boum. Unde cum Deo omnipotenti grates latissimas, ex intimo corde redderet; percussus est capite cum securi. Cecidit ergo vir Dei, sanctóque cruore terram aspergens, anima beata cæli decoravit templa.* Maneat ergo, pro justissimâ causâ mortuus, Elphegus sanctus, & martyr appelletur: & Pastor bonus, qui pro Ecclesiâ suâ, pro ovibus suis, animam posuit.

Huntind. l.6. fol.36.

IX. PUNIUNTUR ELPHEGI PERCUSSORES. Baron hic n 12.

Nec probo illud, quod Dithmarus, è Sewaldi relatione narrat: Turkillum pro Elphego stetisse. nam ipse, cum aliis, à Deo punitus legitur. De quo Baronius: *Jam,* inquit, *diram cælitus immissam vindictam, in eos, qui in sanctissimum virum peccarunt, ex Osberto reddamus, qui ait: In ejus autem mortis authores, in tantum ira Dei desævit; ut quidam Dux, propria se manu interimeret: alius gutturi suo stylum infigeret: Presbyter pertinaciter cencens, absconden's Martyris, gladio occiditur: alius ejusdem ordinis, sandalia Episcopi temerè portans, à dæmone coram omni populo vexaretur. Et factum est, ut tam vehemens cunctos Danos Principes formido invaserit; ut vix eos terra teneret. sed maritimis se tempestatibus dantes, existimarent in pelago, martyris iram effugere posse; quos ab ejus ira tellus tueri non posset. Sed mox ut in altum perducti fuere, centum sexaginta naves, adversis ventorum flatibus acta, in profundum maris demersæ sunt. porrò sexaginta quinque, ad ignotas appulsa regiones; quasi qui insidiarum causâ venissent, ab incolis mirabiliter interfecti sunt. Remansit autem in Angliâ pessimus Turkillus, malorum princeps, pauco tempore, prædo futurus: sed in æternum damnati spiritus præda futurus.* Ita refert Baronius: nec addit de Turkillo plura; & tacuit finem ejus; qui tamen de merito respondit: & satis arguit, in Elphegi causâ innocentem non fuisse. Breviter Malmesburiensis l. 2. de Regum gestis cap. 10. *Resederat,* inquit, *in Angliâ Turkillus Danus, qui fuerat incentor, ut lapidaretur Archiepiscopus: habebatq; Orientales Anglos, suæ voluntati parentes.* Et iterum capite undecimo: *Succedente tempore,* inquit, *Turkillus, & Iricius, ab Angliâ captatis occasionibus eliminati; natale solum petierunt. Quorum primus, qui incentor necis*

TURKILLUS MALORUM PRINCEPS. Malmesb. fol 69.

Idem [illegible]

apud Capgr. in Elphego.

Beati Elfegi fuerat; ſtatim ut Danamarchia litus attigit, a Ducibus eſt oppreſſus. & optimè Osbernus in vitâ Elphegi: *Canutus, ipſum Ducem* (Turkillum) *cum ſex tantum navibus in Daciam fugavit: Qui cum ad terram evaſiſſet, ſuſpectus Danorum Principibus, ne inteſtina bella molietur: ſtatim per cuncta regionis loca agitatus, in fine ab ignobili vulgo occiſus, feris, & avibus projectus eſt.*

X. LIVINGUS ELPHEGO SUCCEDIT

Ut Elphegi corpus, decimo poſt mortem anno mirabiliter incorruptum, Cantuariam translatum ſit, dicam inferius; nunc ſucceſſorem ejus, & Ethelredi crimen accipe, Elphegum occidi permittentis, nec ejus mortem vindicantis. *Succeſſit*

Malmesb. de Pont. l. 1. fol. 203. fine.

Martyri Elphego (narrat Malmesburienſis) *Livingus, qui & Ethilſtanus, annis ſeptem, ex Epiſcopo Wellenſi, ſuffragio Regis Ethelredi, in Archiepiſcopum provectus. Sperabat adhuc vitam Rex ille, veram prophetiam Beatiſſimi Dunſtani, quam ſuperius diximus, calamitatibus ſuis nimis expertus. Vir, qui coram ſe videret provincias ſuas ſubverti, ſeipſum poſtremo exulem agi, nec ullum commiſceretur remedium. Id quidam inæqualitati corporis; quidam ſegnitiei animi deputant.*

ETHELREDUS ARGUITUR.

Veruntamen, utcumque dicta mea ferant poſteri, abſolute pronuntio: magnum inſigne fuiſſe miſeriæ, quod Primati patriæ, ſeptem menſibus incarcerato, nullam Rex opem attulerit: nec ad vindictam excitaverit; ſeu Præſulis majeſtate, ſeu calamitatis indignitate, permotus. Quare, de Ethelredo, poſſum antiquum illud proverbium dicere: quòd è conſpicuo probitatis fulmine, nata fuiſſent mortes tenebræ. Quid enim unquam Edgaro patri, in probitate: quid huic filio, in ſocordia, comparabile habuit Anglia? Implevit ergò locum defuncti Elfegi, Livingus, ut dixi.

V. an. 1006. n. 32.

Et de quo & ego, ſupra ad annum milleſimum ſextum.

XI. ETHELREDUS CUM DANIS PACISCITUR.

Cæterùm ſi culpandus Ethelredus, quòd opem nullam Elphego attulerit: nec in iram vindictamque ſurrexerit; quid dicendum de eodem, cum patrato ſcelere, fœdus, amicitiámque cum hoſte conjunxerit? Verè legem non habuit neceſſitas: & qui Inſulæ coronam vitio ceperat, indecorè illam geſtare, neceſſum fuit. Ideò dum Elphegus in vinculis detinetur; dum in eum Dani peſſima machinantur; Ethelredus, & proceres ejus, cogitant cogitationes pacis; pecunias colligunt, & blandè hoſtem muneribus onerant.

Hoved. hic

Anno milleſimo duodecimo, inquit Hovedenus, *perfidus Dux Edricus Streona, & omnes Angliæ primates, ante Paſcha, Lundoniæ congregati ſunt, & ibi tamdiu morati ſunt; quouſque tributum Danis promiſſum, quod erat quadraginta octo millia librarum, perſolveretur.* Non potuit tributi penſio, Archipræſulem à vinculis, & morte liberare; quia tardè, ut cætera omnia, & importunè collecta. Itum tunc iterum in fœdera; Danus naves ad Inſulam muniendam Anglo promittit: & Anglus annonam Dano. quam ille armatus, multò certiùs ab Anglo obtenturus erat; quàm Anglus, à Dano, Inſulæ patrocinium. *Tunc*, inquit Huntindonius,

Huntindon. hic.

Rex animo ſero pacem fecit, cum Dacorum exercitu; dans eis 8000. (lege 48000) *librarum. Nunquam enim tempore opportuno pax fiebat; donec nimiâ contritione terra langueret. Subdiderunt autem ſe Regi quadraginta quinque puppes Dacorum, promittentes quod Angliam tuerentur; Rex vero inveniret eis victum, & veſtitum.* Ita, non aliter Elphegi mortem Ethelredus vindicavit. Turkillus in Angliâ manſit, ſervivitque. Swanus in Daniam redit, ſequenti anno, ad imperium Inſulæ, reverſurus.

XII. CE... MIRACULUM DE ... ACER...

Facit ad noſtrorum Sanctorum gloriam, cultúmque; quod modo narraturus ſum: ſed multò magis, ad Dei Opt. Max. & ſacrorum Eccleſiæ rituum majeſtatem; repetitum hoc anno miraculum, quod olim, ſancto Auguſtino teſte, decem fratribus, ex Cæſareâ Cappadociæ, contigit; qui matris imprecatione morbum contraherent; non niſi variâ peregrinatione, ad loca Sanctorum, ſanitatem adipiſci potuerunt: quorum aliqui, apud Hipponem, ubi Auguſtinus agebat Epiſcopum, ad proto-Martyris Stephani beatas reliquias, valetudini reſtituti ſunt. Simile prorſus hoc anno in veteri Saxoniâ, Authores noſtri paſſim commemorant, Malmesburienſis, Wigornienſis, & Florilegus: cum ſacerdotis imperio non parentes aliqui; ſed Miſſarum ſolemnia irreligioſe turbantes ejuſdem imprecatione mirabiliter perculſi didicerunt Chriſti Natalitia, & Miſſæ imprimis myſteria, devotiùs revereri. E quibus nonnemo in novam Saxoniam, ſeu Angliam, tranſiens ad Virginis Edithæ ſepulchrum; quæ Wiltoniæ, ut ſupra dictum *, colebatur; mirabiliter curatus eſt. Rem gravium virorum authoritate ratam probatámque, in hunc modum narrat Florilegus.

XIII.

Anno gratiæ milleſimo duodecimo; cum in villa quadam Saxoniæ, nomen Colewiz, in quâ eſt Eccleſia Beati Magni Martyris: in vigilia Dominicæ Nativitatis, parochia conveniſſet; ut obſequiis intereſſet divinis: Presbyter, nomine Robertus; de more, primam Miſſam ſolenniter inchoavit; & ecce duodecim viri cum tribus fœminis, in cœmiterio choreas ducentes, & ſeculares cantilenas perſtrepentes, adeo Presbyterum impediebant, ut ipſe cantantium tumultum, inter ſacroſancta Miſſarum ſolemnia altius reſonaret. Cantus eorum talis erat: Equitabat homo per ſilvam frondoſam; ducebat ſibi Merſwinden formoſam: Quid ſtamus? cur non imus? Denique cum a Roberto Presbytero mandatum haberent, ut taceant; & ipſi ſilere contempſiſſent: imprecatus eſt Presbyter, iratus dicens: Placeat Deo, & Sancto Magno; ut ita cantantes permaneatis, uſque ad annum evolutum. Quid ergo? verba Sacerdotis pondus adeo habuerunt; ut Azo, ejuſdem Presbyteri filius, ſororem ſuam; quæ Ava dicebatur: cum aliis cantantem; per brachium accipiens, ut eam abſtraheret; cum recedere non potuit, brachium a corpore avulſit: ſed inde gutta ſanguinis non exivit. Ipſa itaque, per totum annum, cum cæteris, permanſit; & choreas ducens cantavit. Pluvia ſuper eos non cecidit; non frigus, non calor, non fames, non ſitis, nec laſſitudo illos affecit. Indumenta eorum, vel calceamenta, non ſunt attrita; ſed quaſi vecordes jugiter cantaverunt. Primo ad genua, ac demum uſque ad femora, in terram demerſi ſunt. Fabrica, quaſi tecti domicilis aliquando erigebatur nunc ſuper eos, ut pluvias arceret: ſed nutu Dei fruſtra. Tandem evoluto anno, Herebertus Colonienſis Archiepiſcopus; à nodo, quo manus eorum ligabantur, eos abſolvit, & ante altare ſancti Martyris Magni reconciliavit. Filia Presbyteri, cum aliis duobus continuo ſpiritum exhalavit. Cæteri tribus diebus & noctibus, dormierunt. Aliqui poſtea obierunt. Quidam verò permanens membrorum ſuorum tremore prodiderunt. Hæc omnia Florilegus.

Inter eos, qui morbum, membrorum tremore prodiderunt, Malmesburienſis, Othelbertum nominat. quem alii, opinor Oth... vocant.

Ille, patentibus literis munitus; quas Peregrinus. Heriberti successor, in Sede Coloniensi dictavit; varias videtur provincias peragrasse. An in Angliam venerit, nescio: patentes tamen ejus recitat Malmesburiensis, cùm fessus de Ethelredi ignaviâ conquerendo, ita scribit: *Puto non inhonestum, si dicam, quod in Saxoniâ, tempore istius Regis accidit; & non adeò notum: anno Dominicæ Incarnationis millesimo duodecimo. Melius est enim spatiari in talibus, quàm immorari in rebus ejus ignavis, & tristibus. Quod profectò erit jucundius; si ab antiquitate scriptum illius, qui passus est, apposuero; simul & propius verò videbitur, quam si meis texuissem literis. Præterea, non indecens opinor, si multicolori stilo varietur oratio. Ego Ethelbertus peccator. & si vellem celare, quod in me factum est; divinum judicium, membrorum meorum tremor proderet: quod quemadmodum factum sit referam: ut omnibus innotescat, quanta sit pœna inobedientiæ. Eramus ad vigilias Natalis Domini, in villâ quadam Saxoniæ*, &c. quæ suprà Florilegus recensuit: & infra scriptum est: *Data sunt nobis hæ literæ à Domino Peregrino, Heriberti successore, anno Dominicæ Incarnationis millesimo tertio-decimo.* nimirum statim à solutione choreæ, quam per annum integrum duxerant. Ethelbertum hunc Magdeburgici Othoperdum, sed vitiosè, ut omnia vocant. Ipsi enim rem mirabilem narrant, quam ita ordiuntur: *In pago ditionis Magdeburgensis Colbeca, anno 1012. Othoperdus quidam, cum quindecim viris, & tribus fœminis in cœmiterio D. Magni, inter Missificandum, prophanas cantionos vociferari, & choreas ducere, in vigiliâ Natalis Domini nocturnâ incepit*, &c. Authores citant, qui referunt miraculum, Vincentium, Hermannum Schedel, Crantzium, Chronicon Saxoniæ, denique Nauclerum.

Malmesb. de Reg. l. 2. fol 67. fine.

Cent. 11. f. 1.076.

XV. PUNITORUM UNUS IN ANGLIAM VENIT.

Cæterùm quod ad rem nostram facit. Unus eorum, qui paralysi hac percussus, divinæ potentiæ, justitiæ, atque misericordiæ argumentum fuit; cùm alias orbis partes peragrasset, in Angliam trajecit; non Ethelredi Regis tempore, sed paulò posteriùs, Edoardo regnante, dicto Confessore. Theodoricus dicebatur: qui Brunonis Tullensis Episcopi (postea Leo nonus est dictus, cùm Romanam Sedem ascendisset) patentes, & ipse literas, miraculi testes, detulit. Recitat illas Harpesfeldus, ad quem Lectorem remitto. Recitatis autem literis, hæc subjicit prædictus author. *Ut alii, ad alias regiones, sanitatis recuperandæ gratiâ, divertêre, opem Dei, & Divorum, ad eorum beatas reliquias, imploraturi: ita Theodericus in Angliam appulit: & cum multa Sanctorum sepulchra invisisset; venit tandem ad Beatæ Edithæ virginis sepulchrum, Wiltoniæ, Edoardo pio Rege, atque Confessore tum imperante, ut author meus eorum temporum æqualis, refert. Qui inter alia, & hæc verba habet: Romanus orbis novit, & hodierna juventus recolit; homines novâ inquietudine corporis divinitus percussos, & ubivis gentium pervagatos: ex quibus quatuor nobis conspecti: & adhuc super esse possunt aliqui.* Hæc ille.

THEODORICUS NOMINE.

Harpesfeld. sæc. 10 f. 205

v. an. 984. n. 9 10. 11. 12.

XVI. WILTONÆ CURATUR AD S. EDITHÆ SEPULCHRŪ

Cum itaque Wiltoniam advenisset Theodoricus: & totum illius corpus, miserabili spectaculo, horrendo illo tremore concuteretur; qui agrestiori erant ingenio; eum quasi insanum, & mente alienatum, horrere: sacræ verò Virgines, hominis calamitati piè indolere. Ille interim narrationem illam Leonis, quam recitavimus, de se & sociis conscriptam, è perâ profert, & legendam omnibus exhibuit. Quæ mira legentes, & audientes, omnes, stupore perculit. Assidet postea Theodoricus Virginis sepulchro, & supplex opem illius, & apud Deum precum patrocinium, die noctúque implorat. Advenerat jam ille dies, quo Christus de illibatâ Virgine conceptus erat: & cæteris, post sacra, è templo egressis; ille sepulchro officiosè, & continuatis precibus adhæret. Ubi repentè obdormire cœpit. Somno deinde excusso: sensit etiam longum, & horribilem illum morbum, à se excussum; & antiquam corpori sanitatem redditam. Ad quod spectaculum, populus magnâ frequentiâ obstupefactus, accurrit; sanitatem redditam mirari, & lætari omnes ob hominem miserum, à tantâ calamitate explicatum, gratiæ Deo ab omnibus actæ. Theodoricus cum primis, ad quem totius beneficii hujus fructus potissimum redundabat, mirâ gestire lætitiâ; quod Dei, atque Beatæ Virginis, cujus vix nomen proferre poterat, ope, salutem, quam tot annis, & locis, frustra quæsierat; in Angliâ, quasi in altero quodam mundo, recuperasset. Deo itaque & Beatæ Ædithæ gratias, quantas mens illius capere poterat maximas, officiosissimè agebat. Ita qui Natali Christi die, ob sacrum illum diem nefariè profanatum, atque contaminatum, pœnis illis divinitus erat implicatus: eo ipso die, quo Christus ex intemeratâ matre, atque Virgine conceptus est, ab illis est expeditus. Eo autem tempore, quo hæc contigere, Brithina sacris Virginibus Wiltoniæ præposita erat. Hæc Harpesfeldus.

XVII. EDITHÆ VIRGINIS SANCTITATEM DEUS TESTATUR.

v. an. 984. n. 15.

Nos supra, tam de sanctâ Edithâ Edgari Regis filiâ; quàm de Brithinâ hac Abbatissâ; mirabiliter, ab eâ, in baptismo post mortem susceptâ, diximus. Cæterùm quod Deus Theodorico indulserit, ob Virginis nostræ merita; illud opinor in causâ fuit; quòd paulò antea Canutus Rex, Viginis sanctitatem, & nota miracula elevarit. Christus ergò, pro Virgine stetit; fecitque mirabiliter; quo non Angliæ solùm, sed toti Orbi innotesceret, asserturum se eos coram patre, & universo mundo, qui se coram hominibus confiterentur. Quàm verò, Christum, Crucemque ejus, ingenuè castéque confessa sit Editha sancta, dixi ad annum Christi nongentesimum sexagesimum secundum. Multis ergò gravibusque de causis, hæc mirabilia Deus operari dignatus est: Ut sacra Incarnationis ejus mysteria, & dierum solennitas, ab Ecclesiâ præcepta, in honore cultúque essent: Ut sacra Missæ oblatio, religiosè ac reverenter fiat: & piè adsit populus sacrificio; cui adstat, cum timore & tremore, Angelorum chorus: Ut Sacerdotum imperia, & eorum ligandi atque solvendi potestas rata sanctáque sit: non verbalis illa, quam nudifidii nostri finxerunt: sed realis illa, quæ verè constanterque homines ligat, & fortissimè constringit. Denique voluit Sanctorum cultum, & patrocinia stabilire: quæ omnia nunc, vetus & nova Saxonia, orbe cætero stupente, atque indignante, abjecit; ex quo Lutherus, Missæ sacrificium, & Virginum claustra temeravit. Ex quo Henricus octavus, Catharinam noluit; & alter (Lutherus) voluit conjugem accipere.

v. an. 962. n. 5.

XVIII. ETHELWINUS WELLENS. EPISCOP.

Vacant, hoc anno, Sedes duæ; quas necdum implevi. Qui Wellensem administravit Ecclesiam, superiorem nuper accepit Cantuariensem Sedem, Livingus, ut supra: in ejus ergò locum Ethelwinus sufficitur, Eveshamensis Abbas; qui sublime positus, alternantem non semel fortunam

sensit.

ATHULFUS HEREFORDENSIS MORITUR: SUCCEDIT ETHELSTANUS. *Godwin. Herefordens.*

sensit. Nam Sede ejectus, iterum restitutus; denuò ejectus, demum restitutus est. Ita plures annos Ethelwinus, & Brithwinus colluctantur: & contendunt iterum Christi discipuli: quis eorum videretur esse major. Athulfus etiam, Herefordensis Episcopus, hoc anno moritur; cui Ethelstanus subrogatur. *Vir magna sanctitatis*, inquit ex Hovedeno, & Florentio, Godwinus; & pergit: *Hic ante obitum per annos tredecim oculis captus, cacus vixit: & omnia per vicarium administravit, videlicet per Tramerinum Menevensem Episcopum. Ecclesiam tamen Herefordensem, à fundamentis, excitavit, ac perfecit.* quando mortuus dicam infra.

XIX. Habuit Ethelredus, sub hoc tempus, Senatusconsultum, apud Habam oppidum: & ibi latæ leges plurimæ. E quibus Spelmannus, quæ Ecclesiam spectent, has collegit: inscripsitque ita: *Leges Ecclesiastica Æthelredi Regis, anno incerto, sed post saculares suas, apud Habam condita.* Annum incertum vocat, eas tamen ad annum 1012. refert: & opinor benè: nam ad implorandam Dei misericordiam contra Danorum impetum fere dicuntur. dicuntur autem in hunc modum.

Spelman de Synod. f. 530.

CAP. 1. De Denario S. Ecclesiæ dando, & de Decimatione Thaynorum.

*IMprimis, ut unus Deus, super omnia diligatur, & honoretur; ut omnes Regi suo pareant: sicut antecessores sui melius fecerunt. & cum eo pariter defendant regnum suum. Et constituerunt imprimis Dei misericordiam, & auxilium invocare jejuniis, eleëmosynis; confessione, & abstinentiis; & malefactis, & injustitiâ abstinere. Et ut detur de omni carucâ denarius, vel denarium valens. Et omnis qui familiam habet, efficiat, ut omnis Hirmannus * suus, det unum denarium. Quod si non habeat, det dominus ejus pro eo. Et omnis Thaynus decimet totum quod habet.*

* famulus domesticus vel conductitius.

CAP. 2. De jejunio, & feriatione trium dierum, ante Festum S. Michaëlis.

XX. JEJUNIUM ANTE FESTUM S. MICHAELIS.

Et instituimus, ut omnis Christianus, qui ætatem habet; jejunet tribus diebus, in pane & aquâ, & herbis crudis, ante festum sancti Michaelis: & omnis homo ad Confessionem vadat, & nudis pedibus, ad Ecclesiam: & peccatis omnibus abrenuntiet emendando, & cessando. Et eat omnis Presbyter, cum populo suo, ad processionem tribus diebus, nudis pedibus. Et super hoc cantet omnis Presbyter triginta missas: & omnis Diaconus, & clericus triginta psalmos: & apparetur tribus diebus CORRODIUM *uniuscujusque sine carne, in cibo, & potu; sicut idem comedere deberet; & dividatur hoc totum pauperibus. Et sit omnis servus, liber ab opere, illis tribus diebus; quo melius jejunare posset, operetur sibimet quod vult. Hi sunt illi tres dies, Dies Lunæ, Dies Martis, & Dies Mercurii, proximi ante festum sancti Michaëlis. Si quis jejunium suum infringat, servus corio suo componat: Reddat liber pauper triginta denarios: & Regis Thaynus centum viginti solidos: & dividatur hæc pecunia pauperibus. Et sciat omnis Presbyter, & Tungravius *, & decimales homines, ut hæc eleemosyna, & jejunium perveniat: sicut in Sanctis jurare poterunt.*

ORATIO, ET ELEEMOSYNA.

Corrodium est dimensum quod alicui pro alimento assignatur.

* fortè oppidi Rector.

CAP. 3. Quid Regi & populo, omni die, sit cantandum.

Et præcipimus, ut in omni congregatione cantetur quotidie communiter, pro Rege, & omni populo suo, una Missa, ad matutinalem Missam; quæ inscripta est contra Paganos: & ad singulas horas decantet totus conventus, extensis membris in terrà psalmum: Domine quid multiplicati sunt: & collectam contra Paganos. Et hoc fiat, quamdiu necessitas ista nobis est in manibus. Et in omni cœnobio, vel conventu monachorum, celebret omnis Presbyter triginta Missas sigillatim, pro Rege, & omni populo; & omnis monachus dicat triginta psalteria.

CAP. 4. De consuetudinibus Sanctæ Dei Ecclesiæ reddendis.

Et præcipimus, ut omnis homo, super dilectionem Dei, & omnium Sanctorum, det Cyrisceatum, & rectam decimam suam; sicut in diebus antecessorum nostrorum fecit, quando melius fecit. Hoc est, sicut aratrum peragrabit decimam acram: & omnis consuetudo reddatur super amicitiam Dei, ad matrem Ecclesiam, cui adjacet. Et nemo auferat Deo, quod ad Deum pertinet, & prædecessores nostri concesserunt. XXI.

CAP. 5. Ne quis vendatur extra patriam.

Et prohibemus, ne quis vendatur extra patriam. Si quis hoc præsumat; sit præter benedictionem Dei, & omnium Sanctorum, & præter omnem Christianitatem; nisi pœniteat, & emendet, sicut Episcopus suus edocebit.

CAP. 6. De Roboria.

Et prohibemus omnem robariam, omni homini. Et sit omnis homo jure publico dignus: pauper, & dives: & reddatur omnis roboria, si quis aliquam fecerit, emendet sicut prius, & postea fecit. Et si quis Præpositus eam fecerit; dupliciter emendet, quod alibi judicaretur.

CAP. 7. De Eleëmosinis, & rectitudinibus Ecclesiæ.

*Et reddatur pecunia eleëmosynæ hic, ad festum sancti Michaëlis, si alicubi retro sit, per plenam Witam *: & omnibus annis deinceps reddantur Dei rectitudines, in omnibus rebus, quæ suprà dicta sunt; per amicitiam Dei, & Sanctorum omnium: ut Deus omnibus misericordiam nobis faciat; & de hostibus triumphum nobis & pacem indulgeat, quæ sedulo deprecentur; ut misericordiam ejus consequamur hic & in futuro, requiem sine fine, Amen.* v. m. 157 & & n. 20.

De Officio Judicis.

Omnis Iudex justus, misericordiam, & judicium liberet in omnibus, ut imprimis per rectam scientiam dicat emendationem secundum culpam; & eam cum admensuret, propter indulgentiam. Quædam culpæ reputantur à bonis Iudicibus, secundùm rectum emendandæ. Quædam per Dei misericordiam condonandæ. Judicia debent esse, sine HADERUNGA; *quod non pareatur diviti alicui vel egeno; amico, vel inimico, jus publicum Rectori: & nihil injustius est, quàm* XXII.

Haderunga Odium vel malitia.

susceptio

*susceptio munerum, pro judicio subvertendo: quia munera excæcant corda sapientum, & subvertunt verba justorum. Dominus Jesus dixit: In quo judicio judicaveritis, judicabimini. Timeat omnis Index, ac diligat Iudicem suum: ne in die judicii mutus fiat, & humiliatus, ante oculos Iudicis cuncta videntis. Qui innocentem opprimat, & dimittat noxium, pro pecuniâ, vel amicitiâ, vel odio, vel quacumque factione opprimetur ab omnipotente Iudice. Et nullus Dominus, stultos, aut improbos, judices constituat, quia stultus per ignorantiam, improbus per cupiditatem, vitat, quam didicit, veritatem. Gravius enim lacerantur pauperes, à pravis judicibus, quam à cruentis hostibus. Nullus hostis acerbior, nulla pestis efficacior, quàm familiaris inimicus. Potest aliquoties homo, fuga, vel defensione vitare pravos judices Non ita possunt judices, quoties adversus subditos, malis desideriis inflammantur. Sæpè etiam boni judices habent malos vicarios, & ministros nefandos; quorum ipsi Domini constringuntur, si non eos coerceant, & rapacitate cohibeant; quia Dominus, & * magister sæculorum ait: Non solùm male agentes, sed omnes consentientes, digni sunt æternâ morte. Sæpè etiam pravi judices, judicium pervertunt, vel respectant; & non finiunt causam, donec voluntas eorum impleatur. Et quando judicant, non opera, sed munera considerant impii judices; juxta verbum sapientum. Sicut rapaces lupi, vespere, nil residuant, usque mane, id est, de præsenti solùm vitâ cogitant; de futurâ nihil considerant. Malorum Præpositorum mos est; ut quicquid possunt, auferant: & vix necessarium parum quid relinquant sustentationum. Iracundus judex non potest accedere rectam judicii satisfactionem: nam per furoris excæcationem, non perspicit rectitudinis claritatem. Iustum judicium est, ubi non persona consideratur. Scriptum est: Non attendas personam hominis, in judicio: nec pro aliquo facies, ut à vero declines, & injustè judices. Susceptio muneris, est dimissio veritatis.*

* minister

XXIII. Hactenus Habameosis Synodi leges; quas quia Danorum metus, & extenta ad vindicandum peccata Dei manus, videntur expressisse; non malè ad hæc tempora referuntur. Unde è quatuor Ethelredi Regis, legum partibus, quarum supra * memini; hæc postrema fuit: & placet Spelmanni nota ita, de quatuor Ethelredi Conciliis scribentis: *Novissimum videtur Habama hoc Concilium: ipsumque, ideò, circa annum Domini collocamus, millesimum duodecimum, Æthelredi Regis trigesimum quartum,* Et sanè strictissima jejuniorum qualitas, quæ in pane & aquâ præcipitur, processio nudis pedibus, orationum & eleemosynarum frequentia; satis arguunt Anglorum res deploratas fuisse, & pejora timeri: quod è præcedentibus & sequentibus argumentum est, ad hunc annum Habamensem Synodum referendam esse.

* v an. 1008. n. 16.

Spelman. fol. 532.

ANNUS CHRISTI 1013.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 2.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 35.

I. Swanus in Angliam redit.

DIxi paulò ante, ut Danorum exercitus, à morte sancti Elphegi, in varia distractus: pars Turkillo Duce, Ethelredo Regi servierit: pars major, in patriam prædâ spoliisque onusta, recesserit. nunc sciendum, eos qui recesserant, rediisse anno Domini millesimo decimo tertio: & totam Insulam, non jam per partes delibasse: sed uno velut impetu, integram hausisse. Swanus enim, qui terræ dulcedine delectatus; visâ Regis inertiâ, eam ingenti spe devoraverat; decrevit omnino non quiescere: donec ejecto, aut prostrato Ethelredo Rege, coronam ipse induisset. Quod reverà factum; cùm ipse, hoc anno, è Daniâ solvens, & Angliam ingressus; provincias ferè omnes, sui nominis terrore implevit primò: deinde sibi fecit obsequentes: ac demum, quà minis, quà suppliciis hominum, qua multis victoriis auctus, Rex appellatus est. Fuisset enim verò eo nomine diu gloriatus; si in Regem, & subditos ejus tantùm pugnavisset: sed quia cupidus homo, in Ecclesiam, & Sanctos impunè peccavit: abjecit eum Deus, ne regnaret in Angliâ: & vir sanguinum, non dimidiavit dies suos. Dicant hæc omnia historici nostri, qui Swani itinera accuratè collegerunt. Inter eos Wigorniensis, & Hovedenus, quem Baronius ubique Rogerium vocat, ita illa referunt.

II. Multorum ad Swanum defectio. Wigorn. & Hoved. hic.

Anno millesimo decimo tertio, mense Iulio, Rex Danorum Swanus, cum validâ classe, ad Sandicum portum est appulsus. Ibique paucis diebus moratus, decessit: & Estangliâ circumnavigatâ, ostium Humbri fluminis intravit: de quo, in flumen Trentam ingressus, ad Gainsburg navigavit: ubi & castra posuit. Cui sine cunctatione, Comes Uthredus, & Northumbrenses, & Lindisienses primitus: deinde Fisburgenses, mox etiam omnis populus, qui habitabat in Septentrionali plagâ Wathlingastrete, id est Strata, quam filii Wethle Regis, ab Orientali mari, usque ad Occidentale, per Angliam, straverunt; deditionem obtulerunt: & pace cum illo stabilitâ, obsidibusque datis, fidelitatem ei juraverunt: quibus præcepit, ut equos, & alimenta suo exercitui præpararent. Hæc illi. Sensit ergo primùm, hoc anno, Swani impetum Septentrio: ubi populus, servitutis impatiens; ideò ad nova imperia promptus; quia omne imperium fugiebat. Hinc ille tyrannidem auspicatus, per consulares Romanorum vias, viam sibi fecit, ad Insulæ principatum. Cæterùm quod supra Authores Watlinstratam, à filiis Wethle Regis, deducunt; insolens est; & alii potius à Vitelliano quodam, quem Romani, cùm vias has sternerent, operi præfecit, appellationem derivant. nam illum Britanni, Guetalin, suâ dialecto, vocaverunt. Swanus igitur obtentâ Northumbriâ, Merciorum etiam provinciam aggressus; Lincolniensem agrum in suam potestatem redegit.

Watlingstrata a quo sic dicta.

III. Fisburgenses quinam?

Sed quinam illi; quos Author supra, *Fisburgenses* appellavit, & Wigorniensis paulò inferiùs Fisburgingos? eadem difficultas est de Seovenburgensibus, qui ab iisdem Authoribus, statim nominabuntur: & placet hic illos conjungere; quia Septentrionales videntur fuisse; & Swano hoc anno subditi. Camdenus accuratus locorum illustrator, ingenuè fatetur obscurum id esse; nec se illud expedire posse: Northumbriæ tamen, pressè dictæ, incolas vocat. nam provinciam illam lustrans, hæc habet. *Fuerunt in hac regione, populi quidam, Seovenburgenses & Fisburgingi dicti; quorum locum designare in obscuritate tanta, judicii non est mei. Nec definire an Dani, vel Angli fuerint.* Ego puto fœderatos fuisse, qui in hac rerum

Camden. in Northumb.

distractione, societatem inicant, se mutuo contra omnem inimicum impetum defendendi: fortem Angliæ Scotiæque confinio, ubi utrimque ferè hostis imminebat. Hi ergò, ubi quinque oppida se conjunxerant, Fifburgenses: ubi vero septem, fœdus contraxerant, Seovenburgenses dicti. Facit ad hanc meam conjecturam Huntindonius, qui Suani expeditionem narrans, hæc habet:

Huntind. hic.

Anno decimo-tertio (post millesimum) *Swein, Rex Dacorum, venit per Humbram, usque Gainsburg; statimq; subditus est ei Uthred, Dux Nordhumbre, & tota gens illa. Gens etiam Lindsey, & Gens urbium quinque: & omnes ex boreali parte Watlingstreete, dederunt ei obsides.* ubi quos alii Fifburgenses nominant, ipse, *quinque Urbium gentem*, vocat. Ubi tamen gentium, gens illa vixerit; nec definit ipse, nec inde possum conjicere. Prosequamur ergo Swani victoriam, quem Gainsburgi reliquimus.

IV. DANI IN MERCIIS GRASSANTUR.

Hoved. hic

Hic impletis (narrat Hovedenus) *& classe cum obsidibus Cnuto filio suo commendata: sibi lectos auxiliarios, de deditis sumens; adversus Australes Mercios expeditionem movit: & pertransitâ Watlingstreete, suis edictum posuit; videlicet, ut agros devastarent, villas cremarent, Ecclesias spoliarent; quicquid masculini sexus, in manus venirent, sine respectu misericordia jugularent: fœminas ad suam libidinem explendam reservarent: & omnia, quæ possent, mala peragerent. Quibus ita facientibus, & rabie ferinâ debacchantibus; venit Oxen-fordam, & illam citius, quam preus putavit, obtinuit: obsidibusq; acceptis, festinato Wintoniam properavit. Quo cum venisset; crudelitatis ejus magnitudine, cives Wintonienses perterriti, pacem cum eo, sine morâ, fecerunt: & obsides, quos, vel quot, expetiit, dederunt. Quibus acceptis versus Lundoniam movit exercitum: de quo multi, in Thamesi fluvio submersi interierunt: quia nunquam pontem, neque vadum quærere voluerunt. Cumq; Lundoniam venisset; multis modis illam, vel dolo capere; vel vi expugnare, conatus est. Sed Rex Anglorum Egelredus, cum civibus, & juvamine Danici Comitis Turkilli sæpè memorati; qui secum tunc temporis inierat, muros urbis viriliter defendit; & illum abegit. Qui repulsus, primò Walingfordam, deinde Batham; omnia quæque more solito rapiendo, & demoliendo, adiit: ibiq; exercitum suum recreando constituit. Tunc venit ad eum Athelmarus, Domnaniæ Comes, & cum eo Occidentales ministri: & pace cum illo factâ, obsides illi dederunt. Quibus omnibus ad velle peractis, ad suam classem reversus, ab omni populo Anglorum, Rex appellabatur, & habebatur; licet tyrannicè faceret. Cives etiam Lundonienses, obsides illi miserunt, & pacem cum eo fecerunt: metuebant enim furorem illius, in tantum super se inardescere; ut omnibus suis rebus ablatis, vel oculos illorum erui, vel manus, vel pedes detruncari juberet.*

ETHELMARUS ET OCCIDENS CUM DANO PACISCITUR. ITEM LONDINENSES.

V. ETHELREDUS DE FUGA COGITAT.

Fractus hac malorum tempestate Ethelredus; cùm Danum cerneret ubique victorem; cùm procerum fides suspecta, & civium animi, quà timore, quà justa injusti regiminis indignatione, aversi, in Danorum imperium frequentes concederent: non ultra pro regno pugnare, sed suæ filiorúmque saluti consulere, porrò decrevit. Cur enim cum iratâ fortunâ diutius luctaretur; qui Londinensem urbem, imperii sui arcem, hosti proditam conspiceret. In fugâ igitur præsidium omne constituit; ratus, pro rerum necessitate consultius esse; foris & peregrè; quàm domi inglorium, patriæ, regnique sui exterminium cernere. Tunc enimverò didicit malè parta, [illegible] dilabi, & nunquam bene firmari coronam [illegible] terno sanguine, & nullo jure, acquisitam. [illegible] menti occurrit Dunstani trepidatio, atque v[illegible] cinium, se Regem ungentis: cum invitis omnibus, auspicatò nihil, perageret. Nec abscessit, f[illegible] auxit fraterni sanguinis crimen, fusus Danorum sanguis, cùm contra fidei Sacramentum, jussit omnes interfici. Hæc Regi scelera, r[illegible] um perdiderunt: & quia ille Abel justum occiderat; Deus jus[illegible] à sententia iterum dixit: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me, de terra.* [illegible] *vagus & profugus eris super terram.* quod hoc anno factum; nam præmissa conjuge filiisque in Gallias, ipse eos sequi coactus est.

VI. [illegible]

Cum hæc constantissimæ veritatis sint: cum, inquam, sanctissimi viri prædixerint, non benè capiti coronam insessuram, malis artibus acquisitam; cum Deus etiam dicta confirmaverit. Quâ quæso notâ digni sunt, qui nodum in scirpo quærentes, aliud causantur, in odium orthodoxæ fidei, atque veritatis. Antiquitatum Britannicarum scriptor, cùm Livingum, è Wellensi [illegible] ad Cantuariensem deduxisset; miseram rerum faciem, & Anglicani regni casum monachis tribuit. *Livingi tempora, quoniam ob Dacorum gr[illegible] incursiones, turbulentissima, plenaque calamitatum [illegible] runt; sine alicujus rei, tanquam ab Archiepiscopo gesta commemoratione, Scriptores omnes pertransierunt. Sed certum est, Monachorum otium, totam Anglorum gentem, in tantam ignaviam, atque socordiam, exemplo suo induxisse, ut ad repellendos undique influentes hostes; nec erigere animos, nec vires, atque copias colligere, valeret. Ita nobilis & perbeata patria, indigenis inspectantibus, nec resistere audentibus; vicinis barbaris exposita præda est. Hujus rei vitium Monachi, parum æqui judices, ut à se transferrent, Ethelredo Regi totum tribuunt.* Nescio an barbaris, tam barbarè exposita unquam Insula fuerit; quàm hic Author barbarè prostituit veritatem. Nos scimus: cùm Reges delirant, plectuntur Achivi: raro legimus, subditorum peccata Principes luere: nisi peccatis ipsi consentiant. Nova tamen Fides, nova omnia facit, historiam, Ecclesiam, Deum. Deus Augustinum monachum in Britanniam misit: Augustinus monachus Ecclesiam fundavit, Romana & orthodoxa fides eandem ditavit: Virginitemque servavit; donec Parkerus conjugatus illam accepit. Tunc autem nova rerum facies inducta fidei & Ecclesiæ: & quia nova fides præferri debuit antiquæ, conjugium castitati (alias degener ille, & illegitimus successor haberetur) monachi non solùm debent illi locum cedere: sed omnium præteritorum malorum causæ esse, & Regum etiam crimina, luere.

R[illegible] TUR.

VII. ETH[illegible] REDUS [illegible] [illegible] MNIUM CAUSA [illegible]

Sed missis his, qui omnia vitiant; Deum purius spectemus, Ethelredi crimina, procerum perfidiam, provincialium inertiam, castigantem. Nec potest in hac vitâ major pœna infligi: quam regno, quod ille quinque jam, & triginta annos tenuerat, exui; illudque hosti concedere. Dicant ergò Parkero antiquiores, quid Ethelredum Regem ad fugam moverit, & quomodo illam, hoc anno, adornarit. Westmonasteriensis ita narrat: *Inter hæc omnia, Rex Anglorum Æthelredus, jacebat in urbe Londoniarum inertia torpens timidus & suspiciosus; nulli se committere ausus.*

De mor-

*De morte fratris sui Eadwardi conscientiam habens cauteriatam; ne citius divinam sentiat ultionem. Exercitum congregare, vel contra hostes ducere, non audebat: metuens ne nobiles regni, quos injustè exhæredaverat; in campo eum relinquentes, hostibus traderent ad damnandum. Hac misera conditio misero Regi fuit. Tandem Rex, tot perturbationibus confossus, recessit clanculum à civitate Londoniarum: & primus ad Suthamptoniam, ac postea ad Vectam Insulam navigavit. Et inde Reginam suam Emmam in Normanniam, ad Ducem Richardum fratrem suum, cum filiis suis Aelfredo, & Edoardo & eorum magistris Ælfhuno * Dunelmensi, & Abbate Midesbamensi Ælfsio, dirigens, cum honore & reverentiâ, ab ipso Duce, sunt recepti. Eadricus quoque Regis Æthelredi consanguineus, cum militibus septies viginti, cum Reginâ, ut custos ejus transfretavit: ubi cum ipsa duobus annis residens, ei magnificè ministravit. Sicque, illo mense Augusti mare transeuntibus: Æthelredus, cum classe suâ, in Insulâ Vectâ remansit, usque ad Natale Domini; si bona de eis nuntia audierit, Reginam & filios secuturus. Inde mox, ut à partibus transmarinis audivit Richardum Ducem, sororem & filios ejus, cum magnâ hilaritate suscepisse; Rex Æthelredus mense Ianuario, in Normanniam transiens, miserias suas fidulitate, & consolatione Ducis magnifici sublevavit.* Hæc omnia Florilegus.

* Londinensi.

VIII. Quis Ethelredi liberos erudivit: Alfhunus Dunelmen. an Aldunus Londin. Godwin in Londin.

Verùm, quod de Ælfhuno Dunelmensi dicitur, fortè rectiùs in margine legendum notatur, *Londinensi* Episcopo: sic enim eum vocant Wigorniensis, atque Hovedenus. Qui enim Dunelmi nuper sedit & etiamnum sedet, Antistes, Aldunus dicitur. Unde Godwinus de Londinensi: *Alhunus*, inquit, *erudivit liberos Ethelredi Regis, & in Normanniam eos comitatus est, anno millesimo decimo-tertio.* Sed tamen sui immemor, cum de Dunelmensibus Episcopis agit: in Aldwino (quem alii Aldunum vocant) hæc habet; perperam de tempore; nescio an benè de Episcopo scribens: *Filios Ethelredi Regis Alfredum; &, qui postea regnavit, Edwardum Confessorem dictum, Aldwinus iste erudiebat: & patre eorum, per Swanum regno deturbato, illos unà cum Emmâ Reginâ, in Normanniam deduxit, ad Richardum Normanniæ Ducem, Emmæ prædictæ fratrem, anno 1017.* sed legendum, ut suprà anno 1013. Godwinus ergo impedit, non expedit litem. Cæterùm quia Londinensis Episcopus, regiæ aulæ vicinior erat, & Aldunus multo remotior: dixissem Alfhunum potiùs quàm Aldhunum, eos docuisse; nisi Malmesburiensis esset in contrarium: qui Ethelredi consilia, & decretum, hoc anno, profectionem explicans, ita loquitur: *Interim mense Augusto, dum clementior aura componit pelagus; Emma ad fratrem naviget, communia pignora apud eum depositura. Sint Comites eorum, Episcopus de Dunelmo, & Abbas de Burgo. Ego hic usque ad Natalem Domini manebo: si bona nuntiaverint, subsequuturus continuo.* Si ita dixit Ethelredus: dicendum pariter est, Aldhunum Swano Northumbriam possidente; ad Ethelredum, fidei suæ memorem, confugisse: & cum redire, rebus turbatis, non auderet; regiorum puerorum curam habuisse. S. Edmundi corpus, hoc anno, Burgum, ex urbe Londinensi, relatum esse; satis ostendunt ea quæ dicentur anno sequenti.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 10. fol. 70.

ANNUS CHRISTI 1014.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 3.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 36.

I. Insula sua Dano gemit.

Anno Domini millesimo decimo-quarto, Danus ubique in Angliâ dominatur. Turkillus quidem pro Ethelredo stabat: sed Swanus potentior, imperium habebat, & vulgo, Regis nomen. Uterque miserè provincias exhausit. *Swain ab omni populo* (inquit Huntindonius) *habebatur pro Rege; jussitque dari per Angliam victum, & censum, exercitui suo. Turchil verò similiter jussit dari exercitui suo, qui erat in Grenewic.* Dixi Swanus potentiùs dominari; quia jam quicquid Ethelredo paruerat; datis obsidibus, pactaque fide; illi Ducibusque ejus, cesserat. Unde firmaturus sibi, & posteris imperium: dum avidè nimis, nimia colligit; parum, vel nihil stringit: dum pecuniam undique corradit; & pecuniæ cupiditate Ecclesiam lacerat, Sanctis detrahit; Deum hoc anno vindicem sensit, regnúmque quod avidiùs hauserat, nunquam digessit. Unde Danorum quidem Rex, vix unquam Anglorum fuit. Huntindonius paucis absolvit Swani casum: *Anno*, inquit, *decimo quarto* (post millesimum) *Suain jam Rex Anglorum, in exordio regni sui, subitâ morte periit. Exercitus autem ejus elegit Cnut filium suum in Regem.* Verùm miseri Regis inchoata simul, & terminata felicitas, est paulò latiùs explicanda. Nam Regum crimina, quæ Deus suâ manu punit, aperienda, propalanda, inculcanda sunt: ut eo argumento peccare desinant, qui nullo alio doceri possunt, aut certè volunt.

Huntindon. fol. 461. prim.

Huntin. suprà.

II. Swanus parum regnat. Malmesb. de Reg. l. 2. fol. 70.

Swanus interea, modo quo diximus (ita narrat Malmesburiensis) *invasam Angliam rapinis, & cædibus urgebat: provincialium substantia prius abrasa, mox proscriptiones factæ. Hæsitabatur totis urbibus; quid fieret: si pararetur rebellio, assertorem non haberent: si eligeretur subjectio, placido Rectore carerent. Ita privatæ, & publicæ opes; ad naves cum obsidibus deportabantur: quod non esset dominus ille legitimus, sed tyrannus atrocissimus. Sed non diu propitia divinitas in tantâ miseriâ sivit fluctuare Angliam. Siquidem pervasor continuo ad purificationem Sanctæ Mariæ; ambiguum quâ morte, vitam effudit. Dicitur, quòd terram sancti Edmundi Regis, & Martyris depopulanti, idem Martyr, per visum, apparuerit; leniterque de miseriâ suorum conventum, insolentiusque respondentem, in capite perculerit. Quo dolore tactum, in proximo, ut prædictum est, obiisse.* Hæc ille. Habes ergò, de Juliano Apostatâ repetitum miraculum. nam ut ille, è cælo, percussus, manu invisibili, & ex eo vulnere certissimè mortuus; suspensos multorum animos, de mortis genere reddidit: Ita Swanus, ambiguum fecit; unde telum, & quâ manu descendit; quod indubiam tamen mortem intulit. Cæterum, quod Edmundus sanctus, Rex & Martyr, de quo sæpè suprà, telum intorserit, non unus Malmesburiensis rectè conjecit: sed alii plures, constanter affirmant: quod & Canutus filius, ingenuè confessus est; qui Sanctum illum, locúmque, quem parens temerarat, eximiè coluit, collatis muneribus, concessis privilegiis, & diplomate Regio, omnia confirmante, ut infra anno 1020. n. 6.

Edmundiburgum depopulatur, aut vexat.

E cælo percutitur et perit.

III.

Baron. hoc n. 17.

SWANI MORS DESCRIBITUR.

Hinc Baronius, hunc annum percurrens ita scribit: *Hoc eodem anno Swanus, vel Sweyum, Rex Danorum; qui anno superiore, ingenti comparatâ classe, invaserat Angliam: Sancto Edmundo, Rege, & Martyre ultore, diro perimitur vulnere. Memoranda res ab antiquioribus, ex libello miraculorum ejusdem sancti exscripta, digna qua intexatur Annalibus. à Rogerio sic describitur. Anno millesimo decimo-quarto, Swanus Tyrannus, post innumerabilia, & crudelia mala; quæ vel in Angliâ, vel in aliis terris gesserat: ad cumulum suæ damnationis, ex oppido, ubi corpus pretiosi Martyris, & Regis Eadmundi, requiescit (quod nemo prius audebat facere, ex quo id oppidum datum fuerat memoratæ Sancti Ecclesiæ) grande tributum ausus est exigere. Quod si cito non penderetur, se procul dubio ipsum oppidum, cum oppidanis crematurum, ipsius Martyris Ecclesiam funditus eversurum; clericos variis modis cruciaturum, sæpissimè minatus est. Insuper, & ipsi martyri multis modis frequenter detrahere, & illum nihil sanctitatis habere, fuit ausus dicere. Denique cum imminente vespere dies; quæ in generali placito, quod apud Geagnesburg tenuerat; hæc eadem minitans, iteraret: atque Danorum cuneis circumvallatus esset densissimis, sanctum Edmundum, ex adverso, venientem solus vidit armatum. Quem cum vidisset, expavit; & nimio cum clamore vociferari cœpit: Succurrite commilitones, inquiens, succurrite. Ecce sanctus Edmundus, me venit occidere. Et cum hæc diceret, acriter à Sancto confossus cuspide; de emissario, cui insederat, decidit: & usque ad noctis crepusculum, magno cruciatus tormento, tertio nonas Februarii, miserabili morte vitam finivit. Hæc de tyranni interitu Rogerius, eadem Westmonasteriensis, hoc anno, ex libello, ut dictum est, miraculorum ejusdem Sancti.* Hactenus Baronius.

IV.

SWANI IMPIETAS PRECES SPERNENTIS ET MONITA.

* V. an. 1010. n. 11.

Capg. in vita S. Edmundi Martyr.

Auxit Tyranni crimen, & Sancti iram accendit; quod supplici legatione præmonitus; parceret loco, qui in Edmundi Martyris patrocinio erat; cæleste mandatum spreverit: & Egelwinum monachum, quem suprà * incorrupti corporis custodem appellavi, à Sancto missum, duriùs exceperit. rem gestam accipe è Capgravio: *Rex quidam Danorum, nomine Swanus, cum magnâ navium multitudine Angliam intrans; nulli parcens ætati, sexui vel ordini, cæde & incendio cuncta vastabat: & ubique prædas agens, ab incolis totius terræ, tributa exigebat: & ad propriæ damnationis cumulum, ex urbe Sancti Edmundi Martyris, grande tributum petiit: alioquin ni si solveretur, urbi incendium, civibusque exitium, comminatur. Insuper, & sancto Edmundo probrosi detraxit. Audientes hoc cives, & vehementer expavescentes, ante sepulchrum sancti Edmundi, se prosternunt; cum multis lacrymis & singultibus; devotis precibus, opem Martyris implorabant.*

EGELWINUS S. EDMUNDI CUBICULARIUS.

Erat enim in eodem loco monachus quidam, nomine Egelwinus, sancto Martyri adeo devotus, ut ejus secretalis cubicularius, merito ab omnibus vocaretur. Hic quando sibi opportunum videbat; solus ad Martyrem ingrediens, corpus ejus diligenter abluebat; capillos capitis reverenter demulcendo, planos pectine reddebat; pilosque pectinis violentiâ extractos, in pixide ponens; quasi viventi in carne debitum servitium impendebat. mutuis allocutionibus, ore ad os, quasi amicus amico, non solum utile responsum dare Sanctus non distulit; sed etiam variarum oppressionum, quas sibi referebat, curam levaminis, & salubris consilii notificavit. Huic sub noctis silentio, sopori dedito sanctus Edmundus, vultu mœrore confecto, astitit dicens: Perge, inquit, ad Regem Danorum Swanum: & ex parte meâ, nihil dubitans præcipe; ut ab infestatione meorum, & tributi exactione civium, desistat; si divinam imminentem effugere cupiat ultionem. Cum autem monachus hæc Regi nuntiasset; more Leonis frendens, nisi citius fugeret, mortem jure jurando minabatur. Imminente autem vesperâ, in medio commilitonum suorum, apud villam de Ganesburgh, Swanus pugione sancti Edmundi confossus est. Sicque vociferans, noctis crepusculo, mortuus est, tertio nonas Februarii. Canutus verò filius Swani hoc videns; mitius deinceps, cum S. Edmundo, egit: fossatum terræ S. Edmundi circumduxit, immunitatem ab omni præstatione terræ tribuit: Basilicam super corpus construxit, monachos instituit, & prædia multa donavit. Hactenus vitæ scriptor. De Canuti pietate, in S. Edmundum dicam plura inferiùs. *

CANUTI IN S. EDMUNDUM REVERENTIA.

* V. an. 1020. n. 4. & an. 1021. n. 1.

V.

SWANUS CHRISTIANUS FUIT.

Licet Swanum Juliano Apostatæ comparaverim; sciendum tamen, Christianum fuisse, & Christiano more mortuum: Sed quia Danorum exercitus, infidelium paganorum numero constabat; videtur ipse, ut militi placeret, Christianum hominem aliquando exuisse, ita liberè & licenter, de Edmundo sancto loquutus est. Sed noluit Deus, aut Ecclesiam, aut Sanctum suum, à mortali linguâ lacerari; & terribili argumento futuros Principes docuit; nec Ecclesiam, nec Sanctos tangere. Prosequitur hoc argumentum Joannes noster Satisberiensis, in Polycratico; ubi octavi libri caput vigesimum primum, ita inscribit: *Omnium Tyrannorum finem esse miseriam: & quod in eos Deus vindictam exercet; si manus cesset humana.* Quod cum Juliani exemplo probavisset, Swani Danorum Regis confirmat miserando exitu, hunc in modum. *In gente quoque Britanniarum, sicut quædam nostratium testatur historia, ad compescendam, & puniendam tyrannidis rabiem, gloriosissimi Martyris, Regis Edmundi, manum exercuit (Deus) Cum enim Swanus Britannia Insulam, quam ex magnâ parte occupaverat; vastaret, spoliaret, & membra Christi persecutionibus multis affligeret; indictione census, quem linguâ Anglorum Danageldum nominant, provinciam oneravit: præcepitque possessiones memorati Martyris, conferre in censum: supplicatumque est ei, contempsit preces. Missus a Martyre religiosus frater, sub interminatione inhibuit, ne Ecclesiam Christi, domum Martyris, & liberam familiam ejus, tyrannus indebitâ premeret servitute. Sed impietas ad preces obsurduit, intumuit ad prohibitionem, ad minas induruit: & conviciis, & injuriis afficiens humilem nuntium; Dei ultricem acceleravit manum, flagellum provocavit: & patientiâ Dei contemptâ, temeritate cæcus incurrit in mortem. Nec mora: nam Tyrannus è vestigio expiravit. Inter milites enim agens in castris: solus, sicut ipse confessus est; cum eclo vidit adesse Beatum Eadmundum, increpantem eum durissimè, & cadentem ad mortem. Et ab eâ quidem die, licet Insula graves tyrannos habuerit, Ecclesia Beati Eadmundi, à præfatâ indictione fiscr, mansit immunis. Nemo enim eorum, Martyrem ausus est provocare, aut in opprimendâ Ecclesiâ ejus, periculum facere sui.*

Ioan. Sarisb. Polycra. l. 8. c. 21.

VI.

NOVATORUM IMPIETAS SWANI CRIMEN SUPERGRESSA.

Ita Joannes, Carnotensis Episcopus, qui sequenti post Swanum sæculo floruit, sub annum Domini millesimum centesimum quadragesimum. Audaciores certè Sectarii nostri temporis, qui omnium tyrannorum impietatem supergressi,

Edmundi Martyris, Ecclesiam, & omnium Ecclesiarum bona, invaserunt; non unius, aut alterius annui census indictione: non per spiramenta temporum, aut annorum; sed uno velut haustu, uno plebiscito, post templorum, & altarium prophanationes, post explosa sacra, & ritus antiquos; ipsissima Ecclesiæ fundamenta, & dotationes, omnia Regum & Principum diplomata eraserunt. Necdum quidem Edmundus irascitur: sed diuturnior profectò pœna, quæ multum differtur. & ille tam Sanctus, tam potens, tam iracundus est, quàm olim fuit: & potest novos Danos antiquis armis premere. Sed prosequamur historiam.

CANUTUS SWANO SUCCEDIT.

Canutus patriæ loco successit; & ejus exemplo doctior, Sanctos coluit, Ecclesiæ detulit, monasteria dotavit: & tandem post aliquos pietatis suæ argumenta, Anglici regni coronam portare meruit: quam diu, & piè satis, Anglo-Saxonum Regum exemplo, gestavit. Debet tamen priùs, cum Ethelredo, & Edmundo, Ethelredi filio, luctari. nam provinciæ aliquot; quæ facilè Swano accesserant: visâ ejus tyrannide & impietate in Ecclesiam, ab ejus filio æquè facilè recesserunt: & Ethelredum iterum Regem; missâ legatione, enixè petiverunt. Quid inde factum dicat Wigorniensis.

VII. ETHELREDUS AD REGNUM REVOCATUR. *Wigorn. hic.*

*Swano mortuo, filium ejus Canutum sibi Regem constituit classica manus Danorum. At majores natu totius Angliæ, ad Regem Anglorum Æthelredum, pari consensu, nuntios festinanter miserunt, dicentes: se nullum plus amare, vel amaturos esse; quàm suum naturalem Dominum: si ipse, vel rectiùs gubernare, vel mitiùs eos tractare vellet, quàm priùs tractarat. Quibus auditis, Eadwardum, filium suum, cum legatis suis ad eos dirigens, majores minoresq; gentis sua amicabiliter salutavit: promittens se illis mitem, devotumque Dominum futurum, in omnibus eorum voluntati consensurum, consiliis acquieturum; & quicquid sibi, vel suis, ab illis probrosè, & dedecarosè dictum, vel contrariè factum fuerat; placido animo condonaturum; si omnes unanimiter, & sine perfidiâ, illum recipere vellent in regnum. Ad hæc cuncti benignè responderunt. Deinde amicitia * plenaria, ex utraque parte, & verbis, & pactis confirmatur. Ad hæc Principes, se non amplius Danicum Regem admissuros in Angliam, unanimiter spoponderunt. His gestis; ab Anglis, in Normanniam mittitur: Rex festinata Quadragesimali tempore reducitur. & ab omnibus honorabiliter excipitur.* Aldunum etiam Dunelmensem Episcopum, vel cum Edoardo Principe; vel cum Etheredo patre redisse, dicendum est.

* fortè *amnistia*

VIII. REDIT IN ANGLIAM. *Malmesb. de Reg. lib. 2. fol. 71.*

Ethelredus postliminio redux; & iterum Rex, novos animos sumpsit; & Danos ipse ad certamen provocare ultra aggreditur: adeo intellectum dederat afflictio. Unde benè Malmesburiensis: *Regressus Rex Ethelredus*, inquit, *& lætis Anglorum plausibus delinitus; ut familiarem desidiam videretur excussisse; maturavit contra Cnutonem, exercitum colligere: qui tunc temporis in Lindesiâ, ubi eum genitor cum ratibus, & obsidibus dimiserat; tirones & equos exigebat; ut pariter coactis viribus, in imparatos se effunderet; graviter ut ipse dictitabat, in desertores ulturus. Sed dolo, qualem ipse machinabatur, præventus, terga ostendit. Tunc ægrè salvatus, & in altum cum reliquiis provectus, ab Oriente usque in Austrum, mari Britanniæ circuito ad Sandwich appulit. Ibi humano, & divino jure contempta, obsides quos habebat, magnæ nobilitatis, & elegantiæ pueros, naribus & auribus truncatos, quosdam etiam ejuravit *. Sic in insontes grassatus, & magnum quid egisse gloriatus, patriam petit.* Sic Insula, sub finem hujus anni à potentissimo hoste liberata, Ethelredum Regem habuit, & sine rivali monarcham. Sed halcionii dies, pauci fuerunt. & brevi Danus redibit, decretumque illi à Deo imperium recipiet.

* fortè *aviravit.*

CANUTUS PATRIAM REPETIT.

ANNUS CHRISTI 1015.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 4.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 37.

I. EDRICI PERFIDIA IN ETHELREDUM REFUNDITUR. *Wigorn. hic.*

SEQUITUR Christi annus millesimus decimus quintus, quo nova ex Oceano tempestas, Insulam inundat; quam Cæli, Solique nostri intemperies, causasse videtur. Cum Danorum Principes, qui ab Ethelredo stabant, & in Insulâ remanserant; Edrici dolo capti, occiduntur. quod ita narrat Wigorniensis: *Hoc anno (1015.) cum apud Oxenfordiam magnum haberetur placitum: perfidus Dux, Edricus Streona, digniores & potentiores ministros, ex Scovenburgensibus, Sigeferthum, & Morcarum, filios Earngrimi, in cameram suam dolosè suscepit: & occultè eos ibi necari jussit. Quorum facultates Rex Æthelredus accepit, & derelictam Sigeferthi Aldgitham, ad Maidolfi urbem deduci præcepit. Quæ cum illic custodiretur; venit illuc Eadmundus Clito, & contra voluntatem sui patris, illam sibi uxorem accepit: & inter Assumptionem, & Nativitatem S. Mariæ, profectus ad Fisburgingas, terras Sigeferthi & Morcari invasit, ac populum illarum sibi subjugavit.* Hæc ille. Ethelredus homicidii author, & Princeps fuit; qui datam nuper provinciis fidem immanè temeravit hoc facinore. promisit enim se mitiùs, quàm antea, & humaniùs regnaturum. Et licet non Daniæ, sed Angliæ id religiosè promiserit: violavit tamen hospitii jura, cum exteros in suâ clientelâ positos, tam barbarè trucidavit.

II. *Malmesb. de Reg. l. 2. c. 10. fol. 71.*

Quod Dani fuerint Sigefertus, & Morcarus, Malmesburiensis dilucidè affirmat; causamque necis, quanta quanta fuit, sic exponit. *Rex*, inquit, *nobilissimos Danorum Sigeferdum, & Morcardum, interfici jussit; delatione proditoris Edrici, perfidiæ apud se insimulatos. Is illos favorabilibus assentationibus deceptos, in triclinium pellexit; largiterq; potatos, satellitibus ad hoc præparatis, animâ exuit. Causa cædis ferebatur; quòd in bona eorum inhiaverat. Clientuli eorum, necem Dominorum suorum vindicare conantes, armis repulsi: & in turrim Ecclesiæ sanctæ Fridesvvidæ Oxoniæ coacti. Unde dum ejici nequirent, incendio conflagrati sunt. Sed mox Regis pœnitentiâ, eliminata spurcitia, sacrarium repatatum. Uxor Sigeferdi, Malmesburiam, in captionem est abducta; spectabilis nobilitatis & formæ fœmina. Quapropter Edmundus Regis filius, dissimulatâ intentione, in partes illas iter arripiens; visam concupivit, concupitæ communionem habuit. Sanè patris eludens conscientiam; qui domesticis, & alienis, esset ridiculo.* Edmundus hac arte Sigeferdi terras, quæ in Northumbriâ erant amplissimæ, invasit. Sed diuturnus possessor, aut conjugis, aut terrarum, esse non potuit.

ECCLESIA S. FRIDESWIDÆ OXONII COMBURITUR.

REFICITUR.

III. Canutus in Angliam redit.

Hic fusus Danorum fanguis, fufo iterum Anglorum fanguine expiabitur: nam pulfus nuper hoftis, & causâ, & milite auctior, redibit in vindictam. Quod hoc anno factum, cum Canutus parentis profecuturus victoriam in Angliam revertitur: & fortiùs, qoàm antea figit pedem. dicat hoc Wigorniensis: *Eodem tempore* (de hoc anno loquitur) *Canutus Rex Danorum, cum magnâ classe, ad Sandicum portum venit: & mox Cantiâ circumnavigatâ, oftium Fromæ fluminis introivit: & in Dorfetaniâ, & Sumerferoniâ, Wiltonienfiq; provinciis, magnam prædam egit.* Decumbebat tunc æger Ethelredus Rex, ad Cosham oppidum, in Wiltonienfi Comitatu: fed defectum egregiè fupplesset Edmundus filius, fi Edricum patriæ prodıtorem, non habuiffet militiæ collegam. Nam Regius adolefcens armis, animóque, parente major, Canutum ab incendio avertiflet; fi fidem alter fervaffet. Enimvero *Eadmundus Clito, ex unâ parte* (inquit Wigorniensis) *& Dux, infidiis, doloq; plenus, Edricus Streona, fuum magnum congregavit exercitum. Sed cum in unum convenirent: modis omnibus infidias Clitoni Dux tetendit; illumq; Dux perimere tentavit. Quibus cognitis, mox ab invicem difcefferunt: & locum fuis inimicis dederunt. Non diu poft, de Regiâ classe quadraginta naves, Danicis militibus inftructas, fibi allexit: & Canutum adiens, ipfius dominio fe mancipavit. Idem West-Saxones, datis obfidibus, fecerant; & poftea caballos exercitus paraverant.* Ita tandem Edricus larvam detraxit, & nudum monftri vultum oftendit. Sed verfipellis homo, iterum larvam induet: & facilem Ethelredum, & Edmundum, aliàs invictum, fuâ fraude vincet.

Wigorn. h. t.

Idem suprà

Edricus proditor Canuto iungitur.

IV. Athelwoldus Wintoniensis moritur: Succedit Alfsius.

Moritur hoc anno Wintonienfis Epifcopus, Athelwoldus: cui Elfius fucceffit, quem Eadfinum etiam, & Alffium vocant. Livingucum, jam in patriam redux confecravit. fugerat enim, Danorum in Cantia crudelitates expertus: & demum cum Ethelredo rediens, Elfium potuit ad majus facerdotium promovere: cui etiam, in Cantuarienfi Sede, mortuo primo fucceffore, fubftitutum putant Godwinus & Parkerus: qui etiam affirmant, Eadfium Sacerdotem fæcularem fuiffe, & Haraldi Regis capellanum, ab eóque in Wintonienfem Sedem promotum; quod cum Faftis Savilianis ftare non poteft, qui ad hunc annum, faciunt Wintonienfem Epifcopum: Haraldus autem, nonnifi poft annos viginti, Rex potuit appellari. His adde Weftmonafterienfem, qui cùm Canuti reditum retuliffet: *Eodem anno*, inquit, *defuncto Æthelwoldo, Wintonienfi Epifcopo, Ælffius fucceffit.* Malè ergo dicti Authores Edfium cum Elfio confundunt, ut dicam infra* cùm moritur Elfius.

* v. an. 1035 n. 6.

ANNUS CHRISTI 1016.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 5.

ETHELREDI ANGLORUM REG. 38.

I. Summa dicendorum.

Aggredior ultimum Ethelredi Regis annum, multâ rerum varietate celebrem. nam Canuto hoste Infulam pervadente, inter armorum ftrepitus, Anglorum Rex moritur: Eo mortuo; divifa majeftas, varios efficit animorum motus; nunc Dano, nunc Anglo vincente. Explicuit uterque vires fuas, & egregiæ fortitudinis argumenta dedit: nec potuit prælii fortuna decidere; cui, potiori jure, laurea tribuenda. Sic itum aliquando in pacis fœdera. Sed in pace, amaritudo mea amariffima. Anglus, immani perfidiâ, trucidatur: & Infulæ imperio Danus potitur. Hæc omnia ad Chrifti Domini annum millefimum fextum decimum confignantur; quæ dabo paulò explicatiùs.

II. Canutus Marcios vexat

Canutus, Danorum Rex, & quotquot ad eum è caftris fugerunt; tranfito Thamefi fluvio, ubi Crekeladum oppidum alluit; ipfo Januarii menfis initio, Merciam hoftiliter intraverunt. Tunc Cornavios imprimis, & Warwicenfem agrum vaftant, incendunt urbes, trucidant cives: nec erat provincialibus animus refiftendi. Anglis, fub ægro capite, una tantum fupererat fpes, in Regiâ prole. *Erat ifte Edmundus* (ita Malmefburienfis) *non ex Emmâ natus, fed ex quadam aliâ, quam fama obfcura recondit. Præter illud, integer in cæteris, prædicanda indolis juvenis, magni roboris, & animo, & corpore: & propter hoc, ab Anglis, Irenfide, id eft, ferreum latus, nuncupatus: qui patris ignaviam, matrisque ignobilitatem, virtute fua probâ, premeret, fi Parcæ parcere noffent.* Hic ergo, ex obviis, collecto exercitu, Danorum conatibus obviam proceffit. Sed priùs, quàm in hoftium confpectum, & ad manus veniretur; ortâ, de nationum, ac provinciarum jure, fimultas, diftraxit militem. Nam Mercii, incertum quâ de causâ, à Weft-Saxonibus alieni; cum illis, ne in communem quidem hoftibus pugnare voluerunt. Ita civili difcordiâ factum; ut Danus impunè, & nemine prohibente, in agros, ac tecta graffaretur. Tunc Edmundus, vires, mentemque magis acuit: & magnâ induftriâ, coactis undiquaque viris, majores quàm antea copias collegit: miffo ad Regem qui in Trinobantibus erat, nuntio, enixè rogat, ut cum Prætoriano milite quantocyus advolet; prædam de hofte, & indubiam victoriam relaturus. Sed feftinato, inquit, opus; quia necdum confirmatis, in Canutum, provincialium animis, facilè coronam illi, & regnum, excutias: fi porrò perrexerit; pedem fortiùs in terrâ, & civium pectoribus, fixuro.

Malmesb. de Reg. l. 2, fol. 71.

Edmundus militem colligit.

III. Ethelredus a suis deseritur.

Ethelredus, animatus hoc nuntio, filiique indole delectatus, Edmundo conjungitur: & certa fuiffet victoria, fi militem in fide continere potuiffet. Sed dudum decretum erat, Dunftano fancto fententiam dictante, vincendum Ethelredum. Et conftans debuit effe; quia fcripferat illam Deus, Edwardi Martyris fanguine. Miles igitur in fide, & officio fluctuare, pro Danis potiùs ftare, pro Ethelredo nolle pugnare. Quod ipfum adeò terruit; ut re infectâ Londinum redierit: ubi *falutem fuam muris committere, non in hoftem excurrere folitus*, inquit Malmefburienfis: & pergit dicere, quid deinde factum, ab utroque pugnace Principe, Canuto, & Edmundo. *Canutum interea*, inquit, *partibus fuis urbes, & vicos, applicare; nullo tempore feriari, noctibus confultare, diebus pugnare. Edmundus, diu deliberato confilio, in tantâ rerum anguftiâ, optimum factu arbitratus; fi urbes, quæ defecerant, pugnando reciperet: in eundem fenfum Uthredum quendam, Transhumbranum Comitem, adduxit. Cæteras enim, quæ adhuc dubio*

Malmesb. suprà.

Uthred Comis Edmundo coniugitur.

favore

f... ore pendebant, consit nandas putabant, si de re... bus, graves pœnæ sumerent ur. Sed Cnuto, non minori praditus astu a... simili eos ingenio circumvenit. nam commendatis Vest-Saxonibus, & Merciorum arte, quam subjecerat, Ducibus suis; ipse in Northanimbras profectus; depopulatione locorum, ... thre... m ad sua defen andâ redire coegit. Itaque ... se dedisset; barbarica levitate jussus est jugulari. ... ratus e... s ... atus est Irure; q... em postea æquales partes ... vindicantem, Cnuto ab Angliâ expulit.

Sed retrahitur.

IV. I... c ... angusti... . Edmundus, cùm in... firmi... rct; relictâ Northumbriâ, quæ nullum lib... imperium tenebat, ad patrem per... Londini animam agentem, *quam laboribus ... vitæ natam efflavit initio Quadragesimæ, die sancti Gregorii*, inquit Malmesburiensis. Sed legendum forte Georgii. nam hic iterum Authores, cum R... gem sepeli unt, vaticinii meminerunt. quo ... tæ compendium continetur. Itâ de ejus morte scribit Wigorniensis, ad annum 1016. *Eodem*, inquit, *tempore, Rex Anglorum Æthelredus, decimâ quartâ Indictione, nono Calendas Maii, feriâ secundâ, Lundoniæ defunctus est, post magnos labores, & multas vitæ suæ tribulationes: quas super eum venturas, regalis consecrationis suæ die, post impositam coronam, prophetico spiritu, Sanctus ei prædixerat Dunstanus. Quoniam, inquit, aspirasti ad regnum, per mortem fratris tui; quem occidit mater tua: propterea audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Non deficiet gladius, de domo tua, sæviens in te omnibus diebus vitæ tuæ, interficiens de semine tuo: quousque regnum tuum transferatur in regnum alienum; cujus ritum & linguam, gens cui præsides, non novit. Nec expiabitur nisi longâ vindictâ peccatum tuum, & peccatum matris tuæ, & peccatum virorum, qui interfuere consilio ejus nequam.* Ita ille. verè longa vindicta fuit, quæ non septenni pœnitentiâ, sed triginta septem annorum spatio duravit: nec nisi Edmundi etiam filii morte, & totius regni mutatione, translationéque ad externos, expiatur: quæ omnia hoc anno loguntur. Mortui Regis corpus, in Paulino templo deponitur, ad Septentrionale latus Ecclesiæ: ubi è marmore tumulus cernitur, ejus, ut opinio est, ossa continens.

Wigorn. h. c.

EDMUNDUS ANGLORUM REX.

V. Elato Ethelredo, sequutus est ingens animorum motus: his Canutum, armis, potentiâque majorem, illis, Edmundum omni jure potiorem, Regem proclamantibus. quod ita refert Wigorniensis: *Post Ethelredi mortem, Episcopi, Abbates, Duces, & quique nobiliores Angliæ, in unum congregati; pari consensu, in Dominum & Regem, sibi Canutum elegere: & ad eum in Suthamtoniâ venientes; omnémque progeniem Regis Æthelredi, coram illo, abnegando repudiantes, pacem cum eo composuere: & fidelitatem illi juravere. Quibus & ille juravit; quod & secundum Deum, & secundum seculum, fidelis esse vellet eis Dominus. At cives Lundonienses, & pars nobilium, qui eo tempore consistebant Lundoniæ; Clitonem Eadmundum, unanimi consensu in Regem levavere. Qui solii regalis sublimatus culmine, intrepidus VVest-Saxoniam redit, sine cunctatione: & ab omni populo, magnâ susceptus gratulatione, suæ ditioni subegit eam citissimè. Quibus auditis; multi Anglorum populi, magnâ cum festinatione, illi se dederunt voluntarie.* Hoc ergo anno, Edmundus à Livingo Cantuariensi Archiepiscopo, in Regem ungitur, vel Londini, ut vult Parkerus, vel apud Kinstonum oppidum, ut vult Spedus. Unde, ad Canutum; vel non accesserunt omnes Episcopi; vel citò præcipui ad Edmundum transierunt: qui ea dudum dederat bellicæ virtutis, & Regiæ mentis argumenta; quæ jure optimo, coronam sibi debitam, testabantur. Sed quia parens in regnum non per ostium intravit, sed more furis ascendit aliunde, belli jure, non natalium, decidi debet quæstio.

Angliæ regnum laceratur. *Wigorn. h. c.*

Canutus ... Re... ... et E... ... iun... ... eli... untur.

VI. Itaque Canutus; cui Ethelredi scelera viam parabant ad principatum Insulæ; quique provincias plurimas, terrore sui nominis, impleverat; victoriam prosequi, & needum omnino confirmatos in Edmundum provincialium animos, ... morum potentiâ, ad se trahere, festinavit. Et quoniam summam belli, in Londin... ... expugnatione sciebat esse. Eò quàm potest ... stinatò perrexit: & classe navium collectâ, ... *Rogationes* (inquit Wigorniensis *Lundoniam devehitur. Quo cum venissent, in Australi parte Thamesis fluminis, magnam scrobem foderunt: & naves suas in Occidentalem plagam pontis traxerunt. Deinde urbem altâ, latâq; fossâ, & obsidione cingentes, ingressum & egressum cunctis intercluserunt; at eam frequenter expugnare moliti sunt: sed a civibus, illis viriliter resistentibus, procul a mœnibus repelluntur. Quapropter obsidione ad tempus dimissâ; exercitusque parte, ad naves custodiendas relicta; in VVest-Saxoniam abierunt properè; & Regi Eadmundo Ferreo lateri, spatium congregandi exercitum, non dederunt. Quibus tamen ille, cum exercitu, quem in tantillo spatio congregaverat, Dei fretus auxilio, audacter in Dorsetaniâ occurrit: & in loco, qui Peonnum vocatur, juxta Gillingaham, cum eis congressus, vicit, & eos in fugam vertit.* Hoc inter Edmundi Regis trophæa, primum nominatur. Sequitur aliud, non minus illustre.

Ca... ... sta ... ... nat.

Edmundus Canutum fugat.

VII. Iterum post mensem fortissimi Principes, animo, vel ad moriendum, vel ad regnandum paratissimo; in Wigorniensi agro, ad Scearstan oppidum, conveniunt. Ibi Edmundus, pro loci commoditate aciem instruit, validissimum quemque in primo ordine locat: reliquos, ut occasio ferebat, nunc rarò, nunc condensim, dispensat; futuras laborantibus sociis suppetias. Tum docet singulos, ut dextrè petendus hostis; ut avertendi, & declinandi ictus, ut ad Imperatoris vocem, nunc contendere, nunc remittere impetum debeant: & demum ita orat. Non aliis, ô socii, vos præceptis onero; non vires, aut animos suggero, quos in unoquoque vestrum, loquentibus jam signis, colligo. Dicam tantum quod ipsi cernitis: Justissimâ causâ, in iniquissimum hostem pugnatis. & hoc est, victoriæ proximum. Illud etiam, quàm sæpè experti estis? timidum Danum, & fugæ ac pedibus fidentem, ideóque tam diu superstitem. Avertite hanc pestem, à patriæ visceribus; quam inde securi possidebitis. Hactenus enim, inimico, præda; Dano, servi; barbaro fuistis ludibrium. Nunc uno prælio excutite infamiam, & regnum, patriámque vobis asserite. Succurrant menti majorum decora, qui Insulam, in quâ nati non erant, armis virtuteque occuparunt; vos illam, sexcentorum annorum jure possessam, nolite perdere. Exuite igitur prædones istos; exuite servitutem, ad quam

Edmundus et Canutus in arenam descendunt.

Edmundi ad militem oratio.

ferè damnamur. Patriam, liberos, conjuges, & si parva sunt, Deum, & Ecclesias, præ oculis ponite: illis pugnate. Ego me vobis salutique omnium totum devoveo: regnaturus vobis, si sors ita tulerit: sin minus gloriosâ morte signaturus, quam debeo Reipublicæ fidem, & amorem.

VIII. CANUTUS MILITEM SUUM ANIMAT.

Non segnior ad suum instruendum militem Canutus: quod eò fecit accuratiùs, quò pro vitâ & fortunis omnibus erat dimicandum. Tum militem allocutus, & expositâ brevi oratione Anglicani regni amplitudine, terræque felicitate, pro quâ militabant: Hactenus, inquit, [illegible] cives, sine decore vicimus, vix meriti m[illegible]s nomen: nunc pugnamus in armatos. Hactenus modicâ prædâ, & raptim quæsitâ, contenti fuistis, nunc opima spolia [illegible], & Insulæ imperium. Pugnate igitur, & uno hoc prælio, æternam quietem emite. Sentiat orbis; quod necdum potuit; militari gloriâ virtuteque, an Danus præstet, an Anglus. Dixit; & ingenti animorum impetu utrimque concurritur.

DUBIO MARTE PUGNATUR.

Hi lanceis, hi gladiis, hi eminus sagittarum imbre: hi cominus cæsim punctimque, obvios sternunt. Quid multa? Edmundus ferreum latus, in primâ acie egregiæ virtutis argumenta dabat, nunc militi animos, nunc laborantibus suppetias, addens; ubique *strenui militis & imperatoris officia, simul exequebatur*, inquit Wigorniensis. Canutus contra, nunc militem accendendo, nunc hostem protrudendo, æqualem laudem meritus est: donec fesso utrimque exercitu, respirare paululùm, & receptui canere, coacti sunt. *Tam durum*, inquit Author supra, *tamque cruentum extitit prælium; ut uterque exercitus, præ lassitudine deinceps non valens pugnare, Sole jam occidente, ab invicem sit digressus, spontanea voluntate.* Ita mansit illius diei suspensa & anceps victoria.

Wigorn. hic.

IX. EDRICUS VICTORIAM AB ANGLIS AVERTIT.

Postridie redintegratum est prælium, & Anglorum virtus enituit maximè: donec Edrici astutiâ; qui Edmundi partes sequutus, pro illo sinistrâ manu, pro Danis, dexterâ pugnabat; prolato in medium demortui hominis capite, quod Edmundi esse mentiebatur; ad fugam sollicitavit Anglorum animos. Et verò vulgus militum fugisset: nisi Edmundi Regis præsentiâ, qui fraudem senserat, fabulam elusisset. *Tunc quantis poterat viribus* (loquitur Malmesburiensis) *Edmundus hastile ferreum intorquens, in Edricum misit: sed ab illo prævisum, & vitatum; in militem prope stantem, peccavit adeo, ut alterum quoque affigeret. Nox prælium diremit, aciebus quasi ex conniventiâ discedentibus. Anglis tamen victoriam pene sperantibus. Quo facto West-Saxonum conversi animi, dominum legitimum cognoverunt.* Canutus, usus beneficio noctis, subduxit se è castris; militémque permisit fugere. ipse ad classem se recepit, & novos inde animos collegit. *Ubi autem dies advenit* (narrat Wigorniensis) *& Rex Eadmundus, Ferreum latus, Danos fugisse comperit; majorem congregaturus exercitum, in West-Saxoniam revertitur. Cujus strenuitatem videns sororius ejus, perfidus Dux Edricus; ut naturalem dominum requisivit illum: & pace cum illo redintegratâ, se fidelem ei permansurum juravit.* Sed verbo vultúmque fingere, pellem Æthiops mutare, non potest: adeo se Dano Edricus mancipârat. Sed brevi; cum insignem Canuto operam vendiderit, & scelera sua jactaverit; mercedem recipiet, mancipio dignam.

Malmesb. de Reg. lib. 2. fol. 72.

Wigorn. hic

X. CANUTUS ITERUM LONDINUM PETIT.

Edmundo, in Occidente occupato; Canutus in Oriente, cùm classem, militémque collegisset, iterum Londinensis urbis mœnia pulsat. quæ cum pretio precibusque expugnare non posset, novâ obsidione cingit. hinc classe fluvium occupat: inde eductâ fossâ, aliud urbis latus includit. Sed fideli populo Edmundus adfuit. Danos fugat. Atque ita, *exercitu vice tertiâ congregato, Londonienses cives Rex obsidione liberavit*: ita Wigorniensis. Canutus irarum plenus, illas *in collimitaneam Merciam effudit; vicos, & villas, rapinis, incendiis, cædibusque depopulans opimas prædas ad naves convectâ, quas in amne Medeguaia congregaverat*: ita Malmesburiensis. Quod ut sensit Edmundus, novis itineribus hostem insequitur: & colligens undique militem: trajectóque Thamesi, ubi Brentus fluvius intrat, vadúmque & urbem denominat: in Cantium properat.

Wigorn. supra.

Malmesb. supra.

BRENTFORDUM.

Ibi juxta Ottafordam, inito certamine, Danos egregie fregit: & *victoriosâ clade eos delevit.* (Malmesburiensis qui addit: *Conantem ulterius tendere Edmundum; ut reliquias prædonum persequeretur ad internecionem: vafer ille, & pessimus Edricus, revocavit: ficto jamdudum animo, ingratiam reversus. Consilio enim Canutonis, cum Edmundo erat, ut ejus meditationes renuntiaret. Ultimus ille dies Danis profecto fuisset, si perseverandum Rex putasset. Sed præventus, ut dixi, susurro proditoris, qui hostes nihil ultra ausuros affirmarat, maturum sibi exitium, & Angliæ tori paravit.* Ita ille. Desiderati sunt in eo prælio, è numero hostium, quater mille quingenti. Anglus sexcentos tantùm amisit. & si uti victoriâ nosset, absolvisset Insulam, ab omni Danorum servitute. Sed Dominus Deus exercituum, aliud dixerat.

Idem supra.

EDMUNDUS DANUM FRANGIT.

EDRICUS [illegible]RUM PERFIDUS.

Spedus in Edmundo.

XI. CANUTUS ET EDMUNDUS ITERUM CONGRESSI.

Canutus, reparatis viribus, in Essexiam perrexit. Inde factâ militi prædandi potestate; Merciorum provincias oppugnat. Edmundus tunc in Occidente, citato itinere, in Canuti Principis occursum tendit: & eo apud Assendunum invento; militem componit, instruit, pollicetur facilem, de victo toties hoste, victoriam. Tum Canutum aggressus, perrumpit hostilem impetum, & multo utrimque sanguine, viam facit. Huntindonius hoc prælium ita recenset. *Sextum bellum commisit Edmundus, cum maximâ gente; & Cnut cum omnibus Dacorum exercitibus congregatis in Essex, apud Esesdune. Bello igitur acerrimo, & finali pugnatum est: & utrique invincibiles, cæde despecta, persistebant. Apparuit autem ibi virtus Edmundi juvenis. Cum enim Dacos solito acriùs pugnare videret; loco regio relicto, quod erat ex more, inter Draconem, & insigne, quod vocatur Standard; cucurrit terribilis in aciem primam. Vibrans igitur gladium electum, & brachio juvenis Edmundi dignum, modo fulminis scidit aciem, abrumpensque, mediam pertransiit: seque sequentibus obruendam dedit. Inde in aciem regalem advolat: ubi cum clamor, & stridor horrendus inciperet; videns Dux Edricus, ruinam Dacorum imminere, clamavit Anglorum genti: Fugite Angli, fugite, mortuus est Edmundus. Sic igitur clamans, fugam cum suis primum incepit; quem totâ gens Anglorum, in fugam subsequuta est. Illic igitur miranda strages Anglorum facta est. Illic occisus est Ednod Dux, & Ælfric Dux, & Godwine Dux, & Ulfketel Dux de Est-angle, & Ailward filius Æsii Ducis, & omnis flos nobilitatis Britanniæ.* paulò aliter Wigorniensis & Hovedenus, occisos è procerum

PUGNANT AD ASSENDUNUM IN ESSEXIA.

Huntind. hic. f. 363.

Anglorum

Hoved. hic EDNOTHUS DORCACEST. EPS. MORITUR: SUCCEDIT ÆTHERICUS.

Anglorum numero recenset: & tacito Ednod Duce: *Eadnothus*, inquiunt, *Lincolniensis Episcopus, & Vvulsius Abbas, qui ad exorandum Dominum, pro milite bellum agente, convenerant, interfecti sunt. quod omnino dicendum est.* Unde Godwinus bene scripsit: *Eadnothus, Præpositus Ramesiensis, prælio cæsus a Danis, anno 1016.* Dicitur Lincolniensis Episcopus; quia post annos aliquot, sedes è Dorcestria Lincolniam translata est. Florilegus eum, hoc anno magis propriè Dorcacestrensem vocat. Mortuo successit Æthericus. fortè non ante annum sequentem; quia præsens annus tumultibus plenus, Ecclesiis luctum ubique attulit: & Ednothus cecidit in festo S. Lucæ.

XII. CANUTUS LONDONIUM CÆPIT. *Huntind. suprà.* EDMUNDUS EUM AD CERTAMEN PROVOCAT.

Auxit hic Anglorum occasus, Canuti gloriam; & ortum ei fecit imperii. Nam *tantâ fretus victoriâ* (inquit Huntindonius) *Londoniam, & sceptra cepit Regalia*: minor ergò Edmundus; sed magno tamen animo constans, in Dobunos proficiscitur, novam aciem instituit; & Canutum provocat ad certamen. Adest ille, cum multo milite, nec pugnam detrectat. Uterque exercitus ad Deorhustum oppidum, quod prope Sabrinam est, in Glocestrensi agro concurrit. Edmundus in occidentali ripâ; in orientali Canutus, castra metatur. Nec mora: Classico canente, & militem ad certamen acuente; Dux quidam è procerum mente, ita utrumque Regem affatur. En morimus, ô Principes, & infinito etiamnum sanguine madet humus: nec ulla est victoria. Cur cives omnes vapulant, ambitione paucorum? Cur perit Respublica, ob privata studia? Si duo regnare vultis; cur laceratis Insulam, quæ septem olim Regibus sufficit? Sin unus; & solus esse cupit, in magnâ Insulâ, Monarcha: afferat hoc virtute propriâ, non tanto provincialium sanguine. Sic sanctiore compendio assequetur regnum, qui singulari certamine alterum profligaverit. ita cum honore coronam portabit, & nos libentiùs victori serviemus. Placuit Regibus sententia: & uterque in arenam descendit; vel daturus alteri, vel sibi asserturus coronam. Sed malo pugnantes in antiquioribus legere.

XIII. INTER EDMUNDUM, ET CANUTŨ SINGULARE CERTAMEN. *Vvestmon. hic.*

Est Insula, inquit Florilegus, *in ipsius fluminis medio posita, quæ olim Oleneige appellatur: ad quam transvecti Reges, splendidissimis proteguntur armis: ubi utroque spectante populo, certamen ineunt singulare. At ubi hastarum robur, tam virtute impungentium Regum, quàm fortissimorum objectu clypeorum, deperit: eductis ensibus sese comminus ferientes, acriterq́, ac diu, cum gladiis rem agentes; virtus Edmundum, fortuna Cnutonem protexit. Certa capita galeata enser tinniunt; quorum collisione scintilla prorumpunt. Ubi verò illud robustissimum pectus Eadmundi, ex ipso bellandi motu ira succenditur: & sanguine incalescente factus robustior, dextram elevat, ensem vibrat, & tantâ vehementia in caput obstantis ictus ingeminat; ut fulminare potius, quam percutere videretur. Sentiens ergo Cnuto sibi vires deficere, seque tales impetus sustinere non posse; cogitat de pace juvenem convenire. Sed ut erat astutus, timens ne defectus sui innotescerent juveni, patris verbum non audirets totum intra se suum recolligens spiritum, mirabili virtute irruit in Eadmundum. Et mox se paululùm subtrahens; rogat juvenem sustinere modicum, & sibi præstare auditum. Ille; ut erat suavis animæ, dimisso clypeo in terram, ad verba Cnutonis intendit. Hactenus (inquit) regni tui cupidus, virorum fortissime, quem non solum regno Anglorum, sed universo Orbi judico præferendum. Nunc cupidior tui sum, quam regni. Mihi Dania servit, mihi Norwegia succumbit: mihi Rex Suevorum manus dedit. Quo it a licet me victorem ubique futurum fortuna promiserit: ita tamen tua me mirabilis probitas illexit ad gratiam; ut supra modum te, & amicum cupiam, & regnorum consortem exoptem. Utinam, & tu mei cupidus sis; ut ego tecum in Angliâ, & tu in Daniâ mecum regnes.*

XIV. INVICEM RECONCILIANTUR, ET REGNUM DIVIDUNT.

Quid plura? Annuit clementissimus Rex Eadmundus, & cedit verbis, qui flecti non potuit armis. Depositis igitur hinc inde armis splendidissimis, in oscula ruunt; utroque exercitu exultante. Deinde in signum pacis, vestes mutantes & arma; fit Eadmundus Cnuto, & Cnuto Eadmundus. Dividitur inter duos regnum: sed corona Eadmundo remansit; cum East-Sexiâ, East-Angliâ, & civitate London, & totâ terrâ ad Australem partem Thamesi fluminis: Cnutone Aquilonares partes Angliæ obtinente. Stetit autem pax firmissima inter eos, usque ad mortem magnifici Regis Eadmundi. Hæc author. Hoc novo fœdere, vetus Danorum querela extinguitur: cùm illis omnis Mercia, & amplissimum Northumbriæ regnum permittitur. Edmundo cultior pars, & omnis Occidens mansit: quem avito jure possedit. Locus certaminis, Mediamnis fuit, in Sabrinæ flumine, quem Alney vocamus: *Hinc celebris*, inquit Camdenus, *quod cum assiduis præliis, & Angli & Dani comminuti fuissent: misso in compendium bello, utriusque gentis fata, Edmundo Anglorum, & Canuto Danorum Regibus commissa fuerit, qui singulari certamine, de summâ imperii in hac Insulâ, depugnarunt.* Locus verè celebris, unde post immanem hyemem, & asperam tempestatem, serenitas illuxit: quæ quamvis diuturna non fuit, sed nubium interpositione statim visa est desiisse: sequuta tamen est, in utrâque Rep. magna tranquillitas, & major multo, quàm quæ ab externo Principe sperari poterat.

Camden. in Glocest.

XV. EDMUNDUS IMPIE OCCIDITUR.

Vix inter Reges, de pace conventum; cum pacis osor Edricus, Edmundum invictissimum Principem, è medio sustulit, hoc ipso anno sub finem Novembris. de genere, modoq́ue mortis, videntur aliqui dubitasse. Nam Malmesburiensis ita paucis absolvit: *Nec multo post* (initum fædus) *in festo S. Andreæ, ambiguum quo casu extinctus* (Edmundus) *Glastoniæ juxta Edgarum avum suum sepultus est.* pergit tamen: *Fama Edricum infamat, quod favore alterius, mortem, ei per ministros porrexerit. Cubicularios Regis fuisse duos; quibus omnem vitam suam commiserat: quos pollicitationibus illectos: & primò immanitatem flagitii exhorrentes; brevi complices suos effecisse. Ejus consilio ferreum uncum, ad naturæ requisita sedenti, in locis posterioribus adegisse.* Ita ille. Alii Edrici filium nominant parricidii authorem. Sed quicquid sit: lectissimæ famæ Princeps, immaturâ & omni sæculo lugendâ morte extinguitur. prius tamen quàm moreretur, Orthodoxam Fidem professus est, cum prædiis corpusq́ue suum Glastoniensi monasterio commendavit. Sic enim in ejus loci antiquis monumentis legitur: *Edmundus lethali tactus incommodo, ad extrema devenit, & Glastoniensi monasterio Newton, Castel, septendecim hidas, cum corpore suo in extremis delegans, ibidem ante majus altare sepulturam accepit.*

Malmesb. de Reg. l. 2. fol. 72 fin. GLASTONIÆ SEPELITUR

Antiq. Glast.

XVI. Edmundi proles: Edwius, et Edwardus.

Malmesb de Reg l. 2 c. 10. fol. 73.

Fuit Edmundus, regiâ prole, quàm regno felicior.* Nam ex Algithâ, quam Sigeferdi relictam supra diximus, duos filios suscepit: Edoardum primogenitum (ut putat Spedius) & Edmundum: sed aliter eos recenset Malmesburiensis, de Edmundi filiis ita scribens: *Filii ejus, Edwius, & Edwardus, missi ad Regem Suevorum, ut perimerentur: sed miseratione ejus conservati, Hunnorum Regem petierunt. Ubi dum benignè, aliquo tempore, habiti sunt: major diem obiit: minor Reginæ sororem, Agatham, in matrimonium accepit.* Edoardum porrò Agatham duxisse, omnes fatentur. Fuit Agatha Henrici secundi Imperatoris filia. quæ Edoardo peperit Edgarum filium, cognomento Ethelmg; quem postea Edoardus, cognomento Confessor, hæredem regni scripsit: Et filias duas, Margaritam atque Christinam. Hæc monialem induit in Rumesiensi cœnobio (Wintoniense habet nostrum Martyrologium) & religiosè ibidem obiit, locum inter Sanctos merita. Margarita, major natu filia, Malcolmo nupsit, tertio Scotorum Regi; prolémque illi peperit; è quâ, recto nascentium ordine, Serenissimus Anglorum Rex Carolus, in omnia Britannorum, Saxonum, Anglorum, Scotorum, Normannorum regna, jure succedit: unitque coronas ab omni ævo distractas. & utinam uniat, in eâ fide, quæ sola unit mentes hominum, & regna Deo. In illâ, Reges, cum gloriâ regnant: sine illâ, coronæ parum illustres, factione populari facilè distrahuntur, atque vilescunt. Vidit hoc Canutus, qui Edmundo successit, & illam fidem, illam Ecclesiam, egregiè coluit, quæ sceptra illustrat. Unde Baronius ad hunc annum, ejus regnum sic auspicatus est.

v an. 1057. n. 2.

Martyr ad 24. Novem.

XVII. Canutus Rex laudatur.

Baron. hic n. 2.

Hic pariter annus est, inquit, *quo Ethelredo Anglorum Rege defuncto, nono Kalendas Maii, feriâ secundâ, mala innumera experto, quæ eis obventura prædixerat sanctus Dunstanus, ob necem illatam fratri, communi Anglorum consilio, externus Rex eligitur Canutus, sive Knutus Danus: qui post patrem, insulam illam armis possederat, occupatam jam, debellatis iis, qui post Ethelredum regnare tentassent. Christianus fuit, ac pius valdè: quomodo autem Romam summâ cum religione se contulit, ad limina Apostolorum, suo loco dicturi sumus. Hoc & alia de eo veteres, qui prosequuti sunt res Anglorum, Rogerius, Matthæus, & alii recentiores, nec non qui scripsere res Danorum.* Ita Baronius; qui Edmundi Regis non meminit, nec eum intellexit, à Canuto debellatum; quia id à nullo authorum nostrorum; sed contrarium potius proditur. nimirum Edmundum à Canuto vinci nunquam potuisse. Verùm de Edmundo satis, & Rep. illa: transeamus ad aliam sanctiorem: & quomodo inter bellorum turbines, Anglicana Ecclesia, sanctorum emissione, cœlum illustrarit: non pro terreno, sed cœlesti regno se decertans.

XVIII. De S. Walstano.

Capgrav in Walstano.

Moritur hoc anno Walstanus sanctus, qui regali genere ortus, omnem sæculi ornatum contempsit. ut Christo liberiùs frueretur. Ejus vitam mirabiliter actam habet Capgravius: & hæc inter cætera: *Sanctus Walstanus ætatis suæ duodecimum attingens annum, divina inspiratione, & evangelicâ doctrina, in qua dicitur. Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet: non potest meus esse discipulus, spiritualiter imbutus, acceptâ licentia generali, a suis parentibus; omni juri regalis successionis imposterum sibi, qualitercumque competitivo renuntiavit. Et ut liberius orationi, aliisq; contemplativis actibus, sine pompâ seculari, integraliter vacaret; totum propria originis dereliquit: & partes Aquilonares citius quo potuit, petere non tardavit.* Inde narrat, ut servilem formam induens; in magnâ humilitate, & obedientiâ, vixerit. Unde cœlum illi, Angelo interprete, promissum est: & demum, cum mortem sanctè obitam, & corpus ejus ad Banburg (vel Bawburg) sepultum narrasset (ubi ejus nomini consecrata est Ecclesia.) Hoc addit de sancto viro elogium: *Commendemus ergo dilectissimi diem hujus sancti Walstani solennem; qui ut perpetua caperet; transitoria reliquit: ut castè viveret, carnem suam, per jejunium frequens, maceravit: pauperibus victualia sua erogavit: & ut in gradu humilitatis, continuâ virtute persisteret; spretâ regali suorum parentum successione, servitio simplicium personarum ruralium se obligavit. O sancte Walstane, meritò in Dei Ecclesia laudandus es. Tu compar dici potes Apostolis, per temporalium rerum abdicationem: similis Martyribus, per pænitentialem carnis mortificationem: socius confessorum, propter eleemosynarum largitionem, & precum sanctarum effusionem. Migravit ergo ad Dominum egregius iste sanctus Walstanus, Anno ab incarnatione Domini millesimo sexto-decimo, tertio Kalendas Iunii.* Ita ibi.

XIX. S. Eschillus Martyr.

Hoc eodem anno mortuus ponitur in nostro Martyrologio, Sanctus Eschillus, Episcopus, & Martyr; qui cum Sigfrido Eboracensi, Apostolatum in Suevos sortitus; cùm incredulos ibi ad Christum convertisset; ab iis, qui converti noluerunt, occisus; illustrem martyrii coronam accepit. Ita Gothicarum rerum Annales tradunt, & Suecorum Breviarium. nomen ejus inter Sanctos adscriptum legitur in Martyrologio ad decimum Aprilis. Ad quem etiam diem, in Gallicano Martyrologio, Eschilli, Lundensis Archiepiscopi, & totius Daciæ & Sueciæ primatis memoria recitatur. qui abdicato Ecclesiastico sæcularique principatu, ad S. Bernardum se contulit Claræ vallis Abbatem; ubi in pace quievisse scribitur. differt ergò à nostro, & sæculo uno, & genere mortis. addo & patriâ. Nam hæc prima Anglorum in Septentrionem illum missio, sub Ethelredo fuit, de quâ supra: sequetur alia sub Canuto · quando plures eum hinc in Daniam comitabuntur, qui ad majus sacerdotium promoti, animarum saluti non oscitanter incumbent. Interim de Angliæ Episcopis, pauca dicamus.

XX. Alfhunus Londinensis moritur: Succedit Alwius.

Alfhunus Londinensis, qui Ethelredi liberos in Normanniam comitatus est, & cum eodem in patriam rediens, Sedem recepit, hoc anno moritur: cùm sæpiùs Londinensis urbis mœnia, inimico impetu peti sensisset. In ejus locum Alwius consecratur, quem Malmesburiensis Elfwium appellat.

ANNUS

ANNUS CHRISTI 1017.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 6.

CANUTI ANGL. ET DANOR. REG. 1.

I. Canutus Anglorum Rex.

SEquitur Christi annus millesimus decimus septimus: quo Canutus, nulla Edmundi filiorum habita ratione, Angliæ regnum arrogavit: jure pactorum, ut ipse putabat, & alterius cessione, & sibi obligatum. Sed quia vix unquam secura satis est potestas, tot passim hominum votis expetita; callidè provincialium animos præoccupat, ut eorum etiam suffragio posset regnare. Senatum ergo in Londinensem urbem vocat: *Omnes Episcopos, & Duces, nec non & Principes, cunctosq; Optimates Angliæ*, inquit Wigorniensis. (Wigorn. an. 1016.) Summa negotiorum erat, regnandi cupiditas: quam facto Senatu sic expressit. (Eius ad Senatum oratio.) Vellem, Patres, ita vobis, ac civibus, præesse; ut nulla ratione, officio, fratrique meo, qui adhuc in liberis superest, desim. Scitis Edmundum, me regni socium, & collegam dixisse; eáque lege, coronæ partem mihi sanxisse; ut omnem, diuturnior vita possideret, nulla liberorum nostrorum habita ratione. Possem ergo in hoc conscientiam meam interrogare; si ulla prolis mentio; si vel levis de jure filiorum quæstio fuerit: sed vos potius appello, Edmundi voluntatis, & ultimarum tabularum ejus interpretem, & quæso sententiam. Hæc ille paucis, quo subitum à proceribus furaretur suffragium. Et illi; quibus carò hactenus steterat, Canuti repulsa, & quibus nota erat ejus ambitio; non audent refragari. Dant Regi manus, & linguam ad novi Principis nutum prostituunt, in hunc modum quem refert Wigorniensis, & paulò correctiùs Hovedenus:

II. Canutus a Livingo coronatur. (VVigorn. suprà.)

Illi cœperunt dicere: se procul dubio scire; quod Rex Edmundus, fratribus suis nullam portionem regni sui, nec se spirante, nec moriente, commendasset. De filiis autem ejus, hoc se nosse dixerunt: quod Rex Edmundus vellet Canutum adjutorem, & protectorem esse filiorum ejus; donec regnandi ætatem habuissent. Verùm illi, testante Deo, falsum perhibuerunt testimonium, & fraudulenter mentiti sunt; existimantes illum sibi, & mitiorem esse, propter mendacium eorum, & se ab eo præmium sumpturos magnum. Ex quibus falsis testibus, quidam, post non longum tempus, ab eodem Rege sunt interfecti. Tunc Rex Canutus, post suprà dictam interrogationem, conatus est à præfatis Optimatibus fidelia juramenta recipere. At ipsi juraverunt illi, quod eum Regem sibi eligere vellent, eiq; humiliter obedire: & suo exercitui vectigalia dare: & accepto pignore, de manu sua nuda, cum juramento, à Principibus Danorum: fratres, & filios Eadmundi, omnino despexerunt, eosq; Reges esse negaverunt. Ita illi. Hanc vocem, assentandi nimia libido, & servitutis timor expressit. Qui enim remotis arbitris, singulariter in Insulam descenderant: ibique pugnacibus primùm animis, mox amicis amplexibus decertarunt; iverunt denique in fœdera, & Insolæ dimissionem; nihil ab eis cum fratrum, aut filiorum injuriâ, decretum est. Sequebatur id rectè, si unus alterum è vivis sustulisset: quo caso superstes totum possideret: nihil tale in amicitiæ, societatisque fœdere, cautum. Proceres tamen, modo quem diximus, pacis quàm juris amantiores: Canuto famulati sunt. Et Livingus, Cantuariensis Antistes, coronam regni ejus capiti circundedit: & Danus Insulam, pleno Comitiorum suffragio, possedit.

III. Canutus bene et cum laude regnavit.

Canutus in regni solio collocatus, satis egregiè sceptrum tractavit, pacem civibus, quietem Ecclesiis, splendoremque, attulit: & demptâ regnandi ambitione, ac cupiditate, filiis coronam asserendi (quæ, quicquid obvium est, nulla lege, aut jure pessundat) inter optimos Principes, numerari potest. nam Edmundi interfectores apertè condemnavit, & se ab eo facinore alienum fuisse, multis documentis ostendit. Unde de eo Malmesburiensis: (Malmesb. de Reg. l. 2. c. 11. prin.) *Anno Incarnationis Dominicæ millesimo decimo septimo, Cnuto regnare cœpit: & viginti annis regnavit. Injustè quidem regnum ingressus: sed magna civilitate, & fortitudine, vitam componens. Primis diebus: regnum in quatuor partitus, sibi West-Saxones, Edrico Mercios, Turkillo Orientales Anglos, Irico Northanimbros. Ac primò interfectores Edmundi; qui ultrò spe ingentis præmii rem detulerant, apud se interim celatos, magna frequentia populi produxit in medium; palàmque genus insidiarum professos, supplicio affecit.* Ita ille. Atque ita Canutus regnum auspicatus est. Non diu mansit forma tetrarchiæ: illa saltem, quam Edricus, Turkillus, atque Iricus, formaverant sibi: qui absoluti regiminis, non à Canuto pendentis, potentiam præsumentes, citò in ordinem redacti sunt. Edricus imprimis: qui de Regicidio semper suspectus; tandem reo confitente, convictus est.

IV. Edricus occiditur. (Huntind. f. 363.)

Hic authores, Edrici crimen, pœnamque illud consecutam, variè efferunt, & satis inconstanter. Huntindonius, *Edmundus Rex*, inquit, *post paucos ex hinc dies, proditione occisus est. Cum Rex hostibus suis terribilis, & timendissimus, in regno floreret, ivit nocte quadam in domum evacuationis, ad requisita naturæ. ubi filius Edrici Ducis, in fovea secretaria delitescens; consilio patris, Regem inter celanda, cultello bis acuto percussit: & inter viscera ferrum figens, fugiens reliquit. Edricus igitur ad Regem Cnut veniens, salutavit eum dicens: Ave Rex solus. Cui cum rem gestam denudasset: Respondit Rex: Ego te ob tanti obsequii meritum, cunctis Anglorum proceribus reddam celsiorem. Jussit ergo eum excapitari: & caput in stipite super celsiorem Lundoniæ turrim figi.* Ita ille: quem plures, rem ita narrando, sequuti sunt. Sed vulgi tantùm rumores obtrudere videntur. nam multò certiùs, ab Edmundi morte, ea intercessisse, quæ suprà posui, Senatusconsultum, Insulæ partitionem, tetrarchas declaratos, & eos omnes qui regicidii conscientiam habuisse convicti sunt, supplicio effectos: & tum demum Edricum, in absoluto (ut credebat regimine constitutum, & à pœna eximium, Canuto beneficium exprobrasse. Quod ille non potuit non indignanter audire. Placet ergo Malmesburiensis narratio, qui cum novos magistratus, à Canuto creatos, nominasset, mox subjicit.

V. (Malmesb. suprà.)

Eodem anno Edricus, quem dignè infamare non possum, jussu Regis, arte quâ multos frequenter convenerat; ipse quoque conventus, putidum spiritum transmisit ad inferos. nam nescio quâ simultate ortâ, dum asperiùs colloquerentur; ille fiducia meritorum, beneficia sua Regi, quasi amicabiliter improperans, ait: Edmundum, pro te, primo deserui, post etiam ob fidelitatem tuam extinxi. Quo dicto, Cnutoni facies immutata; iram rubore prodidit. Et continuò prolata

sententia: Meritò ergo, inquit, & tu morière. cum sis læsa majestatis reus, in Deum, & in me; qui Dominum proprium, fratrem mihi fœderatum, occideris. Sanguis tuus super caput tuum; quia os tuum locutum est contra te; quod misisti manus in Christum Domini. Mox ne tumultus fieret, in eodem cubiculo proditor fauces elisus, & in Tamesim fluvium, per fenestram præcipitatus, perfidiæ meritum habuit. Hæc ille: & eodem modo Ingulfus, eo antiquior, & fidelis author, qui plures cum Edrico cecidisse, & eo modo mortuos describit; & inter eos Normannum illum, Croylandensis monasterii protectorem; qui Badby prædio donatus, ut ejus patrocinio, à Regiis exactoribus monachi, liberi & immunes essent, de quo suprà*. Qui fideliter munere functus, & alios benè defenderat: seipsum hoc anno à morte violenta servare non potuit. Dicat ergo Ingulfus, ut ille mortuus, omnia perdiderit, & Croylandense prædium, in alios transierit: quid denique hoc anno factum, in causa Edrici.

*v. an. 1010. n. 7.

VI. Ingul. f. 891. fine. DE GENERE MORTIS EDRICI.

Anno primo Regis Cnuti, inquit, *cum perfidus Dux Edricus, dicto Regi Cnuto, quasi pro beneficiis improperasset; quod Ethelredum prodidisset, & Edmundum perdidisset; ore proprio proditionis reus factus, mortem proditoris, pro demeritis accepit, laqueo suspensus, & in Tamesim fluvium projectus. Cum quo, plurimis satellitum suorum similiter occisis: etiam, inter eos, præcipuus & primus, Normannus occisus est: cujus terras, cum Rex Leofricum Comitem, fratrem suum, multùm diligeret; ut ei, pro morte fratris sui aliquantulum satisfaceret; universas concessit. Hac concessione, Badby ad manum dicti Comitis Leofrici devolvitur. Et tandem, priore monasterii Eveshamii, nomine Avicio, dicti Comitis Confessore, consulente, ac crebrò commovente, pro termino firma fratri suo concessa; ad Eveshamium assignatur; & ultra terminum firma, adhuc retinetur. Erat enim iste Leofricus Comes, vir devotissimus, & eleemosynis multum deditus, fundator & ditator multorum monasteriorum, &c.* Verùm de Leofrico hoc, Leycestriæ Comite, plura inferiùs, cum Coventrense monasterium extruet. Iterùm paulò inferiùs repetit idem author compendio, Edrici, & Normanni interitum: *Eodem anno,* inquit, *prædictus proditor Regum, perfidus Dux Merciorum Edricus, digno fine periit: suspensus, ut prædictum est, & in Tamesim projectus, à piscibus devorandus. Occisus est etiam præfatus Normannus, cum quibusdam aliis satellitibus ejus. Is erat annus Domini 1107.* sed legendum ita 1017.

Idem suprà

VII. EDWINUS EDMUNDI FRATER PROSCRIBITUR,

Ita periit Edricus, regni proditor, eversor Reip. & multorum Principum morte, exilioque, infamis. Enimvero Princeps in Senatu fuerat, Edmundi fratres, filiósque, proscribendi: quasi parum esset, regnum hosti prodere, nisi etiam omnem prolem Regiam, ab omni imposterum spe regnandi, excluderet. Edmundi frater Edwinus dicebatur: & ille, *non aspernandæ probitatis adolescens* (loquitur Malmesburiensis) *per proditorem Edricum, Anglia, jubente Cnutone, cessit: diuq; terris jactatus & alto; angore, ut fit, corpus infectus; dum furtivo reditu, apud Anglos, delitescit, defungitur, & apud Tavistochium tumulatur.* Habuit Edmundus, ex alia matre, fratres duos, Elfredum, atque Edoardum. & illi: *toto tempore, quo Cnuto vixit* (ita idem author) *in Normannia totas fovere latebras.* Emma, Normannorum Ducis filia, Ethelredi relicta, illos genuerat: quam Canutus hoc anno, uxorem duxit; quo provincialium animis illabi, & tutiùs cum ea regnare, posset. Nec abnuit Richardus frater, apud quem tunc soror, & nepotes exulabant: de quorum reditu in patriam nihil ad modum laboravit. unde ab Authoribus nostris arguitur. *De illorum in patriam restitutione* (Malmesburiensis) *Richardum avunculum, nihil egisse comperimus. Quin & sororem suam Emmam, hosti, & invasori nuptam collocavit. Ignores majori illius dedecore, qui dedecet; an fœmina, quæ consenserit; ut thalamo illius caleret, qui virum infestaverit, filios effugaverit.* Sed quicquid sit, eo usus est consilio Canutus in rem suam, & quietem Reip. Nam pergit idem author: *Ita cum omnis Anglia pareret uni; Canutus, ingenti studio, Anglos sibi conciliare; æquum illis jus, cum Danis suis; in consilio, in prælio, concedere. Qua de re, uxorem superioris Regis, è Normannia accersiit; ut dum consuetæ dominæ deferrent obsequium; minus Danorum suspirarent imperium. Simul eo facto, Richardi alliciens gratiam, ut parum de nepotibus cogitaret; qui alius, ex Cnutone, se suscepturum speraret.*

Malmesb. de Reg. lib. 2. fol. 73. prin.

REDIT IN ANGLIAM ET MORITUR. Idem suprà.

Malmesb. suprà

EMMA CANUTO NUBIT.

VIII. EDMUNDI FILII.

Restant adhuc Edmundi Regis filii, à quibus etiam Canutus timendum censuit: licet enim teneræ adhuc ætatis essent: & corona tunc capiti firmiùs insideret, quàm facilè posset avelli: intuta tamen majestas erat; & cives data occasione secederent; quamdiu Regii sanguinis seminarium, de regno iterum disputandi ansam præberet. Hic iterum Edricus, pessimi consilii author dicitur. ita saltem refert Wigorniensis: *Dedit etiam consilium Edricus, ut Clitunculos *Eadwardum, & Eadmundum, Regis Edmundi filios, necaret. Sed quia magnum dedecus sibi videbatur; ut in Anglia perimerentur: parvo elapso tempore, ad Regem Swanorum,* (lege Suavorum) *occidendos misit. Qui licet fœdus esset inter eos, precibus illius nullatenus acquiescere voluit: sed illos ad Regem Hungariorum* (Hunorum alter) *Salomonem nomine, misit nutriendos, vitaq; servandos. Quorum unus, Eadmundus* (Edwius aliis, vel Edwinus) *processu temporis ibidem vitam finivit. Eadvvardus verò Agatham, filiam Germani Imperatoris, in matrimonium accepit; ex quâ, Margaretam postea Scotorum Reginam, & Christinam, sanctimonialem virginem, & Clitonem Edgarum suscepit.* Secura jam videbatur majestas, & Danico nomini æternùm inscribenda; quia nullus è regio sanguine reliquus erat, qui herciscundæ hereditatis jus prætenderet. Noluit tamen Deus, Anglorum nomen, ita sine gloria sepeliri: sed quia pientissimos Reges, numero plures, & rerum in utraque Rep. gestarum laude illustrissimos, aliquando habuerat: ideo dudum sibi providit Principem, qui majores omnes officiosè exciperet, egregiè exprimeret, & nomen eorum cum laude sepeliret. Cæcutiunt ergo humana consilia, nec decreto illi possunt obstare. Edoardus Ethelredi filius, Edmundi Regis frater, qui Edrici, & Canuti impietate nunc exulat; post Danorum imperia, patriam, coronam, Ecclesiam, cœlum denique illustrabit.

Wigorn. hic. * alter eos nominat Malm. sup. an. 1016. n. 16.

IX. ECCLESIA SUB CANUTO FLORET.

Cæterùm missis his Canuti technis, ad regnum sibi suisque asserendum; læta fuerunt ejus exordia: cum cives, libertate; Ecclesiæ, antiquis privilegiis fruerentur. Tunc monachis ad sua redire cœnobia, & clero licuit fungi suo munere; Canuto manum omnibus, & operam commodante. Hoc de suo monasterio testatur Ingulfus. *Incipiente,* inquit, *Rege Cnuto regnare: cum pax ubique*

Ingulf. f. 89.

proclamata,

proclamata, per omnes provincias Angliæ reflorerent: Venerabilis Pater, Abbas Croylandiæ, Godricus, universos monachos, hospites monasteriis sui ad propria remisit. Reversus tunc ad monasterium suum, cum conventu suo, Baldocus Abbas S. Pegæ moritur. *Abbas Ecclesiæ sanctæ Pegæ; statim in ipso introitu, cum omnia destructa cerneret & combusta, in terram corruit, perlatúsque per fratres suos, ad proximam domuncalam villæ suæ conticuua; post quintum diem obiit; in Ecclesiáque sua sepultus est. Defuncto itaq; Abbate Baldoco, successit** Wulgatus, *vir in mundialibus multum providus, & in spiritualibus valdè religiosus.* Hæc monasteriorum ruina Canuti pietatem exercuit. Unde eum laudat Malmesburiensis, ita: *Monasteria per Angliam suis, & Patris excursionibus, partim fœdata, partim diruta, reparavit. loca omnia, in quibus pugnaverat, & præcipuè Aschendune Ecclesiis insignivit; ministros instituit, qui per succidua sæculorum volumina, Deo supplicarent, pro animabus ibi occisorum. Ad consecrationem illius Basilicæ, & ipse adfuit; & Optimates Anglorum, & Danorum, donaria porrexerunt. Nunc ut fertur modica est Ecclesia presbytero parochiano delegata.* Alia quæ idem author recenset monumenta pietatis ejus, infra suis locis reponam. Interim Canuti fidem adverte, planè regiam fuisse: & eo imprimis religionis lenocinio, Anglorum animos captivasse, quibus cordi sciebat esse majorum suorum sacra, ritusque.

*Wulgatus (margin)

Canutus ad Assendunū Ecclesiam ædificat, et quare?

X. Suffragia pro defunctis.

Ad Ecclesiam Assendunensem, quod attinet: fuit illa in Essexiensi agro; ubi nuper ab Edmundo in Canutum pugnatum est. & ubi multus nobilium Anglorum sanguis effusus: quem pœnitens Canutus, hoc pio opere expiare, & eorum animabus prodesse cupiebat. hoc illi maximum, ad erigendam Ecclesiam, momentum fuit: hoc imprimis spectavit, ut Missæ sacrificio placatus Judex vivorum atque mortuorum; pœnas eorum peccatis debitas mitiùs infligeret. Novatores Canuti factum recensent, & supremum corticem; fidei medullam, piámque ejus mentem non plenè explicant. Camdenus ita scribit: *Ad Ashdown viculum, prælium funestum olim commissum erat: in quo Eadmundus, cognomento Ferreum latus, Danos initio prospera pugna concudit. Sed mox versâ fortunâ, proditione, ita fuit ab illis profligatus; ut plurimos Angliæ proceres desideravit. In cujus prælii memoriam; Canutum Danum, postea templum, eò loci posuisse legimus; cum ubicumque pugnasset, pœnitentia ob effusum sanguinem commotus, ædiculas sacras erigeret. Rustici autem ebulum, quod sanguineas baccas, hic circumquaque copiosè provenit, non alio nomine, quam Danes-bloud, id est, Danicum sanguinem etiamnum appellitant, ob multitudinem Danorum, qui eo bello ceciderunt.*

Camd. in Essex.

XI. Moritur hoc anno Berthredus, Glastoniensis Abbas, & successorem accipit Brithwium: de quibus, ita illius loci Antiquitates: *Abbas autem Berthredus, post annos sedecim prælationis suæ, in Glaston defunctus est: & successit ei Brithwius anno Domini 1017. Hic fecit tabulam ante altare auro, argento, & ebore polimitam, & Crucem argenteam & deauratam, cum ligno de Cruce Domini. & post decem susceptis regiminis annos, in Episcopum Wellensem promotus:* nimirum anno millesimo vigesimo septimo. Hoc etiam anno 1017, moritur Dunelmensis primus Antistes Aldhunus, qui prius Lindisfarnensis dictus est: moritur autem post duos à reditu è Normanniâ annos, ut Godwinus affirmat: qui malè tamen eum cum Edoardo in Normanniam ivisse scribit anno 1017. nam legendum est an. 1013. De ejus Successore post annos tres.

Godwin. in Londinf.

ANNUS CHRISTI 1018.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 7.

CANUTI ANGLORUM REG. 2.

Dixi paulò ante, Canutum ab Ecclesiarum ædificatione, fidem suam cœpisse explicare, ut ita Anglorum genti, & Ecclesiarum Præsulibus; quorum erat magna potestas; magis placeret. Ostendit imprimis hoc religionis suæ argumentum. anno Christi millesimo decimo octavo, cùm Cantuariensem Ecclesiam, insigni diplomate ornavit; privilegia olim concessa, regiâ authoritate muniens, atque confirmans. Recitat ejus chartam Spelmannus è veteri Manuscripto Codice Cantuariensis Ecclesiæ; cui hanc inscribit Epigraphen. I.

DIPLOMA CANUTI REGIS ANGLIÆ.

Quo Ecclesiam Salvatoris in Dorobernia, omnium Ecclesiarum regni Angligeni Matrem, & Dominam confirmat.

Ego denique Imperator Knuto, à Christo Rege Regum regiminis Angliæ in Insulâ potitus; audiens beneficia prædecessorum meorum Regum; scilicet regalia privilegia: similiter cernens libertatem monasteriorum, intra Cantiam positorum, Archipræsulisque pissimi Livingi admonitione: placuit cordi amborum, præsentem chartulam corroborare. videlicet: Ecclesia Salvatoris in Dorobernia sita, omnium Ecclesiarum regni Angligeni Mater & Domina, cum omnibus ad illam pertinentibus, sit libera: Nec quisquam hominum, in eâ, & rebus suis, aliquid juris, vel consuetudinis, præter Archiepiscopum, & monachos, ibidem Deo famulantes, exigat, vel obtineat: in sempiternum hoc nostrum decretum inviolabile tempore meo, & successorum meorum, pro spe salutis æternæ, stabile perseveret. His testibus, quorum signa subtus annotantur. II.

Ego Knuto, Gubernator Anglici orbis, propriâ manu confirmo. †.
Ego Livingus, Metropolitanus Archipræsul, libenter annuo. †.
Ego Emma Regina, signo Crucis confirmo. †.
Ego Wolstanus Eboracensis, consolidavi. †.
Ego Ealdelmus Episcopus, gratum habens. †.
Ego Algarius Episcopus, concedo. †.
Ego Leofricus Episcopus, confirmo. †.
Ego Haldenne Princeps Regis, pro viribus assensum præbeo. †.
Ego Turkillus Dux, concedo. †.

Facta est autem ista concessio, anno Dominicæ Incarnationis millesimo decimo octavo. Hactenus è veteri Manuscripto Codice.

III. Dubia circa Episcoporum nomina.

Occurrunt hic duorum Episcoporum nomina, præter ordinem seriemque illam, quam Authores passim assignant. Ealdelmi, inquam, & Leofrici: Nec possum proinde illis Sedem assignare. solùm dico, moris olim, & hoc etiam sæculo, fuisse,

duobus aliquando nominibus appellari: sic Livingus Cantuariensis, passim ab Authoribus, Ethelstanus quoque nuncupatur: quæ nominum variatio, Regiis, & aliis publicis instrumentis, Episcoporum authoritate firmatis, obscuritatem parit; quam amovere non est mearum virium. puto tamen, quia pauci tantummodo Episcopi nominantur, Suffraganeos fuisse, & Cantio vicinos. Talis Algares, qui Orientalium Anglorum Ecclesiam nunc regebat, in Helmhamensi Sede, è subscribentibus, unus. & fortè Elmarus, qui nunc Selesciensis Antistes est, Eadelmi prædecessoris sui nomen assumpserat. Cæterùm ex hac regiâ chartâ, corrigi potest Westmonasteriensis; qui anno superiori scripsit, Ulstanum Wigorniensem Episcopum defunctum esse, & Leofsium habuisse successorem. intelligit enim Eboracensem Episcopum, qui (ut supra*) Wigorniensis quoque erat, & Wolstanus subscribitur, qui tantùm post quinquennium moritur. & tunc demum ille, in Wigorniensi Sede Leoffius succedet, in Eboracensi alter. an nunc locum illum suppleverit, & pro Leofrico ponendus sit, non ausim sine teste affirmare.

*v. an. 1002. n. 14.

IV. EMMÆ REGINÆ PIETAS.

Emma Regina, quæ firmat privilegium, hanc laudem meruit; quòd Canuto Regi, ad opera pietatis, magno fuerit adjumento. Unde Malmesburiensis, cùm Wintoniensis Ecclesiæ splendorem compendio narrasset: Factum ait: *Emma suggestu, qua in talibus thesauros dilapidabat, sanctitate prodiga; dum Canutus in exteris terris dura meditaretur prælia.* Ejusdem Reginæ consilio, Canutus hoc anno, magnum Insulæ levamen præstitit: eoque sine dubio Anglorum animos sibi maximè devinxit: cùm classem Danicam, quæ terrorem provincialibus ubique inferebat, in patriam remisit: quæ licet non recesserit, sine ingenti pecuniarum sumptu; id tamen satius existimatum, quàm ad annuum censum, perpetuò damnari, & servitutem illam, quam exuere nunquam possent. Quid Danis ad solvendam classem hoc anno persolutum, non est una omnium sententia. Wigorniensis ita scribit: *Hoc anno* (1018.) *de totâ Angliâ septuaginta duo millia, & de Lundonia decem millia quingenti librarum exercitui Danorum sunt persoluta: & cum Rege Canuto quadraginta naves remansere: cætera verò Denemerciam sunt revecta.* Pro quo Hovedenus, sed mendosè sine dubio, reddidit: *Hoc anno de tota Anglia 72. & de Lundonia 410. libra exercitui Danorum sunt persoluta.* nam Huntindonius magnum fuisse censum clarè significat: *Fecit*, inquiens, *Canutus per Angliam mirabilem censum reddi; scilicet: 82. libras, præter undecies mille libras, quas Lundonienses reddiderunt. dignum ergò exactorem Dominum justus Anglis imposuit.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 11. fol. 74. prin.

CANUTUS CLASSEM DANICAM REMITTIT.

Wigorn. hic.

Hoved. hic.

Huntindon. fol. 363. pr.

V. MAGNO ANGLIÆ COMMODO.

Verùm qui scrupulosiùs rem examinant, & exactiori prudentiæ lance, libras illas pendunt; Anglo magis commoda, quàm Dano cessit solutio. Qui enim à potentissimo hoste superati erant; æternam illi servitutem, sine spe ulla Ethelredi filiorum, & recuperandæ per illos libertatis, serviissent: si fœnum illud instructissimæ classis Anglorum cervicibus semper immineret: quo, non in terrâ solùm, sed in mari etiam, externo imperio premerentur. Laudatur igitur Emmæ Reginæ industria (quæ Alsgiva etiam communiter appellatur) quòd ejus auspiciis ita factum. de quo ita Westmonasteriensis: *Emma, mense Julio, in Angliam veniens, Canuto Regi, lege conjugali, copulata est. Cujus consilio Canutus, classem Danicam, & milites stipendiarios remisit ad natale solum: datis eisdem, ex tota Anglia, octoginta duobus millibus librarum argenti.* Ita ille. Hinc aliqui colligunt; quòd paucis tantùm annis, summa imperii penes Danos fuerit; hæc classis remissio, solutioque in causa fuit. Sed quicquid illud sit; sequuta est statim magna serenitas. & eò major; quòd amoto milite, nulla ex oceano tempestas timeretur.

Westm. hic.

VI. GODRICUS CROYLANDIÆ ABBAS MORITUR. [illegible] BRITHMERUS SUCCEDIT.

Moritur hoc anno Croylandensis monasterii Abbas, Godricus; de quo supra: & Brithmerus illi successit: de quibus ista Ingulphus: *Regni Canuti anno secundo; cùm procella præliorum quiescerent; & pacis serenitas tempora inciperet prosperare; Venerabilis Pater Abbas Godricus, hujus vitæ mari magno, multis laboribus enavigato, portum quietis æternæ ingressus est; cùm monasterium quatuordecim annis laboriosissimè gubernasset; defunctus decimo quarto Kalendas Februarii: & in capitulo, contra Dominum Osketulum sepultus. Cui successit ad Abbatis officium Venerabilis Pater, Dominus Brithmerus; qui cognatus Domini Osketuli Abbatis, sub prædecessore suo Abbate Godrico, monasterii procurator, multa pericula versus Regem Ethelredum; & versus exercitus Danorum, sæpissimè, mira gratia, superaverat. Hujus Abbatis anno quarto, veniens quidam devotissimus adolescens, ac valde generosus, de cognatione Leofrici Comitis Leicestriæ, nomine Wulsius; amore vitæ solitariæ, apud nos reclusus est, & multis annis sanctissimè conversatus.* Ita ibi.

WULFIUS ANACHORETA.

ANNUS CHRISTI 1019.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 8.

CANUTI ANGLORUM REG. 3.

I. EXONIENSIS URBIS VARIA VICISSITUDO.

BENE supra dixerunt Authores; Canutum ea loca reparasse, quæ vel ipse, vel parens, incendio, aut cæde fœdaverat. Iàm anno Christi millesimo decimo nono Exoniensem urbem restaurat, monasterium restituit, & monachos eò colligit: quos Danorum classis, Swano Duce fugaverat, sub initium hujus sæculi. Sæpè clades urbs illa sustinuit, & sæpè etiam piorum Regum operâ, splendorem pristinum recepit. Nuper Edgarus destructam urbem refecerat, Ecclesiam struxerat, monachos induxerat, & Sidemanum illis Abbatem præfecerat, anno nongentesimo sexagesimo quarto, ut dictum ibi. *Post restaurationem hujusmodi* (ita scribit Godwinus) *anni jam effluxerant vix quinquaginta* (legerem vix quadraginta) *quando Swanus Danorum Rex, obsidione cinctam civitatem cepit; & captam incendit: cœnobio etiam Sancti Petri, eodem incendio absumpto, ac deleto. Brevi tamen post, Canutus filius ejus, paterna scelera cupiens expiare; cœnobium, intercedente procerum suorum quodam, cui nomen Athelwoldus, restauravit iterum: & restauratum Athelwoldo Abbati tradidit: nec non & una, omnia prædia antiquitùs ad illud pertinentia: confecto inde diplomate, anno millesimo decimo nono.*

v. an. 1003. n. 2.

v. an. 964. n. 15.

Godwin. in Exon.

v. an. 1003. n. 2.

ATHELWOLDUS ABBAS EXONIEN.

II. CANUTUS IN DANIAM VADIT.

Post hæc pietatis opera; Canutus de Anglorum regno, & provincialium animis, securus;

in Cimbri-

in Cimbricam suam, hoc eodem anno perrexit. Ita Hovedenus, è Wigorniensi: Anno, inquit, millesimo decimo nono, Rex Anglorum, & Danorum, Canutus, Denemarciam adiit; & ibi per totam hyemem mansit. Nec aliud ipse, aut Wigorniensis, aut Westmonasteriensis, de hac Canuti expeditione explicant, aut profectionis causam exponunt. Polydorus Vergilius rem accuratè prosecutus, hæc habet: Canutus, inquit, factus est certior, de Norvegensium facto in Daciam impetu: rogatusq́; ut quamprimùm suis auxilio iret. Haud modici momenti res visa est. Sanè Olavus Norvegiæ Rex, simul audiret opes Canuti plùs crescere; quam tutum suis putaret rebus; qui verebatur, ne abs se avitum regnum repeteret: interpellandi ejus victorias cupidus; unà cum Haraldo fratre, viro strenuo, Daciam ingreditur, agrosq́; passim populatur: ac quotidiana prælia, cum locorum præsidiis faciens; videbatur brevi tempore omnia occupaturus; nisi tanto impendenti periculo maturè occurreretur. Quare Canutus, momento temporis, delectum militum, cum Anglorum, tum Danorum habet. Quibus paratis, navem conscendit; secundoq́; vento, in Daciam, incredibili celeritate, vectus: offendit hostes, vastatis undique agris in armis stare: tum signa ferri, ac sequi armatos jubet.

Hoved. ibi.

Polydo. l. 7.

OLAUS NORVEGIÆ REX DANIAM INVADIT CUM HARALDO FRATRE.

III. FUGATUR A CANUTO,

Sed citius dicto omnia fiebant, cupientibus Anglis aliquo egregio facinore, virtutem ostentare: quo se apud Principem suum, in majore gratia ponerent. Initur prælium, ac tanto animorum impetu committitur; ut clamor cœlum oppleret. Fuit diu anceps: ad ultimum urgentibus Anglis, hostes fusi fugatiq́; sunt. Postridie Canutus hostem secutus, iter Norvegiam versus fecit. Quò ubi pervenit; legati de pace, de deditione, qui de salute omnium orarent, obvii fuerunt. Quos benignè audivit; ac acceptis obsidibus clementer remisit, quicquid in se deliquissent. Atque ita Norvegia recepta est. Olavus verò desperatâ victoriâ, ad socerum Gerishaslaum, Orientalium ducem, se recepit: ut ibi tutiùs domo exularet: qui ita dum voluit rem alienam turbare, suam perdidit. Perdidit tamen nihil vir innocens, qui per ejusmodi calamitates, multò probatissimus inventus, omnium judicio habitus est sanctissimus. Hæc Polydorus, de Olavo, qui post annos aliquot, sanctissimè moritur, à suis ob Christi fidem derelictus. Non recitat hic author Anglorum facinus, quo se, fidem, virtutemque suam, Canuto Regi probare contenderunt in hoc prælio: recitat illud Huntindonius ita: Cum tertio anno regni sui, ivit in Daciam; ducens exercitum Anglorum, & Dacorum, in Wandalos. Cum autem hostibus crastina die conflicturus appropinquasset: Godwinus Consul, Anglorum ducens exercitum; Rege inscio, nocte profectus est in hostes. Igitur improvidos invasit, occidit, fugavit. Rex verò summo manè, cum Anglos fugisse, vel ad hostes perfidè transisse putaret; acies ordinatas in hostem dirigens, non invenit in castris, nisi sanguinem, & cadavera, & prædam. Quamobrem summo honore deinceps Anglos habuit, nec minoris quàm Dacos. His actis in Angliam rediit. sed non ante annum sequentem.

QUI NORVEGIAM RECEPIT.

Huntind. ibi.

ANGLORUM VIRTUS IN PRÆLIO CONTRA WANDALOS.

IV. EMMÆ DEVOTIO IN ECCLESIAM

Dum Canutus foris pugnabat; Emma domi Rempublicam tractabat, continebatque in officio populum, religionis Fideique lenocinio: & quæ Regem ad Ecclesiarum ruinas restaurandas animaverat: idem ipsa, nacta imperii summam præstitit: in talibus thesauros dilapidans sanctitate prodigas dum ille in exteris terris dura meditaretur prælia. inquit suprà * Malmesburiensis. Quo etiam temporo Aelmarus Australium Saxonum Episcopus moritur: & vacantem Sedem intravit Æthelricus. Ita Westmonasteriensis, Godwinus, & Fasti: nec aliud hoc anno in Annalibus consignatur.

* v an. 1018, n 4.

MORITUR ÆLMAR SELESEIENSIS EPS. SUCCEDIT ÆTHELRICUS.

ANNUS CHRISTI 1020.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 9.

CANUTI ANGLORUM REG. 4.

CANUTUS, à Danica expeditione, in Angliam reversus, anno Domini millesimo vigesimo: quos strenuè, fideliterque pugnasse cognoverat, honoribus extulit: Godwinum imprimis, qui Anglos duxerat. Illum Huntindonius suprà Consulem appellavit: & eo fortè nomine ornabatur, Dux exercitus: Rex verò, è prælio reversum, Comitem creavit, ut observasse videtur Malmesburiensis; qui superioris anni victoriam recensens, victos Principes paulò aliter quàm suprà retuli nominat; sed in eundem, opinor, sensum. Sic enim Canutum laudat: Nescia virtus ejus, stare loco, non contenta Danamarchia, quam avito; & Anglia, quam bellico jure obtinebat, Martem in Suevos transtulit. Sunt illi Danis contermini, pertinacioribus studiis iram Canutonis emeriti. Sed primò exceptus insidiis, multos ex suis amisit. Postremò reparatis viribus resistentes in fugam vertit: Reges gentis, Ulf, & * Eiglaf, ad deditiones pacis adduxit: promptissimis ea pugna Anglis, hortante Godwino Comite: ut pristina gloria memores, robur suum oculis novi Domini assererent. Illud fuisse fortunæ, quod ab eo quondam victi fuissent: illud virtutis, quod illos premerent, qui eum vicissent. Incubuere igitur viribus Angli: & victoriam consummantes, Comitatum duci, sibi laudem, paraverunt. Rediens inde domum, totum regnum Noricorum subegit, effugato Rege Olavo, qui posteriori anno, ut animos provincialium suorum tentaret; cum parva manu in regnum ingressus: infidos sibi sensit, cum suis cæsus. Per regnum Noricorum, intelligit, opinor, Orbem arctoum, quem Scandiam veteres appellarunt; nunc in tria regna Norwegiæ, Sueciæ, & Daniæ, distinctum. quibus si Angliæ regnum adjicis, habes Canuti Regis amplissimum imperium: & brevi audies in ejus literis, regnorum elogia. ubi modestè non Suevorum, sed partis Suevorum de Regem appellabit.

I. GODWINUS, COMES A CANUTO CREATUR

Malmesb de Reg. l. 2 cap. fol. 74.

* Eigalf

Godwinus, hac expeditione, novis honoribus auctus, Comitatum Cantii in præmium recepit. Et hic ille est, cujus frequens imposterum mentio in Annalibus occurret. Ejus filiam, Editham nomine, Edoardus cognomento Confessor, cum Angliæ regno potietur, uxorem accipiet; & servabit virginem: quæ patris vitia, ambitionem, cupiditatem, & superbiam, magnis virtutibus expiabit adeò: ut vulgo cantabitur illud diverbium:

II. GODWINI INITIA.

Sicut spina, Rosam, genuit Godwinus Editham.

Nescio an Godwinus communi procerum suffragio Cantii comitatum acceperit: scio tamen Canutum è Daniæ reducem, regni proceres Cirencestriam in Occidente convocasse: de quo Rogerius ita: Anno millesimo vigesimo, Rex Canutus,

Hoved. ibi.

in Angliam rediit, & in Paschali festivitate, apud Cirencester, magnum Concilium habuit. Quid ibi actum, non explicat; addunt porro Wigorniensis & Florilegus, Æthelwardum Ducem in eo *Concilio Exlegatum*: nec proscriptionis causam exponunt. Cæterùm Dux ille, communiùs ab Authoribus, Edoardus appellatur, cognomento *Exlex*, fuitque Edmundi Ferrei lateris filius, de quo suprà *. Quid aliud in Concilio actum silentio ferè tegitur.

Edoardus exlex.

* v. an. 1016. n. 16

III. Assendunensi Ecclesia consecratur.

Sub idem tempus, Canutus ædem sacram, quam in Essexiensi agro construi jusserat, solenni cærimonia consecrari, Constantinum Magnum imitatus, præcepit. Ut enim ille, Cæsarum, & Augustorum Princeps, cùm Hierosolymitanum templum perfecisset, ad ejusdem encænia, ex omnibus provinciis, Episcopos convocavit, *qui incruentis sacrificiis* (loquitur Eusebius) *& mysticis consecrationibus, divinum numen placarent: & supplices Deo preces pro communi pace, pro Ecclesia Dei, ipsoq; Imperatore harum præclarissimarum rerum authore, proq; ejus Deo charis liberis offerebant: cùm templum prius magnificis regiisq; donis ornavisset.* Ita prorsus Constantinianæ fidei heres Canutus, domum quam Deo ædificaverat, Episcoporum precibus, & suis ac optimatum donis, ornandam curavit. de quo Wigorniensis: *Eodem anno* (1020.) *Ecclesia, quam Rex Canutus, & Comes Turkillus, in monte qui Assendun dicitur, construxerant; illis præsentibus, à Wulstano Eboracensi Archiepiscopo, & multis aliis Episcopis, cum magno honore, & gloria, dedicata est.* Addit Malmesburiensis: *Ad consecrationem illius Basilicæ: & ipse* (Canutus) *affuit, & optimates Anglorum, & Danorum donaria porrexerunt.* Causam paulò ante assignaverat, erectæ, in eo loco, Basilicæ: nimirum ut defunctorum animæ, precibus & sacrificiis, quæ ibidem Deo porrigenda erant, refrigerium inde haberent: quod etiam Constantinum spectasse, cùm templum Apostolis dedicavit, supra * suo loco manifestè ostendimus. Unde Author noster de Canuto, & templo ejus: *Ministros*, inquit, *instituit, qui per succidua sæculorum volumina, Deo supplicarent pro animabus ibi occisorum.* Ita habes Romanam, & orthodoxam Fidem, per succidua sæculorum volumina, unam, & eandem, in Oriente illo, & Occidente nostro: adeóque Catholicam. prosequamur alia constantissimæ Fidei argumenta.

Euseb. in vita l. 4. c. 45.

Wigorn. hic.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 11. fol. 73.

* v. an. 337. n. 4. &c.

Idem suprà.

IV. Canutus S. Edmundum martyrem placat.

Swanus, Canuti parens, Edmundi Martyris Ecclesiam temerarat, bona invaserat, & læserat sanctitatem ejus: unde immatura morte pœnas dederat, regno & vitâ privatus. Iratum hunc Sanctum Canutus placare, & sibi patriique propitium reddere, multis, magnisque operibus conatus est. Unde locum illum, Ecclesiámque, quæ à sancto Edmundo nomen ceperat, ornandum augendúmque suscepit: de quo Malmesburiensis: *Supra corpus*, inquit, *Beatissimi Edmundi, quem antiquiores Dani interfecerant; Basilicam, animositate Regia construxit; Abbatem & monachos instituit: prædia multa, & magna contulit: præstat hodieq; donorum ejus amplitudo integra; quod locus ille, infra se aspiciat omnia penè Angliæ cœnobia.* Contigerat planè loco illi, quod omnibus passim monasteriis contigisse supra insinuavimus: nimirum Danorum incursibus, & bellorum injuria; monachos suis sedibus pulsos, Ecclesias reliquisse: cùm illas regulari instituto tenere ultra non possent. quas tamen minùs regulariter viventes occupaverant. Canutus ergò, non modò diruta illius loci resarcire, prædia restituere; sed quod majoris momenti, & pietatis erat, primos incolas, veros bonorum dominos, suis sedibus reponere, postliminii jure decrevit. quod ita à Florilego declaratur. *Eodem anno* (inquit ad annum gratiæ millesimum vigesimum) *Rex Anglorum, & Danorum Cnuto, constructo Regali monasterio, cum competentibus officinis, in loco, qui Bederichesworthe nuncupatur: ubi Beatissimus Rex, & Martyr Eadmundus, incorrupto corpore, diem beatæ Resurrectionis expectat consilio Emmæ Reginæ, & Episcoporum simul & Baronum Angliæ, monachos in eo constituit: præficiens eis Abbatem nomine Widonem, virum humilem, modestum, mansuetum, & pium. Presbyteros autem, qui ibidem inordinatè vixerunt: aut in eodem loco, ad culmen religionis provexit: aut rebus aliis illis collatis; ex quibus solito abundantiùs victum haberent, & vestitum; in alia loca migrare fecit. Cœnobium quoque Beati Regis, & Martyris Eadmundi, cot prædiis, & bonis aliis, ampliavit: ut omnibus ferè Angliæ monasteriis, in rebus temporalibus, meritò præferatur.* Hæc ille.

Ornato monasterio quod pater violarat.

Idem suprà.

Edmundi-burgi monasterium a Canuto construitur.

Westm. hic.

Wido Abbas constituitur.

V. Monasterium fossato includitur.

Cœnobium Canutus fossato inclusit, & Abbati supremum intra illud jus concessit, ab omni etiam Episcoporum imperio eximium: *Severéque cavit* (loquitur Harpesfeldus) *ne cœnobium illud aliquando ad clericos transferretur.* Quæ omnia regio diplomate confirmavit, de quo statim. Cæterùm quod hæc loco illi præstiterit, parentis intuitu; qui Sancti Martyris manu periit; testis est Malmesburiensis, ita de hoc monasterio scribens: *Fossatum Cnuto Rex præcepit fieri, patris sui Swani miserabili fine edoctus ad bonum. nam cùm ille tempore Regis Edelredi, totam Angliam devastans, in terra Sancti Edmundi, nihilo refractiores minas anhelaret: a Martyre leviter admonitum per somnium ferunt: Sed barbaricâ ineptiâ durius respondentem, conto percussit, & exanimavit. Tantum mora in medio, quod excussus sopore, authorem, & modum mortis astantibus patefecerit. Confabulationes enim altercantium, & sonum ictus, custodes corporis mirum in modum audierant. Sciebat hæc Cnuto: ideoq; nihil non effecit, ut Sancto blandiretur. Præter Fossatum, quod prælibavi, quod terras Sancti, ab omni inquietudine defenderet: denique Basilicam, animositate regia, quantum illius temporis usus flagitabat, construxit*, &c. Hæc vera causa, cur Canutus tot dona profuderit, in Sancti Martyris cultum: & cur tantâ libertate cœnobium munierit, quanta in regio ejus diplomate legitur. quod licet hactenus impressum non viderim; ejus tamen mentionem facit Harpesfeldus, qui in margine notat illius initium, tale. *In nomine polarchu* Jesu. & illud ipsum est, quod Henricus octavus; qui Regum nostrorum ultimus, dictum cœnobium regiâ chartâ confirmavit aliquando; recitat in suo *Inspeximus*: quod penes me est, in membrana satis accuratè descriptum. Sed illud, hostili hoc tempore; cùm Sorices æquè, atque Factiosi, literis & libris bellum indicerent; adeò ambesum & mutilum est, ut sensus sæpè claudicet. Quod superest tamen apponam: nam aliqua integrè efferuntur. dicit ergò Henricus ita:

Harpesfeld. sæc. 11. c. 17.

Malmesb. de Pont. 2. fol. 240.

apud Harpesfel. f. 248.

Inspeximus

VI. Canuti diploma pro Edmundiburgo.

Inspeximus chartam, quam bonæ memoriæ Knutus, quondam Rex Angliæ, progenitor noster, fecit in hæc verba. In nomine poliarchi Jesu Christi *Salvatoris mundi, totiusq; creaturæ Creatoris: cujus divinæ dominatui, quæque dominationes, debito servitio, subnixa deserviunt; cujus etiam omnipotentiam universi potentatus obsecundare, examussim præproperant: quia bonitas bonitatis ejus est incomprehensibilis, & miseratio interminabilis dapsilitas bonitatis ineffabilis: longanimitas quoque super pravorum nequitias, quantitatis prolixitate cujuslibet longior; qui quotidianis admonitionibus . . . . . . conversationem ducentes monet, ut piè sectando justitiæ culturam, non eam deserendo linquant: quia . . . . instantia in ejus cultura ut permaneant, paterno affectu hortatur qui nihilominus . . . . mandat peccatoribus, ut resipiscant à suis iniquitatibus convertentes, quia eorum execratur . . . .*

Ego Cnut Rex totius Albionis . . . . . . cum consilio & decreto Archiepiscoporum . . . . faciendum, atque perpeti stabilimento confirmandum . . . . avum monachorum gregibus deputatum . . . . Comitatus illius funditus liberum, ut in eo dominio . . . . *regni Dominum prævaleant precari.* Placuit etiam *mihi hanc optionis electionem roborare privilegio isto: in quo videre præcepi libertatis donum; quod jam olim Eadmundus Rex Occidentalium Saxonum largitus est suo æquivoco, pronanciscenda ejus gratiâ, & mercede æternâ: scilicet Edmundo Regi, & Martyri, quod bonæ voluntatis voto agere cupimus; quamvis ejus promereri precibus merear portionem ejus beatitudinis, post hujus vitæ cursum.*

VII. *Tali libertate concedo fundo frui illi, in quo idem Sanctus pausat; ut quoties populus universus persolvit censum Danis, vel ad naves, seu ad arma; persolvant inhabitantes in ipso fundo eadem, ad usus quos elegerint fratres illius loci. * Sitq; nobis remedio hoc, mihi quippe, atque Reginæ meæ Alfgifæ, ac filiis nostris, omnibusq; qui pridem ei hoc contulerunt. huic libertati concedo additamentum, scilicet maritimos pisces, qui mihi contingere debent annuatim, per telonei lucrum, & piscationem, quam Ulfkytel habuit in villa; & omnia jura quarumcumque causarum, in villis, quæ monasterio adjacent, & quæ adjicienda sunt per gratiam Dei. Dedit quoque Regina mea assensum, concedens ei, pro sua eleemosyna dare quatuor millia anguillarum, cum muneribus, quæ pertinent ad illos pro annuali censu, in villa quæ cognominatur Lacyngahye. Si quilibet, quod absit, istam libertatem quoquolibet conatu nititur servitutis jugo subigere, vel prava intentione transmutare, ut rursus Clericos in eo collocet loco; sit addictus captivitati æternæ, carens sempiterna libertate; & mancipatus servitio diaboli, ejusq; consortio sit inextricabilibus habenis constrictus; nisi satisfactio ejus erratui subveniet; quod prorsus optamus.*

VIII. † *Ego Cnut, Rex gentis Anglorum, aliorumq;, nihilominus hoc privilegium jussi componere, & compositum, cum signo Dominicæ Crucis confirmando, impressi.*

† *Ego Alfgifa Regina, omni alacritate mentis hoc confirmavi.*

† *Ego Vulstanus, Archiepiscopus consensi.*

† *Ego Adelnothus, Archiepiscopus confirmavi.*

† *Ego Godwinus, Episcopus roboravi.*

† *Ego Alswinus, Episcopus assensum dedi.*

† *Ego Alfinus, Episcopus consignavi.*

† *Ego Ayericus, Episcopus consensi.*

† *Ego . . . . roboravi.*

† *Ego Brithwaldus Episcopus.*

† *Ego Ive Dux.* † *Ego Godwinus Dux.* † *Ego Ulf Dux.* sequuntur Ducum & militum nomina, quæ prætereo: adduntur etiam Abbatum subscriptiones aliquot in hunc modum: † *Ego Leofricus Abbas.* † *Ego Alfwardus Abbas.* † *Ego Agelstanus Abbas.* † *Ego Alsius Abbas.* . . . .

† *Ego Wulfredus Abbas.* † *Ego Oskitellus Abbas*, &c. IX.

Meminit hujus Chartæ Regiæ Henricus eo nomine primus, dum privilegia sancto Edmundo, ac monachis confirmat eo diplomate quod sic incipit: *Henricus Rex Angliæ Henrico Episcopo Norwici, & omnibus Baronibus, & fidelibus, & ministris suis de Norfolk, & Suffolk: ubicumque sanctus Edmundus habet terras, Salutem. Notum sit vobis, quod volo & præcipio firmiter, ut monasterium, & Burgus sancti Edmundi, & omnes in eo manentes, & omnia maneria sancti Edmundi semper sint in ea libertate, quâ fuerunt temporibus Cnuti & Edwardi Regum Angliæ: sicut Chartæ eorum testantur.* Ita legitur in Henrici octavi *Inspeximus* supra: qui præfatur ea verba in Henrici primi privilegio contineri. Unde de Canuti diplomate nulla est controversia. Cæterùm quo tempore datum sit, non exprimitur: sed ex Episcoporum subscriptionibus facilè colligitur, hoc anno vigesimo supra millesimum dictari & subscribi potuisse. nam Brithwaldus, Wiltunensem; Ayericus sive Æthericus, Dorcacestrensem; Alfinus Wintoniensem; Alwius, sive Alswinus, Londinensem; Godwinus denique Roffensem Ecclesiam regebant. ut patet è suprà dictis.

X. Livingus Cantuariensis moritur: Succedit Agelnothus.

Porrò quòd Wolstanus, Eboracensis Episcopus, primo loco ponatur, & Cantuariensis altero: non aliud in causa est, quàm quòd Livingus Cantuariensis Episcopus, hoc anno in vivis esse desierit, locúmque fecerit Egelnotho, qui necdum pallio ornatus: & electus tantummodo, præcedendi prærogativam modestè cessit. Livingi mortem Authores passim, & Fasti, ad hunc annum referunt. Unde Parkerus de eo: *Duobus ab eo Regibus sacratis, optabilem pacem, post tantas turbas in fine vitæ vidit. Et postquam septem sedisset annis, Ecclesiamq; Cantuariensem plurimis ornasset donis, cum gaudio moritur: & in Ecclesiâ Christi Cantuariæ sepultus, in pulvere jacet Anno Domini millesimo vigesimo.* Illum in eâ Sede sequutus est Agelnothus, sive Æthelnothus, propter eximiam, & insitam virtutem, antonomasticè *Bonus* appellatus inquit ille *: & verè virum Sanctum fuisse vel inde patet, quòd nomen ejus in nostro Martyrologio locum meruerit. Unde de eo ita scribit Pitsius: *Sanctus Athelnotus, vel Egelnotus natione Anglus, secundùm aliquos ordinis S. Benedicti monachus, & Abbas Cantuariensis; secundùm alios Glastoniensis; secundùm nonnullos denique Sacerdos, ut vocant, secularis. Plerique constanter affirmant eum fuisse Decanum Cantuariensem: & ibidem tandem Archiepiscopum extitisse constat. Erat vir, in quo pietas cum eruditione, mansuetudo cum humilitate contendebant, utra magis emineret. Canutus Rex hominem multo prosequebatur honore, & in consiliis intimum adhibebat.* Ita ille.

Antiq. Brit. fol. 93.

Antiq. sup. f. 94. prin.

Marty. Angl. 30. Octob.

Pitsius in Athelno.

Agelnothi laus

XI. Quod ad vitæ genus attinet, nec secularem fuisse Sacerdotem, nec Glastoniensem Abbatem puto: sed potiùs illud, quod plerique constantiùs affirmant, *Decanum Cantuariensem*, seu quod

idem eſt, Eccleſiæ illius Abbatem. Dico igitur fuiſſe Glaſtonienſem monachum: inde Cantuariam tranſlatum, poſtquam monachi ibi, cum Elphego ſancto, Martyrii coronam acceperunt. nam omnibus ferè interfectis, ut ſuprà, novam eò coloniam monachi deduxerunt: inter quos Agelnothus, & regulari vita, & morum bonitate eminens, cæteris præficitur: quem ideo Decanum appellarunt. Quod Glaſtonienſis monachus fuerit, ex illius monaſterii Antiquitatibus, & Malmesburienſi, colligo, ubi Canuti Regis adventus in eum locum deſcribitur: *Adſtabat*, inquiunt, *regio lateri Ethelnothus, qui ſeptimus ex monachis Glaſtonienſis cœnobii præſidebat Cathedra Cantuarienſis Archiepiſcopus.* Ex eiſdem deducitur Abbatem illius loci non fuiſſe: ut ibi legitur *Abbas Sigegarus cum præfuiſſet viginti octo annis obiit; & ſucceſſit ei Berthredus anno Domini milleſimo.* & iterum: *Abbas autem Berthredus poſt annos ſedecim prælationis ſuæ, in Glaſtonienſi, defunctus eſt. & ſucceſſit ei Brithwius anno Domini milleſimo decimo ſeptimo*: & ille: *poſt decem annos ſuſcepti regiminis in Epiſcopum Wellenſem eſt promotus: cui ſucceſſit Egelwaldus anno Domini milleſimo vigeſimo ſeptimo.* Nullus ergo Athelnoto Abbati locus, in Glaſtonienſi cœnobio.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 11. fol. 75.

Antiq. Glaſt. fol. 80.

XII. CANONICI CATHEDRALES MONACHI.

Decanus ergo non malè appellatur; quia monachis Cathedralibus; qui etiam non malè Canonici appellantur, eò quòd Canonicè, hoc eſt, regulariter Chori munia obeuntes, viverent; præſidebat. nam illi falluntur, qui Canonicos, illos, ubi Epiſcopi monachi ſedebant, in ſæcularium clericorum numero collocant. id enim ſupra, è Gregorii præſcripto, & Auguſtini, ac ſequentium Epiſcoporum more, conſtat paradoxum eſſe. Unde corrigendus Parkerus, qui perverſo ubique oculo monachorum res intuens, juxta mentis impetum omnia metitur, ita ſcribens: *Hoc tempore, in Eccleſiâ Chriſti Cantuarienſi, permixti cum monachis, Canonici Cathedrales, habitum quidem monachalem gerebant: ſed regula, atque profeſſione diſcrepabant. Itaque cum in illa ſæva Cantuarienſium per Dacos decimatione, monachi, exceptis quatuor, omnes trucidati fuiſſent; Canonici jam numero pauciores, præfectum ſeu præpoſitum ſuum, ex aliarum Eccleſiarum Cathedralium more, Decanum appellabant. Hinc Agelnothus extinctis, conſumptiſq; penè monachis, ad id muneris aſſumptus; Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis Decanus dictus eſt: deinde ad Archiepiſcopatum electus, Romam profectus eſt, anno Domini milleſimo vigeſimo.* Hic falſis vera commiſcentur. & perridiculum eſt, Canonicos habitu monachos, non profeſſione, aut regula, fuiſſe: cum ab habitu, profeſſio: à nomine Canonici, regula colligatur. Putant fortè Proteſtantes; epicæni generis fideique homines; ſimilis farinæ antiquos fuiſſe: Qui revera tam in fide, quàm in moribus, habitúque puriores fuerunt. Sed ſatis de hoc argumento: Romanam Agelnothi profectionem videamus.

Antiq. Brit. fol. 94.

XIII. ATHELNOTUS ROMAM PROFICISCITUR.

Huntendon. fol. 364.

Breviter illam Huntindonius ita deſcribit: *Hoc circa tempus, Leving Archiepiſcopo defuncto, Athelnod Romam petiit: Cum quo Lefwinus, Abbas Elienſis, profectus, Abbatiam, injuſtè ſibi ablatam, Papa Benedicto jubente, recepit.* Agelnoto cauſa profectionis, pallium fuit; quod ab Eccleſiarum Principe peti ſolitum, omni ſupra ſæculo diximus. Quid præterea ab eo Romæ factum, neſcitur: nam commentum illud aliquorum, aſſerentium illum à Papa Benedicto, emiſſe brachium Sancti Auguſtini Epiſcopi, figmentum eſſe putamus, quo, quia plures capiuntur, volo illud moroſiùs excutere. Antiquitates Britannicæ, in quibus nihil antiquæ fidei, ſed multæ fabulæ leguntur, ita referunt: *Agelnothus Romam profectus eſt, anno Domini milleſimo vigeſimo. Ibi à Papa Benedicto, & pallium & Primatus honorem accepit: ab eoq; brachium Divi Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, a Papa centum talentis argenti comparatum, in Angliam reportavit, ac Coventrenſi Eccleſiæ, dono dedit.* Quis non diceret, vel Agelnotum à Benedicto; vel certè Benedictum, ab alio emiſſe brachium Sancti Doctoris, centum auri talentis: & illud demum, ex Urbe, in Angliam delatum? Sed quamvis verborum ſenſus ambidexter ſit, Parkerus tamen innuere videtur, Agelnotum illud à Papa Benedicto centum argenti talentis comparaſſe. nam ſequitur ibi: *Hanc papalem in concedendis palliis auri, argentiq; voraginem, tanquam Charibdim, reprehendit emendavitq; poſtea Canutus Rex.* Quo planè ſignificat, Benedictum, ab Agelnoto, magnam pecuniæ ſummam emunxiſſe.

NUM EMERIT BRACHIŨ S. AUGUSTINI A BENEDICTO PAPA.

Antiq. Brit. fol. 94.

Idem ſuprà.

XIV.

Harpsfeld. ſæc. 11. c. 10. f. 232.

AGELNOTHUS NON EMIT BRACHIUM S. AUGUSTINI.

Paulò aliter, non tamen accuratè rem narrat Harpesfeldus: *Aethelnothus Romam profectus*, inquit, *honorificè à Benedicto Pontifice exceptus, pallium ſecum retulit. In quo itinere, ingenti pecuniâ, brachium Divi Auguſtini emit apud Papiam, & in Angliam tranſmiſit.* hoc, inquam paulò rectiùs; quia certum eſt, è Papienſi urbe, non è Romana, elatum eſſe theſaurum, quem Agelnothus in Angliam detulit. Sed quod ingenti pecunia emerit, σφάλμα eſt: nam ſemel tantum, Auguſtini corpus, magno pretio redemptum, legimus à Luitprando Longobardorum Rege, quod hactenus nemo reprehendit; omnes verò in ejus laudibus poſuerunt. inde natus error, Agelnotum ingentem pecuniam profudiſſe. fortè, quia Malmesberienſis dixit: *Domum rediens* (Egelnothus) *apud Papiam, brachium Sancti Auguſtini Doctoris, centum talentis argenti, & talento auri comparatum, apud Coventriam miſit.* Quæ verba, non alium ſenſum habent, quàm quòd Athelnotus reliquiarum partem S. Auguſtini Doctoris, è Papienſi Urbe, in Angliam tranſtulit; quas ſcilicet, olim*, centum talentis argenti, & talento auri, Luitprandus redemit. de quo Sigebertus. *Oſſa Sancti Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi olim tranſlata ad Sardiniam; vaſtatâ modò à Saracenis Sardiniâ, Luitprandus Rex Longobardorum, magno pretio transfert Papiam.* Horum oſſium, ita à Luitprando redemptorum, partem Agelnothus; cùm Papiæ eſſet, dono accepit; donoque miſit in Mercios. ubi ad urbem Coventriam, Canutus, ſub hoc tempus, Sanctimonialibus cœnobium poſuit; quod poſtea Leofricus monachis fundavit, anno Domini milleſimo quadrageſimo tertio. ut dicam ibi.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 11. fol. 75.

* V. an. 504. n. 5.

Sigeber. an. 721.

XV. BRACHIŨ MAGNO CULTU EXCEPTUM.

Hanc ob cauſam, Spedus emptum à Canuto Rege hunc theſaurum affirmat, cùm ipſe Romam profectus eſt. quod certè probabilius diceretur, ſi tam ingens pecunia profuſa fuiſſet. nam ſi talenta illa viliſſimè ſupputaveris, creſcent ad aureorum millia quadraginta, quæ præter ſumptus itineris, cenſumque Eccleſiaſticum; ſi ea Agelnothus pependiſſet, argueret profectò eum, vel divitem admodum (quod nemo crederet; quia BONUS vulgo dicebatur) vel Cantuarienſem Eccleſiam,

nihil

nihil hostile nuper sensisse, quod constat à vero alienum esse. Cæterùm si scire cupis, quo cultu, honore, atque reverentia, hic sacer thesaurus, à Canuto Rege, & omni Insula, exceptus sit (& hoc ad fidem Regiam spectat) Vide quomodo Luitprandus Longobardorum Rex, ante annos trecentos, eundem exceperit, in urbe Papiensi. Lege, inquam, Petri Oldradi Mediolanensis Archiepiscopi, ad Carolum Magnum literas: ubi Luitprandi factum accuratè describitur: ego partem delibabo, quæ translationis historiam spectat; quia inde Canuti, & Anglorum sensus, ac religio, facilè eruetur.

Domino Regum piissimo Carolo Magno, Petrus Oldradus Mediolanensium Archiepiscopus, perennem in Christo coronam.

XVI. Relatio translationis corporis S. Augustini [illegible] Sa[illegible]ia Papiam.

Opus, quod Celsitudo vestra, dum in Vrbe Mediolani moraretur, mihi imponere dignata fuit; ut aliquid de translatione corporis Beati Augustini Episcopi de Sardinia, Papiam, inquirerem; & fideli sermone Celsitudini vestræ transcriberem: quantum humana fragilitas laborare potuit, elaboravi. & quod [illegible], & libris Regum Longobardorum, & etiam ex traditione multorum legi, & audivi; Deo adjuvante, breviter scribam. tum narrat plura de vitâ, & morte S. Augustini, ejusdémque corporis translatione in Sardiniam post annos quinquaginta sex *: *A fidelibus*, inquit, *& Catholicis Episcopis: qui ob Christi Fidem, ab iniquo Transamundo Rege, una cum Fulgentio Ruspensi Episcopo, cum innumerabilibus Christi fidelibus, in eandem Insulam relegati fuerant; quo tempore Wandali armis Africam vastabant: ne gemma & thesaurus tantus, ab immundis spiritibus pollueretur: sunt cum nonnullis aliis Sanctorum reliquiis, deportarunt. Ibi multis miraculis claruit*. annis ducentis viginti tribus*. in quo manifestum datur intelligi, quòd quos Deus caros habet, ad sanctitatis eorum testimonium clarificat, & insignit virtutibus miraculorum.* Deinde laudatâ pluribus Luitprandi Fide, pietate, justitiâ, atque clementiâ, de S. Augustini sepulchro hæc habet: *Barbarorum infinita multitudo Sardiniam expugnare est aggressa: quam cum invasissent, & subjugatam destruerent; loca etiam sancta violenter aggressi polluebant: inter quæ sepulchrum Beati Augustini. Hæc cum justitiæ cultor, & amator religionis, Luitprandus Rex audisset, a sanctæ memoriæ Petro, Papiensi Episcopo; quem Rex maximo honore, & summâ reverentiâ, ob vitæ sanctitatem prosequebatur; videlicet coinquinari, & inhoneste tractari sanctissimi Augustini locum:*

Legati in Sardiniam a Luitprando mittuntur.

Legatos suos, proceres nobiles, cum magno pondere auri & argenti transmisit in Sardiniam; ut corpus tanti Sancti redimerent pretio, & transferrent quamprimum, ad civitatem Papiensem. Qui jussioni, & desiderio piissimi Regis satisfacere cupientes, navigio venerunt in Sardiniam:

Corpus S. Augustini a barbaris redimitur.

& redimentes corpus sanctum à barbaris; naviq; illud imponentes Dei misericordia, & ingenti eorum gaudio, plenis velis, per tranquillum mare. in unius diei & noctis spatio, perducti sunt ante portum & stationem Ianuensem: & per legatos Regi, quæ facta erant, denuntiarunt: & ut honorificè occurreret, ad reliquias tam gloriosi corporis suscipiendas.

XVII.

Quo audito Rex immenso gaudio perfusus, gratias ingentes Deo referebat; quod desiderium suum implevisset: omnique negotio postposito, rogatis & convocatis omnibus civitatum suarum Episcopis, & universo Clero; usque ad finem agri Dertonensis, ad suscipiendum tam præclarum Dei munus, cum maxima humilitate processit: & more Davidico, ad accipiendam arcam Domini, & reponendam in decentiori loco, properabat cum innumerabili procerum, & populi utriusque sexus multitudine: Deo gratias omnes agentes, de tantis donis datis.

Luitprandus nudis pedibus procedit obviam.

Cum autem ad locum, ubi jacebat sanctum corpus, appropinquasset: depositis Regalis aulæ insignibus; nudatóque capite, & pedibus cum tanta humilitate, & devotione procedebat, ut omnes qui aderant, mirarentur: & Deum super tanta devotione piissimi Regis laudarent. Ad Confessorem autem suum clarificandum misericors Dominus dignatus est multa miracula operari. Multi enim aliquo officio corporis privati, qui recuperata sanitate alacres, ad laudem & honorem Dei vociferantes læti ad propria remeabant. Unde corpus B. Confessoris, cum laudibus & hymnis, deferentes, pervenerunt ad fines agri Dertonensis: ad prædium quod appellant Savineriense. Ubi Rex Luitprandus, cum universo Episcoporum & procerum comitatu pernoctantes: & debitum tanto patri officium dignè peragentes. Rex ipse, tanquam unus de plebe, prope sanctissimi corporis reliquias, nimio devotionis zelo ardens, pernoctavit.

XVIII. Corpus immotum moveri a loco non potest.

Cum autem aurora sequentis diei illucesceret; ad peragendum iter ad urbem Ticinensem, nullo modo corpus sanctum movere potuerunt. Cum igitur plures ad feretrum accederent, nec quicquam proficerent; Rex Luitprandus, scissis vestibus, & deformatâ facie, in terra devolutabatur. Quippe, qui immenso desiderio tanti patris transferendi reliquias, ad urbem Ticinum, æstuabat nimis: At tum omnino ab omni spe ceciderat, posse amoveri sanctum corpus. Quo miraculo omnes Episcopi, & proceres stupebant; cogitantes intra se, quidnam Deus Omnipotens indicare vellet, de reliquiis tam gloriosi Doctoris. Aderat inter cœtum Episcoporum sanctæ memoriæ Gratianus, Novariensis Ecclesiæ Præsul, vir multa doctrina præditus, & omni scientiarum genere illustris, & verè Dei Sacerdos: qui accessit confidenter ad Luitprandum Regem, affirmans Dei misericordiam, non verbis & actibus externis, sed magis votis & operibus implorandam.

Voto nuncupato movetur.

Quo Rex libentissimè monita audiens; facto voto deliberavit; si Dominus Deus Omnipotens corpus B. Augustini Ticinum deferri permitteret: quod supranominatum prædium Savinariense, Deo, & Ecclesiæ Beati Petri, ad quam ipsum sanctum corpus deferre volebat, perpetuò habendum tribueret. Factum est igitur, ut cum votum persolvisset, accederet ad feretrum. Qui cum corpus de terrâ levare tentaret, ita levissimum invenit; ut nullo ulterius onere impediente corpus beatissimum; quod priùs nec moveri poterat a pluribus; modo non prohiberetur ferri à duobus. Peragebant igitur inceptum iter, ingenti gaudio & exultatione, laudantes Dei Omnipotentiam, qui voto Regis tam facile audisset.

XIX. Corpus Papiam defertur, cum summo honore cultúque.

Cum autem in urbe auditum esset, de adventu Regis, cum reliquiis beatissimi Confessoris; ad suscipiendum corpus sanctissimum omnes qui residui fuerant, festinarunt occurrere; & cum summo honore, utpote tanto patri debito, detulerunt, cum hymnis & Canticis, & totius populi concursu, summo gaudio perfusi, & reposuerunt in Ecclesia B. Petri in Cœlo aureo.

Iure autem in Apostolica positus est Ecclesia, qui pro Ecclesiastica dimicans fide, diabolicas hæretico um fraudes dispersit. Narrat inde miracula, quæ plurima fuerunt; & illis non absimilia, quæ legi possunt in Sancto Augustino; cum S. Stephani Proto-Martyris reliquiæ transferrentur. & demum recenset Luitprandi munera in Sanctum collata. *Dona autem* (inquit) *quæ piissimus Rex Luitprandus Ecclesiæ Beati Petri donavit, tam in prædiis & possessionibus, quàm in vasis aureis, & argenteis, & vestibus, ad Dei cultum pertinentibus, excedunt omnium piorum, & Catholicorum opinionem. Existimabat autem Rex ille, se tantum non posse donare ministris, qui custodiebant corpus B. Patris, quod opinioni & voluntati suæ penitùs satisfaceret. Et tanto gaudio ad corpus tanti viri receptum, repletus est; quòd die ac nocte, in hymnis & canticis Dei, cum clericis & Sacerdotibus, in Ecclesiâ pernoctaret: & tanquam unus de ministris, in Canticis Dei, & psalmodia, se exerceret. Hæc translatio corporis Sancti Augustini facta fuit pridie Calendas Martii: sedente in Sancta Petri Sede bonæ memoriæ Gregorio secundo. Excellentiam magnitudinis vestræ, per multa annorum curricula, Rex Regum, Christus Dominus sua dignetur custodire potentia. Datum in urbe Mediolani anno salutiferæ Incarnationis 796.*

XX. Eodem cultu brachiũ in Anglia excipitur.

Libenter versor in factis primorum sæculorum: præsertim ubi Europa, Africa Asiaque, in una Fide consenserant. quod nescio an alibi magis eluceat, quàm in cultu Sanctorum, atque reliquiarum. Cæterùm quòd idem honor cultúsque S. Augustini brachio, à Canuto, à Clero, populóque exhibitus sit, nullum est dubium; cum Ecclesia & cœnobium Coventriæ positum, id eloquenter probet: & esto nullum fuisset: quod hoc ipso tempore, in Anglia accidit, cum brachium B. Bartholomæi Apostoli, in Angliam, ex Italia deferretur, locuples argumentum est. ubi etiam clarè legitur, quàm scrupulosè Orthodoxi Sanctorum reliquias probaverint priùs, quàm cultum illis, aut locum in Ecclesiis, concesserint. Recitat illud Edmerus, occasione Bariensis Concilii; cui cum Anselmo sancto interfuit; viditque in eo Beneventanum Episcopum, *cappa præ omnibus, qui conventui inerant, pretiosiori decoratum*; inquit ipse; qui pergit narrare, unde Beneventano Præsuli, pretiosior illa cappa obtigerit, nimirum ab Agelnotho Cantuariensi Episcopo: qui cum S. Bartholomæi brachium Ecclesiæ suæ obtinuisset, illam vicissim, cum aliis muneribus, hospiti donaverat. Narratio autem est hujusmodi.

Brachiũ S. Bartholomæi in Angliam defertur.

XXI. *Edmer l. 2. Novo fol. 50.* Emma illud Cantuariensi Ecclesiæ donat.

Imma Regina (Emmam intelligit*) *inter multa bona, quæ Ecclesiæ Christi Cantuariensi contulit: brachio B. Apostoli Bartholomæi ipsam Ecclesiam disponente Domino suo Cnud Rege Anglorum, sublimavit. Quæ res quomodo acta fuerit, hoc modo, uno sensu, pari ordine referebant.* (Seniores nimirum Cantuariensis Ecclesiæ) *Tempore,* aiunt; *quo ipsa Domina, sicut Regina, in regno Anglorum magna, & præpotens habebatur: Pontifex Ecclesiæ Beneventanæ venit in Angliam. Quem sicut ipse ferebat, immanis fames, certis præsagiis, totam Apuliam afflictura, illò deduxerat; cupiens aliquo modo, si non toti provinciæ, saltem suis civibus tantum malum propulsare. Is iter ingressus, brachium B. Bartholomæi Apostoli secum tulerat; spe sibi certa promittens, se per illud multa lucraturum. Idem quippe brachium, ob hujusmodi necessitudini contrahenda subsidia, in ipsa Ecclesia Beneventi, à reliquo corpore servabatur remotum. Episcopus itaque transita Italia, venit in Galliam, quæ sibi dabantur, gratanter ubique bona suscipiens. Auditâ verò divitiî famâ regni Anglorum, ratus est sibi eò progrediendum; ex aliorum eventibus sperans, se illic amplius cæteris regionibus acquisiturum. Præfata quoque Regina magni nominis, & divulgata fama habebatur: quam bonitas sua, & quæ supra Ecclesias respiciebat, largitas, ei pepererat. Pontifex igitur Angliam veniens, ipsam Reginam adiit: & illius allocutione potitus; quid detulerit; quam ob causam, tam remotas orbis adierit partes, insinuavit. At illa hominis caritativo labore, ad misericordiam flexa, de suis ei copiosè largita est: & illum patriam remeare; necnon eis quibus imminens famis periculum formidabat, subvenire hortata est.*

Emmæ Reginæ laus.

XXII. Brachiũ sacrum Emmæ datur pro pretio

Sed ipse intelligens non sufficere sibi ad suum negotium, quæ habebat: eos quos magis familiares in curiâ ipsi Dominæ esse acceperat, percunctatus est: utrum Os quod detulerat, dato pretio, Reginam in jus proprium transferre cura esset. Quid multa? Investigatur de re animus Dominæ: & invenitur promptissimus esse; certam si tantummodò Episcopus faceret, ipsum os, nominati Apostoli revera fuisse: & taliter, ut ipsamet testaretur sibi, sublatâ omni ambiguitate, satisfactum. Ad quod ille. Quo, inquit, modo? Super corpus, ait, Dominicum, & super Sanctorum reliquias, quas ei proponam, jurejurando, reliquias, de quibus agitur, veraciter esse, de corpore Beati Apostoli Bartholomæi: & id remotâ omni æquivocatione, atque sophismate facias. Hoc, inquit Episcopus, securè me facturum polliceor. Veniens itaque Cantuariam, cum brachio ipso; prout illi Rex, & Regina dictaverant; decenter susceptus est. Astante igitur ipsâ, monachorum quoque, & clericorum immenso agmine, eam vallante: inter quos etiam memorati viri, a quibus hæc accepimus, se præsentes fuisse testati sunt; numerosaq; utriusque sexus, & ætatis multitudine, ob hoc convolante, & audiente; jurandò super altare, & corpus Christi, nec ne Sanctorum * reliquias, quas B. Gregorium sancto Augustino; aliósque Romanos Pontifices aliis Archiepiscopis destinasse scitur, asseveravit, ipsum os de quo sermo habebatur, B. Bartholomæi Apostoli proprium fuisse, nec ipsi assertioni suæ, aliquid omnino sophismatis, aut æquivocationis inesse. Quo facto memorabilis Domina, quamplures argenti libras Antistiti contulit: & osse potita, illud Ecclesiæ Christi Cantuariensi, solemni donatione, ex parte Regis Cnudi, suáque, concessit. Illis quippe diebus, hic mos Anglis erat, patrocinia Sanctorum, omnibus sæculi rebus anteferre. Pontifex quippe Sedis ipsius, Ægelnothus nomine; inter reliqua quæ homini dedit, cappam illi valde pretiosam, aurifrigio ex omni parte ornatam, dedit: quæ, & illius Ecclesiæ decori, & Ecclesiæ Cantuariensis, futuris temporibus tantæ existeret testimonio, & probationi. Ego igitur cum Concilio præsens, Antistitem Beneventanum, cappâ, reliquis præstante, ornatum viderem: & eam ex his quæ olim audieram optimè nossem, non modicè lætatus: & cappam, & verba, mihi puero exinde dicta, Patri Anselmo ostendi. Mox celebrato Concilio, ubi Beneventanum ipsum adii: & inter alia mutuæ dilectionis colloquia, cœpi de eadem cappa loqui: & unde illam haberet, quasi nescius interrogavi. Summam rei exposuit; & eam ordine quo descripsi, suam Ecclesiam, ab Ecclesia Cantuariensi adeptam esse, declaravit.* Hæc omnia Edmerus.

* De his reliquiis vide an. 601 n. 19. & 35.

Emma donat Ecclesiæ Cantuarien.

Mos Anglorum, præferre Scotorum patrocinia rebus omnibus.

XXIII. Nota morem.

Noli, Lector, oscitanter transire, quod de *More Anglorum*, in hoc Authore legisti: nam inde meliùs, quàm ullo alio argumento, sæculorum sensus, majorum fides, Ecclesiæ ritus, eruuntur: quod Annalium Ecclesiasticorum instituto proprium. dicit ergò Anglorum moris fuisse: *Patrocinia Sanctorum omnibus seculi rebus anteferre.* quod, ut vides Africanis quoque, Italisque Ecclesiis, commune fuit. Nec mos hic, Sanctos, Sanctorúmque reliquias colendi, in hac Insula; à Magno Gregorio sumpsit initium (quod tamen antiquum satis, & mille ampliùs annorum authoritate præscriptum foret, præter doctissimi, & Apostolici viri suffragiom) nam Britanni Anglos præcesserunt, more, exemplo, constantiáque. testatur id Giraldus Cambrensis, & accedit Joannes Seldenus; non antiquæ Fidei, sed novi Juris consultus; qui de Britannorum Doctrina tractantes; quam Germanus, & Lupus, Episcopi in Insula restaurarunt, disertè affirmant, eos, *Sanctorum Reliquiis devotam, reverentiam exhibere: longéque magis, quàm ullam aliam gentem, honorem deferre.* Unde Regia Britannorum, & Anglorum Fides, in eo dogmate; multa provinciarum, & sæculorum sanctitate luculenter illustratur. Et una, eadem, ac constans esse perspicuè demonstratur: cum quà nominati Principes Canutus, Emma, Luithprandus, Carolus Magnus, hoc est, Christianus Orbis egregiè contesserant.

Girald. descrip. Camd. 18. Selden Anal. l. 2. c. 1

XXIV. Moritur Ælmar? Schirb Succedit Brithwinus II.

Ælmarus Schirburnensis Episcopus, è Fastorum calculo, hoc anno moritur; & illi in ea Sede substituitur Brithwinus, eo nomine, secundus. nam ante Ælmarum præcessit alter ejusdem nominis. uterque nomen, & aliud nihil, ad posteros transmisit. Eodem anno ad Dunelmensem Ecclesiam administrandam Edmundus quidam, mirabiliter assumitur. de quo Malmesburiensis ità: *Edmundus, mirabili casu, in Episcopum creatus est. Electio enim olim Præsulum & Abbatum, tempore Anglorum, penes Clericos, & Monachos erat. Monachi ad corpus S. Cutberti non serviebant quamvis Episcopi consuetudinaliter monachi essent, ad exemplum sanctissimi Patris, qui monachus, clericis præfuerat. Defuncto ergo Aldhuno Antistite, clerici consederant de Rectoris futuri electione consultantes: nec ut fit in talibus, quicquam certi, pro schismate partium, desinentes. Tum Eadmundus, quem nullus accersendum putaverat, cunctantibus superveniens; consuetáque usus facetia: Me, inquit, accipite, & Episcopum facite. Illi omnes quasi divinitus accensi spiritibus, rapuerunt ex ore ejus verbum, quasi divinum oraculum: stupentemq;, & dicti pænitentem: utpote qui mallet lusum pilæ, quàm usum cuculli, monachum fecerunt: & Regi Egelredo* (legendum indubiè, Canuto) *qui tunc regnabat, in Episcopum sibi postulaverunt. Omine felici fuit hæc facta prolusio; ut commemorant indigenæ loci. Regis enim serenitas, quod petebatur, annuit: & propitia divinitas, quod sperabatur, implevit. Sub eo enim Præsule, multum in modum Ecclesiæ promovit prosperitas.* Ita ille. Fasti hoc loco corrigendi, qui Edmundi ingressum post tres annos consignant. Wigorniensis, Hovedenus, & Florilegus ad annum millesimum vigesimum referunt. ut etiam Godwinus in Catalogo: hoc ideo; qui nunc electus, post tres annos consecratus est.

Malmesb. de Pont. l. 3.

ANNUS CHRISTI 1021.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 10.

CANUTI ANGLORUM REGIS 5.

Sequitur annus Christi millesimus vigesimus primus, quo Concilium Wintoniæ habitum, refert Spelmannus, ita Synodum inscribens: I.

Concilium Wintoniense, sub Canuto Rege Anglorum, & Danorum, & Norwegarum, habitum in sancto Natali Domini. Anno Christi 1021.

Hæc sunt statuta Canuti Regis Anglorum, Danorũ, Norwegarum, venerando sapientum ejus consilio, ad laudem & gloriam Dei, & sui Regalitatem, & communne commodum, habita in sancto Natali Domini, apud Wintoniam, &c.

II. Concilium Wintoniense, pro immunitate Edmundi-Burgi.

Rex Canutus, anno regni sui quinto: videlicet per centum, & triginta annos, ante compilationem decretorum, quæ anno Domini 1150. fuerunt compilata, anno septimo pontificatus Papæ Eugenii tertii; & ante compilationem aliorum Canonum quorumcumque: cunctos regni sui Prælatos, Proceresq;, ac Magnates, ad suum convocans Parliamentum; in suo publico Parliamento, persistentibus personaliter, in eodem Wulstano, & Adelnodo Archiepiscopis, & Aelwino Episcopo Elmhamense; & aliis Episcopis ipsorum Suffraganeis, septem Ducibus, cum totidem Comitibus; nec non diversorum monasteriorum nonnullis Abbatibus, cum quamplurimis gregariis militibus, ac cum populi multitudine copiosa, ac omnibus tunc in eodem Parliamento personaliter existentibus; votis Regiis unanimiter consentientibus; præceptum & decretum fuit: Quod monasterium S. Edmundi &c. sit ab omni jurisdictione Episcoporum, (&) Comitatus illius, ex tunc in perpetuum, funditus liberum, & exemptum, &c. Ita, ex libro monasterii M. S. sancti Edmundi, primùm retulit Edoardus Cokus, in Epistolâ ad Relationum suarum partem IX. Inde ex eo Spelmannus, qui suspicari videtur, non esse integræ fidei, nec hujus sæculi phrasim redolere; quæ de Parliamento dicuntur toties repetito. nam vox illa, nuperius nata, vix Henrico tertio regnante, innotuit.

III. Moritur Algarus Helmhamen. Eps. Succedit Aldwinus.

Cæterùm licet author recentior fuerit, narretque quid olim gestum: non est tamen dubium, quin Canutus Rex, hoc anno, proceres Wintoniam vocaverit; & dixerit, scripseritque pro Ecclesia benè. Unde iterum, sanctum Edmundum Regem honorasse, & monasterium ejus, privilegio illo auxisse, cui Orientalium Anglorum Episcopus Alwinus (in cujus diœcesi Edmundiburgum) assenserit; probabile est. Et quia Alwini mentio hic primùm occurrit, ideo fortè Wigorniensis, Hovedenus, Florilegus, & Fasti, ad hunc annum consignant mortem Algari Helmhamensis Episcopi; cui Alfwinus, vel Ealwinus, sive Aldwinus successerit. Porrò quod ad Concilium attinet; Spelmannus quidem Leges ibi dictas, sancitásque omisit: sed revera plures fuerunt; eæque, Ecclesiam, & pietatem proximè spectantes, quas Lambardus recitat in sua Archæonomia; & nefas est omittere: eas præsertim, quæ Canuti & Anglorum Fidem loquuntur:

quæque in præcedentium Regum legibus parùm contentæ fuut. Sic ergo Canuti Leges inscribuntur: *Consultum quod Canutus Anglorum, Datorum, & Norwegiensium Rex, ex sapientium consilio, ad Dei immortalis gloriam, Regiæ majestatis ornamentum, & Resp. utilitatem, Natalitiis Domini nostri* JESU CHRISTI *diebus, Vintoniæ sancivit.*

apud Lambardum, fol. 94.

III. CANUTI LEGES, QUÆ DEUM ET ECCLESIAM SPECTANT.

PRimum omnium, unum Deum, ad omnes sæculorum ætates, augustè, sanctéque venerantor omnes, unam Christianæ religionis regulam religiosissimè tenento. Canutum Regem, omni fidelitate, & observantia prosequuntor.

DEI ET ECCLESIARUM CULTUS.

2. Templum Dei, piâ, & æternâ pace tuemur: idq. crebrò frequentemus omnes; cum ad animorum nostrorum salutem; tum ad reliquorum accessionem, & emolumentum. Sacras ædes planè omnes Christi pax una comprehensas habet. Eam igitur magno in cultu atque honore habere Christianos omnes, par est. Pax etenim divina, præ cæteris exoptanda, & retinenda est. proximè verò & secundum hanc pacem servari Regiam oportet. Pacem igitur Ecclesiæ Dei, intra parietes suos, & Christiani Regis traditam manu tranquillitatem, maximè convenit ratam esse semper, atque inviolatam. Si quis itaque alterutram violarit, prædiis multatus, morte afficitor. Nisi quidem Rex sceleris pœnam condonaverit. Sin pacem Ecclesiæ Dei unquam posthac adeo violarit quisquam; ut intra sacri parietes hominem trucidet: esto id quidem inexpiabile: atque in eum omnes, amore Deum prosequentes, infesti feruntor; ni isthinc prior evolarit: atque ad ejusmodi aliquod asylum confugerit, ut Rex eum (cumulate tum Deo, tum hominibus data compensatione) vita frui patiatur. Id quod si fecerit; numerata Christo, & Regi proprii capitis æstimatione, facto sibi ad compensationem aditum. Tum (si ad pactionem ventum fuerit, eamq. Rex fieri patietur) mulctam Ecclesiæ pendito. Templum de more purgari curato: cognatis atque casi Domino, quod æquum erit præstato: cum Deo denique in gratiam redire, summa cum cura & diligentia studeto.

HOMICIDIUM IN TEMPLO PUNIENDUM.

IV.

3. Sin (cæde nulla perpetrata) pacem Ecclesiæ minuerit quisquam; pro ratione delicti compensatio sequitor: sive is pugnarit, sive rapuerit, sive facinus aliud quodcumque admiserit. Primum tamen pro ratione facinoris, & Ecclesiæ dignitate, pacis violatæ mulcta, erit Ecclesiæ præstanda. Neq. verò una eadémque est omnium templorum terrena dignitas; sint quamquam omnia ejusdem divinæ consecrationis socia. In iis etenim quæ possunt expiari criminibus; pacis in æde primaria quacumque violatæ pœna, regiæ pacis ruptæ mulctam exæquat, libras nimirum quinque jure Anglorum. In secundaria autem, & mediocri, pacis perturbatio, centum & viginti solidis pensatur, mulcta scilicet regiâ. In fano verò minore, ubi sacra minus sæpe peraguntur (cui sit tamen locus sepulturæ designatus) sexaginta solidorum pœna esto. In fano denique campestri; ubi nullum fuerit cœmiterium, pacis perturbatori tricenum solidorum mulcta irrogator.

ECCLESIARUM DIFFERENTIA.

4. Christianæ Fide imbutos omnes maximopere convenit; sanctimoniam, ordines, Deóque consecrata loca, religiosissimè in pace tueri; atque suam cuique ordine dignitatem tribuere. Sciat enim quisque (qui scire saltem volet, aut poterit) magni esse ponderis, & momenti; quod Sacerdoti faciundum est, pro salute populi; si modo ritè Deo placere studuerit. Miri sunt etenim exorcismi, atque admirabiles illæ consecrationes; quibus in baptisterio, & Eucharistia sacrandis, hostis humani generis pellitur, ac profligatur. Angeli siquidem circumfusi sacra custodiunt; & divinâ freti potentiâ, Sacerdoti (quoties ritè Deum coluerit) subveniunt. Id quod faciunt quidem omni tempore, cum Sacerdos Christum suppliciter ex animo rogarit; atque ab eo flagitarit, quæ sunt populo ad vitam necessaria. His igitur propter Dei timorem, pro suis ordinis dignitate, ab aliis discernuntor.

ECCLESIÆ SACRA MAXIME ÆSTIMANDA.

Nescio quid dici concinnius possit, ad Romanæ Regiæque Fidei assertiones. Cum inter divina, humanáque jura, discrimen, & prærogativa decernitur: cum Ecclesia, & sanctior illa Respublica, alteri præponitur: cum denique primo loco Deo redduntur, quæ Dei sunt: inde Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Procul ergo fuit ab hac ætate, sceptrum cum Sacerdotio confundere. nedum Ecclesiam coronæ substernere. Mansit hic ordo, manétque adhuc, ubi eadem Fides provincias illustrat. Nunc pergat Canutus Sacerdotum honorare, & Clerum distinguere, in eum qui regularis est; & eum qui minus regulis ascribitur. V.

5. Si quis itaque Sacerdotem, ad certam aliquam religionis normam viventem, in crimen vocarit. atque is nullius sceleris conscius fuerit: Missam (si modo id facere non vereatur) celebrato; & Eucharistia perceptione, unius calumniam omnem, solus contundito. Sin triplex fuerit accusatio. perceptâ (si modo ausus fuerit) Eucharistiâ, atque adjunctis sibi aliis, ejusdem ordinis duobus, omnem cogitati sceleris suspicionem diluito. Diaconum, ad certam religionis formulam viventem, si quis singulari calumnia criminis reum fecerit, assumptis ordinis illius duobus aliis; Diaconus se crimine liberato. Criminatio sin fuerit tripla; admotis ordinis ejusdem viris senis; se culpa exolvito. Plebeium Sacerdotem, qui se ad nullam certam religionis regulam astrinxit, si quis insimularit: perinde, ut Diaconus ex præscripto vivens, is crimen purgato. Si eorum qui aræ deservierint aliquis, amicis orbatus; adeoq. qui secum una pariter jurent, non habens; criminis fuerit postulatus; panem execratione devotum comesto: atque de eo fiat prout divina feret voluntas. nisi quidem licitum fuerit Eucharistia perceptione se culpa liberare. Si quis sacris initiatus, capitales suscepisse inimicitias, atque adeo alicujus interficiendi author, aut consiliarius fuisse insimuletur: admotis sibi (quorum interfit, vel simultatem illam sustinere; aut eadem compensare) cognatis, crimen diluito. Cognatos autem si nullos habuerit, vitæ comites, ac socios admoveto, aut jejunato, aut (si opus esse videbitur) panem certis verbis devotum comesto: Atque de eo fiat, prout divinum feret judicium. Monachus verò susceptarum inimicitiarum nomine, jure non petat; néve pendito quicquam. Reliquit enim, & abjecit quicquid sibi jure cognationis competebat; cum primum se ad formulam victurum est professus. Sacrificus, si minimè fuerit in dicendis testimoniis religiosus; si pejerarit, furtíve furti author fuerit, aut consiliarius; dignitate muneris sui spoliatus, omni tum societate, tum amicitia, & honore privator: nisi quidem Deo, & hominibus (pro eo ac fuerit ei ab Episcopo imperatum) cumulatissimè satisfecerit. Satisdato tamen se postea ab hujusmodi flagitiis temperaturum. Sin se purgare voluerit, facito id quidem, sive excusatione tripla, sive aliter; prout ipsa feret facti ratio.

VI. REG... RI... BA...

ALIORUM PROBATIO.

VII. *6. Porrò autem præcipimus, ut uniuscujusque ordinis, singuli muneris, atque officii sui religionem diligenter, sanctéque teneant: servi præsertim Dei, Episcopi, cœnobiarchæ, monachi, moniales, Canonici, ac vestales* (nonnas rectiùs vocasset, quia *Nunnam* in Saxonico: Sed Lambardus interpres, ut Ecclesias (Kirick) per fana, sic alia sacra, profanè effert) *quæ ad officium pertinent curanto, ad formulam, & præscriptionem, vitam diriguntò; Christum dies, ac noctes, sæpè, & multùm, invocanto: atque eundem denique, pro omni populo Christiano, deprecantor. Dei verò ministros omnes, præsertim Sacerdotes precamur, atque edocemus; ut Deo pareant, castimoniam charam habeant; iram ut vitent divinam, atque torrentes inferorum flammas effugiant. Sanè quidem, certè sciunt, non licere eis, veneris causâ, fœminarum societatem coire. Qui verè sibi ab his temperarit, ac cælibatem coluerit;* divinam consequitor miserationem: atque ad terreni honoris cumulum pari cum Thani jure, fruatur.*

SACERDOTUM CASTITAS

VIII. De sensu legis hujus, de prærogativâ Sacerdotis, de jure Thani, dictum est supra, ubi Ethelstani Regis edictum exposui. nihil enim Canutus hac lege sancit; sed quod olim in more positum, in memoriam, & usum, revocat. Cæterùm illud hoc loco notandum, quod Rex disertè affirmat, Sacerdotes omnes *certo scire: non licere eis fœminarum consortium.* Unde Novatores omnes, erroris arguuntur; qui supra toties de Sacerdotum conjugio imperitissimè philosophati sunt. Si enim fœminæ cujuslibet interdicta erat societas; sequitur certo certius, uxorios amplexus, minimè licuisse. Hic ergò, ut alibi sæpè, sacris hominibus castitas commendatur: & nulla uxorum mentione, fœmina indefinitè, à Sacerdotis convictu, arcetur. quod ideò omnes *certò sciverunt*; quia jam inde id ab Apostolorum sæculo, à Nicena magna Synodo, & à sexcentis Canonibus cautum erat: & fieri non potuit, ut ad tot ætatum voces Clerus obsurdesceret. obsurduit tantum hoc novo sæculo, postquam Lutherus Apostata non potuit continere. Cæterùm placet hic interpretis integritas, qui genuinè reddidit, quod in Saxonico legitur: ubi, pro *fœmina*, *Wyf* ponitur. quæ vox, non, ut modo, uxorem, sed indistinctè fœminam, virginem, & illum sexum significat. Quod utinam Novatores citiùs advertissent: non toties, opinor, in Reges, in Episcopos, in Sanctos vociferati essent; quòd uxores, & legitimas conjuges, à Sacerdotum latere separassent. nam tantum separarunt Wyf, hoc est, omnem fœminam. Iterum benè Lambardus infra (inter leges Canuti alio tempore latas) latinè reddidit: *Puellam nemo, aut fœminam, alicui in nuptias invitam conjicito: néve pretio vendito.* Ibi certum est de nupta non esse sermonem: & Saxonicum habet: nemo *Wyf*, neque *Maden*: pro puella, & fœmina. Sed satis supra* de hoc argumento. nunc Canuti, vel potiùs Episcoporum statuta, prosequamur.

v. an. 959. n. 8.

NOVATORUM ERROR DETEGITUR.

apud Lambard. f. 121.

* v. an. 1006. n. 15. 16. & an. 1018 n. 8.

IX. MATRIMONII LEGES.

*7. Christianâ Fide imbuti omnes, propter Dei timorem; illicitas carnis libidines coërcento; ac jussis divinæ Legis obtemperanto. Porrò autem edocemus, precamur, atque per Dei immortalis nomen præcipimus: ne Christianâ Fide tinctus quisquam, intra sextum suæ cognationis gradum, nuptias contrahat: néve cognati (qui cum ei fuerat intra sextum gradum necessitudo) viduam in matrimonium ducat. neque porrò ei (quam antea habuerat uxorem) aliquam consanguinitate propinquam sibi in matrimonio jungat. Susceptricem ad sacrum fontem, Vestalem virginem (sacram * monialem Saxonicè) aut repudiatam, in matrimonium, Christianus ne ducito. Denique, qui Dei leges, cura complexus fuerit, suámque ab æternis inferorum flammis animam prohibere studuerit: Scorta ne sectator; uxorem quoad ea vixerit unicam, eámque legitimo nuptiarum fœdere conjunctam, nec plures habeto.*

* gehalgodre nunnam.

DECIMÆ QUANDO SOLVENDÆ?

8. Quotannis quisque Deo jura, justásque debitiones, rite persolvito. Arationis quidem eleemosynam, ad decimum quintum à Paschate diem pendito: fœtuum decimas ad Pentecosten solvito: terræ denique fructuum decimas reddito, ad festum omnium Sanctorum celebre. Verùm enim verò, si quis decimas, ad eum quem diximus modum (ex decima nimirum arationis acra) dare noluerit: præpositus Regius, Episcopus, fundi Dominus, ſatiq; Sacerdos (Minltres * Mæsse Preost) *conveniunto: atque eo vel invito, decimam Ecclesiæ cui debetur, partem, nona ei relicta, reddunto. Quod ad residuas octo partes attinet; quatuor, qui est fundi Dominus; reliquas illius diœcesis Episcopus habeto. Id quod faciundum erit; sive is fuerit minister Regis, sive nobilis alterius cujuscumque.*

* Missalis Sacerdos.

X. *9. Nummus Romæ debitus ad * festum D. Petri redditor: qui tum non solverit; Episcopo denarium illum, áliorq; præterea ter denos, numerato; ac Regi eo nomine ducentos & viginti solidos.*

* Peteres mæssan.

*10. Seminum primitiæ, ad * festum divi Martini penduntor. Si quis dare distulerit; eas Episcopo undecies præstato; ac Regi ducentos ac viginti solidos persolvito.*

Martinez mæssan.

*11. Thanus, si in solo, ex scripto possesso, templum habuerit, cui locus adjaceat sepulturæ destinatus; decimarum suarum trientem, in id conferre ei potestas esto. Sin circa templum nullus fuerit designatus humationi locus: tum qui est fundi Dominus, dato Sacerdoti novem partium reliquarum, quantulum ei visum fuerit. Ex singulis ingenuorum focis, census Ecclesiasticus * templo reddatur primario.*

* Ealdan mynstre.

12. Ter quotannis, ad lucernas pecunia conferatur: festo quidem Paschatis, in singulas terræ hydas, ceræ obolus imponitor: ad festum omnium Sanctorum celebre, tantumdem redditor. Similiter fiat ad festum Purificationis B. Mariæ.

13. Porrò autem æquum est: ut effosso tumulo, ipsa protinùs numeretur pecunia sepulchralis. Atque, si quis extra sua parœchia fines, mortuum humarit aliquem; ipsa nihilo secius pecunia sepulchralis Ecclesiæ (ad quam jure pertineat) redditor.

XI. FESTA OBSERVANDA.

14. Jura, atque officia divina omnia, studiosè quisque (ita uti competit) tuitor, ac conservato: dies festos, ac jejunia, summa cum cærimonia celebrato. diem Dominicum, ab ipsa Saturni dies horâ pomeridianâ tertiâ, in primam usque diei Lunaris lucem, festum agitato. Cæteras denique ferias (perinde ut fuerint à Sacerdote indicta) solenniter agito.

15. Die Dominico, mercata celebrari, populive conventum agi (nisi flagitante necessitate) planissimè vetamus. Ipso præterea die sacrosancto, a venatione, & opere terreno, prorsus omni, quisque abstineto.

ITEM JEJUNIA.

16. Instituta omnia sive Quatuor temporum, sive Quadragesimæ: sive alia quæcumque religiosissimè celebrantor jejunia. Ad singulos D. Mariæ, atque, Apostolorum omnium dies festos (excepto unico Philippi, & Iacobi, quo Paschatis gratia cibo non temperatur) jejunia sunto. Singulo quoque Veneris die (nisi quidem festus agatur) jejunium esto. A Paschate verò,

usque

QUANDO NON JEJUNANDUM.

usque ad Pentecosten: atque ab ipso Natali JESU CHRISTI *die, ad octavam usque ab Epiphania lucem; jejunia nemo observato: nisi quidem judicio, at voluntate fecerit sua; aut id ei fuerit à Sacerdote imperatum.*

17. *Porrò autem festis diebus omnibus, Quatuor temporum jejuniis, Quadragesima, cæterisq; omnibus, quibus ritè indicatum fuerit jejunium diebus; omnis Ordalii, ac jurisjurandi jurisdictio intermittitor. Ab anniversario item Adventus Domini die festo, ad octavum usque ab Epiphania diem: atque à Septuagesima ad decimam quintam; à Paschate lucem, justitium edicimus. Sanè quidem annua Divorum Edoardi, & Dunstani festa, religiose ab Anglis, decimoquinto Kalend. Aprilis, & decimo-quarto Kal. Iunii, celebranda, sapientes instituerunt. His ergo festis solemnibus, Christiana fide tinctis omnibus (ita uti convenit) festa, & tranquilla pax esto: omnisque procul absit fraus, & malitia. Atque si quis alteri, sive fidejussionis, sive compensationis nomine, debuerit quicquam, aut ante hosce dies, aut continuo post, retributo.*

FESTUM EDOARDI MATYRIS. ITEM S. DUNSTANI.

XII. 18. *Christiana fide imbutos omnes, pro sui, quem in Deum habent amoris magnitudine, obtestamur; ut quæ sunt sibi ad salutem necessaria, cupidè animo, & cogitatione comprehendant. Adveniet etenim tandem aliquando tempus; cum divina paruisse voluntati (tum cum liberum datur spatium) multis partibus malimus, quàm omnes omnium qui in terris degunt, possedisse fortunas. Sanè quidem hujusmodi nobis omnibus (ut fuerint cujusque facta) decernetur stipendium. Tum denique væ iis erit, qui viri æterna inferorum supplicia promeruere. Quin igitur à delictis diligentius declinemus: ingenue Sacerdoti peccata quique fateamur; ab omnibus imposterum maleficiis abstineamus, admissa officiosè compensemus: eas denique aliis imponamus leges; quibus ipsi parere non gravaremur. Hoc etenim sincerum est judicium, Deóque gratum, & acceptum. Verèque beatus est, quisquis ex formula judicarit. Rerum siquidem omnium author, præpotens Deus, nos omnes creavit, atque ingenti redemit pretio; propriâ scilicet, quam pro nobis efflavit animâ.*

CONFESSIO PECCATORUM.

19. *Christiana fide imbutus quisque, quæ sibi ad salutem conducunt efficito omnia: in Christianam fidem ac religionem, omni cogitatione curáque incumbito: at qui ea, quæ sunt sibi ad salutem necessaria, animo ac mente (ut quidem omnes velle debebunt) concipere voluerit: ter saltem quotannis, ad Eucharistiæ perceptionem, animum præparato: Dicta, factaque sua omnia (qui se gratiosum fore confidit) ritè dispensato, atque ordine disponito jusjurandum, datamq; fidem religiosissimè servato; injustitiam, pro sua quisque virili parte, ditionis nostræ finibus omnem arceto: justitiam denique divinam de hinc, dictis, factisq; studiose prosequitor: atque ita tandem aliquando divinam omnes cumulatè consequemur miserationem.*

EUCHARISTIÆ SUMPTIO.

XIII. 20. *Præterea autem ipsi exequamur, quod aliis imperamus. Semper quidem in Dominum nostrum animo firmi simus, atque fideli: honorem ejus omnibus nervis, ac facultatibus nostris tueamur; ejusq; pareamus voluntati. Quicquid enim erga Dominum (ea ducti fidelitate, quæ est cum virtute, & officio conjuncta) fecerimus; magno id nobis erit emolumento. Namq; in hoc ipso, Deus summus omnium Rector, & Dominus, egregie nobis fidelis erit. Maxime igitur interest, famulos, Domini ratione, ut regant, & gubernent.*

21. *Christiana fide imbutos omnes admonemus graviter; ut ex animo Deum amore, & perpetuo quodam judicio, diligant; Christianam fidem religiosissimè conservent, divinis Doctoribus haud gravatè pareant; Dei leges, & doctrinam diligentissimè perscrutentur; atque ad suam ipsorum utilitatem, sæpè, ac multum exquirant.*

22. *Hortamur insuper, ut Christianus quisque ita quidem discat sinceram, ut saltem probè calleat fidem, atque * orationem Dominicam, & Apostolorum Symbolum perdiscat. Horum etenim altero, Christiana fide tincti, divinum implorant Numen, altero, puram honestamq; de Numine Dei profitentur opinionem. Ipse Christus orationem Dominicam (*Pater noster*) protulit primus; eamq; discipulos edocuit. Divina autem precatio illa, ex septem conflatur petitionibus: quas qui non simulatè; sed ex animo fatus fuerit, cum Deo ipso de iis omnibus; quæ sunt ad vitam, vel præsentem, vel consequentem, necessaria colloquitur. Verùm enim verò, qua tandem poterit ratione quisquam ex animo Deum precari immortalem: nisi quidem illi sincerè ac candidè Fidem habuerit. Et quidem qui hæc condiscere noluerit; nec ullam morte deletus, cum Christianis capiet tranquillæ quietis partem: nec vivus, & superstes, ad Eucharistiam admittetur: nec ipse denique viri Christiani nomine dignus putabitur. Imo nec ei licere officia, & partes ad sacrum fontem, vel coram Episcopo, pro alio suscipere: nisi hæc prius perdiscat, & pulchrè calleat.*

* Saxonicè Pater noster, Credo.

XIV. 23. *Hortamur etiam, ut exitialia crimina, sceleráque atrocia, atque immania, singuli semper studiosè declinent. Et si quid forte, impulsu diaboli delinquitur, id omne documento Sacerdotis resarcitor.*

24. *Admonemus porrò, turpe, ut stuprum, illicitam Venerem, atque fœderis conjugalis violationem, omne tempus ætatis devitent singuli.*

25. *Porrò autem docemus, ut in omnium semper animis, Dei timor penitus insideat: dies, noctésque, supplicia, pro maleficiis metuant: diem judicii timeant; tetros inferorum cruciatus horreant: extremum denique vitæ diem instare quotidie, atque imminere arbitrentur.*

26. *Sunto sanè Episcopi, Dei præcones, ac divini juris interpretes. Earum est rerum divinarum commoda prædicare palam: seq; aliis exempla vivendi, ad imitandum exponere. Aures verò, animúmque, ad ea attendant qui velint. Malus siquidem est custos, qui creditum sibi gregem, voce saltem (si ultra non detur) adversus eum, qui spoliaturus venit, non defenderit. Unus autem omnium nocentissimus est diabolus; qui operosè hoc unum molitur semper, ut mortalium animis struat calamitatem. Quapropter Pastores vigilare, excubare, & proclamare oportebit: ut quæ populo ab his infensis adversariis impendent mala; ea prævisa atque præcauta sint omnia. Pastores vocamus Episcopos & Sacerdotes; quorum partes sunt, eruditione atque doctrina gregem Domini speculari, ac defendere: ne enim aliquando lupus furore, & scelere inflammatus, mordicus laceret, atque dilaniet. Veruntamen si quis tum denique fuerit, cujus aures divinis præceptis, ac monitis, non patuerint: opus rei rationem causamq; Deo reddat, atque exponat, necessum est. Collaudetur nomen Domini in perpetuum. Et laus, gloria, & honos, in omnes sæculorum ætates. Amen.*

EPISCOPI MUNUS.

XV. Hactenus eæ leges, quæ communiter Canuto inscribuntur: & quibus sine dubio Rex manum apposuit, authoritatémque suam. Sed quoniam

QUIS LEGUM AUTHOR.

Ecclesiam

Ecclesiam imprimis, & sacram Remp spectant, & ipse Canutus, *consultum vocat è sapientum consilio*: facilè colligitur, Episcoporum statuta esse, ad quorum curam solicitudinémque, Ecclesiæ regimen, & animarum salus pertinet. Sed quia multa etiam in dictis legibus caventur, quæ laicus spectabant, & omnes Christiana Fide imbutos: ideò Regia authoritas invocatur, ut fieri jubeat, cogatque, si necessum est, quod faciendum mandat Mater Ecclesia. Ab Egelnoto igitur & Episcopis aliis, hi Canones dictantur. Unde benè Godwinus dixit: Canutus *Egelnoti consilio plurimùm utebatur, qui author Regi fuit multa præclarè instituendi.* Et multò expressiùs de legibus loquens Malmesburiensis, hæc habet: *Canutus omnes leges ab antiquis Regibus, & maximè ab Antecessore suo Ethelredo latas, sub interminatione regia mulcta perpetuis temporibus observari præcepit. In quarum custodia etiam nunc tempore bonorum sub nomine Regis Edwardi juratur. non quod ille statuerit; sed quod observaverit. Erant tunc in Anglia summi, & sapientissimi viri: quorum præcipuus Egelnothus Archiepiscopus post Livingum. Hic ex Decano summus Sacerdos, multa opera prædicabili memoria digna fecit. Regem ipsum, authoritate sanctitudinis, in bonis actibus mulcens, in excessibus terrens.* Hujus ergo consilio latæ leges: quæ Ecclesiam ædificant. Nam aliæ plures, quæ Canuto tribuuntur, apud Lambardum; spectant Remp. alteram. Et benè ibi, *Humana & politica jura vocantur.* ideoque ad institutum meum non faciunt: quamvis, ut occasio est, ea interdum delibabo.

Godwin. in Cantua.

Malmesb. de Reg. l. 2 c. 11. fol. 75.

apud Lambard. f. 104.

XVI. Canutus Danos ex Insula pellit.

Westm. hic.

Canutus, hoc anno, visâ Anglorum virtute, & probatâ in bellis Fide: noluit ultra Danos, in Insula principari. Turkillum itaque, quem Orientalibus præfecerat; & Iricium, quem Septentrioni, proscripsit: de quibus ita Florilegus: *Anno gratiæ millesimo vigesimo primo, Rex Cnuto, Turkillum & Iricium, nobiles Danos, ab Anglia, captatis occasionibus, exlegavit. Qui Daniam, natale solum petentes; statim ut litus Daniæ attigerunt: Turkillus qui incentor necis Beati Ælphegi fuerat, oppressus est à Ducibus regionis.* Addit Wigorniensis, expulsam quoque Turkilli uxorem, quæ Edgitha dicebatur. Sic non diu impietas impunita fuit. Turkillus Swanum primò ad invadendam Insulam pellexerat: postea, ad nequitiæ cumulum addidit Cantuariensis urbis, & sanctissimi Præsulis excidium. & hoc anno, Deo hominibusque invisus, è regno pellitur. De eo co ita scribit Malmesburiensis: *Turkillus Regem patriæ suæ Swanum nuntiis atterit, ut Angliam veniat: præclaram narrat esse patriam, & opimam: sed Regem stertere: illum veneri, vinóque studentem, nihil minus quàm bellum cogitare. Quapropter odiosum suis, ridiculum alienis duces invidos, provinciales infirmos, primo stridore lituorum prælio cessuros.* Hic ergo qui Angliam prodidit, in patria periit.

Malmesb. fol. 69.

XVII. Moriuntur Lichfeld. et Cridien. Episcopi succedunt Ednothus Cridien. Brithmarus Lichfel.

In Fastis ad hunc annum novi Præsules consignantur; Eadnothus, Cridiatonensis; & Brithmarus, Lichfeldensis, Episcopi. Alfwoldus ergò moritur, qui priùs Cridianti sederat; & Leofgarus, qui ab anno millesimo septimo, Lichfeldensem Ecclesiam administravit. de novis Episcopis pauca leguntur: solùm Brithmarus Canuti Regis diplomati subscribet, anno Christi 1032. ut ibi.

ANNUS CHRISTI 1022.
BENEDICTI VIII. PAPÆ 11.
CANUTI ANGLORUM REG. 6.

I. Oxoniense colloquium.

CUM sextum in regno Anglorum ageret annum Canutus; habito procerum conventu, de legibus actum est, quæ Anglis Danisque communes, unionem animorum parerent. & tunc inter plura Regum statuta, itum est in ea, quæ Edoardus senior olim decrevit, & supra * suo loco recitata sunt. Sic Florilegum intelligo ita scribentem: *Anno gratiæ millesimo vigesimo secundo, Angli, & Dani, in colloquio, apud Oxoniam celebrato, de legibus Regis Eadwardi primi tenendis concordes effecti sunt. Unde eisdem legibus, jubente Rege Cnutone, ab Anglica lingua, in Latinam translatis, tam in Daniâ, quàm in Angliâ, propter earum æquitatem, à Rege præfato observari jubentur.* Danis ergò multùm profuit, in hanc Insulam venisse: ubi primò Christianam Fidem, quam eorum plurimi ignorarunt; & secundùm eam, justitiæ, rectéque vivendi leges, didicerunt. Magnum huic rei momentum Canuti Regis pietas fuit; qui Danos exemplo præivit adeò, ut inter Christianissimos Principes, hoc tempore, numeretur. de quo infra. Cæterùm quod ad Oxoniensem conventum attinet; opinor, Canutum, non solùm Edoardi primi leges admisisse, sed plures alias condidisse, quæ ad Reip statum, & cives in officio continendos, facerent.

* v. an 905. n. 9. &c.

Westm. ...

II. Canuti leges civilem Remp. spectantes.

apud Lamb. fol. 109.

Lambardus in Archæonomia, cùm Canuti leges, quas superiori anno recensui, descripsisset: addit statim alias, quas toti Angliæ, Anglis nimirum & Danis, communes esse decernit: Sic enim Canutus in proœmio loquitur. *Hæc illa humana, atque politica sunt jura; quæ sapientum adhibito consilio, per omnem Angliam, observari præcipio. Imprimis justa ut leges efferantur, injusta deprimantur, volo. Iniquitatem, atque injuriam, pro sua quisque virili parte, omnemè regno radicitùs evulsam funditùs extirpato, justitiamq; extollito divinam. Imposterum verò inopes æquè atque divites, digni qui jure fruantur legitimo, putandi sunt: atque utrisque ex æquo & bono, jus reddendum.* Cum jecisset hoc legum omnium & virtutum fundamentum Canutus; insigni pietatate, clementiáque, moderandas delinquentium pœnas monet hoc placito.

Canuti moderatio.

Admonemus autem, ut si quis in re deliquerit aliqua: adeoq; capitale aliquod crimen admiserit: ea tamen in mulcta irroganda adhibetor moderatio, ut ad divinam clementiam temperata, hominibus tolerabilis esse videatur. Et quidem animo cogitet, qui judicia exercet; ipse quid petat, cum ad hunc modum loquatur: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus. Interdicimus autem, nè Christianus quisquam, ad mortem, exigua alicujus, & contemnenda rei causa, mittatur: quin potius miti, & moderatâ ad Reip. utilitatem utendum erit animadversione. Neque enim pro tantulo, opus manuum Domini, quodq; ipse ingenti redemit pretio, deperire sinant.

III.

Prohibemus etiam, ne Christiana Fide tinctus quispiam à regno procul amandetur: nève ad eos, qui nondum Christo fidem adjunxerunt, relegetur: ne eorum aliquando fiat animorum jactura, quos propria Christus vita redemit. Tum Rex enumerat scelera; & pœnas sceleribus imponit, quibus jus & æquum violari cōtigerit. & demū post aliqua satis insinuat, Saxones,

à Danis, provinciis distinctos esse. Ait enim: *Hac quidem omnia, ab occiduis Saxonibus, Rex suo jure (nisi alium eo dignitatis ornamento dignum judicarit) vendicat, pœnam violata pacis, atque irruptionis in domum, aditus quoque interclusi, derelictaq; militia mulctam petit, &c. Hac eadem Rex in omni mercia pro suis vendicat. In iis autem, qua jure Dacorum reguntur regionibus; dimicationis & militia derelicta, violata pacis, atque incursionis in domum, mulcta Regi sunto: nisi quidem is jus suum alteri honoris causa cesserit.* Sequuntur plurima, de Dacorum & Anglorum jure, de mulcta etiam infligenda: quæ hoc anno Oxonii decreta videntur, è mente Florilegi. Regiones porrò, quæ Dacorum (ut apparet) jure regebantur; erant Orientales Angli, quibus nuper præerat Turkillus; & Northumbrii, quos rexerat Iricius: iis autem amotis proscriptisque, provinciæ illæ, cum Merciis, & occiduo Saxone, in unam Rempublicam coiisse, & coaluisse videntur. Sic Canuto Rege, utraque Resp. egregiè componitur. nam sanctior illa, superiori anno: hoc verò, altera, pientissimis, & utilissimis legibus, munitur.

apud Lambard. f. 107.

ANNUS CHRISTI 1023.

BENEDICTI VIII. PAPÆ 12.

CANUTI ANGLORUM REG. 7.

I. CORPUS S. ELPHEGI CANTUARIAM TRANSFERTUR.

POST ædificii structuram, ejusdem ornatus sequitur. Itaque anno millesimo vigesimo tertio, cùm Ecclesiis ubique benè consultum esset; easdem in pristinum splendorem, quem hostilis Danorum impetus vitiaverat, placuit restituere; & à Cantuariensi Ecclesia, quam Turkillus nuper fœdaverat, exordiri. Cui operi, Canutus manum porrexit, cum Elphegi Martyris corpus, suis ipse manibus eò devotè intulit. de quo ita breviter Florilegus: *Eodem anno* (1023.) *Rex Anglorum, & Danorum, Cnuto, corpus Beati Ælphegi Archiepiscopi, Londini, apud sanctum Paulum tumulatum; propriis manibus inde levavit: & ad Ecclesiam Cantuariensem transferri; & ibidem illud debita fecit veneratione sepeliri. Ita etiam omnia, qua ipse, vel antecessores sui deliquerant, corrigere satagebat; ut prioris injustitia nevum, tam apud Deum, quàm apud homines, abstergere curaret.* Quod ad tempus translationis spectat; decem saltem annos, à morte sancti Martyris, illam contigisse, omnes affirmant: promissam quidem priùs à Canuto, cum sub regni exordium, infortuniis & adversis rebus urgeretur: sed nunc primùm, rebus integris secundisque perfectam. quod in Elphegi vita ita exprimitur.

II. *apud Capgr. in Elphego.*

Princeps Danorum Canutus, cum videret populum suum, ab exercitu Anglorum, sine intermissione cædi: & propter rerum difficultatem ad deditionem ferè compelli: accersitis omnibus, qui ad se confugerant sapientioribus Anglis; consuluit eos, quæ causa esset, quod tot sibi adversa contigissent: Qui omnes uno ore respondentes, dixerunt: Prophetia est sancti Martyris Elphegi: qui cum à Patribus tuis fuisset circumventus, prædixit eis, quod in regno Anglorum, perpetuo non essent radicaturi; sed pejori quàm Sodoma morte perituri. Nunc ergo si vis illum tuis temporibus facere placabilem; hoc illi promitte; ut cum felix rerum fuerit successio; reliquias suas, ad Sedem suam, cum honore transferri facias. Quod cum firmiter promisisset; post modicum pacem obtinuit; post pacem regni dimidium; post dimidium totum. Cumque ab omni bellorum tumultu, requies undique data fuisset: recordatus est Rex quod Beato Elphego quondam promiserat: & directâ legatione vocavit Egelnothum Archiepiscopum: Qui corpus Martyris decem annis sepultum, incorruptum & inviolatum reperientes; Cantuariam cum maximo honore deducunt, in sarcophago veneranter collocantes. Hæc ibi. Sed quia Canuti Regis pietas, in eo opere, ut dixi, imprimis luxit: non erit alienum ab instituto legere, quæ Harpesfeldus narrat in dicta translatione contigisse: ubi tam Regis, quàm civium pietas, optimè demonstratur. Sic ergo rem gestam refert, cum Canuti votum priùs dixisset.

III. *Harpesfeld. sæc. 11. c. 9.*

Canutus post decennium (à morte Elphegi) accersit Egelnothum Cantuariensem Archiepiscopum. Qui Londinum adveniens, rectà ad Ecclesiam Divi Pauli perrexit. Quod cum Rex intellexisset; statim venit ad Archiepiscopum: & qua gratia eum accersit, narrat: nimirum, ut corpus Elphegi, Cantuariam deferri curaret. Tum Archiepiscopus ad primam auditionem obstupefactus; suas Regi rationes tanta rei conficienda, non satis provisas, & præmeditatas dicit. Vereri præterea se, nè à civibus Londinensibus discerperetur: qui vita potiùs, quàm tanto thesauro, & patrono, destitui vellent. Ad hæc; vides, inquit, nos solos, & duos monachos adesse, tanta verò esse magnitudinis lapidem, quo monumentum clauditur: ut eum vix aliquot boum paria movere possint. Rex magna fide armatus respondet: Dei & beati viri, si illis ea translatio placeret, opem non defuturam. Imponitur igitur hoc onus duobus illis monachis; quorum alter Godricus, Pontificis; alter Alfwardus Dunstani olim familiaris ducebatur. Qui cum alia deessent instrumenta; camentum, & minores lapides, ferreo quodam candelabro, quod fortè occurrebat, dissiparunt. Pleni deinde fiducia, quâ nixi, id quod supra illorum vires erat, sola in Deum, & beatum virum spe erecti, flexis genibus aggrediebantur: amovendóque ingenti illi saxo humeros admoventes, leni impulsu, in alteram illam partem, contorquent: Atque mox beatas reliquias contemplantur. Alia tamen cura adhuc eos urebat: quòd lignea tabula, qua corpus ad navem deveherent, deesset. Et ecce dum corpus componunt, & linteis involvunt; conspicantur tabulam, quasi ad eum usum paratam, corpori substratam. Fuit verò corpus omnino integrum, & incorruptum: quod ita centum postea annis perdurasse, quasi rem certam narrat Gulielmus Malmesburiensis. Humeris deinde suis impositum, monachi ad ripas Tamesis deferunt; Rege & Archiepiscopo prosequentibus. Disposuerat verò Rex per Civitatem, & utrasque Tamesis ripas, præsidia, adversus omnem (si quis fortè accideret) Civitatis tumultum. Cumq; ad ultimas Tamesis ripas delatum esset corpus; navi eductum, Rex ipse suis manibus, currui imposuit. atque ita, honorata pompâ, magnoq; militum cum præsidio, Cantuariam devehitur: exceptumq; est summo cum honore, incredibiliq; civium omniũ, & Cleri lætitia. Et post tertiũ diem, Regina Emma, cum filio Hardecanuto; religiosè illud invisit, amplaq; donaria obtulit.

ELPHEGI CORPUS POST CENTUM A MORTE ANNOS INCORRUPTUM.

IV. *Nec defuerunt divina miracula; quæ & eo tempore translationem hanc, & posterioribus etiam cohonestarunt: habitusq; est deinceps; non solùm proprio Pontifice, sed & Sancto Martyre. Qua in re cum Lanfrancus Cantuariæ Archiepiscopus aliquamdiu hæsitaret:*

cum

cùm non pro fide; sed quia avaritia prædonum satisfacere nollet, obiisse: & Beccensi Abbati Anselmo, qui ei postea successit, & hanc suam hæsitationem aperiret; eleganter & graviter, ut cætera omnia, eam ille quæstionem tractavit. Nec dubitandum dicebat, quin Elphegus, qui tanto Dei, & proximi amore incensus erat ut mori non recusaret; quàm proximos expoliari suâ pecuniâ pateretur: oblatam pro Christi Fide asserenda mortem, multo promtiore, inflammatioreq́; desiderio subiisset. Iustitia igitur accuratè excolenda amor, hanc ei voluntatem extorsit: Christum autem, & justitiam, & veritatem esse. celeberrimum autem esse, per omnem Ecclesiæ memoriam, Ioannis Baptistæ martyrium; quo illum non fides, sed veritas nobilitavit: Quidni igitur, & Alphegi martyrium, justitia nobilitaret? His, & aliis, quæ exquisitiùs postea ad mentem suam, & cogitationem Lanfrancus revocavit, permotus: non modò illum per totam postea vitam, ut amplum quendam Martyrem, coluit: sed & vitam illius, per Osbernum (quem sequimur) eleganter, summaq́; fide concinnari, suaq́;, in Ecclesia Anglorum, authoritate confirmatam, legi curavit. Hæc omnia Harpesfeldus.

V. Wulstanus Eboracen. moritur. *Godw. in Eboracen.*

Moritur hoc anno, quarto Calendas Junii, Eboracensis Episcopus, Wulstanus: de quo hæc pauca Godwinus: *Wulstanus, Canuti Regis gratia, ad utrumque præsulatum* (Eboracensem & Wigorniensem) *provectus; cum sedisset annos viginti, Maii vigesimo octavo decessit, anno millesimo vigesimo tertio, & in Ecclesia Eliensi sepultus est.* verùm quod dicit Canuti Regis gratiâ provectum, ante annos viginti, manifestè fallitur: cum nec Canutus tunc, nec pater ejus Swanus, principatum in Angliâ obtinerent. Successit illi, in Eboracensis Ecclesiæ regimine Alfricus, sive Elfricus, cognomento Putta, vel Puttoc Wintoniensis Præpositus: vir dubiæ famæ: qui bonis præclarisq́ue operibus ea miscuit, quæ famam existimationémque ejus non mediocriter læserunt. de quibus infra* suo loco. Vacavit etiam per Wulstani mortem Wigorniensis Sedes: eóque assumptus est Leofsius, Abbas Thorneiensis, *magnæ religionis, & modestiæ vir*, inquit ex Hovedeno Godwinus. Cæterùm benè Eboracensi Episcopo cognomen adjicitur; quia brevi unus, atque alter, Alfricus, Orientalium Anglorum Ecclesiis præsidebit.

Succedit Alfricus.

* an. 1051. n. 9.

Leofsius Episcopus Wigornien. *Godwin in Wigorn.*

ANNUS CHRISTI 1024.

JOANNIS XX. PAPÆ 1.

CANUTI ANGLORUM REG 8.

I. Moritur Benedictus Papa.

Christi annus millesimus vigesimus quartus, multorum Principum funere, vix alia re, in Annalibus consignatur. Moritur ergò Benedictus Papa, cùm duodecim annos Petri Cathedram possedisset: & ei mortuo germanus ejus frater successit, qui Joannes voluit appellari; nobilitatis suffragio, hoc est Tusculanorum Comitum potentia, potius quàm ullo merito, ad primam Sedem electus: nam largitione pecuniæ, ex ordine laicali, pessimo exemplo in Apostolicam Sedem intruditur. quod postea pœnituerit, *Episcopalis sarcinæ pondus abjecerit, monachum induerit, eoq́; modo salutem sibi providerit* (ut è Petro Damiani collegit Baronius) vereor, de Joanne Romano intelligi nón posse; sed potiùs ita fecisse Joannem, Portuensem Episcopum, de quo Petrus loquebatur. Fatendum est itaque Ecclesiarum omnium parentem Romam, iterum laico potiùs, quàm Ecclesiastico jure administratam: non quidem, à fidei, aut religionis; sed à justitiæ orbitâ, plurimùm declinasse. Sed enim Deus, eodem tempore, Ecclesiam suam consolatur; cum alibi per Europam piennissimi Principes, non modò civilem, sed sacram quoque Remp. egregiè ornaverint, atque defenderint. Advertit hoc Bellarminus in Chronologiæ parte altera, ubi ad Joannis Pontificatum respiciens, ait: *His temporibus, quibus Pontifices Romani, à pietate veterum degeneraverant; Principes saculi sanctitate florebant: Talis fuit Imperator Henricus, cum uxore Chunegunda, Romanus, Imp. Græcus, Chnutus Rex Daniæ & Angliæ, Stephanus Rex Hungariæ, cum filio Sancto Emerico. Robertus Sanctus Rex Francorum, Magnus Ferdinandus Rex Castellæ & Legionis, cum uxore Sanctia*

Succedit Joannes XX.

Baron. hoc n. 3.

Bellarm. in Chronolog. ad an 1026

Canutus inter illustres et orthodoxos Principes numeratur

II.

Benè inter eos Canutus ponitur; ex quo enim Anglorum Rex factus; ita se totum pietatis operibus dedit; ut Magni cognomen consecutus sit. Henricus Imperator, qui ei componitur, hoc anno vivendi finem fecit, cùm Conradum imperii Successorem nominasset. cui Canutus Gunildam filiam, filio ejus in uxorem conjungendam dedit: ut infra dicetur. Moritur etiam hoc anno, Emmæ Reginæ nostræ frater, Richardus, Normannorum Dux: quem malè Huntindonius parentem vocat: *Cnut Regis anno octavo* (inquit) *Dux Normannorum, Richardus secundus, pater Emmæ, Reginæ Anglorum, vivere non adjecit. post quem Richardus filius suus anno prope uno imperavit: & post eum Robertus frater ejus annis octo.* Hic est ille (Robertum intelligo) qui Normanniæ Ducatum moriens, Gulielmo filio reliquit: qui eo non contentus; pro Angliæ regno fortissimè pugnavit; & tandem illud expugnavit, post annos quadraginta duos; nimirum Edoardo mortuo, quem Sanctum dicimus, & cognomento Confessorem: ad quem, in Regem evehendum, festinamus.

Henricus Imp. moritur.

Huntind. fol. 364.

Richardus II. Normannorum Dux moritur.

ANNUS CHRISTI 1025.

JOANNIS XX. PAPÆ 2.

CANUTI ANGLORUM REGIS 9.

I. Canutus ornat Wintoniensem Ecclesiam. *Westm hic*

Sequitur Christi annus millesimus vigesimus quintus; quo Canutus Rex, & Emma Regina, ornandis Ecclesiis, ditandisq́ue vacarunt. nam ita ad hunc annum Westmonasteriensis. *Per idem tempus, Rex Cnuto vetus monasterium Wintoniensis civitatis, tanta munificentia decoravit, ut aurum & argentum, splendorq́; gemmarum, animos intuentium terreat advenarum. Hoc autem fecit Rex hortatu Emmæ Reginæ quæ in calibus thesaurorum dilapidatrix erat, suâ prodiga largitore.* Quod ad gemmas attinet Wintoniensi Ecclesiæ à Canuto oblatas; una fuit, quæ pretio sui, annuos coronæ reditus æquasse existimatur; ita saltem Speedus existimat. Erat autem Crux, quam Reges

passim in honore habebant. Hanc verò Canutus paulò post, egregio; & ad omnem memoriam valituro facinore, adornavit; cùm regni sui coronam illi Cruci imposuit; Christum confessus Regem Regum, & Dominum dominantium.

II. ET DUNELMENSEM QUOQUE.

Nec ibi Regis pietas stetit, etiam in Northumbriæ regno, quod nuper Iricius administrarat, Dei cultum promovit, Dunelmensem Ecclesiam ornavit; & Cuthbertum Sanctum ibi, incorrupto corpore, quiescentem, religiosè coluit. Edmundus eo loco Episcopum agebat, ut supra* dicere cœperam: sed ordinem consecrationis ejus, & ea quæ præcesserant; paucis tantùm exposui. Nunc quia Canutus me eò vocat, exponam reliqua. Edmundus, qui joco Sedem petierat; cùm seriò se electum adverteret: multo conatu intercessit, & nisus est dignitatem illam fugere; Sed cùm cleri populique postulationi, Canuti suffragium accessisset; humeros tremendo oneri submittere coactus est. distulit tamen ad triennium consecrari: fortè quia obstabat illud, quod olim Odoni Sancto obstitisse diximus. monastici habitus susceptio deerat; quod tamen ut a Lindisfarnensibus, à prima Sedis institutione, in more positum: ita in Dunelmensibus, ceu necessaria conditio petebatur. vocatus ergò è Burgensi monasterio, Egelricus monachus, illum habitu religiosæ professionis induit; præceptaque dedit monasticæ disciplinæ: quibus ad Sanctitatis culmen adeò profecit; ut non modò civibus, sed Canuto etiam Regi, venerationi esset. Canutus etiam adeò pius; ut Sancti Cuthberti corpus, religiosè frequentaret, peregrinorum more inviseret, & nudis etiam pedibus sepulchrum adiret: quod magnis quoque muneribus excoluit. unde de Edmundo Episcopo scribens Harpesfeldus ita loquitur: *Canuto Regi valdè charus, qui nudis pedibus sepulchrum Divi Cuthberti invisit: Ecclesiamq; illam magnis possessionibus locupletavit.*

*v. an. 1020. n. 24.

UBI EDMUNDUS EPISCOPUS MONACHUS EFFICITUR, UT PRÆESSE POSSIT.

Harpesfeld sec. 11, c. 28.

III. QUÆ DUNELMENSI ECCLESIÆ OBTULERIT REX.

Interea, quæ Canutus Rex Dunelmensi Ecclesiæ legitur contulisse: cùm illam piè invisisset; est locus ille, quem Raby dicimus, in eo Comitatu; & Stanthorpe, oppidum mercatorium, non procul à Tesi fluvio; de quibus ita Camdenus: *Non quinque millibus passuum, abest à Tesi, Standrope, quod & Stanthorpe, id est vicus Saxeus dicitur, oppidulum mercatorium. Huic contiguum est Raby, quam Cnuto, sive Canutus, Rex Danicus, Ecclesia Dunelmensi, una cum circumvicino agro, & Stanthorpe liberè, in perpetuum possidenda donavit.* Nescio, an in hac Canuti peregrinatione, cum sanctum Cuthbertum invisit; contigerit illud pietatis Regiæ argumentum, quod passim authores referunt: ipsum ad mare accessisse; fictoque imperio, maris fluctibus mandasse; ut imbecillitatem suam proderet; ansamque arriperet, fastum omnem exuendi. Quod & fecit, cum Wintoniam reversus coronam suam Christo consecravit, cruciique ejus. quod ita refert Huntindonius: *Canutus, cum maximo vigore imperii, sedile suum, in litore maris, cum ascenderet, statui jussit. Dixit autem mari ascendenti: Tu mea ditionis es: & terra, in qua sedeo, mea est: Nec fuit, qui impunè meo resisteret imperio. Impero igitur tibi, nè in terram meam ascendas; nec vestes, nec membra dominatoris tui, madefacere præsumas. Mare verò de more conscendens, pedes Regis, & Crura, sine reverentia, madefecit. Rex igitur resiliens ait: Sciant omnes habitantes Orbem, vanam, & frivolam, Regum esse potentiam: nec Regis quempiam nomine dignum, præter eum, cujus nutui cælum, terra, mare, legibus obediunt æternis. Rex igitur Cnut, nunquam postea coronam auream cervici suæ imposuit: sed super imaginem Domini, quæ Cruci affixa erat, posuit eam in æternum, in laudem Dei Regis magni.*

Camden. in Dunelm.

Huntindon. fol. 364.

CANUTUS MARI INCASSUM IMPERAT.

CRUCIFIXO CORONAM IMPONIT.

ANNUS CHRISTI 1026.

JOANNIS XX. PAPÆ 3.

CAN■TI ANGLORUM REG. 10.

I. C[illegible]NUTUS GL[illegible]NIENSE MONASTERIUM INVI[illegible]N[illegible] VISI[illegible]: O[illegible] DUO[illegible], M[illegible]NDO R[illegible] NUPER DEFUNCTO, ET OFFERT MUNERA.

ITERÙM Canutus Rex, in templis visitur, monasteria frequentat, pro defunctis orat Deum vivorum atque mortuorum. Nam *anno gratia* (ita loquitur Westmonastericosis) *millesimo vigesimo sexto, Rex Cnuto Anglorum, & Danorum magnificus, super tumbam Regis Eadmundi, in Ecclesia Glastoniensi; ubi idem Rex quiescit; factâ pro anima ejus oratione, pallium obtulit variis coloribus, & pavonum figuris contextum. Hoc autem fecisse creditur, nè in mortem ejus, cui in singulari certamine confederatus fuerat, consensisse videretur.* Ita ille. Meminit hujus regiæ donationis Malmesburiensis, cum ait: *Cnuto Glastoniensem Ecclesiam, ut fratris sui Edmundi manes inviseret (sic enim eum vocare solitus fuerat) festinavit, factaque oratione super sepulchrum, pallium misit versicoloribus figuris pavonum intextum. Adstabat regio lateri Edelnothus: qui septimus Glastoniensis cœnobii, præsidebat Cathedræ Cantuariensi. Primus Brictwaldus; secundus Athelmus, qui primus Wellis Episcopus; tertius nepos ejus Dunstanus; quartus Egelgarus, qui novi monasterii Wintoniæ Abbas primus, deinde Cicestrensis Episcopus; quintus Sirisius, qui factus Archiepiscopus nutricula sua septem dedit pallia, de quibus in anniversario ejus tota antiqua ornatur Ecclesia; sextus Elfegus, qui ex prioratu Glastoniæ, primus factus est Abbas Bathoniæ, deinde Episcopus Wintonensis; septimus Ethelnothus, qui cum Regi antecessorum suorum privilegia ostendisset: rogavit, & rogando obtinuit; ut scripto regio ea confirmaret.* Pergit author Regium Diploma recensere; quod quia posterius datum, recitabo illud suo loco.

II. ALFRICUS EBORACENSIS ROMAM PERGIT, ET PALLIUM IMPETRAT.

Hoc anno, Alfricus, Eboracensis Episcopus, Romam perrexit, ad Joannem Romanum Pontificem: ab eòque pallium, Archiepiscopi insignia, more prædecessorum petiit, & obtinuit. Ita expressè Wigorniensis, & Hovedenus. domum reversus Ecclesiam Beverlacensem; ubi Sanctus Joannes, inde dictus, colebatur; amplissimè ornavit. ejus beneficentiam ita explicat Godwinus: Alfricus, *magnam pecuniam impendit, in Beverlacensi collegio ornando, & locupletando. Sancti Ioannis Beverlacensis corpori capiendo, thecam, magno sumptu, fabricari curavit. Prædia non pauca pretio comparavit: alia nimirum apud Fridays-thorpe; Meltona, atque Holma, alia qua dicto donavit collegio. Campanile deinde construxit, quod in magnam altitudinem consurgens, nolis duabus prægrandibus instruxit: quibus duas alias magnitudine pares, collegio contulit Slowensi, & alias itidem duas, Southwellensi.* Hæc sunt ejus pia opera, quæ nisi impietate fœdasset, de qua infra, inter præstantes Episcopos numerandus esset.

Godwin. in Eboracen.

QUÆ FECERIT BEVERLACENSI ECCLESIÆ.

Extruxit

III. Monasterium de Hulmo, a Canuto construitur.

Extruxit hoc anno Canutus; vel saltem extrui cœptum monasterium, quod sancto Benedicto monachorum Patriarchæ sacrum, ab eo nomen appellationemque obtinuit, & dicitur S. Benedicti de Hulmo, in provincia Norfolciensi. ejus meminit Camdenus, cum Icenorum provincias lustrat: *Canutus*, inquit, *Danus illud construxit: & firmissimis mœnibus propugnaculisq́, monachi postea illud ita armarunt; ut potiùs castrum, quàm claustrum videretur. Adeo ut Gulielmus conquestor expugnare non potuerit, donec monachus ea lege prodidisset, ut Abbas crearetur. quod factum. sed statim novus Abbas quia proditor, Regis jussu, ut ferunt incolæ, suspensus, justas proditionis pœnas persolvit.* Ita ille. Quod ad annum fundationis spectat; Catalogus ædium destructarum, apud Spedum, & Clemens Reynerus, in Apostolatu, disertè aiunt, circa annum Domini millesimum vigesimum sextum, fundatum esse: quod non adversatur iis, quæ habentur in scriptura trigesima septima apud dictum Reynerum; ubi è Radulpho sic legitur: *Rex Kanut Abbatiam sancti Benedicti de Hulmo fundavit; monachosque ibidem sub regula sancti Benedicti collocavit, anno gratiæ 1031.* Nunc enim extrui domicilium, erigi Ecclesias, necessarium monasterio comparari cœptum: tunc prædia describi, Ecclesiæ consecrari, omnia denique regio Diplomate confirmari potuerunt: nimirum cum ex Urbe reversus Canutus Rex, similia dedit devotæ mentis argumenta.

Spedus in Norfolk. Reyner. tracta. 2. fol. 118.

IV. *Spedus in Canuto n. 14.* Quæ munera Canutus monasterio obtulerit?

Spedus de Hulmensi hoc agens monasterio, dicit Canutum magnoperè Sanctum Benedictum coluisse: Unde locum illum regia largitione locupletasse dicendus est. quod ab aliis etiam Principibus factum. nam Henricus Imperator, quem paulò antea mortuum dixi, cùm acceptam sanitatem, eidem Sancto Benedicto retulisset; ejus Ecclesiæ, ea obtulit munera, quæ verosimile est, Canutum suo monasterio concessisse. quæ quia Constantini Fidem, & pietatem exprimunt; non abs re erit, è Leone Ostiensi ea repetere; ut videat Lector, in summo religionis actu; in sacrificio, inquam, unam eandémque Fidem esse sæculorum omnium. Ita ergò Leo: *Omnibus tam de visione mirabili, quam de celeri Imperatoris sospitate lætantibus, atque stupentibus, ac Deo referentibus gratias: obtulit* (Henricus) *ipsa die, regiâ munificentiâ sancto Patri Benedicto munera hæc. Textum Evangelii, deforis quidem ex uno latere, auro purissimo, & gemmis pretiosissimis opertum: Intus vero uncialibus, ut aiunt, literis, aureisque figuris mirificè decoratum. Calicem aureum, cum patena sua, gemmis, & margaritis, & arte Cœlatum, pulchrè insignitum: planetam diapistim, listis aureis ornatam: stolam quoque, manipulum, & cingulum; singula intexta auro: pluviale quoque diaspeum, cum phrygeis aureis: necnon, & tunicam ejusdem operis, auro exornatam, cum mappula diapistim auro nihilominus decorata. Situlam insuper, & pateram argenteam, haud exigui ponderis: cum qua videlicet fratres in præcipuis festivitatibus biberent. Redemit etiam à Judæis vestem altaris S. Benedicti; quæ quondam fuerat Caroli Regis; quam illi pro quingentis aureis sub pignore tenebant: & argenteum calicem, Saxonicum majorem, cum patena sua; quem Theodoricus Saxonum Rex, dudum S. Benedicto transmiserat. Hæc pariter omnia, præsentibus fratribus, super altare Beati Benedicti obtulit: ac dominum Apostolicum, ut hæc sua authoritate firmaret, oravit Apostolici anathematis pœna proposita; si quis unquam vel ea quæ diximus, vel quæ ipse Imperator antea monasterio concesserat violare præsumeret.*

Nimirum iis similia quæ obtulit Henricus Imperator.

V. Ecclesiarum splendore Novatores offenduntur.

Hæc ideò à me allata sunt, ut Regum nostrorum dona, ac largitiones, meliùs intelligantur. Quod enim nuper Canutus Wintoniensi Ecclesiæ, dedit: quando aurum, & argentum, splendorque gemmarum, intuentium oculos reverberabat: è Leone Ostiensi, ex Henrici donis, è fide factisque sæculorum colligitur; ad Dei cultum, & ad sacrificii majestatem, omnia referri. In quo religionis actu, quid mirum est Principes, principem locum tenere, & Sanctos unà colere; cùm probè docti sint, Deum coli, in splendoribus Sanctorum. Scio quidem splendorem hunc Novatorum oculos ferire. Unde cæcutientes Magdeburgici, cùm quærunt: *Quæ à viris politicis contra suum officium, & Ecclesiæ utilitatem gesta sunt*, hoc sæculo undecimo: Ita pronuntiant, primo: *Nimis multa templa, & monasteria ædificabant.* iterum: *Nimis multa Ecclesiis, aut monasteriis dabant.* Quid denique? *Nimis magna privilegia Ecclesiasticis dabant.* Quæ omnia, Regum, & augustorum exemplis illustrant; qui scilicet in Ecclesiam, & officium peccarunt, ista largiendo. Meliùs ergo functi sunt officio, (ita videtur his Aristarchis) & minùs in Ecclesiam peccarunt; Diocletiani, Maximiani, Nerones; & ille, qui Deorum templa expilans, dixit: *In sacro quid facit aurum?* Sed apage hos homines paradoxos; qui cùm in luce sæculorum stare nequeant, coguntur ad has tenebras: & populo, ut placeant, has narrant fabulas. Nihil hoc sæculo, à Canuto Rege, ab Henrico Imperatore factum: quod non priùs à Lucio Britannorum Rege, à Constantino, & Christianis Principibus factum, ut ostensum est supra.

Cent. 11. fol. 394.

Idem f. 395.

VI. Orkingus et Tola uxor Abbatisburiam fundant. *Reynerus tract. 2. f. 132.*

Canutum ergò benè sequutus est Orkingus, Canuti Regis œconomus, sive prætorio præfectus; qui hoc anno, unà cum uxore, quæ Tola dicebatur, ædem Sancto Petro, Apostolorum Principi, in Durotrigibus posuit, in agro Dorsetano; ubi Abbatia statim surrexit, Abbatisburia dicta. de quâ hæc tantùm Reynerus in Apostolatu: *Est autem*, inquit, *Abbotesberia, Abbatia in agro Dorsetensi. Sancto Petro Apostolo dicata, fundata ab Orkingo, œconomo palatii Regii, sub Canuto Rege, circa annum Domini millesimum vigesimum sextum.* Eundem annum consignat catalogus ædium destructarum; ubi Tolæ uxoris mentio. Porrò Monachis etiam Sancti Benedicti locus ille assignatur; quem & multa post sæcula tenuerunt.

ANNUS CHRISTI 1027.

JOANNIS XX. PAPÆ 4.

CANUTI ANGLORUM REG. 11.

I. Canutus solvit ex Insula.

SEquitur Christi annus vigesimus septimus, supra millesimum: quo Canutum Regem ex Anglia solvisse, transmarinas provincias petiisse, & aliquamdiu ibi moratum esse, omnes consentiunt: Sed quò primùm iverit; aut quæ foris gesserit; admodum variant. Authores nostri Wigorniensis, Florilegus, & alii passim; vel in

Daniam, vel Norwegiam deducunt, à provinciis illis invitatum; cùm Olavi imperium abnuerent: de Romanâ profectjone nihil dicunt: sed affirmant illam, vel anno millesimo trigesimo, vel sequenti, à Canuto susceptam. Verùm, cum hujus anni expeditio illustrissima fuerit, & orbi nota: cum Canutus Romanum Pontificem, Conradum Imperatorem, aliósqoe Europæ Principes

ROMAM PROFICISCITUR

convenerit, & Romæ cum illis tractaverit; temporis ratio, ab externis scriptoribus, hac vice, petenda est, qui accuratè annos consignarunt. Eos inter Baronius cùm Canuti literas recitasset

Baron. hic n. 6.

(quas mox referam) ita subdit. *Ex quibus literis,* inquit, *planè redarguuntur errorès, qui ejusdem Regis Romam adventum ponunt anno Domini millesimo trigesimo secundo. Sed cùm constet, tunc contigisse, cum illic esset Conradus Imperator, & Rodulphus Burgundiæ Rex: utique hoc anno (1027.) id oportuit factum esse.* Ita ille. Corrige itaque, & ad hunc annum refer, quæ habet Ingulphus: *Canutus,*

Ingulf. f.893

(inquit) *anno regni sui decimo quarto, Romam adiens honorificè susceptus erat à Papa Ioanne, & Principibus totius Christianitatis, tunc ibidem in Pascha festo, cum domino Papa congregatis.* Corrige

Huntind. fol.364.

etiam Huntindonium, qui ad decimum quintum Canuti Regis annum sic loquitur: *Rex verò Cnut, Romam splendidè perrexit: & eleemosynam, quæ vocatur Romscot, quam antecessores sui dederant Ecclesiæ Romanæ, perenniter assignavit. Quis autem numeret eleemosynas ejus, & dapsilitates ejus, & magnalia, quæ gessit Rex magnus in peregrinatione illa? Non fuit Rex sub occidentali limite, qui tam splendidè, tam famosè, Romæ sancta loca petiisset.* Hæc, inquam, omnia, ad eum annum referenda sunt, quo Conradus Imperator, & alii Principes, Romam convenerunt.

II.

Baron. hic n. 1.

Itaque Conradi adventum in Urbem, unde Canuti Regis profectio pendet, Baronius firmat in hunc modum. *Surgit* (inquit) *annus vigesimus septimus post millesimum, Indictione decima: quo Romam se contulit Conradus Rex: illuc perveniens in majori hebdomade. Atque Paschatis die, à Ioanne Pontifice, Imperator solennibus ritibus inungitur, & coronatur. De his enim hæc in Gothardo, ubi anni singuli rerum gestarum Conradi distinguuntur, habentur: Rex autem ubi Natalem Domini egisset; ad limina Apostolorum tetendit: atque ita prospero itinere, pridie Cœna Dominica, Romam lætus pervenit: & ipso sancto Resurrectionis die, coronam Imperii, à Ioanne Pontifice, cum multa gloria accepit.* Ita Baronios, qui mox Ottonem Frisingensem, annum adventus ejus numerantem, & Anglorum Regem solemnitati præsentem producit: *Anno* (inquit Otto)

Otto Frisin. l. 6 c. 29.

ab Incarnatione Domini millesimo vigesimo septimo, Conradus Romam veniens: in ipsa die Paschalis solennitatis; inter duos, Anglorum, & Reginæ Gisilæ avunculum, Rodulphum Burgundiæ Reges, honorificè procedens, à Summo Pontifice Ioanne coronatur, & ab omni populo Romano, Imperatoris & Augusti nomen sortitur.

GUNILDA CANUTI FILIA.

Anglorum itaque Rex Canutus, Conrado, cum coronaretur, adfuit: quod ad hunc annum necessariò referendum est: quo etiam tempore, ut tradit Urspergensis, & refert Baronius: Conradi filio primogenito Canutus filiam suam Chunigundem (nos Gunildam dicimus) in uxorem dedit. de quo infrà, nam Authores aliqui; non à Canuto patre filiam; sed ab Hardecanuto, sororem nuptui traditam Henrico, eo nomine, secundo tradunt.

III.

QUID CANUTŨ AD ITER MOVERIT?

Genebrard. ad an. 102[illegible]

Firmato tempore regiæ profectionis, superest videndum; quid Canutum moverit hanc expeditionem suscipere. Sunt qui putent eum, Conradum Regem in Italiam comitatum esse: adeóque conventum inter eos fuisse. Sic Genebrardus: *Conradus*, inquit, *pacatis patriæ rebus, comitantibus Rudolpho Burgundiæ, & Canuto Angliæ, & Daniæ, & complurium aliarum gentium Regibus, in Italiam, ad compescendos illic motus, & pro corona, a Ioanne Pontifice obtinenda, abit.* Idem habent Aventinus, & Magdeburgici. Videntur ergo, Principes complures, ad hoc iter, de industria, convenisse; maximè cum dicat Canutus in literis statim recitandis, *Omnes Principes gentium à monte*

Can. [illegible]

Gargano usque ad istud proximum mare, Paschali solennitati adfuisse. Verùm quicquid sit, de Principibus aliis: Canutum certè movere majorum exempla Regum Angliæ, religio orthodoxa, fides certa, penes Apostolorum Principes ligandi, atque solvendi, summam esse potestatem. ut ipse suis literis profitetur, cùm itineris rationem reddit, ita scribens inter cætera: *Ideo hoc maximè patravi: quia à sapientibus didici, sanctum Petrum Apostolum, magnam potestatem accepisse à Domino ligandi, atque solvendi; clavigerumq; esse regni cœlestis: & ideo specialiter ejus patrocinium apud Deum expetere, valde utile duxi.* Hanc etiam aliorùm Principum mentem fuisse, vel inde conjicitur; quod Hispanicarum rerum tractatores affirment, sub hoc tempus, Garsiam Vasconum Regem, ad limina sanctorum Apostolorum, expiandorum scelerum causâ, venisse; ut refert ad hunc annum

Baron. n. 13

Baronius. Adde Canutus se olim ad hoc iter, nuncupato voto, condemnaverat, & ad solutionem tenebatur: quæ omnia, inspectis ejus literis, manifesta sunt. nunc profectionem ejus adornemus.

IV.

CANUTUS A PERICULO LIBERATUR OPE S. AUGUSTINI ANGLORUM APOSTOLI.

Vix navem à littore solverat; cùm orta in oceano tempestas, Regi, aliisque periculum creat. tunc ille, Sanctorum memor, qui mare illud aliquando calcaverant; eorum patrocinia supplex implorat: & Augustinum nostrum imprimis: cujus opem frequenter senserat. Ita enim scripsit, qui ejusdem Sancti vitam descripsit. *Cum autem Rex Angliæ Canutus, Sancto Augustino valde devotus, Romam proficiscens, mare transire vellet; ortâ subitò tempestate validissimâ, ad Sanctum Augustinum devotas preces fudit: & omnis pelagi furor, in tranquillitatem versus, mox conquiescere cœpit.* (aliàs

apud Capgr. in August.

etiam S. Edithæ Virginis precibus, à simili periculo Canutum liberatum esse supra * dixi) Defunctus periculo Canutus, ad Morinos descendit;

** v. an. 984. n. 50.*

AUDOMAROPOLIM DIVERTIT.

urbem petiit, * ubi sanctissimi viri, Aodomarus olim Episcopus, & Bertinus Abbas, colebantur: ubi pietatem in pauperes, & Ecclesias explicuit. Unde de eo ita scribit Harpesfeldus. *Magnam in hoc itinere, in pauperes refocillandos pecuniam, magnam etiam in Ecclesias præsertim apud Sanctum Audomarum, & Sanctum Bertinum effudit.* Ita ille, ex

Harpesfel. sæc. 11. c. 2.

innominato authore, qui se præsentem comitémque itineris fuisse scribit: quique Canuto singularem laudem in justitia & æquitate colenda, in pupillis, & viduis defendendis; & in sacerdotio honorando, tribuit. Quam vitæ rationem ubique tenuit. Et Romam perveniens, nihil habuit

ROMÆ PIA LOCA LUSTRAT.

antiquius; quàm sacra loca omnia, tam in Urbe, quàm extra, piè venerari; Joannem, pro Christo, in Urbe sedentem agnoscere, cùmque regiis

muneribus

muneribus colere: Tum quæ Anglorum Ecclesiis utilia, proponere: denique varia largitione, regni opes ac potentiam suam explicare: adeo effusè, ut dixerit Huntindónius supra *: *Non fuit Rex, sub Occidentali limite, qui tam splendidè, tam famosè, Romæ loca sacra petiisset.* Quod opinor, ideò factum, ut Conradum Imperatorem, aliósque Principes demereretur. Cæterùm an in hac expeditione, vi tempestatis ejectus sit in Hispanias: ibique ab Hispano Principe benignè exceptus, nescio. Parisiensis noster, in Ganfrido Abbate id affirmat: & profligatos à Canuto Saracenos: aliáque ad ornatum historiæ potiùs quàm veritatis, commemorat. Vide eum inter Abbates fol. 61.

* Hist. l.

V Livingus Abbas Tavistochensis a Canuto in Angliam cum literis mittitur.

Divino humanoque officio in Urbe persoluto; priusquam inde discederet, Livingum Abbatem Tavistokensem, cum literis in Angliam præmisit; quibus dicti, factique rationem reddit Episcopis omnibus, populoque Anglicano. unde quid ab eo in Urbe gestum, in rem suam privatam, publicámque regni, pluribus edisserit. Recitat has literas Baronius, ex Authoribus nostris, ita præfatus. *Quantum autem ipse Cnutus Rex, cognomento Magnus, ex hac in Urbem, ad limina Apostolorum, pietatis ergo peregrinatione suscepta, profecerit; ex ejus literis inspicere licet. Extant ipsæ quidem nobile antiquitatis monumentum, recitata, cum à Willelmo Malmesburiensi, tum etiam ex parte ab Ingulpho: qui sicut cæteris antiquitate; ita & veritate, cum authoritate præstantes, res Anglorum sunt prosequuti: quæ sic se habent.*

Baronius hic a. 2.

CNUTO REX TOTIUS ANGLIÆ, & Danamarchiæ, & Norucgiæ, & partis Suavonum. * Ailnotho Metropolitano, & Alfrico Eboracensi, omnibúsque Episcopis, & Primatibus, & toti genti Anglorum, tam nobilibus, quàm plebeis. Salutem.

* Ægelnotho

VI. Literæ Canuti Regis.

NOtifico vobis noviter me isse Romam, oratum pro redemptione peccatorum meorum; & pro salute regnorum, quiq; subjacent regimini populorum. Hanc quidem profectionem Deo jam olim devoveram: sed pro negotiis regni, & causis impedientibus, hucusque non poteram perficere. Nunc autem ipsi Deo meo Omnipotenti valdè humiliter gratias ago, quòd concessit in vita mea, Petrum, & Paulum, Beatos Apostolos, & omne sanctuarium, quod intra Urbem Romam, aut extra, addiscere potui, expetere; & secundùm desiderium meum præsentialiter venerari, & adorare. Et ideò hoc maximè patravi; quia à sapientibus didici, Sanctum Petrum Apostolum, magnam potestatem accepisse à Domino, ligandi atque solvendi; clavigerumq; esse cœlestis regni: & ideo specialiter ejus patrocinium, apud Deum, expetere, valdè utile duxi. Sit autem vobis notum; quia magna congregatio nobilium, in ipsa solemnitate Paschali, ibi cum Domino Papa Ioanne, & Imperatore Conrado erat: scilicet omnes Principes gentium, a Gargano monte usque ad istud proximum mare. Qui omnes me, & honorifice suscepêre, & magnificis donis honoravêre. Maxime autem ab Imperatore, donis variis & muneribus honoratus sum; tam in vasis aureis, & argenteis; quàm in palliis, & vestibus valdè pretiosis. Locutus sum igitur tam ipso

Fides Regia.

Imperatore, & Domino Papa, & Principibus, qui ibi erant, de necessitatibus totius populi mei; tam Anglis, quàm Danis: ut eis concederetur lex æquior, & pax securior, in via Romam adeundi: & ne tot clausuris, per viam arcerentur; & propter injustum teloneum fatigarentur. Annuitq; postulatis Imperator, & Rudolphus Rex, qui maxime ipsarum clausurarum dominatur: cunctiq; Principes edictis firmarunt; ut homines mei, tam mercatores, quàm alii, orandi gratia viatores; absque omni angaria clausurarum, & teloneorum; cum firma pace, Romam eant, & redeant.

Teloneorum exactio a Romipetis prohibetur.

VII *Conquestus iterum sum, coram Domino Papa, & mihi valdè displicere dixi; quòd mei Archiepiscopi, in tantum angariabantur immensitate pecuniarum, quæ ab eis expetebantur; dum pro pallio accipiendo, secundum morem, Apostolicam Sedem expeterent. Decretumq; ne id deinceps fiat. Cuncta enim, quæ a Domino Papa, & ab Imperatore, & a Rege Rodulpho, cæterisq; Principibus; per quorum terras nobis transitus est, ad Romam; pro mea gentis utilitate postulabam: libenter annuerunt: & concessa, etiam Sacramento firmaverunt, sub testimonio quatuor Archiepiscoporum, & viginti Episcoporum; & innumeræ multitudinis Ducum, & nobilium, qui aderant. Quapropter Deo Omnipotenti gratias magnificas reddo; quia omnia, quæ desideraveram, prout mente decreveram, prosperè perfeci, votisque meis ad velle satisfeci.*

VIII. *Nunc itaque sit notum; quia ipsi Deo supplex devovi vitam meam amodo, in omnibus justificare; & regna mihi subdita, populosq;, justè, & piè regere, æquumq; judicium, per omnia observare. Et si quid per meæ juventutis intemperantiam, aut negligentiam hactenus, præter quod justum erat, est actum; totum auxiliante Deo, dispono emendare. Idcirco obtestor, & præcipio meis consiliariis; quibus regni consilia credidi: ne ullo modo, aut propter meum timorem, aut alicujus potentis personæ favorem, aliquam injustitiam amodo consentiant, vel faciant pullulare, in omni regno meo. Præcipio omnibus etiam Vicecomitibus, & Præpositis universi regni mei; si meam volunt habere amicitiam, aut suam salutem; ut nulli hominum, nec diviti, nec pauperi, vim injustam inferant: sed omnibus, tam nobilibus, quam ignobilibus, sit fas justa lege potiundi: à qua, nec propter favorem regium, nec propter alicujus potentis personam, nec propter mihi congerendam pecuniam, ullo modo devient; quia mihi nulla necessitas est, ut, iniqua exactione, mihi pecunia congeratur.*

IX. *Ego itaque notum vobis fieri volo; quod eadem via, qua exivi, regrediens, Danimarchiam tendo; pacem & firmum pactum omnium Danorum consilio compositurus; cum eis gentibus, quæ nos, & vita, & regno privare, si eis fuisset possibile, volebant; sed non potuerunt: Deo scilicet virtutem eorum destruente; qui nos sua benignitate, in regno, & honore conservet, omniumq; inimicorum nostrorum potentiam annihilet. Compositâ denique pace, cum gentibus, quæ in circuitu nostro sunt, dispositoq;, & pacato omni regno nostro, hic in Oriente; ita ut nulla parte bellum, aut inimicitias aliquorum timere habeamus: quàm citiùs hac æstate apparatum navigii habere potero, Angliam venire dispono. Hanc autem Epistolam jam præmisi, ut de mea prosperitate omnis populus regni mei lætificetur: quia, ut vos ipsi scitis, nunquam memetipsum, nec meum laborem abstinui, nec adhuc abstinebo impendere, pro omnis populi mei necessaria utilitate.*

Nunc

Nunc igitur obtestor omnes Episcopos, & regni mei Præpositos; per fidem, quam mihi debetis, & Deo, quatenus faciatis, ut antequam Angliam veniam, omnia debita, quæ secundum legem antiquam debemus, sint persoluta. scilicet eleemosyna pro aratris, & decima animalium, ipso anno procreatorum: & denarii, quos Romam ad Sanctum Petrum debetis; sive ex urbibus, sive ex villis: & mediante Augusto decima frugum, & in festivitate Sancti Martini, primitiæ seminum ad Ecclesiam, sub cujus parochia quisque degit; quæ Anglicè Curescet * *nominatur. Hæc, & alia, si cùm venero, non erunt persoluta; Regia exactione secundum leges, in quem culpa cadit, districtè absque venia comparebit* *. hucusque recitatæ literæ Canuti *Magni*, inquit Baronius, qui benè, ut supra, concludit; hanc Canuti profectionem in Urbem, non posteriùs, ut Authores nostri, sed hoc anno millesimo vigesimoseptimo, consignandam esse.

Decimarum solutio urgetur.

*Chiersceth

* vindicabit Ingulf.

X. De sensu literarum Canuti.

Sensus harum literarum non egeret interprete, nisi in factiosos homines incidisset. Breviter ergo Canuti mentem expono, & postulatorum ejus. Expertus hac expeditione Rex, Romani itineris difficultatem; viderat in viarum angustiis, ac claustris, quæ regna provinciasque disterminant; imponi onera, quæ peregrinos, & mercatores, ab eundo & redeundo deterrebant. Egit itaque in principum conventu, oravitque pro Anglis, Romam ituris, nè præter longinqui itineris molestias, & sumptus Italis, Gallis, Germanisque majores, novis, nec necessariis impedimentis, ab avita Fide tenerentur. Addidit, Archiepiscoporum necessariam profectionem, cum pallii honorem petunt, non decere communibus exactionibus subjacere, cum agatur causa Ecclesiarum, quæ liberæ esse solent, & ab omni laicorum imperio eximiæ. Facilè fuit piissimis Principibus, & Romæ devotis, persuadere, dandum id omne, quod petebatur, Anglorum pietati. Sed quoniam publicanorum intererat (qui officia istiusmodi cum ingenti Reip. damno coemunt) hac Principum indulgentia non gravari: Canutus *multas in itinere clausuras, ubi telonia à peregrinis extorquebantur, ingenti dato pretio delevit*, inquit Florilegus. Quo factum, ut venientes Romam sive pietatis ergo peregrini, sive sacrorum Canonum jussu, Antistites; qui verosimiliter, præ cæteris premebantur, ubique transirent asymboli. non aliud intellexit Canutus, cum scripsit: *Conquestus sum cum Domino Papa* (nam Episcoporum causæ ad eum pertinent) *quòd mei Archiepiscopi, in tantum angariabantur, immensitate pecuniarum, quæ ab eis expetebantur, dum pro pallio accipiendo secundum morem, Apostolicam Sedem expeterent: decretumq; est, ne id deinceps fieret*: hoc est, ne publicanorum exactionibus vexarentur. Pervertunt ergò Canuti mentem Novatores, & eorum antesignanus, ita scribens. *Papalem in concedendis palliis auri argentiq; voraginem, tanquam charibdim reprehendit, emendavitq; postea Canutus Rex; qui ex eorum temporum caco more* (ita videns Parkerus sensit) *ad scelera sua expianda profectus est Romam.* & iterum: *exposito de immodico papali in palliis tribuendis lucro, impetravit ut id deinceps concederetur gratis.* Dico igitur, Canutum nihil Romano Pontifici, quem amplissimis donis, annuóque censu auxit, detraxisse; sustulisse tantum abusus, quos inferiores ministri, ut plerumque fit, lucri causa, induxerant. nunc Regem ex Urbe discedentem prosequamur.

Antiq. Brit fol. 94.

XI. Canutus in Daniam descendit.

Canutus itaque, ex Urbe, in Daniam perrexit; compositurus Rempublicam illam, quæ carens capite, res novas moliebatur: & vicini Principes, ut fit, factiosis civibus accesserant. Adducunt authores nostri, Wigorniensis, & Florilegus, aliud, quod Canutum illuc traxerit, atque ita scribunt: *Anno gratia millesimo vigesimo septimo, cum Regi Cnutoni fuisset nuntiatum, quod Norwegenses, Regem suum Olavum, propter sui simplicitatem, nimis vilipenderent; magnam auri, & argenti copiam, Magnatibus regionis illius transmisit; rogans omnes propensius, ut abjecto Olavo, ipsum sibi susciperent in Regem. Qui cum dona, quæ eis transmiserat, avidis manibus suscepissent; nuntiaverunt ei; ut omni ambiguitate remota, veniret ad eos; quia ad illum suscipiendum omnes inveniret paratos.* Ita illi. Si Canutus, hoc anno, malis artibus, aliorum provinciis inhiavit, jure culpandus esset: Sed quia se Norwegiæ Regem supra scripsit, jure sibi deberi coronam illam debuit existimasse. vel jure Regis Daniæ; vel jure inde confirmato, quod Angliam (cui Norvegiam aliquando * annexam fuisse didicerat) possideret. Quicquid sit; de jure illo, frequentia bella fuerunt, Canutum inter & Olavum: utroque justitiæ titulum prætendente. Consentiunt supradictis externi etiam Authores; qui tamen Olavo magis, quàm Canuto favent. Sic enim inter alios scribit Adam Bremensis, historiæ Ecclesiasticæ lib. 2.

Westm. hoc.

* v. an. 531. n. 8.

De Canuti iure ad regnum Norwegiæ.

Inter Cnuth, & Olaph, Regem Northmannorum, continuum fuit bellum: nec cessavit omnibus diebus vita eorum; Danis pro imperio certantibus: Northmannis verò repugnantibus, pro libertate. In quâ re justior mihi visa est causa Olaph; cui bellum necessarium magis fuit, quam voluntarium. Si quando autem tempus à bellorum motibus quietum erat; idem Olaph, judicio, & justitia regnum gubernabat. Dicunt enim inter cætera virtutum operà, magnum zelum Dei eum habuisse; ut maleficos de terra disperderet: quorum numero, cum tota barbaries exundet; præcipuè verò Norvegia regio talibus monstris plena est. Nam divini, & augures, & magi, & incantatores, cæteriq; satellites Antichristi, habitant ibi: quorum præstigiis, & miraculis, infelices animæ ludibrio dæmonibus habentur. Hos omnes, & hujusmodi, Beatissimus Rex Olaph, persequi decrevit; ut sublatis scandalis, firmius in regno suo claresceret Christiana religio. Habuitq; secum Episcopos multos, & Presbyteros ab Anglia: quorum monitu & doctrinâ, ipse cor suum Deo præparavit; subjectúmque populum, ad regendum commisit: quorum clari doctrina, & virtutibus erant Sigefrid. Gunichild, Rudolph & Bernard. Hi etiam, jussu Regis, ad Suediam, Gothiam, & omnes Insulas, quæ trans Northmanniam accesserunt, evangelizantes barbaris verbum Dei, & regni Jesu Christi. Hæc ille: Quid inde à Canuto factum, in Norwegia: ut Olavum regno exuerit, provinciáque potitus sit, dicam anno sequenti. Interim Angliam revisamus.

XII. Adam c. 40.

Olavus Rex laudatur

Multos ex Anglia Doctores habuit.

Sigefridũ, Gunichildem, Rudolphum, & Bernardum.

v. an. 1004 n. 8.

Non legitur Canutus, hoc anno in Norwegiam perrexisse: sed, ut supra in literis disposuit; eodem anno redit in Insulam. Cui è navi descendenti, Ecclesiarum præsules occurrerunt: & inter eos Croylandensis Abbas Brithmerus, de quo ita Ingulphus: *Rex Cnutus rediens de Roma, per Daciam, apud Sandwicum, Angliam applicuit: cui occurrens in portu, Dominus Abbas Brithmerus, duos optimos Regi obtulit Palfridos: quos ille benignè*

XIII. Canutus in Angliam redit. Ingulf f. 894.

Brithmerus Abbas reducem principem cum muneribus excipit.

acceptans, & gratias integras frequenter agens; dedit Abbati nostro unum plenum vestimentum de serico, aureis aquilæ intextum, & unum thuribulum argenteum, & deauratum: quod nuper vetustate confractum, per Dominum Eduothum nostrum Secretarium, reparatum erat: duodecimq; dedit Abbas ursinas pelles: quarum, coram diversis altaribus quædam, usque ad nostra tempora perduraverunt. per plenum vestimentum, intelligo vestes omnes, sacrificanti Sacerdoti necessarias; quæ à religiosis Principibus Ecclesiis ac monasteriis donari solebant, quas etiam, Brithwaldus, Wiltunensis Episcopus, Glastoniensi cœnobio; unde ad Ecclesiæ regimen assumptus est; circa hæc tempora legitur contulisse. de quo Antiquitates illius loci, ita loquuntur, cum annum Christi millesimum vigesimum septimum proximè nominassent: *Circa hæc tempora* (inquiunt) *floruit in monasterio Glastoniensi quidam veneranda religionis monachus, Britwaldus nomine.* quæ verba, sic accipio: ut Brithwaldus nunc Episcopus floruerit, qui olim monachus Glastoniensis fuerat: nam inde ad Wiltunensem sedem, dudum ascenderat; ut dixi, ad annum Christi nongentesimum nonagesimum sextum. ubi etiam, dicturum me promisi vaticinium ejus, de S. Edoardo: & expositurum dona, quæ Glastoniensi monasterio pientissimè donavit, quæ omnia ad hunc annum Antiqua monumenta referre videntur. nam ibi legitur ad hunc modum:

Antiq. Glast. f. 80.

v. an. 996. n. 9.

XIV. Brithwaldi vaticinium de S. Edoardo.

Antiq. Glast. fol. 81.

Brithwaldus, dum tempore regis Cnutonis, cælestibus apud Glaston incubraret excubiis, contemplando cogitavit de regia stirpe Anglorum, tunc penè deleta. Hac meditanti sopor irrepsit: Et ecce in superna raptus; vidit Petrum, Apostolorum Principem, sanctum Edoardum, filium Egelredi; qui tunc in Normannia exulabat; in Regem consecrare: ac sanctitatem ejus, cum numero viginti trium annorum, quibus regnaturus erat, plenè ostendere. Cumq; monachus iste, de posteritate Edoardi, & successione regminis inquireret, respondit Petrus: Regnum Anglorum, regnum Dei est. post istum providebit Deus Regem ad placitum suum. Eadem ferè de Brithwaldo refert Malmesburiensis l. 2. de gestis Pontificum. Sed in vita Edoardi, quam Ælredus Rivallensis scripsit, paullò fusiùs narrantur, & ad ea tempora recensentur, quæ Danis Angliam depopulantibus, gravissima fuerunt. Tunc scilicet, *Brithwaldus* * *Wiltunensis, cœnobium Glastoniense merens ac tristu ingressus* (ita ibi legitur) *orationibus vacabat & psalmis. Qui cum aliquando, pro regni, plebisq; liberatione, preces lacrymasq; profunderet; quasi in hæc verba prorumpens ait: Et tu Domine, usquequo? usquequo avertis faciem tuam; obliviscaris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ? Sanctos tuos occiderunt, altaria destruxerunt: & non est qui redimat, neque qui salvum faciat. Scio Domine, qui omnia, quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti. Sed nunquid in æternum projiciet Deus: & non apponet, ut complacitior sit adhuc? Eritne Domine Deus meus, eritne finis horum mirabilium, aut in æternum, tuus in nos mucro desæviet, & percusties usque ad internecionem?* Has Brithwaldi preces excepit oraculum de quo suprà, & Edoardi unctio, atque consecratio. Sequitur in Antiquitatibus Glastoniensibus, enumeratio donorum, quæ *circa hæc tempora*, Britbwaldus monasterio obtulit.

* Wintoniensis, sed malè. apud Capgr. in Edoardo.

XV. Brithwaldi

Brithwaldus dedit thesauraria Glastoniæ, unam albam de serico pretiosissimam, & cappas de pallio decem, auro & gemmis decenter ornatas. Dedit etiam superhumerale, cum stola, & manipulo, auro, argento, & lapidibus pretiosis adornatam Casulam pretiosam. Calices duos; unum, de viginti marcis argenti; & quatuor auri: alium minore pondere, sed pretio majore. Textus Evangeliorum duos: thuribulum miræ magnitudinis, de auro & argento. Altare, pretii viginti marcarum: Crucem processionalem, & alias viginti quinque. Quas cum Egelnothus postea Abbas, cum aliis ornamentis, auro & argento nudasset. in duabus viginti duas marcas auri accepit. Potest ergò ex his conjici, quanta fuerit summa pecuniæ in omnibus. Dedit etiam Collectarium auro illuminatum, pallium auro textum, & alia novem. duo candelabra, scrinia tria (lipsanothecas intellige) *Sanctorum Gutlaci, Georgii, & Oswaldi. in quo sunt hi versus.*

Dona monasterio Glastonien. Antiq. Glast. fol. 81.

Exiguus Præsul, Bristvvoldus onomate dictus,
Confert exiguum devoto pectore munus.
Archonti Domino, necnon matriq; Mariæ.
Ecclesia veteri transmittens Glastoniensi:
Dulcia perpetua capiat, quo gaudia vita.

Dedit insuper unam Capam, cum albis avibus. Has quoque contulit reliquias. Magnam partem de Sancta Edburga: de reliquiis Sancti Martini: de craticula Sancti Laurentii: de reliquiis S. Quintini Martyris, cum multis aliis reliquiis, quas acquirere potuit, per diversa loca. Totam terram Glastoniensis Ecclesiæ in Wiltesciria impignoratam redemit. Denique constat omnes illas terras, ab antiquo, fuisse de possessione Ecclesiæ Glastoniensis: Sed semper, cum Danorum importabiles pensiones regnum gravarent, Regio fisco, vel alias, pignori addictas: sed ab eodem Episcopo redemptas esse, & redditas. Et cum de redemptione, obolus tantum deesset; Vir magnificus annulum suum creditoribus projiciens, devotionem quam in Glaston habebat, operis testabatur exhibitione.

XVI. Ethelwinus Wellen. Episcopus moritur: Succedit Brithwinus.

Moritur hoc anno Ethelwinus, Wellensis Episcopus: & in ejus locum Glastoniensis Abbas sufficitur, Brithwins nomine, quem Fasti, & Malmesburiensis Brithwinum vocant. & ille est, quem alibi * dixi Ethelwinum, nunc Sede expulisse; nunc ab eodem expulsum esse: quam tandem hoc anno constanter tenuisse putamus. nam ita Glastoniensis monasterii Antiquitates loquuntur: *Brithwinus Abbas, post decem annos suscepti regiminis, in Episcopum Wellensem est promotus; cui successit Egelwardus anno Domini millesimo vigesimo septimo.* Unde corrigi possunt, qui Brithwinum, à Brithwio distinguentes; illum, cum Ethelwino contendisse; & eodem cum illo anno mortuum: hunc, utrique demum mortuo successisse, affirmant. Fateor tamen Malmesburiensem; qui & author Glastoniensium Antiquitatum; alibi * Brithwium, à Brithwino distinguere: qui Brithwium, aliter Meruith vocat, natione Lotharingum; sed quia addit, tempore Regis Edoardi, & Guilielmi Magni, Episcopum sedisse; Antiquitatibus contradicit; ubi Brithwius ex Abbate Episcopus hoc anno assumptus, mortuus scribitur, anno millesimo trigesimo quarto: nimirum Canuto adhuc regnante.

* v. an. 1012. n. 18. Antiq. Glast. fol. 81.

Num Brithwinus, et Brithwius differant.

* Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 214.

ANNUS CHRISTI 1028.

JOANNIS XX. PAPÆ 5.

CANUTI ANGLORUM REG. 12.

I. CANUTUS NORWEGIAM OCCUPAT.

ANNO Domini millesimo vigesimo octavo, Canutus plurimorum suffragio electus Norwegiæ Rex; ad regni illius capessendam possessionem, multo militum apparatu proficiscitur: & secundo marte usus, provinciâ & coronâ potitur. de quo sic scribit Huntindonius. *Cnut Rex, anno duodecimo, ivit ab Anglia, cum quinquaginta puppibus, in Norwegiam: & bello fugavit Olaf, Regem Norwegensium; regnumq́; illud recepit in suam subditionem. Cum verò inde redisset in Angliam; Rex Olaf, rediens in Norwegiam, a patria illius gente, occisus est. Remansitq́; Cnut regnum illud, dum vixit.* (Huntindon. hic f. 184.) Addit Florilegus *Magnatibus annuentibus*, Canutum regnum subjugasse. Cæterùm non explicant Authores nostri causam; aut pulsi Olavi Regis, aut tandem occisi: externi varias adferunt; quas Adam Bremensis recitat, & Baronius refert ad hunc annum. Polydorus Virgilius, Olavum putat Canuti successibus invidisse, ideoque Daniam vastasse. Alter Adam.

OLAVUS OCCIDITUR.

II. (Ada Brem. l. 2. c. 43) *Olaph* (inquit) *clarissimus Northmannorum Rex, contra Cnuth Regem Danorum, qui regnum suum impugnaverat; perpetuo decertabat prælio: tandemq́; ferunt beatissimum Regem Olaph, seditione Principum; quorum mulieres ipse propter maleficia sustulit; è regno depulsum Norvvegia. Et regnavit Cnuth in Norvvegiâ simul, & Daniâ: & (quod nulli Regum prius contingere potuit) in Angliâ. Olaph verò totam spem suam in Deo ponens; ad comprimendos idololatras, denuo bellum instaurat. Olaph auxilio habuit Regem Ruzzorum, & Sueonum; cujus filiam habuit: & de populis Insularum infinitam congregans armatorum multitudinem; patrium regnum, vi & armis cepit. Rex igitur Christianissimus, fortitudine in hostes, & justitia in suos celebris, ad hoc in regnum se credidit a Deo restitutum: ut jam tunc nemini parcere deberet; qui vel magus permanere vellet, aut Christianus fieri nollet. Et cum magna ex parte votum implevit; Pauci qui remanserant ex magis, in ultionem eorum, quos Rex damnavit; & ipsum obtruncare non dubitarunt. Alii dicunt eum in bello peremptum: quidam verò, in medio populi circo, ad ludibrium magis expositum. Scribunt alii eum in gratiam Cnut Regis latenter occisum: quod & verum esse non diffidimus; eò quòd regnum ejus invasit.* Hæc Adam: benè de Olavo sancto, non ita benè de Canuto sentiens.

MORTIS VARIÆ CAUSÆ ADFERUNTUR.

III. CANUTUS A REGICIDIO EXCUSATUR.

Sed quicquid sit, de genere mortis, quo Olavum hoc tempore cecidisse, Authores passim affirmant: non est credendum, Canutum Regem, in fide integrum, in factis, cognomento Magnum; adeo abjectæ mentis fuisse, ut aut dæmonum cultoribus manum, aut aures ignavè præbuerit Regum homicidis. Quod magos, æquè ac Olavus, oderit atque proscripserit, testantur leges ab eo latæ, ubi inter alia ita decernitur. (Lex 4 Canuti apud Lambard. fol. 105.) *Præterea etiam præcipimus; ditio ut hæc nostra undique purgetur: atque à nefariis sceleribus usquequaque temperetur. Tum si sagæ, ariolantes mulierculæ, veneficæ, meretrices fœdæ ac flagitiosæ, sicubi in regno deprehendantur; à regni finibus relegantor: aut in regno (nisi ab ea mente destiterint ocyus, moresq́; in melius commutarint) malè pereunto.* Melius ergo Olavo patrocinantur, & martyrii ejus coronam illustrant magis; qui Magorum arte, quàm qui Canuti insidiis, interfectum, arbitrati sunt. Missis itaque vulgi rumoribus, de Canuto certiora videamus. quæ ex Annalibus nostris ita colliguntur; Canutum hoc anno in Norwegiam perrexisse, inde Olavum profligasse, magnis viribus provinciam occupasse; ac demum in Angliam rediisse, Olavo adhuc superstite. Qui regnum postea recuperare conatus; ab iis demum occisus est, qui pro Canuto pugnabant. Hæc omnia paucis complexus est Huntindonius supra.

IV. CANTIANI PRÆROGATIVA IN BELLIS.

Quod magnis viribus Angli, in Danos, & Norwegos pugnaverint, & Cantiani milites strenuè se gesserint; æternum argumentum esto; quod ab eo tempore: nimirum, vel, ab hac expeditione; vel illa saltem, quà supra * recensuimus: (* V. an 1019 n. 3.) Cantiano militi, in belli procinctu, exercitus frons, & prima acies debeatur. Quod respexit Joannes Sarisburiensis. dum l. 6. c. 18. de Canuto scribens) qui malè Enudus vocatur, in magna Patrum Bibliotheca) sic loquitur: (in Biblioth. Mogunt. fol.) *Enudus, quantâ virtute Anglorum, Dacos, Danósque fregerit, motusq́; compescuerit Noricorum, vel ex eo perspicuum est; quod ob egregiæ virtutis meritum, quam ibidem potenter, & patenter exercuit Cantia nostra; primæ cohortis honorem. & primos congressus hostium, usque in hodiernum diem, in omnibus præliis obtinet. Provincia quoque Severiana, quæ moderno usu, & nomine, ab incolis Willesira vocatur, eodem jure sibi vendicat cohortem subsidiariam; adjecta sibi Devonia, & Cornubia.* Ita ille. unde colligimus, dum foris pugnavit Canutus; occidentalem populum, & Cantii incolas, magno illi emolumento fuisse.

[Item] W[il]TUNENSIS PROVINCIÆ.

V. DE S. [UL]FRIDO MARTYRE.

Sed quoniam Anglorum trophæa recenseo, quæ in boreales populos pugnando meruerunt; dicam unius Angli meliorem triumphum; qui eodem tempore, pro Christianâ, & orthodoxâ fide, præliando, meruit coronari. Is est Ulfridus Sanctus, de quo hæc habet Adam Bremensis; (Adam. l. 2. c. 44) *Per idem tempus* (inquit) *sermo est, quendam ab Anglia, nomine Ulfridum, divini amoris instinctu, Suediam ingressum, Paganis verbum Dei, magna fiducia, prædicasse. Qui dum sua prædicatione; multos ad Christianam Fidem convertisset; idolum gentis Tor[s]taas, in concilio Paganorum, cœpit anathematizare: simulq́; acceptâ bipenne, simulachrum in frusta concidit. Et ille quidem, pro talibus ausis, statim mille vulneribus confossus; animam laurea martyrii dignam transmisit ad cælum. Corpus ejus barbari laniatum, post multa ludibria, miserunt in paludem. Hæc veraciter comperta, memoriæ tradidi: quamvis sint alia, quæ adhuc scribi digna sunt.* Ita ille. qui cùm dicat in sequentibus, Metropolitanum Hamburgensem, sequenti anno mortuum esse, nimirum anno Domini millesimo vigesimonono, planè significat Ulfridi martyrium hoc anno millesimo vigesimo octavo consignandum esse. unde corrigi potest Martyrologium nostrum, quod (Mart. Angl. . Ianua.) Ulfridi nomen ad decimum septimum Januarii recitans inter Sanctos, martyrio coronatum ponit anno millesimo trigesimo quarto, ex Adami Bremensis, & Baronii mente. quorum uterque ad hunc annum refert: ut patet legenti.

* Memin-

VI. De eo quinam scripserunt. Cent. 11. f. 695.

Meminit hujus sancti Martyris Crantzius l. 4. cap. 8. Metropoleos: & ex eo Magdeburgici, qui malè Wolfredum vocant. *Wolfredus*, inquiunt, *ex Anglia oriundus, superstitionem Sueciæ, concione, & manu sustulit. Si potens est, inquiens, vester Deus Torilan se vindicet: & simul arrepta securi, simulacrum in frusta concidit.* & alibi dum Martyres recenset, de ejus Martyrio ita loquuntur *Wolfridus a Suetis, quod Torstan idolum in concione concidisset, ab idololatris circumstantibus, in frusta discerptus est.*

Cent. suprà f. 658.

Plures fuerunt, vario tempore, Anglorum coloniæ, in Gothiam, Norwegiam, & Septentrionem illum, qui Christi fidem seminando magnam animarum messem fecerunt: & inde sibi coronam gloriæ: è quorum numero Ulfridus iste. Cujus tamen, sicut nec aliorum, qui ibi pro Christo laborarunt, ulla mentio in Annalibus nostris. Mendicamus ergo aliundè, ex Adamo Bremensi, è Crantzio, è Magdeburgicis ex Alberto Stadiensi, qui in Chronico ad hunc Christi annum millesimum vigesimum octavum, Ulfridi meminerunt. Denique Cornelius à Lapide, in Commentariis super Exodi cap. 32. v. 26. Ulfridi zelum & apothegma commendat, Wolfredum vocans.

II. [Mor]itur [Ald]wi[nus] ... [pr]im[us] ... [succ]es[sit]. Alfricus ... [M]oritur G[od]w[inus] [Ro]f[f]en[sis] ... succe[dit] alter G[odwi]nus.

Moritur hoc anno Orientalium Anglorum Episcopus, qui Helmhamæ sedebat, Aldwinus; & in ejus locum intrat Alfricus primus, sic dictus; quia eo mortuo, Alfricus alter successit. frequens enim, hoc tempore hæc nominum usurpatio invaluit; non solùm in Ecclesiasticis, sed in laicis etiam personis. Sic Emma, quæ cum Canuto regnat, Reginæ quæ præcesserat, nomine insignitur. & quod ad annum præsentem facit, Falsi Godwinum Roffensem, Seniorem dictum, obiisse volunt; & illi alium cognominem successisse, qui tertius eo nomine censendus est, ut eum etiam Godwinos nuncupat: qui simul benè concedit, satis incertam esse Roffensium Episcoporum seriem. Cæterùm quia Edoardus Rex, cognomento Confessor, ad Godwinum Roffensem Episcopum, literas direxit, circa annum Domini millesimum quadragesimum. ideò non malè Godwinum aliquis, sub hæc tempora, Roffensi Ecclesiæ præficitur.

ANNUS CHRISTI 1029.

JOANNIS XX. PAPÆ 6.

CANUTI ANGLORUM REGIS 13.

I. Canutus in Angliam re[dit], et a Danis ... si[bi].

A Norwegiæ expeditione; redit in Angliam Canutus Rex, anno Domini millesimo vigesimo nono: & regnis auctior, quæ foris acquisiverat; domi periculum timet: non ab Anglis, quos nuper pro se fortissimè pugnantes viderat: sed à contribulibus Danis. quorum aliqui in hac Insulâ, ad honores promoti, Regiam affinitatem contraxerant; & videbantur nimis eminere. Eos inter Haco, Comes Danicus, Canuti sororis filiam, uxorem acceperat, & eo matrimonio instatus, in populi procerumque animos, nimiùm (ita Canuto videbatur) irrepserat. Eum ergò Rex honoris specie, procul amandavit. quod ita refertur a Florilego. *Anno gratiæ millesimo vigesimo nono, Rex Anglorum, & Danorum, & Norwegensium Cnuto, ad Angliam rediens, Haconem, Danicum Comitem, quasi legationis causa, in exilium misit. Habuit enim in uxorem Gunildam, matronam nobilem, sororis suæ, & Vict gerni, Windorum (Winidorum, Wigorniensis) Regis filiam. Unde metuebat ab illo, vel vita privari, vel à regno expelli.*

Haco Comes Danicus cum uxore proscribitur.

II. Quæstio de S. Martiale: dicendúsne Apostolus?

Hoc eodem anno, habita est, in Galliis, Lemovicensis Synodus: in qua; cum de sancto Martiali, gravissima quæstio agitaretur: dicendúsne esset Apostolus: an tantum Confessorum numero habendus. Et controversia illa Concilii Patres diu vexavisset, contentionisque suis multùm traheretur; per Anglos soluta est, ostensione Codicis venerandæ Antiquitatis; quem olim miserat in Insulam magnus Gregorius; ubi Martialis, Apostoli prærogativam habere probatur. Rem in Synodo gestam Odelricus Abbas plenè expressit: & refert Baronius ad hunc annum, ita præfatus: *Proditum & probatum æquè*, inquit, *istud fuit ex codice venerandæ Antiquitatis, Gregoriano nimirum: quem, per suos, sanctus Gregorius olim misisset in Angliam. de quo digna memoriâ recitantur in actione prima ejusdem Concilii Lemovicensis. Sic enim Odelricus Abbas in Synodo loquens legitur.*

Baron. hic n. 15.

III. Solvitur Anglorum testimonio.

*Interim Pater allocutus est Concilium, dicens: Ne quis fortè nos dicat, nunc novum fateri Apostolum; & hactenus non auditum de Apostolatus ejus antiquitate: & quod olim prænuntiatus ab antiquis, & testificatus fuerit; iterum perhibebo testimonium, ô Venerabiles Episcopi. Ecce duo Sacerdotes, ex fratribus nostris, coram adsunt: quos olim hac ipsa de causa in Britanniam misi: ut Anglorum (ut reor) à Gregorio præfixam legem annosam diligentius perscrutarentur; & omni submoto mendacio, ad nos referrent. Qui cum ad Anglos pervenissent. tam in Martyrologiis eorum, quàm in Litaniis, Martialem, ab Antiquitate repertebant, Apostolum scriptum. Ad quoddam autem magnum pervenientes * monasterium, in quo sanctus Anglorum Episcopus requiescit corpore, Augustinus (comperierunt enim ibi, non haberi librum de Actibus Beati Martialis) per Litanias tamen, Martyrologia, in eodem loco invenerunt eundem patronum, nomine Apostolico decoratum. Et cum à Patre monasterii perquirerent dicentes: Ut quid Martialem, in vestris Litaniis prædicatis Apostolum; cum ejus gesta dicatis, non haberi penes vos? Ille respondit: Quia, ab illo, inquit, tempore, quo primò in hac provincia Christi nomen auditum est; à Patribus hoc nostris observatum est; quorum nullatenus mutare possumus traditionem. Scimus quippe Doctores nostros priores, de Gregorii profluxisse magisterio. Attamen sæpius inter nos conferre indagando solemus: Quis est iste Apostolus, cujus vocabulum, in Evangelies, & in actibus Apostolicis minimè invenimus. Et quoniam gestorum ejus auctoritatem non habemus, de eo non parum hæsitavimus: & ideo nomen ejus crebro à memoria Apostolica eradere putabamus. Sed è contra, cum animadverteremus; qui antiqui patres nostri, non incassum hunc nobis scripserunt Apostolum, idcirco nullo ausu ejus vocabulum, à serie Apostolorum abolere audebamus. Vos autem peregrini Galli, qui de ejus estis Apostolatu, qui nobis ejus actus annuntiatis, a cordibus nostris de eo omnem dubitationem abjecistis: & hac de re dudum creberrimè Deo supplicabamus, certos nos reddi. Nec in adventu vestro derelictos spe nostra videmus: immo exultandum nobis est, de tam egregia virtute Domini nostri* Jesu Christi *discipulo. Multa*

* v. an. 605. n. 11.

alia testimonia penes eandem gentem Anglorum, de hujus veritatis vetustate testes veraces narraverunt nobis se comperisse.

IV. *Illud quoque memorandum est; quod ante hos septem annos, Rex Anglorum [illegible] nuto his erat cognomento Magnus, Duci Aquitania Willelmo, regalia munera misit; simulq; codicem literis aureis scriptum; in quo nomina Sanctorum, distincta cum imaginibus, continebantur. Quod volumen jam olim in Concilio Pictavensi; dum hac eadem de re, quastio esset, [illegible] Dux Willelmus, literis eruditus, in testimonium Antiquitatis, Pontificibus ostendit. Erat enim ibi Martialis, in aliorum Apostolorum Catalogo positus: Quæ peritissimus Princeps dicebat Archiepiscopo Burdegalensi, & aliis, qui ibi aderant, Episcopis. Cognoscere possumus, quàm egregia authoritatis sit Beatus Aquitanorum Patronus: de quo Gregorius, in illa sui laboris gente, hanc legem tradidit observandam. Nam non imperitorum est dubitare, de quo sanctus Papa Gregorius non dubitavit. Videtis ecce, ô Episcopi, in hoc Codice, qui ad Anglos scriptus est, prætermissum esse Timotheum, & Cleopham, & Silam & alios, quorum nomina in Evangeliis, & in Actibus Apostolicis, sive in Epistolis Pauli leguntur: quos Apostolos dicitis præter duodecim esse: non tamen prætermissum esse illum nostrum Patronum, qui primus Gallicarum fuit Episcopus.* Hactenus ex Actis Lemovicensis Synodi, apud Baronium. Consulta est postmodum Sedes Apostolica: & Joannes Papa vigesimus, Gregoriani Codicis authoritatem probavit; dixitque Martialem, Apostolum esse, & nominari debere.

V. COROLLARIA. Colligi multa possunt, è superiori narratione, instituto & Annalibus nostris propria. Illud imprimis, quod majores nostri, primi Apostoli monitis, & doctrinæ omni sæculo inhæserint; eos Sanctos, & eo modo venerantes, quo ipse, & quos, venerandos esse docuit. non enim ad populi plebisve scitum, nec pro variorum Comitiorum genio, stetit, aut cecidit sancita religio, & ritus Ecclesiam tangentes: Sed Apostolorum traditioni mordicùs faventes, unam eandémque fidem; sed & eadem sacra, & ritus, servaverunt. Iterum jucundè contemplor, Gallorum Ecclesiam, Anglicanam consulentem in re controversa; ejus sensum ritúsque inquirentem: & demum ne in minimis à vero devietur; Romanæ Sedis arbitrio permittentem. Id enim, à nascente primum Britannorum fide, & primo sæculo factum, in hac Insula: cùm de ritu sacrificii; qui Galliæ Britanniæque communis erat; dubitatum. Tunc siquidem, Clementem Romanum Pontificem, in ea quæstione, pulsatum esse supra suo loco * ostendimus. Denique cùm leg[illegible] Gallicanam Ecclesiam, de nomine Apostoli tam scrupulosè disputantem, Romanam arcem appellare: concludo inde, tam Galliam quàm Angliam in Romana Fide constantissimam fuisse: quæ nec in levioribus, à Romano sensu deviare voluit. Ubique Magni Gregorii authoritatem in pretio fuisse video; cùm ejus unius suffragio litem omnes Angli, Galli, Italique diremerint: & peritissimus Aquitaniæ Princeps dixerit: *Imperitorum esse dubitare, de quo S. Gregorius minimè dubitavit.* Qua voce Novatores omnes confundit qui multa pertinaciter negant; quæ vir ille doctissimos, atque sanctissimus, ceu fusa cœlo oracula credidit, docuitque. Sic de luce, ten[illegible] pronuntiant.

APOSTOLI MONITIS INHÆRENDUM.

ANGLORUM ET GALLORUM EADEM SACRA.

* T. on. 100. n. 13. &c.

M. GREGORII MAGNA UBIQUE AUTHORITAS.

Cæterùm quia [illegible] hac quæstione [illegible]itaniarum & Marty[illegible] mentio [illegible] placet [illegible] adnotare, Roman[illegible] Pontificibus [illegible] fuisse Sanct[illegible] gelia, Martyrum imprimis, diligenter inve[illegible] [illegible] & religiosè ad posteroru[m] mem[illegible] mittere. quo cultus [illegible] ven[e]ratioque [illegible]batur. Sic Clemens primus, Apostolorum di[sci]p[ulu]s, Notarios, per Urbis region[es] [con]stituit qui Christianorum heroum [illegible] ge[s]gerent. [illegible] Papa in tabulas E[cclesi]asticas post[m]odum [illegible] Notarii [illegible] Fa[illegible] Papa Diac[illegible] qui N[illegible] accurat[illegible] [illegible] Rom. P[illegible] [illegible] aut in L[illegible] [illegible] Sanct[illegible] nomen [illegible]tetur. Martyrolog[ii] usum & primam origin[em] [illegible] M. Grego[ri]us ad Eulogium Ale[xandrinum] [illegible] scribit: *Nos, inquit, pene omnium Mar[tyrum] [di]stinctis per dies singulos passionibus, collecta in un[o co]dice, nomina habemus, atque quotidianis diebus [in] eorum veneratione Missarum solennia ag[imus]* [illegible] Codicem Gr[e]gorius in Angliam misit, ut O[illegible] cus suprà.

ANNUS CHRISTI [illegible].

JOANNIS XX. PAPÆ [illegible].

CANUTI ANGLORUM REG. 14.

SEQUITUR Christi annus trigesimus su[pra] millesimum, qui est Canuti Regis de[cimus] quartus, non alia re illustrior, quàm translatio corporis sanctæ Mildredræ, Virginis, M[ona]streiensis cœnobii Abbatissæ. de cujus vita, [&] morte piè obita, dixi suo l[oc]o*. Jacuerat il[la] in dicto monast[eri]o, jam annos [tr]ecentos quinquaginta quatuor nunc verò, [c]ùm frequen[ti] Danorum incursu, qui Thanaton Insulam sæpe vastarant; locus ille [r]eligiosæ vitæ sectatori[b]u[s] esset incommodus; Urbs Cantuariensis, eo [the]sauro potiri, & sacræ Virginis exuviis frui, cupiebat. Unde, cùm Canutus Cantuariam venisset, Romam profecturus, Augustiniensis cœnobii monachi, supplici libello, ab eo petiverunt; [tr]ansferendi ad suam Ecclesiam sacri corporis licentiam. Jam enim multa docti experientia didicerant opus esse sæculari brachio; cum plebs & pr[o]vinciæ, pro aris fortiùs, quàm pro focis, dimicare solerent. Rex ut erat in Sanctos pius Mildredam sui itineris patronam invocans vo[tum] ad sancti Augustini corpus nuncupa[vi]t [illegible] se permissurum Virginem transferri cum ipse ab itinere redux, sanus salvúsque esset. Ad hunc ergo annum dilata est translatio. de qua Guil[el]mus Spina, in historia Abbatum monasterii [San]cti Augustini; qui breviter causam præfatus [c]u[r] Mildredæ corpus, ex Insula, in Urbem translatum sit, hæc habet:

Leofrina Abbatissa temporibus, scilicet anno millesimo undecimo; Suanus, cum Danis, & gentili[bus] non jam ad prædandum, sed ad subdendam totam Angliam venientes: ipsum primò Thanetum, nulli [illegible] vel ordini parcentes, devastabant. & dictum [illegible]

* [illegible] n.

apu[illegible] tract

cœnobium (Menstreiense) cum suis Virginibus, funditus concremarunt. A quo tamen incendio, mira Dei operatione, Mildredæ monumentum permansit illæsum. Ex tunc autem, nulla ibidem virgines permanserunt. Sed readificato loco, facta est Ecclesia duorum, vel trium clericorum, plebi [illegible] parochia. Donec regnante Cnuto prædicti Suani filio, prædictum virginale monasterium, cum tota sua substantia, monasterio Sancti Augustini esset incorporatum. Dilata est tamen per Regem Virginis transferendæ licentia; donec Rex Romam peregre proficiscens; hoc permittendum, si per tumbam Sancti Augustini solemniter juraverit si prosperè remearet. Qui rediens, in medio mari Beato Augustino visibiliter sibi, in forma episcopi [illegible] à naufragio liberatus; votum gratitudine adimplevit. Abbas autem habitâ licentiâ, de Virgine transferenda; sciens insulanorum ferocitatem, ut cautius celaret conceptum animi propositum; convocat eosdem Insulanos, die festo Pentecostes, ad celebre convivium; ubi Beata Virgo quiescebat: ut de [illegible] so populo, noctu aggrederetur tumbam virginalem. Sed ipsa durior chalibe resistebat: donec facta promissione; quod ipsius Virginis festum, inter festa solemniora annotaretur. tali promisso, Virgine placata, permollescit durities lapidum, & aperitur Virginis sepulchrum. Abbas verò exhausit, quicquid reperire poterat in monumento: vix ullum pulverem reliquiarum Insula orbata relinqueret.

Vix ad naves pervenerant: & ecce tota ferè occurrit Insula; vi, & armis, ablatum sibi pretium repetendo [illegible] uorum tamen juribus, & precibus, prævaluerunt orationes monachorum devotiores. Necdum è Thaneto exierat ista fama; cum jam transito maris brachio, tota ferè provincia, vel ut verius dicam tota Cantia, obvia Virgini venienti processit. Facta est autem hæc translatio anno Domini millesimo trigesimo, decimo-[illegible] Kalendas Iunii, sub Benedicto Papa, Henrico Imperatore, Knuto Angliæ Rege, Agelnotho Archipræsule, Aelstano tunc S. Augustini Abbate. Condita autem [illegible] tunc, ante principale altare sancti Petri; ubi & [illegible] bat præeminentem tumbam, & altare; super [illegible] juxta [illegible], quod prædictus Abbas fecerat, [illegible] transferenda, Missa matutinalis quotidie [illegible] [illegible]. Conditum est autem corpus sanctæ Virginis [illegible] plumbeo, cum hoc Epitaphio, desuper posito: [illegible] ditur hoc saxo Mildreda sacerrima Virgo:

Cujus nos, precibus adjuvet ipse Deus.

Hactenus Gulielmus Spina, qui & Thorneius dicitur: cui per omnia, inquit Reynerus, consentiunt, quantum ad tempus, & occasionem, ac fundationem monasterii, acta martyrum sanctorum F[illegible]redi, & Ethelberti. Itemque vita D. Mildredæ à Jncelino conscripta, & legenda sanctæ Milburgæ [illegible] illius. Consentiunt illa quidem quæ ad fundationem Menstreiensis cœnobii spectant: sed de tempore translationis S. Mildredæ Cantuariam, non loquuntur. Sed nec vita D. Mildredæ, quæ apud Capgravium legitur, hunc annum translationi assignat: nam ita [illegible] ursat vitiosè. *Anno autem Domini millesimo septimo, regnante Rege Canuto; Elfstanus Abbas Sancti Augustini, corpus sanctæ Virginis, &c. ad Ecclesiam [illegible] detulit: & in [illegible] tro pretioso, cum honore [illegible] collocavit.* Vitiosè, inquam; nam constat, eo anno, Canutum in Anglia: non regnasse. Sed & temporis consignatio, quam Spina refert, in Papa & Imperatore laudicat. [illegible] c enim anno millesimo trigesimo, nec Benedictus Romæ, nec Henricus in Germania, imperarunt. Sed frequens hic metachronismus in vitis Sanctorum: nec facilè vitandus, nisi plures rerum circumstantias & authores componendo, accuratè omnia contuleris. quod Sanctorum vita, & virtutes scribentibus facere, non vacavit.

V. Canutus quæ dederit monasterio S. Augustini.

Canutus non solùm transferendæ Virginis licentiam concessit: sed dedit insuper monasterio sancti Augustini apud Cantuariam; ubi sacræ ejus reliquiæ conditæ sunt, ea omnia, quæ ad Menstreinse cœnobium priùs spectabant, scriptisque literis confirmavit. Leguntur illæ, in diplomate Edoardi tertii à Normannorum ingressu, quod *Inspeximus* appellatur: ubi privilegia olim à pluribus Principibus, Augustinensi monasterio concessa, recitantur: & inter ea Canuti Regia Charta, sic refertur: *Ego Cnut, per Dei misericordiam, Basileus, Agelnotho Archiepiscopo, & omnibus Episcopis, & Abbatibus, Comitibus, Vicecomitibus, & omnibus fidelibus totius Angliæ, Salutem, & amicitiam. Notum sit vobis omnibus, me dedisse sancto Augustino, patrono meo, corpus sanctæ Mildredæ gloriosæ Virginis, cum tota terra sua, infra Insulam Thaneti, & extra; cum omnibus consuetudinibus, ad suam Ecclesiam pertinentibus. Hæc omnia ita libera, & quieta, reddo Deo & Abbati Alstano, & fratribus loci; sicut Ego unquam melius habui; tam in terra, quam in mari, & in littore: ut habeant, & possideant in perpetuum. Et qui hanc donationem meam infringere, vel irritam facere tentaverit; à Deo omnipotente, & omni sancta Ecclesia, excommunicatus sit, Amen.* De hoc tempore intelligendus est Malmesburiensis, cùm de Mildreda Virgine scribens, hæc de cultu ejus habet: *Sequenti tempore, Mildreda Virgo, ad cœnobium Sancti Augustini Cantuariam translata; eximiâ monachorum sedulitate honoratur, pietatis famâ, & dulcedinis, juxta vocabulum suum, in cunctis æquè prædicabilis. Et quamvis ibi penè omnes monasterii anfractus, pleni sint Sanctorum corporibus; nec eorum paris nominis, aut meriti. sed quorum singula, per se, possint illustrare Angliam: nullo tamen, illâ colitur inferius: quin immo amatur, & memoratur dulciùs. Adest illa se diligentibus, nullos surda transitus ante, saluti consulens animæ.*

apud Reyn. sup. fol. 19. Diploma Canuti Regis.

Malmesb. de Reg. 2. c. 13. fol. 89.

VI. Ethelredi filii in Normannia exules.

Exulabant interea Ethelredi filii, Edoardus atque Alfredus; & apud Normannorum Duces, avunculos suos, exilii ærumnas, eorum humanitate leniebant. Obierant Richardi duo, secundus & tertius: Robertus supererat tertii frater; qui Canutum, quà precibus, quà minis, pro nepotum jure fatigabat. Et qui minis nihil cedere voluit; precibus locum videtur fecisse. nam regni dimidium, Edoardo, & Alfredo dicitur obtulisse: de quo tamen apud antiquiores nihil reperio. Thomas Wallingamius, & Gemiticensis, ita narrant. *Tempore, quo Ethelredus, Anglorum Rex, à Sveno, Dacorum Rege, regno pulsus, in Normanniam venit profugus: duos filios, Edoardum, & Alvredum, non longo post, patriam repetens, Richardo, eorum avunculo, reliquit nutriendos. Qui intra Normannici Ducis aulam educati; tanto honore, à Duce sunt habiti; ut nexu amoris summi, eos sibi, tanquam fratres, adoptaret. Quorum diuturno exulatu compassus, (Robertus Richardi frater) missis Legatis, Regi Canuto mandavit; ut jam jamque, eorum exterminium illis parceret: & sua eis, vel serò, pro suis amoris obtentu, redderet. Qui salubribus ejus non acquiescens monitis; Legatos infectis rebus, nihil lætum*

Walsing. hist. Neust. f. 4.

Robertus pro nepotibus advocat.

portantes, remisit. Tunc Dux succensus rubore vehementissimi furoris; convocatis sui ducatus Principibus, magnam classem navium festinari, fabricari jussit. Quam ex omnibus Normannici maris partibus coactam, infra spacium parvi temporis, in anchoris hominibusq; robustissimis diligenter instructam, stare apud Fiscamnum, in littore ponti fecit. Inde quoque signo dato, velisq; pansis, in sublime nimia tempestate acti, ad Insulam quæ vocatur Gernsi, cum magno periculo pelagi, dominum sunt devoluti. Quod puto ita factum esse, Domino authore, pro Edvvardo Rege, quem disponebat in futurum regnare, sine sanguinis effusione. Ubi dum longo detinerentur tempore, vento adversus flante diutius: Dux efferatus animo, incredibili cruciabatur mœrore.

VII. MEDIETAS REGNI ETHELREDI FILIIS OBLATA.

Ecce adsunt Legati à Cnutone Rege Duci directi nunciantes, illum medietatem Anglici regni velle reddere filiis, & hæredi Regis, pace data in diebus suis; eò quòd valida gravaretur incommoditate corporis. Sed Dux ad tempus differre decrevit navalem expeditionem, donec rediisset ab Hierosolymis. quam peregrinationem diu optaverat. Quapropter accersito Roberto Archiepiscopo Rhotomagensi, cum Optimatibus sui ducatus: illius diu conceptum propositum manifestavit. Qui mox omnes vehementer attoniti, propter ejus absentiam, patriam perturbandam multimode formidabant. Exponens autem eis Guilielmum filium suum, quem unicum genuerat: ut hunc sibi loco suo Dominum eligerent, militiaq; suæ Principem præficerent, ab eis attentissime exigebat. Qui licet tenerrima detineretur ætate, tam de ejus consolatione omnes oppido exhilarati, cum prompta unanimitate delegerunt Principem, pangentes illi fidelitatem inviolandi Sacramenti.

ROBERTUS HIEROSOLYMAM PEREGRINATUR.

Tum narrat Author Hierosolymitanam peregrinationem; quam hoc anno a Roberto susceptam, Florilegus aliique affirmant. Hic est ille Guilielmus, Roberti filius, qui post annos triginta sex, Angliæ imperium adeptus, Normannorum Rex primus dicitur, qui nunc septennis, Normanniæ præficitur: & eam cum Edoardo exule consuetudinem, ac familiaritatem contraxit; qua Insulæ principatum sibi postea, suisque asseruit. Unde hoc loco Annales veterum ejus non immeritò mentionem faciunt. Florilegus ita: *Anno gratiæ millesimo trigesimo Robertus, Richardi secundi Ducis Normannorum alter filius, & frater Richardi tertii, postquam annis septem Normanniæ ducatum potenter rexerat Hierosolymam, gratia peregrinationis devote petivit. Reliquit autem puerum septennem, ex Herletta concubina susceptum: cujus speciositatem, in chorica fallantis, casu conspiciens nocte illa carnaliter eam cognovit. Quam deinceps unice diligens, uxoris loco eam aliquamdiu adamavit. Puer siquidem ex ea natus, Guilielmus est appellatus.*

GUILIELMI EXORDIA EO NOMINE PRIMI.

Hæc de Guilielmi nostri exordiis. Cæterùm adeptum Normanniæ principatum semper retinuit, ut dicam anno sequenti.

ANNUS CHRISTI 1031.

JOANNIS XX. PAPÆ 8.

CANUTI ANGLORUM REG. 15

SEQUITUR Christi annus millesimus trigesimus primus quo moritur Robertus Normannorum Dux cum loca sacra religiosè visitasset quod ideo passim authores nost Annalibus inserunt quia Guilielmum unigenitum Ducatus heredem reliquit: qui illa non contentus, Angliam invasit, virtute & armis eam sub egit. Itaque de anno [illegible] t Florilegus: *Anno gratiæ millesimo trigesimo primo, Robertus Normannorum Dux peregrinatione Hierosolymitana laudabiliter completa, dum repatriaret; circa Alpes, diem clausit extremum. Cui succedens Guilielmus, filius ejus in omnes adversarios suos, qui illum puerili ætate despexerant ita desævit adultus: ut non solum propria, ad pristinum statum redigeret: verum etiam ex damnis aliorum sua commoda fieri procuravit.* Hunc eundem annum intellexit Huntindonius, cum ait: *Cnut Regis anno decimo quinto, Robertus Dux Normanus, in peregrinatione Hierosolymitana, mortuus est cui successit Willielmus Nothus, filius suus in puerili ætate* Nam natus anno Domini millesimo vigesimo tertio, octennis erat.

Fortè occasione Roberti peregrini Authores nostri Canutum, sub hæc tempora, peregrinum induerunt; & Romam religionis causa, v[el] ho[c] vel sequenti anno ivisse affirmant. Correxi hoc supra, & adhuc mihi consto; quia nec Conradus Imperator, nec alii Principes, hoc anno Romæ visuntur, qui tamen cum Canuto, ut fatentur omnes, convenerunt. Addo: Canutum in Angliâ occupatum lego, iis operibus, quæ Romæ voverat, cum vitæ emendationem ibi proposuit: nimirum fundando monasteria ornando Ecclesias, aliaque regiæ pietatis monumenta erigendo. Sic in Norfolciensi agro Abbatiam ab[solvit] & Sancti Benedi[cti] religiosis dedit, dictam de Ulmo. Cujus exordia aliqui prius, alii posterius referunt omnes consentiunt a Canuto extructam: plerique exprimunt tunc demum erectam, cum Canutus Româ in Angliam rediit. Reynerus in Apostolatu, tractatu 2. circa annum Domini millesimum vigesimum septimum ædificatam scribit quod etiam in Catalogo ædium destructarum legitur Sed idem Reynerus in Appendice, & scriptura 37. quæ inscribitur: *De fundatione plerorumque monasteriorum ordinis nigrorum sancti Bene[dicti]*, ex veteri Manuscripto Abbatiæ de Evesham, h[æc] habet: *Rex Canut Abbatiam sancti Benedicti de Hulmo fundavit; monachosq; ibidem, sub regula sancti Benedicti, collocavit, anno gratiæ millesimo trigesimo primo, ut Radolphus.* Qui in posterioribus versantur, ut Westmonasteriensis, fundatam dicunt anno millesimo trigesimo tertio. Hi Canutum volunt non ante hunc, vel sequentem annum Romam ivisse. Ego medius intercedo: dicóque Regem anno millesimo vigesimo sexto, fundationis exordium ponere potuisse. quod hoc demum anno perfectum. ut supra monui anno 1026. n. 5.

ANNUS CHRISTI 1032.

JOANNIS XX. PAPÆ 9.

CANUTI ANGLORUM REG. 16.

I. Canutus [...]cat operibus [...]ietatis.

I. NUnquam magis eminuit Canuti Regis pietas in Ecclesiam; quàm post visitata Apostolorum limina; tunc enim, quicquid olim religiosè conceperat; quicquid Dei obsequio utilius duxit: quicquid denique Egelnothus, Cantuariensis Antistes faciendum, è Dei gloria, suasit: id omne Princeps devotè præstitit. Olim ergò cum Glastoniense monasterium Canutus inviseret, & loci antiquam sanctitatem miraretur; ostensa sunt ei priorum Regum diplomata; quibus terræ, prædia, bona plurima quondam loco concessa, & magna monachis privilegia, dictata sunt: quæ omnia cùm à Canuto confirmari postulatum esset: è vestigio consensit: & cùm ex Urbe rediisset, nactusque esset à negotiis quietem aliquam, hanc Regiam chartam scribi mandavit.

II. [C]arta [Ca]nuti Regis pro Gla[st]onia.

II. *Regnante in perpetuum Domino; qui sua ineffabili potentia, omnia disponit, atque gubernat: vicésque temporum, hominúmq; mirabiliter discernens; términúmq; incertum, prout vult, æquanimiter imponens: & de secretis naturæ mysteriis misericorditer docet: ut de fugitivis, & sine dubio transitoriis; mansura regna, Dei suffragio, adipiscenda sunt. Quapropter ego Cnut, Rex Anglorum, cæterarúmque gentium in circuitu persistentium, Gubernator & Rector: cum consilio, & decreto Archi-præsulis nostri Edelnothi, simulq; cunctorum Dei Sacerdotum, & consensu optimatum meorum; & ad relaxationem peccaminum fratris mei Regis Edmundi: Concedo Ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Glastoniæ, jura & consuetudines, in omni regno meo: & omnes foris facturas omnium terrarum suarum. Et sint terræ ejus sibi liberæ, & solutæ ab omni calumnia, & inquietatione; sicuti meæ mihi habentur. Verùm illud præcipuè, ex Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti authoritate, & perpetuæ Virginis interdictione prohibeo; & universis regni mei præpositis, & Primatibus, super suam salutem præcipio: ut nullus omnino illam Insulam intrare audeat, cujuscumque ordinis, aut dignitatis sit: sed omnia tam in Ecclesiasticis, quàm in sæcularibus causis, tantummodo Abbatis judicium, & conventus expectent: sicuti prædecessores mei sanxerunt, & privilegiis confirmaverunt: Centwines, Ines, Cuthredus, Ailredus, Alfredus, Edwardus, Ethelredus, Ailstanus, & gloriosissimus Edmundus, & * comparabilis Edgarus.*

* incomparabilis, l. Glast.

III. *Si quis autem, quovis deinceps tempore; sub aliqua occasione; interrumpere, atque irritum facere hujus privilegii testamentum nisus fuerit; sit à consortio piorum, ultimi examinis ventilabro dispertitus. Si quis verò benevola intentione, hæc facere, probare, & defensare studuerit; Beatissimæ Dei genitricis MARIÆ, & omnium Sanctorum intercessione, amplificet Deus portionem ejus, in terra viventium. Scripta est hujus privilegii donatio, & promulgata, in lignea Basilica, sub præsentia Regis Cnutonis: Anno ab Incarnatione Dominica, millesimo trigesimo secundo. Indictione....* Ita Chartam recitant Malmesburiensis, & Spelmannus, omisso Indictione, quæ poni debet decima quinta: nec omitti Nota, quam post recitatum diploma, Spelmannus adjecit: quæ est hujusmodi: *Crebra fuit, sub hoc tempore Beatæ Virginis, & Sanctorum invocatio. Quam, & in Litania publica, tertiò repetitam jam invenio, proximè post invocatam Sanctæ Trinitatis misericordiam: videlicet: Sancta* MARIA, *ora pro nobis. Sancta Dei genitrix, ora pro nobis. Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis. Sequitur etiam ad Archangelos, & cœlestium animarum cœtum reliquum, nominatim provocatio, more hodierno in Romana Ecclesia.* Ita Spelmannus, è Psalterio Latino-Saxonico M. S. bibliothecæ publicæ Cantabrigiensis. Sed noli, Lector, putare, hoc primùm sæculo invocatam ab Anglis Deiparam Virginem; nam cultus ille, Christianæ eorum fidei coævus est. Unde Anglia dudum audivit, *Dos Mariæ.* Sed & Glastoniensis ædicula, eloquentissimum argumentum est, omni sæculo cultam in hac Insula Dei matrem. Vide quæ de prima loci illius fundatione diximus tomo primo.

Deiparæ crebra invocatio.

v. an. 63. n. 20. &c.

IV. Sublato antiquo more preces fundendi;

IV. Sed demus Spelmanno, quod verum esse profitemur; crebram fuisse, hoc undecimo sæculo, Beatæ Virginis invocationem; & in litania publica, eo more, invocatam, quo nunc, sæculo decimo septimo, Romana Ecclesia, eandem invocat. nonne sequitur inde, Rom. Ecclesiæ ritus; antiquos, & constantes esse: & Angliam religiosè servasse, hodiéque ubi orthodoxi sunt, servare quod prima Sedes dictavit: Cedo ergò causam; cur è litania publica, cultus ille sedecim sæculorum jure præscriptus, excluditur? Cur illa, quam tertiò majores nostri uno velut habitu invocarunt, solenni supplicio: nunc, ne semel quidem nominatur? Imo illam nominantes, atque venerantes, sunt mundi purgamenta, omnium peripsema, & abjectio plebis. Mirentur hoc alii: ego non miror: quia, qui Deum abjecerunt, ne regnet super eos; qui sponsam Dei, Ecclesiam, audire nolunt: imo eam omni vestitu deaurato spoliant: ipsius Christi non errante oraculo; *sicut Ethnici & Publicani*, decernuntur: Et cur miramur Christi matrem ab Ethnicis incultam esse? Verùm, qui MARIÆ nomen, Angelorum, & Sanctorum omnium, è publicâ litaniâ eraserunt: & alia suffragia permiserunt vulgò, & vernacula lingua recitari, ante annos fortè septuaginta: manetne adhuc ritus ille, quem Novatores ipsi formarunt, & Comitiorum lege aliquamdiu usurparunt? Nihil minus: factionis genius est non quiescere: & Novatores, semper esse Novatores volunt: illæ ipsæ preces à Novatoribus cusæ; iterum, iterum, iterúmque recusæ, ad moderni cerebri intemperiem: jam tandem Comitiorum authoritate sublatæ, proscriptæque sunt: & quadriennio laboratum, necdum conclusum, quid earum vice, in nova Ecclesia recitandum. Quid sequentes anni parturient, nescio: sed in eo videntur factiosi conspirare: quod misso veteri ritu, statisque ab Ecclesia precibus; quisque è suo genio, per enthusiasmos, dictante spiritu (num atro, num albo, non curat Lutherus) publicè preces effundant. Sic omnium Ecclesiarum consuetudini, omnium sæculorum praxi, omnium doctorum, Sanctorúmque Patrum præscriptis, Occidentis denique & Orientis imperii sacro imperio, modernæ factionis genius præfertur. Sic audire non debemus Ecclesiam, preces dictantem, sed nescio quem suos

Qualem Novatores suffecerint?

enthusiasmos effutientem. nunc ad Canutum, & meliora tempora.

V. Canutus in alias extra Angliam Ecclesias pius. *Malmesb. de Reg. l. 2. c. 11. fol. 76.*

Cum superiùs dictatas literas Malmesburiensis recitasset: ita de Canuti largitionibus loquitur: *Ejusdem etiam Archipræsulis monitu* (Egelnotum intelligit) *Rex ad transmarinas Ecclesias pecunias mittens, maximè Carnotum ditavit. Ubi tunc florebat Fulbertus Episcopus, in sanctitate, & philosophiâ nominatissimus. Qui inter cætera industriæ suæ documenta, Ecclesiæ Dominæ nostræ Sanctæ MARIÆ, cujus fundamenta jecerat, summam manum mirifico effectu imposuit. Quam etiam, pro posse, honorificare studens, musicis modulationibus crebro extulit. Quanto enim amore, in honorem Virginis anhelaverit; poterit conjicere, qui audierit cantus, tales sua vota sonantes. Extat inter cætera opuscula ejus, volumen Epistolarum; in quarum una gratias agit Cnutoni magnificentissimo Regi: quòd largitatis suæ viscera, in expensas Ecclesiæ Carnotensis effuderit.* Hæc ille. Et habes Lector non Angliam modò, sed Gallias, & Episcopum ibi sanctitate & philosophia nominatissimum, Deiparæ supplices. Cæterùm quod ad Fulberti literas attinet, quas ad Canutum dedit, licet illas Malmesburiensis omiserit; dignæ tamen sunt, quæ Annalibus inserantur. Accipe ergò illas, è magna Patrum bibliotheca ita inscriptas:

Fulberti literæ ad Canutum Regem.

Nobilissimo Regi Danomarchiæ Cnuto: Fulgentius Dei gratia Carnotensium Episcopus, cum suis Clericis & Monachis, orationis suffragium.

VI. *Fulb. Epist. 97. n. in biblio. to. 11. fol. 23.*

Quando munus tuum nobis oblatum vidimus, sagacitatem tuam, & religionem pariter admirati sumus. Sagacitatem quidem, quòd homo nostra lingua ignarus, longèque à nobis terra mariq; intervallo divisus; non solum ea quæ circa te sunt, strenuè capessas; sed etiam ea quæ circa nos, diligenter inquiras. Religionem verò, cum te, quem paganorum Principem audieramus, non modo Christianum, verùm etiam erga Ecclesias, atque Dei servos, benignissimum largitorem agnoscimus. Unde gratias agentes Regi Regum, ex cujus dispositione talia descendunt; rogamus, ut ipse regnum tuum in vobis prosperari faciat: & animam tuam à peccatis absolvat, per æternum & consubstantialem sibi unigenitum, Christum Dominum nostrum, in unitate Spiritus sancti, Amen. Vale memor nostri, non immemor tui.

VII. Fulberti laus.

De tempore missorum à Canuto munerum, ad Fulbertum, aut scriptæ Epistolæ; Authores nihil statuunt. Sed ante quadriennium datas esse necessum est dicere. Fulbertus enim moritur sub annum Domini millesimum vigesimum octavum: *In scripturis divinis eruditissimus, & in secularium literarum disciplinis, omnium suo tempore, doctorum doctissimus*, inquit Trithemius. Hic Beatæ Virginis ædem incendio consumptam, insigni opere reparavit. Cui apertam manum Canutus porrexit, in suæ erga Deiparam pietatis argumentum. Et quoniam facta est Fulberti, mortisque ejus mentio; omitti non debet, quod ipso moriente, & ultimum mundo Vale dicente, contigit: nam egregiè fidem suam, suique sæculi, in eo vitæ mortisque confinio professus, errorem quem factiosi mordicùs defendunt, moriens; ad miraculum, aversatus est: & tanquam alter Alexandrinus Præsul, Petrus; Arium alterum ca-

Trithe. in Fulberto. v. Biblio. sup.

vendum designavit. *Cum in extremis positum multi visitarent* (refert è Guillermo, & Vincentio, Baronius) *& aditum capacitas vix confluentibus capiendis sufficeret; ille* (Fulbertus) *inter oppositas catervas, oculis rimatus Berengarium, visu quo potuit, expellendum censuit: quo testatus, immanem dæmonem prope eum consistere; multósque ad eum sequendum, blandiente manu, illicite corrumpere.* Eadem habet Malmesburiensis, nisi quod, pro *visu quo potuit*; legit ipse, *nisi quo valuit, expellendum censuit.* utrobique vitiosè; & reponendum puto *nisu quo potuit*, expellendum censuit. Nimirum omnibus viribus aversatus est hominem, cui dæmon illuserat.

apud Baron. an. 1028.

Berengarium moriens Fulbertus aversatur.

Malmesb. fol. 114.

VIII. Croylandensis Abbas Canuto pro monasterio intercedit. *Ingul.*

Canutus, qui foris munificus, & liberalis fuit; domi multò magis ornare Ecclesias, easdemque tueri laboravit. Quod probè doctus Croylandensis Abbas; pro monasterio suo, Canutum oravit; ut concessa olim à Regibus privilegia, vim suam, & robur obtinerent: cui clementissimus Princeps facilè indulsit, scripsitque insigne privilegium. de quo ita Ingulfus. *Venerabilis Pater Abbas Brithmerus, cum Cnutum Regem, super Angliam stabilitum cerneret, universos Anglos civiliter & satis amicabiliter ubique tractare: insuper sanctam Ecclesiam speciali devotione diligere, ac filiali subjectione honorare; monasteriis, multisq; Sanctorum locis benefacere. Quædam verò monasteria, ad summam gloriam promovere: statuit semel, opportunitate captata, Regem adire: & confirmationem monasterii sui (quorundam adversariorum, qui tempore guerræ multum creverant, vim formidans) à dicto Rege impetrare. Quod & factum est. nam Curiam Regis adiens, & gratiam ejus inveniens; dictam confirmationem obtinuit: in quod pulcherrimo calice à Rege donatus est, in hæc verba:*

IX. Diploma Canuti Croylandiæ concessum.

Cnutus Rex totius Angliæ, & Danmarchiæ, & Norwagiæ, & magnæ partis Swavorum omnibus provinciis, nationibus, & populis meæ potestati subjectis, tam minoribus; quàm majoribus, Salutem. Cum terram Angliæ progenitores mei, & parentes duris extortionibus, & diris deprædationibus, sæpius oppresserunt: & (fateor) innocentem sanguinem frequenter in ea effuderunt: studium meum à principio mei regni fuit, & semper erit in futurum; tam penes cœlum, quàm penes sæculum, propter hæc mea peccata, & parentum meorum, satisfacere: & statum totius Matris Ecclesiæ, & uniuscujusque monasterii, sub imperio meo constituti, cum in aliquo meo patrocinio indiguerint, devotione debita emendare: omnésque Sanctos Dei, per hæc, & alia bona opera, mihi, in meis necessitatibus reddere benignos: ac deprecationibus meis favorabiles, & placatos. Ideo in arras hujus meæ satisfactionis, offero sancto Guthlaco, de Croyland, & cæteris Sanctis ejusdem loci, de substantia mea, unum calicem: confirmans Brithmero Abbati, & monachis suis, totum monasterium suum Croylandiæ, cum insula circumjacente, & duobus mariscis adjacentibus; scilicet Alder-lound, & Soggis-lound, eisdem terminis & limitibus, quibus in chirographo inclyti quondam Regis Edredi, restauratoris sui, dicta Insula, dictiq; duo marisci satis apertè describuntur.*

Sanctorum patrocinia Canutus implorat.

*v. an. 948. n. 12. &c.

X. *Confirmo etiam omnes Ecclesias & Capellas, terras & tenementa, libertates, & privilegia, in ejusdem Regis chirographo contenta: cum quibus omnibus, dictus Rex Edredus, dictum monasterium Croylandiæ,*

ad honorem Dei, & sancti Guthlaci, Confessoris sui, corporaliter in eo requiescentis, dotavit, donavit, dicavit, & suo chirographo confirmavit. Nullusq; hominum inceptum audeat, à modo, dictos monachos inquietare, vel in aliquo conturbare, pro prædictis. Quod si quis facere præsumpserit, vel tentaverit usurpare: vel gladii mei sentiet aciem, vel gladii pœnam sacrilegii debitam subibit, absque omni remissione, & redemptione puniendus: juxta modum, & mensuram injuria dictis monachis irrogata.

XI. *Ego Canutus Rex anno Dominica Incarnationis, millesimo trigesimo secundo, Londoniis istud meum chirographum signo sancta Crucis confirmavi* †.
Ego Egelnothus Archiepiscopus Dorobernensis signo sanctissima Crucis confirmavi †.
Ego Alfricus Archiepiscopus Eboraca, hoc Regis chirographum affirmavi †.
Ego Elfvvardus, Londinensis Episcopus, collaudavi †.
Ego Leffius, Vvicciorum Episcopus, consignavi †.
Ego Brithmerus, Lichfeldensis Episcopus, constabilivi †.
Ego Brithlegus, Abbas Pershorensis, communivi †.
Ego Vvinnothus, Abbas Vvestmonasterii, signavi †.
Ego Osvvinus, Abbas Thorneiensis, approbavi †.
Ego Godvvinus Comes, consensi †.
Ego Leofricus Comes, concessi †.
Ego Adevvinus, frater Legrici affui †.
Ego Haraldus, filius Godvvini Comitis, interfui †.
Ego Algarus, filius Leofrici Comitis, affiti †.
Ego Turkillus, Minister Regis, audivi †.
Ego Alfgerus, Minister Regis, affexi †.

XII. Alwius Londinensis moritur: Succes. Elfwardus. Genuinam esse chartam, Episcoporum subscriptiones satis probant: nam eos supra suis Sedibus assignavi. Solus Londinensis Episcopus, ante hunc annum Sedem non habuit: nunc autem, in Fastis, rectè scribitur Alwius in Ecclesia Londinensi, successisse. de eo hæc habet Godwinus: *Elfwardus, vel Alvvardus, Abbas Evshamensis, una cum Episcopatu, Abbatiam insuper retinuit.* ubi Alwii Successorem facit, & mortuum ad Christi annum 1044. de quo infra. Interim Brithmeri Croylandensis industriam prosequamur, duce Ingulpho: *Abbas autem Brithmerus*, inquit ille, *roboratus in omnibus regio favore; impetratá prius monasterii sui regiá confirmatione præmissá: adificavit multa maneria Croyland, destruxit super Danos destructa. Fecit enim apud Standonn pulcherrimam aulam, & cameras, ac alias officinas necessarias sua familia hospitio; cum petere Londonias ipsum, seu monachos suos, pro quibuscumque monasterii negotiis, oporteret. Idem fecit apud Draiton; idem fecit apud Morbnrn. In cæteris maneriis destructis per Danos: scilicet Rotenham, Hebeten, Wendling, Adington, Elmington, Langtoft, Baston, Bukenhal, & Halington, fecit tum horrea, * bostaria, stabula, ovilia, & coquinas.* Ita, Canuto Rege, monasteria in pristinum splendorem, & ornatum surgebant, in regione Merciorum.

Gadwin. in Londin. Ingul. 894
* forte bovaria.

XIII. Consecratur Ecclesia S. Edmondi a puo Burgum. Vvestm. hic. Alibi etiam, hoc eodem anno, Dei Sanctorúmque cultus augetur: & apud orientales Anglos; cùm monasterium, & ædificia, ad culmen pervenissent; quæ Canotus insigni pietate Edmundo Regi ac Martyri posuerat; Ecclesia tandem Deo, Deiparæ Virgini, ac prædicto Sancto, dicata, & solenni ritu consecrata est. De quo Westmonasteriensis scribit in hunc modum: *Anno gratia millesimo trigesimo secundo, Archiepiscopus agelnothus, cœnobium Sancti Eadmundi, in Bedericheworth, honorifice constructum, in venerationem Dei genitricis, Sanctiq; prafati, decimo quinto Calendas Novembris, dedicavit.* eundem annum habent Wigornensis, & Hovedenus.

XIV. Moritur Alfsius Winton. Episcopus. Moriuntur, hoc anno, Wintoniensis Ecclesiæ, & Cridiensis, Antistites. Alfsius Wintoniæ sederat, ab anno Domini millesimo decimo quinto: & sub finem hujus anni moriens, successorem non ante sequentem habuit. Ednothus, Cridiensis, Livingo locum & Sedem hoc anno dedit. Livingus is est, qui Abbas Tavistochensis, Canutum in Urbem sequutus est; reditúque cum ejus literis, quas supra recitavi; & nunc ex Abbate consecratur Episcopus. de quo Godwinus: *De Livingo non ambigitur, quem ex Abbate Tavistokensi, Episcopum Creditonensem, anno millesimo trigesimo secundo consecratum omnes consentiunt.* Nepos fuit Brithwoldi Wiltunensis Episcopi de quo infra sæpiùs, quia plures Ecclesias, Wigornensem, & Cornubiensem, Cridiensi univisse dicitur. Fasti etiam Alfricum Helmhamensem Episcopum, quem anno 1028. Ecclesiæ præfecimus; obiisse volunt: nam Alfricum alterum, hoc anno, illi substituunt.

Moritur Ednothus Cridien. Succedit Livingus. Godwin. in Exon.
Alfricus Helmham. moritur, et Alfricus succedit.

ANNUS CHRISTI 1033.

JOANNIS XX. PAPÆ 9.

CANUTI ANGLORUM REG. 17.

I. Scoti ad obsequiū coguntur. Qui benè Dei causam egit, & Ecclesias religiosè coluit; non potuit non feliciter in hostem pugnare. Canutus itaque, sub annum Domini millesimum trigesimum tertium, Septentrionem composuit; admotus, & defectionem, omni sæculo facilem. Ibi Scotus, servitutis impatiens, Canuti imperium detrectat: & Malcolmus, eo nomine secundus, ascitis in fœderis societatem Macbetho, & Jermarcho Principibus, factionis author, ad officium redire, nullo negotio compellitur. Scio Scoticarum rerum Authores, speciosiora scribere; acerrimum Danos inter, & Scotos, conflictum describere, continuis diebus quindecim fusum sanguinem: tandémque iom in fœdera: lege latâ, ut utrimque ab armis discederent. Addunt campum, in quo pugnatum, Deo pro occiso ibi milite consecratum, erectam Ecclesiam, institutum sacerdotium, & sacrificium pro animabus defunctorum: *juxta morem Christiana religionis, tunc Danis Scotisq; communem*, inquit Holinshedus; qui benè dicti rationem reddens, ait: *Dani enim recenter Christianam religionem receperant.* Ergò (inferre quis poterit) Christianam religionem exuerunt, qui sacra precésque pro mortuis ejurarunt: ut Holinshedus, & socii. Sed plurimùm peccare videntur, qui adeò operosum prælium narrant; qui Suenum hic nominant Danorum Regem ac Principem, & Canutum ejus fratrem, nam longè certiora sunt, quæ Scriptores nostri tradiderunt, de Sweno mortuo, & regnante nunc Canuto, filio non fratre ejus.

Ecclesia erigitur Sacerdotium institutur pro animabus defunctorum. Holinsh. in Scotia f. 230 fine.

II. De tempore certaminis. Distinctiùs etiam Annales nostri, tempus consignant, & eventum belli: nam omnes referunt, hunc in Septentrione motum fuisse, post Canuti à Romana profectione reditum: nec diu pugnatum: sed Scotum facilè Anglo cessisse. Mal-

mesburiensis

[Malmesb. de Reg. l. 2. c. 11. fol. 74.] mesburiensis ita: *Cnuto, decimo quinto anno regni sui, Romam profectus est. Ibi aliquantis diebus commoratus; & eleemosynis per Ecclesias peccata redimens; navigio Angliam rediit. Et mox Scotiam rebellantem, Regemq; Malcolmum, expeditione illuc ducta, parvo subegit negotio.* Huntindonius in eundem sensum. [Huntindon. f. 364.] *Eodem verò anno Roma rediens, perrexit in Scotiam, & Melcolm Rex Scotiæ subditus est ei, & duo alii Reges, Melbeathe, & Iermac.* Florilegus paulò clariùs annum exponit: *Eodem*, inquit, [Westm. hoc.] *anno* (millesimo trigesimo tertio) *Cnuto Rex potentissimus, à Roma rediens; contra Scotos rebellantes hostilem expeditionem duxit: & Malcolmum Regem, tum duobus aliis Regibus, levi negotio superavit.*

[CUR REBELLES SCOTI?] Rebellionem, & rebelles, vocant; quia dudum Anglorum Reges Scotiam vi, armisque sæpè subdiderant. Unde signanter Huntindonius, Malcolmum hac expeditione *subditum* vocat. & Seldenus de Canuto: [Selden. in Anal. l. 2. c. 6. fine.] *Ordinata jam* (inquit) *prudentum consiliis Meridionali Britanniæ parte; armis aggreditur Septentrionalem. Rebelles Scotos, Regemq; eorum Malcolmum parvo subegit negotio.*

III. CANUTI REGIS POTENTIA ET TITULI.

Crevit Canuto, ex hac victoria, honorum ac titulorum numerus: nam qui priùs se scripsit Anglorum cæterarumque in circuitu gentium Regem, Danmarchiæ, Norwegiæ, & partis Suavorum: imposterum audit etiam Scotiæ Rex, multò expressiùs. unde de ejus præstantia ita loquitur Huntindonius: [Huntind. fol. 364.] *De Canuti Regis potentia, pauca sunt perstringenda. Nec enim ante eum tanta magnitudinis Rex fuerat in Angliâ. Erat enim dominus totius Daciæ, totius Angliæ, totius Norwagiæ, simul & Scotiæ.* Ut hi honorum gradus Canutum affecerint; video ab aliquibus dubitari. Sunt enim qui aiunt eum tumuisse adeò, ut elementis etiam dominari, Inutili conatu, laboraverit; cum ad maris litus thronum statuens, undis legem dedit. Alii, multò, opinor, rectiùs, volunt nascentem tantummodo naturæ impetum domuisse, egregio illo, & omni [EIUS FACTUM EXPENDITUR, CORONAM CHRISTO IMPONENTIS.] posterorum memoria digno exemplo. Quis enim crederet, prudentissimum virum, tam insano errore falsum esse; ut existimaverit oceani fluctus, pro Regum arbitrio, Regibus famulari: aut rem insensibilem, hominum imperio audientem esse. Probavit ergò Canutus tot titulis gravis, imbecillitatem suam: & inde descendere non ascendere voluit. quod eventus docuit. Nam vale videtur coronæ dixisse, cum imposterum, illâ abstinens, in Christum eandem transtulit, & imaginem Crucifixi. Errasse ergò Spedus convincitur, qui Canuti factum recensens, ait: [Spedus in Canuto n. 15.] *Ab eo tempore, nunquam pati voluit coronam suo capiti imponi: sed illam statim imagini Christi crucifixi, Wintoniensis Ecclesiæ imposuit. Tam miris illusionibus pii Principes ducebantur ab iis, qui prædam venabantur, ex eorum devotione.* Ita ille. Quid purum, & defecatum potest ab his hominibus sperari; qui piorum Principum, eo modo, facta pervertunt. Qui non Sanctis solùm cultum; sed Deo, Christóque ejus honorem, & coronam invident. Antiqui id factum meliùs interpretantes, ita Regem loquentem faciunt: [Westmon. an. 1035.] *Sciant omnes habitatores orbis, vanam esse, & frivolam, Regum potentiam; nec Regis nomine quempiam fore dignum; præter eum, cujus nutu, cælum, terra, & mare, cum omnibus, quæ in eis sunt, legibus obediunt sempiternis. Rex quoque deinceps nunquam coronam portavit. Sed coronam suam super caput imaginis Crucifixi imponens; magnum Regibus futuris præbuit humilitatis exemplum.* Huntindonius etiam, inter tria, eleganter, & magnificè, à Canuto patrata, hoc unum posuit; ut infra *, cùm Regem sepelio. [* v. an. 1035. n. 2.]

IV. MORITUR JOANNES PAPA. SUCCEDIT BENEDICTUS IX.

Inter eos, qui hoc anno morti tributum solverunt, primo loco ponendus est Romanus Pontifex Joannes: qui cùm sedisset annos novem, menses octo, & dies aliquot, vacantem Sedem reliquit. Tunc Alberici, Tusculani Comitis, ambitione factum; ut Benedictus, filius ejus, nec ætate, nec sanctitate commendandus: ea solùm caussa Pontifex crearetur; nè è domo sua, prima Ecclesiæ dignitas elaberetur; quam duo nuper germani Benedictus, & Joannes, asseruisse sibi, suæque familiæ videbantur. Indignum facinus, & nulla victima expiandum; laicos in Ecclesiam imperium præsumere. Novatores hoc Solis Lunæque deliquium vident, & doctè satis philosophantur; obscurari Ecclesiam hisce tenebris: fœdari Petri cathedram, his hominum excrementis; pueros, illiteratos imperitè supremi regiminis clavum tenere. & miseri, non vident manticæ quod in tergo est; imo quod in facie, & luce populorum: cum ipsi nuper, Anglicanæ Ecclesiæ capita finxerint, ac formaverint; pueros Benedicto ætate juniores, fœmináque minùs idoneas. festucam in Romana Ecclesia acutissimè vident, & trabem in sua non considerant. Romani, necessitate coacti, pecunia corrupti, potentia Comitum territi, passi sunt, jus fasque violari. Nihil horum Anglicana Comitia, sed ultro Ecclesiasticam hierarchiam impugnando, subdiderunt se laicorum imperio: nova capita, & Ecclesiis hactenus inaudita, lege latâ creaverunt. Itaque Romana Ecclesia patitur aliquando, invita admodum; non probat, mala: Anglicana, sponte fecit, consensit, probavit pejora.

V. MORITUR LEOFSIUS W[I]GORNIENS. EPS. SUCCEDIT BRITHEGUS.

Mortuo hoc eodem anno Wigorniensi Episcopo, Leoffio; quem Malmesburiensis Leffium appellavit, alii Leolfsium: in ejus locum Brithegus sufficitur, Persorensis Abbas; qui superiori anno Canuti regio diplomati subscripsit, pro Croylandia. De utroque hæc habet Hovedenus: *Anno millesimo vigesimo tertio, magnæ religionis, & modestiæ vir, Leolfsius, Wicciorum Episcopus, in Episcopali villa Remesia, decimo quarto Kalendas Septembris, feria tertia obiit: & ut fas est credi, ad cælica regna migravit. Cujus corpus, in Ecclesia sanctæ Mariæ, Wigorniæ, cum honore tumulatur. In cujus Sedem Persorensis Abbas Brithegus, filius videlicet sororis Wulstani Eboracensis Archiepiscopi, levatus est.*

VI. MORTUO ELFSIO SUCCEDIT ALFWINUS WINTON. EPS.

Mortuo etiam, ut supra dictum est, Elfsio Wintoniensi Episcopo: quem annò decimo quinto, ad eam Sedem consecratum diximus, successit Elwinus, quem & Alfwinum vocant communiter. [v. an. 1015. n. 4. Godwin. in Winton.] Hæc nominum variatio errandi causam præbuit Godwino, qui Elsium, sive Elsinum, cum Edsio, sive Edsino, confundens; dicit cum à Wintoniensi Ecclesia, ad Cantuariensem translatum, anno millesimo trigesimo octavo: & tum demum Alwino Sedem reliquisse. Alii Edsium, ab Elsio multò rectiùs distinguunt, ut Malmesburiensis, Wigorniensis, Harpesfeldus, & Fasti: illum quidem Cantuariensem Ecclesiam administrasse; de Elsio nihil tale pronuntiant; sed in Wintoniensi sede mortuum, hoc anno, ponunt Fasti. quibus nihil occurrit opponendum. Successit ergo, hoc anno Alwinus: adnitente, ut creditur, Emma Regina, cui apprimè gratus erat, ut infrà * dicetur. [* v. an. 1047.]

ANNUS CHRISTI 1034.

BENEDICTI IX. PAPÆ 1.

CANUTI ANGLORUM REGIS 18.

I. Ritherc totius Walliæ Rex ... Ecclesiam ornat. Godwin. in Landav.

AD annum Christi millesimum trigesimum quartum Synodus Landavensis, à Spelmanno ... atur habita, à Josepho, ibidem Episcopo ... anno millesimo vigesimo secundo, ab E... Cantuariensi consecratus, cum laude ... xit. nam eo sedente, *Ritherch, totius Walliæ Rex, multa privilegia indulsit Ecclesiæ Landavensi* (loquitur Godwinus) *... confirmavit eidem omnes possessiones suas.* Porrò Regis confirmatio ita ibi refertur: *De omnibus subscriptis vestita fuit Ecclesia Landavensis, simul, & Episcopus Joseph, pace tranquilla, me Ritherch regnante, per totam Walliam; & admonitione Æliod Archiepiscopi Cantuariensis, simul cum literis commendatitiis Cnut regnantis per Angliam.* E qua periodo colligitur Walliam, Anglo-Saxonum Regi, & Cantuariensi S... fuisse; quantum ... ibi Rex totius Walliæ nominetur. qui ideò ita scribitur; qu... nuam norum gentium Re... ue & int... cos Mouricus, Glamorg... R... anno causam Synodo dedit, ... violando. quæ Josephus Episcopus ... turatus est, cum ... asticis censuris ... do, ... prius solvendo; quàm satis Ecclesiæ fecisset. De eo ita refert Godwinus: *Mouricus Glamorgania Rex, restituit Elem, ab antecessoribus suis per injuriam ereptam. Et excommunicatus est, quod quendam, nomine Ergum, filium ... ati, oculis orbasset, induciarum tempore: ut absol... dedit Pan-...* Deinde cum postea asylum Landavensis Ecclesiæ violasset; rapiendo inde uxorem ... suam ab Episcopo infligendam redemit donatione Gulich, ... & septem argenti libras pendendo, cum Canonicis Ecclesiæ aliis muneribus ...

Wallia Anglo-Saxonum tributaria ... subdita.

II. Mauritius Princeps ... excommunicatus.

Hoc ... lemum facinus; violata, inquam, E... immunitas. in Synodo hoc anno coacta ... est: quod ita è Manuscripto Codice ... ensis Ecclesiæ, à Spelmanno refertur.

apud Spelman. fol. 72.

S... Landavensis, sub JOSEPH XXVIII. ... Episcopo: In qua Mauric Rex Gualat morcant.

MOU... Rex Gualat morcant, filius Hugel, iratus est cuidam potenti suo viro. & venit cum furore nimio ad ... ndaviam; frangendo refugium ... Dubricii ... ... & Oudocei: & accepit ab ostio Ecclesiæ uxorem illius viri, nomine Cifil ... & violato refugio Sanctorum, ... mandavit Pontifex per Ecclesias totius ... Ecclesia Landavensi, ab ostio ... usque ad ... Et adunati omnes ... de majori ... usque ad ... implena ... potius inquit ... per pa... apud Landa... ... pa-

care muneribus, cum refugii plena redintegratione, & juncta sibi pœnitentia, cum data venia, ad modum culpæ; reddidit villam Trefgulich cum tribus modiis terræ, Deo, & Sanctis Dubricio, Teliavo, & Oudoceo; quæ antea fuerat illorum, & tempore Iudhail Regis Morcannuc, filii Athruis, contemporanei Oudocei Episcopi, & cum tota sua libertate. & data communione in campo, & in silvis, in aqua, & in pascuis. De clericis testes sunt Ioseph Episcopus, Rind Sacerdos, Ioseph Sacerdos. De laicis, Mauricius Rex Catalanc, filius Gulbrit, &c.

III. Ethericus Dorcacestr. Episcopus moritur; Eadnothus succedit.

Moritur, hoc anno, Ethericus Dorcacestrensis Episcopus: & illi Ednothus successit. Wigorniensis mortuum, Lindicolinensem Episcopum vocat, quia Dorcestriæ Sedes eò translata: & ita scribit ad hunc annum: *Æthericus Lindicolinensis Episcopus defungitur, & in monasterio Ramesega sepelitur.* Idem scribit Godwinus in Catalogo: licet amanuensium vitio, ita legatur: *Eadbericus obiit 1304. & Ramseia sepultus est.* inverte paululùm numeros, & lege 1034. Ednotus in Annalibus laudatur, quòd Beatæ Virgini templum posuerit ad Stouin oppidum in Coritanis, & agro Lincolniensi. Ita Godwinus. Alii tamen ad Godivam referunt Leofrici uxorem, Leycestriæ Comitissam, aut ad Remigium primum Lincolniensem Episcopum. Ita Catalogus ædium destructarum, & Malmesburiensis. Sed authores sibi constant. nam templum Ednothus Episcopus; monasterium sanctimonialibus Godiva & Remigius, postea posuerunt. Multa prædia Æthericus hic qui moritur Ramseiensi cœnobio donavit; quæ Edwardus sanctus enumerat, in diplomate, quod sub annum Domini millesimum sexagesimum tertium dictavit, in dicti monasterii favorem: ut dicam ibi*. numerantur etiam ibidem prædia, quæ Ednothus successor ejus eidem loco contulit.

Godwin. in Lincoln.

Malmesb. de Pont. l. 4. fol. 290.

* v. an. 1063. n. 5.

IV. Moritur Brithwius Wellensis Eps.

In Wellensium Episcoporum serie, authores, hoc tempore, non omnino conveniunt. Ego Malmesburiensem sequutus, in Antiquitatibus Glastoniensibus Brithwium dixi, ad illam Sedem consecratum esse, anno millesimo vigesimo septimo, Ethelwini successorem. Fasti tamen, & Malmesberiensis in gestis Pontificum, Brithwinum nominant, Ethelwini successorem, & post eum, Meruith, alias Brithwium. Unde passim authores Brithwinum & Brithwium, duos faciunt, Wellenses Antistites. Quid in hac re dicendum, nescio; referam tamen quod habent Malmesburiensis Antiquitates, de Brithwio, quod ad præsentem annum spectat. *Brithwius*, inquiunt, *Episcopus Wellensis, qui antea, ut dictum fuerat, Abbas Glaston; anno Domini millesimo trigesimo quarto obiit, & sepultus est in Ecclesia Glastoniensi, in aquilonari portico ad sanctum Ioannem Baptistam.* Successorem non nominant; & ego constanter dicerem, Meruith fuisse, qui in Fastis post paucos annos Brithwius nominatur, Wellensis Episcopus: nisi in Malmesberiensi legerem ita: *Meruith, qui & Brithwius, natione Lotharingus, tempore Regis Edwardi, & Willelmi Magni.* nam Meruith vix vidit Edoardi Regis tempora; & W... is post eum plures Episcopi sederunt prius, quam Gulielmus in Anglia regnaret; ita saltem Fasti, nec authores alii contradicunt. Sed quia Meruith Lotharingus locum habet in omnium Catalogis. liceat saltem opinari, cum hoc anno Brithwio, quondam Abbati Glastoniensi successisse.

Quis successerit?

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 254.

Meruith Wellensis Antistes.

ANNUS CHRISTI 1035.

BENEDICTI IX. PAPÆ 2.

CANUTI ANGLORUM REG. 19.

I. CANUTUS FILIIS DIVIDIT REGNA.

CANUTUS, anno Christi millesimo trigesimo quinto; cum plura regna & provincias conjunxisset, prolémque è duplici matrimonio suscepisset: putarétque se diu superstitem esse non posse: imperium in filios divisit; ne post mortem illi pro regnis certando, imperium amitterent. Ex Alsgivâ, Elfelmi Comitis filia, duos filios genuerat, prius quàm Anglorum Rex crearetur; Swanum, & Haraldum: Ita saltem vulgò credebatur: Sunt enim, qui Alsgivæ suppositos arbitrentur: & Alsgivam, non uxorem, sed concubinam vocent. Quicquid sit; cum Angliæ regno, Reginam quoque duxit, Ethelredi relictam; & ex ea Hardicanutum filium suscepit, & Gunildam filiam. De alia, quæ dicitur Canuti filia, Godescalco Vandalorum principi filia dicam inferius. His tribus filiis, iis tria regna distinxit: ut omnes saltem, à morte, quam sibi imminere sensit, Reges esse, & dici voluerit. Divisionem ita referunt authores. *Anno millesimo trigesimo quinto* (ita Hovedenus) *Canutus Rex Anglorum, ante suum obitum, super Norreganos, Swanum filium suum, Regem constituit: super Danos verò Hardecnutum suum, & Emmæ Reginæ filium, Regem locavit. Haroldum verò suum ex Hamtunensi Elfgiva procreatum, Regem Anglorum constituit: & postea hoc anno, secundo Idus Novembris, feria quarta apud Sceaftesbiriam, vita decessit: sed Wintoniæ, in veteri monasterio, satis honorificè, tumulatur. *Quo tumulato, Regina Elfgiva, quæ & Emma, ibi resedit.* Ita ibi.

ETUS PROLES.

SWANUS NORICORUM REX.

HARDECANUTUS DANORŨ.

HARALDUS ANGLORUM.

II. CANUTUS REX MORITUR. *Huntindon. f. 364.* WINTONIÆ SEPULTUS.

Hunc Regem, quem externi Scriptores Magnum vocaverunt; Authores etiam nostri cum laude sepeliunt. Unde Huntindonius ita illi parentat: *Cnut Rex, cum viginti annis regnasset, vivere destitit, apud Sceaftesbirb, & sepultus est apud Wincestre, in veteri monasterio. De cujus Regis potentiâ, pauca sunt perstringenda. Nec enim ante eum tantæ magnitudinis Rex fuerat in Anglia. Erat enim Dominus totius Daciæ, totius Angliæ, totius Norwagiæ, simul & Scotiæ. Enimverò extra numerum bellorum, quibus maximè splenduit, tria gessit eleganter & magnificè. Primum est, quod filiam suam Imperatori Romano, cum ineffabilibus divitiis maritavit. Secundum quòd Romam pergens, omnes malas exactiones in via, quæ per Gallias Romam tendit (quæ vocantur teloneа, vel transversa) datâ pecunia suâ, diminui fecit, usque ad medietatem. Tertium, quod cum maximo vigore imperii, sedile suum in litore maris, cum ascenderet, statui jussit. Dixit autem mari ascendenti. Tu meæ ditionis es, & terra, in qua sedeo, mea est: nec fuit, qui impune meo resisteret imperio. Impero igitur tibi, ne in terram meam ascendas, nec vestes, nec membra dominatoris tui madefacere præsumas. Mare verò de more conscendens, pedes Regis & crura, sine reverentia, madefecit. Rex igitur resiliens ait: Sciant omnes habitantes orbem, vanam & frivolam Regum esse potentiam: nec Regis quempiam nomine dignum, præter eum: cujus nutui, cælum, terra, mare, legibus obediunt æternis. Rex igitur Cnut nunquam postea coronam auream, cervici sua imposuit: sed super Dominum, quæ Cruci affixa erat, posuit eam in æternum, in laudem Dei Regis magni. Cujus misericordia Cnut Regis animus quiete fruatur.* Hæc Huntindonius.

Duo posteriora Canuti facinora, supra pluribus exposui; de primo nunc dicendum; quòd filiam suam *Imperatori Romano* maritarit. Authores nostri Canuti filiam, Gunildam vocant, ut modo dictum, cùm ejus prolem recensui: externi Chunechtildem appellant: nupsit autem Henrico Conradi Imperatoris filio, & patris in imperio successori. Cæterùm quando nuptiæ inter eos celebratæ sint, Authores non conveniunt. Florilegus, quem recentiores nostri passim sequuntur, [illegible] Hardecanuti tempora refert: quando Henricus revera Imperator fuit: addunt insuper, [illegible] pudicitiam, Henrico aliquando suspectam fuisse, sed tandem a Deo mirabiliter defensam. [illegible] omnia sic refert Florilegus ad annum gratiæ [illegible] lesimum quadragesimum primum. *Per idem tempus, Rex Anglorum Hardecnuto, Gunildam sororem suam; ex Cnutone Rege, & Emma Regina generatam; ingentis pulchritudinis puellam, Henrico Imperatori Romano destinavit copulandam. Erat autem hæc virgo, temporibus Cnutonis Regis propter ejus decorem incomparabilem, a multis orbis nobilibus expetita; sed non impetrata. Unde nunc adeo [illegible] fuit illa nuptialis pompa, quod Rex, [illegible] & omnes fere habitatores regni, thesauros auri [illegible] argenti, cum palliis, gemmis, & equis pretiosis ita effuderunt: quod usque in hodiernum diem, in conviviis, & tabernis, histriones, & tibicines, instrumentis, & canticis, hanc pompam dignè efferre non sufficiunt nuptialem. Stetit autem inter eos multo tempore fœdus conjugalis amoris.*

Sed novissime, a discordiæ seminatoribus, Gunilda est apud Imperatorem, de crimine adulterii accusata. Oportebat ergo juxta consuetudinem regionis: ut Gunilda per duellum, contra accusatorem gygantea immensitatis hominem, famam suæ puritatis redimeret. Sed ex omnibus militibus, vel ministris, nec unus fuit inventus, qui cum illa ab Anglia venerant, qui auderet cum delatore congredi, propter horrendam corporis ejus deformitatem. Cumq; Gunilda angustiæ essent undique; puer quidam, quem ab Anglia secum duxerat, & in ejus thalamo educatus fuerat, qui nanus erat; & propter corporis parvitatem, Mimecan dicebatur; duellum pro Domina, quam per mendacium noverat accusatam, suscepit: & conserto prælio, cum gygante, per miraculum Dei, succiso delatoris poplite, ipsum enervavit. Quo ruente in terram, Mimecanus caput ejus abscidit; & illud suæ Dominæ præsentavit. Tunc imperatrix, & insperato gaudio [illegible] effecta triumpho: Imperatori repudium fecit [illegible] ultra, minis, aut blanditiis, vinci potuit, ut thorum ejus ascendere consentiret. Hæc omnia auth[illegible] quibus non illibenter fidem adhiberem orna[illegible]rémque Annales castissima conjuge: nisi [illegible] magis, quam vana sectarer: vera autem, non [illegible] conviviis, & tabernis; non ab histrione, aut ti[illegible] sed aliunde ab externis potius petenda sunt.

Dico igitur, externorum Authorum menti conformius esse, Gunildam, a patre Canuto, non ab Hardecanuto fratre, nuptui, si non traditam, desponsatam tamen; eo tempore, quo Conradus, & Canutus, Romæ convenerunt. [illegible], non alibi, Anglicani regni divitias a Canuto ostensas Urbi, & Orbi. paulo post, ut dicetur, Henricus, nondum Imperator, Gunildam conjugem

IV. De [illegible] Canuti [illegible]

V. [illegible] Gu. [illegible] NUPT[illegible] RELA[illegible]

jugem accepit: quæ nunquam maritum Imperatorem vidit. Authores autem, qui *Romanum Imperatorem* vocant, cum eam duxit; non strictè, sed amplè, intelligendi sunt. Dolendum porro Malmesburiensem quoque, accuratum hominem, cantilenæ prædictæ aurem dedisse, & poetarum licentiæ, de quo infra*. Audiendi ergò Baronius, & Urspergensis, qui Conradi, & Canuti congressum Romæ narrantes; ubi de Conradi filiis sermo *Primogenito* (inquit Baronius) *tunc nuptui traditam filiam Cnuti Regis Daniæ, & Angliæ, quem ... Canutum appellant, nomine Chunigundem*, *Urspergensis affirmat*. Quo hic Chunigundes appellatur, ab aliis Chunehildis, rectiùs dicitur. Hermannus cognomento Contractus, qui sub Henrico prædicto, hoc sæculo, floruit: Chunihildis, sive Gunildæ nostræ, tempora, accuratiùs quam Authores nostri, descripsit; nuptiarum, inquam & mortis annum: quæ quoniam in Germaniis contigerunt; illi potius, quam compitis, & triviis, & histrionibus nostris, credendum: præsertim cum Trithemius eum vocet, *in divinis scripturis eruditissimum, & in secularibus literis universaliter doctissimum, nulli suo tempore secundum*. Quod ergo ille, de Henrico, & ejus conjuge, ... oxvis, tradidit purioris fidei est, & Huntindonium illustrare potest, atque historicos nostros.

Malmesb. de Reg. l. ... c. 7.
* v. an. 1041. n. 1.
Baron. an. 1027. n. 1
Trithemius ... Hermanno

VI. GUNILDA ROMÆ PROMISSA, POSTEA HENRICO TRADITA.

Ex eo igitur, & Urspergensi, colligitur: cum Canutus Romæ Conradum convenit, tractavitque de nuptiis, anno Domini 1027. Henricum, Conradi filium, immaturæ adhuc ætatis fuisse, nec consummando matrimonio parem: Ita ergo tunc, in matrimonii leges itum; ut post annos aliquot, ex Anglia, Gunilda, ad sponsum mitteretur. Interim, quo solenniores essent nuptiæ; Henricus, Regis titulo ornaretur: ut Regis Canuti filia, Reginæ prærogativam, cum novo sponso, haberet. quod sequenti anno factum. Unde sic scripsit Hermannus: *Anno 1028. Henricus, filius Imperatoris, Aquisgrani, in die sancto Pascha, Rex à Principibus cunctis, adhuc puer, electus, à Philigrino Coloniensi Archiepiscopo unctus est*. Ita factum, priusquam Gunildæ consuetudine Henricus frueretur; quam ... a Canuti morte conjugem accepit. nam ... author, ad annum Christi millesimum trigesimum sextum, hæc habet: *Henricus Rex, filius Imperatoris, Chun ... idem Cnutonis Danorum, & Anglorum ... liam, ... gasibus sibi, apud Noviomagum, nuptiis copulatis uxorem*. Cæterùm hæc, Henrici Regis uxor, non diu superfuit, nec suspicionem ullam dare potuit læsæ fidei, aut pudicitiæ. nam post annum unum mortua; satis significat figmenta esse quæ de Mimecano nano, & Gigante, dicuntur. Hermannus ergo, cum Conradi Imperatoris exercitum, & infortunia quæ illi acciderant, narrat hæc habet de Chunihildis morte, ad annum Christi millesimum trigesimum octavum: *Imperator* (Conradum intelligit adhuc superstitem) *cum ulteriùs Rumanas partes peragrasset: indéque per Adriatici maris oras remearet: mense Iulio, ingens exercitum pestilentia invasit, & plurimos passim extinxit. Inter quos Chunihildis Regina, Henrici Regis uxor, decimo septimo Kalendas Augusti, defuncta ... ad castrum Linaburg translata, ibique sepulta est*.

Herman. in Chr. ad an. 1028
HENRICUS REX UNGITUR.
Herman ad an. 103

VII. UNDE DECEPTI AU-

Hæc ab authoribus nostris omissa; qui Insulam non egressi, in aliena Rep. curiosi esse noluerunt; placuit Annalibus nostris inserere, ut rerum veritas à vanitate, quæ velit umbra corpus sæpe sequitur, discernatur. Et quamvis (ut in picturis) videatur umbra corpus illustrare: fucum tamen aliquando facit, & intuentibus imponit, rerum similitudine: quæ sæpiùs incautos, & cautissimos quandóque fallit. Idem arbitror Gunildæ nostræ accidisse; quæ nomen, cum patria, mutans; primò Chunihildis, mox Chunigundes, appellata, Malmesburiensis narrationi, quam Florilegus ampliavit, probabilem colorem induxit. Nam sanctissima Virgo, & Imperatrix Chunigundes, Henrico primo nupta, & de pudicitia postulata, calumniam mirabiliter diluit, ignitos vomeres, nudo & illæso pede calcando. Quo miraculo probavit Deus matrimonii sanctitatem, & cum virorum consortio consistere posse virginem mentem. Henricus enim Primus, & Chunigundes ejus conjux, sui temporis Virginitatis & pudicitiæ miraculum fuerunt; quod rudis hominum intellectus capere noluit; donec eo argumento probatum. Hoc de his conjugibus testantur Annales omnes. Jam verò, si Chunihildis nostra, in Chunigundem transit, æque facile Henricus Primus, secundo supponitur: & tunc è verissima historia probabilis fabula nascitur; quam Mimicanus, & Gygas multò eloquentiùs, quam igniti vomeres, ornant. Cæterùm Chunigundes, Henrici primi; & Chunihildes nostra, secundi Henrici, conjuges, nomine, genere, patria, conjugio denique differentes, fuerunt. Et ab Huntindonio standum qui inter Canuti opera eleganter, & magnificè factas has Gunildæ nuptias recensuit. Quid hac in re senserit Malmesburiensis, iterum dicam inferiùs.*

THORES NOSTRI GUNILDAM CUM CHUNEGUNDE CONFUDERUNT.
* v. an. 1041. n. 3.

ANNUS CHRISTI 1036.

BENEDICTI IX PAPÆ 3.

HARALDI ANGLORUM REG. 1.

I. DIVERSA PROCERUM STUDIA IN REGE NOMINANDO.

ANNUS, qui sequitur, millesimus trigesimus sextus, initio toti Insulæ formidabilis, tempestatem minabatur, quam varia procerum studia, & popularium factiones auxerant: his pro Canuti tabulis; illis pro jure certantibus. Melior pars ibat in Ethelredi prolem, quæ adhuc in Normanniâ exulabat, & cui regnum, paterno, & avito jure, debebatur. Alii cùm cernerent pro illa frustra orari; Hardecanuto dederunt suffragium; qui natus in Angliâ, Canuti & Emmæ Reginæ filius erat, sine ullo dubio. Alii denique Haraldum, dubiæ originis, putatum tantummodo Canuti filium, in Regem levare conati sunt. Hinc bellum recrudescere, tumultibus omnia impleri, & exulceratis multorum animis, nihil in Insulâ tutum esse credebatur. & factum, ut à morte Canuti, ad sequentem usque annum, & publica Regni comitia; dilata disceptatio sit, & Regis electio. Cum interim quisque sibi, bonisque suis timens; se bonáque; in tutiora loca transferre; ibique rei exitum præstolari decrevit. Loca Deo, & religioni dedicata, omni Christianorum ævo, tutissima censebantur. eò provinciales

convolant, eò familiam, & supellectilem transferunt. ibi demum locorum sanctitate se tutos existimant. De hoc pietatis genere conqueritur Croylandensis Abbas, Ingulphus; dum monasterium suum populorum concursu gravatum ingemiscit: ita Canuti mortem, partium studia, & hujus temporis miseriam, recensens.

II. TIMETUR IN INSULA TUMULTUS. *Ingulf. f. 894.*

Cum Rex Canutus, in regno, ferè viginti annos perfecisset, obiit, & Wintoniæ sepelitur. Cujus duo filii, Haroldus, & Hardecnutus, tum de regno discrepantes, videbantur bellum maximum parturire. Nam Dani, & Londonienses, Haroldum [illegible] Northamptoniæ, sed diffamatum [illegible] filium Regis Cnuti [illegible] Angli verò, cum tota cætera terra, potius Edwardum, filium Regis Ethelredi, seu saltem Cnuti Regis filium Hardecnutum, ex Emma Regina genitum, eligebant. Hinc pæ terrore, hominum, ac mulierum multitudo maxima, cum suis parvulis, ac catallis omnibus mobilibus, ad Croylandiam concurrebat; sola suspicione belli supervenientis attracta, ad mariscorum uligines, & alneta, lutumq́ lacuum, tanquam castrum refugii fortissimum, arbitrati. Hi adventitii universum monasterium, multis querelis, & interpellationibus jugiter inquietabant: & tota die claustrum irruentes, de suis indigentiis dominos loci, cum blanditiis allicere in suum favorem; tam per servos monasterii, quam per se, assiduè in monachorum auribus incumbebant. Hinc monachi claustrum relinquentes vix ad divinum officium, in chorum, de dormitorio, ausi sunt descendere: vix ad communis mensæ participationem, in refectorium poterant convenire.

CONCURSUS CROYLANDIAM

WULFIŪ INDE FUGAT.

Maximè verò [illegible], anachoritam reclusum, apud clericos Pegalandenses angariabant, & perangariabant quem die, noctuq; de diversis negotiis consulentes, multis clamoribus, & invocationibus, eum tædere vitæ suæ compellebant. Ideo tandem fasciâ ligatis oculis ejus, Eveshamiam petiit: & ibidem juxta quandam capellam, in cella reclusus, huc usque resedit.

III. QUAMDIU WULFIUS ANACHORETA VIXIT. *Ingul. f. 892.*

Hic Wulfius, qui stationem suam relinquere cogitur, & fascia ligatis oculis, aliò tendere: dudum oculos mundo clauserat, & anachoresim suam apud Croylandenses consecrarat: de quo idem author hæc habet: *Brithmeri Abbatis anno quarto, veniens quidam devotissimus adolescens, ac valde generosus, de cognatione videlicet Leofrici Comitis Leicestriæ, nomine Wulfius, amore vitæ solitariæ, apud nos reclusus est, & multis annis sanctissime conversatur.* donec nimirum Canuto mortuo, quietem suam, irruentium negotiorum multitudine interruptam cerneret. Tunc Eveshamiam petiit, mansitque ad Ingulfi Abbatis tempora; quem è Normannia accitum Croylandiæ præfecit Guilielmus primus, sub annum Domini millesimum septuagesimum quartum. Mundum ergo, mundique blandimenta pessumdederat Wulfius, ab anno Christi millesimo vigesimo primo, hic quartus est Brithmeri Abbatis, per annos quinquaginta quatuor. Adeo Deo frui, quo hic in ænigmate contemplari, sanctis viris jucundum fuit: quo qui simul fruitur in æternum perfrui, multo conatu anlaborat. sed ad Canuti filios, pro alia corona disputantes, redeo.

IV. CONVENTUS OXONIENSIS DE IURE REGNI.

Non potuerunt disceptantium jura decidi; nisi communi procerum conventu: qui eam ob causam Oxonium vocati, de Hardecanuto & Haraldo sententiam dixere. Quid ibi factum Hoveden narrat: *Defuncto Cnutone Rege potentissimo; convenerunt apud Oxoniam, ad colloquium proceres regni: ut de novo Rege creando tractarent iisdem. Ibi Consul Leofricus, & omnes Danorum Principes, cum Londonensibus elegerunt Haraldum filium Cnutonis, ex concubina Algiva generatum. Sed Godwinus, Comes Cantiæ, cum Principibus [illegible] Saxoniæ contradixerunt, maluerunt Harde-Canutum filium Cnutonis, ex Emma Regina; [illegible] unum [illegible] Regis Æthelredi & ejusdem [illegible] mina, qui in Normannia morabantur [illegible] quoniam Hardecanutus [illegible] erat tunc in Dacia. Ælfredus, & Edwardus [illegible] Æthelredi [illegible] in Normannia. Prævaluit [illegible] Haraldi, [illegible] diademate insignitus, [illegible] fortiam sustinavit [illegible]* Ita ille. Alii tamen [illegible] aliter conclusum, & Hardecanutum, [illegible] hoc anno reversum, regni parti ipsum [illegible] affirmant [illegible] Daniam ub[illegible] regnabat, [illegible] tum demum Hardecanutus Ar[illegible] in patum præsumpti[illegible] vit hujus [illegible] narrat, [illegible] *regnum ante Angliæ, divisum inter duos germanos fratres [illegible] nutus, Australes provincias ultra Tamesim fluv[illegible] Haroldus Boreales cum Londoniis, totam [illegible] citra dictum fluvium, accepit. Hardecnutus [illegible] accepta portione sua, Danemarchiam adibat [illegible] moras diutius justo tunc trahebat, Haroldus in Regem per totam Angliam elevatur.*

Quidquid sit, exordium regni Haraldi, [illegible] annum consignatur: Qui forte a Londoniensibus electus est [illegible], quàm [illegible] Dania Hardecanutus reverteretur. nam ita Malmesburiensis: *Anno [illegible] mini à Incarnatione millesimo tri[illegible]simo [illegible] Haroldus, quem fama filium Cnutonis, ex filia [illegible] Comitis loquebatur, regnavit annis quatuor, [illegible] tidem mensibus. Elegerunt eum Dani, & Londonia cives, qui jam pene in barbarorum mores, propter frequentem convictum transierant. Angli [illegible] runt; magis [illegible] Ethelredi, qui in Normannia, vel Hardecnutum [illegible] Cnutonis, ex [illegible] qui tunc in Danamarchia erat, Regem habere vol[illegible] Maximus tunc pugnator [illegible] fuit [illegible] qui etiam pupillorum tutorem se [illegible] Reginam Emmam, & Regias gazas, custodiens [illegible] bonæ nominis aliquamdiu [illegible] Sed tandem [illegible] numero impar, cessit violentiæ.* [illegible] quicquid in Haraldi electione dissidii est inter [illegible] thores, hoc modo conciliare videtur. *Haraldus,* inquit, *filius Cnut Regis, & [*] Alsiva filia Al[illegible] electus est in Regem. Fuit namque placitum magnum apud Oxenford: ubi Lefricus Consul, & omnes [illegible] cipes in Boreali parte Thamesis cum Londoniis [illegible] elegerunt Haraldum, ut conservaret regnum fratri suo Hardecnut, qui erat in Dacia. Godwinus Consul, pater Haraldi postea Regis, & [illegible] West-Sexe ceperunt contradicere: sed [illegible] Consilium ergo inierunt, quod Emma Regina [illegible] Regis defuncti familia conservarent West[illegible] ap Wintecestre, in opus filii sui: Godwinus [illegible], dux eis esset, in re militari.*

Non minùs in altera, & sacratiore Rep[illegible] disputatum est; an Haraldus corona inaugurandus esset. Id enim cum ad Episcopo[illegible] spectaret, & Cantuariensem Primatem; illi n[illegible] aut Danorum importunis precibus, aut [illegible] nentium in pejus mutatis moribus [illegible] Unde quicquid dixerit supra Flori[illegible] dum *diademate insignitum*, dubitant [illegible] an ab Episcopi manu illud acceperit. [illegible]

V

Alvivæ

adhuc

adhuc Cantuariæ sedebat, vir vitæ integerrimæ, & constantis fidei; qui conscius Canuti mentis, atque consilii; conscius etiam promissorum, cùm Emmam uxorem duxit: noluit Haraldo manum imponere. Quod ita Cantuariensis Archidiaconus, Harpesfeldus narrat; Ethelnothum pro merito laudans; & Canutum, qui eum coluit. *Summoperè*, inquit, *Ethelnothum hunc Rex Canutus, tum quòd ab eo regia corona redimitus esset; tum propter hominis præstantes dotes (ob quas Æthelnothus bonus vulgò appellatus est) complexus est, atque coluit. Neque ille rursus suo, vel in gratiis, vel in gratia, materno præsertim referenda, officio defuit. Convenit Canutus, cum Emmam uxorem sibi conjungeret, cum ea; religioseq; promisit: nolle se quempiam, ex aliis suis liberis; quamdiu sibi superessent, ex Emma liberi, successorem sibi in regno designare. Eo tamen defuncto, per studium partium; & quia comparari solet, ut præsentes facile regnum; quod aliis, sed absentibus, debetur; sibi per subreptionem intercipiant, in regni administrationem Haraldus se ingessit. Accuratis igitur precibus, cum Æthelnotho Cantuariensi egit, ut diademate regio, ab eo de more insigniretur. Hoc quasi firmamento quodam, res suas, non satis adhuc firmas, & solidas, muniturus.*

Harpesfeld. sæc. 11. c. 10.

VII. AGELNOTHI CONSTANTIA IN FIDE SERVANDA.

Restitit Æthelnothus, & religiosa attestatione palam professus est, vivo Emmæ filio, nemini hominum aliorum, suffragia sua se daturum aut benedictione sua, regiaq; corona ornaturum. Hos, inquit, mihi Canutus moriturus, meaq; fidei commisit: quam ego nunquam fallam. Moxq; sumptum diadema, cum sceptro altari imposuit: Episcoposq; execratione devovit: si quisquam ea illi traderet. Denuntiat præterea Regi: nè sibi tantum arrogaret, ut ea ipse, quæ Deo, & sanctæ mensæ credidit: inde sua privatim authoritate tolleret. Hæc dicta, mirè animum ejus exulcerabant. Quare in omnem se partem versabat: nunc leniter blandiens, & ingentia officia, atque munera amplissimis verbis pollicitus: nunc gravibus minis hominem, sed frustra territans. Utrum postea, & à quo sit diademate redimitus, nihil reperio. Hæc omnia Harpesfeldus. Quæ multo probabiliora sunt iis, quæ Britannicarum Antiquitatum inaccuratus author scribit, de Agelnotho: *Ejus Archiepiscopatus in hoc felix fuit, quod Regem Canutum bonis artibus instruxit. Deinde quòd duos ejusdem Canuti liberos, primò Haroldum, deinde Hardecanutum, consecravit: Canuti memor, qui hujus boni Archiepiscopi dictis semper acquievit.* Hæc, inquam, tam ab omnium Annalium, quàm Author, à majorum suorum fide, aliena sunt. Ethelnothus enim (ut author fatetur) moritur post annum sequentem, nimirum IV. Kalendas Novembris, anno 1038. de quo nemo dubitat. Haraldus quadriennio regnavit, & moritur anno 1040. ut omnes affirmant. nec priùs legitur Angliæ coronam gestasse. dubium ergo est, an Haraldum Ethelnothus consecrarit; certius Hardecanuto Regi manum non apposuisse; certissimum, Parkerum frequenter hallucinari, & falsum esse.

Antiq. Brit. fol. 95.

VIII. CUR HARALDUM EPISCOPI CORONARE NOLUERUNT.

Multa sunt, quæ Archiepiscopum, cognomento Bonum, à manus impositione arcere potuerunt: & illud imprimis, quod Haraldus, dubiæ originis, incertos natales haberet. quod ingens Anglicanæ coronæ dedecus, castissima Christi Ecclesia ferre non debuit. Ut enim matrimonii sanctitatem commendat, & honorat; ita vitio natos, & terræ filios, damnat ac reprobat: & quemadmodum eos à sacris arcet; ita coronam, quæ sacris proxima, in legitimæ prolis præjudicium, non patitur inficere. Et esto: Elsgiva mater, fuerit Canuti uxor legitima: & illa nobiles parentes habuerit, Elfhelmum Comitem, & Wulfrunam, lectissimam fœminam; quæ Hamptoniensem urbem, in Cornaviia, monasterio illustravit. Et, vel hanc ob causam, vel quòd locus ille in ejus patrimonio esset, oppido nomen suum dedit: Wulfrunæ Hampton, vulgò Wolver-Hampton.* Non immeritò tamen dubitatum est, an Haraldus ex eâ natus, an verò eidem suppositus fuerit: de quo ita Wigorniensis. *Haraldus verò dixit se filium esse Canuti Regis, & Northamtunensis* (rectiùs Hovedenus, Hamtunensis) *Alfgivæ: licet id verum esset minimè. Dicunt enim nonnulli, filium cujusdam sutoris illum fuisse: sed Alfgivam, eodem modo, de illo fecisse, quo de Suano fertur* egisse. Nos verò, quia res in dubio agitur, de neutrorum genitura quid certi scivimus definire.* Ita ille. Certi ergò, & indubii filiorum Canuti natales; dubios præcedere debuerunt: præsertim, judice Ecclesia, penes quam de matrimonii jure, & legitima prole, arbitrium est. Cæterùm, quia tam antiqui, quàm recentiores, Ethelnotho dederunt cognomen, Boni: fortè non aliam ob causam ita factum; quàm quia pro legitimo hæredis jure, constanter dixerit, & fortiter fecerit. Quod Godwinus Cantii Comes ejus exemplo, incepit quidem; sed turpiter deficiens, non perfecit: ut mox dicetur.

WOLVERHAMPTON UNDE DICTA
Wigorn. an. 1035.

Vix coronam Haraldus præsumpserat cum vitiosæ originis argumenta dedit; nam à Regum nostrorum pietate degener, & promissorum, quæ Egelnotho dederat, immemor, festinato in Occidentem contendens, *misit Wintoniam suos constipulatores* (ita loquitur Wigorniensis) *celerrimè, & gazarum opumq;, quas Rex Canutus, *Alfgivæ reliquerat Reginæ, majorem melioremq; partem ademit illi tyrannice; spoliatamq; dimisit ibidem, ut cœperat, residere, atque consentientibus quam plurimis majoribus natu Angliæ; quasi justus heres cœpit regnare: nec tamen ita potenter ut Canutus; quia justior heres expectabatur Hardecanutus.* Ita ille: qui & subdit, versa esse civium studia: & regnum inter duos ea sorte divisum; ut in Septentrione Haraldus: in Australibus regnaret Hardecanutus. Cujus tamen absentia brevi factum, ut omnia in unum Haraldum resederint. Unde colligitur, Ethelnothum non ita festinatò (ut innuit Florilegus) Haraldum coronasse. Qui cum sciret se pluribus candidatis, regnique competitoribus, obnoxium esse: eò studuit accuratiùs adeptam dignitatem tueri, quò, potentioribus rivalibus erat exposita. Sperabat enimvero Hardecanutum fratrem satis delusum iri, Australis regni titulo, nec plura quæsiturum. Alfredus ergo, & Edoardus, Emmæ, & Ethelredi filii, ambitioni ejus sudes erant paulò graviores; utpote paterno & avito jure, & Canuti etiam confessione, Reges. Adde, Normannorum Principes, apud quos tot annos egerant, non indormituros causæ: præsertim cum Emma mater, vigil fœmina, & novo irritata crimine, esset in Insula. Hæc Haraldum urgebant, dubium; expediretne præcipiti aliquo facinore, noxiam cupiditati suæ moram rumpere: vel certè, ut Canutus ante fecerat, civium animis suaviùs irrepere, eosque beneficiis demereri.

IX. HARALDUS IN REGINÆ VIDUÆ BONA INVOLAT.
* Emmam intellige.
Wigorn. suprà.

X. Godwinum Haraldus spe matrimonii ad se trahit.

Sed quia, ubi sceleris conscientia; ibi nunquam satis secura majestas: verebatur Haraldus lubrica (ut sunt) civium vota, nec ambitioni ejus paria. Godwinum itaque aggreditur, cui Cantium parebat: & spe forsan matrimonii (quo montes etiam quatiuntur) virum expugnat; qui prius pro Emma filiisque constanter steterat. Tum de proscribenda Emma consilium init; ratus minus nocituram, si procul esset. deerat solum justitiæ fucus, & imago aliqua, quam facile cudunt Principes; quibus peccandi libido est. Ingeniosè ergo fingit (ita Encomium Emmæ apud Spedum, Holinshedum, & alios) Emmæ nomine, literas ad Alfredum & Edoardum, filios, datas: quibus eos ad spem Insulæ potiundæ, cum excitasset; invitat ad reditum: promptos civium animos, eis, demum venientibus promptiores fore, pollicita, in hunc modum scribit:

apud Hollin. fol. 264.

Emma, tantum nomine Regina, filiis Edwardo, & Alfredo materna impertit salutamina.

Fictæ Literæ.

Dum Domini nostri Regis obitum separatim plangimus (Filii charissimi) dumque diatim, magis magisque, regno hereditatis vestræ privamini; miror quid capietis consilii; dum sciatis intermissionis vestræ dilationes, invasoris vestri imperii quotidiè soliditatem. Is enim incessanter vicos, & urbes circuit: & sibi amicos Principes muneribus, minis, & precibus facit. Sed unum è vobis super se mallet regnare, quam istius (qui nunc eis imperat) teneri ditione. Unde rogo, unus vestrum ad me velociter, & privatè veniat; ut salubre à me consilium accipiat: & sciat, quo pacto hoc negotium; quo voto, fieri debeat. Per præsentem quoque internuntium, quid super his facturi estis, remandate. Valete cordis mei viscera.

XI. Haraldi fraus.

Hoc scriptum, docto ad voluntatem suam bajulo, Haraldus tradit; jubetque in omnibus, Emmæ numen, & nomen mentiri. Nec ille Regem fefellit, Regiæ proli fallissimus. Edoardus ergo & Alfredus, parentis, ut putabant, literis animati, rati etiam serenum in patria cœlum fore; referunt se brevi provincialium votis adfuturos. Quod ubi Haraldus intellexit, jubet observari litora; & Godwinum Cantii comitem, in prædam excubare. Quid inde à Regia prole factum variant Authores. Quidam, utramque in Angliam separatim venisse, Alfredum in Cantium, armata manu; Edoardum in Occidentem descendisse affirmant; sed utrimque, conatu irrito. Alii Alfredum tantummodo memorant, officiosè primùm, inde à Godwino Comite, pessimè exceptum: Edoardo in Normannia remanente. Utriusque expeditionem ita narrat Thomas Walsingamus: & idem iisdem verbis Guihelmus Gemiticensis: *Cnuti diu cupitam mortem Edwardus Rex audiens, adhuc cum Duce degens: quantocius cum quadraginta navibus, milite plenis, superato mari, Hamptoniam appulit. Ubi innumerabilem Anglorum multitudinem, ad sui perniciem se opperientem offendit. Qui protinus congressus cum eis; non minimam partem ex illis orco transmisit. Ipse verò victor existens, ad naves est regressus, cum suis. Videns autem, non absque plurimo numero militum se posse regnum obtinere Anglorum; regiratis navium proris, Normanniam, cum præda magna, repetiit.* hactenus de Edoardo: sequitur de fratre ejus.

Narratio Walsingami de Emmæ liberis.

Walsing hyp Neust f 433. fine. Gemiticen. l. 6. c. 8.

XII. Alfredus in Angliam venit.

Interea frater ejus Alfredus, cum non parvi numeri bellatoribus, portum Whitsand petiit & inde transfretans, venit Doroberniam: & inde regni penetrans interiora, obviam habuit Comitem Godwinum. Quem idem Comes in sua fide suscipiens: inde traditoris vicem implevit in illo, sub nocte eadem. Nam libato pacis osculo, & cum percepto cibo, intempestæ noctis, manibus post terga ligatis, illum Haraldo Regi apud Londoniam, cum suorum nonnullis, destinavit. Milites autem suos, partim per Anglorum regionem distraxit; partim dedecorosè peremit. Quem Haraldus, ut vidit, mox ejus socios decapitari jussit. ipsumque, duci ad Eliensem Insulam; ibique, oculis privari mandavit. Sicque, nobilissimus vir, & optimus Alfredus, occubuit injustè peremptus. Idem de Alfredi morte referunt Authores cæteri, ad hunc annum millesimum trigesimum sextum: & sepulchri locum sic aperit Wigorniensis. *Godwinus, quorundam aliorum jussione*, inquit, *ad Insulam Elig, Clito Alfredus strictissimè vinctus ducitur. Sed ut terram navis applicuit: in ipsa mox eruti sunt oculi ejus cruentissimè: & sic ad monasterium ductus, monachis traditur custodiendus. Ubi brevi post tempore, de hac migravit luce: & in australi porticu, in occidentali parte Ecclesiæ, corpus ejus sepelitur, cum debito honore: anima verò paradisiaca fruitur amænitate.*

Officiosè primùm à Godwino excipitur.

Mox [illegible]

Wigorn.

ANNUS CHRISTI 1037.

BENEDICTI IX PAPÆ 4.

HARALDI ANGLORUM REG. 2.

I. Emma proscribitur.

SEquitur Christi annus millesimus trigesimus septimus: quo Haraldus vel cæsis, vel fugatis hostibus, in sede regni constantior fuit. Necessaria tamen Emmæ Reginæ proscriptio videbatur iis; qui etiam tuta omnia timent, & illam, fictæ jam fictæque literæ justam esse dicebant. Emma igitur, Haraldi sententia in exilium ejicitur, aqua & igni interdicta. Quæ in Belgicam profecta, gnitiùs à Balduino Comite, quàm domi, habetur; & Brugensi in Flandria castro donata, triennio ibi vixit. nimirum donec Hardecanutus filius rerum in Angliâ potiretur. Cur ad Edoardum filium, in Normanniam non iverit, illa ratio benè redditur: quòd Guilielmus Normannorum Dux, adhuc sub tutoribus, & minore ætate constitutus; Ducatus sui liberam potestatem non haberet. Addunt alii; Guilielmum juvenem, non in Normanniâ; sed apud Gallorum Regem, pueritiæ tyrocinium posuisse. Ita Huntindonius hujus anni gesta recenscos: *Haraldus Rex*, inquit, *exulavit Emmam Reginam, novercam scilicet suam. Quæ divertens ad Balduinum Consulem Flandriæ; accepit ab eo castrum Bruge: ut ibi, & inde, degeret. Willelmo namque, Normannorum Domino, adhuc in ætate puerili, cum Rege Francorum manente: Normannia fiscus regalis erat.*

Huntind. fol. 364 fin.

II. Haraldus classem parat ad arcendum hostem.

Defunctus, ut putabat, omni domestico periculo Haraldus, submotóque hoste: & ab uno tantum Edoardo cavens; qui regis ornatus virtutibus, illucescere cæperat: Hardecanutum minùs formidabat. Utrumque tamen, nova classe, ad omnem eventum parata, arcendum ab Insula decrevit.

Verùm

Verùm quod suis rebus firmamentum fore credebat: fuit ruinæ ejus occasio: Deo justissimè castigante Regum libidines, ipso plerumque libidinis instrumento. Nam classis illa, sine immenso sumptu parari, & instrui, non potuit: & sumptus ille, è bonis provincialium, & eorum quasi visceribus corradi, & extorqueri debuit: quod Haraldo; qui necdum civium animos (ut olim Canutus) sibi confirmaverat; non cessit è sententia. Nam promptiores inde facti sunt subditi, ad novi Principis desiderium. Et nisi Haraldum Deus, post unum alterúmve annum, vita exuisset: magna fuerunt argumenta, quod eum provinciales exuissent regno.

III. Hoc anno, Alfricus Eboracensis Episcopus insigne dedit pietatis argumentum, cum sancti Joannis Beverlacensis reliquias, cum honore extulit, & magno apparatu colendas exposuit: de quo hæc habet Harpesfeldus, cum Dei mirabilia, in dicto Sancto narrasset: *Ob hæc*, inquit, *& ejus generis alia insignia, ad memoriam S. Ioannis miracula patrata, Alfricus decimus septimus, post eum, Eboracensis Episcopus, trecentis sedecim annis post obitum illius, reliquias ejus in scrinio pretiose honorificéque collocavit octavo Kalendarum Novembris.* Supra dixi Joannem hunc sanctum cœlo donatum, anno 721. cui numero si annos addas sedecim & trecentos, exit hic annus 1037. Ut Alfricus pretiosam corpori thecam, & insigne Deó templum ornaverit, dicam eo anno quo Alfricus moritur, nimirum millesimo quinquagesimo primo.

Harpesfeld. sæc. 8. c. 22.

ANNUS CHRISTI 1038.

BENEDICTI IX. PAPÆ 5.

HARALDI ANGLORUM REG 3.

I. MORITUR ETHELNOTHUS CANTUARIENSIS.

Tertius Haraldi Regis annus, qui fuit Christi Redemptoris nostri millesimus trigesimus octavus; multorum, in Anglia, Episcoporum obitu funestus, & mortalis fuit. Moritur ergo, suo jure primo loco ponendus, Ethelnothus Cantuariensis; cui vita piè sanctéque acta, Boni cognomen dedit, & locum in nostro Martyrologio, ad trigesimum Octobris. de annis ejus Sedis, & loco sepulturæ, ita Parkerus: *Ipse Agelnothus*, inquit, *cum octodecim annis sedisset, quarto Kalendas Novembris, diem clausit extremum: & in Ecclesia Christi Cantuariensi sepultus jacet. Quo etiam anno crebræ fuerunt in Anglia mortes Episcoporum.* Quinam illi fuerint; ipse non nominat. Ego illos referam, cum Ethelnotho dedero successorem. de quo hæc habet Godwinus: *Eadsinus, Presbyter secularis, ab Haraldo Rege* (cui fuit à sacris) *ad Episcopatum Wintoniensem erectus est. unde anno millesimo trigesimo octavo, ut Cantuariensi Ecclesiæ Archiepiscopus præsit, assumitur. Quo quidem munere duodecim per annos functus est, si munere pastorali functus fuisse dicendus sit; qui propter adversam valetudinem tanto oneri impar, omnium rerum administrationem alteri demandavit.* Benè author Ethelnothi successorem nominat, nam Eadsinus, sive Eadsius communiter dicebatur: sed malè Parkerum ducem sequitur, relictis antiquioribus, qui eum, Wintoniensem Episcopum nunquam dixerunt. Fuit ergo ab Haraldi sacello, non à Sede Wintoniensi, ad primatum assumptus: & vivit adhuc Alfwinus, quem Alsio Wintoniensi successisse diximus, anno 1033. ut dictum ibi*. Quod non à Sede, sed à Sacello Regis ad Sedem transierit Cantuariensem, satis clarè significat Wigorniensis, cum ait: *Æthelnotho Regis Capellanus Eadsius, in Archiepiscopatum successit.*

Antiq. Brit. in Agelnotho.

Godwin. in Cantua.

EDSINUS SUCCEDIT.

** v. an. 1033. n. 6.*

Wigorn. hic.

II. ETHELRICUS SELESEIEN. MORITUR.

Australium Saxonum Episcopus Æthelricus, Ethelnotho in vita conjunctissimus, cum eo moriente, mori dudũ concupierat: & hoc eodem anno, votis fruitur. nam die septimo à morte Ethelnothi ipse Ethelnothum sequutus est. *Petierat enim à Deo*, inquit Wigorniensis, *ne post mortem dilectissimi sui patris Æthelnothi, in hac luce diu viveret.* Godwinus ergo rectè diem mortis & annum ita consignat: *Ethelricus*, inquit, *Hovedeno Agelricus, obiit Novembris quinto, millesimo trigesimo octavo.* Successorem habuit dubiæ satis famæ virum: qui curam animarum; quam viri sanctiores, ceu grave onus declinant; pecuniâ sibi inclinavit: qui una non contentus Sede, duas ambivit, duas emit, duas aliquamdiu possedit: utraque tandem exutus. De eo Malmesburiensis, dum agit de Episcopis Seleseiensibus: *Grimkatel*, inquit, *qui ejectus a Sede Orientalium Anglorum, quam emerat, etiam hanc pecunia emercatus, & obsedit.* Cæterùm quod dicit à Sede Orientalium Anglorum ejectum; significat Alfricum II. Helmhamensem Episcopum, hoc quoque anno obiisse. quod Wigorniensis, & Florilegus affirmant; & Grimkatellum ad Sedem illam ascendisse, Stigando ejecto, qui priùs electus fuerat: Unde alibi, idem Malmesburiensis Orientalium Anglorum Antistites recensens, cum duos Alfricos nominasset. Stigandum subjicit, sed ejectum. *Et pro auro*, inquit, *Grimketel electus, tenuit duas parochias, Orientalium Anglorum, & Australium Saxonum. Intercessu verò temporis, sic redditis rationibus Stigandus evaluit, ut sibi australium Saxonum Episcopatum restitueret, & Orientalium Anglorum, fratri Ethelmero acquireret.* sed hæc postea.

Idem suprà.

GRIMKATELIUS SUCCEDIT.

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 257.

ALFRICUS HELMHAMENSIS MORITUR.

SUCCEDIT GRIMKATELIUS STIGANDO EJECTO.

Idem suprà f. 238.

III. BRITEGUS WIGORNIEN. MORITUR.

Idem morti tributum solvit, hoc eodem anno, Brithegus, Wigorniensis Episcopus; de quo Godwinus in Catalogo: *Brithegus Wulstani ex sorore nepos, Abbas Parshorensis, decessit, Decembris vigesimo, millesimo trigesimo octavo.* Successit ad Ecclesiæ illius regimen, Livingus, qui & Cridiensis Episcopus; à Canuto nuper ad Sedem illam, ex Abbate Tavistochensi, assumptus. Qui etiam Cornubiensem præsulatum, Cridiensi Ecclesiæ dicitur univisse. Defuncto forsan Burwoldo, Livingi avunculo, qui in Cornubiensium Episcoporum serie ultimus numeratur, à Godwino*, ubi Exonienses Antistites recenset: quem alibi tamen idem Author Brithwaldum vocat. ubi ait: *Livingus, monachus primum Wintoniensis, Abbas postea Tavestokensis, Brithwaldi, S. Germani in Cornubia Episcopi nepos, &c. avunculo mortuo, diocesim ejus, suæ curavit adjiciendam: præterquam etiam Wigorniensem (ut videtur) ad mortem usque tenuit, postquam ad eam anno millesimo trigesimo octavo provectus est.* De eo plura inferiùs, hic tamen non omittendum, huoc ipsum Livingum, tot Episcopatuum onere gravem; Tavistokense monasterium, quod Danorum inundatione perierat, restaurasse; de quo Malmesburiensis, & nos suprà*: infra etiam dicemus ibi sepultum.

Godwin. in Wigorn.

SUCCEDIT LIVINGUS.

Godwin. in Exon.

Idem in Wigorn.

** v. an. 1046. n. 2.*

** v. an. 981. n. 2 & 997. n. 1.2.*

IV. Aliud hoc anno non occurrit, nisi Walthamensi Abbatiæ fundationem placeat huc referre; ut Catalogus ædium destructarum, apud Spedum clarè

Spedus in Essex.

WALTAMENSIS ABBATIÆ FUNDATIO.

consignat; hunc annum millesimum trigesimum octavum nominans. Sed cum ibidem dicatur extructa ab Haraldo ultimo: non potuit hunc Haraldum, nec hunc annum, indicasse. fundavit ergo illam, & sanctæ Cruci dicavit, Haraldus alter, Godwini Comitis filius; qui anno Domini millesimo sexagesimo sexto, post Edoardi sancti mortem, regnare potiùs voluit, quàm regnavit. Eò igitur celeberrimæ Abbatiæ referenda fundatio ut Camdenus innuit ita scribens: *Edwardus Confessor, Haraldo Comitis Godwini filio, hanc villam* (Waltham) *donavit. & protinus monasterium extractum est, quod Haraldi illius, & opus, & tumulus. Cum enim ad Regium fastigium, hominum errore, & sua ambitione, obrepsisset; hoc in sanctæ Crucis honorem posuit. in hoc vota, pro victoria, contra Normannos concepit. & statim ab illis; à matre, qua infimis precibus, à victore corpus impetraverat, in hoc tumulatus.* Cæterùm, & Haraldus hic senior, monasteria coluit; Croylandense inprimis, cui palu damentum, quo coronatus est, dedit. de quo Ingulfus: *Ipse* (Haraldus) *dedit monasterio nostro chlamydem coronationis suæ, de serico, aureisq; floribus intextam: quam postea secretarius commutavit in Cappam.* Libenter lego hæc Regiæ pietatis munera, Deo & Ecclesiis collata: præsertim cum unà colligo Orthodoxum & Catholicum ritum fuisse. nam hoc eodem anno millesimo trigesimo octavo Conradus Imperator Cassinense monasterium invisens; *ut Beati Benedicti cœnobium de servitute nequissimi Principis liberaret* (sunt verba Leonis Ostiensis, & Pandulphum intelligit Capuanum Principem) *ac devotissimè monachorum orationibus se commendans; posuit super altare Beati Benedicti, coopertorium purpureum, valde pretiosum, aureo phrygio ad mensuram palmi, in circuitu pulcherrimè ornatum.* Hæc est Fides Regia, quæ Deum, Sanctos, Ecclesiam, altaria honorat, & illustrat.

Camden. in Essex. — *Ingulf. f. 895* — HARALDUS IN MONASTERIA PIUS. — *Leo Ostien. apud Baron. hic n. 7.*

Quicquid sit, nobiliores Angli, in ea lite ceciderunt, quos enumerat Wigorniensis ita: *Eadwinum, Leofrici Comitis germanum, & nobiles Regis ministros Turkillum, & Alfgeatum. filium Ersii, multosq; cum eis viros occiderunt Wallenses.* Nec addit plura. *Wigorn. hic*

III. MORITUR BRITHMARUS LICHFELDENSIS. SUCCEDIT WULSIUS.

Moritur etiam, hoc anno. Lichfeldensis Episcopus, Brithmarus, qui ab anno Christi millesimo vigesimo primo Ecclesiam illam administrans, nunc Wulsio successori relinquit. de quo Hovedenus: *Anno,* inquit, *millesimo tr. gesimo nono, hiems extitit asperrima: Brithmarus Lichfeldensis Episcopus obiit: cui Vulsius successit.* Eundem annum ingressus, & egressus consignant Wigorniensis, & Florilegus.

ANNUS CHRISTI 1039.

BENEDICTI IX. PAPÆ 6.

HARALDI ANGLORUM REG. 4.

I. HARDICANUTUS ET EDOARDUS MATREM INVISUNT.

EXULABAT in Belgio, & Brugensi castro, Emma duorum Regum conjux, & ex utroque mater, anno millesimo trigesimo nono: cum officii causa Hardicanutus filius, eam invisit, mansitque cum ea aliquamdiu. Nec minor in eo genere pietatis, Edoardus filiorum alter; qui è Normannia faciliori compendio potuit matrem consolari, & miseriarum communione levamentum esse. De priore sic scribit Florilegus: *Anno gratia millesimo trigesimo nono, Hardecnutus, Rex Danorum, ad Emmam Reginam, matrem suam, in Flandriam devectus; cum ipsa apud Brigges moram fecit.* Idem ad eundem annum significat Wigorniensis cum ait: *Hardecanutus Rex Danorum, Flandriam devectus, ad matrem suam Alfgivam venit.* Emma enim ita sæpè ab Authoribus appellatur. Hæc foris.

VVestm. hic. — *Wigorn. hic.*

II. TUMULTUS IN WALLIA.

Domi, Britannos inter, & Saxones, turbarum aliquid, hoc eodem tempore, Authores referunt: sed paucorum morte secuta serenitas. Fortè devictus populus, nimiùm, ut fit, à potentioribus premebatur: vel ille exasperans in Haraldum provincialium animis, emergere è servitute conatus est.

ANNUS CHRISTI 1040.

BENEDICTI IX. PAPÆ 7.

HARDICANUTI ANGL. REGIS 1.

I. HARALDUS REX MORITUR.

HARALDUS, ubi annos quatuor, totidemque menses, cum fratrum injuria, regnasset; nullo civium applausu; Oxonii moritur, anno millesimo quadragesimo, mense Aprili: & in monasterio; quod ad Occidentem Londinensis urbis est, indéque appellatur; sepulturam & requiem accipit non admodum diuturnam. Nam ejus successor Hardicanutus, Canuti ex Emma filius, quem viventem non potuit adoriri, aggressus est mortuum: *& per Alphricum Eboracensem Archiepiscopum & alios quos piget nominare* (ita Malmesburiensis) *Haroldi cadavere effosso, caput truncari, & miserando mortalibus exemplo, in Tamesim projici jussit. Id à quodam piscatore exceptum sagena; in cæmiterio Danorum Londonia tumulatur.* Nimirum ad sancti Clementis Ecclesiam, quam Danorum fuisse, plures opinantur. sed coronam Hardicanuto priusquam scelera, imponamus.

Stow. Urbanus.

II. HARDICANUTUS REGNAT.

Erat ferè Danorum epocha absoluta, & biennium tantummodo restabat, cum Hardecanutus successit; Haraldo quidem justior regni heres: tum quia Emmæ filius; tum quia dictus à Canuto Patre Rex: sed Edoardo inferior, quem, authore Deo, utriusque felicitatis corona manebat. Itaque Haraldo mortuo, cum Hardicanutus in vicino Belgio Brugis ageret, communi civium suffragio, & procerum ferè omnium, in Regem eligitur: Tum missis ad eum boni nuntii legatis, ab Anglis cum gaudio excipitur. Sed breve gaudium Regi, subditisque. Ille coronam non diu gestavit: isti nunquam benè gestatam arbitrati sunt: nam ita censuit Wigorniensis, & hunc annum auspicatur. *Haraldus Rex Anglorum obiit Lundonia, & in Westmonasterio sepelitur. Quo sepulto, proceres ferè totius Angliæ, legatos ad Hardecanutum Bricgas ubi cum matre sua morabatur mittentes, & se bene facere putantes, rogaverunt illum, ut Angliam veniret, & sceptra regni susciperet. Qui navibus sexaginta paratis, & Danicis militibus instructis, ante mediam æstatem in Angliam venit, & gaudenter ab omnibus suscipitur; regniq; solio mox sublimatur: sed sui imperii tempore nihil egit dignum potestate Regia.* Ita ille. Ab Egelnotho coronatum esse, suprà dixit Parkerus: sed id rejectum. & multò rectiùs Matthæus Westmonasteriensis, qui ita de eo: *Media æstate venit in Angliam, & gratanter ab omnibus susceptus, ab Eadsio Cantuariensi Archiepiscopo, in Regem est consecratus.*

Wigorn. hic. — AB EDSIO CORONATUS. *Westm. hic.*

III. PALLIUM A BENEDICTO ACCEPIT EDSIUS. *Antiq. Brit fol. 95. fine.*

Hic Eadsius paulo antea Romam iverat; ubi pallium, potestatis suæ prærogativam, accepit à Romano Pontifice: & tum eo usus, cum Hardicanutum unxit, & coronavit. Fallitur ergo Britannicarum Antiquitatum cusor Parkerus, ita de Edsino scribens: *Ad Cantuariensem Archiepiscopatum postulatus, & expetitus; ab Alexandro Papa pallium accepit, regnante Hardicanuto, Haraldi fratre.* Fallitur, inquam, quia nunquam, aut vivente Edsino, aut regnante Hardicanuto, Alexander aliquis Romæ sedit. Benedictus ergo Edsio pallium: Edsius Hardicanuto, coronam dedit. Sed coronâ malè usus est novus Princeps: ita enim pergit Wigorniensis, cum dixisset eum imperii sui tempore, nihil egisse dignum potestate Regiâ.

Wigorn. hic. HARDICANUTI CRUDELITAS IN HARALDUM MORTUUM.

Nam mox, inquit, *ut regnare cepit; injuriarum quas vel sibi, vel sua genitrici suus Antecessor fecerat, Rex Haraldus, qui frater suus putabatur, non immemor: Alfricum Eboracensem Archiepiscopum, Godvvinum Comitem, Stir majorem domus, Edricum dispensatorem, Throndum suum carnificem, & alios magna dignitatis viros, Lundoniam misit: & ipsius Haraldi corpus effodere, & in gronnam projicere jussit. Quod cum projectum fuisset; id extrahere, & in flumen Thamesis mandavit projicere. Brevi autem post tempore, a quodam piscatore captum est: & ad Danos allatum, sub festinatione, in cœmeterio quod habuerunt Lundonia sepultum est ab ipsis, cum honore.*

IV. Non erat regium, tam imperanter injuriam ulcisci; nedum in mortuum sævire. Nec ibi stetit novi Principis cupiditas. nam ipso regni principio, gravissimum onus imposuit civibus; quorum animos, largitione potiùs, debuisset demereri. *Octo marcas* (loquitur idem qui suprà) *unicuique sua classis remigi; & duodecim unicuique gubernatori, de tota Anglia pracepit pendi: tributum videlicet tam grave, ut vix aliquis id posset persolvere. Quapropter omnibus, qui prius adventum ejus desiderabant magnopere, factus est exosus summopere.* Adeo vulgi studia variantur, & inconstantia sunt; adeo etiam Hardicanutus imperitè ad regnum accessit: *quod* ait Seneca *beneficiis meliùs custoditur, quàm armis.* Quod si voluit *militem* suum *donis* (ut Augustus) delinire, debuisset etiam ut ipse, populum annona, cunctos dulcedine, ad amorem sui; benevolentiamque pellicere. Nam hujusmodi humanitas optimum servitutis instrumentum est. Sed nulla illi de populo cura: unde populi tumultibus assuetus: provinciæ pacem turbavit: quod ita narrat Malmesburiensis: *Tributum inexorabile, & importabile, Hardicanutus Anglia imposuit, ut classiarius suis, per singulas naves viginti marcas, ex pollicito pensitaret. Quod dum importunè per Angliam, exigitur; duo infestius hoc munus exequentes, à Wigornia civibus extincti sunt. Quapropter, per Comites suos, urbe incensa & depopulata, fortunisque civium abrasis; contumeliam fama, & amori suo detrimentum ingessit.* Sed de his, pluribus anno sequenti.

Senec. de benef. l. 12. *Tac. l. 1. Annal.* *Malmesb de Reg. l. 2. c. 12*

V. Nec minus regni ejus exordia obscuravit arrogantia in Ecclesiam; cum Infulas, ad subsellium suum trahere; de Episcoporum Sedibus disponere; hos premere, illos efferre, præsumpsit, specie pietatis. Alfredi fratris mortem, si debitè vindicasset, laudem: si indebitè, aut pecuniarum potius cupidine, quàm impetu mel re, vituperium sine dubio meruisset. Inter ejus opera, non digna potestate regia, Wigorniensis hoc numerat, quod, pro vindicanda Alfredi nece, gessit Hardicanutus in hunc modum. *Adhac etiam pro nece sui fratris Alfredi* (inquit) *adversus Godvvinum Comitem, & Wigorniensem Episcopum Livingum: accusantibus illos Alfrico Eboracensi Archiepiscopo; & quibusdam aliis, exarsit ira magna. Idcircò Episcopatum Wigorniensem Livingo abstulit, & Alfrico dedit: sed sequenti anno, ablatum Alfrico, Livingo secum pacificato, benignè reddidit. Godvvinus autem Regi, pro sua amicitia, dedit trierem fabrefactam, caput deauratum habentem, armamentis optimis instructam, decoris armis, electisque octo militibus decoratam. quorum unusquisque habebat duas in suis brachiis aureas armillas, sedecim uncias pendentes, loricam trilicem indutam, in capite cassidem, ex parte deauratam, gladium deauratis capulis renibus accinctum: Danicam securim, auro argentoque redimitam, in sinistro humero pendentem, in manu sinistra clypeum: cujus umbo claviq; erant deaurati: in dextra lanceam, qua lingua Anglorum, Alegar appellatur. Insuper etiam, non sui consilii, nec sua voluntatis fuisse, quòd frater ejus necatus fuisset: sed Dominum suum Regem Haraldum, illum facere, quod fecit, jussisse: cum totius ferè Anglia Principibus, & Ministris dignioribus, Regi juravit.*

HARDICANUTUS IN ECCLESIAM PRÆSUMIT.

ANNUS CHRISTI 1041.

BENEDICTI IX. PAPÆ 8.

HARDICANUTI ANGL. REG. 2.

I. TUMULTUS WIGORNIÆ EXCITATUS. *Hoved. hic.* *Camden. in Wigornia.*

ANNO Christi millesimo quadragesimo primo, contigit tragicus ille tumultus, quem paucis supra Malmesburiensis exposuit; & latiùs ita refert è Wigorniensi Hovedenus. *Anno millesimo quadragesimo primo, Rex Anglorum Hardecanutus, suos huscarlas misit per omnes provincias regni sui, ad exigendum quod indixerat tributum.* Florilegus hos huscarlas, Regis ministros vocat; & Camdenus, ex etymologia nominis (ut videtur) *domesticos Danici tributi exactores*: qui insolentiùs quàm par erat, pensi solutionem prementes, causa tumultuum fuerunt. *Ex quibus*, inquit Hovedenus, *duos; Feader, scilicet, & Thurstanum, Wigornienses provinciales cum civibus, exorta seditione, in cujusdam turris, Wigorniensis monasterii solario: quò celandi causâ confugerant, quarto nonas Maii, feria secunda peremerunt. Unde Rex ira commotus, ob ultionem necis illorum, Thure mediterraneorum, Leofricum Merciorum, Godvvinum West-Saxonum, Sivvardum Northumbrorum, Romeinum Magesetensium, & caeteros totius Anglia Comites, omnésque ferè suos huscarlas, cum magno exercitu, Alfrico adhuc Wigorniensem pontificatum tenente, illò misit: mandans ut omnes viros, si possent, occiderent; civitatem deprædatam incenderent, totamque provinciam devastarent. Qui paulò post festum omnium Sanctorum, & urbem, & provinciam vastare ceperunt: idque per quatuor dies agere non cessaverunt: sed paucos e civibus, vel provincialibus ceperunt, aut occiderunt. Quod praecognito adventu eorum, provinciales quoquò locorum fugerunt: civium verò multitudo, in quandam modicam Insulam, in medio Sabrinæ fluminis sitam, quæ Beverege nuncupatur, confugerant: & munitione facta, tam viriliter se adversus suos inimicos defenderunt: quoad pace recuperata, liberè*

OCCISIS REGIS EXACTORIBUS.

AB HARDICANUTO VINDICATUR.

domum liceret eos redire. Quinta igitur die, à civitate cremata, unusquisque cum magna præda redi it in sua: & Regis statum ita quievit.

II. HARDICANUTI REGIS OPERA PIA. *Antiq. Glast. f. 82.*

Possumus tamen aliqua pietatis opera, & Regiæ Fidei certissima somina, in hoc audaci Principe (ideo Hardicanutum Authores dictum volunt) invenire. nam indubiè Sanctos, monasteria, Ecclesiam coluit. Dedit Agelwardo Abbati Glastoniensi scrinium, in quo B. Benigni corpus nunc requiescit, inquit Malmesberiensis. Edmundum Regem, & Martyrem eximiè veneratus est; qui Danos, & Danorum Regem Swanum mirabiliter terruit. Eum propterea non Canutus modò, sed & ejus filius, vario genere pietatis placandum, & demerendum suscepit. Hinc Harpesfeldus, cum Canutum dixisset, in Edmundi Regis cœnobium, multa profudisse, addit: *Solebant antiquitùs Reges diadema suum, eò mittere. Confirmavit & auxit Patris munificentiam, ad suggestionem Egelnothi Cantuariensis, Alfrici, Hardecanutus.* (nimirum scripto Diplomate, quod incipit *In nomine Sanctæ Trinitatis*, &c.) *cui regio Diplomati* (inquit idem) *Episcopi & proceres, cum Emma matre subscripsere.* Quod putet Harpesfeldus Egelnothum Cantuariensem Hardicanuto suggessisse pietatem hanc; sequutus in eo videtur Manuscriptum, quod citat Spelmannus, ubi hæc habentur: *Illustris Rex Hardicanutus, prædicti Canuti Regis filius, heres & successor: ac sui patris vestigiorum devotus imitator,* &c. *cum laude & favore Ægelnod Dorobernensis, nunc Cantuariensis, & Alfrici Eboracensis Episcoporum, aliorumq́; Episcoporum Suffraganeorum, nec non cunctorum regni sui mundanorum Principum, descriptum constituit, roboravitq́; preceptum.* Intelligit, opinor, M.S. hoc, prædictum Diploma. Cui tamen subscribere non potuit Egelnothus Pontifex; quia dudum vita & Sede decesserat. Unde benè excipit idem Spelmannus contra Manuscriptum, & ait: *Errasse certum est authorem istum, dum Ægelnothum, Cantuariæ Archiepiscopum facit, sub tempore regni Hardicanuti Regis: cum mortuo Ægelnotho, Eadsius id fastigium per biennium, jam antea tenuisset: si Fastorum sana sit fides, & Matthæi Westmonasteriensis, qui Hadicanutum ab eodem Eadsio coronatum refert.* Ita ille: qui paullò post, nimirum ad annum Domini millesimum quadragesimum, vel millesimum quadragesimum primum; *Concilium* ponit *sub Rege Canuto audaci, vulgò Hardicanuti præsentibus . . . . . Dorobernensi, & Alfrico Eboracensi, archiepiscopis Suffraganeis*, &c. *In quo immunitates monasterii de Burgo sancti Edmundi confirmantur.* Noluit Archiepiscopi Cantuariensis nomen adjicere; ut M.S. suggerebat: potuisset tamen ejus loco Edsium substituere: quia prius dixerat; *certum est*, alium non fuisse.

EDMUNDUM SANCTUM VENERATUS, DIPLOMATE CŒNOBIUM CONFIRMAT. *Harpesfeld. sæc. 11. c. 17.*

Spelman. fol. 534.

III. ITERUM DE GUNILDÆ NUPTIIS. * *v. an. 1035. n. 3. 4. 5.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 12.

Hic passim Authores, inter pia Hardicanuti facinora; latè satis explicant; ut Gunildæ sororis nuptias, magno apparatu promoverit, & Imperatori Henrico II. conjunxerit. Ego illud suprà* discussi, Westmonasteriensem hallucinatum dixi: & id non in filii, sed Canuti parentis, laudibus posui. Sed quia, eo antiquiores idem affirmant, & qui præcipuæ authoritatis est, Malmesburiensis; volo illum hoc loco referre. *Hardicanutus juvenis*, inquit, *egregiam pietatem animi, in fratrem, & sororem ostendit. Germanum enim Edwardum, annosæ peregrinationis tædio, & spe fratrum necessitudinis, natale solum revisentem obvius, ut aiunt, manibus excipiens, indulgentissimè retinuit. Gunildam sororem, filiam Cnutonis, ex Emma, spectatissimæ speciei puellam, a multis procis, tempore patris, suspiratam, nec impetratam: Henrico Imperatori Alemannorum nuptum misit. Celebris illa pompa nuptialis fuit, & nostro etiam sæculo, etiam in triviis cantitata. Dum tanti nominis Virgo ad navem duceretur stipantibus omnibus Angliæ proceribus, & in expensas conferentibus, quicquid absconderet, vel marsupium publicum, vel ærarium regium. Ita ad sponsum perveniens, multo tempore fœdus conjugale fovit, Postremò adulterii accusata, puerulum quendam, fratris sui alumnum, quem secum ex Anglia duxerat, delatori gigantea molis homini ad monomachiam opposuit cæteris clientibus, inerti timore refugientibus. Itaque confecto duello, per miraculum Dei, ou simulator succiso poplite enervatur. Gunildis insperato triumpho tripudians, viro repudium dedit: nec ultra minis, aut delinimentis, adduci potuit; ut thalamo illius con[cur]ret: sed velum sanctimonialium accipiens, in Dei s[er]vitio placido consenuit otio.* Hæc ille: quem Authores nostri passim, ad hunc annum sequuntur.

EDOARDUM BENIGNE EXCEPIT HARDICANUTUS.

IV. EXCUTITUR ... MERIANUS.

Quid de summa narrationis hujus sentiam, dixi suprà*: hic aliquibus circumstantiis lucem adferam; quæ rei veritatem; quæ tempora, & annos metiendo, maximè cernitur; aperiat. Chunegundes Imperatrix, quam Catholicus orbis sanctam veneratur, moritur anno Domini millesimo quadragesimo: & implevit provincias omnes opinione sanctitatis: illa Henrico nupta, de castitate postulata, mirabiliter defensa, Virgo perpetua, postremò etiam inter moniales professa, Bambergæ sepelitur. Hinc, opinor, ortum, ut Authores nostri, ad annum Domini millesimum quadragesimum primum, cum legunt Chunigundem commendari, sciantque Gunildam nostram, ita à Germanis scriptoribus appellari, & Henrico nuptam, qui hoc anno imperavit: veniali satis errore, decipi potuerunt: & revera (adhuc mihi consto) vel decepti fuerunt: vel duas oportet Chunigundes dicere falsò accusatas, Deo arbitro absolutas, monasticè indutas, sanctè mortuas. Sed ego non libenter miracula accumulo: audio potius Germaniæ scriptores, pro sua Rep. loquentes. Illi imprimis, Chunihildis nostræ nuptias ad priora tempora referunt, annum datæ acceptæque fidei enuntiant; mortem denique, priusquam Henricus imperii coronam induerit. ut suprà dixi ex Hermanno Contracto, qui potuit omnia oculis lustrasse. & præter dicta: Sigebertus in Chronico, ad annum Domini millesimum trigesimum quintum: *Henricus Rex*, inquit, *filius Conradi, uxorem ducit filiam Regis Anglorum.* Centuriatores etiam (è quorum officina vix aliquid accuratum prodit) *Henricus tertius*, inquiunt, *vivente Patre duxerat filiam Regis Anglorum.* & licet addant, suspectam postea filiæ pudicitiam; satis tamen innuunt, nuptialem apparatum, Hardicanuti tempore non fuisse. Nisi fortè, dixeris celebratas esse nuptias; cum ipse Danorum Rex, in Germaniarum confinio esset, easque præsentia sua, & regio more honestaverit, jussu parentis. Cæterùm quod dicit Malmesburiensis: *Multo tempore, Henricum & Gunildam, fœdus conjugale fovisse.* Hermanno contradicit, qui anno millesimo trigesimo octavo, ait: *Henrici Regis uxor, 17. Kalendas Augusti defuncta, & ad castrum Linaburg translata, ibiq́; sepulta est.*

Sigebertus in Chron. an. 1035.

Cent. 11. 545.

Herman. ad an. 1038.

V. Spedus in Canuto, n. 24. Num Gunilda monialis, et ibi sepulta.

Quod hic nostrates aliqui * asserunt; Gunildam, monialis vestem in Brugensi urbe, Flandriæ oppido, accepisse: & sepultam esse, in Collegiata Ecclesia, sancto Donatiano sacra, ad portam templi Septemtrionalem; ibique ad hodiernum diem extare monumentum ejus: cupio id doceri certioribus argumentis. Interim vereor, ne magna Chunigundes, Henrici secundi conjux, Bambergæ sepulta: & nostra Chunihildes Luneburgæ quiescens; Authores nostros distraxerit; ita ut abjectâ priori syllabâ, in vicinam, & notiorem nobis urbem, inciderint; hoc præsertim tempore; cum Emma Angliæ Regina, in eadem Brugensi urbe; quam nos modò Birges, modo Bruges appellamus; moram traxerit; ut supra constat. Verùm de Gunilda sepulta in Urbe Brugensi, dicam aliqua inferius (an. 1044.) Quod omnia supradicta veritati constent; quod, inquam, Gunilda nostra, post multum matrimonii tempus, accusata non sit; aut à viro diverterit: vel inde probatur, quòd Henricus III. Imperator, anno Christi millesimo quadragesimo tertio, solenni cærimonia, Agnetem Gulielmi Pictaviensis filiam, duxerit; & Moguntiæ, Reginam inungi fecerit; quòd nuptias denique apud Ingelheim celebraverit. ut ex Hermanno Baronius affirmat, nemine, quod sciam, refragante. Quo vel unico argumento, corrigi possunt Annales nostri, qui Gunildam cum Chunegunde confuderunt.

VI. Moritur Brithwinus Schireburnen. Episcop.: Succedit Alfwoldus.

Moritur hoc anno (Fastos sequimur) Brithwinus Shireburnensis Episcopus: & locum ejus implet Alfwoldus; ex monacho Wintoniensi assumptus, Brithwini frater; vir multæ virtutis, atque pietatis: ideo post mortem, in sortem Sanctorum transiens, nomen reliquit in nostro Martyrologio. Singularem ejus temperantiam, & religionem in Sanctos, Malmesburiensis refert in hunc modum. *Alfwoldus apud Schirebnrniam, imaginem sanctissimi Swithuni collocavit; & festum venerationis extulit. Constat eum reverendissima vita fuisse: & inter profusissimos conversorum apparatus; qui tunc in Anglia, a Danorum tempore, exhibebantur; catino ligneo, sine ullo unctiori cibo, & poculo exiguo, aqua superfusa, ut omnis sapor cervisiæ dilueretur, semper usum. Audivi ego bona vita presbyterum, & jam canis sparsum, bona ejus lacrymabili gaudio referentem. Quorum illud non excedit; nullum unquam, vel ante, vel post obitum ejus, impunè potuisse Sedem ejus dormitando premere; quin statim tetris imaginibus territus, resiliret; increpantibus, cur Sedem Episcopi usurparet indignus? Id multis, nonnullo fuisse spectaculo. Surrexerat inter eum, & Godvvinum Comitem, simultas anxia; qua de causa incertum mihi. Die placito dicta, cum res, non ad pacem, sed ad litigium procederet; discessit Episcopus post altercationem; has minas in Comitem jaculans: Per Dominam meam Sanctam Mariam, malè tibi erit, quòd contristasti me. Domum ergò digressus; vix pedem terræ apposuerat, equitatum jam peditatu commutans: cum ecce satelles Comitis advenit; equo admisso, & pulsu illum, eius celeritatem prodente: rogare ille miserabiliter, genibus affusus, ut redeat: Dominum suum statim post ejus abscessum, æstuare corde, vix lingua palpitare. Tum inquit Episcopus, nondum sedatâ irâ: per Dominam meam Sanctam Mariam, væ sibi erit. Sed unanimi orantium prece inflexus, delictis gratiam fecit, benedictionem dedit, ægrum reparavit.* plura addit idem Author, de pietate ejus, in Sanctum

Malmesb. de Pont. l. 2. fol. 248.

Alfwoldi pietas.

Cuthbertum, Lindisfarnensem Episcopum; quæ commodiùs referam, cum Sanctus moritur*. quia festino nunc Danorum in Anglos imperium concludere.

* v. an. 1056. n. 5.

ANNUS CHRISTI 1042.

BENEDICTI IX. PAPÆ 9.

HARDICANUTI ANGL. REGIS 3.

I. Hardicanutus Rex moritur.

Commonuit suprà dixit Gulielmus Malmesburiensis, *profusissimos conviviorum apparatus, à Danorum tempore, in Anglia exhibitos.* nam anno Christi millesimo quadragesimo secundo, ex hujusmodi apparatu, Danorum Rex ultimus, Hardicanutus, vale ultimum, Insulæ, regno, & vitæ, dixit, cum juxta Londinum, in suburbanis, agens hilariter, vix duobus annis in regno completis, moritur. Ejus mortis causa; quæ & plurimorum; crapula & ebrietas fuit. quæ hominem cœlo natum, & Regem imprimis dedecet. sed ejus mortem recenseat Huntindonius: *Hardecnut Rex,* inquit, *morte præreptus est; cum regnasset duobus annis, in medio flore juventutis suæ, apud* * *Lambuthe: qui clara indolis, & benignæ juventutis fuerat suis. Tanta námque largitatis fertur fuisse, ut prandia regalia, quatuor in die vicibus, omni curiæ suæ faceret apponi: malens à vocatis apposita fercula dimitti, quàm à non vocatis fercula reposci. Cum nostri temporis consuetudo sit; causa, vel avaritiæ, vel, ut ipsi dicunt, fastidii: Principes, semel in die tantum, suis escas anteponere. Sepultus est Rex Hardecnut, in veteri monasterio, apud Wincestre, juxta Cnut Patrem suum.* Ita ille. Alii paulò clariùs, in convivio mortuum describunt. Ita è Wigorniensi Hovedenus: *Anno millesimo quadragesimo secundo, Rex Anglorum Hardecnutus, dum in convivio (in quo Osgodus Clepa, magnæ vir potentiæ, filiam suam Gytam, Danico, & prepotenti viro Tuvio, Prudan cognomento, in loco qui dicitur Lambithe, magna cum lætitia tradebat nuptui) lætus, sospes, & hilaris, cum sponsa prædicta, & quibusdam viris, bibens staret: repente inter bibendum, miserabili casu, ad terram corruit: & sic mutus permanens, sexto idus Iulii, feria tertia expiravit; & Wintoniam delatus, juxta Patrem suum Canutum est tumulatus.* Nemo luxit Hardecanutum mortuum, sed potius anniversarium mortis diem cives festivè celebrarunt: eo ferè modo, quo olim Romani fugalia fecerant: cum fusis fugatisque Regibus; redierunt Consules. Egit enim ille Danorum epilogum, & locum denuo fecit Anglorum Regibus, qui sex, & viginti annos à corona exularant.

Hunind. l. 6. f. 365.

* Lambhithe

Danorum edacitas.

Hoved. hic.

II. Edoardus regnat cognomento Confessor.

Veni ergò, Anglorum Regum ultime, Ethelredi fili, Edwarde sancte, gemma Principum, summum patriæ decus, & ornamentum. Veni inquam, & claude agmen sanctitatis fideique Regiæ. Dic, scribe, fac compendio, quicquid cum laude fecerunt majores tui. nam ideo in hæc tempora natus es: ideò tot annos vixisti, inter adversa: & regnasti tandem, omnia fluctuantis Reipublicæ naufragia feliciter luctatus. Hic est ille, clarus natalibus, de quibus ita Wigorniensis: *Eadvvardus, annitentibus maximè Comite Godvvino, & Wigorniensi Præsule Livingo, Londonia levatur in*

Wigorn. hic.

Regem. Cujus pater Æthelredus; cujus pater, Eadgarus; cujus pater, Eadmundus; cujus pater Eadvvardus, Senior: cujus pater, Alfredus. Hic est Edwardus ille, quem Brithwoldus Wiltunensis Episcopus, regiæ stirpis occasum gemens, divinitùs vidit, adhuc exulem, in Regem ab Apostolorum Principe consecrari: tunc fortè cùm ipse juvenis, in Normannia diu novercam fortunam expertus, cum Deo & Sanctis, devotè agens; illis patriam; & unà seipsum commendans, votóque se obstringens, in hunc modum, precatus dicitur: *Ecce, inquit, Domine, non est mihi auxilium in me, & necessarii mei recesserunt a me. Amici mei, & proximi mei, adversum me appropinquaverunt, & steterunt. Pater meus, post multos labores, rebus humanis excessit: fratres meos crudelitas proditorum absorbuit: nepotes in exilium acti sunt. mater, amuli nostri nuptiis eradicata est. Ita solus relictus sum, & quærunt animam meam. Sed tibi, Domine, derelictus sum pauper: pupillo tu eris adjutor. Tu quondam* * *Edvvinum, morti expositum, mirabili modo, & vita reservasti, & regno. Tu illud Angliæ decus sanctum Osvvaldum, ex exule, Regem factum, per signum Crucis* *, *reddidisti cunctis hostibus fortiorem. Si igitur fueris mecum, & custodieris me, & reduxeris me in regnum patris mei: Eris tu mihi semper in Deum: & Beatus Petrus Apostolus, in patronum: Cujus sacratissimas reliquias, in Urbe Roma, te annuente, te regente, te comitante, visitaturum me promitto.* Ita refert eum orasse Aelredus, Rivallensis Abbas, in vitâ sanctissimi Regis.

v. an. 1037. n. 14.

apud Capg. in Edoardo Confess.

* v. an. 617. n. 12.

* v. an. 635. per totum.

Edoardi votum.

III. Absens rex eligitur.

Profuit hoc votum Edoardi votis: qui mortuo Hardicanuto, miro procerum, populique consensu, licet absens; in Regem expetitur. Agebat ille in Normanniâ, & humanarum rerum tædio victus, vidit prudenter, coronam omnem, periculis, quàm voluptate plenioren. Non avidè igitur, ut mortales solent; sed cautè admodum fastigium illud dignitatis ascendit; ut patet è Malmesburiensi, ita narrante exordium regni. *Hardecnuto mortuo, Eadvvardus; cum tristi nuncio accepto, incertumque fluctuans, quid ageret, & quò se verteret, nesciebat. Multa volventi, potior sententia visa; ut Godvvini consilio fortunas suas trutinaret. Contentus ille per Legatos, ut pace præfata colloquerentur: diu hæsitabundus, & cogitans, tandem non abnuit: venientem ad se, conantemque ad genua procumbere, allevat: Hardecnuti mortem exponentem, orantemque in Normanniam reditus auxilium ingentibus promissis* * *onerat: melius esse, ut vivat gloriosus in imperio, quàm ignominiosus moriatur in exilio. Illum Ethelredi filium, Eadgari nepotem, jure ei competere regnum, ævo maturo, laboribus defæcato, scienti administrare principatum, per ætatem severe: miserias provincialium, pro pristina egestate temperare. Id quo minus fiat, nihil obstare, si sibi credendum putet; suam authoritatem plurimum in Anglia ponderare. Quò se pronior inclinaverit, eò fortunam vergere. Si auxilietur, neminem ausurum obstrepere, & è converso. Pacisçatur ergo sibi amicitiam solidam, filiis honores integros, filiæ matrimonium: brevi futurum, ut se Regem videat; qui nunc vita naufragus, exul spei, alterius opem implorat.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13 fol. 80.

* locus corruptus al. honorat

Et a Godwino invitatur ad coronam.

IV. Procerum consensu Edwardus regnat.

Cum Godwinus ita in Normannia perorasset, & Edwardi Principis consensum, suis votis parem fecisset; in Angliam rediit; communicatóque cum regni proceribus consilio, Edoardum in Normannia exulem, Angliæ Regem dixit.

quod ita narrare pergit Author, qui supra: *Nihil erat, quod Edvvardus, pro necessitate temporis, non polliceretur. Ita utrinque fide data; quicquid petebatur, Sacramento firmavit. Nec mora,* * *Gilinghiam congregato consilio, rationibus suis explicitis, Regem effecit: dominio palam omnibus dato; homo affectati leporis, & ingenuæ gentilitia lingua eloquens, mirus dicere, mirus populo persuadere, quæ placerent. Quidam authoritatem ejus sequuti; quidam muneribus flexi, quidam etiam debitum Edwardi ample pauci, qui præter æquum, & bonum, resistere, & tunc censoriè notati, & postmodum ab Angl[illegible] expulsi.* Addunt alii, missos etiam in Normanniam obsides, ad [illegible]ctionis fidem faciendam. [illegible] Edo[illegible]dus, dolum (quo Alfredus frater nuper f[illegible]latus è vivis fuit) formidaret: simulque cautum, ne plures exteri, Normanni imprimis, cum Edoardo reduce, Angliam intrarent: cum satis superque sub exterorum jugo Insula gemuisset. Un[illegible] Huntindonius: *Miserunt ergo, pro Eduardo juniore, in Normanniam nuntios, & obsides: mandantes ei, quod paucissimos Normannorum secum adduceret, & eum in Regem stabilirent.* Hæc acta sunt eo anno, q[illegible] Hardicanutus moritur.

* al. don[illegible]

Quo etiam tempore, Wellensis Ecclesia, pastore suo viduata, novum acc[illegible]it, quem Dodecam Saxonicum Fasti vocant; alii Dudocum; nonnulli etiam Bodecam; & genere Lothar[illegible]igum [illegible]lunt. Missus est post.a, ab Edoardo Rege ad Concilium Rhemense, sub Leone nono, ubi etiam Duduc scribitur. Hic ergo, mortuo Brith[illegible] qui & Merewith appellatur, in W[illegible]ense[illegible] [illegible]scopum consecratur; vel anno supe[illegible]ore, ut p[illegible]tat Godwinus; vel potius anno millesimo quadragesimo secundo, ut volunt Fasti. Nunc ad Edo[illegible]dum corona donandum transeo, quàm dudum ei Deus, & natura, virtutésque Dei gratia acquisitæ, promiserant. Adverto solum ad hunc annum referri posse; quæ de structa Ecclesia, at[illegible] monasterio, in honorem sancti Nectani, in Devoniensi agro, scribuntur. Tunc nim[illegible]in, cum Godwinus maris periculo defunctus, ejusdem Sancti (ut creditur) meritis; Githa Godw[illegible]ni conjux beneficium beneficio compensavit. Extat hujus rei memoria, ad Herculis promontorium (sic locum in Danmoniis vocat Ptolomæu[illegible] ubi Hertlond oppidum, & Nectani sancti meritum & Githæ Comitissæ pietatem loquitur. de quo Camdenus, suo, hoc est, Novatorum more antiquorum gestum elevat: *Hertland oppidum,* inquit, *Nectani sanctuli reliquiis olim clarum. In cujus honorem monasteriolum hic erexit Githa Godvvini Comitis uxor; quæ Nectanum, tanquam Neptunum coluit: eò quòd ejus meritis maritum effreratam tempestatem evasisse, credulo errore sibi persuaserat.* Hujus Sancti memoria in nostro Martyrologio legitur ad decimam quartam Februarii.

M[illegible]
B[illegible]
S[illegible]
Do[illegible]

ANNUS

ANNUS CHRISTI 1043.

BENEDICTI IX PAPÆ 10.

EDOARDI ANGLORUM REG. 2.

I. EDOARDUS IN ANGLIAM REDIT ET CORONATUR.

ANNO Domini millesimo quadragesimo tertio; Edoardus è Normannia solvens, in Angliam venit: & quod faustum felixque fuit, regni coronam accepit: quam regiis virtutibus, & constantibus sanctitatis argumentis ornavit. Baronius ista narrans, immensam Dei misericordiam vocat in Anglicanam Ecclesiam; quod post tantam annorum hiemem, tanta serenitas illuxerit Insulæ. Sic ergo ipse: *Eodem anno* (millesimo quadragesimo tertio) *defunctis jam duobus filiis Canuti Anglorum Regis, ejus in regnum successoribus: ex insperato, ita Deo disponente, omnium consensu eligitur sanctus Eduardus, Emmæ Reginæ filius, ex Ethelredo parente olim legitimo Anglorum Rege: coronaturq; hoc anno, die sancto Pascha: idq; opera Godvvini Comitis potentissimi; datâ ei in matrimonium ipsius filiâ, Egithâ, virgine honestissima, viri sanctitate haud adeo impare. Quam virginem, intactamq; servatam, constans est assertio scriptorum omnium. Porrò ista, de immensa Dei misericordia, erga Ecclesiam Anglicanam, divinitùs longè ante ostensa fuerunt Sancto Episcopo. de quo ista Willelmus. Viderat quondam somnii revelatione, saculi illius felicitatem Brithvvoldus, Wintoniensis * Episcopus; viderat & annuntiaverat. Nam dum tempore Regis Cnutonis calestibus, apud Glastoniam lucubraret excubiis: subissetq; illum cogitatio, qua frequenter angebat; de regia stirpe penè deleta: hac meditanti sopor irrepsit. Et ecce in superna raptus, videt Apostolorum Principem Petrum, ipsum Eduardum, qui tunc in Northmannia exulabat, in Regem consecrare, cælibe designatâ vita & certo viginti quatuor annorum numero regni computato; Eidemq; conquerenti de posteritate, respondere: Regnum Anglorum est Dei, post te providit Deus Regem, ad placitum sui.* Hæc apud Willielmum, inquit Baronius Malmesburiensem intelligens: & librum ejus de Regibus secundum: Idem etiam habetur libro ejus altero de gestis Pontificum, ubi de Wiltunensibus Episcopis mentio.

Baron. hic n. 2.

* Wiltuni.

II. AB EDSIO CANTUARIENSI UNGITUR.

Cæterum, quòd Brithwoldum vocet Wintoniensem Episcopum, librariorum est error: nam Author, nuper & accuratè impressus, Wiltunensem expressit: quod verum esse patet è superioribus. Sed quicquid dixeris; Dei digito, Edoardum coronatum esse constat, Edsio coronam & regiam unctionem dante, ipso Resurgentis Christi festo die: quod faustum Anglis omen portendere videbatur; eos è dura Danorum, qua premebantur, servitute, ad feliciorem statum emersuros. Quod Dei donum ut manifestius esset, Edoardus eligitur, nudum instrumentum, per se, oneri impar, & operi: sed Deo conjunctum; Deus bone! quàm efficax, quàm sanctum, quàm admirandum! Notavit hoc Malmesburiensis, ubi primùm Edoardi Regis mentionem ingerit, & inquit: *Anno Incarnationis Dominica millesimo quadragesimo secundo, Sanctus Edwardus, filius Ethelredi suscepit regnum: mansitq; in eo annis viginti quatuor non plenis. vir, propter morum simplicitatem, parum imperio idoneus: sed Deo devotus; ideoq; ab eo directus. Denique, eo regnante, nullus tumultus domesticus. qui non citò comprimeretur, nullum bellum forinsecus: omnia domi, forisq; quieta, omnia tranquilla: quod eò magis stupendum; quia ita se mansuetè ageret; ut nec viles homunculos, verbo lædere nosset. nam dum quadam vice venatum isset: & agrestis quidam, stabulata illa, quibus in casses cervi urgentur, confudisset; Ille suâ nobili percitus irâ: per Deum, inquit, & matrem ejus, tantumdem tibi nocebo cum potero. Egregius animus, qui se regem in talibus non meminisset; nec abjectæ conditionis homini se posse nocere putaret.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. prope.

EDOARDI INDOLES.

III. ALIORUM CONSILIO REGNUM MODERATUR.

Erat interea ejus apud domesticos reverentia vehemens; apud exteros metus ingens. fovebat profectò ejus simplicitatem Deus; ut posset timeri, qui nesciret irasci. Sed quamvis, vel deses, vel simplex putaretur; habebat Comites, qui eum ex humili, in altum conantem erigerent, Sivvardum Northumbrensium; qui ejus jussu, cum Scotorum Rege Makbetha congressus, vita regnóque spoliavit. Ibidemq; Malcolmum, filium Regis Cumbrorum, Regem instituit. Leofricum Herefordensium; qui eum contra simultates Godvvini, favore magnifico tutabatur: Quod ille fidenter conscientia meritorum, minùs Regem revereretur. Hi erant principes viri, quorum consilio Edoardus Rempublicam, cum laude administravit. Sed nihil magis principatum ejus juvit, quàm Sancti Regis reverentia in Ecclesiam, Deique cultus; didicerat enim illud Lactantii Firmiani: *Nihil esse in rebus humanis, religione præstantius: eamq; summa vi oportere defendi.* Et revera hoc regium est; nihilque eum magis ab hominum vulgo distinguit. Unde Ethnicus quidam sapienter dixit: *Iure ille à Diis proximus habetur: per quem Deorum majestas vindicatur.* Eminuit in hoc pietatis genere Edoardus, Ecclesiæ Præsulibus plurimum detulit; & ex eorum mente, suam mentem composuit. Unde signanter de eo Malmesburiensis: *Edvvardus*, inquit, *die solemni Paschæ, magna pompa apud Wintoniam coronatus & ab Edsio Archiepiscopo sacra regnandi præcepta edoctus: quæ ille tunc memoria libenter recondidit: & postea sanctè factis propalavit.* Hoc Regi solemne, toto regni tempore: dicamus aliqua huic anno propria.

Lactant. l. 5. Instit. c. 20.

Isocrates l. 2.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. fol. 80.

EDOARDI PIETAS IN ECCLESIAM.

IV. EDOARDUS UXOREM ACCIPIT GODWINI FILIAM, EDITHAM.

Edoardus, promissi memor, Godwini filiam, in uxorem accipit; eo potissimum consilio; ut Godwinum patrem sibi devinciret; regni sui firmamentum. Sed humana consilia, sæpè Deus evertit. præsertim cum illa, vel minimum à Deo avertunt. Erat castissimæ mentis, & integri corporis, Edoardus Princeps: & ideo Deo conjunctior. voluit Deus, non obstante matrimonio, eum in casto proposito constantem esse: & eandem sponsæ mentem injecit: quæ cunctis etiam ornata virtutibus; ut virgo nata, ita denasci voluit. Dicat hoc, qui Editham (ita Edoardi sponsa dicebatur) probè novit, Ingulphus, & virginem laudet. *Edoardo data est* (inquit) *in uxorem, filia Godwini Comitis, puella pulcherrima, literis apprime erudita: moribus autem, & cæterâ vitâ, virgo castissima, & humilitate sanctissima, nomine Egitha: in nullo patris, aut fratrum, barbariem sapiens: sed mitis, & modesta; fidelis, & honesta; & nulli unquam infesta. Unde de illa dicebatur illud elegiacum:*

EDITHÆ LAUS. Ingul. f. 995.

Sicut spina rosam, genuit Godwinus Egitham.

Vidi ego illam multoties: cum patrem meum, in Regis curia morantem, adhuc puer inviserem: & sæpiùs mihi de scholis venienti, de literis, ac versu meo

apponebat,

apponebat, cum occurrerem: & libentissimè de grammatica soliditate, ad logicam levitatem, qua callebat, declinans: cum argumentorum subtili ligamine me conclusisset, semper tribus, aut quatuor nummis, per ancillulam numeratis, ad regium penu transmisit; & refectum dimisit. Ita Ingulphus, cujus integerrimi Authoris ætatem habes.

V. UTERQUE CONJUX VIRGO PERMANSIT.

Ut castè Edoardus, cum Editha uxore vixerit: ut illæsam virginitatem uterque servaverit, multi prodiderunt: de causa tantæ utrimque continentiæ, variè disserunt: sed divino consilio id factum esse, divina argumenta sæpiùs dixerunt. Malmesburiensis ita de matrimonio scripsit. *Non multò post, Edgitham, filiam Godwini, Rex (Edwardus) in connubium accepit. fœminam in cujus pectore omnium liberalium artium esset gymnasium: sed parvum in mundanis rebus ingenium. Quam cum videres, si literas stuperes; modestiam certe animi, & speciem corporis desiderares. Hæc & vivo marito, & mortuo, probri suspicione non caruit: sed moriens tempore Regis Willielmi, jurejurando astantibus, de perpetua integritate ultrò satisfecit. Nuptam sibi Rex hac arte tractabat: ut nec thoro amoverit, nec virili more cognosceret. Quod an familiæ illius odio, quod prudenter dissimulabat, pro tempore: an amore castitatis fecerit, pro certo compertum non habeo. Illud celeberrime fertur: nusquam illum cujusquam mulieris contubernio pudicitiam læsisse.* Ita ille. Aelredus Rievallensis paulò distinctiùs causam aperit, pactámque utrimque fidem, de servanda continentia affirmans. *Convenientibus igitur in unum, Rex & Regina, de castitate servanda, paciscuntur. Nec huic fidei alium quàm Deum testem æstimant adhibendum. Fit illa conjux mente, non carne; ille maritus mente, non opere. Perseverat inter eos, sine actu conjugali, conjugalis affectus. diligitur ille, sed non corrumpitur; diligitur illa, nec tangitur,* &c. Hæc ideò allata, ut nullum odio locum, sed nobiliorem longè impetum fuisse ostenderem; præsertim cum Deus, ut pòst dicetur, incorrupti corporis miraculo, virtutem in Rege probaverit.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. fol. 80.

apud Capg. in Edoardo Confess.

VI. ECCLESIAS ORNAT.

Vix erat, in regni solio collocatus Rex, cum honoris sui primitias, Deo persolvit; Ecclesiam honorando, privilegia confirmando, Dei cultum, ut occasio ferebat, ubique promovendo. Scripsit ergò, sub hæc tempora, regiam chartam, qua principem Ecclesiam, & monasterium ab Augustino Anglorum Apostolo fundatum, egregiè ornavit. eccitat illud Edoardus alter, à Normannorum ingressu, eo nomine tertius, in suo privilegio regióque diplomate, quod *Inspeximus* appellatur, & est hujusmodi.

VII. EDOARDI CHARTA PRO AUGUSTINENSI MONASTERIO.

apud Reyner. de apostol. tract. 1. f. 39.

Conditor tali, terraq; Deus, universitate totius Creatura de nihilo perfecta; primum hominem de limo formavit: eumq; ad imaginem suam configuravit. Cui etiam omnium operum suorum dominari præcepit. ea videlicet ratione, ut homo rationabilis, irrationali uteretur creatura; & ipse Deo serviens obediret: & obediendo Creatorem honoraret. Deinde, succedente generatione, in generationem; templa & Ecclesias fieri constituens; de primitiis & decimis, ac de substantia sua largitione, eas in nomine suo honorari præcepit. Insuper, & per Evangelium nos instruens ait: Thesaurizate vobis thesauros in cælo. Quapropter ego Edvardus, Regis Regum gratia Rex, & Anglorum Princeps, post longam exulationem, solius miserentis Dei nutu in regnum meum reversus, & in solio patrum meorum residens. Ecclesiam, quam hortatu Beati Augustini, Rex Adelbright, in honorem Apostolorum Petri & Pauli à fundamento constituit, diversisq; donis ditavit: in qua ipsius Regis, & omnium Episcoporum Cantuariæ, & Regum corpora poni possent; cum omnibus appendiciis, vel adjacentiis suis; liberam esse, annuo, & statuo. Quoniam quidem in eadem Ecclesia, supradictus Rex conditus jacet, ejusq; stirpis progenies. Deo dilecta, requiescit Virgo Mildreda: Ego etiam ejusdem Regis stemmate ortus, & regno ejus, Deo juvante, potitus; Thanatos Insulam trado: quam Egbertus Rex, jure hereditario, concessit venerabili Reginæ Domneuæ matri scilicet Sanctæ Mildredæ; quantum cerva cursu [illegible] lustraverat; pro interemptione duorum fratrum ejus Aethelredi atque Athelberti: quos jussu ejusdem Principis, Deo odibilis Thymus, iniquè stravit morti: quem mox cælestis ultio terribiliter subsequuta est, ipsum perimendo.

Sed & omnes donationes possessionum, vel facultatum, quas prisco, sive moderno tempore, prædecessores mei Reges, eidem Ecclesiæ contulerunt; & ego Regia potestate contrado: atque firma astipulatione, cum consensu, & testimonio Episcoporum, Ducum Principum, & Satellitum meorum; Abbati Aelstano, ac Monachis ibidem, sub regula Beati Benedicti Abbatis, Deo militantibus; ad habenda, & perfruenda, sibi perpetua libertate constituens attribuo. [illegible] cui verò hæc largitio displicet; vel si quis, quod absit, hanc donationem, zelo ductus diaboli, quoquo ingenio infringere tentaverit; iram Dei, & omnium Sanctorum maledictus incurrat: & subita morte intereat: sicut prædictus Dei inimicus Thymus interiit. Percutiat eum Deus amentia, & cæcitate, ac furore mentis; omniq; tempore calumniam maledictionis Dei sustineat: Nec sit qui eum liberet, nisi pœnitens resipiscat, & digna emendatione satisfaciat. Hæc autem traditio Regalis, in eodem loco servetur inconvulsa & incontaminata; Deo teste, qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam: Contradicentibus verò ad ruinam, & ad condemnationem, in die furoris Domini; cum eis qui dixerunt Domino: Recede a nobis scientiam viarum tuarum nolumus &c. Ha[illegible] Eduardi Regis charta; quam sub re[illegible] exordium datam esse, Aelstani Abbatis mentio: cui olim Canutus diploma dictaverat: & mentio ex[illegible] reversionisque in Angliam, videntur persuader[e].

IX.

Ut hæc, atque alia hujusce modi pietati opera, regni primordia illustrarunt: ita obscuravit eadem nonnihil, quod hoc anno in matrem videtur peccasse. advertit hoc Malmesburiensis, cùm ait. *Fuerunt tamen nonnulla, quæ gloriam temporum deturbarent: monasteria tunc monachis viduata; prava judicia a perversis hominibus commissa: Supellex matris ejus, præcipiente illo; penitus abrasa; sed harum rerum invidiam amatores ipsius, ita extenuare conantur. Monasteriorum destructio, perversitas judiciorum; non ejus scientia; sed per Godwinum, filiosque ejus sunt commissa violentiam, qui Regis indulgentiam ridebant: postea tamen ad eum delata, acriter eorum exilio vindicata. Mater, Augustos filios jamdudum riserat annos: nihil unquam de suo largita, hereditario scilicet odio, parentis in prolem. nam magis Cnutonem, & amaverat vivum, & laudabat defunctum. Præterea congestis undecumque talentis, crumenas infeserat, pauperum oblita: quibus non patiebatur dari nummum, ne diminueret numerum. Itaque quod injustè coacervaverat; non injustè ablatum ut egenorum*

[illegible] N[illegible] [illegible]AM PAREN[illegible] [illegible]M OU[illegible] [illegible]IOR.

Malmesb. l. 2. c. 13.

[illegible]MMÆ LAUS, ET VITUPERIUM.

ut egenorum proficeret compendio, & fisco sufficeret Regio. *Hæc referentibus, etsi plurimùm fides adhiberi debeat: sanctam tamen mulierem fuisse comperio: & thesauros suos, in ornamenta Ecclesiæ Wintoniæ, & aliarum fortassis, expendisse.* Ita ille: maculas compendio colligens, quæ Edoardi regnū infecerunt; & utramque Remp. De monasteriorum violatione, & judiciorum perversitate, dicam inferius, ad *annum Christi millesimum quadragesimum octavum.

X. Unor Edoardus In Emmam asperior.

Cæterùm quòd in matrem paulò iniquior fuerit, aliqui putaverunt: nam mulier etiam benefaciens, non vivit sine crimine: nec Luna quantumvis luceat, sine maculis est. Qui igitur Emmæ amores in Canutum, Etheleedi conjugis hostem, inspexerit: Qui filii ærumnas, & exilium: jus ejus ad regnum elisum, & neglectum: præpositosque postgenitos filios, leget; & nulla exuli subsidia, à parente missa: facilè conjiciet naturale filii debitum diminui, erga inofficiosam parentem potuisse: nec matrem omni cultu dignam, quæ filium ita despexerit. Quod si videtur etiam Edoardum, non tam suopte ingenio, aut impetu (qui semper ad lenitatem, clementiamq; proclivis fuit) quàm aliorum consilio, id attentasse: minor certè culpa, si tamen culpa, erit. Hovedenus itaque rem gestam exponens, hæc habet. *Anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo tertio, post festum Sancti Martini. Rex cum Comitibus Leofrico, Godwino, & Sivvardo, de civitate Glavorna Wintoniam venit improvisè: & ut illi consilium ei dederant; suæ genitrici, quicquid in auro, argento, gemmis, lapidibus, aliisq; rebus pretiosum habuerat, abstulit: vel quia priusquam Rex effectus, vel post, minus quàm volebat ei dederat: & ei valdè dura extiterat.*

Hoveden. hic.

Addit Westmonasteriensis: *Sed tamen præcepit (Edoardus filius) sufficienter ei necessaria ministrari: & illam mandavit ibidem quietè demorari.* quiescentem ergo Wintoniæ Emmam dimittamus: donec curæ post calumniæ, ejus quietem, silentiumque interrumpant.

W. Westmon. an. 1042.

XI. Edsius in Siwardum Episcopatus curam transfert.

Interim Edsius, Cantuariensis Antistes; quà annis, quà morbis fractus; & ipse ad quietem suspiravit: petivitque animæ suæ, ut sine ulteriori rerum, ac negotiorum strepitu moreretur. Siwardū elegit Abindoniensē Abbatē, cui Ecclesiæ onera, & honores communicat; petitque à Rege ordinari Episcopum, dicique successorem: aliud nihil. Unde non placet quod habet Florilegus: *Anno gratiæ*, inquit, *millesimo quadragesimo tertio, Eadsius Cantuariensis Archiepiscopus, gravi infirmitate detentus, Episcopatum dimisit; & in loco ejus, Siwardus est Archiepiscopus consecratus.* Non placet, inquam, quod vivente Edsio, Archiepiscopus alius nominetur: qui nec eo mortuo, eam prærogativam habuit. Rectiùs, opinor, Suffraganeus, & Edsii Coadjutor, dicendus. Unde Parkerus, hac vice, non malè: *Edsinus*, inquit, *diuturna invalitudine intabescens, cùm ab ea recreari nullo remedio se posse intellexerat; omni administratione sponte abdicatus; se morti paraturus: egit cum Edoardo Rege, & Godwino Comite, secreto atque longo sermone; ut Siwardus Abindoniensis Abbas, Vicarius & Coadjutor suus, se mortuo in Archiepiscopali sede succederet.* Ita ille; cùm paulò antea dixisset. *Archiepiscopalem honorem Edsinus administrare per infirmam, atque adversam valetudinem non potuit. Itaque Archiepiscopalia omnia jura, & emolumenta; cum ipse tanto oneri impar esset; Sivvardo cuidam demisit, & delegavit.* Non habuit ergo, hoc anno, duos Archiepiscopos, sedes Cantuariensis: quod Ecclesiasticâ lege cavetur: habuit tamen Archiepiscopum Edsium, & Siwardum Suffraganeum ejus: qui alteri mortuo succederet. Cur non successerit, dicam inferiùs, cùm Edsius moritur. Interim, vel inde constat honori, locoque renunciatum non esse; quia post hunc annum, in Regiis chartis, cùm subscribunt Episcopi, inter eos inferiùs legetur subscriptus, Eadsius Cantuariensis Archiepiscopus.

Florilegus hic.

Antiq. Brit. fol. 96.

XII. Coventriæ monasterium construitur. Ingulf. f. 892 Leofricus Comes, et Godiva uxor.

Construitur, hoc anno, nobile monasterium, in Coventriis, & Warwicensi provincia, à Leofrico Merciorum Comite, & Godiva uxore; qui ditissimè Ecclesiam & cœnobium ornaverunt. *Erat enim ille Leofricus Comes* (loquitur Ingulphus Abbas) *vir devotissimus, & eleemosynis multis deditus; fundator ac ditator multorum monasteriorum: inter quæ instigante uxore sua Godiua nomine, (Godivam alii vocant) tunc fœminarum pulcherrima: sic corde sanctissima, Coventrense Monasterium, maximis & plurimis donariis in immensum ditavit.* Ex hac monasterii constructione, surrexit locus in magnam amplitudinem, & tandem in Oppidum, quod à Monachorum conventu, Conventria hodieque nominatur. Quò Episcopi sedes, hoc sæculo, translata est, à Roberto de Limsez, cùm paulò ante, Petrus Lichfeldensis Episcopus Cestriam elegisset; ubi paucis annis Episcopi sederunt. Nam anno millesimo nonagesimo quinto, Robertus è Cestria, Conventriam migravit: & inde sacri Antistites utramque appellationem usurparunt; dictique sunt Conventrenses & Lichfeldenses Episcopi. Cæterùm quàm amplè Leofricus monasterium ditaverit, testis est Malmesburiensis, qui ita loquitur. *Erat in Diœcesi Cestrensi, Conventreia cœnobium, à Magnificentissimo Comite Leofrico, & uxore Godiva, constructum, tanto auri & argenti spectaculo: ut angusti viderentur ipsi parietes Ecclesiarum, thesaurorum receptaculis; miraculo porro visentium oculis. Hoc Robertus inhians, ex ipsis, Ecclesiæ gazas sic cepit: unde Regis occupationes falleret, unde Romanorum aviditati irreperet. Ex una enim trabe, quingentas marcas argenti corrasit, qua scrinia sustentabat.* Hæc ille.

Malmesb. de Pont. l. 4. fol. 209. Monasterii amplitudo.

XIII.

Per trabem, scrinia sustentantem intelligo locum illum, ubi Sanctorum corpora, vel reliquiæ condebantur. Nam lipsanothecas has vulgò schrines appellamus: quas nostrates aliqui antiquiores, per scrinia efferunt. Cæterùm in Conventriensi Ecclesia, quam ornandam Leofricus, & Godiva, susceperunt: inter alia sacra cimelia, Magni Augustini Hipponensis Episcopi brachium colebatur, de quo *suprà pluribus actum: & ibi adhuc servabatur. Nam ita in Malmesburiensi sequitur. *Conventreia habetur brachium Magni Augustini, theca inclusum argentea: cernunturq; in cælatura hujusmodi literæ. Hoc brachium Sancti Augustini, Egelnodus Archiepiscopus, rediens à Roma, ad Papiam emit centum talentis argenti, & talento auri.* Quæ verba exponi debent per illa, quæ alibi idem author habet: nimirum, Egelnothum, è corpore S. Augustini, quod Luitprandus magno pretio redemerat, ejusdem Sancti brachium Coventriam miserit, ut suprà pluribus exposui. Tunc Canutus monialibus ibi locum fecerat: quibus amotis, vel alio translatis; hoc anno (ita cata-

*an. 1020. 13. &c. Idem supra.

logus ædium destructarum) Monachos è Divi Benedicti familia collocavit Leofricus: qui unà cum conjuge, piissima fœmina, in eodem loco sepulchrum elegerunt, quod hoc loco omitti non debet; nec illud quod de utroque refert Malmesberiensis. *In ambabus porticibus Coventreia*, (inquit) *jacent ædificatores loci, præcellentissimi conjuges. Quorum maximè prædicatur fœmina: quæ cùm thesauros vivens ibi totos congessisset; jamjamq; moritura, circulum gemmarum, quem filo insuerat; ut singularum contactu, singulas orationes incipiens, numerum non prætermitteret. Hunc ergo gemmarum circulum, collo imaginis Sanctæ Mariæ appendi jussit. Sed quam pretiosarum putas gemmarum? profectò à gnaris, centum marcis argenti æstimantur.* Quod Godiva, hoc sæculo, faciebat, numerando orationes; quas Deo Sanctisque fundebat: idipsum omni post sæculo, fecerunt orthodoxi: Inde fluxit Rosariorum usus; qui altiorem, quàm communiter creditur, originem habuit. Quod enim Angelicas salutationes Godiva recitaverit; ex eo deducitur; quod gemmarum circulum, Deiparæ collo, moriens reliquerit, amoris sui in Beatam Virginem reverentiæq; argumentum: nos globulorum circulo, quos filo insuimus; mysteria, acta, prærogativas ejusdem Virginis, eidem Virgini numeramus. Non ergo Rosarii usus primùm cæpit, anno 1209. ut aliqui contendunt, tribuuntque S. Dominico: vel à Clerico Ambianensi centum annis ante Sancti Dominici tempora. qui solam paulò distinctiùs digesserunt orationes, quas orthodoxi, & Godiva nostra Deiparæ porrexerant. Altiùs, peti potest orandi per globulos Deiparam consuetudo: & Godivæ laus esto, quod præiverit exemplo: gemmasque, & ornatum Beatæ Virgini consecraverit.

Malmesb. de Pont. l. 4. fol. 289.

GODIVÆ PIETAS ET MODUS ORANDI.

ROSARIORUM USUS.

ANNUS CHRISTI 1044.

BENEDICTI IX. PAPÆ 11.

EDOARDI ANGLO. RE. 3.

I. PETRI CATHEDRA LACERATUR A TRIBUS.

ANNUS Christi millesimus quadragesimus quartus, Romanæ Ecclesiæ funestus, & schismate infamis fuit. Benedictum Romani, ob demerita è sede pellunt, quam undecim annos occupaverat: & Joannem Sabinensem, quem Silvestrum vocaverunt, intrudunt. Hoc indignè ferentes Tusculani Comites, pro Benedicto pugnaverunt; pulsoque Silvestro, Benedictum restituunt. Sed ille, scelerum conscientia se indignum sciens; Ioanni Archipresbitero, quem alii Gratianum nominant, sedem ultro resignat: consilio suasuque Sanctissimi viri Bartholomæi, Abbatis Cryptæ ferratæ, Sancti Nili discipuli. *Verum eundem Benedictum, dimissam repetiisse cathedram, certum est*, inquit, hoc loco Baronius. Tres ergo Petri Cathedram, unà, occupant; Urbem inter se dividunt: & universum orbem, pro spoliis habent. suggessit huic malo remedium alter Gratianus: qui Urbi, & Orbi miserius; tribus his, ad Sancti Petri, ad Sanctæ Mariæ Majoris, & denique ad Lateranum, sedentibus, pecunia persuasit: loco, dignitati, omnique quod præsumpserant juri, cedere. Et quia ut prior tempore, ita potior jure Benedictus videbatur. Ei Angliæ reditus; quia amplissimi, permissi, concessi, induluque sunt. Profuit hoc consilium paci Ecclesiarum; & tribus exauthorans, qui pro pace fecialis intercesserat, Ro. Pontifex communi omnium votò eligitur. Hæc alii pluribus: Otto Frisingensis exitum ita narrat: *Hunc miserrimum statum Ecclesiæ, Religiosus quidam presbyter, Gratianus nomine, videns; zeloq; pietatis, matri suæ compatiendo, animadvertens; præfatos viros adiit et eisq; à Sede sancta cedere, pecuniâ persuasit: Benedicto redditibus Angliæ; quia majoris videbatur esse authoritatis; relictis. Ob eacive præfatum presbyterum, tanquam Ecclesiæ Dei liberatorem, in Summum Pontificem elegerunt: cumq; mutato nomine, Gregorium sextum vocaverunt.*

JOANNE SABINENSI. GRATIANO, ET BENEDICTO.

Baron. hic.

ANGLIÆ REDITUS BENEDICTO CEDUNT.

Apud Baronium hic.

GRATIANUS ALTER PONTIFEX ELIGITUR QUI EST GREGORIUS VI.

Ex hac Ecclesiasticorum reddituum partitione; qua Benedicto Anglia cessit: satis colligitur, Insulâ hanc præ cæteris provinciis, Ro. Ecclesiæ censû præstitisse: quod optimorum Regum, & totius regni consensu olim factum: cum Petro nummus indictus, solutus, collectus, Romamque quotannis devotè missus est: præter innumeras alias Principum, & Piorum hominum largitiones. Adde nuperam Canuti in Urbe protectionem & diligentem ejus operam, in solutione census, cùm scripsit: *Nunc igitur obtestor omnes Episcopos meos, & regni mei præpositos; per fidem quam mihi debetis, & Deo, quatenus faciatis; ut antequam Angliam veniam, omnium debita, quæ secundùm legem antiquam debemus, sint persoluta: scilicet denarii quos Romam ad Sanctum Petrum debetis, sive ex urbibus, sive ex villis, &c. Hæc & alia, si cum venero, non erunt persoluta, regia exactio secundum leges; in quem culpa cadit; districtè absque venia vindicabit.* Hæc Regum vigilantia, & nota provincialium pietas, & Ecclesiarum nostrarum, in matrem & parentem suam reverentia; Petri sedem ornavit adeo; ut in bonorum ac provinciarum divisione, Anglia ei cesserit, quia alios præcedere iure videbatur. Adde, Insula hæc, à factione omni remotissima, novitatem omnem aversata, antiquo sedis possessori, nec alteri libens credebatur cessura: cum igitur, qui decennio authoritatem præscripserat, devotiùs cultura. Interim Parkeri interpretatio corruit, cùm Canuti verba commentus; Lectori persuadere cupit; eum cum Romano Pontifice egisse, ne Episcopi Cantuarienses, ad primum sedis ingressum; quidquam subjectionis nomine persolverent. Nam certò constat, auxisse Canutum potiùs, quàm detraxisse; aut antiquam Regum pietatem erga primam Sedem minuisse. Quod vel hinc patet; quia soli Angliæ reditus, Benedicto sufficere putabantur.

II. ANGLIA IN URBEM ET SEDEM PETRI PROPENSA.

Vide an. 1027. n. 9.

Antiq. Britan. in Agelnoto fol. 94.

Hoc anno generalis ordinum conventus, Londini indicitur; pro componenda Republica, quam externi homines, & varia mortalium studia, turbaverant. Scriptores parcè satis: & Spelmannus, qui tamen ex professo hujusmodi conventus collegit; nihil omnino de Concilio hoc prodidit; quod tamen Wigorniensis Generale appellavit, ita scribens, ad hunc annum: *In generali Concilio, quod eodem tempore celebratum est Lundoniæ, religiosus Eoveshamnensis monachus, Wulvvarus, qui & Mannus, ut Abbatis jure, suo monasterio præesset, eligitur: & quarto idus Augusti, feriâ sextâ, ordinatur.* Quid porrò in Synodo conclusum; nec ipse clarè, nec alii obscurè indicant. Decretum tamen,

III. CONVENTUS LONDINENSIS.

Wigorn. hic.

DANI A CORONA EXCLUDUNTUR.

opinor, ne Danorum aliquis ad coronam imposterum nasceretur: ut succisa, hac ratione, externorum hominum spe; provincialium animi, ad humanitatem magis, & officium, componerentur: qui hactenus, tanto diversarum nationum commercio, in varios etiam, & penè Barbaros mores, abiverant. Hinc Danorum reliquiæ, Insulâ cedere; & qui illustriores erant, cœlum solumque mutare compelluntur.

GUNILDA CANUTI NEPOS EX INSULA PELLITUR. *Hoveden. hic.*

Ita Gunilda, Canuti è sorore nepis, Anglia pellitur: de qua Hovedenus: *Eodem anno (1044.) nobilis matrona Gunilda, Regis Wertgeorni, & sororis Canuti Regis, filia, & Comitis Hacun, & post mortem Haroldi viduata, cum duobus filiis Hemmingo & Turtillo expellitur Anglia: quæ Flandriam devecta, in loco qui Bruge dicitur, aliquando resedit. & sic Danemerciam adiit.* Ita etiam de Gunilda hac, Wigorniensis.

IV. DE GUNILDA BRUGENSI, ET MONIALI.

Hæc est, opinor, Gunilda illa, quæ in principe Brugensis urbis Ecclesia, monumentum ostentat. Canuti nepis, non filia: Haconi Comiti, non Henrico, nupta. Illa potuit, monialem Vidua Brugis induere, ibique è Danemarchia redux, mori. Unde confirmari possunt omnia quæ de altera Gunilda, Canuti Regis filia, superius dixi: & infirmari ea omnia quæ scriptores nostri, nomina confundentes; Chunegundem, Henrici secundi; Chunichildem, sive Gunildam, Henrici III. & hanc denique Wertgoorni filiam, in fœminam unam miscuerunt. quas constat esse diversas genere, patria, nomine, denique sanctitate. Distinguuntur etiam loco sepulturæ. Chunigundes, Henrici secundi sanctissima uxor, Bambergæ; in Francia Orientali; Gunilda Henrici tertii conjux, Luniburgi, in Saxonia interiori: denique quæ hoc anno exulat, Brugis in Flandria, conduntur. Prima moritur an. Dñi. millesimo quadragesimo. Secunda, biennio priùs, nimirum anno millesimo trigesimo octavo. Tertia adhuc superest: & hoc primùm anno, Insulâ pellitur; quia Danorum suspecta potentia, fœdera cum Anglis, Matrimoniorum necessitudines, & tot annorum commercia; futuræ factionis seminarium timebantur. In hisce igitur Londinensibus Comitiis cautum; Danos premere; qui diu & durè Insulam presserant. Ex Gallia, Normanniave, nihil cautum est, fortè, quia priùs Edoardum rogaverunt, in Normannorum delicta parciùs agere. Inde tamen eadem periculorum ratio, & timendi eadem, si non plura, argumenta suppetebant. Sed præsentia magis feriunt, futura minùs præcaventur.

V. MORITUR AELFWARDUS LONDINENSIS EPISCOPUS.

Moritur, hoc anno, Aelfwardus Londinensis Episcopus; qui ab anno Christi millesimo trigesimo secundo, Ecclesiam illam rexerat; & unà Eveshamense monasterium, cui Abbatis dignitate præfuerat. Hic paulò antequam naturæ concederet, Episcopali muneri cedere, & onus in alium deponere statuerat; ut quietè in suo monasterio moreretur. Sed sui eum non receperunt: Unde Ramesiense cœnobium petiit, ibique onus omne, vitamq; deposuit. *Hæc omnia sic refert Hovedenus: *Anno millesimo quadragesimo quarto, Alewardus* (ita eum vocari aliquando *suprà dixi) *Londinensis Præsul: qui & ante Episcopatum, & in Episcopatu, Abbatis jure Eoveshamensi præfuit: cùm Pontificatum administrare, pro sua infirmitate minus sufficeret: Eoveshammi residere voluit. Sed fratres illius loci, ad id omnino consentire noluerunt. Quapropter Abbatis ex magna parte libris, & ornamentis quæ ipse eidem loco contulerat; & quibusdam (ut fertur) quæ alii contulerant; ad Monasterium Ramensege secessit: & omnia quæ attulit; Sancto contulit Benedicto ibiq; resedit: & eodem anno octavo Calendas Augusti, feria quarta defunctus, sepelitur ibidem.*

*V. an. 1032. 12. Hoved. hic.

Quis illi in Abbatis Eveshamensis locum successerit, jam suprà dictum: Nam Wulmarus ejusdem loci monachus in Londinensi Concilio præficitur.

VI. ROBARTUS LONDINENSIS EPISCOPUS.

An ibi decretum quoque de successione ad Londinensem Sedem, nescio: verosimilius authores id expressissent, si communi procerum suffragio factum fuisset. Edoardus ergo, suo amori indulgens, & memor beneficiorum, quæ exulem, in Normannia recreaverant; voluit Rex facta, vicem rependere. Hinc Normannorum plurimi, Regem in Angliam vario tempore sequuti; amplissimis aucti muneribus, ibidem resederunt. Vacantem ergo hoc anno, Londinensem Sedem, Robertus quidam Normannus ascendere jubetur. De cujus promotione hæc habet Ingulphus: *Rex Edoardus natus in Anglia, sed nutritus in Normannia, & diutissimè immoratus; penè in Gallicam transierat: adducens, ac attrahens, de Normannia plurimos, quos variis dignitatibus promotos, in immensum exaltabat. Præcipuus inter eos erat Robertus, Gemetitensis Monachus, factus per eum Episcopus Lundoniensis, postea in Archiepiscopum Cantuariensem elevatus.* Robertus hinc è monasterio, ab Edoardo vocatus; utriusque Reipublicæ administrationi se immiscuit; & ejus consilio usus Rex; aliqua postmodum fecit. quæ subditorum animos, in Normannos omnes exciverunt: sed Regis animus vulgo major, constanter illis adhæsit, à quibus olim servatus, fotus, & ad regnum animatus est. Quod postea tumultuum origo fuit, de *quibus paulò inferiùs; Interim dico, cum Malmesberiensi: *Is ergo (Robertus) & amore antiquo, & recenti honore, primas partes, in consiliis regalibus, vendicabat: quos vellet deponeret; quos liberet, sublimaret, Angli ergo Normanno invidere; & Regis benevolentiam extenuare: ille contra pertinaciùs insistere, &c.*

Ingulf fol. 895.

EDOARDO A CONSILIIS FUIT.

VII. NORMANNI AD ECCLESIAS ASSUMUNTUR.

*Crevit hæc æmulatio, cùm plures per Angliam Normanni, Ecclesiasticis beneficiis donantur: & cùm relicto more patrio; exterorum mores Curiales primùm; inde eorum exemplo, alii, imbiberunt. Ita Angli, paulatim Angli esse desierunt; eorum commercio, & convictu, qui Anglorum simplicitatem corruperunt. Hos inter, hoc anno Stigandus iterum, in Helmhamensem sedem irrepsit; ingenio potiùs suo, quàm merito. Florilegus ita de eo. *Quo etiam anno* (inquit ad annum gratiæ 1044.) *defuncto Ælfrico Helmhamensi Episcopo, Stigandus Regis satellitum, successit.* Quod intelligendum est, iuxta supradicta, ad annum Domini millesimum trigesimum octavum: ubi dixi, mortuo tunc Alfrico, Stigandum illi substitutum; sed per Grimkatellum mox ejectum: postea tamen Stigandus, arte ingenioq; quo valuit, eodem Grimkatello exauctorato, restitutus est, postliminii jure. Quod ita Godwinus exponit. *Grimketellus, qui Stigandum curaverat ejiciendum; postquam compertum esset; aditum sibi, ad eum quem adeptus est honorem, mercede, ac pretio patefecisse: deturbatus est & ipse: ac Stigandus denuo, in Cathedra Episcopali collocatus:* nimirum hoc anno. ut notant Fasti; & Florigerus suprà; qui non de prima Stigandi institutione: sed de

Westmon. STIGANDUS HELMHAMENSIS EPISCOPUS. Vide an. 1038. 2. *Godwin in Norvicensi*

ejusdem restitutione, hoc anno intelligendus est: nam Alfricum anno millesimo trigesimo octavo mortuum esse, Florilegus ipse affirmat. Utrobique, vereor: tam in ejiciente, inquam, quàm in ejecto, plùs artes & ingenium, quàm merita potuerunt. Nam eum Simone utrumque communicasse, quæ dicta, quæque dicenda, docebunt.

VIII. MALI MORES SUB BONO PRINCIPE.

Inceperunt ergo hoc tempore, sub sancto Rege, non sancti mores, & sub externorum hominum, ac ingeniorum nube, Anglicanæ Ecclesiæ splendor obscurari: unde, fortè, Regis fides illustrior fuit: quia nullis corrupta moribus, nulla sæculi sorde; ad sequentium sæculorum invidiam splendidissimè luxit. Porrò quod mores nunc passim mutati; & Angli in Gallos desierint, Ingulphus videtur asserere: *Cœpit ergo* (inquit) *tota terra, sub Rege (Edoardo) & sub aliis, Normannis introductis, Anglicos titulos dimittere, & Francorum mores in multis imitari. Gallicum idioma omnes magnates, in suis curiis, tanquam magnum gentilitium loqui: chartas & chirographa sua, more Francorum confacere: & propriam consuetudinem, in his & in aliis multis, erubescere.* Sequuta est ergo Danorum primò, inde Normannorum horum adventum, aliqua regni conversio, & status ferè alius: utinam omnia in melius mutata, quod à Septentrionali populo; ubi passim major barbaries, optari magis quàm sperari potuit. Unde à Canuto Rege, & deinceps; ipsa etiam Londinensis civitas, è populorum externorum colluvie, notatur sordes collegisse. *Elegerunt enim Haroldum Dani, & Londonia cives* (loquitur Malmesberiensis) *qui jam penè in barbarorum mores, propter frequentem convictum transierant.* Quid dicturus, postquam Dani, Galli & Normanni; Anglis, Britannis, Scotisque mixti; non potuerunt unâ lege teneri. Major fuit in Ecclesia solœcismus; si neglectis Synodorum decretis, animarum cura sub hasta venit, & Christi sponsam, aut seduxit avaritia, aut ambitio captivavit. Sed breve tantum fuit pietatis deliquium; & Stigandus post annos aliquot, pœnas dabit; crescet paululum, ut solet lolium, & Cantuariensem etiam sedem præsumet: sed quia spurium vitulamen, non dabit radices altas.

Ingul. f. 995.

HINC GALLORUM RITUS, ET LINGUA.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 12. prin.

ANNUS CHRISTI 1045.

GREGORII VI. PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLO. RE. 4.

I. MAGNUS NORWEGIÆ REX ANGLIAM HOSTILITER PETENS AVERTITUR.

EXTERNORUM proscriptio, Septentrionalium provinciarum Regibus, ansam altercandi dedit, anno Domini millesimo quadragesimo quinto. Gunilda, & filii exules; exauctoratio eorum, qui Arces in Anglia possederant; decretum denique, quo Dani à corona arcebantur; externis Principibus, qui à Canuto, & majoribus ejus descendebant, præjudicium censebatur. Norwegiæ Rex, qui Magnus appellatur, id tulit cæteris impatientiùs. Is Sancti Olavi filius, qui in Canutum sæpè pugnaverat; Canuti jura, sui juris esse; ac proinde Angliam, prætendit: sed cernens se omni spe dejectum, eâ alia via quàm armis potiundi; expeditionem eò parat; ratus tam facilem sibi, quàm Swano Canutoque victoriam. Sensit hoc Edoardus Rex, & contra parat occurrere; certus se tempore, loco, natalibus, & omni juris apice, potiorem. Dum hæc utrimque expediuntur: & miles in procinctu est; Swanus Danorum Rex, Norwegiam incurrere, eam depopulari, sibique subjicere; avito inter utrosque odio; contendit. Quod Magni Regis consilium evertit; avertitque ab Anglia hostilem impetum. Sic Wigorniensem intellige, qui paucis hæc complexus ait: *Quo anno* (*millesimo quadragesimo quinto*) *Rex Anglorum Eadwardus, ad Sandicum portum congregavit classem prævalidam, contra Magnum Norreganorum Regem, Angliam adire disponentem: sed bellum à Swano Rege Danorum, illi illatum, iter impedivit.* Idem habet Florilegus, Hovedenus, & passim recentiores, ad hunc annum.

Wigorn. hic.

II. Unde corrigendus est Adamus Bremensis, qui aliter rem gestam narrat: non Magnum, Norwegiæ, sed Swanum Danorum Regem, movisse: Edoardum Regem; non vim vi, sed preces & supplicia; subjectionem denique opposuisse: quæ omnia cum fide historiarum nostrarum, è diametro pugnant. Exploranda sunt igitur. Adamus in hunc modum refert: *Suen duo regna possedit, classemque parasse dicitur, ut Angliam suo jure subjiceret. Verum, Sanctissimus Eduardus; cum justitia regnum gubernaret: tunc quoque pacem eligens; victori obtulit tributum: Statuens eum, ut supra dictum est, post se regni hæredem.* Ita ille: quæ verba, cùm Baronius recitasset ad annum Christi millesimum quinquagesimum, mox addit de suo; *Quod factum* (inquit) *ante biennium, anno Domini millesimo quadragesimo octavo, Rogerius habet.* Verùm Rogerius ad eum annum, non contradicit iis, quæ ad annum millesimum quadragesimum quintum scripserat: ubi transcribit omnia quæ Wigorniensis dixerat, & modò recensui. non dicit Swanum bellum in Angliam; sed pacem meditatum esse: non dicit Edoardum, regnum illi promisisse: sed tantùm pacem à Swano; oblatam admisisse. Et hæc tantùm habet: *Anno millesimo quadragesimo octavo, Swanus Danemarciam recepit, & Haroldus Herfager, Siwardi Regis Norreganorum filius, & ex parte matris, frater Sancti Olavi, patruus scilicet Magni Regis, Norregiam repetiit: brevique post tempore, suos nuntios ad Regem Anglorum Eadwardum misit: & pacem amicitiamque ei obtulit, & recepit.* nimirum Haroldus Harfager, cùm, Swano mortuo, in Norwegiæ regnum successisset. Quod certum est Rogerium voluisse; quia Wigorniensem exscribit, qui ita pergit post prædicta verba. *Ad quem etiam* (*Edwardum Regem*) *Rex Danorum Suanus, legatos mittens; rogavit ut ei navale mitteret adjutorium.* Non Swanus ergo, aut Haroldus ille, Edoardum coëgit ad indigna: nec Edoardus adhuc externo Principi obligavit Angliam: nec obligationis umbra apparet in Annalibus nostris. Adamus ergo hallucinatus est.

ADAM BREMENSIS ARGUITUR ERRORIS. *Adam. l. 3. c. 12.*

Baron. an. 1050. 12.

Hoveden. 1048.

Wigorn. an. 1048.

III. S. BRITHWOLDUS WILTONIENSIS EP. MORITUR.

Hoc anno moritur Wiltoniensis Episcopus, Sanctus Brithwoldus, de quo suprà sæpiùs. Hic enim ille est, qui languentis Insulæ statum ingemiscens; vidit à S. Petro, Edoardum, Regem designari atque consecrari. cùmque diu Episcopali munere functus esset; sanctissimè in Domino quievit. De eo Malmesberiensis, cum Wiltunenses recenset: *Octavus* (inquit) *Brithwoldus, ex monacho Glastoniensi: qui multis annis à tempore Regis Ethelredi, usque ad Edwardum ultimum, administravit*

Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 249.

Episcopatum. Decurso vitæ spatio sepultus est Brithwoldus Glastoniæ: cujus possessiones multis prædiis, & redditibus ampliaverat; nostro quoque monasterio perliberalis. Quod ad tempus mortis attinet, omnes conveniunt huc referendum esse. Unde Florilegus: *Anno gratiæ* (inquit) *millesimo quadragesimo quinto, Brithwoldus Ramesburiensis Episcopus obiit.*

VVestm. hic.

Ramesburiensem vocat, quia Wiltonienses, aliquando Ramesburiæ, aliquando Suaningæ; sed diutiùs Wiltoniæ, postmodum Sarisburiæ, sedisse memorantur. Unde Wigorniensis & Hovedenus, ad eundem annum scribunt ita: *Anno millesimo quadragesimo quinto, Brithwoldus Viltoniensis Episcopus obiit.* Ex quibus corrigendi sunt ii omnes, qui Brithwoldum hunc, vaticinio illustrem, Wintoniensem Episcopum vocaverunt; non aliam, opinor ob causam, quàm quia semel à Malmesburiensi, Wintoniensis dicitur: sed amanuensis id vitium esse, satis ostendunt ea, quæ suprà è Malmesburiensi adferuntur.

Hoveden. hic.

IV. EIUS VATICINIUM DE NORMANNORUM ADVENTU. *Huntind. l. 6. prin.*

Ad hunc etiam virum prophetiæ munere ornatum, referri potest illud vaticinium: quo, sub hæc tempora, Normannorum ingressum prædixit & Anglicani regni exterminium, ob peccata populi, neglectumque Ecclesiarum. Et fortè moriens, hoc anno, edidit oraculum; de quo Huntindonius ita scribit: *Prædixit etiam eis quidam vir Dei, quod ex scelerum suorum immanitate: non solùm quia semper cædi & proditioni studebant; verùm etiam, quia semper ebrietati, & negligentiæ domus Domini, dediti erant: eis insperatum a Francia adventurum Dominium: quod & eorum excellentiam in æternum deprimeret: & honorem sine termino restitutionis eventilaret. Prædixit etiam quod non ea gens solùm; verùm & Scottorum, quos vilissimos habebant, eis ad emeritam confusionem dominaretur. Prædixit nihilominus varium adeo saculum creandum; ut varietas, quæ in mentibus hominum latebat, & in actibus parebat, multimoda variatione vestium, & indumentorum designaretur.* Ita Huntindonius. Quod quia in vita S. Edoardi Regis, & Confessoris, refertur etiam, apud Capgravium, ubi dicitur: *Quidam vir Dei in diebus illis prædixit Anglis, &c.* & quia post narratum vaticinium subditur: *Illis diebus imperavit Henricus secundus:* Ideo à Brithwoldo Wiltoniensi profectum oraculum, & fortè sub tempus mortis ejus, possumus opinari. Quicquid sit, in nostro Martyrologio Brithwoldus inter Sanctos ponitur, ad vigesimum secundum Januarii: & benè Glastoniæ Antiquitates hæc habent: *Obiit venerabilis memoriæ Brithwaldus Wiltoniensis, seu Salesburiensis Episcopus, anno Domini millesimo quadragesimo quinto. Sepultus est Glaston, in parte aquilonari, cum Brithwio Episcopo, vir omni ævo prædicandus: qui rura contulit eidem Ecclesiæ, ut digne in memoria habeatur æterna.* Cæterum quæ Brithwoldus Glastoniæ dederit, suprà recensui ad annum millesimum vigesimum septimum: quæ certè memoriam ejus perennant.

Capgrav. in Edoardo Confess.

V. HERMANNUS WILTUNENSIS EPISCOPUS.

Brithwoldo in Wiltoniensi Ecclesia, successit Hermannus, *Natione Flandrensis*, inquit Malmesberiensis: *de Lotharinga oriundus*, inquiunt Wigornienses, & Hovedenus. Hic humili prædecessorum Antistitum sede non contentus; & Suaningam, vel Ramesburiam, vel Wiltoniam, suis votis imparem cernens; alio sedem transferre, & sublimius sedere, ambitiosiùs, quàm religiosiùs, expetivit. Malmesburiensem Ecclesiam, quam pii Principes ornaverant, in sedem elegit: & quia ejusdem cœnobii Abbas nuper obierat: ibi principatum tenere, Cathedram figere; & Episcopi munera exercere, è dignitate futurum sperabat. Edoardum Regem aggreditur, & assensum ejus facilè extorquet; qui aures animumque externis dederat. Monachi tamen, cum omnia monasterii sui privilegia; omnia Regum diplomata; omnia denique Conciliorum decreta: uno vanoque externi hominis suspicio, prostrata, & violata cernerent; indignissimè rem tulerunt: & Regem ad aliorum vota nimis facilem, nec satis in concedendo circumspectum, adeuntes: per se, aliosque proceres, æquè facilè impetrant, monasteriorum privilegiis standum; nec aliorum cupiditati, quæ concessis olim privilegiis adversetur, serviendum esse. Unde Hermannus novus Antistes, suo voto frustratus, in Belgium discessit; ibi in Sancti Bertini illustrissimo Monasterio, monachum induit: ubi aliquamdiu cùm humili mentis studio, cupiditatem pressisset; in Angliam rediit, sancta monachi veste, quàm humilitate, auctior. Nam mortuo Schireburnensi Episcopo, Ecclesiam illam, Wiltoniensi unitam, Sarisberiam transtulit ad urbem illustriorem. Sed hæc post annos decem. Interim juvat Malmesberiensem legere: unde supradicta omnia confirmantur.

MALMESBERIENSIUM MONASTERIUM A REGE IMPETRAT.

SED MONACHI MERITÒ INDIGNANTUR.

IN BELGIUM SPE FRUSTRATUS TENDIT.

VI. *Malmesb. de Pontif. c. 2. fol. 249.*

*Regnabat jam tunc (cùm Brithwoldus moritur) Edwardus; qui Hermanno Capellano suo, natione Flandrensi, continuò Pontificatum donandum putavit. Ejus animi magnitudini, vel potiùs cupiditati, cùm non sufficeret rerum angustia. Quoniam apud Ramesberiam, nec clericorum conventus; nec quo sustentaretur, erat, à Rege petiit; ut qui se dignatus honore fuisset; non inhonorum victurum permitteret. Antecessores suos indigenas fuisse; se alienigenam, nullo parentum compendio, vitam quo sustentet habere. Proinde Meldunense cœnobium sibi, ad faciendam sedem concederet: Abbatem, opportuno sibi casu, proximè obiisse. Id Rex pro simplicitate, cui pronior, quàm prudentiæ semper erat; legitimè concedendum ratus, tertio ab hinc die dissolvit. Nam antequam Hermannus, in re, vel sasitione invisceretur (fortè investiretur) excellentis prudentiæ monachi; audito quid in Curia actum, quid justitia sui reptum esset; ad Comitem Godwinum, ejusque filium summâ celeritate contendunt. Illi, rei indignatione permoti, Regem adeunt, & à sententia deducunt. Facile id fuit viris summis, amplissima authoritate præditis; quibus, & causæ rectitudo, & Regis facilitas, suffragaretur. Ita Hermannus, necdum plane initiatus, expulsus, est. Quo pudore confusus, Angliam indignabundus reliquit. Nec multò post, ægritudine admonente simul, & quod secularia parum prosperaverat, fortunæ iratus, mundo renuntiavit, monachus apud Sanctum Bertinum factus. Sed ut ferè fit talibus, repentino illo impetu religionis frigescente; in dies in Angliam reditum meditabatur. *Pigebat hominem, assuetum obsequiis, innutritum deliciis, carere delinimentis, quæ ab ineunte fuerat expertus ætate. Affuerat quoque, secundus rumor aures ejus, Alwoldum Episcopum Schireburnensem obiisse: cujus Episcopatum suo uniendum, antiquis Edgitha Reginæ promissis operiebatur. Quo concitatior veniens congruum spe sua effectum invenit. Et jam Godwinus, quem vehementer timebat, discesserat; filiusque ejus voluntati Regis, & in hoc, & in aliis accesserat, adoptionis scilicet inhians.*

*Figebat.

Hic author plura conjungit quæ nos infrà suis locis notabimus. Hermannus hoc anno electus, & consecratus; dum nimium amplectitur, nihil

VII.

vel parum cœpit, rejectus est, non quia alienigena, ut aliqui contendunt: nam tales Anglorum monasteriis sæpè præfecti: sed quia monasterium illud ab omni Episcoporum iure eximium erat. Atque ita sedem reliquit, in Belgium perrexit, ibi factus Monachus. Mansit interim vidua Ecclesia; quia nemo ejus loco substituitur. Quamdiu ad Sancti Bertini vixerit, nemo, quod sciam, prodidit: si mansit ibi, ad Elfwoldi Schireburnensis obitum, ut velle videtur Malmesberiensis: & si ille incidit in annum Christi millesimum quinquagesimum sextum, ut notant Fasti, Hermannus noster decennio abfuit: & tunc demum in Angliam rediens, Episcopi personam induit, factus Wiltunensis, & Schireburnensis Episcopus. Vixit autem ad Normannorum tempora: & tunc translata sede Sarisberiam, primus scribitur *Sarisberiensis Episcopus.*

ANNUS CHRISTI 1046.

GREGORII VI. PAPÆ 3.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 5.

I. Gregorius Sede pellitur: Clemens II. substituitur.

SEQUITUR Christi annus millesimus quadragesimus sextus: quo Henricus Conradi Imperatoris filius, qui Gunildam Canuti Regis filiam duxerat; in Romanam Ecclesiam nimium præsumens; Synodum convocat, & ad tribunal suum Ecclesiarum judicia vocat; Gregorium, quasi populi suffragio, magis, quàm jure, lectum arguit; eumque, eodem argumento, quo idem tres Pontifices nuper de primatu contendentes; Sede sua cedere jubet. Quod Gregorius vir à multis laudatus, libens volensque patitur. Eo amoto, ejusdem Synodi suffragio (quæ ad Sutrium habebatur) Suidgerus, Bambergensis Episcopus, ipso nascentis Christi die Romanam Cathedram solenni cærimonia inauguratus, ascendit, dictusque est Clemens secundus. *Qui mox* (inquit Hermannus) *ipsa die Henricum Regem, & conjugem ejus Agnetem, imperiali benedictione sublimavit.* In eodem Sutrino Concilio, redditibus Ecclesiasticis privantur, tres illi quibus eos Gregorius nuper donaverat. Unde Angliæ redditus, Benedicto assignati, Clementi secundo persolvuntur. Ab hoc anno Henricus Imperatoris nomine, & prærogativa fruitur. Unde impropriè loquuti sunt, qui dixerunt sup. à, Canuti filiam Henrico Imperatori nuptui tradtam. Magis tamen erraverunt, qui eandem multo tempore in matrimonio vixisse, & demum ab Henrico divertisse affirmarunt: aliaque commenti sunt, quæ in Chunigundem Henrici secundi conjugem rectiùs cadunt. Cæterùm Henricus anno Christi millesimo quadragesimo tertio, Agnetem Guilhelmi Pictaviensis filiam duxerat: & nunc sub finem anni cum eadem imperiali benedictione sublimatur.

Apud Baron. hoc n. 2.

II. Moritur Livingus Crediensis Episcopus.

Moritur hoc anno, in Occidente nostro, Livingus Episcopus, qui Coronbiensem sedem Crediensi univerat; occupatâ etiam Wigorniensi Ecclesiâ. Unde malo possessis exemplo libitur Wictiorum, Domnaniæ, & Cornubiæ præsul. Hic ille est, Canuto Regi olim familiaris, Romani itineris comes: & bajulus literarum, quas idem Rex in Angliam præmisit: qui postea multo sedium & titulorum incremento tumidus, exiguam laudem in Annalibus habuit. Unde Malmesburiensis Monachus, ita vivum & mortuum describit. *Livingus ex monacho Wintoniensi, Abbas Tavistokensis, & Episcopus Crediensis, maxima familiaritatis, & potentiæ, apud Cnutonem Regem habitus est. Cum eo Danemarchia multo conversatus tempore, in Romano itinere comitatus adhæsit: nec minus expletis apud Romam negotiis: cùm Rex pedestri via Danemarchiam contendisset, ille regiarum Epistolarum bajulus, & mandatorum executor futurus, navigio Angliam venit: omnibusque, quæ injuncta fuerant, sapienter & mirificè, ante adventum Regis, consummatis: eò apud eum gratia processit: ut defuncto avunculo suo * Brithwoldo, qui erat Cornubiensis Episcopus, ambos arbitratu suo uniret Episcopatus. Ambitiosus, & protervus Ecclesiasticarum legum tyrannus, ut ferunt invictus; qui nihil pensi haberet, quò minùs omni voluntati suæ assisteret. Denique a majoribus accepimus: cùm ille spiritum efflaret, tam horrisonum crepitum per totam Angliam auditum; ut ruina, & finis totius putaretur orbis. Humatus est Tavistokiæ quo loco multa spectabilia contulerat; tantumque sui gratiam apud monachos locaverat; ut hodieque quindecim graduum psalmos, continuata, per successores consuetudine, pro ejus decantent quiete.*

Malmesb. de Pontif. l. 2. c. 215.

Vide an. 1038.

Preces pro defuncto.

III. Aldredus Wigorniensis Episcopus. Leofricus Crediensis.

Livingo mortuo successit in Wigorniensem sedem Aldredus: in Occidentis Ecclesiarum regimen Leofricus. De utroque breviter agendum. Fuit Aldredus, Wintoniensis monachus, & Abbas postmodum Tavistochiæ: qui cùm Wigorniensem Ecclesiam, plures annos administrasset; in Eboracensem Sedem ab Edoardo Rege assumitur. Leofricus externus homo, vel saltem extra Angliam doctus; Crediensem Sedem, humili loco positam, alio transtulit. De eo sic Malmesburiensis: *Livingo, tempore Regis Edwardi, successit Lefricus apud Lotharingos altus, & doctus; qui sedem Episcopatus transtulit in civitatem, quæ propter fluvium Exam, qui muros lapsu suo allambit, vocatur Excestre. Hanc Urbem primus Rex Ethelstanus in potestatem Anglorum; effugatis Britonibus; redactam turribus insignivit: muro eam quadratis lapidibus cinxit: ubi omne adeo abundat mercimonium, ut nihil frustra desideres, quod humano usui conducibile judices. licèt solum jejunum, & squalidum, vix steriles avenas, & plerumque inane folliculum, sine grano, producat. Hic Lefricus, ejectis Sanctimonialibus, à Sancti Petri monasterio, Episcopatum & Canonicos statuit; qui contra morem Anglorum, ad formam Lotharingorum, uno triclinio comederent, uno cubiculo cubitarent. Transmissa est hujuscemodi regula ad posteros; quamvis pro luxu temporum, nonnulla jam ex parte deciderit: habentque clerici œconomum, ab Episcopo constitutum; qui eis diatim necessaria victus; annuatim amictus commoda suggerat.* Hæc ille, de Leofrico, inductoque ab eo more. Verùm de Crediensi Sede, Exoniam translata, & dirutis tunc monasteriis, paulò inferiùs: ubi non tam ejectas moniales, quàm ad nobiliorem locum, à Sanctissimo Rege transmissos monachos dicam, anno nimirum millesimo quadragesimo nono.

Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 256.

ANNUS CHRISTI 1047.

CLEMENTIS II. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLORUM REGIS. 6.

I. Clemens II. moritur.

ROMANUS Pontifex Clemens, eo nomine secundus, cùm Synodum Romæ habuisset; in qua Simoniacam impietatem, quæ *per Occidentalia regna ebullierat*, inquit Petrus Damiani, condemnasset; & alia Ecclesiis utilia statuisset, in Germaniam profectus; nono post initum pontificatum mense moritur, & Bambergæ sepelitur, anno millesimo quadragesimo septimo. Quis ei successerit, dicam anno sequenti. Nam Benedictus IX. nuper è Sede pulsus, licèt Sedem jam tertiò repetiisset; coactus est tamen cedere.

II. Swanus Danorum Rex legatos mittit ad Edoardum Regem.

Dum Romæ hæc fiunt; boreales gentes domi tumultuantur; & Angliam ferè in factionem & tumultum trahunt. Danorum Rex Swanus, cùm à Norwegiæ populo ac principe, impeteretur; missa legatione Edoardum nostrum, pro utriusque gentis antiqua consuetudine rogat; classem sibi laboranti submittat; quæ se, regnumq; ac jura sua tueatur. Re ad Proceres, de more, delata; Godwinus Comes, à Suano stabat, & quinquaginta saltem naves, militibus instructas, mittendas dicit: Contra, Leofricus Comes, & cæteri ferè omnes: non irritandos Principum animos, ut aliorum rebus consulatur, censent, & ita factum: noluit Edoardus bellorum incendiis fomitem ministrare. *Post hæc Magnus Rex Norreganorum, classe multa & valida constipatus; cum Suano prælium commisit: & multis *militibus utrimque occisis, illum de Danemarcia expulit: & post, in illa etiam regnavit: atque tributum sibi non modicum pendere Danos coëgit, at non multo post obiit*, inquit Wigorniensis. Eadem habet ad hunc annum Hovedenus. Unde infirmantur ea, quæ Adamus Bremensis l. 3. c. 12. tradit: Suanum classem parasse sub hæc tempora, ut Angliam suo juri subjiceret; Edoardum ei precibus & muneribus supplicem, tributum promisisse, quæ etiam suprà rejeci. Et potiùs dicendum est Swanum ab Edoardo classem supplici legatione petiisse: & tantum abfuisse, ut aliena appeteret; ut suo tuendo imperio, finibusque impar esset.

Wigorn. hic.
*millibus Hoveden.

III. Moritur Grimketellus Helmhamensis Episcopus.

Moritur, hoc anno, Australium Saxonum Episcopus Grimketellus; qui nunc Seleseiensem, nunc Helmhamensem Ecclesiam, vario infortunio rexerat; nunc sede ejectus, nunc restitutus, tandem vita sedeque exuitur. Successorem hoc anno habuit, pro australibus Hecam, Edwardi Regis Sacellanum: *qui consecratus* (inquid Godwinus) *anno millesimo quadragesimo septimo, decessit anno millesimo quinquagesimo septimo.* Pro Orientalibus Anglis, hoc est, ad Sedem Helmhamensem, quam Stigandus semel iterumque occupaverat, successit Agelmarus Stigandi frater. Sic habes verum esse, quod suprà Malmesburiensis dixit. *Pro auro Grimkatel electus tenuit duas parochias Orientalium Anglorum, & Australium Saxonum. Intercessu verò temporis: sic redditis rationibus, Stigandus evaluit, ut sibi Australium Saxonum Episcopatum restitueret: & Orientalium Anglorum fratri Egelmaro acquireret. maximam id animositatis suæ ratus, Wintoniensem & Cantuariensem thronos ascendit: vix ægrè exoratus, ut Australibus Saxonibus, proprius ordinaretur Antistes.* Fortè hoc anno, cùm Grinketellus moritur: Institutus tamen est Heca: & Stigandus Wintoniensi Sede contentus: donec ad Cantuariensem illi accessus pararetur. Quod brevi fiet.

Godwin. in Lincolniensi.
Heca Selseiensis Episcopus.
Agelmarus Helmhamensis Episcopus.
Malmesb. de Pontif. c. 2. fol. 335.

IV. Moritur Alfwinus Wintoniensis Episcopus.

Interim moritur Wintoniensis Antistes Alfwinus, vel Elwinus, de quo ad annum millesimum trigesimum tertium. Ubi dixi, eum, ut creditur, annuente Emmâ Regina, cui imprimis gratus erat, consecratum Episcopum. Innuere tunc volui, quod modò diffundam; rumorem in vulgus sparsum; quem facilè accipiunt, & augent malevoli: hunc Episcopum familiariùs, quàm oportuit, cum Emma egisse, modestiæ & castitatis leges transgressum: Rem rumoremque ad Edoardi Regis aures, Roberti Londinensis relatione pervenisse. Qui rei indignitate commotus, utrumque; Episcopum, inquam, & matrem suam, custodiæ mandaverit; donec utriusque innocentia, miraculo probata, uterque cum laude absolvitur. Ita plures tradiderunt. Sunt tamen è modernis & factiosis aliqui, qui historiam hanc a monachis confictam, non alio nixam fundamento putant. Quod si modestè facerent; sine monachorum injuria: nec aniles fabulas dicerent, quod ipsimet fatentur: *decantatissimum miraculum habitum esse* (ita Godwinus illud vocat) possent fortè inter ingeniosos hujus sæculi criticos locum mereri: qui solent aliquando profundiùs historiarum fontes: & inde veritates, elicere: Verùm quia non docto impetu, sed manifesto in Monachos odio, feruntur; minus audiendi sunt. Ego certè ingenuè fateor, apud antiquorum neminem, quem hactenus invenire potui; Emmæ crimen purgationemque, per ignitos vomeres legi: & satis miror Malmesburiensem, qui Regum & Episcoporum gesta describit; qui Emmæ sæpiùs, & Elwini, inter Wintonienses Episcopos meminit; silentio narrationem illam transivisse. Absit tamen, ut commenta & fabulas censeam, quicquid ab eo prætermissum, aliorum fide dignorum calculo probatur. Quicquid sit, nolo rem ab aliis ante ducentos annos relatam, & à Mathæo Parkero latiùs explicatam, meo silentio condemnare. maximè cùm Harpesfeldus, accuratus author, non monachus, id sine tergiversatione referat.

Excutitur eius cum Emma vulgata familiaritas.
Godwin in Cantuariensi & Roberto.
Emmæ purgatio per ignitos vomeres.

V. Excutitur narratio.

Godwinus quo fabulam probet, vult Emmam apud Regem filium, gratiam virtutisque famam, & amicitiis, divitiisque firmatam potentiam, collegisse: quam Robertus, scilicet evertere, & obscurare conatus sit. Sed nemo quod sciam antiquorum, aut monachorum id asserit. & contra scimus, quid sub regni exordium Edoardus fecerit, cùm Wintoniam profectus, illam bonis exuit. Dic ergo Robertum Episcopi crimen, vulgò jactatum, faciliore quàm oportuit, aure excepisse; ad Regem illud detulisse, & scandalo remedium suggessisse: qui sub alio cœlo natus, Anglorum genium inde mensus, nocenter de innocentibus judicavit. Sed, inquies, quid Roberto Londinensi cum Wintoniensis Episcopi crimine? Respondeo: Edsinus Cantuariensis, ætate, & morbo fractus, ut Siwardo Suffraganeo, Cantuariensem Ecclesiam (quemadmodum supradictum) ita Roberto, quæ erant superioris ordinis, delegasse. Ita saltem colligo ex Harpesfeldo; rem gestam sic narrante. *Emmæ nomen, & æstimatio,*

Robertus criminis delator et quare.

varii

variis gravibusq; ex criminibus, valde laborabat, & onerabatur: quæ infestis ad Regem querelis, & exaggerationibus, adversarius ejus; Robertus præsertim, Cantuariensis postea Archiepiscopus: qui q; hoc tempore, impedito, & morbo sontico afflictato Archiepiscopo; ut illius Vicarius, totum Archiepiscopatus curam gerebat. quemq; Rex supra cæteros omnes, suspiciebat, & colebat. Non passurum se Robertus aiebat, ut tanta scelera impunita abirent. Pessimo hanc impunitatem exemplo, nihil aliud fore; quàm similium in aliis quoq; scelerum admittendorum irritamentum. His & similibus, cum optimi Regis, nec satis ad veteratoris fraudes capiendas instructi, aures quotidie oneraret: rem totam Roberto, & Episcopis committit. Celebrem mox Episcoporum Synodum Robertus Wintoniæ indicit. Carcere Emma, apud cœnobium VVarwellense. & VVintoniæ Alvinus Episcopus clauduntur; & possessionibus suis omnibus expoliantur.

VI. CONFICTA EMMÆ CRIMINA. Hæc omnia Harpesfeldus, è Thoma Rudburno, monacho Wintoniensi, in Chronico majore; & Polychronico l. 6. c. 23. Quid in celebri Synodo præterea gestum, nemo refert: solum Emmæ crimina, Robertum in immensum extulisse, ejus cum Episcopo sacrilegium, unius filii parricidium, & Edoardi nunc viventis tentatam veneno mortem; quæ duri carceris pœnæ causam dederunt. Quid interim Regina innocens? *Queritur apud Episcopos Emma* (ita pergit narrare Harpesfeldus) *nefarium seper æmulos premi calumniis, eorumq; fidem, & opem implorat: paratamq; se ostendit, omnibus legitimis rationibus innocentiam suam adstruere: alteriusq; in pectore suo, doloris vulnus, ex conflata Alrvino Episcopo invidia, quam de sua, residere. Confluentes deinde Episcopi, has omnes facilè apud Regem turbas composuissent, nisi violentius has Robertus calumnias urfisset, atque exaggerasset. Qua, inquit, fiducia, nondicam fœmina, sed monstri potiùs, & feræ hujus defensionem suscipitis; quæ sacrilego se cum Episcopo stupro commaculavit? At hoc Episcopi crimen, legitima usitataq; satisfactione purgare, & diluere se velle dicit. Sit ita: eximatur ille à reatu: sed quomodo seipsam eximet? Quomodo se explicabit? Qua satisfactione expediet, à duplici illa, & atroci criminatione, qua illi & de nece filii Alvredi (cujus illa erat conscia, & particeps) de veneno quo alterum filium, & Augustum nostrum Regem Edoardum, tollere conata est, intenditur? Etenim quoniam innocentiæ fiduciam simulat; non detrecto, quin si nudis pedibus, firmoq; gressu, quatuor ignitos vomeres, ad suum privatum, & quinque præterea, ad commune cum Episcopo crimen diluendum, inoffenso pede, illæsa, nec ambusta, pertransierit; falsis & infamis calumniis, impiè imposita censeatur: & me facile de dignitate mea deiici patiar. Atqui si graves ignis sensus, & manifesta vestigia pedibus impressa, hanc omnem illius vanam jactationem compriment, & redarguent: tum legitimis & justis tantorum criminum præterea pœnis, ut par est, involvatur. Hunc deinde & reliqui Episcopi, propter summam præcipui Roberti authoritatem, propter tantam infamiæ & criminum magnitudinem, sententiam amplectuntur.*

Idem suprà.

VII. EMMA AD IGNITOS VOMERES CONDEMNATUR. *Præscribitur deinde à Rege certus purgationis dies: cujus cùm per omnium aures pervagata fama volitaret; mirum dictu! quàm immensa omnium ordinum, omnisq; sexus multitudo; adeo ut eam civitas capere non potuerit; confluxerit! Pridie illius diei, venit VVintoniam Emma, & rectà ad templum Divi Suithini pergit: eiusque ad tumulum, in jejunio, vigiliis, & orationibus, totum illud tempus consumit: Dei & Beati Episcopi opem sollicitè implorans. Peractis deinde statis cærimoniis; à duobus Episcopis flentibus, & hinc inde utrumq; ejus latus claudentibus, plebeia veste contecta, pedibus, & tibiis ad genu ipsum nudis, per novem illos ardentes vomeres, in Ecclesia Divi Suithini positos, populo aspectante ducitur: quos illa erectis in cœlum semper oculis, neque deorsum in pavimentum unquam deflexis, orationiq; tota intenta; suamq; Deo causam, ut olim Susanna, committens; illis ducentibus, post novem passus pertransiit. Apud populum verò, interim de rei eventu sollicitum, omnia fletu, & lugubri ejulatione plena: Vna omnium vox, Dei, & Suithini opem, anxiè implorantium. Jamq; extra Ecclesiam pergebant Episcopi; Quibus illa: Quando, inquit, ad vomeres perveniemus! Illi verò lacrymis oppleti; eam illos omnes, & calcasse, & pertransiisse; & egregiæ suæ conscientiæ, omniumq; expectationi satisfecisse aiunt. Respexit deinde illa & tum primum vomeres illos, vidit; defunctamq; se sua purgatione intellexit. Amplissimas deinde Deo, & Suithino gratias egit. Populus, cùm quid actum esset, intellexisset; mirâ lætitiâ gestire, miros pro admiratione & gaudii magnitudine clamores edere. Ipsa rectà; in eo, quo erat apparatu: ad Regem filium proficiscitur; ut certa oculis illius innocentiæ suæ documenta subjiceret.*

FIT SANCTO SWITHUNO SUPPLEX.

VIII. EDOARDUS MATRI RECONCILIATUR. Edoardus, ut vidit miraculo probatam integritatem matris, de solio se dejecit, & pronus cecidit ad Emmæ pedes; verecundans illam, matrem appellare: Peccavi, inquit, (si liceret dicere) mater: peccavi, inquam, cùm aures has, tuo beneficio meas, in te aperui: & nimis facilis fui in ruinam tuam. Sed parce Domina, si non vis mater. Plura singulta frangentem mater impedit & citò absolvit, tenerrimo in filium affectu. Noli, inquiens, pluribus deprecari veniam. nam mater sum, & facilè extorques. Enimvero licet à filio filius aliquantulum degenerarit: mater tamen sum, & amo mea viscera. Non te nimium accuso, ne time: nescit mater, nec vult etiam videns, credere, errasse adeo filium. habes ergo non difficulter matrem, quæ nunquam esse desiit: sed Alwinum Episcopum, fili, quomodo poteris sustinere; quem, Infulam non reveritus, aut dignitatem illam, exposuisti ludibrio: non sunt illi materna viscera, quæ in me reperis, & compoois. Adde, criminis fama illi nocentior, qui castitatem Deo vovit. Satage ergo illum habere denuò patrem. nam me sine dubio habebis matrem. Alwinus à Rege statim, cæterisque Episcopis in medium vocatus; famæ primùm, deinde loco restituitur. Dicitur etiam Rex Majestatem suam denuo exuisse, cùm ad matris & Episcoporum pedes provolutus, facilitatem suam impietatemque condemnans; & nudum protendens dorsum, pœnam illatæ matri, & Episcopo, infamiæ, poposcit: & verò dedit: nam *virgarum ictibus, quos primùm Episcopi, tum mater trino verbere infligunt, absolvitur. Restituta sunt prædia, & fructus omnes; qui vel Emmæ, vel Episcopo detracti, suspicione criminis: & demum Edoardus in matris iterum, populique venerationem rediens; didicit Roberto imposterum, & exteris hominibus in Anglorum causa minùs credere.

Henricus Imperator ab Annone Archiepiscopo flagellis caeditur. V Baron. an. 1056. n. 8.

IX. ROBERTUS ANGLIAM DESERIT. Addit Harpesfeldus Robertum, mox divulgato miraculo, mare trajecisse, nec nuquam in Angliam (ut aliqui volunt) rediisse. Denique concludit: *Ille autem tam illustris teservatus, luculentis possessionibus, quas nominatim recenset Rudburnus,*

Wintoniense

Wintoniense cœnobium auxit. E quibus novem à Regina; novem alia ab Alvino, tres à Rege, profecta sunt. Quod ad regias donationes attinet, alii etiam idem testantur: Godwinus ea prædia nominat, quæ Edoardus Wintoniensi Ecclesiæ concessit: Meones, inquit, & Portlandiam: & Camdenus, cur Portlandia donata sit, ita explicat: *Portlandia, inquit, Danico bello extincto, in Ecclesia Wintonensis possessionem cessit. Cùm enim Emma Edoardi Regis, & Confessoris mater; cujus fama dubia læsa pudicitia, cum Aldvvino VVintoniensi Præsule insimulata, in summo VVintoniæ templo, novem ignitos vomeres, nudis pedibus illæsa pressisset (quod ordalium tunc dictum, & eo tempore usitatum examinis genus erat) seq; ita expurgasset: & clariorem ad posteros tanto miraculo pudicitiam fecisset. Illa in sui memoriam, VVintoniensi Ecclesiæ novem prædia, & Edvvardus filius, pœnitentia ductus, quod matrem in tam iniquam quæstionem postulasset, hanc Insulam cum aliis possessionibus, donavit.* Sentit ergo Camdenus non esse fabulam, quod de Emmæ innocentia, monachi scripserunt. licèt nullam ejus mentionem, aut Malmesburiensis, aut alii antiquiores fecerint.

Camden. in Dorset.

X. Dubia merito in dicta narratione.

Sunt quidem in dicta narratione, plura; quæ in se illustria, & in eventu adeo felicia fuerunt; ut meritò à scriptoribus notari debuissent, iis præsertim, qui datâ operâ, hujuscemodi tractaverunt. Unde si sobriè aliqua in dubium vocarentur, non obsisterem: quòd celebris, hoc tempore, Wintoniæ conventus; quòd tanta utriusque sexus multitudo, eò confluxerit; quòd ideo, & mox, Robertus solum verterit. Nam hæc mihi quoque suspecta sunt. sed novi etiam historiam aliquando phaleris ornari, & fuco aliquo, rem verissimam. debent ergo qui posteriùs scribunt, pretiosum à vili; hoc est verum à phaleris & fuco distinguere. alioquin factionis genius se nimium aperiet: & vapulabunt Episcopi omnes; imo nomen Episcopi è Rep. tolletur; quia Episcopus unus peccavit. Et quid de Regibus? certè quod majus est: si in cœlo nostro: si in Fide: quantumvis antiqua, quantumvis orthodoxa, atque Catholica; nubes aliquæ, aut maculæ erunt, vel esse fingentur; omnis illa fides evertetur, evelletur, atque eradicabitur: & nomen ipsum, si monarchiam sapit, aut caput sacræ Reip. ludibrio, odioque erit. Si moritur, hoc anno, Alwinus Wintoniensis Episcopus: (& mortuum dicunt Wigorniensis, Hovedenus atque Florilegus) causari possent Robertum, necdum in exilium discessisse: quia certò certiùs, post hunc annum Cantuariensis Ecclesiæ Sedem occupavit: & biennio saltem *præfuit, priusquam pelleretur. Hic antichronismus satis arguit, Robertum non statim ab Emmæ purgatione Angliam reliquisse, Gemeticum concessisse, ibique mortuum. Fateor itaque irrepserunt aliqua prædictæ narrationi, quæ non solùm ab antiquis tacentur; sed eorum etiam calculo adversantur.

XI. De purgatione per ignem et aquam.

Sed inquiunt: probationis hoc genus, per ignitos vomeres, & alia quæ illi immiscentur, fidei puritati officiunt: nam exorcismi, preces, aquæ & ignis benedictio, Crucis signum, Eucharistiæ sumptio, & alia adhibita: quæ teneras Calvinistarum conscientias lædunt. Unde Parkerus in suis Antiquitatibus, cùm ritus omnes recensuisset, dicit: *Illas omnes aquæ, ferri, duelli, ac Eucharistiæ purgationes, tanquam authore Diabolo fabricatas esse.* Ita ille; cùm paulò ante, Athelstanum, Canutum; & Edwardum Regem; Wulfelmum, Wulstanum Archiepiscopos aliosque nominasset, purgationis modum & leges præscribentes. Quasi diceret: hi omnes vel diaboli fuerunt, vel authore diabolo, leges condiderunt. & tunc sequetur; diabolum, cum Cruce Christi, & aqua benedicta; novum & inauditum hactenus amicitiæ fœdus contraxisse. & falli omnes qui dixerunt: malum genium iis pelli fugarique. Sed Parkerus morbo laborat, quo omnes factiosi: nisi enim in parentum suorum facies, lutum sordesque conjecerint: nisi Papistas, Canes, & Diabolos vocaverint majores omnes, nupera factio stare non potest. Ad ordalium quod attinet (ita dicebatur purgatio illa: & nos *suprà descripsimus) à divina institutione ortum habuit: & lege illa, quam Moyses dictavit numerorum quinto; ubi oblatio præscribitur investigans adulterium, & aquæ benedictæ expressa mentio. Sic enim ibi statuitur: *Si spiritus Zelotypiæ concitaverit virum, contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur: adducet eam ad sacerdotē, & offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus; quia sacrificium Zelotypiæ est, & oblatio investigans adulterium. Offeret ergo eam sacerdos, & statuet coram Domino: assumetq; aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam. Cumq; steterit mulier in conspectū Domini, discooperiet caput ejus, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ. Ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit: adjurabitq; eam, & dicet: Si non dormivit vir alienus tecum: & si non polluta es, deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi, &c.*

Improbatur à factiosis.

*Vide an. 887. n. 30. & an. 928. 7.

Probatur è Scriptura.

n. 5. 14.

XII. Probatur; iterum purgationis ritus.

En Lector, quàm procul fuerunt à malis artibus majores nostri, Reges & Episcopi; qui ordalium aquæ, & ignis ad investiganda crimina, invenerunt. Immo quàm proximè ad Sacræ Scripturæ mentem accesserunt, qui ordalii ritus, & sacra statuerunt nec in hac Insula nostra solùm Principes, & Ecclesiarum Prælati, hujusmodi tentamenta permiserunt: Moguntinense & Triburiense Concilia, vel aqua, vel igni, probari scelera mandaverunt. Triburiense ita loquitur: *Si nobilis homo ingenuus, in Synodo accusatur, & negaverit: si fidelem eum esse sciverit, cum duodecim ingenuis se purget. Si autem deprehensus fuerit in furto, perjurio, aut falso testimonio, ad juramentum non admittatur. Sed sicut qui ingenuus non est, cum fervente aqua, vel ferro calido se purget.* Moguntina Synodus, per ignitos vomeres periculum fieri jubet: & ita statuit. *Qui presbyterum occidit, duodecim annos excommunicationi secundum Canones imponatur. aut si negaverit; si liber est, cum septuaginta duobus juret. si autem servus, super duodecim vomeres fervente se purget. Convictus noxa, usque ad ultimū vitæ tempus, militiæ cingulo careat, & absque conjugii spe maneat.* Quod servis hic imponitur, nobilibus imponi solitum *suprà ostendi, in Magni Alfredi legibus. Scio quid factiosos urat, quòd Ordalio tam immane irascantur. Ethelstanus ita statuit. *Qui se ordalii quæstione examinandum obtulerit: triduo quam id sit aggressurus, sacerdotem ut is sacra de more peragat, adito. Atque interim pane, sale, aqua, & oleribus tantummodo, vescitor. Missa præterea, illis*

Triburiense Concilium an. 895. capite 22.

Mogunt. Synod. ad an. 847. can. 24.

*Vide an. 887. n. 30. Vide sup. an. 928. 7.

ipsis diebus interesto, munusq; suum offerto. sub ipso autem; quo est ordalium ingressurus die, panem Eucharisticum sumito. ac jurejurando se illum de quo appellatur purum sceleris, minimeq; conscium jurato. Hæc sacra factiosis displicent. sed majoribus nostris, & Catholico orbi placuerunt. donec secundæ curæ illud probationis genus ooluit porro in usu esse, & tunc demum Anglia illud omisit.

XIII. ALWINUS WINTONIÆ SEPELITUR.

Ad Alwinum redeo Wintoniensem Episcopum, quem Emmæ probata innocentia; innocentem dixit. Is sedi, famæ, bonisque restitutus, cum Sancto Simeone dicere potuit: Nunc dimittis servum tuum Domine in pace: & verò dixit, moriturque hoc anno in sede sua, cùm Ecclesiæ præfuisset ab anno Domini millesimo trigesimo tertio, ut suprà notatum. De ejus successore Stigando plura inferiùs dicentur. Interim de loco sepulturæ Alwini hæc habet Godwinus. *Alwinum sepultum jacet, supra parietem sæpè dictum presbyterii; ubi tumulo ejus epitaphium videmus adscriptum hujusmodi.*

STIGANDUS WINTONIENSIS EPISCOPUS.

Hic jacet Alwini corpus, qui munera nobis
*Contulit egregia: *parcito Christe, rogamus.*

*parce illi.

Obiit anno millesimo quadragesimo septimo. Et eodem anno; in Cornaviis, ad urbem Cestrenseo, monasterium Virginibus posuit. Leofricus Comes: quod post annos aliquot, Monachis datum. Ita Spedus in Catalogo, & Camdenus in Cestreia, qui ita loquitur: *Leofricus Comes templum in honorem Werburga Virginis posuit: quod postea Hugo, primus è Normannico genere, Cestria Comes, restauravit. & authore Anselmo, quem è Normannia evocarat, Monachis concessit.* De Leofrici operibus plura inferiùs ad annum 1057.

ANNVS CHRISTI 1048.

DAMASI II. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLO. RE. 7.

I. ANNUS Christi millesimus quadragesimus octavus, Damasi secundi pontificatu consignatur in Fastis nostris, & Baronio. Nam mortuo Clemente superiore anno, ut dictum; Benedictus quidem nonus, qui toties sedem Petri præsumpserat; eandem repetiit, & haberi voluit Pontifex: sed noluit Henricus Imperator Tusculanorum Comitum cupiditati Romanam Ecclesiam ancillari: sui potius juris esse ratus, eidem Rectorem præficere; nesciens illam, tam à Comitum, quàm ab Augustorum dominatu, liberam esse, & absolutam. Mittit ergo in Urbem Popponem Brixtensem Episcopum, Clementis loco consecrandum: *Qui suffragiis omnium electus, & comprobatus, consecratus Pontifex, nominatus est Damasus secundus.* Ita Baronius. sed pauco tempore sedem occupavit: & post dies triginta tres mortuus, Benedicto nono iterum in Urbe tumultuandi opportunitatem dedit. Qui ob toties præsumptum magistratum, pessimè audiens; nunquam inde meruit Pontifex appellari; & vacasse potius Petri Sedem, quam ei toties Benedictum præfuisse, authores dicere maluerunt. Cæterùm Deus ideo soloecismum hunc in Latina Ecclesia permisisse videtur; quo laicum in sacra imperium posteri horrerent: & discerent sacerdotium à corona distinguere.

Baron. hic n. 1.
DAMASUS II. PAPA.

II. ANGLICANÆ ECCLESIÆ NUBES ALIQUOT.

Hæc nubes, & laica tyrannis; Anglicanum etiam cœlum obscuravit; cùm sub indulgentissimo Rege Edoardo, proceres aliqui monasteria invaserunt; & quæsito colore Ecclesiarum bona, hoc est, Christi patrimonium præsumpserunt. Ad hunc enim annum referri debet, quod de Edoardi regno conqueritur Malmesburiensis: *Fuerunt tamen nonnulla* (inquit) *quæ gloriam temporum deturbarent* (fortè deturparent) *Monasteria tunc monachis viduata, prava judicia à perversis hominibus commissa: &c.* quæ ad annum sextum Edoardi Regis accidisse, notat Inguiphus; non ab electione Regis, regni exordium, sed ab ejusdem inauguratione, annos enomerans: Tunc enim Croylandensis Abbatis mortem describens, Pegelandensis monasterii ruinam deplorat in hunc modum. *Anno sexto Regis Edwardi; scilicet, anno Domini millesimo quadragesimo octavo, cæpit ægrotare Venerabilis pater, Dominus Brithmerus, Abbas Croylandiæ, cum diligentissimè regimen pastorale, annis viginti octo gubernasset: & obiit septimo idus Aprilis. & in ostio capituli jacet humatus. Illo in tempore Venerabilis pater, Dominus Wulgatus, Abbas Pegelandiæ, diutissimam calumniam passus ab Abbatibus Burgi, Elsino, Arwino, & Leofrico, abbatia sua sedem amittens, tandem succubuit: & (pro nefas!) totum situm monasterii sui, judicio regalis Curiæ perdidit. Tantùm tunc potuit super justitiam pecunia; contra veritatem versutia, & in Curia Regis Hardecanuti, Comitis Godwini potentia.* Hæc ille. Lis ergo olim cœpta, sub Rege Hardecanuto, hoc tandem anno definita est sinistro, hoc est, sæculari brachio: quod de Ecclesiarum bonis non debuit disponere. Sic Pegelandense monasterium monachis viduatum, perversa (ut putat author) & incompetenti sententia.

Malmesb. de Regib. c. 13 fol. 79. fine.

Ingulf. f. 891

BRITHMERUS ABBAS CROYLANDEN. MORITUR.

WULGATUS PEGELANDENSIS CAUSA CADIT.

III. NOVUM MONASTERIUM EXTRUIT.

Quid inde fecerit Wulgatus Abbas; ut aliò monachos transtulerit, ut ubique in laicos Ecclesiæ bonis inhiantes inciderit; perverso judicio prædis amiserit, ita narrare pergit idem Ingulphus: *Cumq; prædictus Abbas Wulgatus, amisso situ monasterii sui, juxta proximi fluvii crepidinem, Weland nomine, in suo manerio magis vicino, de Northamburge, fundamenta novi Monasterii jecisset; & illuc, Abbatiam suam transferre disponeret: Ecclesiamq; ac dormitorium, cum cæteris claustralibus officinis, adjutus multorum fidelium eleemosynis, readificare non segniter insudaret: Fernotus miles, & Dominus de Boswurth, dictum manerium de Northburt datum fuisse, de progenitoribus ejus, monasterio Sanctæ Pegæ: & monachis ibidem Deo servientibus, ex Abbatis propriis chirographis patenter ostendit. Unde consequenter allegavit. quod cum Deo & Sanctæ Pegæ, Wulgatus & monachi sui amodo ibidem non servirent; dictum manerium amodo non haberent. Acceptatum est hoc à Regis justitiario: & confestim adjudicatum est dictum monasterium de Northburt, cum omnibus suis pertinentiis, prædicto militi Fernoto: & tanquam jus suum hæreditarium de Monachis Ecclesiæ Sanctæ Pegæ alienatum perpetuò & sublatum. Quod cum per universum regnum, citiùs fuisset cognitum. scilicet Abbatem de Peikirke, prius amisisse monasterium; & consequenter manerium ad monasterium quondam pertinens: Similiter Edmerus miles, & Dominus de Holbroke, calumniam movit contra eundem Abbatem, & monachos suos, de manerio suo de Mabsey: & Herfingus de Walbe calumniatus est, & pro manerio suo de Badington: & Sewardus Comes, de manerio suo de*

Idem suprà.

INDE ETIAM PELLITUR.

Bernack: & Hugolonus thesaurarius de manerio de Heleston: & alii plures, de aliis maneriis dicto monasterio dudum pertinentibus & omnes eadem ratione, in dicta causa, contra monachos obtinuerunt, & tam de maneriis, quàm de monasterio suo, dictus Abbas de Peikerk, & Monachi sui, nequiter, & crudeliter ejecti sunt: ut numquam alicui veniat damnum solum.

IV. Edoardus in monachorum Wulgatum Abbatem pius.

Hæc sine dubio Malmesburiensis suprà intellexit; cùm turbatam, vel potiùs deturpatam Ecclesiam dixit, *ob prava judicia a perversis hominibus commissa.* Iterum ergo, mater Ecclesia tot Regum chartis libera, ab omni laicorum imperio eximia, laicis servit: & margaritæ porcis substernuntur. Iterum Susannam calumniantur judices inveterati dierum malorum, & Dei sponsam ludibrio habent: nec Daniel aliquis, in Anglia auditus, qui hujusmodi justitias judicaret. Quid ergo Edoardus Rex? num Ecclesiam ille neglexit, aut pessundedit? Absit: monachorum potuit misereri: & verò misertus est, non potuit perversos judicum impetus moderari: vir natura sua bonus, & illa alios mensus, judices ex arte stipulatos putans; vel fraudem non advertit, vel noluit judicum judicio justior videri. Fecit tamen, quod erat Regium: dispersos Monachos, & Abbatem, collegit; necessaria illis providit; denique locum quò se reciperent. Dicat hoc Ingulphus.

Ingul. f. 896

Cum itaque Abbas Wulgatus, & conventus suus; monachi scilicet octodecim; sic de monasterio destituti, vagabundi, & in proximo dispergendi, in omnem ventum, pro extrema miseria fluctuarent: misertus eorum pijssimus Rex Edwardus, omnes in suam curiam suscepit: & usquequo eis provideret; suam capellam, ac aulam quotidie frequentare imperavit. Vix egressus erat sermo de ore Regis: & ecce nuntiatur in aula ejus, obitus Brithmeri abbatis monasterii Croylandensis. Cujus pastoralis baculus, per priorem monasterii, ac duos alios fratres, eum concomitantes, Regi extitit præsentatus.

Abbatum investituræ a Regibus, quando?

A tempore namque Regis Ethelredi patris sui, ceperunt Abbates in Regum curiis clariùs agnosci: & indies contingebat, Regum ministros; per monachos, dignitatum & prælaturarum nimium ambitiosos; variis xeniis, & blandis salutationibus deinceps abundantiùs honorari. Ac inter præcipua monasteria, unus magno nomine prædicabatur Croylandia: tot & tanta, in tempore Danicæ tribulationis, in Regis curiam semper, manu promptissima effuderat donaria, & tributa. A multis itaque annis retroactis nulla electio Prælatorum erat merè libera, & Canonica: sed omnes dignitates tam Episcoporum, quàm Abbatum, per annulum & baculum, Regis curia, pro sua complacentia conferebat.

V. *Vide an. 948. n. 9

De investitura hac, à Principibus usurpata *suprà dixi; tamdiu illis ab Ecclesia permissam; quamdio Principes in ornanda ditandaque sacra Rep. laborarunt: quo satis innui; rem facti magis, quàm juris fuisse. Hic autem Ingulfus id clarè significat, cùm electiones hujusmodi, *non Canonicas* vocat, hoc est, præter morem, mentemque Canonum; quæ solùm Ecclesias vegetat, animatque.

Novatores hoc loco Ingulphi abutuntur.

Unde Seldeni hic fidem desidero, rectumque judicium; qui Jurisconsultus cùm sit, non debuit *solennem morem & usitatissimum, appellare electionem non Canonicam.* Ille tamen in spicilegio & notis ad Edmerum; ex hoc Ingulphi loco, Regibus adulatus; incautum Lectorem facilè fallet, qui *morem solennem & usitatissimum*, omni Canonum authoritate potiorem existimabit: cùm tamen Ingulphus contra pronuntiet

Selden. in notis prim.

Obtinebat avo illo superiore (inquit Seldenus) *mos solennis, atque ante Normannorum etiam adventum, hic usitatissimus: ut majorum gentium Antistites sacri; Episcopi minorum, & cænobiarchæ (qui saltem in clientela regia) a sacris Ecclesiarum corporibus electi: quin sæpiùs etiam, spretis omnino corporum sacrorum suffragiis, in aula designati; annuli & baculi pastoralis, sive pedi, traditione, in dignitatis possessionem, à Regibus nostris, jure avito nixi, mitterentur.* Ita ille, pro *avito jure* Malmesburiensem citat, & factum sensumque Edgari Regis: addit & hunc Ingulphi locum; & ait.

Idem suprà

De ea re luculentissimum perhibet testimonium Ingulphus, Abbas Croilandensis, qui Gulielmo primo coætaneus: A multis, inquit, retroactis annis, nulla electio Prælatorum erat merè libera, & Canonica: sed omnes dignitates, &c. E quibus verbis, ego potius *luculentissimum argumentum* sumerem; quicquid retroactis annis, sive ab Edgaro, sive ab Edredo, Regibus, factum; id, nullo jure, factum fuisse: hoc est, electionem illam, non liberam, non Canonicam fuisse: vel corrigi non citari debuisset Ingulphus.

VI. Quinam Principes et quomodo investitura osi?

Cæterùm fatendum est, Edgarum, Edredum, & sanctissimum Edoardum, ita investiendi Prælatos potestate & prærogativa usos; ut commendari potiùs quàm reprehendi mereantur. Nam Edgarus in Monasteriorum, & Ecclesiarum ædificatione præcipuus; ideo sibi, suisque hæredibus, tribuendi pastoralem baculum potestatem retinuit; quia summè sacra loca reveritus regium semper iis locis patrocinium, quo ab improborum calumniis immunia forent, adesse voluit. Et certè si Edgari, Edredi, aut Edoardi semper, & ubique regnarent; nunquam ab Ecclesia tam acriter de investiendi jure disputatum fuisset. Sed ubi usus, in abusum crevit: ubi quod in bonum præsumitur, in malum vertitur: ubi, inquam, Principes à majorum pietate degeneres; quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi: Tunc vigilat Ecclesiæ bonus pastor, & Lupum arcet ab ovili. Nunc ad Edoardum redeo, qui pastoralem baculum, innoxiè cepit, & reddidit. quod ita refert Ingulphus.

Ingulf fol. 896.

Recipiens ergo pijssimus Rex Edwardus baculum pastoralem monasterii Croyland; in præsentia Domini Gerardi Prioris Croylandiæ, duorumque Monachorum suorum, qui cum ipso ad curiam venerant, & cæterorum Monachorum Pegelandensium; quos sicut olim suos compremotos, & charissimos convictores, Monachi Croylandenses optimè noverant; prædictum Venerabilem patrem, Dominum Wlgatum, Abbatem, de pastorali regimine Croylandensis Monasterii per ejus pastoralem baculum investivit: & super hoc literam suam, Croylandensi Conventui direxit, in his verbis.

Wulgatus fit Abbas Croylandensis.

Edoardus Rex Anglorum, Suppriori, & sancto conventui Monasterii Croylandensis. Salutem.

VII. Edoardi literæ ad Croylandenses.

Misertus Domini Wulgati; quondam Abbatis Pegelandiæ; qui non suo crimine, sed juris dictamine; suum monasterium perdidit: misertus etiam vestri qui non vestra volentia, sed mortis violentia, vestrum patrem nuper perdidistis; ambos una antidoto sanare contendo; scilicet prædictum patrem Wulgatum, vobis in prælatum præficiendo. Vos ergo, sicut sancti viri bene facietis; si prædictum patrem vestrum, & pastorem, tot tribulationibus exercitatum, & probatum, obedienter susceperitis: & commonachos suos, confratres vestros, secum

Regem. Cujus pater Æthelredus; cujus pater, Eadgarus; cujus pater, Eadmundus; cujus pater Eadvvardus, Senior: cujus pater, Alfredus. Hic est Edwardus ille, quem Brithwoldus Wiltunensis Episcopus, regiæ stirpis occasum gemens, divinitùs vidit, adhuc exulem, in Regem ab Apostolorum Principe consecrari: tunc fortè cùm ipse juvenis, in Normannia diu novercam fortunam expertus, cum Deo & Sanctis, devotè agens; illis patriam; & unà seipsum commendans, votóque se obstringens, in hunc modum, precatus dicitur: *Ecce, inquit, Domine, non est mihi auxilium in me, & necessarii mei recesserunt à me. Amici mei, & proximi mei, adversum me appropinquaverunt, & steterunt. Pater meus, post multos labores, rebus humanis excessit: fratres meos crudelitas proditorum absoluit: nepotes in exilium acti sunt. mater, amuli nostri nuptiis tradita est. Ita solus relictus sum, & quærunt animam meam. Sed tibi, Domine, derelictus sum pauper: pupillo tu eris adjutor. Tu quondam * Edvvinum, mortis expositum, mirabili modo, & vita reservasti, & regno. Tu illud Angliæ decus sanctum Osvvaldum, ex exule, Regem factum, per signum Crucis *, reddidisti cunctis hostibus fortiorem. Si igitur fueris mecum, & custodieris me, & reduxeris me in regnum patris mei: Eris tu mihi semper in Deum: & Beatum Petrum Apostolum, in patronum: Cujus sacratissimas reliquias, in Urbe Roma, te annuente, te regente, te comitante, visitaturum me promitto.* Ita refert eum orasse Aelredus, Rivallensis Abbas, in vitâ sanctissimi Regis.

v. an. 1027. n. 14.

apud Capg. in Edoardo Confess.

* v. an. 617. n. 12.

* v. an 635. per totum.

EDOARDI VOTUM.

III. ABSENS REX ELIGITUR.

Profuit hoc votum Edoardi votis: qui mortuo Hardicanuto, miro procerum, populique consensu; licet absens; in Regem expetitur. Agebat ille in Normanniâ, & humanarum rerum tædio victus, vidit prudenter, coronam omnem, periculis, quàm voluptate, pleniorem. Non avidè igitur, ut mortales solent; sed cautè admodum fastigium illud dignitatis ascendit; ut patet è Malmesburiensi, ita narrante exordium regni. *Hardicanuto mortuo, Eadvvardus; tam tristi nuntio accepto, incertumque fluctuans, quid ageret, & quò se verteret, nesciebat. Multa volventi, potior sententia visa; ut Godvvini consilio fortunas suas trutinaret. Conventus ille per Legatos, ut pace præfata colloquerentur: diu hæsitabundus, & cogitans, tandem non abnuit: venientem ad se, conantemque ad genua procumbere, allevat: Hardecnuti mortem exponentem, orantemque in Normanniam reditus auxilium ingentibus promissis * onerat: melius esse, ut vivat gloriosus in imperio, quàm ignominiosus moriatur in exilio. Illum Ethelredi filium, Eadgari nepotem: jure ei competere regnum, avo maturo, laboribus defæcato, scientem administrare principatum, per ætatem severe: miserias provincialium, pro pristina egestate temperare. Id quo minus fiat, nihil obstare, si sibi credendum putet, suam authoritatem plurimum in Anglia ponderare. Quò se pronior inclinaverit, eò fortunam vergere. Si auxilietur, neminem ausurum obstrepere, & è converso. Paciscatur ergo sibi amicitiam solidam, filiis honores integros, filiæ matrimonium: brevi futurum, ut se Regem videat; qui nunc vita naufragus, exul spei, alterius opem implorat.*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13 fol. 80.

* locus corruptus al. honorat

ET A GODWINO INVITATUR AD CORONAM.

IV. PROCERUM CONSENSU EDWARDUS REGNAT.

Cum Godwinus ita in Normanniá perorasset, & Edwardi Principis consensum, suis votis parem fecisset; in Angliam rediit; communicatóque cum regni proceribus consilio, Edoardum in Normannia exulem, Angliæ Regem dixit. quod ita narrare pergit Author, qui supra: *Nihil erat, quod Edvvardus, pro necessitate temporis, non polliceretur. Ita utrinque fide data; quicquid petebatur, Sacramento firmavit. Nec mora, * Gilinghami congregato consilio, rationibus suis explicitis, Regem effecit: dominio palam omnibus dato; homo affectati leporis, & ingenue gentilitia lingua eloquens, mirus dicere, mirus populo persuadere, quæ placerent. Quidam authoritatem ejus sequuti; quidam muneribus flexi, quidam etiam debitum Edvvardi amplexi: pauci, qui præter æquum, & bonum, restitere; tum censoriè notati, & postmodum ab Anglia expulsi.* Addunt alii, missos etiam in Normanniam obsides, ad electionis fidem faciendam: ne E[illegible]dus, dolum (quo Alfredus frater nuper sublatus è vivis fuit) formidaret: simulque cautum, ne plures exteri, Normanni imprimis, cum Edoardo reduce, Angliam intrarent: cum satis superque, sub externorum jugo Insula gemuisset. Unde Huntindonius: *Miserunt ergo, pro Eduardo juniore, in Normanniam nuntios, & obsides: mandantes ei, quod paucissimos Normannorum secum adduceret, & eum in Regem stabilirent.* Hæc acta sunt eo anno, quo Hardicanutus moritur.

* al. Londonia.

Quo etiam tempore, Wellensis Ecclesia, pastore suo viduata, novum accepit, quem Dodecam Saxonicum Fasti vocant; alii Dudocum; nonnulli etiam Bodecam; & genere Lotharingum volunt. Missus est postea, ab Edoardo Rege ad Concilium Rhemense, sub Leone nono ubi etiam Duduc scribitur. Hic ergo, mortuo Brithwino, qui & Merewith appellatur, in Wellensem Episcopum consecratur; vel anno superiore, ut putat Godwinus; vel potius anno millesimo quadragesimo secundo, ut volunt Fasti. Nunc ad Edoardum corona donandum transeo, quam dudum ei Deus, & natura, virtutésque Dei gratia acquisitæ, promiserant. Adverto solum ad hunc annum referri posse; quæ destructa Ecclesia, atque monasterio, in honorem sancti Nectani, in Devoniensi agro, scribuntur. Tunc nimirum, cum Godwinus maris periculo defunctus, ejusdem Sancti (ut creditur) meritis; Githa Godwini conjux beneficium beneficio compensavit. Extat hujus rei memoria, ad Herculis promontorium (sic locum in Danmoniis vocat Ptolomæus ubi Hertlond oppidum. & Nectani sancti meritum & Githæ Comitissæ pietatem loquitur. de quo Camdenus, suo, hoc est, Novatorum more, antiquorum gestum elevat: *Hertland oppidum, inquit, Nectani sanctuli reliquiis olim clarum. In cujus honorem monasteriolum hic erexit Githa Godvvini Comitis uxor; quæ Nectanum tanquam Neptunum coluit: eò quòd ejus meritis maritum efferatam tempestatem evasisse, credulo errore sibi persuaserat.* Hujus Sancti memoria in nostro Martyrologio legitur ad decimam quartam Februarii.

V [illegible]

ANNUS CHRISTI 1043.

BENEDICTI IX PAPÆ 10.

EDOARDI ANGLORUM REG. 2.

I. [E]doardus in An[gl]iam re[d]iit [et co]ronatur Re[x].

ANNO Domini millesimo quadragesimo tertio; Edoardus è Normannia solvens, in Angliam venit: & quod faustum felixque fuit, regni coronam accepit: quam regiis virtutibus, & constantibus sanctitatis argumentis ornavit. Baronius ista narrans, immensam Dei misericordiam vocat in Anglicanam Ecclesiam, quod post tantam annorum hiemem, tanta serenitas illuxerit Insulæ. Sic ergo ipse: *Eodem anno* (millesimo quadragesimo tertio) *defunctis jam duobus filiis Canuti Anglorum Regis, ejus in regnum successoribus: ex insperato, ita Deo disponente, omnium consensu eligitur sanctus Eduardus, Emma Regina filius, ex Ethelredo parente olim legitimo Anglorum Rege: coronaturq́; hoc anno, die sancto Paschæ: idq́; opera Godvvini Comitis potentissimi; datâ ei in matrimonium ipsius filiâ, Egithâ, virgine honestissima, viri sanctitate haud adeo impare. Quam virginem, intactamq́; servatam, constans est assertio scriptorum omnium. Porrò ista, de immensa Dei misericordia, erga Ecclesiam Anglicanam, divinitus longe ante ostensa fuerunt Sancto Episcopo. de quo ista Willelmus. Viderat quondam somnus revelatione, seculi illius felicitatem Brithvvoldus, Wintoniensis* Episcopus; viderat & annuntiaverat. Nam dum tempore Regis Canutonis calestibus, apud Glastoniam lucubraret excubiis: subiitq́; illum cogitatio, qua frequenter angebat; de regia stirpe penè deleta: hac meditanti sopor irrepsit. Et ecce in superna raptus, videt Apostolorum Principem Petrum, ipsum Eduardum, qui tunc in Northmannia exulabat, in Regem consecrare, cœlibe designatâ vita; & certo viginti quatuor annorum numero regni computato; Eidemq́; conquerenti de posteritate, respondere: Regnum Anglorum est Dei. post te providit Deus Regem, ad placitum suum.* Hæc apud Willhelmum, inquit Baronius Malmesburiensem intelligens: & librum ejus de Regibus secundum: Idem etiam habetur libro ejus altero de gestis Pontificum, ubi de Wiltunensibus Episcopis mentio.

Baron. hoc an.

II. Ab Edsio Cantuariensi ungitur.

Cæterùm, quòd Brithwoldum vocet Wintoniensem Episcopum, librariorum est error: nam Author, nuper & accuratè impressus, Wiltunensem expressit: qood verum esse patet è superioribus. Sed quicquid dixeris; Dei digito, Edoardum coronatum esse constat, Edsio coronam & regiam unctionem dante, ipso Resurgentis Christi festo die: quod faustum Anglis omen portendere videbatur; eos è dura Danorum, qua premebantur, servitute, ad feliciorem statum emersuros. Quod Dei donum ut manifestius esset, Edoardus eligitur, nudum instrumentum, per se, oneri impar, & operi: sed Deo conjunctum; Deus bone! quàm efficax, quàm sanctum, quàm admirandum! Notavit hoc Malmesburiensis, ubi primùm Edoardi Regis mentionem ingerit, & inquit: *Anno Incarnationis Dominica millesimo quadragesimo secundo, Sanctus Edwardus, filius Ethelredi suscepit regnum: mansitq́; in eo annis viginti quatuor non plenis. vir, propter morum simplicitatem, parum imperio idoneus: sed Deo devotus; ideoq́; ab eo directus. Denique, eo regnante, nullus tumultus domesticus, qui non citò comprimeretur, nullum bellum forinsecus: omnia domi, forisq́; quieta, omnia tranquilla: quod eò magis stupendum; quia ita se mansuetè ageret; ut nec viles homunculos, verbo lædere nosset. nam dum quadam vice venatum isset: & agrestis quidam, stabulata illa, quibus in casses cervi urgentur, confudisset; Ille sua nobili percitus irâ: per Deum, inquit, & matrem ejus, tantundem tibi nocebo cum potero. Egregius animus, qui se regem in talibus non meminisset; nec abjecta conditionis homini se posse nocere putaret.*

Malmesb. de Reg. l.2. c.13. prope. Edoardi indoles.

III. Aliorum consilio regnum moderatur.

Erat interea ejus apud domesticos reverentia vehemens; apud exteros metus ingens. fovebat profectò ejus simplicitatem Deus; ut posset timeri, qui nesciret irasci. Sed quamvis, vel deses, vel simplex putaretur; habebat Comites, qui eum ex humili, in altum conantem erigerent, Sivvardum Northumbrensium; qui ejus jussu, cum Scotorum Rege Makbetha congressus, vita regnóque spoliavit. Ibidemq́; Malcolmum, filium Regis Cumbrorum, Regem instituit. Leofricum Herefordensium; qui eum contra simultates Godvvini, favore magnifico tutabatur: Quod ille fidenter conscientia meritorum, minùs Regem revereretur. Hi erant principes viri, quorum consilio Edoardus Rempublicam, cum laude administravit. Sed nihil magis principatum ejus juvit, quàm Sancti Regis reverentia in Ecclesiam, Deique cultus; didicerat enim illud Lactantii Firmiani: *Nihil esse in rebus humanis, religione præstantius: eamq́; summa vi oportere defendi.* Et revera hoc regium est; nihilque eum magis ab hominum vulgo distinguit. Unde Ethnicus quidam sapienter dixit: *Iure ille à Diis proximus habetur: per quem Deorum majestas vindicatur.* Eminuit in hoc pietatis genere Edoardus, Ecclesiæ Præsulibus plurimum detulit; & ex eorum mente, suam mentem composuit. Unde signanter de eo Malmesburiensis: *Edvvardus*, inquit, *die solenni Paschæ, magna pompa apud Wintoniam coronatus & ab Edsio Archiepiscopo sacra regnandi præcepta edoctus: quæ ille tunc memoria libenter recondidit: & postea sanctè factis propalavit.* Hoc Regi solemne, toto regni tempore: dicamus aliqua huic anno propria.

Lactant. l.3. Instit. c.20.

Institut. l.2

Malmesb. de Reg. l.2. c.13. fol.80. Edoardi pietas in Ecclesiam.

IV. Edoardus uxorem accipit Godwini filiam, Editham.

Edoardus, promissi memor, Godwini filiam, in uxorem accipit; eo potissimum consilio; ut Godwinum patrem sibi devinciret; regni sui firmamentum. Sed humana consilia, sæpè Deus evertit: præsertim cum illa, vel minimum à Deo avertunt. Erat castissimæ mentis, & integri corporis, Edoardus Princeps: & ideo Deo conjunctior. voluit Deus, non obstante matrimonio, cum in casto proposito constantem esse: & eandem sponsæ mentem injecit: quæ cunctis etiam ornata virtutibus; ut virgo nata, ita denasci voluit. Dicat hoc, qui Editham (ita Edoardi sponsa dicebatur) probè novit, Ingulphus, & virginem laudet. *Edoardo data est* (inquit) *in uxorem, filia Godwini Comitis, puella pulcherrima, literis apprimè erudita: moribus autem, & cæterâ vitâ, virgo castissima, & humilitate sanctissima, nomine Egitha: in nullo patris, aut fratrum, barbariem sapiens: sed mitis, & modesta; fidelis, & honesta; & nulli unquam infesta. Unde de illa dicebatur illud elegiacum:*

Sicut spina rosam, genuit Godwinus Egitham.

Vidi ego illam multoties: cum patrem meum, in Regis curia morantem, adhuc puer inviserem: & sæpius mihi de scholis venienti, de literis, ac versu meo

Edithæ laus. Ingul f.995.

apponebat,

apponebat, cum occurrerem: & libentissimè de grammatica soliditate, ad logicam levitatem, qua callebat, declinans: cum argumentorum subtili ligamine me conclusisset, semper tribus, aut quatuor nummis, per ancillulam numeratis, ad regium penu transmisit; & refectum dimisit. Ita Ingulphus, cujus integerrimi Authoris ætatem habes.

V. Uterque conjux Virgo permansit.

Ut castè Edoardus, cum Editha uxore vixerit: ut illæsam virginitatem uterque servaverit, multi prodiderunt: de causa tamen utrimque continentiæ, variè dissentiunt: sed divino consilio id factum esse, divina argumenta sæpiùs dixerunt. Malmesburiensis ita de matrimonio scripsit. *Non multò post, Edgitham, filiam Godwini, Rex* (Edwardus) *in connubium accepit. fœminam in cujus pectore omnium liberalium artium esset gymnasium: sed parvum in mundanis rebus ingenium. Quam cum videres, si literas stuperes; modestiam certè animi, & speciem corporis desiderares. Hæc & vivo marito, & mortuo, probri suspicione non caruit: sed moriens tempore Regis Willielmi, jurejurando astantibus, de perpetua integritate ultrò satisfecit. Nuptam sibi Rex hac arte tractabat: ut nec thoro amoverit, nec virili more cognosceret. Quod an familiæ illius odio, quod prudenter dissimulabat, pro tempore: an amore castitatis fecerit, pro certo compertum non habeo. Illud celeberrime fertur: nusquam illum cujusquam mulieris contubernio pudicitiam læsisse.* Ita ille. Aelredus Rievallensis paulò distinctiùs causam aperit, pactamque utrimque fidem, de servanda continentia affirmans. *Convenientibus igitur in unum, Rex & Regina, de castitate servanda, paciscuntur. Nec huic fidei alium quàm Deum testem æstimant adhibendum. Fit illa conjux mente, non carne; ille maritus mente, non opere. Perseverat inter eos, sine actu conjugali, conjugalis affectus. diligitur ille, sed non corrumpitur; diligitur illa, nec tangitur,* &c. Hæc ideò allata, ut nullum odio locum, sed nobiliorem longè impetum fuisse ostenderem; præsertim cum Deus, ut pòst dicetur, incorrupti corporis miraculo, virtutem in Rege probaverit.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. fol. 80.

apud Capg. in Edoardo Confess.

VI. Ecclesias ornat.

Vix erat, in regni folio collocatus Rex, cum honoris sui primitias, Deo persolvit; Ecclesiam honorando, privilegia confirmando, Dei cultum, ut occasio ferebat, ubique promovendo. Scripsit ergò, sub hæc tempora, regiam chartam, qua principem Ecclesiam, & monasterium ab Augustino Anglorum Apostolo fundatum, egregiè ornavit. recitat illud Edoardus alter, à Normannorum ingressu, eo nomine tertius, in suo privilegio regióque diplomate, quod *Inspeximus* appellatur, & est hujusmodi.

VII. Edoardi Charta pro Augustinen. monasterio.

apud Reyner. in Apostol. tract. 1. f. 59.

Conditor cæli, terræque, Deus, universitatis totius Creaturæ de nihilo perfectæ; primum hominem de limo formavit: eumque ad imaginem suam configuravit. Cui etiam omnium operum suorum dominari præcepit. ea videlicet ratione, ut homo rationabilis, irrationali uteretur creatura; & ipsi Deo serviens obediret: & obediendo Creatorem honoraret. Deinde, succedente generatione, in generationem; templa & Ecclesias fieri constituens, de primitiis & decimis, ac de substantia sua largitionis, eas in nomine suo honorari præcepit. Insuper, & per Evangelium nos instruens ait: Thesaurizate vobis thesauros in cælo. Quapropter ego Edwardus, Regis Regum gratia Rex, & Anglorum Princeps, post longam exulationem, solius miserentis Dei nutu in regnum meum reversus, & in solio patrum meorum residens. Ecclesiam, quam honorem Beati Augustini, Rex Adelbright, in honorem Apostolorum Petri & Pauli à fundamento constituit, diversisque donis ditavit: in qua ipsius Regis & omnium Episcoporum Cantuariæ, & Regum corpora poni possent; cum omnibus appendiciis, vel adjacentiis suis; liberam esse, annuo, & statuo. Quoniam quidem in eadem Ecclesia, supradictus Rex conditus jacet, ejusque stirpis progenies, Deo dilecta, requiescit Virgo Mildreda: Ego etiam ejusdem Regis stemmate ortus, & regno ejus, Deo juvante, potitus; Thanatos Insulam trado: quam Egbertus Rex, jure hereditario, concessit venerabili Reginæ Domnenæ, matri scilicet Sanctæ Mildredæ; quantum cerva cursu suo lustraverat; pro interemptione duorum fratrum ejus Aethelredi atque Athelberti: quos jussu ejusdem Principis, Deo odibilis Thymur, iniqua stravit morte: quem mox cælestis ultio terribiliter subsequuta est, ipsum perimendo.

Sed & omnes donationes possessionum, vel facultatum, quas prisco, sive moderno tempore, prædecessores mei Reges, eidem Ecclesiæ contulerunt: & ego Regia potestate contrado: atque firma astipulatione, cum consensu, & testimonio Episcoporum, Ducum, Principum, & Satellitum meorum; Abbati Aelstano, ac Monachis ibidem, sub regula Beati Benedicti Abbatis, Deo militantibus; ad habenda, & perfruenda, sibi perpetua libertate constituens attribuo. Si cui verò hæc largitio displicet; vel si quis quod absit, hanc donationem, zelo ductus diaboli, quoquo ingenio infringere tentaverit; iram Dei, & omnium Sanctorum maledictum incurrat: & subita morte intereat sicut prædictus Dei inimicus Thymur interiit. Pereniat cum Deus amentia, & cæcitate, ac furore mentis; omnique tempore calumniam maledictionis Dei sustineat: Nec sit qui eum liberet, nisi pœnitens resipiscat, & digna emendatione satisfaciat. Hæc autem traditio Regalis, in eodem loco servetur inconvulsa & incontaminata; Deo teste, qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam: Conterat contribus vero ad ruinam, & ad condemnationem, in die furoris Domini; cum iis qui dixerunt Domino: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus &c. Hactenus Eduardi Regis charta; quam sub regni exordium datam esse, Aelstani Abbatis mentio: cui olim Canutus diploma dictaverat: & mentio exilii, reversionisque in Angliam, videntur persuadere.

IX. Edoardus in Emmam parentem durior.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. f. 1

Ut hæc, atque alia hujusecmodi pietati opera, regni primordia illustrarunt: ita obscuravit eadem nonnihil, quod hoc anno in matrem videtur peccasse. advertit hoc Malmesburiensis, cùm ait: *Fuerunt tamen nonnulla, quæ gloriam temporum deturbarent: monasteria tunc monachis viduata; prava judicia à perversis hominibus commissa: Supellex matris ejus, præcipiente illo, penitus abrasa; sed harum rerum invidiam amatores ipsius, ita extenuare conantur. Monasteriorum destructio, perversitas judiciorum; non ejus scientia; sed per Godwini, filiorumque ejus sunt commissa violentiam, qui Regis indulgentiam ridebant: postea tamen ad eum delata, acriter eorum exilio vindicata. Mater, Angustos filii jamdudum tristes annos: nihil unquam de suo largita, hereditario scilicet odio, parentis in prolem. nam magis Cnutonem, & amaverat virum, & laudabat defunctum. Præterea congestis undecumque talentis crumenas infecerat, pauperum oblita: quibus non patiebatur dari nummum, ne diminueret numerum. Itaque quod injustè coacervaverat, non injustè ablatum.*

Emmæ laus, et vituperium.

ut egenorum proficeret compendio, & fisco sufficeret Regio, Hac referentibus, etsi plurimum fidei adhiberi debeas: sanctam tamen mulierem fuisse comperio: & thesauros suos, in ornamenta Ecclesiæ Wintoniæ, & aliarum fertasis, expendisse. Ita ille: maculas compendio colligens, quæ Edoardi regnũ infecerunt; & utramque Remp. De monasteriorum violatione, & judiciorum perversitate, dicam inferius, ad annum Christi millesimum quadragesimum octavum,

X. Unde Edoardus in Emmam asperior.

Cæterùm quòd in matrem paulò iniquior fuerit, aliqui putaverunt: nam mulier etiam benefaciens, non vivit sine crimine: nec Luna quantumvis luceat, sine maculis est. Qui igitur Emmæ amores in Canutum, Ethelredi conjugis hostem, inspexerit: Qui filii ærumnas, & exilium: jus ejus ad regnũm elisum, & neglectum: præpositosque postgenitos filios, legerit; & nulla exuli subsidia, à parente missa: facilè conjiciet naturale filii debitum diminui, erga inofficiosam parentem potuisse: nec matrem omni cultu dignam, quæ filium ita despexerit. Quod si viderit etiam Edoardum, non tam suopte ingenio, aut impetu (qui semper ad lenitatem, clementiamq; proclivis fuit) quàm aliorum consilio, id attentasse: minor certè culpa, si tamen culpa, erit. Huvedenus itaque rem gestam exponens, hæc habet. *Anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo tertio, post festum Sancti Martini. Rex cum Comitibus Leofrico, Godwino, & Sivvardo, de civitate Glavorna Wintoniam venit improvisè: & ut illi consilium ei dederant; sua genitrici, quicquid in auro, argento, gemmis, lapidibus, aliisq; rebus pretiosum habuerat, abstulit: vel quia priusquam Rex effectus, vel post, minus quam volebat ei dederat: & ei valde dura extiterat.*

Howeden. hic.

Addit Westmonasteriensis: *Sed tamen præcepit (Edoardus filius) sufficienter ei necessaria ministrari: & illam mandavit ibidem quietè demorari.* quiescentem ergo Wintoniæ Emmam dimittamus: donec causæ post calumniæ, ejus quietem, silentiumque interrumpant.

W. Westmon. an. 1042.

XI. Edsius in Siwardum Episcopatus curam transfert.

Interim Edsius, Cantuariensis Antistes; quà annis, quà morbis fractus; & ipse ad quietem suspiravit. petivitque animæ suæ, ut sine ulteriori rerum, ac negotiorum strepitu moreretur. Siwardũ elegit Abindoniensẽ Abbatẽ, cui Ecclesiæ onera, & honores communicat; petitque à Rege ordinari Episcopum, dicique successorem: aliud nihil. Unde non placet quod habet Florilegus: *Anno gratiæ*, inquit, *millesimo quadragesimo tertio, Eadsius Cantuariensis Archiepiscopus, gravi infirmitate detentus, Episcopatum dimisit; & in loco ejus, Siwardus est Archiepiscopus consecratus.* Non placet, inquam, quod vivente Edsio, Archiepiscopus alius nominetur: qui nec eo mortuo, eam prærogativam habuit. Rectiùs, opinor, Suffraganeus, & Edsii Coadjutor, dicendus. Unde Parkerus, hac vice, non malè: *Edsinus*, inquit, *diuturna invalitudine tabescens, cùm libera recreari nullo remedio se posse intellexerat; omni administratione sponte abdicatus; se morti paraturus: egit cum Edoardo Rege, & Godwino Comite, secreto atque longo sermone; ut Siwardus Abindoniensis Abbas, Vicarius & Coadjutor suus, se mortuo in Archiepiscopali sede succederet.* Ita ille; cùm paulò antea dixisset. *Archiepiscopalem honorem Edsinus administrare per infirmam, atque adversam valetudinem non potuit. Itaque Archiepiscopalia omnia jura, & emolumenta; cum ipse tanto oneri impar esset; Siwardo eadem demisit, & delegavit.* Non habuit ergo, hoc anno, duos Archiepiscopos, sedes Cantuariensis: quod Ecclesiasticâ lege cavetur: habuit tamen Archiepiscopum Edsium, & Siwardum Suffraganeum ejus: qui alteri mortuo succederet. Cur non successerit, dicam inferiùs, cùm Edsius moritur. Interim, vel inde constat honori, locoque renunciatum non esse; quia post hunc annum, in Regiis chartis, cùm subscribunt Episcopi, inter eos inferiùs legetur subscriptus, Eadsius Cantuariensis Archiepiscopus.

Florilegus hic.

Antiq. Brit. fol. 96.

Construitur, hoc anno, nobile monasterium, in Coventris, & Warwicensi provincia, à Leofrico Merciorum Comite, & Godiva uxore; qui ditissimè Ecclesiam & cœnobium ornaverunt. *Erat enim ille Leofricus Comes* (loquitur Ingulphus Abbas) *vir devotissimus, & eleemosynis multis deditus; fundator ac ditator multorum monasteriorum: inter quæ instigante uxore sua Godina nomine, (Godivam alii vocant) tunc fœminarum pulcherrima: sic corde sanctissima, Coventrense Monasterium, maximis & plurimis donariis in immensum ditavit.* Ex hac monasterii constructione, surrexit locus in magnam amplitudinem, & tandem in Oppidum, quod à Monachorum conventu, Conventria hodieque nominatur. Quò Episcopi sedes, hoc sæculo, translata est, à Roberto de Limsez, cùm paulò ante, Petrus Lichfeldensis Episcopus Cestriam elegisset; ubi paucis annis Episcopi sederunt. Nam anno millesimo nonagesimo quinto, Robertus è Cestria, Conventriam migravit: & inde sacri Antistites utramque appellationem usurparunt; dictique sunt Conventrenses & Lichfeldenses Episcopi. Cæterùm quàm amplè Leofricus monasterium ditaverit, testis est Malmesburiensis, qui ita loquitur. *Erat in Diœcesi Cestrensi, Conventreia cœnobium, à Magnificentissimo Comite Leofrico, & uxore Godiva, constructum, tanto auri & argenti spectaculo, ut angusti viderentur ipsi parietes Ecclesiarum, thesaurorum receptaculis; miraculo porro visentium oculis. Hoc Robertus subiens, ex ipsis, Ecclesiæ gazas sic cepit: unde Regis occupationes falleret, unde Romanorum aviditati irreperet. Ex una enim trabe, quingentas marcas argenti corrasit, qua scrinia sustentabat.* Hæc ille.

XII. Coventriæ monasterium construitur. Ingu f.f. 892 Leofricus Comes, et Godiva uxor.

Malmesb de Pont. l. 4 fol 280. Monasterii amplitudo.

Per trabem, scrinia sustentantem intelligo locum illum, ubi Sanctorum corpora, vel reliquiæ condebantur. Nam lipsanothecas has vulgò schrines appellamus: quas nostrates aliqui antiquiores, per scrinia efferunt. Cæterùm in Conventriensi Ecclesia, quam ornandam Leofricus, & Godiva, susceperunt: inter alia sacra cimelia, Magni Augustini Hipponensis Episcopi brachium colebatur, de quo *suprà pluribus actum: & ibi adhuc servabatur. Nam ita in Malmesburiensi sequitur. *Conventreia habetur brachium Magni Augustini, theca inclusum argentea: cernunturq; in cælatura hujusmodi literæ. Hoc brachium Sancti Augustini, Egelnodus Archiepiscopus, rediens à Roma, ad Papiam emit centum talentis argenti, & talento auri.* Quæ verba exponi debent per illa, quæ alibi idem author habet: nimirum, Egelnothum, è corpore S. Augustini, quod Luitprandus magno pretio redemerat, ejusdem Sancti brachium Coventriam miserit, ut suprà pluribus exposui. Tunc Canutus monialibus ibi locum fecerat: quibus amotis, vel alio translatis; hoc anno (ita cata-

XIII.

*an. 1020. 13. &c. Idem supra.

logus ædium destructarum) Monachos è Divi Benedicti familia collocavit Leofricus: qui unà cum conjuge, piissima fœmina, in eodem loco sepulchrum elegerunt, quod hoc loco omitti non debet; nec illud qood de utroque refert Malmesberiensis. *In ambabus porticubus Coventreia,* (inquit) *jacent ædificatores loci, præcellentissimi conjuges. Quorum maximè prædicatur fœmina: quæ cùm thesauros vivens ibi totos congessisset; jamjamq; moritura, circulum gemmarum, quem filo insuerat; ut singularum contactu, singulas orationes incipiens, numerum non prætermitteret. Hunc ergo gemmarum circulum, collo imaginis Sanctæ Mariæ appendi jussit. Sed quam pretiosarum putas gemmarum? profectò à gnaris, centum marcis argenti æstimantur.* Quod Godiva, hoc sæculo, faciebat, numerando orationes; quas Deo Sanctisque fundebat: Idipsum omni post sæculo, fecerunt orthodoxi: Inde fluxit Rosariorum usus: qui altiorem, quàm communiter creditur, originem habuit. Quod enim Angelicas salutationes Godiva recitaverit; ex eo deducitur; quod gemmarum circulum, Deiparæ collo, moriens reliquerit, amoris sui in Beatam Virginem reverentiæq; argumentum: nos globulorum circulo, quos filo insuimus; mysteria, acta, prærogativas ejusdem Virginis, eidem Virgini numeramus. Non ergo Rosarii usus primùm cœpit, anno 1209. ut aliqui contendunt, tribuuntque S. Dominico: vel à Clerico Ambianensi centum annis ante Sancti Dominici tempora. qui solam paulò distinctiùs digesserunt orationes, quas orthodoxi, & Godiva nostra Deiparæ porrexerant. Altiùs, peti potest orandi per globulos Deiparam consuetudo: & Godivæ laus esto, quod prævenerit exemplo: gemmasque, & ornatum Beatæ Virgini consecraverit.

Malmesb. de Pont. l. 4. fol. 289.

GODIVÆ PIETAS ET MODUS ORANDI.

ROSARIORUM USUS.

ANNUS CHRISTI 1044.

BENEDICTI IX. PAPÆ 11.

EDOARDI ANGLO. RE. 3.

I. PETRI CATHEDRA LACERATUR A TRIBUS.

ANNUS Christi millesimus quadragesimus quartus, Romanæ Ecclesiæ funestus, & schismate infamis fuit. Benedictum Romani, ob demerita è sede pellunt, quam undecim annos occupaverat: & Joannem Sabinensem, quem Silvestrum vocaverunt, intrudunt. Hoc indignè ferentes Tusculani Comites, pro Benedicto pugnaverunt; pulsoque Silvestro, Benedictum restituunt. Sed ille, scelerum conscientia se indignum sciens; Ioanni Archipresbitero, quem alii Gratianum nominant, sedem ultro resignat: consilio suasuque Sanctissimi viri Bartholomæi, Abbatis Cryptæ ferratæ, Sancti Nili discipuli. *Verum eundem Benedictum, dimissam repetiisse cathedram, certum est;* inquit, hoc loco Baronius. Tres ergo Petri Cathedram, unà, occupant; Urbem inter se dividunt: & universum orbem, pro spoliis habent. Suggessit huic malo remedium alter Gratianus: qui Urbi, & Orbi misertus; tribus his, ad Sancti Petri, ad Sanctæ Mariæ Majoris, & denique ad Lateranum, sedentibus, pecunia persuasit: loco, dignitati, omnique quod præsumpserant juri, cedere. Et quia ut prior tempore, ita potior jure Benedictus videbatur Ei Angliæ reditus; quia amplissimi, permissi, concessi, indultique sunt. Profuit hoc consilium paci Ecclesiarum; & tribus exauthoratis, qui pro pace fecialis intercesserat, Ro. Pontifex communi omniũ votò eligitur. Hæc alii pluribus: Otto Frisingensis exitum ita narrat: *Hunc miserrimum statum Ecclesiæ, Religiosus quidam presbyter, Gratianus nomine, videns; zeloq; pietatis, matri suæ compatiendo, animadvertens; præfatos viros adiit, eisq; à Sede sancta cedere, pecuniâ persuasit: Benedicto redditibus Angliæ; quia majoris videbatur esse authoritatis; relictis. Ob ea cives præfatum presbyterum, tanquam Ecclesiæ Dei liberatorem, in Summum Pontificem elegerunt: eumq; mutato nomine, Gregorium sextum vocaverunt.*

JOANNE SABINEÑ. GRATIANO, ET BENEDICTO.

Baron. hic.

ANGLIÆ REDITUS BENEDICTO CEDUNT.

Apud Baronium hic.

GRATIANUS ALTER PONTIFEX ELIGITUR QUI EST GREGORIUS VI.

Ex hac Ecclesiasticorum redditũum partitione; qua Benedicto Anglia cessit: satis colligitur, Insulã hanc præ cæteris provinciis, Ro. Ecclesiæ censũ præstitisse: quod optimorum Regum, & totius regni consensu olim factum: cum Petro nummus indictus, solutus, collectus, Romamque quotannis devotè missus est: præter innumeras alias Principum, & Piorum hominum largitiones. Adde nuperam Canuti in Urbe protectionem: & diligentem ejus operam, in solutione census, cùm scripsit: *Nunc igitur obtestor omnes Episcopos meos, & regni mei præpositos; per fidem quam mihi debetis, & Deo, quatenus faciatis; ut antequam Angliam veniam, omnium debita, quæ secundum legem antiquam debemus, sint persoluta: scilicet denarii quos Romam ad Sanctum Petrum debetis, sive ex urbibus, sive ex villis, &c. Hæc & alia, si cum venero, non erunt persoluta, regia exactio secundum leges; in quem culpa cadit; districtè absque venia vindicabit.* Hæc Regum vigilantia, & nota provincialium pietas, & Ecclesiarum nostrarum, in matrem & parentem suam reverentia; Petri sedem ornavit adeo; ut in bonorum ac provinciarum divisione, Anglia ei cesserit, quia alios præcedere iure videbatur. Adde, Insula hæc, à factione omni remotissima, novitatem omnem aversata, antiquo sedis possessori, nec alteri libens credebatur cessura: eum igitur, qui decennio authoritatem præscripserat, devotiùs cultura. Interim Parkeri interpretatio corruit, cùm Canuti verba commentus; Lectori persuadere cupit; eum cum Romano Pontifice egisse, ne Episcopi Cantuarienses, ad primum sedis ingressum; quidquam subjectionis nomine persolverent. Nam certò constat, auxisse Canutum potiùs, quàm detraxisse; aut antiquam Regum pietatem erga primam Sedem minuisse. Quod vel hinc patet; quia soli Angliæ reditus, Benedicto sufficere putabantur.

II. ANGLIA IN URBEM ET SEDEM PETRI PROFUSA.

Vide an. 1027. n. 9.

Antiq. Britan. in Agelnoto fol. 94.

Hoc anno generalis ordinum conventus, Londini indicitur; pro componenda Republica, quam externi homines, & varia mortalium studia, turbaverant. Scriptores parcè satis: & Spelmannus, qui tamen ex professo hujusmodi conventus colligit; nihil omnino de Concilio hoc prodidit; quod tamen Wigorniensis Generale appellavit, ita scribens, ad hunc annum: *In generali Concilio, quod eodem tempore celebratum est Londonia, religiosus Eoveshamnensis monachus, Wulvrarus, qui & Mannus, ut Abbatis jure, suo monasterio præesset, eligitur: & quarto idus Augusti, feriâ sexta, ordinatur.* Quid porrò in Synodo conclusum; nec ipse clarè, nec alii obscurè indicant. Decretum tamen,

III. CONVENTUS LONDINENSIS.

Wigorn. hic.

opinor,

Dani a Corona excluduntur.

opinor, ne Danorum aliquis ad coronam imposterum nasceretur: ut succisa, hac ratione, externorum hominum spe; provincialium animi, ad humanitatem magis, & officium, componerentur: qui hactenus, tanto diversarum nationum commercio, in varios etiam, & penè Barbaros mores, abiverant. Hinc Danorum reliquiæ, Insulâ cedere; & qui illustriores erant, cœlum solumq; ie mutare compelluntur. Ita Gunilda, Canuti è sorore neptis, Anglia pellitur: de qua Hovedenus: *Eodem anno (1044.) nobilis matrona Gunilda, Regis Wertgeorni, & sororis Canuti Regis, filia, & Comitis Hacun, & post mortem Haroldi viduata, cum duobus filiis Hemmingo & Turtillo expellitur ex Anglia: quæ Flandriam devecta, in loco qui Brige dicitur, aliquando resedit. & sic Danemerciam adiit.* Ita etiam de Gunilda hac, Wigorniensis.

Gunilda Canuti nepos ex Insula pellitur. *Hoveden. hic.*

IV. De Gunilda, Brugensi, et moniali.

Hæc est, opinor, Gunilda illa, quæ in principe Brugensis urbis Ecclesia, monumentum ostentat. Canuti neptis, non filia: Haconi Comiti, non Henrico, nupta. Illis potuit, monialem Vidus Brugis induere, ibique è Danemarchis redux, mori. Unde confirmari possunt omnia quæ de altera Gunilda, Canuti Regis filia, superius dixi: & infirmari ea omnia quæ scriptores nostri, nominis confundentes; Chunegundem, Henrici secundi; Chunichildem, sive Gunildam, Henrici III. & hanc denique Wertgoorni filiam, in fœminam unam miscuerunt. quas constat esse diversas genere, patria, nomine, denique sanctitate. Distinguuntur etiam loco sepulturæ Chunigundes, Henrici secundi sanctissima uxor, Bambergæ; in Francia Orientali; Gunilda Henrici tertii conjux, Luniburgi, in Saxonia interiori; denique quæ hoc anno exulat, Brugis in Flandria, conduntur. Prima moritur an. Dñi. millesimo quadragesimo. Secunda, biennio priùs, nimirum anno millesimo trigesimo octavo. Tertia adhuc superest: & hoc primùm anno, Insulâ pellitur; quia Danorum suspecta potentia, fœdera cum Anglis. Matrimoniorum necessitudines, & tot annorum commercia; futuræ factionis seminarium timebantur. In hisce igitur Londinensibus Comitiis cautum; Danos premere; qui diu & durè Insulam presserant. Ex Gallia, Normanniave, nihil cautum est, fortè, quia priùs Edoardum rogaverunt, in Normannorum delicta parciùs agere. Inde tamen eadem periculorum ratio, & timendi eadem, si non plura, argumenta suppetebant. Sed præsentia magis feriunt, futura minùs præcaventur.

V. Moritur Aelfwardus Londinensis Episcopus.

Moritur, hoc anno, Aelfwardus Londinensis Episcopus; qui ab anno Christi millesimo trigesimo secundo, Ecclesiam illam rexerat; & unà Eveshamense monasterium, cui Abbatis dignitate præfuerat. Hic paulò antequam naturæ concederet, Episcopali muneri cedere, & onus in alium deponere statuerat; ut quietè in suo monasterio moreretur. Sed sui eum non receperunt: Unde Rameseiense cœnobium petiit, ibique omnia omne, vitamq; deposuit. *Hæc omnia sic refert Hovedenus: *Anno millesimo quadragesimo quarto, Alvvardus* (ita eum vocari aliquando *suprà dixi) *Londinensis Præsul: qui & ante Episcopatum, & in Episcopatu, Abbatis jure Eoveshamensi præfuit: cùm Pontificatum administrare, pro sua infirmitate minus sufficeret: Eoveshammi residere voluit. Sed fratres illius loci, ad id omnino consentire noluerunt. Quapropter Abbatis ex magna parte libris, & ornamentis quæ ipse eidem loco contulerat; & quibusdam (ut fertur) quæ alii contulerant; ad Monasterium Ramensege secessit: & omnia quæ attulit; Sancto contulit Benedicto ibiq; resedit: & eodem anno octavo Calendas Augusti, feria quarta defunctus, sepelitur ibidem.* Quis illi in Abbatis Eveshamensis locum successerit, jam suprà dictum: Nam Wulmarus ejusdem loci monachus in Londinensi Concilio præficitur.

*V. an. 1032. 12. *Hoved. hic.*

VI. Robertus Londinensis Episcopus.

An ibi decretum quoque de successione ad Londinensem Sedem, nescio: verosimilius authores id expressissent, si communi procerum suffragio factum fuisset. Edoardus ergo, suo amori indulgens, & memor beneficiorum, quæ exulem, in Normannia recreaverant; voluit Rex factus, vicem rependere. Hinc Normannorum plurimi, Regem in Angliam vario tempore sequuti; amplissimis aucti muneribus, ibidem resederunt. Vacantem ergo hoc anno, Londinensem Sedem, Robertus quidam Normannus ascendere jubetur. De cujus promotione hæc habet Ingulphus: *Rex Edoardus natus in Anglia, sed nutritus in Normannia, & diutissimè immoratus; penè in Gallicum transierat: adducens, ac attrahens, de Normannia plurimos, quos variis dignitatibus promotos, in immensum exaltabat. Præcipuus inter eos erat Robertus, Gemeticensis Monachus, factus per eum Episcopus Londoniensis, postea in Archiepiscopum Cantuariensem elevatus.* Robertus hinc è monasterio, ab Edoardo vocatus; utriusque Reipublicæ administrationi se immiscuit; & ejus consilio usus Rex; aliqua postmodum fecit. quæ subditorum animos, in Normannos omnes exciverunt: sed Regia animus vulgo major, constanter illis adhæsit, à quibus olim servatus, fotus, & ad regnum animatus est. Quod postea tumultuum origo fuit, de *quibus paulò inferiùs; Interim dico, cum Malmesberiensi: *Is ergo (Robertus) & amore antiquo, & recenti honore, primas partes, in consiliis regalibus, vendicabat: quos vellet deponeret; quos liberet, sublimaret, Angli ergo Normanno invidere; & Regis benevolentiam extenuare: ille contra pertinaciùs insistere, &c.*

Ingulf fol. 895.

Edoardo a consiliis fuit.

VII. Normanni ad Ecclesias assumuntur.

*Crevit hæc æmulatio, cùm plures per Angliam Normanni, Ecclesiasticis beneficiis donantur: & cùm relicto more patrio; exterorum mores Curialea primùm; inde eorum exemplo, alii, imbiberunt. Ita Angli, paulatim Angli esse desierunt; eorum commercio, & convictu, qui Anglorum simplicitatem corruperunt. Hos inter, hoc anno Stigandus iterum, in Helmhamensem sedem irrepsit; ingenio potiùs suo, quàm merito. Florilegus ita de eo. *Quo etiam anno* (inquit ad annum gratiæ 1044.) *defuncto Ælfrico Helmhamensi Episcopo, Stigandus Regis sacellanus, successit.* Quod intelligendum est, iuxta suprà dicta, ad annum Domini millesimum trigesimum octavum: ubi dixi, mortuo tunc Alfrico, Stigandum illi substitutum; sed per Grimkatellum mox ejectum: postea tamen Stigandus, arte ingenioq; quo valuit, eodem Grimkatello exautorato, restitutus est, postliminii jure. Quod ita Godwinus exponit. *Grimketellus, qui Stigandum curaverat ejiciendum; postquam compertum esset: aditum sibi, ad eum quem adeptus est honorem, mercede, ac pretio patefecisse: deturbatus est & ipse: ac Stigandus denuo, in Cathedra Episcopali collocatus*: nimirum hoc anno, ut notant Fasti; & Florigerus suprà; qui non de prima Stigandi institutione: sed de

Westmon. Stigandus Helmhamensis Episcopus. Vide an. 1038. 2. *Godvin. in Norvvicensi*

ejusdem restitutione, hoc anno intelligendus est: nam Alfricum anno millesimo trigesimo octavo mortuum esse, Florilegus ipse affirmat. Utrobique, vereor: tam in ejiciente, inquam, quàm in ejecto, plùs artes & ingenium, quàm merita potuerunt. Nam cum Simone utrumque communicasse, quæ dicta, quæque dicenda, docebunt.

VIII. MALI MORES SUB BONO PRINCIPE.

Inceperunt ergo hoc tempore, sub sancto Rege, non sancti mores, & sub externorum hominum, ac ingeniorum nube, Anglicanæ Ecclesiæ splendor obscurari: unde, fortè, Regia sides illustrior fuit: quia nullis corrupta moribus, nulla sæculi sorde; ad sequentium sæculorum invidiam splendidissimè luxit. Porrò quod mores nunc passim mutati; & Angli in Gallos desierint, Ingulphus videtur asserere: *Cœpit ergo* (inquit) *tota terra, sub Rege (Edoardo) & sub aliis, Normannis introductis, Anglicos titulos dimittere, & Francorum mores in multis imitari. Gallicum idioma omnes magnates, in suis curiis, tanquam magnum gentilitium loqui: chartas & chirographa sua, more Francorum conficere: & propriam consuetudinem, in his & in aliis multis, erubescere.* Sequuta est ergo Danorum primò, inde Normannorum horum adventum, aliqua regni conversio, & status ferè alius: utinam omnia in melius mutata, quod à Septentrionali populo; ubi passim major barbaries, optari magis quàm sperari potuit. Unde à Canuto Rege, & deinceps; ipsa etiam Londinensis civitas, è populorum externorum colluvie, notatur sordes collegisse. *Elegerunt enim Haroldum Dani, & Londonia cives* (loquitur Malmesberiensis) *qui jam penè in barbarorum mores, propter frequentem convictum transierant.* Quid dicturus, postquam Dani, Galli & Normanni; Anglis, Britannis, Scotisque mixti; non potuerunt unâ lege teneri. Major fuit in Ecclesia solœcismus; si neglectis Synodorum decretis, animarum cura sub hasta venit, & Christi sponsam, aut seduxit avaritia, aut ambitio captivavit. Sed breve tantum fuit pietatis deliquium; & Stigandus post annos aliquot, pœnas dabit; crescet paululùm, ut solet lolium, & Cantuariensem etiam sedem præsumet: sed quia spurium vitulamen, non dabit radices altas.

Ingul. f. 995

HINC GALLORUM RITUS, ET LINGUA.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 12. prin.

ANNVS CHRISTI 1045.

GREGORII VI. PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLO. RE. 4.

I. MAGNUS NORWEGIÆ REX ANGLIAM HOSTILITER PETENS AVERTITUR.

EXTERNORUM proscriptio, Septentrionalium provinciarum Regibus, ansam altercandi dedit, anno Domini millesimo quadragesimo quinto. Gunilda, & filii exules; exauctoratio eorum, qui Arces in Anglia possederant; decretum denique, quo Dani à corona arcebantur; externis Principibus, qui à Canuto, & majoribus ejus descenderant, præjudicium censebatur. Norwegiæ Rex, qui Magnus appellatur, id tulit cæteris impatientiùs. Is Sancti Olavi filius, qui in Canutum sæpè pugnaverat; Canuti jura, sui juris esse; ac proinde Angliam, prætendit: sed cernens se omni spe dejectum, eâ alia via quàm armis potiundi; expeditionem eò parat; ratus tam facilem sibi, quàm Swano Canutoque victoriam. Sensit hoc Ednardus Rex, & contra parat occurrere; certius se tempore, loco, natalibus, & omni juris apice, potiorem. Dum hæc utrimque expediuntur: & miles in procinctu est; Swanus Danorum Rex, Norwegiam incurrere, eam depopulari, sibique subjicere; avito inter utrosq; odio; contendit. Quod Magni Regis consilium evertit; avertitque ab Anglia hostilem impetum. Sic Wigorniensem intellige, qui paucis hæc complexus ait: *Quo anno* (*millesimo quadragesimo quinto*) *Rex Anglorum Eadvvardus, ad Sandicum portum congregavit classem prævalidam, contra Magnum Norreganorum Regem, Angliam adire disponentem: sed bellum à Suano Rege Danorum, illi illatum, iter impedivit.* Idem habet Florilegus, Hovedenus, & passim recentiores, ad hunc annum.

Wigorn. hic.

II.

Unde corrigendus est Adamus Bremensis, qui aliter rem gestam narrat: non Magnum, Norwegiæ, sed Swanum Danorum Regem, movisse: Edoardum Regem; non vim vi, sed preces & supplicia, subjectionem denique opposuisse: quæ omnia cum fide historiarum nostrarum, è diametro pugnant. Exploranda sunt igitur. Adamus in hunc modum refert: *Suen duo regna possedit, classemq; parasse dicitur, ut Angliam suo jure subjiceret. Verum Sanctissimus Eduardus; cum justitia regnum gubernaret: tunc quoque pacem diligens; victore obtulit tributum: Statuens eum, ut supra dictum est, post se regni hæredem.* Ita ille: quæ verba, cùm Baronius recitasset ad annum Christi millesimum quinquagesimum, mox addit de suo; *Quod factum* (inquit) *ante biennium, anno Domini millesimo quadragesimo octavo, Rogerius habet.* Verùm Rogerius ad eum annum, non contradicit iis, quæ ad annum millesimum quadragesimum quintum scripserat: ubi transcribit omnia quæ Wigorniensis dixerat, & modò recensui. non dicit Swanum bellum in Angliam; sed pacem meditatum esse: non dicit Edoardum, regnum illi promisisse: sed tantùm pacem à Swano; oblatam admisisse. Et hæc tantùm habet: *Anno millesimo quadragesimo octavo, Swanus Danemarciam recepit, & Haroldus Herfager, Sivvardi Regis Norreganorum filius, & ex parte matris, frater Sancti Olavi, patruus scilicet Magni Regis, Norregiam repetiit: breviq; post tempore, suos nuntios ad Regem Anglorum Eadvvardum misit: & pacem amicitiamq; ei obtulit, & recepit.* nimirum Haroldus Harfager, cùm, Swano mortuo, in Norwegiæ regnum successisset. Quod certum est Rogerium voluisse; quia Wigorniensem exscribit, qui ita pergit post prædicta verba. *Ad quem etiam* (*Edvvardum Regem*), *Rex Danorum Suanus, legatos misit; rogavit ut ei navale mitteret adjutorium.* Non Swanus ergo, aut Haroldus ille, Edoardum coëgit ad indigna; nec Edoardus adhuc externo Principi obligavit Angliam: nec obligationis umbra apparet in Annalibus nostris. Adamus ergo hallucinatus est.

ADAM BREMENSIS ARGUITUR ERRORIS. *Adam l. 3. c. 12.*

Baron. an. 1050. 11.

Hoveden. 1048.

Wigorn. an. 1048.

III. S. BRITHWULDUS WILTONIENSIS EP. MORITUR.

Hoc anno moritur Wiltoniensis Episcopus, Sanctus Brithwoldus, de quo suprà sæpiùs. Hic enim ille est, qui languentis Insulæ statum ingemiscens; vidit à S. Petro, Edoardum, Regem designari atque consecrari. cùmque diu Episcopali munere functus esset; sanctissimè in Domino quievit. De eo Malmesberiensis, cum Wiltunenses recenset: *Octavus* (inquit) *Brithvvoldus, ex monacho Glastoniensi: qui multis annis a tempore Regis Ethelredi, usque ad Edvvardum ultimum, administravit*

Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 249.

Epis. ›patum. De:urso vita spatio sepultus est Brithvvoldus C'astonia : cujus possessiones multis prædiis, & redditibus ampliaverat; nostro quoque monasterio perliberalis. Quod ad tempus mortis attinet, omnes conveniunt huc referendum esse. Unde Florilegus: *Anno gratia* (inquit) *millesimo quadragesimo quinto, Brithvvoldus Ramesburiensis Episcopus obiit.* Ramesburiensem vocat, quia Wiltonienses, aliquando Ramesburiæ, aliquando Suaningæ; sed diutiùs Wiltoniæ, postmodum Sarisburiæ, sedisse memorantur. Unde Wigorniensis & Hovedenus, ad eundem annum scribunt ita: *Anno millesimo quadragesimo quinto, Brictvvoldus Wiltoniensis Episcopus obiit.* Ex quibus corrigendi sunt ii omnes, qui Brithwoldum hunc, vaticinio illustrem, Wintoniensem Episcopum vocaverunt; non aliam, opinor ob causam, quàm quia semel à Malmesburiensi, Wintoniensis dicitur: sed amanuensis id vitium esse, satis ostendunt ea, quæ suprà è Malmesburiensi adferuntur.

Westm. hic.

Hoveden. hic.

IV. EIUS VATICINIUM DE NORMANNORUM ADVENTU.

Huntind. l. 6 prin.

Ad hunc etiam virum prophetiæ munère ornatum, referri potest illud vaticinium: quo, sub hæc tempora, Normannorum ingressum prædixit & Anglicani regni exterminium, ob peccata populi, neglectumque Ecclesiarum. Et fortè moriens, hoc anno, edidit oraculum; de quo Huntindonius ita scribit: *Prædixit etiam eis quidam vir Dei, quod ex scelerum suorum immanitate: non solum quia semper cædi & proditioni studebant; verùm etiam, quia semper ebrietati, & negligentia domus Domini, dediti erant: eis insperatum a Francia adventurum Dominum: quod & eorum excellentiam in æternum deprimeret: & honorem sine termino restitutionis eventilaret. Prædixit etiam quod non ea gens solum; verùm & Scottorum, quos vilissimos habebant, eis ad emeritam confusionem dominaretur. Prædixit nihilominus varium adeo sæculum creandum; ut varietas, quæ in mentibus hominum latebat, & in actibus patebat, multimoda variatione vestium, & indumentorum designaretur.* Ita Huntindonius. Quod quia in vita S. Edoardi Regis, & Confessoris, refertur etiam, apud Capgravium, ubi dicitur: *Quidam vir Dei in diebus illis prædixit Anglis, &c.* & quia post narratum vaticinium subditur. *Illis diebus imperavit Henricus secundus:* Ideo à Brithwoldo Wiltoniensi profectum oraculum, & fortè sub tempus mortis ejus, possumus opinari. Quicquid sit, in nostro Martyrologio Brithwoldus inter Sanctos ponitur, ad vigesimum secundum Januarii: & benè Glastoniæ Antiquitates hæc habent: *Obiit venerabilis memoriæ Brithvvaldus Wiltoniensis, seu Salesburiensis Episcopus, anno Domini millesimo quadragesimo quinto. Sepultus est Glaston, in parte aquilonari, tum Brithvvio Episcopo, vir omni ævo prædicandus: qui tanta contulit eidem Ecclesiæ, ut digne in memoria habeatur æterna.* Cæterum quæ Brithwoldus Glastoniæ dederit, suprà recensui ad annum millesimum vigesimum septimum: quæ certè memoriam ejus perennant.

Capgrav. in Edoardo Confess.

V. HERMANNUS WILTUNENSIS EPISCOPUS.

Brithwoldo in Wiltoniensi Ecclesia, successit Hermannus, *Natione Flandrensis*, inquit Malmesberiensis: *de Lotharinga ortundus*, inquiunt Wigorniensis, & Hovedenus. Hic humili prædecessorum Antistitum sede non contentus; & Suaningam, vel Ramesbiriam, vel Wiltoniam, suis votis imparem cernens; alio sedem transferre, & sublimius sedere, ambitiosiùs, quàm religiosiùs, expetivit. Malmesburiensem Ecclesiam, quam pii Principes ornaverant, in sedem elegit: & quia

MALMESBURIENSEM MONA-

ejusdem cœnobii Abbas nuper obierat: ibi principatum tenere, Cathedram figere; & Episcopi munera exercere, è dignitate futurum sperabat. Edoardum Regem aggreditur, & assensum ejus facilè extorquet; qui aures animumque externis dederat. Monachi tamen, cum omnia monasterii sui privilegia; omnia Regum diplomata; omnia denique Conciliorum decreta: uno vanoque externi hominis suspirio, prostrata, & violata cernerent; indignissimè rem tulerunt: & Regem ad aliorum vota nimis facilem, nec satis in concedendo circumspectum, adeuntes: per se, aliosque proceres, æquè facilè impetrant, monasteriorum privilegiis standum; nec aliorum cupiditati, quæ concessis olim privilegiis adversetur, serviendum esse. Unde Hermannus novus Antistes, suo voto frustratus, in Belgium discessit: ibi in Sancti Bertini illustrissimo Monasterio, monachum induit: ubi aliquamdiu cùm humili mentis studio, cupiditatem pressisset; in Angliam rediit, sancta monachi veste, quàm humilitate, auctior. Nam mortuo Schireburnensi Episcopo, Ecclesiam illam, Wiltoniensi unitam, Sarisberiam transtulit ad urbem illustriorem. Sed hæc post annos decem. Interim juvat Malmesberiensem legere: unde supradicta omnia confirmantur.

STERIUM A REGE IMPETRAT.

SED MONACHI MERITÒ INDIGNANTUR.

IN BELGIUM SPE FRUSTRATUS TENDIT.

VI.

Malmesb. de Pontif. c. 2. fol. 249.

*Regnabat jam tunc (cùm Brithvvoldus moritur) Edvvardus; qui Hermanno Capellano suo, natione Flandrensi, consuetudo Pontificatum donandum putavit. Ejus animus magnitudini, vel potiùs cupiditati, cùm non sufficeret rerum angustia. Quoniam apud Ramesberiam, nec clericorum conventus; nec quo sustentaretur, erat, à Rege petiit; ut qui se dignatus honore fuisset; non inhonorum victurum permitteret. Antecessores suos indigenas fuisse; se alienigenam, nullo parentum compendio, vitam quo sustentet habere. Proinde Meldunense cœnobium sibi, ad faciendam sedem concederet: Abbatem, opportuno sibi casu, proxime obiisse. Id Rex pro simplicitate, eis pronior, quàm prudentia semper erat, legitimè concedendum iratus, tertio ab hinc die dissolvit. Nam antequam Hermannus, in re, vel sasitione invisceretur (fortè investiretur) excellentis prudentia monachi; audito quid in Curia actum, quid justitia surreptum esset; ad Comitem Godvvinum, ejusque filium summa celeritate contendunt. Illi, rei indignatione permoti, Regem adeunt, & à sententia deducunt. Facile id fuit viris summis, amplissima authoritate præditis; quibus, & causa rectitudo, & Regis facilitas, suffragaretur. Ita Hermannus, necdum plane initiatus, expulsus, est. Quo pudore confusus, Angliam indignabundus reliquit. Nec multò post, ægritudine admonente simul, & quod secularia parum prosperaverant, fortuna iratus, mundo renuntiavit, monachus apud Sanctum Bertinum factus. Sed ut ferè fit talibus, repentino illo impetu religionis frigescente; in dies in Angliam reditum meditabatur. *Pigebat hominem, assuetum obsequiis, innutritum deliciis, carere delinimentis, quæ ab ineunte fuerat expertus ætate. Affluerat que, secundus rumor aures ejus, Alvvoldum Episcopum Schireburnensem obiisse: cujus Episcopatum suo uniendum, antiquis Edgitha Reginæ promissis operiebatur. Quo concitatior veniens tongrnum spe sua effectum invenit. Et jam Godvvinum, quem vehementer timebat, discesserat; filiusque ejus voluntati Regis, & in hoc, & in aliis accesserat, adoptioni scilicet inhians.*

**Figebat.*

Hic author plura conjungit quæ nos infrà suis locis notabimus. Hermannus hoc anno electus, & consecratus; dum nimium amplectitur, nihil

VII.

vel parum cœpit, rejectus est, non quia alienigena, ut aliqui contendunt : nam tales Anglorum monasteriis sæpè præfecti : sed quia monasterium illud ab omni Episcoporum iure eximium erat. Atque ita sedem reliquit, in Belgium perrexit, ibi factus Monachus. Mansit interim vidua Ecclesia; quia nemo ejus loco substituitur. Quamdiu ad Sancti Bertini vixerit, nemo, quod sciam, prodidit : si mansit ibi, ad Elfwoldi Schireburnensis obitum, ut velle videtur Malmesberiensis : & si ille incidit in annum Christi millesimum quinquagesimum sextum, ut notant Fasti, Hermannus noster decennium abfuit : & tunc demum in Angliam rediens, Episcopi personam induit, factus Wilrunensis, & Schireburnensis Episcopus. Vixit autem ad Normannorum tempora : & tunc translata sede Sarisberiam, primus scribitur *Sarisberiensis Episcopus.*

ANNUS CHRISTI 1046.

GREGORII VI. PAPÆ 3.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 5.

I. GREGORIUS SEDE PELLITUR : CLEMENS II. SUBSTITUITUR.

SEQUITUR Christi annus millesimus quadragesimus sextus : quo Henricus Conradi Imperatoris filius, qui Gunildam Canuti Regis filiam duxerat; in Romanam Ecclesiam nimium præsumens; Synodum convocat, & ad tribunal suum Ecclesiarum judicia vocat ; Gregorium, quasi populi suffragio, magis, quàm jure, lectum arguit : eumque, eodem argumento, quo idem tres Pontifices nuper de primatu contendentes, Sede sua cedere jubet. Quod Gregorius vir à multis laudatus, libens volensque patitur. Eo amoto, ejusdem Synodi suffragio (quæ ad Sutrium habebatur) Suidgerus, Bambergensis Episcopus, ipso nascentis Christi die Romanam Cathedram solenni cærimonia inauguratus, ascendit, dictusque est Clemens secundus. *Qui mox* (inquit Hermannus) *ipsa die Henricum Regem, & conjugem ejus Agnetem, imperiali benedictione sublimavit.* In eodem Sutriin Concilio, redditibus Ecclesiasticis privantur, tres illi quibus eos Gregorius nuper donaverat. Unde Angliæ redditus, Benedicto assignati, Clementi secundo persolvuntur. Ab hoc anno Henricus Imperatoris nomine, & prærogativa fruitur. Unde impropriè loquuti sunt, qui dixerunt suprà, Canuti filiam Henrico Imperatori nuptui traditam. Magis tamen erraverunt, qui eandem multo tempore in matrimonio vixisse, & demum ab Henrico divertisse affirmarunt : aliaque commenti sunt, quæ in Chunigundem Henrici secundi conjugem rectiùs cadunt. Cæterùm Henricus anno Christi millesimo quadragesimo tertio, Agnetem Gothelmi Pictaviensis filiam duxerat : & nunc sub finem anni cum eadem imperiali benedictione sublimatur.

Apud Baron. hic n. 2.

II. MORITUR LIVINGUS CRIDIEN. EPISCOPUS.

Moritur hoc anno, in Occidente nostro, Livingus Episcopus, qui Cornubiensem sedem Cridiensi univerat ; occupatá etiam Wigorniensi Ecclesiâ. Unde malo posteris exemplo scribitur Wicciorum, Domnaniæ, & Cornubiæ præsul. Hic ille est, Canuto Regi olim familiaris, Romani itineris comes: & bajulus literarum, quas idem Rex in Angliam præmisit : qui postea multo sedium & titulorum incremento tumidus, exiguam laudem in Annalibus habuit. Unde Malmesburiensis Monachus, ita vivum & mortuum describit. *Livingus ex monacho Wintoniensi, Abbas Tavistokensis, & Episcopus Cridiensis, maxima familiaritatis, & potentia, apud Cnutonem Regem habitus est. Cum eo Danemarchia multo conversatus tempore, in Romano itinere comitatus adhæsit : nec minus explicitis apud Romam negotiis : cum Rex pedester via Danemarchiam contendisset, ille regiarum Epistolarum bajulus, & mandatorum executor factus, navigio Angliam venit : omnibusque, quæ injuncta fuerant, sapienter & mirificè, ante adventum Regis, consummatis : eò apud eum gratia processit : ut defuncto avunculo suo * Brithwoldo, qui erat Cornubiensis Episcopus, ambos arbitratu suo uniret Episcopatus. Ambitiosus, & protervus Ecclesiasticarum legum tyrannus, ut fertur invictus; qui nihil pensi haberet, quò minùs omni voluntati suæ assisteret. Denique a majoribus accepimus : cùm ille spiritum efflaret, tam horrisonum crepitum per totam Angliam auditum ; ut ruina, & finis totius putaretur orbis. Humatus est Tavistokia: quo loco multa spectabilia contulerat ; tantumque sui gratiam apud monachos locaverat ; ut hodieque quindecim graduum psalmos, continuata, per successores consuetudine, pro ejus decantent quiete.*

Malmesb. de Pontif. l. 2. c. 251.

* Vide an. 1038.

PRECES PRO DEFUNCTIS.

III. ALDREDUS WIGORNIEN. EPISCOPUS. LEOFRICUS CRIDIENSIS.

Livingo mortuo successit in Wigorniensem sedem Aldredus: in Occidentis Ecclesiarum regimen, Leofricus. De utroque breviter agendum. Fuit Aldredus, Wintoniensis monachus, & Abbas postmodum Tavistochiæ : qui cùm Wigorniensem Ecclesiam, plures annos administrasset; in Eboracensem Sedem ab Edoardo Rege assumitur. Leofricus externus homo : vel saltem extra Angliam doctus ; Cridiensem Sedem, humili loco positam, aliò transtulit. De eo sic Malmesburiensis : *Livingo, tempore Regis Edwardi, successit Lefricus apud Lotharingos altus, & doctus ; qui sedem Episcopatus transtulit in civitatem, quæ propter fluvium Exam, qui muros lapsu suo allambit, vocatur Excestre. Hanc Urbem primus Rex Ethelstanus in potestatem Anglorum ; effugatis Britonibus ; redactam turribus insignivit : muro eam quadratis lapidibus cinxit: ubi omne adeo abundat mercimonium, ut nihil frustra desideres, quod humano usui conducibile judices. licèt solum jejunum, & squallidum, vix steriles avenas, & plerumque, inane folliculum, sine grano, producat. Hic Lefricus, ejectis Sanctimonialibus, à Sancti Petri monasterio, Episcopatum & Canonicos statuit ; qui contra morem Anglorum, ad formam Lotharingorum, uno triclinio comederent, uno cubiculo cubitarent. Transmissa est hujuscemodi regula ad posteros ; quamvis pro luxu temporum, nonnulla jam ex parte deciderit : habentque clerici œconomum, ab Episcopo constitutum ; qui eis diatim necessaria victus ; annuatim amictus commodè suggerat.* Hæc ille, de Leofrico, inductoque ab eo more. Verùm de Cridiensi Sede, Exoniam translata, & dirutis tunc monasteriis, paulò inferiùs : ubi non tam ejectas moniales, quàm ad nobiliorem locum, à Sanctissimo Rege transmissos monachos dicam, anno nimirum millesimo quadragesimo nono.

Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 256.

ANNUS

ANNUS CHRISTI 1047.

CLEMENTIS II. PAPÆ I.

EDOARDI ANGLORUM REGIS. 6.

I. Clemens II. moritur

Romanus Pontifex Clemens, eo nomine secundus, cùm Synodum Romæ habuisset; in qua Simoniacam impietatem, quæ *per Occidentalia regna ebullierat*, inquit Petrus Damiani, condemnasset; & alia Ecclesiis utilia statuisset, in Germaniam profectus; nono post initum pontificatum mense moritur, & Bambergæ sepelitur, anno millesimo quadragesimo septimo. Quis ei successerit, dicam anno sequenti. Nam Benedictus IX. nuper è Sede pulsus, licèt Sedem jam tertiò repetiisset; coactus est tamen cedere.

II. Swanus Danorum Rex legatos mittit ad Edoardum Regem.

Dum Romæ hæc fiunt; boreales gentes domi tumultuantur; & Angliam ferè in factionem & tumultum trahunt. Danorum Rex Swanus, cùm à Norwegiæ populo ac principe, impeteretur; missa legatione Edoardum nostrum, pro utriusque gentis antiqua consuetudine rogat; classem sibi laboranti submittat; quæ se, regnum, ac jura sua tueatur. Re ad Proceres, de more, delata; Godwinus Comes, à Suano stabat, & quinquaginta saltem naves, militibus instructas, mittendas dicit: Contra, Leofricus Comes, & cæteri ferè omnes: non irritandos Principum animos, ut aliorum rebus consulatur, censent, & ita factum: noluit Edoardus bellorum incendiis fomitem ministrare. *Post hæc Magnus Rex Norreganorum, classe multa & valida constipatus; cum Suano prælium commisit: & multis *militibus utrimque occisis, illum de Danemercia expulit. & post, in illa etiam regnavit: atque tributum sibi non modicum pendere Danos coëgit, ac non multo post obiit*, inquit Wigorniensis. Eadem habet ad hunc annum Hovedenus. Unde infirmantur ea, quæ Adamus Bremensis l. 3. c. 12. tradit: Suanum classem parasse sub hæc tempora, ut Angliam suo juri subjiceret; Edoardum ei precibus & muneribus supplicem, tributum promisisse, quæ etiam suprà rejeci. Et potiùs dicendum est Swanum ab Edoardo classem supplici legatione petiisse: & tantum abfuisse, ut aliena appeteret; ut suo tuendo imperio, finibusque impar esset.

Wigorn. hic.

*millibus Hoveden.

III. Moritur Grimketellus Helmhamensis Episcopus. Heca Seleseiensis Episcopus. Agelmarus Helmhamensis Episcopus.

Godwin. in Cicestrensi.

Moritur, hoc anno, Australium Saxonum Episcopus Grimketellus; qui nunc Seleseiensem, nunc Helmhamensem Ecclesiam, vario infortunio rexerat; nunc sede ejectus, nunc restitutus, tandem vita sedeque exuitur. Successorem hoc anno habuit, pro australibus Hecam, Edwardi Regis Sacellanum: *qui consecratus* (inquid Godwinus) *anno millesimo quadragesimo septimo, decessit anno millesimo quinquagesimo septimo.* Pro Orientalibus Anglis, hoc est, ad Sedem Helmhamensem, quam Stigandus semel iterumque occupaverat, successit Agelmarus Stigandi frater. Sic habes verum esse, quod suprà Malmesburiensis dixit. *Pro auro Grimkatel electus tenuit duas parochias Orientalium Anglorum, & Australium Saxonum. Intercessu verò temporis: sic redditis rationibus, Stigandus evaluit, ut sibi Australium Saxonum Episcopatum retineret: & Orientalium Anglorum fratri Ethelmaro acquireret. minimum id animositati suæ ratus. Wintoniensem & Cantuariensem thronos ascendit: vix ægrè, exoratus, ut Australibus Saxonibus, proprius ordinaretur Antistes.* Forte hoc anno, cùm Grimketellus moritur: Institutus tamen est Heca: & Stigandus Wintoniensi Sede contentus: donec ad Cantuariensem illi accessus pararetur. Quod brevi fiet.

Malmesb. de Pontif. c. 2. fol. 235.

IV. Moritur Alfwinus Wintoniensis Episcopus.

Interim moritur Wintoniensis Antistes Alfwinus, vel Elwinus, de quo ad annum millesimum trigesimum tertium. Ubi dixi, eum, ut creditur, annuente Emmâ Regina, cui imprimis gratus erat, consecratum Episcopum. Innuere tunc volui, quod modò diffundam; rumorem in vulgus sparsum; quem facilè accipiunt, & augent malevoli: hunc Episcopum familiariùs, quàm oportuit, cum Emma egisse, modestiæ & castitatis leges transgressum: Rem rumoremque ad Edoardi Regis aures, Roberti Londinensis relatione pervenisse. Qui rei indignitate commotus, utrumque; Episcopum, inquam, & matrem suam, custodiæ mandaverit; donec utriusque Innocentia, miraculo probata, uterque cum laude absolvitur. Ita plures tradiderunt. Sunt tamen è modernis & factiosis aliqui, qui historiam hanc a monachis confictam, non alio nixam fundamento putant. Quod si modestè facerent; sine monachorum injuria: nec aniles fabulas dicerent, quod ipsimet fatentur: *decantatissimum miraculum habitum esse* (ita Godwinus illud vocat) possent fortè inter ingeniosos hujus sæculi criticos locum mereri: qui solent aliquando profundiùs historiarum fontes, & inde veritates, elicere: Verùm quia non docto impetu, sed manifesto in Monachos odio, feruntur; minus audiendi sunt. Ego certè ingenuè fateor, apud antiquorum neminem, quem hactenus invenire potui; Emmæ crimen purgationemque, per ignitos vomeres legi: & satis miror Malmesburiensem, qui Regum & Episcoporum gesta describit; qui Emmæ sæpiùs, & Elwini, inter Wintonienses Episcopos meminit; silentio narrationem illam transivisse. Absit tamen, ut commenta & fabulas censeam. quicquid ab eo prætermissum, aliorum fide dignorum calculo probatur. Quicquid sit, nolo rem ab aliis ante ducentos annos relatam, & à Matthæo Parkero latiùs explicatam, meo silentio condemnare. maximè cùm Harpesfeldus, accuratus author, non monachus, id sine tergiversatione referat.

Excutitur eius cum Emma vulgata familiaritas.

Godwin in Cantuariensi & Roberto.

Emmæ purgatio per ignitos vomeres.

V. Excutitur narratio.

Godwinus quo fabulam probet, vult Emmam apud Regem filium, gratiam virtutisque famam, & amicitiis, divitiisque firmatam potentiam, collegisse: quam Robertus, scilicet evertere, & obscurare conatus sit. Sed nemo quod sciam antiquorum, aut monachorum id asserit. & contra scimus, quid sub regni exordium Edoardus fecerit, cùm Wintoniam profectus, illam bonis exuit. Dic ergo Robertum Episcopi crimen, vulgò jactatum, faciliore quàm oportuit, aure excepisse; ad Regem illud detulisse, & scandalo remedium suggessisse: qui sub alio cœlo natus, Anglorum genium inde mensus, nocenter de innocentibus judicavit. Sed, inquies, quid Roberto Londinensi cum Wintoniensis Episcopi crimine? Respondeo: Edsinus Cantuariensis, ætate, & morbo fractus, ut Siwardo Suffraganeo. Cantuariensem Ecclesiam (quemadmodum supradictum) ita Roberto, quæ erant superioris ordinis, delegasse. Ita saltem colligo ex Harpesfeldo; rem gestam sic narrante. *Emmæ nomen, & æstimatio,*

Robertus criminis delator et quare.

variis gravibusq́; ex criminibus, valde laborabat, & onerabatur: quæ infeltis ad Regem querelis, & exaggerationibus, adversarii ejus; Robertus præsertim, Cantuariensis postea Archiepiscopus: quiq́; hoc tempore, impedito, & morbo sontico afflictato Archiepiscopo; ut illius Vicarius, totius Archiepiscopatus curam gerebat. quemq́; Rex supra cæteros omnes, suspiciebat, & colebat. Non passurum se Robertus aiebat, ut tanta scelera impunita abirent. Pessimo hanc impunitatem exemplo, nihil aliud fore; quam similium in aliis quoq́; scelerum admittendorum irritamentum. His & similibus, cùm optimi Regis, nec satis ad veteratoris fraudes capiendas instructi, aures quotidie oneraret: rem totam Roberto, & Episcopis committit. Celebrem mox Episcoporum Synodum Robertus Wintoniæ indicit. Carcere Emma, apud cœnobium VVarwellense, & VVintoniæ Alwinus Episcopus clauduntur; & possessionibus suis omnibus expoliantur.

VI. CONFICTA EMMÆ CRIMINA

Hæc omnia Harpesfeldus, è Thoma Rudburno, monacho Wintoniensi, in Chronico majore; & Polychronico l. 6. c. 23. Quid in celebri Synodo præterea gestum, nemo refert: solum Emmæ crimina, Robertum in immensum extulisse, ejus cum Episcopo sacrilegium, unius filii parricidium, & Edoardi nunc viventis tentatam veneno mortem; quæ duri carceris pœnæ causam dederunt. Quid interim Regina innocens? *Queritur apud Episcopos Emma* (ita pergit narrare Harpesfeldus) *nefariis se per æmulos premi calumniis, eorumq́; fidem, & opem implorat: paratamq́; se ostendit, omnibus legitimis rationibus innocentiam suam adstruere: altiusq́; in pectore suo, doloris vulnus, ex conflata Alwino Episcopo invidia, quam de sua, residere. Confluentes deinde Episcopi, has omnes facilè apud Regem turbas composuissent, nisi violentius has Robertus calumnias urgsisset, atque exaggerasset. Qua, inquit, fiducia, non dicam fœmina, sed monstri potius, & feræ hujus defensionem suscipitis; quæ sacrilego se cum Episcopo stupro commaculavit? At hoc Episcopi crimen, legitima usitataq́; satisfactione purgare, & diluere se velle dicit. Sit ita: eximatur ille à reatu: sed quomodo seipsam eximet? Quomodo se explicabit? Qua satisfactione expediet, à duplici illa, & atroci criminatione, quæ illi & de nece filii Aluredi (cujus illa erat conscia, & particeps) de veneno quo alterum filium, & Augustum nostrum Regem Edoardum, tollere conata est, intenditur? Etenim quoniam innocentiæ fiduciam simulat; non detrecto, quin si nudis pedibus, firmoq́; gressu, quatuor ignitos vomeres, ad suum privatum, & quinque præterea, ad commune cum Episcopo crimen diluendum, inoffenso pede, illæsa, nec ambusta, pertransierit; falsis & nefariis calumniis, impiè impetita censeatur: & me facile de dignitate mea deiici patiar. Atqui si graves igniis sensus, & manifesta vestigia pedibus impressa, hanc omnem illius vanam jactationem compriment, & redarguent: tum legitimis & justis tantorum criminum præterea pœnis, ut par est, involvatur. Hunc deinde & reliqui Episcopi, propter summam præeuntis Roberti authoritatem, propter tantam infamiæ & criminum magnitudinem, sententiam amplectuntur.*

VII. EMMA AD IGNITOS VOMERES CONDEMNATUR.

Præscribitur deinde à Rege certus purgationis dies: cujus cùm per omnium aures pervagata fama volitaret; mirum dictu! quàm immensa omnium ordinum, omnisq́; sexus multitudo; adeo ut eam civitas capere non potuerit; confluxerit! Pridie illius diei, venit VVintoniam Emma, & rectà ad templum Divi Suithini pergit: ejusque ad tumulum, in jejunio, vigiliis, & orationibus, totum illud tempus consumit: Dei & Beati Episcopi opem solicitè implorans. Perinde statis cærimoniis peractis; à duobus Episcopis flentibus, & hinc inde utrumq́; ejus latus claudentibus, plebeia veste contecta, pedibus, & tibiis ad genu ipsum nudis, per novem illos ardentes vomeres, in Ecclesia Divi Suithini positos, populo aspectante ducitur: quos illa erectis in cælum semper oculis, atque deorsum in pavimentum nunquam deflexis, orationiq́; tota intenta; suamq́; Deo causam, ut olim Susanna, committens; illis ductantibus, post novem passus pertransiit. Apud populum verò, interim de rei eventu solicitum, omnia fletu, & lugubri ejulatione plena: Una omnium vox, Dei, & Suithini opem, anxiè implorantium. Jamq́; extra Ecclesiam pergebant Episcopi; Quibus illa: Quando, inquit, ad vomeres perveniemus? Illi verò lacrymis oppleti; eam illos omnes, & calcasse, & pertransiisse; & egregiæ suæ conscientiæ, omniumq́; expectationi satisfecisse aiunt. Respexit deinde illa & tum primum vomeres illos, vidit; defunctamq́; se sua purgatione intellexit. Amplissimas deinde Deo, & Suithino gratias egit. Populus, cum quid actum esset, intellexisset; miris lætitiâ gestire, miros pro admirationis & gaudii magnitudine clamores edere. Ipsa rectà; in eo, quo erat apparatu: ad Regem filium proficiscitur; ut certa oculis illius innocentiæ suæ documenta subjiceret.

FIT SANCTO SWITHINO SUPPLEX.

VIII. EDOARDUS MATRI RECONCILIATUR.

Edoardus, ut vidit miraculo probatam integritatem matris, de solio se dejecit, & pronus cecidit ad Emmæ pedes; verecundans illam, matrem appellare: Peccavi, inquit, (si liceret dicere) mater: peccavi, inquam, cùm aures has, tuo beneficio meas, in te aperui: & nimis facilis fui in ruinam tuam. Sed parce Domina, si non vis mater. Plura singulta frangentem mater impedit & citò absolvit, tenerrimo in filium affectu. Noli, inquiens, pluribus deprecari veniam. tuam mater sum, & facilè extorques. Enimvero licet à filio filius aliquantulum degenerarit: mater tamen sum, & amo mea viscera. Non te nimium accuso, ne time: nescit mater, nec vult etiam videns, credere, errasse adeo filium. habes ergo non difficultet matrem, quæ nunquam esse desiit: sed Alwinum Episcopum, fili, quomodo poteris sustinere? quem, Infulam non reveritus, aut dignitatem illam, exposuisti ludibrio: non sunt illi materna viscera, quæ in me reperis, & componis. Adde, criminis fama illi nocentior, qui castitatem Deo vovit. Satage ergo illum habere denuò patrem. nam me sine dubio habebis matrem. Alwinus à Rege statim, cæterisque Episcopis in medium vocatus; famæ primùm, deinde loco restituitur. Dicitur etiam Rex Majestatem suam denuo exuisse, cùm ad matris & Episcoporum pedes provolutus, facilitatem suam impietatemque condemnans; & nudum prætendens dorsum, pœnam illatæ matri, & Episcopo, infamiæ, poposcit: & verò dedit: nam *virgarum ictibus, quos primùm Episcopi, tum mater trino verbere infligunt, absolvitur. Restituta sunt prædia, & fructus omnes; qui vel Emmæ, vel Episcopo detracti, suspicione criminis: & demum Edoardus in matris iterum, populique venerationem rediens; didicit Roberto imposterum, & exteris hominibus in Anglorum causa minùs credere.

*Henricus Imperator ab Annone Archiepiscopo flagellis cæditur. V. Baron. an. 1056. n. 8.

IX. ROBERTUS ANGLIAM DESERIT.

Addit Harpesfeldus Robertum, mox divulgato miraculo, mare trajecisse, nec unquam in Angliam (ut aliqui volunt) rediisse. Denique concludit: *Ille autem tam illustris reserentem, luculentis possessionibus, quas nominatim recenset Rudburnus.*

Vvintoniense

Wintoniense cœnobium auxit. E quibus novem à Regina, novem alia ab Alwino, tres à Rege, profecta sunt. Quod ad regias donationes attinet, alii etiam idem testantur: Godwinus ea prædia nominat, quæ Edoardus Wintoniensi Ecclesiæ concessit: Meones, inquit, & Portlandiam: & Camdenus, cur Portlandia donata sit, ita explicat: *Portlandia*, inquit, *Danico bello extincto, in Ecclesiæ Wintoniensis possessionem cessit. Cùm enim Emma Edoardi Regis, & Confessoris mater; cujus fama dubia læsa pudicitiæ, cum Aldwino Wintoniensi Præsule insimulata, in summo Wintoniæ templo, novem ignitos vomeres, nudis pedibus illæsa pressisset (quod ordalium tunc dictum, & eo tempore usitatum examinis genus erat) seq; ita expurgasset: & clariorem ad posteros tanto miraculo pudicitiam fecisset. Illa in rei memoriam, Wintoniensi Ecclesiæ novem prædia, & Edwardus filius, pœnitentia ductus, quod matrem in tam iniquam quæstionem postulasset, hanc Insulam cum aliis possessionibus, donavit.* Sentit ergo Camdenus non esse fabulam, quod de Emmæ innocentia, monachi scripserunt, licèt nullam ejus mentionem, aut Malmesburiensis, aut alii antiquiores fecerint.

Camden. in Dorset.

X. DUBIA MERITO IN DICTA NARRATIONE.

Sunt quidem in dicta narratione, plura; quæ ita sunt illustria, & in eventu adeo felicia fuerunt; ut meritò à scriptoribus notari debuissent, iis præsertim, qui datâ operâ, hujuscemodi tractaverunt. Unde si sobriè aliqua in dubium vocarentur, non obsisterem: quòd celebris, hoc tempore, Wintoniæ conventus; quòd tanta utriusque sexus multitudo, eò confluxerit; quòd ideo, & mox, Robertus solum verterit. Nam hæc mihi quoque suspecta sunt. sed novi etiam historiam aliquando phaleris ornari, & fuco aliquo, rem verissimam. debent ergo qui posteriùs scribunt, pretiosum à vili; hoc est verum à phaleris & fuco distinguere. alioquin factionis genius se nimium aperiet; & vapulabunt Episcopi omnes; imo nomen Episcopi è Rep. tolletur; quia Episcopus unus peccavit. Et quid de Regibus? certè quod majus est: si in cœlo nostro: si in Fide: quantumvis antiqua, quamumvis orthodoxa, atque Catholica; nubes aliquæ, aut maculæ erunt, vel esse fingentur; omnis illa fides evertetur, evelletur, atque eradicabitur: & nomen ipsum, si monarchiam sapit, aut caput sacræ Reip. ludibrio, odioque erit. Si moritur, hoc anno, Alwinus Wintoniensis Episcopus: (& mortuum dicunt Wigorniensis, Hovedenus atque Florilegus) causari possent Robertum, necdum in exilium discessisse: quin certò certiùs, post hunc annum Cantuariensis Ecclesiæ Sedem occupavit: & biennio saltem præfuit, priusquam pelleretur. Hic antichronismus satis arguit, Robertum non statim ab Emmæ purgatione Angliam reliquisse, Gemeticum concessisse, ibique mortuum. Fateor itaque irrepserunt aliqua prædictæ narrationi, quæ non solùm ab antiquis tacentur; sed eorum etiam calculo adversantur.

XI. DE PURGATIONE PER IGNEM ET AQUAM.

Sed inquiunt: probationis hoc genus, per ignitos vomeres, & alia quæ illi immiscentur, fidei puritati officiunt: nam exorcismi, preces, aquæ & ignis benedictio, Crucis signum, Eucharistiæ sumptio, & alia adhibita: quæ teneras Calvinistarum conscientias lædunt. Unde Parkerus in suis Antiquitatibus, cùm ritus omnes recensuisset, dicit. *Illas omnes aquæ, ferri, duelli, ac Eucharistiæ purgationes, tanquam authore Diabolo fabricatas esse.* Ita ille; cùm paulò ante, Athelstanum, Canutum; & Edwardum Regem; Wulfelmum, Wulstanum Archiepiscopos aliosque nominasset, purgationis modum & leges præscribentes. Quasi diceret: hi omnes vel diaboli fuerunt, vel authore diabolo, leges condiderunt. & tunc sequetur; diabolum, cum Cruce Christi, & aqua benedicta; novum & inauditum hactenus amicitiæ fœdus contraxisse. & falli omnes qui dixerunt: malum genium iis pelli fugarique. Sed Parkerus morbo laborat, quo omnes factiosi: nisi enim in parentum suorum facies, lutum sordesque conjecerint: nisi Papistas, Canes, & Diabolos vocaverint majores omnes, nupera factio stare non potest. Ad ordalium quod attinet (ita dicebatur purgatio illa: & nos *suprà descripsimus) à divina institutione ortum habuit: & lege illa, quam Moyses dictavit numerorum quinto; ubi oblatio præscribitur investigans adulterium, & aquæ benedictæ expressa mentio. Sic enim ibi statuitur: *Si spiritus Zelotypiæ concitaverit virum, contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur: adducet eam ad sacerdotē, & offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus; quia sacrificium Zelotypiæ est, & oblatio investigans adulterium. Offeret ergo eam sacerdos, & statuet coram Domino: assumetq; aquam sanctam in vase fictili. & pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam. Cumq; steterit mulier in conspectū Domini, discooperiet caput ejus, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ. Ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit: adjurabitq; eam, & dicet: Si non dormivit vir alienus tecum: & si non polluta es, deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi, &c.*

IMPROBATUR A FACTIOSIS.

*Vide an. 887. n. 30. & an. 928. 7.

PROBATUR E SCRIPTURA.

n. 5. 14.

En Lector, quàm procul fuerunt à malis artibus majores nostri, Reges & Episcopi; qui ordalium aquæ, & ignis ad investiganda crimina, invenerunt. Immo quàm proximè ad Sacræ Scripturæ mentem accesserunt, qui ordalii ritus, & sacra statuerunt nec in hac Insula nostri solùm Principes, & Ecclesiarum Prælati, hujusmodi tentamenta permiserunt: Moguntinense & Triburiense Concilia, vel aqua, vel igni, probari scelera mandaverunt. Triburiense ita loquitur: *Si nobilis homo ingenuus, in Synodo accusatur, & negaverit: si fidelem eum esse sciverit, cum duodecim ingenuis se purget. Si autem deprehensus fuerit in furto, perjurio, aut falso testimonio, ad juramentum non admittatur. Sed sicut qui ingenuus non est, cum fervente aqua, vel ferro calido se purget.* Moguntina Synodus, per ignitos vomeres periculum fieri jubet: & ita statuit. *Qui presbyterum occidit, duodecim annos excommunicationis secundum Canones imponatur. aut si negaverit; si liber est, cum septuaginta duobus juret. si autem servus, super duodecim vomeres ferventes se purget. Convictus noxa, usque ad ultimū vitæ tempus, militia cingulo careat, & absque conjugii spe maneat.* Quod servis hic imponitur, nobilibus imponi solitum *suprà ostendi, in Magni Alfredi legibus. Scio quid factiosos urat, quòd Ordalio tam immane irrascantur. Ethelstanus ita statuit. *Qui se ordalii quæstione examinandum obtulerit: triduo quam id sit aggressurus, sacerdotem ut is sacra de more peragat, adito. Atque interim pane, sale, aqua, & oleribus tantummodo, vescitor. Missa præterea, illis*

XII. PROBATUR ITERUM PURGATIONIS RITUS

Triburiense Concilium an. 895. capite 22.

Mogunt. Synod. ad an. 847. can. 24.

*Vide an. 887. n. 30. Vide supra an. 928. 7.

ipsis diebus intereſto, munusq́; ſuum offerto. ſub ipſo autem; quo eſt ordalium ingreſſurus die, panem Euchariſticum ſumito. ac jureiurando ſe illius de quo appellatur purum ſceleris, minimeq́; conſcium jurato. Hæc ſacra factioſis diſplicent. ſed majoribus noſtris, & Catholico orbi placuerunt. donec ſecundæ curæ illud probationis genus noluit porro in uſu eſſe, & tunc demum Anglia illud omiſit.

XIII. ALWINUS WINTONIÆ SEPELITUR.

Ad Alwinum redeo Wintonienſem Epiſcopum, quem Emmæ probata innocentia; innocentem dixit. Is ſedi, famæ, bonisque reſtitutus, cum Sancto Simeone dicere potuit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine in pace: & verò dixit, moriturque hoc anno in ſede ſua, cùm Eccleſiæ præfuiſſet ab anno Domini milleſimo trigeſimo tertio, ut ſuprà notatum. De ejus ſucceſſore Stigando plura inferiùs dicentur. Interim de loco ſepulturæ Alwini hæc habet Godwinus. *Alvinus ſepultus jacet, ſupra parietem ſæpè dictum presbyterii; ubi tumulo ejus epitaphium vidimus adſcriptum hujuſmodi.*

STIGANDUS WINTONIENSIS EPISCOPUS.

Hic jacet Alwini corpus, qui munera nobis
*Contulit egregia: *parcito Chriſte, rogamus.*

*parce illi.

Obiit anno milleſimo quadrageſimo ſeptimo. Et eodem anno; in Cornaviis, ad urbem Ceſtrenſem, monaſterium Virginibus poſuit. Leofricus Comes: quod poſt annos aliquot, Monachis datum. Ita Spedus in Catalogo, & Camdenus in Ceſtreia, qui ita loquitur: *Leofricus Comes templũ in honorem Werburgæ Virginis poſuit: quod poſtea Hugo, primus è Normannico genere, Ceſtriæ Comes, reſtauravit. & authore Anſelmo, quem è Normannia evocarat, Monachis conceſſit.* De Leofrici operibus plura inferiùs ad annum 1057.

ANNVS CHRISTI 1048.

DAMASI II. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLO. RE. 7.

I. ANNUS Chriſti milleſimus quadrageſimus octavus, Damaſi ſecundi pontificatu conſignatur in Faſtis noſtris, & Baronio. Nam mortuo Clemente ſuperiore anno, ut dictum; Benedictus quidem nonus, qui toties ſedem Petri præſumpſerat; eandem repetiit, & haberi voluit Pontifex: ſed noluit Henricus Imperator Tuſculanorum Comitum cupiditati Romanam Eccleſiam ancillari: ſui potius juris eſſe ratus, eidem Rectorem præficere; neſciens illam, tam à Comitum, quàm ab Auguſtorum dominatu, liberam eſſe, & abſolutam. Mittit ergo in Urbem Popponem Brixienſem Epiſcopum, Clementis loco conſecrandum: *Qui ſuffragiis omnium electus, & comprobatus, conſecratus Pontifex, nominatus eſt Damaſus ſecundus.* Ita Baronius. ſed pauco tempore ſedem occupavit: & poſt dies triginta tres mortuus, Benedicto nono iterum in Urbe tumultuandi opportunitatem dedit. Qui ob toties præſumptum magiſtratum, peſſimè audiens; nunquam inde meruit Pontifex appellari: & vacaſſe potius Petri Sedem, quam et toties Benedictum præfuiſſe, authores dicere maluerunt. Cæterùm Deus ideo ſoloeciſmum hunc in Latina Eccleſia permiſiſſe videtur. quo laicum in ſacra imperium

Baron. hic n. 1.
DAMASUS II. PAPA.

poſteri horrerent: & diſcerent ſacerdotium à corona diſtinguere.

II. ANGLICANÆ ECCLESIÆ NUBES ALIQUOT.

Hæc nubes, & laica tyrannis; Anglicanum etiam cœlum obſcuravit; cùm ſub indulgentiſſimo Rege Edoardo, proceres aliqui monaſteria invaſerunt; & quæſito colore Eccleſiarum bona, hoc eſt, Chriſti patrimonium præſumpſerunt. Ad hunc enim annum referri debet, quod de Edoardi regno conqueritur Malmeſburienſis: *Fuerunt tamen nonnulla* (inquit) *quæ gloriam temporum deturbarent* (forte deturparent) *Monaſteria tunc monachis viduata, prava judicia a perverſis hominibus commiſſa: &c.* quæ ad annum ſextum Edoardi Regis accidiſſe, notat Ingulphus; non ab electione Regis, regni exordium, ſed ab ejuſdem inauguratione, annos enumerans: Tunc enim Croylandenſis Abbatis mortem deſcribens, Pegelandenſis monaſterii ruinam deplorat in hunc modum. *Anno ſexto Regis Edwardi; ſcilicet, anno Domini milleſimo quadrageſimo octavo, cœpit ægrotare Venerabilis pater, Dominus Brithmerus, Abbas Croylandiæ, cum diligentiſſimè regimen paſtorale, annis viginti octo gubernaſſet: & obiit ſeptimo idus Aprilis. & in oſtio capituli jacet humatus. Illo in tempore Venerabilis pater, Dominus Wulgatus, Abbas Pegelandiæ, diutiſſimam calumniam paſſus ab Abbatibus Burgi, Elſino, Arwino, & Leofrico, abbatia ſua ſedem amittens, tandem ſuccubuit: & (pro nefas!) totum ſitum monaſterii ſui, judicio regalis Curiæ perdidit. Tantùm tunc potuit ſuper juſtitiam pecunia; contra veritatem verſutia, & in Curia Regis Hardecanuti, Comitis Godwini potentia.* Hæc ille. Lis ergo olim cœpta, ſub Rege Hardecanuto, hoc tandem anno definita eſt ſiniſtro, hoc eſt, ſæculari brachio: quod de Eccleſiarum bonis non debuit diſponere. Sic Pegelandenſe monaſterium monachis viduatum, perverſa (ut putat author) & incompetenti ſententia.

Malmesb. de Regib. c. 13 fol. 79. fine.

Ingulf. f. 891

BRITHMERUS ABBAS CROYLANDEN. MORITUR.

WULGATUS PEGELANDENSIS CAUSA CADIT.

III. NOVUM MONASTERIUM EXTRUIT.

Idem ſuprà.

Quid inde fecerit Wulgatus Abbas; ut aliò monachos tranſtulerit, ut ubique in laicos Eccleſiæ bonis inhiantes inciderit; perverſo judicio prædia amiſerit, ita narrare pergit idem Ingulphus: *Cumq; prædictus Abbas Wulgatus, amiſſo ſitu monaſterii ſui, juxta proximi fluvii crepidinem, Weland nomine, in ſuo manerio magis vicino, de Northamburge, fundamenta novi Monaſterii jeciſſet; & illuc, Abbatiam ſuam transferre diſponeret: Eccleſiamq; ac dormitorium, cum cæteris clauſtralibus officinis, adjutus multorum fidelium eleemoſynis, readificare non ſegniter inſudaret: Fernotus miles, & Dominus de Boſworth, dictum manerium de Northburt datum fuiſſe, de progenitoribus ejus, monaſterio Sanctæ Pegæ: & monachis ibidem Deo ſervientibus, ex Abbatis propriis chirographis patenter oſtendit. Unde conſequenter allegavit: quod cum Deo & Sancta Pega, Wulgatus & monachi ſui amodo ibidem non ſervirent; dictum manerium amodo non haberent. Acceptatum eſt hoc à Regis juſtitiario: & conſtitim adjudicatum eſt dictum monaſterium de Northburt, cum omnibus ſuis pertinentiis, prædicto militi Fernoto: & tanquam jus ſuum hæreditarium de Monachis Eccleſiæ Sanctæ Pegæ alienatum perpetuò & ſublatum. Quod cum per univerſum regnum, citiùs fuiſſet cognitum: ſcilicet Abbatem de Peikirke, prius amiſiſſe monaſterium; & conſequenter manerium ad monaſterium quondam pertinens: Similiter Edmerus miles, & Dominus de Holbroke, calumniam movit contra eundem Abbatem, & monachos ſuos. de manerio ſuo de Mabſey: & Herſingus de Walbe calumniatus eſt, & pro manerio ſuo de Badington: & Siwardus Comes, de manerio ſuo de*

INOBSTIAM PELLITUR.

Bernack; & Hugolonus thesaurarius de manerio de Helieston: & alii plures, de aliis maneriis dicto monasterio dudum pertinentibus & omnes eadem ratione, in dicta causa, contra monachos obtinuerunt, & tam de maneriis, quàm de monasterio suo, dictus Abbas de Peikerk, & Monachi sui, nequiter, & crudeliter ejecti sunt: ut nunquam alicui veniat damnum solum.

IV. EDOARDUS IN MONACHOS ET WULGATUM ABBATEM PIUS.

Hæc sine dubio Malmesburiensis suprà intellexit; cùm turbatam, vel potiùs deturpatam Ecclesiam dixit, *ob prava judicia a perversis hominibus commissa.* Iterum ergo, mater Ecclesia tot Regum chartis libera, ab omni laicorum imperio eximia, laicis servit: & margaritæ porcis substernuntur. Iterum Susannam calumniantur judices inveterati dierum malorum, & Dei sponsam ludibrio habent: nec Daniel aliquis, in Anglia auditus, qui hujusmodi justitias judicaret. Quid ergo Edoardus Rex? num Ecclesiam ille neglexit, aut pessundedit? Absit: monachorum potuit misereri: & verò misertus est, non potuit perversos judicum impetus moderari: vir natura sua bonus, & illa alios mensus, judices ex arte stipulatos putans; vel fraudem non advertit, vel noluit judicum judicio justior videri. Fecit tamen, quod erat Regium: dispersos Monachos, & Abbatem, collegit; necessaria illis providit; denique locum quò se reciperent. Dicat hoc Ingulphus. *Cum itaque Abbas VVulgatus, & conventus suus; monachi scilicet octodecim; sic de monasterio destituti, vagabundi, & in proximo dispergendi, in omnem ventum, pro extrema miseria fluctuarent: misertus eorum pissimus Rex Edvvardus, omnes in suam curiam suscepit: & usquequo eis provideret; suam capellam, ac aulam quotidie frequentare imperavit. Vix egressus erat sermo de ore Regis: & ecce nuntiatur in aula ejus, obitus Brithmeri abbatis monasterii Croylandensis. Cujus pastoralis baculus, per priorem monasterii, ac duos alios fratres, eum concomitantes, Regi extitit præsentatus.* (Ingul. f. 896)

ABBATUM INVESTITURÆ A REGIBUS, QUANDO?

A tempore namq; Regis Ethelredi patris sui, ceperunt Abbates in Regum curiis clariùs agnosci: & indies contingebat, Regum ministros; per monachos, dignitatum & prælaturarum nimium ambitiosos; variis xeniis, & blandis salutationibus deinceps abundantiùs honorari. Ac inter præcipua monasteria, tunc magno nomine prædicabatur Croylandia: tot & tanta, in tempore Danicæ tribulationis, in Regis curiam semper, manu promptissima effuderat denaria, & tributa. A multis itaque annis retroactis nulla electio Prælatorum erat merè libera, & Canonica: sed omnes dignitates tam Episcoporum, quàm Abbatum, per annulum & baculum, Regis curia, pro sua complacentia conferebat.

V. *Vide an. 948. n. 9

De investitura hac, à Principibus usurpata *suprà dixi; tamdiu illis ab Ecclesia permissam; quamdiu Principes in ornanda ditandaque sacra Rep. laborarunt: quo satis innui; rem facti magis, quàm juris suisse. Hic autem Ingulfus id clarè significat, cùm electiones hujusmodi, *non Canonicas* vocat, hoc est, præter morem, mentemque Canonum; quæ solùm Ecclesias vegetat, animatque. Unde Seldeni hic fidem desidero, rectumque judicium; qui Jurisconsultus cùm sit, non debuit *solennem morem & usitatissimum, appellare electionem non Canonicam.* Ille tamen in spicilegio & notis ad Edmerum; ex hoc Ingulphi loco, Regibus adulatus; incautum Lectorem facilè fallet, qui *morem solennem & usitatissimum*, omni Canonum authoritate potiorem existimabit: cùm tamen Ingulphus contra pronuntiet. *Obtinebat avo illo superiore* (inquit Seldenus) *mos solennis, atque ante Normannorum etiam adventum, hic usitatissimus: ut majorum gentium Antistites sacri; Episcopi nimirum, & cœnobiarcha (quos saltem in clientela Regia) a sacris Ecclesiarum corporibus electi: quin sæpius etiam, spretis omnino corporum sacrorum suffragiis, in aula designati; annuli & baculi pastoralis, sive pedi, traditione, in dignitatis possessionem, à Regibus nostris, jure avito nixi, mitterentur.* Ita ille, pro *avito jure* Malmesburiensem citat, & factum sensumque Edgari Regis: addit & hunc Ingulphi locum; & ait. *De ea re luculentissimum perhibet testimonium Ingulphus, Abbas Crowlandensis, qui Gulielmo primo coætaneus:. A multis, inquit, retroactis annis, nulla electio Prælatorum erat merè libera, & Canonica: sed omnes dignitates, &c.* E quibus verbis, ego potius *luculentissimum argumentum* sumerem; quicquid retroactis annis, sive ab Edgaro, sive ab Edredo, Regibus, factum; id, nullo jure, factum fuisse: hoc est, electionem illam, non liberam, non Canonicam fuisse: vel corrigi non citari debuisset Ingulphus.

NOVATORES HOC LOCO INGULPHI ABUTUNTUR. *Selden in notis prim.* *Idem suprà.*

VI. QUINAM PRINCIPES ET QUOMODO INVESTITURA USI?

Cæterùm fatendum est, Edgarum, Edredum, & sanctissimum Edoardum, ita investiendi Prælatos potestate & prærogativa usos; ut commendari potiùs quàm reprehendi mereantur. Nam Edgarus in Monasteriorum, & Ecclesiarum ædificatione præcipuus; ideo sibi, suisque hæredibus, tribuendi pastoralem baculum potestatem retinuit; quia summè sacra loca reveritus regium semper iis locis patrocinium, quo ab improborum calumniis immunia forent, adesse voluit. Et certè si Edgari, Edredi, aut Edoardi semper, & ubique regnarent; nunquam ab Ecclesia tam acriter de investiendi jure disputatum fuisset. Sed ubi usus, in abusum crevit: ubi quod in bonum præsumitur, in malum vertitur: ubi, inquam, Principes à majorum pietate degeneres; quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi: Tunc vigilat Ecclesiæ bonus pastor, & Lupum arcet ab ovili. Nunc ad Edoardum redeo, qui pastoralem baculum, innoxiè cepit, & reddidit. quod ita refert Ingulphus. *Recipiens ergo pissimus Rex Edvvardus baculum pastoralem monasterii Croyland; in præsentia Domini Gerardi Prioris Croylandiæ, duorumq; Monachorum suorum, qui cum ipso ad curiam venerant, & cæterorum Monachorum Pegelandensium; quos sicut olim suos compromotos, & charissimos connumos, Monachi Croylandenses optimè noverant; prædictum Venerabilem patrem, Dominum VVlgatum, Abbatem, de pastorali regimine Croylandensis Monasterii per ejus pastoralem baculum investivit: & super hoc literam suam, Croylandensi Conventui direxit, in his verbis.* (Ingulf fol. 896.)

WULGATUS FIT ABBAS CROYLANDENSIS.

EDOARDUS Rex Anglorum, Suppriori, & sancto conventui Monasterii Croylandensis. Salutem.

VII. EDOARDI LITERÆ AD CROYLANDENSES.

MIsertus Domini VVulgati; quondam Abbatis Pegelandiæ; qui non suo crimine, sed jure dictamine; suum monasterium perdidit: misertus etiam vestri qui non vestra volentia, sed mortis violentia, vestrum patrem nuper perdidistis: ambos una antidoto sanare intendo; scilicet prædictum patrem VVulgatum, vobis in prælatum præficiendo. Vos ergo, sicut sancti viri bene facietis; si prædictum patrem vestrum, & pastorem, tot tribulationibus exercitatum, & probatum, obedienter suscepertis: & commonachos suos, confratres vestros, secum

ad vos commeantes, fraterna charitatis amore benignè tractaveritis: ut simul ad cælum, post præsentis vitæ cursum contendere valeatis: & ad sanctum chorum vestrorum patronorum, qui fratres fuerunt, pervenire possitis. Valete, orantes pro me, & pro toto regno meo, Deum deprecamini, die ac nocte. Ita usus est investiendi potestate Edoardus Rex; nullo sui, aut laicorum; sed Ecclesiæ, eique servientium beneficio. Quo etiam modo Croylandensis cœnobii privilegia omnia, ab aliis Regibus concessa; ne impiorum hominum cupiditatibus essent obnoxia; confirmavit: de quo idem Ingulphus ita pergit dicere.

VIII. *Ingulfus fol. 896.* CONFIRMAT CROYLANDIÆ PRIVILEGIA EDOARDUS.

Concessit Rex Edvvardus hoc eodem tempore, ad petitionem dicti Domini VVulgati quondam Abbatis Pegelandiæ; suggerente prædicto Domino Gerardo, priore monasterii nostri Croylandiæ, & diligenter procurante; confirmationem totius Monasterii nostri Croylandiæ, de omnibus terris, & tenementis, mariscis, & aliis rebus nostris, dicto monasterio nostro Croylandiæ pertinentibus, per chirographum suum in hæc verba.

IX. HOC DIPLOMATE.

EGo Eadvvardus, gratiâ Dei Rex Anglorum, Domino VVulgato Abbate Croylandiæ postulante, Dominoque Gerardo Priore dicti Monasterii, devotè supplicante, testamenta prædecessorum meorum Regum Angliæ: scilicet piissimi Regis Edredi, & inclyti Regis Eadgari, Avi mei, monasterio Croylandiæ concessa: in omnibus laudo, approbo, & confirmo. Dederunt enim, & suis chirographis confirmarunt, Deo & Sancto Guthlaco, ac monachis suis, totam Insulam Croylandiæ, in situm separalem monasterii dictorum monachorum; sicut jacet extra dictum monasterium, limitibus, & terminis, in prædictorum Regum chirographis, satis apertè descripta, & definita: cum duobus mariscis ejus, scilicet Alderlound & Goggislound, ex opposito ejusdem Insulæ, ad ejus Occiduum jacentibus, similiter cum eisdem finibus & metis; quibus in iisdem chirographis describuntur. Hæc & omnia alia donaria prædictorum Regum; scilicet Edredi, restauratoris dicti monasterii; & Edgari, avi mei, prædictis monachis, & eorum successoribus concedo & confirmo, cum omnibus libertatibus, & privilegiis, in eorum chirographis, dicto monasterio concessis & contentis; habenda Sancto Guthlaco, & prædictis monachis suis: in puram regalem eleemosynam in perpetuum. Testibus Egitha, Regina mea, Edsio, & Alfrico Archiepiscopis, Godvvino, Leofrico, & Sivvardo, Comitibus, cum cæteris optimatibus meis, qui assunt in curia mea, multis. Ita Edoardus: & pergit Ingulphus. *Venit itaque prædictus venerabilis pater, Dominus VVulgatus, ad Croylandiam, cum omnibus monachis suis, numero sexdecim, (duo namque Londoniis defuncti erant) & cum omni supellectile sua; & receptus est, in Die Sancti Marci Evangelistæ; scilicet anno Domini millesimo quadragesimo octavo. Quo anno terræ motus factus est magnus, Calendis Martii, die Dominica, & magna mortalitas hominum, & jumentorum consequuta est.*

X. EDMUNDUS DUNELMENSIS EPISCOPUS MORITUR. *Godwin in Dunelmensi.*

Moritur hoc anno, Edmundus Dunelmensis Episcopus, cùm plures annos Ecclesiam sanctè administrasset; & contra Scotorum impetus, qui eam turbaverant, egregiè defendisset. De eo hæc habet Godwinus: *Electus est anno millesimo vigesimo; non nisi post quinquennium consecratus. Sedit tum postea annos viginti tres, & Glocestriæ defunctus, anno millesimo quadragesimo octavo, Dunelmum corpore delato, ibi extitit tumulatus.* In ejus laudibus ponitur illius Ecclesiæ perfectio; in qua Sancti Cuthberti corpus eo tempore jacebat. Sic Malmesburiensem intelligo de Edmundo scribentem, & operibus ejus: *Corpus Sanctum* (inquit) *delatum Dunelmum, basilica ibidem à fundamentis consummata: multa præterea, quæ nullo unquam apud cives ævo, fallax consumet oblivio.* Interim ea, solennis fuit concertatio super Ecclesia Hagustaldensi; quo sedes quondam Episcopi; cujus proprietatem, Edmundo sedente, Alfricus Eboracensis Episcopus vendicavit. Sed centum & quadraginta annorum præscriptio, pro Edmundo fuit. Unde eam Dunelmenses Episcopi, ad Henrici primi tempora tenuerunt: *qui infestum, & exulceratum* (ita Harpesfeldus) *in Ranulphum Episcopum, animum gerens; & eum Episcopatu movit, & Hagustaldensem Ecclesiam Eboracensibus adjudicavit.* De eo tempore loquutus est Malmesburiensis, cùm dixit: *Nunc est Hagustalden villa Archiepiscopi Eboracensis.*

Malmesb. de Pont. l. 3. fol. 276.

Harpesf. sæc. 11 c. 22.

XI. EADREDUS SUCCEDIT, SED INFELICITER.

In defuncti Episcopi locum successit Edredus; qui principem in Ecclesia illa locum post Episcopum tenuerat, Sacerdos sæcularis. Unde cùm priores Episcopi, è monachis assumi consueverint: difficilem aliàs ad Episcopatum aditum, Edredus pecuniâ aperuisse dicitur: sed admodum infeliciter. Nam ex Simeone Dunelmensi scribit Harpesfeldus eum, *corrasâ Ecclesiæ pecunia, ad Regem Hardecanutum profectum, Episcopatum sibi sordidè, & turpiter comparasse: reversum verò mox morbo repentè correptum, lectoque affixum, & mortem paulo post obiisse.* Verùm quod de Hardecanuto dicitur, non potest huc referri. Fortè Regium assensum paraverat, ante mortem Edmundi quæ communiter sub Edoardo Rege consignatur. Unde ad annum gratiæ millesimum quadragesimum octavum scribit Florilegus: *Defuncto Eadmundo Dunelmensi Episcopo, Eadredus successit.* Eum quoque annum notant Wigorniensis, & Fasti. Quicquid sit: quia aliunde ascendit, ad regendum Christi ovile, & non per ostium; non fuit diuturna possessio ejus. Ubi enim Episcopi munere fungi cœpit, subita infirmitate percussus, lecto affigitur; unde post menses aliquot, non nisi ad tumulum, elatus est. Aliam repentinæ mortis causam Harpesfeldus insinuat, cùm ait: *Qui eum antecedebant Episcopi, ex monastica vita sumpti sunt. Ille primus fuit, qui ex Clero id munus administravit.* Edmundus quidem præcesserat, ex eodem Clero electus: sed ille sapientior, monachum induit; & ita Sedem constantiùs tenuit. Quis Edredo mortuo successerit, dicam anno sequenti.

Idem suprà.

Idem.

ANNUS CHRISTI 1049.

LEONIS IX. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 8.

I. LEO IX. PAPA. *Baron. hic n. 1. V. an. 1012. 15.*

ANNUS Redemptoris millesimus quadragesimus nonus, Indictione secunda, sequitur; *quo post menses quinque vacationis sedis ab obitu Damasi Papæ; Bruno ex Comite Dagsburgensi, & Episcopo Tullensi in Leuca,* (de quo dixi ad annum 1012.) *maximo bono totius Ecclesiæ Catholicæ, creatur Pontifex, dictusque est Leo nonus.* Ita Baronius hunc annum auspicatur. Qui paulo post de ejusdem

Leonis virtutibus differens, hæc habet. *Vir plenè erat meritis insignis: & homo licèt, interiùs Angelicam vitam ducens, consortio Angelorum dignus est habitus; quorum cultum propensiori studio frequentaret. Hinc est, ut simul ac consecrationem Pontificiam Romæ accepit; nihil sibi moratus, Sipontum in Apulia, ad visitandam Ecclesiam Sancti Michaelis Archangeli, sitam in rupe Gargana, celeberrimam ejus temporis peregrinationem, ad promerenda apud Deum suffragia Sanctorum Angelorum, accurrerit.* Fuit enimvero Leonis electio, Catholicæ Ecclesiæ admodum opportuna: nam Petri Sedes sub Laico imperio diu gemuerat: Et multa ubique in mores irrepserant, quæ medicâ manu indigebant. Simoniæ vitium; quod Ecclesia orthodoxa summè detestatur; Occidentem infecerat penè omnem, & Leone opus, Pontificum fortissimo, qui malo mederetur. *Quis enim nescit* (inquit Petrus Damiani) *usque ad hujus Henrici clementissimi Regis imperium, præsulatumque reverendæ memoriæ Clementis Papæ, istiusque Beati Leonis, quo nunc videlicet Præsule, sancta se gubernari gratulatur Ecclesia, per Occidentalia regna virus simoniacæ hæreseos ebullisse.*

Idem n. 4.

Simoniaca labes Occidentem infecerat.

Pet. Damia. Epist. ad Henric. c. 37

II. Ad Concilium Rhemense Anglorum Ep. vocantur.

Intelligit (vereor) per Occidentalia regna, Insulam quoque nostram; ubi Edredus, Stigandus, aliique non rectè, ad Ecclesiæ regimen; sed aliunde, ascenderant. Hanc ob causam, in Gallias Leo profectus, in Rhemensem urbem, Galliarum Episcopos vocat: & inde misso ad Edoardum Regem nuntio, Angliæ Prælatos jubet adesse; ut mala, quæ Anglicanam, & Gallicanam Ecclesias invaserant, communi Episcoporum suffragio, sanaret. Edoardus Rex, Leonis imperium veneratus, Dudocum Wellensem Episcopum, Wulfricum Sancti Augustini Abbatem, & Alfwinum Ramesiensem Abbatem, Rhemos ablegat; pro Anglia oratores, & Synodi dictata relaturos. Binius tomo septimo, ubi de sessione hujus Synodi, ad quintum Nonas Octobris agit; vult Leonem Papam Concilio præsentem; cùm de synodica dispositione quæstio esset; Episcoporum sedilia, ita in coronam disposuisse: *ut ad Septentrionalem plagam sederit Hugo Archiepiscopus Vesontinus, Hugo Nivernensis, Eusebius Andegavensis, Pudicus Nannetensis, Episcopus Anglorum, & Joannes Portuensis: & à tergo eorum inter Abbates VVulfricus Abbas Sancti Augustini Cantuariensis: Alvvinus Sancti Benedicti (Ramesia) de terra Anglorum.* Ita ille: sed omisisse videtur Anglorum Episcopi nomen: unde legendum putat Spelmannus ita. *Eusebius Andegavensis, Pudicus Nannetensis, Duduc Episcopus Anglorum.* Cæterùm Dudocum Wellensem, Rhemos hoc anno ivisse, Synodo adfuisse, & decreta inde accepisse, non est dubium. Quod licet in Episcoporum nostrorum gestis non reperiam: Video tamen monachos, pro monasteriorum privilegiis solicitos, suorum Abbatum, & unà Episcopi præsentiam, in Synodo adnotasse.

Binius tomo 7. par. 1.

Quinam ad Synodum missi.

Spelman. fol. 571.

III. Alwinus impetravit a Papa confirmari sui monasterii privilegia.

Ita liber fundationis monasterii Ramesiensis, Alwini Abbatis meminit; qui in Rhemensi Concilio, Leone Papa propitio usus, & benevolo; cœnobii sui privilegia, jura prædiaque ejus, tam habita, quàm habenda, authoritate Apostolica, confirmari impetravit. Sic enim in prædicto libro scriptum habetur: *Acta sunt hæc, postquam supradictus Abbas Ramesiensis, Alfwinus repatriavit; reversus de magno Concilio; quod Rhemis à Leone Papa; anno Verbi incarnati millesimo quadragesimo nono, celebratum est. Quò missi fuerant honorabiliter a Rege Edwardo, Duduc Episcopus VVellensis, & ipse Alfwinus Ramesiæ, & VVulfricus de Sancto Augustino, Abbates; decreta Christianitatis, quæ ibi à Sanctis patribus statuebantur, relaturi. Nec silentio prætereundum; quod memoratus Abbas Alfwinus, in memorato Concilio Rhemensi, tantam in oculis Domini Papæ Leonis gratiam invenit: ut ad preces ipsius, & instantiam; Ramesiensem Ecclesiam liberali protectionis Apostolicæ dono privilegiatam: & jura ejus, & possessiones: tam habitas tunc, quàm imposterum justa acquisitionis titulo habendas; authoritate suarum literarum, contra malignantium infestationem communiret.* Hæc liber fundationis apud Spelmannum.

IV. Quid actum in Synodo.

Quid actum in Rhemensi Concilio, & quæ decreta Prælati supradicti retulerint, Annales nostri dicere omiserunt. Sed & Baronius, alii parcè admodum, de Synodo illa scripserunt. Quoniam verò constat, pro disciplina, & moribus Ecclesiæ reformandis, celebratam esse: ita constare etiam debet, leges ibi, pro Anglicana quoque Ecclesia latas esse; easque Dudocum, & Prælatos, in Insulam retulisse: ne eo morbo, quo Gallia laborabat, præsertim Simoniæ crimine inficeretur. quod Leo Pontifex, & Synodi proceres imprimis insectati sunt. Unde statuta illa, primo loco emerserunt. *Ne quis, sine electione cleri, & populi; ad regimen Ecclesiasticum proveheretur. Nè quis sacros ordines, aut ministeria Ecclesiastica, vel altaria emeret, aut venderet. Et si quis clericorum quodlibet eorum emisset; id cum digna satisfactione suo Episcopo redderet. Nè quis laicorum Ecclesiasticum ministerium, vel altaria teneret. Nè quis in atriis Ecclesiarum, præter Episcopum & ejus ministrum, quaslibet consuetudines exigere præsumeret. Nè quis, pro sepultura, vel Baptismo, sive pro Eucharistia, aut infirmorum visitatione, quicquam exigeret. Nè quis clericorum arma militaria gestaret, aut mundanæ militiæ deserviret. Nè Clericus vel Laicus, usuras exerceret. Nè quis Monachus, vel Clericus à suo gradu apostataret.* Hæc, aliaque pauca, Anglicanæ Ecclesiæ opportunè præscripta sunt: malis tunc emergentibus remedia: quæ Dudocus Episcopus, aliique Prælati, Ecclesiis dictaverunt. Wigorniensis noster de Synodo hac agens, hæc tantùm habet: *Sanctus Papa Leo in Franciam venit, habens in comitatu suo Præfectum, & digniores quosque Romuleæ urbis, & Sancti Remigii Francorum Apostoli monasterium Remis constitutum, maximo in honore dedicavit: & postmodum in ipsa Urbe magnam Synodum archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum sex diebus celebravit: In qua fuit Alfwinus Ramesiensis Abbas, & Abbas monasterii Sancti Augustini, à Rege Anglorum Eadvvardo, illò directi.* Alibi etiam è registro Sancti Augustini Cantuariæ colligimus; in ea Synodo, cùm de Simoniæ crimine, & Anglicanæ Ecclesiæ moribus, quæreretur; inventos esse Anglos cæteris innocentiores. Vide an. 1055. n. 5.

Decreta Rhemensis Synodi.

V. Hoc anno Edoardus Rex, & Editha Regina, Exoniam venientes; Ecclesiam ibi, Leofrico Episcopo suggerente, illustrem statuerunt. Enimvero Leofricus Cridiensis Antistes, sedem suam, in ea Urbe collocare, & splendidiùs, quàm hactenus, sedere desiderabat: cujus voto indulgentissimus Rex confestim annuit; permisitque illi, loca priùs ibi Deo consecrata, in Cathedralem Ecclesiam, & Canonicorum domicilia, commutare. Dixi *supra Canutum, ut Swani parentis crimina

*an. 1019. 1.

expiaret, cœnobium in ea Urbe restaurasse; & restauratum Athelwoldo Abbati tradidisse: necnon & omnia prædia antiquitùs ad illud pertinentia, confecto inde Diplomate, anno millesimo decimo nono, ut inquit Godwinus. Qui addit:

Godwin. in Exon. *Post annos tum triginta, Edwardus Confessor, Exoniam veniens; Leofrici Creditoniensis Episcopi consilio, qui multum apud illum poterat; amandatis Westmonasterium monachis, sedem Cathedralem illius Diœcesis, illuc transfert. Qua re confecta Leofricus cœnobia vicina diruit, ut novis incolis Canonicis locum faceret.* Ab hoc tempore, Devonienses Episcopi; qui non uno loco Sedem priùs fixerant; quique postea Creditonam, in Sedem elegerant: nunc demum Exoniam migrantes, Exonienses Episcopi dici, scribique, cœperunt. Quem titulum Leofricus primùm obtinuit, hoc ipso anno; cum Rege, & Regina comitantibus; solenni inauguratione Cathedram ascendit. De quo, ita scribit Godwinus in Catalogo, & Episcopis Exoniensibus.

VI. Idem suprà. *Episcoporum hujus Diœcesis,* inquit, *qui Exonia Sedem habuerunt, omnium primus extitit Leofricus; vir nobili prosapia in Burgundia natus, nec minùs eruditione, & prudentia; quam nobilitate clarus: qui Edwardo Confessori ab arcanis; necnon (ut à quibusdam traditur, perperam credo) Angliæ sub eo Cancellarius; Episcopus huc loci constitutus; Cathedram Episcopalem, à Creditona Exoniam transtulit, circa annum Domini millesimum quadragesimum nonum: & eodem Rege authore (Qui huc unà cum Regina, id temporis accesserat) monachos Exonienses, Westmonasterium coegit migrare; ut Canonicos eorum loco collocaret. Traditum est memoriæ, Regem ipsum, manu Episcopi dextrâ prehensâ: Reginam verò sinistrâ, ad thronum illi præparatum, deduxisse eum, & ibidem collocasse. Hic postquam prædia multa, & privilegia, ab eodem Rege impetrasset; Canonicis suis leges quasdam præscripsit, & statuta ordinavit, quibus regerentur.* Ita

*Vide an. 1046. n. 3. Godwinus. Quænam illa statuta fuerint, *suprà insinnavi, cùm è Malmesburiensi retuli, contra morem Anglorum, ad formam Lotharingorum, mandasse Canonicis, uno triclinio comederent, uno cubiculo cubitarent. *Transmissa est,* inquit author, *hujuscemodi regula ad posteros: quamvis, pro luxu temporum, nonnulla jam ex parte deciderit.* Ita est: imo non ex parte solùm, sed in totum decidit Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordo pulcherrimus. cùm novi homines, prurientes auribus, & à veritate auditũ avertentes; novo modo Ecclesiam reformarunt; antiqua omnia, & sanctissima quæque pervertendo.

VII. Exonienses Monachi Londinum transferuntur. Permisit Edoardus Leofrico monachorum Exoniensium ædes; quia ampliores illis, in Londinensis urbis occidente, jam animo designarat. & quemadmodum anno superiore, Pegalandenses cõmodiùs multò, quàm antea, habitare, in Croylandensi, antiquiori & nobiliori sede mandavit; ita nunc, Westmonasterii Abbate mortuo, Exonienses monachos, ejus locum supplere, & cœnobium illud; quod postea fecit illustrissimum; incolere voluit. Quod Westmonasterii Abbas, hoc anno, mortuus sit, testatur Wigorniensis ita

Wigorn. hic. scribens: *Oswius, Abbas Thorneyensis, & Wolnothus, Abbas Westmonasterii, decesserunt.* Cæterùm ut Edoardus Rex, locum illum, quò nunc monachos transfert, postmodum ornaverit, ampliaverit, & ad invidiam omnium sæculorum illustraverit: dicam inferiùs; cum ille vitam, ego tomum hunc, & Fidem Regiam claudemus, illo epiphonemate. Interim Regem, è templis, & monasteriis, ex Occidente Insulæ, in Orientem, & in aciem producamus. nam vicini Principes tumultuantur, & Angliæ litora debent observari.

Leo Pontifex Balduinum Flandriæ Comitem, à fidelium communione; utpote Henrico Imperatori rebellem; semoverat: & ille contumax, utrumque brachium contempserat. Hinc jussi Christiani Principes, immorigerum filium ad obsequium flectere. Quid hac in re Edoardus præstiterit, Annales nostri ita referunt. *Anno millesimo quadragesimo nono, Henricus Imperator innumerabilem congregavit exercitum* (ita narrat Hovedenus) *contra Flandrensium Comitem Baldewinum; maximè eo quod apud Neomagum, suum palatium combussisset, atque fregisset pulcherrimum. In qua expeditione, fuit Leo Papa, & de multis terris Nobiles, & magnifici viri quamplurimi. Swanus etiam Rex Danorum, ut Imperator illi mandarat; cum sua classe ibi affuit: & ea vice fidelitatem Imperatori juravit. Misit quoque ad Regem Anglorum Eadwardum, & rogavit illum, ne Baldewinum permitteret effugere, si vellet ad mare fugere. Idcirco cum magna classe Rex Sandicum portum adiit, & ibi tamdiu mansit: quoad Imperator, de Baldewino, omnia quæ voluit, habuisset.* Egit Ecclesiæ causam, tam Edoardus Rex, quàm Henricus Imperator; nam Balduinum ideo persecuti videntur, quia Ecclesiæ claves contempserat. Sic enim narrat Hermannus. *Cùm Imperator,* inquit, *expeditionem contra Godefridum, & Balduinum, à Domino Papa excommunicatos, pararet: Godefridus, tam contra vim Imperatoris; quam contra Papæ Excommunicationem, Aquisgranum venit: & opitulante Papa, gratiam Imperatoris promeruit. Balduinus verò utrumque contemnens; vastata ab exercitu, magna ex parte, provincia sua; tandem obsides dedit; & pactum cum Imperatore fecit.*

Quievisset Anglia ab omni tumultu, & nunquam externorum jugum subiisset: si cives à cæde hominum, & proditione temperassent. nam propterea, (ut nuper Brithwodus prædixerat) data est Insula in prædam hostibus. Swanus Godwini filius, ab Edoardo Rege justissimè proscriptus, abierat in exilium: & hoc anno reversus, sub pœnitentiæ fuco, majus crimen admisit. De quo Wigorniensis: *Swanus Comes,* inquit Wigorniensis, *Godwini Comitis, & Githæ filius: qui relictâ priùs Angliâ; eò quòd Eadgivam, Leonensis monasterii Abbatissam, quam corruperat, in matrimonium habere non licuerit, Danemarciam adierat: navibus octo rediit: dicens, cum simulatione, se cum Rege fideliter amodo remansurum. Cui Beornus Comes, filius Avunculi sui Danicè Comitis Ulfi, filii Spraclingi, filii Ursi, ac fratris Swani Danorum Regis, promisit se à Rege impetraturum; ut sui ei Comitatus redderetur. Suanus Comes Pevenesceam venit, & consobrinum suum Beornum Comitem, cum dolo rogavit, ut ad Sandicum portum secum iret: &, ut illi promiserat, eum cum Rege pacificaret. Qui fisus in consanguinitate, tribus tantùm sociis assumptis, cum illo proficisci cœpit. At ille, ad Bosanham, ubi naves ejus erant, eum duxit: & in navem introductum, duris mox loris vinciri jussit. & secum tamdiu habuit, donec ad ostium Dertæ veniret. ubi, illo occiso, & in altam fossam projecto, terraq; obruto, dimiserunt illas sex*

VIII. Balduinus Flandriæ Comes excommunicatur. Edoardus classem parat. Hoveden. hic.

Herman. hic.

IX. Anglorum perfidia notatur.

Wigorn. hic. Swanus Godwini filius redit in Angliam.

Consobrinum perfide occidit.

naves, quarum duas paulo post ceperunt Hastingenses, & occisis qui fuerunt in eis, naves ad Sandicum conducentes, Regi obtulerunt. Suanus verò, ad Flandriam duabus fugiens navibus, ibi mansit; quoad VVigornensis Episcopus Aldredus illum reduceret, & cum Rege pacificaret.

X. Hiberni piratæ Angliam vexant.

Hæc scelera Anglicani regni excidium accelerant: quæ ego tacuissem, nisi pro Deo & Ecclesia loquerer: qui, ut pietate & sanctitate delectantur: ita parricidio, sacrilegio, & iniquitati irascuntur, & armant orbem terrarum contra insensatos. Quod & statim apparuit, cùm Britanni, & Hiberni, hoc ipso tempore in Saxones & Anglos pugnaverunt. Nam *hoc eodem anno, mense Augusto* (ita Wigorniensis) *Hibernienses Piratæ triginta sex navibus, ostium intrantes Sabrinæ fluminis; in loco qui dicitur Wilesceaxan appulerunt, & cum adjutorio Griffini Regis Australium Britonum circa loca illa prædam agentes, nonnulla mala fecerunt. Dein conjunctis viribus, Rex & ipsi pariter, flumen quod Weage nominatur, transeuntes, Dunedham inceenderunt: & omnes, quos ibi repperiebant, peremerunt. Contra quos Wigorniensis Episcopus Aldredus, & pauci de provincialibus Glawornensibus, ac Herefordensibus, festinanter ascenderunt. Sed Walenses, quos secum habuerant, eisq; fidelitatem promiserant; ad Regem Griffinum clanculò nuntium miserunt; rogantes, ut quam citiùs posset, super Anglos irrueret. Qui mox, & cum suis, & cum piratis Hiberniensibus advolavit: & diluculò super Anglos irruens, multos ex illis occidit, cæteris per fugam elapsis.* (Idem suprà.)

XI. Egelricus Dunelmensis Episcopus.

Vacavit, hoc anno, Dunelmensis Sedes, ob Edredi mortem, & crimen, Ecclesiam illam simoniscè occupantis. Egeleicus nunc in ejus locum sufficitur. De quo Godwinus ita loquitur. *Egelricus monachus; sive secundùm nonnullos Abbas Petroburgensis, Godvvini Comitis opera, successor Eadredo declaratus est. Ecclesiam ille Cunegecestriæ construxit in honorem Divi Cuthberti, cujus corpus ibi, per annos centum tredecim quieverat. In fundamentis moliendis, opifices magnam vim pecuniæ effoderunt. Unde Episcopus dives admodum effectus, præsulatus opulentissimi reditus nihil moratus; Egelvvino fratri suo Episcopatu tradito, ipse ad cœnobium Petroburgense rediit, unde prodierat.* (Godvvin. in Dunelmensi.) Sed hoc posteriùs. nam septem annos Episcopum egit: & collectas pecunias, in Reip. commodum utilissimè expêdit: quod Ingulphus non omisit, cùm scripsit: *Egelricus monachus Burgi, Godvvino Comite procurante, factus est Episcopus Dunelmiæ.* (Ingulf. fol. 897.)

Eius pia opera.

Qui adeptus Episcopatum, cùm infinitas pecunias collegisset; per medium vastissimæ forestæ, & profundissimorū Mariscorū de Deping, usque ad Spalding, de lignis, & sabulo calcetum solidum viatoribus fieri fecit: opus sumptuosum valde, primeq; necessarium: quod usque nunc, & semper in futurum, quamdiu duraverit, de factore Egelrico cognomen habebit, id est, Elricherede. Illam pro suo opere Girvii universi, ac mediterranei Angli, & Saxones omnes, benedicebant.

XII. Mortuus Eadnothus Dorcacestrēn.

Moritur hoc etiam anno, Eadnothus Dorcacestrensis Episcopus; *qui Ecclesiam construxit Beatæ Mariæ, apud Stovve,* inquit Godwinus. Et oppidum opinor intelligit Lincolniensis agri; ubi Godiva pia fæmina, Leofrici Comitis uxor, sanctimonialibus etiam Cœnobium posuit, sub hæc tempora: de quo, *inferiùs. (Godvvin. in Lincoln. *V. an. 1057.)

Ulfus successit.

Successit in regimen Ecclesiæ, Ulfus, patria Normannus, qui Emmam Ethelredi conjugem, è Normannia sequutus est: & ejusdem precibus motus Edoardus filius eum in Episcopum consecrari præcepit. Sedem tamen ille, & parvo tempore, & nullo cum honore tenuit: nec domi, nec foris commendatus: ut dicam anno sequenti.

ANNUS CHRISTI 1050.

LEONIS IX. PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 9.

I. Berengaris hæresis innotescit.

Leo, Romanus Pontifex, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo; ceu bonus pastor, nascentem in Dominico ovili scabiem, nè porrò serperet sanare pientissimè laboravit. Berengarius inconstantissimæ mentis homo; quem *suprà Fulbertus, Carnotensis Antistes, à Dæmone obsessum vidit; Ecclesiam fœdare cœpit novo, & antiquis sæculis inaudito, paradoxo; veram Christi Corporis præsentiam, in Eucharistia negans, contra Ecclesiæ Fidem, scita Patrum, & ipsissima Christi Salvatoris verba, instituentis Sacramentum. Et eò jam impudentiæ, in asserendo dogmate, proruperat: ut scripsit ad Lanfrancum, Cadomensis cœnobii Abbatem literis, eundem Lanfrancum, virum undequaque doctissimum, in suspicionem *novi* dogmatis, apud alios, inducere conatus sit. (*Vide an. 1037. 7.)

A Lanfranco tunditur.

Lanfrancus hanc maculam facilè diluit; Berengarium sæpiùs convincendo, cogendoque ad Fidei veritatem: quam cùm in Synodis aliquoties professus, & postea ad vomitum rediens, hæresim resumpsisset, Lanfrancus insigni opere versipellem hominem excepit: & ejus falsitatem; Fideique orthodoxæ veritatem, erudito calamo depinxit. Debeo his paululùm immorari, quia Lanfrancus hic postea ob doctrinæ meritum, & in Fide constantiam, Cantuariensem Sedem ascendit, & Insulam nostram, suæ Fidei doctrinæ radiis, illustravit. Dicam tamen hoc loco ea solùm quæ huic anno propria, Lanfrancum ad scriptionem impulerunt: idque ipsius potissimùm Lanfranci verbis, quia legi merentur.

II.

Orditur ipse controversiam ab eo: quod cùm maluisset Berengarium privato colloquio convenire: ipse id fugiens, clanculum errores sparserit, quod procul dubio malè facientis & lucem odientis argumentum est: Sic ergo ad eum ait: *Si divina pietas cordi tuo inspirare dignaretur: quatenus respectu ejus, atque animæ tuæ, mecum loqui velles, locumq; opportunum, in quo id competenter posset fieri, salubri deliberatione eligeres: multum fortasse tibi: proculdubio autem plurimùm iis consuleres quos decipis: deceptos verò, ac morte præventos, in pœnas æternas transmittis. Etenim cooperante spiritu, qui ubi vult aspirat, eveniret è duobus alterutrum videlicet: ut aut tu ipse, deposito superbiæ fastu (quo plenus contra orbem terrarum sentire cœpisti) authoritati totius sanctæ Ecclesiæ, rectisq; sanctarum Scripturarum expositionibus, acquiesceres: & sic te, & sequaces tuos, de tenebris erroris, ac profundo iniquitatis, erueres: aut te, in tua pertinacia persistente; ipsi auditis rationibus, miserante Deo, resipiscerent; & ad veram fidem, quam Sancta Ecclesia prædicare non cessat, consilio meliore redirent. Sed quia elegisti pravitatem, quam semel imbibisti; clandestinis disputationibus, apud im-* (Lanfranc. de Eucharistiæ Sacramento.)

Contra orbem terrarum sensit Berengarius.

peritos, tueri: palam autem, atque in audientia Sancti Concilii, orthodoxam Fidem; non amore veritatis, sed timore mortis, confiteri: propterea refugis me, refugis religiosas personas, quæ de verbis tuis, ac meis, possint ferre sententiam, &c. Nec es contentus, ut perversus, perversa dicas, nisi etiam prava scripta, per pravos discipulos tuos, in diversas regiones transmittas. Et cætera quidem à Beatæ memoriæ Nicolao, totius Christiani nominis Summo Pontifice, & à centum tredecim Episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore; sed non humiliato corde, ignem accendisti, librosque perversi dogmatis, in medio Sancti Concilii, in eum conjecisti: jurans per id, quod rebus omnibus incomparabiliter majus est; fidem à patribus, qui præsentes erant traditam, inviolabiliter te servaturum: veteremque doctrinam, de Corpore, & Sanguine Domini, ab illa die, aliis non prædicaturum. Hujus propositi sacrilegus violator, contra præfatam Synodum, contra Catholicam veritatem, contra omnium Ecclesiarum opinionem, scriptum postea condidisti.

JURAT ET PEIERAT.

III. IDOLUM FACTIONIS NUPERÆ.

Hic homo versipellis, hic sacrilegus violator, perjurus & inconstans in omnibus viis suis: qui fastu plenus, *contra orbem terrarum sensit*; qui nec Ecclesiæ authoritati, nec Sanctarum Scripturarum expositionibus acquiescere voluit; qui denique contra Catholicam veritatem, mentemque omnium Ecclesiarum, scripto pugnat: idolum est modernæ factionis. Ejus causa, coactum est Romæ hoc anno Concilium. Ubi Lanfranci eruditio tentata, admissa, probata est. Ibi etiam indicta est Vercellensis Synodus; ad quam Angli quoque Episcopi convenerunt. De utraque Synodo sic scribit Lanfrancus. *Tempore Sancti Leonis Papæ, delata est hæresis tua, ad Apostolicam Sedem. Qui cùm Synodo præsideret; ac resideret secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique Ordinis, à diversis regionibus religiosarum personarum; jussum est in omnium audientia recitari; quas mihi de corpore, Sanguine Domini literas transmisisti. Portitor quippe earum, legatus tuus, me in Normannia non reperto; tradidit eas quibusdam Clericis. Quas cum legissent, & CONTRA VSITATISSIMAM ECCLESIÆ FIDEM, scriptas animadvertissent: zelo Dei accensi; quibusdam ad legendum eas porrexerunt, plurimis earum sententias verbis exposuerunt. Itaque factum est, ut non deterior de te, quam de me, fueris orta suspicio; ad quem videlicet tales literas destinaveris: putantibus multis, me fovere, ac favere, quæ à te dicerentur; vel gratia, qua te diligerem; vel Fide qua revera ita esse indubitanter tenerem. Igitur cùm à quodam Remensi clerico Romam perlatas recitatas legeres: intellecto quod Joannem Scotum extolleres, Paschasium damnares; COMMVNI DE EVCHARISTIA FIDEI ADVERSA sentires: promulgata est in te damnationis sententia; privans te communione sanctæ Ecclesiæ; quam tu privare, sancta ejus communione, satagebas. Post hæc præcepit Papa, ut ego surgerem, pravi rumoris à me maculam abstergerem; Fidem meam exponerem: expositam plus sacris authoritatibus, quàm argumentis probarem. Itaque surrexi, quod sensi dixi; quod dixi, probavi: quod probavi omnibus placuit, nemini displicuit.*

ROMANA ET VERCELLENSIS SYNODUS. *Lanfrancus suprà.*

BERENGARII HÆRESIS CONTRA USITATISSIMAM ECCLESIÆ FIDEM.

COMMUNI FIDEI ADVERSA.

IV. LANFRANCI FIDES AB ANGLIS PROBATA

Hanc Fidem ab omnibus probatam, post annos viginti Lanfrancus in Anglia docuit, inventque dudum in hac Insula receptam. quod hoc ipso anno patuit, in Synodo Vercellensi; quò Anglorum aliquot Episcopi convenerunt: & de qua Lanfrancus loquitur in sequentibus: *Dehinc declarata est*, inquit, *Synodus Vercellensis; quæ tunc proximo Septembri, eodem præsidente Pontifice, & celebrata Vercellis: ad quam vocatus, non venisti. Ego verò præcepto, ac precibus præfati Pontificis, usque ad ipsam Synodum secum remansi. In qua in audientia omnium, qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Joannis Scoti liber, de Eucharistia lectus est, ac damnatus: sententia tua exposita, ac damnata: Fides Sanctæ Ecclesiæ; quam ego teneo, ac tenendam adstruo audita, & concordi omnium assensu confirmata. Duo clerici, qui legatos tuos se esse dixerunt; volentes te defendere, in primo statim aditu defecerunt; & capti sunt. Ab hac sententia nunquam discessit Sanctus Leo, in omnibus suis Conciliis: seu quibus ipse præsentiam suam exhibuit; seu quæ per Legatos suos, in diversis provinciis, congregari instituit. Quæ sententia non effugit successorem quoque suum felicis memoriæ Papam Victorem. Sed quicquid de hac re, seu cæteris ipse statuit, statuive præcepit: hoc etiam ille, suâ atque omnium Conciliorum suorum authoritate, firmavit. Denique in Concilio Turonensi, cui ipsius interfuere, ac præfuere legati; data est tibi optio defendendi partem tuam: Quam cùm defendendam suscipere non auderes; confessus coram omnibus, COMMVNEM ECCLESIÆ FIDEM: jurasti te ab illa hora ita crediturum; sicut in Romano Concilio te jurasse, est superius comprehensum.*

Lanfrancus suprà.

JOANNIS SCOTI LIBER DE EUCHARISTIA DAMNATUR.

*Vide an. 885. 15.

COMMUNIS ECCLESIÆ FIDES.

V. Hæc aliaque fusissimè in Berengarium disputat Lanfrancus pro nobilissimo, & augustissimo Ecclesiæ Sacramento. Cæterùm, quod ait ad Vercellensem Synodum, plures è diversis mundi partibus convenisse; Angliam procul dubio intelligit; unde plures, hoc anno, Episcopi in Italiam leguntur profecti. Nam præterquàm quod scribant Wigorniensis, & Hovedenus in hunc modum. *Anno millesimo quinquagesimo, Hermannus Wiltoniensis Episcopus, & Aldredus Wigorniensis Episcopus, Romam ierunt.* De Ulfo Dorcacestrensi Antistite, expressa mentio est; quod Vercellensi Synodo adfuerit: & quid ibi passus sit, singulariter notatur. nam Huntuidonius ita refert. *Eo tempore Leo Papa tenuit Synodum, apud Verzeley; ubi Ulf Episcopus Dorcecestriæ interfuit: & penè fractus est baculus ejus Episcopalis; nisi majus pretium dedisset. Nesciebat enim officium suum, sicut decet Episcopum.* Quid causæ subfuerit, quòd de Insula periclitatus sit; conjectant potiùs aliqui, quàm constanter affirmant. Godwinus putat eum ex Anglia, cum aliis Normannis ejectum, ad Vercellense Concilium appellasse. Sed cùm Normannorum ejectio, post duos annos contigerit; nimirum anno millesimo quinquagesimo secundo, ut Godwinus ipse affirmat: & Vercellensis Synodus, hoc anno habita sit; ut nostri & externi authores conveniunt; aliam subfuisse causam necesse est. Adde, cùm dicant authores, penè fractum ejus baculum, & muneribus solidatum, satis innuunt, Sede pulsum non fuisse. Cæterùm ejectus ex Insula, non legitur eò rediisse; imo sequenti anno Sedem ejus ab alio occupatam ibi dicemus. Unde inscitiam, ignorantiamque ejus; nec aliud crimen, Concilii patres notasse videntur.

Hovand. hic.

Huntind. fol. 365.

ULFUS SYNODO VERCELLENSI INTERFUIT.

VI. Edmundi Sancti Regis, & Martyris incorruptum corpus fuisse ostendi, ad annum Christi millesimum decimum quartum: hoc est, à morte ejus sesqui ferè sæculum. nunc curiosa mens hominum amabit scire, quid inde factum: an sequutum naturæ legem, in sua elementa transierit; an

EDMUNDI MARTYRIS CORPUS ADHUC INCORRUPTI.

verò

verò, divino adhuc munere, supra naturam servetur. Sic Edoardi Regis, & Confessoris tempore, sub annum millesimum quinquagesimum; cùm frequens esset mentio, de constanti adhuc corporis integri miraculo: Et quidam, ut fit, credendi facilitatem damnarent, eo argumento: quòd nulla ibi miracula patrarentur: Monasterii Abbas, insigni ad posteritatem miraculo, docuit captivandum aliquando intellectum, etiàm in humanæ Fidei obsequium. Rem, in gestis Pontificum, ita narrat Malmesburiensis:

Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 240.

LEFLANUS ILLUD CONTRECTAT ET PUNITUR.

Per successiones Abbatum, fuit in cœnobio Sancti Edmundi, Leftanus, tempore Regis Edoardi, hic quibusdam de incorruptione Sancti (Edmundi) malè credulis, malè consulens; suo discrimine, aliorum Fidei prospexit: prolatumq; corpus, in medium, inspiciendum exhibuit; ipso à capite, monacho suo à pedibus trahente. Palam itaque imprecatus est dicens: Domine Sancte Edmunde, tu nosti, quod non infideli mente; sed pro aliorum salute, hoc fecerim; nè divinum in te mundo celaretur miraculum; quia tamen peccatorum multorum sum reus; nec à me debuisset contrectari Sancti Spiritus organum: si tibi factum displicet, in me temporaliter ulciscere: Præstat enim, & malo, ut aliquâ insignias corporis clade; quàm æternâ involvar ultione. Vix orationem finierat, cùm ecce ambarum manuum digiti, vel retrò miserabiliter retorti, vel volâ pertinaciter infixi, pœna, quam rogaverat, virum mulctuavêre. Post etiam aliis debilitatibus correptus; Regem Edoardum, per nuntios convenit; ut sibi medicum mitteret. Ille Balduinum, Sancti Dionysii monachum, ejus artis peritum, dirigendum curavit: qui cùm in cæteris probè, in digitorum curatione, nihil promoveret: mirari cæpit homo, qui magna in medendo fortuna esset: sed causam morbi à scientibus edoctus, in loco remansit; amorem Martyris totis præcordiis amplexus. Hæc Malmesburiensis, de Edmundi corpore incorrupto.

VII. EDMUNDUS MARTYR A PROVINCIALIBUS COLITUR.

Hinc crevit in Martyrem cultus, duravitque per plura sæcula; cùm Provinciales, Regem olim suum, dato etiam servitutis nummo colerent. Eos inter avara fœmina, accipere nummum, quàm dare paratior; insigni miraculo didicit Edmundum Martyrem, non pecuniam, colere. Ita illud narrat Giraldus Cambrensis, qui vixit anno millesimo ducentesimo decimo.

Girald. in itinerario l. 1. c. 2.

Miraculum his nostris diebus accidit, apud Sanctum Edmundum: mulier miserrima, ad scrinium viri Sancti, quasi sub devotionis obtentu, accedere consueta: non tamen afferre quicquam, sed auferre parata. argentum & aurum ab aliis oblatum, exquisito furti genere, deosculando adlambere solebat, & ore reconditum, asportare. Quæ cùm semel (ut sæpiùs consueverat) idfecisset; labiis, & lingua, ferro firmiter adhæsit; argentumq; ingestum divinitus deprehensa evomuit. accurrentibus quoque multis admirantibus, tam Judæis quàm Christianis, majori diei parte, ut amplior virtus elucesceret: & nulli dubium foret, ibi immota remansit, & inconvulsa.

PUNITUR MULIER SACRILEGA.

Describo hoc miraculum, è Giraldo Cambrensi; quam David Povellus, novæ Theologiæ Doctor, in lucem dedit, annotationibus deformatum. Nam Dei mirabilia, hoc est, orthodoxæ Fidei divina argumenta, quæ passim in eo authore occurrebant; tegere silentio, & omnino omittere aliquando decreverat: sed amicos super eo consulens: *Unâ voce omnes clamitant,* (inquit ipse in sua ad illum librum præfatione) *meum illud propositum, ab antiqua Fide, longè alienum esse: eaq; ratione quamplurimos fore; qui authorem à me mutilatum, atque diminutum esse, jure quererentur.*

VIII. DAVIDIS POVELLI INGENUA CONFESSIO.

Habes hic, Anglia, confitentem reum, tuæ Theologiæ Doctorem, qui statuerat animo authorem delumbare, Sanctos miraculorum gloria, & Deum ipsum qui in Sanctis admirabilis creditur, debito cultu, admirationeque spoliare: sed dolo, mordente conscientia, detecto & ab amicis improbato, resipuit ille quidem; & noluit Lectorem fallere. Sed quia factæ ad fraudem mentes, vix unquam ad sanitatem integrè redeunt; aut etiam medentibus amicis, omnino convalescunt; facilè in hanc, vel illam partem declinet, medium tenere nesciunt; & regiâ semper viâ aberrant. Sic David iste, authorem fortè integrè edidit: sed ubi incidit in miracula; nè omnino non displiceret; putidissima commenta assuit, & marginem suum infamibus notis fœdat. Ut venit ergo ad Edmundum Regem, ulciscentem in fœmina facinus; ipse pro fure magis, quàm pro sæculo, sollicitus; Ita in marginali nota lectorem docet: *Reliquias Sanctorum malunt à miseris oblationes accipere, quàm illis quicquam dare.*

EIUS MARGINALIS NOTA EXPLODITUR.

Quo commento nihil insulsius: & melius ad notam illam, admarginaret aliquis: *Hic fur, pro fure advocat*: Enimvero, qui Sanctis miraculorum gloriam, & Lectori res gestas suffurari decreverat; amicorum operâ pulsus ab injuria; abstinuit quidem à furto; sed non à furum patrocinio. Unde ad Acta Apostolorum, posset similem notam adjicere, & Petrum Apostolorum Principem arguere; quod in Anania & Saphira minùs furtum puniverit: imo divinam ubiq; sigillare manum, sacrilegia centies castigantem. Opinor si amicos iterum consuluisset; una voce omnes clamitassent; hoc etiam, *ab antiqua fide longè alienum esse.*

Act. 5. 1 &.

IX. EDSINUS CANTUARIENSIS MORITUR SANCTUS.

Vacat hoc anno Cantuariensis sedes, per mortem Eadsini Archiepiscopi: qui diuturno morbo variè afflictus, vitam sanctissimè finivit; locumq; in tabulis nostris Ecclesiasticis meruit. De ejus invaletudine supra dictum, propositoque ejus, Siwardum Abbendoniæ Abbatem, sibi substituendi: quem ideo Episcopum consecravit: sed quamdiu ille Cantuariensem provinciam, pro Edsino valetudinario administravit, incertum. Nam inventus est; ante Edsini mortem, nullam Edsino gratiam, sed injuriam potiùs, pro beneficio, retulisse: & ideo, quia credita administratione malè usus est; noluit Edoardus Rex Cantuariensem Ecclesiam illi credere: sed mortuo Godwino, Roffensem tantùm. De quo sic loquitur Malmesburiensis.

SIWARDUS ROFFENSIS EPISCOPUS, QUANDO MORTUUS.

Edsinus post incurabilem morbum, vivens, & volens, potestati decessit; cum priùs secretiori consilio, apud Regem, & Comitem (Godwinum) egisset; ut ei Siwardus Abbas Abendoniensis succederet: sed cum ille, in ipsum, qui honorem intulerat, ingratus; etiam necessario victu infirmum fraudaret; jam designatus successor, eliminatus est; datusq; ei Episcopatus Roffensis; quo levaret verecundiam, quo detrimentum consolaretur. Quando primùm, & quamdiu Siwardus, Roffensis sederit Episcopus, non invenio. Sunt qui eum anno superiori mortuum scribant: ita Wigorniensis ad eum annum: *Decessit quoque Siwardus* (inquit *Eadsii Dorobernensis Archiepiscopi Corepiscopus, & Abbandoniæ est tumulatus.* Alii huc referunt Siwardi mortem, ut Westmonasteriensis, qui ita loquitur: *Anno gratiæ millesimo quinquagesimo, defuncti sunt Episcopi, Eadnothus Dorca-*

Wigorn. an. 1049.

Westm. hic.

ceſtrenſis, Sivvardus, vicarius Eadſii Cantuarienſis Archiepiſcopi; & poſt ipſum, idem Eadſius diem clauſit extremum. In quem etiam ſenſum Huntiodonius: *Eadſi Archiepiſcopus* (inquit) *vitâ caſſatus eſt: obierat etiam Sivvardus ſucceſſor ejus.* Ita ille. Dicendum tamen eſt; vel Siwardum hunc Roffenſem diu adhuc ſupeſtitem fuiſſe; vel alium, eo nomine, eidem ſucceſſiſſe: qui anno 1066. Regis chartæ ſubſcripſit.

Huntind. fol. 306. pri.

X. AdEdſinum quod attinet, cum majori ſanctitatis opinione mortuum; Edoardus Rex tam vivum, quàm mortuum videtur coluiſſe: cæterùm an ejus operâ Sanctorum Catalogo aſcriptus ſit, dubito; licèt ita ſcribat Godwinus; *Eadſium Octobris vigeſimo octavo, milleſimi quinquageſimi vitam, cum morte commutavit: vel potiùs pro vita mortali, immortalem accepit: ſi jure, Sanctorum Catalogo, Edevardi etiam Sancti opera is fuerit aſcriptus.* Eundem mortis diem conſignat Parkerus; qui etiam Siwardi fraudem, accelerantis ejus mortem ita aperit: *Fraus hæc fuit, quod omnia Archiepiſcopatus bona; quæ in ſuam cuſtodiam, ab Edſino data eſſent; tam cupidè miſerèq; ſibi reſervavit; ut ne alimenta quidem neceſſaria infirmo Edſino, qui in ejus poteſtatem ſe poſuerat, adminiſtraret. Quæ ægritudo citiùs Edſinum, quàm vis morbi conſumpſit. Itaque Edſinus, poſtquam undecim annis infirmiſſimâ valetudine Archiepiſcopus fuiſſet, quinto Calendas Novembris obiit. & in Eccleſia Chriſti Cantuarienſi ſepultus eſt. nomen ſuum, hoc modo ſcripturis ſupponere conſuevit. Ego Edſinus, Archiepiſcopus Chriſti Eccleſiæ, ſubſcripſi.*

Godvvin. in Cantuarienſi.

SIWARDI IN EDSINUM INGRATITUDO.

XI. Omiſeram ferè, quòd eſt hujus anni præcipuum, & maximè pertinet ad Fidem Regiam. Hermannus ubi Leonem Papam, hoc anno, Romæ Synodum collegiſſe dicit, alius addit, quod omitti non debet: *Domnus Papa* (inquit) *poſt Paſcha Synodum Romæ collegit: & ſubſecuto tempore, ultra Romam progrediens: nonnullos eò locorum Principes, & civitates; tam ſibi quàm Imperatori jureiurando ſubjecit: Beneventanoſq; adhuc rebellantes excommunicavit. Nonnulli etiam exterarum Principes gentium, miſſis ad eum, utpote Apoſtolicum virum legatis, ſubjectionem ipſi promittunt.* Ego puto inter Principes exterarum gentium, Edoardum Regem imprimis intelligi; qui hoc anno, Aldredum Epiſcopum Wigorniensem, Hermannum, Wiltunienſem Antiſtites, Wulfricum, & Alfwinum, Abbates, in Urbem Oratores, ad Leonem miſit. legationis cauſa hæc fuit. Olim Rex, exilii miſeriam deplorans: Romanam peregrinationem, voverat; ſi Dei clementiâ, ad regnum ſuum reverti, & majorum frui gloriâ; daretur. Jam voti compos, ſe voti reum agnoſcens; metuebat ſcilicet, ingrati animi conſcientiâ Deum offendere. Hinc Florilegus, cùm ſuperiori anno, Leonem in Romana ſede collocaſſet, mox addit: *Hujus Papæ temporibus, miſit Rex Edvvardus legatos, ad Sedem Apoſtolicam: ut a voto quod voverat, abſolveretur. Voverat enim ire Romam, ſi regna paterna eum adipiſci contingeret.* Quid inde ab Edoardo factum; cur legatos miſerit; & ipſe in ſua perſona non iverit. Ailredus Rievallenſis narrat in hunc modum.

Herman. hoc anno.

LEGATI AB EDOARDO REGE AD LEONEM PAPAM.

EDOARDUS REX VOTI REUS.

Weſtmon. an. 1049.

VII. *Succedentibus proſperis; Rex voti ſui nequaquam oblitus: recogitans quanta ſibi fecerit Dominus, qui ditavit egenum, ſublimavit humilem, inglorium coronavit; parat reddere vota ſua, parat ſumptus, parat donaria: vocatis autem regni proceribus, habuit cum eis, de ſtatu regni, vel de ſua peregrinatione ſermonem, dicens. Non excidit nobis, quomodo irruentibus in hereditatem noſtram barbaris, facti ſumus opprobrium vicinis noſtris: ſubſannatio, & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt. Alii namq; interfectis; aliis fugatis; aliis jugi ignominioſæ ſervitutis oppreſſis, nihil ferè honoris, nihil gloriæ, noſtro generi reliquerunt. Tandem defuncto patre meo. præreptis fratribus, actis in exilium nepotibus; & cum hoſtibus noſtris, in omnibus, fortuna faveret; mihi profectò nihil ſpei ſupereſſe videbatur. Ego verò contra ſpem, in ſpem credens, & Domini mei miſericordiæ me totum dedens; peregrinationem ad Sanctorum Apoſtolorum limina vovi; deinceps divinæ me protectioni, diſpoſitioniq; commiſi. Ille autem reſpexit in orationem meam, & non ſprevit precem meam: ſed abſtulit opprobrium meum, & reſtituit me in regnum patris mei: inſuper, cumulatum divitiis auxit gloriâ, donis cœleſtibus illuſtravit. Ipſe, ſine ſanguine, rebelles ſubegit, hoſtes ſubvertit, & omnia noſtra, amabili quadam pace, compoſuit. Abſit ut tot ac tantis ejus beneficiis inveniamur ingrati: quin potius, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi, in juſtitia & veritate: faciamuſq; quod ait Propheta. Vovete, & reddite Domino Deo veſtro. Decerniro ergo mecum; quomodo me peregrinante, regnum ſubſiſtat Anglorum: quâ lege, quâ pace, quâ juſtitia, quo judice, omnia diſponantur: Quis caſtra, Urbes, privata, publica negotia, procuret. Erit autem unus omnium cuſtos, & protector Deus: & pacem, quam dedit, ipſe ſervabit; nobiſcum proficiſcens, & vobiſcum remanens: qui & vos cuſtodiat, & me reducat. Tunc omnes in commune vociferantes ad Regem, ſe non deſerendos, ſe non exponendos gladiis, patriam hoſtibus non prodendam: nec pro uno, ut putabatur, bono; tot admittenda pericula, allegabant. Tunc Rex eorum vocibus, & precibus, ſe urgeri ſentiens; diu in animo fluctabat: quia & voto ſuperſedere periculum; & tantorum precibus, fletibuſq;, non cedere, inhumanum arbitrabatur. Tandem peregrinationem differens, expectabat; donec Apoſtolico fultus conſilio; an votum redimeret, an exploret.* Hactenus Ailredus.

Ailredus apud Roy. ner. trac. 1. fol. 66.

SOLUTIONEM PARAT.

XIII. Verùm hæc omnia, & quæ inde ſequuta ſunt, declarat paulò pleniùs Edoardus ipſe, ſcripto Diplomate, pro Weſtmonaſterienſi cœnobio: cùm illud perfecit, ſub finem vitæ. Recitat ejus partem Spelmannus, & multa deſiderari dicit. Quæ tamen ad præſentem rem faciunt. hæc ibi habentur in hunc modum.

EDoardus, Dei gratiâ Anglorum Rex, &c. Scire vos volo quoniam tempore avorum meorum, patruq; mei, multa, & gravia bellorum pericula afflixerunt gentem Anglorum: & ipſos tam à ſuis, quàm ab exteris concitata: adeo ut penè periclitata ſit hæreditaria Regum ſucceſſio; magnumq; interſtitium, inter fratrem meum Edmundum, qui patre meo mortuo ſucceſſit; meq; habitum ſit; invadentibus regnum, Svvegno, & Cnutho filio ejus, Regibus Danorum, ac filiis ipſius Cnuthi, Haroldo & Harde-Cnutho: à quibus, & alter meus frater Alfredus, crudeliter eſt occiſus: ſoluſq; ſicut Joas, occiſionem Otholiæ; ſic ergo, crudelitatem eorum evaſi. Tandem reſpectu miſericordiæ Dei, poſt plures annos, Ego Edvvardus ad paternum ſolium acceſſi: & eo potitus, ſine ullo bellorum labore, ſicut amabilis Deo Salomon; tanta pace, & rerum opulentia abundavi; ut nullus antecedentium Regum, ſimilis mihi fuerit in gloria, & divitiis. Sed gratia Dei, non

Apud Spelman. fol. 628.

EDOARDI DIPLOMA PRO WESTMONASTERIO.

me;

me; ut assolet, ex opulentia, superbia, & contemptus invasit. Imo cœpi cogitare; cujus dono & auxilio, ad regni culmen evasi: quoniam Domini est regnum: & cui vult, dat illud. Et quia mundus transit, & concupiscentia ejus: qui autem totum se subdit Deo, feliciter regnat, & perpetualiter dives est. Itaque deliberavi ire ad limina sublimium Apostolorum Petri, & Pauli: & ibi gratias agere, pro collatis beneficiis, & exorare, ut eam pacem firmaret Deus mihi, & posteris meis. Præparavi ergo, & dinumeravi expensas necessarias sustineri, & honorabiles dona, quæ ferrem Sanctis Apostolis. Sed gravis super hac re mœror habebat optimates meos; utpote memores malorum, quæ sub aliis Regibus pertulerant: ne tanto Domino, & pio patre Rege absente, regnum noviter sedatum, aliqua turbaretur hostilitate: & metuentes illud quod & Sanctus Ezechias; ne si fortè in via aut ægritudine, aut alio incommodo defecerem, hæreditatis Regibus carerent; maximè quia nullum habebam filium.

XIV. Cur votum Edoardus non explevit.

Itaque tandem habito consilio, rogabant me, ut ab intentione desisterem; pollicentes se satisfacturos Deo pro voto meo; tam in Missarum & orationum oblatione, quàm in eleemosynarum largâ distributione. Sed cum obnixè contradicerem; tandem utrisque placuit, ut mitterentur Legati duo, ab utraque parte, Edredus & Hermannus Episcopi; & Abbates Wulfricus, & Elsinus: qui Apostolico meam voluntatem, & votum, & illorum petitionem indicarent. & secundum ejus sententiam, quam mihi mandaret; promisi me omnia facturum. Factum est ergo quod voluimus. & venientes Romam Legati nostri, ex voluntate Dei invenerunt collectam Synodum, in eadem urbe. Cùmq; exposuissent meam voluntatem, & suam petitionem, coram ducentis & quinquaginta Episcopis, & aliâ multitudine Sanctorum Patrum: tunc Apostolicus ex consilio sanctæ Synodi hanc Epistolam scripsit.

Leo Episcopus, servus servorum Dei dilecto filio suo Edoardo Anglorum Regi; salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Leonis Literæ ad Edoardum Regem.

Q*Voniam voluntatem tuam laudabilem, & Deo gratam cognovimus; gratias agimus ei, per quem Reges regnant, & Principes justa decernunt. Sed quia propè est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. & Sancti Apostoli, cum suo capite conjuncti, unus spiritus sunt, & pias preces æqualiter audiunt: & quia constat periclitari regionem Anglicam, ex tua discessione; qui freno justitiæ seditiosos ejus motus obices: Ex authoritate Dei & Sanctorum Apostolorum, & Sanctæ Synodi tibi absolvimus te à peccato illius voti, pro quo Dei offensam times: & ab omnibus negligentiis, & iniquitatibus tuis: eâ nimirum potestate usi, quam Dominus in Beato Petro concessit nobis, dicens: Quæcumque solveritis super terram, soluta erunt & in cœlo. Deinde præcipimus tibi, sub nomine sanctæ obedientiæ, & pœnitentiæ, ut expensas, quas ad istud iter paraveras, pauperibus eroges: & cœnobium monachicum, in honore Sancti Petri, Apostolorum Principis, aut novum construas, aut vetustum emendes, & augeas: & sufficientiam victualium fratribus de tuis redditibus constituas. Quatenus dum illi assiduè inibi Deum laudaverint: & Sanctis augeatur gloria, & tibi indulgentia. Cui loco quicquid contuleris, vel collatum est, vel conferetur, ut ratum sit, Apostolica authoritate præcipimus: & ut semper habitatio monachorum sit: & nulli laicæ personæ, nisi Regi, subdatur. Et quæcumque privilegia ibi instituere volueris, ad honorem Dei pertinentia; concedimus, & robustissima authoritate confirmamus, & infractores eorum, æterna maledictione damnamus.*

Hæc, & alia Apostolica mandata, cum referrent nobis legati, interea revelavit Beatus Petrus cuidam probabilis vitæ monachicè incluso, nomine Wulsino voluntatem suam esse ut restituerem locum, qui dicitur, Westmonasterium: quod à tempore Sancti Augustini, primi Anglorum Episcopi, institutum; multaq; veterum Regum munificentiâ honoratum; propter vetustatem, & frequentes bellorum tumultus, penè videbatur destructum. Cùmq; mihi hanc visionem, meisque retulisset; & Apostolica literæ æqualia præcepta detulissent: contuli voluntatem meam, cum voluntate Dei; & cum totius regni electione, dedi me ad restructionem ejusdem loci. Itaque decimari præcepi omnem substantiam meam, tam in auro ac argento; quam in pecudibus, & omni genere possessionum: & destruens veterem, novam à fundamentis Basilicam construxi, &c. quæ inferiùs dicentur, cùm nova fabrica, & celeberrima Basilica dedicabitur, sigillatura Edoardi Regis pietatem, & Fidem Regiam. nam hoc anno nihil actum aliud, quàm missa in Urbem Edoardi suspiria, Romam eundi; Anglorum preces eum retinendi: & remissa in Angliam Leonis sententia: Voti prioris solutio, commutatioque in aliud, quod Petri Apostolorum Principis cultum, qui erat voti summa, æquè contineret. Quod quàm integrè Edoardus perfecerit, quàm nobile Monasterium, & antiquis cuderibus erexerit; quam illud prædiis, immunitatibus, privilegiisque illustraverit, suo loco referetur. Interim dico, inter antiquæ pietatis monumenta, quæ sectarii summis viribus demoliri, conantur; non aliud magis eminet, aut vocalius argumentum est Anglorum Regum Fidei. Wulfinus, cujus suprà mentio, qui Edoardo suggessit Westmonasterii constructionem, eundem fuisse putamus, qui anno 1018. Croylandiam ingressus, ibi sanctè tamdiu vixit, quamdiu solitario esse, & orationi vacare licebat: nimirum usque ad annum 1036. quando Alfacia ligatis oculis Eveshamiam recessit, ut *suprà.

XVI. Hinc Westmonasterii restauratio.

*Vide an. 1036. 2.

ANNUS CHRISTI. 1051.

LEONIS IX. PAPÆ 3.

EDOARDI ANGLO. RE. 10.

I. Robertus Cantuariens. Archiepiscopus

VITA & Episcopali munere functum, Edsinum Cantuariensem, excepit Robertus Londinensis Episcopus, anno Domini 1051. qui quamvis fortè superiori anno electus; nunc tamen primùm Cathedram ascendit, palliumque dignitatis insigne induit: unde Huntindonius dixit. *Edvvardus, decimo anno regni sui, dedit Roberto Episcopo Londoniæ, Archiepiscopatum Cantuariæ.* Huntind. fol. 360. *amplissimo præmio bona sibi quondam in Normannia exulanti ab ipso impertita, recompensans,* inquit Malmesburiensis, & addit: *Is ergo & amore antiquo, & recenti honore, primas partes in consiliis regalibus vendicabat: quos vellet deponeret: quos liberet, sublimaret.* Translato Roberto ad Sedem altiorem; Spearheafocus quidam, Abindonensis

Malmesb. de Pontif. l. 1. fol. 204.

Abbas; quem Harpesfeldius Spensixum vocat; Londinensis Episcopus eligitur. *Verum cum refragante Rege Edoardo) consecrationem non posset obtinere* (ita Godwinus) *Gulielmus quidam Episcopus creatus est: patria etiam sicut antecessor: qui cum Emma Regis matre venerat in Angliam.* Opinor, Cantuarienses Monachi, antiquo jure usi, suffragia dederant Speathesoco: quæ Edoardus Rex, externis addictior, noluit probare. Normannum itaque præfecit. Verùm hæc alienigenarum promotio, provincialium animos facilè accendit; cùm primas & principes Sedes viderent ita dispensari; negligique eos vernaculos. Hinc Anglos inter, & Normannos nata discordia. quæ levis primùm provinciarum murmure; mox magnatum vocum accessione, in fatale crevit incendium; Roberto & Godwino, ex utraque parte, principibus. Angli Normannos sibi præferri, ægerrimè ferebant, Regis lenitatem accusantes. Normanni Regis facta in coelum efferentes; sibi magis, quàm Regi, blandiri videbantur.

Godwin. in Londinensi

Guilielmus Londinensis Episcopus.

Normannorum prælatio tumultuum causa.

II. Motus exordia

Quinam autem tumultuum authores accusandi sint, ideo non possum definire; quia Malmesburiensis, Author antiquus, & illis temporibus proximus, noluit in ea lite ferre sententiam. Narrat tamen turbarum causas, quas ad hunc annum Wigorniensis, Hovedenus, & Florilegus referunt, & item Lectoris judicio permittit. Ita enim ille. *Propter has altercationes, periclitatur oratio; dum quod ex asse verum definiam, non habeo: vel propter naturale utriusque gentis dissidium: vel quia ita se res habet; quod Angli aspernanter ferant superiorem: Normanni nequeant pati parem.* Ita ille, dissensionis exordia, fontemque aperiens. Cæterùm hoc ipso anno, exasperatis Anglorum animis, novus advenarum adventus accessit. Qui dum arrogantiùs cum indigenis agunt; facili negotio seditionis flammam accenderunt. Edwardi Regis sororius, Eustachius Comes, in Angliam venerat, fratrem invisurus Regem: Dum redit; ex ejus familia quispiam, cùm Dorobernensem civem durè excipit: duriùs ipse, & cum ipso plures, violati hospitii pœnas dederunt: quod ita à Malmesburiensi narratur.

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. fol. 81.

III.

Malmesb. de Reg. fol. 81.

Eustachius Comes Edoardum invisit.

a Vide an. 1002. 7.

b Vide an. 1055. 2.

* Dovcram

Dorobernenses in Eustachium pugnant.

*Eustachius Comes erat Bononiæ, pater Godefridi, & Baldvvini; qui nostro tempore Reges Jerosolymorum fuerunt; Habebatque sororem Regis Godam, legitimis nuptiis desponsatam: quæ ex altero viro, a Waltero Madantino, filium tulerat Radulphum; qui eo tempore, erat Comes Herefordensis; ignavus & timidus; qui Wallensibus pugna cesserit: Comitatumque suum & Urbem, cum Episcopo, b ignibus eorum consumendum reliquerit. Cujus rei infamiam, maturè perveniens Haroldus, virtutibus suis abstersit. Eustachius ergo, transfretato mari, de Whitsand in * Dorobernam, Edvvardum Regem, nescio qua de causa adiit. Collocutus cum eo, & re impetrata, quam petierat; per Dorobernam redibat. Unus antecursorum ejus, ferociùs agens cum cive; & vulnere magis, quàm prece, aut pretio, hospitium exigens; illum in sui excidium invitavit. Quo cognito, Eustachius ad ulciscendam necem servi, cum toto comitatu profectus; homicidam quidem, cum aliis decem & octo interemit. sed civibus ad arma convolantibus, 21. e suis amisit, innumeris vulneratis, ipse vix cum altero uno, tumultum subterfugit. Inde ad curiam pedem referens, nactusque secretum, sua parte patronus assistens, iram Regis in Anglos exacuit. Godvvinus per nuntios, ad curiam accitus venire exposità causà; & præcipuè Rege, Dorobernensium insolentiam accumulante: intellexit vir acerrimi ingenii, unius tantùm partis audita allegatione, non debere proferri sententiam. Itaque quamvis Rex jussisset illum continuo, cum exercitu in Cantiam proficisci, in Dorobernenses graviter ulturum; restitit. Et quod omnes alienigenas, apud Regis gratiam invalescere invideret: & quòd compatriotis auxilium præstare vellet. Præterea videbatur ejus responsio in rectitudinem propensior; ut magnates illius castelli, blandè in curia Regis, de seditione convenirentur: si se possent explicitare; illæsi abirent, si nequirent; pecunia, vel corporum suorum dispendio, Regi, cujus pacem infregerant; & Comiti, quem læserant, satisfacerent. Iniquum videri, ut quos tutari debeas: eos ipse potissimùm inauditos adjudices. Ita tunc discessum: Godvvino parvi pendente Regis furorem, quasi momentaneum.*

Quocirca totius regni proceres, jussi Glocestriam convenire, ut ibi magno conventu res ventilaretur. Venerunt eò etiam Northumbri Comites, tunc famosissimi, Sivvardus, & Leofricus, omnisque Anglorum nobilitas. Solum Godvvinum, ejusque filii, qui se suspectos fore sine præsidio armorum veniendum non arbitrati; cum valida manu restiterunt famam, ferentes in vulgus, quod ideo exercitum adunassent, ut Wallenses, compescerent: qui tyrannidem, in Regem meditati oppidum in pago Herefordensi obfirmaverant ubi tunc Suanus, unus ex filiis Godvvini, militiæ prætendebat excubias. Sed Wallenses jam audientiam prævenerant & conspirationis accusatos, invisos toti curiæ fecerant adeo, ut rumor spargeretur: quòd in eodem loco Regius exercitus eos adoriretur. Quo accepto, Godvvinus, ad conjuratos classicum cecinit: ut ultro Domino Regi non resisterent: sed si conventi fuissent; quin se ulciscerentur, loco non cederent. Et profectò facinus miserabile, & plusquam civile bellum fuisset: nisi maturiora consilia intercessissent. Ita quantulacumque concordia interim inita, iterum præceptum, ut Londoniam Concilium congregaretur. Mandatum Suano, filio Godvvini; ut fugâ suâ Regis iram mitigaret: Godvvinus, & Haroldus, quantocius ad Concilium, hac conventione, venirent inermes; duodecim solum homines adducerent: servitium militum; quod per Angliam habebant, regi contraderent. Contrà: illi negare, non posse se ad conventiculum factiosorum, sine vadibus, & obsidibus, pergere: Domino suo, in militum deditione parituros; tum præterea in cunctis, præter gloriæ, & salutis periculum. Si veniant inermes vitæ timere dispendium: si stipatores habeant gloriæ fore opprobrium. Hæc Malmesburiensis.

IV. Conventus [illegible] Londinum [illegible] nus [illegible] fss [illegible]

Londinum Conventus transfertur.

Fuit interim misera Reip. facies; cum provinciæ omnes, ob paucorum externorum nimiam potentiam, turbarentur: & Angli, in Anglos, propterea pugnaturi viderentur. Godwinus, & filius, ingentes vires contraxerant è plurimis, quæ illis parebant, provinciis; quas Wigorniensis sic enumerat. *Talia gens* (inquit) *in suo Comitatu, Comes Godvvinus graviter ferens: nimiaque commotus ira, de toto suo Comitatu; scilicet de Cantia, Suth-Saxonia, & West-Saxonia: & filius ejus primogenitus, Suanus de suo, id est de Oxanfordensi, Glavvornensi, Herefordensi, Sumersetunensi, Barrucscirensi provinciis; alterque filius Haroldus, de suo Comitatu; videlicet East-Saxonia, Eastanglia; Huntedunensi, & Grantabrugensi provinciis, innumerabilem congregaverunt exercitum.* Hanc ob causam Edoardus Rex Londinum se contulit; ut ibi, ceu in tutiori loco consistens; vel ad pacis consilia

V. Godwini Comitis et filiorum vires.

Wigorn. hoc

flecteret;

flecteret; vel collecto potentiore milite frangeret adverſarium impetum. Godwinus tot viribus auctus, inermis venire noluit, ad Londinenſem conventum. Et armatum noluit Edoardus ſuſtinere. Dum ultrò citròque conſiliis agitantur dilabitur paulatim Godwini exercitus ille tunc fugam potiùs, quàm pugnam meditatur. Quod cernens Rex, conſtantior in propoſito fuit, Godwinum non niſi inermem, ad conventum admittendi. Quid inde ſequutum, ita pergit narrare Malmesborienſis. *Obſtinatum obfirmarat Rex animum, ne adquieſceret precibus ſupplicantium. Itaque prolatum edictum, ut intra quinque dies Anglia Godwinus excederet. Godwinum, & Sweynum Flandriam; Haroldus conceſſit Hiberniam. Comitatus ejus attributus Elgaro, Leofrici filio, viro induſtrio: quem ille ſuſcipiens, tunc rexit nobiliter; reverſoq; reddidit libenter? & poſtea Godwino mortuo, cùm Haroldus parentis Ducatum impetraſſet, repetiit audacter; aliquanto tamen tempore, inimicorum accuſatione exiliatus. Omnis Reginæ ſubſtantia, ad unum nummum emuncta: ipſa Regis ſoror, apud Wakewellam, in cuſtodiam data. ne ſcilicet, omnibus ſuis parentibus, patriam ſuſpirantibus, ſola ſterteret in pluma.*

GODWINUS ET FILII PROSCRIBUNTUR.

ET REGINA EDITHA.

VI. Hoc omne factum, advenarum tyrannide, provinciales putaverunt, in Robertum Cantuarienſem invidiam omnem conferentes. nihil, quod mirere, in Edoardo Rege cauſante: tamen ejus pietas, ſanctitas, & innocentia vitæ [illegible] habita. Notat hoc author, qui ſupra, & [illegible] *cerum Angli moderate vituperant, delatorem Godwini, & filiorum ejus; hunc diſcordiæ ſeminatorem; hunc Archiepiſcopi emptorem: Godwinum & natos, magnanimos viros & induſtrios, auctores, & tutores regni Edoardi; non mirum ſi ſucceſſerint, quod novos homines & advenas ſibi præferri viderint. Nunquam tamen contra Regem, quem ſemel faſtigiaverant, aſperum verbum loquuti.* Quod de Regina dicitur, Wakewellam proſcripta, falſum in eo puto amanuenſem fuiſſe: & lego potiùs Werewellam; ubi quondam Elfrida Regina pœnituit; & Regis Edoardi ſoror, ſacris Virginibus hoc tempore præfuit. Sic enim Wigornienſis & Hovedenus ſcribunt. *Reginam verò Edgitham Rex propter iram, quam adverſus patrem ejus Godwinum habuerat, repudiavit; & cum una pediſſequa ad Werewellam, eam ſine honore miſit; & Abbatiſſæ cuſtodiendam commendavit.* Cæterùm quia ſequenti anno; cum honore, Reginam hanc, ad Edoardum Regem reducemus. omni culpâ in Normannos conjectâ. videant doctiores; num narratio illa de Emma Edoardi matre, ſe mirabiliter purgante, & tandem abſoluta; quam antiquiores omnino tacuerunt: non propiùs in Edoardi conjugem, quàm in matrem cadat. Interim quæ ſunt hujus anni reliqua, proſequamur.

Wigorn. Hoved. hic.

VII. GUILIELMUS NORMANNORUM DUX EDOARDUM INVISIT.

Venit hoc anno in Angliam, Edoardum Regem inviſurus, Guilielmus Normannorum Dux, apud quem plures annos Edoardus exulaverat: neſcio an ei ſuppetias allaturus, contra Normannici nominis hoſtes. Venientem Rex, ut par erat, magna grati animi, & amoris ſignificatione excepit, retulitque, pro tam diuturni hoſpitii beneficio, gratias & munera. hæc paucis abſolvunt Wigornienſis & Hovedenus, in hunc modum. *Normannicus Dux Wilhelmus, cum multitudine Normannorum, Angliam venit: quem Rex Edvardus, & ſocios ejus, honorificè ſuſcepit: & magnis multiſq; donatum muneribus, ad Normanniam remiſit.* Nihil hoc congreſſu, de regni ſucceſſione actum, aut conventum eſt. Guilielmus tamen, de cælibe Edoardi Regis vita doctus, magna ſpe plenus; pium Regem, novis ſemper obſequiis devincire, atque ita viam ſibi aperire ad Inſulæ principatum, conatus eſt. Quod tandem effecit, ut paulo poſt dicemus. Interim Edoardus Rex, averſos provincialium animos, ob tumultum nuperum, amoreſque ſuos in extremos hoſpites inſigni facinore redimere, ſibique reconciliare aggreditur: doctus, opinor illud Marci Tullii: *Liberalitate qui utuntur, benevolentiam ſibi conciliant; &. quod aptiſſimum eſt ad quietè vivendum, regendumq; caritatem.*

Wigorn. Hovedan. hic.

Cicero 2. de finib.

VIII. EDOARDUS REMITTIT VECTIGAL OB DANOS IMPOSITUM ET QUARE?

Itaque graviſſimum vectigal, ab Ethelredo patre olim impoſitum, quod etiamnum pendebatur, civibus remitit; publicè proteſtatus, ſe aliorum bonis nolle delectare. de quo Hovedenus, è Wigornienſi, ita loquitur. *Anno milleſimo quinquageſimo primo, Rex Edoardus abſolvit Anglos, à gravi vectigali, trigeſimo octavo anno, ex quo pater ſuus, Rex Egelredus, primitus id Danicis ſolidariis ſolvi mandarat.* Dixi *ſupra, ad annum Chriſti milleſimum duodecimum, pactam cum Dano hac lege pacem; ut Anglus ei ad tuenda maritima, quadraginta octo millia librarum quotannis ſolveret: Qui cenſus Danegeldum dictus, Danis aliquamdiu; inde fiſco Regio pendi ſolebat: jure an injuria publici regni quæſtores, non ſolent quærere. Edoardum tamen mirabile oſtentum docuit, non omne quod fiſco Regio, à Regiis exactoribus infertur, juſtè acquiſitum eſſe. nam ita refert Alredus Rievallenſis: *Sanctus Edoardus tributum illud graviſſimum, quod tempore patris ſui, claſſi Danica pendebatur, & poſtmodum fiſco regio referebatur; regia liberalitate remiſit: & ab hoc onere importabili, in perpetuum Angliam abſolvit. Cum enim collecta illa pecunia, ante illum delata eſſet; diabolum ſuper cumulum ſedentem, & ludentem vidit: & ne amplius exigeretur, præcepit.* Hæc ibi.

Hoved. hic.

*Vide an. 1012. n. 11.

Apud Capgrav. in Edoardo Confeſſore.

IX. MORITUR ALFRICUS EBORACENSIS EPISCOPUS.

Eboracenſis Sedes, hoc anno, vacavit per mortem Alfrici cognomento Puttoc, qui ab anno milleſimo vigeſimo tertio, illam occupaverat; an hoc, vel ſuperiori anno mortuus, alii dubitant: nunc tamen primum ſucceſſorem accipit; de quo ſtatim cùm Alfrici opera recenſuero, ut ſuprà me facturum recepi. Læſit aliquàndo ſuam famam Alfricus: quod *Hardecanutus ejus conſilio, fratris Haroldi cadavere effoſſo, caput truncari, & inſanis mortalibus exemplo, in Thameſim projici juſſerit* (inquit Malmesburienſis) & addit: *Qui & Wigornienſibus, pro repulſa Epiſcopatus infenſus, Author Hardecanuto fuit, ut quod illi pertinaciùs exactoribus regiorum vectigalium obſtiterant, urbem incenderet, fortunas civium abraderet.* Hæc mala ſine dubio bonorum operum ſanctitate diluens, redemit: nam *eo ſedente* (loquitur Harpesfeldus) *Corpus Joannis Beverlacenſis, pretioſa theca reconditum eſt.* quod in ejus laudibus inter cætera ponit Godwinus, ita de eo ſcribens. *Alfricus magnam pecuniam impendit, in Beverlatenſi collegio ornando & locupletando: Sancti Joannis Beverlatenſis corporis aptiendo thecam, magno ſumptu, fabricari curavit. Prædia non pauca pretio comparavit: alia nimirum apud Fridage-thorp, Meltone, atque Holma alia, quæ dicto donavit collegio. Campanile deinde conſtruxit, quod in magnam altitudinem conſurgens, nolis duabus prægrandibus, inſtruxit. Quibus duas alias, magnitudine pares, collegio contulit*

An. 1023. 5.

Malmesb. de Pontif. l. 3. fol. 282 ß.

Harpsf. ſæc. 11 c. 27.

Godwin. in Eboracenſ.

Stowensi & alias itidem duas Southwellensi. Sancti Joannis corpus extulit anno millesimo trigesimo septimo, ut dictum ibi: inde alia pietatis suæ monumenta cœpit erigere; quæ successores etiam Episcopi auxerunt. *Southwella obiit*, inquit Godwinus, *anno millesimo quinquagesimo, & Petroburgi est tumulatus.* Verùm quod ad mortis annum spectat, audiendi potius Wigorniensis, & Hovedenus, qui hunc annum sic ordiuntur. *Anno millesimo quinquagesimo primo Alfricus, qui & Putta, Eboracensis archiepiscopus, Suthwella defunctus, Medesthamstede sepelitur.* quos etiam sequuntur Hollingus, & Fasti.

Godwin. suprà. — *Wig. in. Hoved. hic.*

KINSIUS EBORACENSIS EPISCOPUS. — Succedit in Sedem ejus Kinsius, qui primò Petroburgensis monachus, inde ab Edoardo Rege, qui Religiosos homines imprimis fovebat, ad Sacellum ejus assumitur: & hoc demum anno ad Eboracensem Ecclesiam consecratur. qui prædecessoris vestigia devotè premens; Beverlacensem ædem ornavit, perfecitque. *Ædificia autem non pauca*, inquit Godwinus, *Beverleia extruxit, aulam turrium, Ecclesiam ferè totam, aliaque Ecclesiis suæ Diœcesis plurimis, & Schirebonensi imprimis, libros dedit aliaque ornamenta.* Illud etiam Annalibus dignum, de hoc Kinsio memoratur, quod Glascuensem Episcopum consecravit; ab eoque Canonicam obedientiam, metropolitani jure, obtinuit. Quod ut antea frequenter factum; ita postea, crescente Ecclesiarum numero, controverti cœpit. De Kinsio hæc habet Harpesfeldus. *Iste Glascuensem Episcopum consecravit, & præscriptam obedientiæ Canonicæ, de more, formulam accepit. quæ in conflagratione illa Ecclesiæ Eboracensis, quam Normanni incenderunt, cum aliis Ecclesiæ monumentis, & ornamentis intercedit.*

Godwin. in Kinsio. — *Harpesfeld. sæc. 11. c. 25 prim.*

XI. WULFSINUS DORCACESTRENSIS EPISCOPUS. THOROLDI PIETAS IN CROYLANDI. — Ad Dorcacestrensem Ecclesiam consecratur, hoc anno, Wulfinus, sive Wulfsinus: vel mortuo Ulfo; vel eo, locum & infulas cedente, ob causam suprà dictam. Hoc ideo necessariò affirmandum est, quia publico instrumento, hoc anno confecto, Wulsini Episcopi nomen inscribitur, teste Ingulpho: qui accuratè solet hujusmodi diplomata, suis locis consignare. Ille itaque calamitatem explicans hujus temporis, ciborum inediam, & cœnobii sui miserias; Thoroldi cujusdam pietatem recenset; opem, operamque laboranti monasterio porrigentis. Enimverò vir ille illustrissimus, non solùm præsenti eleemosyna monachorum indigentiam sublevavit, sed scriptis literis, signatisque; prædia in futurum munificè largitus est. De eo ad hunc annum sic scribit dictus Ingulphus. *Hoc etiam tempore, cùm Venerabilis Pater, Abbas Wulgatus tenacitatem temporis videret invalescere: & filios suos, monachos sui monasterii, qui ante adventum suum reficiebantur voluptuosis, & abundaverant croceis jam vesci pane secundario, & paucis pisciculis, de fluvio: suspirans supra modum, & condolens; quod multiplicasset gentem, non magnificasset lætitiam: consiliis in medio, contra urgentissimum famis instantis periculum, quid expediat faciendum. Et divites conferens, sapienter consulere, suppliciter supplicans, universos amicos monasterii adjurabat.*

Ingulf. fol. 897.

XII. *Tunc inter familiares nostri monasterii, & benevolos amicos, erat præcipuus consiliarius, quidam Vicecomes Lincolniæ, dictus Thoroldus; quem multi adhuc superstites, & seculares & familiares viderunt, & noverunt, degerer, & cognationis illius Vicecomitis noroids, [illegible] quo [illegible] nostro cœnobio amicissimus, dedit nobis manerium suum de Bokenhale, cum omnibus pertinentiis ejus. Sic iste Thoroldus, ductus super domum nostram dignissima pietate, in relevationem nostri monasterii, & exonerationem, ad sustentationem sex monachorum; scilicet unum Priorem, & quinque confratrum, competenti familia, satis, ut existimabat, sufficientem, totum manerium de Spalding, cum redditibus pertinentibus, & servitiis suis universis in perpetuum in eleemosynam concessit: [illegible] inde chirographum suum erit. Transit itaque sex monachi de monasterio nostro, cum dicto Thoroldo, sex [illegible] [illegible] creatum est. Ipse autem instituit ardenter, e[illegible] manerio, suam familiam amovere deinde capellam suam honestiorem facere, & suam aulam in [illegible] cameramque in dormitorium: & in claustrum monachorum, suum deambulatorium immutare. Insuper jumenta manerii, agricultura apta, atque coquinæ, brachini, & pistrini vasa talibus officiis necessaria ac utensilia, monachis contulit universa.* Hæc omnia Ingulphus.

Porrò quod de chirographo dicitur, a Thoroldo confecto, super translatione dominii & terrarum, quas prioratui de Spalding donavit, r[illegible]tat illud author paulò inferius, cùm historiam suam claudit, & est ejusmodi.

EGo Thoroldus de Bukenhale, coram nobilissimo Domino meo, Leofrico, Comite Leicestriæ, & nobilissima Comitissa sua Domina, Godina, sorore mea, [illegible] consensu, bona voluntate Domini, & cognatione [illegible] meis Algari, primogeniti, & heredis eorum: dona & tradidi Deo, & Sancto Guthlaco Croylandiæ, in manibus Domini Wulgati, Abbatis dicti Croylandensis monasterii, ad fundationem cellæ Croylandensium monachorum; in honorem Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, in villa de Spalding; totum manerium meum, situm juxta parochialem Ecclesiam ejusdem villæ, cum omnibus terris & tenementis, redditibus, servitiis aureis, & utensilibus, quæ habuit in dicto manerio, & in dicta villa, & in campis ejus, tam in parte Orientali fluminis; quam in ejus parte Occidentali; cum omnibus appendiciis suis: scilicet Colgrinum, Præpositum meum, & totam sequelam suam cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis ejus, & mariscis, absque aliquo de omnibus retinemento. Item Hardingum fabrum, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis & catallis quæ habet in dicta villa, & in campis, & mariscis, absque aliquo de omnibus retinemento. Item Lestanum Carpentarium, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis ejus, & mariscis; absque aliquo de omnibus retinemento. Item Ringulphum primum, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis ejus, & mariscis, absque aliquo de omnibus retinemento. Item Elstanum piscatorem, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis, & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis ejus, & mariscis: absque aliquo de omnibus retinemento.

Ingulf.

XIII. *Item Guntsrum Linict, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis, & catallis suis, quæ habet in dicta villa, & in campis & mariscis; absque aliquo de omnibus retinemento. Item Olsty Grimkelson, & totam sequelam suam cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa & campis ejus, & mariscis absque aliquo, de omnibus, retinemento. Item Thurstanum Dubbe, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis & mariscis:*

absque ullo de omnibus, retinemento. Item Algarum nigrum, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis & catallis, qua habet in dicta villa, & in campis ejus, absque ullo, de omnibus, retinemento. Item Edricum, filium Sivvardi, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis, & catallis, qua habet in dicta villa. & in campis ejus, & mariscis; absque ullo de omnibus, retinemento. Item Osmundum molendinarium, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis, & catallis, qua habet in dicta villa, & in campis ejus, & mariscis; absque ullo, de omnibus, retinemento. Item Besy Tuke, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis, & catallis, qua habet in dicta villa. & in campis ejus, & mariscis; absque ullo, de omnibus, retinemento. Item Elmerum, de Pincebecke, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis, & catellis, qua habet in dicta villa, & in campis ejus, & mariscis; absque ullo, de omnibus, retinemento. Item Gouse Gamelson, & totam sequelam suam, cum omnibus bonis, & catallis, qua habet in dicta villa, & in campis ejus; absque ulla de omnibus retinemento.

XV. *Istos servos meos, & omnia bona, & catalla eorum, cum omnibus cotagiis, quondam meis, situatis in orientali parte fluminis, circa ligneam capellam Sancta Maria, in villa de Spalding, ab antiquo Croylandensi monasterio pertinentem, cum omnibus juribus, & aliis rebus appendentibus, dedi Deo, & Sancto Guthlaco, ad constructionem pradicta Cella unà cum omnibus piscationibus meis; tam in mariscis adjacentibus, quam in mari ad dictam villam accedente; in liberam & perpetuam eleemosynam meam; pro salute anima mea, & animarum omnium progenitorum & parentum meorum. Istud meum chirographum apud Leicestriam in prasentia multorum Christi fidelium, ibidem in die festo Pentecostes collectorum, anno Dominica Incarnationis millesimo quinquagesimo primo.*

† *Ego Thoroldus signo Sancta Crucis confirmavi.*
† *Ego Wulfinus, Episcopus Dorcacestrensis, ratificavi.*
† *Ego Wulgatus Abbas Croylandia gaudens acceptavi.*
† *Ego Lefvvinus, Abbas Thorneiensis collaudavi.*
† *Ego Leofricus Comes, concessi.*
† *Ego Godiva Comitissa, diu istud desideravi.*
† *Ego Algarus Comes consensi*
† *Ego Turnerus, Capellanus Domini mei Wulfini Episcopi Dorcacestrensis, prasens affui.*
† *Ego Wulnarus, Capellanus ejusdem Domini mei Wulfini Episcopi, auscultavi.*
† *Ego Siricus, Capellanus dicti Domini mei Wulfini aspexi,*
† *Ego Stanardus minister Domini mei Comitis Leofrici interfui.*
† *Ego Falco, monachus Croylandia, applausi.*
† *Ego Pigotus monachus Thorneiensis conspexi.*
† *Ego Livingus, clericus istud chirographum manu mea scripsi: & Domino meo Thoroldo Vicecomiti tradidi, pradicto Wulgato Abbati Croylandia, de manu in manum donandum.*

XVI. Hæc Cella Deiparæ Virgini sacra, à Thoroldo Vicecomite in Croylandensis cœnobii levamen concessa, dio dicto monasterio annexa fuit; donec Normanno regnante, à Monachis aliquando deserta, Yvo Talbois illam invasit, & Gallos monachos ibidem collocavit, Gulielmo primo regnante. *Ivo Comes* (inquit Ingulphus) *Andegaviam mittit ad Dominum Natalem Abbatem Sancti Nicolai, exorans quatenus monachos dirigat: & Cellam honestam, ac sufficientem, pro uno priore, & quinque monachis, in sua villa de Spalding paratam, & adificatam; etiam terris & tenementis satis ditatam, spondet & promittit. Veniunt itaque Andegavenses monachi, & cellam nostram occupant ; alienig, coram nobis terras nostras devorant.* Hinc corrige catalogum ædium destructarum; ubi Cella hæc Ivoni Talbois, ceu primo ejus fundatori tribuitur, cùm revera, non illi sed Thoroldo potiùs, sine ullo dubio tribuenda sit: qui illam ante Normannorum tempora, Croylandiæ monachis concessit.

Ingulf fol. 902.

ANNUS CHRISTI 1052.

LEONIS IX. PAPÆ 4.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 11.

ANNUS Christi millesimus quinquagesimus secundus, vario infortunio primum obnoxius. mox tumente Oceano, ingentem Insulæ tempestatem minatus; demum omni æstu subsidente, serenus fuit; refusa clade in eorum capita, qui superiore anno, turbarum authores habiti, Godwinum & filios proscripserant. Hi enim illi, natalium splendore illustres, provincialium amore, quorum causa exulaverant, potentes; Edoardo etiam & Cnutoni Regibus matrimonii lege conjuncti, exilii ærumnas patienter ferre potuerunt. Hæc quomodo acciderint, servato rerum gestarum ordine, ostendere conabor. I. VARIA ANNI VICISSITUDO.

GODWINUS, CANUTI SORorem DUXIT.

Præludium sequuturæ tempestatis, Britanni fuerunt: qui vexandi Anglos occasionem omnem captantes; insignem se nactos putaverunt; cùm provinciarum animi à Normannis aversi, in factionem trahi, sine ullo negotio possent. Itaque Griffinus, Britannorum princeps, Anglorum agros ingressus; vicinam Silurum regionem, ubi Herefordenses sunt, magna clade affecit, nec distractæ Anglorum, & Normannorum vires, ad avertendum hostem pares fuerunt. Hanc cladem ita refert Wigorniensis. *Eodem anno (millesimo quinquagesimo secundo) Wallensium Rex Griffinus, magnam partem Herefordensis Provincia depopulatus est. Contra quem provinciales illi; & de castello, quamplures Normanni ascenderunt: sed multis ex illis occisis ille victoriam habuit; & secum pradam magnam abduxit. Hac pugna, facta est eodem die, quo ante tredecim annos, fratrem Comitis Leofrici, Eadwinum, Wallenses per insidias interfecerunt.* Hæc ibi. Edwini mortem supra retuli, ad annum millesimum trigesimum nonum. Et iterum post annos tres, idem Griffinus, nova militum manu, redibit in hunc agrum, & Urbem ibi Principem durius excipiet. Interim surgentem ex Oceano nubem & magnam Insulæ tempestatem minitantem spectemus.

II. BRITANNORUM MOTUS, GRIFFINO PRINCIPE.

Vigorn. hic.

HEREFORDENSIS PROVINCIA VASTATUR.

*Vide an. 1039. 2.

III. Godwinus, & filii ejus quinque, Haroldus, Swanus, Tostinus, Grutha, Leofwinus, superiori anno in exilium ejecti, in varias orbis partes migraverunt. Godwinus & Swanus Belgium, Haroldus & Leofwinus Hiberniam petiverunt: *Tostius etiam* (ita Wigorniensis) *cum uxore sua Juthita, filia videlicet Balduini, Flandrensium Comitis, & Girth, ad Thorneye, ubi navis ejus parata fuerat, venerunt; in quam tantum auri, & argenti aliarumq,*

GODWINUS ET FILII PROSCRIPTI.

Wigorn. hic.

rerum

rerum pretiosarum, quantum illa portare potuit, festinanter imponentes, eamq; extemplo conscendentes, ad Flandrensium Comitem Balduinum, cursum direxerunt. Ita superiori anno dispersi sunt. Nunc verò conjunctis animis; diversas Insulæ partes aggressi; initio prædam à provinciis; deinde pacem à Rege, & pristinam dignitatem, extorserunt. Quod paucis ita explicat Malmesburiensis: *Posteriori anno (inquit) exulum quisque de loco suo egressi; Britannicum mare circumvagati, litora piratico latrocinio infestare, de cognati populi opibus prædas eximias convectare. Contra quos à Regis parte, plusquam sexaginta naves, in anchoris constiterunt. Præfecti classis Odo, & Radulphus Comites, & Regis cognati. nec segnem fecisset Regem illa necessitas: quum & ipse in navi pernoctaret: & latronum exitus specularetur; sedulo explens consilia, quod manu nequibat præ senio. sed cùm comminus ventum esset: & jam penè manus consererentur; nebula densissima, repente coorta, furentium obtutus confudit; iniquamq; mortalium audaciam compescuit.* Hæc ille, quæ multò articulatiùs, ab authoribus aliis exponuntur, è quibus Wigorniensis eum Herefordensem cladem dixisset, hæc narrat.

IN ANGLIAM REDEUNT

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. fol. 82.

EDOARDI INDUSTRIA IN PROHIBENDO ADITUM.

IV. *Parvo post hoc tempore, Haraldus, & frater ejus Leofwinus, de Hibernia redeuntes, & ostium Sabrinæ fluminis navibus multis intrantes; in confinio Sumersetaniæ, & Dorsetaniæ, applicuerunt: & illis in partibus, villam ac agros deprædati sunt multos. Adversus quos, & de Domnania, & Sumersetania, quamplures congregati ascenderunt; sed eos vicit Haraldus; cæsis ex illis plusquam triginta nobilibus ministris, cum aliis multis. Deinde ad naves, cum præda rediit, & mox *Penwithsteorte circumnavigavit. Tunc Rex Eadvvardus, quadraginta naves, alimentis, militibusq; electis, instructas, ad Sandicum portum festinatè misit: & eos adventum Godvvini Comitis operiri, & observare jussit. Sed tamen ignorantibus omnibus; ille cum paucis navibus reversus, in Cantia applicuit: & missis latenter nunciis; primitus Cantuarienses, dein Suth-Saxones, East-Saxones, Suthregienses, & omnes *Butsecarlos de Hastinga, & ubique circa ripas maris, aliosq; nonnullos, in adjutorium sibi allexit. Hi omnes, uno ore, aut mortem eo se paratos fore, sibi promiserunt. Quod ubi regia classis, quæ ad Sandicum portum jacebat, innotuit eillum insequuntur. Verùm ipse fugiens evasit: & quo in loco potuit, se occuleavit. Illi verò ad Sandicum portum sunt reversi, & inde Lundoniam sunt reversi. Hoc cognito, Comes Godwinum ad Vectam Insulam est revectus: & circa ripas maris tamdiu vagabatur, donec ad illum, filii ejus Haraldus, & Leofwinus, sua cum classe venirent. Sed ex quo, in unum convenerant, à deprædatione ac depopulatione desistebant. Victum tamen exercitui suo, cùm res exposceret, sumebant; circa ripas autem maris, & ubicumque locorum, omnes quos poterant, sibi in adjutorium allicientes, & Butsecarlas omnes quos obvios invenerant, secum legentes, versus Sandicum portum cursum direxerunt.*

Wigorn. hic.

HAROLDUS OCCIDENTEM VEXAT,

*V. Camdenum in Cornubia, ubi quod Britanni Penwith, hoc Saxones Penwithsteort appellarunt. nunc vulgò dicitur The Lands end.

*Rustici & villani fuisse videntur. nam eos hodie Carles, & Churles dicimus sed Spelmannus molitus putat esse nauticos famulos.

V. *Quò cùm venissent, Regi Eadvvardo, tunc temporis Lundoniæ demoranti, illorum adventus nuntiatur. Qui nuntiis properè missis, omnibus qui à se non defecerant, mandavit; ut in adjutorium sui venire maturarent. At illi nimis tardantes, ad tempus non venerunt. Interea cum sua classe Godvvinus Comes, adversus cursum Thamesis fluminis devectus; die exaltationis Sanctæ Crucis, feria secunda, ad Suthvveorce venit; & ibi tamdiu expectavit, quo ad maris æstus veniret. Interim quosdam per internuntios; quosdam per se, cives Lundonienses quos variis pollicitationibus priùs illexerat; convenit: & ut omnes ferè, quæ volebat omnino vellent, effecit. Inde rebus omnibus dispositis, & ordinatis, reuma to advemente, festinanter anchoras sustulerunt, ac nullo in ponte obsistente, per australem fluminis crepidinem, sursum navigaverunt. Venit & pedestris exercitus; ac per se eram fluminis, ordinatim disponens, spissam terribilemq; fecit testudinem. Deinde classis, se versus aquilonarem ripam vertit; quasi Regis classem circumdare vellet. Habebat enim, & Rex classem, ac numerosum pedestrem exercitum. Sed quia ibi, & cum Rege, & cum Godvvino erant perpauci, qui strenuitatis aliquid haberent, nisi tantum Angli, pugnare adversus suos propinquos ac compatriotas, penè omnes abhorrebant. Unde sapientiores quique, ex utraque parte, inter Regem, & Ducem, pacem redintegrantes, exercitum ab armis discedere jusserunt.*

GODWINUS AD LONDINENSEM URBEM ACCEDIT

VI. Actum post hæc, per internuntios, de ineundo fœdere, de parcendo sanguini, denique de avertendo civili bello; quod nulli commodum, pluribus nocivum, provinciis omnibus noxium futurum erat. & placuit intercessio. Hac lege Godwinus depositurum se arma spopondit, si pulsis advenis; qui civium pacem suis machinationibus turbaverant; ipse filiique, suum in Anglia locum, & honores pristinos, quietè possiderent. Admissa conditio est, hac lege; ut Wulnothus Godwini filius, & Haena Swani filius, in Normanniam Guilielmo Comiti obsides mitterentur, inquit Edmerus, l. 1. novorum. Ita Godwino, filiisq; quatuor, filiæ quoque Edithæ, Reginæ, postliminio honores redduntur. Cur Swanus filius, extra legem fuerit; Wigorniensis ita prosequitur. *Mane autem facto, Concilium Rex habuit, pristinumq; honorem pleniter reddidit Godvvino, & uxori suæ, filiisq; omnibus, excepto Svvano. Ille enim ductus pœnitentia, eò quòd (ut præhabuimus) consobrinum suum, Beornum occiderat, de Flandria nudis pedibus Ierusalem jam adierat: indeq; rediens, invaletudine, ex nimio frigore contracta, mortuus est in Lucia. Filiam quoque Ducis, Eadgitham Reginam digniter Rex recepit, ac pristinæ dignitati restituit. Facta igitur concordia, paceq; firmata; omni populo rectam legem promiserunt: & omnes Normannos, qui leges iniquas adinvenerant, & injusta judicia judicaverant; multaq; regi insilia, adversus Anglos dederant, exlegaverunt. Paucos tamen; scilicet Robertum *Draconem, & generum ejus Richardum, filium Scrobi; Alfredum, Regis stratorem; Ansridum, cognomento Ceokesfot, & quosdam alios; quos plus cæteris Rex dilexerat, eiq; & omni populo fideles extiterant, in Anglia remanere permanserunt. Porrò Robertus Dorobernia Archiepiscopus, & Lundoniæ Præsul Gulielmus & Ulfus Lindicolniensis antistes, cum suis Normannis, vix evadentes, mare transierunt. Sed Gulielmus propter suam bonitatem, parvo post tempore revocatus, in suum Episcopatum recipitur. Osbernus verò cognomento Pentecost, & socius ejus Hugo, sua reddiderunt castella: & Comitis Leofrici licentia, per suum Comitatum Scotiam adeuntes, à Rege Scotorum Macbeotha suscepti sunt.* Hæc author.

PAX INTER GODWINUM ET REGEM CONCLUDITUR.

Wigorn. hic.

SWANUS IN JEROSOLIMITANA PEREGRINATIONE MORTUUS

EDITHA REGINA RESTITUITUR.

*Diacon.

ROBERTUS CANTUARIENSIS ET NORMANNI PROSCRIBUNTUR.

VII. Cæterùm Robertus Cantuariensis non videtur sententiæ executionem expectasse: sed conscius, propter se excitatam tempestatem esse: ipse se projecit in mare. nam ita loquitur Malmesburiensis. *Prolata sententia in Robertum Archiepiscopum ejusq; complices; quòd statum regni conturbarant, animum regium in provinciales agitantes. Verùm illi, non ex-*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. fol. 82.

pellatâ violentiâ, ſponte profugerat; cum ſermo patis componeretur: Romamq́; profectus, & de cauſa ſua ſedem Apoſtolicam appellans; tum per Gemeticum reverteretur, defunctus, ibiq; ſepultus eſt, in Eccleſia Sanctæ Mariæ: quam ipſe præcipuo, & ſumptuoſo opere conſtruxerat. Robertus itaque nunquam ad ſedem ſuam sediit: nec Ulfus Dorcaceſtrẽſis: *qui mœrore, ut par eſt credere:* inquit Godwinus, *brevi poſtea aſſumptus, interiit.* Guilielmus cæteris felicior, à civibus revocatus eſt, Sediq́ue reſtitutus, quam plures deinde annos, ſanctè adminiſtravit, ad Normannorum uſque tempora, quando pro Londinenſi urbe, tam potenter advocavit; ut æternam ſui memoriam Londonenſibus reliquerit. De eo hæc habet Godwinus: *Guilielmus propter plures animi virtutes, manſuetudinem imprimis, & comitatem, brevi revocatus eſt; idq; Londinenſium ſuorum magno bono. nam cum Guilielmus Normanniæ Dux, aliquot poſt annos, Angliam ſubegiſſet: iſte, pro ea, quâ apud novum Regem valuit gratiâ & authoritate; civibus ſuis omnia illa impetravit privilegia confirmari, quæ à ſuperioribus acceperant Principibus. Cujus illi beneficii memores, anniverſario commemoratione idipſum dicuntur etiamnum celebrare, ad tumulum ejus, quem in medio navis Eccleſiæ ſuæ ſitum, hujuſmodi Epitaphio in æs inciſo honeſtavunt.*

Moritur Robertus Cantuarienſis Epiſcopus.
Godwin. in Lincolnien.
Item Ulfus Dorcaceſrenſis.
Idem in Londinenſi.
Guilielmus reſtituitur.
Ejus virtutes, et Epitaphium

VIII.

Guilielmo viro ſapientia, & vitæ ſanctitate claro: qui primùm D. Edwardo Regi, & Confeſſori familiaris: nuper in Epiſcopum Londinenſem erectus: nec multo poſt, apud invictiſſimum Principem, Guilielmum, Angliæ Regem, ejus nominis primum, ob prudentiam, fidemq́; ſingularem, in conſilium adhibitus, ampliſſima huic Urbi celeberrimæ privilegia impetravit: S. P. Q. Londinenſis benè merenti poſuit. Sedit Epiſcopus annos 20. Deceſſit anno à Chriſto nato 1070.

Hæc tibi, clare Pater, poſuerunt marmora Cives;
Præmia non meritis æquiparanda tuis.
Namq; ſibi populus te Londinenſis amicum
Senſit, & huic Urbi non leve præſidium.
Reddita libertas, duce te, donataq; multis,
Te duce, res fuerat publica muneribus.
Divitias genus, & formam brevis opprimit hora:
Hæc tua ſed pietas, & benefacta manent.

IX. Stigandus in Cantuarienſem ſedem intruditur.
W. Armenaſt. hic.

Roberto Cantuarienſi è Sede pulſo, ſucceſſit hoc anno Stigandus Wintonienſis Epiſcopus, non mortem expectans præcedentis ejus, in ea Sede, nec Romani Pontificis ſententiam. *Stigandus* (inquit Florilegus) *qui quondam Helmhamenſi Epiſcopatu dimiſſo, ſublimiorem gradum meditatus, Wintonienſem invaſerat Epiſcopatum: nunc Regis Edvvardi ſimplicitatem circumveniens, vivente Roberto, Cantuarienſem obtinuit dignitatem.* Homo ambitionis & avaritiæ nota infamis, qui primam infulam, quam ſanctiſſimi viri geſſerant, tam impiè fœdavit: ſed laudandus admodum Romanus Pontifex Leo, qui petenti de more, pallium non conceſſit. Unde Roberti pallio tamdiu uſus dicitur: donec Benedictus, ſchiſmaticus Pontifex, illud, ſimilis ſimili miſit. Quo facto Stigandus, magis fortè, quam alio crimine, Cantuarienſis Eccleſiæ puritatem læſit. Unde non malè Malmesburienſis hæc habet de eo; *Invaſit continuo Roberto vivente, Stigandus, qui erat Epiſcopus Wintonienſis, Archiepiſcopatum Cantuariæ; infamis ambitus Pontifex, & *bonorum ultra debitum appetitor: qui ſpe honoris excelſioris, Epiſcopatum Saxonum Auſtralium deſerens, Wintoniam inſedit; illam quoque, cum Archiepiſcopatu, tenuerit. Quapropter ab Apoſtolica ſede nunquam pallium meruit: niſi quod Benedictus quidam, pervaſor Apoſtolatus, miſit, pecunia ſcilicet ad perſuadendum corruptus: vel quod mali gratificantur ſimilibus.* Petiit ergo Stigandus pallium poſt annos ſex: nimirum, cùm mortuo Stephano X. factioſi homines Benedictum ſubſtituère laborarunt: ſed melior pars in Nicolaum ivit. Unde ſequitur in Malmesburienſi: *Sed ille (Benedictus) mox à Nicolao, qui ex Epiſcopo Florentiæ legitimè Papatum ſuſceperat, expulſus zelo fidelium indebitum nomen exuit. Stigandus quoque, tempore Regis Willielmi Conqueſtoris, per Cardinales Romanos degradatus, perpetuiſq; vinculis innodatus; inexplebilis aviditatis nec moriens finem fecit.*

Romanus Pontifex pallium negat.
Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. f. 1 82
*fortè bonorum.
Idem ſuprà.

X. Edgari Regis corpus annos 70 incorruptum.
Antiq. Glaſton. fol. 82.

Voluit hoc anno Deus Anglorum Regum Fidem, & pietatẽ inſigni miraculo innoteſcere; cùm Edgari Regis corpus, quod jam ſeptuaginta ampliùs annos, animâ caruerat; incorruptum apparuit. Rem fide dignam ita narrat Malmesburienſis, in antiquitatibus Glaſtonienſibus. *Abbas Egelvvardus, anno Domini milleſimo quinquageſimo ſecundo, cùm fortaſſe bono mentis propoſito, Regis Edgari effodiſſet tumulum; invenit corpus nullius labis conſcium: ſed ſolidâ integritate compactum.* Narrat hoc idem author, libro ſecundo de geſtis Regum, Savilianæ impreſſionis; ubi inemendatè aliqua ponuntur: ſed poſſunt facilè ex Antiquitatibus corrigi: ait ergo. *Nec illud *obluctandum; quod cùm Abbas Ailvardus, Edgari tumulum anno Incarnationis Domini 152. (lege 1052.) effodiſſet; invenit corpus *illum labis conſcium. Quod cùm eum ad reverentiam debuiſſet inflectere; ad audaciam levavit. nam quia locellus, quem paraverat, difficilem pro magnitudine corporis minabatur ingreſſum; regales exuvias ferro conciderit. Unde continuo ſanguis, undatim emicans, aſtantium corda pavore concuſſit. Ita regium corpus, in ſcrinio, quod ipſi Eccleſiæ contulerat; ſuper altare locatum eſt, cum capite Sancti Apollinaris, & reliquiis Vincentii Martyris: quæ ille, magno empta, decori domus Dei adjecerat. Temeratorem porro ſacri corporis mox animus reliquit: nec multo poſt Eccleſia egreſſum, fracta cervice mors invenit. Nec in his heſit regiæ ſanctitatis oſtenſio, ſed in ulteriora proceſſit, ſanato ibi furioſo & cæco. Meritò ergo, non infirma inter Anglos fama eſt; nullum nec ejus, nec ſuperioris ætatis Regem, in Anglia recto, & æquilibri judicio, Edgaro comparandum. Ita nihil vita ejus ſanctius, nihil juſtitia probabilius fuit, exceptis vitiis, quæ poſtea amplis virtutibus delevit. Qui patriam ſuam præclara fortitudine illuſtrem reddidit; & rerum geſtarum claritate, & Deo ſervientium multiplicitate. Poſt mortem ejus res & ſpes Anglorum retrò ſublapſæ ſunt.* Hæc omnia Malmesburienſis.

*Obliterandum.
Malmesb. de Reg. l. 0. c. 8.
*Nullius labis conſcium.
Edgari corpus ſuper altare ponitur.
Regis Sancti laus.

XI. Emma Regina moritur
*Vide an. 1019. n. 4. 1020. 21.

Moritur hoc anno duorum Regum conjux, & mater, naturæ gratiæque dotibus ornata, Emma Regina; quæ utriuſque fortunæ jacula conſtanter exceperat; non elata proſperis, nec fracta adverſis: pietatem ejus in Eccleſias, Deiq́ue cultum *ſuprà expoſui: nunc benefactorum merita creditur recepiſſe. diem & annum mortis, ita con-

signant Annales, & ex iis Hovedenus: *Anno millesimo quinquagesimo secundo, Alfgiva, id est, Emma, Regina quondam, & conjux Regum Egelredi, & Canuti, secundo Nonas Martii, Wintoniæ obiit: & ibi sepulta est.* Idem habet Wigorniensis: & eundem prorsus annum intelligit Huntindonius, dum ait. *Edvvardi Regis anno undecimo, Emma Normannigena, uxor Regum, & Mater Regum, morem mortis pertulit.*

Huntind. fol. 360.

ANNUS CHRISTI. 1053.

LEONIS IX. PAPÆ 5.

EDOARDI ANGLO. RE. 12.

I. BRITANNI ET SCOTI TUMULTUANTUR

ANNO Christi millesimo quinquagesimo tertio, à Britannis, & Scotis tumultuatum est: ideo forsan, quia distracti Anglorum animi superioribus turbis, necdum coaluisse; ideoq; remissiores esse, putabantur: sed Angli, animosiùs in alios, quàm in seipsos, gladium stringere, & irasci didicerant. Quod Britanni senserunt, qui, nuper in Anglorum agros irruperant, Griffino Duce: Cùm enim Rhesus, frater ejus, pergeret provinciam vexare, jussit Edoardus Rex scribi militem, qui injuriam prohiberet. Quod factum, sub initium hujus anni, magno Britannorum damno; Rheso Principe occiso, & purgatâ ab omni hoste provinciâ. Rem paucis sic absolvit Wigorniensis. *Griffini Regis Australium Wallensium frater, Rhesus nomine; propter frequentes prædas, quas agebat; in loco qui Rulendun dicitur, jussu Regis Edvvardi occiditur, & Glavornam caput ejus, ad Regem, in vigilia Epiphaniæ Domini, est allatum.*

RHESUS GRIFFINI FRATER OCCIDITUR. Wigorn. hic.

II. IN SCOTOS INFELICITER PRIMO PUGNATUM.

Non adeo feliciter in Scotos pugnatum. Ibi enim, quà suopte provincialium ingenio; quà eorum accessione, quos nuper proscriptos, & in Scotiam profectos, diximus; motus fuerunt; quos Edoardus Rex componere, jure supremi in eos domini, debuit. Siwardo igitur Northumbriæ Comiti mandatum est, ut collectis viribus, difficilem populum ad obsequium flecteret. Ille expeditionem parat, filiumque militiæ præfectum, cum potestate præmittit, Scotiam invadendi: sequuturum se spondens, & victoriam perfecturum. Quod ille sequenti anno præstitit; sed hoc anno dum filius victoriam auspicatur, victoriæ fundamentum suo sanguine cæmentat. nam fortiter in Scotos dimicans, à Scotis occiditur. quod parentem ab incepto non terruit, sed accendit magis: nec filii casu dejectus, sed erectus est. Quod ita narrat Huntindonius: *Circa hoc tempus, Sivvardus, Consul fortissimus Nordhumbriæ, penè gigas statura, manu verò, & mente prædurâ, misit filium suum in Scotiam conquerendam. Quem cùm bello cæsum Patri renuntiassent, ait: Recepitne vulnus letale in anteriore, vel in posteriore corporis parte? dixerunt nuntii: in anteriori. At ille: gaudeo planè: non enim alio me, vel filium meum digner funere.* Ita ille. Ut Siwardus, filii mortem ultus sit, & victoriam perfecerit; dicam anno sequenti: Nunc me vocat Godwini infelicior exitus, qui prætextu pietatis in patriam, patriam nuper turbaverat; rem, non malam, malè prosequutus: nunc misera catastrophe tragædiam concludens.

SIWARDUS NORTHUMBRIÆ COMES FILIUM PRÆMITTIT.

ILLE A SCOTIS OCCIDITUR. Huntind. fol. 366.

SIWARDI QUÆSTIO, CUM OCCISUM FILIUM INTELLEXIT.

III. MORITUR GODWINUS, ET QUO MODO? Wigorn. Hoved. hic.

De tempore, modoque mortis Godwini, variant paululùm authores. Florilegus eum mortuum scribit anno millesimo quinquagesimo quarto; & perjurii tunc pœnam solvisse. Wigorniensis, & Hovedenus nulla perjurii mentione, hoc anno defunctum scribunt, in hunc modum; *Eodem anno (millesimo quinquagesimo tertio) dum secunda Paschalis festivitatis celebraretur feria, Wintoniæ Godvvino Comiti, more solito, Regi ad mensam assidenti, suprema evenit calamitas. Gravi etenim morbo, ex improviso percussus, mutus in ipsa sede declinavit. Quod filii ejus, Comes Haraldus, Tostius, & Girth, videntes; illum in Regis cameram portabant; sperantes eum post modicum, de infirmitate convalescere. Sed ille expers virium, quinta post hæc feria, miserabili cruciatu, vitâ decessit, & in veteri monasterio sepultus est. Cujus Ducatum suscepit filius ejus Haraldus: & ejus Comitatus datus est Algaro, Leofrici Comitis filio.* Ita illi. Huntindonius non Wintoniæ Pascha celebratum, sed Windsoriæ; ibique mortis jaculum Godwinum excepisse; & modum mortis, quem passim authores alii sequuntur, narrat his verbis. *Edvvardus duodecimo anno regni sui, tùm prandente apud Windlesboreo, ubi plurimum manere solebat: Godvvinus gener suus, & proditor, recumbens juxta eum, dixit: Sæpè tibi, Rex, falsò delatum est, me proditioni tuæ invigilasse. Sed si Deus cœli verax, & justus est; hoc panis frustulum, concedat, ne guttur pertranseat; si unquam te prodere, vel cogitaverim. Deus autem justus, & verax audivit vocem proditoris: & mox eodem pane strangulatus, mortem prægustavit æternam.*

HARALDUS PATRI SUCCEDIT.

Huntind. fol. 366.

IV.

Dirior fuisset imprecatio; si Godwinus etiam se ab Alfredi fratris nece immunem devovisset. quod tamen de eo affirmant Westmonasteriensis, & Aelredus. atque ita in Edoardi vita refertur. *Godvvinus, cùm in mensa Regi assideret, unus ministrorum, in obicem aliquem pede immoderatiùs impingens, penè lapsum incurrit. Quem tamen alius, recta gressu procedens, iterum, in statum suum, nihil injuria passum erexit. De hoc eventu, pluribus inter se loquentibus, & quod pes pedi subvenerit gratulantibus: Comes quasi ludendo intulit: sic est frater, fratrem adjuvans; & alter alteri in necessitate subveniens. Et ait Rex ad Ducem. Hoc meus mihi fecisset frater, si Godvvinus hoc permisisset. Ad hanc vocem Godvvinus expavit; & tristem præferens vultum, ait: Scio enim, Rex, scio adhuc de morte fratris tui, tuus me accusat animus: nec eu æstimas discredendum; qui me vel ejus, vel tuum vocant proditorem. sed secretorum omnium conscius Deus judicet sic: & buccellam hanc, quam manu teneo, guttur meum faciat pertransire, & me servet illæsum, sicut nec tuæ proditionis reus: nec de fratris tui nece mihi conscius existo. Cumq; vir beatus buccellam manu benedicens, signasset: miser ille, ori inserens, usque in medium gutturis protraxit; tentat interius trahere, nec valuit: tentat emittere, sed firmius hæsit. mox meatus quibus ducebatur spiritus, occluduntur: vertuntur oculi, brachia rigescunt. Intuetur infeliciter morientem Rex: & ultionem in eum sentiens processisse divinam, astantes alloquitur dicens: Extrahite canem istum, & factum est ita.* Hactenus Rievallensis Abbas.

Apud Capgrav. in Edoardo

V. MORITUR UULSIUS LICHFILDENSIS. Wigorn. hic.

Quod ad mortuos alios spectat; recitat illos hoc anno, Wigorniensis, cùm ait: *Mense Octobri. Wulsius Liecsfeldensis; & Abbates, Godvvinus, Wincelcumbensis, & Agelvvardus Glastoniensis, decesserunt:*

cesserunt : Wulfio Leofvvinus, Conventrensis Abbas, & Agelvvardo, Æzelnothus ejusdem monasterii monachus, successerunt. Aldredus verò Wigorniensis Episcopus, Abbatiam Wincelbunbensem tamdiu in manu tenuit; donec Godricum, Regis Capellani, Godmanni filium, Abbatem constitueret. Hæc ille : Fasti tamen. & Godwinus, Leufwini Lichfeldensis ingressum, in sequentem annum referunt : quo etiam anno Wulfium obiisse scribit Godwinus. De Agelmaro, jam| *suprà dictum. nam is est, qui Edgari Regis corpus extulit, & ferro minùs religosè tractavit, fundendo sanguinem : ideo non dimidiavit dies suos. Leofwinus, opinor, ille est, quem de incontinentia postulatum Romanæ Sedis Legati ad Synodum Wintoniensem vocaverunt anno 1070. qui deinde ab Alexandro Episcopali cura solutus, ad monasterium rediit. Vide annum 1070. n. 6.

*Vide an. 1052. 10.

VI. AEDD CLERICUS BARBOSUS EX HIBERNIA EJICITUR, ET QUARE? Westmonast. hic. ARDERICUS POTIUS DICENDUS.

Nec omittendum, quod in eodem Wigorniensi sequitur, licèt ad Hiberniæ potiùs, quàm ad nostros Annales spectare videatur. Quia fortè Anglia heretoclitum ritum primùm aversata, Hiberniam docuit illum odisse. sic enim ille loquitur. *Aedd clericus barbosus, in Hibernia vir famosissimus, & miræ religionis fuit : qui clericorum, puellarum, & laicorum, magnam scholam habebat : puellasq., more clericorum, tondebat : propterquod etiam de Hibernia projectus est.* Nescio an in viri nomine erratum sit: opinor tamen *pro Aedd clericus*, legendum Aedericus. Ille enim sub hæc tempora, notatur, novum in Ecclesia ritum usurpasse, quem castissimæ Ecclesiæ solent aversari; idem facturæ multò constantiùs, si fidei majestatem læderet. Quod Annalium conditor Baronius, de Arderico scribens, ad hunc annum ita prosequitur. *Inter hæc autem, in Hibernia Ardericus, qui magnam de se sanctitatis opinionem concitaverat, abi repertus est, à receptis in Ecclesia ritibus dissentire : ab Insula, tenacissima Catholicæ fidei, ejectus est. Cum enim viderent fideles hunc ipsum pueros, & puellas, clericorum more tondere, in modum coronæ, & contra Apostolum, fœminas non velare debere capita, asserere : judicarunt stultitiæ & levitatis; vel quod deterius est; magnæ esse superbiæ indicium, antiquis Ecclesiæ usibus, ac traditionibus non acquiescere.* Quod multò magis dicendum & judicandum est, si omnes antiquæ Ecclesiæ usus, ad indoctæ & inconstantissimæ plebis arbitrium, proscribuntur : quod nunc in Anglia factum lugemus.

Baron. hic. n. 42.

ANNVS CHRISTI 1054.

LEONIS IX. PAPÆ 6.

EDOARDI ANGLORUM REG. 13.

I. *Vide an. 1053. 2.

SIWARDUS FILII MORTEM ULCISCITUR.

DIxi *suprà Siwardum, Northumbriæ Ducem expeditionem in Scotiæ regnum parantem, filium præmisisse, ut pugnæ, ac victoriæ præludium faceret : Sed eundem strenuè pugnantem, à Scotis occisum. Igitur anno Christi millesimo quinquagesimo quarto, Siwardus filii necem ulturus, in Scotos pugnat, provinciam vi ingreditur, hostem profligat, plurimos ore gladii interficit, Regem Macbetum vel fugat, vel occidit; Regem alium constituit, & integrum Scotiæ regnum, ad pristinam Regibus Angliæ obedientiam, & servitutem flectit. Quod ita referunt Annales nostri. *Anno millesimo quinquagesimo quarto, Serenus Dux Northumbrorum* (ita è Wigorniensi Hovedenus) *Sivvardus, jussu Regis Eadvvardi; & equestri exercitu, & classe valida, Scotiam adiit : & cum Rege Scotorum Machetad, prælium commisit, ac multis millibus Scotorum, & Normannis omnibus, quorum supra mentionem fecimus, occisis; illum fugavit, & Malcolmum, Regis Cumbrorum filium, ut Rex jusserat, Regem constituit. In eo tamen prælio filius suus, & multi Anglorum & Danorum ceciderunt.*

Hoveden. Wigorn. hic. SCOTIÆ REGNUM VASTAT ET EDOARDO SUBJICIT.

II. MALCOLMUM REGEM SUBSTITUIT. Malmesb. de Regol. l. 2. c. 13. prin.

Ad Scotiæ Regem quod attinet, qui Machetad hic appellatur, Florilegus Macbothum, alii communiter, Macbetkam vocant: & non fugatum modò, sed occisum scribunt. Ita Malmesberiensis: *Edoardus, Comites habebat, qui eum ex humili in altum conantem erigerent : Sivvardum Northumbrensium; qui ejus jussu, cum Scottorum Rege Mabbetha congressus, vitâ regnoq. spoliavit : ibidemq. Malcolmum filium Regis Cumbrorum, Regem instituit.* Fuit Macbetha, Princeps orthodoxus, & Romanæ Fidei cultor. Unde nostrorum Regum exemplo, Romam profectus est anno millesimo quinquagesimo, & ibi pietatis suæ argumentum reliquit. Nam ita ad eum annum scribit Wigorniensis : *Rex Scotorum Macbetad, Romæ, argentum spargendo distribuit.* Ad hunc Regem referri debent leges Ecclesiasticæ, quas Spelmannus inscribit, ad annum Christi millesimum quinquagesimum, ita: *Leges Ecclesiasticæ Maccabæi Regis Scotorum è secularibus suis deprompta, Christo initiatum ad prophanum judicem non vocato : vocatum, comparentemve, non judicato : sed ad Sacros Antistites remitto. Decimam partem terræ nascentium, Pastoribus Ecclesiarum, liberè conferto. Deumq. semper votis, & oblationibus consuetis adorato. Qui Pontificis authoritatem, annum totam execratus contempserit; neque se interim reconciliarit : hostis Reip. habetor : qui verò duos annos in ea contumacia perseverarit, fortunis omnibus multator.*

ORTHODOXUS PRINCEPS. Wigorn. an. 1050.

Apud Spelman. fol. 571. MACBETI LEGES ECCLESIASTICÆ.

III. AD NOSTRATES SCOTOS PARÆNESIS.

Audite moderni, & degeneres Scoti, antiquum Principem, Ecclesiæ plurimum deferentem; Constantinum & optimos ubique Christianos Reges, sanctissimè imitantem; leges denique, suis, posterisque omnibus, dicentem; quas jure Cæsareo, regio, & mille annorum authoritate præscriptas, probatasque : vos nullo jure abjecistis : & earum loco, cerebri vestri figmenta refigentes, Ecclesiam vos reformare arbitramini. Cùm tamen revera, Ecclesiæ parietes, tecta, fundamentum; Hierarchiæ, inquam, ordinem, omnemque prorsus œconomiam, evertistis : nihil à majoribus præscriptum, à Regibus jussum, à sæculis probatum, observantes : nam *Christo initiatos*, ad prophanos judices vocatis; & cuilibet plebiscito subjicitis : *Sacros Antistites*, nullos habetis : & eorum nomen è tabulis vestris erasistis, eorum authoritatem jam plures annos execrati. Unde, meritò Macbetha Rege & judice, *hostes Reip.* & perduelles estis, & haberi debetis. non unius tantum Reip. sacræ, quam penitùs ejurastis; sed alterius quoque; nam gradu facto, ab unius læsione, & injuria; descendistis in alterius contemptum : & vicinam provinciam (Angliam dico) quæ vobis Dux, & magistra fuit, ad Christianam fidem; in eandem ruinam, casumque traxistis: eò denique justitiæ, impietatis, & impudentiæ, hoc nupero sæculo, venistis; & non modò præteritorum sæculorum

honores omnes; sed Lutherum etiam, & Calvinum perfidiæ immanitate viceritis. quod quia civile bellum hodie vocalissimè loquitur, oon urgeo pluribus.

IV. EDOARDUS DE HÆREDE COGITAT

Edoardus Rex, hoste domiso, cùm nihil sibi, regnoque, ad felicitatis cumulum deesset; nisi hæres certus, qui pacem regni, & bona parta, perennaret; solerti coosilio, inquirere cœpit; cui, jure optimo, se rebus humanis exempto, Angliæ regnum competere posset, & deberet. Supererat adhuc Edmundi, ferrei lateris, filius Edoardus quoque nuncupatus, cognomento Exlex: quia toto Danorum Regum tempore in Pannonia extorris vixerat: hic Edoardo Regi sanguine proximus, majorem cæteris omnibus prærogativam habebat. nam Edoardi oostri fratris filius, & Ethelredo è filio nepos, regni coronam suo jure postulabat. Hunc ergo è Pannonia vocandum censuit, regno, ut suo tempore succederet, præparandum. Edoardi Regis consilium sic explicat Malmesburiensis. *Rex Edvvardus pronus in senium; quod ipse non susceperat liberos, & Godvvini videret invalescere filios: misit ad Regem Hunnorum, ut filium Fratris Edmundi, Edvvardum, cum omni familia sua, mitteret. futurum ait, ut aut ille, aut filii sui succedant regno hæreditario Angliæ orbitatem suam cognatorum suffragio sustentari debere.* Quod ait ad Hunnorum Regem missos legatos esse, ita debet intelligi: ut Edoardi legatio, ad Imperatorem directa, ab eo petiverit; mitti è Pannonia generum suum, futurum regni successorem. nam Edwardus ille, Henrici secundi oune imperaotis filiam, Agatham nomine, uxorem duxerat: & ex ea susceperat filios, Edgarum, Margaritam, atque Christioam, de quibus postea.

In Edoardum fratris filium

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13 fol. 91.

Qui e Pannonia evocatur.

V. ALDREDUS WIGORNIEN. IN GERMANIAM MITTITUR.

Leganonis summa Aldredo, Wigorniensi Episcopo, committitur: qui hoc anno in Germanias profectus, integrè perfecit injuncta: ab Impermore Henrico, & Germaniarum Episcopis, beoignè auditus. De quo sic scribit Wigorniensis. *Eodem anno (millesimo quinquagesimo quarto) in festivitate Sancti Kenelmi Martyris, Aldredus Wigorniensis Episcopus, Godricum Abbatem Wincelcumbæ constituit. Deinde magnis cum xeniis, Regis fungitur legatione, ad Imperatorem. A quo simul, & ab Hermanno Coloniensi Archiepræsule, magno susceptus honore; ibidem & per integrum annum mansit Et Regis ex parte Imperatori suggessit, ut Legatis in Hungariam missis, inde fratruelem suum Edvvardum, Regis videlicet Edmundi Ferrei lateris filium, duceret, Angliamq; venire faceret.* Hoc ergo anno Aldredus Legationem obivit: & diu in Germania mansit, priusquam nuntii, ultrò citròque commearent. Nam post duos tantùm annos, Edwardus designatus hæres, cum familia sua io Angliam appulit; ut post dicetur.

Wigorn. hic.

VI. LEO PAPA MORITUR.

Moritur, hoc anoo, Leo Pontifex; & vitam quam sanctè egit, sancto fine conclusit, miraculorum gloria illustris. Hic strenuè Romanam Ecclesiam; tam in Oriente, quàm io Occidente, defendit; & recalcitrantes Episcopos; vel obsequium docuit, vel in ordinem redegit. Unde Sanctorum oumero ascriptus, merito à fidelibus colitur. De eo sic scribit Baronius. *Quem Deus miraculis illustravit Sancta Ecclesia inter Sanctos retulit; anniversario natalis ejus sacris ritibus colens, decima nona mensis aprilis. Sedit Leo annos quinque, menses duos, dies octo.* & paulò inferiùs: *Post mortem ejus, penè interlapsus est annus, quod caruit Ecclesia Romana pastore. vacavit enim sedes menses undecim, & dies viginti quatuor.*

Baron. hic. n. 46.

ANNUS CHRISTI 1055.

VICTORIS II. PAPÆ 1

EDOARDI ANGLORUM REG. 14.

I. VICTOR II. PAPA.

CUM diu Romana sedes vacasset, clerus, populusque Romanus, Henrici Imperatoris auxilio, suffragioque, Gebehardum Aistetensem Episcopum, è Germania postulatum, impetravit; qui anno Christi millesimo quinquagesimo quinto, Romam veniens, ibidem consecratus, Victoris secondi nomen accepit: & mox vocata Florentiam Episcoporum Synodo, Berengarii hæresim, quam orthodoxus orbis dudum detestatus fuerat, condemnavit; ut supra Lanfrancus affirmavit. Enimvero scabies illa rursum eruperat; & pure suo Gallias infecerat. Donec eò missus hoc anno à Victore Hildebrandus (qui postea septimus Gregorius appellatus est) in Turonensi Concilio, Berengarius de hæresi convictus, pœnituit, & absolutus est. Testatur hoc Guilmundus, Aversanus Archiepiscopus, contra Berengarium ita scribens: *Inde ipsa Romana Ecclesia, per Beatum Leonem Papam, hæc Berengariana figmenta, mox suo exortu damnavit: Deinde per hunc ipsum; qui nunc præest; Dominum Gregorium Papam, tunc Archidiaconum ejusdem Romanæ sedis, in Concilio Turonensi convicit. ipsumq; Berengarium (ut videbatur) correctum, ac propria manus sacramento satisfacientem, clementer suscepit.*

Berengarium condemnat.

*Vid. an. 1050. 4.

Guitmund. de Sacramen. l. 3.

Berengarius resipiscit.

II. ALGARUS PROSCRIBITUR.

Edoardus Rex, hoc anno, conventum habuit, in urbe Loodinensi:: ubi procerum suffragio, Algarus, Leofrici Comitis filius, in exilium mittitur: quod multorum causa malorum fuit. Num jure id, an injuriâ, factum; dissentiunt authores. Huotindonius causam explicat. *Algarus* (inquit) *Consul Cestriæ, exulatus est, quia de proditione Regis, in consilio convictus fuerat.* Alii sine causa volunt latam esse sententiam. Ita Wigornieosis. *Rex Edvvardus, habito Lundoniæ Consilio, Algarum Comitem, filium Leofrici, sine culpa exlegavit.* Quicquid sit: Pax Insulæ turbata est, & armavit hæc seotentia Hiberoos, Britanoosque, in Anglorum plurimorum excidium. Nam sequitur in eodem authore. *Qui mox Hiberniam petiit, & octodecim piraticis navibus acquisitis, rediit; & Griffinum Regem Wallensium adiit; eumq; petivit; ut contra Regem Edvvardum, sibi esset auxilium. Ille statim de toto regno suo, copiosum exercitum congregans; Algaro præcepit, ut loco constituto: sibi, & exercitus, cum suis copiis occurret. Quibus in unum convenientibus; fines Anglorum depopulaturi, Herefordensem provinciam intraverunt. Contra quos eiusdem Dux Radulphus, Regis Edvvardi sororis filius, exercitum congregans: & duobus milliariis, a civitate Hereforda, nono Calendas Novembris, illis occurrens; Anglos contra morem, in equis pugnare jussit. Sed cum prælium essent commissuri; Comes cum suis Francis; & Normannis, fugam primitus capessit. Quod videntes Angli, Ducem suum fugiendo sequuntur: quos adversarii ferè omnes sequuti, quadringentos, vel quingentos viros ex eis*

Huntind. fol. 360.

Wigorn. hic.

Hibernis Britannisque conjunctus, Herefordiam vastat.

peremerunt,

MONASTERIUM HEREFORDIÆ COMBURITUR. ETHELBERTI REGIS ET MARTYRIS RELIQUIÆ.

peremerunt, multosq́; vulneraverunt. Dein victoria potiti; Rex Griffinus, & Comes Algarus, Herefordam intraverunt: & septem Canonicis qui valvas principalis Basilicæ defenderant, occisis: ac monasterio, quod venerandus Dei Christicola Antistes Aethelstanus construxerat, cum omnibus ornamentis, & reliquiis Sancti Aethelbriti Regis & Martyris, aliorumq́; Sanctorum, combusto: & nonnullis è civibus necatis, multisq́; captivatis; civitate etiam spoliatâ, & crematâ; prædæ ubertate ditati, redierunt.

*V, an. 763. n. III. *Vide an. 753. n.

Fuit hæc magna provinciæ calamitas; cùm princeps ibi Ecclesia; quam *suprà in Sancti Ethelberti Regis, & Martyris honorem constructam dixi; tam miserè conflagravit, flammâ nec vivis Canonicis, nec Sanctis in cœlo regnantibus, parcente. Sunt qui putent, Leofgarum, Herefordensis urbis Episcopum, vel cæsum tunc, vel ab hostibus captum. Ita Camdenus, temporis hujus infelicitatem explicans. *Herefordia (inquit) integrâ semper usa est fortunâ; præterquam anno Domini millesimo quinquagesimo quinto; quo Griffinus Southwalliæ Princeps, & Algarus Anglus, seditionem in Edoardum simplicem, sive Confessorem, concitantes: cùm Radulphum Comitem fugassent: Urbem diripuerunt, templum deleverunt, & Leofgarum Episcopum captivum abstraxerunt.* Ita ille: sed, opinor, fallitur in nomine Episcopi. Nam Ethelstanum suprà ad annum Domini millesimum duodecimum, consecratum dixi, Herefordensem Episcopum; quem necdum sepelivi: & eo demum mortuo, nec priùs, Leofgarus scribi debet Herefordensis Episcopus. Dico igitur Ethelstanum adhuc superstitem esse: sed oculorum vitio, & annorum numero, dudum ab Episcopali munere impeditum, Tramerinum Menevensem Episcopum, adjutorem habuisse; & ille fortè ab hoste captus, vitam hoc anno finivit. nam Hovedenus huius anni tragediam explicans, hæc habet de eo: *Eodem tempore religiosus vir Tremerinus, Walonicus Antistes, decessit. Hic multo tempore vicarius Adhelstani, Herefordensis Præsulis extitit: post quam ipse ministerium Episcopale, per se implere nequit. Erat enim, per tredecim annos, oculorum lumine privatus.* Ethelstanus ergo, extra oppidum erat, procul ab injuria & sequenti tantùm anno moritur. ut ibi.

Camden. in Hereford.

Hoved. hic. TREMERINUS MENENSIS EPISCOPUS, ET COADIUTOR HEREFORDENSIS MORITUR.

IV. EDOARD' MOTUM COMPESCIT.

Interim Edoardus Rex, Algari & Britannorum scelera ulturus; collecto milite, perduelles fugat, Herefordensem urbem reparat, & Algarum Comitem, ad obsequium cogit: quæ omnia sic narrat Wigorniensis: *Quod ubi Regi (Edwardo) innotuit: innitum Herefordensis agri infortunium: De tota mox Anglia exercitum congregari jussit. Cui Glawornæ congregato; strenuum Ducem Haraldum præfecit. Qui devotè jussis obtemperans, Griffinum & Algarum impigrè insequitur: ac fines Walanorum audacter ingressus ubi Staddele, castra metatus est. sed illi, quia virum fortem, & bellicosum ipsum sciebant; cum eo committere bellum non audentes, in Suthwalliam fugerunt. Quo comperto, majorem exercitus partem, ibi dimisit: mandans eis, ut suis adversariis (si res exposceret) viriliter resisterent. Cum cætera verò multitudine, Herefordam rediens, vallo lato, & alto illam cinxit; portis & seris munivit. Interea Legatis intercurrentibus, Griffinus, Algarus & Haraldus, & qui cum eis fuerant, in loco qui *Bilsles Leaga dicitur convenerunt: & pace datâ & accepta, firmam amicitiam inter se pacti sunt. Quibus patratis, classis Algari Comitis Leogecestriam devecta, stipendium quod eis promiserat, ibi expectavit. Ipse verò ad Regem venit: & ab eo suum Comitatum recepit.* Quievit hac ratione provincia paululùm; & cives halcionios dies habuerunt: sed, tam Britanni anno sequenti; quàm Algarus paulò posteriùs, turbas iterum excitarunt, ut infrà.

VVigorn. hic.

HARALDO DUCE

*Biliges leage. Hoveden.

V. *Vide an. 1043. n. 7.

EDOARDUS DONAT PRÆDIA MONASTERIO CANTUARIENSI.

Cæterùm vacavit Edoardo Regi, Ecclesiam ornare, & monasteriis benefacere; nam illa coluit toto vitæ tempore. *Suprà vidimus, ut scripto diplomate, monasterium Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, apud Doroberniam, in peculiare patrocinium susceperit, ideo; quia à Saxonum ingressu, aliorum cœnobiorum parens, & norma fuit: huic igitur loco terras, hoc anno, in Monachorum usum adiicit. nam in Registro Sancti Augustini Cantuariæ sic legitur. *Anno Domini millesimo quinquagesimo quinto, Edoardus Rex (Sanctus Confessor) dedit huic Monasterio totam terram, quam habuit in Fredwico.* Quod sequitur in eodem Registro; facit quidem ad Anglorum innocentiam, & Augustiniensis Abbatis prærogativam: sed quomodo, cùm recta temporum ratione constet, non video. nam ita ibi legitur. *Anno sequenti, Leo Papa (nonus) simoniacam hæresim in Francia debellabat. Mittitur ad eum, consensu Regis & regni Ulfricus Abbas, pro negotiis regni, & Ecclesiæ Anglicanæ (Pontifici) responsurus. Cujus responsa Papa intelligens, Anglos cæteris innocentiores, & Ecclesiæ Anglicanæ profectus congratulans, inter alia multa confirmabat, ut Archiepiscopus Cantuariæ in Conciliis, vel, Synodis Celebrandis assidere debeat Summi Romano Pontifici: Abbas verò Augustinensis, Abbati montis Cassini.* Per annum sequentem, Clemens Reynerus intellexit annum Christi 1056. nam ita scribit: *Sanè nos superiùs ostendimus, Ulfricum Abbatem Sancti Augustini, anno Domini millesimo quinquagesimo sexto, missum fuisse ex consensu Regis Edwardi Sancti, regniq́; totius ad Leonem Papam nonum, pro negotiis Ecclesiæ Anglicanæ responsurum, & tantu in honore à Pontifice illo Sancto habitum fuisse, ut in generalibus Synodis locum illi Pontifex assignaverit proximum Abbati Cassinensi.* Erratur sine dubio, in annorum calculo. Nec enim eo anno, Leo nonus in vivis, nedum in Francia fuit. Referendum igitur est ad Remensis Concilii tempus, quando Wulfricum eò missum diximus, ad annum Domini millesimum quadragesimum nonum. Tunc de Simoniaca labe, aliisque quæsitum: & *inventi sunt (per me licet) Angli cæteris innocentiores*: Adeo ut Anglicanæ Ecclesiæ profectui congratulatus sit Leo Pontifex Sanctissimus.

apud Reynerum in appendice Scriptura 44. Ibidem.

Reyner. tract. 2. fol. 131.

Vide an. 1049. 4.

VI. HERMANNUS WILTUNENSIS EPISCOPUS MONACHUM INDUIT AD SANCTUM BERTINUM.

Hoc anno, Hermannus, Wiltunensis Episcopus, nescio quo pietatis impetu, Episcopatum dimisit, & monachum induit. De quo ad hunc annum ita scribit Wigorniensis: *Hermannus Wiltoniæ provinciæ Præsul; offensus, quia ei sedem Episcopalem transferre de villa, quæ Rammesbirig dicitur, ad Abbatiã Malmesbiriensem Rex nollet concedere; Episcopatum dimisit; mareq́; transfretans, apud Sanctum Bertinum, monachicum habitum suscepit; ibique in ipso monasterio tribus annis mansit.* Ut finito triennio Sedem repetierit; eamque ex humiliori loco Salesbiram transtulerit, dicam in sequentibus. Interim Aldredo Wigorniensi Episcopo, Wiltunensis Ecclesiæ regimen committitur. Unde colligi datur; Hermannum, non alia mente Angliam reliquisse; quàm ut sanctiorem vitam doctus, aptius instrumentum esset ad curam anima-

Wigorn. hic.

rum. Quam procurationem illi omnium optimè administrant, qui suæ imprimis animæ curam habent.

VII. MORITUR SIWARDUS NORTHUMBRIÆ COMES. *Hoved. hic.*

Moritur, hoc anno, Siwardus Northumbriæ Comes, qui superiori anno, Scotiam subjugavit. quod quia singulariter ab authoribus consignatur, omitti non debet. Hovedenus ita de illo: *Anno millesimo quinquagesimo quinto, Siwardus, Dux Northumbrorum, Eboraci decessit: & in monasterio Galmanho, quod ipse construxerat, sepultus est. Cujus Ducatus, Tostio, Haroldi Ducis germano, datus est*, religiosum virum fuisse colligo, quia monasterium construxit, ibique condi voluit: sed quàm etiam militaris fuerit, & antiquæ fortitudinis, dicat Huntindonius: *Siwardus*, inquit, *Consul rigidissimus, profluvio ventris ductus, mortem sensit imminere: Dixitq;, quantus pudor, me tot in bellis mori non potuisse: ut vaccarum morti cum dedecore reservarer. Induite me saltem loricâ meâ impenetrabili, præcingite gladio, sublimate galea: scutum in lava, securim auratam mihi ponite in dextra; ut militum fortissimus, modo militis, moriar. Dixerat, & ut dixerat, armatus honorificè spiritum exhalavit. Sed quia Walleof, filius ejus adhuc puerulus erat, datus est Consulatus ejus Tosti, filio Godwini Consulis.*

SEPULTUS IN MONASTERIO GALMANHO, QUOD STRUXERAT. *Huntind. fol. 366.*

ANNUS CHRISTI 1056.

VICTORIS II. PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 15.

I. ETHELSTANUS HEREFORDENSIS MORITUR. *Wigorn. Hoved. hic.*

SUB initium anni millesimi quinquagesimi sexti, moritur Herefordensis Episcopus, Athelstanus; cùm patriæ vastitatem, & monasterii, quod exstruxerat calamitatem, auribus excepisset: nam oculis captus, videre non potuit. Vir magnæ sanctitatis dicitur: & ita eum Annales cum honore sepeliunt. Wigorniensis & Hovedenus communiter: *Anno millesimo quinquagesimo sexto, Vir magnæ sanctitatis Herefordensis Episcopus Adhelstanus, quarto Idus Februarii, in villa, quæ dicitur Bosanbrig, decessit. Cujus corpus Herefordam delatum, in Ecclesia, quam ipse à fundamentis construxerat, est tumulatum.* Nec differt, in ratione temporis Godwinus, cùm dicit eum Ecclesiam Cathedralem Herefordensem à fundamentis excitasse, ac perfecisse; decessisse verò Februarii decimo, millesimo quinquagesimo quinto; & denique in Ecclesia à se constructa tumulatum: quia, Anglorum hodierno more annû orditur ab Incarnatione Dominica, & Annuntiatæ Virginis festo. nam statim fatebitur, successorem Athelstani, vix tribus mensibus sedisse, mortuumque, decimo sexto Junii, anno Domini millesimo quinquagesimo sexto.

Godwin in Hereford.

II. LEOFGARUS HEREFORDENSIS EPISCOPUS.

Fuit is, Leovegarus, qui Athelstano mortuo Herefordensis Antistes creatur; Vir cœlo dignus, & longiore vita; nisi cœlo dignior fuisset. Eum Griffinus, Silurum Princeps, hoc ipso anno, cùm iterum Anglorum agros vexaret, Ecclesiam sibi commissam strenuè defendentem nolentemq; à milite prophanari, occidit; cùm paucos tantùm menses eam rexisset. De eo & prædecessore ejus, Westmonasteriensis hæc habet: *Anno gratia millesimo quinquagesimo sexto, Æthelstanus, Herefordensis Antistes diem clausit extremum. Cui successit Leovegarus, Ducis Haraldi Capellanus, Ecclesiarum amator, pauperum recreator, viduarum & orphanorum defensor, oppressorum subventor, Virginitatis possessor. Hunc quoque Dei famulum, in omni religione perfectum, Griffinus Rex Wallensium, Herefordensi civitate cremata, vitâ privavit.* Hæc sanctissimi viri elogia, locum illi fecere in nostro Martyrologio: ubi ad decimum sextum Junii, Sanctus legitur. Cæterum, quod ibi, & à Godwino etiam, dicitur eum cum septem Canonicis, qui valvas principalis Basilicæ defenderant, occisum esse, παρόραμα est. nam septem Canonicorum cædes, superiori anno, in Herefordensi civitate, & Algaro, cum Britannia pugnante, accidit: Leovegari mors, non illo anno, nec in eo loco signatur. Nam Wigorniensis ita loquitur: *Leovegarus eodem anno (quo Athelstano successit) decimo sexto Calendas Julii à Griffino Walanorum Rege, in loco qui Clastbirig vocatur, cum clericis suis, & vicecomite Agelnotho, & multis aliis occisus est. mansit autem in Episcopatu duodecim septimanis, & quatuor diebus.* Pro Clastbirig, loco mortis, Hovedenus (malè opinor) Glastinbiriæ, legit: & undecim septimanis Episcopum facit, non duodecim.

Westmonast. hic.

A GRIFFINO OCCIDITUR.

LEOFGARUS SANCTUS.

Wigorn. hic. Hoved. hic.

Hoved. hic.

III. PRO PACE TRACTATUR.

Laboratum est, à morte Leovegari, pro pace Provinciæ, & Ecclesiarum. Leofricus, vir pientissimus, templorum desolationem, & inermis cleri stragem non ferens, sequester pacis fuit. Enimvero cum Aldredo Wigorniensi Episcopo; cui Herefordensis Ecclesia commissa fuerat, à morte Leovegari & Haraldo Comite; Edoardum Regem, ad pacem cum Griffino ineundam facilè flexit: quod totum hoc anno perfectum est, teste Hovedeno, qui ita narrat: *Leovegaro perempto, Aldredo Wigorniensi Præsuli, donec Antistes constitueretur, Episcopatus Herefordensis commissus est. Postbæc idem Episcopus, & Comites, Leofricus, & Haroldus, cum Rege Edwardo, Griffinum, Walanorum Regem pacificaverunt.* Triennio caruit Herefordensis Ecclesia pastore proprio: Interim Wigorniensis illam administrat. sed eo ad Eboracensem sedem translato, sub annum Domini millesimum sexagesimum, Walterus quidam illi Ecclesiæ præficitur. De quo *infrà.

HEREFORDENSIS ECCLESIA ALDREDO COMMENDATUR. *Hoved. hic.*

*Vide an. 1060. 3.

IV. AGELRICUS DUNELMEN. EPISCOPATUM DIMITTIT.

Ethelricus, sive Agelricus, Dunelmensis Episcopus, cùm ab anno Domini millesimo quadragesimo octavo, in animarum Christo lucrandarum procuratione laborasset; & prius contemplativæ vitæ dulcedinem in Petroburgensi cœnobio degustasset: iterum hoc anno ad quietem illam anhelans; Episcopatus onera deposuit: & substituto in suam sedem Agelwino fratre, ejusdem cœnobii monacho; ad locum unde assumptus rediit. De illo sic scribit Ingulphus, Abbas Croylandensis: *Egelricus, cùm iterum crumenas pecuniis refarsisset; Episcopatum dimittens, & Burgum repetens; Agelwino monacho Burgensi & germano suo, suum annulum resignavit. Qui penes Regem, Godwino Comite similiter procurante, factus Episcopus, permansit in eo usque ad hæc tempora nostra.* Forsan quæ dicit author, eum iterum pecuniis collectia ad monasterium redusse, suspicatur Godwinus, tunc demum Petroburgense monasterium ab eo suctum, ornaturque. sic enim loquitur: *Egelricus Episcopus dives admodum effectus, præsulatus opulentissimi reditus nihil moratus, Egelwino fratri suo Episcopatu tradito; ipse ad cœnobium Petroburgense rediit;*

Ingulf fol. 897.

AGELWINUS DUNELMENSIS EPISCOPUS.

Godwin in Dunelm.

AGELRICUS INCARCERATUS MORITUR

unde prodierat: idq́; ædificiis pluribus ornavit & amplificavit. Viam etiam à Depinga, ad Spaldingum, per regionem palustrem ducentem, munivit egregiè, effosso aggere, quem calce & arenâ operuit; additis in opportunis locis, pontibus. unde nomine Elrich-rode hic ager appellatur. Abdicavit anno millesimo quinquagesimo sexto. Cùmq́; postea privatus, hic loci annos tredecim delituisset, majestatis læsæ reus fit apud Gulielmum Regem: qui cœnobio extractum Westmonasterii incarceravit, donec Octobris decimo quinto, anni millesimi septuagesimi secundi, è custodia mors eum emisit. Sepultus dicitur in capella Sancti Nicolai. Hæc omnia Godwinus.

V. MORITUR ALFWOLDUS SANCTUS SCHIRBURNENSIS.

Moritur etiam, hoc anno, Schireburnensis Episcopus, Afwoldus; quem anno millesimo quadragesimo primo consecratum dixi; virtutes etiam ejus, & admiranda aliqua: nunc tantùm refero, quæ mortem ejus præcesserunt; eumque è mortalium numero, ad Sanctorum consortis evexerunt. Inter ea, vix aliud magis ad sanctitatem facit Deique amorem nanciscendum; quàm quotidie cum Sanctis in cœlo regnantibus, conversari; eorum vitam, exempla, virtutes æmulando, eorum etiā patrocinia continuis precibus implorando. Sic enim fit, ut conversatio nostra in cœlis sit; visque facilis illò paretur.

CUTHBERTUM SANCTUM COLUIT.

Hôc Alfwoldus videtur observasse, Cuthbertum Sanctum Lindisfarnensem olim Episcopum, religiosè colendo: corpus Dunelmum nuper translatum, omnem Angliam impleverat, incorrupti corporis miraculo & omni odore Sanctitatis. Hoc odore ille afflatus, cum mortem sciret adventare; Dunelmum ivit, Sanctum coram coluit, relicto ibi amoris cultusq́; argumento. Et brevi post, Cuthbertum in cœlum sequutus, ejus gloriæ consors efficitur, cujus vitam studuit imitari. Narrat Malmesburiensis, quid aliquando audiverit, à *bonæ fidei presbytero, canis tesperso, & Alfwoldi bona, lacrymabili gaudio referente*: quorum aliqua *suprà recensui: reliqua in hunc locum reject. sunt autem quæ sequuntur.

*Vide an. 1041. n. 6.

VI. *Malmesb de Gest. Pont. l. 2 fol. 249.*

Referebatq́; presbyter (inquit Malmesburiensis) *quod Alfwoldus Episcopus fuisset pronâ obsequelâ Sancto Cuthberto devotus; ad omnem ejus memoriam lætanter illacrymans: pæneq; semper antiphonam illam de Sancto tenebat corde, ruminabat ore, exercebat opere. Sanctus Cuthbertus Antistes, vir perfectus in omnibus, in turbis erat monachus, dignè cunctis reverendus. Cumq́; quotidianus amor, in ejus pectore, dulce incrementum acciperet, nec in eo bona flamma se caperet; ad Sanctum Cuthbertum Dunelmum profectus est. Ibiq́; quod magna videtur audacia, revulso sepulchri operculo, cum eo quasi, cum amico, fideliter collocutus; Xeniolum in perpetuus amoris pignus deposuit, & abijt. Jam verò fatali puncto instante, antiphonam, quamdiu vox suffecit, cantitans, sermone præcluso, ut dicerent cæteri, manu innuit. Ita indicium amoris, quem in Sanctum habebat, cum extremo efflatu emisit. Post cujus obitum, iterum Episcopatus Wiltoniensis, cum Salesberiensi junctus est.* Hæc author.

DE ANNO MORTIS SANCTI ALFWOLDI

De anno mortis nihil invenio. Fasti tantùm ad hunc annum, Hermanum in Schireburnensi sede collocant. Sed ille in Belgio ad Bertini monasterium, monasticæ vitæ tirocinium ponit. Fortè tamen Alfwoldi morte intellectâ, de repetenda sua sede, & Schirburnensi unienda, consilia cœpit agitare, quæ paulo post ad effectum perduxit, nimirum post sequentem annum. Unde quod Alfwoldus in Martyrologio ponatur Sanctus, & mortuus anno millesimo nonogesimo octavo antichronismus est. Nam diu ante cum annum Hermannus in Schirburnensi sede successor moritur. Hoc anno Herewardus à Stigando Archiepiscopo consecratur Lundinensis Episcopus. Ejus meminit Sanctus Anselmus l. 3. Epistolarum, Epistola 23. ubi illum à sacris videtur suspendisse. Nec aliam ejus rei causam invenio, quàm quia ab illo consecratus est, qui inquiter sedem invasit.

ANNUS CHRISTI 1057.

VICTORIS II. PAPÆ 3

EDOARDI ANGLORUM REG. 16.

I. EDOARDUS EXLEX REDIIT IN ANGLIAM.

SEQUITUR Christi annus millesimus quinquagesimus septimus: quo Edoardus, cognomento Exlex, qui tamdiu Patria caruerat; vixeratque extorris in Pannonia, tandem in Angliam venit, ab Edoardo Rege, ut supra invitatus: spe plenus, eidem post mortem ejus succedendi: quod indubiè fecisset, eratque in votis omnium; nisi Deus, regnorum omnium supremus Dominus, aliter statuisset. Enimvero vix attigerat natale solum; vix filios, filiasque & familiam collegerat; cùm patria iterum vitaque migrare cogitur. De tempore adventus ejus ita scribit Hovedenus. *Anno millesimo quinquagesimo septimo: Clito Edwardus, Regis Edmundi Ferrei lateris filius, ut ei mandarat suus Patruus Rex Eadwardus, de Hungaria, quò multo ante, ut prædiximus, in exilium missus fuerat, Angliam venit. Decreverat enim Rex illum post se regni hæredem constituere: sed ex quo venit, parvo post tempore vita decessit, Londoniæ.*

Hoved. hic.

MORITUR LONDINI. *Malmesb de Reg. l. 2. c. 13 fol. 82.*

Regno minus idoneum fuisse, satis insinuat Malmesburiensis, dum sit: *Venit Edwardus; sed continuò apud Sanctum Paulum Londoniæ, fato functus est, tribus liberis superstitibus. Vir neque promptus manu, neque probus ingenio.* Alii signanter hoc anno mortuum scribunt & trium liberorum nomina exprimunt.

II. EDOARDI EXLEGIS FILII.

EDGARUS MARGARETA, ET CHRISTINA.

Fuerunt autem, Edgarus filius, cognomento Ethelinges quod nobilem & principem, innuebat; ut contra Underling, ignobilem, Margarita filia, & Christina, quam alii passim Christianam vocant. Hi, hoc anno, & plures post annos, parenti superstites fuêrunt, promiseruntque ad hunc diem nepotes regios. Ideo paucis exponam; qua ratione, post mortem Edoardi Regis, & ab ingressu Normannorum, non omnino desierint Saxones regnare: sed continuatis successionibus, ab Edmundo Ferreo latere, aut in filiis, aut filiabus constanter regni Angliæ coronam tenuerint. Edgarus quidem diu vixit, & fortè ab Edoardo dictus est hæres; sed aliorum potentiâ pressus, nihil egit nobile. Unde de eo Malmesberiensis sic pronuntiat: *Edgarus qui post occisionem Haroldi, à quibusdam in Regem electus est, & vario lusu fortunæ rotatus, nunc pene decrepitum diem ignobilis ruri agit.*

Malmesb. suprà. EDGARUS DIU VIXIT

CHRISTINA MONIALIS APUD RUMSIAM.

Ille ergo nullam prolem promisit: sicut nec Christina soror, quæ monasterium ingressa, & mundum pedibus calcans, cœlestia consilia coquebat animo, in eisque ætatem omnem trivit. Unde author qui supra: *Christina*, inquit, *sanctimonialis habitu, apud Ramesiam consenuit.* Sed quid Chri-

stinæ

*Vide an. 968. 5. Martyrolog. Anglica. 24 Novembris

stinæ Virgini, cùm Ramescienſi cœnobio, quod monachis, non monialibus poſitum dixi, *ſuprà. fortè hanc ob cauſam in noſtro Martyrologio Christina (nam inter Sanctos locum & honorem meruit) in Wiltonienſi monaſterio, monialis primò, inde Abbatiſſa ſcribitur, & demùm ſanctè mortua, ſub annum Domini milleſimum octogeſimum. Sed non placet. opinor enim, Malmesburienſis amanuenſem, vel typothetam, paululùm exerraſſe, & Rumſciam debuiſſe ſcribere. Quod *ſuprà etiam in Hovedeno factum notavi. Cæterùm Rumſciæ Edwardus ſenior, cœnobium ſanctimonialibus extruxit, ut dixi anno nongenteſimo quarto. Ibi poſtea Edgarus, ejus è filio nepos, Werewennam Abbatiſſam eidem loco præfecit, anno nongenteſimo ſexageſimo ſexto. Ibi denique Christina noſtra ſanctitatem didicit, in eáq; ſe conſenuit. Quo etiam reſpexit Joannes Spedus, cùm ſcripſit Christinam hanc Edwardi filiam, in Ramſcienſi monaſterio, Hamptonienſis agri, monialem fuiſſe. Nam Rumſcienſe debuit intelligere; quod in eo agro ſitum, à Ramſcienſi diſtinguitur, in Huntindonienſi provincia ſito. Vide dicta ad annum 1016. n. 16. Addit noſtrum Martyrologium, Agatham matrem in eodem monaſterio, poſt vitam ſanctè actam, cùm ſanctitatis opinione mortuam.

*Vide an. 966. n. 10

Mart. Angl. 8 Decemb.

III. MARGARITA SCOTORUM REGI JUNCTA PROMISIT PROLEM. Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. fol. 95

Reſtat Margarita, Edwardi filia, *quæ restituit rem*; hoc eſt Angliæ coronam, à Saxone ad exteros tranſlatam, Saxoni demum reddidit. Nam illa, Normannorum tempore, cùm pro ſceptro acriter alii diſputarent; in Pannoniam unde venerat, & ubi nata, dum reverti conatur; vi ventorum in Scotiam acta, Malcolmo Regi, matrimonii lege jungitur: qui ex ea plures liberos ſuſcepit, quorum aliquos Malmesburienſis enumerat ita ſcribens: *Hæc Margarita, numeroſâ prole fecunda, habuit filios Edgarum, & Alexandrum, qui poſt patrem regnaverunt, in Scotia, ſucceſſione continua. Nam ſenior Edwardus, in bello cum patre occubuit. Junior David, manſuetudine & ſapientia celebris, Rex Scotiæ nunc habetur. Filias Matildem, quam noſtro ſæculo Rex Henricus: Mariam, quam Euſtachius junior Comes Boloniæ, uxores duxerunt.* Hæc ille. Henricus iſte Guilielmi Normannorum Regum primi filius, optimo conſilio, Mathildem duxit, Margaritæ filiam; quæ ſola hæres remanſerat Saxonicæ monarchiæ: nam eo conjugio factum, ut Saxones inde deſcendentes, Angliæ coronam, Saxonum Regum jure portaverint. Et quod pluris æſtimandum eſt, Regia Saxonum pietas, Fides, ſanctitasque, ad poſteros promiſſa ſit. Enimvero Margarita mater, & Mathildea filia, ſanctiſſimæ fuerunt: & Inſulæ hujus illuſtriſſima ſidera. teſtantur id Martyrologia omnia, ubi nomen Margaritæ, ad decimum Junii cum Sanctis legitur: & ubi Romanum ita loquitur. *In Scotia Sancta Margarita Regina, amore in pauperes, & voluntaria paupertate celebris.* Nec minor laus ſiliæ: quæ in Angliam veniens, & Henrico primo nupta, magnæ Mathildis imitatrix, nomen Sanctæ meruit in noſtro Martyrologio, ad trigeſimum Aprilis. Nec enim illa matre inferior fuit, *amore in pauperes*. Nam duo Xenodochia, Londini extruxit; unum in ſuburbio, quod Sancti Ægidii appellatur: aliud in urbe, ad portam Algate, Chriſti Eccleſia nuncupatum. Unde conſtat deficiente paululùm & languente Saxonum corona Regia: nunquam tamen defeciſſe Regiam eorum Fidem. & quamvis Deus iraſceretur Inſulæ, ob varia multorum crimina; manſiſſe tamen ſemen cui Deus benedixit. & luxiſſe in cœlo noſtro ſidera, quæ Fidem indicarent.

MARGARITA S. Mart. Ro. 10 Junii

MATHILDIS SANCTA.

IV. LEOFRICUS COMES MORITUR. Hoved. ibid.

Inter ea, hoc anno, unum occidit; ut novo ortu altiori cœlo transſcriberetur: Leofricus Comes, animi magis, quàm ſanguinis nobilitate clariſſimus: de quo ita Hovedenus, ad hunc annum. *Excellentis viri memoria, laudabilis vir Leofricus, Leofvvini Ducis filius, in propria villa, quæ dicitur Bromleage, ſecundo Calendas Septembris, in bona ſenectute deceſſit, & Conventreæ ſepultus eſt honorificè. Quod monaſterium inter cætera bona opera, quæ in ſua vita geſſit; ipſe, & uxor illius, Dei cultrix, & Sanctæ Mariæ, ſemper Virginis amatrix devota, nobilis Comitiſſa Godiva, de ſuo patrimonio, à fundamentis conſtruxerunt: & id terris ſufficienter locupletaverunt: ornamentis variis adeo ditaverunt, ut in nullo monaſterio totius Angliæ, tanta copia auri, gemmarum, lapidumq; pretioſorum inveniretur, quanta tunc temporis habebatur in illo.* Hæc Leofrici & Godivæ profuſio, in erectum Conventriæ monaſterium, anſam dedit narrationi illi, (fabulam vix audeo appellare) quam hoc anno Florilegus recitat; Godivam Comitiſſam, ut Urbem illam *à gravi ac turpi ſervitute* liberaret; nudo corpore equo impoſitam per oppidum equitaſſe, & loca tunc frequentia: à nemine tamen viſam, & promiſſis valde capillis tectam. atque ita Leofricum Comitem, à ſervitutis jugo Urbem liberaſſe. Ego puto id omne, à Leofrici, & Godivæ modeſtiâ, & horum temporum caſtitate, alienum eſſe. Sed quia Godiva, ut locum illum antea ignobilem, celebriorem, & illuſtriorem faceret; ceſſit juri ſuo, quod vel patrimonii jure, vel dotis lege, habebat, ut Leofricus inde monaſterium extrueret: Quo extructo, ipſa iterum pientiſſima fæmina, ornamenta ſua omnia gemmas, lapideſque pretioſos, hoc eſt omnem mundum muliebrem, in Dei & Deiparæ cultum, adeo profuſa manu contulit: ut non immeritò dici potuerit, oppidum illud prius jacens erexiſſe ſeipſam denudando: Quæ tamen nuditas non apparuit, reddentſe Deo, in hac vità centuplum. Sic ſe nudantes fæminas ſolet Deus mirabiliter tegere; non ita illas, quæ inverecundè proſtituunt pudorem ſuum.

COMMENTUM DE GODIVA EXCUTITUR.

V. LEOFRICI ET GODIVÆ PIETAS.

Facit ad hanc nuditatem, Deumque mirabiliter operantem, quod de dictis conjugibus, Leofrico, & Godiva, refertur. nimirum quod alia etiam monaſteria, vel de novo fecerint; vel olim ſtructa, & deſtructa, refecerint ſuis ſumptibus. Unde ſine dubio Deus donanti redonavit plurima. Malmesburienſis hæc habet de utroque conjuge. *Leofricus*; inquit, *cum conjuge ſua Godifa, in Dei cultu munificus, monaſteria multa, conſtituit; Conventriæ, Sanctæ Mariæ; Stow, Wenelok, Leonenſe, & nonnulla alia. Cæteris ornamenta, & prædia; Conventriæ corpus ſuum, cum maximo apparatu auri, & argenti, delegavit.* Ita ille. Wigornienſis plura monaſteria nominat, à piis conjugibus ſtructa, ſcribens in hunc modum, cùm Coventrienſe cœnobium depinxiſſet. *Leonenſe etiam*, inquit, *& Wenlocavenſe* (Hovedenus meliùs reddidit Wanlokenſe) *cœnobium, Sancti Joannis Baptiſtæ; ac Sanctæ Werburgæ Virginis monaſteria, in Legeceſtra ſita; & Eccleſiam, quam Lindicolinenſis Præſul Eadnothus, in loco famoſo, qui Sancta Maria Stow Anglice, Latinè verò Sancta*

Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. prin.

Wigorn. hic

Maria locus appellatur ; pretiosis ditaverunt ordamentis. Wigorniense quoque monasterium terris, & Eveshamense, ædificiis, ornamentis variis, terrisq; completaverunt. Hujus itaque Comitis sapientia, quamdiu vixit, Regibus, omniq; Anglorum populo, multùm profuit. Cujus Ducatum filius suus Algarus suscepit.

VI. Quod ad hæc monasteria attinet, eorum ferè mentionem supra feci. De Wenlocensi cœnobio, à Milburga Virgine in Cornaviorum Provincia, & Salopiensi agro structo, dixi ad annum sexcentesimum septuagesimum sextum. quod varias vicissitudines passum, Leofrici opera resurrexit : & ita in Catalogo ædium destructarum, Leofricus ponitur illud condidisse. Werburgæ Virginis corpus, in Cestrensem urbem translatum, dixi anno sexcentesimo septuagesimo quinto. ubi sacris Virginibus monasterium extruxit Leofricus, anno millesimo quadragesimo quarto, ut dictum ibi. De Stovensi monasterio à Godiva posito, vide annum millesimum quadragesimum nonum: quod hic pretiosis à Leofrico ditatum dicitur ornamentis. Wigorniense monasterium Edgarus Rex, ut alia plurima, monachis auxit anno Christi nongentesimo sexagesimo quarto : quod Danorum tempestate diminutum, Leofricus primùm, inde Wulstanus Sanctus, de quo infrà, erexit, ædificiis, ornamentis variis, terrisque : quod idem à Leofrico factum Eveshamensi monasterio : cui Egvinus Sanctus principium dederat anno septingentesimo octavo. de quo superiori tomo latius. Restat solùm Leonense monasterium : cujus exordia diu quæsita nescio an invenerim. Scio quidem *suprà mentionem fieri Eadgivæ Leonensis monasterii Abbatissæ; sed priùs fateor, nusquam nominatum reperi. Tandem Camdeno duce, didici inter Silures, & in Herefordensi agro, oppidum Lemster, Leominster etiam dictum esse. Ubi Merewaldus Merciorum Princeps (nam Silures etiam ad Mercios spectabant) Virginibus *olim monasterium posuit. quod nunc opinor, à Leofrico Merciorum Comite restitutum habes. Ita saltem è Camdeno conjicio, sic Lemster describente, & cur nomen à Leone inditum. *Vaga fluminis Lemster adit, quod Leonis monasterium dictum, à Leone, per quietem viso, somniarunt nonnulli. Britanni autem Lhanlieni vocant, quod cùm monialium fanum denotet : & monialibus hic templum Merewaldum posuisse constet ; aliam originem indagare, quid aliud est, quàm ventos venari. nec desunt tamen qui à lino deducunt, quod hic nascitur laudatissimum : sed præcipua hodie gloria est à lano, in circumvicinis agris ; (Lemster ore vocant) cui, exceptâ Appulâ & Tarentinâ, palmam deferunt Europæi omnes.*

*V. an. 1049. 9.

Leonense monasterium, ubi ?

*V. an. 656. 4.

Camden. in Hereford.

VII. Victor Papa, hoc anno moritur : & Fredericus Abbas Cassinensis eo ipso tempore factus Cardinalis, Romanus Pontifex, à Clero, Populoque acclamatur secundo Augusti. Unde Stephani, cujus tunc festum agebatur nomen accepit : dictusq; est Stephanus, eo nomine, decimus. Hic multa solerti, pioque consilio agitarat animo, pro Ecclesiarum pace, & concordia: sed pauca perfecit, sequenti anno, ad immortalem vitam vocatus, ut nunc dicam : prius tamen vacantem in Anglia Episcopi sedem implebo. moritur igitur Australium Saxonum Antistes Heca ; & Agelricus illi substituitur. Ita Wigorniensis & Godwinus.

Victor Papa moritur. Succedit Stephanus X.

ANNUS CHRISTI 1058.

STEPHANI X. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLORUM REGIS 17.

I. Cum Stephanus Papa, septem menses Romanam Ecclesiam gubernasset ; moritur anno Domini millesimo quinquagesimo octavo : sequutumque est schisma, Tusculanorum Comitum, Gerardi Comitis Galeriæ, aliorumque factione, iterum dominante : & mortuo Imperatore Henrico tertio : Urbem à factione soluto defendere. Tunc in Petri Cathedram intrusus est Joannes Velitiensis Episcopus, Benedicti nomine assumpto : Cujus electioni Cardinales omnes, & optimè sentientes clerici, restiterunt. Solus Stigandus noster Cantuariensis Archiepiscopus; qui pallium à Leone, & Victore, impetrare non poterat, eum pro pallio appellavit : primus ex Anglorum Episcopis, Romano schismati favens : De eo hæc habet Baronius, è Malmesburiensi nostro : *Nihil boni à Benedicto factum reperitur : sed malum illud, dignum homine, qui pecunia vi, aperuisset sibi viam, ad sedem capessendam. nempè, ut qui pretio sedem emisset, pretio pariter sedes distraheret : & invasor ipse, faveret sui similibus invasoribus. Accipe de his exemplum ex rebus Anglicanis acceptum, quod Willelmus ita describit ; post obitum Roberti Cantuariensis, qui persecutionem passus, Sedem Apostolicam appellarat, Romamq; profectus erat.*

Moritur Stephanus X. Schisma in Ro. Ecclesia.

Benedictus in Schismate.

Stigandus ei adhæret. *Baron. hic. n. 16.*

II. *Invasit* (inquit) *continuo illo vivente, Stigandus qui erat Episcopus Wintoniensis, Archiepiscopatum Cantuariæ, infamis ambitus Pontifex, & honorum ultra debitum appetitor : qui spe thronι excelsioris, Episcopatum Saxonum Australium deserens, Wintoniam insedit : illam quoque cum Archiepiscopatu tenuit. Quapropter ab Apostolica sede nunquam pallium meruit ; nisi quod Benedictus quidam pervasor Apostolatus misit; pecunia scilicet ad persuadendum corruptus. vel quod mali gratificantur similibus. Sed ille mox à Nicolao, qui ex Episcopo Florentiæ legitimè Papatum susceperat, expulsus zelo Fidelium, indebitum nomen exuit. Stigandus quoque tempore Regis Willelmi Conquestoris, per Cardinales Romanos degradatus, perpetuisq; vinculis innodatus ; inexplebilis aviditatis, nec moriens finem fecit. Hæc Willelmus in commentario, de rebus gestis Anglorum Regum.* Ita Baronius Willelmum vocans, quem ego soleo Malmesburiensem dicere. missum etiam a Benedicto isto, Cantuariensi Archiepiscopo pallium, habet ad hunc annum Wigorniensis, ita scribens : *Stephanus Papa obiit tertio Calendas Aprilis, Benedictus successit ; qui Stigando Dorobernia Episcopo, pallium misit.* Meminit etiam Parkerus, petiti sæpè pallii, à Romana sede, nec impetrati, donec Benedictus illud concessit : & veris falsa immiscens hæc habet. *Stigandus igitur Archiepiscopatu ; sive altu, sive gratuita Regis largitione potitus ; nec summa contentione, oblatisve muneribus, à Sede Romana pallium. Etsi tunc omnia Romæ perinde essent venalia, ac prioribus & vetustioribus temporibus.* (Hoc quàm à vero alienum sit, facilè judicabit, qui Leonis IX. & Victoris II. Præcedentium Pontificum acta relegerit) *Tandem intervenientibus muneribus, à quodam Benedicto, sui simili, & ejusdem criminis reo, impetravit. Qui excommunicatus, & à sacris prohibitus : pari nequitia*

Malm. esb. de Reg. l. 2. fol. 82.

Stigandus arguitur.

Wigorn. hic

Antiquitates Britannicæ fol. 107.

Romanam sedem invasit: qua ille Cantuariensem tenuit.

III. BENEDICTO REPROBATO ELIGITUR NICOLAUS.

ANGLIÆ REGES NUNQUAM SCHISMATI ADHÆSERUNT.

III. Benedicto igitur ubique reprobato, nec in Romanorum Pontificum seriem admisso, sanior clerus Agnetis Imperatricis auxilio (nupserat illa Henrico tertio, post mortem Gunildæ, Canuti Regis, & Emmæ filiæ) Gerardum Florentinum Episcopum, hoc anno elegit; sequenti in Urbem expulso schismatico, induxit. Hunc Edoardus Rex legitimum Pontificem veneratus est: & scriptis ultro citròque literis, ab eo Romanæ sedis Indulgentiam, & privilegia postulavit; ut dicam post annum sequentem, nec unquam legitur quòd aut præcedente, aut sequenti tempore, Reges hujus Insulæ adulterino Pontifici, aut in schismate creato, adhæserint. quod magnum Regiæ Fidei ornamentum est: & unde fluxit; quia petram, unde excisa fuerat, constantissimè tenuit, & integrè amplexa est. Amor etiam & reverentia in Petrum Apostolorum Principem, non sinit Insulam in Petri Cathedram peccare: donec nuper rupto rudente, qui quindecim secula navem nostram Petræ alligaverat, in syrtes & scopulos impegimus, pro undarum impetu fluctuantes, sine pondere, & saburra Fidei.

IV. GLOCESTRIÆ ECCLESIA ERIGITUR S. PETRO SACRA. *Hoved. hic. De Glocestrensi cœnobio Vide plura in Harpesfeldo fol. 204.* *Camdenus in Glocest.*

IV. Constantis amoris reverentiæque in Petrum, Apostolorum Principem, argumentum hic annus suppeditat: quando Aldredus Wigorniensis Episcopus, in urbe Glocestria, Ecclesiam exstruxit; & post Deum, Sancto Petro dedicavit. De qua sic scribit Hovedenus: *Anno millesimo quinquagesimo octavo Aldredus Wigorniensis Episcopus, Ecclesiam; quam in civitate Glavorna, à fundamentis construxerat; in honore Principis Apostolorum Petri honorifice dedicavit: & postea, Regis licentia, Wulstanum Wigorniensem monachum, à se ordinatum Abbatem constituit ibidem.* Unde colligo in Glocestrensi Ecclesia, monachos fuisse, & monasterium quoque ab Aldredo erectum, ut etiam Camdenus observat. & in Magno Sancto Codice Eveshamensi, ubi de fundatione monasteriorum agitur, ita legitur. *Monasterium Sancti Petri Gloucestriæ, ab Aldredo Wigorniensi Episcopo fundatum est anno gratiæ millesimo sexagesimo, ut Refert Radulphus.* Ita Apud Reynerum in appendice, folio 44. Malmesburiensis etiam dicit Aldredum ibi monasterium incepisse, quod postea fuit florentissimum, folio 283. Priùs ibi cœnobium monialibus olim posuerat Osricus quidam, anno septingentesimo, ut habet Spedus & Godwinus in Catalogo: sed illud dudum à Danis destructum: elegantiore opere restituit Aldredus: ubi collectis monachis, Wulstanum præfecit, virum Sanctitate insignem: qui paulò post Aldredo ad Eboracensem Archiepiscopatum assumpto, consecratus est Wigorniensis Episcopus. (Monasterium hoc anno erectum in sedem Episcopalem transiit sub Henrico VIII) & quia Wulstani mentio, hic ejus exordia recensebo, authore Malmesburiensi, qui solito latiùs, in ejus laudem excurrit, tempore eidem proximus

V. *Malmesb. de Pontif. l. 4 fol. 279* **WULSTANI EXORDIA.**

V. *Wulstanus* (inquit) *in sanctitate nostro sæculo, nominatissimus.) de quo si se amplior porrexerit sermo; nullum quæso tædeat. Wulstanus à puero educatus honestè, inter disciplinatos viros, & literarum curam, quanta tunc in Anglia erat, adolevit, Cùm vero in ætate esset, presbyteratum accepit; nec à gradu morum vitiis degeneravit. Non enim, ut tunc, & nunc, quidam Missa mane cantata, tota die post hoc, gulæ, vel quæstibus inhiabat: sed morosiore curâ, debitum consummans officium; orationes quotidianas, & diuturnas adjiciebat, oblationibus fidelium contentus: his vitam tolerabat. Pudoris singularis salvum signaculum, post virginitatis vitam cælo exhibuit. Ita adhuc constitutus in sæculo, major quolibet æstimabatur monacho superfluæ potus expers, esui carnium indulgebat. Quas tamen statim ut potuit, occasionem rapiens, sprevit. Causa fuerat; quia die certa, ad quoddam placitum exire debet; necessitas rei omni excusationi repudium indixerat. Visum est tamen, ut ante Missam cantatam media consuleret: Acceleratur à clientibus, ne impransus abiret Dominus: apponitur anca igni. Assistit Altari presbyter, & devotione, qua solet, agit: tùm inter secreta Missæ; quia erat Ecclesia Domus vicina, nidor adusta carnis nares ejus opplevit: odor mentem avocavit; ut & voluptatis illecebra caperetur, continuo, reducto animo, culpam agnoscens; luctabatur validè, ut cogitationem alias averteret. Sed cum id frustra esset; iratus sibi juramentum ad Sacramenta quæ tangebat, fecit; nullo se ampliùs pacto, id genus cibi comesturum. Cantata ergo Missa, cibo vacuus ad negotium discessit; quod jam tardior hora urgeret, causatus. Occasio illa effecit, ut arduum penitus sequeretur exemplum, omni in perpetuum carne, & etiam unctiori cibo temperaret.*

Ejus TEMPERANTIA.

VI. *Harpesfeldus patrem Vlstanum, matrem, Vigmam vocat. sæc. c. 24.*

VI. Ita Wulstanus vivebat, presbyter adhuc sæcularis; qui in Warwicensi agro natus, patre Eastano, matre Wulgeona, mutuo consensu monasticam postea vitam amplexis: ab eisdem Petroburgensibus monachis erudiendus traditur. Ubi literas cum sanctitate conjungens; cæpit ad perfectæ vitæ fastigium aspirare. *Unde crescente devotione propositi* (inquit Malmesberiensis) *apud Wigorniam monachus factus, per omnia officia, ad prioratum ascendit.* Quænam illa officia fuerint, Godwinus ita explicat. *A Britego* (inquit) *antecessore, in cœnobium Wigorniense admissus; vita innocentia simul & austeritate, adeo inclaruit brevi; ut nihil esset muneris paulò honestioris; quo prima quaque data occasione, ornandum eum commonachi sui non censerent. Primum itaque puerorum eum informatorem constituunt; deinde Ecclesia suæ præcentorem; postea thesaurarium; ac tandem priorem.* Prior itaque sive Abbas, hoc anno, factus; eo munere tam sanctè fungitur, & Dæmonum tentamenta tam doctè declinat; ut magnam sui admirationem apud omnes excitaverit. dignusque habitus sit; qui non monasterii solùm, sed Wigorniensis etiam Ecclesiæ, in Aldredi absentia, procurationem susciperet. Enimvero Aldredus hoc anno peregrè profectus; Jerosolymam, & loca ibi sacra, pietatis causâ, rarò in Episcopis exemplo, adiit. De quo Hovedenus: *Aldredus*, inquit, *dimissâ Wiltoniensi Ecclesiâ, quæ sibi ad regendum commissa fuerat; & Hermanno cujus supra mentionem fecimus, redditâ, mare transiit; & per Hungariam profectus est Jerosolymam: quod nullus Archiepiscopus, vel Episcopus Angliæ, eatenus dignoscitur fecisse.*

Godwinus in Wigor. **A BRITTEGO WIGORNIENSI EPISCOPO HABITUM ACCIPIT WIGORNIENSEM.**

Hoved. hic.

VII. HERMANNUS R BELGIO REDIIT IN ANGLIAM WULTUN. EPISCOP.

VII. Hermannus ergo, qui nuper in Morinis, religiosum secessum quæsiverat; & ad Sancti Bertini monasterium, monasticam vitam jam ferè triennio didicerat; in Angliam rediit; sedemque Wiltoniensem repetiit. Quod eò libentiùs fecisse dicitur, quia nuper Schirburnensis Episcopus obierat; cujus Sedem, suæ unire, atque ita commodiùs sedere, decreverat. Hinc scriptores nostri, recessum

sum ejus ex Anglia; reditumque noo tam religiosæ vitæ studio, quàm humilis Ecclesiæ tædio, & altiùs emergendi cupiditati attribuunt. Unde Harpesfeldus ita de illo censuit. *Hermannus pudori, & indignationi suæ cedens; desertâ Angliâ, in Flandriam divertit: ibiq; se in Divi Bertini monasterio abdidit. Sed quoniam præcipiti potiùs animi æstu abreptus est, quàm ulla decocta, justa, & matura deliberatione, in vita sua genere constituendo usus est: omnis iste calor, & repetita mollioris, rebusq; omnibus prius affluentis vitæ memoria, facilè refriguit. Revolat igitur in Angliã: ubiq; sollicitudi; quòd speraret Schirburnensem quoque Episcopatum (cujus Episcopum Alfwoldum, recens demortuum audierat) sibi etiam accessurum. Nec spei, sive suæ ambitio illum fefellit.* Hæc ille. Hermaonus ergo in Angliam rediens; ooo solùm Wiltoniensem Ecclesiam, quam Aldredo commendaverat, recepit: sed Edoardi Regis operâ vacantem Schirburnensem sedem, ascendit:, illique Wiltoniensem univit, hoc anno millesimo quinquagesimo octavo. Inde mortuo Edoardo, cum Gulielmo regnante, Episcopi in majore hominum luce esse juberentur, Sedem suam Sarisburiam transtulit.

Harpesf. sæc. 11. c. 19.

WILTUNENSIS SEDES SCHIRBURNENSI UNITUR.

VIII. LEWINÆ VIRGINIS RELIQUIÆ EFFERUNTUR. *V. an. 687. n. 21.*

Ad hunc annum refertur, quod de sacris reliquiis Levinnæ Virginis, & Martyris, in Belgium olim delatis, scribunt Belgicarum rerum authores, è Drogone Morinorum Episcopo, viro hujus sæculi. De hac Virgine, in Insula nostra nata, atque denata, plura dixi ad annum sexcentesimum octogesimum septimum. ubi etiam translatas in Flandriam reliquias dixi, cùm Dani Angliam vexarent. Illæ igitur: cùm de more Ecclesiarum, solenni ritu efferuntur, miraculis inclarescere; & pro novo hospitio beneficia rependere, cæperunt. Notarunt hoc Magdeburgici, quamvis miraculis omnibus irascantur; & aiunt. *Cùm Levinna Virginis corpus, anno millesimo quinquagesimo octavo, per vicos & castella Flandriæ maritima circumferretur; paralitici, surdi, claudi, & aliis morbis detenti, subitò sanati sunt. Duo itidem cerei vento extincti; ubi ad ossa perferrentur, ipsorum vi accensi sunt. Iacobus Meier, ex scriptis Drogonis, tunc temporis Morinorum Episcopi.* Cui sine dubio oculato testi credendum. Gratam hujus rei memoriam Belgæ servaverunt. Unde in Gallicano Martyrologio, ad quintam Augusti hæc leguntur. *Bergis in Morinis, adventus & susceptio Sanctæ Levvinæ Virginis & Martyris: cujus corpus sanctissimum, ex Sancti Andreæ monasterio Zevordiensis portus in Anglia, per Balgerum, monachum Bergensem, atque per vicos, & castella Flandriæ, ante repositionem circumvectum, fulgens miraculis, afflictis quibusque opem Beata Christi Athleta devotè implorantibus, medelam impendit exoptatam. sicut Drogo Morinensis Episcopus delucidè narrat in eo quem de ipsius Beatissimæ Virginis miraculis conscripsit libello.* De Liwina Virgine, & unde sic dicta: ut etiam de Zevordiensi portu, dictum est anno 687. n. 21.

Cent. 11. fol. 674.

Mart. Gal. 5. Augusti.

ANNUS CHRISTI 1059.

NICOLAI II. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLORUM REG. 18.

ANNUS sequitur Christi Redemptoris millesimus quinquagesimus nonus, Indictione duodecima feliciter inchoatus (sunt verba Baronii) *cùm ejus exordio legitimus electus Pontifex introducitur Romam: schismaticoq; depulso, in Petri cathedra collocatur.* Pergit author, è Leone Ostiensi plura referre, quæ ingressum præcesserunt: inde ex eodem hæc subjicit: *Præfatus electus, à Romano Clero, & Populo, in sede Apostolica locatus, Nicolai sortitus est nomen. Qui prædictum Romanæ Sedis invasorem* (Benedictum intelligit) *cum suis fautoribus omnibus excommunicans; tandem interventu quorundam admissum ad communionem; apud Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ Major à Romanis dicitur, Sacerdotali officio privatum, manere constituit.* Ita Ostiensis Leo. Nicolaus, ubi primùm reddita Ecclesiæ pace, In Petri sede collocatus est Romæ, in Laterano, Episcoporum conventum habuit, ad quem reus dicturus causam Berengarius vocatur, sæpiùs antea damnatus. Ibi de errore convictus, hæresim ejurat, Fidemque Orthodoxam professus, eandem conceptis verbis, addito jurejurando, & suæ manus subscriptione, confirmat in hæc verba, quæ lubens adjiciam, ut desinant Calvinistæ idolum istud venerari.

I. NICOLAUS ROMÆ SEDET. *Baron. hic. n. 1.*

BENEDICTUM EXCOMMUNICAT.

BERENGARIUS HÆRESIM EIURAT. II.

*Ego Berengarius, indignus Diaconus Ecclesiæ Sancti Mauritii Andegavensis, cognoscens veram & Apostolicam fidem; anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus sum: quæ astruere conatur. panem & vinum, quæ in altari ponuntur; post consecrationem solummodò sacramentum, & non verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse: nec posse sensualiter nisi in solo Sacramento, manibus sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedi: & ore, & corde profiteor, de Sacramento Dominicæ mensæ, eam Fidem me tenere, quam Dominus & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc Sancta Synodus, authoritate Evangelicâ, & Apostolicâ, tenendam tradidit, mihiq; *firmavit: scilicet panem & vinum, quæ in Altari ponuntur; post consecrationem, non solùm Sacramentum, sed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse: & sensualiter non solùm Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: jurans per sanctam, & homousion Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Evangelia. Eos verò qui contra hanc Fidem venerint, cum dogmatibus, & sectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse, pronuntio. Quod si ego ipse aliquando, aliquid contra hæc sensire, ac prædicare præsumpsero; subjaceam Canonum severitati. Lecto & perlecto, sponte subscripsi.*

*Formavit

Qui erranicem Berengarium, & ab Apostolica Fide Apostatam, sequuti sunt, cur non sequuntur pœnitentem. Sed ille fortè mentem mutavit, & aliter postea sensit. Ita est: non semel ille hoc modo mentitus est. Sed cur vos relictâ Petrâ, supra quam Christus ædificavit Ecclesiam; existis in desertum videre, amplecti, colere arundinem vento agitatam: & ibi anchoram figitis?

Ad hunc anoum refert Florilegus, Haroldi Co- III.

Haroldus Comes in Normanniam ivit, et quomodo? — Malmesb. de Reg. l. 2. c. 13. fol. 93.

mitis discessum, in Normanniam, ejus ibi vincula, & promissum jurejurando. Guilielmo Normannorum Duci, imperium Angliæ. An suo solùm id nomine fecerit; aut in eo Edoardi mentis interpretem egerit, antiquiores dubitarunt. Guilielmum tamen aliquando, ab Edoardo, dictum hæredem, ferè omnes consentiunt. Quicquid sit, rem integrè ita Malmesburiensis aperit. *Rex ita, defuncto cognato; quia spes prioris erat soluta suffragii; Guilielmo Comiti Normanniæ successionem Angliæ dedit. Erat ille hoc munere dignus, præstans animi juvenis; & qui in supremum fastigium, alacri labore excreverat: præterea proximè consanguineus. filius Roberti, filii Richardi secundi, quem fratrem fuisse Emmæ, Matris Edvvardi, non semel est, quod diximus. Ferunt quidam ipsum Haroldum, à Rege, in hoc Normanniam missum. Alii secretioris consilii conscii, invitum venti violentia illuc actum; quo se tueretur, invenisse commentum: quod quia propius verò videtur, exponam.*

IV. Haroldus a Gallis capitur.

*Haroldus in prædium juris sui, Boseam venerat. Ibi ut animum oblectaret suum, piscatorium conscendit navigium: & interim quidem longinsculo ludo in altum proceditur. Sed subitò, adversâ tempestate cooriâ: ipse cum sodalibus, in Pontivum pagum compellitur. Homines regionis illius, pro more gentis insito, repentè ex omni parte convolavere: inermes ab armatis, pauci à pluribus (quod facile fuit) oppressi: manus manicis, pedes compedibus præbuere. Haroldus astuto pectore volvens casus remedium, hominem promissis ingentibus solicitatum, ad Willelmum misit: missum se à Rege, Normanniam; ut quod minores nuntii balbutierant; ipse potissimùm sua confirmaret præsentia: in vinculis, à *Govvine, Pontivi Comite, detineri; quò minus mandata exequatur.*

**Guidone.*

Barbarum, & effrænatum morem regionis esse; ut qui evaserant in mari naufragium, in terra invenirent periculum. Convenire tanti nominis viro, ne impunitum dimittat: quod Fidem ejus appellantibus, vincula injecta nonnihil de maiestate ipsius diminuerint. Si pecuniis exuenda captivitas esset; libens daret Willelmo Comiti, non semiviro Guidoni. Ita Haroldus, Willelmo mandante liberatus: & ab ipso Guidone, Normanniam ductus est. Comes eum magnâ dignatione, gentilitio ornatu, in cibis & vestibus, coluit: & ut notiorem faceret; simul & virtutem experiretur, Britannicâ expeditione, quam tunc fortè susceperat, secum habuit. Ibi Haroldus, & ingenio, & manu probatus, Normannum in sui amorem convertit. Atque ut se magis commendaret; ultrò illi tunc quidem castellum Doroberniæ, quod ad jus suum pertineret; & post mortem Edvvardi, regnum Angliæ cum, sacramento firmavit. Quare & filia adhuc impubis desponsione; & totius patrimonii amplitudine donatus, familiarium partium habebatur.

Huntind. fol. 366. fi.

Addit Huntindonius: *Haraldus juravit Willelmo, super reliquias Sanctorum multas, & electissimas: se filiam ejus ducturum; & Angliam post mortem Edvvardi Regis, ad opus ejus servaturum.* His non absimilia habet Edmerus, aliis omnibus antiquior. In eo solùm differt: quod scribat Haraldum permissu Edoardi Regis in Normanniam trajecisse; ut Wulnothum fratrem, & Hacun nepotem (de quibus suprà anno 1052.) obsides reduceret. Quos Guilielmus non priùs remisit, quàm Haraldus, prolatis Sanctorum reliquiis juraret, se Angliæ regnum Guilielmo servaturum. Ita ille, libro 1. novorum.

V.

Hic est Haraldus ille, Godwini Comitis filius, qui post aonos sex, Edoardo mortuo, Angliæ regnum, contra datæ fidei sacramentum, invadet: sed eodem anno perjurii pœnas dabit; & invitus Guilielmo Normanno Angliæ coronam, quam ille Edoardi donatione, Haroldi promissione, sanguinis cognatione, sed multò fortiùs, jure belli, vendicabit. Quod aliis narrandum relinquo. nam Edoardi vitam sanctissimè actam, & feliciter absolutam, metam statui huic operi: contentus Britannorum, Saxonum, Anglorum: hoc est, mille annorum Fide Regiâ. Cæterùm, quod dixit suprà Haroldus, minores priùs nuntios, Edoardi Regis mentem Normanno Comiti balbutiisse: nescio quos intelligas. nam res hujuscemodi, per viros illustriores enuntiari solet. & verosimile est, à morte Edoardi Exlegis, Edoardum Regem, imperium Guilielmo cognato designasse. Unde Ingulphus affirmat, Robertum Archiepiscopum, Regi consilii mentisque interpretem fuisse. quod quia refert ad annum Christi millesimum sexagesimum quintum; non solùm parachronismus est, cùm diu antea Robertus decesserit: sed quia ille Insula, Sede, & vita pulsus est, antequam Edoardus Exlex, quem Angliæ regnum manebat, moreretur. Debet ergo Ingulphus, ad anteriora referri, & Stigandus pro Roberto substitui; cùm dicit: *Anno eodem (1065.) Rex Edvvardus senio jam gravatus, cernens Clitonis Edvvardi nuper defuncti filium, Edgarum, Regio solio minùs idoneum, tam corde, quam corpore: Godvvinique Comitis, multam malamque sobolem, quotidie super terram crescere, ad cognatum suum Willelmum, Comitem Normanniæ, animum apposuit: & eum sibi succedere in regnum Angliæ, voto stabili sancivit. Willelmus enim Comes tunc in omni prælio superior, triumphator contra regem Franciæ, ac omnes Comites Normanniæ contiguos, publicè personabat, invictus in armorum exercitio, judex justissimus in causarum judicio, religiosissimusque, ac devotissimus, in divino servitio. Hinc Rex Edvvardus, Robertum* (lego Stigandum) *Archiepiscopum Cantuariæ legatum ad eum à latere suo direxit: illumque, designatum sui regni successorem, tam debitu cognationis, quàm merito virtutis sui, Archipræsulis relatu insinuavit.*

Edoardus Guilielmum hæredem designat. — Ingulphus fol. 900. — Guilielmi laus.

ANNUS CHRISTI 1060.

NICOLAI II. PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLORUM REG. 19.

I. Edoardus Nicolaum veneratur. — Apud Baron. loc. n. 9.

SEQUITUR Christi annus millesimus sexagesimus, quo Edoardus Rex io voti solutione strenuus, & Westmooasteriensis Ecclesiæ ædificio totus intentus, iterum Apostolicam sedem appellavit: & qui nuper Leonem ibi sedentem piè veneratus est; missa legatione, & libello supplici. Idem, hoc anno, Sedenti in ea Sede Nicolao præstat pietatis obsequium. nam Aldredo teste: nuntios Romam transmisit, talem Epistolam Papæ defereotes.

Summo Universalis Ecclesiæ Patri, Nicolao, Edoardus, Dei gratiâ Anglorum Rex, debitam & subjectionem, & obedientiam.

II. Eius ad Nicolaum literæ.

Glorificamus Deum, qui curam habet suæ electæ Ecclesiæ: quoniam in loco boni prædecessoris, vos optimum successorem constituit. Quapropter justum judicamus, apud vos velut ad solidam Petram accurrere; ut probare omnes bonas actiones nostras, & vestram notitiam, atque societatem in bono habere, quatenus eas donationes & privilegia, quæ obtinuimus apud prædecessorem vestrum; renovetis atque augeatis nobis: videlicet, ut quod ille injunxerat nobis, sub nomine obedientiæ, & pœnitentiæ; propter votum, quod voveram ire Romam; & in remissionem omnium peccatorum meorum construere cœnobium monachorum, in honorem Apostoli Petri; ratum faciatis: & privilegia possessionum, & dignitatum ejusdem loci, confirmetis, renovetis, & decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo, & confirmo donationes, & consuetudines pecuniarum; quas habet Sanctus Petrus, in Anglia, & ipsas pecunias collectas, cum Regalibus donis mitto vobis; ut oretis pro me, & pro pace regni mei: & continuam, ac solennem memoriam instituatis totius gentis Angliæ, coram corporibus Sanctorum Apostolorum. Ita scripsit ad Nicolaum Edoardus Rex, hoc anno millesimo sexagesimo; cùm plures in Anglia Episcoporum Sedes pastore viduarentur.

III. Dudocus Wellensis Episcopus moritur. Succedit Gisa. Kinsios Eboracensis moritur. Aldredus fit Eboracensis, Walterus Herefordensis.

Vacantes sedes ita recenset Wigorniensis. *Wellensis Episcopus Dudoca obiit: cui successit Gisa, Regis Capellanus: ambo de Lotharingia oriundi. Eboracensium Archiepiscopus Kinsius, undecimo Calendas Januarii obiit. cujus corpus ad monasterium, quod Burh dicitur, delatum, honorificè tumulatum est. Pro qua Wigorniensis Episcopus, Aldredus; ad Archiepiscopatum, in Nativitate Domini eligitur: & Herefordensis Præsulatus, qui ei propter suam industriam fuerat commissus, Capellano Eadgithæ Reginæ Waltero Lotharingo, est datus.* Quod ad mortem attinet horum Antistitum; puto sub finem superioris anni, illam contigisse. Nam à Nativitate Domini solent annales nostri annum auspicari, ut statim clarè patebit in Westmonasteriensis Ecclesiæ inauguratione, quæ in Festum Sanctorum Innocentium incidit, (anno ut nos supputamus) millesimo sexagesimo sexto: & eodem anno ad Vigiliam Epiphaniæ, Regis Edoardi mortem consignamus. Hoc ideo notandum est, in novorũ Episcoporum electione; quia tres illi, Aldredus electus Eboracensis, Giso Wellensis, Walterus Herefordensis, Romam ire debent, Edoardi literas ad Nicolaum deferre, & Synodo adesse; quam Nicolaus dicitur Romæ habuisse: quæ difficulter admodum coalescere possunt, & constare iis, quæ nostri authores, & externi de annorum computo referunt.

Novi Præsules Romam vadunt et quomodo?

Nostrorum quidem aliqui scribunt, Aldredum & socios Romam ivisse anno millesimo sexagesimo primo. Baronius autem recitat Edoardi Regis literas, & rescriptum Nicolai, ad hunc annum millesimum sexagesimum. Synodum verò contra Simoniacos, cui Aldredum & socios adfuisse, tam nostri, quàm Baronius consentiunt; anno millesimo quinquagesimo nono. Hæc trium annorum differentia, nodus est, non admodum solubilis.

IV. Giso Wellen. et Walterus Herefordensis Romæ consecrantur. Godwin in Wellen.

Dico igitur, salvo semper meliori judicio, Synodum Romæ superiori anno inchoatum, ad hujus anni principium prorogari potuisse: quando vacantibus in Anglis Episcoporum Sedibus, novi Præsules electi, & Aldredus pro Pallio Romam venire, ibique consecrari potuerunt. Nam Gisonem Wellensem, & Walterum Herefordensem, à Nicolao ad majus sacerdotium promotos, Godwinus & alii constanter affirmant: De Gisone sic loquitur: *Gisa patria Lotharingus, natus perhibetur in villa quadam rusticana Sancti Trudonis dicta, in territorio Hasbaniensi, Romam missus Legatus ad Pontificem; per Edvvardum Confessorem, ut ipsum de rebus nonnullis ad religionis cultum spectantibus consuleret; in Wellensem Episcopum absens eligitur, & Romæ consecratus est, Aprilis quarto, in ipsa Paschatis festa die, unà cum Aldredo Eboracensi, & Waltero Herefordensi, Præsulibus.* Annum non expressit, expressit tamen, cùm Walteri inaugurationem refert: *Walterus*, inquit, *patria Lotharingus, Edithæ Reginæ Capellanus, Romæ consecratus est, per Pontificem, anno millesimo sexagesimo.*

Idem in Hereford.

Dato itaque, horum Episcoporum consecrationem, ad hunc annum referendam esse; Wigorniensis & Florilegus, qui in sequentem rejiciunt, corrigendi sunt. & tunc Edoardi legatio, scriptæque ejus ad Nicolaum literæ, benè hoc loco recitantur: & confirmantur omnia quæ idem Rex in Diplomate scripsit sub finem vitæ, in quo legationis ad Nicolaum mentio est, in hunc modum.

V. Diploma Edwardi Regis pro Westmonasterio.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Propter eos qui justitiam Dei contemnunt, & suam volunt constituere: quantum justitiæ Dei non sunt subjecti: procurandum est his, qui Ecclesiarum Dei privilegia constituunt; ut multiplices chartas, & multitudinem testium, atque maledictionum congerant. Quibus etsi non semper; tamen aliquoties pessimorum hominum impia protervia, & perniciosa præsumptio propellatur, retundatur, ac reverberetur. necnon fortissimo defensionis robore, funditus eradicetur. Quapropter ego Edvvardus, Dei gratiâ Anglorum Rex. notum facio omnibus futuris post me sæculi generationibus: quoniam præcepto Leonis Papæ, pro pœnitentia, & remissione peccatorum meorum, renovavi, & melioravi Basilicam Sancti Petri, quæ sita est propè mœnia principalis Anglorum urbis Londiniarum, & ab Occidentali ora ejusdem Urbis, dicitur Westmonasterium. Quæ ædificata quidem fuerat, sub Mellito, Londoniarum Episcopo, socio & contemporaneo primi Cantuariæ Archiepiscopi: & per ipsum Beatum Petrum, Angelico famulante servitio, Sanctæ Crucis impressione, & sacri Chrismatis perunctione dedicata: sed per frequentes incursiones barbarorum, & maximè Danorum (qui patre meo Ethelredo vivente, irruptionem in Angliam fecerant: & eo mortuo. cum fratre meo Edmundo, dimidium regni, sub amicitiarum pactione tenuerunt: fratremq; alium Alfredum miserabiliter interemptum enecaverunt) neglecta penitus, & destructa videbatur.

VI. Regum Anglorum devotio in Sedem Petri.

Cùm ergo renovassem eam, & multa privilegia Regiæ potestatis per Beatum Leonem Papam, in ea constituissem: defuncto ipso Leone, & confirmato in ejus loco Nicolao; placuit mihi renovare, meliorare, confirmare consuetudines & donationes pecuniarum, quas antecessores mei Reges, Sancto Petro instituerunt; propter devotionem summam, quam habuit semper Anglorum gens erga eum, & ejus Vicarios. Itaque propter hoc

negotium, & alia quàm plura ; Legatos misi Romam, Episcopum unum Aldredum, & duos electos, ad ordinandum Episcopos, Gisonem, scilicet & Walterum; ut à Domino Papa sacrarentur. Venientes autem Romam, ab Apostolico Nicolao, honore quo decebat suscepti, invenerunt ibi ad Synodum congregatam multitudinem magnam Episcoporum, Abbatum, Monachorum, & Clericorum, cæterorumq; Fidelium. Cùmq; audiente Synodo, suæ legationis causam perorarent : hujuscemodi Epistolam Domino Papæ obtulerunt. Hæc Edoardus, literas subjiciens, quas *suprà retuli. sed priusquam pergo in eorum narratione, adverti cupio *devotionem summam, quam habuit Anglorum gens erga Petrum, Petriq; successores.* Qua durante, & Regum potestas integra mansit ; & fides semper eadem; quia dextra manus & sinistra, ad totius corporis œconomiam, regimenque pulcherrimè convenerunt. Deficiente hac *summá devotione*, & in summum odium versa ; quæ Anglicanæ Ecclesiæ coronæque facies sit, & quomodo regiminis ac monarchiæ soluta compago sit ; multo dolentiùs oculis conspicimus, quàm calamo possit exprimi. Redeo ergo ad Regios Oratores, quos Romæ reliqui. Dicam ut ibi excepti sunt, ut primùm pro merito habiti, ut domum redeuntes, in itinere malè excepti : ut inde in Urbem reversi, Nicolai Papæ pietatem senserint : denique ut ejus rescriptum ad Edoardum Regem, in Angliam retulerint.

*sup. n. 1.

VII. ALDREDUS UT ROMÆ EXCEPT⁹

Aldredus legatorum Princeps, qui Ecclesiasticis beneficiis, & Episcopatibus auctus, in Eboracensem sedem, avidiùs quàm religiosiùs involaverat; à Nicolao Papa difficulter pallium impetravit. nec mirum. Qui enim prædecessorum Pontificum exemplo Simoniacos punivit : notatum eo crimine Aldredum, quomodo ferret ? De eo ad Eboracensem sedem promoto ita Malmesburiensis : *Aldredus simplicitati Edvvardi illudens ; moremq; antecessorum magis pecunia, quàm ratione allegans, Archiepiscopatum Eboracensem, non intermissa priore sede, suscepit.* Edoardo Regi illudere potuit, non potuit Romano Pontifici imponere. Aldredum ergo Romam venientem, non eo, quo cæteris, honore Nicolaus Pontifex excepit. nam ita totam hanc expeditionem explicat Malmesburiensis. *Disposito apud Regem (Edvvardum) consilio Aldredus Romam pertendit ; comitatus duobus electis Episcopis, Gisone Wellensi, & Waltero Herefordensi ; necnon & Tostino Comite Northumbrorum. Comitem Nicolaus Papa gratiosè suscepit : & eum in Synodo, quam contra Simoniacos collegerat ; sibi à latere assidere fecit. Gisonem & Walterum, voti compotem reddidit : quis essent non usquequaque contemnendæ scientiæ, & nullius notati ignominia Simoniá. Aldredum suapte responsione culpabilem, utrobique repertum, omni honore severus expoliavit.* Recitat hæc etiam Baronius, anno millesimo quinquagesimo nono: legationem tamen Edoardi Regis, in alterum, hoc est præsentem annũ, scriptasque utrimque literas, refert. Verùm ex Edoardi Diplomate, & Synodi mentione, constat conjungenda esse. Pergo igitur tristem ex Urbe Aldredi recessum; additaque statim pericula, narrare ; quæ socius reditum in Urbem, Palliique honorem ei præbuerunt.

Malmesb. de Pontif. l. 3. in Aldredo.

Idem suprà. fol. 27c.

GISO, WALTERUS, ET COMES CUM HONORE. ALDREDUS NON ITA EXCEPTI. Baron. an. 1059. 35.

VIII. Malmesb. supra.

Ita differenti effectu (inquit Malmesburiensis) *cùm regrederentur, unapariter ærumna omnes involvit. nam prædonibus irruentibus, præter simplices vestes expoliatis omnibus, ad *nummum valens, corporibus tamen illæsis, Romam refugere. Hæc calamitas peperit Aldredo recuperandorum occasionem honorum. Tostinum quoque, gravibus verborum contumeliis, Apostolicum aggressus, in sententiam sibi placitam reduxit : parum metuendam à longinquis gentibus ejus excommunicationem; quam propinqui latrunculi deriderent. In supplicitrium furere ; in rebelles parum valere : aut sua sibi, per ejus authoritatem reddenda ; quæ per ejus fraudulentiam constaret amissa : aut futurum, ut hæc Rex Anglorum audiens, tributum Sancti Petri meritò, Nicolao subtraheret : se non defuturum rerum veritati exaggerandæ. Hoc minarum fulmine, Romani territi, Papam flexerunt; ut Aldredo, Archiepiscopatum redderet, & pallium : esse impium ; si & inglorius, & vastatus repatriaret. fecit ille, quod monebat ratio : hac moderationis libra adjecta ; ut Wigorniensi sedi proprius Antistes accederet. Abierunt ergo domum incolumes, magna & diffusa omnes Apostolici liberalitate ; de damno prioris consolati. Consecuti sunt abeuntes Romanorum legati ; qui Sanctissimum Wulstanum, per consensum Aldredi, Wigorniæ ordinarunt Episcopum. Nec enim à Stigando tunc Cantuariensi, nomine tenus Archiepiscopo, quisquam bonus Pontificale munus susciperet; qui non per ostium in ovile ovium intrasset. Qui quamvis sæpè à Sede vocaretur Apostolica : tamen nunc dilationibus, nunc muneribus, eludebat omnia.* Hæc ille, de Aldredi reditu, & sociorum; qui Nicolai etiam literas ad Edoardum scriptas retulerunt, de quibus. statim nunc enim de grassatoribus inquirendum est, quinam illi & cujus generis : nam ignobiles, aut viliores aliqui non fuerunt.

REDEUNTES SPOLIANTUR. *Minimũ.

ALDREDO PALLIUM CONCEDITUR.

IX. Baron. an. 1059. 37. GERARDUS COMES GRASSATORUM PRINCEPS.

Baronius illos invenit, è Petri Damiani scriptis, qui hoc tempore, sanctitate magis, an doctrinâ floruerit; incertum est : & ita loquitur. *Porrò grassatorum præcipuum, qui Anglos istos deprædati sunt, fuisse Gerardum, Comitem Galeriæ, Petrus Damiani testatur, in defensione Romanæ Ecclesiæ, adversus Regum advocatum, eumq; in hac eadem Synodo excommunicatum affirmat his verbis : De Gerardo liceat tantummodo dicere; Ecclesiæ hominem non fuisse ; & Christi nequaquam pertinuisse fidelibus. Illud enim unum caput, anathematis, maledictionisq; subjacuit omnium ferè Pontificum ; quicumque Romanæ Ecclesiæ suis temporibus præfuerunt. Deinde paulò antequam moreretur ; propter Ducem Anglorum, & Archiepiscopum, quos à Beati Petri liminibus redeuntes invasit, spoliavit ; & usque ad mille Papiensis monetæ libras appendentia, rapuit. Propter hoc itaque in plenaria Synodo, Papa Nicolao præsidente, excommunicatus est, & extinctis luminibus, perpetuo anathemate condemnatus. Hæc Petrus Damiani in Controversia Synodali Regis advocati, cum Ecclesiæ defensore. Porrò meminisse debet Lector, hunc illum esse Gerardum Comitem Galeriæ ; quem *diximus favisse Benedicto pseudo-Pontifici, ejus factione ad culmen Pontificatus evecto.* Ita Baronius. Nunc tempus Edoardum Regem revisendi ; qui Nicolai Pontificis rescriptum, & legatos, quos eò miserat, religiosè præstolatur.

*V. an. 1058. n. 1.

Narrat ipse in supradicto Diplomate, Oratorum suorum reditum, & redditas ipsi à Nicolao literas, in hunc modum : *His igitur literis a Summo Pontifice susceptis, cùm feliciter ad votum suum omnibus peractis, à Roma rediret; consulente Sancta Synodo, transmissam à Domino Papa, mihi detulerunt Epistolam.*

Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei Gloriosissimo, ac pussimo, omniq; honore dignissimo, spirituali quoque filio nostro, Edoardo Anglorum Regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, & benedictionem Apostolicam.

XI. Nicolai literæ ad Edoardum Regem.

Omnipotenti Deo referimus gratias, qui vestram prudentissimam Excellentiam, in omnibus ornavit, & decoravit,, erga Beatum Petrum, Apostolorum Principem; & nobiscum habere dilectionem, & in omnibus, Apostolicis consentire censuris. Literas igitur vestræ nobilitati transmittimus: & per eas societatem Sanctorum Apostolorum, & nostram vobis damus; orantes misericordiam illius; qui est Dominus omnium, & Rex super omnia solus; ut ipse vos participem faciat ex omnibus, si qua sunt coram Deo, bonis operibus nostris: & fratres nos, ac socios, in sua dilectione constituat, in omni tempore: amplius, ac non minorem partem nostri obsequii vobis reconsignet in suo regno, quam nobismetipsis prevenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis, sine dubio, orantes assiduè: ut ipse Deus vobis subjiciat hostes, & inimicos; qui contra vos voluerint insurgere: & confirmet vos, in paterno solio, & propria hæreditate. Ac Beatus Petrus sit vobis custos, & adjutor semper in omni tribulatione. Claros enim, Anglorum Reges, pro reverentia, & devotione, quam exhibuerunt Beato Petro, gloriâ & honore floruisse: ac ipsius patrocinio famosos triumphos obtinuisse. Cujus Beati Apostoli meritis, vestro desiderio, & voluntati omnipotens Deus præstet effectum; & confirmet vobis paterni regni imperium, & tribuat pacis incrementum: & post præsentis vitæ decursum, perducat ad æternum permanentis gloriæ imperium.

Anglorum Regum gloria, & devotione erga S. Petrum.

XII.

Renovamus igitur & confirmamus, & augemus vobis privilegia vestra: scilicet, ut absoluti sitis, ab illo voto, quod tenebatis, & ab omnibus aliis peccatis, & iniquitatibus vestris; authoritate illius, qui me licet indignum, suæ S. præesse voluit Ecclesiæ. Præterea illi loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ, constituendum & meliorandum suscepistis: quoniam, ut fertur, primò antiquitus consecrationem à Beato Petro accepit; cujus licet indigni vicarii sumus. Et quia Regia antiquitus sedes est· ex authoritate Dei, & Sanctorum Apostolorum, atque hujus Romanæ sedis, & nostra concedimus, permittimus, & solidissimè confirmamus, ut amplius in perpetuum Regiæ constitutionis, & consecrationis locus sit, atque repositorium regalium insignium, & habitatio perpetua monachorum: qui nulli omnino personæ, nisi Regi subdantur: habeantq; potestatem, secundùm regulam Sancti Benedicti; per successiones eligere ex se idoneos abbates: neque introducatur per violentiam extranea persona; nisi quam concors Côngregatio esse prælegerit. Absolvimus etiam eum locum ab omni servitio, & dominatione Episcopali: ut nullus Episcopus illuc introeat ordinaturus, aut præcepturum aliquid; nisi ex petitione, & consensu Abbatis, & monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum; id est, ambitum, & cœmeterium mortuorum circa se, absque Episcopali, vel cujuslibet respectu; vel exactione. & omnia quæ ad libertatem, atque exaltationem illius loci, ad honorem Dei pertinentia, per nostram authoritatem accedere possunt; hilari atque promptissima voluntate concedimus.

Hic nulla spiritualis jurisdictio Regi datur. quantumvis id Spelmannus putet. l. de deci. fol. 179.

XIII.

Possessiones autem quas antiqui Reges, seu quicumque alii homines; vos quoque & vestri Barones, ad eundem locum contulistis; & chartas, quæ ex eis factæ sunt, dignas, & nostra authoritate, roboramus: & ratas ac stabiles esse decernimus: & infractores earum, vel invasores, vel diminutores, aut dispersores, venditores etiam, æterna maledictione, cum Juda proditore damnamus; ut in beata, partem non habeant resurrectione: sed à Beato Petro Apostolo, se judicandos sciant; quando sedebit cum suis Coapostolis, judicans duodecim tribus Israël. Vobis verò, & posteris vestris Regibus, committimus advocationem, & tuitionem ejusdem loci, & omnium totius Angliæ Ecclesiarum: & vice nostra, cum consilio Episcoporum, & Abbatum constituatis ubique, quæ justa sunt: scientes pro hoc vos recepturos mercedem, ab eo, cujus regnum, & imperium non definet, nec minuetur in sæculum. Valete. Cùm Edoardus Nicolai literas in hunc modum recitasset; subjungit mox hæc, quæ sequuntur. *Hanc igitur Epistolā Apostolici privilegii placuit inserere huic nostræ confirmationi, in secundùm quod Sancto Leoni priùs placuerat, mihiq; præceperat, concordante ad hoc successore ejus Nicolao, & eadem, aut majora mihi præcipiente: sciant omnes futuræ generationes; me pro voti prædicti absolutione, peccatorumq; meorum omnium remissione, & æternæ vitæ remuneratione: & pro animabus Regum, tam successorum, quàm prædecessorum meorum, & omnium parentum meorum: & pro pace & stabilitate regni mei, & prosperitate totius Anglorum populi. loco illi omnimodam libertatem, quantum ad potestatem terrenam, constituisse: & quod illi de Ecclesiastica; hoc ego, Regia libertate statuo.* Reliqua Diplomatis, quæ sequuntur, *inferiùs dabo, cùm illud Edoardus scripsit: interim pergo ad ad annum sequentem.

Advocatio omnium Ecclesiarum Regibus datur.

*V. an. 1066. 3.

ANNUS CHRISTI. 1061.

ALEXANDRI II. PAPÆ 1.

EDOARDI ANGLORUM REG. 20.

I. Anno Christi millesimo sexagesimoprimo, moritur Nicolaus Papa, cùm duos annos, menses sex universam Ecclesiam piè gubernasset. In ejus locum legitimo Cardinalium suffragio, sufficitur Alexander, eo nomine secundus, Anselmus olim dictus, Lucensis Episcopus: quem Orthodoxi omnes, Petri verum successorem agnoverunt; rejecto idolo illo, quod factiosi erexerant, Cadalao quodam Parmensi Episcopo: quem Tusculani, & Galeriani Comites; qui impiè superiori anno grassati sunt; facinorum suorum defensorem elegerant. Sed vicit veritas: & factionis unius statim evanuit. Alexandrum certè Anglia coluit: & cum pro Ecclesiarum, & privilegiorum suorum confirmatione pulsavit: ut nuper pro Westmonasterio supplicaverat Edoardus Rex. Quo Principe pientissimo, cùm indicolæ eræ ædes incrementum & splendorem caperent; necessum fuit summæ authoritatis apicem, pro earum incolumitate consulere. Ita surrexerat, hoc tempore Edmundi-burgum, in eum splendorem, quem diu post retinuit: monachi plures accesserant, & prædia, terræque Dei cultum auxerant, ut inter prima Angliæ cœnobia haberi cœptum sit.

Moritur Nicolaus Papa. Succedit Alexander II.

Edmundi Burgense monasterium

Leofstanus

*V. an. 1050 n. 6

Leofstanus Abbas ab Edmundo Sancto mulctatus, ut *suprà; locum dederat Balduino: & ille Alexandrum Papam rogavit; impetravitque monachis libertatem illam, ut ab Abbatis arbitrio integrè penderent. Intellexit hoc Malmesburiensis, cùm ait; *Sub Balduino, & per eum, libertas monasterii* (de Edmundi-Burgo est sermo) *ab Alexandro Papa data, ut nulli Episcopo, locus ille subdatur in aliquo; Archiepiscopi tantummodò nutum in legitimis spectaturus. Omnia intùs, & extra, innovata. Ædificiorum decus, oblationum pondus, quale, & quantum in Anglia nusquam.* Integrum Alexandri diploma, suo loco ponetur: nimirum quo datum est anno millesimo septuagesimo primo. Vide ibi n. 17.

Malmesb. de Pontif. l. 2. fol. 240.

AB ALEXANDRO CONFIRMATUR.

II. WULKETULUS CROYLANDENSIS ABBAS

Ingulphus fol. 898.

Eodem ferè modo, & sub idem tempus, Croylandensis Ecclesia splendorem novum accepit, Wulketulo Abbate. Successerat ille Wulgato mortuo, ad annum millesimum quingentesimum secundum: *Ex Regis Edwardi collatione,* (loquitur Ingulphus) *factus Abbas Croylandiæ, ex monacho & sacrista Burgi.* Hic Ecclesiam vetustate fatiscentem, restituere, & collectis undique eleëmosynis, ornatiorem reddere, magnâ usus industria, conatus est. de quo idem Author Ingulphus. *Anno* (inquit) *millesimo sexagesimo primo, Dominus Abbas Croylandiæ Wulketulus, constituere cœpit, succedentibus annis prosperis, novam Ecclesiam: quia vetusta, quam quondam venerabilis Dominus Turketulus fundaverat; minabatur in proximo ruinam. Adjuvit eum ardentissima devotione, inclytus Comes Waldenus, qui tum monasterio nostro Croylandiæ villã suam de Bernak dedit, eamq; operi Ecclesiæ assignavit; passus remorsum, in conscientia sancta, quod possessio erat aliquando Ecclesiastica: & quia illic erat insignis lapidicina: & ideo monasterio magis idonea, & necessaria.*

Idem suprà.

III. ALBANENSI MONASTERIO PRÆDIA DANTUR.

Paris in Leofstano.

LEOFSTANO ABBATE.

Albanense quoque monasterium possessionibus augetur, ope auxilioque Edoardi Regis; qui Deum ubique in Sanctis suis coli opere, exemploque cupiebat. Leofstanus ibi dicitur Abbatum duodecimus fuisse: *Cujus tempore* (loquitur Matthæus Parisiensis) *data sunt huic Ecclesiæ, prædiola numero quinque, cum omnibus ad ea pertinentibus, consensu Regis Edwardi: cui familiaris, Confessor, & consiliarius, atque Reginæ Edithæ, & castis consiliis eorum seminator, & persuasor indefessus. Et illud negotium prosequebatur Abbas Leofstanus efficaciter; cùm perpendisset, quod Rex diu in hoc sæculo non moraretur. Habebat etiam magnum adjutorium, de intercessione Reginæ, Sanctæ Edithæ, quæ semper Regi etiam morituro, immo etiam morienti sedulò assistebat. Primum quidem prædiorum, quod dicitur Stodham, ab Oswulpho, & Adelitha uxore ejus, obtinuit. Reliqua verò quatuor; scilicet Redburnam, Langele, Greneburgam, & Thwanctonam, ab Egelwino nigro, & Winefleda uxore ejus, cum aliis redditibus, donariis, ornamentis.* Hæc ille. Ita caluit antiquorum pietas, in Dei & Ecclesiarum cultu promovendo. Nunc admodum, & pietas, & Fides illa refrixit; cùm Ecclesiæ ornamentis spoliantur, & omnium monasteriorum prædia, in laicorum usus distracta, nullo conscientiæ remorsu, ab illegitimis Dominis possidentur. primus ille fuit ad perfidiam descensus: gradus alter illo nequior, cùm quod erat in Ecclesia templisque augustissimum tollitur: sacrificium, inquam, mysterium & medulla fidei. Quò nunc decessum, cùm Regia quondam Fides, in plebeam (hoc est nullam) desiit; non est opus dicere: cùm orbis ipse cognoscat: & prostantes ipsi, qui rerum mutationi manum porrexerunt, admirentur. Hoc ergo tacito, ad Sancti Albani cœnobium redeo.

IV. PEREGRINI AD COLENDUM S. ALBANUM CONFLUUNT.

Paris sup.

Eò frequenter, religionis ergo, à fidelibus itum, hoc tempore: & more etiam peregrino; adeo Albani sanctitas & miracula clarebant. Sed unum oberat peregrinantium pietati: quod nemora; quæ tunc illis in locis frequentia, latronibus latibula, grassatoribus commoda; peregrinis aliisque piè eò tendentibus, incommoda essent. *Abbas itaque Leofstanus, cognomento Plumstan, cùm esset homo pius & simplex* (loquitur qui supra Matthæus) *& omnibus compatiens periclitantibus: ut viatoribus & institoribus, necnon & peregrinis; Beati Albani Ecclesiam pro expiatione peccatorum suorum, & corporum prosperitate adeuntibus, vias præpararet tutiores. opaca nemora, quæ à limbo Ciltriæ, usque ad Londoniam ferè, à parte Septentrionali, ubi præcipuè strata regia, quæ Watlingestrata dicitur, fecit resecari, salebras explanari, pontes fabricari, & abrupta viarum, in planitiem redigi tutiorem. Abundabant enim, eo tempore, per totam *Ciltriam, nemora spatiosa, densa & copiosa, in quibus habitabant diversæ bestiæ, lupi, apri, tauri silvestres, & cervi abundanter. Necnon, & qui plus nocuerunt prædones, latrones, vespillones; exules, & fugitivi. Unde Abbas Leofstanus; non ad damnum, sed ad commodum, hujus Ecclesiæ; concessit cuidam militi strenuissimo, Thurnotho nomine, & duobus suis commilitonibus, Waldef, & Thurman; manerium de Flamstude pro quo dedit eidem Abbati Leofstano, dictus miles Thurnothus, clam quinque uncias auri, & & unum palefridum pulcherrimum, & unam leporariam desiderabilem. Quod tamen factum est talis conditionis tenore; ut dictus miles Thurnothus, cum suis commilitonibus prænominatis, & eorum sequela, partes illas occidentales, quæ maximè latronibus abundabant; tam à bestiis nocivis, quàm prædonibus tuerentur, & potenter custodirent: & pro damnis; si per desidiam eorum evenirent; competenter responderent. Et si communis guerra oriretur in regno, omnem diligentiam, & totum posse fideliter adhiberent, ad Ecclesiæ Sancti Albani tuitionem. quod & ipsi Thurnotus, & ejus socii, eis fideliter adimpleverunt.*

LOCA IN VIA COMPLANANTUR.

Aldredus Eboracensis, ex Urbe cum pallio reversus, Wigorniensem Ecclesiam, quam priùs tenuerat, Wulstano cedere jubetur. quem ille paulò ante Wigorniensis Ecclesiæ priorem seu Abbatem consecrarat, ut dictum est. At ille (Wulstanus inquam) tantæ dignitatis fastigium aversatus, diu restitit: nec nisi multorum precibus, & offendendi numinis injectâ conscientiâ, acquievit. Aldredus ergo Episcopum consecravit: Stigando Cantuariensi à muneris sui executione suspenso: factâ tamen Canonicæ obedientiæ professione Cantuariensi sedi. Quàm ille in suscipiendo pastorali munere cunctabundus fuerit, Godwinus ita narrat. *Electioni de se factæ* (inquit) *ægrè dicitur consensisse: professus cervicem se libentius abscindendam exhibiturum; quàm tantum onus se suscepturum. Persuasum verò tandem a Wulsio quodam anachoreta, futurum asserente, ut graviter peccares, si in hac tergiversatione persisteret. Causabatur ille literarum inscitiam; qua revera laborabat eousque, ut sub Gulielmo Normanno, de abrogando illi præsulatu; eam ob causam, consilium fuerit initum.* Hæc ille. De hoc abrogandi consilio dicam paulò inferius: hic quæram quis ille Anachoreta Wulsius, qui Wulstano suscipiendi Episcopatus author fuit

V. WOLSTANUS CONSECRATUS WIGORNIEN. EPISCOPUS.

Godwinus in Wigorniensi

*V. an. 1056 3.

qui Wulstani vitam scripsit, Wulsinum vocavit, ubi ait: *Cùmq; electioni, de se facta ad consentiendum minimè flecti posset, à viro Dei Wulsino, per quadraginta annos incluso, acriter pro obstinatia correptus, divinoq; oraculo perterritus, electioni consensit.* Et is indubiè fuit, cujus paulò ante Edoardus meminit, & quem *suprà in Croylandensi monasterio inclusum dixi, anno quarto Brithmeri Abbatis. qui annus ex Ingulphi calculo, cùm in Christi annum millesimum vigesimum primum inciderit (factus est enim Abbas anno millesimo decimo octavo) quadraginta omnino anni fluxerunt, ab eius anachoresi. Fuit autem Wulsius illius Leofrici Comitis, nuper defuncti, filius: de quo Ingulphus dixit: *Brithmeri Abbatis anno quarto, veniens quidam devotissimus adolescens, ac valde generosus, de cognatione Leofrici Comitis Leicestriæ, nomine Wulsinus, amore vitæ solitariæ, apud nos reclusus est; & multis annis sanctissimè conversatus.* Ita Sanctus pro Sancto instituendo Episcopo laboravit.

Apud Capgravium in VVulstano.

*V. an. 1018. 6.

Ingulphus fol. 892.

VI. CUR ALDREDUS WULSTANUM ELEGIT?

Aldredi tamen mens alia fuit: qui primus eum eligendi author, non tam vitæ ejus sanctitatem, quam simplicem, & in omnem partem flexilem genium, spectasse dicitur: eo fine, ut qui Wigorniensem Ecclesiam priùs rexerat, bonorum ejus, quam vellet, partem pro libito delibaret. Sed falsus est, & Wulstanum à sanctiore spiritu ductus, doctusque, simplicitate sua alterius astutiam superavit. Hanc Aldredi mentem ita aperit Malmesburiensis; cùm dixisset eum à Cardinalibus urgeri, Wigorniensi Ecclesiæ Episcopum consecraretur. *Ille,* inquit, *consilio deducto in medium, cavensq; sibi suis inposterum, Wulstanum elegit; inefficacem scilicet; cujus simplicitate & sanctimonia, rapinas inumbraret suas; rapturus de rebus Episcopatus, quod liberet. Cardinalium ergo favore Wulstanus approbatus, & examinatus severitate, divinum munus suscepit pulchroq;, & venerabili præsagio prognosticon obvenit: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Nihil prorsus verius. Nec enim bonum in eo simulata sanctitatis: nec si secus quid, callida fraudulentia fuit. Sed nec Aldredus ita segnem, ut putavit persensit. Si quidem majorem partem rerum; quas indebitè detinebat, blanditiis ab eo surripuit tenuitatem suam illi ex tempore allegans. Ita officium injunctum magis insito virtutum amore, quàm literatura fretus, exercebat. Quanquam non ita hebes in literis, ut putabatur fuerit: qui cætera negotia sciret; præter fabulas poetarum, & tortiles syllogismos dialecticorum, quæ nec nosset, nec nosse dignaretur. Cæterùm probè doctus, posse sermonem quemlibet elegantem excemporaliter facere, auditorum lachrymas, gaudia cœli, & pœnas inferni proponendo artifex movere, persuadere dictionem, quam vellet; dum quadraret vita doctrinæ: nec aliter viveret, quam vivendum doceret. Ideoq; suggerebat ei Deus eloquium, quod esset; & laudum ejus incremento, & adjutoribus proficuo.* Hæc omnia de Wulstano Malmesburiensis.

Malmesb. de Pontif. l. 4. fol. 279 fine.

VII. QUINAM A NICOLAO IN ANGLIAM MISSI.

Sed priusquam pergo, in novi Præsulis sanctitate explicanda, & quàm præclarè provinciam gesserit: scire fortè volet curiosus Lector. Quinam illi Cardinales, quorum severitate examinatur, & quorum favore approbatur, Episcopus. Unde illi: quando, & quidam venerint. Respondeo: unum ab Nicolao, Romano Pontifice, missum, qui Wigorniensis Ecclesiæ resignationem, & novi ibi Præsulis inaugurationem testaretur. De quo *suprà Malmesburiensis, cùm Aldredi & sociorum ex Urbe recessum narravisset. *Consequuti sunt* (inquit) *abeuntes Romanorum Legati, qui Sanctissimum Wulstanum, cum consensu Aldredi, Wigorniæ ordinarunt Episcopum.* Florentius monachus Wigorniensis, unum nominat, quem à Nicolao missum putamus, & ei adjungit innominatum alterum, Legatum ab Alexandro. atque ita loquitur. *Contigit, eonamq; tempore, & Legatos sedis Apostolicæ, ejus (Wulstani) electioni interesse, Armenfredum scilicet Sedunensem Episcopum: & alium qui à Domino Papa Alexandro, pro responsis Ecclesiasticis, ad Regem Anglorum Edvvardum missi; regio præcepto, per totam fere quadragesimam Wigorniæ degebant, expectantes responsum suæ legationis, usque ad curiam Regalem proximi Paschatis. Hi videntes (dum ibi degebant) ejus laudabilem conversationem, in ejus electione, non tantum consentiebant; immo tum clerum, tum plebem maximè ad hoc instigabant, suaq; authoritate, eius electionem firmabant. Illo verò obstinatissimè renuente, seq; indignum acclamante, & cum sacramento etiam affirmante, se multo libentius decollationi, quàm tam altæ ordinationi, succumbere velle, &c.*

*an. 1050. 8.

VVigorn. an. 1062.

ARMENFREDUS SEDUNEN. EPISCOPUS.

VIII. QUANDO PONTIFICII LEGATI IN ANGLIAM VENERUNT.

Armenfredus ergo Sedunensis Episcopus, cum Aldredo Eboracensi venit in Angliam; vel sub finem anni superioris; vel sub hujus initium. In quo tamen difficultas est; quia passim authores nostri, & ex illis Baronius, Wulstani consecrationem referunt, in annum sequentem, nimirum Christi Domini millesimum sexagesimum secundum. Unde Wigorniensis monachus, cùm dixisset: *Die Decollationis Sancti Joannis Baptistæ, electione canonicè confirmata[,] & Episcopatu suscepto: Dominico die, quo Nativitas Sanctæ Mariæ, ab Ecclesia celebrabatur, consecratus; vita & virtutibus clarus; Wigorniensis Ecclesiæ præsul effulsit:* addit paulò inferius: *Facta est autem hæc ordinatio, anno ætatis suæ plùs 50. Regni verò Regis Edoardi 20. Indictione 15.* Ubi indictio sequentem annum significat, licèt præsens annus Edwardi Regis numeretur vigesimus, incompletè nimirum: Cæterùm cùm hic author; quem Hovedenus & Florilegus sequuti sunt; Aldredi profectionem in Urbem retulerit in hunc annum 1061. debuit necessariò Wulstani inaugurationem in sequentem rejicere. Verùm cùm Baronius, ob Concilium Romæ habitum, anno Domini millesimo quinquagesimo nono, Aldredum & socios eidem adfuisse affirmaverit: eum sequutus; dixi non improbabiliter, anno sequenti Aldredum Romæ Synodi Patres adhuc sedentes invenisse: & eodem anno cum Armenfredo redisse. Sed cùm Alexander Papa, Petri sedem non ascenderit ante mensem Octobrem hujus anni; difficultas adhuc manet: quomodo alius ab eo missus, Armenfredo, hoc anno, accedere potuerit, & Paschatis festum expectare pro expeditione negotiorum; nisi dixeris Armenfredum, annum integrum in Anglia commoratum, sub sequentis initium; ab Alexandro missum alium excepisse. Quicquid sit (nec enim possum definire) duorum Pontificum Legati videntur fuisse, Armenfredus, & alter, qui Cardinalis hic appellatur.

VVigorn. an. 1062.

Nicolaus moritur in fine Iulii, & sedes vacat per menses 3.

IX. QUIS HIC INNOMINATUS ALEXANDRI PAPÆ LEGATUS?

Quod si iterum, in re obscura, cõjectare licet; nomen etiam hujus Cardinalis (quod authores omnes, hoc loco, tacent) eruere possumus, si sequentia tempora lustremus. & eadem opera, negotiorum qualitatem; quorum causa Alexander

legatum misisse dicitur, explorare. Cùm enim statim à morte Edwardi Regis, Guilielmus regno potitus, Anglicanum clerum purgare; vel potiùs Normannis suis locum facere satageret: hunc ipsum Alexandrum appellavit: petiitque in eam rem, ab illa sede legatos: misit opinor, Alexander eosdem, qui priùs Ecclesiæ statum, & populorum genium noverant. Cæterùm tunc misit Ermenfredum Sedunensem Episcopum, & Presbyteros Joannem, & Petrum Cardinales sedis Apostolicæ; qui in Wintoniensi Concilio, Stigandum Cantuariensem, Agelmarum etiam ejus fratrem, Orientalium Anglorum Episcopum, Canonicè non electos: Agelricum etiam Canonicè electum; non Canonicè in ordinem redegerunt. Qua etiam disciplinæ severitate, in Abbates inquisitum: Guilielmo omnia vertente in commodum suum. ut passim Annales conqueruntur. E quibus etiam inferri potest; qui hoc anno, vel sequenti ab Alexandro missus est, ad Edoardum Regem; vel Petrum, vel Joannem, vel utrumque fuisse; qui Ecclesiæ statum, ordinem, jura; & si quid peccatum inspicerent, ac referrent. Quæ quia in Synodo plerumque excuti, & examinari solebant: & hujusmodi conventum tempora in nascentis, vel surgentis Christi festum, vel certè in Spiritus Sancti adventum, rejici, de more gentis, consueverat. Ideo Apostolicæ Sedis Legatus diutiùs in Anglia manendum fuit: & iidem benè docti mores provinciæ, paratiores fuerunt, ad eò redeundum.

Cur missus?

X. De Legatis Pontificiis enudatâ difficultate, prosequi libet Wulstani reliqua; quia, ut cum Rege Sancto; ita cum pientissimo Episcopo, Regiam fidem concludere, & utriusque Reip brachia conjungere, ad Ecclesiæ Anglicanæ splendorem facit. Nolo tamen omnia, quæ de hoc Sancto scribuntur referre; quia plurima sunt, à multis recitantur: delibo ea solùm, quæ ad pii Præsulis virtutes, & virtutum opera faciunt. quæ Malmesburiensis recensens hæc habet. Circa religionem, talem accepimus: *Quotidie missam cantans, addebat Psalterium, omniumq; Sanctorum memorias, quorum toto anno singula solemnia succedunt, singulis in septem divisas, per septem non omittebat horas.* Addit author vitæ apud Capgravium; *Missas duas ad minùs quotidie audire, & ipse tertiam cantare solebat.* Hæc de orationis ejus frequentia: sequuntur submissi devotique animi argumenta: *Indifferenter vilioribus utebatur vestimentis* (ita Malmesburiensis) *magis agninis, quàm alterius generis pellibus frigus depellens. Si verò ei diceretur, ut saltem* **castinas pelles amiciret: jocosâ comitate respondebat: Crede mihi* (nam hic mos jurandi Episcopo inoleverat) *nunquam audivi cantari: *Castus Dei; sed, Agnus Dei: ideoq; non casto, sed agno volo calefieri. Ita Dei timor mentem ejus insederat. Ut quod alii torquebant in pompam, ipse in compunctionis transferret materiam.* Hoc ipsum confirmat author alio argumento.

Malmesb. de Pontif. l. 4. fol. 280

Orationis studium.

Apud Capgravium in Wulstano.

Malmesb. suprà.

Eius modestia.

*Castoreas

*Castor.

XI. *Cùm Ecclesiæ majoris opus* (inquit) *quod Wulstanus à fundamentis inceperat: ad hoc incrementi processisset; ut jam monachi migrarent in illam: jussum est veterem in Ecclesiam, quam Beatus Oswoldus fecerat, detegi, & subrui. ad hoc spectaculum stans sub divo Wulstanus, lacrymas tenere nequivit. Super quo modestè à familiaribus redargutus; qui gaudere potius deberet; quòd se superstite, tantus Ecclesiæ honor accessit; ut ampliatus monachorum numerus, ampliora exigeret habitacula; respondit: Ego longè aliter intelligo: quod nos miseri Sanctorum opera destruimus, ut nobis laudem comparemus. Non noverat illa fœlicium virorum ætas pompaticas ædes construere: sed sub qualicumque tecto seipsos Deo immolare, subjectosq; ad exemplum attrahere. Nos econtra nitimur; ut animarum negligentes curam, accumulemus lapides. dixit plura in hunc modum; allegationibus suis, occurrentes sententias infirmans.* Pergit author narrare sermonis ejus, qui indoctus habebatur, energiam atque efficaciam; quâ auditores, ad virtutum exercitia, & charitatis opera animare solitus est: & quomodo Deus mirabiliter verba confirmavit, sequentibus signis: quo scirent posteri, non in sublimitate sermonis, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, Christum prædicare. unum ex ipso referam.

Idem suprà.

Wigorniensis Ecclesia restauratur.

XII. *In cujusdam Ecclesiæ dedicatione* (inquit) *sermonem fecerat; in quo multa de cæteris, plura de pace dixerat. Quo commoti nonnulli; qui digladiabili dissidebant odio; offensas utrinsque donavere. Unus erat, qui nullis admonitionibus, nullis suadelis adduci potuit, ut fratri suo condulgeret inimico. Hunc adductum in medium, & post multum sermonem pertinacissimè recusanti, eadem quæ referam verba dixit Episcopus. Dominus dixit in Evangelio: Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur. Constat ergo quod si pacifici sunt Beati, & filii Dei, discordantes sunt miseri, & filii Diaboli. Illi igitur, cujus filius es, te commendo: & trado te Satanæ ad interitum carnis, juxta præceptum Apostoli; ut spiritus salvus sit in die Domini. Vix Sanctus sermonem expleverat, cùm miser ille mancipium hostile factus, coram omni plebe dentibus stridere, spumas jacere, crinem rotare occæpit. Postremo in terram elisus volutabatur furens. Exorari Wulstanus, ut misereretur, distulit: pressus tandem, & victus lacrymis; jubet inimico, ut obeat. Ille discedit eadem socilitate, quò venerat, reductum in mentem homo: conventusq; ut delictis veniam cederet, miro pacem negavit impudentiâ. Iterum ergo vexari: iterumq; sanari jussus, inficiari perficit. Tertiò jam cùm totus membris labefactatus ex concussione Dæmonis, penè fugisset animam; pacem iniit: perpetuò post hoc, usque ad mortem integer, & incolumis.* Multa sunt in hoc genere, quæ Wulstani sanctitatem commendant: quæ quia fusissimè ab aliis narrantur, prætereo. Sufficiat hoc loco dicere, cùm triginta tres annos Wigorniensem Ecclesiam suâ vitâ illustrasset, mortuus anno Domini 1095. & inter Sanctos relatus, colitur ad decimum nonum Januarii.

Malmesb. de Pontif. l. 4. f. 2

Wulstani efficaci sermonis.

Moritur Sanctus.

ANNUS CHRISTI 1062.

ALEXANDRI II. PAPÆ 2.

EDOARDI ANGLORUM REG. 21.

I. Anglorum senescente imperio, & ad occasum tendente: non ideo senuit, sed incaluit magis multorum pietas: Edoardo Rege, exemplo pientissimè præeunte. Quo excitatus Haroldus Comes, qui regnum paulò post affectavit, Collegium Canonicis Walthamiæ, in agro Essexiensi, posuit anno Domini millesimo sexagesimo secundo. quod eodem anno, Edoardus Rex, suo diplomate confirmavit. Extat illud in

Waltaniæ collegium Canonicorum extruitur.

Regis archivis inter chartas antiquas, memb. 1. in quo (ita scribit Reynerus) *post devotum proœmium confirmat sanctam intentionem Haroldi Comitis: ut Canonicæ regulæ strenuus institutor fieri credatur, & postea: Fundatum dehinc monasterium, ad nomen sanctæ Dei Ecclesiæ, dedicari fecit honorificè. ac deinceps: Humanæ conditionis non immemor: ibidem quorundam catervulam fratrum, secundum authoritatem Sanctorum Patrum Canonicæ regulæ subjectam, constituit: qua Deo, & Sanctis ejus, die noctuq; laudes impinguando decantet.* & annus signatur millesimus sexagesimus secundus. Ita ille. Collegium hoc, ubi à Canonicæ Regulæ observantia defecit, Henricus Rex, eo nomine secundus, Canonicis regularibus dedit, anno millesimo centesimo septuagesimo septimo. Nam antea regulares non fuisse, sed ex Haroldi institutione, sæculares tantummodò; diplomatis verba videntur convincere. Et Canonicam regulam, cujus ibi mentio; aliam Reynerus putat non fuisse ab ea, quàm Aquisgranensis Synodi Patres, è Sanctorum Patrum scriptis collegerant. Quicquid sit, decuit omnino utrumque ordinem, tam clerum, qui laxiùs; quàm monachos, qui strictiùs, viverent honorare.

Reyner. Apost p. 2. fol. 159

II. Leofricus Croylanden. monasterium prædiis auget. *Ingulphus fol. 898.*

Ita, hoc eodem anno, monachis benefecit Leofricus Comes, qui Croylandense monasterium prædiis auxit: de quo illius cœnobii Abbos Ingulphus ita scribit: *Anno Domini millesimo sexagesimo secundo: Quidam vir nobilis, & valde generosus, ac in militia multum clarus, Dominus de Brunne, marisciq; adjacentis; dictus erat Leofricus, nostro etiam monasterio in multis beneficus, consiliarius, & amicus: cognatus illius magni Comitis Herefordensis Radini, qui Godam Edoardi Regis sororem duxerat in uxorem.* Hic, inquam, Leofricus, Edoardo Regi, familiaris, & ejus exemplo ad pietatem notus, monasteriorum fautor; Christum Dominum, corporaliter visibilem, unà cum Rege Edoardo vidisse memoratur. Sic enim ab Aldredo Rievallensi, in Edoardi Regis vita, legitur. *In monasterio namq; Beati Petri* (puta illud quod nuper eleganter erexerat, & Westmonasterium dicebatur) *ante altare sanctæ Trinitatis, Missarum solennus Sanctus Rex vice quadam, cum Comite Leofrico assistebat. Et ecce speciosus ille forma, præ filiis hominum, Christus Iesus, in ara consistens, oculis utrinsque corporalis apparuit. sacraq; dextera. super Regem extentâ, signum Sanctæ Crucis eum benedicendo depinxit. At Rex, dimisso capite, divinæ Majestatis adorabat præsentiam. Comes verò, quid in Regis animo ageretur, ignorans, volensq; Regem tantæ visionis esse participem; capit velle ad ipsum usque procedere. Verùm Rex, quid in mente Comitis volvebatur, intelligens; Sta, inquit, Leofrice, sta: quod vides, video, & ego. Post missam verò dixit Rex, ad Comitem: Per ejus quem vidimus majestatem, tu Leofrice, te obtestor, ne quoadusque vixerimus sermo iste proferatur in publicum: ne vel nos in perniciem nostram, ob favorem vulgi, pulset elatio: vel fidem deroget dictis infidelium æmulatio.*

Apud Capgravium in Edoardo Confessore

Videt Christum in altari visibiliter.

III. Edoardus Hibernum misere contractum sanat.

Voluit Deus Regem, jam cælo maturum, eò his mirabilibus, quasi manuducere: & quia se totum effuderat in Dei Sanctorumque obsequium: ideo hoc tempore, Deus, Sanctique, ad eum, etiam in hac vita præmiandum, videntur concurrisse. Nunc enim contigisse putamus, quod Petrus Apostolorum Princeps; cui nobile mausolæum fecerat; eum in beneficii, gratiarum, & gloriæ consortem, elegisse scribitur. Cùm Hibernus quidam, membris miserè contractis, qui sæpiùs Romam iverat petendæ causâ sanitatis, jubetur tandem ad Edoardum Regem, pro Petro in Anglia laborantem, pergere; & ab eo contractioni remedium quærere. Res digna Annalibus ita ab Aldredo refertur. *Cùm in Palatio, juxta Ecclesiam Beati Petri. Rex aliquando moraretur: supervenit quidam vir miserabilis, Hibern ens genere, pedis utriusque privatus officio. Nervi enim in poplite contracti, ad posteriores corporis partes, crura retorserat, talis natibus inhæserant, immersisq; carnibus pedum articulis, a lumbis ejus, & deorsum corpus omne perverterant. Porrectis ad terram manibus, & scamno suppositus, repebat: & factus sibi metipsi gravis, trahebat se post se. Hic videns Regis cubicularium, ait ad eum: Hugoline, inquit, non me respicies, nec misereberis, nec movebit te mei tanta calamitas! Et ille: quid me vis facere? Cui pauper: sexies, inquit, Apostolorum limina, repens (ut cernis) visitavi. & sanitatem necdum promerui. Quam tamen mihi Apostolorum Princeps, non negavit, sed distulit: socium in hoc miraculo habere volens Edoardum; quem sibi novit in omnibus esse devotum ab ipso enim Apostolo. in mandatis accepi, Regem adire, ut me suo sacro subvectum dorso; ad Ecclesiam ejus, quæ palatio vicina est perferat, recepturum si id fecerit; membrorum meorum integram sanitatem.*

Apud Capgrav. suprà

Hæc ubi nuntiata sunt Regi, gratias agit Deo: & citatus mox æger accessit: Rex verò, ut spiritualis ille asinus, fortis accubans in terminis, supposuit humeros suos ad portandum. Sendet de humero tanti Principis plenus sordibus pauper; squalidis manibus, brachiisq; squammosis, regium illud pectus, collumq; complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli. Alii, à paupere Regem delusum jocabantur: alii justi simplicitatem judicabant. Cum itaque Rex paululùm processisset: subitò nervi extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidæ recalescunt: emergunt à carne articuli, pedes à natibus solvuntur. Distendit homo crura, poplite jam flexibili; & sanie cum sanguine profluente: vestis regia ornatur magis, quàm fœdatur. Jam tunc sotis esse clamant omnes; sanatum languidum, eum ob sordes ulcerum deponendum. Ille vero memor præcepti, quod susceperat, sirenarum cantus, obturatâ aure pertransiit: ingressusq; Ecclesiam, ante sanctum Altare holocaustum quod detulerat, Deo, ac Beato Petro resignat, incolumemq; dimisit. Suscepto autem à Rege, itineris viatico, acturus gratias Deo & Sancto Petro, Romam profectus est. Hæc ibi. Nemo, quod sciam, tempus consignat patrati hujus miraculi: certum tamen apparet illud contigisse, cùm Petrini templi ædificium, cœlum. terramque, sui nominis famâ implevisset. Et fortè eò respexit Nicolaus Papa, cùm *suprà in literis dixit: *Claret enim Anglorum Reges, pro reverentia & devotione, quam exhibuerunt Beato Petro, gloria & honore floruisse; ac ipsius patrocinio famosos triumphos obtinuisse.* Nam verè seipsum hic Edoardus, mundum, mundique gloriam insigni pietate triumphavit.

IV. Edoardus pauperem humeris gestat.

*V an. 1050 n.

Quapropter Deus non ipsum solùm, sed omnes etiam consequentes eum Reges, curandi morbi privilegio videtur ornasse; qui ideo morbus Regius appellatur. Alii strumas, vel scrophulas vocant: quod scrophæ imprimis huic morbo obnoxiæ sint. Quicquid sit, Reges nostri mirabilis curationis principium ab Edoardo Confessore petunt, eique acceptum ferunt: qui non semel, sed sæpiùs, ei malo, suâ sanctitate attulit reme-

V. De morbo Regio a Regibus nostris curato.

Apud Capgravium in Edoardo.

dium. Nam in vita ejus, ita legitur. *Sub fauribus, quasi glandes, mulieri cuidam succreverant; quæ totam faciem, deformi tumore, fœdantes, putrefactis, sub cute, humoribus, sanguinem in saniem vertebant. Inde nati vermes odorem teterrimum exhalabant. Jubetur tandem in somnis adire palatium; & ex Regis manibus sperare remedium. Quibus si lota, si tacta, si signata foret; meritis ejus reciperet sanitatem. Cùm autem venisset ad Regem, & oraculum exposuisset: ille, nec sordes ravit, nec fœtorem exhorruit: sed loca tumentia, manibus contrectans, & aquâ lavans, signum Sanctæ Crucis impressit. Et subito rupta cute, cum sanie, vermes ebulliunt; recedit tumor, & dolor omnis abscessit.* Ita Aldredus. Nec plura addit, de hoc morbi genere: quem tamen à Sancto Rege sæpiùs curatum, repetito miraculo, alii tradiderunt.

CURAT EDOARDUS SIGNO SANCTÆ CRUCIS.

VI. UNDE VIRTUS CURANDI FLUXIT.

Petrus Blesen. Ep. 150

Meminit hujus morbi Petrus Blesensis, & curationem ejus, Regiæ unctionis sacramento tribuit: Epistula centesima quinquagesima, ubi dicit: *Fateor, quod sanctum est, Domino Regi assistere: sanctus enim, & Christus Domini est: nec in vanum accepit unctionis Regiæ sacramentum. Cujus efficacia si nescitur, aut in dubium venit; fidem ejus plenissimam faciet defectus inguinariæ pestis, & curatio scrophularum.* ad quem locum Joannes Bufæus benè notat: authorem loqui, *de strumis* (inquit) *ab Angliæ, & Franciæ Regibus, jam olim sanari solitis.* Benè præponit Angliæ Reges; quia illi priùs, quàm Galliæ Reges, hunc morbum curaverunt. Enimvero, ante Philippum primum, & filium ejus Ludovicum Crassum; neminem potestate illa pellendarum strumarum viguisse, diligentissimus Galliæ scriptor, Scipio Dupleix, arbitratur. Cæterùm, quod velit Blesensis, è Regia unctione, miraculum fluxisse; alii meritò controvertunt: & potius Edoardi Regis sanctitati acceptum ferunt. Unde Malmesburiensis, Sancti Confessoris factum recensens, sic illud commentatur. *Porrò ut jam* (inquit) *de miraculis dicam. Adolescentula, juxta parilitatem natalium, virum habens; sed fructu conjugis carens, luxuriantibus circa collum humoribus, turpem valetudinem contraxerat, glandibus protuberantibus horrenda. Jussa somnio, lavaturam Regis (Edoardi) exquirere; curiam ingreditur. Rex ipse, per se, opus pietatis adimplens; digitis aqua intinctis, collum pertractat mulieris: medicam dextram sanitas festina prosequitur, letalis crusta dissolvitur; ita ut vermibus cum sanie profluentibus, omnis ille noxius tumor recederet. Sed quia hiatus ulcerum fœdus, & patulus erat; præcepit eam, usque ad integram sanitatem curialibus stipendiis sustentari. Veruntamen ante septimanam exactam; ita, obductis cicatricibus, venusta cutis rediit; ut nihil præteriti morbi discerneres.*

In notis ad Blesen.

REGES ANGLIÆ PRIMI MORBUM REGIUM CURAVERUNT.

Scipio in Canonizat. S. Ludovici.

Malmesb. de Regibus l. 2. c. 13. fol. 91.

*Post annum quoque, geminam prolem enixa, sanctitatis Edwardi miraculum auxit. Multoties eum, in Normannia hanc pestem, sedasse ferunt, qui interiùs ejus vitam noverunt. Unde, nostro tempore, quidam falsam *insinuant operam, illius morbi curationem, non ex sanctitate; sed ex regalis prosapiæ hereditate, fluxisse.*

**Insumunt*

VII. VIRTUS CURANDI NUM IUS REGUM HÆREDITARIUM.

Polydo. l. 8.

Nescioquos hic author sigillet: Blesensem intelligere non potuit; quia paulò post Malmesburiensis obitum, cœpit scribere. eos certè Polydorus Vergilius sequi videtur; nam ritum illum strumas curandi, Regum Angliæ, jus quasi hæreditarium vocat, eo loco, ubi de Rege Sancto agit: & non semel ab eo, similem morbum mirabiliter depulsum scribit; in hunc modum. *Solebat Rex Edoardus, divinitus, solo tactu, sanare strumosos, hoc est strumam patientes. Est enim struma morbus, quem Itali scrophulam vulgò vocant; à scrophis, quæ ea mala scabie afflictantur. id est humor, in quo subtus concreta quædam, ex pure, & sanguine, quasi glandula oriuntur: ac plurimum per pectus, & gutur serpit. Quod quidem immortale munus, jure quasi hæreditario, ad posteriores Reges manavit. nam Reges Angliæ etiam nunc, tactu, ac quibusdam hymnis, non sine cæremoniis priùs recitatis, strumosos sanant.* Ita est: durat etiamnum mos ille Regius, quamuuvis sacræ unctionis Sacramentum, & aliæ (vereor) usitatæ olim cærimoniæ, desierint. Crucis figuram, Edoardus, ut suprà, inter alia expressit, quæ in omni actione sacra, Deoque grata, usurpatur. & vidimus ipsi, anno millesimo sexcentesimo de[illegible]mo tertio, Ludovicum Regem Galliæ, decimum [illegible]tium, strumosos, eo ritu, signantem. [illegible] ægro genuflexo, regiam manum expansam fron[illegible]toque apposuit primùm: tum manu decus[illegible]ta utramque maxillam tangens, gallicè dixit: LE ROY TE TOUCHE; DIEU TE GUERY.

Multa sunt, in hoc rerum mirabilium genere, Edoardi sanctitatis argumenta, quæ libens prætereo; ægros sanitati, cæcos luci redditos, quos authores passim enumerant: ego malo legere pietatis opera: fidem, inquam, & religionem ejus in cujus studio, Rex studium omne videtur co[illegible]casse: & Deum ubique, nec mundum, nisi obliquè, unquam spectasse. eòque magis, quò magis cœlo cœpit maturescere: Deo ita ducente innocentem animam; & volente prætteritorum Regum Fidem; millesimum, inquam, Regiæ fidei annum, cum honore concludere. Huc fortè respexit Polydorus, cùm de Edoardo loquens, dixit *Voluit Deus hunc Regem; qui jam inde, ab initio, sibi æquè de religione, atque hominibus benè merere studendum constituerat, hisque studiis pascebatur, his delectabatur, his perfruebatur: ab earum rerum curis vacare, quas sapientissimus quisque semper fluxas, caducas esse duxit; quo liberiùs cœlestia contemplaretur.* Nec ideo pejori loco, Respublica fuit: Deo ita providente, ut Regnum Angliæ, scientiâ Sanctorum, potiùs quàm humana prudentia, regeretur. quod Harpesfeldus observat ita scribens: *Edoardus, etsi ad res publicas gerendas, non satis accommodus, quibusdam videretur; propter insitam quandam morum, animique simplicitatem: & quod videretur à rebus publicis, regnique cura, propter nimiam (ut quibusdam visum est) in rebus divinis, piisque aliis exercitiis, occupationem, justo alienior. Deus tamen, si quid ea in parte, diminutum erat; abundanter supplevit. Et quia Edoardus, totus ab eo, & pietate pendebat; quasi in se totam regni curam recepit. Cui non minus ferè admirabiliter providit; atque olim selecto suo populo Israelitico.* Quod annis sequentibus confirmabitur: unico qui in insula remanserat hoste, fuso, fugato, denique cæso.

Polydo.

Harpesfeld. sæc. 11. c. 6.

ANNUS CHRISTI 1063.

ALEXANDRI II. PAPÆ 3.

EDOARDI ANGLORUM REG. 22.

I. Griffinus ab Haroldo fugatur.

Hoved. hic.

SEQUITUR annus Christianus sexagesimus tertius supra millesimum: quo Edoardo Rege, in Dei cultu, & monasteriorum ornatu occupato; Deus victoriam dedit de inimicis suis; & Britannorum vires, qui Anglorum fines sæpè vexaverant, fregit, Griffino tumultuum & deprædationum principe fugato. Quod ita ab Hovedeno refertur. *Anno millesimo sexagesimo tertio, Strenuus Dux West-Saxonum Haroldus, jussu Regis Edwardi; post Nativitatem Domini, equitatu non multo secum assumpto, de Glavorna, ubi tunc Rex morabatur; ad Radelam, multa cum festinatione profectus est; ut Regem Walanorum Griffinum; propter frequentes depopulationes, quas in Anglorum finibus agebat ac verecundias, quas Domino suo Edwardo sæpè faciebat; occideret. At ille ejus adventu præcognito; fugam cum suis iniit, navem conscendit, & vix evasit. Haroldus verò, ut eum fugisse comperit; palatium ejus incendit: & naves ejus, cum armamentis combussit: eodemq; die rediit. Sed circa Rogationes de Brikestow, classica manu profectus; magnâ ex parte, terram Walanorum circumnavigabat. Cui frater suus Tostius Comes, cum equestri (ut Rex mandarat) occurrit exercitu: & viribus simul junctis, regionem illam depopulari cœperunt. Unde Walani coacti, datis obsidibus, sese dederunt: & se tributum illi daturos promiserunt; Regemq; suum Griffinum exlegantes abjecerunt.* Ita hoc anno gestum. Cæterùm, ut sequenti, idem Griffinus, à Provincialibus suis occisus sit: & Britannorum agri in Anglorum potestatem venerint; dicam ibi. nunc in ec Ecclesiasticis occupatum Regem revisamus.

II. Edoardus confirmat Ramesiense cœnobium.

De Ramesiensi cœnobio plura dicta sunt superiùs; de prima ejus fundatione, dotatione, variisq; privilegiis eidem indultis; quæ tractu temporis; ne, ut cætera, obsolescerent; monachorum intererat providere: & nunquam opportuniùs, quam sub pio Principe Edwardo, qui regni cura Deo relicta; Ecclesiæ, pro Deo, procurationem susceperat. Confirmat igitur quidquid majorum pietas, in eum locum congesserat; quicquid Episcopi, & Reges donaverant: quicquid denique piorum fidelium devotio profuderat: & quia regio animo parva videbantur, ampliora adjicit; *propter spem retributionis æternæ, quam sibi appropinquantem præsentiebat: & pro remissione delictorum meorum, & pro animabus patris, & matris meæ; & omnium parentum meorum, ad laudem Omnipotentis Dei,* ut ipse loquitur; fidem suam, ubique testatus. Sed ecce chartam ejus, ut eam recitat Clemens Reynerus, in Appendice scripturæ 42.

III. Eius Diploma.

Summum Regibus bonum, in quo situm?

IN onomate summi Kyriou, omnia jura regnorum gubernantis: & ab alto cœli fastigio, cuncta terrenentis: Ego Edwardus, totius Albionis, Dei moderamine, gubernatione Basileus; Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Centenariis, cunctisq; fidelibus Sanctæ Ecclesiæ Clericis, & Laicis. Insuper & omnibus post me futuris Regibus, salutem, perpetuamq; pacis felicitatem. Summum Regibus, ac Principibus bonum est, justitiam Dei colere, Sanctam Ecclesiam ejus exaltare, & honorare; quia qui eam exaltant, & honorant: cum ea, & in ea, & per eam exaltantur, & honorantur. Prævenit cor meum gratia Dei; ut quod ab antecessoribus meis Regibus, collatum est ejus Ecclesiæ; mea firmetur authoritate. Ecclesia namque Beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, Sanctiq; Benedicti, omniumq; Sanctarum Virginum, quæ Ramesey nuncupatur: Quæ olim in tempore præcellentissimi Regis Edgari, à quodam insigni viro, Alwyno nominate; utpote in ejusdem Regis gloriosi munificentia chartula, quam ibidem donaverat, data, ac sigillo confirmatâ, legitur: Alnipotentis Christi mirabili cooperante gratiâ, est constructa; ac terrarum copiosis ditata muneribus. Imprimis eam ita liberam, & quietam, tam ab omni exactione Episcopali: quàm a seculari esse volo: ut neque nos, neque successores nostri, neque quilibet Episcopus, nec quicumque de judiciaria potestate, in ipsam sanctam Basilicam, vel immanentes in ipsa: vel in homines, qui cum suis terris, vel quibuslibet cumque substantiis, ad ipsam tradere, vel devovere se voluerint; nisi per voluntatem Abbatis, & omnium suorum monachorum; ullam unquam habeant potestatem; sed sit hæc Sancta Mater Ecclesia, specialis Domina nostra perpetua Virginis Mariæ, ac patroni nostri sancti Benedicti, & omnium Sanctarum Virginum libera. & absoluta ab omni invasione vel inquietudine omnium hominum, cujuscumque ordinis, vel potestatis esse videantur.

IV. Abbates a monachis eligendi.

Præterea in perpetuum confirmo, ut monachi ejusdem Ecclesiæ, per successiones, secundum regulam Sancti Benedicti; eligere sibi idoneos Abbates habeant potestatem. Et quisque fugitivorum, de quocumque loco, pro quacumque causa, cujuscumque conditionis sit; ipsum sanctum locum, vel procinctum ejus intraverit, fugiens; membrorum suorum, ac vitæ impunitatem consequatur. Possessiones verò, quæ ibi à quibuscumque donatæ sunt; non Abbas, non alia qualibet persona, licentiam habeant vendendi, vel extraneis dandi: Sed Regum munimine deinceps locus ipse tueatur. Ipseq; Abbas, Regi soli serviens, atque ei soli, os ad os respondens; commissum sibi gregem spirituali, & temporali pastu, abundanter foveat. Concedo, & confirmo omnes donationes terrarum, vel libertatum, aut aliarum rerum, quæ à Regibus, Edgaro videlicet & Hardecnut, seu aliis Fidelibus ante me, donatæ sunt: hoc est Ipwode, cum Raveleya, Bitewico suo. & cum insula, in qua prædictum stat arcisterium, cum omnibus sibi pertinentibus: Hemingeford, cum omnibus ad se pertinentibus: Sautrey, cum omnibus ad se pertinentibus: Walsoke, cum omnibus ad se pertinentibus. In Welles, viginti piscatores ibidem singulis annis, ad usum fratrum, sexaginta millia anguillarum reddentes: Brancestres, cum omnibus ad se pertinentibus. & cum omni maris projectu, quod nos Anglicè Shipwreck appellamus. Ripton, cum omnibus ad se pertinentibus: Tinel, cum omnibus ad se pertinentibus: Kingston cum Raisleia, & Bisi . . . . Bericwicis suis, omnibusq; sibi pertinentibus: Wardebult, cum omnibus ad se pertinentibus: . Stepton, cum omnibus pertinentiis suis: Chaterik, cum omnibus ad se pertinentibus: Houcton, cum omnibus ad se pertinentibus: Wilton, cum omnibus ad se pertinentibus: Elinton, cum omnibus ad se pertinentibus: Bitherum, cum omnibus ad se pertinentibus: Bruinton, cum omnibus ad se pertinentibus: Wibinton, cum omnibus ad se pertinentibus: Isham, cum omnibus ad se pertinentibus: Weston, cum omnibus ad se pertinentibus: Gravel, cum omnibus ad pertinentibus: Bilinchon, cum omnibus ad se pertinentibus: Scotton, cum omnibus ad se pertinentibus: Cillinger, cum omnibus ad se pertinentibus.

V. Nec non & illas, quas optimates mei, meo tempore, addiderunt: scilicet, *Ethericum, Dorcensis (l. ego Dorcecestrensis) Ecclesiæ Episcopus, Clinton, & Bernevvel, & Hemingeton, & unam mansionem in Elsvvorth occidentalem; & Gretton, & Therefeld, & Sucklingdon, & Westmulne Orientalem, & Offerton in Hoylandia; & tres hidas in Broulton, & tres hidas in Bodekesham, & cum omnibus ad se pertinentibus. *Ethelnothus successor ejus Episcopus, Over & Barton & Snapvvel, cum omnibus ad se pertinentibus. Ethelnothus, filius Godrici, Accleiam, cum omnibus ad se pertinentibus. Eylvvynus Svverte, Cranfeld, & Kemeston, & Cloppam, cum omnibus ad se pertinentibus. Leoffius Diaconus, Wipsinton, & Langetehl, & Watlinrvorth, cum omnibus sibi pertinentibus. Leoffius nepos ejus, Meringe, cum omnibus ad se pertinentibus. Alffius de Lanwathe, Burcvvel, cum omnibus ad se pertinentibus. Johel de Lincoln, Querinton, cum omnibus ad se pertinentibus. Hardecnut verò frater meus, Hemingford, & Gilling cum omnibus sibi pertinentibus.

*V. an. 1034. 3.

*V. an. 1034. n. 3.

VI. QUÆ EDOARDUS DEDERIT. Postremò ego ipse, propter spem retributionis æternæ; & pro remissione delictorum meorum; & pro animabus patris, & matris meæ, & omnium parentum meorum, ad laudem Omnipotentis Dei; ad usus fratrum ibidem Deo servientium; de meo jure, quod mihi soli competebat, absque ullius reclamatione, vel contradictione, ista addidi. Inprimis Kingested, cum omnibus ad se pertinentibus; & cum omni maris ejectu, quod Shipvvreck appellamus; & Wynebode ham, cum Hundred, & dimidio, infra Bichamdich, & cum sexaginta quatuor *socmannis, ad hundred pertinentibus: & cum foro de Bunham ad Wynebodesham pertinente. Relaxamus igitur istis & omnibus supra nominatis terris, consuetudines omnes, & exactiones Regalium, & Episcopalium ministrorum; sicut antecessores mei Reges primò fecerunt; ut nullis graventur oneribus expeditionum, nec pontium, nec castrorum restructione, nec furis apprehensione, & emissione, nec sanguinis effusione: & omnia, quæ ad locum illum pertinent, sint omnia libera; Cella, Ecclesia, cæmiteria, terra, pascua, silva, venationes, aqua, piscationes cum redditibus, servitiis, debitis, oblationibus, luminaribus, decimis, donariis, censu, *morthidis, legibus, consuetudinibus, causarum discussionibus, emendationibus, sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus; & cum omnibus quæcumque maris procellosis tempestatibus, in aquam, vel in terram eorum ejecta fuerint; quod Anglicè Shipvvreck promulgatum est onomate: & omnibus, quæcumque scriptis, & testimonio bonorum hominum, rememorari potuerint; quæ à Regibus concessa, vel concedenda sunt: ut nullus exeis subtrahere, vel diminuere, aut dispergere, qualibet occasione, judicio, vel potestate, præsumat.

*Sunt tenentes, qui tenementum possidet cum onere agriculturæ Domino præstandæ.

*Sunt Hidæ quæ à mortua manu possidentur.

VII. Renovamus etiam, & confirmamus privilegia antiquorum Regum: atque ob reverentiam Dominæ nostræ, perpetuæ Virginis Mariæ, Sanctique Benedicti, Sanctarumque Virginum; omnibusque futuris ibidem Abbatibus, in tota possessione monasterii, Sacham, & Socham, teloneumque suum, in terra, & in aqua concedo; & consuetudines; ut ab omnibus apertius, & pleniùs intelligantur Anglicè scriptis scilicet Mundbreche, Feardvvite, Blodevvite, Milkemuge, Frithsoke, Hamsocne, Forstal, Forphange, Tihpheang, Hangvvite, Grithbreche, Vtlep, Infongenthef, Sypbriche, tol, & tem; aliasque omnes leges, & consuetudines, quæ ad me pertinent; tam plenè, & tam liberè, sicut eas in manu mea habebam. Et ut omnia concludam; nullus succedentium Regum, Episcoporum, Principum, Comitum, Vicecomitum, procuratorum, seu aliorum Regum clientium; vel alia quælibet magna, vel parva persona; per vim, aut per consuetudinem, pastum, censum, vel impensionem; non opera, non tributa, xenia seu munuscula, vel aliud quidlibet, ab eorum possessionibus exigat: sed omnimodam libertatem perpetualiter, in terra, & in aqua; in Vrbe, & extra; in domo, & extra; in villa, & extra; in via, & extra, in placito, in soca, & saca, in teloneo, & in omnibus suis appendiciis, habebant. Quisquis igitur fidelium, hanc nostram munificentiam amplificare, propriis donis, satagerit; augmentet illi Omnipotens Deus gaudium perenne, ubi perpetuitas viget. Si quis verò, quod absit; eam destruere volueris; vel hujus nostri decreti contradictor, convulsor, & temerator extiterit, perpetuo anathemati subjaceat, nisi Deo, & ejus gloriosæ Matri, dignâ pœnitentiâ satisfecerit.

VIII. Scripta est namque hæc scheda, me jubente, & sigillata his testibus, quorum onomata infra habentur, consentientibus; secundo Calendas Decembris.

Ego Edwardus Rex, Deo largiente, Anglorum, signum venerandæ Crucis impressi.

Ego Stigandus, Archiepiscopus, concessi; & confirmando, signo Sanctæ Crucis consignavi.

Ego *Aethelredus Archiepiscopus, gratanter corroboravi.

*Aldredus.

Ego Wulfstanus Episcopus, vexillo Sanctæ Crucis prænotavi.

Ego Gyso Episcopus, consentaneus fui.

Ego Walter Episcopus, consensum præbui.

Ego Reimbaldus Cancellarius, consigillando commodum duxi.

Ego Snigarus, Notarius scripsi.

Ego Aelsius, Abbas.

Ego Edwinus, Abbas.

Ego Egelwinus, Abbas.

Ego Baldewinus, Abbas.

Ego Alvvinus Abbas, hoc meum desiderium ad perfectum adduxi: & à Rege hilariter suscepi.

Ego Leofricus, Dux. Ego Haroldus, Dux. Ego Leofvvinus, Dux. Ego Edvvinus, Dux. Ego Hugolinus, Cubicularius. Ego Edgarus Stallere. Ego Rubertus, filius Witman. Ego Wigodus, de Lincolne.

IX. TEMPUS DATI DIPLOMATIS EXCUTITUR. Annus dati Diplomatis non apponitur; sed ex Episcoporum subscriptionibus, satis apparet, ad hæc tempora referendus. Qui ibi scribitur, Aethelredus, Alredus est, Eboracensis; qui etiam post Edoardi mortem superstes, Guilielmum Normannum, Angliæ Regem inunxit: vivente quidem Stigando, sed Romani Pontificis sententiâ, ab officii executione suspenso. Transtulit etiam Sancti Joannis ossa, qui Beverlaci sepultus, & inde dictus; miraculorum gloria dudum claruerat, & Beverlacensem urbem, imo & Orbem illustraverat. Translationis hujus memoriam, majores nostri Veneeati sunt, & festo duplici coluerunt ad 25. Octobris: quo die ita inter Missarum solemnia canebatur. *Deus qui hanc diem Sanctissimi Joannis Confessoris tui atque Pontificis translatione decorasti, fac nos quæsumus, ejus meritis & precibus in Sanctorum tuorum societatem transferre.* In nostro etiam Martyrologio ad eundem diem hæc translatio recitatur. Non priùs potuit Diploma dari; quia cæteri subscribentes Episcopi, vix erant consecrati: nec multò posteriùs; quia Edoardus Rex, quâ Westmonasteriensis Ecclesiæ inauguratione distentus; quâ se ad dicti facti que rationes Deo red-

dendas,

dendas, suavissimè componens; non potuit remotiora procurare, cùm domui suæ debuit disponere.

ANNUS CHRISTI 1064.

ALEANDRI II. PAPÆ 4.

EDOARDI ANGLORUM REG. 23.

I. GRIFFINUS A SUIS OCCIDITUR.

ANNUS Christi Domini millesimus sexagesimus quartus, Edoardo Regi, & omnibus Anglis pacem attulit, hoste submoto. Nihil enim in Insula turbarum erat; nisi quod à Britanno timebatur; qui ad omnem occasionem, vicinos deprædandi, vigilans; timorem provincialibus injecerat. Verùm hoc anno, factionis adversæ succiso capite, detumuit exterorum æstus, qui inimicum impetum fovebant. Griffinus ille, inter silvices Principes, qui superioribus annis In Anglorũ agros excurrerat: & viso hoste, ad sua se receperat: nunc orto, inter suos contribules tumultu, imperio omni, vitâque exuitur. Quod è Wigorniensi, ita refert Hovedenus. *Anno millesimo sexagesimo quarto, Rex Walanorum Griffinus, nonis Augusti, a suis interficitur; & caput ejus, caputq; navis ipsius, cum ornatura, Comiti Haroldo mittitur. Qua mox ille Regi detulit Eadvvardo. Quibus gestis, fratribus illius Blethgento, & Rithvvalano, Rex Eadvvardus, terram Walanorum dedit. Cui & Haroldo Comiti fidelitatem juraverunt illi; & ad imperium illorum, terra mariq; se fore paratos; ac omnia, quæ prius, de terra illa Regibus anterioribus fuerant pensa; obedientes se pẽsuros spoponderunt.* Ita multarum Provinciarum quieti, hoc anno, consultum. quid factum sequenti, cùm Edoardus Rex in Britannorum fines ingressum pararet, dicam inferiùs. Unde colligitur; Ordovices, hoc est, boreales Britannos, in Australes pugnasse, & illos non alios, Griffino mortem intulisse.

Hoved. hic.

II. TUMULTUS IN AULA REGIS A FILIIS GODWINI.

Vix externorum iræ deferbuerant, cùm domi, in ipsius Regis penetralibus, frater, fratrem; sanguis, sanguinem petit. Godwini Comitis filii, Regis favore, & affinitate; quà amplissima in provinciarum administratione: ut in magnum nomen; ita in magnos animos surrexerant adeo; ut vel ideo, de substituendo sibi, post mortem, Guilelmo, Edoardus Rex consilium capere conatus sit, ut *supra innui. Insigne hujus rei argumentum, ex hujus anni gestis petitur, cùm Tostius in Haroldum, hoc est frater in fratrem, odii, ambitionis, invidiæque stimulis agitatus (aulicorum hic morbus est) admodum indecorè & inciviliter surrexit. Quod Huntindonius, cùm Griffini mortem recensuisset, refert in hunc modum. *Eodem anno contigit, quòd in aula Regia, apud Windeshores; Tosti, Haraldum fratrem suum Regi vina propinantem, capillis coram Rege ipso arripuerit. Invidia namque, & odii fomitem ministraverat; quòd cum Tosti ipse primogenitus esset; arctiùs à Rege frater suus diligeretur. Igitur impetu furoris propulsus; non potuit cohibere manus, à cæsarie fratris. Rex autem perniciẽ eorum jam appropinquare prædixit; & iram Dei non differendam. Tanta namque sævitiâ fratres illi erant; quòd cùm alicujus nitidam villam conspicerent; dominatorem de nocte interfici juberent: totamq; progeniem illius, possessionemq; defuncti obtinerent. Et isti quidem justitiarii erant regni. Tosti igitur furibundè discedens à Rege, & à fratre suo, perrexit ad Heresord: ubi frater suus *corrodium Regale maximum paraverat: ubi ministros fratris sui omnes detruncans; singulis vasis vini, medonis, cervisiæ, pigmenti, morati, siceræ; crus humanum, vel caput, vel brachium imposuit. mandavitq; Regi; quod ad *firmam suam properans; cibos salsatos sufficienter inveniret: alias secum deferre curaret. Rex ergo eum, ob scelus adeo infinitum, delegari, & exulari præcepit.*

*V. an 1059 5.

Itinerario fol 367.

*Convivium habes 1Vest. anno 1065.

*Prædium suum.

III.

Tacuissem hoc barbarum facinus, meritò tenebris damnandum; nisi mens ratioque instituti postularet justificare Deum in sermonibus suis, ut vincat, cùm judicatur, Insulam extremo militi iterum tradidisse. Nisi enim magnatum peccata, Dei iram provocassent: non toties Anglia hostibus præda fuisset. Quod sequenti anno, Regi Edoardo pleniùs è cælo exponetur. Interim quod idem Rex, de vicina pernicie filiorum Godvini vaticinatus est in Tostio, & Haroldo; brevi implebitur. Nam Tostius è Northumbria, quò fugerat; & omni Insula proscribetur; & paulò post, Haroldus, & regno quod usurpaverat, & quam vitiis fœdaverat, vita privabitur. Nunc Provincialium virtutes, & pietatis opera colligamus; quæ si non diluere procerum peccata; minuere saltem reliquorum pœnam, & mitius mereri flagellum, poterunt.

IV. EXPEDITIO MULTORUM IN TERRAM SANCTAM.

Memorant hoc loco authores nostri, Ingulphus, Wigorniensis, & Marianus Scotus, pessimam expeditionem in terram sanctam: quo Germaniæ Episcopis, provectionis authoribus, multa hominum millia, Jerosolymam perrexerunt. Cæterùm licèt multa acciderint Annalibus digna, quibus Deus hujusmodi religionis actum, sibi gratum, sanctumque demonstravit: iis tamen missis, ea solùm inseram, quæ ad Anglorum pietatem faciunt. Nam hinc etiam, aliqui Germaniarum Episcopis conjuncti, se itineris, laborum ac periculorum socios fecerunt. Licèt eos Marianus Scotus, & Wigorniensis tacuerint. Baronius unius meminit; & ideo eum breviter de expeditione loquentem, audiam. *Hoc eodem anno* (1064.) inquit, *celebris instituta est peregrinatio Hierosolymam, septem millium virorum, & ampliùs, ut tradit Marianus Scotus: primoresq; horum Duces fuisse Germanicos Antistites, Sigefridum Archiepiscopum Moguntinum, Willelmum Trajectensem, Guntherum Bambergensem, atque Ottonem Ratisponensem, Episcopos: eosdemq; profectos autumnali tempore. Sed hoc eorum imprudentia vitio datum; quod circumspectò nimis ornati, barbaros ad prædam allicerent: adeo, ut confligendum sæpè cum illis fuerit, in Palestina. Quæ certamina Lambertus exactè describit, narratq; eos in maxima adductos fuisse discrimina; & præter spem liberatos divino auxilio. At verò ex numero septem millium & amplius virorum, vix bis mille superstites remansisse, qui ad priora sunt reversi, Marianus Scotus testatur.*

Baron, hic n. 43.

V. INGULPHUS EX EORUM NUMERO UNUS.

Unus ex iis in Ingulphus nomine, Anglus natione, patria Londoniensis, scriba Guilelmi Comitis Northmannorum, postea Regis Anglorum; in commentario historia, quam scripsit monasterii sui Croylandensis; cui postea præfuit, hæc habet summatim de his obiter agens. Nunciatur per universam Northmanniam, plurimos Archiepiscopos Imperii, cum nonnullis aliis terræ Principibus; velle pro merito animarum suarum, re peregrinos, cum debita devotione, Hierosolymam

Ingulf. fol. 904.

proficisci.

proficisci. De familia ergo Domini nostri, plurimi tam milites quàm clerici, quorum primus, & præcipuus ego eram; cum licentia Domini Comitis nostri, & benevolentia, in dictum iter nos omnes accinximus: & Alemanniam petentes, equites triginta numero, & amplius, Domino Maguntino conjuncti sumus. Parati namque omnes ad viam, & cum Dominis Episcopis connumerati, septem millia: pertransfeuntes multa terrarum spatia, tandem Constantinopolim pervenimus. Ubi Alexium Imperatorem ejus adorantes, hagiosophiam vidimus, & infinita sanctuaria osculati sumus. Divertentes inde per Lyciam, in manus Arabicorum latronum incidimus: eviscerati que de infinitis pecuniis, cum mortibus multorum, & maximo vitæ nostræ periculo, vix evadentes: tandem desideratissimam civitatem Hierosolymorum læto intuitu tenebamus. Ab ipso tunc patriarcha, Sophronio; viro veneranda canitie honestissimo, ac sanctissimo; grandi cymbalorum sonitu & luminarium immenso fulgore suscepti, ad divinissimam Ecclesiam Sanctissimi Sepulchri, tam Syrorum, quàm Latinorum solenni processione deducti sumus. Ibi quot preces mactavimus: quot lacrymas effleximus: quot suspiria suspiravimus, solus ejus inhabitator novit Dominus noster Jesus Christus.

VI. *Ab ipso itaque gloriosissimo sepulchro Christi, ad alia Sanctuaria civitatis invisenda circumducti; infinitam summam sanctarum Ecclesiarum & oratoriorum, quæ Achim Soldanus dudum destruxerat, oculis lacrymosis vidimus; & omnibus ruinis sanctissimæ civitatis, tam extra, quàm intra, numerosis lacrymis compassi; ad quorundam restaurationem, datis non paucis pecuniis, exire in patriam, & sacratissimo Jordane tingi, universaque Christi vestigia osculari, desideratissima devotione suspirabamus. Sed Arabum latrunculi, qui omnem viam observabant, longiùs à civitate evagari, sua rabiosa multitudine innumera, non sinebant. Vere igitur accedente, stolus navium Januensium, in portu Joppensi applicuit. In quibus cum sua mercimonia, Christiani mercatores, per civitates maritimas commutassent, & sancta loca similiter adorassent; ascendentes omnes, mari nos commisimus: & jactati fluctibus procellisque innumeris, tandem Brundusium appulimus; & prospero itinere, per Apuliam, Romam petentes; Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli limina, & copiosa Sanctorum Martyrum monumenta, per omnes nationes osculati sumus. Inde Archiepiscopi, cæterique Principes, per dexteram Alemanniam repetentes: nos versus Franciam, ad sinistram declinantes; cum inenarrabilibus gratiis, & osculis ab invicem discessimus. Et tandem de triginta equitibus, qui de Northmannia pingues exivimus; vix viginti pauperes peregrini; & omnes pedites, macie multa attenuati reversi sumus.* Hæc omnia de suo itinere Ingulphus. *Quæ recitasse non pœnituit* (inquit Baronius) *ad insinuandum, quo statu tunc Hierosolymorum civitas esset, cum Ecclesiis circumquaque dejectis.*

VII. Peregrinationis religio. Ego tamen libentiùs ea lego, & in Annales hosce colligo, ut videat Lector Orthodoxæ Fidei constantiam, in visitandis, colendisque locis Sanctis, quæ omni sæculo, à nato Christo, passoque, & deinceps, religiosè à fidelibus peti consueverunt. Nam ut nihil dicam, de Helena nostra; quæ extinctis Ecclesiæ tyrannis, prima princepsque fuit in hoc pietatis genere: cùm Crucis inveniendæ causâ, Palæstinam lustravit annosa fœmina: repete, quæso, altiora tempora: & quid priùs factum, cùm Calvariæ montem, calente adhuc ibi Christi Sanguine, Christiani fideles invisere soliti, Passionis loca omnia, & monumenta venerati sunt; spretis Imperatorum edictis, Judæorum minis, barbarorum contra intentionem verberibus, & plagis; quæ *suprà descripsimus. & vide hunc cultum, per mille jam annos, magno Principum, & provinciarum consensu; nullo nisi Judæo, infideli, barbaro, & Dæmone reluctante, usurpatum. *V. an. 124. n. 2. &c. Vide etiam modum cultus, eundem esse, lacrymis, osculis, supplici corporis situ expressum: quæ omnia in primis, purisque sæculis; in Helena, aliisque fidelibus contemplati sumus: & puta fidem Regiam, in Petræ firmitate fundatam; verè omnibus inferorum portis majorem esse. Jam verò, si Britannorum, Saxonum, Anglorum sacra, & ritus conjunxeris: si Romanas, & Jerosolymitanas expeditiones, numeraveris, à Lucio, & Helena, ad hæc tempora quando nuper Aldredus tunc Wigorniensis, nunc Eboracensis Antistes, *Jerosolymam profectus est, ante annos *sex: & modò tot millium Christianorum exempla contempleris: jure cum Propheta exclamare poteris: *Mirabilia testimonia tua Domine: ideo scrutata est ea anima mea.* *V. an. 1058 n. 6 Psalmo 118.

VIII. Non solùm è Normannia Ingulphus noster, sed plures ex Anglia, Germaniæ Præsules, in Palæstinam, hoc anno sequuti sunt. Duorum mentio est in vita Sancti Regis Edoardi: qui quantum colligi potest, hoc ipso tempore expeditionis Sacræ socii fuerunt: hoc est, nunc, an. millesimo sexagesimo quarto, eò profecti: & sequenti, in patriam reversi, Edoardo Regi mortis nuntium attulerunt: accepto Ierosolymis oraculo. quod quia Aelredus, antiquus Author, narrat, est meritò hoc loco repetendum. Sic enim Edoardi Regis, in Sanctum Joannem Evangelistam, pietatem explicat.

IX. Apud Capgrav. in Edoardo Conf. Edoardus coluit S. Joannem Evangelistam. *Sanctus Edwardus, nulli petenti, in nomine Sancti Joannis Evangelistæ, aliquid denegabat. Hunc enim, post Apostolorum Principem, arctius diligebat. Unde contigit, quod quidam peregrinus, absente Camerario, in nomine Sancti Joannis Evangelistæ, importunè à Rege eleemosynam postularet. Cui Rex pretiosum annulum, cùm nihil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post hæc, duos Anglicos, ad orandum Salvatoris Sepulchrum, Hierosolymam proficisci. Qui die quadam, à publica strata declinantes, devia quæque sectati sunt: & sole ruente, nox obscura subducta est. Et cùm nescirent, quid agerent; quò se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad Civitatem reduxit. Suscepti autem hospitio, mensa paratur, lautissimèque refecti, dant membra quieti. Mane autem facto; egressis illis de civitate, ait senex: Viri fratres, cum summa prosperitate, vos repatriaturos non dubitetis: quoniam prosperum iter faciet vobis Deus. Et ego ob amorem Regis vestri, in omni via, firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum apostolus Christi Joannes, qui Regem vestrum, ob meritum castitatis, summâ dilectione complector. Hunc enim annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit; reportate; annuntiantes ei obitus sui instare diem, quem infra sex menses visitans visitabo; ut mecum sequatur agnum, quocumque ierit. His dictis disparuit: & illi ad patriam prosperè redeuntes, quæ viderant, & audierant, Regi seriatim retulerunt.* Hunc annulum Regi à Peregrinis traditum, diu post in veritatis argumentum, reique piè gestæ memoriam asservatum, dicam anno sequenti: cum Edoardo à peregrinis traditur.

ANNUS CHRISTI 1065.

ALEXANDRI II. PAPÆ 5.

EDOARDI ANGLORUM REG. 24.

I. Tumultus a Britannis, et Northumbris.

Sequitur Christi annus millesimus sexagesimus quintus, turbarum initio plenus: quas Britanni, primùm; inde Northumbri, in multorum perniciem excitarunt: sed Deo omnia, ad divini sui consilii fines dirigente; in pacem, pietatemque, desiit. Britannorum turbæ, à Griffini Principis morte, ortum habuerunt. nam Caradocus ejus filius, indignam parentis necem ulturus; improviso in Anglos irruit; multos vitâ, plures fortunis omnibus, exuens: cùm obsequium Edoardo Regi meditantes Angli, convivium illi præpararent. quod ita narrat Wigorniensis: *Strenuus Dux West-Saxonum Haraldus, in terram Walanorum, in loco qui Portascith nominatur, mense Iulio, magnum ædificari jussit ædificium; & multa quæ pertinent ad esum, & potum, illuc congregari mandavit: ut Dominus suus Rex Edwardus illic, aliquamdiu venationis causâ degere posset: Sed Cradocus, filius Regis Suthwallanorum Griffini, quem ante paucos annos Griffinus Rex Northwallanorum occiderat, ejusque regnum invaserat; cum omnibus, quos habere poterat, die festivitatis Sancti Bartholomæi Apostoli, illuc venit: & operarios ferè cunctos, cum illis, qui eis præerant, peremit: & omnia bona, quæ ibi congregata fuerat, abstulit.* Hæc gesta in Silurum provincia, & Monumetensi agro: ubi, *ad æstuarium juxta Vaga ostium, Portskeweth adsidet, Mariano Portscith: qui prodidit* (loquitur Camdenus) *Haraldum, anno salutis millesimo sexagesimo quinto, munitionem eò loci, contra Wallos objecisse; quam illi statim, duce Caradoco, everterunt.*

Wigorn. hic

Haroldus convivium Edoardo parans, a Britannis impeditur Caradoco Duce.

Camdenus in Monumetensi.

II. Tostius in Northumbrios.

Major, & diuturnior, inter Northumbrios tumultus fuit. Eò quidem fugaverat Tostius, dictus Northumbrorum Comes, quia provinciam illam pro Rege administrabat: Sed jure dominationis abusus, tam ibi, quàm in aula Regis, exosus fuit. nam utrobique plurima impietatis, & arrogantiæ argumenta reliquerat: sed ibi maximè, ubi principatum obtinebat: adeo in civium bona, & vitas truculenter involarat. Nunc ergo inde pulsus, didicit multorum exitio, moderationis habenas mitiùs tenere. Motuum causas accuratè satis recenset Hovedenus ita scribens ad hunc annum. *Quinto nonas Octobris, feria secunda, Northimbrenses ministri Gamelbarn, Dunstanus, filius Agelnothi; Glonicrn, filius Eardulfi, cum ducentis militibus. Eboracum venerunt: & pro execranda nece nobilium Northimbrensium, ministrorum Gospatrici (quem Regina Egithagermanus sui Tostii causâ, in curia Regis, quarta nocte Nativitatis Dominicæ per insidias occidi jussit) & Gamelis, filii Orm; ac Ulfi, filii Dolfini, quos anno præcedenti, Eboraci, in camera sua, sub pacis fœdere, per insidias, Comes Tostius occidi præcepit: Nec non pro immensitate tributi, quod de tota Northimbria injustè acceperat: eodem die, primitùs illius Danicos Huscarlas, Amundum, & Ravenesweartum, de fuga retractos, extra muros Civitatis: ac die sequenti, plusquam ducentos viros, ex curialibus, in Boreali parte fluminis Humbra peremerunt. Ærarium quoque ipsius fregerunt: ac omnibus quæ illius erant, ablatis recesserunt.*

Hoved. hic

Northumbri in Tostii domesticos insurgunt.

Terruit Edoardum Regem hæc borealiorum populorum commotio: festinavitque illi occurrere gnarus: χεῖρον ἐιναι μοναρχίας παρανόμου, ἐμφύλιον πόλεμον. quod utinam nostrates hodie intelligerent: nimirum deterius esse civile bellum, quam exerrantem dominationem ferre. & quis nescit; *seditionis remedia, quàm principia majora esse.* principiis ergo obviaturus Rex verè pacis filius, indocias, & pacis sequestros nominat; qui omnem læsi juris apicem Northumbriis resarciat. Sic ultro citroque itum: sed tumescens aquilonarium tempestas sedari non potuit; nisi is qui tempestatis author jactabatur, mitteretur in mare. Quod ita pergit narrare Hovedenus. *Omnes ferè dehinc Comitatus illius (Northumbria) in unum congregati: Haroldo West-Saxenum Duci, & aliis, quos Rex, Tostii rogatu, pro pace redintegranda ad eos miserat; in Northamtonia occurrerunt. Ubi priùs, & post, apud Oxenefordam, die Sanctorum Apostolorum Simonis, & Judæ; dum Haroldus, & alii quamplures, Comitem Tostium, cum eis pacificare vellent; omnes unanimi consensu contradixerunt: ac eum cum omnibus, qui legem iniquam statuere illum incitaverant, exlegaverunt. Et post festivitatem omnium Sanctorum, cum adjutorio Comitis Edwini, de Anglia Tostium expulerunt. Qui mox cum uxore sua, Baldwinum Flandrensium Comitem adiit, & apud Sanctum Audomarum hiemem exegit. Morgarus verò jussu Regis, Northumbris est prælatus Comes.*

III.

Plutarch in Bruto.

Curtius 9. l.

Hovedenus suprà.

Hic novus Northumbriæ Comes, Morkarus etiam appellatur, quem Hutindonius, modò Margerum, modò Marcherum vocat: & de eo, tumultuque hoc anno excitato, hæc habet: *Edwardi Regis anno vigesimo quarto, Nordhumbri hec audientes* (impia nimirum Tostii facinora, quæ anno superiori recensui) *Tostii Consulem suum qui multas eis cades, & clades ingesserat, fugaverunt: omnemque familiam suam interficientes, tam Anglos, quàm Danos; ceperunt thesauros, & arma ejus in Eoverwic* (Author Eboracam appellat, more antiquorum) *constituerunt igitur Margerum filium Algari Consulis, super eos Consulem: qui cum gente illa, & cum Lincolnsire, & Snotinghamsire, & Derbisire, perrexit usque ad Hamtune. Et Edwinus frater suus venit contra eum, cum hominibus Consulatus sui, & plures Britanni cum eo. Tunc venit Haraldus Consul ad eos. Ipsi verò miserunt eum ad Regem, & nuncios cum eo; precantes ut possent habere Marcherum Consulem super eos. Quod Rex concessit: & remisit Haroldum ad eos, ad Hamtune, qui hæc eis affirmavit. Ipsi verò interim comburentes, & prædantes, & occidentes, provinciæ illi non pepercerunt: sed multa millia hominum secum abducentes; cùm petitionem suam obtinuissent, multis annis deteriorem partem illam regni reddiderunt.* Ita aquilonaris ille ventus; astrum quoque infestavit. Sed seresiora repetamus: ea, inquam, quæ in Northumbriæ regno priùs contigerunt, quàm Tostius, & Juditha ejus uxor, ex Insula pellerentur.

IV. Tostius Comitatu Northumbriæ exuitur.

Huntind. fol. 307.

Oswinum, Deirorum Regem, sanctè mortuum anno Christi sexcentesimo 51., superiori tomo diximus. Ubi etiam ignobiliter primò sepultum: indè magno cum honore conditum; postremò, à Deo, miraculorum gloria illustratum, populorum votis & multorum devotione frequentatum, retulimus. Nunc dicendum; quid frigescente provincialium pietate, & Oswini memoriâ, è Fidelium animis elabente, acciderit. Solet

V. Translatio S. Oswini Regis et Martyris.

enim Deus, religionis faces frequenter accendere; & tepidis mortalium mentibus illabi, suppeditando, cùm expedit, pietatis alimenta. Quod hoc anno factum, authores nostri memorant; cùm neglectum aliquamdiu Oswini Sepulchrum, Deus voluit mirabiliter innotescere. Quod pau-

Hoved. hic. cis Hovedenus ita significat. *Anno millesimo sexagesimo quinto, Reverendus vir Agelvvinus, Dunelmensis Episcopus; Sancti Osvvini, Regis quondam Berniciorum* (lege Deirorum) *ossa; in monasterium; quod juxta ostium fluminis Tine situm est; de tumula levavit: transactis à sepultura ejus quadringentis, & quindecim annis: & in scrinio, cum magno honore locavit.* Sed breviter nimis, pro rei, Regisque, dignitate. Quamvis ergo pluribus hanc Sancti Translationem retulerim, superiori tomo, cùm Sanctus moritur: hic tamen locus postulat, ea repetere; quæ ad hujus anni historiam faciunt: & sic à Florilego referuntur.

VI. *VVestmonast. hic.* NARRATIO TRANSLATIONIS SACRI CORPORIS.

*Anno gratiæ millesimo sexagesimo quinto, inventa sunt ossa sanctissima, Sancti Osvvini Regis, & Martyris, in hunc modum. Post passionem verò Regis Osvvini praclarissimi; sicut in tractatu de ejus passione constat; corpus ipsius ad monasterium Beatæ Dei Genitricis Mariæ, in ostio Tinæ fluminis, ad aquilonem situm, delatum est: & more regio more sepultum. Ubi propter miraculorum ejus frequentiam; per innumera annorum curricula, à populo regionis locus sepulturæ illius, in tanta reverentia est habitus: ut Regem, penes eum sepultum; Dominum, & patronum in terris, & defensorem reputarent in cœlis. *Unde processu temporis, ad majorem Martyris gloriam, Virgines sanctimoniales, de cœnobio Sanctæ Hildæ Abbatissæ, ad corpus ejus introductæ; usque ad persecutionem Danicam; rabie Hinguaris, & Hubbæ fratrum, excitatam; in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis, in supremo regionis culmine permanserunt. In hac persecutionis rabie, cœnobium illud creditur, cum cæteris regionis cœnobiis, demolitum: Sacris Virginibus, per Martyrium ad cœlestia regna translatis. Post hæc autem, per multa tempora, sub potestate Danorum infidelium, regione illa devoluta: Sancti Martyris memoria, à mentibus Provincialium est deleta. Tandem, paulatim cedente fidelium devotione, & fidei crescente puritate: Episcopus loci, in Ecclesia Dei Genitricis, presbyteros statuit, & clericos; qui Provincialibus parochianis divina mysteria celebrarent. Jacuit interea Martyr Beatissimus, cespite abjectior tumulatus; usque ad tempora Ægelvvini Dunelmensis Præsulis, & Tostinis, Northumbrorum Comitis; qui post Sivvardum, non hæreditaria successione, sed Regis Eadvvardi donatione, obtinuit Comitatum.*

VII. AGELWINO DUNELMI SEDENTE FACTA TRANSLATIO.

Placuit igitur divinæ pietati, prædicto Pontifice vivente, Beati Martyris, Reliquias in lucem ad totius Ecclesiæ proventum, efferre; ut lucerna diu sub modio constituta, super candelabrum accensa, infidelitatis tenebras illustraret. Erat autem æditum quidam prædictæ Ecclesiæ, in qua corpus Beati Martyris humatum fuerat, nomine Eadmundus: vir quidem religiosus, & Beato Martyri devotus; qui licet non corpore alicujus monasterii, titulo professionis, esset adscriptus; habitu tamen religionis fuerat insignitus. Hic nocte quadam, cùm post nocturnas vigilias, in Ecclesia, membra sopori dedisset: astitit ei vir quidam, statura procerus, & cœlesti fulgore præclarus; qui viri nomen exprimens, ait frater Eadmunde: Ego sum Rex Osvvinus, qui in hac Ecclesia jaceo, omnibus incognitus: surgens ergo dic Pontifici Ægelvvino, ut in hujus pavimento Oratorii corpus meum quærat, & inventum decentiùs solito, in eodem Oratorio componere non omittat. Expergefactus itaque Eadmundus, & de visione lætificatus: summo diluculo Pontificem adiit: & seriem visionis illi reverenter expressit. Pontifex autem his auditis, ineffabili gaudio exultavit: & gratanter ad locum veniens; populum multum, de partibus remotis ibidem congregatum, invenit: & ad Præsulis mandatum, factâ ab omnibus oratione, Oratorii pavimentum fodere incipientes; multo diei spatio evoluto, nihilque quærendo proficiunt. Porrò confusus Eadmundus de injuria Sancti, accepto ligone, in loco ubi omnes diu foderant, animosè terram percussit: & ictu iterato, laminam sepulturæ offendit. Et lapide revulso; pretiosas Reliquias gaudens invenit.

CORPORIS INVENTIO.

Levatur igitur à Præsule corpus Sanctissimum: & ejusdem Præsulis manibus lotum, & sindone mundo involutum, in loco eminentiori Ecclesiæ honorificè collocatur. Lotura quoque san[...] corporis, in angulo Oratorii, Episcopo jubente, [...]; multis postea non solùm hominibus; sed etiam animalibus profuit ad sanitatem: cujus pulvis in aqua fusus, & potatus; à variis languoribus liberatos pristinæ restituit sanitati. Acta autem sunt hæc, à passionis ejus anno quadragesimo decima quarta, quinto idus Martii. Hæc omnia Florilegus.

VIII. DIES TRANSLATIONIS COLITUR.

Ista Dei mirabilia abundè ex eo confirmantur: quod inventi translatique corporis dies, in honore apud posteros fuerit, & anniversaria solennitate celebris: ut patet è nostro Martyrologio, ad undecimum Martii. Auxit eodem tempore miraculi magnitudinem, capillorum incorruptio; quam Juditha Comitissa novo miraculo probavit; ut refert idem Author in sequentibus.

Westmonast. hic. *Juditha Comitissa uxor Tostonis* (Hunc suprà cum aliis Tostium vocavi) *quæ ab Episcopo, ad hanc inventionem pergenti, aliquam sibi de Sanctis Reliquiis particulam dari postulaverat: ex capillis Sancti Martyris penitùs incorruptis, ex dono ipsius, magnam partem accepit.*

CAPILLI MARTYRIS IN IGNEM CONJECTI NON COMBURUNTUR.

Quæ quosdam sancta devotione inducta, voluit incredulos in Fide confirmare. Jussit ergo ignem copiosum, in medio aula, accendi: & pilis fiducialiter injectis; ipsi læsionem non sentientes incendii debacchantis, in majorem formositatem sunt conversi. Tunc Comitissa rei novitatem admirans; capillos Sancti Martyris ab incendio sublatos, honore condigno, Episcopo dictante, recondidit: & Catholicum, qui ad hoc spectaculum convenerat, populum in Beati Martyris devotione confirmatum abire permisit. Hæc ibi. omitto alia mirabiliter gesta, quæ *suprà recensui, cùm Oswini martyrium, & sancitum ejus cultui festum exposui. ubi violatæ Religionis pœnas dederunt, operæ festum temerantes. *V. an 651. n. 10

IX.

Hic locus, ubi Oswini sacræ Reliquiæ, de novo reconduntur, incrementum cœpit, à rebus hoc anno mirabiliter gestis: & in catalogo ædium destructarum apud Spedum, Tostius, inter fundatores ponitur cellæ ibidem apud Tinemutham, structæ, annexæque monasterio Sancti Albani. *Spedus in Northůberland.* Juditham fortè intelligit Tostii conjugem, quæ Sancti Martyris capillos, Oswini sanctitatis, gloriæque argumentum fecerat. Opinor tamen Ecclesiam hanc Albanensi monasterio non annexam ante annum 1090, ut ibi dicam. mansit in eo loco, Oswini corpus, ab hoc anno, millesimo sexagesimo quinto; ad annum usque millesimum centesimum decimum; tanta populorum frequentia celebre; ut laxare tunc pomerium, & ampliorem ædem extruere necessum fuerit: quod factum, à Richardo Albanensi Abbate; eòque illata de

novo ſacra pignora : ubi poſtremo quieverunt. Hæc etiam Oſwini tranſlatio, paſſim ab autboribus memoratur, & Matthæus Pariſienſis, ita illam refert : *Eodem anno* (inquit ad annum Domini milleſimum centeſimum decimum) *Richardus Abbas Sancti Albani, pretioſas Beatiſſimi Regis, & Martyris Oſvvini reliquias ; cùm magno cleri, & populi tripudio, in novam Dei genitricis Mariæ tranſtulit baſilicam apud Tinemutham ; ab antiquo ejuſdem Dei Genetricis oratorio: in quo corpus ejus ſanctiſſimum fuerat priùs inventum : & in novo feretro collocatum. Facta eſt autem hæc tranſlatio, in die paſſionis ejuſdem Martyris, decimo calendas Septembris, ſecundùm rotulam Cancellarii.* Ita ille. Ego addo: ſecundùm etiam *ſuprà dicta; ubi diem paſſionis ejus conſignavi, ad vigeſimum Auguſti. Denique hanc ultimam ejus tranſlationem referunt etiam Capgravius, & Weſtmonaſterienſis, ad annum Chriſti milleſimum centeſimum decimum. Cæterùm & quomodo cella illa annexa ſit monaſterio Sancti Albani, dicam tomo ſequenti ad annum milleſimum nonageſimum n. 5. 6.

ALIA SACRI CORPORIS TRANSLATIO.
*V. an. 1010 3.
Mat. Pariſ. an. 1010.
*V. an. 651. 7.

X.
*V. an. 1064
PEREGRINI JEROSOLYMA REDEUNTES REGI ANNULUM ET ORACULUM REFERUNT.

Duo Anglici, qui *ſuprà Palæſtinam peregrini petiverunt; in patriam redeuntes, Edoardo Regi Sancti Joannis Evangeliſtæ oraculum, & in Oraculi Fidem, annulum porrexerunt. Utrumque pientiſſimo Principi gratum. nam mortis nuntium, Chriſtum videre cupienti, & amanti; non potuit non jucundum eſſe ; & ab Evangeliſta profectum, Evangelii conditionem habiturum. Annulus etiam nova ſponſalia; nec aliud quàm circulo ſuo, immortalem vitam & beatitudinem, nullo fine terminandam, portendebat. Ad mortem igitur tot amoris benevolentiæque ſignis invitatus libens lictori mortis manus dedit. De hoc uno ſolicitus : quid Angliæ regno, cujus procurationem, jam annos quatuor & viginti ſuſceperat, futurum eſſet. Quam animi anxietatem mirabili oſtento Deus diluere dignatus eſt : adeo ſervorum ſuorum ſuſpiria, & præparationem cordis eorum, benignè intuetur. Hæc omnia, quo ordine acciderint, paucis dicamus. Annulus à peregrinis ſub finem hujus anni relatus videtur, de quo ita Polydorus : *Edovardus Deo longè chariſſimus, jam vigeſimum quartum prope annum regnarat ; idm ei, ut conſtans fama eſt, allatus fuit à quibuſdam, Hieroſolymâ venientibus, annulus, quem ipſe diu ante pauperi clam dederat ; qui pro amore, quem erga Divum Joannem Evangeliſtam, habebat ; eleemoſynam petierat. Sic ei divinu monitis mors Regis annuntiata eſt : qui haud multò poſt morbo tentatus.*

Poly. l. 8.

XI.
ANNULUS EDOARDI DIU RESERVATUS
Harpesfeld. ſec. 11. c. 3. fol. 219
ALII BENEDICTI, COMITIALI MORBO SALUTARES.

Fidem huic narrationi facit ipſe annulus, diu poſt in oſtenti memoriam, reſervatus. Addit Harpesfeldus, cum reverentia quoque reſervatum eſſe; & meritò, quia non ille ſolùm, ſed alii etiam annuli, ejus intuitu benedicti, morbis mirabiliter opem afferebant. Ita enim loquitur. *Quin & annulus ille, de quo diximus, magna in Weſtmonaſterienſi Londini cœnobio poſtea reverentia reſervatus; adverſus Comitialem morbum multis profuit. Inde etiam ortum, ut ad ſacram paraſcevem, Reges Angliæ certos annulos, ſtatis quibuſdam precibus, & cærimoniis conſecrare conſueverint ; adverſus eundem morbum ſalutares. Quæ conſuetudo, & ad noſtra uſque tempora perducta eſt : multiq; hujuſmodi annulorum beneficium, noſtrâ etiam ætate ſenſerunt.* Hæc ille, de ſuo tempore, ad noſtra tempora quod ſpectat: nec annulus ille, nec ullus alius, ſed nec ullius rei conſecratio permittitur. Hinc morbo Comitiali, multò quàm antea peſtilentiùs, vexantur : qui jam integrum decennium ita Angliæ provincias omnes afflixit, ut nunquam fuerit Libitina auctior. Nec ullum malo remedium : quia Edoardi Fides exulat ; quæ docet cives Regibus parere, anarchiam odiſſe, monarchiam in utraque Rep. potiorem eſſe. quæ Comitiali morbo laborantes ferre non poſſunt. Verùm annulus ille, qui aliis ſalutem, Edoardo noſtro mortem attulit : ſed talem quæ illum in immortalem vitam tranſtulit. De quâ nunc agendum.

ANNUS CHRISTI 1066.

ALEXANDRI II. PAPÆ 6.

EDOARDI ANGLORUM REG. 25.

I
EDOARDUS REX AD MORTEM SE PARAT.

ORDIOR annum Domini milleſimum ſexageſimum ſextum, annalium antiquorum more, à naſcente Chriſto, & feſto illo, quod Reges noſtri, ſolenni ſemper cærimonia, regio apparatu, paludamento, coronaque redimiti, cum multa etiam procerum frequentia, celebrabant; ita dantes anno principium. Tunc ergo Edoardus Rex, cælesti edoctus oraculo, mortem ſibi inſtare : ad mortis ictum excipiendum, optimorum Principum more, ſe compoſuit: vitamque piè ſemper actam, ſtatuit multo pietatis opere concludere. Jam Weſtmonaſterienſe templum, & cœnobium, in voti quondam facti ſolutionem, abſolverat ; ea arte, ingenio, munificentiaq; ſtructum, ut poſteros omnes ad invidiam, & æmulationem exciverit. Deerat tamen ad loci ſanctitatem Baſilicæ dedicatio ; quam olim Moyſi Deus, inde Chriſtus & Apoſtoli ad auguſtiorem religionis cultum ſolemnem eſſe voluerunt. Cùm igitur ad Chriſti natalitia proceres Londinum conveniſſent : ea loci temporiſque opportunitate uſus ; noluit diutiùs differri ſolennem ritum; ut eo demum ad votum ſinito, cum Chriſtiano nova nativitate naſci, hoc eſt, denaſci poſſet. In hoc magnum Conſtantinum imitatus : qui cùm perplures Epiſcopos Tyrum convocaſſet ; eoſdem ad Hieroſolymitani templi encœnia, humaniſſimè invitatos, Regio planè ſumptu excepit; quem pluribus deſcribit Euſebius : atque ita cum Deo penſum illud, maximumque religionis actum perſolviſſet, orthodoxè moritur, inter Apoſtolorum & Sanctorum Martyrum reliquias ſepultus, in templo quod ſanctis Apoſtolis ipſe extruxerat, ut tomo primo pluribus oſtendi.

WESTMANASTERIENSIS ECCLESIÆ CONSECRATIO.
Euſeb. in vita. l. 4. c. 43.
V. an. 337. *per totum.*

II.
CONVENTUS WESTMONASTERIENSIS, ET QUID IBI ACTUM,
Spelmannus fol. 627.

Hunc virum magnum, Orthodoxorum Imperatorū Principem, imitatus Rex, Magnum Londini conventum habet : quo durante; cùm Deo abundè ſe ſuaque conſecraſſet ; votorum ſumma potitus, vale mundo, proceribuſque dixit. Conventum hunc Spelmannus, inter Synodos, deſcribit, in hunc modum. *Conventus celeberrimus Weſtmonaſterii, ſub Rege Edwardo Confeſſore habitus, in natali Domini, anno gratiæ milleſimo ſexageſimo ſexto : Indictione tertia, regni ejuſdem Regis vigeſimo quinto, atque ultimo. Præſentibus Edwardo Rege, & Confeſſore, Edgitha Regina, Stigando Archiepiſcopo*

Cantuaria, Eldredo Archiepiſcopo Eboraci, cæteriſq; Angliæ Epiſcopis, Abbatibus, Capellanis Regis, Comitibus, Miniſtris (ſeu Thanis Regiis) & militibus, qui in chartarum ſequentium ſubſcriptionibus nominantur. Quid actum in conventu, paucis narrat; & omnia è Regis Edoardi variis diplomatibus, vel potiùs uno diplomate, non uno modo deſcripto,

Idem ſuprà colligit, & ita refert. *Agitur* (inquit) *de dotatione, privilegiis, celebri aſylo, &c. Eccleſia Sancti Petri, Weſtmonaſterii; jam ab integro reædificata: & dedicata; Regiiſq;, & Papalibus diplomatibus ampliſſimè munita: prout liquet è tribus chartis prædictis Regis Edwardi, & Epiſtolis Leonis Papæ IX. & Nicolai II. quæ hic inferius citantur, & una omnia confirmantur*

III. Summam ferè harum trium chartarum ego ſuperiùs retuli, cùm Leo nonus, & alter Nicolaus, Epiſtolas ſcripſerunt: nec opus erit omnia repetere. Quædam tamen, Dedicationis diem ſpectantia, neceſſariò replicanda; quia præſentis anni geſta continent, Edoardi pietatem, & Fidem explicant: ejus denique facta coronāt omnia. Unde benè Spelmannus, cùm hujuſce conventus cauſam exponit, hæc habet de, Edoardi Regis mente, conſilioque. *Ediderat* (inquit) *à*

Idem f. 635. *fundamentis, Rex piiſſimus Edwardus Confeſſor, labefactatam jam tum Baſilicam Sancti Petri Weſtmonaſterii, ſupra modum ſæculi anguſtiſſimam: quæ noſtratibus etiam exemplum dedit condendi Eccleſias in formam crucis Chriſti Paſſionis, id eſt productiore radio inferiore. Et hoc quidem illud eſt, quod innuit Malmesburienſis dicens, eum hanc Eccleſiam, illo compoſitionis genere primum in Anglia ædificaſſe; quod nunc pene cuncti ſumptuoſis æmulantur expenſis. Ædificatam denuò, ampliſſimis poſſeſſionibus, privilegiis, aſylo celebri, ſive Sanctuario, Regalibuſq; plurimis munificentiis, inſignivit. Et ut Conſtantinus Imperator, congregatos in Concilio Tyri Patres, & undequaque alios; ad conſecrationem Baſilicæ, quam Æliæ condidit accerſivit: ſic Rex Edoardus, ad dedicationem ſuæ illius Baſilicæ Weſtmonaſterii conditæ, Magnates regni, tam ſæculares, quàm Eccleſiaſticos, convocat; ut brevi moriturus, regio huic operi coronidem ſacram imponeret.* Hæc omnia Spelmannus.

IV. Con-ſtanti-num Magnum Edoar-dus imi-tatur. Benè facta eſt Magni Conſtantini mentio: quia eum Edoardus Rex, integrè in omnibus ſequutus eſt, quæ templi dedicationem, Fideique ante mortem profeſſionem, faciunt. Unde Annales hoſce concludam eo lemmate, quod Annalium inſtitutum, finemque, conſtanter probat: nimirum Britannorum Saxonum, Anglorum Regiam Fidem, à Lucio & Conſtantino in hac Inſula per annos mille; unam eandem, Romanam & Orthodoxam fuiſſe, Orienti etiam & Occidenti communem. Cùm id omne quod Æliæ, hoc eſt, Jeroſolymis, in illius templi dedicatione factum, à Conſtantino, legitur id ipſum in Occidente noſtro, ab Edoardo Rege; ſine ullo dubio, actum nemo poterit inficias ire. In Hieroſolymitana ſolennitate ſacerdotes & Epiſcopi ſacris operati leguntur. de quibus ita Euſebius *Interea*

Euſeb. in vita l. 4. c. 45. *ſacerdotes, & precibus, & diſputationibus hanc celebritatem ornabant: alii incruentis ſacrificiis, & myſticis conſecrationibus, divinum numen placabant, & ſupplices Deo preces, pro communi pace, pro Eccleſia Dei, ipſoq; Imperatore, harum præclariſſimarum authore, offerebant. Quo etiam loco noſmetipſi: cui multa ſupra noſtram dignitatem tributa ſunt, publicis hiſce orationibus celebritatem illam exornabamus.* Ita Euſebius Epiſcopus. Hoc ipſum ab Edoardo & Epiſcopis in Weſtmonaſterienſis Baſilicæ inauguratione factum: cùm myſticæ altarium conſecrationes, & incruentum Miſſæ ſacrificium, preceſque pro templi fundatore, à Sacerdotibus & Epiſcopis fundebantur.

Inſuper Conſtantini ſæculo ad templi conſecrationem, neceſſariò Sanctorum reliquiæ deponuntur, ut *ſuprà ſæpè vidimus. Unde Conſtantinus, V. / *V. an. 337. 5.

in Baſilica Apoſtolorum, quam Conſtantinopoli fecerat, ſibi, ſuiſque ſepulchrum; duodecim cappas, θήκας λάρνακας, variorum Martyrum reliquias continentes, poni juſſit: *ne unquam Sacerdotes reliquiis deſtituerentur*, inquit Socrates. Edoardus, *Socrat. 1. c. 26.*

eadem prorſus pietate, in hac ſolennitate Sanctorum reliquias depoſuit; quas in dato hoc anno Diplomate, ſtatim ponendo, enumerat. Conſtantinus etiam, inter SS. reliquias ſepeliri voluit *Incredibili Fidei propenſione* (loquitur Euſebius) *providens, cùm jam corpus ſuum, communem cum Apoſtolis appellationem, poſt mortem participaret: fore, ut defunctus quoque precationum, quæ ibidem eſſent, ad Apoſtolorum gloriam offerenda, particeps efficeretur.* *Euſeb in vita l. 4. c. 60.*

quod pleniùs, planiùſque, Edoardus ſtatim efficeret; cùm dicet, ſe templum extruxiſſe, & Sanctorum reliquias ibidem collocaſſe; pro peccatorum remiſſione, & æternæ vitæ remuneratione: & pro animabus Regum, tam ſucceſſorum. quàm prædeceſſorum ſuorum. Quæ omnia, ſi Regio operi, hoc eſt, Weſtmonaſterii ſtructuræ; *Coronidem ſacram imponunt*: ut vult Spelmannus: ille, & illi, qui monaſteria deſtruunt, qui Sanctorum reliquias foras ejiciunt: qui incruentum Miſſæ ſacrificium perſequuntur; qui mortuorum ſuffragia negant: nec Conſtantinum, nec Edoardum imitantur: ſed regia eorum opera, & *ſacram coronidem* prophanant. Nunc vel ſcribentem, vel dictantem loco ſacro privilegia, Regem audiamus. nam loquela manifeſtam ejus Fidem faciet. & inde natalitiorum ſolennia dilucidiùs colligemus: quæ paucis authores proſequuntur. & inter eos Florilegus ita: *Anno gratiæ milleſimo ſexageſimo ſexto, Rex Anglorum Edwardus, in nativitate Domini, curiam ſuam, apud Weſtmonaſterium tenuit* *Weſtmonaſt. hic.*

Et Eccleſiam quam extra urbem London, à fundamentis conſtruxerat, in die Sanctorum Innocentium, in honorem Sancti Petri, Apoſtolorum Principis, cum gloria magna dedicari fecit.

VI. Edoardi diploma. Cæterùm hæc omnia copioſiùs multo Edoardus tribus chartis expoſuit, quas recitat hoc anno Spelmannus. In prima charta continentur, quæ ad Leonis Papæ novi Pontificatum retuli *ſuprà anno milleſimo quinquageſimo, à numero XIII. ad XVI. ad quæ, hæc adjecta ſunt huic anno propria, quæ omiſi. *Itaque decimari præcepi* (loquitur Edoardus Rex) *omnem ſubſtantiam meam, tam in auro, & argento, quàm in pecudibus, & omni genere poſſeſſionum: & deſtruens veterem, novam à fundamento Baſilicam conſtruxi: & conſtructam dedicari feci, quinto Calendas Januarii. In qua collocavi, ipſa die, reliquias quas *Marinus Papa, & Leo, qui eum conſecravit, dederunt Alfredo Regi: & quas ipſe à Charlemanno Rege Francorum, dari ſibi impetravit. Cujus filiam pater ejus Ethelvvulfus Rex, poſt mortem primæ conjugis duxerat in uxorem: quæq; ab ipſo ad ſucceſſorem ejus Ethelſtanum, deinde ad Edgarum, ad ultimum, ad nos pervenerunt: ſcilicet duas partes* *V. an. 1050. 13. / *V. an. 883. n. 3. / *V. an. 8.. 9.

Crucis Domini, & partem unius clavi, partemq́; tunicæ ejus inconsutilis: & de vestimentis Sanctæ Mariæ, & reliquias Apostolorum Petri & Pauli, Andreæ, Bartholomei, Barnabæ, & aliorum plurimorum Sanctorum; & quinque capsas, aliis Sanctorum reliquiis plenas.

ASYLUM WESTMONASTERIEN.

Et statui, ut quicumque rem majestatis Regiæ, vel cujuslibet alterius offensæ; ad locum in quo pausant istæ reliquiæ confugerit; ejus rei, & membrorum, ac vitæ impunitatem, consequatur. Ita refert primam Regis chartam M. S. Codex Westmonasteriensis, & addit.

VII. EXCOMMUNICANTUR TRANSGRESSORES.

Post hanc donationem, excommunicaverunt omnes Episcopi, & Abbates totius Angliæ, & monachi, & clerici, secundùm Apostolici Leonis præceptum eos, qui hoc constitutum infringerent, vel infringi permitterent, quantum in ipsis esset. Si quis verò hanc nostram donationem augere, & amplificare voluerit; augeat Deus dies ejus prosperos, hic & in futurum. Si autem evenerit, ut aliquis, aut Regum succedentium, vel alicujus personæ homo (quod non optamus) diabolicâ temeritate fuerit elatus, vel seductus; quatenus hoc nostrum infringere, vel minuere, aut in aliud mutare velit; sciat se perpetuo anathemate damnatum: nisi tamen satisfactione emendaverit. Si autem emendatione fuerit indignus; ipse quidem, cum Iuda proditore, gehennæ ignibus cremabitur: sed hæc charta nihilominus in sua libertate permanebit; quamdiu Christiani nominis timor, & amor, in hac nostra gente perseveraverint. Ita Edoardus, qui Prophetiæ dono claruisse, ab omnibus asseritur: quod vel hinc apparet, quia Regiæ chartæ, & Monasterii libertas tamdiu permansit, quamdiu Christiani nominis timor, & amor, in gente perseveravit; nunc misso omni timore; & amore in odium verso; Fides illa quæ Edoardum, & innumeros Reges beavit, conculcatur; & monasteriorum, quæ Fides illa fundavit, libertas periit. Hæc de prima Edoardi charta. Sequitur in Spelmanno charta secunda, quæ incipit: *Sciant omnes futuræ generationes, me pro voti mei absolutione, &c.* quæ omnia, quia in tertia charta continentur; illius tantummodò partem, & exceptum fuisse, non est dubium. Ibi ergo illa referam.

VIII.

Ad tertiam chartam quod attinet: quia Edoardi literas, ad Nicolaum Papam; & Nicolai, ad Regem rescriptum, continent: ejus exordium literasque suprà recensui, ad annum Christi millesimum sexagesimum: nec volo hic eadem repetere: clausulam hic solùm appono, quæ literarum recitationem sequitur in hunc modum.

V. an. 1060. n. 1. 5. 6 10. 11. 12. 13.

DIPLOMATIS TERTII RELIQUUM.

Sciant omnes futuræ generationes, me pro voti prædicti absolutione, peccatorumq́; meorum omnium remissione, & æternæ vitæ remuneratione: & pro animabus Regum, tam successorum, quàm prædecessorum meorum, & omnium parentum meorum: & pro pace, & stabilitate regni mei; & prosperitate totius Anglorum populi, loco illi (Westmonasterium intelligit) *omnimodam libertatem, quantum ad potestatem terrenam, concessisse: & quod illi* (Romani Pontifices) *de Ecclesiastica: hoc ego Regiâ libertate statuo. Ejus igitur amoris stimulo, & Fide plenissimâ, ac devotissimâ suffultus; cujus largifluâ miseratione, in Cathedra Regali promotus sum: cum consilio, & decreto Archiepiscoporum, Episcoporum, Comitum, aliorumq́; omnium Optimatum prospiciens, hoc ipsi Ecclesiæ, ac habitantibus in ea, sive pertinentibus ad eam, utile fore, non solùm in præsenti, sed in futuro; elegi sanciendum, atque perpetui stabilimento ab omnibus confirmandum: ut pro Christi honore, & amore, & pro reverentia summi Apostolorum Principis Petri; cujus patrocinio meipsum commisi: & pro devotione, & veneratione Sanctarum Reliquiarum, quas eidem loco cõtuli: Beatorum videlicet Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum: ut Omnipotens Deus, per istorum suffragia Sanctorum, depulsis cunctis adversitatibus, cum pacis & honoris sui stabilitate, ac perpetua tranquillitatis sublimatione, locum illum custodiat, disponat, ac protegat; & pro magnifica dignitate, sive Regali excellentia ipsius Ecclesiæ, & pro quiete monachorum, ibidem Deo famulantium; tantus honor eidem Ecclesiæ habeatur in perpetuum, & observetur: ut neque nos, neque successores nostri, neque quilibet Episcopus, neque quicumque de judiciaria potestate; in ipsam sacram Basilicam, vel in manentes in ipsa, vel in homines, qui cum suis terris, vel qualibuscumque substantiis, ad ipsam tradere, vel devovere se voluerint, nisi per voluntatem Abbatis, & suorum monachorum; ullam unquam habeant potestatem. Sed sit hæc Sancta mater Ecclesia, peculiaris patroni nostri Domini, & magni Apostoli, ter beati Petri; libera & absoluta ab omni invasione, vel inquietudine omnium hominum, cujuscumq́; ordinis vel potestatis esse videantur.*

IX. LOCI IMMUNITAS

Præterea aliud constituo, atque in perpetuo confirmo, ut quisquis fugitivorum, de quocumque loco, pro quacumque causa, cujuscumque conditionis sit; ipsum sanctum locum, vel procinctum ejus, fugiens intraverit; immunis omnino hanc plenam libertatem consequatur. Et infra hanc igitur chartam meæ donationis, & libertatis, in die dedicationis prædictæ Ecclesiæ recitari jussi, coram Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & omnibus Optimatibus Angliæ, omniq́; populo audiente, & vidente; & secundum Apostolici Leonis, ejusq́; successoris Nicolai constitutum; excommunicari feci eos, qui decretum nostrum infringerent, vel infringi permitterent, quantum in ipsis esset. Quisquis autem successorum meorum, hanc donationis libertatem firmiter, atque inviolabiliter custodierit; æterna coronetur claritate: cœlestisq́; regni plena perfruatur felicitate. Si quis verò, quod absit, eam destruere voluerit; vel hujus nostri decreti contradictor, convulsor, & temerator extiterit; cum Iuda traditore, æterno anathemati subjaceat: nisi Deo, & Beato suo Apostolo Petro, dignâ pœnitentiâ satisfecerit. Ut ergo hæc authoritas, nostris, & futuris temporibus, circa ipsum sanctum locum, perenniter firma, & inviolata permaneat; vel per omnia tempora illæsa custodiatur, atque conservetur: & ab omnibus Optimatibus nostris, & judicibus publicis, & privatis, meliùs ac certius credatur; manus nostræ subscriptione, subteream decrevimus roborare, & idoneos testes annotare, atque sigillo nostro jussimus sigillari. †

X.

† *Ego Edwardus, Dei gratiâ, Anglorum Rex, hoc privilegium jussi componere; & compositum cum signo Dominicæ Crucis confirmando impressi.*

† *Ego Edgida Regina, omni alacritate mentis, hoc corroboravi.*

† *Ego Stigandus, Sanctæ Metropolis Ecclesiæ Cantuariæ Episcopus, confirmavi.*

† *Ego Eldredus Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiæ, consignavi.*

† *Ego Willielmus Episcopus Londinensis Ecclesiæ, ad omnia supra scripta consentiens, subscripsi.*

† *Ego Hermannus, a. Episcopus, consensi, & subscripsi.*

a. Schireburnensis.

b. Dorcestrensis. c. Herefordensis. d. Exoniensis. e. Wellensis. f. Wigorniensis. g. Roffensis. a forte Agelricus Selesiensis.

† *Ego Wulfius,* b. *Episcopus, consensi, & subscripsi.*
† *Ego Walterus,* c. *Episcopus, consensi, & subscripsi.*
† *Ego Leofricus* d. *Episcopus, consensi, & subsubscripsi.*
† *Ego Giso* (lege Giso) e. *Episcopus, consensi, & subscripsi.*
† *Ego Wulstanus* f. *Episcopus, consensi, & subscripsi.*
† *Ego* g. *Sivvardus Episcopus, consensi, & subscripsi.*
† *Ego Godvvicius Episcopus, consensi, & subscripsi.*
† *Ego* a *Agelsius Episcopus, consensi, & subscripsi.*
† *Ego Edvvinus Abbas, consensi, & subscripsi.*
† *Ego Agelvvius Abbas, consensi, & subscripsi.*
† *Ego Leofricus Abbas, consensi, & subscripsi.*
† *Ego Baldevvinus Abbas, consensi, & subscripsi.*
† *Ego Wulfvvoldus Abbas, consensi, & subscripsi.*
† *Ego Edmundus Abbas, concessi, & subscripsi.*
† *Ego Reynbaldus, Regis Cancellarius, relegi, & sigillavi.*
† *Ego Osbernus Regis Capellanus.*
† *Ego Rodbertus Capellanus.*
† *Ego Haroldus, Dux.*
† *Ego Edvvinus, Comes.*
† *Ego Gud, Comes.*
† *Ego Leoffevvinus, Comes.*
† *Ego Markerus, Comes.*
† *Ego Edgarus, Minister.*
† *Ego Condius, Minister.*
† *Ego Radulphus, Minister.*
† *Ego Rodbertus, Minister.*
† *Ego Agelnothus, Minister.*
† *Ego Wigodus, Minister.*
† *Ego Adnothus, Minister.*
† *Ego Wulfricus, Miles.*
† *Ego Sivvardus, Miles.*
† *Ego Godricus, Miles.*
† *Ego Colo, Miles.*
† *Ego Wulfvvardus, Miles.*

Omnes consentientes subscripsimus, stabilita apud Westmonasterium, quinta Calendas Ianuarii, die Sanctorum Innocentium, anno Dominicæ incarnationis millesimo sexagesimo sexto. Indictione tertia: Anno regni Edoardi nobilissimi, & clementissimi Regis, vigesimo quinto.

Ego Alfgeatus Notarius, ad vicem Reynbaldi Regiæ dignitatis Cancellarii, hoc privilegium scripsi & subscripsi. In Dei nomine feliciter, Amen.

XII. Ex data literarum, & indictione tertia, constat antiquum morem fuisse novum annum auspicari, manente indictione veteri, nimirum anni præcedentis. Si enim à Calendis Januarii (Romanorum Pontificum more, quem hic authores sequi videntur) annus numeretur; quarta fuisset ponenda Indictio. Unde Edoardus post paucos dies mortuus, dicetur statim quartâ Indictione mortuus. Et inde ulterius infertur; possim authores nostros, Indictionum exordia, non ab 8. Kalend. Octobris Romanorum Imperatorum more: sed potiùs Romanos Pontifices sequutos, à Januario inchoasse. In Episcoporum subscriptionibus, vix ulla difficultas: Godwicius solùm, externus videtur: & Agelsius, pro Agelrico, Australium Saxonum Episcopo, positus. Quamvis hi duo, in secunda Edoardi charta, hoc anno, mense, die, data, omittantur: & Agelsius inter Abbates numeretur. Vide Spelmannum qui chartam & subscriptiones refert. Leofricus Exoniensis inter Sanctos numeratur cùm moritur anno 1073. Nunc ergo quid Natalitia festa turbarit, quid bonis omnibus, inter tot lætitiæ argumenta, tristitiam attulerit, dicendum; nam solet Deus, jocundis miscere tristitia: quo ad illam civitatem suspiremus; ubi nullus dolor, sed plenum erit gaudium nostrum.

XIII. Edoardi ægritudo.

Edoardi Regis valetudo, sub anni superioris finem ægrotari cœpta; in magno procerum, populorumq; concursu, non potuit non esse deterior. Nam ipsum, & splendidius indui, coronam de more gestare, conviviorum apparatui adesse, omnium denique obsequiis mulceri, distrahique oportuit. Quare finita Westmonasteriensis Ecclesiæ inauguratione, cùm votorum summam absolvisset, morbo decubuit. Quod sic Westmonasteriensis monachus exponit. *Anno gratiæ millesimo sexagesimo sexto, Rex Anglorum Edvvardus, in nativitate Domini curiam suam apud Westmonasterium tenuit: & Ecclesiam, quam extra urbem London, à fundamentis construxerat, in Die Sanctorum Innocentium, in honorem Sancti Petri Apostolorum Principis, cum gloria magna dedicari fecit: sed inter hujusmodi dedicationis festiva solemnia; & ante, idem Rex, gravi infirmitate detentus fuerat. Ingruente morbo, lecto decubuit.* Inter morbi molestias, decumbentis Regis animum momordit cura regni: quam vel externo committeret vel domesticis factionibus permittere, necessum erat. & utrumque plenum periculo. Hunc mentis angorem, mirabili ostento, diluere dignatur Deus: & simul illi futurum regni statum aperire. nimirum, instare nunc Saxonici regni occasum: quem omnium ordinum peccata, & vindex Dei manus, decreverant. Sed audi Alredum id in Edoardi vita referentem.

Westmonast. hist.

XIV. Apud Capgravium in Edoardo. Edoardus oraculum accipit de futuro regni statu.

Cùm autem Rex, inquit, *infirmitate gravi detineretur; in mentis captus excessum, biduo ferè jacebat exanimis. Tandem, quasi de gravi somno evigilans; aperuit oculos, & resedit. Et assumpta parabola, ait: Cùm adolescens in Normannia exularem; grata mihi semper extitit bonorum amicitia: & quicumque sacræ religionis meliores videbantur; hi mihi ceteris erant familiariores. Inter quos monachos duos specialis quadam mihi devinxerant charitas, conversationis honestas, vita sanctitas, suavitas morum, verborum affabilitas. Hos frequentiùs visitabam. Quam dulcia faucibus meis eloquia eorum. Hos ante plurimos,* a *translatos ad cœlum, vidi mihi paulò ante in somnis assistere: quid genti meæ, post obitum meum sit futurum, ex Dei mihi mandato referentes. Impletam dicunt Anglorum iniquitatem: & iniquitas consummata, iram provocat, accelerat vindictam. Sacerdotes prævaricati sunt pactum Domini, polluto pectore, & manibus inquinatis, sancta contrectant. Et hi non pastores, sed mercenarii expensunt lupis oves, nec protegunt: lac & lanam quærunt, non oves; in detrusos adinferos; mors, & pastores depascat, & oves. Sed & Principes terræ infideles, socii furum, prædones patriæ: quibus nec Deus timori est, nec lex honori: quibus veritas oneri, jus contemptui, crudelitas delectationi. Et ecce Dominus gladium suum vibrabit, arcum suum*

a forte deest aliquid, aut vel annos.

tetendit,

tetendit, & paravit illum. Ostendet deinceps populo huic iram, & indignationem, immissiones insuper per Angelos malos; quibus traditi sunt, anno uno & die uno; igne simul & gladio puniendi.

XV. EDOARDI QUÆSTIO.

Ego verò, ob intentatam meæ genti calamitatem, dolens, atque suspirans, dixi: O cœlestium secretorum conscii: si conversi egerint pœnitentiam; nunquid non ignoscet Deus, & relinquet post se benedictionem! Pœnitentia certè, prolatam Dei ore, in Ninivitis suspendit sententiam: quæ etiam imminentem impiissimo Achab debitam distulit ultionem. Suadebo igitur genti meæ; ut pœniteant de præteritis, & caveant de futuris: & forte miserebitur Deus: ut non inducat super eos malum hoc grande: sed qui punire preparavit aversos, recipiat in gratiam solitâ pietate conversos.

SOLVITUR.

Nequaquam, inquiunt, hoc erit: quoniam induratum est cor populi hujus, & excæcati oculi, & aures aggravatæ; ut nec audiant corripientem: nec intelligant commonentem; nec terreantur minis, nec beneficiis provocentur. His eorum verbis, dum mihi major accresceret solicitudo: Dixi: num ita in perpetuum irascetur Deus, & non apponet, ut complacitior sit adhuc?

ITERUM QUÆRIT EDOARDUS, ET

Quando ergo tot tristibus læta succedent; aut tot adversa, qualis consolatio temperabit? Quale sperandum est in his malis remedium: ut sicut illinc terret, & contristat futura correptio; ita hinc aliquantulum mulceat Divinæ miserationis promissio? ad hæc Sancti tale mihi problema proponunt. Arbor qualibet viridis, à suo trunco decisa; ad trium jugerum spacium, à radice propriâ separetur. Quæ cùm nulla hominis manu cogente, nulla urgente necessitate; ad suum reversa truncum, in antiquam radicem sese receperit: resumptoq; succo; rursum floruerit, & fructum fecerit.

PROBLEMATE RESPONDETUR.

Tunc sperandum est aliquod in hac tribulatione solatium; & de ea, quam prædiximus adversitate remedium. Hæc cùm dixissent: ipsi cælo; vobis ego redditus sum. Hæc omnia Ealredus.

XVI. QUID DE PROBLEMATE VARII SENSERINT.

Terruit hoc oraculum optimum quemque; de sua, proximique salute solicitus, æterna gaudia suspirabat: & anxiè quærebat lucem enigmati. Alii, quos minor cura tenebat futuri sæculi; & toti præsentibus inhiabant moribundi homiols delirium, non cœlo missum nuntium, putabant. Unde in prædicto Authore sequitur. *Assidebant narranti visionem, Regina, Robertus sacri palatii Custos, Dux Haraldus. & Stigandus; qui ascendit cubile Patris sui, & maculavit stratum ejus, vivente adhuc Archiepiscopo Roberto, Cathedram Cantuariensem invadens. Ob hoc a Summo Pontifice suspensus, paulo post crepuit, & effusa sunt viscera ejus. Hic ad vocem narrantis obduruit; nec terretur oraculo, nec Fidem habuit prophetanti: sed potiùs Regem senio confectum delirare submurmurans; ridere maluit, quàm lugere. Cæteri verò quibus mens sanior erat, flebant ubertim, & suspirabant, qui nihil secus, quàm ipse dixerat, aut à Sacerdotibus, aut à Principibus fieri non ignorabant.*

Apud Capgravium.

Narrat inde author, multorum sensa, de sensu problematis. Sed difficile est, Divinæ mentis interpretem agere: aut sine cœlesti luce, scrutari Majestatem. Ludant ergo per me licet: & completum dicant Oraculum, cùm Henricus primus Mathildem duxit Edwardi nunc morientis abneptem. tunc enim putant, decisum à suo trunco Angliæ Regnum (quod arbor viridis significat) post trium jugerum spatium, (*quia in trium Regum temporibus*, inquiunt, *nulla fuit cum antiquo semine Regali communio*) ad radicem rediisse: fructumque fecisse tunc; cum ex Henrico illo Imperatrix Mathilda processit, genuitque Henricum alterum.

XVII. EDOARDUS CÆLO PARATUR.

Ego de sensu vaticinii hujus nihil pronuntio: Edoardus Rex, ægritudine tentatus ad purum excoctus est; ut cœlo inferretur. Sed quia bonorum mentium est, culpam, & labes timere; aliorum suffragiis vivens, mortuusq; enixè procuravit, benè doctus nihil coinquinatum intrare posse, quò ipse totâ vitâ suâ tetenderat. Quod ejus pietatis studium, non tacuit Ealredus, dum ita narrat. *Sciens itaque Rex quia appropinquavit hora ejus, ut transiret ex hoc mundo; suum transitum mox in circuitu propalari jussit: nè mortis suæ cogitatione dilata, orationum quoque suffragia differentur, Sicq; senex, & plenus dierum, & bonorum operum migravit ad Dominum. Obiit autem anno Domini millesimo sexagesimo sexto, cùm regnasset viginti tribus annis, mensibus sex, & diebus viginti septem, pridie nonas Januarii; cumque tota pariter Anglorum felicitas ruit, periit libertas, vigor omnis interiit.*

SANCTE MORITUR.

Ita ille. quod ad regni annos attinet; eodem modo loquuntur authores alii; sed de annis completis intelligi debent, Cæterùm si de incompletis loquimur; benè suprà in Regiis chartis, aliisque Authoribus, Edoardus viginti quinque annos regnasse dicitur. eâ certè erga Deum pietate, erga cives humanitate, erga omnes benevolentia; ut omnium ordinum lacrymis abundè fluentibus elatus sit. Unde Wigorniensis, & Hovedenus, hæc habent: *Anno millesimo sexagesimo sexto, Anglorum decus, pacificus Rex Edvvardus, Egelredi filius, postquam viginti tribus annis, mensibus sex, & viginti septem diebus, potestate Regiâ, Anglis Saxonibus præfuit: Indictione quartâ, vigilia Epiphaniæ Domini, feria quinta, mortem obiit, Lundoniæ: & in crastino sepultus regio more; ab omnibus, qui tunc affuere, non sine lacrymis plangebatur amarissimè.*

Wigorn. & Hoved. hic.

XVIII. WESTMONASTERII SEPELITUR.

Sepultus est in eo loco, quem paulò ante magnâ solennitate consecrari fecerat: ubi & multorum Apostolorum, ac Martyrum reliquias religiosè deposuerat: ut quorum in cœlo societate, & consortio beandus erat, eorundem in terris quantum potuit, sodalitio frueretur. Sed mens ejus altior adhuc, & eadem cum magno Constantino; quam sæpius in Annalibus exposui, sed nunquam nimis; quia stupent admodum factiosorum aures animique, nec volunt majorum suorum, immo Maximorum Principum & Augustorum virorum, aut facta intelligere, aut mentem ingredi; qui Sanctis omnibus in cœlo regnantibus, supplices; & vivi eorum patrocinia; & mortui, suffragia implorabant. In ea Fide; quam jam (opinor) meritò *Regiam* Principum nostrorum *Fidem*, mille annorum authoritate assertam, possum appellare; Edoardus moritur: & cum Sanctis eorumque reliquiis, quos in vita coluit, voluit sepeliri. Quam fidem Deus in Rege Sancto innumeris miraculis, è vestigio probavit. Piget ea referre, tot, tantaque sunt; ut eorum pleraque, ne factiosi quidem, quantumvis Sanctos, reliquias sacras, & miracula aversentur, inficiari possunt. Certè de Edoardo mortuo sic scribit Harpesfeldus.

XIX. MORTUI REGIS

Harpesfel. sæc. 11. c. 3. fol. 219.

Mox ut Sanctum spiritum exhalavit; in ipso cadavere, cælestis cujusdam corporis species, se omnium obtutibus obtulit: faciesq; admirabili quodam rubore suffusa, totumq; corpus, nivis instar, candescens, omnium astantium oculos, animosq; ad se convertit. Ad

[SANCTITAS MIRACULIS CLARET.] *Sancti verò tumulum, tanta mox sanitatum beneficia, variis languentibus, diversiś, morborum generibus, indulta sunt; ut ad eorum visum auditionemś, obstupescerent homines; divinamś, ea in re providentiam admirarentur, gratiasś, amplissimas Deo ubique agerent. Quæ tam frequentia, & certa fuerunt, ut Guilielmus Rex, qui Haroldum profligavit; sepulchrum ipsius theca auro argentoś, undique fulgenti, ornavit. Quæ partim alii, partim Osbertus, supradicti cœnobii (Westmonasteriensis) monachus, (cùm in aliis sanatis, oculatus, tum maximè in seipso gravissima quartana febre, post Edoardi opem imploratam excussa, fidelis & certus testis est) summa Fide prosequuti sunt.* Non est animus, aut Osbernum aut alios pro miraculorum enumeratione referre: sufficiat dicere; magnum sanctitatis ejus argumentum fuisse: quod corpus ejus, trigesimo sexto à morte ejus anno, incorruptum manserit. De quo ita legitur in vita ipsius. [Apud Capgravium.] *Anno trigesimo sexto, post Sancti Edvvardi obitum, cùm corpus ejus de terra elevaretur; integrum, incorruptum, & flexibile, cum vestibus recentibus, repertum est. Quod videns Episcopus Roffensis, pilum unum devotionis desiderio accensus, extrahere, sibiś, servare conatur; sed ille firmius habens effectum mentis Episcopi, & voluntatem defraudavit.*

XX. [EDOARDI VIRTUTES] Sed mavult fortè Lector Edoardi virtutes, quàm miracula contemplari; nam ista Deo, illæ Edoardo, propiùs tribuuntur. Licèt ubique etiam Deus, in Sanctissimi Principis vita, rebusś; gestis, illustrissimè eminuerit. Quod Virginem carnem, mentemque ad vltimam usque ætatem, raro exemplo servaverit; corporis incorruptione abundè probatur. [VIRGINITAS. Harpesfeld. sæc. 11. c. 3. fol. 217.] De eo ita Harpesfeldus. *Virginitatis vera, integra illibataś, conservandæ, Edoardus miro flagrabat studio: quod eum à nuptiis alieniorem, & ferè abhorrentem fecit. Sed cùm eas, ab eo, proceres importunè flagitarent: nec tutum ei esset, vel pertinacius illis adversari; vel propositum suum detegere: eorum se tandem voluntati totum tradidit: uxoremś, sibi Eadgidam, filiam Comitis Godvvini; sed ab illius moribus longè dissidentem, lectissimam ubique fœminam asciuit: quam facilè ad commune Virginitatis propositum, sanctâ adhortatione pellexit. Certè per totam illam postea vitam, Virginem in ipso matrimonio perseverasse: & eo ipso tempore passim ferebatur: & ut res certa, à scriptoribus fide dignis, prodita est.* Neque id genus alia exempla, vel in externis, vel [*V. an. 660. 7. 8. &c.] in domesticis nostris, præsertim de Etheldreda Regina historiis desunt. *Cui rei non obscuro indicio esse possunt, non solùm corpus Edoardi; sed & vestes cum corpore sepultæ, ad trigesimum sextum postea annum hujusmodi repertæ; ut primam per omnia integritatem, decoremś, admirabiliter conservarent. Cujusmodi quidam, & commemoratæ* Etheldredæ accidisse post obitum traditur.*

XXI [HUMILITAS.] Virginitatis Comes, & fida custos humilitas est; quæ in sublimi posita illustrior est, adeoś, in Principe admiranda. Eâ Edoardum Regem excelluisse, & Majestatem illi sociasse, probant supradicta; cùm pauperes, leprosos, & infimæ sortis homines, tam amanter amplexus est. Unde benè Harpesfeldus de eo: [Harpesfeldus sæc. 11. c. 3. fol. 210.] *Ille* (inquit) *ab exilio, in tantam rerum amplitudinem gloriamś, provectus: adeo nihil factus est elatiore animo; ut magis se postea ad omnem humilitatem, animiś, demissionem, abjecerit. Et quantò magis omnium rerum splendor, ad elationem provocabat, eò ille se magis diminuebat.* Non sum nesciens, has duas virtutes, Virginem, inquam, & humilem mentem; quas in Rege meritò admiramur; cæcutienti oculo graves esse; & nimio splendore suo parum lucis adferre: sed oculi id vitium est, & magnum in habente, splendoris argumentum. [A FACTIOSIS EDOARDUS PARUM COMMENDATUR. Spedus in Edoardo. Confessore §. 24.] Laborant hac lippitudine factiosi: Joannes Spedus læsæ Fidei in matrimonio datæ, Edoardum accusat, quod cum uxore noluerit voluptuari: Francisco Godwino displicet, opinor, Regis demissio: & ideo scribit in hunc modum: *Edowardus Rex, qui quod homo esset bonus, licet Rex pessimus, Sancti & Confessoris nomine innotescit.* [Godvvinus in Cantuar. in Roberto 33. Episcopo.] Quasi verò Reges pessimos, soleamus Reges Sanctos appellare. Sed ut in Fide nævos, sic in Sanctis vitia; novi Aristarchi avidè quærunt; facilè inveniunt, & inverecundè propalant. Quod pessima à subditis Edoardi Regis, acta sint, in hac insula; supra confessus sum: sed ea pessima, pessimos faciunt ea patrantes: non afficiunt ea detestantes. Vide quid fecerit, dixerit, scripserit, mandaverit, vetuerit Edoardus Rex: & inde, non aliunde fer judicium. Vide etiam; si humana nauseas; divina, de eo ejusque vitæ morumque qualitate, suffragia: descende si placet, in tempora difficilia, in elatos procerum animos; qui cives ad se variis artibus traxerant: æstima fluctuantem Reip. statum; Danorum, Britannorum, Scotorum factione distractum cui colligendo peritissimus quisque facilè succumberet. Perpende etiam, inter hæc adversa; qua manu, justitiæ libram Edoardus tenuerit; pacem cum subditis, societatem cum externis, sartam, tectamque servando: &, opinor, Regem optimum judicabis. Quod si Deum, operibus manuum ejus patrocinantem videris: & quis non videt? nihil ultra dubitabis.

XXII. [EDOARDI REGIS IUSTITIA ET ÆQUITAS Harpesfeld. fol. 216.] Rectè igitur de Edoardo Rege censuit Harpesfeldus; qui mores ejus penitùs excutiens ita pronuntiat. *Accessit ad hanc* (humilitatem) *aliarum omnium virtutum consociatio. summâ justitiâ, & æquitate, jus judiciumś, moderabatur, à qua, neque pauperis, neque divitis, aut potentis alicujus gratiâ, deflectebat. Ab ira, gula, cæterisś, crassioribus id genus vitiis, longè remotissimus; intra in Deum, divinaś, omnia, pietate propendebat. Et ut domesticis æqualem se quodammodo, populaś, gratum, & plausibilem: ita Deo sis Sacerdotibus humilem præbuit.* [EIUSDEM PIETAS.] *Monasteria, delapsa temporum injuria, Danorumś, incursionibus, & grassationibus; vel restaurabat; vel de novo erigebat. Vultus certè & sermo illius, omnis pietatis judex erat. Vultus quidem suavis, & jucundus, sanctitatem quandam spirabat. Sermo summâ semper gravitate, & cœlestium rerum narratione conditus: aliàs salutari doctrina instruens: aliàs miseros & afflictos jucundâ consolatione reficiens: alias blanditiis leniens, aliàs pro re nata gravis, & regia Majestate terrens.* Hæc ille. Sed fortè ad optimi Principis complementum & absolutam ejus regiminis formam, nihil potest magis facere; quàm populi, omniumque ordinum desideria; non solùm in Edoardi morte expressa; sed diu post, in omnium Anglorum pectoribus ardentia: cùm à Normanno victi; ea conditione vinci, & cedere voluerunt; ut Edwardi boni (ita Anglia supplicabat) legibus viverent: quo nihil ad ejus justitiam, æquitatemque (sunt illa Regum ornamenta maxima) explicandam, diu post illustrius. XXIII.

Enimvero Gulielmus, ubi Angliæ regno po-

EDOARDI LEGES OBSERVATÆ,

titus est, & jura civibus provinciisque dictavit; nihil sibi, rebusque suis conducibilius vidit; quàm Edoardi leges, & patrias sub eo consuetudines, à sapientibus collectas, firmare: & illis Angliæ regnum moderari. Hinc in capite legum collectarum, sic teste Hovedeno, præcipit Gulielmus Rex. *Hoc quoque præcipio* (inquit) *omnes conservare legem Edwardi Regis, in omnibus rebus, his adjectis, quæ constitui ad utilitatem Anglorum.* Hanc ob causam Guilielmi decreta, Lambardus in Archæonomia sic inscribit. *Leges boni Regis Edoardi, quas Gulielmus Bastardus postea confirmavit.* Cæterùm non invenio Edoardum novas leges condidisse, sed antiquas tantùm Anglorum Regum renovasse; quas Dani Principes neglexerant, qui præter morem præcedentium Regum, spreto patriæ jure, pro arbitrio, Coronæ jura violaverant. Unde sapientes à Guilelmo collecti, anno quarto regni sui; consultique, quo jure vivendum, ita inter cætera dixerunt: *Danorum Reges, multa jura & dignitates, & terras, & insulas, à corona regni hujus alienaverunt, & dilapidaverunt: & Dacis suis, & Norwegiensibus illas dederunt: qui regnum infestantes destruxerunt: idcirco donationes & alienationes eorum in irritum revocari debent, & in nihilum reduci & omnino extirpari. Irascitur bonus Rex Edvvardus; facta eorum, in quantum potuit revocavit. Sed non potuit omnia revocare. non habuit vim quod potuit regnum in pristinum statum reducere, & reformare. Servavit sacramentum; fecit enim quod potuit. Temporibus verò Regum Danorum, sepultum fuit jus, in regno, leges & consuetudines simul sopitæ: temporibus illorum prava voluntas, vis & violentia magis regnabant; quàm judicium in terra.* Ita sapientes, & regni proceres Guilielmo Regi dixerunt, à morte Edwardi Confessoris.

Hoved. fol. 601.

Apud Lambardum fol. 130.

XXIV. EDOARDI LEGES, ET CUR ITA DICTÆ? *V. an. 1001. 9.

Si quæris; quænam leges illæ, quæ Edoardi boni leges dicuntur, collectæque à sapientibus, à Normannis confirmatæ sunt? Respondeo non aliàs fuisse ab iis, quas Inas, Alfredus, Athelstanus, Edgarus, denique Ethelredus pater ejus, in Einshamensi potissimùm Synodo, edixerant; quas supra suis locis recensui. Cæterùm ideo majorem authoritatem nactæ sunt; quia illas sanctissimus Rex Edoardus, Majorum suorum premens vestigia; à Danis antiquatas, & penitus neglectas; vim pristinam habere voluit. Hinc Hovedenus, cùm leges recitat hæc habet. *Postquam Rex Edvvardus venit ad regnum, consilio Baronum Angliæ, legem quadraginta octo annis sopitam excitavit: excitatam reparavit, reparatam decoravit, decoratam confirmavit: Confirmata verò, vocata est lex Edvvardi Regis: non quia ipse invenisset eam primus; sed cùm prætermissa fuisset, & oblivioni penitus data, à diebus avi sui Edgari; qui priùs inventor ejus fuisse dicitur, usque ad sua tempora. At Edvvardus, quia justa & honesta erat, profunda abysso extraxit, & eam revocavit, & ut suam observandam tradidit.* Porrò Guilhelmus, Normannorum Dux, & Anglorum Rex: cùm nescio quas Norwegiensium consuetudines, in Anglia reperisset; eas sibi commodiores ratus; impensè studuit illas retroducere. *Proferebat enim* (inquit Hovedenus) *quod antecessores ejus & ferè omnium Baronum Normanniæ, Norvvegienses extitissent: & quod de Norvegia olim venissent: & hac authoritate leges eorum, cum prædictis Danorum, & regni sui legibus, asserebat debere sequi, & observari. Quippe cùm aliarum legibus nationum, Britonum, scilicet, Anglorũ & Pictorum, ubique præponderassent. Quo audito, mox universi compatriotæ, qui leges edixerant, tristes effecti, unanimiter deprecati sunt; quatenus permitteret leges sibi proprias, & consuetudines antiquas habere: in quibus vixerant patres: & ipsi in eis nati, & nutriti sunt; quia durum valde sibi foret, suscipere, leges ignotas, & judicare de eis, quas nesciebant. Rege verò ad flectendum ignoto existente: tandem eum prosecuti sunt; deprecantes, quatenus pro anima Regis Edovardi, qui ei post diem suum concesserat coronam, & regnum: cujus erant leges, nec aliorum extraneorum cogeret, quàm sub legibus perseverare patriis. Unde consilio habito, precatui Baronum tandem adquievit. Ex illa ergo die, visâ authoritate, venerata per universam Angliam, corroborata, & observata sunt præ cæteris patriæ legibus, leges Edvardi Regis.*

Hoved. fol. 808.

Hoved. sup.

NORMANNI SUNT NORWEGIENSES.

XXV.

Hæc ideo à me allata sunt, ut videat Lector; Edoardum Regem non solùm integrum vitæ scelerisque purum, innocentem ubique animam traxisse: quod omnes antiqui, & recentiores; orthodoxi, & paradoxi, fatentur: sed bonum etiam Regem fuisse: qui ea æquitate principatum tenuerit; ut æternum fuisse cives optaverint; & Angliæ sapientes enixè cupiverint. Sed nihil magis Edoardi Regis sanctitatem commendat; quàm quòd non Anglia solùm, cum à morte venerata sit, locumque ei inter Sanctos fecerit: sed universa quoque Occidentalis Ecclesia, in suis Martyrologiis eum celebraverit, celebretque adhuc. Unde in Romano ad quintum Januarii ita canitur: *In Anglia Sancti Edoardi Regis, virtute castitatis, & gratiâ miraculorum insignis.* Cæterùm Insula hæc, Principem suum, peculiari semper religione coluit: & non solùm, eo die, quo mortuum diximus; aniversarii memoriâ venerata est: sed cum crescente miraculorum fama, sacras ejus exuvias, efferre visum est, & cultui exponere: quod factum sub Henrico Rege, eo nomine secundo: anno Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio translationis quoque festum coluit. nam ad eum quoque annum ita scribit Matthæus Parisiensis. *Eodem anno translatum est corpus Sancti Regis, & Confessoris, Edvvardi, apud Wistmonasterium, à Beato Thoma Cantuariensi Archiepiscopo præsente Rege Henrico, qui hæc procuraverat.* Hæc translatio facta videtur ad decimum tertium Octobris. Nam ejus mentio habetur, in nostro Martyrologio, ad dictum diem. ubi etiam additur; decretum in Oxoniensi Concilio, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo, festivè colendum diem illum, per Angliæ regnum universum. Nec diu post provincialium pietas, devotioque in Regem suum tepuit; sed crevisse potiùs videtur. nam anno Christi millesimo ducentesimo 69. efferre iterum, & ornatiùs Edoardi reliquias deponere, Rege iterùm jubente, placuit. De quo Parisiensis: *Isto anno* (1269.) inquit, *Beati Edvvardi Regis & Confessoris corpus, instante Rege Angliæ Henrico tertio, in feretrum aureum, quod ei paraverat, solenniter est translatum.*

Mart. Ro. 5. Janua.

Parisiensis an. 1163.

Mart. Angl. 13. Octobris

Parisiensis an. 1269.

XXVI. EDOARDUS IN SS NUMERUM RELATUS AB ALEXANDRO III.

Denique nè quid Edoardi memoriæ aut sanctitati deesset, refert Baronius in notis, Alexandrum Papam tertium, Edoardum Regem cognomento Confessorem, in Sanctorum numerum solenni cærimonia retulisse: *Habentur etiam* (inquit ille) *in Bibliotheca vaticana litteræ Innocentii Quarti, Roman,*

Pontificis, de celebratione diei festi, Sancti Edoardi Regis. Quæ magnæ ſanctitatis argumenta ſunt: & poſteros omnes; cives præſertim ſuos, accendere debent, ad ejus premenda veſtigia, ad virtutes æmulandas: & quod unum & maximè neceſſarium eſt, ad ejus ſequendam Fidem: ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, aut conſequi; quò omnes tendimus, quam omnes optamus, & quærimus, Vitam æternam.

XXVII. Cùm Edoardus centum ferè annos in cælo regnaſſet: & innumeris miraculis in terra claruiſſet: noluit Anglia, piiſſimum Principem, qui cultum ubique merebatur, unius Inſulæ anguſtiis eſſe contentum: nec ſub modio latere: qui univerſum terrarum Orbem multarum virtutum ſplendore illuſtrare ſufficeret. Quamobrem Henricus Rex, eo nomine ſecundus, Epiſcopi omnes & monachi qui ad Edoardi corpus excubabant, miſſis Romam precibus, & nunciis, Alexandrum tertium humillimè rogaverunt, ut ſuper Eccleſiæ candelabrum poneretur: qui magnum lucendi tyrocinium in Anglia dudum poſuiſſet. Et adeo conſtans erat miraculorum ejus fama, ut nullo id negotio impetratum. Sic anno Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo primo Romanus Pontifex Alexander, Petri Apoſtolorum Principis legitimus ſucceſſor, juſtiſſimis Angliæ precibus motus, Edoardum Anglorum Regem, ſolenni cærimonia dixit, Sanctorum Confeſſorum numero inſcribendum: additâ ſanctione, quam ſupra Baronius Bullam appellavit, & ejus hujuſmodi.

Bulla Canonizationis Edoardi Regis & Confeſſoris.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, aliiſque Eccleſiarum Prælatis per Angliam conſtitutis; Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXVIII. *Illius devotionis conſtantiam, & Fidei firmitatem, quam circa matrem veſtram, Sacroſanctam Romanam Eccleſiam exhibetis, diligentiùs attendentes: in id propoſiti voluntatis adducimur: ut vos ſicut chariſſimos fratres, & ſpeciales Eccleſiæ filios, ſincera charitate in Domino diligamus propenſius honoremus: & poſtulationes veſtras, quantum cum Deo poſſumus, libenti animo admittamus. Inde utique fuit: quod ſuper petitione, quam de Edoardo,glorioſo quondam Rege Anglorum canonizando, & in Sanctorum numero aſcribendo: tam chariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus, illuſtris Anglorum Rex; quàm ipſi, nobis inſtantiùs porrexiſtis, ſolicitam cum fratribus noſtris deliberationem habentes, libro miraculorum inſpecto: quæ dum in carne viveret; & poſtquam de præſenti ſæculo eſt aſſumptus: Omnipotens Deus per ſuam miſericordiam declaravit. Viſis etiam literis Anteceſſoris noſtri piæ recordationis Innocentii Papæ, veſtris quoque teſtimoniis inde receptis: Quamvis negotium tam arduum, & ſublime, non frequenter ſoleat in ſolennibus Conciliis, de more concedi: De communi tamen fratrum noſtrorum conſilio; juxta votum, & deſiderium prædicti filii Regis ac veſtrum, corpus ipſius Confeſſoris, ita glorificandum cenſuimus, & debitis præconiis honorandum in terris: ſicut eundem Confeſſorem Dominus per ſuam gratiam glorificavit in Cœlis. Unde videlicet inter Sanctos Confeſſores, de cætero numeretur: qui hoc ipſum apud Deum, ſignis meruit, & virtutibus obtinere. Quia igitur decet honeſtatis veſtræ prudentiam, eum piè colere, & toto ſtudio venerari: quem authoritate Apoſtolicâ venerandum veſtra poſtulavit devotio, & colendum univerſitatem veſtram per Apoſtolica ſcripta monemus, & exhortamur in Domino; quatenus eum ita deinceps ſtudeatis debitis obſequiis honorare, ut ipſius interceſſionibus apud diſtrictum Judicem mereamini veniam obtinere, & glorioſum in æterna beatitudine præmium invenire. Datum Anagniæ ſeptimo Idus Februarii.*

Concluſio Operis, & Peroratio.

I. Emenso, per Dei gratiam, diuturnæ multorum annorum peregrinationis curſu; nunc tandem me in portum recipio: ubi vela contrahens: colligam hujuſce expeditionis fructum; exponam merces, quas vel hæreditario jure, à majoribus accepi, vel Orientem, Africam, & univerſum Orbem luſtrando, meo labore induſtriaq; acquiſivi. Et quia fæces interdum, fuci, vitiaque facilè ſinceris mercibus immiſcentur: excutiam diligenter ſingula; ne fictio (in rebus Fidei graviſſimum malum) aut ſpuria vitulamina, eas aut corrumpant, aut inficiant. Cæterùm quia de Chriſti doctrina agitur, & verò ſcripturarum ſacrarum intellectu; cavebo maximè nova parodoxa: nova enim ſua novitate ſuſpecta ſunt. & audiam potiùs Nicænos Patres, qui jubent: Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, quia rectè *ille monuit. Τὸ ἀρχαῖον, eo ipſo quòd ἀρχαῖον, αἰδέσιμον. Sed quoniam, Nicæni etiam Patres interdum diſplicent delicato factioſorum ſtomacho; qui ſola Scripturarum oracula ſolet, ſed malè, digerere. eorum etiam moribus obſecutus, firmabo meas merces eo argumento. imo totius navigationis meæ inſtitutum: quod certè non ſuſcepiſſem, in arduo Fidei negotio, niſi Spiritus Sanctus expreſſo oraculo juſſiſſet: *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante*: & iterum: *memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi majores tuos, & dicent tibi.* & iterum: *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga patrum memoriam: heſterni ſumus & ignoramus: quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram*: Verè nos heſterni ſumus: & niſi retrò relegimus ætates & ſæcula, in umbra ambulamus, relictâ eâ luce quæ illuminat omnem hominem: & facilè impingimus, rerum umbris fuciſque contenti. nec aliud à lapſu remedium, aut ſecurè ambulandi, & ſine periculo impingendi; quàm illud à Hieremia, dictante Spiritu Sancto, ſuggeſtum. Hæc dicit Dominus. *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis: quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris.*

*Montacutus.

Deutero. 4. 32.

Ibid. 32. 7.

Iob. 8, 9.

Hierem. 6. 16

II. Hoc ego excitatus claſſico, ſolvi è portu novarum opinionum, ingreſſus ſum antiqui temporis Oceanum, circuivi orbem noſtrum; & quicquid in Occidente lenocinari poterat Fidei controverſiis. Porrò licet ille ad refrigerium animæ abundè ſufficeret: quia tamen peregrina placent multis

quibus

quibus Orientis delitiæ, in delitiis sunt. Orientis Fidem, antiquam illam & probatam, cum Occidente composui, ne quid delicato etiam stomacho, ad Fidei & antiquæ religionis alimentum, deesset. Cæterùm quia Fidei dogmata, & verba Scripturarum, variè pro hominum genio, cerebrique differentia speculari & commentari possumus, tacente litera, quæ (fateor) occidit aliquando: ad loquentes & faventes homines transivi; non illos è plebe, aut mortalium vulgo, qui sensu capiuntur: Sed illos ipsos quos Deus in cœlo; Ecclesia Dei sponsa, in terris; & plura sæcula in omnibus provinciis beaverunt. Hos Reges, Principes, Episcopos & Doctores consului: quos sine dubio Christus dedit *ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei.* Hos ego majores nostros in Fidei quæstione interrogavi, eorum dies antiquos excussi, & per annos mille generationes singulas: Steti super vias, vidi eorum semitas antiquas, exploravi opera; quæ Deum, quæ Ecclesiam, quæ Fidem spectarent, & securè in illis ambulo, suadente, jubente, & toties inculcante Sacra Scriptura. Nec video, cur sensatus, aut sanæ mentis ullus (de insensatis, aut sensui nimium blandientibus, nihil pronuntio) non video, inquam; cur tergiversari possit in hoc Fidei gravissimo negotio: & quorsum relicto hoc *fonte aquæ vivæ* fodiat sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Nec aliud responderi potest, quam, quosdam esse, qui nolunt sese abnegare; nolunt à se ad alios descendere, nolunt captivare intellectum, in obsequium Fidei, nolunt denique lavari in Jordane. sed præferunt *Abana & Pharphar fluvios Damasci, omnibus aquis Israël*: & ideo nunquam à Lepra curantur. nec verò curari possunt, quamdiu Dei oraculis, prophetarum monitis, Doctorum consultis, Ecclesiæ decretis, Patrum denique scitis, obsequi nolunt.

Ad Ephes. 4.12.

JORDAN, DESCENSUS IUDICII.

III.

Qui verò sese abnegando captivant intellectum in obsequium Fidei: qui Prophetæ jubenti parent, qui interrogant de semitis antiquis, & in iis ambulare desiderant, habent in majorum suorum, dictis, scriptis, factis, viam qua securè incedant, habent pro viatico, Dei promissum; nec timent offendicula: habent sacramenta, non verbalia, ἄχυμα, & exucca, qualia novi propolæ, novæ Ecclesiæ nuper obtruserunt: sed vera & realia cælestis gratiæ fluenta. habent Ecclesiam in Petra fundatam, ubi sessi, tutè poterunt quiescere: in quam, nec satan, nec occursus malus, nec portæ inferi, prævalere possunt. De hac via, & ambulantibus in ea, eleganter Isaias vaticinatur, cùm Christi Salvatoris adventum prædixisset: & cæcorum oculos, & surdorum aures aperiendas. *Tunc, erit,* inquit, *ibi semita, & via, & via Sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus & hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi Leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi: & ambulabunt qui liberati fuerint: & redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude: & lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium & lætitiam obtinebunt: & fugiet dolor & gemitus.* Hanc semitam, & viam, qua majores nostri à prima Insulæ conversione, ad mille annos ambulaverunt, qua potui cura & industria exploravi. Semitam puto eam, quam illi triverunt,

Isaiæ c. 35. 8.

qui angustiùs incedentes, arctam in cœlum viam (quam Christus & Apostoli suaserunt magis exemplo, quàm imperio) ingressi sunt; Regulares & Religiosi, communiter appellati. Cæteri, viam mandatorum Dei integerrimè currentes: & ipsi in Sion, cum laude, venerunt, immortale gaudium & lætitiam assequuti.

IV.

In utroque genere Duces habemus, quos tribus jam tomis recensui, Britannos, Saxones, Anglos. Semitam primi ingressi sunt Josephus ab Arimathia sociique ejus, & *monasticam vitam professi sunt, ut novatores ipsi fatentur. sequuti sunt eos ex omni ordine, sexu, ætate, alii innumeri, Patricii, Dubritii, Davides, Kentigerni, & examina filiorum ab ortu Britannorum Fidei, ad Occasum usque imperii eorundem. immo sub occasum, omnemque noctem, fulserunt illa sidera illustrissimè: Banchorense cœnobium locuples testimonium esto. De Saxone, & Anglo, quid loquar? qui licet diversus populus, differens ordo, sub alia, & alia vivendi norma: eadem tamen votorum substantiâ eidem Imperatori militarunt. Viam mandatorum Dei cucurrerunt felicissimè Lucius, Helena, Constantinus, Arthurus, Etelbertus, Oswaldus, Edwinus, Alfredus, Edgarus. dies me deficeret Reges numerantem & monarchas: qui ab uno eodemque spiritu tracti, diversis gratiarum muneribus aucti, unum eundemq; Deum, uno eodemque modo coluerunt. Modum quæris? quâ Fide, interrogas? Dic palam, dic audacter, de omnibus qui in utroque studio cucurrerunt: *Fide Regiâ*, Romanum Pontificem venerati sunt omnes, ex illo cœlo oracula habuerunt, ab illo orbe moti sunt, ad illam petram fixerunt anchoram: ex illo cœlo hauserunt lumen. Hinc Britannorum, Saxonum, Anglorum, *Fides una*: Hinc augustissimi sacrificii unitas, in omni Rep. quod quamvis Traianus, Diocletianus, & aliæ inferorum portæ persecuti sunt, tollere tamen nunquam potuerunt. Hinc diversorum Sacramentorum, statarum precum, sacrorum rituum, quibus astitit Regina à dextris Dei, in vestitu deaurato, circumdata varietate, uniformiter, difformiter, mirabili a cōmunio. Ita mansit Britannorū, Saxonū, Anglorum Ecclesia, sub diverso populo, sub varia rerum, temporum, ingeniorum epocha atque vicissitudine, in sperandarum rerum substantia, una semper, & constanter eadem. Tolle hunc capitis in diversa membra influxum: & facilè sequitur in Fide differentia. *Sentis Anglia hanc veritatem, & hodie graviter ingemiscis; cùm capite carens, & omni influxu, in varia spargeris; & quid credendum, quid faciendum, in Ecclesia decennio jam quærens, adhuc laboras, adhuc parturis, & diu adhuc parturient montes.

*V an 64 6

* *Tempore factionis, excluso Regē*

V.

De Fide majorum nostrorum, ad facta descendamus. illa magis patentia, magis loquentia sunt, & Fidem magis testantur: præsertim si à dicto capite, influxum robur, & vires derivant. itaque si templa ingredior, aut monasteria contemplor, ubi Dei cultus illustrissimus fuit: invenio omnes; Britannos, inquam, Saxones & Anglos, de Regibus loquor & omni ordine; ad Deum trinum & unum; ad Christum & Crucem ejus, ad Sanctos Sanctorumque Reliquias supplices. Video templa, urbes, oppida Sanctis inscripta ornata altaria, privilegiis denique munita: quæ Romani Pontifices, Regibus nostris ita supplicantibus,

approbarunt: & hujusce veritatis sexcenta argumenta protuli sub Lucio, Constantino, Patricio, Davide, Ethelberto, & sequentibus sæculis: ad Edoardum usque Confessorem; qui ut Regiæ Fidei, ita dictorum omnium eloquens compendium est: & non solùm *Regio suo operi*, *sed Regiæ Fidei per mille annos professæ, *sacram coronidem imposuit.* Scio; æger factiosorum stomachus, ad Crucis cultum pallet, & Crucem omnem, è templis, è compitis, & locis publicis, tollit: sed scio etiam id Dæmonem omni sæculo, Judæos olim, & Barbaros idem fecisse; & ideo Cruci non minùs, sed magis deferendum. præsertim cùm [a] Helena illam è tenebris in lucem extulerit: illam Constantinus structo [b] templo coluerit: illam Albanus supplex [c] adorarit: & inde Diocletiani tempore, Christiani omnes; *Crucicolæ* appellati sunt, ut *suprà ostendi. Taceant ergo factiosa capita, & è numero Christianorum exeant; quotquot Dæmonis, & Judæorum castra sequuntur: audiantur majores nostri Albanus, Helena, Constantinus, Ethelbertus, & innumeri eos consequentes Sancti, qui Crucem, Sanctos, Sanctorumque Reliquias impensè coluerunt: ego eorum *semitam*, & *viam* teneo: in eorum portu anchoram figo: & eorum spero societate gaudere.

a V. an. 326. 26.
b V. an. 326. 40.
c V. an. 286. 21.
*V. an. 286. 32.

VI. Non sic novatores, non sic: *sed pedes eorum ad malum currunt: & festinant; ut effundant sanguinem innocentem. cogitationes eorum, cogitationes inutiles, vastitas & contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt, & non est judicium in gressibus eorum. Semitæ eorum incurvatæ sunt eis. omnis qui calcat in eis ignorat pacem, propter hoc elongatum est judicium à nobis, & non apprehendet nos justitia. Expectavimus lucem, & ecce tenebræ: splendorem, & in tenebris ambulamus. Palpavimus, sicut cæci parietem: & quasi absque oculis, attrectavimus. impegimus in meridie, quasi in tenebris.* Nos in hæc tempora nascimur; cùm viæ Sion lugent, cùm majorum semitæ negliguntur: & nova Calvini Ecclesia, & heteroclita Fides, omnium sæculorum sanctitati præfertur: quod non est aliud, quàm tenebras amare: in tenebris ambulare, & ideo quid mirum si sicut cœci palpantes impingimus in meridie. Sed surge Anglia induere fortitudinem, brachium Domini. consurge sicut in diebus antiquis in generationibus sæculorum. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta; cùm majorum *vias*, & Sanctorum tuorum *semitas*, & memoriam obliterant. Ideo *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad solemnitatem, omnes portæ ejus destructæ sunt: Sacerdotes ejus, gementes Virgines ejus squalidæ: & ipsa oppressa amaritudine. Vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis. Quare in perpetuum oblivisceris nostri, derelinques nos in longitudine dierum? Converte nos Domine; & convertemur; innova dies nostros, sicut à principio.* Et iterum in viis, & sanctitate majorum nostrorum cantabimus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: sicut erat in Principio,* Amen.

Isaiæ c. 59. 7. 8. 9. 10.

Thren. 1. 4.

FINIS TOMI TERTII.

AUTHORIS CONSILIUM IN INDICE CHRONOLOGICO ET SEQUENTIBUS.

CUm utile, honestum, & delectabile sit, majorum facta sæpiùs intueri; nam inde fides, sperandarum rerum substantia, inde virtutis,& honestarum actionum exempla: inde denique utriusque fælicitatis argumenta colliguntur. Cum, inquam antiquorum heroum facinora, qui se, patriam, cælos beaverunt; ad benè beatéque vivendum, admodum conducant: putavi operæ pretium, illa ita in breviarium cogere, ut unicâ singulorum annorum inspectione, quasi primis oculis illa omnia cerni, distingui, legíque possint. Cæterum cum eorum contemplatio historiarum authoritate nitatur: & rerum gestarum veritas, historiam, non comitari solùm, sed animare debeat: ideò conatus sum, quantum obsoletarum rerum conditio patitur, illam omni adhibito adminiculo, indagare. Inter ea, temporis ratio, annorum, & rerum gestarum series: Chronologia, inquam, oculus est, quo recta metimur, prava despicimus, distorta componimus. Quoniam verò lux oculo necessaria est; sine qua color, speciesque rerum cerni non potest; vix alio meliori modo illam nanciscimur, quàm locorum, temporum, personarum, inter se compositione atque collatione. Nam illa circumstantiarum ordinatio, est narrationis ornamentum. & constans assertio.

Hanc ob causam, non solùm nostrates Reges, & Episcopos, Chronologiæ intexui; sed Romanos etiam Pontifices, Imperatores, & Galliarum Reges: cum quibus, quia frequens commercium frequens erit eorundem mentio, & acta eorum, dicta, scripta, nostrorum Principum actis, gestisque collata; mutuam ab invicem accipiunt redduntque lucem; non leve historiæ, ac veritatis momentum. Lux porro illustrior erit, & oculus minimè caligabit; si singula suis annis consignata, conveniant cum aliis numerandi temporis argumentis. Argumenta voco, Consulum Romanorum, Indictionum, & Urbis Conditæ computum, quo calculo antiqui scriptores annos metiuntur. Et licet illis recensendis non scrupulosè inhæserim, in Annalibus conscribendis: quia tamen occurrerunt aliquando, & lucem annis fecerunt; non erit opinor Lectori injucundum, singulorum annorum Epocham, hoc est, omnium ad firmandam veritatem, circumstantiarum concursum, uno intuitu contemplari. quod sequens index præstat: ubi ad singulos Christi annos, vel Urbis conditæ numerum, quamdiu eo usi authores, vel Indictionem habes, à tempore quo illa cæpit. Tum consequenter Romanos Pontifices, Imperatores, Reges; & demum vel Britanniæ, vel Anglo-Saxonum Episcopos, eisdem annis suppares, & coævos

Romani Pontifices in numerum veniunt, quia Insula hæc, ex quo cæpit Christi nomen balbutire; Christi vicarium, in Romana Sede sedentem, religiosissime coluit, & Regiâ legatione, muneribus, literis, omnium provinciarum prima venerata est. Inde non solùm prima Fidei aurora nobis illuxit; sed omni post ævo, ritus, & sacra omnia, & imperia descenderunt. Unde ad primum illud mobile, cælum nostrum moveri, & per mille annos motum esse, ostendere non potui, nisi primum ubique mototem Annalibus intexerem. Par ferè ratio de Romanis Imperatoribus, per quinque fere sæcula. Nam Insula servitutem illam, Julii Cæsaris ingressu, servire coacta est. Quo tempore, Augustorum in Insulam ingressus, bella, victoriæ, eorundem mentionem omni jure merentur. Nec Consulum aut Proprætorum omitti potuit memoria; quia hi fortiter aliquando faciendo, pugnando, vincendo, nomen perennarunt, relictis post se rerum gestarum monumentis; quæ etiamnum in Insulâ leguntur, Consulum notis inscripta: unde fastorum annos aliquando supputamus, per quinque prima sæcula. Postea quidem à Romanorum imperio absoluti viximus: frequens tamen Imperatorum mentio, præsertim sub Anglo-Saxonicæ Ecclesiæ meridiem, eam annalibus materiam subministrat, in Regum gestis enarrandis, ut eorum series, historiæ opportuna omitti non poterit. Sic è Magni Caroli, cum Offa Rege,

cum Alcuino nostro commercium, literæ, consuetudo: Offa & Alcuini ætatem, & annos consigno. Sic Othones, Edoardi seniotis, & Conradi, Canuti filiam in uxorem petentes; cum locum in nostris Annalibus suo jure postulent: cur non eorum majores & posteros, in theatrum producerem, historicæ veritatis authoramentum?

Denique Francorum Regum series, instituto nostro famulatur; non solùm, quia Britannorum tempore, Insula hæc inter Galliæ provincias, sub eodem Prætore censebatur, & Galliarum etiam nomine veniebat; sed quia posteriùs, cum Anglo-Saxonum & Francorum Reges eminere cæperunt; eminuit etiam inter eos, consuetudo, familiaritas, atque cognatio. Gallia nobis Germanum, Lupum, Severum, sanctissimos Antistites, Britanniæ Doctores, & Apostolos submisit. Nos illis, sub Gallicanæ Ecclesiæ exordia, Mansuetum, Tullensium; Melanium, Rhetomagensium: & paullò post, Sampsonem & Maglorium Dolenses; Macloyium, Alethensem; Briocum, Briocensem, Antistites remisimus. Ita Britannorum tempore. Inde, ut Anglo-Saxo Christum disceret, & Fidem ejus; Franci nobis Aldibergam dederunt, Chariberti Regis filiam; Clotarii primi neptem, & primi Clodovæi, hoc est, primi Francorum Christiani Regis, è filiis pro-neptem. Nos illis Bathildem reddidimus, Clodovæi secundi conjugem, Heroïnam sanctissimam. Illi Hereswidam Orientalium Anglorum Reginam, Eartongatam, Edelburgam, & multam prolem Regiam. humaniter exceperunt, opima ex hac Insula Christi spolia; & monasticæ vitæ perfectionem illas docuerunt: nos reddendo vicem, Alcuinum dedimus, Galliæ Doctorem, Caroli Magni magistrum. Denique omni, infideli etiam, & multò magis Christiano sæculo, Britannorum & Gallorum sacra, eadem fuerunt. Unde unam eandémque Fidem concludo Regiæ Fidei ornamentum singulare.

Magis fateor, laborandum fuit, in nostrorum Episcoporum syllabo colligendo. Non solùm, quia Britannorum sæculo obscuri fuerunt; sed quia etiam florente Anglo-Saxonum Ecclesiâ, latere potiùs quàm lucere, sanctissimi viri maluerunt. Hinc eorum sedes, vel non omnino, vel humiliter in parvis urbibus, diu fixæ: donec Normanni, lucem ambitiosiùs, quàm sanctitatem quærentes, sublime illas posuerunt, sæculo ferè duodecimo. Unde plurium Episcoporum in Sedem ingressus, & egressus, constanter non potuit consignari; sed tantùm è Regum diplomatis, è fundationum chartis, & aliis publici juris instrumentis, tempora conjicimus. Ita ante me, opinor, fecit Henricus Savilius, antiquæ vir literaturæ, qui Malmesburiensem, & alios aliquot vetustiores, è tenebris erutos, in lucem dedit, insigni, & nunquam satis laudatâ operâ. Quin & fastos inde collegit, Regum & Episcoporum nomina composuit, digessitque per annos singulos; quantum patitur antiqui temporis devexa canities. Ille mihi fatendum est, viam hanc aperuit, ad Chronologiam texendam: & ego ingressus sum, mihi, si non aliis, hoc laboris compendium facturus, ut cum otio & nullo negotio, quid singulis annis, & quorum, in utrâque Rep. Principum auspiciis actum, uno intuitu legi & colligi possit. Habes, Lector, mentem, consiliumque meum.

Vis plura compendio? habes post hunc Indicem controversiarum capita: pauca illa quidem; sed è quibus, velut ex ungue, Leonem possis agnoscere, sive illum de tribu Juda, fundantem Ecclesiam, sive illum qui in circuitu ambulans, & quærens quem devoret, Ecclesiam persequitur. Et facilè distingues, quia unum PETRA ECCLESIÆ, alium PORTÆ INFERI

Livius l. 1. indicabunt. Quod si quæris Livianum illud: *Præcipuè salubre & frugiferum, omnium virtutum documenta, in illustri posita, intueri: ut inde tibi tuæque Reip. quod imitere, capias: inde fædum inceptu, fædum exitu, quod vites.* Ecce tibi eloquentes sanctitatis, Regiæque Fidei indices, nostrates Sanctos, Heroës illos: qui hic nominis, in cælo gloriæ immortalitatem consequuti; nobis in miseriarum Oceano navigantibus, velut elegantes phari, Syrtes ostendunt & brevia. Et ne vageris in incertum, distinguo tibi Apostolicos viros, qui nobis locuti verbum

Plutar. in Timol. Dei, Insulam hanc, sine omni controversiâ beaverunt. Ita poteris ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ κοσμεῖν, καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς τὸν Βίον: in illis, inquam, tanquam in speculo ornare & componere vitam tuam ad alienas virtutes: Et demum sine erroris periculo portum tenere.

INDEX CHRONOLOGICUS.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cõdità.	Consules.	Rom. Imperatores. Augustus.	Reges Britanniæ. Cunobelinus.	*Capita rerum per singulos annos gestarum.*
1	752	Augustus XIII. & Plautius Silvanus.	42	14	Britanniæ status, sub natum Christum. num. 2. 3. Britanniæ tributum Romæ solvit, cum describeretur universus Orbis. num. 5.
2	753	Cassius Cornelius Lentulus. & L. Calphurnius.	43	15	Tres in Oriente Reges, Regibus Britannorum in Occidente nostro præluserunt. num. 1. Regum nomen & dignitas in Britanniâ asseritur, stante Romanorum Imperio. num. 2. 3. 4. 5.
3	754	C. Cæsar, & L. Æmilius Paulus.	44	16	Britannia barbariem incipit deponere: quod Jani Bifrontis effigie signatur.
4	755	Venutius Nepos, & Alfinius Varus.	45	17	
5	756	Ælius Lamia, & M. Servilius Geminus.	46	18	Cunobelini proles. num. 1. Christus in cunis, num inceperit Ecclesiam. num. 2.
6	757	Sext. Ælius Catus, & C. Sentius Saturnius.	47	19	Judeæ regnum, & Britanniæ, Romano Imperio subduntur; ut demum Christo uniantur.
7	758	L. Valerius Messalla, & Cornelius Cinna.	48	20	
8	759	M. Æmilius Lepidus. & Lucius Aruntius Nepos.	49	21	
9	760	A. Licinius Nerva Silanus; & Q. Cæcilius Metellus Silanus	50	22	Christus in Palestinam redit, novennis puer. Inde in templo inventus inter Doctores; omnes ædificat; sed needum Ecclesiam.
10	761	Furius Camillus, & Sextus Nonius.	51	23	

Anni Christi.	*Anni ab Vrbe Cõdità.*	*Consules.*	*Rom. Imperatores* AUGUSTUS.	*Reges Britanniæ.* CUNOBELINUS.	*Capita rerum gestarum.*
11	762	Sulpitius Camerinus, & C. Poppæus Sabinus.	52	24	
12	763	Publius Cornelius Dolobella & Caius Julius Silanus.	53	25	
13	764	M. Æmilius Lepidus, & T. Statilius Taurus.	54	26	Britannia in Augustum surgit, & premitur. num. 1, 2.
14	765	T. Julius Germanicus, & Fonteius Capito.	55	27	
15	766	C. Silius Nepos, & L. Munatius Plancus.	56	28	
16	767	Sextus Pompeius Nepos, & Sextus Apuleius Nepos.	TIBERIUS imperat. 1	29	Moritur Augustus Imperator.
17	768	Drusus Cæsar, & C. Narbanus Flaccus.	2	30	Naufraga Romana classis in Britanniam appulsa, cum honore dimittitur.
18	769	Statilius Taurus, & Lucius Libo.	3	31	
19	770	C. Cælius Rufus, & L. Pompeius Flaccus.	4	32	
20	771	C. Tiberius Augustus III. & Germanicus II.	5	33	

Anni Christi.	*Anni ab Vrbe Cōditâ.*	*Consules.*	*Rom. Imperatores* TIBERIUS.	*Reges Britanniæ.* CUNOBELINUS.	*Capita rerum gestarum.*
21	772	Julius Silanus, & Norbanus Flaccus.	6	34	
22	773	Valerius Messalla, & Aurelius Cotta.	7	GUIDERIUS Britannorum Rex. 1	Moritur Cunobelinus Britannorum Rex; & Guiderius negat Romæ tributum.
23	774	Tiberius IV. & Drusus II.	8	2	Adminius, Cunobelini filius, cum Romanis paciscitur, patriæ perduellis. Hinc turbarum initia, quæ plures annos Insulam distrahunt; & distraxissent magis, nisi Tiberii Imperatoris inertia obstitisset.
24	775	C. Sulpitius, & D. Haterius Agrippa.	9	3	
25	776	C. Asinius, & C. Antistius.	10	4	
26	777	Cornelius Sethegus, & Vitellius Varro.	11	5	
27	778	Cossus Cornelius, & Asinius Agrippa.	12	6	Cum Britannia Romanorum jugum exuisset, Christus evangelicæ Legis jugum parat; & mundo incipit innotescere.
28	779	C Lentulus Getulicus & C. Calvisio Sabinus,	13	7	
29	780	M. Licinius & C. Calphurnius.	14	8	
30	781	Junius Silanus, & Silius Nerva.	15	9	

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cōditâ.	Consules.	Rom. Imperatores Tiberius.	Reges Britanniæ Guiderius.	Capita rerum geſtarum.
31	782	Rubellius, & Rufus.	16	10	Chriſtus è cœlo magno miraculo declaratur Filius Dei, num. 1. Vocat Apoſtolos, & PETRUM Apoſtolorum Principem, Eccleſiæ ædificandæ fundamentum ſtatuit, num. 2. 3. Eccleſiæ hujus contemplatio è notis & verbis Chriſti. num. 4. 5.
32	783	Longinus, & Quartinus.	17	11	
33	784	T. Auguſtus V. & Ælius Sejanus.	18	12	
34	785	C. Domitius Ænobarbus, & Vitellius Nepos, vel Camillus Scribonian'	19	13	Britannorum Eccleſia Petræ innititur, benè & non erranter fundatæ; nimirum Chriſti meritis, præceptis, denique ſanguine.
35	786	Sulpitius Galba, & Cornelius Scilla.	20	14	
36	787	Paulus Fabius Perſicus, & Vitellus Nepos.	21	15	Quando in Britanniâ Chriſtus prædicatur. num. 2. 3. Eccleſiæ propagatio, & ejuſdem viſibilitas. n. 1.
37	788	C. Ceſtius Gallus, & Servilius Rufus.	22	16	
38	789	Q. Plautius Plautianus & Sex. Papinius Galienus.	23	17	
39	790	Cneus Proculus, & Pontius Nigrinus.	CAIUS CALIGULA. 1	18	Moritur Tiberius Imperator.
40	791	M. Aquilius Julianus, & P. Nonius Aſprenas.	2	19	Caligulæ Imperatoris vaniſſima in Britanniam expeditio. num. 2. 3. 4.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe cōditā.	Consules.	Romani Pōtifices	Rom. Imperatores C. Caligula.	Propraetores in Britan.	Reges Britāniæ Guiderius.	*Capita rerum gestarum.*
41	792	C. Augustus iterum & L. Apronius Casianus		3		20	Adminius Romam ducitur à Caligula. De Jacobi, Zebedei filii, adventu in Britanniam. num. 1. 2.
42	793	Caius tertium solus.		4		21	
43	794	Caius Augustus IV. & Sentius Saturninus.		Claudius imperat. 1		22	Caligula Imp. occiditur: succedit Claudius; qui Britanniam elegit, argumentum gloriæ.
44	795	Claudius Augustus II. & C Licinius Largus.		2	Aulus Plautius Proprætor in Britanniâ,	23	S. Petrus Romam venit. num. 4. 5. 6. &c. A Britannis excipitur n. 14. 15. 16. 17. & seqq. A Plautius in Britanniam mittitur. n. 2. 3.
45	796	Claudius Augustus III. & Lucius Vitellius.	Petrus Romæ Pontifex sedet. 1	3		Arviragus Britanniæ Rex. 1	Vespasiani facinora in Britanniâ. num. 4. Claudius Imp. in Britanniam venit, pugnat & vincit. Australior Insulæ pars, in provinciæ formam transit.
46	797	C. Crispinus II. & T. Statilius Taurus. *vide n. 5.*	2	4		2	Claudius de Britannis triumphat. n. 1. 2. 3. 4. Petrus in Occidentem mittit discipulos. n. 5. 6. Quando misit in Britanniam. n. 8. 9.
47	798	M Vennitius II. & Statilius Corvinus.	3	5		3	Plautius in Britannia feliciter pro Romanis pugnat: quo tempore Vespasianus ibi à Britannis obsessus, à Tito filio, strenuè agente, liberatur. n. 1.
48	799	C. Valerius Asiaticus, & M. Valerius Messalla.	4	6		4	
49	800	Claudius Aug. IV. & L. Vitellius III.	5	7		5	Plautius ovat vel triumphat de Britannis, n. 1. Pomponia Græcina non venit in Britanniam, n. 2. S. Mansuetus Romæ consecratus mittitur ad Lotharingos. num. 3. 4. 5. 6. Beatus Romā mittitur è Britāniâ. n. 8. 9. &c.
50	801	Aulus Vitellius, & L. Vipranius.	6	8	Publius Ostorius. Proprætor in Britanniâ.	6	Romæ, Ostorius designatur in Britanniam mittendus Proprætor.

Anni Christi.	Anni ab Urbe cōditâ.	Consules.	Romani Pōtifices. PETRUS	Rom. Imperatores CLAUDIUS.	Propraetores in Britan. P. OSTORIUS	Reges Britanniæ. ARVIRAGUS.	*Capita rerum gestarum.*
51	802	C Pompeius, & Q Veranius.	7	9		7	Oſtorii prælia, Icenorum tumultus, & Brigantum diſcordiæ. n. 2. 3. 4. 5. 6. Oſtorius Ciſtrenſem Urbem ædificat. n. 6.
52	803	C Antiſtius, & M. Suillius	8	10		8	Colonia Camalodunum deducta. num. 2. 3. Caractacus in Romanos pugnans capitur, & triumphatur n. 4 5. 6. Claudia Ruffina Romæ celebris, Caractaci filia. n. 7. 8. &c.
53	804	C Auguſtus V. & Cornelius Scipio.	9	11		9	Silures tumultuantur; & moritur Oſtorius Proprætor. num. 1. 2.
54	805	Fauſtus Scilla, & Silvius Otho.	10	12		10	Claudius templum habet in Britannia, & Urbem ab eo dictam Claudio-ceſtriam. n. 1. 2. Manlius Valens in Silures pugnat infeliciter. n. 2.
55	806	D Junius, & Q Haterius.	11	13	Aulus Didius Proprætor in Britanniâ,	11	Claudius Didium mittit in Britanniam; ubi Oſtorii mortem intellexit.
56	807	M Aſinius Marcellus, & M Acilius Aviola.	12	14		12	Venutius & Cartiſmandua diſcordes, Britanniæ pacem turbant. n. 1. 2. Moritur Claudius Imperator. n. 3.
57	808	Claudius Nero, & L. Antiſtius.	13	NERO imperat. 1		13	Legio Romanorum, cui Naſica præerat, in Britannos pugnat vario eventu.
58	809	Q Voluſius, & P Cornelius Scipio.	14	2		14	PETRUS ex Urbe quando diſceſſerit, in noſtrum Occidentem. n. 1. 2. 3. 4.
59	810	Nero II. & Calphurnius Piso. *vide hic.*	15	3		15	PAULUS Romam venit, cum PETRUS Româ abeſſet.
60	811	Nero III. & Valerius Meſſalla.	16	4	VERANNIUS Proprætor in Britannia.	16	S. PETRUS in Britannia proficiſcitur: & quid ibi fecerit. n. 1. 2. 3. &c. ſimulacrorũ ruina & prodigia n. 10. 11. 12. Sectariorum aries diſſolvitur, quo nituntur PETRUM Romæ non fuiſſe, 13. 14 Arviragi Regis humanitas. n. 15.

Anni Christi.	*Anni ab Urbe cõditâ.*	*Consules.*	*Romani Pontifices.* PETRUS	*Rom. Imperatores* NERO.	*Propraetores in Britan.*	*Reges Britanniæ* ARVIRAGUS.	*Capita rerum gestarum.*
61	812	C. Vipsanius, & Fonteius Capito.	17	5	PAULINUS SUETONIUS.	17	Verannio Proprætore mortuo, succedit Paulinus Suetonius.
62	813	Nero IV. & Cornelius.	18	6		18	Suetonius in Monam Insulam pugnat, Druidarum sedem. n. 1. 2, &c. Icenorũ tumultus, Boadiceâ fœminâ duce. n. 8. 9. 10. 11. direptum Camalodunum, Londinum, Verulamium, occisis 80000. civium. n. 14. 15. 16.
63	814	C. Cæsonius Pætus & Petronius Turpilianus.	19	7	PETRONIUS TURPILIANUS Proprætor in Britan.	19	Josephus ab Arimathiâ in Britanniam descendit, cum aliis. n. 1. 2. &c. Avallonia nunc Glastonia illis datur. n. 10. 11. 12. 13. &c.
64	815	P. Marius Celsus, & L. Asinius Gallus.	20	8		20	Josephus monasticam vitam colit. num. 1. &c. Crucem in Britanniâ erexit, & coluit: item Sanctos, & B. Virginem. num. 6.
65	816	Memmius Regulus, & Virginius Rufus.	21	9		21	Exaltatio Britannicæ Ecclesiæ. num. 1. Paulus Apostolus in Britannia. n. 2. 3. 4. 5.
66	817	C. Lecanius, & M. Licinius.	22	10		22	Nero primæ persecutionis author. num. 1. Gloecestria Urbs in honorem Claudii extruitur. num. 1. 2.
67	818	Silius Nerva, & Atticus Vestinus.	23	11	TREBELLIUS MAXIMUS Proprætor.	23	Turbata Britannia ab Trebellii Proprætoris & ducum dissidia.
68	819	Suetonius Paulinus, & Pontius Telesinus.	24	12		24	PETRUS, è Britanniâ Romam redit.
69	820	L. Fonteius Capito, & Julius Rufus,	25	13		25	PETRUS & PAULUS Martyrio coronantur. Nerone sæviente. num. 1. 2. PETRO non PAULO succeditur. n. 2.
70	821	C. Silius Italicus, & Galerius Truchalus, Turpilianus.	LINUS Romanus Pontifex 1	14 GALBA imperat.	VECTIUS BOLANUS Proprætor in Britanniâ.	26	Nero seipsum occidit: succedit Galba. n. 7. tantùm mensium Imperator. n. 1. 2.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe cōditâ.	Consules.	Romani Pōtifices. Linus.	Rom Imperatores	Proprætores in Britan Vectius Bolan.	Reges Britānia Arviragus.	Capita rerum gestarum.
71	822	Servius Sulpitius Galba Augustus, & T. Vinius Ruffinus.	2	Otho Vitellius.		27	Britanni tumultuantur, Duce Venutio, contra Cartismanduam qui Brigantibus imperabat. num. 3. 4.
72	823	Vespasianus Augustus, & Titus.	3	Vespasianus imperat. 1		28	Titus Hierosolymam expugnat. num. 1. 2. Oxoniensis Urbis exordia. num. 3.
73	824	Vespasianus II. & M. Coccejus Nerva.	4	2		Marius Rex. 1	Gildas Cambrius floret. num. 2. Moritur Arviragus, alio nomine Cogidunus. n. 1. & 4.
74	825	Vespasianus III. & Titus II.	5	3	Petilius Cerealis Proprætor in Britan.	2	Romani in Brigantes pugnant; quorum pertinacia novos incolas in Britanniam accivit.
75	826	Domitians Cæsar, & M Valerius Messallinus	6	4		3	Pictorum adventus in Britanniam, & quinam illi? num. 1. 2. 3. 4. Marius Rex in Pictos pugnat. n. 5.
76	827	Vespasianus V. & Titus III.	7	5		4	Picti Hibernis miscentur.
77	828	Vespasianus VI. & Titus IV.	8	6	Julius Frontinus Proprætor in Britannia.	5	Silures in Romanos tumultuantur, & ab iis premuntur.
78	829	Vespasianus VII. & Titus V. vid n 1 hic	9	7		6	Isca Urbs Silurum, Kaer-leon à Romanis munitur. num. 1. Marius Rex moritur, & succedit filius. n. 2.
79	830	Vespasianus VIII. & Domitianus.	10	8	Julius Agricola Proprætor,	Coillus Rex. 1	Agricola, rudimentum militiæ, in Britanniâ posuerat; ideo designatur Proprætor. n. 1. 2.
80	831	Commodus, & Priscus	11	9		2	Ordovices in Britanniâ tumultuantur. n. 1. 2. Linus Papa martyrio coronatur. n. 3.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cōditâ.	Consules.	Romani Pōtifices	Rom. Imperatores	Proprætores in Britan. Julius Agric.	Reges Britanniæ. Coillus.	*Capita rerum gestarum.*
81	832	Vespasianus VIIII. & Titus VII.	Cletus. 1	Titus imperat 1		3	Moritur Vespasianus. num. 1. Muniuntur ab Agricolâ Urbes in Britanniâ. n. 2.3.
82	833	Titus VIII. & Domitianus VII.	2	2		4	Agricola vastat Septentrionem nostrum; ubi novæ & incognitæ gentes exponuntur. n. 1. 2. Moritur in Avalloniâ, Josephus ab Arimathiâ, & de Fide ejus. n. 3. 4. 5. 6.
83	834	Flavius, & Pollio.	3	3		5	Agricola Glottam & Bodotriam præsidiis munit: & Titi permissu triumphat. n. 1. 2. Moritur Titus Imperator. num. 2.
84	835	Domitianus VIII. & Flavius Sabinus	4	Domitianus imperat. 1		6	Agricola Caledonios premit, hoc anno, & sequenti.
85	836	Domitianus IX. & Virginius Rufus.	5	2		7	Britannorum factio Romanos terret. num. 2.
86	837	Domitianus X. & Junius Sabinus.	6	3		8	Britanni Romanos fundunt. inde à Romanis funduntur. num. 1. Britannorum profana sacrificia. num. 2. Usipiorum cohors in Britanniam trajicit infeliciter. num. 3.
87	838	Domitianus XI. & Aurelius Fulvius.	7	4		9	Septentrionalis Insulæ pars à Romanis subjugatur. num. 1. Galgaci ducis ad militem oratio. num. 2. 3. Item Agricolæ, & ejus facinora. n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.
88	839	Domitianus XII. & Cornelius Dolabella.	8	5	Salustius Lucullus Proprætor in Britan.	10	Agricola Romam rediens inglorius vixit. num. 2.
89	840	Domitianus XIII. & Volusius Saturninus	9	6		11	Moritur S. Mansuetus, Tullensium primus Episcopus. num. 2.
90	841	Domitianus XIV. & Minutius Rufus.	10	7		12	Domitianus Imperator in Danos pugnat. num. 1. 2. &c.

Anni Christi.	Anni ab Urbe cōditâ.	Consules.	Romani Pōtifices. Cletus.	Rom. Imperatores Domitianus.	Propraetores in Britan. Salust. Lucul.	Reges Britāniæ Coilles.	*Capita rerum gestarum.*
91	842	Aurelius Fulvius, & Sempronius Attracinus.	11	8		13	Domitianus in Consules, in Philosophos, in Christianos, sævit.
92	843	Domitianus XV & Nerva Coccius II.	12	9		14	Domitianus secundæ persecutionis author: in S. Joannem Evangelistam sævit.
93	844	Ulpius Trajanus, & Aulus Glabrio.	Clemens Papa. 1	10		15	Cletus Papa martyrio coronatur.
94	845	Domitianus XVI. & Volusius Saturninus.	2	11	Cnejus Trebellius Propraetor in Britannia.	16	Domitianus sævit in viros Principes. n. 1. 2. Glabrionem exconsulem Christianum occidit. num. 1.
95	846	Sextus Pōpeius Collega. & Cornelius Priscus. vide n. 1.	3	12		17	Clemens Papa Corinthiorum schisma componit. num. 4. Simonis Magi errores Traditione convincuntur. n. 5.
96	847	L. Nonius Aspernas, & M. Arrucinus Clemens.	4	13		18	Josephi historici testimonium de Christo.
97	848	Domitianus Augustus, XVII. & T. Flavius Clemens.	5	14		19	Joannes Evangelista exul in Pathmos, scribit Apocalipsin.
98	849	Fulvius Valens, & Antistius Vetus.	6	15		20	Domitianus, cum in Christianos sævisset, à suis occiditur.
99	850	Nerva Augustus III. & Virginius Rufus	7	Nerva imperat. 1		21	Aristobulus moritur in Britanniâ.
100	851	Nerva August IV. & Trajanus Cæsar II.	8	2 Trajanus imperat 1		22	Britannia ad Clementem Papam legationem mittit, petitque sacra sua confirmari. num. 2. 8. 13. 14. 15. Vide Britannorum Fidei contemplationem. n. 16. 17. 18, 19. 20.

Anni Christi.	*Anni ab Urbe cōdita.*	*Consules.*	*Romani Pontifices* CLEMENS.	*Rom. Imperatores* TRAJANUS	*Proprætores in Britan.*	*Reges Brudani* COELIUS.	*Capita rerum gestarum.*
101	852	Socius Senecio, & A. Cornelius Palma.	9	2		23	Coëllus in Britanniâ feliciter regnat, & regit. num. 1. Trajanus tertiæ persecutionis author. n. 2.
102	853	Trajanus III. & Fronto III.	10	3		24	Clemens Papa, martyrio coronatur: in mare projectus ne Christiani eum colerent.
103	854	Trajanus IV. & Sextus Auruncuieius.	ANACLETUS Papa. 1	4		25	Anacletus Papa ornat sepulchrum S. Petri. num. 1. 2.
104	855	Sura II. & Servianus.	2	5		26	Christianorum conventus, Synaxes & hæteriæ exponuntur. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
105	856	Trajanus V. & Appius Maximus.	3	6		27	Scotorum Reges in Britanniâ, an fuerint sub Trajano Imperatore.
106	857	Suranus, & Marcellus.	4	7		28	
107	858	Candidus, & Quadratus	5	8		29	Trajanus in Parthos pugnat: non ibi pugnaturus, si Scoti Britanniam turbassent.
108	859	Commodus Verus, & Cerealis.	6	9		30	
109	860	Senecio, & Sura.	7	10		31	Clocestriæ Urbis, in Trinobantibus, initia.
110	861	Gallus, & Bradua.	8	11		32	S. Beatus Helvetiorum Apostolus moritur. De Claudia Britanna. num. 2.

Anni Christi.	*Anni ab Vrbe Cõdita.*	*Consules.*	*Romani Põtifices.* Anacletus.	*Rom Imperatores* Traianus.	*Propraetores in Britan.*	*Reges Britãniae* Coelus.	*Capita rerum gestarum.*
111	862	Messala, & Pedo.	9	12		33	Moritur S. Duvianus, Josephi discipulus.
112	863	Piso, & Hasta. vel Crispinus, & Orphitus.	Evaristus. 1	13		34	Anacletus martyrio coronatur. ubi de Britanniæ divisione in provincias, & diœceses. num. 1. 2. 3. 4.
113	864	Calphurnius Piso, & Rusticus Bolanus.	2	14		35	
114	865	Traianus Augustus, & Julius Africanus.	3	15		36	
115	866	Publius Celsus, & Clodius Crispinus.	4	16		37	Nascitur Lucius Coëlli filius, Christianorum in Europâ Regum primus.
116	867	Ninius Hasta, & Manilius Vopiscus.	5	17		38	
117	868	Hadrianus. & Salinator.	6	18		39	
118	869	Ælianus, & Vetus.	7	19		40	Legatio missa in Britanniam, vel à Trajano Imp. vel ab Evaristo Papâ. n. 1. 2.
119	870	Hadrianus II. vide hunc annum. alii alios ponunt.	8	20	Julius Severus, Propraetor.	41	Moritur Trajanus: & Imperio succedit Hadrianus.
120	871	Hadrianus III. Consul.					Britanni in Romanos surgunt. num. 1. Tres Legiones in Insulâ.

Anni Christi.	Anni ab Urbe Cõdità.	Consules.	Romani Põtifices ALEXANDER.	Rom. Imperatores HADRIANUS.	Proprætores in Britan. JULIUS SEVER^9,	Reges Britãniæ COELLUS.	*Capita rerum gestarum.*
121	872	Aviola, & Pansa,	1	2		43	Evaristus Papa Martyrio coronatur.
122	873	Paternus, & Torquatus	2	3		44	
123	874	Glabrio, & Torquatus	3	4		45	Hadrianus Imp. in Britanniâ, muro hostem submovit. num. 1. 2. Dicitur Britanniæ restitutor. num. 4.
124	875	Asiaticus, & Quintus.	4	5		Lucius in Britanniâ regnat. 1	Coëllus Rex moritur.
125	876	Verus, & Ambiguus	5	6		2	
126	877	Gallicanus & Titianus.	6	7		3	Hadrianus Ecclesiam persequitur. Montem Calvariæ ubi fideles Christum & Crucem ejus colebant, dehonestat; erectâ ibi veneris statuâ, ne Christiani locum frequentarent. num. 2. 3. 4.
127	878	Scipio, & Aquilinus.	7	8		4	
128	879	Verus, & Bibulus.	8	9		5	Quadratus Apostolorum discipulus, & Granianus Asiæ Proconsul, pro Christianis intercedunt.
129	880	Gallicanus & Titianus.	9	10		6	Lucius Rex Christianis favere incipit, & fortè ad Alexandrum Papam Legatum misit.
130	881	Torquatus & Libo.	10	11		7	Judæorum motus, Britanniam quoque concussit; ubi Julius Severus Proprætor.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cōditâ.	Consules.	Romani Pōtifices Alexander.	Rom. Imperatores Hadrianus.	Propraetores in Britan. Julius Sever⁹,	Reges Britāniae Lucius	Capita rerum gestarum.
131	882	Celsus, & Balbus.	11	12		8	Judæi in Romanos tumultuantur. Julius Severus è Britanniâ ad motum componendum educitur post annos tres.
132	883	Catullinus, & Aper.	Sixtus. 1	13		9	Alexander Papa Martyrio coronatur. n. 1.
133	884	Pontianus, & Ruffinus.	2	14		10	
134	885	Pompeianus II. & Commodus.	3	15		11	
135	886	Hyberus, & Silanus.	4	16	Priscus Licinius, Propraetor.	12	Judæi tumultuantur. Julius Severus è Britanniâ vocatur ad motum sedandum. Licinio illi substituto. num. 1. 2. 3.
136	887	Servianus, & Verus.	5	17		13	Christiana Fides in Britanniâ, Lucio Rege Christianis favente, prædicatur & floret; ut innuit Tertullianus in Apologetico.
137	888	Pompeianus. & Acilianus.	6	18		14	
138	889	Cōmodus Verus, & Pompeianus.	7	19		15	
139	890	Ælius Verus, & Vibullius Pius.	8	20		16	
140	891	Camerinus & Magnus.	9	21 Antoninus Pius imperat. 1		17	Moritur Hadrianus, inediâ vitam finiens, & ab Antonino sepelitur ad molem Hadriani.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cōdita.	Consules.	Romani Pōtifices Sixtus.	Rom. Imperatores Antoninus Pius	Propratores in Britan.	Reges Britāniæ Lucius	Capita rerum gestarum.
141	892	Antoninus August. II & Brutius Præsens.	10	2		18	Baptizati Doctores aliqui in Britanniâ. num. 1. 2. 3.
142	893	Antoninus III. & M. Aurelius Antoninus v. hic n. 3.	Telesphorus 1	3	Lollius Urbicus.	19	Britanni ad Septentrionem tumultuantur, rupto Romanorum muro.
143	894	Priscinus, & Severus.	2	4		20	Sibyllina carmina prohibentur, ne Gentiles ad Christianam Fidem accederent.
144	895	Ruffinus. & Quadratus	3	5		21	
145	896	Torquatus & Atticus.	4	6		22	Valentinus, Marcion, & Cerdon hæretici, Traditione Ecclesiasticâ premuntur. num. 1. 2. 3. 4. Romano Catholici unde appellati. num. 7. 8.
146	897	Avitus, & Maximus.	5	7		23	
147	898	Antoninus IV. & M. Aurelius II. v. hic n. 2.	6	8		24	Brigantes Ordovicibus infesti, à Lollio Proprætore domantur. num. 1. 2.
148	899	Erucius Clarus, & Claudius Severus.	7	9		25	
149	900	Gordianus & Maximus.	8	10		26	
150	901	Torquatus & Julianus II.	9	11		27	Justinus Martyr pro Christianis orat, & Fidei mysteria explicat. n. 1. 2. 3. 4 5. 6.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe cōditâ.	Consules.	Romani Pōtifices Telesphorus	Rom. Imperatores Antoninus Pius	Propraetores in Britan. Lollius Vrbicus.	Reges Britāniae Lucius.	*Capita rerum gestarum.*
151	902	Orfitus, & Priscus.	10	12		28	
152	903	Gallicanus & Vetus.	11	13		29	
153	904	Gordianus & Maximus.	12	14		30	
154	905	Glabrio, & Vetianus. v. hic n. 4.	Higinius. 1	15		31	Telesphorus jejunium Quadragesimæ ab Apostolis acceptum confirmat, & moritur martyrio coronatus. num. 1. Terræ motus in Britanniâ. num. 3.
155	906	Præsens, & Ruffinus.	2	16		32	Hæretici Romæ deteguntur. num. 1. 2.
156	907	L. Ælius Cōmodus, & Sextilius Lateranus.	3	17		33	Lucii Regis conversio malè ad hunc annum refertur. num. 1. 2. De schola Cantabrigiensi. num. 3.
157	908	Severus & Sabinus.	4	18		34	
158	909	Silvanus, & Augurinus	Pius Papa. 1	19		35	Higinius Papa martyrio coronatur. n. 1.
159	910	Burbatus, & Regulus.	2	20		36	Pascha die Dominico celebratur in Britanniâ. num. 2. 3. 4. 5. 6.
160	911	Tertullus, & Sacerdos	3	21		37	Marcellus (qui & Marcellinus) Evangelium prædicat in Britanniâ.

Anni Christi.	Anni ab Urbe Cõdità.	Consules.	Romani Pontifices. Pius.	Rom. Imperatores. Antoninus Pius.	Propraetores in Britan. Lollius Urbicus.	Reges Britãniæ. Lucius	*Capita rerum gestarum.*
161	912	Quintilius, & Priscus.	4	22		38	Timotheus, Pudentis filius, prædicat in Britanniâ. num. 1. 2. 3. 4. Ubi de matre, fratribus, & sororibus.
162	913	Vibius Barus, & Annius Bradua.	5	23		39	Literæ ad Timotheum, & responsum ejus. num. 1. 2. 3. 4.
163	914	M. Aurelius III. & L. Verus II.	6	M. Aurelius & L. Verus imperat. 1		40	Antoninus Imperator, moritur. Aurelius & Verus imperant.
164	915	Junius Rusticus, & Vectius Aquilinus.	7	2		41	Cynici Ecclesiam persequuntur. Calvini præcursores. num. 1. 2. ubi habes causam persecutionum.
165	916	Papirius Ælianus, & Junius Pastor.	8	3		42	Justinus martyr, à Cynicis vexatus, suam mortem prædixit. num. 1.
166	917	Julius Macrinus, & Cornelius Celsus.	9	4		43	Timotheus martyrio coronatur. n. 1. 2. 3.
167	918	Arrius Pudens, & [Gabinius Orfitus.	Anicetus Papa 1	5		44	Pius Papa martyrio coronatur. num. 1. Polycarpus Romam venit, & quare? n. 4.
168	919	Servilius Pudens, & Suffidius Pollio. vide hic.	2	6		45	Impp. M. Aurelius, & Lucius Verus, de Parthis triumphant.
169	920	L. Aurelius II. Verus, & Vinidius Quadratus	3	7		46	Polycarpus occiditur, quia jurare noluit per fortunam Cæsaris. num. 1. 2. 3.
170	921	Vectius Paulus, & Julius Montanus.	4	8	Calphurnius Agricola. Proprætor.	47	Motus in Ottadinis, à Calphurnio Agricolà componitur. num. 2.

Anni Christi.	*Anni ab Urbe cõditâ.*	*Consules.*	*Romani Pontifices* Anicetus.	*Rom. Imperatores* M. Aurelius & L. Verus	*Propraetores in Britan.* Calphurnius Agricola.	*Reges Britanniæ* Lucius.	*Capita rerum geſtarum.*
171	922	Socius Priſcus, & Cælius Apollinaris	5	9		48	Captum eſt bellum Marcommannicum in quo L. Verus Imp. moritur.
172	923	Severus Cethegus, & Julius Clarus.	6	M. Aurelius, ſolus imperat. 10		49	Melito Sardicenſis Epiſcopus apologiam pro Chriſtianis ſcribit.
173	924	Severus, & Herennianus.	7	11		50	Hæreſes orbem
174	925	Maximus & Orfitus.	8	12		51	non Urbem vexant.
175	926	Severus II. & Claudius Pompeianus	Soter Papa. 1	13		52	Anicetus Papa martyrio coronatur.
176	927	Gallus, & Flaccus.	2	14		53	Victoria contra Marcomannos, mirabiliter parta Chriſtianorum precibus, Britanniæ ſalutaris fuit per totum.
177	928	Piſo, & Julianus.	3	15		54	Multorum, miraculo illo, converſio. De Pertinace & Trebellio, qui converſi dicuntur. num. 1. 2.
178	929	Pollio, & Aper.	4	16		55	
179	930	Cõmodus Auguſtus, & Quintillus.	5 Eleutherius Papa. 1	17		56	Marcellus, qui in Britanniâ prædicarat, in Galliam profectus martyrio coronatur. num. 2. 3.
180	931	Rufus, & Orfitus.	2	18		57	Britanniæ ſtatus exponitur, paullò ante Lucii converſionem. num. 3.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe cõdita.	Consules.	Romani Pōtifices Eleutherius.	Rom. Imperatores M. Aurelius.	Propraetores in Britan. Calphurnius Agricola.	Reges Britanniae Lucius.	Episcopi in Britannia.	*Capita rerum gestarum.*
181	932	Aurelius Cōmodus, II. & Velpronus. vid. an. 163. n. 6 9.	3	19		58		Lucio Regi Druidarum superstitio incipit displicere.
182	933	Brutios Praelens II. & Quintilius Gordianus	4	Commodus imperat. 1		59		Lucius, ad Eleutherium legationem adornat: petitque ut *Christianus efficiatur.* num. 8. 9. 10. 11. 12.
183	934	Commodus III. & Aoiftius Burrhus.	5	2		60	Elvans Britāniae Episcopus. num. 8.	Elvanus & Meduinus Romam mittuntur. num. 1. 2. 3. 4. Eleutherii ad Lucium literae expenduntur. 5. 6. 7. 8 9 10. Fuganus & Damianus in Britanniam mittuntur. num. 14. 15. 16. Lucius Rex, Regina, aliique baptizantur num. 16. 17. 18. 19. Britannia Rom. Ecclesiae filia primogenita. n. 32. 33 34. Dos Mariae. n. 35.
184	935	Petronius Mamertinus & Trebellius Rufus.	6	3		61		Idola confringuntur. Druides ad Fidem convertuntur. Flamines cedunt melioribus sacris. num. 2. 3. 4. 5.
185	936	Commodus IV. & Aufidius Victorinus.	7	4		62	Thean Londinensis Archiepiscopus primus. num. 5.	Ecclesia in Corne-hill construitur, à Thiano Londinensi. n. 5. & 10. Eboraci & alibi templa Sanctis ponuntur, & ornantur. n. 10. 11. 12.
186	937	Marcellus, & Aelianus.	8	5	Ulpius Marcellus Propraetor.	63		Romani Legati, in Urbem redeunt, ut omnia ab illâ Sede confirmarentur, quae Ecclesiarum ordinem & sacra spectabant. n. 1. 2 3. 4. Caledonii in Romanos surgunt. num. 9.
187	938	Maternus, & Bradua.	9	6		64		Westmonasterii exordia pro Regum sepulturâ. num. 1. Lucius Rex Ecclesiae libertati privilegiis consulit. num. 2 3. Britanni celebrant Pascha, non Graeco, sed Rom. more. n. 6.
188	939	Commodus V. & Aelius Glabrio.	10	7	Helvius Pertinax. Propraetor.	65		Britannorum seditio, ab Helvio Pertinace sedatur.
189	940	Crispinus, & Aelianus.	11	9		66		Templum Wintoniae, & monasterium, Lucio ponitur. n. 1, 2. Banchorensis Academiae initium num. 3. De scholâ Cantabrigiensi. n. 4. Templum in Dover, & Claudiocestriae à Lucio erigitur. n. 5.
190	941	Fulscianus, & Silanus.	12	9		67		Lucius Rex in Germaniam profectus Christum annuntiat. n. 1. 2. 3. 4. 5. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe cõdita.	Consules.	Romani Pontifices. Eleutherius.	Rom. Imperatores Commodus.	Propraetores in Britan. Helvius Pertinax.	Reges Britaniae Lucius.	Episcopi in Britannia.	Capita rerum gestarum.
191	942	Junius, & Servilius.	13	10		68		Fugatius & Damianus, Glastoniam profecti. sanctè moriuntur. num. 4. 5.
192	943	Cõmodus, & Petronius.	14	11	Clodius Albinus Propraetor.	69		Commodi Imperatoris literae ad Clodium n. 2. Clodii Concio in Britanniâ, quae Commodum offendit. num 3. Clodio submoto Junius Severus Propraetor designatur. num. 5.
193	944	Bradua II. & Apronianus. vide hic n. 3	15	12	Junius Severus Propraetor. 5	70		Lucius in Germaniâ ab Infidelibus vexatur. Emerita Virgo ejus soror, sanctè moritur. n. 2.
194	945	Commodus VII. & Pertinax II.	Victor Papa. 1	13		71		Sanctus Eleutherius, Britanniae Apostolus, moritur. Commodus Imperator a Narcisso strangulatur.
195	946	Sosius Flacco, & Erutius Clarus.	2	Ælius Pertinax imp Didius Julianus Severus 1	Clodius Albinus iterum.	72		Romanum Imperium sub vario capite gemit. num. 1. 2 Clodius Albinus in Britanniâ Caesar creatur. num. 2.
196	947	Severus II. & Albinus II	3	Severus Imp. 2		73	Elvanus Londinû transfertur. num. 4.	Albinus in Britanniâ viam sibi ad imperium aperit. num. 2.
197	948	Tertullus, & Clemens.	4	3		74		Severus Imp. Albinum in Britanniâ, Romam invisat: Clam jubens eum occidi.
198	949	Dexter, & Priscus.	5	4		75	Cadrus Londinensis Episcopus. num. 11.	Controversia de Paschate. num. 1. &c. Britannia cum Urbe facit. n. 8. 9. 10.
199	950	Lateranus, & Ruffinus.	6	5	Heraclianus & Virius Lupus, Propraetores.	76		Albinus, in Severum pugnans occiditur. n. 1 2 3. Duo legati in Britanniam, à Severo Imperatore mittuntur. num. 3. 4.
200	951	Saturninus & Gallus.	7	6		77		Severus, Bassianum filium Augustum creat; ejus mater Martia putatur Britanna foemina. n. 1.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe cõditã.	Consules.	Romani Pontifices VICTOR	Rom Imperatores SEVERUS	Propraetores. HERACLIANUS & VIRIUS LUPUS	Reges Britãniæ LUCIUS.	Episcopi in Britannia. CADANUS Lõdinẽs	Capita rerum gestarum.
201	952	Anullinus II. & Fronto.	8	7		78		Lucius Britannnorum Rex, Curiæ sanctissimè moritur, apud Helvetios. num. 1. 2. 3. Ibi sepultus colitur. num. 3. 4. 5.
202	953	Claudius Severus, & Aufidius Victorinus	9	8		Reges in Britannia desierunt.		Scillitani Martyres ; quia per Genium Cæsaris jurare recusarunt. num. 1. 2. 3.
203	954	Annius Fabianus, & Nonius Mutianus.	10 ZEPHIRINUS Papa. 1	9				Donaldi Principis conversio in Septentrione nostro. num. 1. 2. 3 4. 5. Omnis Septentrio Eboracensi Sedi subjectus. num. 6. Isaiæ Prophetia, de Britanniæ Regibus. num. 10.
204	955	Severus III & Antoninus filius.	2	10	VIRIUS LUPUS Caledonios fugat.			Severus Imp. quartæ persecutionis author, conventus prohibet Christianorum. num. 3.
205	956	Plautianus II. & Geta.	3	11				Severus de Parthis triumphat, & cognomina affectat.
206	957	Chilo Septimius II & Annius Libo.	4	12				Plautianus, Christianorum persecutione infamis, occiditur.
207	958	Antoninus II. & Geta II.	5	13				Natalius, quem Victor Papa, fidelium communione privaverat, ad Zephirini pedes abjectus, absolvitur. num. 2.
208	959	Annius Albinus, & Fulvius Æmilius.	6	14		FULGENTIUS quidem regnum affectat. 1.		Caledonii tumultuantur Virius Lupus, Severum Imperatorem in Britanniam invitat. n. 1. 2.
209	960	Flavius Aper, & Albius Maximus.	7	15				
210	961	Antoninus III. & Geta. vide hic n. 8.	8	16				Severus Imp in Britanniam veniens Insulæ intima penetrat, & Caledoniam pertransit. n. 1. 2. 3. 6. Meata & Caledarii describuntur. n. 2. 3. Unde Pictorum nomen, & origo? num. 3 4. Scoti nulli in Britanniâ sub Severo. num 7. Brigantum Deus quis? num. 8.

Anni Christi.	Anni ab Urbe Cō ditâ.	Consules.	Romani Pontifices ZEPHIRINUS	Rom. Imperatores SEVERUS	Propraetores, HERACLIANUS & VIRIDLUS	Episcopi in Britannia. CADARUS Lōdinēsis	Capita rerum gestarum.
211	962	Pompeianus, & Lollianus. vide n. 7.	9	17			Severus Imp. in Britanniâ, muro per transversam Insulam ducto, utrumque Oceanum communivit. Unde dictus est Britannicus. num. 1. 3. 5. Foedus cum Britannis ictum. num. 2. 3. 4. Julia August. Britannos foeminas perstringit & perstringitur. num. 4.
212	963	Faustinus, & Ruffinianus. vide n. 8.	10	18			Severus Eboraci legem dictat: ibi Paulus Æmilius Papinianus J. C. num. 1. Britannorum nova defectio. n. 4.
213	964	Gentianus, & Bassus.	11	ANTONINUS & GETA. 1			Severus Eboraci moritur. num. 1. 2. Ejus cineres Romam delati, ejusque Apotheosis. n. 4. 7. 8. 9. Amphibalus, Antoninum & Getam in Urbem comitatur. num. 6.
214	965	Pompeius Asper, & alter Asper	12	2			Antonino & Getae ex Senatusconsulto Britannici cognomen datur num. 1. 2. De matre Antonini, cujas fuerit, & quaenam? n. 2. 3. 4. 5. Antoninus Getam fratrem occidit. num. 2.
215	966	Antoninus Aug. IV. & Balbinus.	13	ANTONINUS solus. 3			Zephirinus, Traditione, & Doctorum consensu, damnat Cataphrygas. num. 1. 2. Sub Antonino Christiana Fides recipitur. num. 2.
216	967	Messala, & Sabinus.	14	4			Donaldus in Septentrione Princeps moritur, & Christiano more sepelitur num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Fusae pro eo preces, & oblatum Missae sacrificium. num. 6. 7.
217	968	Æmilius Laetus, & Anicius Cerealis.	15	5			
218	969	Sabinus II. & Anullinus.	16	6			
219	970	Praesens, & Extricatus.	17	MACRINUS imperat. 1			Antoninus Imp. à Macrino Centurione, pugione confossus occiditur. num. 1. Macrinus Diadumenum filium ascisceit in imperium. num. 1.
220	871	Diadumenianus, & Adventus.		HELIOGABALUS imperat. 1			Macrinus & Diadumenus filius à milite occiduntur. Heliogabalus, qui & Sardanapalus, succedit.

Anni Christi.	*Anni ab Urbe Cõditâ.*	*Consules.*	*Romani Pontifices* ZEPHIRINUS.	*Rom. Imperatores* HELIOGABALUS.	*Propraetores in Britan.* Heraclianus, [illegible] Lupp	*Episcopi, in Britannia*	*Capita rerum gestarum.*
221	972	Antoninus Aug. II. & Sacerdos.	CALISTUS. Papa. I	2		OBINUS Londinensis. *vide n.2.*	Zephirini decretum, de communione in Paschate. num. 1. Eo mortuo succedit Calistus. num. 2.
222	973	M. Aurelius Antoninus & Eutichianus II.	2	3			Heliogabali ridicula Senatusconsulta, ubi fœminæ jus dicunt, & sententias de cultu mulebri, & legibus matrimonialibus.
223	974	Gratus, & Seleucus.	3	4			
224	975	Antoninus August IV. & Alexander Cæsar.	4	ALEXANDER imperat. I			Alexander Imp. Christo templum ponere, eumque inter Deos referre conatus, impeditur. num 2. Cæterum conventus & hæteras Christianorum permisit. n. 3.
225	976	Maximus, & Ælianus.	5	2			Alexander tandem Christianos persecutus est. num. 2.
226	977	Julianus, & Crispinus.	6	3			Calisti edictum, pro castitate clericorum, priusquam martyrio coronatur.
227	978	Dexter, & Rufus.	URBANUS Papa. I	4			
228	979	Alexander Aug II. & Marcellus.	2	5			Martina Virgo, & Hyppolitus Portuensis, martyres sub Alexandro. num. 2.
229	980	Balbinus, & Maximus.	3	6			Hyppoliti Martyris Vaticinium de tempore Anti-christi. vide num. 3.
230	981	Modestus, & Probus.	4	7			Urbanus Papa, Valerianum & Tiburtium baptizat.

Anni Christi.	*Anni ab Vrbe Cōditâ.*	*Consules.*	*Romani Pōtifices* Urbanus.	*Rom. Imperatores* Alexander.	*Propraetores in Britan.*	*Episcopi Londinenses.*	*Capita rerum gestarum.*
231	982	Alexander III. & Dio	5	8			
232	983	Agricola, & Clementinus.	6	9			Caecilia Martyrio coronatur. Urbani decretum de Vasis argenteis.
233	984	Pompeianus, & Felicianus.	PONTIANUS Papa. 1	10			Urbanus Martyrio coronatur.
234	985	Lupus, & Maximus.	2	11			
235	986	Maximus, & Paternus.	3	12			
236	987	Maximus, & Urbanus.	4	13			Alexander nobilem de Persis, & Artaxerxe, victoriam reportans triumphat.
237	988	Severus, & Quinctianus. eadem. 2.	5	MAXIMINUS imperat. 1			Alexander Imperator occiditur. Num in Britannia? n. 2. Crathlintus in Septentrione Princeps Amphibalum Sacerdotem benignè habet. Assignatâ Sodorensi Sede. num. 3. 4. 5.
238	989	Maximinus Augustus, & J. Africanus.	ANTERUS Papa 1	2			Anterus Papa, Martyrio coronatur. Succedit Fabianus, miraculo electus.
239	990	Perpetuus, & Cornelianus.	FABIANUS. Papa. 1	3			Num Fabianus Papa Britanniae scholas probaverit?
240	991	Pius, & Proculus.	2	4			Maximinus occiditur. Succedit Gordianus.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cõdità.	Consules.	Romani Põtifices FABIANUS.	Rom. Imperatores	Propraetores in Britan.	Episcopi Londinenses.	*Capita rerum gestarum.*
241	992	Gordianus Aug. & Aviola.	3	GORDIANUS imperat. 1	NONNIUS PHILIPPUS.		Coëllus, Helena parens, in Britannia clarus. num. 2.
242	993	Sabinus, & Venustus.	4	2			
243	994	Gordianus II. & Pompeianus.	5	3			
244	995	Atticus, & Praetextatus. v. n. 1. 2.	6	4	Nonnii mentio in tabulâ apud Cãbros. n. 1.		Persae à Gordiano admodum premuntur. quod notandum est pro patriâ Constantini. num. 2.
245	996	Aprianus, & Pappus.	7	5		CONANUS Episcopus Londinensis.	Christianorum templa & altaria eriguntur. num. 2.
246	997	Peregrinus & Æmilianus	8	PHILIPPUS imperat. 1			Gordianus Imperator occiditur.
247	998	Philippus Aug. & Fabius Titianus.	9	2			Helena sancta, Constantiai mater, nascitur.
248	999	Praesens, & Albinus.	10	3			Philippus, in Christianam Fidem propendet, operâ Severae conjugis Augustae.
249	1000 vide n. 1.	Philippus II. & ejus filius. vide n. 3.	11	4			Uterque Philippus Imperator, millesimum urbis annum, Christianâ Fide illustrant. num. 1. 2.
250	1001	Philippus Pater III. & Philippus filius II. v. n. 1 & 2.	12	5			Cyprianus consecratus Carthaginensibus Episcopus. num. 3.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cōditâ.	Consules.	Romani Pōtifices FABIANUS.	Rom. Imperatores PHILIPPUS.	Propraetores in Britan. NONNI° PHILIPPUS.	Episcopi Londonenses. CONANUS.	Capita rerum gestarum.
251	1002	Æmilianus & Aquilinus.	13	6			
252	1003	Decius, & Gratus.	14	7			
253	1004	Decius, & Etruscus.	15	DECIUS imperat. 1			Philippus uterque occiditur. Decius sextæ persecutionis author. num. 1. 2. Inde lapsi, & libellatici. num. 3. Et Fabianus Martyr.
254	1005	Decius III. & Gratus II.	CORNELIUS Papa. 1	2 GALLUS & VOLUSIANUS imperāt. 1			Novatus, Novatianum in schisma pellicit. n. 2. A Cornelio rejicitur. num. 4. Cyprianus pro schismate componendo scribit, de unitate Ecclesiæ. num. 5. Novatiani sectatores Calvinistis prælucent. num. 7.
255	1006	Gallus II. & Volusianus II.	2	2			Septima persecutio, in Missantes Sacerdotes. n. 1. 2. 3. Cornelius Papa martyrio coronatur. num. 4.
256	1007	Volusianus III. & Maximus.	LUCIUS Papa. 1	3			Helenæ Virginis indoles, & Fides. num. 2. 3. 4. 5.
257	1008	Valerianus II. & Gallienus.	STEPHANUS Papa. 1	4	DESIDIENUS ÆLIANUS. n. 3.		Gallus, & Volusianus, occiduntur. Æmilianus imperat, & occiditur. num. 2. S. Melanius Britannus, à Stephano Papa baptizatur. num. 3. 4. 5.
258	1009	Valerianus III. & Gallienus II.	2	Valerianus & Gallienus imperant, numeratur imperii annus. 4			Melanius, à Stephano consecratur Rhotomagensis Episcopus. num. 2. 3.
259	1010	Valerius Maximus, & Acilius Glabrio.	3	5			Octava persecutio. num. 2.
260	1011	Valerianus IV & Gallienus III.	4 SIXTUS Papa. 1	6			Stephanus Papa Sacrificium Deo offerens, occiditur. num. 1.

Anni Christi.	*Anni ab Vrbe Cōdita.*	*Consules.*	*Romani Pōtifices.*	*Rom. Imperatores* Valerianus & Gallienus.	*Propraetores in Britan.* Dessidienus & Aelia	*Episcopi Londinenses.* Conanus.	*Capita rerum gestarum.*
261	1012	Memmius Euscus, & Pompon' Bassus. *v. n. 1. & 2.*	Dionysius Papa. 1	7	Desidienus mentio in votivâ tabulâ. *n. 1 2*		Sixtus Papa, cum sacrificium obtulisset martyrio coronatus lachrymante Laurentio, qui eum post triduum sequitur, Sacerdotem Levita. num. 3 4 5 Cyprianus occiditur, quia noluit cæremoniam. num. 5.
262	1013	Gallienus IV. & Valerianus minor.	2	8			Valerianus à Persis capitur. num. 1. Posthumus in Britanniâ Tyrannidem exercet.
263	1014	Gallienus V. & Victorinus.	3	9		Palladius Londinensis. *vide n. 2.*	Britannia à Rom. Imperatore deficit. num. 1. Non ita à Romana Sede. num. 2.
264	1015	Albinus, & Maximus,	4	10			
265	1016	Gallienus VI. & Saturninus	5	11			
266	1017	Valerianus & Lucillus.	6	12			Pauli Samosetani hæresis, Traditione jugulatur.
267	1018	Gallienus VII. & Sabinellus.	7	13			Posthumus occiditur: Ælianus tyrannidem occupat, & à Victorino occiditur. Non mirum igitur tumultuari, Britanniam, quia Galliarum provinciæ à Gallieno defecerant. num. 1. 2.
268	1019	Paternus, & Arcesilaus.	8	14	Victorinus occiso Æliano.		
269	1020	Paternus II & Macrianus.	9	15 Claudius. imperat. 1.			Tetricus Britanniam obtinet: & contra Gallienum, Augusti appellationem. num. 3.
270	1021	Claudius, II. & Paternus.	10	2			Claudii genus, & Constantii parentes exponuntur. num. 2.

Anni Christi.	*Anni ab Vrbe cõditâ.*	*Consules.*	*Romani Pontifices* DIONYSIUS.	*Rom Imperatores* CLAUDIUS.	*Propratores in Britan.* VICTORINUS.	*Episcopi Londinenses.* PALUDI⁹	*Capita rerum gestarum.*
271	1022	Antiochianus, & Orphitus.	11	3 AURELIANUS 1			Claudius moritur; succedit Quintillus frater: sed statim extinctus, locum fecit Aureliano. num. 1.
272	1023 vide an. Christi 275. num. 1.	Aurelianus Aug. & Bassus. v an. 275. n. 8.	12	2			Dionysius Papa moritur. n. 2. Aurelianus nonæ persecutionis author. num 2.
273	1024 mentio huyus anni, in an. Chr. 275. num. 7.	Quietus, & Valdumianus.	FELIX Papa. 1	3			Aurelianus in Oriente Zenobiam debellat. num 2. 3. 4. inde in Europam redit. num. 5.
274	1025	Tacitus, & Placidianus.	2	4	TETRICUS. v. n. 2.		Aurelianus in Occidente, Vindelicos obsidione liberat. num. 1 2. Adest illi Constantius, & ab eo legatus mittitur in Britanniam. num. 4 5. 6 &c.
275	1026	Aurelianus Aug. II. & Julius Capitolinus, v. n. 1. & 4.	EUTICHIAN⁹ Papa. 1	5			NASCITUR IN BRITANNIA CONSTANTINUS MAGNUS. In Trinobantibus, & urbe Colcestriâ. num. 5. 6 7. 8. 9.
276	1027	Aurelianus Imp. & Marcellinus.	2	6			Manes hæreticus negat Sanctos colendos: & dici potest Sectariorum Patriarcha.
277	1028	Probus, & Paulinus.	3	7			
278	1029	Probus II. & Paternus.	4	TACITUS imperat.			Aurelianus à milite occiditur. num. 1.
279	1030	Tacitus II. & Fulvius Æmilianus.	5	PROBUS imperat. 1			Aruspicum responsum de mittendo Proconsule ad Romanam Insulam.
280	1031	Messala, & Gratus.	6	2		STEPHANUS Londinensis Episcopus. v. n 4.	S. Melanius Rhotomagensis Episcopus moritur. num. 1. 2. Ejus Fidei compendium. num. 3.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cō ditâ.	Consules.	Romani Pontifices EUTYCHIANUS	Rom. Imperatores PROBUS.	Propraetores in Britan.	Episcopi Londinenses STEPHANUS	*Capita rerum gestarum.*
281	1032	Probus Aug IV. & Tiberianus	7	3	BONOSUS Britanniam occupat. n. 1 2.		
282	1033	Probus Aug. V. & Victorinus.	8	4	LAELIANUS Bonoso succedit n. 2.		Bonosus, à Probo superatur num. 1. Vites Britannis à Probo permittuntur. num. 2.
283	1034	Carus, & Carinus.	9	5	CARINUS Caesar. n. 2.		Probus Imp à milite occiditur. n. 1. Carus imperat, qui Carinum asciscit, & illi Britanniam regendam tradit. num. 2.
284	1035	Carus II & Numerianus.	CAIUS Papa. 1	DIOCLETIANUS imperat. 1			Carus Imp. fulmine ictus occiditur: & succedit Diocletianus.
285	1036	Diocletianus II. & Aristobulus. vide n. 1.	2	2			Diocletianus hoc anno Britannicus appellatur. num 1. Legatum misit in Britanniam, impietatis suae ministrum. num. 2.
286	1037	Maximus, & Aquilinus.	3	3	CARAUSIUS Britanniam occupat n. 4		Diocletianus Maximianum Herculeum collegam asciscit: inde decima persecutio num. 1. Albani Martyris comprehensio, & vincula huc referenda. num. 5 6 7. 8. 9 10 11. 12. Amphibalus in Britanniam redit. n. 14. 15. Multa de illo num. 16. 17. 18. &c.
287	1038	Diocletianus III. & Maximianus II.	4	4	CARAUSIO Insulae imperium datur. n 33.		Albanus ad mortem condemnatur, & illi demum caput abscinditur. num. 3 4 5 6. Heraclius Martyrii collega. num. 7. Plura de Albani corpore, & sacris reliquiis. num. 12. 13 14 15. 16. 17 &c. Amphibali martyrium. num. 24 25. 26. 27. Julii & Aaronis Martyrium num. 28 29. Stephanus & Socrates Martyres. num 30.
288	1039	Maximus II & Januarius.	5	5			Quamdio Diocletiani persecutio duravit in Britannia? num. 5.
289	1040	Bassus, & Quinctianus.	6	6			Ecclesiarum & Monasteriorum destructio, Fidei exterminium. num. 1 2. Monachi Wintonienses disperguntur, & Westmonasterium in Apollinis fanum convertitur. num. 1.
290	1041	Diocletianus IV. & Maximianus III.	7	7			Romani Persas & Parthos vexant; non vexantur ab illis. Nec opus Constantium, ad eos premendos, mittere.

Anni Christi.	*Anni ab Urbe cōditā.*	*Consules.*	*Romani Pontifices* CAIUS	*Rom. Imperatores* DIOCLETIANUS. MAXIMIANUS.	*Propraetores in Britan.* CARAUSIUS.	*Episcopi Londinenses.* STEPHANUS.	*Capita rerum gestarum.*
291	1042	Junius Tiberianus, & Cassius Dion.	8	8			Tumultus varii per Rom. Imperium, creandorum Caesarum causa.
292	1043	Anniba lianus, & Asclepio datus.	9	9			Constantius à Maximiano Caesar eligitur, acceptâ in conjugem Theodorâ, & repudiatâ Helenâ num. 1. 2. Helena Treviris; Constantinus cum Diocletiano mansit. num. 3. 4. 5.
293	1044	Diocletianus V. & Maximianus IV.	10	10	ALLECTUS. v. n. 2 3.		Constantii expeditio in Britanniam. num. 1. 2. Carausius ab Allecto occiditur. num. 3.
294	1045	Constantius Chlorus, & Galerius Maximian° *minus Constantio Caes. an. 295. 5.*	11	11	ALLECTUS occiditur. v. n. 2.		Constantius in Britanniâ, combustis navibus pugnat; & Allectum occidit. num. 1. 2. Constantii provinciales quinam? num. 3. Britannorum jubilus ob adventum Constantii. num. 4. Constantinus in Aegypto cum Diocletiano. num. 5. Minervinam ducit uxorem. n. 6.
295	1046	Tuscus, & Annullinus	12	12	Constantius Caesar & Legatus. n. 5. Asclepiodatus praeses. vide an. 300. n. 2		Constantii adventus antiquam Britannicae Ecclesiae faciem renovat; & quaenam illa! num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.
296	1047	Diocletianus Aug. & Cōstantius Caesar II. *num. 1.*	13 MARCELLINUS Papa. 1	13			Caius Papa martyrio coronatur: Marcellinus succedens, Thebaeam Legionem in Fide confirmat. num. 1. 2. De S. Nicolao Episcopo. num. 3.
297	1048	Maximianus Aug. II. & Galerius Maximianus Caesar II.	2	14			Thaebeus miles non vult ad profanas aras accedere; nec in infidelium verba jurare: ubi de juramento fidelitatis. num. 1. 2. 3.
298	1049	Faustus, & Gallus.	3	15			
299	1050	Diocletianus VII. & Maximianus VI.	4	16			Constantius in Galliis apud Lingones, cum periculo pugnans; tandem insigni victoria potitur. num. 1. 2.
300	1051	Constantius III. & Galerius III.	5	17		Moritur S. Stephan° Lond Episcop. Augulus succedit.	In Martyrologio nostro inter Sanctos ad 12. Augusti Stephanus legitur.

Anni Chriſti.	Anni ab Vrbe cō-ditâ.	Conſules.	Romani Pōtifices MARCELLINUS	Rom. Imperatores DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS.	Britannia Princeps. Conſtantius & Helena.	Epiſcopi Londinenſes. AUGULUS.	Capita rerum geſtarum.
301	1052	Titianus, & Nepotianus.	6	18	.		Diocletianus Parthos triumphat. num. 1. Conſtantius in Britanniâ Chriſtianis libertatem Fidei permittit. n. 1. Foris Galerius monaſteria Virginum demolitur. n. 2. 3. 4.
302	1053	Cōſtantius IV. & Galerius IV.	7	19	Conſtantius Britanniam ádministrat. n. 2.		Decima perſecutio in Eccleſiam à Diocletiano & Maximiano Auguſtis. num. 1. Conſtantius Helenam recipit in thori ſocietatem. num. 2. & 6. Conſtantii virtutes & facta in Britanniâ narrantur. num. 3 4.
303	1054	Diocletianus VIII. & Maximianus VII.	8	20			Crucis cultores Diocletianus perſequitur. num 1. 2. Et Eccleſiæ ſacram ſupellectilem. num. 3 4. Item Miſſæ ſacrificium num. 5. 6. 7 8. 9. 10.
304	1055	Diocletianus IX & Maximianus VIII	MARCELLUS Papa. 1	Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximian. 1			Marcellinus martyrio coronatus. num. 1. Eo tempore Conſtantius in Britannia agens, non eſt in Marcelli morte culpandus. num. 2.
305	1056	Conſtātius V. & Galerius V.	2	2		Reſtitutus ſive Iltutus Londinenſis Epiſcop. n. 4.	Conſtantinus in Sarmatas pugnat. num. 2. S. Augulus Londinenſis Epiſcopus, Martyris nomine inſignis moritur. num. 3 4.
306	1057	Conſtantius VI. & Galerius VI.	3	3 Conſtantinus imperat. 1 n. 8. 10.			Conſtantii ſuprema in Britanniam expeditio. num. 1. Caledoniis victis Eboraci decumbit, & moritur. Conſtantino hærede nominato. num. 2. 3. 4 Inter Deos refertur. num. 5. Conſtantinus eligitur Imperator, ſed Cæſaris appellatione contentus eſt. num. 6, 7 8. 9. & 10.
307	1058	Conſtantinus Cæſar, & Maximianus IX.	4	2			Conſtantinus cum imperii competitoribus paciſci conatus, & tandem cum Maximiano convenit, acceptâ in uxorem filia, & purpura. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Maximiani fraus detegitur, & perit. num. 7. 8. 9.
308	1059	Diocletianus X. & Galerius VII.	5	3			Conſtantinus in Germaniam tranſit, hoſtes ſuperat, pontem Rheno imponit. num. 1. 2. 3.
309	1060	Poſt Conſulatum Diocletiani X. & Galerii Maximiani VII.	6 Euſebius Papa. 1	4			Wintonienſis Eccleſia & monaſterium extruitur. Item Abdoniæ permiſſu Conſtantini. num. 1. 2. Marcellus Papa moritur in Catabulo. num. 1. Succedit Euſebius qui prohibet Laicis ne Epiſcopos in judicium vocent. num. 1.
310	1061	II Poſt Cōſulatum Diocletiani X. & Galerii Maximiani VII.	2	5		CONSTANS Wintonienſis Epiſcopus.	Wintonienſis Eccleſia à Conſtante Epiſcopo conſecratur, & à S. Amphibalo nomen accipit & Abbatem monaſterii Deodatum. num. 1. 2. 3.

Anni Christi.	Anni ab Urbe cõdità.	Consules.	Romani Pōtifices Eusebi⁹	Rom. Imperatore Constantinus Magnus.	Propraetores in Britānia	Episcopi in Britanniá	Capita rerum gestarum.
311	1062	Galerius Maximianus VIII & Licinius.	3 Melchiades Papa. I	6		Restitus Londinensis. Constans Wintoniensis. Eborius Eboracensis & Adelfius Camalodunensis Episcopi.	Diocletiani persecutio finitur cum morte Galerii Maximiani num. 1. Eusebio mortuo succedit Melchiades. num. 2.
312	1063	Constantinus II & Licinius II.	2	7		vide an. 314. n. 25.	Constantinus in Maxentium parans, signo Crucis ad spem Victoriæ & Fidem erigitur. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. &c. Constantini itinera dum Maxentium petit. num. 22. 23. 24. 25. 26. 27. Maxentius à Constantino occiditur. num. 28. 29. 30. Crucis trophæa. n. 32. 33. &c.
313	1064	Constantinus III. & Licinius III.	3	8			Constantini avunculi in Senatum adleguntur. num. 1. Britannia Constantino gratulatur ob victoriā, & ed ctum ejus pro Christianis. num. 2. 3. 4. Constantini pietas in Ecclesiam. num. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Panis benedicitur & fermentum. num. 16.
314	1065	Volusianus & Anianus.	Silvester Papa. I	9	Octavius in Romanos surgit & tyrannidé occupat n. 1. 2	Restitutus Londinensis & alii Episcopi a Cōstantino ad Synodū Arelatensem vocantur.	Constantinus Britanniæ regimen mutat, & Galliæ Præfecto subjicit. num. 4. 5. 6. Synodus Arelatensis n. 7. 8. 9. Paschatis dies definitus. n. 10. De Diaconorum testatione nihil. num. 15.
315	1066	Constantinus IV. & Licinius IV. vide n. 2.	2	10			Excutitur Mariani Scoti narratio de Helenā Judaizante. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.
316	1067	Sabinus, & Ruffinus.	3	11			Albano sancto erecta Ecclesia consecratur. Ejus reliquiæ ibi coluntur. num. 1. 2. 3. 4. 5. Licinius Ecclesiam persequitur, sed Constantinus occurrit. num. 7. 8.
317	1068	Gallicanus & Bassus.	4	12			Constantinus in Licinium pergens, Naissi mansit, filiumque secundo genitum ibi suscepit. num. 3. 4. Victoriâ potitus virtute Crucis, cum Licinio paciscitur. n. 5. 6. 7. 8. Licinius Crucem risit, sed Cruce confunditur. num. 6. & 7.
318	1069	Licinius V. & Crispus Cæsar.	5	13			Licinius rupto fœdere occiditur. num. 1. Constantini apparatus bellicus exponitur. num. 2. 3. Oriens per Constantinum serenatus. n. 4. 5. 6. In Orientem proficisci deliberat. num. 9. Relaxat exules. n. 10. 11. 12. Et Arius incipit insanire. num. 17. &c.
319	1070	Constantinus V. & Licinius junior.	6	14			Constantinus in Arium scribit. num. 1. Clericis immunitatem & privilegia dictat. num. 2. 3. 4. Britannia nunc à Constantini Fide, qui Episcoporum ordinem coluit, multum degenerat. num. 5.
320	1071	Constantinus Aug. VI. & Constantinus junior.	7	15			Constantinus legem abrogat contra Cælibatum, & Virginitatem probat. num. 1. 2. 3. Inde probantur Constantini natales puri. num. 4. Qui amaverunt, qui oderunt sacras Virgines. num. 5.

Anni Christi.	Anni ab Urbe condita.	Consules.	Romani Pontifices. SILVESTER	Rom. Imperatores. CONSTANTINUS Magnus.	Episcopi Britanniæ. RESTITUTUS Londinensis.	Capita rerum gestarum.
321	1072	Crispus II. & Constantinus Cæsar II. vide n. 1 3.	8	16		Dies Dominicus coli iubetur etiam à Gentilibus. num. 1. 2. Legata Ecclesiæ leg. latâ confirmantur. num. 5. Constantinus baptismum differt, & audit Aruspices. n. 6. 7.
322	1073	Petronius Probianus, & Anicius Julianus	9	17		Christiani ab Aruspicibus absente Constantino Romæ vexantur. Inde eorum & Silvestri fuga.
323	1074	Severus, & Ruffinus.	10	18		Constantinus pro Ecclesiasticorum pace & quiete scribit contra eos qui illos ad lustrorum sacrificia cogere volebant.
324	1075	Crispus III. & Constantinus Cæsar III.	11	19		Constantini baptismus probatur. n. 1. 2 3. &c. 22. &c. Ejus lepra occasio baptismi. n. 10 11. 12. Apostoli illi apparent n. 2. 13. &c. Ejus baptismus qualis? n 17. 18 19. 20 21. Ex Eusebio ostenditur Côstantini baptismus. n 26 27. Ejus donum à baptismo. n. 30. Veste candida induitur. n. 31 32 Quæ fecerit à baptismo? n 34. &c. Vaticanæ & Lateranensi Ecclesiæ? n 40 &c. Quid fecerit in Oriente? 51 &c. Basilica S. Laurêtii. 54 &c Orientē cogitat 61. 62
325	1076	Paulinus, & Julianus.	12	20		Nicæna Synodus cui adest Constantinus, exponitur.
326	1077	Constantinus Aug. VII. & Côstantius Cæsar.	13	21		Helena Hierosolymam proficiscitur, Crucem invenit, effert, colit, & alia facit pietatis opera. num. 1. 2. &c. Demum Romam reversa sanctè moritur. num. 63 64. 65. 66. Corpus ejus in Gallias transfertur. num. 67. 68. In Britanniâ & Galliâ colitur. num. 69. 70. 71. Ejus vitæ synopsis. num. 72.
327	1078	Constantinus Cæsar IV. & Maximus.	14	22		Constantinus Athanasium persequitur. num. 1, 2.
328	1079	Januarius, & Justus.	15	23		Athanasius Ischyrum pseudo-presbyterum monet. Unde ortæ in Athanasium calumniæ.
329	1080	Constantinus Aug. VIII. & Constantinus Cæsar V.	16	24		Athanasius à Constantino absolutus ad Sedem suam revertitur. n. 1. Eusebius Nicomediensis calumniator in Athanasium machinator, arguitur. num. 2.
330	1081	Gallicanus II. & Symmachus.	17	25		Byzantina civitas Constantinopolis appellatur Deiparæ Virgini consecratur incruento sacrificio num 1 3. Michaelem eximiè colit Constantinus, in cujus honorem nobilissimum templum erexit. Ubi Crucis mirabilis apparitio mysteria Fidei explicat. num. 1, 2. Scripturam describi curat Constantinus. num. 3 4. Scholæ Constantinopoli. num. 5. 6.

Anni Christi.	*Anni ab Urbe cōditá.*	*Consules.*	*Romani Pōtifices* SILVESTER	*Rom Imperatores* CONSTANTINUS MAGNUS.	*Episcopi in Britanniá* RESTITUTUS Londinensis.	*Capita rerum gestarum.*
331	1082	Bassus iterum, & Ablavius	18	26		In Athanasium crimina confinguntur.
332	1083	Pacatianus & Hilarianus.	19	27		
333	1084	Delmatius & Zenophilus.	20	28		Constantinus ad Athanasium literas scribit, probatque ejus innocentiam. num. 1. 2.
334	1085	Optatus, & Paulinus.	21	29		Constantini inconstantia in Athanasio defendendo.
335	1086	Constanti⁹ & Albinus.	22	30		Constantini tricennalia Tyri celebrantur. Ibi Athanasii crimina de Arsenio, de fœmina violata diluuntur num. 1 2 Hierosolymitani templi consecratio. num. 3. Moritur Silvester Papa. n. 4.
336	1087	Nepotian⁹ & Facundus	MARCUS Papa. 1	31		Constantinus pro Athanasio scribit num. 1. 2. 3. Inde ad Episcoporum instantiam Athanasius exulat. num. 4. Id regie ferunt Orientis provinciæ num 5. 6 Arianam Fidem simulant, & admittuntur num 7 & 10. Constantini Fides laudatur num 8 9 Alexander quid senserit de Ario. num. 11. 12. Arius crepat medius. num. 13 14 Moritur Marcus Papa. num. 15.
337	1088	Felicianus, & Titianus.	JULIUS Papa. 1	32 CONSTANTINUS junior. 1		Constantini Fides sub finem vitæ excutitur. num. 1. 2. Templum Apostolis erigit n. 3. Duodecim cappas fieri mandat & quare? num 4. 5 6 7 8. Peccata confitetur, & ad mortem se parat. num. 9 10. 11 12. Moritur & ungitur. num. 13. 14 15 & 20 Pro mortuo oratur & sacrificium offertur n. 16. 17. A Britannis colitur. num. 22.
338	1089	Ursus, & Polemius.	2	2		Constantinus junior Britannias obtinet Princeps orthodoxus. n. 1. Pro Athanasio scribit, & ille Alexandriam redit. num. 2. 3.
339	1090	Constantius Aug. II. & Constans. vide n. 1 5.	3	3		Athanasius apud Julium Papam accusatur & absolvitur. num. 1. 2. Num & quando junior Constantinus in Britanniá fuerit? n. 3. 4.
340	Anni U. C. in usu esse desierunt.	Acendinus & Proculus	4	4 CONSTANS Britānias obtinet 1	GUDWALUS ignotæ Sedis Episcopus. 2 &c.	Constantinus junior à Constantis fratris milite occiditur. num. 1. S. Gudwalus floret. Ejus vitæ compendium. num 2. 3. 4. 5. 6. Moritur Sanctus, & transfertur in Belgium. num. 7. 8. 9.

Anni Christi.	Romani Pontifices Julius.	Consules.	Romani Imperatores. Constans in Britannia.	Episcopi in Britannia. Restitutus. Londinensis	Capita rerum gestarum.
341	5	Marcellinus, & Probinus	2		Britannia videtur à Constante Imperatore desecisse una cum Galliâ.
342	6	Cõstantius Aug. III. & Constans. 2.	3		Constans Imperator, vel certe Legatus ejus in Britanniam descendit, & rebellem premit. num. 1. 2.
343	7	Placidus, & Romulus.	4		Constantius in Oriente Barbaros profligat.
344	8	Leontius, & Salustius.	5		Oriens Arianâ hæresi inficitur Occidentalis Ecclesia & Britannia, ab eâ labe immunis.
345	9	Amantius, & Albinus.	6		
346	10	Post Consulatũ Amantii & Albini Græci Fasti notant Constantiũ IV. & Constantẽ III. Coss.	7		
347	11	Ruffinus, & Eusebius.	8	Restitutus Londinensis in Synodo Sardicensi. n. 2.	Concilium Sardicense pro innocentiâ Athanasii Britanniarum Episcopi Concilio adfuerunt. num. 1. 2. 3. Rom. Sedes in dubio appellanda. num. 4. 5. 6.
348	12	Flavius Philippus, & Flavius Salleas,	9		Constans Imp. Occidentis sensum secutus, Constantio fratri bellum minatur, nisi Athanasium Sedi restituat: num. 1. 2.
349	13	Ulpius Limenius, & Catullus Philomian⁹	10		Athanasius Alexandrinæ Sedi restitutus, tamdiu quietè illam administravit, quamdiu Constans Imp. in vivis fuit.
350	14	Sergius, & Nigrianus.	11		Constans apud Helenam oppidum occiditur. num. 1. Lugetur & laudatur ab Athanasio. num. 2. Tyranni Vetranio & Magnentius Imperium occupant. num. 3.

Anni Christi.	Romani Pontifices Julius.	Consules.	Romani Imperatores.	Britanniæ Præsides	Episcopi in Britannia, vel CESTICINTUS Londinensi	Capita rerum gestarum.
351	15	Post Consulatum Sergii & Nigriani.	CONSTANTIUS imperat in Occidente. 1	MAGNENTIUS Vetranione anno to Britannias obtinet. 1.		Julianus Apostasiam incipit à contemptu Crucis. num. 1. Contra, Fides Regia à Crucis cultu cœpit.
352	16 Liberi' Papa. 1	Cōstantius Imp V. & Gallus Cæsar.	2			Magnentio in Britanniâ tyrannidem exercente, clerus è Septentrione in vicinam insulam Hy fugit. Inde locus ille pietatis seminarium fuit.
353	2	Cōstantius Imp. VI. & Gallus Cæsar II. vide n 1.	3	Magnentius occiditur. 1.	Restitutus adfuit Arelatēsi Synodo. n. 2.	Pagani dicti qui Constantio iubente Urbibus excedere iubentur. n. 1. Arelatensis secunda Synodus. num. 2.
354	3	Cōstantius Aug. VII. & Gallus Cæsar III.	4			Liberius pro Athanasio laborat. num 1. Gallus Cæsar (qui & Constantius) Constantis patruelis, occiditur. num 2.
355	4	Arbetio, & Lollianus v. hos Coss. an 374. n. 19.	5	GRATIANUS Prætorio Brit n 4. MARTINUS illi succedit.		In Synodo Mediolanensi Athanasius condemnatur, reclamante Liberio. num 1. 2. Liberius in exilium mittitur, & missam à Constantio pecuniam respuit. num. 3. Felix Liberio succedit. Constantius Britanniæ præsides sæpe mutat. n. 5.
356	5	Cōstantius Aug. VIII. & Julianus Cæsar.	6			Alexandrina Ecclesia Arianorum factione laceratur n. 1. 2.
357	6	Cōstantius Aug. IX. & Julianus Cæsar II.	7			Liberius Papa Athanasii exilio subscribens ad Sedem redit: reversus Arianorum commercia vitat. n 1. Ariani Catholicum nomen suffurare conantes, à Lucifero Calaritano deteguntur, qui Photinum concorcinum vocat. num. 2.
358	7	Dacianus, & Cerealis.	8			Rom. Sedes sub duplici capite Liberio & Felice periclitatur: Sed deficiente Liberio Felix orthodoxus est, & admittitur.
359	8	Eusebius, & Hypathius.	9		Tres è Britanniâ Episcopi in Ariminensi Synodo. n. 2 3.	Ariminense Concilium, quo vocati Britanniarum Episcopi, in duplici differentiâ fuerunt. num. 1 2 Decretum Concilii Traditioni inhærens. num 5. 6. Ariani substantiæ vocem respuunt, quia non invenitur in Scripturâ. n. 7. Anathematismi Concil. Ariminensis. num. 10.
360	9	Constātius Aug X. & Julianus Cæsar III. n. 1. & 3.	10	Lupicinus à Juliano in Britanniam mittitur. 1 inde Gumoharius 2.		Picti & Scoti Britanniam turbant: eo primo mittitur Lupicinus. Deinde Gumoharius. num. 1 2 3. Sed illis non obstantibus Scoti in Septentrione pedem figunt: & Dalreudini à duce Reudâ vocantur. num. 3 4.

Anni Christi.	*Romani Pontifices.* LIBERII	*Consules.*	*Rom. Imperatores* CONSTANTIUS	*Britanniæ Præsides.*	*Episcopi in Britannia.* RESTITUTUS. Lōdinens.	*Capita rerum gestarum.*
361	10	Taurus, & Florentius	11 JULIANUS Apostata 1	GUUOHARIUS *anno superiori.*	THAODWINUS Lond. Ep. 6. KEBIUS Monæ Episcop.	Hilarii Epistola ad Britanniarum Episcopos. n. 3. 4. Kebius Hilarii auditor. n. 7. 8. Patricii natalis annus. n. 11. 12 13. Ejus patria. n. 14. Parentes. n. 15. Natalis locus. n. 16. 17.
362	11	Mamertinus & Nevitta.	2	ALYPIUS Proprætor. *n. 11.*		Julianus Apostata labarum mutat: & Cruce inde sublatâ Deorum effigies substituit. num. 1. 2. De cultu Crucis, & religione Castrensi. n. 3. 4. In imagines, in Sanctos, sanctorumque reliquias pugnat Julianus. n. 5. 6 7. 8. 9. 10.
363	12	Julianus IV & Salustius.	3 JOVIANUS imperat. 1			Julianus occiditur. num. 1. Julianus & Constantinus M. comparantur num. 2. 3. Jovianus omnia restituit. n. 5. 6. Athanasius eum docet. n. 7. 8. 9. 10.
364	13	Jovianus, & Varronianus.	VALENTINIANUS imperat. 1	Nectaridus Comes & Bulchobaudes, Ro. duces. *n. 5.*		Picti, Saxones & Scoti, Britannos vexant, & unà Attacotti. n. 2. 3. Iterum labarum Cruce munitur sub Valentiniano Imp. num. 4.
365	14	Valentinianus, & Vallus.	2	SEVERUS Protector, inde Jovinus postremo Theodosius. *n. 1 2.*		Pictorum distinctio: Dicaledones & Vecturiones. n. 2. Franci & Saxones Britanniam invadunt. n. 3. A Theodosio premuntur. Fides adhuc integra in Britanniâ. n. 5.
366	15	Gratianus & Dagalaiphus.	3			Valentiniano nascitur filius Valentinianus secundus. Valens Imp. Orientis, in Arianam hæresim cadens, Orientem turbat.
367	DAMASUS. Papa. 1	Flavius Lupicinus, & Flavius Jovinus.	4	THEODOSIUS Scotos ad paludes suas cogit. *n. 1 2.*		Valentinus, quidam in Britannia, dum nova molitur, à Theodosio premitur, qui recuperatam provinciam Valentiam appellat. n. 2. 3. 4. Arcani quinam? n. 5. Britanniæ multiplex divisio. n. 4.
368	2	Valentinianus II. & Valens II.	5			Ursicinus schismaticus, qui contra Damasum sedem affectavit, ex Urbe pellitur à Valentiniano Imp.
369	3	Valentinianus puer, & Aurelius Victor.	6			Theodosius è Britanniâ evocatur. num. 1. 2. Scoti in patriam reversi videntur, ejusdem Theodosii operâ. num. 3.
370	4	Valentinianus Aug. III. & Valens Aug. III.	7			S. Ninianus è Britanniâ Romam proficiscitur: Rom. Seminarii alumnus, ubi formatur Pictorum Apostolus. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Moritur S. Kebius Monæ Episcopus. n. 7.

Anni Christi.	Anni ab Urbe Cōditâ.	Consules.	Romani Pōtifices URBANUS.	Rom. Imperatores ALEXANDER.	Propraetores in Britan.	Episcopi Londinenses.	Capita rerum gestarum.
231	982	Alexander III. & Dio.	5	8			
232	983	Agricola, & Clementinus.	6	9			Caecilia Martyrio coronatur. Urbani decretum de Vasis argenteis.
233	984	Pompeianus, & Felicianus.	PONTIANUS Papa. 1	10			Urbanus Martyrio coronatur.
234	985	Lupus, & Maximus.	2	11			
235	986	Maximus, & Paternus.	3	12			
236	987	Maximus, & Urbanus.	4	13			Alexander nobilem de Persis, & Artaxerxe, victoriam reportans triumphat.
237	988	Severus, & Quinctianus. vide n. 1.	5	MAXIMINUS imperat. 1			Alexander Imperator occiditur. Num 10 Britannia? n. 2. Crathlintus in Septentrione Princeps Amphibalum Sacerdotem benignè habet. Assignatà Sodorensi Sede. num. 3. 4. 5.
238	989	Maximinus Augustus, & J. Africanus.	ANTERUS Papa 1	2			Anterus Papa, Martyrio coronatur. Succedit Fabianus, miraculo electus.
239	990	Perpetuus, & Cornelianus.	FABIANUS Papa. 1	3			Num Fabianus Papa Britanniae scholas probaverit?
240	991	Pius, & Proculus.	2	4			Maximinus occiditur. Succedit Gordianus.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cōditâ.	Consules.	Romani Pontifices FABIANUS.	Rom. Imperatores	Propraetores in Britan.	Episcopi Londinenses.	Capita rerum gestarum.
241	992	Gordianus Aug. & Aviola.	3	GORDIANUS imperat. 1	NONNI PHILIPPUS.		Coëllus, Helenæ parens, in Britannia clarus. num. 2.
242	993	Sabinus, & Venustus.	4	2			
243	994	Gordianus II. & Pompeianus.	5	3			
244	995	Atticus, & Prætextatus. v. n. 1, 2.	6	4	Nonnis mentio in tabulâ apud Cābros, n. 1.		Persæ à Gordiano admodum premuntur. quod notandum est pro patriâ Constantini. num. 2.
245	996	Aprianus, & Pappus.	7	5		CONANUS Episcopus Londinensis.	Christianorum templa & altaria eriguntur. num. 2.
246	997	Peregrinus & Æmilianus	8	PHILIPPUS imperat. 1			Gordianus Imperator occiditur.
247	998	Philippus Aug. & Fabius Titianus.	9	2			Helena sancta, Constantini mater, nascitur.
248	999	Præsens, & Albinus.	10	3			Philippus, in Christianam Fidem propendet, operâ Severæ conjugis Augustæ.
249	1000 vide n. 1	Philippus II. & ejus filius. vide n. 3.	11	4			Uterque Philippus Imperator, millesimum urbis annum, Christianâ Fide illustrant. num. 1. 2.
250	1001	Philippus Pater III. & Philippus filius II. v. n. 1 & 2.	12	5			Cyprianus consecratur Carthaginensibus Episcopus. num. 3.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cōditā.	Consules.	Romani Pōtifices FABIANUS.	Rom Imperatores PHILIPPUS.	Propratores in Britan. NONNI° PHILIPPUS.	Episcopi Londonenses. CONANUS.	Capita rerum gestarum.
251	1002	Æmilianus & Aquilinus.	13	6			
252	1003	Decius, & Gratus.	14	7			
253	1004	Decius, & Etruscus.	15	DECIUS imperat. 1			Philippus uterque occiditur Decius sextæ persecutionis author. num 1. 2. Inde lapsi, & libellatici. num 3. Et Fabianus Martyr.
254	1005	Decius III. & Gratus II.	CORNELIUS Papa. 1	2 GALLUS & VOLUSIANUS imperāt. 1			Novatus, Novatianum in schisma pellicit. n. 2. A Cornelio rejicitur. num. 4. Cyprianus pro schismate componendo scribit, de unitate Ecclesiæ. num 5. Novatiani sectatores Calvinistis prælucent. num. 7.
255	1006	Gallus II. & Volusianus II.	2	2			Septima persecutio, in Missantes Sacerdotes. n. 1. 2. 3. Cornelius Papa martyrio coronatur. num. 4.
256	1007	Volusianus III. & Maximus.	LUCIUS Papa. 1	3			Helenæ Virginis indoles, & Fides. num. 2. 3. 4. 5.
257	1008	Valerianus II. & Gallienus.	STEPHANUS Papa. 1	4	DESIDIENUS ÆLIANUS. n. 3.		Gallus, & Volusianus, occiduntur. Æmilianus imperat, & occiditur. num. 2. S Melanius Britannus, à Stephano Papa baptizatur. num. 3. 4. 5.
258	1009	Valerianus III. & Gallienus II.	2	Valerianus & Gallienus imperant, numerantur imperii annus. 4			Melanius, à Stephano consecratur Rhotomagensis Episcopus. num. 2. 3.
259	1010	Valerius Maximus, & Acilius Glabrio.	3	5			Octava persecutio. num. 2.
260	1011	Valerianus IV. & Gallienus III.	4 SIXTUS Papa. 1	6			Stephanus Papa Sacrificium Deo offerens, occiditur. num. 1.

Anni Christi.	Anni ab Urbe Cõditâ.	Consules.	Romani Pōtifices.	Rom. Imperatores Valeriani & Gallieni.	Propraetores in Britan. Dessidenius & Aelianus	Episcopi Londinenses Conanus.	Capita rerum gestarum.
261	1012	Memmius Euscus, & Pomponi Bassus. v.n. 1.&2.	Dionysius Papa. 1	7	Desidenii mentio in votivâ tabulâ. n. 1 2		Sixtus Papa, cum sacrificium obtulisset martyrio coronatur lachrymante Laurentio, qui eum post triduum sequitur, Sacerdotem Levita. num. 3. 4 5 Cyprianus occiditur, quia noluit cæremoniam. num. 5.
262	1013	Gallienus IV. & Valerianus minor.	2	8			Valerianus à Persis capitur. num. 1. Posthumus in Britanniâ Tyrannidem exercet.
263	1014	Gallienus V. & Victorinus.	3	9		Paladius Londinensis. vide n. 2.	Britannia à Rom. Imperatore deficit. num. 1. Non ita à Romanâ Sede. num. 2.
264	1015	Albinus, & Maximus,	4	10			
265	1016	Gallienus VI. & Saturninus	5	11			
266	1017	Valerianus & Lucillus.	6	12			Pauli Samosetani hæresis, Traditione jugulatur.
267	1018	Gallienus VII. & Sabinellus.	7	13			Posthumus occiditur: Ælianus tyrannidem occupat, & à Victorino occiditur. Non mirum igitur tumultuari, Britanniam, quia Galliarum provinciæ a Gallieno defecerant. num. 1. 2.
268	1019	Paternus, & Arcesilaus.	8	14	Victorinus occiso Æliano.		
269	1020	Paternus II & Macrianus.	9	15 Claudius. imperat. 1			Tetricus Britanniam obtinet: & contra Gallienum, Augusti appellationem. num. 3.
270	1021	Claudius, II. & Paternus.	10	2			Claudii genus, & Constantii parentes exponuntur. num. 2.

Anni Christi.	*Anni ab Vrbe cōdità.*	*Consules.*	*Romani Pōtifices* DIONYSIUS.	*Rom. Imperatores* CLAUDIUS.	*Proprætores in Britan.* VICTORINUS.	*Episcopi Londinenses.* PALUDI'	*Capita rerum gestarum.*
271	1022	Antiochianus, & Orphitus.	11	3 AURELIANUS 1			Claudius moritur, succedit Quintillus frater: sed statim extinctus, locum fecit Aureliano. num. 1.
272	1023 *vide an. Christi 275. num. 1.*	Aurelianus Aug. & Bassus. *v. an. 275. n. 5.*	12	2			Dionysius Papa moritur. n. 2. Aurelianus nonæ persecutionis author. num 2.
273	1024 *mentio huius anni, in an. Chr. 275. num. 5.*	Quietus, & Valdumianus.	FELIX Papa. 1	3			Aurelianus in Oriente Zenobiam debellat. num 2. 3. 4. inde in Europam redit. num. 5.
274	1025	Tacitus, & Placidianus.	2	4	TETRICUS. *v. n. 1.*		Aurelianus in Occidente, Vindelicos obsidione liberat. num. 1 2. Adest illi Constantius, & ab eo legatus mittitur in Britanniam. num 4 5. 6 &c.
275	1026	Aurelianus Aug. II. & Julius Capitolinus, *v. n. 1. & 4*	EUTIGHIAN' Papa. 1	5			NASCITUR IN BRITANNIA CONSTANTINUS MAGNUS. In Trinobantibus, & urbe Colcestriâ. num. 5. 6. 7. 8. 9.
276	1027	Aurelianus Imp. & Marcellinus.	2	6			Manes hæreticus negat Sanctos colendos: & dici potest Sectariorum Patriarcha.
277	1028	Probus, & Paulinus.	3	7			
278	1019	Probus II. & Paternus.	4	TACITUS imperat.			Aurelianus à milite occiditur. num. 1.
279	1030	Tacitus II. & Fulvius Æmilianus.	5	PROBUS imperat. 1			Aruspicum responsum de mittendo Proconsule ad Romanam Insulam.
280	1031	Messala, & Gratus.	6	2		STEPHANUS Londinensis Episcopus. *v. n. 4.*	S. Melanius Rhotomagensis Episcopus moritur. num. 1. 2. Ejus Fidei compendium. num. 3.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe Cõdit.	Consules.	Romani Pontifices EUTYCHIANUS	Rom. Imperatores PROBUS.	Propraetores in Britan.	Episcopi Londinenses STEPHANUS	*Capita rerum gestarum.*
281	1032	Probus Aug IV. & Tiberianus.	7	3	Bonosus Britanniam occupat. n. 1 2.		
282	1033	Probus Aug. V. & Victorinus.	8	4	Lælianus Bonoso succedit. n 2.		Bonosus, à Probo superatur num. 1. Vites Britannis à Probo permittuntur. num. 2.
283	1034	Carus, & Carinus.	9	5	Carinus Cæsar. n. 2.		Probus Imp à milite occiditur. n. 1. Carus imperat, qui Carinum asciscit, & illi Britanniam regendam tradit. num. 2.
284	1035	Carus II & Numerianus.	CAIUS Papa. 1	DIOCLETIANUS imperat. 1			Carus Imp. fulmine ictus occiditur: & succedit Diocletianus.
285	1036	Diocletianus II. & Aristobulus. vide n. 1.	2	2			Diocletianus hoc anno Britannicus appellatur. num 1. Legatum misit in Britanniam, impietatis suæ ministrum. num. 2.
286	1037	Maximus, & Aquilinus.	3	3	Carausius Britanniam occupat n 4		Diocletianus Maximianum Herculeum collegam asciscit: inde decima persecutio num. 1. Albani Martyris comprehensio, & vincula huc referenda. num. 5. 6 7. 8. 9 10 11. 12. Amphibalus in Britanniam redit. n. 14. 15. Multa de illo num. 16. 17. 18. &c.
287	1038	Diocletianus III. & Maximianus II.	4	4	Carausio Insulæ imperium datur. n 33.		Albanus ad mortem condemnatur, & illi demum caput abscinditur. num. 3 4. 5 6. Heraclius Martyrii collega. num. 7. Plura de Albani corpore, & sacris reliquiis. num. 12. 13 14 15. 16. 17 &c. Amphibali martyrium. num. 24 25. 26. 27. Julii & Aaronis Martyrium num. 28 29 Stephanus & Socrates Martyres. num 30.
288	1039	Maximus II. & Januarius.	5	5			Quamdiu Diocletiani persecutio duravit in Britannia? num. 3.
289	1040	Bassus, & Quinctianus.	6	6			Ecclesiarum & Monasteriorum destructio, Fidei exterminium. num. 1 2. Monachi Wintonienses disperguntur, & Westmonasterium in Apollinis fanum convertitur. num. 1.
290	1041	Diocletianus IV. & Maximianus III.	7	7			Romani Persas & Parthos vexant; non vexantur ab illis. Nec opus Constantium, ad eos premendos, mittere.

Ann. Christi.	Anni ab Urbe cõditâ.	Consules.	Romani Põtifices CAIUS	Rom. Imperatores DIOCLETIANUS MAXIMIANUS.	Propratores in Britan. CARAUSIUS.	Episcopi Londinenses. STEPHANUS.	Capita rerum gestarum.
291	1042	Junius Tiberianus, & Cassius Dion.	8	8			Tumultus varii per Rom. Imperium, creandorum Cæsarum causa.
292	1043	Anniballianus, & Asclepiodatus.	9	9			Constantius à Maximiano Cæsar eligitur, acceptâ in conjugem Theodorâ, & repudiatâ Helenâ num. 1. 2. Helena Treviris: Constantinus cum Diocletiano mansit. num. 3. 4. 5.
293	1044	Diocletianus V. & Maximianus IV.	10	10	ALLECTUS. v. n. 3 3.		Constantii expeditio in Britanniam. num. 1. 2. Carausius ab Allecto occiditur num. 3.
294	1045	Constãtius Chlorus, & Galerius Maximian' infra Constantius Cæs an. 295. 5.	11	11	ALLECTUS occiditur. v. n. 2.		Constantius in Britanniâ, combustis navibus pugnat; & Allectum occidit. num. 1 2. Constantii provinciales quinam? num. 3. Britannorum jubilus ob adventum Constantii. num. 4. Constantinus in Ægypto cum Diocletiano. num. 5. Minervinam ducit uxorem. n. 6.
295	1046	Tuscus, & Anoullinus	12	12	Constantius Cæsar & Legatus. n. 5. Asclepiodatus præfes. vide an. 300. n. 8		Constantii adventus antiquam Britannicæ Ecclesiæ faciem renovat; & quænam illa? num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.
296	1047	Diocletianus Aug. & Cõstantius Cæsar II. num. 1.	13 MARCELLINUS Papa. 1	13			Caius Papa martyrio coronatur: Marcellinus succedens, Thebæam Legionem in Fide confirmat. num. 1. 2. De S. Nicolao Episcopo. num. 3.
297	1048	Maximianus Aug II. & Galerius Maximianus Cæsar II.	2	14			Thæbeus miles non vult ad profanas aras accedere; nec in infidelium verba jurare. ubi de juramento fidelitatis. num. 1 2. 3.
298	1049	Faustus, & Gallus.	3	15			
299	1050	Diocletianus VII. & Maximianus VI.	4	16			Constantius in Galliis apud Lingones, cum periculo pugnans, tandem insigni victoria potitur. num. 1. 2.
300	1051	Constantius III. & Galerius III.	5	17		Moritur S. Stephanº Lond Episcop Augulus succedit 1.	In Martyrologio nostro inter Sanctos ad 12. Augusti Stephanus legitur.

Anni Christi.	Anni ab Vrbe cōditâ.	Consules.	Romani Pōtifices. MARCELLINUS	Reges Imperatores DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS.	Britanniæ Princeps. Constantius & Helena	Episcopi Londinenses. AUGULUS.	Capita rerum gestarum.
301	1052	Titianus, & Nepotianus.	6	18			Diocletianus Parthos triumphat. num. 1. Constantius in Britanniâ Christianis libertatem Fidei permittit. n. 1. Foris Galerius monasteria Virginum demolitur. n. 2.3.4.
302	1053	Cōstantius IV. & Galerius IV.	7	19	Constantius Britanniam âdministrat. n. 2.		Decima persecutio in Ecclesiam à Diocletiano & Maximiano Augustis. num. 1. Constantius Helenam recipit in thori societatem. num. 2. & 6. Constantii virtutes & facta in Britanniâ narrantur. num. 3 4.
303	1054	Diocletianus VIII. & Maximianus VII.	8	20			Crucis cultores Diocletianus persequitur. num 1.2. Et Ecclesiæ sacram supellectilem. num. 3 4. Item Missæ sacrificium. num. 5. 6. 7 8. 9. 10.
304	1055	Diocletianus IX. & Maximianus VIII	MARCELLUS Papa. 1	Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus 1			Marcellinus martyrio coronatur. num. 1. Eo tempore Constantius in Britanniâ agens, non est in Marcelli morte culpandus. num. 2.
305	1056	Cōstâtius V. & Galerius V.	2	2		Restitutus sive Ilitutus Londinensis Episcop. n. 4.	Constantinus in Sarmatas pugnat. num. 2. S. Augulus Londinensis Episcopus, Martyris nomine insignis moritur. num. 3 4.
306	1057	Constantius VI. & Galerius VI.	3	3 Constantinus imperat. 1 v. n. 10.			Constantii suprema in Britanniam expeditio. num. 1. Calcedonus victis Eboraci decumbit, & moritur. Constantino hærede nominato. num. 2. 3. 4 Inter Deos refertur. num. 5. Constantinus eligitur Imperator, sed Cæsaris appellatione contentus est. num. 6, 7 8. 9. & 10.
307	1058	Constantinus Cæsar, & Maximianus IX.	4	2			Constantinus cum imperii competitoribus pacisci conatur, & tandem cum Maximiano convenit, accepta in uxorem filia, & purpura. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Maximiani fraus detegitur, & perit. num. 7. 8. 9.
308	1059	Diocletianus X. & Galerius VII.	5	3			Constantinus in Germaniam transit, hostes superat, pontem Rheno imponit. num. 1. 2 3.
309	1060	Post Consulatum Diocletiani X. & Galerii Maximiani VII	6 EUSEBIUS Papa, 1	4			Wintoniensis Ecclesia & monasterium extruitur. Item Abidoniæ permissu Constantini. num. 1. 2. Marcellus Papa moritur in Catabulo. num. 1. Succedit Eusebius qui prohibet Laicis ne Episcopos in judicium vocent. num. 1.
310	1061	II Post Cōsulatum Diocletiani X & Galerii Maximiani VII	2	5		CONSTANS Wintoniensis Episcopus.	Wintoniensis Ecclesia à Constante Episcopo consecratur, & à S. Amphibalo nomen accipit & Abbatem monasterii Deodatum. num. 1. 2. 3.

Anni Christi.	Anni ab Urbe cõdita.	Consules.	Romani Pontifices EUSEBIUS	Rom. Imperatores CONSTANTINUS MAGNUS.	Propraetores in Britannia	Episcopi in Britannia	Capita rerum gestarum.
311	1062	Galerius Maximianus VIII & Licinius.	3 MELCHIADES Papa. I	6		RESTITUTUS Londinensis CONSTANS Wimomensis. EBORIUS Eboracensis & ADELFIUS Camalodunensis	Diocletiani persecutio finitur cum morte Galerii Maximiani num. 1. Eusebio mortuo succedit Melchiades. num. 2.
312	1063	Constantinus II. & Licinius II.	2	7		Episcopi. vide an. 314. n. 25.	Constantinus in Maxentium parans, signo Crucis ad spem Victoriæ & Fidem erigitur. n. 1. 2 3 4. 5 6. 7. 8 9 10. &c. Constantini itinera dum Maxentium petit. num. 22. 23. 24. 25. 26 27. Maxentius à Constantino occiditur. num 28. 29 30. Crucis trophæa. n. 32 33. &c.
313	1064	Constantinus III. & Licinius III.	3	8			Constantini avunculi in Senatum adleguntur. num 1. Britannia Constantino gratulatur ob victoriã, & ed ẽtum ejus pro Christianis. num. 2 3 4. Constantini pietas in Ecclesiam. num. 6. 7. 8 9. 10 11. 12. 13. Panis benedicitur & fermentum. num. 16.
314	1065	Volusianus & Annianus.	SILVESTER Papa. I	9	Octavius in Romanos surgit & tyrannidẽ occupat n. 1. 2	Restitutus Londinẽsis Episc. a Cõstantino ad Synodũ Arelatensem vocantur.	Constantinus Britanniæ regimen mutat, & Galliæ Præfecto subjicit. num 4. 5. 6 Synodus Arelatensis n. 7 8. 9. Paschatis dies definitur. n. 16. De Diaconi protestatione nihil. num. 15.
315	1066	Constantinus IV. & Licinius IV. vide n. 1.	2	10			Excutitur Mariani Scoti narratio de Helenâ Judaïzante. num. 1 2. 3. 4. 5. 6 7. 8. 9.
316	1067	Sabinus, & Ruffinus.	3	11			Albano sancto erecta Ecclesia consecratur Ejus reliquiæ ibi coluntur. num 1. 2. 3 4 5. Licinius Ecclesiam persequitur, sed Constantinus occurrit. num. 7 8.
317	1068	Gallicanus & Bassus.	4	12			Constantinus in Licinium pergens, Naisi mansit, filiumque secundo genitum ibi suscepit num. 3 4. Victoriã potitur virtute Crucis, cum Licinio praliatur. n. 5 6 7 8. Licinius Crucem ridit, sed Cruce confunditur. num. 1. & 7.
318	1069	Licinius V. & Crispus Cæsar.	5	13			Licinius rupto fœdere occiditur. num. 1. Constantini apparatus bellicus exponitur num 2. 3 Oriens per Constantinum serenatus. n. 4 5. 6 In Orientem proficisci deliberat. num. 9. Relaxat exules n. 10. 11. 12. Et Arius incipit insanire. num. 17 &c.
319	1070	Constantinus V. & Licinius junior.	6	14			Constantinus in Arium scribit. num. 1. Clericis immunitatem & privilegia dictat num. 2. 3 4. Britannia nunc à Constantini Fide, qui Episcoporum ordinem coluit, multum degenerat. num. 5.
320	1071	Constantinus Aug VI. & Constantinus junior	7	15			Constantinus legem abrogat contra Cælibatum, & Virginitatem probat. num. 1. 2. 3. Inde probantur Constantini natales puri. num. 4. Qui amis vetant, qui oderant sacras Virgines. num. 5.

Anni Christi.	*Anni ab Vrbe cõdità.*	*Consules.*	Romani Pōtifice. SILVESTER	Rom. Imperatore CONSTANTINUS Magnus.	Episcopi Eborac. Restitutus Londinensis.	*Capita rerum gestarum.*
321	1072	Crispus II. & Constantinus Cæsar II. vide n. 1. 3.	8	16		Dies Dominicus coli jubetur etiam à Gentilibus. num. 1. 2. Legata Ecclesiæ leg. latâ confirmantur. num 5. Constantinus baptismum differt, & audit Aruspices. n. 6. 7.
322	1073	Petronius Probianus, & Anicius Julianus	9	17		Christiani ab Aruspicibus absente Constantino Romæ vexantur. Inde eorum & Silvestri fuga.
323	1074	Severus, & Ruffinus.	10	18		Constantinus pro Ecclesiasticorum pace & quiete scribit contra eos qui illos ad lustrorum sacrificia cogere volebant.
324	1075	Crispus III. & Constantinus Cæsar III.	11	19		Constantini baptismus probatur. n. 1. 2. 3. &c. 22. &c. Ejus lepra occasio baptismi. n. 10. 11. 12. Apostoli illi apparent n. 2. 13. &c. Ejus baptismus qualis? n. 17. 18. 19. 20. 21. Ex Eusebio ostenditur Cõstantini baptismus. n. 26. 27. Ejus donum à baptismo. n. 30. Veste candida induitur. n. 31. 32. Quæ fecerit à baptismo? n. 34. &c. Vaticanæ & Lateranensi Ecclesiæ? n. 40. &c. Quid fecerit in Oriente? 51. &c. Basilica S. Laurẽtii. 54. &c. Orientẽ cogitat 61. 62.
325	1076	Paulinus, & Julianus.	12	20		Nicæna Synodus cui adeſt Constantinus, exponitur.
326	1077	Constantinus Aug. VII. & Cõstantius Cæsar.	13	21		Helena Hierosolymam proficiscitur, Crucem invenit, effert, colit, & alia facit pietatis opera. num. 1. 2. &c. Demum Romam reversa sanctè moritur. num. 63. 64. 65. 66. Corpus ejus in Gallias transfertur. num. 67. 68. In Britanniâ & Galliâ colitur. num. 69. 70. 71. Ejus vitæ synopsis. num. 72.
327	1078	Constantinus Cæsar IV. & Maximus.	14	22		Constantinus Athanasium persequitur. num. 1. 2.
328	1079	Januarius, & Justus.	15	23		Athanasius Ischyram pseudo-presbyterum monet. Unde ortæ in Athanasium calumniæ.
329	1080	Constantinus Aug. VIII. & Constantinus Cæsar V.	16	24		Athanasius à Constantino absolutus ad Sedem suam revertitur. n. 1. Eusebius Nicomediensis calumniator in Athanasium machinator, arguitur. num. 2.
330	1081	Gallicanus II. & Symmachus.	17	25		Byzantina civitas Constantinopolis appellatur Deiparæ Virgini consecratur incruento sacrificio num. 1. 5. Michaelem eximiè colunt Constantinus, in cujus honorem nobilissimum templum erexit. Ubi Crucis mirabilis apparitio mysteria Fidei explicat. num. 1. 2. Scripturam describi curat Constantinus. num. 3. 4. Scholæ Constantinopoli. num. 5. 6.

Anni Christi.	Anni ab Urbe cōditā.	Consules.	Romani Pōtifices SILVESTER	Rom. Imperatores CONSTANTINUS MAGNUS.	Episcopi in Britanniā RESTITUTUS Londinensis.	Capita rerum gestarum.
331	1082	Bassus iterum, & Ablavius	18	26		In Athanasium crimina confinguntur.
332	1083	Pacatianus & Hilarianus.	19	27		
333	1084	Delmatius & Zenophilus.	20	28		Constantinus ad Athanasium literas scribit, probatque ejus innocentiam. num. 1. 2.
334	1085	Optatus, & Paulinus.	21	29		Constantini inconstantia in Athanasio defendendo
335	1086	Constanti⁹ & Albinus.	22	30		Constantini tricennalia Tyri celebrantur. Ibi Athanasii crimina de Arsenio, de fœmina violata diluuntur num. 1 2. Hierosolymitani templi consecratio. num. 3. Moritur Silvester Papa n. 4.
336	1087	Nepotian⁹ & Facundus	MARCUS Papa. 1	31		Constantinus pro Athanasio scribit num. 1. 2. 3. Inde ad Episcoporum instantiam Athanasius exulat. num 4. Id ægrè ferunt Orientis provinciæ. num 5. 6 Arians Fidem simulant, & admittuntur num. 7 & 10. Constantini Fides laudatur num. 8. 9. Alexander quid senserit de Ario. num. 11. 12. Arius crepat medius. num. 13 14. Moritur Marcus Papa. num. 15.
337	1088	Felicianus, & Titianus.	JULIUS Papa. 1	32 CONSTANTINUS junior. 1		Constantini Fides sub finem vitæ excutitur. num. 1. 2 Templum Apostolis erigit n. 3. Duodecim cappas fieri mandat & quare? num 4 5. 6 7 8 Peccata confitetur, & ad mortem se parat. num. 9 10. 11 12. Moritur & ungetur. num. 13. 14 15 & 20 Pro mortuo oratur & sacrificium offertur n. 16. 17. A Britannis colitur. num. 22.
338	1089	Ursus. & Polemius.	2	2		Constantinus junior Britannias obtinet Princeps orthodoxus. n. 1. Pro Athanasio scribit, & illū Alexandriam remittit. num. 2. 3.
339	1090	Constantius Aug. II. & Constans. vide n. 1 5.	3	3		Athanasius apud Julium Papam accusatur & absolvitur. num. 1. 2. Num & quando junior Constantinus in Britanniâ fuerit? n. 3. 4.
340	Anni U. C. omissi esse desierunt.	Acendinus & Proculus	4	4 CONSTANS Britānias obtinet 1	GUDWALUS ignotæ Sedis Episcopus. 2 &c.	Constantinus junior à Constantis fratris milite occiditur. num. 1. 5. Gudwalus floret. Ejus vitæ compendium. num 2. 3. 4. 5. 6. Moritur Sanctus, & transfertur in Belgium. num. 7. 8. 9.

Anni Christi.	*Romani Pontifices* Julius.	*Consules.*	*Romani Imperatores.* CONSTANS in Britanniâ.	*Episcopi in Britannia.* RESTITUTUS. Lôdinēsi.	*Capita rerum gestarum.*
341	5	Marcellinus, & Probinus	2		Britannia videtur à Constante Imperatore defecisse una cum Galliâ.
342	6	Cõstantius Aug. III. & Constans. 2.	3		Constans Imperator, vel certe Legatus ejus in Britanniam descendit, & rebellem premit. num. 1. 2.
343	7	Placidus, & Romulus.	4		Constantius in Oriente Barbaros profligat.
344	8	Leontius, & Salustius.	5		Oriens Arianâ hæresi inficitur Occidentalis Ecclesia & Britannia, ab eâ labe immunis.
345	9	Amantius, & Albinus.	6		
346	10	Post Consulatũ Amantii & Albini Græci Fasti notant Constantinũ IV. & Constantẽ III. Coss.	7		
347	11	Ruffinus, & Eusebius.	8	Restitutus Londinensis in Synodo Sardicensi. n. 2.	Concilium Sardicense pro innocentiâ Athanasii Britanniarum Episcopi Concilio adfuerunt. num. 1. 2. 3. Rom. Sedes in dubio appellanda. num. 4. 5. 6.
348	12	Flavius Philippus, & Flavius Salleas,	9		Constans Imp. Occidentis sensum secutus, Constantio fratri bellum minatur, nisi Athanasium Sedi restituant. num. 1. 2.
349	13	Ulpius Limenius, & Catullus Philomian⁹	10		Athanasius Alexandrinæ Sedi restitutus, tamdiu quietè illam administravit, quamdiu Constans Imp. in vivis fuit.
350	14	Sergius, & Nigrianus.	11		Constans apud Helenam oppidum occiditur. num. 1. Lugetur & laudatur ab Athanasio. num. 2. Tyranni Vetranio & Magnentius Imperium occupant. num. 3.

Anni Christi.	Romani Pontifices Julius.	Consules.	Romani Imperatores.	Britanniæ Præsides	Episcopi in Britannia. Restitutus Londinen.	Capita rerum gestarum.
351	15	Post Consulatum Sergii & Nigriani.	CONSTANTIUS imperat in Occidente. 1	MAGNENTIUS Vetranione anno in Britannia obtinet. 1.		Julianus Apostasiam incipit à contemptu Crucis. num. 1. Contra, Fides Regia à Crucis cultu cœpit.
352	16 Liberius Papa. 1	Cõstantius Imp V. & Gallus Cæsar.	2			Magnentio in Britanniâ tyrannidem exercente, clerus è Septentrione in vicinam Insulam Hy fugit. Inde locus ille pietatis seminarium fuit.
353	2	Cõstantius Imp. VI. & Gallus Cæsar II. vide n. 2.	3	Magnentius occiditur. 1.	Restitutus adfuit Arelatẽsi Synodo. n. 2.	Pagani dicti qui Constantin jubente Urbibus excedere jubentur. n. 1. Arelatensis secunda Synodus. num. 2.
354	3	Cõstantius Aug. VII. & Gallus Cæsar III.	4			Liberius pro Athanasio laborat. num 1. Gallus Cæsar (qui & Constantius) Constantii patruelis, occiditur. num 2.
355	4	Arbetio. & Lollianus v. hos Coss. an. 274. n. 19.	5	GRATIANUS Proprætor in Brit. n 4. MARTINUS illi succedit.		In Synodo Mediolanensi Athanasius condemnatur, reclamante Liberio. num 1 2. Liberius in exilium mittitur, & missam à Constantio pecuniam respuit. num. 3. Felix Liberio succedit. Constantius Britanniæ præsides sæpe mutat. n. 5.
356	5	Cõstantius Aug. VIII. & Julianus Cæsar.	6			Alexandrina Ecclesia Arianorum factione laceratur n. 1, 2.
357	6	Cõstantius Aug. IX. & Julianus Cæsar II.	7			Liberius Papa Athanasii exilio subscribens ad Sedem redit: reversus Arianorum commercia vitat. n. 1. Ariani Catholicum nomen suffurari conantes, à Lucifero Calaritano deteguntur, qui Photinum consciorum vocat. num. 2.
358	7	Datianus, & Cerealis.	8			Rom. Sedes sub duplici capite Liberio & Felice periclitatur: Sed deficiente Liberio Felix orthodoxus est, & admittitur.
359	8	Eusebius, & Hypatius.	9		Tres è Britanniâ Episcopi in Ariminensi Synodo. n. 2 3.	Ariminense Concilium, quo vocati Britanniarum Episcopi, in duplici differentiâ fuerunt. num 1 2. Decretum Concilii Traditioni inhærens. num 5. 6. Ariani substantiæ vocem respuunt, quia non invenitur in Scripturâ. n. 7. Anathematismi Concil. Ariminens. num. 10.
360	9	Constãtius Aug. X. & Julianus Cæsar III. n 1 & 3.	10	Lupicinus à Juliano in Britanniam mittitur. 1. inde Gumoharius 2.		Picti & Scoti Britanniam turbant: eo primo mittitur Lupicinus. Deinde Gumoharius num. 1 2 3. Sed illis non obstantibus Scoti in Septentrione pedem figunt: & Dalreudini a duce Reudâ vocantur. num. 3. 4.

Anni Christi.	Romani Pontifices. LIBERI⁹	Consules.	Rom. Imperatores CONSTANTIUS	Britanniæ Præsides.	Episcopi in Britannia. RESTITUTUS Lódinen.	Capita rerum gestarum.
361	10	Taurus, & Florentius	II JULIAN⁹ Apostata I	GUMOHARIUS anno superiori.	THEODWINUS Lond. Ep. 6. KABIUS Monæ Episcop.	Hilarii Epistola ad Britanniarum Episcopos. n. 3. 4. Kebius Hilarii auditor n. 7. 8. Patricii natalis annus. n. 11. 12. 13. Ejus patria. n. 14. Parentes. n. 15. Natalis locus. n. 16. 17.
362	11	Mamertinus & Nevitta.	2	ALIPIUS Propraetor. n 11.		Julianus Apostata labarum mutat: & Cruce inde sublatâ Deorum effigies substituit. num. 1. 2. De cultu Crucis, & religione Castrensi. n 3. 4. In imagines, in Sanctos, sanctorumque reliquias pugnat Julianus. n. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
363	12	Julianus IV & Salustius.	3 JOVIAN⁹ imperat. I			Julianus occiditur. num. 1. Julianus & Constantinus M. componuntur. num. 2. 3. Jovianus omnia restituit n. 5. 6. Athanasius eum docet. n. 7. 8. 9. 10.
364	13	Jovianus, & Varronianus.	VALENTINIAN⁹ imperat. I	Nectaridus Comes & Bulchobaudes, Ro. duces. n 5.		Picti, Saxones & Scoti, Britannos vexant, & unà Attacotti n. 2. 3. Iterum labarum Cruce munitur sub Valentiniano Imp. num. 4.
365	14	Valentinianus, & Valens.	2	SEVERUS Propretor, inde Jovinus: postremo Theodosius. n. 1. 2.		Pictorum distinctio: Dicaledones & Vecturiones. n. 2. Franci & Saxones Britanniam invadunt. n. 3. A Theodosio premuntur. Fides adhuc integra in Britanniâ. n. 5.
366	15	Gratianus & Dagalaiphus.	3			Valentiniano nascitur filius Valentinianus secundus. Valens Imp. Orientis, in Arianam hæresim cadens, Orientem turbat.
367	DAMASUS. Papa. 1	Flavius Lupicinus, & Flavius Jovinus.	4	THEODOSIUS Scotos ad paludes suas cogit. n. 1 2.		Valentinus, quidam in Britannia, dum nova molitur, à Theodosio premitur, qui recuperatam provinciam Valentiam appellat. n. 2. 3. 4. Arcani quinam? n. 5. Britanniæ multiplex divisio. n. 4.
368	2	Valentinianus II. & Valens II.	5			Ursicinus schismaticus, qui contra Damasum sedem affectavit, ex Urbe pellitur à Valentiniano Imp.
369	3	Valentinianus puer, & Aurelius Victor.	6			Theodosius è Britanniâ evocatur. num. 1. 2. Scoti in patriam reversi videntur, ejusdem Theodosii operâ. num. 3.
370	4	Valentinianus Aug. III. & Valens Aug. III.	7			S. Ninianus è Britanniâ Romam proficiscitur: Rom. Seminarii alomnos, ubi formatur Pictorum Apostolus. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Moritur S. Kebius Monæ Episcopus. n. 7.

Anni Christi.	Romani Pontifices DAMASUS.	Consules.	Rom. Imperatores. VALENTINIAN. I	Britanniæ Præsides	Episcopi Britanniæ THEODWINUS Londinensis	Capita rerum gestarum.
371	5	Gratianus II. & Anicius Petronius Probus.	8			S. Basilius Gregorium Nazianzenum Sasimorum Episcopum creat.
372	6	Modestus, & Arinthæus	9			Moses è Britanniâ Ægyptum petens Saracenorum Episcopus creatur, qui gentem illam ad Fidem convertit. num, 1. 2. 3. 4. 5.
373	7	Valentinianus IV. & Valens IV.	10		THEODEBOUS Londinensis.	Damasus Papa Apollinaristarum hæresim condemnat. Theodosius senior occiditur.
374	8	Gratianus III. & Equitius.	11	FRAOMARIUS Proprætor.		Fraomarius Bucinantibus primò præficitur: inde in Britanniam à Valentiniano mittitur.
375	9	Post Consulatum Gratiani & Equitii.	12			Valentinianus subitâ sanguinis eruptione moritur: & inter Sanctorum reliquias, ut olim Constantinus, sepelitur. num. 1. 2. Succedit Gratianus filius, qui novem annos cum patre regnarat. num 2.
376	10	Valens V. & Valentinianus junior Aug.	GRATIANUS imperat. 10			S. Patricius captivus in Hiberniam ducitur: ejus ibi sanctitas. num 1. 2.
377	11	Gratianus IV. & Merobaudes.	11			Gothorum geos in suppetias à Romanis vocati, Rom. imperium perdiderunt. n. 1. 2.
378	12	Valens IV. & Valentinianus junior Aug II	12			Gratianus cum Crace pugnat, & expugnat Alemannos. num. 1. 2. Valens Imperator vivus comburitur. num. 4.
379	13	Ausonius Gallus, & Olybrius. num 3	13	MAXIMUS militiæ Præfectus in Britanniâ, n. 3 4.		Maximi exordia, & tumultuum in Britanniâ, ubi Maximus purpuram præsumpsit. num. 1. 2. 3. Scoti ejus operâ totâ Insulâ pelluntur. num. 4.
380	14	Gratianus V. & Theodosius.	14			Gratiani aurea sanctio pro Fide orthodoxâ: ubi Catholici ab hæreticis probe distinguuntur. num. 1. 2.

Anni Christi.	Romani Pontifices. DAMASUS	Consules.	Rom. Imperatores. GRATIANUS.	Propraetores in Britan. MAXIMUS.	Episcopi e Britan. à THEO[illegible] Lōd.n[illegible]	*Capita rerum gestarum.*
381	15	Eucherius, & Siagrius.	15			Maximi Regis in Britanniâ genus & patria. num. 1. 2. 3. 4.
382	16	Siagrius II. & Antonius	16			S. Patricius oraculo monitus ex Hiberniâ in Britanniam redit. n. 1. 2.
383	17	Merobaudes, & Saturninus. vide n. 1	17 MAXIMUS imperat. 1			Maximus in Britanniâ acclamatur Imperator, qui in Gallias transiens, Insulam nudat omni milite. num. 1. 2. 3. Gratianum interficit. num. 4. Armorici regni exordium. num. 5. 6.
384	18	Ricimer, & Clearchus.	2			Moritur Damasus Papa. num. 1. Maximus inter Rom. Imperatores numeratur. num. 2.
385	SIRICIUS Papa 1 num. 1	Arcadius Aug. & Bauto.	3			Priscillianistæ in Galliâ à Maximo puniuntur. num. 2. 3. 4. Instantius hæreticus in Britanniæ Insulam exul mittitur. num. 4. 5. Britannorum Fides primum vitiatur. num. 6. 7. 8. 9. 10.
386	2	Honorius & Evodius.	4			Ambrosius ad disputationem provocatus, respuit laicum judicium. num. 1. 2. 3. Maximus Imp. Martinum sanctum colit. num. 4. 5. De Maximi conjuge, Octavii filiâ. num. 5.
387	3	Valentinianus Aug. III & Eutropius.	5			Maximus Ambrosio adstipulatur. num. 2. SS. Gervasii & Protasii corpora revelantur. num. 3. 4. 5. 6. 7. Maximus Italiam terret. n. 8. Ejus ad Siricium Papam literæ. n. 8. 9. In Britanniâ baptizatur. num. 10.
388	4	Theodosius II. & Cynegius.	6			Maximus à Theodosio fugatur primò, deinde occiditur. n. 1. 2.
389	5	Timasius, & Promotus.	VALENTINIAN. imperat. 1			Valentinianus junior, in Britanniæ imperium assumitur. Orthodoxus homo post matris Justinæ mortem. num. 1. 2. S. Monica à filio suffragium mortuæ postulat. num. 3.
390	6	Valentinianus IV. & Neoterius.	2			Siricius Papa Jovinianum hæreticum dicit. num. 1. Et literas contra eum dictat. num. 3. 4. Ab Ambrosio & aliis condemnatur. num. 5. 6.

Anni Christi.	Romani Pontifices. Siricius	Consules.	Rom. Imperatores Valentinian. junior.	Britanniæ Præsides	Episcopi in Britannia.	Capita rerum gestarum.
391	7	Tatianus, & Symmachus.	3		Hilarius Londinensis.	Britanni nunc primum in Armorica Sedem fixisse, & ibidem quievisse putantur.
392	8	Arcadius Aug. & Ruffinus. hoc n. 1.	4			Valentinianus Imp occiditur fraude Arbogasti Comitis.
393	9	Theodosius III. & Abundantius. vide n. 1.	Theodosius imperat. 1	Stilico hoc n. 3. 4.		Scoti à Circio, & Picti ab Aquilone Britanniam vastant. num. 1 2. A Stilicone pelluntur num. 3. 4. Theodosius ante bellum ad Martyrum reliquias supplex procumbit. num. 5.
394	10	Arcadius III. & Honorius II.	2		Ninianus Pictorum Apostolus. hoc n. 1 2.	Siricius Papa Ninianum consecrat Pictorum Episcopum. num 1 2. Ninianus in Candida Casa Sedem figit. num. 2. 3. Inde Australium Pictorum conversio. num 4.
395	11	Olybrius, & Probinus.	3 Honorius imperat. 1			S. Regolus in Britanniam venit: & S. Andreæ reliquias defert. n. 1. 2 Inde oppidum S. Andreæ num 3 Culdei apud Pictos qui? num. 5. 6. Rom. Imperium nutare incipit. num. 7.
396	12	Arcadius IV. & Honorius III.	2	Marcus Romanus Stiliconis successor.		Marcus Romanus murum contra Caledonios tuetur.
397	13	Cæsarius, & Atticus.	3			Moritur S. Ambrosius, & Gothi in Romanos surgunt.
398	Anastasius Papa. 1	Honorius IV. & Eutychianus.	4			Anastasius Papa Originem condemnat.
399	2	Manlius Theodorus & Flavius Eutropius. num. 1 2.	5	Proclianus Præses Britanniæ. n. 2.		Honorii rescriptum ad Britanniæ præsidem Proclianum. n. 2.
400	3	Stilico, & Aurelianus hoc n. 1.	6			Constantinus quidam in Britannia pro Romanis militat, qui postea ob spem nominis electus est Imperator. num. 1.

Anni Christi.	Romani Pontifices ANASTASIUS	Consules.	Rom. Imperatores HONORIUS.	Britanniæ Præsides.	Episcopi Britannici HILARIUS Londinensis	*Capita rerum gestarum.*
401	4	Vincentius, & Fravitta.	7			Languentis Insulæ, & utriusque Reip. declinatio ostenditur n. 1. 2 Militum eductio: & peccata Britannorū excidio præludunt. n. 3 4 5 Moritur S. Martinus Turonensis. num. 6.
402	5 INNOCENTIUS Papa. 1	Arcadius V. & Honorius V.	8			Anastasius moritur. num. 2. Hieronymi sententia de Fide Innocentii successoris. & de Episcoporum paritate. num. 3.
403	2	Theodosius Aug. & Rumorodius.	9			Legio è Britanniâ educitur in Italiam contra Alaricum: & Roma mœnibus munitur.
404	3	Honorius VI. & Aristænetus.	10			Pelagii exordia, & errores. num. 1. Eius patria. n. 2. 3. 4. Quando cæpit innotescere. num. 5. Isidori Pelusiotæ ad eum Epistola. num. 6. Quid de Pelagio S. Chrysostomus. num. 6. Augustini Epistola ad Pelagium. num. 7.
405	4	Stilico II. & Anthemius	11			
406	5	Arcadius Aug. VI. & Anicius Probus num. 2.	12	MARCUS olim Propretor purpurâ induitur, sed statim exuitur, Gratiano substituto		Turbæ in Britanniâ: & novorum Tyrannorum emersio, & eversio. n. 1. 2. Vigilantius fœda heresi Galliam corrumpit. num. 3.
407	6	Honorius VII. & Theodosius II. unde an. supra n. 2.	13	Gratiano occiso Constantinus imperat. n. 1 2 4	FASTIDIUS PRISCUS Londinensis. n. 6.	Constantinus in Britanniâ ob spem nominis eligitur Imperator: & quis ille? num. 1. 2. 3. 4. Monachi per Britanniam. num. 7. Innocentii literæ ad Arcadium pro Chrysostomo. num. 9. Arcadii supplex responsio. num. 10.
408	7	Bassus, & Philippus	14			Constantinus Arelatis imperii Sedem figit. num. 1. Constans ejus filius, Monachus: Cæsar, & Augustus. num. 1. 2.
409	8	Honorius VIII. & Theodosius III. n. 3.	15			Britannia Rom. Duces ex Insulâ pellit: & quare? num. 1. 2.
410	9	Varanes, Consul unicus.	16			Roma ab Alarico diripitur. Constantius Valentiniani Imp. pater ab Honorio Constantino opponitur. num. 2.

Anni Christi.	Romani Pontifices INNOCENTIUS	Consules.	Rom. Imperatores HONORIUS.	Britanniæ Præsides. PROCLIANUS.	Episcopi in Britannia FASTIDIUS Londinensis	Capita rerum gestarum.
411	10	Theodosius IV. sine Collega. num. 2.	17			Constantinus Arelati obsessus ab Honorio purpuram Sacerdotio incassum commutat. num. 3. 5. Melorius Martyrio coronatur Ejus genus & parentes. num. 4. 5. 6 7.
412	11	Honorius IX. & Theodosius V.	18			
413	12	Lucius, & Heraclianus. num. 1.	19			Pelagii error innotescit n. 1. 2 In eum pugnat doctissime Augustinus. num. 3. Magis peccant novi quam antiqui hæretici. n. 2.
414	13	Constantius & Constans.	20	VICTORINUS.		Britannia se Romæ submittit. Eo mittitur Legio ab Honorio n. 1. 2. Pelagium Augustinus oppugnat; condemnat Innocentius. n. 3.
415	14	Honorius X. & Theodosius VI.	21			Theodosius Imp. Pulcheriam Augustam creat: ejus fœminæ elogium.
416	15	Theodosius VII. & Palladius.	22			Innocentius jubet cogi Synodos in causâ Pelagii: & illæ à Rom. Sede firmitatem petunt. num. 1. 2. 3. 4. 5.
417	16 ZOSIMUS Papa. I	Honorius XI. & Constantius II.	23			Pelagii libellus ad Innocentium Papam. num. 1. Moritur Innocentius. Succedit Zosimus, qui Cælestii errores detestatus, ad Africæ Episcopos literas dictat. num. 2. 3.
418	2 BONIFACIUS Papa. I	Honorius XII. & Theodosius VIII. n. 4.	24			Zosimus Pelagium condemnat, & traditione omnes hæreses jugulantur. num. 1. Honorii literæ contra Pelagium. n. 3. 4.
419	2	Monaxius, & Plinta.	25			Bonifacius Pelagium persequitur. num. 1. Agricola Britanniæ Ecclesias corrumpit. num. 2.
420	3	Theodosius IX. & Constantius III.	26		VOADINUS Londinensis.	Fastidius pie laborat in Fide confirmandâ Britannorum. num. 1. Britanni à Scotis lacessiti, Romæ supplices fiunt.

Anni Christi.	Romani Pontifices. Bonifacius	Consules.	Rom. Imperatores. Honorius.	Britanniæ Præsides.	Episcopi in Britannia Vodinus Londinensis.	Capita rerum gestarum.
421	4	Agricola, & Eustathius	27	Chrysanthus Britanniæ præfect. n. 1. Galbo. n. 7.		Romani Scotos è Britanniâ pellunt, premuntque. num. 1. Murus à Britannis extruitur. n. 3. Nova Scotorum irruptio. Ambrones quinam? num. 4. Legatio Britannorum ad Ætium. num. 5. 6. Gallionem mittunt. Inde Insulæ valedicunt num. 7. 8.
422	5	Honorius XIII. & Theodosius X.	28			Murus Lapideus construitur, ubi prius vallum fuerat. num. 1. 2. Scotorum Regum certa initia. n. 3. 4. 5. 6. 7. &c.
423	6	Marinianus & Asclepiodotus.	29			Moritur Honorius Imp. succedit Valentinianus III. moritur etiam Bonifacius Papa, succedit Cælestinus, qui multum Britanniæ profuit.
424	Cælestinus Papa. 1	Castinus, & Victor.	Joannes Occidentis imperiū invadit.			De tempore Apostolatus S. Patricii, & præludia Apostolatus ejus. num. 1. 2. 3 4.
425	2	Theodosius XI. & Valentinianus.	Valentinianus imperat. 1			
426	3	Theodosius XII. & Valentinianus II.	2			Semipelagiani emergunt, nescio quam epicœnam Fidem, relicto majorum sensu, & Ecclesiæ Traditione, cudentes.
427	4	Hierius, & Ardaburius	3			
428	5	Taurus, & Felix	4			Timotheus quidam Britanniam corrupisse dicitur; sed fortè melius Bithyniam corrupisse diceretur.
429	6	Florentius, & Dionysius.	5			Germanus & Lupus à Britanniæ Episcopis postulantur, à Rom. Pontifice authoritatem accipiunt. num. 1. 2. 3. 4. &c. Palladius etiam à Cælestino ad Scotos mittitur. num. 8. Agricolæ conversio. num. 25. 26. 27. 28.
430	7	Theodosius XIII. & Valentinianus III.	6			Epistola S. Patricii, sive Legatio ejus excutitur. num. 3. 4. 5.

Anni Christi.	Romani Pontifices. Cælestinus	Consules.	Rom. Imperatores Valentinianus III.	Britanniæ Præsides.	Episcopi in Britannia Voadinus Londinensis	Capita rerum gestarum.
431	8	Anicius Bassus, & Flavius Antiochus. n. t.	7		Servanus Orcadum Apostol. Ternanus Pictorum n. 5.	Palladii Episcopi missio, & ad quos? n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Bedæ locus à Baronio correctus defenditur. n. 6. Patricius Romæ a Papa consecratur. n. 7. Ejus locus in missione Hibernica. n. 8. 9. 10. 11. 12.
432	9 Sixtus Papa. 1	Ætius, & Valerius.	8			S. Benignus Patricii discipulus. n. 2. Pascha à Patricio celebratur: ignis benedicitur. n. 3. Crux fidelium sepulchro affigi solita. n. 4. Winwolochus juvenis. ejus sanctitas. &c. n. 5. 6. 7. Armachana Sedes a Patricio erigitur. num. 8. 9. 10. 11. S. Ninianus moritur. n. 12. 13. 14. 15.
433	2	Theodosius Aug. XIII. & Anicius Maximus.	9			Quamdiu Patricius in Hibernia laboravit. num. 1. 2.
434	3	Aspar, & Arcobinda.	10			
435	4	Theodosius XV. & Valentinianus IV.	11			Pelagiana hæresis renascitur. Germanus iterum & Severus illam sanant. n. 1. 2. 3. Alterius Resp. status, & quando cœperunt Britannorum Reges. n. 4.
436	5	Isidorus, & Senator.	12		Dubricius Landavensis Episcopus.	Germanus quamdiu vixerit. n. 1. Consecrat Episcopos. num. 2. Dubricii ortus, & parentes. n. 3. Ejusdem vitæ periodus. n. 4.
437	6	Actius, & Sigevultus.	13			Germanus Oxonium invisit. n. 1. 2. Iltutus ejus discipulus. n. 2. Cadocus Abbas, qui & Sophias. n. 2. 3. S. Briocus Britannus, Germani discipulus. n. 4.
438	7	Theodosius Aug. XVI. & Faustus.	14	Vortigernus Britannorum Rex. n. 1. 1		Britanni ad premendos Scotos Regem eligunt. n. 1. 2. Excidii initium ab electo Vortigerno. num. 3. Dubricii discipuli Teleanus, Iltutus, Daniel & Sampson. n. 3. 4.
439	8	Theodosius XVII. & Festus.	15	2		Redit in Britanniam Patricius, qui Romam profectus inde Sanctorum reliquias defert. n. 1. 2. 3. Glastoniense monasterium docet cœnobiticam vitam. n. 4. 5. Monachi Ægypti quales? n. 6. 7. Charta S. Patricii. n. 8. Oratorium S. Michaelis. n. 8. Vetus inscriptio excutitur. n. 14. 15.
440	Leo Papa. 1	Valentinianus V. & Anatolius.	16	3		Britannorum Fides integra, & quænam illa? num. 1. 2. 3. 4. Germanus & Augustinus in Fide concordes. num. 5. 6. 7. 8. Gallicanum Episcopi Rom. Sedis primatum agnoscunt. n. 9. 10. Petendi a Sacerdote benedictionem antiqua consuetudo. n. 11. 12.

Anni Christi.	Romani Pontifices. Leo	Consules.	Rom. Imperatores Valentinianus III.	Britannia Reges. Vortigernus.	Britannorum Episcopi	*Capita rerum gestarum.*
441	2	Cyrus sine Collega.	17	4		Moritur S. Germanus, & à Britannis colitur. n. 1, 2. Num Vortigernum Regem excommunicarit, num. 3.
442	3	Dioscorus, & Eudoxius.	18	5		Attila & Gensericus Romanos premunt: Sic nutante eorum imperio nutat Britannia, & minatur exitium.
443	4	Maximus, & Paternus.	19	6	Voadinus & Dubricius benè suo munere fungitur	Maccæus Bacchiarius Patricii discipulus, peregrè proficiscitur, & quare?
444	5	Theodosius XVIII. & Albinus.	20	7		Wintoniense Monasterium floret.
445	6	Valentinianus VI. & Nomus.	21	8		Scoti, Pictique fines suos egressi Britannos vexant.
446	7	Aetius III. & Symmachus. n. 1 & 13.	22	9		Britannorum peccata, excidium Insulæ accelerant. num. 1. 2. 3. Regum unctio antiquissima. num. 4. Cleri vitia excidii causa. num. 5. 6. 7. Roma petuntur Ecclesiastica beneficia. num. 8. Scotorum & Pictorum incursus. num. 11. 12. Gemitus Britannorum. n. 13.
447	8	Alyppius, & Ardaburius	23	10		
448	9	Posthumianus, & Zeno.	24	11		Quis Saxonem in Britanniam vocaverit. num. 1. 2. 3. Tempus excutitur ejus adventus, & legationis Britannorum.
449	10	Asterius, & Protogenes	25	12		Saxo descendit in Britanniam. Quis ille, & unde? n. 1. 2. 3. 4. 5. Saxonum mores, & religio. n. 7. 8. 9, 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.
450	11	Valentinianus VII. & Avienus.	26	13		Hengistus Scotum domat. num. 1. 2. Patricius redit in Hiberniam, & Episcoporum Synodum cogit. num. 3. 4. Canones Synodi. num. 5. 6. 7. 8. De tempore Synodi. num. 9. 10. Albeus, sive Ælbeus Mumenensis Episcopus. num. 11.

Anni Christi.	Romani Pontifices LEO	Consules.	Rom. Imperatores VALENTINIAN. III.	Britanniæ Reges. VORTIGERNUS.	Episcopi in Britannia VOADINUS Lond.		Capita rerum gestarum.
451	12	Marcianus Aug. & Adelphius. n. 5.	27	14			Altera Saxonum Colonia. Rowena Hengisti filia Vortigernum captivat. n. 1. 2. Cantium Hengisto donatur. num. 2. Attila Occidentis imperium invadere conatur.
452	13	Herculanus, & Spotatius.	28	15			Attilæ vestigia explorantur, ad inveniendum annum Martyrii S. Ursulæ & Sociarum. num. 1. 2. 3.
453	14	Opilio, & Vincomal.	29	16			Tempus Martyrii S. Ursulæ expenditur. num. 1. 2 &c. Attila nunc Gallias vexat. n. 6. 7 &c. Saxonum querelæ, Britannorum miseriæ, è Gildâ probantur. n. 11. 12. 13 14. Britanni transmarinas regiones petunt num. 15 16. Sic Ursula educitur: & ejus patria. n. 17. 18 &c. De numero Virginum, num 23. 24. 25 Ursulæ profectio. num. 26. Hunnorum grassatio. n. 27 Ursulæ oratio ad socias & Martyrium num 28. 29 30. 31. Ursulanarum Virginum cultus. n. 32. 33 34. 35. &c.
454	15	Studius, & Actius.	30	VORTIMERUS regnat, patre deposito. 1			Vortigernus ab uxore divertit, monetur à Voadino Episcopo, non resipiscit, & deponitur. n. 1, 2. 3. 4.
455	16	Valentinianus VIII. & Anthemius	MAXIMUS imperat. n. 4.	2			Vortimerus in Hengistum regni exordia conantem pugnat; Ambrosius Aurelianus cum Vortimero est. num. 1. 2. Duo belli duces Horsus & Katigernus occiduntur. n. 2. 3. Richardus Andrenesis nascitur, &c. num. 4. 5, 6.
456	17	Joannes, & Varanes.	AVITUS imperat.	3	GUITHELINUS Londinensis Episcopus. n. 5.	Cantiani regni exordium. hic n. 1.	Hengistus regnat in Cantio, frequenter in Britannos pugnat. n. 1. 2. Voadinus Episcopus a Vortigerno occiditur. num. 2. 3. 4. 5.
457	18	Constantinus, & Rufus.	MAIORIANUS Imperator Occidentis. 1	4 VORTIGERNUS iterum.		HENGISTUS regnat. 1	Hengistus è Britanniâ solvit. num. 1. 3. Vortimerus moritur. n. 3. 4 5. Hengistus redit & regnat. num. 6. Pugnat & vincit. num 6.
458	19	Leo & Majorianus	2	17		2	Vortigernus iterum regnat. num. 1. De S. Germano & pugnâ ejus contra Saxones. num. 2. 3. De Uthero Pendragone, & Walliæ nomine. num. 4.
459	20	Ricimer, & Patricius.	3	18		3	Baptismi ritus à Leone Papa præscripti. Peccatorum confessio secreta stabilitur, publica tollitur. num 2 3. Missæ sacrificium aliquando iterandum. n. 5. Missa in Britannia & Hibernia. num. 6. 7.
460	21	Magnus, & Apollonius	4	19		4	S. Benignus venit in Britanniam, num. 1. 2. 3. 4. S. Piranus Hibernus in Britanniam descendit. n. 4. 5. Maccæus scribit pro restituendo Sacerdotio. n. 7.

Anni Christi.	Romani Pontifices.	Consules	Romani Impp.	Britannorũ Reges. Vortigernus	Episcopi per Britanniam	Reges Cantii. Hengistus.	*Capita rerum gestarum.*
461	Hilarius Papa. 1	Severinus, & Dagalaiphus.	Severus imperat occiso Majoriano. 1	20		5	Hengisti dolo Britanni occiduntur. num 2. 3. Eldol Claudiocestriæ Consul, & Britannorum sepulchrum.
462	2	Leo II. & Severus.	2	21		6	Saxo Britanniam vastat, Londinum, Eboracum, Lindocolnum. Religiosi fugiunt cum Sanctorum reliquiis. num 1. 2. Hengistus ita tribus provinciis auctus. n. 3. Nascitur B. David. num. 4. 5. 6. 7.
463	3	Basilius, & Vibianus.	3	22		7	Vortigernus ad Cambriæ montes secedens latet: ubi pauca de Merlino. n. 1. 2.
464	4	Rusticus, & Olybrius.	4	23		8	Aurelius Ambrosius in Britanniam invitatur: quis ille? n. 1. 2. Spe paternæ virtutis ad Britanniæ regnum aspirat. num. 3. Vortigerni ignavia eidem profuit.
465	5	Basiliscus, & Hermeneticus.	5 Severus occiditur	24		9	Prodigia secuturæ cladis, quæ scilicet Merlinus exposuit. n. 1 2. Hengistus in Britannos pugnat: Wipped. Saxo occiditur num. 2.
466	6	Leo Aug. III.	Nemo succedit.	Ambrosius Aurelius 1		10	Vortigernus occiditur. num. 1. Succedens Ambrosius Ecclesias restituit. n. 2. 3 4. Gildæ locus de Ambrosio elucidatur. num 4.
467	7	Flavius Pusæus, & Fla. Joannes.	Anthemius imperat. 1	2		11	Hilarius Papa moritur: Ejus pietas in Ecclesiam.
468	Simplicius Papa. 1	Anthemius II.	2	3		12	
469	2	Zeno, & Marcianus.	3	4		13	Ambrosius suâ virtute Saxonum victorias remoratur.
470	3	Severus, & Jordanus.	4	5		14	Synodus Britannica pro Ecclesiarum restitutione. De Simplicio Papâ facente Cantabrigiæ.

Anni Christi.	Romani Pontifices. Simplicius.	Consules.	Romani Impp. Anthemius.	Britannorum Reges. Ambrosius.	Episcopi per Britanniam.	Reges Cantii. Hengistus	Duces Austral. Saxonum.	Capita rerum gestarum.
471	4	Leo Aug. & Probianus.	5	6		15		
472	5	Festus, & Marcianus.	6	7		16		Moritur S. Patricius. n. 1. De loco mortis contenditur. n. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Plures fuerunt Patricii. n. 8.
473	6	Leo Augustus V. sine Collega.	Glicerius imperat.	8		17		Hengistus Britannos profligat.
474	7	Leo junior	Julius Nepos imperat.	9		18		
475	8	Zeno Aug.	Augustulus imperat.	10		19		Romani Imperii Epilogum agit Augustulus, cujus prologum egerat Augustus.
476	9	Basiliscus, & Armatus.	Odoacer Rex I. 1	11		20		Querela Baronii de Regiæ Fidei defectione excutitur. num. 1. 2. Ambrosii Regis pietas, & religio. n. 3.
477	10	Post Consulatum Basilisci & Armati.	2	12		21		Britannorum Regum Elogium, ex Arnoldo Mermanno. n. 1. Hengistus è Saxonià suppetias recipit. n. 2. Ella cum filiis Australia Insulæ occupat. n. 3.
478	11	Illus sine Collegâ.	3	13		22	Ella. Dux Australium Saxonũ.	Rejicitur Nauclerus, qui hoc primùm anno putat Britannos in Armoricum tractum profectos, nomen provinciæ fecisse.
479	12	Zeno III.	4	14		23		Lupus Episcopus, qui Britannos docuerat, moritur sanctus.
480	13	Basilius junior.	5	15		24		Floret S. Winwaloeus: Ejus laus, & Fides orthodoxa. n. 1. 2. Moritur sanctus. n 3. Ubinam quiescant sacræ reliquiæ. n. 4. 5. 6. Egbinus ejus discipulus. n. 6. De S. Carantoco. n. 7.

Anni Christi.	*Romani Pôtifices.* SIMPLICIUS.	*Consules.*	*Romanorũ Reges* ODOACER.	*Britannorũ Reges.* AMBROSIUS.	*Episcopi per Britanniã*	*Reges Cantii.* HENGISTUS.	*Duces Austral. Saxonũ.* ELLA.	*Capita rerum gestarum.*
481	14	Placidius.	6	16		25		S. Martini corpus transfertur: ubi de Sanctorum translatione plura dicuntur. num. I. 2.
482	15	Severinus.	7	17		26		
483	FELIX III Papa. I	Anicius Faustus.	8	18		27		Alexandrinæ Sedis Episcopus ad Felicem Papam appellat. Acacius Constantinopolitanus Episcopus à Felice excommunicatur.
484	2	Theodoricus, & Venantius.	9	19		28		
485	3	Symmachus.	10	20		29		Britanni in Ellam pugnant dubiâ victoriâ.
486	4	Longinus, & Decius.	11	21		30		Nova auxilia è Germaniâ veniunt, & Ellam ad Austrum tuentur.
487	5	Boëtius.	12	22		31		Hengistus Scotis conjungitur. Ambrosius eum trans Humbrum sequitur: & fugat. num. I. 2..
488	6	Dinamius, & Siphidius.	13	23		Eska. in Cãtio regnat. I		Ambrosius in Hengistum pugnat. num. 1. 2. Hengistus occiditur, & quomodo? n. 2 3. S. Brigida ex Hiberniâ in Britanniam venit. num. 5.
489	7	Probinus, & Eusebius.	14	24		2		De Othâ Hengisti filio Eboracum fugiente, & Gallovidiam ab Ambrosio accipiente.
490	8	Faustus II. & Longinus II.	15	25		3		Sophias, qui & Cadocus, Beneventi Episcopus, & Martyr. num. 1. Keyna Virgo serpentes in lapides mutat. n. 2. 3. Moritur sancta. n. 4. 5. S. Almedha Virgo colitur, & puniuntur qui non colunt n. 5. 6. De Brachani Regis filiis. num. 7.

Anni Christi.	Romani Pontifices Felix III	Consules.	Romanorum Reges Odoacer.	Britannorum Reges. Ambrosius.	Episcopi per Britanniam	Reges Cantii. E-ka	Reges Austral. Saxonum	Capita rerum gestarum.
491	9	Olybrius.	16	26		4	Ella Australium Saxonum primus Rex. 1	Regni Australium Saxonum exordia. n. 1. Britanni ab Ella fugantur. num. 2.
492	Gelasius Papa. 1	Anastasius Aug. & Ruffinus.	17	27	Sampson Eboracensis Dubricius Legionens. & Thelaus Landavens. Episcopi.	5	2	Felix Papa Richardum Andriensem consecrat Episcopum n. 1 2 Richardus Andriam convertit. n. 3. Ambrosius Britannis occisis monumentum erigit n. 4. Dubritius Apostolicæ Sedis Legatus. num 4. De pallio Legionensis Episcopi, n. 5. 6. 7. Clintheus Martyr. num. 8.
493	2	Albinus.	Theodoricus 1	28		6	3	Apparitio S Michaelis S Richardum Andriensem Episcopum invitat ad iter. n. 1. Gildas Badonicus nascitur n. 3 4. Pugna ad montem Badonicum, Ambrosio an Arthuro tribuenda? n. 4. 5. 6. De Arthuro, & fide ejus. n. 7 8. 9.
494	3	Asterius, & Præsidius.	2	29		7	4	
495	4	Victor, & Marcellinus	3	30		8	5	Cerdicius venit in Britanniam, & ad Icenos primò, descendit: ejus apparatus. n. 1. 2. 3.
496	5	Paulus.	4	31		9	6	Pascentius Vortigerni Regis filius, in Ambrosium pugnat, & ab eo vincitur. num. 4.
497	Anastasius Papa. 1	Anastasius II.	5	32		10	7	Ambrosius moritur, dolo Pascentii. Prodigium de Dracone, quod Bardi vexant. n. 2.
498	2	Paulinus, & Joannes Scytha.	6	Utherus Pendraco regnat. 1		11	8	Utherus Ambrosio fratri succedit, & pugnat in Saxonem, n. 2. 3. Saxo profligatur. n. 4.
499	Symmachus. Papa. 1	Joannes Gibbus.	7	2		12	9	Clodovæus Francorum Rex baptizatur.
500	2	Patricius, & Hippatius.	8	3		13	10	S. Cadocus à Sophiâ distinctus. num. 1. Ejus parens Gunlæus. n. 2. Tathaius Cadoci magister. n. 4. Cadocus moritur Sanctus. n. 5. De S. Dogmaele, & Bernacho, & Finguar.

Anni Christi.	Romani Pōtifices. Symmachus.	Consules.	Romanorū Reges. Theodoricus	Britānorū Reges. Utherius.	Episcopi per Britanniā	Reges Cantu. Eisk.	Reges Austral. Saxonū. Ella.	Capita rerum gestarum.
501	3	Avienus. & Pompeius.	9	4		14	11	Cerdicius ab austro ad Occidentem Insulæ transit ibi regnum brevi fundaturus. Quinque linguæ in Britanniâ: nullum cum Oriente commercium. n. 4. 5. Portus Saxo venit, pugnat, vincit. n. 6. 7.
502	4	Avienus junior, & Probus.	10	5		15	12	Utherus credimr Symmachum Papam, missâ legatione honorasse.
503	5	Dexecratus & Volusianus	11	6		16	13	Hiberni Britannos vexant. Albaniæ regnum inchoatur ad Grampy montis radices. num. 2. Fergus ibi primus Rex. num. 2. Dalreudini quinam, & unde?
504	6	Cætheus.	12	7		17	14	Moritur S. Winwalocus. num 1. Glastoniense monasterium ab Hibernis frequentatur. n 2. Sanctorum sepulchra & corpora coluntur. n. 3. S Augustini corpus in Sardiniam: inde ejus brachium in Angliam transfertur. n. 3.
505	7	Theodorus & Sabinianus	13	8		18	15	Petrocus Britannus in Hiberniâ docet. Ejus exordia. num. 2. Redit in Britanniam, & monasterium extruit. n. 3. Elogium ejus in Gallicano Martyrologio, num. 4
506	8	Messala, & Areobinda.	14	9	Dubritius Ep Agathési Synodo potuit interesse. 2.	19	16	Galli & Britanni in Fide communicant. Synodus Agathensis, cui probabiliter Dubritius Legionensis interfuit. Ibi præceptum fertur de Missâ integrâ audiendâ, die Dominicâ. n. 2, Apostoli statuerunt diem illam solenniter celebrandum, ex Augustino. num. 2.
507	9	Anastasius Aug. III. & Venantius Decius.	15	10		20	17	
508	10	Venantius Decius junior. & Celer.	16	11 Arthurus regnat. 1		21	18	Cerdicius pugnat in Natanleod, qui Utherus fuisse putatur. n. 1. 2. Vincit Saxo, & occiditur Utherus. n. 2, 3. De Arthuro successore dubia, incerta, & aliqua vera. Num idem cum Ambrosio Aurelio? n. 4. 5. 6. Arthuri natales, n. 7. 8. Quando regnavit. n. 9. De Gildâ Albanio. n. 10. 11. 12. 13.
509	11	Importunus.	17	2		22	19	Gildas Albanius in Lancarvanensi cœnobio secretò latet. inde recedens solitudinem petit: ubi à piratis vexatus, Glastoniam secedit. n. 1. Arthuri uxor rapitur & eripitur. n. 2. Gildas sapiens, uterque dicitur Albanius & Badonicus. num. 3.
510	12	Boetius Severinus & Eutharicus.	18	3		23	20	

Anni Christi.	Romani Pontifices. Symmachus.	Consules.	Romanorum Reges. Theodoricus	Britannorum Reges. Arthurus	Episcopi per Britanniam	Reges Cantii. Eska.	Reges Austral Saxonum. Ella.	Reges Occiden. Saxonum.	Capita rerum gestarum.
511	13	Felix, & Secundinus.	19	4		24	21		Saxo Britannorum Ecclesiam vastat. Ejecti & occisi Wintonienses monachi. n. 1.2.3.
512	14	Paulus, & Musciánus	20	5		Otha regnat. 1	22		Eska Cantii Rex moritur num. 1. Succedit Otha filius. n. 2. Moritur Gildas Albanius. n. 4. Ejus elogium è Gallicano Martyrologio. n. 5. 6.
513	15	Probus, & Clementianus.	21	6		2	23		Britannorum Ecclesia nigra & formosa n. 1 S. Iltuti exordia Sampson fit Abbas: Ejus patria, & parentes n. 2. 3 Moritur sanctus, & in Gallicano Martyrologio nominatur. n. 3.
514	16 Hormisda Papa. 1	Aurelius Cassiodorus.	22	7		3	24		Stufus & Whitgarus Saxones in Britanniam veniunt. n. 1. Nascitur S Kentigernus e sorore Arthuri, quæ a patre condemnari dicitur n. 3. 4. 5. De loco natali. n. 6. Kentigernus vulgò Mungu dicitur. n. 6.
515	2	Anthemius & Florentius.	23	8		4	Cissa ad Austrum regnat. 1		Cissæ Rex Cicestriam, & Cisburiam urbes ædificat. n. 1. Vocatur Regulus, & quare? n. 2.
516	3	Petrus.	24	9	Davidis electio ad Legionénsem Sedem. 4. Paternus Episc. Demetarum.	5	2		Arthurus à Dubritio Rex coronatur. n. 1. Dubritius Episcopus onus deponens solitarie vivit. n. 2. Bardsey Insula dicitur *Roma Britanniæ*. num. 2. 3. David eligitur Dubricii successor. n. 4. Num iverit Hierosolymam. n. 5. 6. 7. Daniel monasterium fundat Bangoræ. n. 8. 9. S Justiniani vita. n. 10. 11. 12. 13. 14. De S. Paterno & Mauritaniâ. n. 15.
517	4	Anastasius, & Agapitus.	25	10		6	3		Cheldricus & nova Saxonum Colonia. Arthurus è minori Britanniâ subsidium petit.
518	5	Magnus, & Florentius.	26	11		7	4	*Occidentalium Saxonum regnum incipit.*	Arthuri prælia septimum & octavum explicantur. n. 1. 2. 3. Arthurus cum imagine Deiparæ pugnavit. num. 3. Darerca soror S. Patricii. n. 4. S. Riochus ejus filius. n. 5.
519	6	Justinus Aug & Euthancus	27	12	Paulinus Episcopus 2. 3. Daniel Bangoræ episcopus 4.	8	5 Australes Saxones Occidentalibus adjunguntur	Cerdicius Rex primus. 1	Synodus in Cambriâ sub Davide, contra Pelagii hæresim. n. 1. 2. 3. 4. David fit Metropolita. n. 7. Romanâ authoritate omnia componuntur n. 8. Locus Synodi n. 9. Monasteria construuntur n. 11. 12. Arthuri prælia IX. X. XI. n. 16. David Meneviam pro Sede eligit. n. 7.
520	7	Rusticus, & Vitalianus.	28	13		9	6	2	Arthuri prælium duodecimum, ejus arma Catholica n. 1. 2. De tempore pugnæ ad Badonicum montem n. 3. 4. 5. Deiparam Arthurus invocat. n. 7. 8.

Anni Christi.	Romani Pontifices. HORMISDA.	Consules.	Romanorum Reges. THEODORICUS	Britan. Reges. ARTHURUS.	Episcopi per Britanniam.	Reges Cantii OTHA	Reges Australium Sax. CISSA.	Reges Occidentalium Saxon. CERDICIUS.	Reges Orientalium Saxonum.	Capita rerũ gestarum.
521	8	Valerius, & Justinianus	29	14	NENNIO Episcopus Candidæ Casæ.	10	7	3		Scoti Pictiq́ue Alcluid urbem obsidẽtes ab Arthuro profligantur. num. 1. De Scotiæ subjectione ad Coronam Britanniæ n. 2. Finanus in Britanniã doctus Romam petit. n. 4.
522	9	Symmachus, & Boetius.	30	15		11	8	4		Moritur S. Dubritius, sepelitur in Bardsey: inde transfertur. n. 1. Compendium ejus vitæ. n. 2.
523	JOANNES I. Papa. 1	Maximus.	31	16		12	9	5		Arthurus, mortuâ uxore Gueneverâ, aliam ducit Guenhumaram nomine.
524	2	Justinus II. & Opilio.	32	17		13	10	6		Arthurus Hiberniam subjugasse fingitur.
525	3	Probinus, & Philoxenus.	33	18		14	11	7		
526	FELIX Papa. 1	Olybrius.	34 ATHALARICUS. 1	19		15	12	8		Joannes Papa Martyrio coronatur jussu Theodorici Regis.
527	2	Mavortius.	2	20		16	13	9	ERKENWINUS Rex primus. 1	
528	3	Justinianus II.	3	21		17	14	10	2	Vecta Insula à Cerdicio oppugnatur, sed defenditur.
529	4	Justinianus III.	4	22	DAVID Menevensis Synodo præest.	18	15	11	3	Synodus Victoriensis sub Davide. n. 1. 2. 3. David Glastoniam vadit consecraturus Ecclesiam. n. 4. 5. 6. Regum pietas in Glastoniam. n. 6. 7. 8. 9. 10. 11.
530	BONIFACIUS Papa. 1	Lampadius & Orestes.	5	23		19	16	12	4	Congellus claret in Britannia primus Banchorensis Abbas. n. 2.

Anni Christi.	Romani Pontifices. BONIFACIUS	Romanorum Reges ATHALARICUS	Britan. Reges. ARTHURUS.	Episcopi per Britanniam.	Reges Cantii OTHA	Reges Australium Sax. CISSA.	Reges Occidentalium Saxon. CERDICIUS.	Reges Orientalium Saxonum. ERKENWINUS	*Capita rerum gestarum.*
531	2	6	24		20	17	13	5	Arthuri diploma pro Cantabrigiâ excutitur. n 1 2. 3. 4. 5 6. 7. De Norvegiæ conversione, vel Arthuri operâ, vel Kentigerni. n. 8 9. 10 Cerdicius Vectam Insulam capit. n. 11. Africanæ Ecclesiæ cum Britannorum Ecclesiis symbolizant, in cultu Romanæ Sedis. n. 12. 13. 14.
532	JOANNES II Papa. 1	7	25		IRMENRICUS regnat. 1	18	14	6	Otha Rex Cantii moritur. Succedit ejus filius Irmenricus Magni Ethelberti parens.
533	2	8	26		2	19	15	7	Regia Fides legitur in Justiniano Orientis Imp scribente ad Joannem Pontificem. n. 1. Joannis rescriptio ad Justinianum. n. 2. Arthurus proficiscitur in Norvegiam. n. 3.
534	3	9 THEODATUS regnat. 1	27		3	20	16	8	Moritur Cerdicius Occidentalium Saxonum Rex. cum prius Vectam Insulam, nepotibus Stufo & Whitgaro dedisset.
535	AGAPETUS Papa. 1	2	28		4	21	KENRICUS regnat. 1	9	
536	2	3	29		5	22	2	10	Arthuri Regis laudes, ubi etiam de fabulis pauca excutiuntur. n. 1. 2. 3 Mordredus in ejus absentiâ Britanniam moderatur. n. 4. Arthurus quæ fecerit apud Morinos. n. 4. 5.
537	SILVERIUS Papa. 1	VITIGIS regnat. 1	30		6	23	3	11	Joannes Presbyter natione Britannus, sanctitate floret. Quid de eo Gregorius Turonensis. Quid Magdeburgici? n. 2. 3. De S. Mochteo Britanno. num. 4.
538	2	2	31		7	24	4	12	Silverius Papa exulat. Vigilius in ejus locum subrogatur. Sed à fidelibus, Silverio vivente, non admittitur. num. 1.
539	3	3	32	KENTIGERNUS Glascuensis Episcopus.	8	25	5	13	Kentigerni consecratio excutitur, quid in ea vitiosum, quid à Sectanorum Sacerdotio differens. n. 1. 2. 3 4 5. Kentigerni pœnitentia, & accessus ad M Gregorium. n. 6. 7 8. Ejus vita in Episcopatu. n. 9. 10.
540	VIGILIUS Papa. 1	4	33	Kinocus succedit Paterno Episcopo apud Demetas.	9	26	6	14	Mordredus Britanniæ regnum invadit. n. 1 2. Machutus, qui & Maclovius, in minorem Britanniam descendit. n. 3. Gildas Badonicus in Hiberniam proficiscitur. num 3. 4. Frequens commercium Britannos inter, & Hibernos. n. 6. 7. 8. Fides ubique eadē hoc sæculo n 9. Paternus Episcopus in minorē Britan. profectus, præficitur Ecclesiæ n. 10.

Anni Christi.	Romani Pontifices. VIGILIUS	Romanorum Reges	Britan. Reges. ARTHURUS.	Episcopi per Britanniam.	Reges Cantii. IRMERICUS	Reges Australium Sax. CISSA.	Reges Occidentalium Saxon. KENRICUS	Reges Orientalium Saxonum. ERKENWINUS	Reges Northumbriæ.	Capita rerum gestarum.
541	2	THEODIBALDUS regnat. 1	34		10	27	7	15		Mordredum Arthurus in prælio occidit. n. 1 2. Arthurus letaliter vulneratus Glastoniam defertur. n. 2. 3. 4. Confitarium magnum imitatur, cum ad mortem se parat. n. 5.
542	3	TOTILAS regnat. 1	CONSTANTINUS regnat. 1		11	28	8	16		Arthurus moritur, & Glastoniæ sepelitur cum Cruce. n. 1. 2. 5. &c. Constantinus Cadoris Ducis Cornubiæ filius Arthuro succedit. n. 11. Britannicæ Reip. inclinatio. num. 12.
543	4	2	2	KENTIGERNUS ad Elgu Episcopi Sedem ponit. n. 8 9	12	29	9	17		Mordredi filii in Constantinũ surgunt, & ab eo trucidantur n. 1. Gildæ invectiva in Reges & Constantinũ. n. 2 3. De Abbate Amphibalo. n. 4. Britannorũ altaria & sacrificium n. 5 6. 7 Kentigernus Meneviam ad S. Davidem profectus, ad Elgu monasterium ponit, & Sedem Episcopi. n. 8 9. S. Asaphi exordia
544	5	3	3	KINOCUS Menevēsi à Paternēsi Sede assumptus. Theonus Lōd transfertur. 7.	13	30	10	18		David sanctus in cœlum invitatur n. 1 2. Eius mors Kentigerno revelatur. n. 3. Meneviæ sepelitur. n. 4. Moritur Daniel Bangorensis Episcopus. num. 6.
545	6	4	CONANUS regnat. 1		14	31	11	19		Constantinus abdicato regno monachum induit. Succedit Conanus. Gildæ in eum invectiva. n. 3. 4.
546	7	5	2		15	32	12	20		
547	8	6	3		16	33	13	21	Ida Rex Northũbriæ 1	Northumbriæ regnum iocipit cum provincia bipartitã Deirorum & Berniciorum. n. 1. 2. 3. Ida Beinicios, Ella Deiros sub ipso tenuit. num. 3.
548	9	7	4 VORTIPORUS regnat. 1		17	34	14	22	2	Vortiporus tyrannus, Gildæ in eum invectiva. n. 1. S. Thelianus claret. n. 2. Petrocus Romam vadit. n. 3. Ecclesiastica beneficia ex Urbe petuntur. n. 4. 5.
549	10	8	2	MACHUTUS Episcopus apud Icenos.	18	35	15	23	3	S. Machuti Sedes apud Icenos. n. 1. Ejus genus & parentes: & Elogium è Gallicano Martyrologio. n. 1 2. Vadit in Armoricam. n. 3 Inde Romam. n. 4 Machutus Atrebensibus, quos aliquando excommunicaverat, benè precatur. num. 4. 5. Magdeburgenses arguuntur, quòd Pelagianismi reliquias adhuc in Britanniâ superfuisse affirmant. n. 7.
550	11	9	3		19	36	16	24	4	

Anni Christi.	Romani Pontifices. VIGILIUS	Romanorũ Reges. TOTILAS	Britan. Reges. VORTIPORUS	Episcopi per Britanniam.	Reges Cantii. IEMERICUS	Reges Australiũ Sax. CISSA.	Reges Occidentalium Saxon. KENRICUS	Reges Orientalium Saxonum. ERKENWINUS	Reges Northũbriæ. IDA.	*Capita rerum gestarum.*
551	12	10	4 MAGLOCUNUS regnat. 1		20	37	17	25	5	Mortuo Vortiporo Maglocunus successit, cujus scelera Gildas enumerat: & impium.s, quod monachus aliquando, votorum reus fuerit. num. 1. 2.
552	13	11	2		21	38	18	26	6	Bellum in agro Wiltoniensi, ad Sorbiodunum oppidum, ubi Britanni cæsi, fugatique sunt.
553	14	THAIAS Rex. Statim occiditur.	3	LEONORIUS Episcopus. n. 1. 2.	22	39	19	27	7	
554	15	JUSTINIANUS etiam in Occidēte imperat. 28	4		23	40	20	28	8	Leonorius cum 27. discipulis in minorem Britanniam transit: Ejus patria, & quo ipsum transierit in Armoricam. n. 1. 2. 3. 4. De Judoci & Winoci parentibus.
555	PELAGIUS Papa. 1	29	5		24	41	21	29	9	
556	2	30	6		25	42	22	30	10	Kenricus in Britannos pugnat, eosque profligat, in Dobunis & Oxoniensi agro. n. 1. 2. De S. Vulgano. num. 3.
557	3	31	7		26	43	23	31	11	Picti Regem creant Bridium. num. 1. 2. Petrocus redit in Britanniam. n. 3.
558	4	32	CERETICUS regnat. 1		27	44	24	32	12	Cuneglassus in Britanniâ Princeps à Gildâ reprehenditur ob sacrilegium, jubeturque crimen Sacerdoti confiteri, cui ligandi, solvendique potestas. n. 2. 3.
559	5 JOANNES Papa. 1	33	2	Sampson Menevẽsis Episcopus. 4. Assaphus Elguensis Episc. 2.	28	45	25	33	13 ALLA regnat. 1	Concilio Parisiensi adfuerunt Britanni Sampson Menevensis & Paternus. n. 1. 2. 3. 4. 5.
560	2	34	3	Oudoceus Lãdav. 6. 7. post eum Berthguinus Landavẽs. 18. sed Grecelius intercessit.	29	46	26	34	2	Kentigernus ad Glasguensem Sedem revocatur, & Britannos docet. n. 1. 2. Synodus Landavensis, ubi Mouricus excõmunicatur. n. 5. 6. De S. Oudocco Episc. Landavensi. n. 9. Mos peregrinandi Romam, & Meneviam. n. 9. Theodoricus Princeps monachum induit, inde Martyr purpuratus. n. 10. Juramentum ad SS. reliquias. n. 11. 12. 13. Alia Synodus Landavẽs. n. 14. 15. 16. Tertia Synodus Landav. n. 17. 18. Oudoceus moritur. n. 19. 20.

Anni Christi.	Romani Pontifices. Joannes	Romani Impp. Justinianus	Reges Francorum. Clotarius primus	Reges Britan. Caratticus	Episcopi per Britanniam.	Reges Cantii	Reges Australium Sax. Cissa.	Reges Occidentalium Saxon.	Reges Orientalium Sax. Erkenwinus.	Reges Northumbria. Alla	Capita rerũ gestarum
561	3	35	48	4		Ethelbertus Rex. 1	47	Ceaulinus. 1	35	3	Irmericus Rex Cantii moritur: Succedit Ethelbertus filius. Cujus indoles aperitur n. 1. 2. 3. Æmulum habuit Ceaulinum Occidentalium Saxonum Regem. n. 4.
562	4	36	49	5		2	48	2	36	4	Gildas Badonicus in Hiberniam invitatur ab Ammerico Rege. n. 1 2. Fidẽ ibi restituit, penè collapsam. n. 3. Monasterium construitur in regione Heth, apud Lancarvanenses. n. 4.
563	5	37	50	6		3	49	3	37	5	Bellum civile in Hiberniâ, ob quod Columba patriam deserit. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
564	6	38	51	7		4	50	4	38	6	Moritur S. Petrocus, & sepelitur in oppido ab eo Petrostoum dicto. Inde translatus Bodminiam. n. 1. Reliquiæ postmodum in Armoricam deferuntur. n. 2. Mors S. Machuti. n. 4. Ejus ætas & patria. n. 5.
565	7	39	Charibertus Rex Clotarii filius 1	8		5	51	5	39	7	De adventu S. Columbæ & sociorum in Britanniam. n. 1. 2. 3. 4. De Insula Hy, & monasterio Dermach. n. 5 6. 7 Columbæ socii recensentur, & inter eos Constantinus Exrex. num 9 10. Brudius Pictorũ Rex, & Kentigernus Columbam excipiunt. n. 11. 12. 13 14.
566	8	Justinus imperat. 1	2	9	Sampson è Menevensi fit Dolensis Episcop. 20.	6	52	6	40	8	Quæstio de Paschate, ritúque quem Columba vel ejus successores docuerunt. n. 1. &c. Unde perversi ritus initium. n. 5. 6. 7. 8 9. 10 11. 12 13 14 15. Non fuit error Quartadecimanorum. n. 16. 17. 18. S. Conaidus, sive Menevennius. n. 21.
567	9	2	3	10		7	53	7	41	9	Berniciorum Principes recensentur, qui sub Alla regnarunt.
568	10	3	4	11		8	54	8	42	10	Ethelbertus in Ceaulinum pugnat, & vincitur. n. 1. Tempus prælii excutitur, & causa. n. 2. 3. 4.
569	11	4	5	12		9	55	9	43	11	
570	12	5	6	13		10	56	10	44	12	Francorum Fides, unde Ethelberto uxor quæritur. n. 1. 2. 3. Chariberti filia Ethelberto despondetur. n. 4. 5. 6. 7. 8. Qua lege datur. num, 8 9. Aldibergæ Reginæ Fides. n. 10. 11. 12. 13. 14.

Anni Christi.	Romani Pontifices Joannes	Romani Impp. Justinus	Reges Francorum Charibertus	Reges Britan. Careticus	Episcopi per Britanniam.	Reges Cantii. Ethelbertus	Reges Australiū Sax. Cissa.	Reges Occidentalium Saxon. Ceaulinus.	Reges Orientaliū Sax. Erkenwinus.	Reges Northūbria. Alla	Reges Oriental Anglorum.	Capita rerum gestarum.
571	13	6	7	14		11	57	11	45	13		Ceaulinus Rex in Britannos pugnat: & quatuor Regias villas ab illis extorquet. num 1. 2. Columba vidit animam S Brendani in cælum ascendere. num. 3.
572	14	7	8	15		12	58	12	46	14		
573	Benedictus Papa. 1	8	9	16		13	59	13	47	15		Samaritæ qui & Iconoclastæ Europam infecerunt n. 1. 2. Simeonis Stylitæ Epistola ad Justinum Imp contra Samaritas. n. 2. Novi Samaritæ peiores prioribus. num. 3.
574	2	9	Chilpericus Chariberti frater Parisiis regnat. 1	17		14	60	14	48	16	*Incipit regnum Orientalium Anglorum.*	
575	3	10	2	18		15	61	15	49	17	Uffa Rex primus. 1	
576	4	11	3	19		16	62	16	50	18	2	
577	5	12	4	20		17	63	17	51	19	3	Ceaulinus Britannos ad montes fugat, captis tribus urbibus, Glocestria, Cirencestria, & Bathonia. n. 1. 2. 3.
578	Pelagius Papa. 1	13	5	21		18	64	18	52	20	4	
579	2	14	6	22		19	65	19	53	21	5	
580	3	15	7	23		20	66	20	54	22	6	Sancti in Martyrologio scribuntur Fethno, Motifer, Galaus, Scandalaus, & Tothanus.

Anni Christi.	Romani Pontifices. PELAGIUS	Romani Imp. JUSTINUS	Reges Francorum CHILPERICUS.	Reges Britan CARETICUS	Episcopi per Britanniam.	Reges Cantii. ETHELBERTUS	Reges Australium Sax. CISSA.	Reges Occidentalium Saxon CEAULINUS.	Reges Orientalium Sax. ERKENWINUS.	Reges Northumbria. ALLA	Reges Oriental. Anglorum. UFFA	Capita rerum gestarum.
581	4	16	8	24		21	67	21	55	23	7	
582	5	TIBERIUS imperat 1	9	25		22	68	22	56	24	8 TITILUS Rex 1	S. Winocus sub hæc tempora nascitur; sequenti sæculo floruit.
583	6	2	10	26		23	69	23	57	25	2	Moritur Gildas Badonicus, cum Britanniam & Hiberniam doctrinâ illustrasset.
584	7	3	11	27		24	70	24	58	26	3	Saxones in Britannos pugnant. Cuthwinus Saxo occiditur. Ceaulinus tamen reparato exercitu Britannos vincit.
585	8	4	12	28		25	71	25	59	27	4	Merciorum Regni exordia sub Crida Duce, & quinam Mercii dicantur? n. 1. 2. 3.
586	9	MAURITIUS imperat. 1	13	29	THADIOCUS Eboracensis Episcopus.	26	72	26	60	28	5	Ultima Britannorum fuga ad montes. Episcopi cum reliquiis Sanctorum fugiunt. num. 1. 2. 3 4 5. 6. 7 Theonus ultimus Landavensis Archiepiscopus. n. 8.
587	10	2	14	30		27	73	27	SLEDDA regnat. 1	29	6	Sledda ducit in uxorem Riculam Ethelberti sororem, & ex eâ Sebertum suscipit.
588	11	3	CLOTARIUS Chilperici filius. 1	31		28	74	28	2	30	7	Anglorum conversio unde? n. 1 2. 3. Puerorum venditio probatur. 3 4 5 6 7 8 9 10. Non Benedicti tempore sed Pelagii, Gregorius vidit venales pueros. n. 8. 9.
589	12	4	2	32		29	75	29	3	EDILRICUS Rex. 1	8	Columbanus venit in Britanniam, unde in Gallias & Italiam. n. 2. Phacam Virginem docuit, quæ inter Britannicas moniales numeratur.
590	GREGORIUS Magnus. 1	5	3	33		30	76 EDIWALCHIUS Rex. 1	30	4	2	9	Scoti & Picti tumultuantur, sub Edano Rege, & quis ille? n. 1 Columba Sanctus absens prælianses videt. n. 2. Moritur Cissa Australium Rex, & successor Ediwalchius sub Ceaulino regnat. n. 3.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices Gregorius M.	Romani Impp. Mauritius.	Reges Francorum. Clotarius II.	Reges Britannorum. Carreticus	Reges Cantii. Ethelbertus	Reges Austral Saxonū Edilwalchius.	Reges Occidēt. Saxonū. Ceaulinus	Reges Oriental. Saxonū. Sledda.	Reges Northūbror. . Edfericus	Reges Oriētal Anglorum. Titilus	Duces Merciorum. Crida	Episcopi Dorovernenses.
591	IX	2	6	4	34	31	2	31	5	3	10	7	
592	X	3	7	5	35	32	3	Celricus regnat, 1	6	4	11	8	
593	XI	4	8	6	36	33	4	2	7	Ethelfridus ferus. 1	Redwaldus Rex 1	Wibba 1	
594	XII	5	9	7	37	34	5	3	8	2	2	2	
595	XIII	6	10	8	38	35	6	4	9	3	3	3	
596	XIV v.n.34.35	7	11 v. n. 35.	9	39	36	7	5	10 Sebertus Rex. 1	4	4	4	
597	XV	8	12	10	40	37	8	6	2	5	5	5	
598	I	9	13	11	41	38	9	7 Ceolulfus. 1	3	6	6	6	Augustinus Dorovernensis Episcopus. 1
599	II.	10	14	12	42	39	10	2	4	7	7	7	2
600	III	11	15	13	43	40	11	3	5	8	8	8	3

Capita rerum gestarum.

Ceaulinus regno pellitur, & paulò post vita: monarchia Insulæ ad Ethelbertum devoluta. num. 1. 2.

Hiberni schismatici à M. Gregorio docentur, & ad Fidem reducuntur, scriptis ad Hiberniæ Episcopos literis. num. 1. 2. 3. 4 5. 6. 7. 8. 9. Quamdiu manserit in schismate. num. 10.

Kentigernus Episcopus Romam proficiscitur, ad M. Gregorium: & quare? num. 12.

Ingoberga Aldibergæ Mater, sanctè moritur, cum pro Redemptione animæ largitiones fecisset. num. 1.

Columbæ sancti visio de morte suâ.

Anglo-Saxonum conversio unde? num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8 9. 10. Quid de Gallis, quid de Oriente sentiendum? num. 12. 13 14. Britannia Romæ Fidem debet, & M. Gregorio, qui Augustinum mittit in Insulam. num. 15. 16. 17. 18. &c. Moritur Asaphus Episcopus. num. 48.

Augustinus & socii veniunt in Britanniam. num. 1. 2. 3 4 5. Ethelbertus deliberat de Fide. num. 6. Augustini & sociorum vita. n. 10. 11. Augustinus redit in Gallias, & consecratur Episcopus. num. 18. Accusatus cæremoniarum magister, & defenditur. num. 22. &c. Moritur S. Columba. num. 46.

Ethelbertus Augustino Sedem assignat Dorovernæ. num. 3. & 9. Ecclesia S. Pancratii, & ejus fundatio. num. 4. 5. 6. Monasterium extruit Augustinus. num. 7. 8. Decem millia ab Augustino baptizantur. num. 14. 15. De ritu & loco baptismi. num. 18. 19. 20. 21. Augustini itinera. num. 23. 24.

Sampson Dolensis Episcopus moritur. num. 1. Ejus successor Maglorius. num. 2. 3. 4. Petit Augustinus à Gregorio novas operas. num. 6. 7. 8. Et alia postulata. Ibidem.

Moritur in Britanniâ S. Ivo Episcopus. num 1 2. 3. 4. 5. 6. 7. Item Paulus Leonensis Episcopus. num. 8. 9. 10. 11. 12.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices — Gregorius M.	Romani Impp. — Mauritius.	Reges Francorum. — Clotarius II.	Reges Britannorum. — Careticus	Reges Cantii. — Ethelbertus	Reges Australium Saxonum — Edilwalchius	Reges Occidentalium Saxonum. — Ceolulfus.	Reges Orientalium Saxonum. — Seberetus	Reges Northumbriae. — Ethelfridus	Reges Orientalium Anglorum. — Redwald*	Duces Merciorum. — Wibba	Episcopi Dorovernenses. — Augustinus.
601	IV	12	16	14	44	41	12	4	6	9	9	9	4
602	V	13	17	15	45	42	13	5	7	10	10	10	5
603	VI	14	Phocas imperat. 1	16	46	43	14	6	8	11	11	11	6
604	VII	15 Sabinianus Papa. 1	2	17	47	44	15	7	9	12	12	12	7
605	VIII vide n.4	2 vacat.	3	18	48	45	16	8	10	13	13	13	8
606	IX	Bonifacius III. Papa,	4	19	49	46	17	9	11	14	14	14	9
607	X	Bonifacius IV. 1	5	20	50	47	18	10	12	15	15	15	10
608	XI	2	6	21	51	48	19	11	13	16	16	16	11 Laurentius. 1
609	XII	3	7	22	52	49	20	12	14	17	17	17	2
610	XIII	4	8 Heraclius imperat. 1	23	53	50	21	13	15	18	18	18	3

Episcopi Londinenses.	Episcopi Roffenses.	Capita rerum gestarum.
		Gregorius plures monachos mittit, Mellitum, Justum, Paulinum, Ruffinianum, num 1. Plures dictat literas pro Anglorum conversione. num 2 3 4. &c. Respondet postulatis Augustini. num. 20. &c. Moritur S Kentigernus. num. 46. 47.
		Ethelbertus Constantinum imitatus, Dorovernium & Regalia cedit Augustino. num. 1. 2. 3. &c. Dorovernensis Ecclesiæ prærogativa. num. 9 10. Ethelbertus Constantino componitur. num. 12. 13. 14.
		Ethelfridus in Scotos pugnat, & eos profligat. num 1. 2. Augustinus Britannorum, & Saxonum Ecclesias unire cupit. num. 3. 4. 5. Et ideo Synodum indicit.
Mellitus Londin. 1	Justus Roffensis. 1	Moritur S Gregorius. num. 1. Synodus sub Augustino. num. 2 3. &c. De Paschate litigatum. num. 20. 21. Cur Asianorum mentio in re Britannicâ. num. 22. &c Sessio secunda Synodi num. 22 23. &c. Orientales Saxones ad Christum convertuntur, cum Siberto eorum Rege. n 4. 5. &c. Petri Basilica Westmonasterium constituitur. num 5 6 & templum S. Pauli. num. 57. 58. 59 &c.
2	2	Ethelbertus fundat monasterium SS. Apostolorum. num. 2 3 4. 5. 6 7. 8. 9 10.
	3	Orientis Ecclesiæ & Constantinopolitana, Romanam Ecclesiam Principem agnoscere jubentur.
4	4	Mellitus monachos colligit. num. 1. Eliense & Cemeliense monasterium fundantur. num 3. 4. 5 Petrus Abbas in Gallias trajiciens, submergitur. num. 6.
5	5	De morte S. Augustini & Bullis ejus. num. 1. 2. 3. 4. &c. Epitaphium S. Augustini. num. 11. 12.
6	6	Laurentius piè laborat in Britannis & Scotis ad unionem Ecclesiæ perducendis. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
7	7	Ethelberti donatio monasterio SS. Apostolorum. num. 1. 2. 3. 4. Laurentius Mellitum Romam mittit: ubi Synodus in causa Ecclesiæ Anglicanæ. num. 5. 6. 7. &c. De S. Burgundofora n 42. De S. Golumo Episcopo. n. 43. De S. Baldredo. num. 44.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. BONIFACIUS IV.	Romani Impp. HERACLIUS	Reges Francorum. CLOTARIUS II.	Reges Britannorum. CARETICUS	Reges Cantii. ETHELBERTUS	Reges Austral. Saxonũ EDILWALCHIUS	Reges Occidẽt. Saxonũ. CEOLULFUS.	Reges Oriental. Saxonũ. SEBERTUS	Reges Northũbria. ETHELFRIDUS	Reges Oriental. Anglorum. REDWALD	Duces Merciorum. WIBBA	Episcopi Dorovernenses. LAURENTIUS.
611	XIV	5	2	24	54	51	22	14	16	19	19	19	4
612	XV	6	3	25	55	52	23	15 CINEGILSUS 1	17	20	20	20	5
613	I	7	4	26	56 CADWANUS Rex. 1 a 13 & 20	53	24	2	18	21	21	21	6
614	II	8	5	27	2	54	25	3	19	22	22	CEORLUS. 1	7
615	III	DEUSDEDIT Papa. 1	6	28	3	55	26	4	Seredus Sewardus & Sigebertus fratres regnant. 1	23	23	2	8
616	IV	2	7	29	4	56.	27	5	2	24	24	3	9
617	V	3	8	30	5	EDBALDUS Rex. 1	28	6	3	EDWINUS Rex. 1	25	4	10
618	VI	BONIFACIUS V. Papa, 1	9	31	6	2	29	7	4	2	26	5	11
619	VII	2	10	32	7	3	30	8	5	3	27	6	MELLITUS è Londinensi. 1
620	VIII	3	11	33	8	4	31	9	6	4	28	7	2

Episcopi Londinenses. Mellitus.	Episcopi Roffenses. Justus.	*Capita rerum gestarum.*
8	8	Mellitus ex Urbe in Britanniam rediens, decreta Synodi attulit, & Anglorum Ecclesiæ monachisque pacem. n. 1.
9	9	Moritur Ceolulfus Occidentalium Saxonum Rex, & in ejus locum successerunt Chinegilsus, & Quichelmus. num. 2.
10	10	Ethelfridus pugnat in Britannos, & Banchorenses monachos. num 2. 3. &c. De tempore belli, & Augustino à Sectariis accusato num. 3. 6. 7 &c. Ethelbertus etiam à cæde absolvitur. num. 15. 16. De monachis ab Ethelfrido occisis. num 18 19
11	11	Moritur Bonifacius IV. succedit Deus-dedit. num. 1. Kinegilsus & Quichelmus in Britannos pugnant apud Beandunum.
12	12	Moritur Sebertus Orientalium Saxonum Rex, & sanctitas ejus incorruptione brachii asseritur. num. 1 2. Succedunt ejus filii tres. Ibidem.
13	13	Moritur Ethelbertus Rex Cantii: ejus sanctitas. num. 1. 2. Colitur in Angliâ. num. 3 4. 5. 6. 7. Ejus pietas in Fide propagandâ. num. 8 Ejus proles. num 9.
vacat per annos 40.	14	Orientales Saxones ad Idola redeunt. num. 2 3 Mellitus & Justus è provinciâ discedunt. num. 3. Laurentius idem meditans flagellatur. num. 4. 5 6. Edwini Regis natales & initia. num. 7. 8 9. Illum Ethelfridus persequitur. Sed oraculo erigitur. num. 10. 11. 12. 13. 14. Denique regnat. num. 15.
	15	Edbaldus ad Fidem convertitur, & Episcopi redeunt. num 1 2. Charta Edbaldi pro monasterio SS. Apostolorum. num. 3 4. 5. An Laurentius in Hiberniam iverit? num. 5. 6.
	16	Moritur S. Laurentius, de tempore Sedis, & monachatu ejus, quem Sectarii controvertunt. num. 1. 2. 3. Mellitus succedit, & consecrat ædem Deiparæ, quam Edbaldus erexerat. num. 4.
	17	Moritur S. Maglorius. num. 1. Edwinus in Cadwanum pugnat in agro Eboracensi, & eum expugnat. num. 2.

Anno Christi.	Indictio.	Romani Pontifices Bonifacius V.	Romani Impp Heraclius	Reges Francorum. Clotarius II.	Reges Britannorum. Cadwanus	Reges Cantii. Edbaldus	Reges Austral Saxonii Edilwalchius	Reges Occident. Saxonũ, Kingilsus	Reges Oriental Saxonũ Seredus &c	Reges Northũbria. Edwinus	Reges Oriẽtal Anglorum. Redwald°	Duces Merciorum. Cheorlus.	Episcopi Dorovernenses, Mellitus
621	IX	4	12	34	9	5	32	10	7	5	29	8	3
622	X	5	13	35	10	6	33	11	8	6	30	9	4
623	XI	6	14	36	11	7	34	12	9 Sigabertus primus Rex. 1	7	31	10	5
624	XII	7	15	7	12	8	35	13	2	8	32 Erpenwaldus Rex. 1	11	Justus ex Rof- 1
625	XIII	8	16	38	13	9	36	14	3	9	2	12	2
626	XIV	Honorius Papa. 1	17	39	14	10	37	15	4	10	3	Penda primus Merciorũ Rex. 1	3
627	XV	2	18	40	15	11	38	16	5	11	4	2	4
628	I	3	19	41	16	12	39	17	6	12	5	3	Honorius Dorovernensis. 1
629	II	4	20	42	17	13	40	18	7	13	6	4	2
630	III	5	21	43	18	14	41	19	8	14	7	5	3

Episcopi Roffenses Justus.	Episcopi Eboracenses.	*Capita rerum gestarum.*
18		Edwinus in Scotos & Pictos pugnat. Eugenium Scotorum Regem submovit. Gallovidiam, & Laudoniam provincias, suo regno adjecit. num. 1. 2. 3.
19		Edwinus Mevanias Insulas, imperio subjugat Anglorum: & quænam illæ? num. 1. 2.
20		Mellitı Episcopi sanctitas, Dorovernensis urbis incendium mirabiliter sistentis. num. 1. Seredus & Sewardus in Oriente Reges à Kinegilso occiduntur. num. 2.
Romanus consecratur. 1		Mellitus sanctus moritur: ad Justum ejus successorem scribit Bonifacius Papa. num. 2. 3. 4. 5. Alia Bonifacii Epistola ad Justum. num 6 7. Edwinus à morte Redwaldi monarchiæ titulum obtinet. num. 10. Uxorem quærit Ethelburgam, Ethelberti filiam. num 11. 12.
2	Paulinus Eboracensis. 1	Ethelburga tandem Edvvino consentit. num. 1. 2. 3. Bonifacius Papa pro Northumbriæ conversione laborat, & scribit ad Edvvinum Regem. num. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Scribit ad Ethelburgam Reginam. n. 12. 13 14. 15.
3	2	Edwinus ingenti periculo defunctus, vindictam primò, inde Fidem Christi meditatur. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Convertitur à S. Paulino. num. 7. 8. 9. Coifius sacrorum Pontifex convertitur. num. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.
4	3	Edwinus Rex baptizatur. num. 1. & alii cum eo. n. 2. 3. 4. 5.
5	4	Merciorum aliqui, & Blecca eorum præfectus, à Paulino convertuntur. num. 1. Edvvinus Rex prædicantem Paulinum comitatur. num. 2. 3. Moritur Justus Dorovernensis. num. 4.
6	5	Penda Merciorum Rex in Occidentales Saxones bellum gerit apud Cerenceſter. num. 1. Pax in Northumbriæ regno, ubi Edwini industria commendatur, & vexillum quod Tufa dicitur, exponitur. num. 2. 3. 4. 5.
7	6	Scotorum error de Paschate, ab Honorio Papa refellitur. num. 1. 2. Synodus Leniensis in Hibernia, pro ritu Paschatis. num. 3. 4. 5. Quomodo Scoti Pascha celebrarunt?

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pötifices Honorius	Romani Impp. Heraclius	Reges Francorum. Clotarius II.	Reges Britannorum. Cadwanus	Reges Cantii. Edbaldus	Reges Austral. Saxonũ Edilwalchius.	Reges Occidét. Saxonũ. Kinegilsus	Reges Oriental. Saxonũ. Sigebertus parvus	Reges Northũbriæ. Edwinus	Reges Oriẽtal. Anglorum. Erpenwaldus	Reges Merciorum. Penda.	Episcopi Dorovernenses. Honorius
631	IV	6	22	44	19	15	42	20	9	15	8	6	4
632	V	7	23	Dagobartus Rex. 1	20	16	43	21	10	16	9	7	5
633	VI	8	24	2	Cedwalla vel Cadwallo. 1 m 10.	17	44	22	11	17	Sigebartus Rex. 1	8	6
634	VII	9	25	3	2	18	45	23	12	Oswaldus regnat. 1	2	9	7
635	VIII	10	26	4	3	19	46	24	13	2	3	10	8
636	IX	11	27	5	Oswaldus Britãnos rexit.	20	47	25	14	3	4	11	9
637	X	12	28	6		21	48	26	15	4	5	12	10
638	XI	13	29	7		22	49	27	16	5	6 Eorecus regnat. 1	13	11
639	XII	Severinus Papa. 1	30	8		23	50	28	17	6	2	14	12
640	XIII	Joannas IV. Papa. 1	31	9		24	51	29	18	7	3	15	13

Episcopi Roffenses.	Episcopi Eboracenses.	Episcopi Lindisfarnenses	Episcopi Occidentalium Saxonū.	Episcopi Orientalium Anglorum.	*Capita rerum gestarum.*
ROMANUS.	PAULINUS.				
8	7				Scoti Romam vadunt, ritum Paschatis doceri cupientes. Unde sectatorium causa ubique claudicat. 1
9	8				Edwinus Rex Legatos mittit ad Honorium Papam. num 1. 2 Orientalium Anglorum conversio. Edwini Regis opera. n. 3. Eorpenwaldus Rex, martyrio coronatur. num 4.
10	9				Honorii literæ ad Regem Edwinum, & ad Honorium Dorovernensem. n 1. 2 3 4 5 6 7 Scoti a Papâ Honorio docentur ritum Paschatis. num. 8. Cedwalla & Penda Edwinum occidunt. n 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. S. Livini Martyrium. num. 18. 19.
PAULINUS ex Eboracensi. 1 Paulinus	vacat.				Paulinus & Regina Ethelburga in Kantium redeunt. num. 1. 2. Ille Glastoniam visitat. Illa monasterium ingreditur. num. 3. 4. 5. 6. 7. Osvvaldus regnat num 10. 11. Honorii Papæ literæ ad Honorium Dorovernensem. n. 13. 14. 15. Item ejus literæ pro Cantabrigiâ. num. 16. 17. 18. 19.
2		AIDANUS Lindisfarnensis. 1	BIRINUS Occidēt. Saxonū Episcop. Dorcacestriæ. 1		Osvvaldus ad Crucem prostratus hostem superat, Cedvvallam interficit. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. De Cruce Osvvaldi. n 7. 8 9. 10 11. Osvvaldus è Scotiâ vocat monachos. n. 13. 14. 15. 16. Aidanus eligitur Northumbriæ Episcopus Ejus industria. n. 20. 21. 22 23. Occidentalium Saxonum & Kinegilsi Regis conversio. Birini missio, &c. num. 25. 26. &c.
3		2	2	FELIX Orientalium Anglorum Episcop. 1	Sigebertus exul in Galliâ, à Felice Burgundo baptizatur. num 1 2. 3. 4. Felix venit in Britanniam. Ejus missio excutitur. num. 5 6. 7. Sedes Dumnici. num. 8. 9. Scholas Sigebertus extruit. num. 10. 11. 12. Quicelmus Kinegilsi filius baptizatus moritur. num. 13.
4		3	3	2	Fursæus venit in Britanniam, mirabiles visiones ejus. n. 1. 2. 4 5. 6 7. Sigebertus Rex monasticam vitam meditatur. n. 3. Magdeburgensium criminatio rejicitur. num. 8.
5		4	4	3	Monasterium Knobbergense fundatur, & de ejus instituto. num. 1. 2. Quatuor monachorum genera in Hiberniâ. num 2 Ecclesiæ splendor è syderum varietate. n. 3. Sigebertus Rex fit monachus: Ejus sanctitas in monasterio num. 4. 5. 6.
6		5	5	4	Joannes electus Pontifex Scotorum, Episcopis literas scribit de festo Paschatis. n. 1. 2. 3. Pelagiana hæresis condemnatur. num. 4. Saxonum & Britannorum Fides integra. num. 5.
7		6	6	5	Edbaldus Rex moritur. n 1. Ejus proles sancta. n. 2. Eanswedæ Virginis vita n 3. 4. Monasterium construitur ad Folkston. num. 5. Moritur sancta Eanswida. n. 6.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. Joannes IV.	Romanorum Impp. Constantinus	Reges Francorum. Dagobert⁹.	Reges Cantii.	Reges Austral. Saxonũ. Edilwalchius.	Reges Occidẽt Saxonũ. Kinegilsus.	Reges Oriental. Saxonũ. Sigabertus parvus.	Reges Northũbria. Oswaldus.	Reges Orietal. Angler. Egricus.	Reges Merciorum. Penda.	Episcopi Dorovernensis. Honorius	Episcopi Roffensis. Paulinus.
641	XIV	2 Theodorus Papa.	1	10	Ercombertus 1	52	30	19	8	4	16	14	8
642	XV	1	Constans imperat. 1	11	2	53	31	20	9	Anna Rex. 1	17	15	9
643	I	2	2	12	3	54	Kenewalchius. Rex. 1	21	Oswius Bernicios Oswinus Deiros regit. 1	2	18	16	10
644	II vide n.c.	3	3	13	4	55	2	22	2	3	19	17	Ithalmar Episcopus. 1
645	III	4	4	14	5	56	3	23	3	4	20	18	2
646	IV	5	5	15	6	57	4	24	4	5	21	19	3
647	V	6	6	16 Clodovæus. 1	7	58	5	25	5	6	22	20	4
648	VI	7	7	2	8	59	6	26	6	7	23	21	5
649	VII	Martinus Papa. 1	8	3	9	60	7	27	7	8	24	22	6
650	VIII	2	9	4	10	61	8	28	8	9	25	23	7

Episcopi Occidēt. Saxonū. Birinus	Episcopi Oriental. Anglorū. Felix.	Episcopi Lendisfarnenses Aidanus.	Eboracēsis Ecclesia.	*Capita rerum gestarum.*
7	6	7	vacat.	Ercombertus Rex Idula destruit, jejunium Quadragesimale præcipit observari. num. 1. 2. 3. De Quadragesimâ M. Gregorii, & lege latâ. n. 4. 5. 6. 7. Quadragesima distinguit fidelem ab infideli. num. 10. 11.
8	7	8		Sigebertus è monasterio eductus in pugnam, cum Egrico Rege occiditur. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Fursæus in Galliam navigat, ejus encomium. num. 7. 8. Annæ Regis proles sancta. num 9. Oswaldus Rex occiditur: ejus virtus & sanctitas. n. 10. 11. 12. 13 14. 15. à Pendâ occiditur. n. 16. 17. 18. Dextræ manus incorruptio. num. 20. 21. 22. 23. Varia reliquiarum translatio. num. 27. &c. Colitur sanctus. num. 37. 38. &c.
9	8	9		Kinegilsus novam Wintoniensis Ecclesiæ structuram inchoavit, & moritur. n. 1. 2. Kinewalchus filius succedit: & alter filius Agilwinus sanctus. n. 3. 4.
10	9	10		Paulinus moritur: ejus sanctitas, & celebritas. n. 1. 2. Ithamar ab Honorio consecratur. n. 3.
11	10	11		Kenwalchius regno pellitur ob repudiatam uxorem, Pendæ sororem: ad Annam Regem pulsus ivit, ubi Christi fidem didicit.
12	11	12		Kenwalchius Rex, à Felice Episcopo baptizatur.
13	12	13 n. 2.		S. Swibertus nascitur. Ejus parentes, & exordia. n. 1. 2. Denascitur S. Ethelburga Northumbriæ Regina. num. 3. Bathildes Regina, Clodovæi uxor floret, fuit è transmarinis partibus deprædata. num. 4.
14	13	14		Kenwalchius regno restituitur: dat Edredo cognato ter mille villas, num 1. Wintoniæ templum à patre inchoatum absolvit. Monasterii Malmesburiensis exordia, per Maidulfum Scotum. n. 2.
15	14	15		S. Faillanus è Britanniâ Romam vadit ad Martinum Papam, & inde Apostolatum accipit, quod moris tunc fuisse probatur.
AGILBERTUS Dorcestriæ. 1	THOMAS Episcopus 1	16		Moritur S. Birinus Controversia de ejus corpore. num. 1. 2. 3. &c. Agilbertus succedit, Gallus homo, sed ex Hiberniâ veniens. num. 11. 12. 13. Moritur S. Felix Orientalium Anglorum Episcopus. n. 14. Ejus corpus transfertur primò in Scham, inde Ramseiam. num. 15.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices	Romani Impp.	Francorum.	Cantii.	Austral Saxon.	Occident Saxon.	Oriental. Saxonum	Northumbria.	Orient Anglorum	Merciorum.	Dorovernenses.	Roffenses.	Occidentalium Saxonum.
						Reges						Episcopi		
		MARTINUS.	CONSTANS.	CLODOVÆUS II.	ERCOMBERTUS.	EDILWALCHIUS	KENWALCHIUS	SIGEBERTUS parvus.	OSWIUS	ANNA.	PENDA	HONORIUS.	YTHAMAR.	AGILBERTUS.
651	IX	3	10	5	11	62	9	29	9	10	26	24	8	2
652	X	4	11	6	12	63	10	30	10	11	27	25	9	3
653	XI	5	12	7	13	64	11	SIGEBERTUS bonus. 1	11	12	28	26	10	4
654	XII	6 EUGENIUS Papa.	13	8	14	65	12	2	12	ETHELHERUS Rex. 1	29	vacat.	11	5
655	XIII	VITALIANUS Papa. 1	14	9	15	66	13	3	13	2	30	DEUSDEDIT. 1	12	6
656	XIV	2	15	10	16	67	14	4	14	EDELWARDUS Rex. 1	PEDA Rex Australium Mercorū. 1	2	DAMIANUS. 1	7
657	XV	3	16	11	17	68	15	5	15	2	2	3	2	8
658	I	4	17	12	18	69	16	6	16	3	OSWIO subsunt Mercii.	4	3	9
659	II	5	18	13	19	70	17	7	17	4	WULFERUS Rex. 1	5	4	10
660	III	6	19	14	20	71	18	8	18	5	2	6	5	11

Episcopi Oriental. Anglorũ.	Episcopi Lindisfarnenses	Episcopi Merciorũ		Capita rerum gestarum.
THOMAS	ATHANUS.			
2	17			Oswinus Deirorum Rex, suggestione malorum ab Oswino occiditur. n. 1. 2. 3. 4. Osvvini elogium. n. 5. 6. Osvvius facinos expiat structo monasterio. num 5. Osvvini sepulchrum. num. 8. 9. Colitur sanctus. num 10. Moritur S. Aidanus ejus animam vidit Cuthbertus in cœlum ascendere, & monachum induit. n. 11, 12, &c. Aidani sanctitas & miracula. n. 18, 19. 20.
3	FINANUS Episcopus. 1			Finanus è Columbæ monasterio assumptus Ecclesiam construxit in Insulâ Lindisfarnensi. num. 1. Edilwaldus Oswaldi filius in Oswini Deirorum Regis locum successit. num. 2. Ejus filius Adelbertus, qui inter Germaniæ Apostolos numeratur. num. 3.
4	2			Merciorum conversio sub Peda Principe. n. 1. 2 3. De Osithâ Reginâ & Martyre. n. 7. 8. 9. 10. De S. Judoco, & parentibus ejus. num. 12. 13 14. 15. Wilfridi exordia, tonsura ejusdem & itinera. num. 16 17. 18. 19. Bedæ locus de Wilfrido restituitur, n 20. 21, 22. Calense monasterium, quando ingressa Bathildes. n. 24 25.
5.	3			Anna Rex, & Firminus filius occiduntur. num. 1. 2. Botulphus & Adulfus monachi in Gallias profecti, perfectionem vitæ quærunt. num. 4. 5. Botulphus in patriam redit, & Ecclesiam construit. num. 6. 7. 8.
BONIFACIUS. 1	4			Penda Merciorum Rex ab Oswio occiditur. Orientales Saxones ad fidem redeunt. num. 1. 2. 3. 4. Oswius Deo votum nuncupat, & filiam ei consecrat. n. 5. 6. 7. Hildæ Abbatissæ exordia. n. 8. 9. Sigebertus bonus baptizatur. n. 11. Doctores accipit, Ceddum, &c. n. 12 13.
2	5	DIUMA primus Merciorũ Episcopus. 2		Occiso Pendâ, Oswii regnum ampliatur. Australes Mercios Penda regit. n. 1. Fides etiam ampliatur, erectâ Episcopi Sede pro Merciis, Lindisfaris & Mediterraneis Anglis, num. 2. Merevaldus Peadæ frater, & ejus proles sancta, Milburga, Mildreda, Milgitha, & Merefinus. num. 4.
3	6	2		Peada Rex occiditur: Wolferus frater necdum regno succedit. Ejus & Erminildæ conjugis exordia. num. 1. 2. Heyna Virgo, quæ communiter Bega dicitur. n. 3.
4	7	CELLACK 1	CEDDUS Londinen. Episcopus. 1	Monasterium Streneshalck ab Hildâ construitur. num. 6. Nascitur S. Willebrordus, Frisonum Apostolus, num. 7. 8. 9.
5	8	2 TRUMHERUS. 1	2	Merciorum Duces in Oswium rebellantes, Wolferum Regem creant. num. 1. Cellach deposito Episcopatu in patriam redit, & Trumherus Abbas pro illo sedet.
6	9	2	3	Ediltrudis Virginis exordia, primæ & secundæ nuptiæ. num. 1. 2. &c. Sedrido & Edilburga, & Eartongata, n. 8. 9. &c. Withburga sancta. n. 14. 15. 16. &c. De sanctis Wenefredâ, Benno, & Elerio. num. 20. 21. &c. De sepulchro Sanctæ Winefredæ. num. 34. Colitur sancta. n. 35. 36. Foillanus Martyr. n. 37 38. Ultanus ejus frater moritur. num. 39. Ceddus fundat Lestinghen monasterium. n. 40. 41. Christina virgo. n. 43. 44.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. Vitalianus	Romani Impp. Constans.	Reges Francorum. Clodovæus II.	Cantii. Ercombertus.	Austral. Saxon. Edilwalchius	Occident Saxon. Kenwalchi⁹	Oriental Saxonū. Sigebertus bonus.	Northūbria. Oswius	Orient Anglorū. Edilwald⁹	Merciorum. Wulferus.	Episcopi Dorovernenses. Deusdedit.	Roffenses. Damianus.	Londinenses. Ceddus.
661	IV	7	20	15	21	72	19	9 Swithelmus. I	19	6	3	7	6	4
662	V	8	21	16 Clotarius III. Rex. I	22	73	20	2	20	7	4	8	7	5
663	VI	9	22	2	23	74	21	3	21	8	5	9	8	6
664	VII n. 18.	10	23	3	24	75	22	Sigher⁹ & Sebbus. I	22	Aldulphus Rex. I	6	10	9	7
665	VIII n. 1	11	24	4 n. 11.	Egbertus. I	76	23	2	23	2	7	0 n. 3.	10	0
666	IX	12	25	5	2	77	24	3	24	3	8	0 an. 665. n. 3.	11	Wina è Wintoniens. I
667	X	13	26	6	3	78	25	4	25	4	9	0	12	2
668	XI	14	Constantin⁹ Pogonatus I	7	4	79	26	5	26	5	10	Theodorus. I	13	3
669	XII	Adeodatus Papa. I	2	8 Childericus. I	5	80	27	6	27	6	11	2	Putta. I	4
670	XIII n. 2.	2	3	2	6	81	28	7	28	7	12	3	2	5

Episcopi Occid. Saxonū. AGILBERTUS & WINA	Episcopi Oriental. Anglorū BONIFACIUS.	Episcopi Mercorū TRUMHERUS.	Episcopi Eboracenses.	Episcopi Landisfarnenses FINANUS	*Capita rerum gestarum.*
WINA Wintoniæ sedet 1	7	3		10 COLMANNUS 1	Occideotaliom Saxonum Ecclesia ampliatur, divisâ in duos Antistites diœcesi. n. 1. 2. 3. Agilbertus ægrè fert divisam parochiam. n. 2. 3. 4. Ceddus contumacem excommunicat. n. 5. Sigebertus Rex occiditur. n. 6. 7. Australium Saxonum conversio, & Regis Edilwalchi. num. 8. 9. 10. Wulferi Regis virtutes & vitia. num. 11. Winocus in S. Bertini disciplinâ monachus, num. 12. Swithelmus Rex baptizatus ab Edilwaldo suscipitur. num. 7.
2	8	4		2	Wilfridus in Galliis à Dalphino Lugdunensi tonsuram accipit, redit in patriam: & Alfrido Northumbriæ Regi charus, ab eo monasterium accipit 40. familiarum. num. 1. 2. 3. Monasterii Ripponensis exordia. num. 4. Wilfridus ab Agilberto presbyter consecratur. num. 3.
3	9	5		3	
4	10	6		4 TODA à Colmāni discessu. 1	Controversia de ritu Paschatis. num. 1. 2. 3. Qui pro Romano ritu, qui contra fuerint n. 4. 5. 6. 7. Wilfridi & Colmanni contentio. n. 8. 9. Oswius in Wilfridi sententiam. n. 10. 11. Quæstio de Tonsurâ n. 12, &c. Tonsura Britannorum qualis, & unde? n. 21. 22. Colmannus ad Scotos redit. n. 25, &c. Peste multi correpti moriuntur num. 30. 31. Sebbus & Sigherus Reges. Sebbi sanctitas. n. 34. 35. 36. Monasteria ab Erconwaldo constructa. n. 39. Eadgitha & alii moriuntur. num. 42. &c.
5	11	JARUMANUS. 1	Wilfridus in Galliis, & Wina in Occidente cōsecrātur Eboracen. Episcopi. v. n. 4.	2	Legatio & munera à Regibus Romam missa. num. 1. 2. 3. Bathildes Regina pietatis sinum aperit, monasteria fundat. n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.
6	12	2	2	CEADDA nūc etiam Lindisfarnensis. 1 v. an. 663 n. 4.	Vitaliani Papæ literæ ad Oswium Regem. num. 2. 3. 4. 5. Monasterium Chartesiense fundatur. num. 8. 9. 10. Erconwaldi exordia, & parentes num 7. 8. Lichfeldiæ Ecclesia construitur. num. 11. S. Clarus ob castitatem occiditur. n. 12 13. 14.
0	13	3	3	2	Adriani Abbatis industria in declinando Dorovernensi Episcopatu num. 1. 2. Conjungitur Theodoro electo, & quare? num. 3. 4. Adriani exordia, & cujus institutum monachus, num. 5. 6. 7.
0	14	0	4	3	Benedictus Biscopus Theodorum comitatur, per Gallias in Britanniam venientem. n. 1. 2. Egbertus ad Theodorum deducendum mittit. n. 3. De Ethelredo & Ethelberto Martyribus. n. 5. Egberti Regis pœnitentia, Menstreiæ monasterium. num. 6. 7. De Domnenâ, & Ermenburgâ. n. 8. Martyrum sepultura & translatio. n. 9. 10.
0	15	CEADDA Lichfeldensis Episcopus. 1	WINFRIDUS Eboracensis, & Lindisfarnensis Episcopus. 1		Theodorus Doroverniam venit. num 2. Adrianus Abbas monasterii SS Apostolorum. n. 3. Theodorus lustrat Ecclesias, Ceaddam Eboraci sedentem deponit, Wilfrido Sedem adjudicat. n. 4. 5. Ceadda Lichfeldensis Episcopus. 6. 7. Monasterium Petroburgense à Wulfero perfectum. Ulfaldus & Ruffinus Martyres. n. 9. 10. Vitaliani literæ ad Theodorum. n. 13. Moritur Bathildes Regina. n. 16.
LEUTHERIUS Episcopus 1	16 BISUS. 1	2	2		Oswius Rex sanctè moritur. num. 1. Anglo-Saxonum Ecclesia florens Regum & Episcoporum sanctitate. n. 2. Kenwalchi donatio Glastoniensi monasterio. n. 3. Abindoniæ monasterium fundatur. num 4. Aldelmus Abbas Malmesberiensis. n. 5. S. Bosilus monachus & Alnotus Martyr. n. 6. Nascitur S. Bonifacius Germaniæ Apostolus. n. 7. 8.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices	Romani Impp.	Francorum.	Cantii.	Austral. Saxon.	Occident Saxon.	Oriental Saxonū.	Northūmbria.	Orient. Anglorū.	Merciorum.	Dorovernenses.	Roffenses.	Londonenses.
		Reges										Episcopi		
		ADEODATUS	CONSTANTIN' Pogonatus	CHILDERICUS.	EGBERTUS.	EDILWALCHIUS	KENSWALCHI'	SEBBUS.		ALDULFUS.	WULFERUS.	THEODORUS.	PUTTA.	WINA
671	XIV	3	4	3	7	82	29	8	EGFRIDUS. 1	8	13	4	3	6
672	XV	4	5	4	8	83	30	9	2	9	14	5	4	7
673	I n. 2. 3.	5	6	5	9 n. 2 & 7.	84	31	10	3	10	15	6	5	8
674	II	6	7	6	LOTHARIUS. 1	85	SEBBURGA Regina, 1	11	4	11	16	7	6	9
675	III	7	8	7	2	86	ESCHINUS Rex. 1	12	5	12	ETHELREDUS Rex. 1	8	7	ERCONWALDUS Episcopus 1
676	IV	DONUS Papa. 1	9	THEODORICUS. 1	3	87	2	13	6	13	2	9	QUICHELMUS Episcop. 1	2
677	V	2	10	2	4	88	KENTUINUS Rex. 1	14	7	14	3	10	2	3
678	VI	AGATHO. 1	11	3	5	89	2	15	8	15	4	11	GERMUND'. 1	4
679	VII n. 4. 5.	2	12	4	6	90	3	16	9 n. 10.	16	5	12	2	5
680	VIII n. 1. & 13.	3	13	5	7 n. 13.	91	4	17	10 n. 13.	17	6 n. 13.	13	3	6

Episcopi Occid. Saxonū.	Episcopi Oriental. Anglorum.		Episcopi Merciorum.				Episcopi Northumbriæ. Eboracenses.	Lindisfarnenses	Hagustaldenses	Capita rerum gestarum.
LEUTHERIUS	BISUS.		CEADDA.				WILFRIDUS	WILFRIDUS		
2	2		3				3	3		Egfridus consortem Regni Elfwinum fratrem creat. n. 1. Ecclesiam dat Wilfrido, qui Ripponense monasterium fundat. n. 1. Pueros confirmat. num 2. 3. Egfridus Pictos premit, & Mercios, Lincolniensi provinciâ subjugatâ. n. 4. 5. Nascitur Beda. n. 6.
3	3		WINFRIDUS. 1				4	4		Ceadda mortis accipit nuntium, & moritur sanctus. n. 2. 3. 4. 5. Miraculis claret, & benè suam defendit Ecclesiam. n. 5. 6. 7. Egfridus Edilthrudi conjugi indulget monasterium ingredi. n. 9.
4	ÆCCA Dumuicensis. 1 n. 8.	BEADWINUS Helmhamensis. 1 n. 8.	2				5	5		Theodorus Synodum cogit Hertfordiæ. n. 1 2. Acta Synodi. n. 3. 4 5. 6 7. Orientales Angli duos habent Episcopos. S. Ositha Regina monialis efficitur, patitur & claret miraculis. n. 9. 10. 11. Edilthrudes Abbatissa Eliensis. n. 12. 13.
5	2	2	3				6	6		Benedictus Biscopus Romà rediens monasterium fundat, ad Vedræ fluminis ripas. num. 4. 5.
6	3	3	4				7	7		Leutherius Episcopus Aldelmo locum dat extruendo monasterio: unde Malmesberia surgit. n. 2 3. 4. Werburga Eliense monasterium ingressa, piè vivit, & moritur. num. 7. 8 9. &c. Ejus corpus incorruptum. n. 14. Sebbus Rex pro Ecclesiâ solicitus, ad monasticam vitam anhelat. n. 17. 18.
7	4	4					8	8		Monasterium extruitur ad Bathoniam. num. 2. SS. Milgitha, & Milburga virgines, n. 5 6. 7. & 9. Mildredæ. n. 10. 11 12. Moritur Ethelburga Barkingensis. n. 13. 14. Sancta Thordgitha. n. 15. Hildelitha successit Ethelburgæ. n. 17.
HEDDA 1	5	5	6				9	9		Heddæ Episcopi sanctitas. n. 1. 2. Libertas monachis conceditur eligendi Abbatem, ubi prima mentio Benedictinæ regulæ. 3. 4. Unde dignoscuntur monachorum species. n. 4. 5. 6. Brithwaldus Glastoniensis Abbas. num. 5. Eliensis Ecclesia construitur. n. 7.
2	6	6	SEXULFUS. Winfrido deposito 1		EDHEDUS Lindisfarorum Episcopus Sidnacestriæ.		BOSA Wilfrido pulso. 1	EATA Wilfrido pulso. 1	EATA simul Hagulstadensis Episcop. 1	Wilfridus Eboracensi & Lindisfarnensi Sede pellitur. n. 1. 2. Controversiæ origo in causâ Wilfridi. n. 3. 4. 5. Wilfridus Romam appellans, primò Merciis, inde Frisiis prædicat. num. 7. 8. Ad necem quæritur Biscopus, & Ceolfridus Romam profecti. num. 10. Willibrordus in Hiberniam vadit. num. 11.
3	7	7	2		ETHELWINUS. 1		2	2	2	Agatho Papa in Britanniam legatum mittit, qui Fidem exploret. n. 2. Wilfridus Romæ causam agit & absolvitur. n. 3. Concilium Romæ in causâ Wilfridi. n. 4. 5. &c. Ethelredus in Egfridum pugnat. n. 10. Pacem Theodorus conciliat. n. 12. Mirabile quod accidit in milite vincto & soluto. n. 13. 14. Moritur S. Edilthrudes. n. 15. &c.
4	8	8	3	BOSSLUS Wigorniensis. 1	2	PUTTA Herefordensis Episc. 1	3	3	TUNBERTUS Hagulstadensis 1	Wilfridus in Rom. Synodo Anglorum fidem explicat. n. 1. 2. &c. Scribit Agatho ad Ethelredum Regem n. 9. 10. Synodus Anglicana sub Theodoro. n. 11. 12. &c. Egfridi contumacia in Wilfridum. n. 22. &c. Ermenburga Regina a Deo punitur. n. 25. Hilda Abbatissa moritur. n. 27. 28. &c. Quam regulam professa. n. 31. Moritur S. Ermenburga, mater SS. Milburgæ &c. n. 33. Moritur S. Bonifius. n. 34.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices	Romani Impp.	Francorum.	Cantii.	Austral. Saxon.	Occident. Saxon.	Oriental. Saxonũ.	Northumbria.	Orient. Anglorũ	Merciorum.	Dorovernenses.	Roffenses.	Londinenses.	Selesiensis.
				Reges								Episcopi			
		AGATHO.	CONSTANTIN' Pogonatus	THEODORIC'	LOTHARIUS.	EDILWALCHIUS	KENTUINUS	SEBBUS.	EGFRIDUS.	ALDULFUS.	ETHELREDUS	THEODORUS.	GEBMUND'.	ERCONWALDUS	
681	IX	4	14	6	8	92	5	18	11	18	7	14	4	7	WILFRIDUS Eboracensis. 1
682	X	5	15	7	9	93	6	19	12	19	8	15	5	8	2
683	XI	LEO II. 1	16	8	10	94	7	20	13	20 n. 10.	9	16	6	9	3
684	XII	BENEDICTUS II. 1	17	9	11	95	8	21	14	21	10	17	7	10	4
685	XIII	JOANNES V. 1	JUSTINIANUS junior. 1 an. 679. n. 5.	10	12	96	9	22	15	22	11	18	8	11	5
686	XIV	CANON Papa. 1	2	11	EDRICUS. 1	Australes Saxones Occidentalibus subduntur.	CEDWALLA. 1	23	ALFRIDUS. 1	23	12	19	9	12	6
687	XV	2	3	12	2		2	24	2	24	13	20	10	13	Sub HEDDA Wintoniensi.
688	I	SERGIUS. 1	4	13	Dubii vel externi Principes		INAS Rex. 1	25	3	25	14	21	11	14	0
689	II n. 1. & 7.	2	5	CLODOVÆUS III. 1			2	26	4	26	15	22	12	15	0
690	III n. 1.	3	6 v. n. 1.	2			3	27	5	27	16	0	13	16	0

Episcopi Occid. Saxonũ.	Episc Orien. Angl. Dumnocenses.	Episc Orien. Angl. Helmhamenses.	Episcopi Merciorum. Lichfeldenses.	Episcopi Merciorum. Lindisfarorum.	Episcopi Merciorum. Wigornenses.	Episcopi Merciorum. Herefordenses.	Episcopi Northumbriæ. Eboracenses.	Episcopi Northumbriæ. Lindisfarnẽses	Episcopi Northumbriæ. Hangustaldẽses	Capita rerum gestarum.
HEDDA	ÆCCA.	BEADWINUS	SEXULFUS.	ETHELWINUS.	BOSELUS.	PUTTA.	BOSA	EATA.	TUMBERTUS	
5	9	9	4	3	2	2	4	4	2	Wilfridus ad Sedem non admissus Australes Saxones convertit. n. 1. 2. 3. 4. Seleseia peninsula illi in Sedem datur: ubi monasterium condit. n. 5. 6. 7. 8. Trumwinus Pictorum Episcopus. num. 9.
6	10	10	5	4	3	3	5	5	3	Girviense monasterium fundatur. Ceolfridus Abbas illi præficitur, ut & Eosterwinus Wiremudensi. n. 1. 2. 3. Kentuinus in Britannos pugnat. n. 4.
7	11	11	6	5	4	4	6	6	4	Ebba Abbatissa moritur. Coldingamensis monasterii incendium. n. 1. 2. 3. &c. Cuthberti decretum de vitando fœminarum consortio. n. 9. & 10.
8	12	12	7	6	5	5	7	7	5	Egfridus Hiberniam vastat, unde Cuthbertus ejus mortem prædicit Edelfledæ Abbatissæ rogatu. n. 2. 3. 4. Synodus Twyfordiæ in Northumbriâ, ubi Cuthbertus eligitur Lindisfarnensis Episcopus. n. 5. 6 7 8. Tumberto Episcopo exauctorato succedit Eata. n. 7.
9	13	13	8	7	6	6	8	CUTHBERTUS Lindisfarnensis I v. hic n. 7. & an. 664 n. 7.	EATA iterum Hangustaldẽsis. v. n. 2. & v. an. 664. n. 7.	Egfridus multa donat Cutberto Episcopo. n. 3. 4. 5 & in Pictos pugnans moritur. n. 6. 7. Qualis fuerit Egfridus. n. 8. Moritur S. Hermenilda n. 11. De Cadwalladro Rege. n. 13. Moriuntur Reges Lotharius, Egfridus, Kentuinus. n. 12. 14.
10	14	14	9	8	7	7	9	2	JOANNES Beverlacẽsis.	Kiliani missio Apostolica. n. 1. 2. Alfridi Regis opera pietatis. n. 5. 6. 7. Ermenburga Regina pœnitens. n. 8. Cuthberti sanctitas. n. 9 10. 11 12 Eata moritur sanctus n. 13 14. Vectæ Insulæ conversio. n. 16. Arwaldi Martyres. n. 17.
11	15	15	10	9	8	8	WILFRIDUS restituitur Sedibus.			Cuthberti mortis descriptio. n. 6. 7. 8 &c. Ejus admiranda sanctitas. n. 16. 17. 18 Corpus ejus incorruptum. n. 17 18 19. Herebertus sanctus moritur. n. 20. Lewina Virgo & Martyr. n. 21.
12	16	16	11	10	9	9	WILFRIDUS Eboracensis. I	EDBERTUS Lindisfarnẽsis. I	WILFRIDUS etiam Hangustaldẽsis. I	Cedwalla regno deposito Romam vadit, cum Aldelmo Abbate, n. 2 3. 4. &c. Inas Cedwallæ successit, & qualis ille? n. 9.
13	17	17	12	11	10	10	2	2	2	Cedwalla Romæ baptizatur. n. 1. 2. 3. Petri nomen accipit. n. 3. 4. In Albis moritur. n. 5. 6. Num Saxo fuerit, num Britannus? n. 8. 9. &c. Aldelmus Romæ pro suo monasterio laborat. Rejicitur fabula qua Aldelmus Sergium Papam infamiâ liberavit. num. 14.
14	18	18	13	12	11	11	3	3	3	Germanorum conversionem Angli meditantur, Egberto Duce. n. 1. 2 3. &c. Duodecim Apostoli in Frisiam mittuntur. n. 7. 8. 9. 10. Quâ authoritate prædicaverint? n. 11. 12. Moritur S. Eansleda Regina, & S. Herefwida similiter Regina, & sanctimonialis. n. 15. 16.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. SERGIUS.	Romani Impp. JUSTINIANUS junior	Reges: Francorum. CLODOVÆUS III.	Reges: Cantii.	Reges: Occidentalium Saxon. INAS	Reges: Orientalium Saxonũ SEBBUS	Reges: Northumbria. ALFRIDUS.	Reges: Orient. Anglorũ ALDULFUS.	Reges: Merciorum. ETHELREDUS	Episcopi: Dorovernenses.	Episcopi: Roffenses. GEBMUNDUS.	Episcopi: Londinenses. ERCONVALDUS	Episc. Orient. Ang.: Dunmucenses. ÆCCA	Episc. Orient. Ang.: Helmhamenses. BEADWINUS.
691	IV	4	7	3	0	4	28	6	28	17	0	14	17	19	19
692	V	5	8	4	0	5	29	7	29	18	0	15	18	20	20
693	VI	6	9	CHILDEBERTUS II. 1	WITHREDUS Rex. 1	6	SIGHARDUS & SEOFRADUS, Reges. 1	8	ELWOLDUS sive ALFWALDUS. 1 n. 5.	19	BRITHWALDUS Archiepiscopus 1	TOBIAS Episcopus 1	19 WALDHERUS. 1	21	21
694	VII	7	10	2	2	7	2	9	2	20	2	2	2	22	22
695	VIII n. 3.	8	LEONTIUS. 1	3	3	8	3	10	3	21	3	3	3	23	23
696	IX n. 1.	9	2	4	4	9	4	11	4	22	4	4	4	ASTWOLFUS Episcop. 1	NORTBERTUS Episcop. 1
697	X n. 4. & 16.	10	TIBERIUS Absimarus. 1	5	5	10	5	12	5	23	5	5	5	2	2
698	XI	11	2	6	6	11	6	13	6	24	6	6	6	3	3
699	XII	12	3	7	7	12	7	14	7	25	7	7	7	4	4
700	XIII	13	4	8	8 v n. 2.	13	8	15	8	26	8	8	8	5	5

Episcopi Occid. Saxonū.	Episcopi Merciorum. Lichfeldenses.	Lindisfarorum.	Legocestrenses.	Wigornenses.	Herefordenses.	Episcopi Northumbrorū. Eboracenses	Lindisfarnēses	Hagustaldēses	Capita rerum gestarum.
HEDDA	SEXULFUS.	ETHELWINUS.		BOSELUS.			EADBERTUS		
15	14	13		12	TIRTELLUS Episc. 1	BOSA iterum Wilfrido pulso. 1	4	JOANNES iterum Wilfrido pulso. 1	Wilfridus è Sede & provinciâ pulsus ad Merciorum Regem proficiscitur. n. 1. 2. 3. Beda Monachus, à Joanne Beverlacensi Diaconus ordinatur. num. 3.
16	HEDDA Wintoniensis. 1	14	WILFRIDUS Eboraco pulsus. 1	OSTFORUS Episcopus. 1	2	2	5	2	Synodus sub Inâ Rege, ubi Aldelmus jubetur, pro Ecclesiasticis ritibus scribere. num. 4. 5. Aldelmus de Virginitate librum componens, Virgines literis salutat. n. 6 7. Inæ leges latæ in Synodo. num. 9. 10. 11. &c. Quid scripserit Aldelmus, jussu Synodi, ubi Bedæ locus restituitur. num. 17. 18. 19. 20. &c.
17	2	15	2	2 EGWINUS. 1	3	3	6	3	Sergii literæ ad Saxonum Reges. num. 4 Item ad omnes Britanniæ Episcopos. n. 6. 7. Sebbus Rex monachus moritur sanctus. n. 9. 10 &c. Egwini Episcopi sanctitas. num. 15. 16. Duorum Ewaldorum fratrum Martyrium. n. 17. 18. 19. 20.
18	3	16	3	2	4	4	7	4	Concilium Magnum Becanceldæ. num. 1. 2. 3 4. Laïcis Ecclesiæ dominium prohibetur. n 5. 6. 7. Diplomata Cruce muniuntur, & quare! n. 8. 9. Fuit conventus hic mixti fori. num. 10.
19	4	17	4	3	5	5	8	5	Withredus Rex ditat Ecclesiam scripto diplomate. n. 1. 2. Wighberti Martyrium. n. 3. 4. Swibertus prædicat in Germaniâ. num. 5. Detruditur in carcerem, ab Angelo liberatur. n. 5. 6. Consecratur Episcopus. n. 7. 8 9.
20	5	18	5	4	6	6	9	6	Wilbrordus Apostolatum accipit, & nomen Clementis à à Sergio Papa. num. 1. 2. 3. Swiberti Apostolatus, & sanctitas. n. 4. 5. 6. &c. Narratio Bedæ de homine ad vitam resuscitato, n. 14. 15. &c. Kineburga Regina monialis. n. 23. 24. 25. Tibba virgo & sancta. n. 29.
21	6	19	6	5	7	7	10	7	Wilbrordi & Swiberti labores in Germaniâ. n 1 2. 3 4. 5. Hollandiæ & Frisiæ conversio. num. 6. 7. 8. Synodus Trajectensis sub Willebrordo, & Bonifacii Apostolatus primordia. num 10. 11. 12. &c. Synodus Berghamstedensick, & acta ejus. num. 15. 16. 17. &c.
22	7	20	7	6	8	8	EDFRIDUS Episcop. 1	8	Cuthberti corpus incorruptum, & Edbertus Episcopus in ejus sepulchro sepelitur. num 1. 2. 3. 4. Britannorum & Hibernorum conversio ad Canonicum Pascha. num. 7.
23	8	¦21	8	7	9	9	2	9	Naitanus Pictorum Rex petit doceri Canonicum Pascha. num. 1. 2 Ceolfridi ad eum Epistola. num. 3. 4. 5. Moritur S. Edilwaldus Cuthberti successor in vitâ solitariâ. n. 17 18. Sexburgæ sanctitas, vita & mors. n. 19. 20. &c. Ermelunda Eliensis cœnobii abbatissa. n. 25.
24	9	22	9	8	10	10	3	10	Withredi Regis privilegium, & pietas in Ecclesiam. n 1. 2. 3. Moritur S. Trumwinus Pictorum Episcopus. num. 4. & S. Hildelida Abbatissa. n. 5. Omnium sæculorum una Fides, præsertim in Britanniâ. num. 6, 7. Sanctus Beruc. num. 5.

Anni Christi	Indictio	Romani Pontifices Sergius.	Romani Impp. Tiberius Absimarus.	Reges: Francorum. Childebertus II.	Cantii. Withredus	Occident. Saxon. Inas	Oriental. Saxonũ	Northũbria. Alfridus.	Orient. Anglorũ Elwoldus.	Mercio rum. Ethelredus	Episcopi Cantii: Dorovernenses. Brithwaldus	Roffenses. Tobias	Londinenses. Waldherus.	Episc. Occid. Sax.: Wintonienses. Hedda	Schirburnenses.
701	XIV n. I.	14	5	9	9	14	Offa. 1	16	9	27	9	9	9	25	
702	XV	Joannes VI. Papa. 1 v. n. 1.	6	10	10	15	2	17	10	28	10	10	10	26	
703	I	2	7	11	11	16	3	18	11	29	11	11	11	27	
704	II	3	Justinianus iterum. 1	12	12	17	4	19	12	Cornredus vel Kenredus. 1	12	12	12	28	
705	III n. 19.	Joann. VII. 1	2	13	13	18	5	Osredus. 1	13	2	13	13	13	Daniel 1	Aldelmus I. Episcop. 1
706	IV	2	3	14	14	19	6	2	14	3	14	14	14	2	2
707	V	3	4	15	15	20	7	3	15	4	15	15	15	3	3
708	VI	Constantinus. 1	5	16	16	21	8	4 v. n. 10.	16	5	16	16	16	4	4
709	VII	2	6	17	17	22	Selredus. 1	5	17	Ceolredus. 1	17	17	17	5	Forderus. 1
710	VIII	3	7	Dagobertus II. 1	18	23	2	6	18	2	18	18	18	6	2

	Episc. Orient. Angl.		Episcopi Merciorum.					Episcopi Northumbrie			
Selafienses.	Dunwicenses.	Helmhamenses.	Lichfeldenses.	Lindisfarorum.	Wigornienses.	Legecestrenses	Herefordenses.	Eboracenses.	Lindisfarnenses	Haugustaldenses	*Capita rerum gestarum.*
Sub Hedda Wintoniensi.	ASTWOLFUS.	NORTHBERTUS.	HEDDA Winton.		EGWINUS.	WILFRIDUS	TIRTELLUS.	BOSA.	EDFRIDUS.	JOANNES.	
	6	6	10	EDGARUS. 1	9	10	11	11	4	11	Sergius Papa scribit ad Ceolfridum Abbatem, & Bedam in Urbem vocat. n. 1.2. Beda non ivit quia moritur Sergius. n. 3. Offa juvenis de statu vitæ deliberat, & Kenefvvidam virginem uxorem petit; sed illa renuit, & constans est. n. 4. 5. 6. 7. Inas dat prædia Malmesberiensi monasterio. num. 8.
	7	7	11	2	10	11	12	12	5	12	Concilium in causâ Wilfridi. n. 1. 2. 3. Alfridus in Wilfridum excandescit, & quomodo? n. 4. 5. Wilfridus Romam appellat. num. 6. Synodus examinatur. n. 7. admissa est appellatio & Synodus soluta. num. 8.
	8	8	12	3	11	12	TORTHERUS. 1	13	6	13	Moritur Benedictus Biscopus. n. 1. A sanctitate commendatur, & rebus præclarè gestis. n. 2. Hic Baronius Britanniam vocat Paradisum Dei, ob propagatum ibi mirifice monachismum. num. 3.
	9	9	13	4	12	13	2	14	7	14	Wilfridus Romæ porrigit libellum supplicem Joanni Papæ. n. 1. 2. Ventilata est ejus caussa, & absolvitur. n. 4. 5. 6. Æger in Galliâ decumbit, & à S. Michaele sanatur. n. 8 9 Ethelredus Rex fit monachus. n. 10. 11. 12. Inæ Regis charta & donatio Glastoniensi monasterio. num. 14. 15. 16. Inas Wellensem Ecclesiam extruit. num. 17. S. Yvvius. n. 18.
DANIEL Wintoniensis. 1	10	10	Lichfeldensis Ecclesia à Wintoniensi regitur.	5	13	Post Wilfridi discessum Legecestrensis Sedes à Lichfeldensi pendet usque ad annum Domini 737. tunc proprium habet Episcopum.	3	JOANNES ex Haugustaldensi. 1	8	WILFRIDUS restitutus. 1	Wilfridus Pontificiis literis munitus redit. Alfridus primum refragatur, deinde paret num. 1 2. 3. 4. Literæ Joannis Papæ ad Reges, & quotus Joannes scripserit? n. 6. 7 &c. Concil. Nidense in causâ Wilfridi. n. 13. 14. Wilfridus restituitur, sedem mutat sedem. n. 15. Hedda sanctè mortuo, duo ordinantur Episcopi. n. 16. Suibertus plures convertit. n. 22. 23. 24. 25. Moritur S. Adelbertus. n. 26. Item Werenfridus presbyter. n. 27.
2	11	11		6	14		4	2	9	2	S. Guthlaci exordia. n. 1. 2. 3. Monasterium ingreditur. num. 4. E cœnobiali vitâ ad anachoreticam transit. n. 5. 6. A S. Wilfrido sacerdos consecratur. n. 7. De S. Decumano Martyre, num. 8. 9.
3	12	12		7	15		5	3	10	3	Quidam pœnitentiam differens, tristissimâ visione terretur, & moritur. num. 1. 2. 3.
4	13	13		8	16		6	4	11	4	Egvvinus sede pulsus Romam pergit, & mirabiliter ejus compedes solvuntur. n. 2. 3. 4. Eveshamensis cœnobii initia. num. 5 6. 7. 8. 9. Coenredus & Offa Reges Romam cogitant. n. 10. 11. 12. 13. Svvibertus fundat Werdensem Ecclesiam. n. 14. 15. 16. 17. Indracti & sociorum Martyrium. n. 18. 19. 20.
5	14	14		9	17		7	5	12	ACCA. 1	Duo Reges Romam vadunt. num. 1. 2. 3. Charta Coenredi & Offæ Regû pro Eveshamo. n. 4. 5. 6 7. Constantini Papæ literæ ad Brithvvaldum Dorovernensem. n. 10. 11. Synodus ad Alnum fluvium. n. 17. Sanctè moritur Wilfridus. n. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Bedæ Epistola ad Accam. n. 27.
6	15	15		10	18		8	6	13	2	Britanni in bello ad Inâ vincuntur. num. 1. Picti etiam à Saxone funduntur. n. 2. Moritur Adrianus Abbas S. Augustini apud Dorovernum, & succedit Albinus. Quis ille? num. 3. 4. 5. 6. 7. Albinus Adriani successor, & Alcuinus differunt. num. 8.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. Constantinus.	Romani Impp.	Francorum. Dagobertus II.	Cantii. Withredus	Occident. Saxon. Inas	Reges Oriental. Saxonum. Selredus.	Northumbria. Osredus.	Orient. Anglorum. Elwoldus.	Merciorum. Ceolredus.	Episcopi Cantii Dorovernenses. Brithwaldus	Roffenses. Tobias	Episcopi Oriental. Saxonum Londinenses. Walderus	Austral. Saxonum Seleseienses.	Episc. Orien. Angl. Domnocenses. Alfwoldus.	Helmhamenses. Northbertus
711	IX	4	Philippicus. 1	2	19	24	3	7	19	3	19	19	19	Eadbertus 1	16	16
712	X	5	2	3	20	25	4	8	20	4	20	20	20	2	17	17
713	XI	6	Anastasius. 1	4	21	26	5	9	21	5	21	21	21	3	18	18
714	XII n.f.	Gregorius II. 1	2	5	22	27	6	10	22	6	22	22	22	4	19	19
715	XIII	2	Theodosius. 1	Carolus Martel Princeps. 1	23	28	7	11	Beorna. 1	7	23	23	Ingualdus. 1	5	20	20
716	XIV	3	Leo Isauricus. 1	2	24	29	8	Kenredus. 1	2	Ethelbaldus 1	24	24	2	6	21	21
717	XV	4	2	3	25	30	9	2	3	2	25	25	3	7	22	22
718	I	5	3	4	26	31	10	Osricus. 1	4	3	26	26	4	8	23	23
719	II c.b.l. & 14.	6	4	5	27	32	11	2	5	4	27	27	5	9 Eolla. 1	24	24
720	III	7	5	Theodoricus substitutus. c.19. 6	28	33	12	3	Alwaldus. 1 w.a.6.	5	28	28	6	2	Aldbertus sive Eadbertus 1 n.l.	Hadulacus. 1 n.l.

Episc. Occid. Saxon. Wintoniensis.	Episc. Occid. Saxon. Schirburnensis.	Episcopi Merciorum. Liechfeldensis.	Episcopi Merciorum. Lindisfarorum.	Episcopi Merciorum. Wigorniensis.	Episcopi Merciorum. Herefordensis.	Episcopi Northumbriæ. Eboracensis.	Episcopi Northumbriæ. Lindisfarnensis	Episcopi Northumbriæ. Haugustaldensis	Capita rerum gestarum.
DANIEL.	FORTHERUS.		EDGARUS.	EGWINUS.	TORTHERUS.	JOANNES.	EDFRIDUS.	ACCA	
7	3	Sub Wintoniensi Præsule.	11	19	9	7	14	3	Suibertus Saxones cõvertit, & mortuum ad vitam mirabiliter revocat. n. 2. 3. 4. Cungarus Constantinopoli in Britanniam veniens, sanctè vivit, & moritur. num. 5. 6. 7.
8	4	0	12	20	10	8	15	4	Figmentum de Londinensi Synodo, & cultu imaginum ibi asserto excutitur. n. 1. 2. 3, &c. Quid de abdicandis uxoribus fingitur. n. 14. Alia etiam Synodus rejicitur: ubi mentio secundæ uxoris Inæ Regis. num. 16. 17. De annis Cadwalladri Regis Britonum. n. 17.
9	5	0	13	21	11	9	16	5	Cuthburga soror Inæ, Northumbriæ Regina Monasterium Winburnæ fundat. n. 1. 2. 3 4. Ceolredus Rex Ethelbaldum proscribit, & ille S. Guthlaci ope, ad meliorem frugem conversus, vovet fundare Croylandense monasterium. num. 5. 6.
10	6	0	14	22	12	10	17	6	Swibertus agit cum Pipino moriente, & salubre consilium dat. n. 1. 2. 3. Moritur S. Guthlacus: vitæ ejus compendium. n. 4. 5. Moritur S. Elfleda Abbatissa. n. 6. Ejus epistola, qua commendat Abbatissam in Urbem euntem.
11	7	0	15	23	13	11	18	7	Inas in Ceolredum Merciorum Regem pugnat. n. 1. Ceolredus Ecclesiarum privilegia temerat. num. 2. Guthlacus Ethelbaldo apparens, regnum pollicetur. n. 3. Guthlaci corpus incorruptum post annum à morte ejus. n. 4.
12	8	0	16	24	14	12	19	8	Ceolredus miserè moritur sine Sacramentis, & æternùm punitur. n. 1, 2. 3. Bonifacii Epistola de damnatione ejus. n. 4. 5. 6. &c. Croylandense monasterium ab Ethelbaldo Rege fundatur. n. 16. 17. 18, &c. Hyenses monachi, Egbertò docente, ad rectum Pascha convertuntur. num. 24. 25. 26. Moriuntur Ethelredus Rex olim & Abbas, Et sanctus Egwinus Episcopus. num. 27. 28. 29.
13	9	ALDUINUS. 1 n. 10.	17	WILFRIDUS. 1	15	13	20	9	Moritur S. Suibertus, multorum in Germaniâ populorum Apostolus. n. 1 2. Item Ceolfridus Abbas. num. 3. Ejus successor Wetbertus, scribit ad Gregorium Papam. num. 5. Teuxberiensis cœnobii initia. n. 7.
14	10	2	18	2	WALSTODUS. 1	14	21	19	Ethelbaldus ornat Croylandense monasterium, & statutum condit pro omnibus Ecclesiis. n. 2. 3. Tortheius Herefordensis Episcopatu cedit. n. 4.
15	11	3	19	3	2	15	22	11	Bonifacius Danielis Wintoniensis literis munitus, Romam vadit, Apostolatum ibi petit & accipit à Gregorio n. 1. 2 3 4. Buggam virginis literæ ad Bonifacium. n. 8. Bonifacii literæ ad varios. n. 10. 11. 12. 13. 14. 15.
16	12	4	KINEBERTUS. 1 n. 2.	4	3	16	23	12	Pega virgo, soror S. Guthlaci, ad limina Apostolorum peregrinata, moritur sancta. n. 3. 4. Romæ mortua, in Britanniâ colitur.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices: Gregorius II.	Romani Imp.: Leo Isauricus.	Reges Francorum: Carolus Mar. Pricus.	Reges Cantiæ: Withredus	Reges Occident. Saxon.: Inas	Reges Oriental. Saxonũ: Selredus.	Reges Northũbriæ: Osricus.	Reges Orient. Anglorũ: Alwaldus.	Reges Merciorum.: Ethelbaldus	Episcopi Dorovernenses.: Brithwaldus	Episcopi Cantu Roffenses.: Tobias	Episcopi Oriental & Austral Sax. Londinenses.: Ingualdus.	Episcopi Oriental & Austral Sax. Seleiensẽs.: Eolla	Episc Orien. Angl. Dumunensẽs.: Aldberius	Episc Orien. Angl. Helmhamenses.: Hadulacus.
721	IV	8	6	7	29	34	13	4	2	6	29	29	7	3	2	2
722	V	9	7	8	30	35	14	5	3	7	30	30	8	4	3	3
723	VI v. n. 1. & 4.	10	8 n. 4.	9 n. 5. 6.	31	36 n. 18.	15	6	4	8	31	31	9	5	4	4
724	VII	11	9	10 Scribit pro S. Bonifacio.	32	37	16	7	5 Scribit ad S. Bonifacium	9	32	32	10	6	5	5
725	VIII	12	10	11	33 n. 11.	38	17	8	6	10	33	33	11	7	6	6
726	IX	13	11	12	Ethelbertus 1 hic n. 1. & an. super. 11.	Ethardus 1 n. 7.	18	9	7	11	34	Aldulfus. 1 n. 32.	12	8	7	7
727	X	14	12 n. 11.	13	2	2 n. 12.	19	10	8	12	35	2	13	9	8	8
728	XI	15	13	14	3 n. 1.	3	20	11	9	13	36	3	14	10 n. 10.	9	9
729	XII	16	14	15	4	4 n. 2.	21	12	10	14	37	4	15	0	10	10
730	XIII	17	15	16	5	5 n. 1.	22	13	11	15	38	5	16	0	11	11

Episc. Occid. Saxon. Wintoniensis.	Schirburnensis.	Episcopi Merciorum. Lichfeldensis.	Lindisfarorum.	Wigorniensis.	Herefordensis.	Episcopi Northumbriæ. Eboracensis.	Lindisfarnensis.	Hagustaldensis.	Candida Casa.	Capita rerum gestarum.
DANIEL.	FORTHERUS.	ALDUINUS.	KINEBERTUS.	WILFRIDUS.	WALSTODUS			ACCA		
17	13	5	2	5	4	WILFRIDUS II. 1 n. 2.	ETHELWOLD. 1 n. 1.	13		Moritur Joannes Beverlacensis, res ejus mirabiliter gestæ narrantur, & defenduntur. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. De ejus Diacono, sancto Bruthuno. num. 8. Daniel Wintoniensis Romam proficiscitur. num. 8.
18	14	6	3	6	5	2	2	14		Bonifacius in Germania plures convertit, Romam mittit ad Gregorium Papam. n. 1. 2. Triennio cum Willibrordo Trajectensi laborat. num. 3.
19	15	7	4	7	6	3	3	15	PECTHELM, primus Episcopus 1 n. 19.	Bonifacius Romam vocatus, reddita ratione fidei Episcopus consecratur. n. 1. 2. 3. 4. Gregorius Papa scribit ad Carolum Martellum & alios, literas in causa Bonifacii. n. 6. 7. 8. &c. Candida casa Northumbrorum juris est. num. 22.
20 Scribit ad S. Bonifacium.	16	8	5	8	7	4	4	16	2	Bonifacii literæ ad Eadburgam Abbatissam. num. 10. 11. 12. Torthelmus Episcopus, & Alfvvoldus Rex scribunt ad S. Bonifacium. n. 13. 14. 15. Item Sigebaldus. n. 16. 17. Gregorius Papa scribit ad Bonifacium. n. 22. Monasterium S. Michaelis extruitur. n. 19.
21	17	9	6	9	8	5	5	17	3	Inas Rex insigni diplomate munit Glastoniens. Ecclesiam. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Romam mittit munera. n. 7. Bonifacius e Britannia socios vocat. num. 8. 9. 10. Edilbertus Rex scribit Bonifacio. n. 12. 13. 14. Cangith etiam Buggæ mater n. 16. 17. 18. Illa moritur, & Buggam Bonifacius consolatur n. 21 &c. Willibrordus in Brabantia, à Rohingo Principe honoratur. n. 29. 30. 31. 32.
22	18	10	7	10	9	6	6	18	4	Ethelburgæ Reginæ pietas, Inam conjugem ad sanctiorem vitam inducentis num. 2. 3. 4. Inas regnum suum tributarium Romæ facit. n. 5. 6. 7. De solutione denariorum. n. 8. 9. &c. Ino factum imitata aliæ provinciæ. n. 24. &c. Subjectio hæc non elidit dignitatem Regiam n. 33. &c. Inas Romam vadit. num. 37 Gregorii Papæ literæ ad Bonifacium n. 40. 41. Bonifacii ad Danielem. n. 44. Danielis ad ipsum. n. 50. 51. 52. &c.
23	19	11	8	11	10	7	7	19	5	Inas Scholam Anglorum Romæ erexit, & ubi? num. 1. 2. &c. Inas Romæ monachus moritur. num. 10. 11. Egelnundus Martyr. n. 13. S. Willeicus. n. 13.
24	20	12	9	12	11	8	8	20	6	Acca Episcopus Bedam per literas excitat, ut scribat in Evangelium S. Lucæ. n. 2. 3. 4. Bedæ ad Accam rescriptum. n. 5. 6. 7. 8.
25	21	13	10	13	12	9	9	21	7	Ethelardus Rex, & Frodogida conjux, Glastoniensi monasterio dant prædia. n. 2. Moritur S. Egbertus Apostolicorum virorum princeps. n. 3. 4.
26	22	14	11 n. 3.	14	13	10	10	22	8	De morte Brithvvaldi Dorovernensis Episcopi, & tempore Sedis illius. n. 1. De Cymberto sancto, qui in nostro Martyrologio Episcopus scribitur. num. 2.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices	Romani Impp. Leo Isauricus.	Reges Francorum. Carol. Mar. Praefect.	Reges Cantii. Ethelbertus	Reges Occident. Saxon. Ethelardus	Reges Oriental. Saxonū Selredus.	Reges Northumbria. Ceolwulfus	Reges Orient. Anglorū Alwaldus.	Reges Mercio rum. Ethelbaldus	Episcopi Cantu. Dorovernenses.	Episcopi Roffenses. Aldulfus.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax. Londinenses. Ingualdus.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax. Selesienses.	Episc. Orien. Angl. Dumnocenses. Aldbertus	Episc. Orien. Angl. Helmhamenses. Hadulacus.
731	XIV	Gregorius III. 1 n. 1.	16	17	6	6	23	3 n. 1.10.	12	16	Tatwinus. 1 n. 1, 2.	6 n. 2.	17 n. 1.	0	12 n. 2.	12 n. 2.
732	XV	2	17	18	7	7	24	4	13	17	2 n. 1.2.3.	7	18	0	13	13
733	I	3	18	19	8	8	25	5 Fit Monachus. n. 2.	14	18	3	8	19	Sigga. 1 vide n. c. & an. 701. n. 10.	14	14
734	II	4	19	20	9	9	26	Iterum regnat. 6	15	19	Moritur n. 3.	9	20	2	15	15
735	III	5 n. 1.	20	21	10	10	27	7 n. 1.	16	20	Nothelmus. 1 n. 1.2.	10	21	3	16	16
736	IV	6	21	22	11	11	28	8	17	21	2	11	22	4	Cuthwinus. 1 n. 3.	Ethelfridus. 1 n. 3.
737	V	7	22	23	12	12	29	Lindisfarnensis monachus efficitur.	18	22	3	12	23	5	2	2
738	VI	8	23	24	13	13	30	Egbertus. 1 n. 1.	19	23	4	13	24	6	3	3
739	VII	9	24	25	14	Ethelardus moritur. n. 6.	31	2	20	24	Moritur n. 2.	14	25	7	4	4
740	VIII	10	25	26	15	Luthredus. 1 n. 1.	32	3	21	25	Cuthbertus. ex Herefordensi. 1 n. 2.	Dunus. 1 n. 2.	26	8	5	5

Episc. Occid. Saxon. Wintonienses. DANIEL.	Episc. Occid. Saxon. Schireburnenses. FORTHERUS.	Episcopi Merciorum. Lichfeldenses. ALDUINUS.	Episcopi Merciorum. Lindisfarorum. KINEBERTUS.	Episcopi Merciorum. Legecestrenses.	Episcopi Merciorum. Wigornienses. WILFRIDUS.	Episcopi Merciorum. Herefordenses. WALSTODUS	Episcopi Northumbriæ. Eboracenses WILFRIDUS	Episcopi Northumbriæ. Lindisfarnenses ETHELWOLDUS	Episcopi Northumbriæ. Hagustaldenses ACCA.	Episcopi Northumbriæ. Candida Casa. PECTHELMUS.	Capita rerum gestarum.
27 n. 8.	23 n. 8.	15 n. 8.	12 n. 8.	0	15 n. 8.	14 n. 8.	11 n. 8.	11 n. 8.	23 n. 8.	9 n. 8.	Bonifacii Legatio ad Gregorium III. quando Ar chiepiscopus creatur? num. 2. Gregorii ad eum Epistola n. 3. 4. 5. Bonifacius Ecclesias & mona steria ædificat. n. 6. Ejus Epistola ad omnes An glorum Episcopos, quibus Germaniæ conver sionem commendat. n. 7. Beda absolvit histo riam, & præsentis anni statum explicat. n. 8. 9. Ejus ad Ceolulfum Regem literæ. n. 10. 11. 12. 13.
28	24	16	13	0	16	15	12	12	24	10	Tatvvinus Romam profectus Ecclesiæ suæ privile gia impetrat. n. 1. 2. Gregorius Papa, ad omnes Britanniæ Episcopos dat literas, & Dorovernen sis Ecclesiæ confirmat privilegia. n. 3. 4. Wig berti Epistola ad Glastonienses monachos. n. 5. 6. Quis ille? n. 7.
29	25	17	ALWIUS. 1 n. 1.	0	17	16	13	13	Acca Sede pellitus. n. 2.	11	Tatvvinus accepto pallio duos consecrat Episco pos, Alvvium Australibus & Siggam, sive Sigfri dum Mercis num. 1. Turbæ in Septentrione, Ceolulfus Rex capitur, & tondetur; sed statim in regnum remittitur. n. 2. In Accam Hagu staldensem Episcopum sede pulsum, diuturnior fuit persecutio. n. 2. Bonifacius apud Boiarios hæresim profligat. n. 3.
30	26	18	2	0	18	17	14	14	0	12	Moritur Tatvvinus, & cum Sanctis scribitur. n. 1 Ethelbaldus expugnat castrum Somerton in Oc cidente, n. 2. Beda moritur: ubi de annis eju agitur. n. 4. 5 6. 7. 8. Quàm piè mortuus? n. 9 10. 11. 12. Extremâ unctione & Viatico munitur n. 13. Bedæ elogium, & Cuthberti Epistola ad Lullum. n. 14. Multi per literas petunt Bedæ li bros. n. 15 16. 17. 18. 19. Dies mortis & sepulchrum Bedæ. n. 20. 21.
31	27	19	3	0	19	CUTHBERTUS. 1 n. 1.	EGBERTUS. 1 n. 17.	15	FRIDBERTUS 1 n. 21.	13 FRITHWALDUS 1	Bonifacii literæ ad Nothelmum Dorovernensem n. 2. 3. Item ad Doddonem Abbatem. n. 4. 5 Item ad Pecthelmum. de spirituali cognatione n. 6. 7. De Pecthelmi in Gallias profectione n. 9. 10. 11. De sanctis Wirone & Otgero n. 1 14. 15. 16. Ad Egbertum Eboracensem scrib Bonifacius. n. 19. 20.
32	28	20	4	0	20	2	2	16	2	2	Nothelmus Merciis, & Australibus Saxonibus novos consecrat Antistites. n. 1. 2. 3. Willibror dus Episcopus moritur, ejus elogium e Martyro logio Gallicano. n. 4. 5. De anno morte. n. Obitus S. Wilgisi, Willibrordi parentis. ubi & compendium ejus vitæ. num. 7. 8.
33	HEREWALDUS. 1 n. 7.	WITTA. 1 n. 6.	5	TOTTA. 1 n. 6.	21	3	3	17	3	3	Ceolulfus Rex dat prædia Ecclesiis. n. 1. Mona chum induit in Lindisfarnensi cœnobio. n. 2. Emittit tria religionis vota. n. 3. Ab ejus ingres su, monachis indultus est vini usus. n. 5. Forthe rus Episcopus & Frithogytha Romam eunt. n. 7 Legecestria iterum Sedes Episcopi. n. 6.
34	2	2	6	2	22	4	4	KENULFUS. 1 n. 10.	4	4	Bonifacius Romam vadit ad Gregorium Papã. n. Gregorius discedenti literas dat, & scribit etiam ad plures Germaniæ provincias pro Bonifacio n. 4. 5. 6. 7. 8. Bonifacius apud Luitprandum Re gem Longobardorum moratus, scribit literas a suos contribules. n. 9.
35	3	3	7	3	23	5	5	2	5	5	Bonifacius Bavarorum Ecclesiam visitat: quatuo ibi Episcoporum Sedes constituit. num. 1. Gregorii Papæ literæ ad Bonifacium confirman tes acta Bonifacii. n. 1. 4. Jubetur Bonifaciu Synodum convocare. n. 5.
36	4	4	8	4	24	6	6	3	6	6	Moritur S. Acca Hagustaldensis exepiscopus Ejus sanctitas. n. 3. 4. Martyrium S. Juthvvara n. 6. 7. Fridesvvidæ virginis vitæ compendium n. 9. 10. 11. 12. Moritur Ethelburga Inæ uxo monialis Berkingensis, & demum Abbatissa po S. Hildelidam. n. 13. 14. De S. Arnulfo n. 15.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. Gregorius III.	Romani Impp.	Reges Francorum. Carolus Mar. Prorex.	Reges Cantii. Ethelbertus	Reges Occident. Saxon. Cuthredus.	Reges Oriental. Saxonū. Selredus.	Reges Northumbria Eqbertus.	Reges Orient. Anglorū. Alfwald.	Reges Merciorum. Ethelbaldus	Episcopi Cantii. Dorovernenses. Cuthbertus	Episcopi Cantii. Roffenses. Dunnus.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax. Londinenses. Ingualdus.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax. Selesienses. Sigga.	Episc. Orient. Angl. Dunmocenses. Cuthwinus.	Episc. Orient. Angl. Helmhamenses. Ethelfridus.
741	IX	11	Constantinus Copronym. I	27	16	2	33	4	22	26	2	2	27	9	6	6
742	X n. 1 9. & 11.	Zacharias. I n. 1. 2	2 n. 9. 11. & 16.	Carolomannus, & Pipin. Caroli Martelli filius. n. 12. 13.	17	3	34	5	23	27	3	3	28	10	7	7
743	XI n. 7.	2	3	2 n. 2.	18	4	35	6	24	28	4	4	29	11	8	8
744	XII n. 3.	3	4	3 n. 2.	19	5	36	7	25	29	5	5	30	12	9	9
745	XIII	4	5	4 n. 2.	20	6	37	8	26	30	6	6	31	13	10	10
746	XIV	5	6	5	21	7 n. 1.	38 n. 1. Swithredus. I n. 1.	9	27	31	7	7	Egulfus. I n. 2.	14	11 n. 3.	11 n. 3.
747	XV n. 4.	6	7	6	22	8	2	10	28	32 n. 4. 18.	8 Synodū cogit.	8 n. 2.	2 n. 2.	15 n. 2.	12 Herdulfus in Synodo locum supplet. v. an. superiorē n. 3	12
748	I	7	8	7	23 n. 1. Egbertus. I n. 1.	9 n. 2.	3	11	29	33	9	9	3	16	13	13
749	II n. 4.	8	9	8 n. 11. 12	2	10	4	12	30 Ethelbertus vel Albertus I n. 8.	34 n. 4. 5.	10	10	4	17	14	14
750	III	9	10	9	3	11 n. 1.	5	13	2	35	11	11	5	18	15	15

Episc. Occid. Saxon. Winton-iensis.	Scirburnensis.	Episcopi Merciorum. Lichfel-densis.	Lindisfa-rorum.	Legoce-strensis.	Wigor-niensis.	Herefor-densis.	Episcopi Northumbriæ. Ebora-censis.	Lindisfarnensis.	Hagustaldensis.	Candida Casa.	Capita rerum gestarum.
DANIEL.	HERE-WALDUS.	WITTA.	ALWIGS.	TOTTA.	WILFRIDUS.		EGBERTUS.	KENULFUS	FRIDBERTUS	FRITH-WALDUS	
37	5	5	9	5	25	PODDA. 1	7	4	7	7	Bonifacius ad Zachariam Papam scribit & Apostolicæ legationis suæ rationem reddit. n. 1 2. 3. &c. Tres Anglo-Saxones Episcopi à Bonifacio ordinantur in Germania, Burchardus, Wittanus, & Willibaldus. n. 3. Bonifacii pallia e Bonifacii literis. num. 7. 8.
38	6	6	10	6	26	2	8	5	8	8	Bonifacii literis respondet Zacharias. n. 1. 2. 3. &c. Zacharias literæ ad Burchardum, &c. num. 10. 11. Bonifacius cum Carolomanno Synodum cogunt Ratisbonæ. n. 12. 13 &c. Decreta Synodi Romam mittuntur, & Zacharias illa confirmat. 17. 18 19. 20 Bonifacii Epistola ad Cuthbertum Dorovernensem, ubi plura de munere pastorali inculcat 21. 22. &c. Cuthbertus Synodū cogit apud Clovesho. 34. &c.
39	7	7	11	7	27	3	9	6	9	9	Ethelbaldus & Cuthredus Reges in Britannos pugnant. n. 1. Bonifacius Liptinense Conciliū cogit, Adelbertum & Clementem condemnat. n. 2. 3. Zachariæ literæ ad Bonifacium, de usu pallii. 4. 5. Adelberti & Clementis hæreticorū dogmata. 6. 7. Bonifacii in Zachariā querela, per Zachariæ literas deluitur. n. 8 9. 10. 11. De Wilfrido Eboracensi & Wigorniensi, nodus non solutus. n. 12.
HUMFREDUS. 1 n. 2.	8	8	12	8	MILREDUS. 1 v. an sup. n. 2.	4	10	7	10	10	Daniel Wintoniensis Episcopus, cum quadraginta annos sedisset deposito Episcopatu Malmesburiense monasteriū ingreditur n. 1. Bonifacius à Virgilio & Sidonio accusatus apud Zachariam Papam. n. 2. Zacharias super eo ad Bonifacium scribit n. 3. Bonifacium in Urbem invitat, Zachariam in multis consulit, & ab eo responsum per literas accipit. n. 4. 5. 6.
2	9	9	13	9	2	5	11	8	11	11	Bonifacii & aliorum Anglo-Saxonū Episcoporum Synodus in Germaniā. n. 1 2. Gervilio Moguntinus Episc. deponitur, substituitur illi Bonifacius. n. 3. 4 Synodus Aldeberti & Clementis errores damnat, sed ultimum judicium ad Ro. Pont. remittit. n. 5 6. Bonifacii Epistola ad Ethelbaldum Regē n. 7. &c. Item ad Egbertum Episcopū Eboracē. n. 20. &c. Hæretici Romæ condemnantur in Synodo, &c. 26. De Wigberto Fritzlariensi Abbate sancto. 46. 47.
3	10	10	14	10	3	6	12	9	12	12	De Herdulfo extra ordinem Anglorum Orientalium Episcopo. n. 3. Bonifacius fundat Huldense monasterium, ope & indulgentiā Carolomanni, qui Chartam donationis scripsit. n. 4. 5. 6.
4 n. 2.	11 n. 2.	11 n. 2.	15 n. 2.	11 n. 2.	4 n. 2.	7 n. 2. ECCA. 1 n. 18.	13	10	13	13	Cuthbertus Synodum cogit Cloveshoviæ Bonifacii literis & monitis excitatus. n. 1. 2. 3. 4. Synodi Canones & decreta. n. 6. 7. 8 9. 10. De diebus Litaniarum, de festis SS. Gregorii & Augustini, & jejunio Quatuor Temporum. n. 11. De frequente Laicorum communione. n. 13 Pro Regibus orandum. n. 17. Cuthbertus decreta Synodi mittit ad Bonifacium. n. 18.
5	12	12	16	12	5	2	14	11	14	14	Ethelberti Rex Cantii Meristrene monasterium ornat. n. 1 Motus in Occidente, Cuthredi Regis filius occiditur. n. 2. Burchardus Romam vadit, Sampsonem Scotum accusat, quod baptismi necessitatem negavit, & literas super eo accipit à Zachariā ad Bonifacium. n. 3. 4. 5. &c. Kenulfus Offæ Merciorum Regis avus, Ecclesiam construit S. Petro, ad oppidum Bredon, cui Offa Rex postmodum prædia dedit. n. 11.
6	13	13	17	13 n. 6.	6	3	15 n. 6.	12	15	15	Ethelbaldi Regis pœnitentia, & donatio Ecclesiis ex ejus diplomate n. 1. 2. 3 4. Torthelmus Episcopus inter Merciorum Antistites, diploma subscribens. n. 6. Ejus literæ ad Bonifacium datæ n. 7 Ethelberti sive Alberti Regis exordia, & pietas in pauperes num. 9. 10. Pipinus votum nuncupat S. Suiberto, & victoriā potitur. n. 11. 12.
7	14	14	18	14	7	4	16	13 Capitur ab Egberto. n. 2.	16	16	Cuthredus in Occidente Ethelhunum Consulem domat. Egbertus Northumbriæ Rex, Kenulfum Episcopum persequitur. n. 2. 3. Moritur S. Richardus Lotharii Regis filius. n. 4. 5. 6. S. Tuila Abbatissa moritur in Germaniā. n. 7. Germanus Episcopus natione Anglus, coronatur Martyrio. num. 7. Num fuerit ille Edilrudis virginis frater. ibid.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. ZACHARIAS.	Romani Impp. CONSTANTINUS COPRONYMUS	Reges Francorum. PIPINUS Praefect.	Reges Cantii. EDBERTUS.	Reges Occidental. Saxonum CUTHREDUS.	Reges Oriental. Saxonum SWITHREDUS.	Reges Northumbria EGBERTUS.	Reges Orient. Anglorum ETHELBERTUS	Reges Merciorum. ETHELBALDUS	Episcopi Cantuar. Dorovernenses. CUTHBERTUS	Episcopi Cantuar. Roffenses. DUNNUS.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax. Londinenses. EGULFUS.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax. Selesenses. SIGGA.	Episc. Orient. Angl. Dunwicenses. CUTWINUS.	Episc. Orient. Angl. Helmhamenses. ETHELFRIDUS.
751	IV n.5.	10	11	10	4	12	6	14	3	36	12	12	6	19	16	16
752	V	II STEPHANUS III. I n.6.	12	II Coronatur à Bonifacio. n.5.	5	13	7	15	4	37	13	13	7	20	17	17
753	VI	2	13	12	6	14 n.2.	8	16	5	38	14	14	8	21	18	18
754	VII	3	14	13	7	SIGEBERTUS 1 n.1.	9	17	6	39	15	15	WIGHADUS 1 n.4.	22	19	19
755	VIII	4	15	14	8	KENULPHUS 1 n.1.	10	18	7	40	16	16	2	23	20	20
756	IX	5	16	15	9	2	11	19	8	41 n.1.	17	17	3	24	21	21
757	X	PAULUS 1 n.8.	17	16	10	3 n.6.	12	20	9	BEORNREDUS. 1 v. an. superiorē n.8 & hunc n.9.	18	18	4	25	22	22
758	XI	2	18	17	11	4	13	OSULFUS. 1 v. an. superiorē n.7 & hunc n.1.	10	OFFA. 1 n.8.	Moritur n.5.	19	5	26	23	23
759	XII	3	19	18	12	5	14	ETHELWALDUS. 1 n.1.	11	2	BREGWINUS. 1 n.2.	20	6	27	24	24
760	XIII	4	20	19	ALRICUS. 1 n.1.	6	15	2	12	3	2	21	7	28	25	25

Episc. Occid. Saxon. Wintoniensis.	Episc. Occid. Saxon. Schirburnensis.	Episcopi Merciorum. Lechfeldensis.	Episcopi Merciorum. Lindisfarorum.	Episcopi Merciorum. Legecestrensis	Episcopi Merciorum. Wigorniensis	Episcopi Merciorum. Herefordensis	Episcopi Northumbriæ Eboracensis.	Episcopi Northumbriæ Lindisfarnensis	Episcopi Northumbriæ Hagustaldensis	Episcopi Northumbriæ Candida Casa.	*Capita rerum gestarum.*
HUMFRIDUS.	HERE-WALDUS.			TOTTA.	MILREDUS.	ECCA.	EGBERTUS.	KENULFUS	FRIDBERTUS	PITHWALDUS	
8	15	HEME-SUS. 1 n. 1.	ALDULFUS. 1 n. 1.	15	8	5	17	14	17	17	Bonifacius Lullum presbyterum mittit in Urbem, cum literis ad Zachariam Papam. num. 2. 3. 4. Zachariæ responsum. 5. 6. 7. 8. &c. Zachariæ literæ pro erectione Moguntinæ Sedis. n. 12. 13. Privilegium Fuldensi monasterio concessum à Zacharia. num. 14. 15. Privilegiorum concessio, Pontificiæ potestatis bonum argumentum. num. 16.
9	16	2	2	16	9	CEADDA 1 n. 4.	18	15	18	18	Cuthredus in Ethelbaldum pugnat ad Burford, & eum fugat. n. 1. 2. 3. Bonifacius Pipinum ungit, & coronat Regem Francorum, Childerico in monasterium detruso. n. 5. Bonifacii literæ ad Stephanum Papam. n. 7. Bonifacius Kilianum Episcopum & socios Martyres, colendos exponit n. 9.
10	17	3	3	17	10	2	19	16	19	19	Britanni in Occidente tumultuantes à Cudredo premuntur. n. 1. 2. Temporis ratio quo pugna commissa. n. 3.
11 KINEBARDUS. 1 n. 3.	18	4	4	18	11	3	20	17	20	20	Cudredo mortuo succedit Sigebertus, qui procerum consilia spernens malè regit. n. 1. 2. Pipinus cum Stephano Papâ agit de Canonizatione S. Suiberti. n. 4. Bonifacius in Frisiam vadit. num. 5. Tista Glastoniensis Abbas è Septentrione Sanctorum reliquias adfert.
2	19	5	5	19	12	4	21	18	21	21	Sigeberto pulso Kenulfus regnat in Occidente n. 1. 2. Pipini Regis Privilegiũ Fuldensi monasterio. n 3. 4. Bonifacii Epistola ad Stephanum Papam. n 7. 8. Lulli Episcopi exordia n. 9 & 13. Bonifacius Pro suis discipulis sollicitus, & Liobam Virginem adhortans, cum sociis occiditur n. 10. 11 &c. Bonifacii corpus primò Moguntiam, inde Fuldam defertur. n. 20
3	20	6	6	20	13	5	22	19	22	22	Ethelbaldus Rex à suis occisus, apud Ripandunum sepelitur n. 1. 2. Quid de Ethelbaldo authores senserint. n. 2. 3. Cuthbertus Doruvernen. audità Bonifacii morte Synodum cogit, & edicit diem Martyrii ejus solemniter celebrandum n. 4. Cuthberti literæ ad Lullum Bonifacii successorem. n. 5. 6. 7. 8. 9. Lulli literæ Cunetudum Wintoniensem. n. 11. 12. Milredi literæ ad Lullũ. 13. 14. 15 Bonifacium hæretici solum lacerant. n. 16.
4	21	7	7	21	14	ALDBERTUS. 1 n. 18.	23	20	23	23	Pauli Papæ literæ ad Regem & Episcopũ Northumbriæ. n. 2. 3. Alcuinus incipit innotescere. n. 5. Ejus literæ pro Fordrado ibid. Ecbertus Rex tonsuratur. n. 6. 7. 8. Accusatur à factiosis, sed defenditur. n. 8. Moritur S. Agatha Virgo & Abbatissa. n. 10. Lioba etiam, cujus vitæ habes compendium. n. 12. 12. 13. Lioba Leobgytha dicitur. Ejus ad Bonifaciũ & Bonifacii ad eã literæ 15. 16 17 Moritur Joannes Salsburgensis Episcopus. n. 18.
5	22	8	8	22	15	2	24	21	24	24	Offa Merciorum Regis exordia variè narrantur n. 1. Matthæi Parisiensis narratio rejicitur num. 2. 3. In Septentrione turbæ, & Osulfus occiditur n. 4. Cuthbertus Dorovernensis moritur, & sepelitur in sua Ecclesiâ, unde controversia, quam vide. num. 5. 6. 7.
6	23	9	9	23	16	3	25	22	25	25	Ethelwaldus, qui & Mollo, Osulfo succedit in regnum Northumbriæ. n. 1. Bregwinus fit Dorovernensis Episcopus, & ejus elogium. n. 2. Moritur Eadburga cognomento Bugga. & moriens suffragia postulat, tam in Britanniâ quàm in Germaniâ. num. 3.
7	24	10	10	24	17	4	26	23	26	26	Moritur Ceolulfus quondam Rex, & sanctis ascribitur. n. 2. Bregwini Dorovernensis Epistola ad Lullum Moguntinũ Episcopum n. 4. 5. Lebwinus moritur Daventriensium Apostolus. n. 6. Elogium ejus è Gallicano Martyrologio num. 7. Wimbaldus Abbas moritur n. 8. De sancto Solo primo Abbate Solen-Hoffen. num. 9.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices Paulus	Romani Impp Constantinus Copronymus	Francorum. Pipinus.	Cantii. Albricus.	Occident. Saxon. Kenulphus.	Reges Oriental. Saxonum Swithredus	Northumbria Ethelwald.	Orient. Anglorum Ethelbertus	Merciorum. Offa.	Episcopi Cantii. Dorovernenses. Bregwinus	Roffenses. Dunus.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax. Londinenses.	Selesienses.	Episc. Orien. Angl. Dummocenses. Cheiwinus.	Helmhamenses. Ethelfridus.
761	XIV	5	21	20	2	7	16	3 n. 1.	13	4	3.	22	Edbritus. 1 n. 2.	Albertus 1 n. 2.	26	26
762	XV	6	22	21	3	8	17	4	14	5	Lambritus. 1 n. 7.	23	2	2	27	27
763	I	7	23	22	4	9	18	5	15	6	2	24	3	3	28	28
764	II	8	24	23	5	10	19	6	16	7	3	Eardulfus 1 n. 1. 2.	4	4	29	29
765	III	9	25	24	6	11	20	Alredus. 1 n. 1.	17	8	4	2	5	5	30	30
766	IV	10	26	25	7	12	21	2 n. 1.	18	9	5	3	6	6	31	31
767	V	vacat	27	26	8	13	22	3	19	10	6	4	7	7	Aldbertus 1 n. 7.	Lambertus 1 n. 7.
768	VI	Stephanus IV. 1 n. 1.	28	27 moritur n. 3.	9	14	23	4 n. 2.	20	11	7	5	Eadgarus. 1 n. 4.	8	2	2
769	VII	2	29	Carolus Magnus. 1	10	15 n. 1.	24	5	21	12	8	6	2	9	3	3
770	VIII	3	30	2	11	16	25	6	22	13	9	7	3	10	4	4

Episc. Occid. Sax.		Episcopi Merciorum.					Episcopi Northumbres				
Wintoniensis. KINEHARDUS.	*Schirburnensis.* HERREWALDUS.	*Lichfeldensis.* HEMELUS.	*Lindisfarorum.* EADULFUS vel Aldulfus	*Legecestrensis* TOTTA.	*Wigorniensis.* MILREDUS.	*Herefordensis.* ALDEBERTUS.	*Eboracensis.* EOBERTUS.	*Lindisfarnensis* KENULFUS.	*Hagustaldensis* FRIDBERTUS	*Candida Casa* FRITHWALDUS.	*Capita rerum gestarum.*
8	25	11	11	25	18	5	27	24	27	27	Motus in Septentrione: Osvvinus quidam in Ethelvvaldum Regem surgit; sed affectati imperii dat poenas, ab Ethelvvaldo occisus. n. 1. Orientales & Australes Saxones novos Ecclesiæ pastores accipiunt. num. 2.
9	26	12	12	26	19	6	28	25	28	28	Ethelvvoldus Northumbriæ Rex, Etheldredam conjugem ducit. eam forte quæ aliter Edilthydes ab Alcuino appellatur, cujus ad eam habes literas. n. 1. 2. 3. &c. Bregvvinus Dorovernensis moritur sanctus. num. 7 8 Moritur etiam 8 Marcellinus presbyter, cujus habes elogium e fastis Belgicis. num. 9.
10	27	13	13	27	20	7	29	26	29	PECTWINUS. 1 n. 1.	Candidæ Casæ Episcopus ad Anglo-Saxonicam Ecclesiam spectat: & para regni Northumbriæ n. 2. Britannorum tempore ad Britannos. inde ad Anglo Saxones descendit. n. 2. Hinc sequitur S. Ninianum, Bentigernum, adde & Patricium, qui in Gallovidiâ natus singitur, ad Annales nostros pertinere. num 3.
11	28	CUTHFRIDUS. 1 n. 7.	CEOLULFUS. 1 n. 7.	EDBERTUS. 1 n. 7.	21	8	30	27	30	2	Lambertus Dorovernensis pallium Româ accipit, & Eardulfum consecrat Roffensem Episcopū. n. 1 2. Eardulfi Episcopi literæ ad Lullum Moguntinum. n. 3. 4. Item Kenulfi Regis Occidentalium Saxonum ad Lullum Epistola. n. 6. Merciorum Episcopi suas jam sedes habere cœperunt. & ubi. n. 7.
12	29	2	2	2	22	9	31	28	31	3	Northumbriæ regni status turbatur, Alredus ibi in Ethelvvaldum Regem surgit, eumque regno exuit. num. 1. Misera Regum conditio, quoties à populi inconstantiâ pendet. n. 2.
13 Subscribit chartæ Kenulfi Regis. n. 7. 8.	30 Subscribit Diplomati. n. 7.	3	3	3	23	10	Moritur. n. 1. 2. 3.	29	ALMUNDUS. 1 n. 4.	4	Moritur Egbertus Eboracensis Episcopus, & morienti adfuit Alcuinus ejus discipulus, quem paulò ante mortem Diaconum ordinavit. num. 1 2. Egberti prædictio de Alcuino. n. 2. Controversia de annis & tempore Sedis. n. 3. Quid scripserit, & quid egerit in Episcopatu. n. 3. 4. Kenulphi Regis diploma, pro Wellensi Ecclesiâ. n. 7. 8.
14	ETHELMODUS. 1 n. 8	4	4	4	24	11	ETHELBERTUS vel Albertus 1 n. 1	30	2	5	Ethelbertus Eboracensis Episcopus, alio nomine Coena vocatur. n. 1. Lulli Moguntini ad eum literæ. num. 2. Responsio Ethelberti. num. 3. 4. Moritur Paulus Papa: & quia Constantinus præter ordinem eligitur, & mox ejicitur, ideo vacantem Sedem describimus. n. 6.
15	2	5	5	5	25	12	2	31	3	6	Egbertus olim Rex, nunc monachus, moritur & cum Sanctis scribitur. num. 2. Non in Lindisfarnensi Insulâ, sed Eboraci sepelitur. num. 2. Fuit Egbertum inter & Pipinum Francorum Regem familiaritas. & eodem ambo anno moriuntur n. 3. Eadgarus Londinensem sedem ingreditur.
16	3	6	6	6	26	ESNA. 1 n. 5.	3	32	4	7	Pipino mortuo succedit Carolus ejus filius, qui postea Magnus appellatur, ad eum Alredus Northumbriæ Rex legationem mittit. num. 1 Idem Alredus scribit ad Lullū, & mittit munuscula. n. 2. Suffragia post mortem petuntur, & ea potissimum de causâ, literæ scribuntur. num. 3 Beornredus exrex misere perit, igne consumptus. n. 4.
17	4	7	7	7	27	2	4	33	5	8	Gisla & Rectrudes Virgines clarent in Britanniâ. n. 1. 2. & 9. Alcuini ad illas Epistola. num. 3. 4. 5. 6. 7. De studio sacrarum literarum, etiam in fœminis. n. 8. Gisla & Rectrudes ad Alcuinum scribunt, & petunt exponi Evangelium S. Joannis. num. 10. 11. Alcuinus scribit ad Gislam & Columbam. Sed quænam illa? n. 13 14. De Columbâ Virgine & Martyre, à S. Thomâ Cantuariensi cultâ. num. 14.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. Stephanus IV.	Romani Impp. Constantinus Copronymus.	Francorum. Carolus Magnus.	Cantii. Alricus.	Occident. Saxon. Kenulphus.	Oriental. Saxonũ. Swithredus.	Orient. Anglorũ. Ethelbertus	Merciorum. Offa.	Northũbria. Alredus.	Episcopi Cantii: Dorovernenses. Lanbertus	Episcopi Cantii: Roffenses. Eardulfus	Episcopi Oriental. & Austral. Sax.: Londinenses. Eadgarus.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax.: Selesienses. Albertus	Episc. Orient. Angl.: Domnocenses.	Episc. Orient. Angl.: Helmhamenses.
771	IX	4	31	3	12	17	26	23	14	7	10	8	4	11	Eglapius. 1 n. 1.	Ethelwolfus 1 n. 1.
772	X	Hadrianus. 1 n. 1.	32	4	13	18	27	24	15	8	11	9	5	12	2	2
773	XI	2 n. 1.	33	5	14	19	28	25	16	9	12	10	Kenwalchius. 1	13	3	3
774	XII	3	34	6 n. 3.	15 ab Offa fugatur. n. 3.	20 n. 2. 4.	29	26	17	10 Alredo pulso, Edelredus regnat. n. 5. 1	13	11	2	14	4	4
775	XIII	4	35	7	16	21	30	27	18	2	14	Diora. 1 n. 4.	3	15	5	5
776	XIV	5	Leo. 1	8	17	22	31	28	19	3	15	2	4	16	6	6
777	XV	6	2	9	18	23	32	29	20	4	16	3	5	17	7	7
778	I	7	3	10	19	24 n. 2.	33	30	21	Pulso Edelredo Alfwold[°] regnat. n. 1. 1	17	4	6	18	8	8
779	II	8	4	11	20	25	34	31	22	2 n. 1	18	5	7	19	Eadredus. 1 n. 1.	Hunfertus 1 n. 1.
780	III	9	5 Irenes, & Constantinus.	12	21	26	35	32	23	3	19	6	8	20	2	2

Episc. Occid. Sax. Wintonienses.	Episc. Occid. Sax. Schirburnenses.	Episcopi Merciorum. Lichfeldenses.	Episcopi Merciorum. Lindisfarorum.	Episcopi Merciorum. Legecestrenses	Episcopi Merciorum. Wigornenses.	Episcopi Merciorum. Herefordenses.	Eboracenses.	Episcopi Northumbriæ. Lindisfarnenses	Episcopi Northumbriæ. Hagustaldenses	Episcopi Northumbriæ. Candidæ Casæ.	Capita rerum gestarum.
KENEARDUS.	ETHELMODUS.	CUTHBRIDUS.	CEOLULFUS.	EDBERTUS.	MILREDUS.	ESNA	ETHELBERTUS vel Albert	KENULFUS.	ALMUNDUS.	PECTWINUS	
18	5	8	8	8	28	3	5	34	6	9	Novi Antistites in Anglorum Orientalium provincia constituuntur, in duabus Sedibus, quæ posterioribus seculis in unam Norwicensem Ecclesiam coaluerunt.
19	6	9	9	9	29	4	6	35	7	10	Alcuinus scribit ad Hadrianum Papam. num. 2. 1. 4. Kenulfus Rex Occidentalium Saxonum, & alii, dant prædia Glastoniensi monasterio. num. 4
20	7	BERTUNUS. 1 n. 1.	10	10	30	5	7	36	8	11	Albertus Eboracensis pallium accipit ab Hadriano Papa num. 1. Fritzlariensis Ecclesia, quam Bonifacius noster fundaverat, mirabiliter ab incendio liberatur, mortuo & fugato Saxone, qui illam accendere conatus est. num. 2.
21	8	2	11	11	31	6	8	37	9	12	Offa Merciorum Rex, Cantiani regni magnitudinem minuere studens, & facto in gradu Dorovernensis etiam Ecclesiæ dignitatem. n. 1. Offa in Cantuarium regnat apud Otanford. num 2. Alcredus Northumbrorum Rex, e regno pulsus ad Pictos fugit. n. 4. 5 Matth. Parisiensis ... n. 3. 4. 5. Kenulfus Rex, dat prædia Schirburnensi Ecclesiæ. num. 5.
22	9	3	12	12	WEREMUNDUS. 1 n. 4.	CEOLMUNDUS. 1 n. 4.	9	38	10	13	Simultates oriuntur inter Offam & Carolum Reges n. 1. Meminit Alcuinus hujus simultatis, sed ex eo colligitur in annos sequentes rejiciendas num. 2. 3. Egbertus quidam in Cantio dat prædia Roffensi Ecclesiæ num. 4. Offa Rex fundat monasterium Bathoniæ num. 4.
23	10	4	13	13	2	2	10	39	11	14	Walburga, quam Bonifacius è Britannia vocaverat, & Heydenheimensi monasterio præfecerat, moritur sancta. num. 1. Habes ejus vitæ compendium. n. 2. 3. Oleum ex ejus corpore mirabiliter defluit. n. 2. Translatio reliquiarum ejus in Flandriam. n. 3. Ab Antuerpiensibus colitur. num. 5.
24	11	5	14	14	3	3	11	40	12	ETHELBERTUS 1	Pectwinus Candidæ Casæ Episcopus moritur, & hoc anno eligitur successor ejus qui sequenti consecratus.
25	DENEFRIDUS. 1	6	15	15	4	4	12	41	13	2	Offa in Kenulfum pugnans expugnat Benson. n. 2. Ecclesia S. Swiberti & monasterium destruitur, ab impio Saxone, qui mirabiliter à Deo punitur. n. 6. 7. 8. 9. 10. Ludgerus Alcuini discipulus. n. 12. Alcuinus Caroli magister asseritur. n. 13. 14. 15.
26	2	7	16	16	TILHERUS. 1 n. 2.	5	13	42	14	3	Alfwoldus Northumbriæ Rex, à pietate & justitia commendatur. num. 1. Orientalium Anglorum Episcopus moritur, substituuntur alii: ut etiam Wigorniensis Ecclesia novum habet Antistitem. num. 2.
ETHELARDUS 1 n. 3.	3	HIGBERTUS. 1 n. 3.	17	17	2	6	EANBALDUS I. 1 n. 1.	HIGBALDUS 1 n. 3	15	4	Eanbaldus Eboracensis Episcopus, Alcuini discipulus, fuit Eanbaldus secundus, non primus. n. 1. 2. Moriuntur per Insulam plures Episcopi, & simul Sturmius Fuldensis Abbas, qui monasterio illi, & 400. monachis præfuerat per annos 30. Anglo-Saxo. num. 3.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices HADRIANUS.	Romani Impp IRENES, & CONSTANTINUS.	Francorum. CAROLUS Magnus.	Cantii ALRICUS.	Reges Occident. Saxon. KENULPHUS.	Reges Orientalium Saxonum SWITHREDUS.	Orient. Angliæ ETHELBERTUS	Merciorum. OFFA.	Northumbria. ALFWOLD*	Episcopi Cantii. Dorovernenses. LAMBERTUS	Episcopi Cantii. Roffenses. DIOSA.	Episcopi Oriental. & Austral Sax. London. KENWALCHIUS.	Episcopi Oriental. & Austral Sax. Selesienses. ALBERTUS	Episc. Orient. Angl. Dummocenses. EADREDUS.	Episc. Orient. Angl. Helmhamenses. HENFERTUS
781	IV	10	2	13	22	27	36	33	24	4 n. 2.	20	7	9	21	3	3
782	V	11	3	14	23	28	37	34	25	5 n. 2.	21	8*	10	22	4	4
783	VI n. 2.	12	4	15	24	29	38	35	26	6	22	9	11	23	5	5
784	VII	13	5	16	25	30	39	36	27	7	23	10	EADBALD*. 1 n. 2.	24	6	6
785	VIII	14	6	17	26	BRITHRICUS. 1	40	37	28	8	24	11	2	25	ALFUNUS. 1 n. 5.	SIBBA 1 n. 5.
786	IX	15	7 n. 5.	18 n. 6.	27	2	41	38	29	9	25	12	3	26	2	2
787	X	16	8	19	28	3	42	39	30	10	26	WERMUND*. 1 n. 30. 31.	4	27	3	ALHEARDUS. 1 n. 30. 31.
788	XI	17	9	20	29	4	43	40	31 n. 15.	11	27	2	5	28	TIDFRIDUS 1 n. 12.	2
789	XII	18	10	21	30	5	44	41	32	OSREDUS. 1 n. 4	28	3	6	29	2	3
790	XIII n. 22. & 23.	19	CONSTANTINUS solus 1	22	31	6	45	42	33 n. 21.	ETHELREDUS iterum pulso Osredo. 1 n. 15.	29	4	7	[illegible]sa, vel Bosa. 1 n. 10.	3	4

Episc. Occid. Sax. Wintonienses.	Episc. Occid. Sax. Scirburnenses.	Episcopi Merciorum. Lichfeldenses.	Episcopi Merciorum. Lendisfarorum.	Episcopi Merciorum. Legeceastrenses	Episcopi Merciorum. Wigornenses.	Episcopi Merciorum. Herefordenses.	Episcopi Northumbriæ Eboracenses.	Episcopi Northumbriæ Lindisfarnenses	Episcopi Northumbriæ Haugustaldenses	Episcopi Northumbriæ Candid. Casæ.	Capita rerum gestarum.
ETHELARDUS	DENEFRITUS.	HIGBERTUS.	CEOLULFUS.	EDBERTUS.	TILHERUS.	CEOLMUNDUS.	EANBALDUS I.	HIGBALDUS		ETHELBERTUS	
2	4	2	18	18	3	7	2	2	TILHERUS. 1	5	Alfvvoldus legationem mittit ad Hadrianum Papam & Alcuinus Orator mittitur pro pallio Eboracenti Episcopo. n. 1 Alcuinus ex Urbe rediens, cum Carolo congressus, ab eo in Gallias invitatur n. 2. Moritur S. Willibaldus Eystatensis Episcopus, S. Bonifacii coadjutor. num. 3
3	5	3	19	19	EATHOREDUS. 1 n. 1.	8	3	3	2	6	Wereburga Merciorum quondam Regina monasterium ingressa & postmodum Abbatissa, cum sanctitatis opinione moritur.
4	6	4	20	20	2	UBELAUS. 1 n. 1.	4	4	3	7	Carolus junior Magni filius, Westphalos vincit, in eo prælio Ammonides vulneratur, & à S. Suiberto mirabiliter curatur. n. 2. 3. 4. Carolus Magnus eodem miraculo patronum sibi adsciscit S. Suibertum. n. 5. 6.
5	7	5	21	UNWONA. 1 n. 1	3	2	5	5	4	8	Moritur Gregorius quem Bonifacius è Britannia in Germaniam vocavit, quique Ultrajectinus Episcopus, passim appellatur. n. Ejus patria, & Elogium è Gallicano Martyrologio.
6	8	6	22	2	4	3	6	6	5	9	Kenulfus Occidentalium Saxonum Rex à suis occiditur, in villa Mertoft. De anno mortis regni ejus. n. 1. 2. 3. Violavit aliquando jura, & prædia Dorovernensis Ecclesiæ, sed resipuit. num. & Brithricus in Occidente succedit. n. 4.
7	9	7	23	3	5	4	7	7	6	10	Hadrianus Papa Anglo-Saxonum Fidem probaturus Legatos in Britanniam mittit, Gregorium Ostiensem, & Theophilactum Episcopos. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Causa legationis Offa Rex, qui Dorovernensem Ecclesiam minuere laborabat. num. 7. Bathruth Regina & Abbatissa indicatur. num. 8.
8	10	8 n. 30. 31. & 33.	24 n. 27.	4 n. 30. 31.	6 n. 30. 31.	5	8	8 n. 26 27	7 Subscrib. Synodo. n. 26 27	11 n. 26. 27	Legati Apostolici Synodum in Britannia cogunt, & reverenter ab omnibus excipiuntur n. 1 2 Georgius Ostiensis in Northumbria in Synodo decreta condit, & Canones. n. 4. 5 &c. De habitu Canonicorum & Monachorum n. 8 9. &c. De Regum electione. n. 16 &c. De relinquendis paganorum ritibus, & pictura. n. 23 &c. alia Calchutensis Synodus inter Mercios. n. 30 31. &c. Egfridus Offæ filius in Regem coronatur. n. 36. Quendreda Merciorum Regina. n. 38
9	11	9	25	5	7	WULFHARDUS. 1 n. 12	9	9	8	12	Duplex Synodus in Northumbria. n. 1. 2. Brithricus Rex Eadburgam Offæ filiam uxorem accipit. n. 3. Moritur S. Lullus n. 4. Willehadus consecratur Bremensis Episcopus, cui Carolus Mag. Diploma dat & fundationem Ecclesiæ. num. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.
10	12	10	26	6	8	2	10	10	ETHELBERTUS Candidæ Casæ Episcopus. 1	13	Alfvvoldus Rex Occiditur, sepelitur ad Hexam, & Deus mirabiliter declarat sanctitatem ejus. n. 1. 2. 3. Duæ plagæ, una pestis, alia Danorum Septentrionum minatur. n. 3. Alcuini Epistola ad Ethelbertum Haugustaldensem, suffragia pro mortuis petit. num. 6. 7. 8.
11	13	11 Pallium accipit. n. 1.	27	7	9	3	11	11	2	BADULFUS. 1 n. 1.	Lambertus Dorovernensem sedem relinquit, ob datum Lichfeldensi pallium n. 2. Alcuini Epistola ad Lambertum, cum Sedem relinquit num. 3. 4. 5. 6. Lambertus redit & moritur n. 9 Iterum regnat in Northumbria Ethelredus, ad eum scribit literas Alcuinus, & multa docet n. 11 12 13 &c. Offæ Regis diploma, pro monasterio S. Dionysii, prope Parisios. n. 20. 21 Regum nostrorum pietas in illud monasterium. n. 23. 24.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices HADRIANUS.	Romani Impp. CONSTANTINUS	Reges Francorum. CAROLUS Magnus.	Reges Cantii ALRICUS	Reges Occidit. Saxon. BRITHRICUS.	Reges Orient. Saxonū SWITHREDUS	Reges Orient. Anglor. ETHELBERTUS	Reges Merciorum. OFFA.	Reges Northumbria ETHELREDUS iterum	Episcopi Cantuarienses Dorovernenses.	Episcopi Roffenses. WEREMUND	Episcopi Orientales & Australes Saxones Lond. EADBALD	Episcopi Seleseienses OSA, vel BOSA	Episc. Orient. Angl. Dumnocenses TIDFRIDUS	Episc. Orient. Angl. Helmhamenses. ALHERDUS.
791	XIV	20	2	23	32	7	46	43	34	2	ETHELARDUS è Wintoniensi. 1	5	8	2	4	5
792	XV	21	3	24	33	8	47	44	35	3	2	6	9	3	5	6
793	I	22	4	25	34	9	48	Occiso Ethelberto, regnum Orientalium Anglorum Merciorum regno unitur.	36	4 n. 1.	3 Subscrib. Offæ diplomati. n. 21.	7	10	4	6	7 Subscribit ... donatio... n. 21.
794	II	23	5	26	ETHELBERTUS Pren. 1 n. 2.	10	49		37	5 Ethelred. occiditur n. 6. ARDULFUS. 1	4	8	11	5	7	8
795	III	24	6	27	2	11	50		38	2	5	9	12 HEATHOBERT. 1	6	8	9
796	IV	LEO III. 1 v. an. superior. n. 8 & hoc n. 12.	7	28	3	12	51		39 EGFRIDUS. 1 n. 2. 3. & 9.	3	6 Subscribit Egfridi Regis diplom. n. 6 & 2.	10	2	7	9	10
797	V	2	IRENE rerum. 1	29	4	13	52		KENULFUS. 1 n. 1.	4	7	11	3	8	10	11
798	VI	3	2	30	CUTHREDUS. Merciorum Regi subditus. n. 1. 2. 1	14	53		2 n. 1. 2. 3.	5	8	12	4	9	11	12
799	VII	4	3	31	2	15	54		3	6	9	13	5	10	12	13
800	VIII	5	4	Coronatur Occidentis Imperator.	3	EGBERTUS. 1 n. 1.	55		4	7 n. 25.	10	14	6	11	13	14

Episc. Occid. Sax.		Episcopi Merciorum.					Episcopi Northumbriae				
Wintonienses.	Scireburnenses.	Liechfeldenses.	Lindisfarorum.	Legecestrenses	Wigornienses.	Herefordenses.	Eboracenses.	Lindisfarnenses	Hagustaldenses	Candidae Casae	*Capita rerum gestarum.*
	DENEFRITUS.	HIGBERTUS.	CEOLULFUS.	UNWONA.	EATHOREDUS.	WULFHARDUS.	EANBALDUS I.	HIGBALDUS	ETHELBERTUS	EADULFUS.	
EGBALDUS. 1	14	12	28	8	10	4	12	12	3	2	Ethelardi Dorovernensis Elogium: ad eum scribit Alcuinus. n. 1. 2. 3. 4. &c. Burchardus Anglus natio, Herbipolensis Episcopus moritur & ejus Elogium. n. 9. 10. Moritur etiam S. Willehadus Bremensis. n. 11. Elf. & Elfwinus ex Ecclesiâ extractu occiduntur. num. 12.
2	15	13	29 n. 13. 14.	9	11	5	13	13	4	3	Ethelredus Rex, repudiatâ uxore aliam ducit. n. 2. De libro Synodali a Carolo in Britanniam misso, ubi de cultu imaginum. num 3. 4. 5 6 &c. Caroli literae ad Ethelardum, & Ceolulfum Episcopum. num. 13.
3 Subscribit Regiae chartae pro Croylandiâ. n. 14.	16 Subscrib. cum aliis. n. 21.	14 Subscribit Offae diplomati n. 21.	30 Subscribit Offae diplomati. n. 21.	10 Subscribit Offae diplomati. n. 21.	12 Subscribit cum aliis. n. 21.	6 Fortè Chineardus dicitur in Diplomate. n. 21.	14	14	5	4	Ethelbertus Orientalium Anglorum Rex Offae filiam uxorem petens occiditur n. 2. 3 4. &c. Alfreda sponsa luget, & Croylandiam vadit. n. 8 9. Ethelbertus colitur. num. 10. 11. 12. 13. Offa poenitens Albanense monasterium extruit, invento S. Albani corpore. n. 14. 15. 16 &c. Dat diploma monasterio. n. 20. & aliud Croylandensi. n. 24.
4	17	15	31	11	13	7	15	15 Alcuinus ad eum scribit.	6	5	Offa Rex Romae scholam Anglorum dotat. n. 2. 3. Denarii S. Petri e singulis provinciis colliguntur. n. 4. 5 Danorum irruptio in Northumbriâ n. 7. Carolus irascitur Northumbris ob Regem interfectum, ab Alcuino placatur n. 7 8. Alcuini Epistola ad Wirenses monachos num. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Item ad Eboracenses. num. 15.
DUDDA. 1	18	Subscribit chartae Regiae, & moritur. n. 5. 13 ALDULFUS. 1	Subscribit iterum. n. 5. 32	Subscribit iterum. n. 5. 12	Subscribit iterum. n. 5. 14	8	16	16	7	6	Synodus apud Verolamium, post reditum Offae Regis. n. 1. 2. Aliud ejus diploma pro S. Albano. n. 4. 4. 5 Hadrianus Papa moritur, Carolus ad Offam scribit, & petit mortuo suffragia. n. 7. 8. 9. iterum scribit ad Offam. n. 11.
2	19	2	EADULFUS. 1	Subscribit Egfridi Regis diplomati. n. 6. 8. 13	15	9	EANBALDUS II. 1 n. 10.	17 n. 10.	8 n. 10.	7 n. 10.	Offa Rex moritur, ejus Elogium. num. 1. De ejus prole, & Fremundo Martyre. num. 2. Egfridi Regis donatio Albanensi monasterio. n. 4. 5. 6 7. 8. Ethelardus pro resarcienda Dorovernensi Sede laborat. n. 9 & 11. Alcuinus in Galliam vocatur, & quare? n. 12. 13. Felicianam haeresim oppugnat. n. 14. 15. Fit Abbas Turonensis. n. 18. Elipandi odium in Alcuinum. n. 17.
3 KINEBERTUS. 1	20	3	2	14	16	10	2	18	EADREDUS. 1 n. 16.	8	Kenulfi Regis elogium. num 2. Pro reparandâ dignitate Dorovernensis Ecclesiae, scribit ad Leonem Papam, & legationes mittit n. 3. 4. 5 6 7 Ethelardus Romam vadit pro suâ Ecclesiâ. n 8 Alcuini ad eum literae. n 8 9 Synodus Cloveshoviae. n. 10. Leonis Papae literae ad Kenulfum. n. 12. 13. 14. 15. Eanbaldus pallium ex Urbe accipit. n. 16.
2	WIBERTUS. 1 n. 9	4	3	15	DENEBERTUS. 1 n. 9.	11	3	19	2	9	Kenulfus Cantii Regem expugnat, & privat. n. 1. Num eum excaecaverit? n. 2. Ejus pietas in consecratione Ecclesiae Winchelcumbae. n. 2. Alcuini litera ad Ethelardum n. 3 Synodus Bacanceldiana. n. 5. 6. Synodus apud Finchal, & acta ejus. n. 8.
3	2	5	4	16	2	12	4	20	3	10	Leo Papa excaecatur. Carolus M. ad vindictam acuitur ab Alcuino scriptis ad eum literis. num. 1 2. Leo mirabiliter curatur. Carolus ad Alcuinum scribit. n 3. Iterum scribit ad Carolum Alcuinus. n. 4. Ethelardus Romam proficiscitur. n. 5. Anglorum schola Leoni in Urbem occurrenti gratulatur. num. 6.
4	3	6	5	17	3	13	5 n. 14.	21	EANBERTUS. 1 n. 14.	11 n. 14.	Brithricus veneno perit. Edburga conjux fugit in Galliam, Carolus illi monasterium donat. num. 1. 2. Alcuinus in Gentulavitam scribit S. Richarii. n. 3. Carolus coronatur Augustus, & Alcuinus eum egregio munere donat, sacrorum codicum volumine. n 4. 5 6. Dedicat Alcuinus Carolo librum de Trinitate n. 7. Ejus operâ festum institutum. num. 8. Synodus Cloveshoviae. n. 9 10. 11. 12. Per octo secula eadem fides. n. 13. 14. 15 De Alcmundo Rege.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices Leo III.	Romani Impp. & Reges Francorũ Carol. Magnus.	Reges Cantii sub Merciis Cuthredus	Orientalium Saxonũ sub Merc. Swithredus.	Occidentalium Saxon. Egbertus.	Merciorum. Kenulfus.	Northumbria Eardulfus	Episcopi Cantii Dorovernenses. Ethelardus	Roffenses. Wernmund.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax. Lond. n. Heathobert.	Selesienses. Osa, vel Bosa.	Episc. Orien. Angl. Dummocenses. Tidfridus	Helmhamenses. Alheardus.	Episc. Occid. Sax. Wintonienses. Kinebertus	Sireburnenses. Wibertus
801	IX	6	Caroli Imperatorum. 1	4	56	2	5	8	11	15	7	12	14	15	5	4
802	X	7	2	5	57	3	6	9	12	16	Osmundus. 1 n. 3.	Wigthunus. 1 n. 3.	15	16	6	5
803	XI n. 11. & 7.	8	3	6	58	4	7 n. 11. 12.	10	13 Subscrib. Synodo n. 6.	17 Subscrib. Synodo. n. 7 Brornodus. 1 n. 9.	2 [illegible] Synodo. n. 7.	2 Subscrib. Synodo. n. 7.	16 Subscrib. Synodo. n. 7	17 Subscrib. Synodo. n. 7.	7 n. 8	6 Subscribit syn. n. 6.
804	XII	9	4	7	59	5	8	11	Wilfredus 1 n. 2.	2	3	3	17	18	8	7
805	XIII	10	5	8 Baldred. 1 n. 1.	60	6	9	12	2	3	4	4	18	19	9	8
806	XIV	11	6	2	61	7	10	13	3	4	5	5	19	20	10 Subscrib. Croylandensi Chartæ. n. 3	9
807	XV	12	7	3	62	8	11	14	4	5	6	6	20	21	11	10
808	I	13	8	4	63	9	12	Eardulfus fugatur. Alfwoldus.	5	6	7	7	21 n. 6. & an. 816 n. 4.	22	Almundus. 1 n. 6.	11
809	II	14	9	5	64	10	13	Eardulfus iterum. v. an. superiorem n. 3.	6	7	8	8	22	23	2	12
810	III	15	10	6	65	11	14	Eanredus. 1 n. 1.	7	8	9	9	23	24	3.	13

Episcopi Merciorum.					Episcopi Northumbriæ				
Lichfeldenses.	Lindisfarorum.	Legecestrenses	Wigornienses.	Herefordenses.	Eboracenses.	Lindisfarnenses	Hagustaldenses	Candidæ Casæ	
ALDULFUS.	EADULFUS.	UNWONA.	DENEBERTUS.	WULFHARDUS.	EANBALDUS II.	HIGBALDUS	EANBERTUS	EADULFUS.	*Capita rerum gestarum.*
7	6	18	4	14	6	22	2	12	Penes Mercios est Insulæ monarchia. num 1. Northumbrii in Mercios æquo marte pugnant. num 2. Gallovidia & Laudonia, cujus juris? n. 3. 4. 5. 6. &c.
8	7	19	5	15	7	23	3	13	Leonis Papæ literæ ad Ethelardum Dorovernensem, quibus Ecclesiæ ejus privilegia confirmat. n. 1. 2. 3.
9 Subscribit Synodo. n. 6.	8 Subscribit Synodo. n. 6.	20 Subscribit Synodo. n. 6	6 Subscribit Synodo n. 6.	16 Subscribit Synodo. n. 6	8	EGBERTUS. 1 n. 14.	4	14	Synodus Clovesboviæ, sub Ethelardo, & acta ejus. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Alcuini Epistola ad Beornredum num. 10. Lis componitur, inter Herefordensem & Wigorniensem Episcopos. num. 12.
10	9	21	7	17	9	2	5	15	Leo Papa, Suibertum Episcopum Sanctorum Catalogo ascribit, & Deus factum probat miraculo, Gozelino mortuo ad vitam revocato. num 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Quæ dona Carolus S. Suiberto dederit, & Leo Papa. n. 6. 7. Moritur Alcuinus. n. 13. 14. Cujus instituti fuerit. n. 16. 17. 18. 19. 20.
11	10	22	8	18	10	3	6	16	Cuthredo mortuo Baldredus succedit, & Merciorum arbitrio regnat.
12	11	23	9	19	11	4	7	17	Kenulfus Rex, cum Wilfredo Dorovernensi, invisit corpus S. Guthlaci. num 1. Ejus diploma Croylandensi monasterio datum, quo Ethelbaldi fundatoris donatio confirmatur. n. 2. 3. 4. Moritur S. Odwaldus Abbas Lindisfarnensis. n. 5.
13	12	WERMUNDUS. 1	10	20	12	5	8	18	
14	13	2	11	21	13	6	9	19	Eardulfus Northumbriæ Rex deponitur, & fugatur. num. 1. Romam appellat, & à Leone Papa juvatur. num. 2. 3. 4. Adolfus Diaconus in Britanniam mittitur, & sequenti anno Eardulfum restituit. num. 5.
15	14	3	12	22	14	7	10	20	Britanni tument in Saxones, sed premuntur ab Egberto, qui nunc monarchiæ prima jacet fundamenta. n. 1. 2. De Elbodio Archiepiscopo, & Britannorum sedibus. num. 3.
16	15	4	13	23	15	8	TIFFRIDUS. 1 n. 3.	21	Egbertus vincit Britannos Aquilonares. num. 1. Eardulfus Britanniæ regno restitutus, moritur. num. 2. Ut etiam Eanbertus Haugustaldensis Episcopus. num. 3.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pōtifices	Romani Impp. & Reges Francorũ	Reges: Cantii	Reges: Oriẽtal. Saxonũ	Reges: Occidẽt. Saxon.	Reges: Merciorum.	Reges: Northũbria	Episcopi Cantu.: Dorovernenses.	Episcopi Cantu.: Roffenses.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax.: Londin.	Episcopi Oriental. & Austral. Sax.: Selesienses.	Episc. Orien. Angl.: Dunmucenses.	Episc. Orien. Angl.: Helmhamenses.	Episc. Occid. Sax.: Wintonienses.	Episc. Occid. Sax.: Schirburn.
		LEO III.	CAROL.ᵘˢ Magnus.	BALDREDᵘˢ.	SWITHREDUS.	EGBERTUS.	KENULFUS.	EANREDUS.	WILFREDUS	BEORNODUS.	OSMUNDUS.	WIGHTHUNUS.	TIDFRIDUS	ALHEARDUS.	ALMUNDUS.	WIGBERTᵘˢ
811	IV	16	11	7	66	12	15	2	8	9	10	10	24	25	4	14
812	V	17	12	8	67	13	16	3	9 n. 1.	10	11	11	25	26	5	15 n. 1.
813	VI	18	13	9	68	14 n. 2.	17	4	10	11	12	12	26	27	6	16
814	VII	19	LUDOVICUS. 1	10	69	15	18	5	11	12	13	13	27	28	WIGHTHENUS 1 n. 6.	17
815	VIII	20	2	11	70	16	19	6	12	13	14	14	28	29	2	18
816	IX	STEPHANUS V. n. 2.	3	12	71	17	20 n. 2. 3.	7	13 n. 2.	14 Adfuit Synodo. n. 3. BURRHICUS. 1 n. 4.	15 n. 4.	15	29 Adfuit Synodo. n. 3 WERMUNDᵘˢ. 1	30	3 Adfuit Synodo. n. 3.	19 Adfuit Synodo. n. 3.
817	X	PASCHALIS 1 n. 2.	4	13	72	18	21	8	14	2	16	GISELHERUS. 1 n. 4.	2	31	4	20
818	XI	2	5	14	73	19	22	9	15	3	17	2	3	HUMBERTUS 1 n. 2.	5	ALSTANUS. 1 n. 1.
819	XII	3	6	15	74	20	KENELMUS. n. 6.	10	16	4	18	3	4	2	6	2
820	XIII	4	7	16	75	21	CEOLULFUS hic & nu. sup. n. 19	11	17	5	19	4	5	3	7	3

Episcopi Merciorum.					Episcopi Northumbriæ				
Lichfeldenses.	Lindisfarorum.	Legocestrenses	Wigorniensis.	Herefordenses.	Eboracenses.	Lindisfarnenses	Hangustaldenses	Candid. Casa	*Capita rerum gestarum.*
ALDELFUS.	EADULFUS.	WERENBERTUS.	DENEBERTUS.	WULFHARDUS.	EANBALDUS II.	EGBERTUS.	TIFRIDUS	EADULFUS.	
17	16	5	14	24	16	9	2	22 Fuit ultimus illius Sedis. n. 2.	Carolus Magnus piè condens testamentum, & Ecclesiam inter hæredes scribens, eleganter exprimit Fidem Regiam: & benè docet Reges Testamentum condere.
18	17	6	15	25	17	10	3		Wilfredus & Wibertus Episcopi Romam vadunt. num. 1. Wilfredus pro suâ Ecclesiâ, Wibertus pro Egberto Rege orator est n. 2 Egbertus bene sequitur majores suos, in cultu Romanæ Sedis.
19	18	7	16	26	18	11	4		Wilfridus & Wibertus in Britanniam revertuntur. num. 1. Egbertus Rex Britannorum agros hostiliter infestat, n. 2.
HEREWINUS. 1 n. 7.	19	RETHUNUS. 1 n. 6	17	27	19	12	5		Carolus Magnus Sacramentis & Cruce munitus, moritur. n. 1. 2. Ejus Fides excutitur n. 3 Animam cacodæmones ad se trahere frustra laborant: ut Sectarii eam ad partes suas, num. 4. 5.
2	20	2	18	28	20	13	6		De Athelstano Anglo-Saxone, ab Hungo Pictorum Rege occiso, narratio excutitur: & de Cruce S. Andreæ à Scotis usurpatâ, n. 1. 2.
3 Adfuit Synodo. n. 3.	21 Adfuit Synodo. n. 3.	3 Adfuit Synodo. n. 3.	19 Adfuit Synodo. n. 3.	29 Adfuit Synodo. n. 3. BEORNA 1 n. 1.	21	14	7		Wilfredus Synodum cogit apud Celcyth. num. 1. 2. 3. 4. Decreta Synodi. n. 5 6. Scoti non admittendi ad sacra ministranda. n. 7. Prædia Ecclesiarum non alienanda. n. 8. Cur Cruce privilegia muniuntur. n. 9. 10. Alia Synodi decreta n. 11. 12, 13. 14. 15. 16. 17.
4	22	4	20	2	22	15	8		Anglorum schola Romæ comburitur, & incendium, ne pergeret, mirabiliter extinguitur. n. 2. A Paschali restauratur, & ab initio loci fuerit. n. 2. 3. Paschalis Papa alter Gregorius, & Anglorum in Romanam Sedem devotio. n. 3.
5	23	5	21	3	23	16	9		Alstani Episcopi laus, quòd Egberto author fuerit de monarchiâ cogitandi, quam Britannis & Saxone dominus, obtinuit. num. 1.
6	24	6	22	4	24	ECGTHOREDUS. 1 n. 20.	10		Kenulfus Rex sanctè moritur: Ejus opera pietatis. num. 1. 2. Ejus elogium. num. 4. Quendreda in fratrem Kenelmum Regem impia. n. 6. Kenelmi pueri insomnium. n. 7. 8. 9. Kenelmus obtruncatur. n. 9. Mors mirabiliter etiam Romæ innotescit. n. 10. 11. Colitur sanctus. num. 12. 13. 14. &c. Quendreda punitur. n. 17. Monasterium ingreditur. n. 18.
7	25	7	23	5	25	2	11		

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. Paschalis.	Romani Impp. & Reges Francorũ Ludovicus.	Reges Cantii Baldredus.	Reges Oriental. Saxonũ Swithredus.	Reges Occidẽt. Saxon. Egbertus.	Reges Merciorum.	Reges Northũbria. Eanredus.	Episcopi Cantu. Dorovernenses. Wilfredus	Episcopi Cantu. Roffenses. Bethericus.	Episcopi Oriental. & Austral Sax. Londin. Osmundus.	Episcopi Oriental. & Austral Sax. Selefeensis. Giselherus.	Episc. Orien. Angl. Dumnocensis. Werenund°.	Episc. Orien. Angl. Helmhamensis. Humbertus	Episc. Occid. Sax. Wintoniensis. Wigthenius	Episc. Occid. Sax. Schirburn. Alstanus.
821	XIV	5	8	17	76	22	Beornulfus 1 n. 8.	12	18	6	20	5	6	4	8	4
822	XV	6	9	18	77	23	2 n. 1.	13	19	7	21	6	7	5	9	5
823	I	7	10	Baldredus fugatur. n. 14.	Swithredus Rex vincitur & mortuus. n. 15.	24 n. 13.	3 n. 1.	14	20	8	22	7	8	6	10	6 n. 14.
824	II	Eugenius II. 1	11	Baldredo ab Egberto Rege fugato, Cantii regnum Occidentalium Saxonum regno unitur, cum Cantii regnum stetisset per annos 368. Vide annum 823. n. 14.	Swithredo victo & mortuo, Orientalium Saxonum Regnum, Occidentalium Saxonum regno unitur. Vide an. 823. n. 15.	25	Ludicamus. 1 n. 10.	15	21	9	23	8	9 Subscrib. Synodo. n. 7. Wilredus. 1	7 Subscrib. Synodo. n. 7.	11 Subscrib. Synodo. n. 7.	7
825	III	2	12			26	2	16	22	10	24	9	2	8	12	8
826	IV	3	13			27 n. 1.	Witlafius. 1 n. 1.	17	23	11	25	10	3	9	13	9
827	V	Valentinus Papa. Gregorius IV. n. 1.	14			28 n. 3.	2	18 Egberto subditur. n. 2, 3.	24	12	26	11	4	10	Herefridus. 1 n. 2.	10
828	VI	1	15			29	3	19	25	13	27	12	5	11	2	11
829	VII	2	16			30	4	20	Theologildus. n. 6.	14	28	13	6	12	3	12
830	VIII	3	17			31	5	21	Ceolnotus. 1 n. 1.	15	29	14	7	13	4	13

Episcopi Mерciorum. Lichfeldenses.	Lindesfarorum.	Legecestrenses.	Wigornenses.	Herefordenses.	Episcopi Northumbriæ. Eboracenses.	Lindisfarnenses.	Hagustaldenses.	Capita rerum gestarum.
HEARWINUS.	EADULFUS.	RETHUNUS.	DENEBERTUS.	BEONNA	EANBALDUS II.	EATHBALDUS	TIFFRIDUS.	
8	26	8	24	6	26	3	12. Mortuo Tiffrido Sedes vacat usque annum 810 n 3.	Ceolulfus Merciorum Rex deponitur; & Kenulfi frater Beornulfus succedit. num. 1. Synodus sub eo prima, ubi Quendreda postulatur de bonis Ecclesiæ. n. 2. 3. Rethunus, Episcopus Romam proficiscitur. num. 4.
9	27	9	Heabertus vel Eadbertus. 1	7	27	4		Alia Synodus sub Wilfredo in eâdem causâ. num. 1. Eadbertus novus Antistes, dat Ecclesiæ suæ Croleyam. num. 2.
10	28	10	2	8	28	5		Tertia Synodus apud Clovesho sub Wilfredo, & Beornulfo n. 1. 2. Ejus Acta. n. 4. 5. Excutiuntur, & improbantur acta. num. 6. Alia Synodi acta. n. 8. 9. 10. Bernulfus in Egbertum pugnat, & vincitur. n. 11. Britanni ab Egberto funduntur, in Devoniâ. num. 16.
11 n. 6 & 7.	29. Subscribit Synodo. n. 7.	11 Subscribit Synodo. n. 6.	3 Subscribit Synodo. n. 7	9 Subscribit Synodo. n. 7.	29	6		De quartâ Synodo sub Beornulfo ad Cloveshoviam, & an stare possit cum supradictis. n. 2. Acta producuntur Synodi n. 3. 4. 5. Subscribentium Episcoporum nomina excutiuntur. n. 6. 7. 8. Beornulfus pugnans occiditur. num. 9.
12	A morte Eadulfi Lindisfarorum Episcopi, vacat Sedes illa usque ad annum Domini 872.	12	4	10	30	7		Ludicanus in Orientales Anglos pugnans, occiditur. num. 1. Orientalium Anglorum vastatâ provinciâ, facti Antistites bonis destituti, in unam parochiam brevi coalescunt, Sedemque apud Helmham tenent. num. 2.
13		13	5	11	31	8		Witlafius Merciorum Rex, regno pulsus, in Croylandiâ latoit. n. 1. 2. Siwardus Abbas pro illo advocat, & promissa tributi pensione regnare permittitur. num. 3.
14		14	6	12	32	9		Egbertus ubique regnat princeps: soli Northumbrii nolunt subdi: in eos movet & subduntur. num. 2. 3. Angliæ appellatio nunc incipit Egberto jubente. num. 4. Quid Angliæ nomine censeatur. n. 5. 6. 7. Quinam Caledonii? Quinam Meatæ? n. 6.
15		15	7	13	33	EGBERTUS. 1 n. 3.		Britanni veteres ad novam Insulæ appellationem recalcitrant, & Egberti imperium; sed tandem parere coguntur, ab Egberto, qui Ordovices terruit. num. 1. Egredus Episcopus multa prædia dat Ecclesiis. n. 2.
16		16	8	EADULFUS. 1	34	2		Parkeri paradoxum excutitur, de Amalarii sententiâ, dicentis Papam non esse Rectorem totius Christianæ religionis. n. 1. 2. 3. Ludovici Imp. præclara sententia de Rom. Pontifice. num. 4.
17		17	9	2	35	3		Ceolnotus Doruvernensis Ecclesiæ Decanus ad Dorovernensem Sedem assumitur. num. 1. Jus cudendi pecuniam penes Archiepiscopos fuisse, Ceolnoti nummo ostenditur. num. 2.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices: Gregorius IV.	Romani Impp.: Ludovicus	Reges Occident. Saxonum: Egbertus	Reges Merciorum: Witlafius.	Reges Northumbrię: Eandredus	Episcopi in Cantio. Dorovernenses: Ceolnotus.	Episcopi in Cantio. Roffenses: Burnmicus.	Episcopi Oriental. Saxon. Londinen.: Osmundus.	Episcopi Austral. Saxon. Selesiensis: Giselherus.	Episcopi Occident. Saxonum. Wintoniensis: Herefridus.	Episcopi Occident. Saxonum. Scireburnenses: Alstanus.	Episc. Orient. Angl. Dunmucenses: Wilerdus.	Episc. Orient. Angl. Helmhamenses: Humbertus
831	IX	4	18	32	6	22	2	16	30	15	5	14	8	14
832	X	5	19	33	7	23	3	17	31	16	6	15	9	15
833	XI	6	20	34	8	24	4 Subscribit chartæ Regiæ n. 14.	Godwinus n. 14. Subscribit ch. Regiæ. 1	32 Subscribit char. Reg. n. 14.	17	Edmundus. n. 1. 2. Helmstanus. n. 16. 1	16 Subscrib. chartæ Reg. n. 14.	10 Subscribit chart. Reg. n. 14.	16 Subscrib. cha. reg. n. 14.
834	XII	7	21	35	9	25	5	2	33	18	2	17	Nunc mortuo Wilredo, Dunmucensis Sedes Helhamensi unitur. an 833. n. 17.	17
835	XIII	8	22	36	10	26	6	3	34 Ethelnotus. 1	19	3	18		18
836	XIV	9	23	37	11	27	7	4	2	20	4	19		19
837	XV	10	24 n. 1. 2. 3.	Ethelwolfus n. 4. 1 n. 8.	12	28	8	5	3	21	5 n. 9.	20		20
838	I	11	25	2 n. 6.	13	29	9 Swithunū cōsecrat. n. 1.	6	Ceolbertus, 1 n. 5.	22	Swithinus. 1 n. 1.	21		21
839	II	12	26	3 n. 1.	Bertulfus. 1 n. 4.	30	10	7	2	23	2	22		22
840	III	13	27 Lotharius. 1	4	2	Ethelredus. 1 n. 2.	11	8	3	24	3	23		23

Episcopi Merciorum. Lichfeldenses. HEREWINUS.	Episcopi Merciorum. Legeceastrenses. RETHUNUS.	Episcopi Merciorum. Wigornienses. HEABERTUS.	Episcopi Merciorum. Herefordenses. EARDULFUS.	Episcopi Northumbriæ. Eboracenses. EANBALDUS II.	Episcopi Northumbriæ. Lindisfarnenses. EGBERDUS.	Capita rerum gestarum.
18	18	10	3	36	4	Ceolnotus Dorovernensis pallium impetrat, à Gregorio IV. & pallii usus exponitur. Pugnatur apud Carmouth, in agro Dorsetano, cum Dani speculatum, veniunt Infirmiora terræ. Tunc Dani funduntur & fugantur. num. 2.
19	19	11	4	37	5	Major Danorum irruptio, quæ prima sub Egberto nominatur. num. 1. Unde Dani, & quinam? num. 2. 3. 4. Quando ad Fidem conversi. num. 5. Eorum ritus sacrilegi. num 6. 7. Quantum Dani Insulæ nocuerint? n. 8. Cur Deus hanc plagam immiserit. num. 9. 10. &c. Fides inter malos mores non passa naufragium. num. 17. Danici Piratæ in Cantio deprædantur. num. 18.
20 Subscribit chartæ Regiæ. n. 14.	20	12 Subscribit chartæ Regiæ. n. 14.	5 Si Cedda alio nomine vocatur Subscribit. n. 16.	38 Subscribit chartæ Regiæ. n. 14.	6	Dani in Egbertum pugnantes, victoriâ potiuntur. num. 1. 2. Egbertus indicit Comitia. Concilium Pan-Anglicum Londini. num. 3 4. Witlafii Regis Charta pro Croylandensi monasterio, quod Asylum constituitur. num. 5. 6. 7. &c. Sancti Swithuni exordia. num. 18. Ethelwolfum bene docet Egberti filium. num. 19.
21	21	13	6	WULSIUS. 1	7	Britanni cum Danis fœdere juncti, in Anglos pugnant, sed Egbertus utrumque hostem premit, & Danos pellit Insulâ. num. 1. 2. Witlafius Rex S. Guthlacum quotannis visitat, & munera offert. n. 3. Moritur Alfleda virgo Uffæ filia. n. 4. Colitur sancta. num. 5.
22 ETHELWALDUS 1	22	14	7	2	8	Sacri Antistites mutantur, post mortem Olmundi Londinensis, succedit Ethelnotus: post Herewinum Lichfeldensem Ecclesiam administrat Ethelwaldus, sive Eskenwaldus.
2	23	15	8	3	9	Dani iterum ab Egberto West-Saxonum Rege funduntur.
3	24	16	9	4	10	Cometa apparens, Egberti mortem portendit: & Ludovicus Imp. se ad mortem parat. num 1. 2. Ebgertus Wintoniæ sepelitur. num. 2. Ethelwolfus filius voto castitatis obstrictus solvitur, & Osburgam ducit num. 4. 5. De Ethelstano & parente ejus. num. 6 7. Dani ad Hamptonensem portum appulsi ab Ethelwolfo profligantur. num. 8.
4	25	17	10	5	11	Ethelwolfus duorum Episcoporum ope Swithuni & Alstani, benè Remp. administrat. num. 1. 2. Herebertus Consul, & Mercuatis à Danis funduntur. num 3. De Mercuatis quæritur, quinam fuerint. num. 4. Concilium Pan-Anglicum Kingstoniæ. n. 5. 6. Acta Concilii. n. 7. Frederici Trajectensis Episcopi Martyrium. num. 9. Fuitne è Transmarinâ Saxoniâ oriundus. n. 10 11. 12. 13.
5	26	18	11	WINUNDUS. 1 n. 5.	12	Nova Danorum irruptio in Cantium & Essexiensem provinciam, & in Trinobantes. n. 1. 2. Moritur Witlafius, & sepelitur in Repton. n. 3. Lupi Ferrariensis Abbatis Epistola ad Winundum Eboracensem Episcopum. num. 6. Ejusdem Lupi ad Altsigum, in Eboracensi provinciâ Abbatem, Epistola. num. 7.
6	27	19	12	2	13	Scotorum opinio de deleto per eos Scotorum regno, per Kenedum Regem rejicitur. num. 1. 2. Northumbriæ regnum penes Anglo-Saxones. num. 3. Kenethi leges Ecclesiam, & sacra spectantes, quas hodie Scoti non observant. num. 3. Sedes Episcopi apud S. Andreæ. num. 4. Lupi Abbatis Epistola ad Ethelwolfum Regem num. 6. Item ad Felicem Regis scribam. num. 8. Ethelwolfi Regis pietas in Ecclesiam. num. 9.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. GREGORIUS.	Romani Impp. LOTHARIUS.	Reges Francorum. CAROL. CALVUS.	Reges Occident. Saxonum. ETHELWOLFUS.	Reges Merciorum. BERTULFUS.	Reges Northumbria. ETHELREDUS.	Episcopi in Cantio. Dorovernenses. CEOLNOTUS.	Episcopi in Cantio. Roffenses. GODWINUS.	Episcopi Oriental. Saxon. Londinen.	Episcopi Austral. Saxon. Selesienses. GISBERNUS.	Episcopi Occident. Saxonum. Wintonienses. WITHELMUS.	Episcopi Occident. Saxonum. Schirburnenses. ALSTANUS.	Episcopi Or. Angl. Helmhamenses. HUMBERTUS.
841	IV	14	2	2	5 n. 1.	5	2	12	9	CEORWULFUS. 1 n. 5.	25	4	24	24
842	V	15	3	3	6	4	5	13	10	2	26	5	25	25
843	VI	16 Moritur	4	4	7	5	4	14	11	3	27	6	26	26
844	VII	SERGIUS. 1 n. 2.	5	5	8	6	Pellitur & Restituitur. 5	15	12	4	TOTA. 1 n. 3.	7	27	27
845	VIII	2	6	6	9	7	6	16	13	5	2	8	28	28
846	IX	3	7	7	10	8	7	17	14	6	3	9	29	29
847	X	LEO IV. 1	8	8	11	9	8	18	15	7	4	10	30	30
848	XI	2	9	9	12 n. 10.	10	OSBERTUS. 1 n. 2.	19	16	8	5	11	31	31
849	XII	3	10	10	13	11	2	20	17	9	6	12	32	32
850	XIII	4	11 n. 1.	11 n. 1. 2.	14	12	3	21	18	SWITHULFUS. 1	7	13	33	33

Episcopi Mercierum.				Episcopi Northũbriæ.		
Lichfeldensis.	Legecestrensis.	Wigornensis.	Herefordensis.	Eboracensis.	Landisfarnensis	*Capita rerum gestarum.*
ETHELWOLDUS	RETHUNUS.	HEABERTUS.	EARDULFUS.	WIMUNDUS.	EGRADUS.	
7	28	20	13	3	14	Dani ad Carrum oppidum iterum pugnant, & victoriâ potiuntur. num. 1. 2. Nascitur Edmundus, futurus postea Orientalium Anglorum Rex & Martyr. n. 3. Ejus parentes & institutio. num. 3. 4.
8	29	21	14	4	15	Scotorum Rex Kenedus in Pictos pugnans, pomerium suum dilatat, obtentâ contra eos victoriâ.
9	30	22	15	5	16	Mortuo Gregorio Papa quarto, Joannes quidam in ejus locum intruditur; sed mox extruditur electo digniore.
10	31	23	16	6	17	Sergii Papæ elogium. num. 1. Motus in Northumbriâ; Ethelfredus Rex è solio pellitur, succedit Readwulfus, qui in Danos pugnans mox occiditur, & iterum regnat Ethelredus. num. 2.
11	32	24	17	7	EANBERTUS. 1 n. 3.	Danorum exercitus in Somersetano agro profligatur. num. 1. Iterum in Cantio Dani funduntur. n. 2. Dani relictâ Insulâ Gallias depopulantur. n. 5. 6. Sanctorum corpora Danorum furoribus subtracta. num. 7. Dani a Sanctis puniuntur. n. 8. 9. Meldensis Synodus, ubi cautum de Scotorum hospitiis. n. 1. 2. Anglorum frequens in Urbem peregrinatio. num. 13.
12	33	25	18	8	2	
13	34	26	19	9	3	Leonis quarti eo nomine Pontificis elogium. num. 2. Anglorum schola Romæ iterum comburitur. & signo Crucis ignis extinguitur. num. 3. 4. Schola illa in Saxonum vico fuisse, & prope Basilicam S. Petri satis clarè dicitur: unde non minus clarè deducitur, non in Urbe sed in Urbis suburbio Anglos habitasse. n. 5.
14	35	ATHUNUS. 1	20	10	4	Motus in Northumbriâ. Ethelbertus ibi Rex à provincialibus occiditur, & in ejus locum Osbertus assumitur. num. 2.
15	36	2	CUTWOLFUS. 1 n. 12.	11	5	Alfredus nascitur Regum deliciæ, ejus genus & parentes. num. 1 2. A Sectariis laudatur, & meritò. num 3. 4. Wistanus puer Regius Martyr. num. 5. 6. Helenæ Augustæ ossa in Gallias transferuntur. num. 7. 8 9. 10. 11. De S. Jerone Martyre viro Apostolico. num. 11.
16	37	3	2	12	6	Dani Gallias infestant, & Neustriam ex pacto recipiunt. num. 1. 2. Ecclesiarum deprædatio, ut militi solvatur, Resp. periculosa. num. 2 3. Bertulfus Croylandense monasterium expilat. num. 4. Concilium sub Bertulfo apud Benningtom, & Croylandensis monasterii querela. num. 5.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. Leo IV	Romani Impp. Lotharius.	Reges Francorum. Carol. Calvus.	Reges Occident. Saxonum. Ethelwolfus	Reges Merciorum. Berthulfus.	Reges Oriental. Anglor.	Reges Northumbria. Osbertus.	Episcopi in Cantio. Dorovernenses. Ceolnothus.	Episcopi in Cantio. Roffenses. Godwinus.	Episcopi Oriental. Saxon Londinens. Swithulfus.	Episcopi Austral. Saxon. Selesienses. Tota.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses. Swithunus.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Schireburnenses. Alstanus.
851	XIV	5	12	12	15	13		4	22 Subscribit chartæ. n. 14.	19 Subscribit chartæ. n. 14.	2 Subscribit chartæ. n. 14.	8	14 Subscrib. chartæ. n. 14.	34 Subscrib. chartæ. n. 14.
852	XV	6	13	13	16	Burrhedus. 1 n. 1.		5	23	Vacat Sedes.	3	9	15	35
853	I	7 Alfredū ungit. n. 5.	14	14	17	2		6	24		4	10	16	36
854	II	8	15	15	18	3		7	25		5	11	17 Subscrib. chartæ. n. 4.	37 Subscrib. chartæ.
855	III	9 Benedictus III 1 n. 5. & 9.	16 n. 9.	16 Caroli filia Ethelwolfo nubit. n. 9.	29	4 Subscribit chartæ Regis Ethelwolfi. n. 16	Edmundus Rex Orient. Anglor. 1 n. 1. &c.	8	26		6	12	18	38
856	IV	2	Ludovicus II. 1	17	20 n. 6.	5	2	9	27		7	13	19	39
857	V	3	2 n. 2. 4. 5.	18	21 n. 11. Ethelbaldus. 1 n. 12.	6	3	10	28		8	14	20	40
858	VI	Nicolaus. 1 n. 1.	3 Nicolaum Papam colit. n. 1.	19	2	7.	4	11	29		9	15	21	41
859	VII	2 n. 3.	4 n. 2.	20 n. 2.	3	8	5	12	30		10	16	22	42
860	VIII	3	5	21	4	9	6	13	31		11	17	23	43

Episcopi Or. Angl.	Episcopi Merciorum.				Episcopi Northūbri.		
Helmhamenses. HUMBERTUS	Lichfeldenses. ETHELWALDUS.	Legecestrenses. RETHUNUS.	Wigornenses. ALHUNUS.	Herefordenses. CUTHWOLFUS.	Eboracenses. WIMUNDUS.	Lindisfarnenses. EGBERTUS.	*Capita rerum gestarum.*
34	17 Subscribit chartæ. n. 14 17.	38 Subscribit chartæ. n. 14.	4	3	13	7	Parliamentorum origo, & primi conventus Regii. num. 2. Concilium Kinesburiæ, ubi morbo laborantes Episcopi & proceres mirabiliter curantur. n. 2, 3. 4. 5. Charta Bertulfi Regis pro Croylandia. n. 6 7. &c. Bertulfus à Danis fugatur. n. 18. Ab Ethelwolfo Dani funduntur. n. 19. Exemplis ostenditur stare regna pietate. n. 20. 21. 22.
35	18	39	5	4	14	8	Bertulfus moritur, succedit Burrhedus, ab Ethelwolfo Rege constitutus.
36	19	40	6	5	15	9	In Britannos primum, mox in Danos pugnatur. n. 1. 2. Burrhedus ducit Ethelswidam conjugem. n. 3. Alfredus Romam mittitur, & à Leone Papa ungitur. n. 4. 5. De Joanna Papissa fabula excutitur. n. 6 7. 8 9 &c. Num Ethelwolfus Rex Joannam coluerit. num. 6. Moritur Haymo Anglo-Saxo. n. 22.
37	20	41	7	6	WULFERUS. 1 n. 11.	EARDULFUS. 1 n. 11.	Ethelwolfus Romam cogitat, decimam regni sui Deo consecrat. n. 2. 3. 4. Quid & quantum decimant? n. 5 6. Quid Glastoniæ contulerit? n. 7. In Germaniam profectus, Edmundum amplectitur, eum in Insulam invitat, & ad Orientalium Anglorum regnum. num. 8. 9. 10.
38	21	42	8	7	2	2	Edmundus ab Orientalibus Anglis Rex salutatur num. 1 2. Ethelwolfus Rom. Pontificem muneribus colit. num. 3 4. 5 6. Anglorum scholam reparat. n. 7. 8. Rediens Caroli Calvi filiam ducit uxorem. num. 9. Subditi in Ethelwoldum conspirant. n. 11. Partitur cum filiis regnum. num. 12. Concilium Wintoniæ: Ethelwolfi diploma, pro regni decima. num 13. 14. 15. Diploma Edmundi Regis. n. 19. 20.
39	22	43	9	8	3	3	Edmundus Rex ungitur ab Humberto n. 1. 2. Ejus consilio sanctè regit. num. 3. Charta Ethelwolfi Regis Alhero. n. 5. 6. De tempore dati diplomatis, & annis Ethelwolfi Regis. n. 6.
40	23	44	10	9	4	4	Ethelwolfus se ad mortem parans, Rom. Pontificem consulit. num. 1. 2. Ethelwolfi Diploma pro S. Dionysio n. 3. 4. Ethelwolfus condit testamentum, & pauperum curam habet. num. 6 7. Quid Rom. Ecclesiæ dederit? n. 8. 9. 10. Sanctè moritur. num 11. Ethelbaldus mortuo succedit in regno Occidentis. Ethelbertus in regno Cantii. num. 1.
41	HUNBERTUS 1 n. 2.	45	11	10	5	5	Ludovicus Imperator Nicolaum Papam officiosissimè colit, & equo considentem pedes comitatur. num. 1. Floret Nennius Banchorensis; Elvodugi Probi discipulus. num. 3.
42	2	46	12	11	6	6	Ethelbaldus resipiscit, & Juditham novercam repudiat. num. 1. Juditham in Gallias abeuntem Balduinus rapit, & excommunicatur. n. 2. Nicolaus Papa intercedit, & Matrimonium Carolus promittit, ac Balduinum Comitem Flandriæ creat. num. 3. 4. Gotescalcus Scotus ob Hæresim condemnatur. n. 5. 6. 7.
43	3	47	13	12	7	7	Osbertus Northumbriæ in Scotos pugnans, plures eorum occidit, capto Donaldo eorum Rege. num. 1. Picti sedibus restituti, à Scotis quibus terminis fuerint distincti? n. 2. Castrum Dun Britton in Anglorum potestate. num. 2.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. Nicolaus.	Romani Impp. Ludovicus II.	Reges Francorum. Carolus Calvus.	Reges Occident. Saxonum. Ethelbaldus.	Reges Merciorum. Burrhedus.	Reges Orient. Anglor. Edmundus.	Reges Northumbria. Osbertus.	Episcopi [illegible] Dorovernenses. Ceolnotus.	Episcopi Oriental. Saxon. Londinen. Swithulfus.	Episcopi Austral. Saxon. Selesienses. Tota.	Episcopi Occident. Saxonum. Wentonienses. Swithinus.	Episcopi Occident. Saxonum. Schirburnenses. Alstanus.	Episcopi Or. Angl. Helmhamenses. Humbertus.
861	IX	4	6	22	5	10	7	14	32	40	18	24	44	44
862	X n. 5.	5	7	23	Ethelbertus. 1 n. 1.	11	8	15	33	41	19	25 Adferthus 1 n. 6.	45	45
863	XI	6	8	24	2	12	9	16	34	Heahstanus. 1	20	2	46	46
864	XII	7	9	25	3	13	10	17	35	2	21	3	47	47
865	XIII	8	10	26	4	14	11	18	36	3	22	4	48	48
866	XIV	9	11	27	5 Ethelredus. n. 2.	15	12	19	37	4	23	5	49	49
867	XV	Adrianus II. n. 6.	12	28	2 n. 2.	16	13	Osbertus deponitur Ella Rex uterque occiditur.	38	5	24	6	50 Edmundus. 1	50
868	I	1	13	29	3 n. 10.	17	14	Egbertus. vide an. sup. n. 2. 1	39 Subscribit diplomati. n. 8.	6 Subscribit diplomati. n. 8.	25	7	2 Subscrib. Diplom. n. 8.	51
869	II	2	14	30	4	18	15	2	40	7	26	8	3	52
870	III	3	15	31	5	19	16	3	Moritur. n. 28.	Wulfsius. 1 n. 28.	27	9	4	Martyrio coronatur. n. 27. Vacat Sedes.

Episcopi Mercierum.				Episcopi Northûbriæ		
Lichfeldenses. HUMBERTUS	*Legecestrenses.*	*Wigorniensis.* ALHUNUS.	*Herefordenses.* CUTHWOLFUS.	*Eboracenses.* WULFERUS.	*Landisfarnenses* EARDULFUS.	*Capita rerum gestarum.*
4	ALDREDUS 1 n. 2.	14	13	8	8	Pœnitens Ethelbaldus moritur & lugetur. num. 1. Dederat prædia Glastoniensi monasterio, decem hydas ad capturam Isiciorum. num. 1. moritur Rethunus Legecestrensis Episcopus. num. 2.
5	2	15	14	9	9	Wintoniensis civitas à Danis vexatur. num 1. Moritur Swithunus, & claret sanctitate atque miraculis. num. 2. de humilitate & eruditione ejus. n. 3. 4. 5.
6	3	16	15	10	10	Switulfus Londinensis Episcopus qui fuit à morbo mirabiliter liberatus ope S. Guthlaci, moritur.
KENEBERTUS. 1 n. 5.	4	17	16	11	11	Dani post fœdus initum Cantium turbant. num. 1. Angli Romam vadunt, & munera offerunt. num. 2. 3. Nicolaus eleganter aperit causam, cur Angli, & nationes aliæ frequentes in Urbem venirent, in literis ad Michaelem Imperatorem Orientis. num. 3. 4.
2	5	18	17	12	12	Juditha Ethelwolfi relicta, Baldwino Comiti Flandriæ matrimonio jungitur, è quorum nuptiis recto nascentium ordine Matildes descendit, quam Gulielmus Normannorum Dux, & Angliæ Rex, uxorem duxit.
3	6	19	18	13	13	Dani veniunt in Orientalem Angliam, Ducibus Inguar & Hubbâ. num. 2. Ab Edmundo Rege benignè habiti. num. 3. Alfredi adolescentia recensetur, & studia literarum. num. 4. 5. Fremundi sancti exordia, & martyrium. n. 6. 7. 8. 9. de cultu ejus. n. 10.
4	7	20	19	14	14	Dani Northumbriæ regnum vastant. n. 1. 2. & causa redditur, è factione provincialium, qui Reges arbitrio efferunt & premunt. Moritur Alstanus 50. annorum Episcopus. Arguitur quod in Regem Ethelwolfum surrexerit, & Malmesburiam spoliaverit. num. 4. 5.
5	8	21 Subscribit diplomati n. 11.	MUCELLUS. 1 n. 11.	15	15	Alfredus uxorem ducit Alswitham, vel Ethefwidam. num. 1. Dani, in Merciis Nottinghamiensi urbe & arce potiuntur. Sed mox à Burthedo pelluntur. n. 2. 3. Barthedi charta pro Croylandiâ. n. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Albanense oppidum Abbatum ope floret. num. 12. Monasterium Exoniense, ab Ethelredo struitur. num. 13.
6	9	22	2	16	16	Danorum furor nunc incipit. num. 1. In Regno Northumbriæ Monasteria destruunt. num. 2. 3. De Coldingamensi monasterio, Ebbâ Abbatissâ, & sacris virginibus, atque Martyribus. n. 4. 5. 6. 7. &c. Monasterium de Bardney destruitur, monachis omnibus interfectis. num. 11. 12.
7	10	23	3	17	17	Principio Dani ab Anglis funduntur. num. 1. 2. sed Dani postmodum sævissimè Regum suorum mortem ulciscuntur. num. 3. 4. Monachi Croylandenses cum Sanctorum reliquiis fugiunt. num. 5. Abbas & alii monachi trucidantur. n. 6. Sepulchra effodiuntur. n. 7. Medeshamstedense monasterium inundatur, & monachi omnes occiduntur. num. 9. 10. &c. Martyres probantur. num. 15. 16. 17. Eliense monasterium destruitur, monialibus interfectis. n. 18. 19. Martyrium S. Edmundi Regis. n. 20. 21. 22. &c. Walburgæ Virginis reliquiæ in Flandriam transferuntur à Baldwino Comite. n. 28.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pōtifices. ADRIANUS II.	Romani Impp. LUDOVICUS II.	Reges Francorum. CAROL' CALVUS.	Reges Occident. Saxonū. ETHELREDUS.	Reges Merciorū. BURRHEDUS.	Reges Northumbria. EGBERTUS.	Episcopi in Cātio. Dorovernenses.	Episcopi Oriental. Saxon Lōdinen. WULFSIUS.	Episcopi Austral. Saxon Selesienses. TOTA.	Episcopi Occident. Saxonum. Wintonienses.	Episcopi Occident. Saxonum. Schirburnēses. EDMUNDUS.	Episcopi Lichfeldenses. KINEFERTUS	Episcopi Lindisfarorū
871	IV	4	16	32	6 ALFREDUS REX. I n. 26.27.	20	4	ETHELREDUS, qui & ADFRATUS è Winton. Sede n. 42. I	2	28	vacat	5, moritur Martyr. ETHELHEAUS. I	8	vacat
872	V	5 Moritur n. 8.	17	33	2	21	5	2	3	29	vacat	2	TUNBRITH' I n. 2.	BRITHREDUS, ultimus Lindisfarorū Episcopus. n. 6. I
873	VI	JOANN. VIII. I vide an. sup. n. 8.	18	34	3	22	6 Moritur. RICSIUS. I n. 2.	3	4 n. 1.	WIGHTUNUS. I n. 3.	vacat	3	2	2
874	VII	2	19	35	4	Regno pellitur. n. 1. CEOLWULFUS. I n. 10.	2	4	5	2	vacat	4	3	3
875	VIII	3	20 Moritur.	36	5	Ceolvvulfus deponitur. Merciorū Regni finis. n. 6.	3	5	6	3	DUNBERTUS I n. 8.	ALFSIUS. I n. 8.	4	4
876	IX	4	CAROL' CALVUS. I	37	6		4	6	7	4	2	2	5	5
877	X	5	2	38	7			7 n. 4.	8	5	3	3	6	6
878	XI	6	LUDOVICUS BALBUS. I	LUDOVICUS BALBUS. I	8			8	9 n. 22.	6	4	4 Subscrib. Chartæ Regiæ. n. 19. 20.	7	7
879	XII	7	Interregnum.	LUDOVICUS & CAROLOMANNUS fratres. I	9			9	10	7	DENEWALFUS I n. 3 4.	ASSERIUS. I n. 5. 6. 7.	8	8
880	XIII	8	Interregnum.	2	10			10	1	8	2	2	9	9

Episcopi Merciorum.			Episcopi Northumbriæ		
Legecestrenses.	Wigornienses.	Herefordenses.	Eboracenses.	Lindisfarnenses	
ALDREDUS.	ALHUNUS.	MUCELLUS.	WULFERUS.	EARDULFUS.	*Capita rerum gestarum.*
11	24	4	18	18	Edmundi Martyris corpus à fidelibus inventum colitur. num. 2. 3. &c. Dani in Occidente vario Marte pugnant. n. 8. 9. 10. Prælium ad Alsbdunum, ubi Ethelredus pietate suâ & Cruce, Danum mirabiliter vincit. n. 11. 12. &c. Pugnat, & vincit Danus ad Basingum. n 19 Pugnat & vincit Anglus ad Merton, sed nescit uti victoriâ. n 20. Moritur Ethelredus, & quomodo n 21 22 23 Martyris & sancti nomen habet. n 24. Alfredi Regis pietas. n 28. De S Guier n. 29 Alfredus à Dano vincitur apud Ellandunum. n 34. De Moduennâ virg. 35. 36 39. 40. De S. Edithâ Ethelwolfi sorore n. 37. Ositha sancta à Danis occisa. n. 41.
12	WEREFRIDUS. 1 n. 1.	5	19 Pellitur à Sede. n. 1.	19	Viri insigniores ab Alfredo in pretio habiti, Neotus Werefridus, Plegmundus, &c. num. 2. 3. 4. 5.
Deponitur n. 3. CEOLREDUS I n. 3.	2	6	20 Restituitur. n. 2.	20	Dani è Trinobantibus in Northumbriam pergunt, inde in Lincolniensem agrum reversi, cum Merciis paciscuntur. num. 1. 2. De institutâ vel restitutâ Oxoniensi scholâ. num. 4. Magdeburgici multa congerunt, nihil bene digerunt num. 4.
2	3	7	21	21	Burrhedus è regno fugatur. Alfredus latet in Athelingiâ. num 1 2. 3. Burrhedus Romam proficiscitur: & quare? num. 3. 4. 5 6. 7. Moritur Romæ, & apud Anglorum scholam sepelitur. num. 7. 8. Ethelsvvida conjux Burrhedum secuta Papiæ subsistit, facta monialis moritur. num. 9.
3	4	8	22	Migrat cũ corpore S. Cuthberti. n. 4. 5 22	Mercinum Regnum finitur, post annos ducentos quinquaginta num. 1. Dani Insulam partiuntur. num. 2. Stratcludenses populi quinam? n. 3. S. Cuthberti corpus è Lindisfarnensi Insula effertur. num. 4 5. 6. Ortrudis virginis corpus, è Suffolciâ in Belgium defertur. num 7.
4	5	9	23	23	Danus Warhamum oppidum frustra oppugnat. num. 1 2. Exoniam capit. num. 3. De monachorum exterminio Parkerus malè philosophatur. n. 4. 5 6 7. De Clero sæculari monasteria occupante. n 8. 9. 10. Rollo Danus in Britanniâ, & ostentum quod vidit. num. 11, 12. 13. 14. 15. De Amelrrude, vel Gertrude Virgine è Britanniâ translatâ. num. 17.
5	6	10	24	24	Danorum inundatio, miseriarum diluvium est. num. 1. Alfredus in eos feliciter pugnat. Submersis eorum 120. navibus. num. 2. Dani in Merciam regressi, iterum Ceolwulfum inane Regis statuunt simulachrum. n. 3. Ethelredus Dorovernensis Joannem consulit; & ille rescribit. num. 4.
6	7	11	25	25	Plures in Belgium migrant cum Sanctorum corporibus. num. 1. Alfredi inopia. num. 1. 2. Sancti Neoti exordia. num 3. 4. 5. 6. Hubba Danos, & alii plures ab Anglis trucidantur. num 6. Alfredus è miseriis incipit emergere. num. 7 8. Cuthbertus Sanctus ei apparet, eumque consolatur. num. 9 10. Dani Alfredo supplices Baptismum petunt. num. 12 13. Gormundo baptizato East Anglia datur num. 14. 15. Alfredus votum solvit monasterio structo. n. 16 De Joanne Abbate Adelingiæ. n. 17. 18. Alfredi Diploma pro illo monasterio. num. 19. 20.
7	8	12	26	26	Alia Danorum inundatio. n. 2. De Denevvalfo Wintoniensi Episcopo conjugato. n 3. 4. De Assero Schirburnensi: quis ille? num. 5 6. 7.
8 Vacat Sedes. videan. 872. n. 6.	9	13	27	27	Septoniam urbem ædificat Alfredus. num. 2. Ejus in liberorum ædificatione num. 3. 4. Edwolfus Confessor & Eremita. num. 5. 6. 7. De monasterio Cerotlensi. num. 5. 6.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices.	Romani Impp.	Reges Francorum.	Reges Occident. Saxonum.	Episcopi Dorovernenses.	Episcopi Oriental. Saxon. Londinen.	Episcopi Austral. Saxon. Selefeienses.	Episcopi Occidentalium Saxonum Wintonienses.	Episcopi Occidentalium Saxonum Schirburnenses.	Episcopi Merciorum. Lichfeldenses.	Episcopi Merciorum. Legecestrenses.	Episcopi Merciorum. Wigornienses.	Episcopi Merciorum. Herefordenses.
		Joann. VIII.		Ludovic⁹ & Carolomann.	Alfredus.	Ethelredus.	Wulfsius.	Wightunus.	Denewolfus.	Asserus.	Tunbertus.	Ceolredus.	Werefridus.	Mucellus.
881	XIV	9	Carol⁹ Crassus. 1	3	11	11 n. 3.	12	9	3	3	10	9	10 n. 10.	14
882	XV	10	2 n. 7.	4 Moritur Ludovicus & regnat Carolomannus solus.	12	12	13	10	4	4	11	10	11	15
883	I	Marinus. 1 n. 1.	3	5	13	13	14	11	5	Sighelmus. 1 n. 12.	12	11	12	16
884	II	Hadrian⁹ III. 1 n. 3.	4	6	14	14	15	12	6	2	13	12	13	17
885	III	Stephanus V. 1 n. 1.	5	Carol⁹ Crassus qui imperat. 1	15 n. 4.	15	16	13	7	3	14	13	14	18
886	IV	2	6	2	16	16	17	14	8	4	15	14	15	19
887	V	3	7	3	17	17	18	15	9	5	16	15	16	20
888	VI	4	Arnulfus in Germania 1	Odo. 1	18	18	19	16	10	6	17	16	17	21
889	VII	5	2	2	19 n. 2.	Plegmundus. 1 n. 5.	20	17	11	Ethelwald⁹. 1 n. 19.	18	17	18	Deorlafius. 1 n. 2.
890	VIII	6	3 n. 1.	3	20	2	Ethelwardus. 1 n. 14.	18	12	2	19	18 Vacat Sedes. vide an. 873 n. 3.	19	2

Episcop. in Northumbria Eboracenses. WULFERUS.	Bindisfarnenses. KARDULFUS.	Capita rerum gestarum.
28	28	Dani in Gallias tendunt, ubi in monasteria & Sanctorum corpora sæviunt. num. 2. Alfredus condit testamentum. n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9 10. 11. 12. De tempore conditi testamenti. n. 13.
29	29 Episcopi Sedes in Cestriâ. n. 3.	In Northumbriâ Cuthredus regnat jussu S. Cuthberti. Cujus corpus Cestriam tandem defertur, ubi aliquamdiu Lindisfarnenses Episcopi sederunt. n. 2. 3. Ornatur & dotatur Cestrensis Ecclesia. num. 3. 4. Sanctorum cultus domi & foris asseritur. num. 5. 6.
30	30	Alfredus in Urbem & Indiam munera mittit. num. 1. 2. 3. Marinus Papa Alfredo mittit de ligno Crucis. num 3. Alfredus pro erigendis scholis solicitus, literatos homines, in Insulam invitat. n. 4. 5. De Joanne Erigena, & Fide & scriptis ejus. num. 6. 7. 8 9 10 11. 12. An iverit Athenas? n. 13. ubi monachum induit. num. 13. 14. Scholarum erectio pro Fide necessaria. num. 15.
31	31	Dani in Cantio pugnant, & fugantur. num. 1. Iterum Dani cæduntur, & mox Anglos cædunt. num 2 Moritur Joannes Erigena, & audit Sanctus n 4. Asserus ab Alfredo in Saxoniam invitatur. num. 5. 6. Quis ille, & unde venerit? n. 7. 8. 9. Britannicæ Resp. faciles, & Principes Alfredo subjecti. num. 10.
32	32	Grimbaldus è monasterio S. Bertini apud Morinos, in Angliam ab Alfredo invitatur. num. 2. 3. 4. 5. Epistola Fulconis Rhemensis Episcopi ad Alfredum. n. 6. 7 8. 9 10. 11. 12. Quid de literis sentiendum. n. 13. Grimbaldus tandem in Angliam venit, Fulconis Episcopi & Abbatis permissu. num. 13.
33	33	Alfredus Londinensi Urbe potitus, Concilium vocat, in quo Grimbaldus oratorem agit. num. 1. 2. 3. &c. Alfredus literarum studia promovens Oxoniensem scholam fundat. num 8 9 &c. Quæ studia Oxonii, & qui Doctores? n. 14. 15. 16. Excitatur controversia de discordiâ Doctorum Oxoniensium. n. 17. 18. 19 20 Basilii Imp. monita de colenda Ecclesia & studio historiæ. num. 21. 22. Alfredi industria circa idem. num. 23. 24.
34	34	Hastingus Angliam pervagatur num 3 Alfredus benè composuit Provinciam, Curiam, & seipsum: ubi de ejus legibus 2 3 4 5. 6. &c. Feudi tallati primo origo. num. 26 &c. Fædus Alfredi Regis cum Gormundo Dano, alias Athelstano. num. 32.
35	35	Alfredus dotat Athelingiæ monasterium, & Sceptoniensi cœnobio filiam suam præficit Alginam nomine, & chartam Regiam firmat num. 1 2. Distinguit Insulam in Centurias, Decurias & Comitatus. n. 3. 4. 5. Romam mittit eleemosynam, quæ tributum etiam potest appellari. n. 6. 7. 8.
36	36	Gormundus qui Orientalibus Anglis præfuit, moritur: succedit Ericus. num. 1. 2. Plegmundus ex Urbe Pallium accipit. num. 5. De clericis conjugatis, qui monasteria possident num. 3. 4. 6 Fulconis Rhemensis literæ ad Albradum Regem & Plegmundum. ad Alfredum scriptæ probantur. num. 6. 7. 8. &c. Alfredus, ut bona sua dividerit? num. 14. 15. 16. 17. 18.
37	37	Hastingus Danus iterum in Angliam venit. n 1. 2. Alfredus Rex dimidium servitii mentis & corporis Deo offert n 3. Ut horas distinxerit, & Sanctorum reliquias coluerit. num 4 5. 6 Lanternæ inventio. n. 7. Temporis distributio. n 8. Alfredus transfert Gregorii Pastorale, & scribit ad Wulfsigum Episcopum. n 10. 11 12 13. De usu Campanarum & horologiis. n. 16. 17. Alfredus Missam audit quotidie. num. 17. Moritur S Neotus. num. 18. De S. Arnulfo. n 18.

Anni Christi.	Indictio.	Rom. Pontifices.	Roman. Impp. Arnulfus.	Reges Francorum Odo.	Reges Occident. Saxonū. Alfredus	Episcopi in Cant. Dorovernenses Plegmundus	Episcopi Oriental. Saxonū Londinenses Ethelwardus	Austral. Saxon. Selesienses	Episcopi Occident. Saxonum Wintonienses Denewolfus.	Schireburnenses Ethelwald⁹	Episcopi Mercorum Lichfeldenses. Tunbritus	Wigornienses Werefridus.	Herefordenses. Deorlafus.
891	IX	Formosus. 1 n. 1.	4	4	21	3	2	Æthelulfus. 1	13	3	20	20	3
892	X	2	5	5	22°	4	3	2	14	4	21	21	4
893	XI	3	6 n. 3.	6	23	5 n. 11.	4	3	15 n. 10.	5 n. 10.	22	22	5
894	XII	4	7	7	24	6	5	4	16	6	23	23	6
895	XIII	5	8	8°	25	7	Ealstanus. 1 n. 13.	5	17	7	24	24	7
896	XIV	6	9	9	26	8	2	6	18	8	25	25	8
897	XV	Stephanus VII. 1 n. 1.	10	10	27	9	3	7	19	9	26	26	9
898	I	2	11	Carol⁹ simplex. 1	28	10	4	8	20	10	27	27	10
899	II n. 2.	3	12°	2	29	11	5	9	vacat. n. 1.	vacat n. 1.	28	28	11
900	III	4	Ludovicus IV. 1	3	Alfredus moritur. n. 1.2.3.4.	12	Theodredus. 1 n. 10.	10	vacat.	vacat	29	29	12

Episcopi Eboracenses. WULFERUS.	Northumbriæ Lindisfarnenses. EARDULFUS.	*Capita rerum gestarum.*
38	38	Alfredus Rex Beornhelmum Abbatem in Urbem mittit, qui novum ibi Pontificem, suo nomine & muneribus colerer, num. 1.
39	39	Nova Danorum inundatio, ad Lemanum portum appellentium: & ubi portus ille? num. 1. 2. Hastingus Danus Thamesim ingressus castrum extruit. num 3. Hiberni Fide ferventes, in Britanniam ad Alfredum Regem, inde Romam, & Hierosolymam pergunt. num 4.
40	40	Alfredus in Cantio Danos expugnat: ubi Hastingus in angustiis positus, pietatem simulans, filios baptizari permittit, & Alfredum habet benevolum. n. 1. 2. Dani in Mercus grassantur, & ab Alfredo inde fugantur. num. 3.
41	41	Alfredus & Edoardus filius Danos profligant è Cantio. num. 1. 2. Item è Beanfleoto quò Dani se receperant, captâ Hastingi uxore. num. 3. 4. 5. Formosi literæ ad Episcopos Angliæ excutiuntur. num. 7. 8. 9. Malmesberiensis locus de Formoso Papâ, & commentatoriâ emendatur. num. 10. Quinam ritus Paganici in Angliam irrepserint? num. 11.
ETHELBALDUS. 1 n 13.	42	Dani cæduntur ad Buttintonum, num. 1 2. De rebus Britannicis, & Synodo Landavensi. n. 3. 4. 5 6. Spelmanni censura de Crucibus in Ecclesiâ excutitur. n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. De usu Campanarum. & Cymbalorum. n. 12.
2	43	Dani per Angliam vagantur, in Trinobantibus prædam agunt à civibus, sed multò melius ab Alfredo Rege premuntur, ibi num. 1. Castrum Dani extruunt, ubi nunc Wara oppidum: sed inde in Dobunos fugantur; in viculum Cambrige. n. 2. Ethelgina Alfredi Regis filia & Abbatissa, moritur sancta. n. 3.
3	44	Stephanus in Rom. Sede malè sedens, non vitiat Romanam Fidem. num. 1. Dani non ad Sequanam, sed ad Sabrinam prædantur. n. 2. Alfredus provinciarum Duces constituit; quorum aliqui Episcopi nominantur. n. 3. Alfredus classem instruit, quæ in Danos fæliciter pugnat. n. 4. 5.
4	45	Quietâ provinciâ Alfredus piè se exercet in psalmorum translatione. num. 1 Ecclesias reparat, & monasteria. n. 2. Athelstanum è fratre nepotem, militem creat, & quomodo? n. 2. 3. 4. Athelstani indoles. n. 5.
5	46	In Occidentalium Saxonum provinciâ, utroque Episcopo moriente vacant Ecclesiæ per annos septem. num. 1. De annis Alfredi Regis, & tempore mortis. num. 2.
6	CUTHARDUS. 1 n 11.	De morte Alfredi Regis, ut se ad illam præpararit? num. 1. 2. 3. 4. Alfredi elogium. num. 4. 5 6 7. Martyrium S. Memgoldi. num 8. De S. Pandwinâ virgine, in agro Lincolniensi. num. 9. Alswitha Alfredi uxor, monasterium ingreditur. num. 11.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices.	Occidentis Impp. Ludovicus IV.	Reges Francorum. Carol.° simplex.	Reges Anglorũ.	Episcopi in Cantio Dorovernenses. Plegmundus.	Episcopi Oriental. Saxonũ. Lõdinen. Theodredus.	Episcopi Austral. Saxon. Selesetenses Ethelulfus.	Episcopi Occidentalium Saxonum Wintonienses.	Schirburnẽses	Wiltonenses.	Wellenses.	Critonenses.
901	IV	Joannes IX. 1 n. 1.	2	4	Edoardus senior. 1	13 Edoardũ Regem coronat n. 2.	2	11	0	0			
902	V	2	3	5	2	14	3	12	0	0			
903	VI	3	4	6	3	15	4	13	0	0			
904	VII	4 n. 2. 3.	5	7	4	16	5	14	0	0			
905	VIII	5 n. 1. Benedictus. 1 n. 1.	6	8	5	17	6	Moritur. n. 4.	0	0			
906	IX	2	7	9	6	18 Consecrat 7. Episcopos. n. 1. 2.	7	Bernegus. 1 n. 1.	Fridestanus. 1 n. 1.	Werstanus. 1 n. 1.	Athelstanus. 1 n. 1.	Athelmus. 1 n. 1.	Eadulfus. 1 n. 2.
907	X	Leo V. Christoforus n. 1.	8	10	7	19	8	2	2	2	2	2	2
908	XI	Sergius 1 n. 1.	9	11	8	20	9	3	3	3	3	3	3
909	XII	2	10	12	9	21	10	4	4	4	4	4	4
910	XIII	Anastasius. n. 1.	11	13	10	22	11	5	5	5	5	5	5

Episcopi Merciorum. Lichfeldenses. TUNBRITH.	Dorcestrenses.	Wigornienses. WEREFRITUS.	Herefordenses. DEORLAFUS.	Episcopi Northumbriæ. Eboracenses. ETHELBALDUS.	Cuneceſtrenſes, ſive Lindisfarnenses. CUTHARDUS.	*Capita rerum geſtarum.*
30		30 n. 14.	13	7	2	Edoardus apud Kingſton coronatur: ejus elogium. n. 1. 2. Ethelwoldum rebellem fugat num. 3 4 5 6. Novi Wintonienſis monaſterii exordia. num. 8 9 10. Edoardi diploma datum monaſterio. num. 11 12. 13. Ejus uxor & liberi. num 15. Aliæ chartæ Edoardi. num. 16. 17. 18.
31		31	14	8	3	Ethelwoldus perduellis, redit in Angliam, Eſſexienſem agrum vexat, in Cantio repellitur. Merciorum provinciam dat ſuo militi in prædam. n. 1. 2.
32		32	15	9	4	Ethelwoldus & Dani per provincias graſſantes, ab Edoardi milite funduntur, Ethelwoldo & Danorum Principe occiſis. n. 1 2. 3. Wintonienſis Eccleſia conſecratur. num. 4. 5. Sanctorum reliquiæ Eccleſiis inferuntur num. 6 7.
33		33	16	10	5	Extinctis Tyrannis quieſcit Inſula. n. 1. Rom Pontifex jubet Epiſcopos per provincias Angliæ creari. num 2 3. Grimbaldus & Aiſwita Regina moriuntur ſancte. n. 4 5. 8 9. 10. 11. Donatio & charta Edoardi Regis novo monaſterio. num. 6. 7.
34		34	17	11	6	Synodus Exoniæ ſub Edoardo, pro vacantibus Eccleſiis. num 2. 3. Septem à Synodo eliguntur Epiſcopi. num. 4. 5. De eorum ſedibus num 5. 6. Plegmundus Romam proficiſcitur. n. 6. 7. Edoardi ſenioris leges. n. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.
35	CEOLULFUS. 1 n. 1.	35	18	12	7	Novi Præſules & novæ Sedes in Occidente inſtituuntur. n. 1. 2. 3. S. Oſwaldi Regis oſſa in Merciam transferuntur. n. 4. Ethelfledo monaſterium extruit Gloceſtriæ. num. 4. 5.
36	2	36	19	13	8	Anglorum Eccleſia illuſtris, cum Rom. Cælum offuſcatur. num. 1. Dani ab Edoardo funduntur. num 2 3 Scoti Anglis ſubduntur. n. 3. 4. Inguar Danus, & alii ad Tetnal cæduntur. num. 5. 6.
57	3	37	CUNEMUNDUS. 1 n. 7.	14	9	Oppida mænibus cinguntur. num. 2. Ethelfleda Merciorum Regina, quando facta eſt vidua, per mortem Ethelredi. num. 3. 4. 5. Ejuſdem Ethelfledæ laus. num. 6.
38	4	38	2	15	10	Ethelfleda in Danos armata provinciam munit. n. 1. Aſſerus moritur, rerum ab Alfredo geſtarum ſcriptor. num. 2.
39	5	39	3	16	11	Dani in Northumbria tumultuantur. Edoardus eò profectus, hoſtem profligat. num. 1. Videtur etiam porro progreſſus, Scotos ſubdidiſſe. n. 1. 2. Tamworth ab Ethelfleda reſtauratur. num. 3.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices.	Germani Impp.	Reges Francorum.	Reges Anglorũ.	Episcopi in Cantio Dorovernenses.	Episcopi Oriental. Saxonũ Lõdinen.	Episcopi Austral. Saxon. Selesẽses	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Schirburnẽses	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wiltonenses.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wellenses.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Cridoneses.
		Anastasius.	Ludovicus IV.	Carol.[9] simplex.	Edoardus senior.	Plegmundus.	Theodredus.	Bernegus.	Fridestanus.	Werstanus.	Athelstanus.	Athelmus.	Edulfus.
911	XIV	2	12	14	11	23	12	6	6	6	6	6	6
912	XV	Lando n. 7. Joannes X 1 n. 7.	Conradus. 1	15 n. 4-5.	12 vide an. 924. n. 2.	24	13	7	7	7	7	7	7
913	I	2	2	16	13	25	14	8	8	8	8	8	8
914	II	3	3	17	14	26	15	9	9	9	9	9	9
915	III	4	4	18	15	Athelmus ē Wellẽsi 1 n. 6.	16	10	10	10	10	Wulfhelmus 1 n. 6.	10
916	IV	5	5	19	16	2	17	11	11	11	11	2	11
917	V	6	6	20	17	3	18	12	12	12	12	3	12
918	VI	7	7	21	18	4	19	13	13	13	13	4	13
919	VII	8	8	22	19	5	20	14	14	14	14	5	14
920	VIII	9	Henricus I. 1	23	20	6	21 n. 5.	15	15	15	Odo. 1	6	15

Episcopi Merciorum.				Episcopi Northumbrorum		
Lichfeldenses.	Dorcestrenses.	Wigornenses.	Herefordenses.	Eboracenses.	Cunecestrenses, sive Lindisfarnenses.	*Capita rerum gestarum.*
TUNBERTUS	CEOLULFUS.		CINEMUNDUS	ETHELBALDUS.	CUTHARDUS.	
40	6	ATHELHUNUS. 1 n. 3.	4	17	12	Edelfleda Merciorum Princeps, urbes ædificat, plures restaurat, ornat & mœnibus cingit contra Danorum impetus. num. 1. 2. Werefridus Wigorniensis à Werferto non differt. num. 3.
41	7	2	5	18	13	Edoardus Rex sororem imitatur, munit oppida, arces extruit, per provincias. num. 1. 2. Rollo in Galliâ sævit, sed Regiâ prole & donatione Neustria pacatus: Caroli Regis pedem osculari renuit; sed baptismo tandem abluitur. n. 3. 4. 5. 6 quæ dederit Ecclesiis. num. 6. 7.
42	8	3	6	19	14	Edelfleda in Britannos pugnat fœliciter num. 1. Edoardi Regis conjuges & liberi recensentur. num. 2. 3. Liberorum ejus educatio, liberalis & Regia. num. 4.
43	9	4	7	20	15	Edoardus mortuâ uxore Edgivam ducit, & habet ex ea sanctam prolem. n. 1. Dani rupto fœdere Insolam vexant: sed Edoardi virtute compescuntur n. 2. 3. Dies Rogationum Edoardus observat, ritore Galliæ, more majorum, more Rom. Ecclesiæ. num. 3. 4. 5.
44	10	5	8	21	MILREDUS sive TILREDUS. 1 n. 6.	Nova Danorum manus Silurum provinciam vastat, capto Cameleco Episcopo, quem Edoardus 40 librarum litro redemit: & egregiè hostem pellit. num. 1. 2. 3. 4. Edoardus Buckingamiam vallo & mœnibus cingit, & egregiè de Danis triumphat. num. 5.
45	11	6	9	22	2	Sithricus Danus Septentrionem obtinet sub Edoardo Rege, Cestrensium fines ingressus, Davenport vastat. num. 1. Edoardus contra ejus impetum Mancestriam munit, collocato ibi præsidio. n. 2.
46	12	7	10	23	3	Edoardus in Trinobantes profectus, Camalodunum oppidum egregiè munit, constitutâ ibi arce, & milite. Inde Danorum Turketillus in pace dimittitur.
47	13	8	11.	24	4	Danorum conatus in oppida quæ Edoardus muniverat eluditur. num. 1. Bedfordiam frustra oppugnant. num. 2. Edelfleda Darbeiam è Danorum manibus vi extorquet. num. 3. Edoardi miles Colcestriam expugnat; & Danos perdit. num. 4.
48	14	9	12	25	5	Edelfleda Lecestrensem Urbem à Danis eripit. Inde moritur, & in monasterio Glocestrensi quod fundaverat, sepelitur: ubi S Oswaldi reliquias posuerat. num. 1. Ejus elogium. num. 2. 3. Lincolniensem provinciam munit Edoardus, & captâ Nottingamiensi urbe, eam etiam munit. n. 4. Britanni Edoardo subduntur. n. 5. Synodus Landavensis. n. 6. 7. 8.
49	15	10	13	26	6	Edmundus Rex & Martyr miraculis incipit clarescere. Corpus ejus Edmundiburgum transfertur incorruptum. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Odonis sancti parentes & exordia. num. 7. 8. 9. 10.

Anni Christi.	Indictio	Romani Pontifices	Germani Impp.	Reges Francorum.	Reges Anglorũ.	Episcopi in Cantia Cantuarienses	Episcopi Oriental. Saxonũ Londinen.	Episcopi Austral. Saxon Selesienses	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses.	Schireburnenses	Wiltonenses.	Wellenses.	Cridienses.
		JOANNES X.	HENRICUS I.	CAROLUS Simplex	EDOARDUS.	ATHELMUS.	THEODREDUS	BERNEGUS.	FRIDESTANUS	WERSTANUS.	ODO.	WULFHELMUS	EDULFUS.
921	IX	10	2	24	21	7	22	16	16	16	2	7	16
922	X	11	3	25	22	8	23	17	17	17	3	8	17
923	XI	12	4	26 Carolus depositus vid. an. 927. n. 1.	23	9	24	18	18	18	4	9	18
924	XII	13 n. 12.	5	RODOLPHUS. 1 vide an. 927. n. 2.	ATHELSTANUS. n. 3.	Athelstanũ coronavit. n. 4 13. WULFHELMUS. e Wellẽsi 1 n. 13.	25	CORNEBUS. 1 n. 14.	19	19	5	ÆLPHEGUS. 1 n. 13.	19
925	XIII	14	6	2	1 n. 3. 4.	2	26	2	20	20	6	2	20
926	XIV	15	7	3	2	3	27	3	21	21	7	3	21
927	XV	16	8	4	3 n. 6.	4	28	4	22	22	8	4	22
928	I	LEO VI. n. 1.	9	5	4	5 n. 3. 4.	29	5	23	23	9	5	23
929	II	STEPHANUS VIII. 1 n. 1.	10	6	5	6	30	6	24	24	10	6	24
930	III	2	11	7	6	7	31	7	25	25	11 n. 1.	7	25

Lindisfarnenses.	Episcopi Merciorum. Dorcestrenses.	Wigornienses.	Herefordenses.	Episcopi Northumbrorum. Eboracenses.	Cunecestrenses, sive Lindisfarnenses.	Capita rerum gestarum.
TUNBERTUS	CEOLULFUS.	ATHELHUNUS.	CINEMUNDUS.		MILREDUS.	
50	16	11	14	RADEWARDUS 1 n. 9.	7	Romam Angli peregrinantes à Saracenis occiduntur, num. 1. 2. Merotilanus Scotus, inter eos unus in Rhemensis Ecclesiæ cœmiterio sepultus, mirabiliter innotuit. num. 3 4 Edoardum Regem Britanni & Scoti Dominum agnoscunt. num 5. Leolinus Britannorum Princeps, Edoardi humilitate superatur. num. 6. Edoardi chartæ. num. 7. 8.
51	17	12	15	2	8	Ethelwardus senior moritur, Alfredi filius, Edoardi regnantis frater: vir apprimè doctus, & in Annalibus commendatus.
52	18	13	16	3	9	Dominicus sanguis qui è percussâ Christi imagine fluxit, in Angliam defertur. num. 1. Parkerus id improbat, sed probatur. n. 2 3. 4. &c. Hic sanguis reverenter ab Anglis exceptus exemplo aliarum provinciarum. num 11 12. De quâdam portione sanguinis Christi iterum in Angliam delati, & reverentiâ erga illum, tempore Henrici III. num. 13. 14 15.
53	19	14	17	4	10	Edoardus urbem Legionum fiduciâ Britannorum rebellantem, premit, & moritur. num. 1. 2. Moritur etiam Ethelwardus filius, unde sine controversia succedit Athelstanus num. 3. Ab Athelmo Cantuariensi coronatur, frustra obnitente Elfredo. num. 4. & 13. Ejus elogium. num. 5. 6. Elfredus perjurus Romæ moritur. num. 8. 9. 10. 11.
54	20	15	18	5	11	Dunstanus nascitur, ejus parentes & exordia. num 1 2. 3. Athelstani charta hoc anno data num 4. Dunstani operâ jacens monachismus refloruit, quod per cereos mirabiliter accensos in natali ejus innuitur. num. 6. 7 8. Sithricus ex infideli Christianus Athelstani sororem accipit in conjugem. num. 9. 10. Scotorum fabula de Beatrice Sithrici uxore, rejicitur. n. 10.
55	21	16	19	6	12	Sithricus ad idola, ejus conjux intacta ad patriam redit. num. 1. Edgitha Regina monialem induit, apud Polesberiam. num. 2. Mortuo Sithrico, Northumbriæ regnum ad Athelstanum devolvitur. num. 3. Godefridus & Analafus Sithrici filii fugiunt. num 3. Scotorum Reges Athelstano parent. num. 4. 5. Britannorum etiam subjectio cum eorum Rege ostenditur. n. 7. 8. 9. Britanni à Saxone per limites distinguuntur. n. 9. 10.
56	22	17	20	7	13	Edgiva Ethelstani soror, Franciæ Regina, Ludovicum filium in Angliam mittit ad Athelstanum: Edhilda, alia Edoardi filia ab Hugone magno in uxorem petitur. n. 1. 2. 3 Hugonis legatio & munera Athelstano missa. num. 3. 4. Edgitha Edoardi filia Othoni nubit. num. 5. Guidonis Warwicensis cum Colbrando duellum. num 6 7. 8.
ÆLLA. 1 n. 11.	23	18	EDGARUS. 1 n. 11.	8	WITSEDUS. 1	Concilium Grateleanum, ubi leges feruntur Ecclesiam spectantes. n. 2 3 4. &c. Saxonicarum legum versio, pro Kyrichfanum reddit quod profanum est, & nullo modo dominicum sonat. num. 9. Pauperibus in Concilio egregiè consulitur. num. 4.
2	24	19	2	9	2	Ethelstanus Glastoniam petens, Sanctorum reliquias visitat, ab Elfledâ nepte, sanctè degente excipitur, & mirabiliter recreatur. num. 2. 3 4. Monasterium Glastoniense ab Ethelstano dotatur, cui etiam idem Rex, reliquias Sanctorum dedit. num. 3. 4. De more mittendi in pignus amicitiæ Sanctorum reliquias. num. 5. Hugo Magnus è cultu Sanctorum Regiam coronam induit. num. 6.
3	25	KINEWOLDUS. 1 n. 2.	3	10	3	Ethelstanus integrè Northumbriæ regno potitur, pulsis inde Danis & Scotis. num 1. Ripponensis Ecclesia ab Odone & Athelstano reparatur. num. 1. Ecclesia apud Boitham Regis jussu construitur. Et alia apud Cranborne; ab Ælwardo Comite Glocestriæ. num. 1.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices.	Germani Impp.	Reges Francorum.	Reges Anglorũ.	Episcopi in Cantio Cantuarienses.	Episcopi Orientalium Saxonũ Lõdinen.	Episcopi Austral. Saxon Selesiẽses	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses.	Scirburnẽses	Wiltunenses.	Wellenses.	Cridienses.
			Henricus.	Rodolphus.	Athelstanus.	Wulfhelmus.	Theodredus.	Cornredus.	Fridestanus.	Werstanus.	Odo.	Ælfegus.	Edulfus.
931	IV	Joannes XI. 1 n. 1.	12	8	7	8	32	8	26	26	12	8	26
932	V n. 1.	2	13	9	8 n. 1. 2.	9 Subscribit privilegio. n. 4. 7	33 Subscribit privilegio. n. 4. 7.	9	Birnstanus. 1 Subscribit privilegio. n. 4. & 7.	27	13 subscribit privileg. n. 4 & 7.	9 Subscrib. privileg. n. 4. 7.	Ethelgarus. 1 n. 7.
933	VI	3	14	10	9	10	34	10	2	28	14	10	2
934	VII	4	15 n. 7.	11 n. 7.	10	Odo, è Wiltunensi. 1 n. 9.	35	11	Moritur.	29	Osulfus. 1 n. 9.	11	3
935	VIII	5	16	12	11	2	36 Subscribit chartæ. n. 4.	12	Elphegus. 1 n. 1. & 7.	30	2	12	4
936	IX	Leo VII. 1 n. 1.	Otho Magnus. 1 vide an. 938. n. 1.	Ludovicus ex Angliâ vocatus. 1 n. 2.	12	3	37	13	2	31	3	13	5
937	X	2	2	2	13	4	38 Subscribit chartæ. n. 11.	14	3	Werstan. occiditur n. 8. Ethelbaldus 1 n. 8.	4	14	6
938	XI	3	3	3	14	5	39	15	4	2	5	15	7
939	XII	4 Moritur. n. 8.	4	4	15	6	40	16	5	3	6	16	8
940	XIII	Stephanus IX. 1 vide an. 939. n. 8.	5	5	16 Edmundus. 1 n. 4.	7	41 Subscribit chartæ Edmundi Regis.	17	6 Subscribit chartæ. n. 14.	Alfredus. 1 n. 15.	7	17	9 Subscribit chartæ. n. 14.

Episcopi Merciorum. Lichfeldenses ÆLLA	Dorcestrenses. CEOLULFUS	Wigorniensis. KINEWOLDUS.	Herefordenses. EODARIUS.	Episcopi Northumbriæ. Eboracenses. REDOWARDUS	Concestrenses, sive Lindisfarnenses. WITHREDUS.	*Capita rerum gestarum.*
4	26	2	4	11	4	Romana Ecclesia abortit, quoties sæculari manu tangitur num. 1. Ethelstanus Rex nova monasteria extruit vetera restituit, conatus eo pietatis genere maiores omnes superare num. 2. De Sede Cridiensis Episcopi, primo Tauctoniæ, deinde Cridiantum translata. num. 3.
5	27	3	5	12	5	Privilegium Ethelstani Regis datum novo monasterio Wintoniæ. n. 2. 3. 4. 5. 6. Brinstanus Episcopus, dum pro defunctis orat, audit è sepulchris Amen respondere. n. 10. Impugnatur & defenditur illud mirabile n. 10. 11. Exoniense monasterium restituitur ab Athelstano, & monachi sub S. Benedicti regula introducuntur. num. 12.
6	28	4	6	13	6	Ethelstanus in Constantinum pugnaturus Regem Scotorum, qui iugum abiicere conabatur, ad S. Cuthberto pergit, ibi iter, Consiliumque sancto commendat, pergit inde in Scotiam, & Constantinum cogit ad obsides & munera. num. 1. 2.
7	29	5	7	14	7	Ethelstanus Edwinum fratrem proscribit, qui voluntario præcipitio in mare submergitur: inde Ethelstani septennis pœnitentia. n. 1. 2. 3. 4. Edwinus cum honore sepelitur, ad S. Bertini apud Morinos num. Middeltunense monasterium fundatur. num. 5. 6. 7. Moritur Birnstanus sanctus. num. 8. Odo ad Cantuariensem Sedem invitatus, prius monachum induit, apud Floriacum, & quare? num. 9. 10. 11. 12. 13. 14.
8	30	6	8	15	8	Dunstani adolescentia ab Elphego avunculo ad virtutem formatur n. 1. 2. Num Dunstanus Floriacum iverit, ut monachus. num 3. 4. Conciliantur authores qui videntur negare. num 4. 5. 6. 7.
9	31	7	9	16	9	Ludovicus Athelstani nepos ex sorore & Caroli filius, ex Angliâ vocatur, & Francorum Rex ungitur, atque coronatur, operâ & industria avunculi. Ecclesia Bodminiæ construitur, ubi sedes Episcopi. num 4. Ethelstanus etiam ad S. Germani Ecclesiam erexit pro Episcopi sede n. 4. Construitur etiam in Occidente Ecclesia, S. Buriennæ ab eodem Athelstano: & ad Pilton oppidulo Deiparæ ædes consecratur: alii Glocestriæ. n. 4. De Elfledâ viduâ sanctâ. num. 5.
10	32	8	10	17	11	Analafus Sithrici filius, Constantino Scotorum Regi iunctus, in Ethelstanum pugnant; sed Joannis Beverlacensis ope superatur. n. 1. 3. 4. 5. 6. 7. Analafi dolus citharœdum agentis. n. 5. 6. Ethelstani victoria, Constantinus occiditur. n. 9. Turketul. & Ethelstani nominis celebritas, ex hac victoriâ. num 10. 11. 12. Rex S. Joanni gratus, ob victoriam, privilegia indulget. num. 13. 14.
11	33	9	11	18	12	Othonis & Ethelstani fides eadem, nam invocato Sanctorum patrocinio hostem vicerunt. n. 2. Sic nunc Otho insignem contra Hunnos victoriam reportat. n. 3.
12	34	10	12	WULSTANUS 1 n. 5.	13	Ethelstanus Middeltunense monasterium dotat, & Michelnense fundat, pro anima fratris quem occiderat. n. 1. 2. 3. Confirmat etiam censum perpetuum Wintoniensi monasterio, per chartam, quam habes. num 4. Ethelstani edictum contra pacis turbatores. n. 6. Quantum Rex Ecclesiæ detulerit Sacerdos pro Thano habendus. n. 7. 8. Episcopi officium & dignitas. n. 9. 10. Ethelstanus accusatur quod pro defunctis monasteria fundaverit, sed defenditur. num 11. 12.
13	35	11 Subscribit chartæ. n. 14.	13	2	14	Moritur Ethelstanus, & eius elogium num. 1. 2. Croylandenses monachi dispergunt. num 3. Edmundus regnat Athelstani frater num. 4. Dunstanum amat & fovet. n. 7. 8. Dunstani ætas & sacerdotium. n. 9. 10. Analafus & Dani Angliam vexant. n. 5. Edmundi donatio novo monasterio Wintoniæ. num. 12. 13. 14.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices STEPHANUS IX.	Germani Impp. OTHO I.	Reges Francorum. LUDOVICUS Transmarinus.	Reges Angliæ. EDMUNDUS.	Episcopi in Cantio Cantuarienses. ODO	Episcopi Orientalium Saxonum Londinenses. THEODREDUS	Episcopi Australium Saxonum Selesienses CORNRESNUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses. ELPHEGUS.	Schirburnenses ALFREDUS.	Wiltonienses. ODULFUS.	Wellenses. ÆLFEGUS.	Cridienses, ETHELGARUS.
941	XIV	2 n. 1.	6	6	2	8	42	10	7	2	8	18	10
942	XV	3	7	7	3	9	43	GUTHEARDUS. 1 n. 5.	8	3	9	WULFHELMUS. 1 n. 5.	11
943	I	MARINUS II. 1 n 1.	8	8	4	10	44	2	9	4	10	2	12
944	II	2	9	9	5	11 Subscribit chartæ n. 5	45	3	10 Subscribit chartæ. n. 5.	5	11	3 Subscrib. chartæ. n. 5.	13
945	III	3	10	10	6	12 Subscribit chartæ. n. 4.	46 Subscribit chartæ. n. 4.	4	11 Subscribit chartæ. n. 4.	6 Subscrib. chartæ. n. 4. 5.	12	4 Subscrib. chartæ. n. 4.	14 Subscribit chartæ. n. 4.
946	IV	AGAPITUS II. 1 n. 2.	11	11	EDREDUS. 1 n. 8.	13 Edredū coronat n. 8.	47	5	12	7	13	5	15
947	V	2	12	12	2	14 Subscribit chartæ. n. 11.	48 Subscribit chartæ. n. 11.	6	13 Subscribit chartæ. n. 11.	8 Subscrib. chartæ. n. 11.	14	6	16 Subscribit chartæ. n. 11.
948	VI	3	13	13	3	15 Subscribit chartæ. n. 19.	49	7	14	9 Subscrib. chartæ. n. 19.	15	7	17
949	VII	4	14	14	4 n. 7.	16 Subscribit chartæ. n. 7.	50 Subscribit chartæ. n. 7 WULSTANUS. 1 n. 8.	8	15 Subscribit chartæ. n. 7.	10 Subscrib. chartæ. n. 7.	16	8	18 Subscribit chartæ. n. 7. 8.
950	VIII	5	15	15	5 n. 2.	17	2	9	16	11	17	9	19

Episcopi Merciorum. Lichfeldenses.	Dorcestrenses.	Wigorniensis.	Herefordenses.	Episcopi Northumbriæ. Eboracenses.	Cunecestrenses.	Capita rerum gestarum.
ÆLLA.	CEOLULFUS.	KENEWOLDUS.	EDGARUS.	WULSTANUS.	WITHREDUS.	
14	36	12	14	5	14	Edmundus in Analafum pugnat, intercedit Odo Cantuariensis, & pugnam diremit: Northumbria Analafo concessa. Analafus dum vastat Ecclesiam S. Balteri, miserè perit. num. 2. Odo in Northumbriâ S. Wilfridi reliquias colligit, & transfert Cantuariam. num. 3 4. 5. Dispersio monachorum Eveshamiensium. num. 6. 7.
15	37	13 n. 4.	15	4	15	Ludovicus Transmarinus à Francis depositus, jussu Stephani Papæ restituitur. num. 1. Edmundus Northumbrios premit. Analafum Analafi successorem in baptismo suscipit: & in Mercios reversus Danos ex urbibus pellit. num. 2. 3. Edwius Edmundo nascitur ex Elgivâ conjuge. num. 4.
16	38	14	16	5	16	Constitutiones Odonis Cantuariensis Episcopi. num. 2. 3. 4 5. &c. Ejusdem Odonis Epistola Synodalis num. 10 11. 12. Edgarus nascitur cantantibus Angelis: & nascitur in Glastoniensis agripomerio. Unde primum nata fides. num. 13. 14.
17	39	15	17	6 Subscribit chartæ. n. 5.	UTHREDUS. n. 21.	Edmundus Dunstano Glastoniam commendat; qui in Floriacensi cœnobio doctus Benedicti regulam alios docuit. num. 1. 2. Edmundi charta Glastoniensi monasterio facta. num. 4 5. Alia prædia dat Edmundus eidem loco. num. 6. Sanctorum etiam reliquias colligit, & donat Glastoniæ. num. 7. Dunstanus monasterium reparat, & regulam S. Benedicti infert. n. 8. 9. 10. Leges Edmundi ubi imprimis Clericis castitas præcipitur. n. 11. 12. 13 14. 15.
18	40	16 Subscribit chartæ. n. 4.	18	7 Subscribit chartæ. n. 4	SEXHELMUS. n. 0. ejicitur per S. Cuthbertum.	Edmundus Rex Edmundo Martyri devotus, prædia & integrum oppidum donat. num. 1. 2 Alia Regia donatio Ethelnoto presbytero. num. 3. Analafus Apostata, & Northumbriæ regnum ad Edmundum redit. num. 6. Ille Cumbriæ provinciam vastat ad Britannos spectantem. num. 7. 8. S. Gregorius presbyter moritur. num. 9 10. Reginaldus in Sanctos impius miserè perit. num. 12.
19	41	17	19	8	ALDREDUS. 1 n. 10.	Edmundus Rex invenis impiè trucidatur in festo S. Augustini. num. 2 3. Lugetur, & à Dunstano Glastoniæ sepelitur. num. 5. 6. Edredus Edmundo mortuo regnat, & Dunstanum amat; num. 8. 9 Northumbrios seditionem meditantes pressit. num. 10.
20	42	18 Subscribit chartæ n. 11.	20	9 Subscribit chartæ. n. 11.	2	Northumbri de constituendo novo Rege deliberant Wulstano Eboracensi consiliis favente. num. 1 2. Eucharistiæ veritas per Odonem miraculis asseritur. num. 3. 4. 5 6 7. Edredi charta Edulfo sacerdoti, inde monasterio Wintoniensi. num. 8 9. 10 11. 12. 13. Edguha Edoardi senioris filia Othonis uxor moritur Sancta. num. 14. 15. 16. Moritur Elfleda vidua apud Glastoniam. num. 17. 18.
KINSIUS. 1 Subscribit chartæ. n. 19.	43 n. 7. 8. & 19.	19 Subscribit chartæ. n. 19.	21	10 Subscribit chartæ. n. 19.	3	Turketulus ab Edredo in Northumbriam legatur, à Croylandensibus monachis humaniter excipitur. num. 1. 2. 3. Peractâ legatione, per Croylandiam reversus, spondet se monachum fore, & pro restaurando monasterio laboraturum. num. 5 6. 7. Bonis se exuit. n. 7. Dubium de investiturâ. n. 9 10. Concilium Londinense, ubi Edredi charta pro Croylandiâ. n. 12. 13. 14. 15. &c. Ethelwoldi sancti exordia. num. 21. 22. 23. 24. 25.
2	44	20	TIDHELMUS. 1 n. 9.	11 Subscribit chartæ. n. 7.	4	Edredi expeditio contra Northumbrios. Ripponense monasterium comburitur. Northumbria vastatur Iricus regno exuitur. num. 1. Haraldus Irici pater, & Swani qui Angliam terruit. num. 2. 3 S. Aldelmi corpus effertur. num. 4. Monasterium Abiodoniæ dotatur. num. 5. Edredi charta Adelstano ministro. num. 6. 7.
3	45	21	2	12	5	Iricio exauthorato Northumbria per Comites administratur. num. 1 2. Turketulus Croylandense monasterium auget, conquisitis undique prædiis, unde plures monachi fiunt. num. 3 4. Non omnes tamen monachi qui sub monachorum curâ vivebant: ut Pegalenses clerici, &c. num. 5. 6 7. Elfleda Edoardi senioris filia moritur Sancta. num. 5.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. Agapitus.	German. Impp. Otho.	Reges Francorum. Ludovicus Trāsmarinus.	Reges Anglorū. Edredus.	Episcopi in Cantuar. Cantuarienses. Odo.	Episcopi Oriental. Saxonū Lōdinen. Wulstanus.	Episcopi Austral. Saxon. Selesiēses Guthehardus.	Episcopi Or. Angl. Helmhamenses.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses. Elphegus	Episcopi Occidentalium Saxonum. Schireburnēses Alfredus.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wiltunenses. Osulfus.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wellenses. Wulhelm⁹.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Cridienses. Ethelgarus.
951	IX n. 3.	6	16	16	6	18 Subscribit chartæ. n. 3.	3	10		17 moritur sanctus. n. 1 2.3. Elsinus 1 n. 6.	12	18 subscribit chartæ. n 3.	10	20
952	X	7	17	17	7	19	4	11		2	13	19	11	21
953	XI	8	18	18	8	20	5	12		3	14	20	12	Alfwoldus 1 n. 2.
954	XII n. 2.	9	19	Lotharius IV. 1 vide an. 956. n 5.	9	21	6	13		4	15	21	13	2
955	XIII n. 15.	10	20	2	Edwius. n. 10.	22	7	14	Athulphus. 1 n. 19	5	16	22	14	3
956	XIV	Joannes XII. 1 an. 955. n 20.	21	3 n. 4. 5.	1	23	Britmelmus. 1 n. 16.	15	2	6	17	23	15	4
957	XV n. 9.	2	22	4	2	24 Subscribit diplomati. n. 9.	2 Subscribit diplomati n. 9.	16	3 Subscribit diplomati. n. 9.	7 Subscrib. diplomat n. 9.	18	24 Subscrib. diplom. n. 9.	16	5
958	I	3	23	5	3	Moritur Sanctus. n. 5.	3	17	4	8 Moritur in Alpibus n. 8. 9. Britelmus 1 n. 10.	Wulsius. 1 n. 4.	25	Britelm⁹. 1 n. 10.	6
959	II n. 6.	4	24	6	4 Edgar⁹. 1 n. 11.	Britelmus è Wellēsi n. 1. Dunstanus 1	Elfstanus. 1 n. 16.	18	5	2 Subscrib. chartæ. n 6.	2	26 Subscrib. chartæ. n. 6.	2 Redit ad Sedem	7. Subscrib. chartæ. n. 6.
960	III n. 3. & 16.	5 n. 5.	25	7	2	2	2	Ælferdus. 1 n. 13.	6	3	3	27	3	8

Episcopi Merciorum.				Episcopi Northûmbrû.		
Lichfeldensis.	Dorcestrensis.	Wigorniensis.	Herefordensis.	Eboracensis.	Cunecestrensis	*Capita rerum gestarum.*
KINSIUS.		KENSWOLDUS.	TIDHELMUS.	WULSTANUS.	ALDREDUS.	
4	LEOVINUS. 1 n. 7.	22	3	13	6	Charta Edredi Regis Elfethi ministro. num 2. 3. Elphegus testamentum condit, & moritur sanctus. num. 4 5. Fuit prophetiæ spiritu clarus, unde de Dunstano & Ethelwoldo oraculum edidit. num. 5. 6. De unione Ecclesiarum in Mercia, quæ tempore Leovini facta dicitur. num. 7. 8.
5	2	23	4	14	7	Eboracensis Episcopus, ab Edredo Rege Carceri mancipatur, & quorsum? num. 1. 2. 3.
6	3	24	5	15	8	Wulstanus Episcopus è carcere liberatur. num 1. Edredus Rex tortiones varias corporis docetur a Dunstano patienter ferre: quod Joan. Foxus Dunstano crimini dat n. 1 Wiltoniensis Sedes vocans, ab Edredo offertur Dustano. ille renuit, & ab Apostolis increpatur. num. 2 3. 4. 5.
7	4	25	6	16	9	Edredus Rex monasteria ditando ad mortem se parat. num 1. Guilielmus consecratur Moguntinus Episcopus. Fuit filius Othonis ex Edgithâ conjuge, & ob constantiam in pastorali officio commendatus. num. 2. 3. Excutitur Petri Damiani narratio, de dicti Episcopi constantiâ. num. 4.
8	5	26	7	17	10	Edredi Regis testamentum, & pia legata. n. 2. 3. 5. 6. Missam celebrantibus quinquaginta mancusæ auri, & 5000. solidi legantur. n. 6. De Oskitello, qui scribitur Dorcacestrensis Episcopus n. 7. Edredi fides orthodoxa, & Romana. n. 8. Moribundus Dunstanum advocat conscientiæ arbitrum: mittens moritur & lugetur num. 8 9. Edwius libidinis deditus Dunstanum in exilium pellit. n 10 11. 12. 13. Exilii causa excutiunt n. 13. Pater Landavensis Episcopus Regem excommunicat. n. 14. Diaconus in têplo occiditur. A Synodo occisores puniuntur, n. 15. 16 17
9	6	27	8	OSKITELLUS. 1 n. 15.	11	Dunstani exilium boni lugent, dæmones triumphant. num. 2. 3. Ab Arnulfo Comite Flandriæ honorificè excipitur, cum corpus S. Gudwalli Blandinium transfertur. num. 4. 5. Geraldus Dunstanum Gandavi excipit. num 6. 7. Edwius in monasteria sævit. num 9. Odo Regis pellices persequitur. num. 10. Reliquiæ S. Audoeni, miraculo probati in Angliam deferuntur. n. 11. 12. 13. 14.
10	7	28 Subscribit diplomati. n. 9. DUNSTANUS. 1	9	Subscribit diplomata. n. 9. 2	12	Odo Edwinum excommunicat: pellices puniuntur. Quomodò, & quo authore? num. 1. 2. 3 Edwius punitur à Deo per civium defectionem, qui Edgaro ejus fratri adhæserunt. num 4. Dunstanus ab exilio revocatur: & in concilio Brandanfordiæ Edwii decreta rescinduntur. num 5. 6. Edwii diploma Ethelgardo ministro. num 8 9.: Dunstanus consecratur Wigorniensis Episcopus. num. 10 11.
11	8	2	10	3	13	De Edgari coronatione num. 1. Dunstanus Londinensis etiam Episcopus Westmonasterium restituit, inductis eò monachis. n 2. 3. Wulsius Westmonasterio præfectus, ad Schirburnensem Sedem ascendit. num 3. 4. Odo mortuus a Dunstano colitur, & ab aliis. num 5. 6. Elsinus Odonis successor, ab Odone punitur. num. 7 8 9 In Alpibus moritur, numquam locum meritus inter Cantuarienses Episcopos. num. 11.
12	9	3	11	4	14	Edwii charta pro novo monasterio. num. 3. 4 5. 6. Edwius Rex moritur. n. 1. 8. Dunstanus pro mortuo Deum deprecatur, & tradendum diabolis (non traditum ut moderni fingunt) ab inferno liberat. num. 9 10. Edgarus monarcha n 11. Ejus elogia. num. 12. 13. 14 Dunstanus Cantuariensis amoto Brithelmo. num. 15.
13	10	OSWALDUS. 1 n. 2.	12	5	15	Dunstanus Romam pro pallio proficiscitur, & litteras pro suæ Sedis prærogativa impetrat num. 1 2 3. 4 5. 6 Othonis Regis juramentum Joanni Papæ. n 7. Oswaldi Episcopi initia, & parentes. n 8 9 10 11. Cur Floriacum iverit. n. 11 12. Edenburgum ab Anglis desitum Scotis permittitur. num 14. Edgari charta pro S Dionysio. num. 15. 16. Edburga Edoardi senioris filia moritur sancta. num. 17. Ejus reliquiæ transferuntur. num. 17.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. JOANN. XII.	Reges Germ. OTHO I.	Reges Francorum. LOTHARIUS.	Reges Anglorū. EDGARUS.	Episcopi in Cantio. Cantuarienses. DUNSTANUS.	Episcopi in Cantio. Roffenses.	Episcopi Oriental. Saxonū Lōdinen. ELFSTANUS.	Episcopi Austral. Saxon. Selefeidēses ÆLFREDUS.	Episcopi Or. Angl. Helmhamenses. ATHULFUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses. BRITHELM⁹.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Schirburnēses WULFSIUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wiltonienses. OSULFUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wellenses. BRITHELM⁹.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Credienses. ALFWOLDO
961	IV	6	26	8	3	3		3	2	7	4	4	28	4	9
962	V	7	OTHO coronatur Imperator I n. 9.	9	4 n. 1.	4		4	3	8	5	5	29	5	10
963	VI	8	2	10	5 n. 9.	5		5	4	9	ETHELWOLD⁹. 1 n. 6	6	30	6	11
964	VII	9	3	11	6 n. 2.	6 Subscribit chartæ. n. 7.		6	5	10	2	7	31	7	12
965	VIII	BENEDICTUS n. 1.	4	12	7	7		7	6	11	3	8	32	8	13
966	IX	JOANN. XIII. 1 n. 1.	5	13	8	8 Subscribit chartæ. n. 8. 13. 41.	GODWINUS 1 n. 15.	8 Subscribit chartæ. n. 13. 41.	7	12 n. 14. Subscribit chartæ n. 41.	4 Subscrib. chartæ. n. 8. 41.	9	33	9 Subscrib. n. 41.	14 Subscrib. chartæ. n. 8. 13. 41.
967	X	2	6	14	9 n. 2.	9	2	9	8	13	5	ALFWOLD⁹. 1 n. 19.	34	10	15
968	XI	3	7	15	10 n. 1.	10 Subscribit n. 7.	3	10 Subscribit chartæ. n. 7.	9	14	6	2	35	11	16
969	XII	4	8	16	11	11	4	11	10	15	7	3	36	12	17
970	XIII	5	9	17	12	12 Subscribit. n. 6.	5	12 Subscribit chartæ. n. 6.	EADELMUS. 1 n. 8.	16 Subscribit chartæ. n. 6. ALFRICUS. 1 n. 8.	8 Subscrib. chartæ. n. 6.	4	ALGARUS. 1 n. 8.	13	18

Episcopi Merciorum.				Episcopi Northhumbrorum.		
Lichfeldenses.	Dorcestrenses.	Wigornienses.	Herefordenses.	Eboracenses.	Cunecestrenses	Capita rerum gestarum.
Kinsius.	Leovinus.	Oswaldus.	Tidhelmus.	Oskitellus.	Aldredus	
14	11	2	13	6	16	Odgarus Comes monasterium construit apud Tavestoke virginibus sacris, ubi S. Rumonus colitur. num. 1. 2. Edgarus Ethelfledam uxorem ducit, quæ monialis non fuit ut fingunt aliqui. num 3. 4. 5.
15	12	3	14	7	17	Edoardus nascitur, Edgari filius, cognomento martyr. moritur Ethelfleda mater, uxor legitima. num 1. Edgarus viduus variis amoribus distrahitur: ejus sanctitas & plures eo nomine n. 3. 4. 5. Edgari Regis crimina recensentur. n. 6. 7. Reliquiæ S. Davidis ab Elswitha Edmundi Regis relictâ transferuntur Glastoniam. num 8. Otho nunc Imperator, Rom. Sedem & Sanctorum reliquias revereur. num. 9. 10.
16	13	4	15	8	18	Edgari septennis pœnitentia, & quare? num. 1. 2. 3. 4. Olim aliqui mali, nunc peiores num. 5. Ethelwoldus Episcopus conatur clerum reformare, & a Sectarus propterea arguitur. n. 6. 7. 8. 9. Ethelwoldi elogium. n. 10. Eiectorum clericorum mores. n. 11. 12. Fœminarum commercium clericis interdicitur. n. 13. 14. Ethelwoldus defenditur. num. 5.
17	14	5	16	9 Subscribit chartæ. n. 7.	19	Oswaldus Episcopus Ethelwoldi industriam in ornando Ecclesias imitatur. n. 1. 2. Edgari charta Wigorniensi Ecclesiæ num. 3. 4. 5. 6. 7. Edgarus an Hiberniam domuerit. num 8. Num monachismus in Anglia defecerit. n. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Exoniense monasterium per Ordgarum Devoniæ comitem fundari cæptum. num. 15.
18	15	6	17	10	20	Otho Imp. Benedictum Papam proscribit, ejusque loco Leonem substituit: uterque hoc anno moritur, & demum eligitur Joannes XIII. num. 1. Birnstani nomen & sanctitas innotescit. n. 2. 3. 4. Edgaro Regi nascitur filius, Edmundus nomine, qui quadriennio tantùm superstes. num. 5.
19 Subscribit chartæ n. 13. Winsius 1 n. 24 & 41.	16 Subscribit chartæ. n. 11.	7 Subscribit chartæ. n. 8. 13. 41.	18	11 Subscribit chartæ. n. 8. 13. 41.	21	Edgari charta pro Croylandiâ. num. 3. 4. 5. 6. 7. 8. De Merewenâ Abbatissâ de Rumsey. num 10. Dunstani, &c. diploma datum Croylandiæ. num 11. 12. 13. Concilium Wintoniense: ubi procemium regularis concordiæ Anglicæ nationis recensetur, & ubi Edgarus dicitur Pastor pastorum. n. 17. 18. 19. 20. &c. Edgari sanctio pro Monasteriis. n. 25. Horreorum quid? n. 26. Edgari charta pro novo monasterio Wintoniensi. n. 28. 29. &c. Eadgifa, sive Edgiva Edgari avia, subscribit & moritur sancta. n. 43. Alia Edgari charta pro novo monasterio.
2	17	8	19	12	22	E Wintoniensi monasterio, secularis clerus pellitur, & quare, & quomodo? num. 1. 2. 3. Edgaro scribit Joannes Papa, & probat Cleri ejectionem. num. 3. Edgari leges Ecclesiam spectantes. num 4. 5. 6. Leges aliæ. num. 7. 8. 9. Sacerdotum conjux Ecclesia dicitur. num 10. 11. Ecclesiarum encænia n. 13. Eucharistia iubetur reservari. num 13. Nulla in legibus cautio de nuptiis sacerdotum. num 18. 19.
3	18	9	20	13	Alfsius. 1 n. 13.	Wintoniense monasterium monachis impletur: ubi de duplici genere monachorum. num 1. Exoniensi monasterio Abbas præficitur. num 2. Ramesiensis cœnobii exordia. num. 3. Edgari pro Westmonasterio charta. num. 5. 6. 7. 8. 9. Excutitur charta, & subscribentium nomina. num. 10. 11. Petrus dicitur specialis Patronus & protector. num. 12.
4	19	10	Wulfhelmus. 1 n. 22.	14	2	Edgarus pro Ecclesiâ solicitus, orationem habet ad Episcopos: quam Sectarii pervertunt. num. 1. 2. 3. 4. &c. Joannes Papa Synodum generalem mandat indici. num 12. Quid decretum in Synodo. num. 12. 13. Comes excommunicatus ob incestum convertitur. num. 14. 15. Incontinens clerus è Merciis ejicitur, & aliis locis. num. 16. 17. Albanensis cœnobii eclypsis num. 18. De Alfrico ibi Abbate. num. 18. De Eliensi, & Beansleiensi, & Thorneiensi monasteriis. num. 19. 20. 21.
5	20	11	2	15	3	Charta Edgari Regis pro restauratione cœnobii Petraburgensis. n. 1. 2. 3. 4. &c. Alia monasteria ab Ethelwoldo reformantur. n. 10. Inventio corporis S. Swithuni. num. 11. 12. Anniversaria memoria translationis ejus num. 13.

						Episcopi in Cantio.		Episcopi		Episcopi	Episcopi Occidentalium Saxonum.				
Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. JOANN. XIII.	Rom. Impp. OTHO I.	Reges Francorum LOTHARIUS.	Reges Anglorũ EDGARUS.	Cantuarienses. DUNSTANUS.	Roffenses GODWINUS	Orientalium Saxonũ Londinen. ELFSTANUS.	Austral. Saxon Selesienses EADELMUS.	Or. Angl. Helmhamenses. ALFRICUS.	Wintonienses. ETHELWOLDUS.	Schireburnẽses ALFWOLDUS.	Wiltunenses. ALGARUS.	Wellenses. BRITHELMUS.	Criditonenses. ALFWOLDUS
971	XIV n. 6.	6 n. 4. 5.	10	18	13	13 Subscribit chartæ. n. 10	6	13 Subscribit n. 10.	2	2	9 Subscrib. n. 10.	5 Subscrib. n. 10.	2	14 Subscrib. n. 10.	19
972	XV n. 1.	DONUS. n. 1.	11	19	14	14	7	14	3	3	10	6	3	15	20
973	I	BENEDICTUS VI. I n. 1.	OTHO II. I	20	15	15	8	15	4	4	11	7	4	16 KINEWARDUS I n. 11.	SEDEMANNUS I n. 11.
974	II	Sede pulsus à Bonifacio intruso. n. 1.	2	21	16 n. 6.	16 Subscribit chartæ. n. 5. 13. 20.	ALFSTANUS. I Subscribit n. 20. 21.	16 Subscribit n. 5. 13. 20	5	THEODREDUS I. I n. 4.	12 Subscrib. n. 5 20.	8	5 Subscrib. n. 20. 21.	2	2
975	III	BENEDICTUS VII. I n. 1.	3	22	EDOARDUS. I n. 12.	17	2	17	6	2	13	9	6	3	3
976	IV.	2	4	23	2	18	3	18	7	THEODREDUS II. I n. 4.	14	10	7	4	4
977	V	3	5	24	3	19	4	19	8	2	15	11	8	5	ALFRICUS. sive ALFREDUS. I n. 5.
978	VI	4	6	25	4	20	5	20	9	3	16	ETHELRICUS. I n. 19.	9	6	2
979	VII	5	7	26	ETHELREDUS. I n. 10.	21	6	21	10	4	17	2	10	7	3
980	VIII	6	8	27	2	22	7	22	ETHELGARUS. I	5	18	3	11	8	4

Episcopi Merciorum. Lichfeldenses.	Dorcestrenses.	Wigornenses.	Herefordenses.	Episcopi Northumbrorum. Eboracenses.	Cunecestrenses.	Capita rerum gestarum.
WINSIUS	LEOVINUS.	OSWALDUS.	WULFHELMUS.	OSKITELLUS.	ALFSIUS.	
6 Subscribit n. 10.12.	21	12 Subscribit n. 10.	3	16	4	Edgari charta pro Glastoniensi monasterio. num. 1. 2. 3. In Concilio Londini, dicta charta & privilegia confirmantur. n. 4. Et à Joanne Papâ. n. 5.6.7.8.9.10. Elfgivæ Edgari matris laus. n. 14. 15. Joannes Papa in Rom. Synodo, confirmat omnia quæ Edgarus & Dunstanus confirmari petiverunt, & diploma scripsit. num. 16. 17. 18. Parkeri censura de Joanne Papâ, Edgaro, Dunstano, Ethelwoldo, & Osvvaldo, rejicitur. num. 20. 21. Prædia recensentur data Glastoniæ a variis. n. 23. 24. Monasterium Chesteticum monialibus extruitur. num. 25.
7	22	13	4	OSWALDUS è Wigornensi. 1	5	Oswaldus Eboracum translatus, monasteria reformat, literatos viros, & inter eos Abbonem Floriacensem in Angliam vocat. num. 2 3 4. Croylandense monasterium floret: & Turketulus statuta condit. n. 6. 7. 9. 10 11. 12. Wintoniensis Ecclesia consecratur. num. 14.
8	23	14	5	2	6	Oswaldus ex Urbe Pallium impetrat. Edgarus Rex coronatur post septennem pœnitentiam. n. 2 3. 4. Septem Reges Edgaro famulantur. num 5. 7. 8. Edgarus Regiam vestem Glastoniæ donat. num. 6. Externorum commercio Insula turpatur. num 8. De lege bibendi quam tulit Edgarus, nè Danorum consuetudini Angli assuescerent. num. 9. Tributum de Lupis Britannis impositum. num 9. Edgari apparatus navalis. n. 10.
9	24 Subscribit n. 5. ÆLFOTHUS. Subscribit n. 20. 21.	15	6	3 Subscribit chartæ. n. 5. 13. 20	7	Charta Edgari pro Malmesberiâ, quæ monachis restituitur. num. 1. 2. 3. 4. 5. Edgari charta pro Thorneiæ monasterio. n. 7, 8 9. 10. 11 12 13. Ejusdem charta pro Ramseiâ: ubi mirabilis monasterii fundatio recensetur. n. 15 16. 17. 18 19 20. Monasterii fundator Ailwinus, sive Ethelwinus Sanctorum reliquias Ramseiam transfert. num. 22. 23. Elfgivæ sanctæ corpus effertur, & Withburgæ virginis. n. 24 25.
10	2	16	7	4	8	Edgarus moritur. Elogium ejus. num. 2. 3. Dedit prius Laudoniam Regi Scotorum. num. 1. Stomachantibus sectarus. Edgarus inter Sanctos refertur. num. 4. 5. 6. De successore contenditur. Item de monasteriis, sed in Concilio Wintoniensi deciditur his. num. 7. 8. 9. 10 11. Quinam pro Edoardo, qui contra steterint. n. 12. 13. 14 15. Turketulus Abbas moritur num. 17. 18. 19. Egelricus succedit. n. 20. Quando cœpit Campanarum usus? n. 20. 21.
11	3	17	8	5.	9	Edoardi Regis virtutes Regiæ. num. 1. Elfridæ novercæ ambitio, & Edithæ sororis vaticinium. num. 2. Elferus in monasteria sævit, & qualis ille? n. 3.
EALFEGUS. 1 n. 6.	4	18	9	6	10	Clerici tumultuantur Elfridâ duce num. 1. Synodus Kirtlintoniæ, in quâ Sidemannus Episcopus moritur. num. 2. 3. 4. 5.
2	5	19	10	7	11	Concilium Calnense ubi Turbodus pro Clericorum nuptiis disputasse fingitur. num. 1. 2. 3. 4. 5. Concilium Ambresburiæ in eâdem causâ num. 6. 7. Leges Presbyterorum Northumbrensium. num. 8. 9. 10 11 &c. Ex illis patet presbyteros non fuisse conjugatos. num. 12. & 17. Cumbrorum Rex Malcolmus Edoardo fidelitatem solvit. num. 18.
3	6	20	11	8	12	Edoardus Rex impiè occiditur. Elfrida noverca Regicidii causa. num. 1. 2. 3. Edoardi corpus absconditur; sed luce & miraculo detectum sepelitur ad Werham. inde Septoniam transfertur. num. 4. 5. 6. Elfridæ conversio Elferi pœnitentia. n. 6. 7. 8. Edoardus Martyr colitur, & lugetur. num. 9. Æthelredi Regis exordia, baptismus, & Dunstani de eo vaticinium. num. 10. 11. 12. 13. Miseriarum quæ secutæ sunt, vera causa excutitur. n. 13. 14. 15.
4	7	21	12	9	13	Swani, qui Angliam turbavit, exordia. num. 1. 2. Swanus in Angliam appellit, & repellitur. num. 3 4. Tanetum Insulam, & urbem Legionum Dani depopulantur. num. 5. Moritur S. Eadgitha Northumbriæ Regina. num. 6. Et S. Merwina Abbatissa Rumseiensis. num. 6.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. Benedictus VII	Rom. Impp. Otho II.	Reges Francorum. Lothairus.	Reges Anglorū. Ethelredus.	Episcopi in Cantio. Cantuarienses. Dunstanus.	Episcopi in Cantio. Roffenses. Alstanus.	Episcopi Oriental. Saxonū Londinen. Elfstanus	Episcopi Austral. Saxon Selesienses. Ethelgarus.	Episcopi Or. Angl. Helmhamenses. Theodred⁹ II.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses. Ethelwold⁹.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Schireburnenses. Einelricus.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wiltunenses. Algarus.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wellenses. Kineward⁹	Episcopi Occidentalium Saxonum. Cridienses. Alfricus.
981	IX	7	9	28	3	23	8	23	2	6	19	4	12	9	5
982	X n. 9.	8	10	29	4 n. 7.	24 Subscribit chartæ. n. 7.	9 Subscribit chartæ. n. 7.	24 Subscribit n. 7.	3 Subscribit. n. 7	7	20 Subscrib. n. 7.	Ethelsinus. n. 8. 1 Subscrib. n. 7	13	10	6
983	XI	9	11	30	5	25 Subscribit chartæ. n. 5.	10	25.	4	8	21 Subscrib chartæ. n. 5.	2 Subscrib. n. 5.	14 Subscrib. n. 6. Alfstanus 1	11	7
984	XII	Joann. XIV. n. 1.	Otho III. 1	31	6	26	Godwinus senior. 1 n. 7.	26	5	9	Elphegus 1 n. 5 & 8	3	2	12	8
985	XIII	Joann. XV. 1 n. 1.	2	32	7	27	2	27	6	10	2	4	3	Sigarus. 1 n. 2	9
986	XIV	2	3	Ludovicus V. 1	8. n. 7.	28	3	28	7	11	3	5	Siricius. 1 n. 2	2	10
987	XV	3	4	2	9 n. 6. 7.	29 Subscribit chartæ. n. 3. & 7.	4	29 Subscribit chartæ. n. 3. & 7.	8 Subscribit n. 3. 4. 7.	12	4 Subscrib. n. 3. 4. 7	6 Subscrib. n. 3 4 7	2 Subscrib. n. 3 4. 7.	3	Alfwoldus 1 n. 5 4.
988	I	4	5	Hugo Capetus. 1 n	10 n. 12.	Ethelgarus ex Selesiensi. 1 n. 8.	5	30 Subscribit chartæ. n. 11.	Ordbrightus 1 n. 8.	13	5 Subscrib n. 11.	7 Subscrib. n. 11.	3 Subscrib. n. 11.	4	2
989	II	5	6	2	11	Siricius è Wiltunensi. 1 n. 4.	6	Wulstanus. 1 n. 3.	2	Ethelstanus. 1 n. 3.	6	8	0	5 n. 3.	3
990	III	6	7	3	12	2	7	2	3	2	7	9	Alfricus. 1 n. 3.	6	4

Episcopi Merciorum. Lichfeldenses. Ealpegus.	Dorcastrenses. Ælnothus.	Wigornenses. Oswaldus.	Herefordenses. Wulfhelmus.	Episcopi Northumbriæ. Eboracenses. Oswaldus, qui & Wig.	Cunocestrenses. Alsius.	Capita rerum gestarum.
5	8	22	13	10	14	Dani maritima infestant. Occidentem imprimis, ubi Cornubiensis Ecclesia graviter patitur. num. 1. Ethelredus Elgivam (quæ & Elfleda dicitur) in uxorem accipit, & ex ea prolem multam. num. 2.
6	Asewi n. 8. 3 Subscribit. n. 7.	23	14	11	15	Nubes sanguinea cladis nuntia, & Dunstani vaticinium firmans. Dani Dorsetensem agrũ vexant n. 1 Elferus Edoardi Martyris corpus transfert Septoniam. num. 2. 3. Ethelredi charta pro Wintoniensi monasterio. num. 4. 5. 6. 7. Britannorum Episcopi à Cantuariensi consecrantur. num. 9.
7	2 Subscribit n. 5.	24	Alfricus. 1 n. 8.	12 Subscribit n. 5.	16	Ethelredus Roffensem urbem obsidet, nec Dunstani precibus, sed pecuniâ conductus discessit. num 1. Ethelredi charta pro Wintoniensi monasterio. num 2, 3. 4. 5 Alfstani obedientia in Abindoniæ monasterio: priusquam Episcopus consecraretur. num. 6.
8	3	25	2	13	17	Ethelwoldus moritur Sanctus. num. 2. 3 6 Et unà Roffensis Episcopus juxta Dunstani vaticinium. num 4. 5. Elphegi Bathonensis Abbatis, nunc Episcopi exordia. num 8. Editha virgo, Edgari filia moritur sancta. num. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Brithginâ nascitur, & baptizatur Edithâ sancta cereum tenente. num. 15. Editha parens altera sanctè moritur. num. 16.
9	4	26	3	14	18	Bonifacius in Urbe tumultuatur, Joannem XIV. è Sede pellit. & vitâ: inde Petri cathedram ascendit, & post paucos menses mortuus, locum digniori cessit. num. 1.
10	5	27	4	15	19	Ethelredus Danorum furorem sistere cogitur, solutione sedecim millium librarum. num. 1. Elstanus Wiltunensis moritur Sanctus. num. 2.
11	6	28	5	16 Subscribit chartæ. n 3. & 7.	20	Gravi peste Insula corripitur. n. 1. Ethelredi charta Ethelsigo ministro. n. 2. 3. 4. Aliud Ethelredi diploma Ethelwoldo ministro. num. 6. Ethelwoldi ministri testamentum. num. 8.
12	7 Subscribit n. 11.	29	Arnulfus. 1 Subscribit. n. 11.	Subscribit chartæ. n. 11. 17	21	Britanni inter se digladiantur: Guentiæ Rex fratrem occidit, & excõmunicatur in Synodo Landavensi. num. 1. 2. Dunstanus in cælum ab Angelis invitatur. n. 3. 4. 5 Laudatur & colitur. n. 6. 7. 8. Dunstano mortuo Dani gravissimè incumbunt. num 9. Ethelredi charta Ethelgaro Episcopo. num. 10. 11.
13 n. 3.	8	30	2 n. 3.	18	22	Wulfboldus in Regem contumax, in Concilio Londinensi bonis omnibus exuitur. num. 1. 2. 3. Ethelredo nascitur filius, Edmundus, cognomento Ferreum latus. num. 5. Alii Regis filii recensentur. num. 5.
14	9	31	3	19	Aldunus. 1 n. 2.	Siricius consecratur Cantuariensis Episcopus. num. 1. In ejus locum Alfricus eligitur, cognomento Grammaticus num. 3. 4. De discordia inter Ethelredum Regem, & Normanniæ Ducem. num. 5. 6.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. JOANN. XV.	Rom. Impp. OTHO III.	Reges Francorum. HUGO CAPETUS.	Reges Anglorũ. ETHELREDUS.	Episcopi in Cantio. Cantuarienses. SIRICIUS	Episcopi in Cantio. Roffenses. GODWINUS.	Episcopi Oriental. Saxonũ. Lõdinen. WULSTANUS.	Episcopi Austral. Saxon. Selesienses. ORDBERTUS.	Episcopi Or. Angl. Helmhamenses. ETHELSTANUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses. ELPHEGUS	Episcopi Occidentalium Saxonum. Schirburnenses. ETHELSINUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wiltunenses. ALFRICIUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wellenses. SIGARUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Cridienses. ALFWOLDUS
991	IV	7	8	4	13	3	8	3	4	3	8.	10	2	7	5
992	V	8	9	5	14	4	9	4	5	4	9	11	3	8	6
993	VI	9	10	6	15	5	10	5	6	ALGARUS. 1 n. 4.	10	12	4	9	7
994	VII	10	11	7	16	6	11	6	7	2	11	13	5	10	8
995	VIII	11	12	8	17	Moritur. n. 8.	12	7	8	3	12	14	6	11	9
996	IX n. 6	GREGORIUS V. 1 n. 1.	13	ROBERTUS. 1	18 n. 7.	ALFRIC° è Wiltunensi. n. 1. 1 Subscribit chartæ. n. 7. 8.	13	8 Subscribit n. 7.	9 Subscribit n. 7.	4	13 Subscrib. n. 7.	15	BRITHWOLD°. 1 n. 9.	12	10 Subscribit n. 7.
997	X	2	14	2	19 n. 1.	2	14	9	10	5	14	16	2	ALFWINUS. 1 n. 3.	11
998	XI	3	15	3	20	3	15	10	11	6	15	17 n. 2.	3	2	12
999	XII	SILVESTER II. 1 n. 1.	16	4	21	4	16	11	12	7	16	18	4	3	13
1000	XIII	2	17	5	22	5	17	12	13	8	17	19	5	4	14

Episcopi Merciorum.				Episcopi Northumbriæ		
Lichfeldensis.	Dorcestrensis.	Wigorniensis.	Herefordensis.	Eboracensis.	Cunecestrensis.	*Capita rerum gestarum.*
ELBAAGUS.	ÆSCWINUS.	OSWALDUS.	ATHELFUS.	OSWALDUS.	ALDUINUS.	
15	10	32	4	20	2	Joannes Papa legationem mittit & litteras in Angliam: num. 1. 2. Edilsinus Episcopus in Normanniam mittitur, ad pacem conciliandam. num. 3. Dani Insulam vexant, & annuo tributo 10000. librarum pelluntur. n. 4. 5. Ecclesia fuit à solutione Danegildi libera. num. 6.
16	11.	ALDULFUS. 1 n. 4.	5	ALDULFUS. 1	3	Oswaldus unctione & viatico munitus, sanctè moritur, & defenditur quòd duas Sedes simul tenuerit. num. 1. 2. 3. Dani redeunt. Alfricus Dux ad eos defecit: fugatur tamen. num. 5. Ramseiensis monasterii fundator Ethelwinus moritur. num. 6. Ramseiensi monasterio Elfleda præficitur. Ejus exordia, & vitæ compendium. num. 7. 8. 9.
17	12	2	6	2	4	Dani Northumbriam premunt, & plures ad eos deficiunt; quia Danis erant sanguine conjuncti. num. 1. 2. S. Neoti reliquiæ Croylandiam transferuntur. num. 2. 3.
18	13	3	7	3	5	Swanus Rex Danorum, & Aulafus Rex Norwegiæ Londinum invadentes, Deiparæ auxilio mirabiliter pelluntur. num. 1. 2. Aulafus ad fidem convertitur, ab Episcopo confirmatur, à Rege in filium suscipitur. num. 3. 4. Leges seu fœdus Ethelredi cum exercitu Aulafi. num. 5. 6. 7. 8.
19	14	4	8	4	Episcopi Sedes Dunelmum trãsfertur. n. 3. 4. 5. 6	Cuthberti corpus mirabiliter incorruptum, Dunelmum transfertur. Inde Dunelmensis Ecclesiæ & oppidi nobilissima exordia. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
20 Subscribit. n. 7. GODWINUS. 1	Subscribit. n. 7. 15 ÆLFELMUS. 1 n. 8.	5	9	5 Subscribit. n. 7.	7	Alfricus Abbindonensis monachus, & Wiltunensis Episcopus à Cantuariensi clero laudatur ob fidem: & ille nudis pedibus pro pallio Romam proficiscitur. num. 1. 2. 3. 4. S. Ethelwoldi corpus ad cultum effertur. num. 5. Charta Ethelredi Regis, matri Alfithæ. n. 6. 7.
2	2	6	10	6	8	Dani multis in locis prædantur, & Tavestochiæ monasterium comburunt. num. 1. 2.
3	3	7	11	7	9	Dani iterum occidentem infestant, & Angli miserè, vel fugiunt, vel fugantur.
4	4	8	12	8	10	Dani in Cantio dominantur, Anglorum imperium ad occasum tendit, ex ducum defectione, & Regis ignaviâ. n. 1. 2. Brethnotus Comes prædia dat Eliensi monasterio, & fortiter in Danos pugnans moritur. num. 3.
5	5	9	13	9	11	Ethelredus, Dano abeunte, munit provincias, & Monam occupat. num. 1. 2. Anglorum fides, quæ Danorum rapinis paululum offuscatur, fortis illustris est: cum Segfridi Eboracensis nepotes, Winamanus, Unamanus, & Sunamanus, in Gothiâ pro fide occiduntur. num. 3. 4.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices. SILVESTER II.	Occid. Imp. OTHO III.	Reges Francorum. ROBERTUS.	Reges Anglorum. ETHELREDUS.	Episcopi in Cantio. Cantuarienses. ALFRICUS.	Episcopi in Cantio. Roffenses. GODWINUS jun.	Episcopi. Oriental. Saxonum. Londinen. WULSTANUS.	Episcopi. Austral. Saxon. Selesienses. ORDBRITUS.	Episcopi Or. Angl. Helmhamenses. ALGARUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses. ELPHEGUS	Episcopi Occidentalium Saxonum. Scireburnenses. ETHELSINUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wiltonenses. BRITHWOLDUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wellenses. ALFWINUS.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Cridienses. ALFWOLDUS
1001	XIV	3	18	6	23	6	1 Subscribit. n. 13.	13	14	9	18	20	6	5	15
1002	XV n. 13	4	HENRICUS II. 1	7	24 n. 6 13.	7	2	14	15	10	19	21	7	6	16
1003	I	JOANN. XVIII. JOANN. XIX. 1 n. 5.	2	8	25	8 Subscribit privilegio. n. 10.	3 Subscribit. n. 10.	Subscribit n. 10. 15 ALFHUNUS. 1 n. 11.	16 Subscribit n. 10.	11	20 Subscrib. n. 10.	22	8	7 LAVINGUS. 1 n. 11.	17
1004	II n. 4.	2	3	9	26	9 n. 4.	4	2	17	12	21	23	9	2	18
1005	III	3	4	10	27	10	5	3	18	13	22	24	10	3	19
1006	IV	4	5	11	28	ELPHEGUS è Wintoniensi. 1 n. 26.	6	4	19 Subscribit chartæ. n. 31. ÆLMARUS 1 n. 32.	14	KENULPHUS. 1 n. 27.	Subscrib. n. 31. 32. 25 BRITHWINUS. 1	11	4 Subscrib. chartæ. n. 31. 32.	ALFWOLDUS II. 1 subscribit chartæ. n. 31.
1007	V	5	6	12	29	2	7	5	2	15	ETHELWOLDUS 1 n. 4.	2	12	5	2
1008	VI	6	7	13	30	3	8	6	3	16	2	2	13	6	3
1009	VII	SERGIUS IV. 1 n. 1.	8	14	31	4	9	7	4	17	3	ÆLMARUS. 1 n. 5.	14	7	4
1010	VIII	2	9	15	32	5	10	8	5	18	4	2	15	8	5

Episcopi Merciorum. Lichfildenses.	Dorcestrenses.	Wigornenses.	Herefordenses.	Episcopi Northumbriæ. Eboracenses.	Dunelmenses	Capita rerum gestarum.
GODWINUS.	ELFHELMUS.	ADULFUS.	ATHELFUS.	ADULFUS.	ALDUNUS.	
6	6	10	14	10	12	Dani Exoniensem urbem vexant, & Vectam depopulantur. num. 1. Ethelredus, Elgivâ conjuge mortuâ, aliam è Normanniâ procatur. num. 2. 3. Brithwoldi vaticinium. num 3. 4. Edoardi Martyris corpus effertur. n. 7. Inventio corporis S. Ivonis, & vitæ ejus compendium. num. 9. 10. 11. 12.
7	7	WULSTANUS. Eboracens. 1 n. 14.	15	11 n. 13. 14. WULSTANUS II. 1 n. 4.	13	Pacta Danis pecunia 24000. lib Ethelredus Emmam ducit. num. 1. 2. Warwelleose cœnobium ditat, & regiam chartam scribit. num. 3. 4. 5 6. Ejus filii & filiæ recensentur. n. 6. 7. Danos omnes jubet interfici, inde miseriarum Oceanus. n. 7. 8. 9. 10. 11. 12. S. Oswaldi ossa exponuntur ad cultum. num. 43. Moritur S. David Abbas, qui in Sueciâ prædicavit. num. 15.
8	8	2	16 Subscribit. n. 10.	2	14	Dani superioris anni carnificinam ulturi, magno impetu in Angliam feruntur: & vel Northumbriam, vel Exoniensem urbem destruunt. n. 1. 2. Item Wiltunensem agrum. num. 3. Suanus & Canutus filius, expeditionis hujus Principes. n. 4. Ethelredi privilegium Ecclesiæ Cantuariensi datum. n. 6. 7. 8 9. 10. 11.
9	9	3	17	3	15	Dani immane grassantur, Norwicum & Thesfordia incenduntur: Ulfketello strenuè in Danos pugnante. num 1. 2. 3. Wulfrici Spot testamentum Burtonense monasterium ditatur. num 4 5. Moduennæ virginis corpus monasterio illatum. num. 6. Moritur S. Gothebaldus Norwegiæ Episcopus. Sigfridus Eboracensis & alii viri Apostolici qui Septentrionem illum converterunt. n. 7 8. 9.
10	10	4	18	4	16	Magna fames etiam Danos fugat ex Insulâ. Einshamense monasterium fundatur. num. 2. Alia monasteria passim expilantur. & imprimis Croylandense. n 3.
11	11 Subscribit char. n. 31. ÆDNOTUS. 1 n. 32.	5	19 Subscribit chartæ. n. 31.	5 Subscribit chartæ. n. 31.	17	Dani Swano redeunt, Berkeriensem provinciam vastant: & perfidus Edricus Athelstanum Ducem occidit. num. 1 2. Alfrici Cantuariensis Fides excutitur, de Eucharistiâ num 3. 4 5 6. &c. De Transubstantiatione quid senserit? n. 10. Fuit monachus & missalis sacerdos. num. 11. Alfrici Canones. n. 12. 13 14. 15. &c. Elphegus ex Urbe pallium petens, spoliatur. num. 26. Ethelredi charta, pro S. Albano. num. 28. 29. 30. 31. 32.
LEOFGARUS. 1 n. 5.	2	6	20	6	18	Ethelredus cum Danó paciscitur. 36000. lib. pretio soluto: Edrico procuratore, qui Merciorum Dux creatus, & factus Regis gener, patriam Dano prodidit. num. 1. 2. 3.
2	3	7	21	7	19	Classis contra Danum paratur tributo provinciis imposito. num. 1. Synodus Eynshamensis sub Elphego: & decreta ibi. num. 2. 3. 4. 5. 6. Sacerdotibus continentia injungitur: ubi Wyfe non uxorem, sed fœminam significat. n. 7. 8. Leges aliæ. n. 9. 10. 11. 12. 13. &c.
3	4	8	22	8	20	Nova Danorum classis in Cantium irrumpit. Cantuariensem urbem oppugnat: & pecuniâ à civibus solutâ Vectam Insulam & maritima ibi, deprædatur. n. 1. 2. Ethelredus Danis occurrit, sed ubique proditur, à perfido Edrico. num. 3. 4.
4	5	9	23	9	21	Danus in Dobunos & Orientales Anglos impetum facit, ibi Oxoniam incendunt: hic monasteria vastant. num. 1. 2. 3 4 & 9. In Mercios profecti, monasterium S. Pegæ comburunt, & Burgum: ubi Kineburgæ reliquiæ Thorneiam transferuntur. num. 5. Croylandiæ prædia, ob patrocinium distrahuntur. num. 6. 7. Cantabrigia patitur. n. 8. S. Edmundi Regis corpus Londinum transfertur incorruptum. num. 10. 11.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices	Impp. Occid.	Reges Francorum	Reges Anglorū	Episcopi in Cantio. Cantuarienses.	Episcopi in Cantio. Roffenses.	Episcopi Oriental. Saxon. Londinen.	Episcopi Austral. Saxon. Selesiensses	Episcopi Orient. Angl. Helmhamenses.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintonienses.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Schirburnēses	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wiltunenses.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wellenses.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Cridienses.
		Sergius IV.	Henricus II.	Robertus.	Ethelredus.	Elphegus.	Godwinus	Alphunus.	Ælmarus.	Algarus.	Ethelwoldus.	Ælmarus.	Brithwoldus.	Livingus.	Alfwoldus II.
1011	IX	3	10	16	33	6	11	9	6	19	5	3	16	9	6
1012	X	Benedictus VIII. I n. 1.	11	17	34 n. 23.	Livingus è Wellēs. I n. 10.	12	10	7	20	6	4	17	Ethelwinus. I n. 18.	7
1013	XI	2	12	18	35	2	13	11 In Gallias moritur. n. 8.	8	21	7	5	18	2	8
1014	XII	3	13	19	36	3	14	12	9	22	8	6	19	3	9
1015	XIII	4	14	20	37	4	15	13	10	23	Alsius sive Edsius. I n. 4.	7	20	4	10
1016	XIV	5	15	21	Edmundus. n. 5.	5	16	Alwius, vel Elfwius I n. 20.	11	24	2	8	21	5	11
1017	XV	6	16	22	Canutus. I n. 1.	6 n. 2. Canutum coronat.	17	2	12	25	3	9	22	6	12
1018	I	7	17	23	2 n. 6.	7 Subscribit diplomati n. 2.	18	3	13 n. 8.	26 Subscribit diplomati n. 2.	4	10	23	7	13
1019	II	8	18	24	3 n. 3.	8	19	4	Æthelricus. I n. 4.	27	5	11	24	8	14
1020	III	9 n. 13.	19	25	4	Agelnotus. n. 10. I Subscribit chartæ. n. 8.	20 Subscribet n. 8.	5 Subscribit n. 8.	2	28	6 Subscrib. n. 8.	12 Brithwinus. I n. 24.	25 Subscrib. n. 8.	9	15

Episcopi Merciorum.				Episcopi Northumbriæ.		
Lichfeldenses.	Dorcestrenses.	Wigornienses.	Herefordenses.	Eboracenses.	Dunelmenses	Capita rerum gestarum.
LEOFGARUS	ÆDNOTUS.	WOLSTANUS.	ATHULFUS.	WOLSTANUS.	ALDUNUS.	
5	6	10	24	10	22	Cantuariensis urbs à Danis obsidetur, ubi Elphegi industria, pietas, & constantia; Danorum crudelitas eminuit num. 1. 2. 3 4. Elphegus & Godwinus Episcopi capiuntur. num. 4 5. 6. Godwino dimisso, Leofruna Abbatissa occiditur. num. 7.
6	7	11	ETHELSTANUS. 1 n. 18.	11	23	Elphegus à Danis occiditur, num 2.3.4.5.8. Martyrii causa expenditur. n. 7.8.9. Celebre miraculum de Sacerdotis imprecatione. num. 12. 13. 14. 15. 16. Leges Ecclesiasticæ Ethelredi Regis. num. 19. 20. 21. 22. 23.
7	8	12	2	12	24	Swanus in Angliam redit: ad eum multi deficiunt. num. 1. 2 3. 4. Ethelredus fugam meditatur, Emma cum filiis in Galliam mittitur. num. 5. Malè calamitas hæc monachis à Parkero tribuitur. num. 6. Ethelredus in Normanniam vadit. num. 7. S. Edmundi corpus Burgum transfertur. num. 8.
8	9	13	3	13	25	Anglia sub Dano gemit, Swano Regis nomen arrogante; sed è cœlo perculsus cita extinguitur. num 1 2. 3. 4. 5. Canutus patri succedit, sed ejus malo doctior S. Edmundum martyrem colit. num. 6. Ethelredus Rex redit in Angliam, Canutus in patriam suam. num. 8.
9	10	14	4	14	26	Fusus iterum per perfidiam Danorum sanguis Canutum reducem & vindicem habet. num. 1. 2. Edricus proditor Canuto jungitur. num. 3.
10	ÆTHERICUS. 1 n. 11.	15	5	15	Moritur.	Inter armorum strepitus Ethelredus moritur. Edmundus filius succedit. Canuto contra nitente Itum inde ad pacis fœdera, divisa regni majestas: Donec perfide occisus Edmundus, regnum Canuto solo reliquit. num. 1 2. 3. 4. 5. 6. 7. &c. De S. Wulstano. n. 18. Elchilus. n. 19.
11	2	16	6	16	0	Canutus à Livingo Cantuariensi coronatus à communi procerum suffragio regnat. num. 1. 2. Edricus perfidus dignè occiditur. num. 3. 4. 5. 6. Edmundi frater & filii. num. 7. 8. Emma Canuto nubit. num. 7. Ecclesia sub Canuto floret. num. 9 10.
12	3	17 Subscribit diplomati. n. 2.	7	17	0	Diploma Canuti pro Cantuariensi Ecclesiâ. num. 1. 2. 3. Emmæ laus: Danica classis remittitur, magno quidem pretio persoluto, sed majori commodo. num. 4. 5.
13	4	18	8	18	0	Exoniensis urbs à Canuto reparatur: Et Athelwoldi Abbati monasterium traditur. num. 1. Canutus in Daniam reversus Olaum Norwegiæ Regem fugat, Anglorum ope. num 2. 3. Emmæ pietas in Ecclesiam. num. 4.
14	5 Subscribit chartæ. n. 8 9.	19	9	19 Subscribit chartæ. n. 8.	EDMUNDUS mirabiliter eligitur. 1 n. 24.	Godwinus comes Cantii creatur. num. 1. 2. Canutus Edmundum Martyrem ornato monasterio, & chartâ colit Regiâ. num. 4. 5 6. 7 8. 9. Agelnoti Cantuariensis elogium. n. 10. 11. 12. 13. Num emerit brachium S. Augustini à Benedicto Papâ n. 13. 14 15. Ut brachium illud cum honore exceptum. n. 15. 16. &c. Brachium S Bartholomæi pari cultu in Angliâ exceptum: Et Cantuariensi Ecclesiæ donatum. num. 20, 21, 22. 23.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices	Impp. Occid.	Reges Francorum	Reges Anglorũ	Episcopi in Cantio: Cantuarienses.	Roffenses.	Episcopi Oriental. Saxon. Lõdinen.	Austral. Saxon Selosenses	Episcopi Or. Angl. Helmhamenses.	Episcopi Occidentalium Saxonum: Wintonienses.	Schirburnenses	Wiltonenses.	Wellenses.	Creditonses.
		BENEDICTUS VIII.	HENR. II.	ROBERTUS.	CANUTUS.	AGELNOTUS.	GODWINUS II.	ALWIUS.	ÆTHELRICUS.		EDSIUS.	BRITHWINUS.	BRITHWOLD.	ETHELWINUS.	
1021	IV	10	20	26	5	2	21	6	3	ALDWINUS. 1 n. 2.	7	2	26	10	EDNOTUS. 1 n. 17.
1022	V	11	21	27	6	3	22	7	4	2	8	3	27	11	2
1023	VI	12	22	28	7	4 Effert corpus S. Elphegi. n. 3.	23	8	5	3	9	4	28	12	3
1024	VII	JOANN. XX. 1 n. 1.	23 CONRADUS II. 1 n. 2.	29 n. 1.	8 n. 2.	5	24	9	6	4	10	5	29	13	4
1025	VIII	2	2	30	9	6	25	10	7	5	11	6	30	14	5
1026	IX	3	3	31	10	7	26	11	8	6	12	7	31	15	6
1027	X	4	4 n. 1. 2.	32	11	8	27	12	9	7	13	8	32	BRITHWINUS. 1 n. 16.	7
1028	XI	5	5	33	12	9	GODWINUS III. 1 n. 7.	13	10	ALFRICUS. 1 n. 7.	14	9	33	2	8
1029	XII	6	6	34	13	10	2	14	11	2	15	10	34	3	9
1030	XIII	7	7	35	14	11	3	15	12	3	16	11	35	4	10

Episcopi Mercierum.				*Episcopi Northūbriæ.*		
Lichfeldenses.	*Dorcestrenses.* *Æthelricus.*	*Wigorniensis.* *Wulstanus.*	*Herefordenses.* *Ethalstanus.*	*Eboracenses.* *Wulstanus.*	*Dunelmenses* *Edmundus.*	*Capita rerum gestarum.*
BRITHMARUS. 1 n. 17	6	20	10	20	2	Concilium Wintoniense in quo immanitas Edmundi-Burgo conceditur, & leges pro Ecclesia feruntur num 1. 2. 3 4. Eversâ Ecclesiæ hierarchiâ, omnia evertuntur. num 5. Sacerdotum castitas præcipitur. num. 6 7 8. Decimarum solutio festorum & jejuniorum lex. num. 9. 10. 11. &c. Canutus Danos ex Insulâ pellit. num. 16.
2	7	21	11	21	3	Oxoniense colloquium, in quo leges feruntur Anglis Danisque communes, n 1. 2. Canuti moderatio in pœnis reo infligendis. num. 2. Provinciarum distinctio, earum quæ à Danis & quæ ab Anglis regebantur.
3	8	LEOFRICUS. 1 n. 5.	12	ALFRICUS PUTTA. 1 n. 5.	4	Corpus S. Elphegi Martyris Cantuariam transfertur, & manet post centum ab ejus morte annos incorruptum. n. 1. 2. 3 4.
4	9	2	13	2	5	Moriuntur Benedictus Papa, Henricus Germaniæ Imperator. Richardus secundus Normannorum Dux. num. 1. 2. Ecclesia intrusum principem habet: cæterum per orbem optimi Reges.
5	10	3	14	3	6	Canutus ornat Wintoniensem & Dunelmensem Ecclesiam. num. 1. 2. 3. Edmundus Dunelmensis Episcopus, monachus efficitur, ut præsit. num. 2. Canutus mari incassum imperat: & inde Crucifixo coronam imponit. n. 3.
6	11	4	15	4	7	Canutus Glastoniam invisens, orat pro animâ Edmundi defuncti Regis, offert munera. num. 1. Monasterium de Hulmo construit, & dotat: eo modo quo Henricus Imperator S Benedictum coluit. num 2. 3. 4 5. Alfricus Eboracensis Romæ pallium impetrat. num. 2. Orkingus & Tola uxor Abbatisburiam fundant. num. 6.
7	12	5	16	5	8	Canutus Romam profectus Gunildam filiam Conradi Imperatoris filio jungit. num. 1 2. 3. In itinere à periculo liberatur, ope S. Augustini Anglorum Apostoli: Et Audomaropolim divertit. num. 4. Literæ Canuti ad Episcopos Angliæ. num 5. 6. 7. 8. 9. 10. Canutus ex Urbe in Daniam vadit, & Norwegos ad se trahit. num. 11. Olaus Rex Doctores ex Angliâ habet. num. 12. Canutus in Angliam redit. num 13. Brithwoldi Episcopi vaticinium de S. Edoardo. num. 14. 15. Quæ dederit Glastoniæ. num. 15.
8	13	6	17	6	9	Canutus in Norwegiam profectus, illam occupat, Olao Rege occiso. num. 1. 2: A Regicidio Canutus excusatur. num. 3. Cantuanorum militum virtus in prælio, & inde eorundem prærogativa. num. 4. Ulfsidus Martyrio coronatur. num. 5. 6.
9	14	7	18	7	10	Canutus in Angliam redit, ubi sibi à Danis magis quàm ab Anglis timet. num. 1. Quæstio de S. Martiali, dicendusne Apostolus Anglorum, solvitur in Concilio Lemovicensi. num 2. 3 4. Anglorum & Gallorum eadem sacra. num. 5. Litaniarum & Martyrologii prima origo. num. 5.
10	15	8	¦19	8	11	Corpus S. Mildredæ virginis Cantuariam transfertur permissu Canuti Regis. n. 1. 2. 3. 4. Quæ dederit Canutus Ecclesiæ, ubi S. Mildredæ corpus quiescit. n. 5. Ethelredi filii in Normanniâ exules, pro quibus Robertus avunculus advocat. num 6 7. Robertus Hierosolymam peregrinatur, relicto Gulielmo filio, cujus exordia recensentur, quia Angliam devicit. num. 7.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices Joann. XX.	Impp. Occid. Conradus II.	Reges Francorum Robertus.	Reges Anglorũ Canutus.	Episcopi in Cantio. Cantuariensis. Agelnotus.	Roffensis Godwinus III.	Episcopi Oriental. Saxon. Lõdinen. Alwius.	Austral. Saxon. Selesiẽsis Æthelricus.	Episcopi Or. Angl. Helmhamensis. Alfricus.	Episcopi Occidentalium Saxonum. Wintoniensis. Ednius.	Schirburnẽsis Brithwinus.	Wiltoniensis. Brithwold°.	Wellensis. Brithwius.	Creditonensis. Edmotus.
1031	XIV	8	8	36	15 n. 1.	12	4	16	13	4	17	12	36	5	11
1032	XV n. 3.	9	9	Henricus I. 1	16	13 Subscribit diplomati. n. 11.	5	Elfnardus. 1 Subscribit diplomati. n. 11. 12.	14	Alfricus II. 1 n. 14.	Moritur. n. 14.	13	37	6	Livingus. 1 n. 14.
1033	I	10 Moritur n. 4. Benedictus IX. n. 4.	10	2	17	14	6	2	15	2	Alfwinus. 1 n. 6.	14	38	7	2
1034	II	1	11	3	18	15	7	3	16	3	2	15	39	Meruith. 1 n. 4.	3
1035	III	2	12	4	19 Moritur. n. 2.	16	8	4	17	4	3	16	40	2	4
1036	IV	3	13	5	Haraldus. 1 n. 4.	17	9	5	18	5	4	17	41	3	5
1037	V	4	14	6	2	18	10	6	19	6	5	18	42	4	6
1038	VI	5	15 Dona dat Cassinensi monasterio. n. 4.	7	3 n. 2. Dona dat Croylandensi monasterio. n. 4.	Eadsius 1 n. 1.	11	7	Grimketellus. 1 n. 2.	Grimketellus. ejecto Stigando. 1 n. 2.	6	19	43	5	7
1039	VII	6	16	8	4	2	12	8	2	2	7	20	44	6	8
1040	VIII	7	Henr. III. 1	9	Hardicanut° 1 n. 1.	3 Coronat Hardecanutum. n. 2. 3.	13	9	3	3	8	21	45	7	9

Episcopi Mercicorum.				Episcopi Northumbriæ		
Lichfeldenses. BRITHMARUS.	Dorcestrenses. ÆTMERICUS.	Wigornenses. LEOFSIUS.	Herefordenses. ETHELSTANUS.	Eboracenses. ALFRICUS PUTTA.	Dunelmenses EDMUNDUS.	*Capita rerum gestarum.*
11	16	9	20	9	12	Robertus Normannorum Dux moritur: Gulielmus filius in ducatum succedit. num. 1. Canutus Rex in piis operibus, quæ Romæ voverat occupatur, Monasterium de Hulmo absolvitur. num. 2.
12 Subscribit diplomati. n. 11.	17	10 Subscribit diplomati. n. 11.	21	10 Subscribit diplomati. n 11.	13	Canutus chartam scribit pro Glastoniensi monasterio. num. 1. n. 3. Crebra invocatio Deiparæ. n 3. 4. Fulberti Carootensis literæ ad Canutum, qui eleemosynam miserat Ecclesiæ. n. 5. 6 7. Fulbertus Berengarium aversatur. num. 7. Canuti diploma pro Croylaudensi cœnobio. num. 8. 9. 10. 11. 12. Coolceratur Ecclesia Edmundi-burgi. num 13.
13	18	BRITHEGUS. 1 n. 5.	22	11	14	Scoti ad obsequium à Canuto coguntur. Ecclesia erigitur, sacerdotium instituitur pro animabus defunctorum. num. 1 2. Canuti Regis potentia cum demissione conjuncta. num. 3.
14	EDNOTUS. 1 n 3.	2	23	12	15	Synodus Landavensis, in qua Mouricus Glamorganiæ Rex, punitur ob violatam Ecclesiam: & Ritherck totius Walliæ Rex, Ecclesiæ privilegia confirmat. num 1. 2. Ednothus Episcopus Deiparæ templum posuit ad Stoum oppidum. num. 3.
15	2	3	24	13	16	Canutus cum regna filiis divisisset, moritur, & Wintoniæ sepelitur. num 1. 2. Gunilda ejus filia Henrico nupsit, priusquam Imperator esset: Et numquam violatæ pudicitiæ crimen incurrit. num. 1. 2 3 4 5 6. Gunilda cum Chunegunde confunditur, & quare? num. 7.
16	3	4	25	14	17	Diversa procerum studia in Rege nominando terrorem civibus incutiunt: Tandem in colloquio Oxoniensi in Haraldum itur. num. 1. 2. 3. 4 5. Agelnotus non vult Haraldum consecrare. num. 6. 7 8. Godwinum Haraldus spe matrimonii ad se trahit. num. 10. Haraldus fingit literas Emmæ nomine. n. 10. 11. Emmæ liberi Edoardus & Alfredus. Hic in Angliam veniens, officiosè primùm exceptus, mox occiditur. num. 11. 12.
17	4	5	26	15 n 3.	18	Emma ab Haraldo proscripta, triennio in Flandriâ, & Brugensi castro exulat n. 1. Canutus Edoardum solum timens, classem parat ad arcendum hostem. num. 2. Alfricus Eboracensis effert ossa S Joannis Beverlacensis. n. 3.
18	5	LIVINGUS. qui & Criditensis. 1 n. 3.	27	16	19	Wultamensis Abbatia fundatur, ab Haraldo Godwini comitis filio. num. 4. Haraldus Rex paludamentum, quo coronatus est, Croylandensi monasterio dedit. num 4.
WULSIUS. 1 n. 1.	6	2	28	17	20	Hardicanus & Edoardus Emmæ filii, matrem in Belgio exulantem invisunt. num. 1. Tumultus in Walliâ, ubi à Britannis Angli occiduntur. num. 2.
2	7	3	29	18	21	Haraldus Rex moritur, in Westmonasterio sepelitur, Hardicanutus à proceribus in Angliam invitatus, ab Eadsio Cantuariensi coronatur cum is paullò ante pallium ab Urbe impetrasset. num. 1. 2 3. Hardicanus Haraldi corpus è sepulchro extractum in Tamesim projicit: & tributi exactione, civium à se animos avertit, in Ecclesiam quoque impius.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices	Impp. Occid.	Reges Francorum	Reges Anglorũ	Episcopi in Cantio.		Episcopi		Episcopi	Episcopi Occidentalium Saxonum.				
						Cantuarienses.	Roffenses.	Oriental Saxon. Lũdinen.	Austral. Saxon. Selesiẽses	Or. Angl. Helmhamenses.	Wintonienses.	Sciterburnẽses	Wiltonenses.	Wellenses.	Cridienses.
		BENEDICTUS IX.	HENR. III.	HENR. I.	HARDICANUT[9]	EADSIUS	GODWINUS III.	ELFWARDUS.	GRIMKETELLUS.	GRIMKETELLUS.	ALFWINUS.		BRITHWOLD[9].	MERUITH.	LIVINGUS.
1041	IX	8	2 n. 4.	10	2	4	14	10	4	4	9	ALFWOLD[9]. 1 n. 6.	46	8	10
1042	X	9	3	11	EDOARDUS. 1	5	15	11	5	5	10	2	47	DODRCA. 1 n. 5.	11 n. 14.
1043	XI	10	4	12	2	6 Edoardum in Regem coronat & ungit. n. 1.	16	12	6	6	11	3	48	2	12
1044	XII	GREGORIUS VI. 1 n. 2.	5	13	3	7	17	ROBERTUS. 1 n. 6.	7	STIGANDUS restituitur. 1 n. 7.	12	4	49	3	13
1045	XIII	2	6	14	4	8	18	2	8	2	13	5	HERMANN[9]. 1 n. 5.	4	14
1046	XIV	3 Sede pellitur. CLEMENS II. n. 1.	7 Coronatur Imperator. n. 1.	15	5	9	19	3	9	3	14	6	2	5	LEOFRICUS. 1 n. 3.
1047	XV	1 Moritur. n. 1.	8	16	6	10	20	4	10 HECA. 1 n. 3.	4 AGELMARUS. 1 n. 3.	STIGANDUS. 1 n. 13.	7	3	6	2
1048	I	DAMASUS II. n. 1.	9 n. 1.	17	7	11	21	5	2	2	2	8	4	7	3
1049	II	LEO IX. 1 n. 1.	10 n. 2.	18	8	12	22	6		3	3	9	5	8	4
1050	III	2	11	19	9	13	SIWARDUS. 1 n. 9.	7	4	4	4	10	6 Romam mittitur Legatus ab Edoardo Rege. n. 12.	9	5

Episcopi Merciorum. Lichfeldenses.	Dorcestrenses.	Wigormenses.	Herefordenses.	Episcopi Northumbriæ. Eboracenses.	Dunelmenses	Capita rerum gestarum.
Wulfius.	Ednotus.	Livingus.	Ethelstanus.	Alfricus.	Edmundus.	
3	8	4	30	19	22	In Regios exactores Wigorniensis urbs tumultuatur, & miserè punitur. num. 1. Hardicanutus Edmundum martyrem colit, & monasterium ornat chartà Regià. num. 2. Ejus pietas in fratrem Edoardum, & Gunildam sororem: ubi iterum de ejus nuptiis. num. 3 4. 5. Allwoldi Episcopi pietas, & abstinentia. n. 6.
4	9	5	31	20	23	Hardicanutus in convivio moritur. Edoardus exul ejus loco eligitur: qui votum fecerat Romam eundi, si regno posset restitui. num. 1. 2. 3. Godwinus ad eum legatus, coronam offert. & filiam in uxorem. num. 3 4. Ecclesia extruitur in honorem S. Nectani, in agro Devoniensi. num 5.
5	10	6	32	21	24	Edoardus in Angliâ coronatur, & ungitur ab Edsin Cantuariensi: & aliorum consilio regnum moderatur. num. 1. 2 3. Editham uxorem accipit, & virginem servat. num. 4. 5. Ejus charta pro monasterio S. Augustini. num. 7. 8. Fuit in Emmam matrem durior. n. 9 10. Coventriæ monasterium construitur, per Leofricum & Godivam conjugem. n. 12. 13. Godivæ pietas Rosario utentis. num. 12.
6	11	7	33	22	25	Romana Ecclesia à tribus laceratur: Angliæ census Benedicto tribuuntur. num 1 2. Conventus Londinensis: Dani à regni coronâ excluduntur. num. 3 Gunilda etiam Canuti neptis, quæ Brugis sepelitur. num. 3 4. Normanni ad Ecclesias & consilia assumuntur, quod causa discordiæ fuit. num 6 7. 8.
7	12	8	34	23	26	Magnus Norwegiæ Rex, Angliam hostiliter petens, avertitur. Adami Bremensis narratio refellitur. num. 1. 2. Brithwoldus Wiltunensis moritur. Ejus vaticinium de Normannorum adventu. num 3. 4. Hermannus successor, Malmesberiense monasterium voluit possidere: sed noluerunt monachi. Hinc ille in Belgium discessit, ad S. Bertini cœnobium. num. 5. 6. 7.
8	13	Aldredus. 1 n. 3.	35	24	27	Henricus Imperator in Ecclesiam præsumit, Gregorium Papam Sede pellit, & Clementem substituit. num. 1. Leofricus Canonicos Regulares Exoniæ statuit. num. 3.
9	14	2	36	25	28	Swanus Danorum Rex, legatos mittit ad Edoardum Regem. num 2 Alfwini Episcopi cum Emmâ familiaritas, & Emmæ purgatio per ignitos vomeres, & Ordalii lex excutiuntur. num. 4 5. 6. &c. Edoardus matri reconciliatur & pœnam subit. num. 8. Leofricus Comes in Cestria virginibus monasterium posuit. num. 13.
10	15	3	37	26	Eadredus. 1 n. 11.	Monasteria laicis prostituuntur Wulgatus Pelegandiæ Abbas causa cadit, novum monasterium molitur: inde etiam pellitur. Edoardus ipsum & monachos fovet: donec Croylandiensi cœnobio incorporasset. n. 1. 2. 3. 4. De laicorum investiturâ. num 4. 5. 6. Edoardi literæ ad Croylandenses pro Wulgato instituendo. num. 7. 8.
11	Ulfus. 1 n. 12.	4	38	27	Egelricus. 1 n. 11.	Leo Papa visitat S. Michaelem in monte Gargano. num. 1. Ad Rhemense Concilium Anglorum Episcopi vocantur: & acta ejus Synodi. num. 2 3. 4. Leofricus Sedem suam Exoniam transfert. num. 5. 6 Exonienses monachi Londinum transferuntur. num. 7. Edoardus Rex Henrico Imperatori jungitur, contra Baldwinum excommunicatum. num. 8. Godwini filii pacem turbant, Hiberni Angliam vexant. num. 9. 10.
12	2 Synodo Vercellensi interfuit.	5 Romam mittitur Legatus ab Edoardo Rege. n. 12.	39	28	2	Berengarii hæresis innotescit, quæ in Rom. primum Synodo deinde in Vercellensi premitur: præsertim à Lanfranco, qui doctè illam definit. num. 1. 2. 3. 4. Joannis Scoti liber in Synodo, cui Ulfus Dorcestrensis interfuit, condemnatur, num. 4. 5. Edmundi Martyris corpus incorruptum à civibus colitur. n. 6. 7. 8. Edoardus Rex voti solutionem petit à Papà. n. 11 12. Regis diploma pro Westmonasterio. n. 13. 14. Leonis Papæ literæ ad Edoardum. num. 14. 15. 16.

						Episcopi in Cantio.		Episcopi		Episcopi	Episcopi Occidentalium Saxonum.				
Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices Leo IX.	Impp. Occid. Henr. III.	Reges Francorum. Henr. I.	Reges Anglorū Edoardus.	Cantuarienses.	Roffenses Siwardus.	Oriental. Saxon Lōdinen.	Austral. Saxon. Selesiedses Heca.	Or. Angl. Helmhamenses. Agelmarus.	Wintonienses. Stigandus.	Schirburnēses Alfwold[?].	Wiltunenses. Hermann[?].	Wellenses. Dodeca.	Cridienses. Leofrich.
1051	IV	3	12	20	10	Robertus ex Londinē. 1 n. 1.	2	Gulielmus. 1 n. 1.	5	5	5	11	7	10	6
1052	V	4 Stigando pallium negat. n. 9.	13	21	11	Stigandus. 1 n 9.	3	2	6	6	6	12	8	11	7
1053	VI	5	14	22	12 n. 4.	2	4	3	7	7	7	13	9	12	8
1054	VII	Moritur Sanctus. n. 6.	15	23	13	3	5	4	8	8	8	14	10	13	9
1055	VIII	Victor II. 1 n. 1.	16	24	14	4	6	5	9	9	9	15	11 Monachum induit ad S. Bertini. n. 6.	14	10
1056	IX	2	Henr. IV. Rex Germaniæ. 1	25	15	5	7	6	10	10	10	16 Moritur n. 5. 6.	0	15	11
1057	X	Stephanus X. n. 7.	2	26	16	6	8	7	Agelricus. 1 n. 7.	11	11	0	0	16	12
1058	XI	Benedictus in schismate. n. 1.	3	27	17	7	9	8	2	12	12	Hermannus qui & Wiltunensis. 1 n. 7.	Herimannus redit in Angliā Wiltunensis & Schirburnensis Episcopus vide an. 1058. n. 7.	17	13
1059	XII n. 1.	Nicolaus. 1 n. 2.	4	28	18	8	10	9	3	13	13	2		18	14
1060	XIII	2	5	Moritur	19	9	11	10	4	14	14	3		Gisa. n. 3. 1 Romæ cōsecratur. n. 4.	15

Episcopi Merciorum.				Episcopi Northumbriæ		
Lichfeldenses.	Dorcestrenses.	Wigornienses.	Herefordenses.	Eboracenses.	Cunecestrenses	*Capita rerum gestarum.*
WULFSIUS.		ALDREDUS.	ETHELSTANUS.		EGELRICUS.	
13	WULFSINUS. 1 n. 11.	6	40	KINSIUS. 1 n. 11.	3	Normannorum prælatio tumultuum occasio. num. 2. Eustachius Bononiæ Comes Edoardum invisit: in redeuntem Dorovernenses insurgunt num 3. Rex conventum procerum vocat, cui Godwinus adesse noluit. Ipse cum filiis proscribitur: in Robertum Cantuariensem omnis culpa conjicitur num. 4. 5. 6. Gulielmus Normannus Edoardum visitat, & Rex vectigal remittit. num. 7. 8. Thoroldi pietas & charta pro Croylandiâ. num. 11. 12. &c.
14	2	7	41	2	4	Herefordensis provincia à Britannis vastatur, duce Griffino. num. 2. Godwinus & filii in Angliam redeunt. Londinensem urbem terrent: pace sequuta & Robertus ac Normannos proscriptus n. 3. 4 5 6 7. Stigandus in Cantuariensem Sedem intruditur. num 9 Edgari corpus post annos 70 incorruptum. n. 10. Emma moritur. num. 11.
LEOFWINUS. 1 n. 5.	3	8	42	3	5	Feliciter in Britannos, infeliciter in Scotos pugnatum. Ibi Rhesus Griffini frater occiditur: hic Siwardi Northumbriæ Comitis filius. num 1 2. Godwinus panis frusto strangulatus moritur. num 3 4. Ardericus clericus ex Hiberniâ ejicitur, quia novum in Ecclesiam ritum conatus est introducere. num. 6.
2	4	9	43	4	6	Siwardus filii mortem ulturus, Scotiam vastat Macbetham Regem fugat: & Malcolmum Regem dicit. num. 1. 2. Macbethæ leges Ecclesiasticæ. num. 2 3. Edoardus de successore cogitans, fertur in Edoardum fratris filium, qui è Pannoniâ evocatur, misso Aldredo Wigorniensi Episcopo. num. 4. 5.
3	5	10 Illi committitur Wiltuniensis Ecclesia. n. 6.	TRAMERINUS coadjutor Ethelstani moritur. n. 5. 44	5	7	Berengarius à Victore condemnatus, resipiscit. num 1. Algarus Comes ab Edoardo proscriptus, Hibernis & Britannis conjunctus, Herefordiam incendit, & Ecclesiam S. Ethelberti n. 2. 3. Edoardus urbem reparat, & Algarum recipit ad obsequium. num 4. Donat prædia Cantuariensi Ecclesiæ. n. 5. Siwardus moritur, & sepelitur in suo monasterio. num. 7.
4	6	11 Illi committitur Herefordensis Ecclesia à morte Leofgari. n. 3.	LEOFGARUS. n. 2. occiditur.	6	Dimisso Episcopatu sœcordia AGILWINUS. 1	Ethelstanus, Herefordensis moritur sanctus: & successor ejus Leofgarus, à Griffino occisus. num. 1. 2. Moritur etiam Alfwoldus Schirburnensis, & colitur Sanctus. num. 5. 6.
5	7	12	sub Wigorniensi ut supra. n. 3.	7	2	Edoardus à Pannoniâ reversus, designatus regni hæres moritur Londini, relictis filiis Edgaro, Margaritâ & Christinâ: ipsa monialem induit in Rumiciensi cœnobio; illa Scotorum Regi juncta, in prole fœcunda, Mathildem genuit Henrico I. nuptam. num 1 2. 3. Leofricus Coventriæ fundator moritur: commentum de Godivâ conjuge excutitur. num. 4. 5. Plura monasteria construxerunt. num 5. 6.
6	8	13 Vadit Hierosolymâ. n. 6.		8	3	Stigandus arguitur, quod pallium à Schismatico Papâ acceperit. num 1. 2. Edoardus Nicolao legitimo Pontifici adhæret. num 3 Monasterium S Petri Glocestriæ, cui Wulstanus præest: ejus Exordia. num. 4. 5 6. Lewinæ virginis reliquiæ efferuntur. num. 8.
7	9	14		9	4	Berengarius à Nicolao Papa condemnatus, hæresim ejurat. Ejus juramentum. num 1. 2. Haroldus Comes Normannorum Duci Gulielmo Angliæ regnum promittit: pacta in uxorem ejus filiâ. num. 3. 4 5.
8	10	15		ALDREDUS. vide n. 3. 1 Romæ consecratur. n. 4.	5	Edoardus Rex ad Nicolaum literas scribit. num 1 2. Ejus diploma pro Westmonasterio. num. 5. 6. Aldredus Romæ honore, postea opibus spoliatur in itinere. num. 7. 8. 9. Nicolai literæ ad Edoardum Regem. num. 11. 12. Advocatio Ecclesiarum Regibus datur. n. 13.

Anni Christi.	Indictio.	Romani Pontifices	Reges German.	Reges Francorum.	Reges Anglorũ.	Episcopi in Cantio. Cantuariensis.	Episcopi in Cantio. Roffensis.	Episcopi Oriental. Saxon. Lõdonensis	Episcopi Austral. Saxon. Selaseiēses	Episcopi Or. Angl. Helmhamensis.	Episcopi Occidentalium Saxonum Wintoniensis.	Episcopi Occidentalium Saxonum Sciraburnēses	Episcopi Occidentalium Saxonum Wellenses.	Episcopi Occidentalium Saxonum Cridiensis.
			Henric⁹ IV.		Edoardus.	Stigandus.	Siwardus.	Guilielmus.	Agelricus.	Agelmarus.	Stigandus.	Hermannus	Gisa.	Leofricus.
1061	XIV	Alexander II. 1 n. 1.	6	Philippus. 1	20	10 Ab officio suspẽditur. n. 5.	12	11	5	15	15	4	2	16
1062	XV	2	7	2	21	11	13	12	6	16	16	5	3	17
1063	I	3	8	3	22	12 Cõfirmat chartam. n. I.	14	13	7	17	17	6	4 cõfirmat chartam. n. I.	18
1064	II	4	9	4	23	13	15	14	8	18	18	7	5	19
1065	III	5	10	5	24 n. 4.	14	16	15	9	19	19	8	6	20
1066	IV n. 12.	6	11	6	25 n. 11.	15 Subscribit diplomati. n. 10.	17 Subscribit. n. 10.	16 Subscribit. n. 10.	10 Subscribit. n. 10.	20	20	9 Subscrib. n. 10.	7 Subscrib. n. 10.	21 Subscrib. n. 10.

Episcopi: Lichfeldenses. LEOFWINUS.	Dorcestrenses. WULFINUS.	Wigornienses. WULSTANUS.	Herefordenses. WALTERUS.	Eboracenses. ALDREDUS.	Dunelmenses. AGELWINUS.	Rerum gestarum Capita.
9	11	1 Num 5.	2	2	6	Florent & dotantur monasteria Edmundi Burgi, Croylandiæ, & S. Albani. 1 2. 3 4. Wulstanus consecratur Wigorniensis Episcopus, ab Aldredo Eboracensi, quia Stigandus ab officio suspensus est. 5. 6. Nicolaus Papa legatos mittit in Angliam: & quinam illi? 7, 8. 9. Wulstanus inscitiæ arguitur, & mirabiliter à Deo defenditur. 10. 11. Ejus virtutes & sanctitas. 12. 13.
10	12	2	3	3	7	Waltamiæ collegium canonicorum extruitur 1. Leofricus Comes Croglandiæ benefacit, videt Christum in altari visibiliter apparentem. 2. Hibernum miserè contractum Edoardus sanat: & pauperem humeris gestat. 3. 4. De morbo Regio, & unde vis illa sanandi. 5. 6. 7.
11	13	3 Confirmat chartam. n. 8.	4 Confirmat chartam. n. 8.	4 Confirmat chartam. n. 8.	8	Griffinus ab Haraldo fugatur. 1. Edoardus confirmat Ramesense monasterium, & scribit diploma, & multa donat. 2. 3. 4. 5. 6. 7 8 9. Aldredus ossa S. Joannis Beverlacensis Eboraco Beverlacum transtulit. Unde dictus est Joannes Beverlacensis. 9.
12	14	4	5	5	9	Griffinus à suis occiditur. 1. Tumultus in aulâ Regia filius Godwini: Tosti crudele facinus exilio punitur. 2. 3. multorum expeditio in terram sanctam, inter quos Ingulfus unus. ubi peregrinationis religio probatur. 4. 5. 6. 7. 8. Edoardus pauperi annulum donat eleemosynam petenti in nomine S. Joannis Evangelistæ, qui eundem remittit. 9.
13	15	5	6	6	10	Tumultus à Britannis, Caradoco Duce, & à Northumbris quos Tostus malè regebat. 1. 2. Tostus Northumbriæ comitatu exuitur, succedit Morkarus. 3. 4. Translatio S. Oswini Regis & Martyris. 5. 6. 7. 8. 9. Peregrini Hierosolymâ redeuntes Edoardo annulum referunt. 10. 11.
14	16 Subscribit diplomati. n. 10.	6 Subscribit diplomati. n. 10.	7 Subscribit diplomati. n. 10.	7 Subscribit diplomati. n. 10.	11	Conventus Westmonasteriensis pro ejusdem Ecclesiæ consecratione, quam Edoardus Constantinum imitatus, urget. 1. 2. 3 4. 5. Edoardi diplomata pro eo loco. 6. 7. 8. &c. Edoardus æger oraculum accepit de futuro regni statu. 13. 14. 15. Quid de problemate varii senserint. 16. 17. Edoardus sanctè moritur in Westmonasterio sepultus. 18. 19. 20. Ejus virtutes, virginitas, humilitas, justitia & leges. 21. 22. 23. 24. 25. Colitur, in Sanctorum numerum relatus. 26. 27.

ADMONITIO AD LECTOREM.

POST Indicem Chronologicum, in quem, maximè scitu digna congessimus, placuit Regiæ Fidei puritatem, quam Annales imprimis spectant, & natas super eâ controversias, lectoribus, levandi fastidii causâ, breviter indicare. Sed quia amplissimus est hodie litigiorum campus, & ubi anarchia regnat; plebs pro libito cudit dogmata: & tot fingit idola Fidei, quot cerebri vitia nasci possunt: Non possum errantem ita populum sequi, aut pharmacum novis semper nascentibus morbis præscribere. Paucis ergo controversa omnia perstringam: & cerebri vitia, quæ nata sunt, aut nasci possunt, in breviarium colligens, aperiam solùm malorum capita, quæ fidelium mentes turbant: & fontes ostendam, vitato circuitu, qui morbo remedium afferent. Sunt enim qui putent quæstiones Fidei componi posse, si in præcipuis tantùm, & necessariis ad salutem rebus, disputatio omnis versetur: præsertim si illa ad pauca capita, missis contentionum fibris, referantur. Ita censuit Serenissimus Britanniæ Rex Iacobus: è cujus ore Isaacus Ca-

Isaac. Casaubon. in Epist. ad Card. Peronium. saubonus hæc scripsit aliquando ad Cardinalem Peronium. *Rex arbitratur Rerum absolutè necessariarum ad salutem, non magnum esse numerum. Quare existimat ejus Majestas, nullam ad in eundam concordiam breviorem viam fore, quàm si diligenter separentur necessaria, à non necessariis: & ut de necessariis conveniat, omnis opera insumatur. In non necessariis, liberati Christianæ locus detur. Simpliciter necessaria Rex appellat, quæ vel expressè verbum Dei præcipit, credenda faciendáve, vel è verbo Dei, necessariá consequentiâ, vetus Ecclesia elicuit. Si ad decidendas hodiernas controversias hæc distinctio adhiberetur: & jus divinum, à positivo sive Ecclesiastico, candidè separaretur: non videtur de iis quæ sunt absolutè necessaria, inter pios, & moderatos viros, longa, aut acris contentio futura. Nam & pauca illa sunt, & ferè ex æquo omnibus probantur. Atque istam distinctionem Serenissimus Rex tanti putat esse momenti, ad minuendas controversias, quæ hodie Ecclesiam Dei tantopere exercent; ut omnium pacis studiosorum judicet officium esse, diligentissimè hanc explicare, docere, urgere.*

Sequutus ego hoc consilium, paucis colligam controversa dogmata, quæ sparsim in Annalibus occurrunt: & pro Fide Regiâ, octo tantum argumenta proferam: *quæ vel expressè verbum Dei præcipit credenda, faciendáve; vel è verbo Dei vetus Ecclesia elicuit.* Quæ si ostendero, è mente Spiritus sancti, & primorum sæculorum sensu descendere; Regem mihi benevolum, & amicum Lectorem habebo. Quis enim est, qui scripturam, verba à Deo dicata, Ecclesiæ credita, primorum fidelium praxi probata, respuat? Quis non veteris Ecclesiæ sensum, Christo & Apostolis proximum, primitias Spiritus habentem, à nuperâ lite remotissimũ, novo plebiscito præferat. Quare cum præcipua solùm, & necessaria inculcanda sint: de veræ ortho-
1. doxæque Ecclesiæ CAPITE, imprimis quæram. nam sine dubio Capitalis est quæstio,
& Christi corpori mystico admodum necessaria. Sequitur CLAVIUM, hoc est, ligãdi,
2. solvendíque potestas; quâ peccata quæ nobis cælum claudunt expiantur. Et quia ab
orbe condito creditum est, summum Dei cultum in SACRIFICIO esse, inquiram, quid
3. verbum Dei, & vetus Ecclesia, de sacrificio novæ Legis senserit; hoc est, an Christus,
summo Dei cultu abrogato, nullũ, vel ullum, suffecerit. Quoniam verò Novatores,
qui supremo religionis actu Deum exuerũt; religiosè tamen in speciem ita Deo adu-

lantur,

lãtur, ut nihil præter Deum, religiosè colendũ pronuntient: quarto loco de CRUCE, 4.
quinto de SANCTIS COLENDIS, agam. PURGATORIUM quo fidelium animæ in futu- 5. 6.
ro, & ſectarii in præſenti ſæculo torquentur; è verbis ſcripturæ, & veteri Eccleſiâ,
ſexto loco eliciam. Sequentur EVANGELICA CONSILIA, monachi, monaſteria; unde 7.
Sanctorum, ſanctarúmque examina: quæ ſi à prima ætate, inſtituta, docta, & probata
ſunt; tacere debent illi qui monaſteria deſtruxerunt. Verùm, cum in his, aliiſque
plurimis, quæ Fidem ſpectant, & dogmata; ſenſus hominis, pro vario impetu, ferri
ſurſum, deorſum, ſiniſtrorſum poſſit; ſi nullo authoritatis pondere, aut certo, & non
errante duce, firmetur: quæram ultimùm, quid Chriſtus in cœlum aſcenſurus, pro-
miſerit, dederit, miſerit Eccleſiæ quam fundaverat: quo Chriſtiani eum, tuto, & non
fallente veſtigio, ſequerentur. Enimverò ſi CERTAM ECCLESIÆ AUTHORITATEM 8.
non indulſit: & viam nobis in cœlum aperuit, ita ſanctam, ut *ſtultus non erret per* *Iſaias 35. v. 8.*
eam; falli videtur Iſaias Propheta: & quidni Chriſtus ipſe, cum conſolans Apoſtolos
dixit: *Expedit vobis ut ego vadam.* *Joan. 16. verſ. 7.*

Benè dicunt ſupra Iacobus Rex & Caſaubonus, pauca eſſe controverſarum rerum
præcipua capita, & ſi pauca illa componi poſſint, non fore diuturnum litigium.
Quod vel inde conſtat verè dici: quia ſi Chriſto creditur dicenti, *Si Eccleſiam non au-
dierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*; facilè patet, eam eſſe Eccleſiæ authoritatem,
in dogmate controverſo, & ſcripturarũ mente exponẽdâ; quæ poſſit, & debeat litem
dirimere. Quo poſito, & conceſſo: nihil, in moribus inſolens, nullum in Scripturæ
ſenſum, paradoxum, nihil denique à Fide alienum, aut naſci poteſt, aut natum non
ſubitò non denaſci: Contrà, ſi Eccleſiæ authoritas minuatur, ſi tacens Scripturæ litera,
pro cujuſque libidine loqui permittatur, ſi cuivis detur cæleſtia pulſare organa;
omnem Eccleſiæ harmoniam, omnem ſacrorum rituum diſciplinam, humanam
denique divinámque Fidem turbari neceſſum eſt. Quod Martyr Cyprianus benè *Cyprian. Epiſt. 55. ad Cornel. Papam.*
intellexit, & eleganter expreſſit, dicens: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut
nata ſunt ſchiſmata: quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec unus in
Eccleſia, ad tempus, Sacerdos, & ad tempus judex, vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſe-
cundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſus Sacerdo-
tum collegium quicquam moveret: nemo diſſidio unitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet;
nemo ſibi placens, & tumens, novam hæreſim conderet.* Tolle ergo ab Eccleſiâ *judicem
unum*, cui omnes obtemperent, & unitatem ſine dubio ſuſtuliſti. Concede illi
non errantem Spiritum, & quem Chriſtus promiſit, conceſſitque, Spiritum ſan-
ctum, Spiritum docentem omnem veritatem, Spiritum in Eccleſiâ manſurum in
æternum: tunc muro & antemurali Fides munitur; tunc, nec ſepta Eccleſiæ egre-
di facilè poſſunt perduelles; nec coinquinatum aliquod ingredi, nec ſingularis ferus
vineam depaſcere.

Quoniam verò, tam ſacræ Scripturæ quàm primorum ſæculorum ſenſus, optimè
colligitur, ut cætera omnia juxta poſitione contrarii. Et *Petræ* firmitas, hoc eſt,
orthodoxæ Fidei conſtantia, è vario fluctuum, ſed inutili, impetu. Ita digeram hæc
pauca controverſa in ſummam unam, ut facilè compendio videat Lector, quid in
propoſitá controverſia orthodoxi, quid paradoxi ſenſerint. Nam Chriſtus Eccle-
ſiam, ita ſupra Petram poſuit, in fluctuantis Oceani medio, ut undarum quidem in-
juriis, ventorumque inſolentiis obnoxia ſemper eſſet; innoxia tamen, fluctus exci-
peret. Itaque credenda, faciendaque quæ in quæſtione verſantur, duobus modis
poteris eruere. primò, inſpecta fidelium mente, excuſſo Doctorum ſenſu, provin-
ciarum conſenſu: iterum, quid & qui contra dixerint, fecerint, conſpiraverint.
utrorumque compoſitione, oppoſitione, excuſſione, veluti concuſſo ſilice, veritatis,

Fideíque lux emicabit. Ducunt me hac via Christi verba dicentis primo : *SVPER PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM.* ubi habes orthodoxæ Ecclesiæ & Catholicæ veritatis elegans fundamentũ. *Et Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* ubi utiliter jucundéque poteris contemplari : quid per sex prima sæcula, Iudæi, Gentiles, & Cacodæmones averlati : quid Nerones, Tyranni, & qui à persecutione nomen acceperunt persecuti sunt : & tamen nihil obstante tot hostium rabie, Petra Ecclesiæ, fluctibus omnibus & procellis major ; Fidem unam, eandem, Virginem, promiserit ad consequentia sæcula. Inspice ergo, Lector, subjectam tabulam. Hinc vide primos Christianæ religionis fautores & amicos, illinc æmulos. Hinc lege, quid prima sex sæcula crediderint, fecerint, docuerint : illinc quid Ecclesiæ Fideíque hostes oderint, & proscripserint. Hinc habes viros, sanctitate & eruditione insignes : illinc, impios & perduelles. Si omnia collegeris, viam habes qua tuto incedere poteris, & Fidei controversa componere. Imò, opinor, cum Isaiâ dices : *Hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.*

INDEX RERUM
HODIE CONTROVERSARUM.

PRIMATUS ROMANÆ ECCLESIÆ.

PETRA ECCLESIÆ. | PORTÆ INFERI.

Tu es Petrus & super hanc Petram Ædificabo Ecclesiam meam } *Et* { *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

PRIMO SÆCULO.

HOc loco Matthæi Petri Primatus stabilitur, & ejus prærogativa per nominis mutationem ostenditur. Vide annum Christi 31. num. 2.

Britannorum Ecclesia in Petræ firmitate fundatur, Petrumque Principem Apostolorum (ut eum Cyprianus & Hieronymus vocant) agnoscit. Vide annum 31. n. 3. 4. & an. 100. n. 7.

Petrus cui omnium Ecclesiarum præfectura commissa, Britanniam visitat, Sacerdotes ordinat, & Episcopos. Missam celebrat, & multos verbo gratiæ illuminat. Vide annum Christi 58. n. 2. & annum 60. num. 2. 3. 7. & 12.

Petrus in omnem Occidentem discipulos mittit: & ubique fundat Ecclesias. Vide an. 46. n. 5. & an. 60. n. 4.

Britannia Romanam legationem adornat, & colit ibi Petrum Ecclesiarum Principem. Vide an. 49. n. 8. & an. 100. n. 8.

Petro in Romanâ Ecclesia succeditur, ne Christi corpus mysticum sine capite esset: ordinariæ potestatis, æterni Sacerdotii, & primatus ejus argumentum. Vide an. 69. n. 1.

Clemens post Linum & Cletum Petri successor, Orientem & Corinthios ibi tumultuantes composuit: & Britannorum sacra in Occidente probavit, cum Petri cathedra in dubiis pulsaretur. Vide an. 100. num. 13.

Ita Primatum Romanæ Ecclesiæ probarunt fideles in Oriente & Occidente, primo sæculo.

Portæ Inferi Petro se opponunt: Satanas imprimis qui conatus est cribrare sicut triticum Petram Ecclesiæ: Simon Magus, qui Petro se opposuit: denique Diotrephes, quia amavit in Ecclesiis primatum gerere, à Joanne Apostolo reprobatus. Vide annum Christi 33. n. 5.

Dæmones tremunt, simulachra corruunt, externique fremitus prodigiosè audiuntur, cum Petrus in Britanniam venit. Vide an. 60. n. 10.

Judæi & Gentiles Petrum primò Jerosolymis, inde ex Urbe Româ pellunt, eique in omnibus adversantur. Vide an. 44. n. 4. an. 51. n. 1. & an. 100. n. 9.

Nero Imperator in Ecclesiæ caput sævit; Petrum occidit, & in eo universam Christi Ecclesiam persequitur. Vide annum 69. num. 1.

Domitianus Imperator persequitur etiam Ecclesiæ Caput, & Neronem imitatus Cletum occidit. Vide an. 93.

Ita Primatum Petri & Romanæ Ecclesiæ, Infideles, Iudæi, & Hæretici improbarunt, primo sæculo.

Primatus Romanæ Ecclesiæ.

Primatus

Primatus Romanæ Ecclesiæ.

PETRA ECCLESIÆ.

Sæculo TERTIO, Donaldus in Septentrionali Britanniâ vir Princeps Victorem Romanum Pontificem, Ecclesiæ Principem, missâ legatione veneratur. Vide annum 203. n. 6. &c.

Natalius erroribus infamis ab Angelo flagellatus, ad Zephirini pedes (Victori successerat) se demittit: & admissorum veniam petit, & impetrat. Vide annum 206. num. 2.

Zephirinus damnat Cataphrygas hæreticos. vide an. 215. n. 1.

Calistus Zephirini successor, jubet jejunium quatuor temporum, quòd ab Apostolorum traditione descenderet, ubique observari. vide an. 221. n. 2.

Fabianus Papa Britannorum studia probat: & eum colit omnis Insula. vide an. 186. num. 5. & an. 239.

Fabianus Philippum Imperatorem non nisi peractâ pœnitentiâ, in Ecclesiam admittit. vide an. 249. n. 2.

Cyprianus egregiè probat Primatum Petro & successoribus datum: aperit etiam fontem, omnium hæresum, nimirum, quod Caput unum non agnoscitur. vide an. 254. num. 5.

Dionysius Papa, dictat orbi, quid credendum in causâ Sabellii hæretici. vide an. 263. n. 2.

Primatus Rom. Pontificis Aureliano Imperatori innotuit: qui causam Pauli Samosateni, ideo ad Romanam Ecclesiam referendam esse censuit. vide annum 272. num. 1.

Melanius Britannus à Rom: Pontifice præficitur Rhotomagensi Ecclesiæ. vide an. 280. n. 3.

Tertullianus Ecclesiæ claves, soli Petro commissas affirmat. vide an. 300. n. 6.

Cyprianus vocat Romanam Ecclesiam, *Matricem & Radicem Ecclesiæ Catholicæ.* vide ann. 300. n. 6.

Origenes vocat Petrum, Ecclesiæ fundamentum. vide an. 300. n. 6. Item Apostolorum Principem. ibidem.

Hippolitus Portuensis Episcopus, & Zeno Veronensis Episcopus, uterque Martyr. vide an. 300. n. 7.

PORTÆ INFERI.

Cataphryges & Montanistæ Romanæ Ecclesiæ traditionem renuentes à Zephirino Papâ damnantur. Vide an. 215. n. 1.

Alexander Imperator, duo Ecclesiæ capita, Zephirinum & Urbanum Martyres fecit. vide an. 226. & 233. Et Pontianum mittit in exilium. vide an. 237. n. 1.

Decius Imperator Fabianum Papam, & Christi Ecclesiam persequitur. vide annum 253. n. 2.

Novatianus Schismaticus & Antipapa, Cornelio adversatur. vide an. 254. n. 2.

Valerianus Imp. Stephanum Papam interficit. vide an. 260. n. 1.

Sabellinus hæreticus, & errores ejus, à Dionysio Papâ improbantur. vide an. 263. num. 2.

Diocletianus Caium Rom. Pontificem persequitur, & occidit. vide annum 296. num. 1.

Primatus Romanæ Ecclesiæ.

Primatus

Primatus Romanæ Ecclesiæ.

SÆCULO QUINTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Quinto sæculo, Romani Pontifices, Sedis suæ eminentiam variis modis probaverunt. Explicando Fidem, dictandoque omnibus Ecclesiis: hæresim jugulando provinciis Apostolos designando, Imperatores etiam à fidelium communione amovendo.

Arcadius Imp. Joannem Chrysostomum injustè persecutus, ab Innocentio Papâ excommunicatur. Vide an. 407. num.9. Arcadius humiliter ferientem ictum deprecatur. vide an. 407. n. 10.

Innocentius Papa Pelagium condemnat, & cavendum jubet hæreticum. vide annum 414. n.3. & an. 416. n. 1.

Concilium Carthaginense, & Milevitanum, à Rom. Pontifice firmitatem petunt. vide an. 416. n. 3. hoc *antiquam Traditionem, Ecclesiasticam disciplinam*, & *Apostolicæ Sedi debitum*, vocat Innocentius. ibid. n. 4. Iterum vocat Antiquæ regulæ formam toto semper orbe servatam. ibid. num. 5.

Zosimus etiam Pelagium condemnat. vide an. 418. n. 1.

Palladius ad Scotos, Germanus & Lupus ad Britannos; Patricius ad Hibernos ab Innocentio Papâ missi; immortale argumentum est, Romanam Sedem, Ecclesiarum omnium Principem, & omnium fidelium matrem esse. vide an. 429. n. 2. 3. 4. &c. & an. 430. n. 2. &c. & an. 431. n. 7. & an. 500. n. 14.

Germanus in Britanniâ Primatum Rom. Sedis elegantiùs docuit, quàm unquam docuit junior Augustinus. vide an. 440. num. 6.

Leo Pontifex præcipit omnibus Ecclesiis. vide an. 450. n. 3. 4. ubi etiam dicit Petrum à Domino accepisse Apostolicum Principatum.

Leoni successit Hilarius, qui decreta Synodalia per universum mundum publicavit: Eutychetem & Nestorium damnavit, & confirmavit Dominationem & Principatū Catholicæ Ecclesiæ. vide an. 461. n. 1.

Felix III. Alexandrinæ Sedis Episcopum ad se appellantem audivit: Acacium Constantinopolitanum Episcopum excommunicavit, & Petrum Antiochenæ Sedis invasorem damnavit. vide an. 483.

PORTÆ INFERI.

Quinto sæculo, Romanam Ecclesiam turbarunt hæretici, & inter eos Pelagius. vide an. 413. n. 1.

Leporius Agricola Britannorum aliquot Pelagianismo infecit. vide annum 419. num. 2. &c.

Cacodæmones Germani missionem Apostolicam impedire conantur. Vide an. 429. n. 9.

Dæmones & Magi Patricio, ex Urbe misso ad Hibernos, adversantur. Vide an. 431. num. 9. 10.

Eutyches & Nestorius ab Hilario Papâ condemnantur. vide an. 461. n. 1.

Primatus Romanæ Ecclesiæ.

SÆCULO SEXTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Clodovæus Francorum Rex missâ ad Hormisdam Papam aureâ coronâ, eundem Ecclesiarum Principem salutat. Vide annum 514. n. 2.

In magnâ Britannorum Synodo sub S. Davide Episcopo, statuitur omnem Britannorum Ecclesiasticam œconomiam, Rom. authoritate componendam esse. Vide an. 519. n. 8. & 9.

Iterum in alterâ Britannorum Synodo cui victoriæ nomen, omnes totius Cambriæ Ecclesiæ, modum & regulam Romanâ authoritate acceperunt. vide an. 819. num. 2.

Arthurus Rex Britannorum studia confirmasse dicitur, cum licentiâ Sedis Apostolicæ. vide an. 531. num. 3. &c.

Fatentur adversarii Arthurum Romano Pontifici supplicasse, ut Norwegiam Britannicæ coronæ confirmaret. vide an. 531. num. 8. & 9.

Africana Synodus decrevit Carthaginensem Episcopum, omnia facere debere, consilio Sedis Apostolicæ. vide an. 531. num. 12.

Summi Pontificatus apicem Romæ esse, nemo est qui dubitet, inquit Justinianus Imp. in Novellâ. vide an. 531. n. 14.

Ro. Ecclesia caput omnium Ecclesiarum, scripsit Justinianus Imp. anno 533. n. 2. 3. & summum Pontificatus apicem ibi esse: *Nemo*, inquit, *est, qui dubitet*. vide an. 531. n. 14. Justiniano rescripsit Joannes Papa: *Romam esse omnium Ecclesiarum caput; & Patrum regulæ, & Principum statuta, & pietatis vestræ reverentissimi testantur affatus*. vide an. 533. n. 2.

Britanni Ecclesiastica beneficia ex Urbe petunt. vide an. 548. n. 4.

Gallia & omnis orthodoxus orbis, Rom. Sedem, dato tributo Principem agnoscit. vide an. 596. n. 16.

E cultu Romani Pontificis, orthodoxi Principes à paradoxis distinguuntur. vide an. 502. n. 1.

PORTÆ INFERI.

Nulla inferorum porta in Britannorum Fidem, in solidam Ecclesiæ petram aperta legitur. Vide an. 519. n. 13.

Soli infideles Saxones Britannorum Remp. turbantes, in eo Romanæ etiam authoritati adversantur. vide annum 519. num. 14.

INDEX RERUM
HODIE CONTROVERSARUM.

Claves Ecclesiæ, solvendi & ligandi potestas: ubi & de Pœnitentia & Confessionis Sacramento.

PRIMO SÆCULO.

PETRA ECCLESIÆ.

ECCLESIÆ orthodoxæ nota characteristica, claves Petro datæ illis verbis: *Tibi dabo claves regni cælorum. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Vide annum 33. n. 5. & an. 100. n. 7.

Christus hanc potestatem homini datam esse, insigni illo miraculo probat: *Tolle grabatum tuum & ambula.* vide an. 33. num. 5.

Hac clavium potestate adultera Ecclesia distinguitur ab orthodoxâ. vide an. 100. num. 7.

Nec Petro solum data potestas illa, sed & Apostolis omnibus, eorumque successoribus. Matthæi 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* vide an. 100. n. 7.

Perfectum est Ecclesiæ ædificium, cum concessio clavium in Pentecoste Apostolis datur illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur iis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. v. 22. vide an. 34.

Hinc Confessionis sacramentum in usu apud fideles hujus sæculi: juxta illud Act. 19. v. 18. *Multique credentium veniebant, confitentes, & annuntiantes actus suos.* vide an. 100. n. 7.

Potestas hæc ligandi atque solvendi vocatur à S. Paulo *Ministerium reconciliationis.* 2. ad Corinthios 18. vide annum 100. num. 7.

PORTÆ INFERI.

Scribæ & Pharisæi, dicentes: *Quis est hic qui loquitur Blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Vide an. 33. n. 5.

Soli schismatici & factiosi qui ferulam timent: hanc ligandi solvendique potestatem elevant. vide an. 100. num. 7.

Demophilus quidam arguitur à M. Dionysio: *quòd peccatorem ad Sacerdotis pedes procidentem, & peccata sua confiteri volentem, calce abiecerit*; & sacerdotem laceraverit conviciis, quòd impium justificarit. vide an. 100. n. 7.

Claves Ecclesiæ, solvendi & ligandi potestas: ubi & de Pœnitentiæ & Confessionis Sacramento.

PETRA ECCLESIÆ.

Argumenta pro SECUNDO SÆCULO, sunt: Plinii junioris litteræ ad Trajanum Imperatorem, de Christianorum conventibus: in quibus Christianum morem explicat, Confessione & sacrâ Communione animam expiandi. Vide an. 104. n. 1. 2.

Item quæ scribit Minutius Felix, recensens infidelium convitia, quibus Christianorum sacra lacerabant: in quibus fideles accusantur, quod Sacerdotum genibus advoluti, eorum *genitalia venerarentur*. vide an. 104. n. 2. 3.

Tertullianus penitentiæ & confessionis ritum explicat, multo sanctius, cum dicit *Exomologesim*, prosternendi & humilificandi hominis disciplinam esse; quâ sacco & cineri incubantes, presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari consueverunt. vide annum 104. n. 5.

PORTÆ INFERI.

Trajanus Imperator heterias sive Christianorum conventus prohibet: in quibus Christiani confessionis Sacramento se obstringebant, ad non iteranda peccata. vide an. 104. n. 1. 2.

Cæcilius infidelis homo, exprobrat Christianis, quod Sacerdotis genitalia colunt: nimirum cum peccata confitentes, ad ejus pedes procumbunt. Vide an. 104. num. 2. 3.

ARGUMENTA PRO TERTIO SÆCULO.

Cornelius Papa, & Romana Synodus sexaginta Episcoporum, condemnant eos. qui potestatem peccata solvendi vel tollunt omnino vel enervant. vide an. 254. num. 7.

Doctores hujus sæculi, Clemens Alexandrinus, Origenes, & S. Cyprianus, confessionem Sacerdoti faciendam probant vide an. 254. n. 7.

Novatianus Antipapa, Novatus etiam, & eorum sectatores, pœnitentiæ vim evacuant; aiuntque Ecclesiam non posse remittere omnia peccata. Illi se καθαροὺς hoc est, puros nuncupabant: magis insaniunt nostri Puritani, qui aiunt Ecclesiam nulla peccata remittere posse. vide annum 254. num. 7.

Claves Ecclesiæ, solvendi & ligandi potestas:
ubi & de Pœnitentiæ & Confessionis Sacramento.

PETRA ECCLESIÆ. | PORTÆ · INFERI.

ARGUMENTA QUARTI SÆCULI.

Nicæna Synodus, à quâ Acesius, negans in omnia peccata Ecclesiæ claves habere potestatem, condemnatur. Vide annum 325. n. 42. 43.

Constantinus cum Nicænâ Synodo sensit, & Acesium condemnavit illâ sententiâ: Erigito tibi scalam Acesi, & ad cœlum solus ascende. vide an. 325. n. 42.

Peccata sua sacerdotibus confiteri, soliti sunt Fideles hujus sæculi. vide annum 400. num. 33.

Basilius Magnus id necessarium esse affirmat iis verbis: *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Vide an. 400. n. 33.

Gregorius Nissenus Sacerdotes nominat quibus aperienda conscientia est: *Afflictionis participem*, inquit, *sume Sacerdotem, audacter ostende illi quæ sunt abscondita.* vide an. 400. n. 33.

Ambrosius id solis Sacerdotibus docet competere. Nam de clavium potestate disputans contra Novatianos: *Ius hoc*, inquit, *solis Sacerdotibus permissum est. Rectè igitur Ecclesia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet. Hæresis vindicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet.* vide an. 400. num. 33.

Lactantius Firmianus cum Ambrosio, Gregorio, Basilio, & Nicenis Patribus est: sed paullò expressiùs dicit Confessionis sacramentum, Sacerdoti factæ, veræ Ecclesiæ characterem esse. *Sed quia*, inquit, *singuli quique cœtus hæreticorum, se potissimum Christianos: & suam esse Catholicam Ecclesiam putant: sciendum est illam esse veram, in quâ confessio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, curat.* vide an. 400. num. 33. & an. 500. 8.

Acesius Novatianæ sectæ Episcopus, negavit fidelibus in idololatriam lapsis dandam esse pœnitentiam: & unà, non Sacerdotum, sed solius Dei esse, talem culpam remittere. vide an. 325. n. 42. & 43.

Præter Acesium & illas tenebras nullæ inferorum Portæ in Confessionis sacramentum patuerunt. vide annum 400. num. 33.

Claves Ecclesiæ, solvendi & ligandi potestas: ubi & de Pœnitentiæ & Confessionis Sacramento.

SÆCULO QUINTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Ad quintum sæculum, secreta & auricularis confessio, ab Apostolicâ regulâ descendere ostenditur. Vide an. 459. n. 2.

Peccatorum confessio constans character orthodoxæ Fidei. vide an. 500. n. 8.

Augustinus Confessionem reconciliationem vocat: moremque explicat peccata confitendi, cum Urbes obsidentur. vide an. 500. n. 8.

Chrysostomus ita Confessionem describit. Medico ostendere ulcus, quod curet, & non exprobret: atque ab illo remedia accipere, & soli illi loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentiâ, facilè peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum, absolutio est delictorum. vide an. 500. n. 8.

Idem Sanctus Sacerdotes cum Principibus confert, in ligandi solvendique potestate. *Habent*, inquit, *terrestres Principes vinculi potestatem; verùm corporum solum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit; atque ad cælos usque pervadit; usque adeò, ut quacumque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat.* vide an. 500. num. 8.

Publica Confessio tollitur, secreta retinetur. vide ân. 459. n. 3.

PORTÆ INFERI.

Inferni portas intellexit S. Augustinus, quinti sæculi Doctor, dum scribit: *Non audiamus eos qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri dum in Petro Petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cælorum: ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt, qui super doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores. Qui nomen suum si vellent agnoscere; mundanos se potiùs quàm mundos vocarent.* vide annum 254. num. 7.

Alias inferni portas aperit idem Augustinus illâ sententiâ: *Sunt quidam*, inquit, *qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo sua confiteantur crimina; nolunt enim, aut erubescunt, sive dedignantur se ostendere Sacerdotibus; quos tamen inter lepram & lepram discernere, per Legislatorem constituit Dominus. Sed nolo ut istâ deciparis opinione; quatenus confundaris confiteri coram Domini vicario, tabescens præ rubore, vel cervicosus præ indignatione. Nam ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus sibi non dedignatur vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitùs participem. Non te seducat somniantium illa superstitio, quæ in visitando confirmat, quia salvat, Sacerdote inconsulto ad Deum peccatorum confessio.* vide an. 500. num. 8.

Claves Ecclesiæ, solvendi & ligandi potestas:
ubi & de Pœnitentia & Confessionis Sacramento.

SÆCULO SEXTO.

PETRA ECCLESIÆ.

S. David Menevensis Archiepiscopus, S. Justinianum habuit conscientiæ suæ inspectorem, quem Confessarium appellamus. an. 516. n. 12.

M. Gregorius: *Quid est aliud peccatorum confessio, quàm quadam vulnerum ruptio, quia peccati virus salubriter aperitur in Confessione, quod pestiferè latebat in mente. Vulnera etenim cutis, in superficiem trahunt humorem putredinis. Et confitendo peccata, quid aliud agimus, nisi malum quod in nobis latebat, aperimus.* Vide annum 516. n. 12.

Confessionem necessariam hoc sæculo fuisse, Cassiodorus planè insinuat. *Sola igitur necessaria est, quæ dicitur Confessio, cum reus non id quod factum est, defendit, sed ut ignoscatur, expostulat.* vide an. 516. num. 12.

Sacerdotis potestas ligandi & solvendi, à Gildâ asseritur. vide an. 558. n. 2.

Joannes Climacus hujus sæculi author, pluribus docet, tutum ad perfectionis culmen esse, integrè peccata confiteri. vide an. 516. n. 12.

Cuneglasus Britanniæ Rex, jubetur peccata sacerdotibus confiteri, quibus solvendi, ligandique potestas. vide an. 558. n. 3.

Ita sex sæculorum authoritate, & praxi fidelium; ita è Doctorum sensu, & consensu populorum, stat Confessionis Sacramentum, & solvendi ligandiq; potestas, à Christo in Apostolos, ab illis ad M. Gregorii tempora derivata.

PORTÆ INFERI.

Non alii videntur hoc sæculo Confessionis hostes fuisse, præter cacodæmones: qui religiosum confitendi morem, vel impedire, vel certè enervare conati sunt, de quibus Ita hoc sæculo, scribit Joannes Climacus: *Solent nonnunquam dæmones, nos ut aut non confiteamur, hortari: aut certè, ut hoc, veluti ex alterius personâ faciamus; sive ut alios quosdam peccati nostri insimulemus authores.* vide an. 516. n. 12.

Ita traditam Petro, & successoribus ejus ligandi solvendiq; potestatem, Inferorum porta omni sæculo oppugnare conata sunt; sed expugnare nunquam potuerunt.

INDEX RERUM
HODIE CONTROVERSARUM.
EUCHARISTIAE VERITAS, MISSÆ SACRIFICIUM, ALTARIA.

PRIMO SÆCULO.

PETRA ECCLESIÆ.

CHRISTUS condens testamentum, illud, de more vero sanguine sancivit illis verbis: *Hic calix novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur.* Vide annum 34.

PETRUS Britannos docuit panem in Christi Corpus, & vinum in ejus Sanguinem sanctissimis Christi verbis consecrare. vide an. 100. n. 12.

Britanni sacrificium celebrant, ita docti ab Apostolis, pene quotidie incruentum Deo sacrificium offerebant: panem & vinum aquâ permixtum, in corpus & sanguinem Christi convertentes. vide an. 90. n. 9. & an. 100. n. 14.

PETRUS juxta Thamesim fluvium sacra celebrat, altare erigit. vide annum 60. num. 12.

Britanni publicam Missæ formam Romam mittunt, à Clemente Petri successore approbandam. vide an 100. n. 13.

ANDREÆ Apostoli vox illa: *Ego omnipotenti Deo, agnum immaculatum quotidie immolo.* vide an. 100. n. 14.

JACOBUS Apostolus, & MARCUS Evangelista, uterque Missæ liturgiam composuit. vide an. 100. n. 14.

PETRI Apostoli, Missa à Britannis usurpata. vide an. 100 n. 15. 16.

In omni Missarum formulâ sive Petri, sive Jacobi, sive Marci: panis & vinum in verum Christi corpus & sanguinem convertitur. vide an. 100. n 16.

Templa ob Missæ sacrificium structa, à Dominico corpore & sanguine. Dominica *Κυρίακα*, & *Kirke* appellantur. vide annum 100. n. 19. 29.

Altare sacrificium connotat. vide an. 100. n. 11. 12.

PORTÆ INFERI.

Simulacrum Victoriæ, & idola alia in Britanniâ corruunt, externi fremitus audiuntur: fœminæ gentiles in furorem versæ, exitium adesse clamant, cum Petrus in Britanniâ sacrificium offert. Vide an. 60. num. 10. 11. 12.

Capharnaïtæ: Christo de veritate corporis & sanguinis sui disserente, & eorundem sumptione: dixerunt: *Durus est hic sermo: & quis potest eum audire?* vide an. 100. n 23.

Judas Iscariotes, Christi proditor, cum Capharnaïtis incredulis numeratur à Joanne Chrysostomo. vide an. 100. n. 23.

Ebion & sequaces ejus Sacramenti & sacrificii nostri veritatem elevasse videntur, cum credunt Christianos necdum antiquarum figurarum veritate frui. vide an. 100. num. 13.

Euchari-

Euchariſtiæ veritas, Miſſæ ſacrificium, Altaria.

SÆCULO SECUNDO.

PETRA ECCLESIÆ.

Ad Miſſæ ſacrificium fideles coïre ſoliti, ideoque ab infidelibus accuſantur. Vide annum 104. n. 2.

Inter Chriſtianorum crimina numeratur, quod mactatam pecudem adorarent: quo planè immaculati agni caro, & Chriſti verum corpus exprimitur. vide an. 104. num. 2.

Accuſantur iterum fideles, quod *inhumanis cibis inter ſe fœdarentur*: quod *ad altare hominem ſummo ſupplicio affectum venerarentur*. vide an. 104. n. 3. 4. 5.

Juſtinus Martyr, docens Antoninum Imperatorem Fidei noſtræ myſteria, hæc de Euchariſtiâ habet: *Neque enim hæc communem, uſitatúmque panem, uſitatámque potionem capimus. Sed quemadmodum per Dei verbum homo factus IESVS Chriſtus, conſervator noſter, & carnem & ſanguinem pro ſalute noſtrâ habuit: ſic etiam cibum, qui per preces ſermonis, quem ab eo accepimus conſecratus eſt, & quo ſanguis carnéſque noſtræ communione aluntur IESV Chriſti, eius qui homo factus eſt, & carnem, & ſanguinem eſſe edocti ſumus.* vide an. 150. n. 2. & an. 200. n. 7.

Credebant hoc ſæculo fideles, panem Euchariſticum in Chriſti carnem mutari, quod poſtea tranſubſtantiari appellatum. vide an. 150. n. 3.

Quod Juſtinus Imperatorem docuit, ubique in Oriente & Occidente creditum. vide an. 160. n. 3.

Sacrificium in Lege naturæ, & multò perfectius in Lege gratiæ. vide ann. 200. num. 3.

Miſſa non niſi in altari celebranda vide an. 132. n. 2.

Miſſas celebrat Pius Papa in domo Euprepiæ. vide an. 166. n. 2.

Altaria ubique viſuntur. vide an. 104. num. 5.

Quo cultu colendum Altare. vide an. 187. num. 3.

Sacrificium ſupremus Dei cultus. vide annum 187. n. 3.

PORTÆ INFERI.

Trajanus Imperator tertiæ perſecutionis author, Chriſtianorum hæterias & conventum ad Miſſæ ſacrificium prohibet. Vide annum 104. n. 1.

Plinius ſecundus Bithyniæ Proconſul Trajanum ſecutus, conventum prohibet. vide annum 104. n. 1. 2.

Cæcilius infidelis, Chriſtianos immane traducit, quòd nocturnis congregationibus inhumanis cibis veſcerentur. vide annum 104. n. 3.

Judæi, Infideles, & Gnoſtici, Chriſtianorum ſacrificia improbant, & enervant. vide an. 200. n. 9.

Marcus Aurelianus Antoninus Chriſtianos perſequitur, & eorum ſacrificia. vide annum 164. n. 3.

Cynici & Epicurei Imperatori ſuggerunt, tollendos è medio Chriſtianos, qui nova ſacra induxerunt. vide annum 164. num. 2. 3.

Diabolus aſtutus artifex, ut Deum cultu privet; altaria primùm, inde templa conatur evertere. vide an. 200. n. 9.

Eucharistiæ veritas, Missæ sacrificium, Altaria.

SÆCULO TERTIO.

PETRA ECCLESIÆ.

Gregorius Nissenus in omni loco erecta esse Altaria testatur. Vide an. 245. n. 2.

Cyprianus, & Africani Episcopi statuunt non offerendum pro eo, qui Curatorem è Clero moriens nominaret; nec sacrificium pro dormitione ejus celebrandum. vide annum 216. n. 5.

Est frequens mentio oblationum apud Tertullianum, ut lib. de Coronâ militis: *Oblationes pro defunctis, annuâ die facimus.* & lib. 1. epist. 9. Oblationes has vocat *sacrificia pro dormitione mortuorum.* vide an. 216. n. 5. an. 255. n. 1. & an. 257. num. 4.

Panis in sacrificium propositus verborum sanctitate in Christi carnem transit, non externâ specie, sed naturâ ipsâ. vide annum 255. n. 2.

Cyprianus ita loquitur: *Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum.* & iterum: *Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat; non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus est caro.* vide annum 255. n. 2.

Hyppolitus Portuensis in Personâ Christi, ita loquitur: *Venite Pontifices, qui purè mihi sacrificium, die noctéque obtulistis, ac pretiosum Corpus & Sanguinem meum, immolastis quotidie.* Vide annum 228. num 3. & an. 300. n. 9.

Habes alia Patrum testimonia pro sacrificio; & Missæ nomen hoc sæculo sæpè usurpatum. ad annum 300. n. 10. 11. 12.

Britannicæ Ecclesiæ sacrificium & altaria habuerunt. vide an. 300. n. 14. 15.

Sixtus Papa martyrio coronatur quia sacrificium obtulit: quod omnium persecutionum potentissima causa. vide annum 261. num. 3. 4.

Stephanus Papa, obtulit sacrificium, & martyrio coronatur. vide an. 260. num. 1. & 257. n. 3.

Caius Papa jugiter Sacrificium offert. vide an. 296. n. 1.

PORTÆ INFERI.

Severus Imp. quartæ persecutionis author, Christianorum coitiones, hoc est Missæ sacrificium prohibet. Vide annum 204 num. 5.

Gallus & Volusianus septimæ persecutionis authores, eos persequuntur qui Missam celebrant. vide an. 255. n. 1.

Eos inter Cornelium Papam occidunt, qui sacrificium obtulerat: & plures communicaverat, tradens eis Corpus & Sanguinem Domini. vide an. 255. n. 4.

Antichristus in fine mundi pugnaturus dicitur in Christianorum sacrificium, & sacram Eucharistiam. Unde Hyppolitus Portuensis de illo hæc habet: *Lugebunt Ecclesiæ* (tempore Antichristi) *luctum magnum: quia nec oblatio nec suffitus fiet: nec cultus Deo gratus; sed Ecclesiarum ædes sacræ tugurii instar erunt: pretiosúmque Corpus & Sanguis Domini non extabit in diebus illis: Liturgia extinguetur*, &c. vide an. 300. n. 9.

Imperatores qui hoc sæculo sacrificium, & illud celebrantes persecuti sunt. vide an. 300. n. 10. & 13.

Diocletianus Imp. Sacerdotes, & inter eos Amphibalum in Britanniâ persecutus est. vide an. 300. n. 15.

Eucharistiæ veritas, Missæ sacrificium, Altaria.

SÆCULO QUARTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Sacrificii supellex aurea & argentea. Vide annum 303. num. 3.

Sacrificium eminentissima causa omnium persecutionum. vide an. 303. n. 5.

Alutienses Martyres, Saturninus Presbyter, qui sacrificium obtulerat: Dativus, Thelica, & alii qui interfuerant, torquentur & occiduntur, cum priùs clarè dixissent: *Christiani sumus, & sine Dominico esse non possumus*; quâ voce Missæ sacrificium intelligunt. vide an. 303. n. 5. 6.

Sacrificium Missæ, modò *Dominicum*, modò collecta, modò sanctissimus cætus Domino celebratus dicitur. an. 303. n. 5. 6.

Cyprianus dicit eum non celebrare Dominicum, qui in Dominicum sine sacrificio venit. vide an. 303. n. 7.

Templa & altaria per totum orbem constructa sunt: quia Christus sacrificia rationalia, & sanguinis expertia, suis discipulis obeunda tradidit, teste Eusebio. an. 303. n. 9.

Concilium Arelatense decernit Episcopum extra suam diœcesim, posse sacrificare. vide an. 314. n. 17.

Constantinus M. Altaria, & omnem sacrificii apparatū, donat Ecclesiis. 324. n. 36.

Pro anima M. Constantini sacrificium offertur. vide an. 337. n. 17.

De Britannorum altaribus, ita Chrysostomus: *Britannicæ Ecclesiæ virtutem verbi senserunt: sunt enim ibi fundata Ecclesiæ & erecta altaria.* an. 400. n. 25.

Quid est Altare, nisi sedes Corporis & Sanguinis Christi? Et Calices ab Optato dicuntur sacri Sanguinis portatores. vide an. 400. n. 26. 27.

Gregorius Nissenus de Orientis Ecclesiis: *Quot*, inquit, *in iis sunt altaria, per quæ nomen Domini celebratur?* Nec sanè quis totius forte orbis enumeret altaria. 400. 27.

Ambrosius: constat pecudum victimas periisse, quæ fuerunt in ordine Aaron; sed manere Melchisedech institutum, quod in toto orbe terrarū in Sacramētorum erogatione celebratur. 400. n. 27. vide plura ibi.

Transubstantiationis mysterium in Eucharistiâ benè explicat S. Gregorius Nyssenus in Oratione catechetica. *Rectè*, inquit, *Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verbi Corpus, credo transmutari.* & iterum ibid. *Hæc autem dat virtute benedictionis, in illud transelementatâ eorum, quæ apparēt naturâ.* 400. n. 31.

PORTÆ INFERI.

Diocletianus Imp. tradi jubet omnem Sacrificii apparatum. Vide annum 303. num. 4. & 5.

Qui Diocletiano obtemperarunt *Traditores* appellati. vide an. 303. n. 4.

Diocletianus & Maximianus prohibent Sanctissimos cætus celebrari Domino. vide annum 303. n. 5.

Proconsul Diocletiani præceptum urget, & plures interficit qui Missæ sacrificio interfuerant. vide an. 303. n. 5. 6.

Julianus avunculus Juliani Apostatæ, omnem sacrificii apparatum, quem Constantinus Ecclesiis donaverat, dissipans, & ludibrio habens, à Deo punitur. vide an. 324. num. 37. & 38.

Idem Julianus adversus sacram mensam minxisse, & inde miserè mortuus, dicitur. vide an. 324. n. 38.

Donatistæ ab Optato Milevitano arguuntur, quod altaria in quibus aliquando obtulerint, fregerint, raserint, removerint. vide an. 400. n. 26.

Eucharistiæ veritas, Missæ sacrificium, Altaria.

SÆCULO QUINTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Usus sacrificii, & præceptum audiendi Missam, Orienti & Occidenti commune fuit. vide annum 500. n. 9.

Sanctus Leo I. *Cum solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit: & ad eam tanta fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul unâ non possit, sacrificii oblationem sine dubio iterandam.* vide an. 500. n. 9.

Idem Leo: *Necesse est, ut quædam pars populi suâ devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui primâ diei parte convenerint.* vide an. 500. n. 9.

Augustinus: *Hoc est quod dicimus; hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri IESV Christi carne & sanguine: Sacramento, & re sacramenti, id est, corpore Christi sicut Christi persona constat, & conficitur Deo & homine.* Vide an. 500. n. 9.

Sacrificium offerri solitum pro defunctis. vide an. 480. num. 6.

Augustinus ita obtulit pro Monica matre. vide an. 400. n. 29. & 30.

Hiberni hoc sæculo eandem cum Britannis Missam celebrant. vide an. 500. n. 9.

Sancti in Missæ sacrificio invocantur. Unde Chrysostomus ita loquitur in Liturgiâ εἰς τιμὴν καὶ μνήμην, &c. *In honorem & memoriam superbenedictæ gloriosæ Dominæ nostræ, Deiparæ, & semper Virginis* MARIÆ, *cuius deprecationibus suscipe Domine hoc sacrificium in supercæleste altare tuum.* vide an. 500. n. 11. & alia ibidem.

PORTÆ INFERI.

Paucæ inferorum portæ in apertissimam quinti sæculi lucem apertæ. Vide annum 500. num. 9.

Nestorius Eucharistiæ sanctitatem, & ritum illum consecrandi enervat, & vitiat, dum veram quidem Christi hominis carnem agnoscit, negat autem Deitatem ejus in Sacramento esse. vide an. 500. n. 9.

Item Nestorius in fermento consecravit, & utramque speciem promiscuè porrigendam censuit. vide an. 500. n. 9.

Eucharistiæ veritas, Missæ sacrificium, Altaria.

SÆCULO SEXTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Eucharistia in Synodo Turonensi, *Corpus Christi* dicitur, & *in altari* poni jubetur sub Crucis titulo. Vide annum 570. num. 1. 2.

Eucharistiæ sumptio præcipitur ter quotannis. vide an. 597. n. 31.

Eadem Eucharistia vocatur CORPUS DOMINI, & cum Fide sumenda præcipitur. vide an. 597. n. 32.

Sacrificium Britannorum & eorum altaria, è Gilda monstrantur. vide annum 543. num. 5.

Missa audiri præcipitur die Dominico. vide an. 500. n. 2. & an. 570. n. 13.

Missam audit Aldiberga Regina. vide annum 570. n. 10. 11. 12.

Missæ ubique fiebant hoc sæculo. vide annum 570. num 14.

Missarum solennia celebrat S. Columba. vide an. 571. n. 3.

Felix Papa IV. ita statuit: *Sicut non alii quàm sacrati Domino Sacerdotes, debent Missas cantare, nec sacrificia super Altare offerre: sic nec in aliis quàm in præfatis Domino sacratis locis, Missas cantare, aut sacrificia offerre licebit.* vide an. 570. n. 14.

Missæ indignatur Cacodæmon. vide annum 598. n. 6.

Transubstantiationis mysterium creditum in Britanniâ, priusquam ex Urbe Augustinus mitteretur. & idem docuit Augustinus Saxonem. vide an. 597. n. 28.

Eucharistiæ Sacramentum ab omni Antiquitate dicitur MYSTERIUM FIDEI. vide an. 597. n. 30.

Sacerdotes olim apud Saxones vix alio nomine quàm *Maesse preost*, audiebant. vide an. 597. n. 33.

Qui altaria dehonestant, & sacrificandi libertatem tollunt, Justus Urgelitanus persecutores appellat, qui Christi sponsam vulnerant; eique pallium auferunt. vide annum 597. n. 25.

Ita sex sæculorum authoritate, & praxi fidelium: ita è Doctorum sensu, & consensu populorum, Eucharistiæ veritas, Missæ sacrificium & Altaria probantur.

PORTÆ INFERI.

Missæ & sacrificiorum hostes, sunt etiam hostes Crucis, Christi; & nomen JESU nullo honore dignantur. Vide annum 570. num. 14.

Soli Infideles, Judæi, Barbari, Apostatæ, Altaria aversantur. vide an. 597. n. 25.

Judæus Vitriarius filium suum in ardentem Clibanum injecit, quia Eucharistiam sumpserat: unde tamen mirabiliter evasit. vide annum 597. num. 25.

Ita Eucharistiæ sanctitatem Missæ sacrificium, & Altaria Inferorum portæ per sex sæcula oppugnare conatæ sunt frustra.

INDEX RERUM HODIE CONTROVERSARUM.

CRUCIS USUS ET CULTUS.

PRIMO SÆCULO.

PETRA ECCLESIÆ.

PORTÆ INFERI.

Usus & Cultus Crucis.

SÆCULO SECUNDO.

PETRA ECCLESIÆ.

Crux in Altari posita, sacrum Christi passionis hieroglyphicum. Vide an. 104. n. 5. & an. 187. n. 3.

Crux in fronte, & quare, formanda? Vide an. 183. n. 28.

Crux in Baptismo adhibita, & ejus rei tot sunt argumenta, quot Patres de Baptismo scripserunt. Vide an. 183. n. 20.

Crux appellatur in Scripturâ: SIGNUM FILII DEI VIVI: & quare Cruce muniuntur Baptizandi? Vide an. 183. n. 20.

Tertullianus è Cruce in frontibus signatâ, colligit *veram & Catholicam Ecclesiam.* Vide an. 183. n. 20.

Lucius Britannorum Rex, in baptismo Cruce signatus, primum Fidei Christianæ rudimentum accepit. vide an. 183. n. 20.

Lucius Rex Crucem religiosè coluit. vide an. 183. n. 30.

Tertullianus dicit Christianos olim appellatos esse, *Crucis religiosos.* vide an. 183. num. 30.

Crucem Christi profiteri omnes, etiam Reges debuerunt. vide an. 183. n. 28.

Crucem aliquando à Sacerdote consecrari, & per eam jurari solitum, Pius Papa eo nomine primus, apertè significat. Vide an 167. n. 1.

Crucis erectio, templi consecratio censebatur: & ita Apostoli Ecclesias designabant. vide an. 162. n. 5.

PORTÆ INFERI.

Novatianus Cruce muniri renuit; ideò schismaticus ab omnibus habitus. Vide an. 183. num. 26.

Diabolus Crucem Christi olim & ante omnes aversatus. vide an. 183. num. 26. & 27.

Idolorum Sacerdotes sacrificare non potuerunt, Christiano præsente, qui *Inscripto signarat tempora signo:* eo nimirum qui Crucem in fronte formaverat. vide an. 183. n. 27.

Usus & Cultus Crucis.

SÆCULO TERTIO.

PETRA ECCLESIÆ.

PORTÆ INFERI.

Usus & Cultus Crucis.

SÆCULO QUARTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Crux in cœlo Constantino M. apparuit, & fuit Conversionis ejus initium. Vide annum 312. n. 7.

Constantinus in militari vexillo, amotis falsorum deorum simulacris, Crucem substituit. Vide an. 312. n. 17.

Constantinus Crucem à milite, ab exercitu, ab omnibus coli mandavit: ipse eum illis Crucem veneratus est, Cruci denique templum extruxit. Vide an. 312. n. 17.

Constantinus virtute Crucis Maxentium debellavit. Vide an. 312. n. 33.

Helena Crucem Christi quærit, invenit, colit. Vide an. 326. n. 26. &c.

Britannia & Gallia: Helenæ Fidem in cultu Crucis imitantur. Vide an. 326. n. 47.

Helena sanctæ Cruci templum extruit. Vide an. 326. n. 40.

Crux Christi à fidelibus in parasceve adoratur. Vide an. 326. n. 40.

Crucis partem Helena filio Constantino misit: partem thecâ argenteâ conditam dereliquit in loco: *Quæ etiam nunc ad memoriam, solicita veneratione servatur.* Vide an. 326. n. 40. & 41.

Hoc lignum (inquit S. Chrysostomus) *in quo positum Sanctum corpus Domini, & crucifixum est, totus orbis habere contendit: & qui parvum quiddam, ex illo habent, hoc auro includunt, tam viri quàm mulieres, & cervicibus suis aptant*, &c. Vide annum Christi 326. num. 38. & an. 326. num. 39.

PORTÆ INFERI.

Julianus Apostata à Crucis neglectu, dæmone docente, apostasiam inchoavit. Vide an. 351. num. 2.

Julianus Crucem in labaro à Constantino fixam, refixit verus Apostata. Vide annum 362. num. 2.

Julianus Crucis cultum Christianis exprobrat. Vide annum 362. n. 4. & an. 351. num. 2.

Licinius infidelis Imperator, Crucem risit, sed Cruce vincitur. vide an. 317. n. 1. & num. 5.

Universum dæmonum genus, teste Eusebio, *omni studio incumbit Crucem obscurare.* vide an. 326. n. 8.

Signo Crucis omnia magica compescuntur, venefica inefficacia fiunt, idola deserta relinquuntur, inquit Athanasius. vide an. 326. n. 8.

Hæreses omnes Cruce profligantur, unde Crux à S. Ephrem, hæresum profligatrix dicitur. Vide an. 326. n. 39.

Crux etiam dicitur *Dæmonum sepultrix.* vide an. 326. n. 39.

Usus & Cultus Crucis.

SÆCULO QUINTO.

PETRA ECCLESIÆ.

PORTÆ INFERI.

Usus & Cultus Crucis.

SÆCULO SEXTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Arthurus Britannus, cum Cruce plumbeâ sepelitur. Vide an. 542. n. 5.

Primus Apostasiæ gradus, est Crucem abjicere. Vide an. 542. n. 7.

Crux superstitionem omnem, omnemque idololatriam triumphavit omni sæculo, & fuit Evangelii comes individuus. Vide an. 542. n. 7.

Cruces in terram deponuntur, cum quis excommunicatur: & eo signo ostenditur, quod nullam cum Christo hæreditatem, quam per baptismum consecutus est, adipisci possit. Vide an. 560. n. 13.

Ethelbertus Anglo-Saxonum Christianorum primus Rex, signo Crucis munitur in baptismo. Vide an. 598. n. 20.

Cum Cruce argentea Augustinus Anglorum Apostolus, accedit ad Ethelbertum. Vide an. 597. n. 4.

Conwallus Scotorum Rex Christianus tantâ pietate in Crucis Cultum ferebatur, ut illam sibi præferri semper mandarit. Et ascendens equum, ac inde descendens, prostratus, Crucem veneratus sit. Vide an. 597. n. 24.

In argenteâ Conwalli Cruce erat hæc Epigraphe: CHRISTIANORUM GLORIA. Vide an. 597. n. 24.

Ita sex sæculorum authoritate, praxi fidelium, Doctorum sensu, consensu populorum, Usus & Cultus Crucis probatur.

PORTÆ INFERI.

Cacodæmones horrent signum Crucis. Vide annum 597. num. 23.

Ita usum cultumq; Crucis soli Cacodæmones, Iudæi, Gentiles, & impiissimi quique per sex sæcula aversati sunt.

INDEX RERVM HODIE CONTROVERSARUM.

Sanctorum invocatio, & cultus sacrarum Reliquiarum.

SÆCULO PRIMO.

PETRA ECCLESIÆ.

BEATA Virgo primo sæculo à fidelibus culta probatur. Vide annum 63. num. 14. &c.

Christus promisit ministrantes sibi, à Patre in cœlo honorificandos esse: & sine dubio matrem intellexit, quæ ministravit illi carnem & sanguinem. Vide an. 63. num. 21.

S. Petrus ad Deiparam Virginem preces fudit, eum in Liturgiâ ita loquitur: *Libera quæsumus, Domine, ab omni malo præsente ac futuro, intercessionibus immaculatæ ac gloriosæ Dominæ nostræ semperque Virginis MARIÆ.* Vide an. 63. n. 21.

Jacobus etiam Minor, in Liturgiâ ita orat: *Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ gloriosissimæ benedictæ Dominæ nostræ Matris Dei, atque omnium Sanctorum, ut precibus & intercessionibus eorum, omnes misericordiam consequamur.* Vide an. 63. n. 21.

Certum est Invocationem Sanctorum, per Apostolorum sonum in omnem terram penetrasse, & consequenter in fines orbis terræ. Unde Beata Virgo in Britannia culta est, erectâ & dedicatâ Ecclesiâ. Vide an. 100. n. 17. & an. 63. n. 14. &c.

Sacrarum reliquiarum cultus à Josepho ab Arimathæâ in Britannia docetur. Vide an. 82. n. 5.

PORTÆ INFERI.

Inter Christianos nemo cultum Deiparæ negasse reperitur. Solùm Cerinthus hæreticus, qui Christum in simplicium hominum numero posuit, & MARIAM à partu Virginem mansisse negavit, humiliter de Deiparâ sensit. Vide an. 63. n. 21.

Ebion etiam hæreticus Deiparam Virginitate perpetuâ caruisse affirmat, & jungi potest iis qui eandem cultu spoliarunt. Vide an. 63. n. 21.

Sanctorum invocatio, & cultus sacrarum Reliquiarum.

SÆCULO SECUNDO.

PETRA. ECCLESIÆ.

Corpus S. Clementis Martyrio coronati fideles secundo sæculo coluerunt. Vide annum 102.

Anacletus Papa ornavit sepulchrum sancti Petri. Vide an. 103. n. 1.

Pius Pontifex, ad Justum Viennensem Episcopum, ita scribit: *Cura Sanctorum Martyrum corpora, ut membra Dei: quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum.* Vide an. 167. n. 1.

Theanus Londinensis Episcopus Ecclesiam extruxit in Cornehill S. Petro sacram. Vide an. 185. n. 5. & 10.

Fugatius & Damianus, cum per totam Britanniam Paganismum delevissent, templa quæ in honorem plurimorum Deorum, fundata fuerant, Uni Deo ejusdemque Sanctis dedicarunt. Vide an. 185. n. 11.

Sanctorum Angelorum cultum asseruit Justinus Martyr. Apolo. 2. *Deum, & Filium*, inquit, *qui ab eo venit, nósque hæc docuit, & aliorum sequentium assimilatorúmque Angelorum exercitum, & spiritum propheticum colimus, & adoramus, verbo & veritate venerantes, idque omnibus qui discere velint, ut edocti sumus, candide tradentes.* Vide annum 185. n. 11.

Smyrnensis Ecclesia, S. Polycarpi ossa colligit, potiora lapillis pretiosis, & auro puriora reputat, ea decenter reponit, cum spe celebrandi aliquando Martyrii ejus diem instar festi natalis, cum exaltatione. Vide an. 169. n. 3.

Sanctorum cultus, pluribus argumentis asseritur. Vide an. 200. n. 10.

PORTÆ INFERI.

Infideles qui Clementem occiderunt, corpus ejus in mare projiciunt, ne à fidelibus coleretur. Vide an. 102.

Trajanus Imperator persequitur eos, qui apud memorias Martyrum preces fundebant. Vide an. 104. num. 1.

Judæi & Gentiles conspirant, ne S. Polycarpi ossa in manus Christianorum perveniant: & causam adferunt. Ne Christiani relicto Crucifixo, illum pro Deo colerent. Vide an. 169. n. 3. & an. 200. n. 10.

Sanctorum invocatio, & cultus sacrarum Reliquiarum.

SÆCULO TERTIO.

PETRA ECCLESIÆ.

Origenes ita scripsit: *Incipiam me genibus prosternere, & deprecari universos Sanctos, ut mihi non audenti Deum petere, propter nimietatem peccati, succurrant. O Sancti Dei, vos lacrymis & fletu, & pleno dolore deprecor.* Vide an. 226. n. 2.

Cum Cyprianus martyrium pateretur Christiani *linteamina & oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur à terrâ.* Vide an. 261. n. 5.

Laurentius Romæ religiosè colitur. Vide an. 261. n. 5.

S. Albani Britannorum Protomartyris reliquiæ, piè à fidelibus colliguntur & coluntur. Vide an. 287. n. 9. 10. &c.

Tertullianus affirmat solitos fideles magna impensâ pretiosis, pollinctorum arte studiosè condire, ac venerari Martyrum corpora. vide an. 289. n. 10.

Serena Augusta Susannæ Martyris corpus aromatibus condit, opere pollinctorio; velum autem quo sanguinem absterfit, apud se in thecâ argenteâ retiouit; & diu noctúque erat furtivis precibus ibi orans. vide ao. 287. n. 11.

Britanni hoc sæculo, cessante Diocletiani persecutione, Basilicas SS. Martyrum fundant, construunt, perficiunt. Vide an. 287. n. 12.

Germanus & Lupus Galliarum Episcopi S. Albani reliquias venerantur. Germanus ad collum, SS. Apostolorum reliquias gestare solebat. Vide an. 287. n. 13.

Brandeum loco sacrarum reliquiarum mitti solitum. Vide an. 287. n. 19.

S. Gregorius Nazianzenus dicit exiguum pulverem Sanctorum Martyrum cultum mereri. Vide an. 287. n. 19.

S. Melanius Rhotomagensis Episcopus templum Deiparæ extruit; & aliud in honorem S. Clementis Martyris. Vide an. 280. n. 2.

PORTÆ INFERI.

Manes hæreticus Sanctorum reliquias, colendas negat: & Christianos insectatur, quòd Martyres, ut Deos, colerent, eorumque festos dies. Vide annum 276.

Infideles & barbari corpus S. Sebastiani Martyris in cloacam projiciunt, ne Christiani illum colerent. Vide an. 287. o. 10.

Impiissimus Præses Maximus, S. Tharacæ corpus, se particulatim exterminaturum, & bestiis projecturum minatur, ne mulierculæ illud aromatibus condirent. Vide an. 287. o. 10.

Barbari & infideles, injuriâ, contumeliis, & omni Ignominiæ genere Sanctorum cineres tractant. Vide an. 287. n. 12.

Olim Judæi & Gentiles Christianis exprobrabant Martyrum cultum. Vide an. 287. num. 15.

Manichæi SS. Martyrum corpora colere noluerunt, & cultum illum Christianis exprobrabant: quos doctè S. Augustinus refellit. Vide an. 287. n. 12.

Celsus hæreticus, videtur Sanctorum mortuorum corpora nullo cultu dignatus: in eum Origenes calamum stringit. Vide an. 216. n. 2.

Sanctorum cultus, & sacrarum Reliquiarum.

SÆCULO QUARTO.

PETRA ECCLESIÆ.

S. Albani ossa elevantur, & ad cultum efferuntur. Passim hoc sæculo Sanctorum veneratio, & sacrarum reliquiarum translatio invaluit, ut fatentur Magdeburgenses. Vide an. 316. num. 2.

Fideles Antiochiæ exultantes gaudio, psalmosque canentes, S. Babylæ Martyris corpus è Daphne in urbem transferunt. Quem ritum transferendi Martyrum corpora, & miracula tunc fieri solita, narrat sanctus Ambrosius. Vide an. 316. num. 4. & an. 362. num. 8.

Constantinus M. Byzantium dedicat Deiparæ. Vide an. 324. n. 58.

Sanctorum cultus fuit Idolorum exterminium, & ita fideles hujus sæculi crediderunt. Vide an. 326. n. 56.

S. Chrysostomus docet Imperatores etiam sanctorum Martyrum sepulchra venerari solitos. *Ipse*, inquit, *qui purpuram indutus est, accedit, illa complexurus sepulchra: & fastu deposito, stat Sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant.* Vide an. 324. n. 58.

Constantinus M. Sanctos coluit: *Et civitatem ipsam*, inquit Eusebius, *Constantini nomine nuncupatam, eximio splendore illustrare instituens, permultis templis, hoc est præclarissimis Ecclesiis, in honorem Martyrum, illustrissimisque ædibus sacris adornavit: quibus Martyrum memorias honorabat.* Vide an. 326. n. 58.

Constantinus templum dedicat SS. Apostolis. Vide an. 337. n. 3. Duodecim thecas pro Martyrum reliquiis servandis ornat: & inter ipsas sepeliri desiderat. 337. n. 4. &c.

Ante Sanctorum thecas, Theodosius Imp. prostratus orat. Vide an. 393. n. 5.

SS. Gervasii & Protasii corpora cum honore transferuntur: & miracula tunc fiunt, quæ refert S. Augustinus. an. 387. n. 3.

Chrysostomus: *Idcircò*, inquit, *sæpè Martyres invisamus, tumulos adornemus, magnâque Fide tumulos eorum contingamus, ut inde benedictionem assequamur.* 362. n. 10.

Valentinianus Imp. inter Sanctorum reliquias sepelitur. Vide an. 375. n. 2.

Athanasius Doctor hujus sæculi ita orat Deiparam: *Ad te clamamus: recordare nostri sanctissima Virgo, qua etiam à partu Virgo permansisti, & retribue pro exiguis istis eloquiis, dona magna, ex divitiis tuarum gratiarum; tu quæ gratiâ plena es.* Serm. de Sanctiss. Deiparâ.

PORTÆ INFERI.

Vigilantius hæreticus in Sanctorum reliquias impiè garrivit. Vide an. 316. n. 3.

Julianus Apostata dum oraculum ab Apolline Daphnæo quærit: dæmon, qui in delubro colebatur, latet, ob vicinum Babylæ corpus: Imperator itaque jubet Martyris corpus amoveri, ut dæmoni locus fieret. Vide an. 316. n. 3. & 362. n. 6.

Julianum reprehendit S. Gregorius Nazianzenus, quod Sanctos, *à quibus*, inquit, *dæmones propelluntur*, non coleret. *Quorum vel sola corpora idem poterant, quod animæ sanctæ, sive manibus contrectentur, sive honorentur.* Vide an. 362. n. 8.

Pagani sepulchrum S. Joannis Baptistæ, apud Sebastem Armeniæ urbem, mente rabidâ invadunt, ossa dispergunt, igne cremant, Sanctos cineres pulveri immixtos, per agros & rura dispergunt. Vide an. 362. n. 9.

Sanctorum cultus, & sacrarum Reliquiarum.

SÆCULO QUINTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Sanctus Hieronymus de Vigilantio ita scribit: *Sola Gallia monstrum non habuit: exortus est subito Vigilantius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum, & Martyrum neget sepulchra veneranda quæ Catholicus orbis detestatur.* Vide an. 406. n. 3.

S. Patricius ex Urbe detulit reliquias Apostolorum Petri & Pauli, & Stephani Martyris, & alia. Vide an. 439. n. 2.

Eudocia uxor Theodosii Principis, Hierosolymis rediens, reliquias Protomartyris Stephani secum detulit: *quas in Basilicâ S. Laurentii positas, fideles venerantur.* Vide an. 439. n. 2.

Glastonienses Monachi à Patricio docti, Deiparam Virginem, Sanctum Michaëlem, & Sanctos colunt. Vide an. 439. n. 8.

Sanctorum reliquiæ conservantur à Britannis, in Insulæ vastatione. Vide an. 462. num. 1.

Britanni à sancto Germano docti, Sanctos colunt, præ omni aliâ gente. Vide an. 462. n. 2.

In Missæ sacrificio Sanctorum suffragia postulantur: & Augustinus illa probat. Ubi habes quo cultu Sancti colantur. Vide an. 500. n. 11.

PORTÆ INFERI.

Vigilantius declaratur hæreticus, quia Martyres noluit honorare. Vide an. 406. num. 3.

Faustus Manichæus Christianis objicit crimen Idololatriæ, quòd Martyres colerent. S. M. Augustinus facinosi hominis inscitiam, & hæreticum dogma pluribus refellit: & Catholicam veritatem contra Vigilantium, Faustum, & omnes hæreticos, doctè probat, ac defendit. Vide an. 500. num. 11.

Sanctorum cultus, & sacrarum Reliquiarum.

SÆCULO SEXTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Patricius sanctus ab Hibernis colitur, qui ejus sacras reliquias frequentes venerarunt. Vide an. 504. n. 2. 3.

Africani Presbyteri corpus S. Augustini Ecclesiæ Doctoris Vandalorum furoribus subducunt, & in Sardiniam deferunt, ad Fidei suæ & devotionis augmentum. Vide an. 504. n. 3.

Theonus & Thadiocus Britanniarum Episcopi, Sanctorum reliquias, ab infidelium Saxonum injuriis eripiunt, & illas vel secum auferunt, vel reverenter occultant: ne Christianitas iis extinctis, penitùs deleatur. Vide an. 586. n. 2. 3. &c.

Davidem sanctum Menevensem Episcopum Britanni erectis in ejus honorem templis & altaribus, colunt. vide an. 544. n. 5.

S. Oudoceus Landavensis Episcopus, visitat limina Sanctorum Apostolorum, & reliquias inde in Britanniam defert. Britanni etiam Romam frequenter, & ad corpus S. Davidis, peregrino more cultuque proficiscuntur. Vide an. 560. n. 9.

Jurandi solennis consuetudo: antepositis Sanctorum reliquiis, & super Altare sancti Petri. Vide annum 560. n. 11.

Otto Magnus Imp. jurat Rom. Pontifici *per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, per lignum vivificæ Crucis, & per Sanctorum reliquias.* Vide an. 560. n. 13.

Sancti Sampsonis corpus Aureliis delatum cum reverentiâ accipitur, structo illi templo. vide an. 599. n. 1.

Iterum ejus corpus, & S. Maclogii, Parisios defertur: & Hugo Magnus Parisiorum Comes, illa devotè colit, & præmium à Deo accipit, Capetæ Gentis Honorem Regium.

Ita sex sæculorum authoritate, praxi fidelium, Doctorum sensu, consensu provinciarum atque populorum, Sanctorum invocatio, & eorundem sacra corpora cultu digna probantur.

PORTÆ INFERI.

Vandali, & Trasimundus eorum Rex, in Sanctorum sepulchra sæviunt, quæ Hipponensis clerus, & Numidiæ Sacerdotes defendunt. Vide an. 504. n. 3.

Infideles Saxones Sanctorum reliquias despectui habent. Vide an. 586. n. 4. 5.

Normanni infideles, & barbarus eorum exercitus, in Sanctos, & eorum corpora sæviunt. Vide an. 599. n. 4.

Ita Sanctorum cultum atque sacrarum Reliquiarum, Iudæi, Gentiles, Cacodæmones & hæretici, improbarunt.

INDEX RERUM HODIE CONTROVERSARUM.

Suffragia pro Mortuis: Purgatorium.

SÆCULO PRIMO.

PETRA ECCLESIÆ.

PURGATORII veritas è sacris Scripturis eruitur, & sensu primorum fidelium. Vide an. 100. n. 5.

Jacobus Apostolus in Missâ ita orabat: *Memento Domine Deus noster spirituum, & universæ Carnis quorum memoriam egimus*, &c. *Fac eos requiescere in regione viventium, in regno tuo in deliciis paradisi.* Vide an. 100. n. 17.

Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre, vel pro eis orare, ab Apostolis traditum est. Hoc enim ubique Catholica tenet Ecclesia, per totum orbem terrarum constituta: sicut à S. Augustino scribitur in Enchiridio: dixit Ætherus Uxamensis Episcopus. Vide an. 100. n. 17.

Magnus Dionysius innuit precandi morem pro defunctis, ab Apostolis descēdere: ait: *Precamur divinam bonitatem, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam peccata defuncto: eúmque in luce statuat, & regione vivorum.* Vide an. 100. num. 17. & an. 216. n. 3.

PORTÆ INFERI.

Qui non audit Ecclesiam dictantem Purgatorium, sicut Ethnicus & Publicanus est. Vide an. 100. num. 5.

SÆCULO SECUNDO.

Sacrificium Missæ defunctorum animabus suffragium fuisse creditum est hoc sæculo secundo. Vide an. 200. n. 10.

Tertullianus hujus sæculi Doctor id affirmat his verbis: *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, annuâ die facimus.* V. an. 200. n. 10.

Offerre pro mortuis ab Apostolorum Traditione accepimus, teste Tertulliano, qui cum dixisset, *oblationes pro mortuis offerri solitas*: mox addit: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, Fides observatrix.* Vide an. 200. n. 100. & an. 216. n. 3.

Idem Tertullianus, viduæ pietatem explicans, & officium ejus erga maritum mortuum. *Enimvero*, inquit, *pro animâ ejus orat: & refrigerium interim expostulat ei, & in primâ resurrectione consortium: & offert annuis diebus dormitionis ejus.* Vide an. 200. n. 10.

Suffragia pro Mortuis: Purgatorium.

SÆCULO TERTIO.

PETRA ECCLESIÆ.	PORTÆ INFERI.

Donaldus in Septentrione Rex, Christiano more sepelitur: preces & sacrificium pro mortuo offeruntur. Vide an. 216. num. 1. 2. &c.

Mos deferendi mortui corpus, & statuendi ante altare ut pro animâ preces fundantur. Vide an. 216. n. 1. 2.

Cyprianus clarè docet offerri solitum sacrificium pro mortuis. Vide an. 216. num. 5.

Africani Episcopi, unà cum S. Cypriano, statuunt, *Ne offeratur pro eo, aut sacrificium pro dormitione eius celebretur, qui moriens tutorem, testamenti clericum nominaret.* Vide an. 216. n. 5.

Origenes ita loquitur: *Manifestè ostenditur, esse aliqua peccata ita levia, ut stipulæ comparentur, cui ignis illatus, diu non potest immorari. Alia verò fœno esse similia, quæ ipsa non difficulter ignis absumat: alia verò esse quæ lignis conferuntur; in quibus pro qualitate criminum, diutinum & grande pabulum ignis inveniat. Ita ergo unumquodque peccatum pro qualitate sui, pœnarum iusta persolvit.* Vide an. 216. num. 6.

Suffragia pro Mortuis: Purgatorium.

SÆCULO QUARTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Constantinus M. incredibili Fidei propensione, providit fore, ut defunctus, precationum particeps efficeretur, quæ ad Apostolorum gloriam erant offerendæ. Vide an. 337. n. 4.

Cyrillus Hierosolymitanus ait: Pro omnibus oramus qui inter nos vitâ functi sunt: maximum credentes esse animarum juvamen, pro quibus offertur consecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. vide an. 337. n. 16. & an. 100. num. 17.

Pro anima Constantini M. oblatum est Missæ sacrificium. vide an. 337. n. 17.

Lactantius Firmianus, Purgatorii ignem clarè significat illâ sententiâ: *Sed & justos, cum Deus judicaverit, etiam igne eos examinabit.* vide an. 337. n. 15.

M. Athanasius Missæ sacrificium animabus defunctorũ prodesse, his verbis ostendit: *Peccatorum animæ beneficia accipiunt, ab exangui immolatione, & gratificatione pro ipsis facta: sicut solus ordinat & præcipit, qui vivorum & mortuorum potestatem gerit, Deus noster.* vide an. 337. n. 15.

S. Monica moriens, suffragia petit, & ad Altare victimam sacram à filio suo S. Augustino. vide annum 389. num. 4 & an. 400. n. 29.

S. Augustinus ita dixit: *Orationibus sancta Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleëmosynis quæ pro mortuorum spiritibus erogantur; non est dubitandum mortuos adjuvari.* vide an. 400. n. 30.

Augustinus Purgatorium vocat, nunc *Emendatorium ignem*; nunc *Purgatorias pœnas*; nunc *Ignem purgationis*: & denique. *Oblationes*, inquit, *pro Spiritibus dormientium, verè aliquid adjuvare credendum est.* vide an. 400. n. 30.

S. Hieronymus Missam pro defunctis celebrari solitam affirmat, illis verbis: *Etsi impiis post mortem spes veniæ non est: sunt tamen qui de levioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti sunt, post mortem possunt absolvi, vel pœnis scilicet castigati, vel suorum precibus & eleëmosynis, Missarũmque celebrationibus.* vide annum 400. num. 31.

PORTÆ INFERI.

Aërius nec orandum pro mortuis, nec pro illis offerendum esse sacrificium docuit: ideo à S. Epiphanio, aliisque, hæreticus appellatus. Vide an. 337. n. 17.

Suffragia pro mortuis: Purgatorium.

SÆCULO QUINTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Sanctus Patricius in Hiberniâ Purgatorii pœnas exponit, & miraculo probat. Vide an. 432. n. 10.

Chrysostomus & Augustinus hujus sæculi Doctores, centies affirmant oblationes, sacrificia, preces, & eleëmosynas defunctorum animabus prodesse. Vide an. 432. num. 11.

Non frustra, inquit Chrysostomus, *oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleëmosynæ. Hæc omnia Spiritus disposuit, volens, ut nos mutuum invemus. Utilitatem accipiet ille per te, & tu per illum, contemptis opibus.* Vide an. 500. n. 12.

Temporarias pœnas, inquit Augustinus, *alii in hac vitâ tantum, alii post mortem. Alii & nunc & tunc: veruntamen ante iudicium illud severissimum, novissimúmque patiuntur.* Vide an. 500. num. 12. & alia loca S. Augustini superiori sæculo citata.

PORTÆ INFERI.

Infideles Hiberni Patricio Purgatorii pœnas prædicanti, *effrænatâ & præcipite mente, obnituntur.* Vide an. 432. n. 10.

Suffragia pro mortuis: Purgatorium.

SÆCULO SEXTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Fideles in Britanniâ ideo in Cæmiterio ſepeliuntur, ut ſacrificiorum, quæ ibi offeruntur, participes fiant. Vide annum 541. num. 5.

Arthurus Rex, eâdem cum M. Conſtantino mente fideque, inter Sanctorum reliquias ſepelitur. Vide an. 541. num. 5. & an. 542. n. 5. & 8.

Corpora Fidelium, hoc ſæculo in Eccleſiis ſepeliuntur, ut precum beneficio quæ in Eccleſiâ fundantur, frui poſſint. Vide an. 542. num. 10.

Gregorius Magnus ſenſum ſui ſæculi ita declarat: Quos gravia peccata non deprimunt: hoc prodeſt mortuis, ſi in Eccleſiis ſepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem ſacra loca conveniunt, ſuorum, quorum ſepulchra conſpiciunt recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Vide an. 542. num. 10.

Ingoberga, Aldibergæ noſtræ parens, teſte Gregorio Turonenſi, teſtamentum condidit, & devotè legat aliqua *Pro remedio animæ ſuæ*. Vide an. 570. n. 6. & 7.

Ita ſex ſæculorum authoritate Fidelium praxi, Doctorum ſenſu, populorum conſenſu, ſuffragia pro Mortuis, & Purgatorium, aſſeruntur.

PORTÆ INFERI.

Ita ſuffragia pro Mortuis, & Purgatorium, Infideles, Ethnici, & Aërius, inutiliter impugnare, & lacerare fruſtra conati ſunt.

INDEX RERUM HODIE CONTROVERSARUM.

Consilia Evangelica: Monachi, Monasteria.

SÆCULO PRIMO.

PETRA ECCLESIÆ.

Quotquot possessores erant agrorum, aut domorum, vendentes, afferebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum. Vide annum 64. num. 2.

Apostoli omnes primitias Spiritus habentes, in Evangelicæ perfectionis turri constituti, cælum propiùs expugnarunt, mundum exuendo, voto paupertatis; induendo Christum, amore castitatis, abnegando sese, parendi desiderio. v. an. 64. n. 2.

Virgo Fides cum vitâ monasticâ cœpit in Britanniâ, & ubi desiit vita monastica, desiit esse Virgo Fides. Vide an. 64. n. 1.

Josephus ab Arimathæâ dat se vitæ monasticæ in Britanniâ. Vide an. 64. n. 1.

Regularem vitam S. Marcus Evangelista in Alexandrinam Ecclesiam primus invexit. Vide an. 64. n. 2.

Se & sua abnegare, hoc sæculo frequentissimum. Vide an. 100. n. 26.

Habuerunt regularis vitæ sectatores sacram ædiculam, teste Philone *σέμνειον*, & monasterium appellatam: ubi honestæ sanctæque vitæ mysteria peragebant. Vide an. 64. n. 3.

Regulare institutum etiam hoc primo sæculo, longè, lateque diffusum. Vide an. 64. n. 4.

In altero etiam sexu illustrissimum fuit: unde S. Ignatius: ***Virgines agnoscant, cui se consecrarunt.*** Vide annum 64. num. 5. & an. 100. n. 26. & an. 301. n. 2.

Fuit hic sexus monasterio etiam inclusus: unde S. Ignatius: ***Saluto collegium Virginum & cætum viduarum.*** Vide an. 64. n. 5.

Dionysius M. Monachorum mores & ritus describit. V. an. 64. n. 5. & an. 100. n. 25.

Glastoniense monasterium in Britanniâ à Josepho hoc sæculo cœpit exordium. Vide an. 64. per totum.

Apostoli vel Virgines fuerunt, vel post nuptias continentes. Vide an. 100. n. 25.

PORTÆ INFERI.

Regulare institutum hoc sæculo impugnarunt Judæi, & cacodæmones: & eorum suasu Judas Iscariotes, cum Magdalenæ in Christum liberalitatem reprehendit: & Simon Magus, qui Sacerdotum continentiam reprehendisse dicitur. Vide an. 64. num. 5.

Nicolaïtarum hæresis, continentiæ adversaria à S. Joanne in Apocal. reprehenditur: numquam in Britanniam penetravit. Vide an. 100. n. 25.

Consilia Evangelica: Monachi, Monasteria.

SÆCULO SECUNDO.

Consilia Evangelica: Monachi, Monasteria.

SÆCULO TERTIO.

PETRA ECCLESIÆ.

Monasteria semper fuerunt Christianæ Religionis, & pietatis seminaria. Vide an. 289. num. 1.

Callistus Papa Consilia evangelica secutus, hoc decreto docet: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus. Contracta quoque matrimonia, ab eiusmodi personis disiungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta sacrorum Canonum definitiones, indicamus.* vide an. 226.

Tertullianus à Sectariis reprehenditur, quòd Evangelicam castitatem & continentiam, nuptiis prætulerit. Vide an. 300. num. 17. & 18.

Cyprianus ita de Evangelicis Consiliis censuit: *Etsi bona sunt, & instituta à Deo coniugia; melior tamen est continentia, & Virginitas excellentior: quam non cogit necessitas, aut mandatum; sed perfectionis suadet Consilium.* Vide an. 300. n. 18.

Virginitas æquat se Angelis, & verò excedit, ita Cyprianus, qui Castitatem vocat statum Angelicæ qualitatis. Vide an. 300. n. 18.

Britanni Sacerdotes hoc sæculo cœlibes fuerunt. vide an. 300. n. 21.

PORTÆ INFERI.

Diocletianus Imp. decimæ persecutionis author, monasteriorum vastitate conatur Christianam Fidem extirpare. Vide an. 289. num. 1.

Monachi Wintonienses à ministris Diocletiani occiduntur. vide an. 287. n. 32. & an. 289. n. 1.

Romanus miles, jussu Diocletiani in templa & monasteria adeò sævit: *ut ne vestigium*, inquit Gildas, *in nonnullis provinciæ locis, Christianæ religionis appareret.* Vide an. 287. n. 31. & an. 289. n. 1.

Westmonasterium in Diocletiani persecutione destructum, in Apollinis fanum convertitur. Vide an. 289. n. 2.

Diabolum imitantur & sequuntur, qui post votam castitatem, *à statu Angelicæ qualitatis*, deciderunt. Vide an. 300. num. 18.

Consilia Evangelica: Monachi, Monasteria.

SÆCULO QUARTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Sanctus Athanasius, è regularis vitæ instituto, orthodoxæ Ecclesiæ notam colligit, illâ sententiâ: *Puellas virginitate præditas, Sponsas Christi appellare solita est Ecclesia Catholica, &c: nusquam enim alibi sanctum illud, & cæleste æternæ Fidei virginitatis mandatum feliciter adimpletur, nisi duntaxat apud nos Christianos, atque in eo magnum documentum est plane apud nos esse veram religionem.* Vide an. 301. n. 3. Qui etiam Moniales intellexit, cum ait: *Beata virgo quæ fuerit sub regulâ, erit enim velut frugifera vitis in paradiso.* an 301. n. 3.

Constantinus M. *sanctissimum perpetuarum Virginum cœtum constanter colebat: quod in earum mentibus Deum ipsum cui se consecrarant, inhabitare crederet.* Vide an. 320. num. 2.

Helena Constantini mater, Hierosolymis virgines Deo sacras reperit. *Quarum professionem, usque adeo probavit, ut ministram se illis præbuerit.* Vide an. 320. n. 2.

Sancti Patres Basilius, Athanasius, Hieronymus, arguuntur à Sectariis, quòd nimis laudaverint votam Deo castitatem. Vide annum 320. n. 3.

Virorum & fœminarum Monasteria in Britannia fuerunt à Josephi tempore & deinceps. Vide an. 325. n. 50.

Virgines sacræ velabantur. Vide an. 325. num. 51.

Niceni Patres regulare institutum probaverunt, cum Constantinum hortantur, ut certus frumenti numerus, iis qui perpetuam virginitatem servarent, tribueretur. vide an. 325. n. 46.

Conscripsit legem Jovianus Imp. qua jubebat frumenti congiarium quod Magnus Constantinus sacris Virginibus donaverat, eisdem reddi. Nam Julianus Apostata illud vetuerat dari. vide an. 363. n. 6.

Ambrosius & Mediolanensis Synodus, Jovinianum hæreticum condemnat, qui Matrimonium virginitati æquat. vide an. 390. n. 56.

Hieronymus ita de monachis: *Flos quidam & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta monachorum & virginum chorus est.* vide an. 400. n. 35.

PORTÆ INFERI.

Galerius Maximianus Cæsar, *Furebat sceleratus communiter in omnia asceteria. Atque sacra quidem asceteria omnia diruebantur: virgines verò turpiter probris afficiebantur.* Vide an. 301. n. 2.

Julianus Apostata sacris virginibus annonam subtrahit, & vetat congiarium dari, quod dederat M. Constantinus. vide an. 363. n. 2. 5. & 6.

Jovinianus hæreticus, qui (ut Lutherus) monachum exuit, Matrimonium virginitati æquat: ideo à S. Hieronymo reprehensus. vide an. 390. n. 1.

Auxentius, Genialis, Germinator Felix, & alii, Joviniani sententiam secuti, à Siricio Papâ facto Presbyterio, ab Ecclesiæ communione removentur: quia constitit eorum dogma Christianæ legi esse contrarium. vide an. 390. n. 4.

Huic monstro (Jovinianum intelligit S. Augustinus) *sancta Ecclesia fidelissimè & fortissimè restitit.* vide an. 390. n. 1.

Consilia Evangelica: Monachi, Monasteria.

SÆCULO QUINTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Sanctus Germanus Altisiodotensis, qui Britannos docuit, monachus fuit, & religiosum habitum ab Episcopo accepit. Vide an. 429. n. 11. 12.

Lupus etiam Germani socius, monasticam vitam professus est. Vide an. 429. num. 14.

S. Patricius Hiberniæ Apostolus, Glastonienfibus monachis Abbatis loco præfuit, & cœnobialem vitam docuit. vide an. 439. num 5. 6.

Fuit hoc sæculo illustrissimum monachorum nomen, & Ecclesiam orthodoxam maximè illustravit. vide an. 439. num. 7.

Augustinus de regularibus loquens: *Simpliciter*, inquit, *fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro. Ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile expertus sum meliores, quam qui in monasteriis profecerunt: ita non sum expertus peiores, quàm qui in monasteriis ceciderunt.* vide an. 439. num. 7.

Leo Magnus ita censuit: *Propositum monachi proprio arbitrio, aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet & reddere. Unde qui relictâ singularitatis professione, ad militiam, vel ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est.*

De Continentiâ Sacerdotio annexâ, & aliis etiam sacris Ordinibus habes Augustini mentem, & S. Leonis Magni. Vide an. 500. num. 21. & 23.

Britanniæ Sacerdotes castitatem imprimis coluerunt hoc sæculo. Vide an. 500. n. 24. 25. & 26.

PORTÆ INFERI.

Diabolus monachis & monasteriis insidiatur. Unde S. Chrysostomus, de Theodoro monacho Mopsuesteno hæretico lapso, ita loquitur: *Cacodæmon tantum potuit, ut te à vertice illo & fastigio virtutis, in extremum malitiæ detruderet.* Vide an. 439. n. 7.

Huic Augustini Apothegmati Judas Iscariotes Prologum; Martinus Lutherus Epilogum fecit. Vide an. 439. n. 7.

Consilia Evangelica: Monachi, Monasteria.

SÆCULO SEXTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Ita sex sæculorum authoritate, Fidelium sensu, Doctorum consensu, Consilia Evangelica, Monachi & Monasteria, probantur.

PORTÆ INFERI.

INDEX RERUM HODIE CONTROVERSARUM.

ECCLESIÆ AUTHORITAS: Traditionum firmamenta.

SÆCULO PRIMO.

PETRA ECCLESIÆ.

PORTÆ INFERI.

Ecclesiæ authoritas: Traditionum firmamēta.

SÆCULO SECUNDO.

PETRA ECCLESIÆ.

Ecclesiæ authoritati parendum est, ubi veritas clarissima est: unde Irenæus doctè scribit: *Iis qui in Ecclesiâ sunt Presbyteris obedire oportet: his qui successionem habent ab Apostolis; qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundùm placitum Patris, acceperunt.* Vide an. 146. num. 6.

Idem Irenæus hæreticos convincens, ad Romanam Ecclesiam provocavit: inde errorum omnium confusionem certò peti posse affirmans illâ sententiâ: *Maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis, Petro & Paulo, Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiantem hominibus Fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes eos qui quoquomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, vel malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Vide annum 146. num. 4.

Romana Ecclesia, ita super Petram fundata est, ut sine errandi periculo dare possit, *spiritum bonum petentibus se.* Vide an. 167. num. 3.

Lucius Britannorum Rex, in Oceano navigaturus, scopulis, brevibus, syrtibusque plenissimo, non nisi in tutissimâ statione, anchoram fixit, cum ad Petram accessit, ubi Christus fundavit Ecclesiam suam. Vide an. 200. n. 2.

Non oportet ab aliis quærere veritatem, sed ab Ecclesiâ, cui Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissimè contulerunt, quæ sunt veritatis. Vide an. 200. n. 2.

PORTÆ INFERI.

Valentinus hæreticus cum Episcopatus beneficio quod spe devoravit, excidisset, *de Ecclesiâ authenticæ regulæ abrupit,* inquit Tertullianus, hoc est nec Ecclesiam audire, nec authoritati ejus parere voluit. Vide annum 145. n. 2.

Hæretici omnes, *cum ad Traditionem quæ est ab Apostolis*, loquitur S. Irenæus, *quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur provocantur.* Traditioni adversantur. Vide an. 146. n. 4.

Perfidi omnes magnis conatibus ambiverunt Rom. Ecclesiæ consortium, ut eo pallio tegerent turpitudinem suam, sed nunquam obtinere potuerunt. Vide annum 167. n. 3.

Qui Ecclesiæ Traditionem respuunt, *Fures sunt & latrones propter quod oportet devitare eos,* inquit Irenæus. Vide annum 200. num. 2.

Ecclesiæ authoritas: Traditionum firmamẽta.

SÆCULO TERTIO.

PETRA ECCLESIÆ.

Zephirinus Papa Cataphrygum hæresim Traditionum authoritate confutat & damnat. Vide annum 215. num. 1.

Clemens Alexandrinus expresse dicit, non esse hominem Dei, nec Domino fidelem, qui in Ecclesiasticam recalcitrat Traditionem. Vide an. 215. n. 1.

Antiocheni Concilii Patres, Pauli Samosateni hæresim, acceptâ ab Ecclesiis Traditione, damnarunt. Vide an. 266. num. 1. 2.

Cum multi sunt, inquit Origenes, *qui se putent sentire quæ Christi sunt: & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant: servetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis traditâ, & usque in præsens in Ecclesiis permanens. Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiasticâ discordet Traditione.* Vide annum 266. n. 2.

Cypriani notanda sententia, quæ errorum omnium fontem aperit, aitque esse Ecclesiasticæ potestatis contemptum. *Unde enim*, inquit, *schismata & errores oborta sunt, & oriuntur: nisi dum Episcopus, qui unus est, in Ecclesiâ præest, superbâ quorundam præsumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur. Quis enim est superbiæ tumor, quæ animi arrogantia, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam Præpositos & Sacerdotes vocare.* Vide annum 300. n. 7.

PORTÆ INFERI.

Proclus Cataphrygarum Dux, & alii Traditioni Ecclesiasticæ repugnantes excommunicantur à Rom. Pontifice. Vide annum 215. n. 1.

Paulus Samosatenus hæreticus, judicatus est, quia Traditioni noluit consentire. Vide an. 266. n. 1.

Hæresum monstra, non solis Scripturis, sed Traditione & Ecclesiarum consensu deteguntur. Vide an. 266. n. 2.

Schismata & hæreses, inde oriuntur, & orta sunt, quia Ecclesiæ authoritas contemnitur. Vide an. 300. n. 7.

Est superbiæ tumor, est arrogantia animi, est mentis inflatio, Ecclesiæ authoritatem controvertere. Vide annum 300. num. 7.

Ecclesiæ authoritas: Traditionum firmamēta.

SÆCULO QUARTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Nicæni Patres è Traditione Apostolicâ Christi divinitatem asserentes *ὁμοούσιον* à fidelibus credi Dei Filium mandaverunt: & vocem illam orthodoxi omnes venerati sunt, licet in Scripturis non posset inveniri. Vide annum 325. num. 15. 16.

Constantinus Magnus ita censuit: *Quod trecentis Episcopis visum est, non est aliud putandum, quam Dei sententiam: præsertim cum in talium, & tam præclarorum virorum mentibus, sacer insideat Spiritus, qui illis divinam voluntatem aperit.* Vide annum 325. n. 20.

Christi promissio, de Spiritu veritatis dando Ecclesiæ, non unis Nicænis Patribus facta, sed extendi debet ad omnia sæcula, quamdiu homines insanire possunt, & cum Scripturæ sensu ludere. Vide an. 325. n. 21.

Ariminense Concilium, in quo plures Britanniarum Episcopi; decernit nihil addendum, nihil minuendum præter *Traditionem Patrum secundum successionem Apostolorum, usque ad tractatum apud Nicæam habitum contra hæresim quæ surrexerat.* Vide annum 359. n. 5. 6.

Orthodoxi censent, ut solem sine radiis, ita Scripturæ sensum sine Traditione, ad nos descendere non posse. Vide an. 359. num. 6.

Constantinus decretum Nicænæ Synodi vocat donum Dei & mandatum revera cælitus demissum, & causam addit: quia quicquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur; id universum divinæ voluntati debet attribui. Vide an. 325. n. 33.

S. Hieronymus: *Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis, in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret. Nam & multa alia quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ Legis usurpaverunt.* Vide an. 359. num. 5.

PORTÆ INFERI.

Ariani pro hæreticis habiti, ab orthodoxis omnibus, quia Apostolicæ Traditioni, & Nicænorum Patrum decreto, obedire noluerunt. Vide annum 325. num. 20. 22. & 23.

Nudæ Scripturæ acceptio tam patenter genuit Arianam hæresim: & Nicænæ Fidei professio tam clarè.

Hæretici in Synodo Ariminensi, vocabulum substantiæ respuerunt: *Eo quod in Scripturis non contineatur*; & iterum: *Eo quod Scripturæ nunquam meminerunt substantiæ Patris & Filii.* vide an. 359. num. 7.

Ursacius, Valens, Germinius, Auxentius, Caius, & Demophilus ob hæresim condemnantur, quia Ecclesiæ definitioni noluerunt acquiescere. vide annum 359. num. 9. &c.

Ecclesiæ authoritas: Traditionum firmamēta

SÆCULO QUINTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Accedit Apostolicæ Sedis authoritas, cui in honorem beatissimi Petri, Patrum decreta, peculiarem quandam sanxerunt reverentiam, inquir Zosimus Papa. vide an. 417. n. 3.

Vincentius Lirinensis ita loquitur: *Si vis exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueósque vitare: & in Fide sanâ, sanus & integer permanere, duplici modo munire Fidem tuam debes, primò scilicet divinæ legis authoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ Traditione.* vide an. 418. n. 1.

Multum necesse est, propter varios varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur. In ipsâ item Catholicâ Ecclesiâ magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc enim verè propriéque Catholicum. vide annum 418. num. 1.

Augustinus etiam Doctor, Majorum Traditionibus standum esse pronuntiat, illis verbis: *In his rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura divina: mos populi Dei, vel instituta maiorum, pro lege tenenda sunt.* vide an. 418. n. 1.

Clariùs pro Ecclesiæ authoritate loquitur idem Augustinus, cum dixit: *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ moveret authoritas.* vide annum 426.

PORTÆ INFERI.

Pelagius & Cæleſtius hæretici condem nantur: quòd spretâ Ecclesiæ authoritate & Majorum Traditione dogmata cude rint. Vide an. 416. per totum. 417. pe totum. & 418. num. 1. 2. &c.

Cassianus & Semipelagiani condemnan tur, quia Ecclesiæ authoritati refraga sunt. vide annum 428.

Dioscorus Alexandrinæ Ecclesiæ Epi scopus, à M. Leone arguitur, quòd Rom Ecclesiæ Traditiones transgressus, institu ta majorum non servaverit. vide an. 45 num. 4.

Eutyches, Nestorius, & eorum sequace pro hæreticis condemnantur, quia Prin cipatum Catholicæ Ecclesiæ, & authorita tem ejus contempserint. vide an. 46 num. 1.

Ecclesiæ authoritas: Traditionum firmamēta.

SÆCULO SEXTO.

PETRA ECCLESIÆ.

Britannorum Ecclesiæ, expulsâ hæresi, modum & regulam Romanâ authoritate exceperunt. Vide an. 419. n. 8. & an. 429. num. 2.

Romana Ecclesia Prototypon est, ad quod cæteræ Ecclesiæ componi regique debent. vide an. 419. n. 10.

Bonifacius II. Papa, Ecclesiæ suæ authoritatem ita explicat: *Olim & ab initio, tantam percepimus à B. Petro Apostolorum Principe fiduciam, ut habeamus authoritatem universali Ecclesiæ, auxiliante Domino, subvenire: & quicquid nocivum est, authoritate Apostolicâ corrigere, & emendare.* vide annum 530. n. 1.

In Aurelianensi Synodo, primo Canone statuitur: *Ut de solennitate Paschali, quoties aliquid dubitatur, inquisitâ vel agnitâ per Metropolitanos, à Sede Apostolicâ sacra Constitutio teneatur.* vide an. 531. n. 9.

. Africani Episcopi è Concilio Carthaginensi, ita scribunt ad Rom. Pontificem, & agnoscunt imperium ejus. Potest à Sede Apostolica, quantum speramus, tale nobis interrogantibus dare responsum, quale nos approbare concorditer, explorata veritas faciat. vide an. 531. n. 13.

Justiniani Imperatoris sanctio, ita loquitur: Ut legum originem anterior Roma sortita est, ita & summi Pontificatus apicem apud eum esse, nemo est qui dubitet. vide an. 531. n. 14.

Ita Ecclesiæ authoritas, & Traditionum Firmamenta, per sex prima sæcula, rata, & Doctorum sensu provinciarumq; consensu, sancta fuerunt.

PORTÆ INFERI.

Clausæ sunt hoc sæculo inferorum portæ, nec Ecclesiæ authoritatem impugnare potuerunt. Quod vel inde patet quia Justinianus Imperator disertè dixit: Summi Pontificatus apicem apud Romam esse, nemo est qui dubitet. vide annum 531. num. 14.

Ita Ecclesiæ authoritatem & Traditionum sanctitatem primorum sæculorum maculæ improbarunt.

INDEX ALPHABETICUS
SANCTORUM ANGLIÆ.
Quorum mentio, & acta illustriora, in his Annalium Tomis referuntur: nimirum à Christo passo ad ejus annum 1066.

A

legitur ad 20. Martii. Nos etiam translationem corporis ejus in Dunelmensem urbem celebramus 4. Septemb.

CUTHBURGA Abbatissa, fuit soror Inæ Regis. 696. n. 27. Osredo Northumbrorum Regi nupsisse putatur 713. nu. 1. 3. Ab eo divertens, Winburniæ monasterium fundat, & ingreditur. 703, n. 18 713 n 1. 3. & 696. n. 2. Ejus pia vita in monasterio: 713. n 2. Inter sanctos legitur in nostro Martyrologio ad 31. Augusti.

CYBTACUS, ex Hyensi Cœnobio monachus, cum S. Columba venit in Britanniam. 665, n. 8. Pictis Septentrionalibus prædicat. n. 9. Inter Sanctos nominatur 30. Jun.

CYMBERTUS Abbas Redfordiæ. 686, n 17. Servat à morte duos Arwaldos regiam prolem, donec baptizentur: ibidem. An fuerit Episcopus? 730. n. 2. Moritur sanctus: ibidem. Colitur 21. Februarii.

D

DAIUS ex Hiberniâ profectus, in Cornubiensi agro piè vixisse, ibique mortuus creditur. Unde oppidum ab eo dictum S. Dye. vide an. 460. n. 6.

DARIA fuit Mater S. Ursulæ. 453, n. 21. In Scotiam vel Hiberniam fugisse creditur, cum juniores Virgines aliò migrarunt. ibid. Moritur sancta. ibid. In Gallicani Martyrologii supplemento, ejus transitus ad meliorem vitam consignatur 21 Octobris.

DAMIANUS Nuntius Apostolicus: Ab Eleutherio Papâ ad Lucium Britannorum Regem mittitur. 183. num 3. Quisnam fuerit? n 15. Faustum precatur Lucio Regi. n 16. Romam redit, & denuo revertitur in Britanniam. 186. n. 1. Glastoniam divertit. 191. n 1 Christianam Fidem promovet. 184 n. 1 &c. Num Cantabrigiæ disputaverit? n 4. Episcoporum Sedes distinguit. 185, n. 1 &c. Ubinam illas posuerit? n. 4. &c. Ecclesias consecrat: n 8. Sanctis dedicat n. 10 Omnia Romæ probantur. 186. n 3. Damianus moritur sanctus 191, n. 3 Ubinam sepultus? 191 n 3 Colitur 24 Maii.

DANIEL, Bangorensis primus Episcopus. Monasterium fundat in Arvoniâ: 516 n 8. Dicitur Apostolici ordinis collegium. ibid. Fit Episcopi Sedes, & illi Daniel præficitur. n. 8 9. Adest Breviensi Synodo: 519 n. 1. Laborat, disputat scribit contra Pelagianos: n. 4. Moritur sanctus, & sepelitur in Bardiesiâ: 544 n. 6. In nostro Martyrologio locum habet inter Sanctos, ad 10. Decembris.

DANIEL, Wintoniensis Episcopus, consecratur. 705. n. 16 Vir doctus, & ejus opera ibid. Literas scribit pro Bonifacio Romam eunte. 719 n 3 Romam ivit ad Gregorium II 721. n. 9. Videtur interfuisse Romano Concilio ibid. Ejus Epistola ad S Bonifacium 724. n 6. Subscribit magno privilegio Inæ Regis. 725 n. 6 Respondet Bonifacii literis & dubiis. 726. n. 50. Deposito Episcopatu monasterium ingreditur 744. n. 1. Sequenti anno moritur. ibidem. Cum ingenti laude Episcopatum administravit, annos XL. 744. n 1 Merito igitur Sanctis componendus, omissus tamen in fastis nostris.

DARERCA Soror S. Patricii: 518. n. 4. Aliquando Monenna dicitur, & abusive Moduenna. ibid Fuit sanctitate insignis ibid. Multâ, sanctâque prole, felix. ibid Idemque à Moduennâ Virgine distinguitur: ibid Fuit & alia Darerca Virgo quæ etiam Moninna dicebatur, quæ potuit facilius cum Moduennâ confundi. ibid Mors ejus ad an. Christi 518. consignatur in Hibernicis Annalibus, & inter Sanctos numeratur. 518 n. 4.

DAVID Menevensis Episcopus: Ejus sanctitas elegans argumentum orthodoxæ Fidei. 519. n. 13. Quando consecratus Episcopus? 516. n. 4. Ubinam consecratus? num. 5. David ad Breviensem Synodum invitatur. 519 n. 2. Diu renitens tandem accessit. n. 6 Eligitur totius Cambriæ Metropolita. n 7. Ex Urbe Legionum Sedem Episcopalem transfert Meneviam: ibidem.

Cogit Victoriensem Synodum. 519 n. 1. Eo sedente floret Britannorum Ecclesia: n 2. Ejus Sanctitas & exemplum. n. 3. Romanâ authoritate Ecclesias componit. 519. n. 2. In monachorum & monasteriorum formatione Ægyptios Monachos imitatur, & quomodo? num 3. Glastoniensem Ecclesiam consecraturus, prodigio terretur n. 4. Davidem Hiberni Romam euntes invisunt. 540 n. 6.

David moritur Sanctus, & quando? 544. n 1. Ejus mors S. Kentigerno revelatur. 544. n. 3. Sepelitur Meneviæ. n 4. Colitur à Britannis, & Menevia in S. Davidis nomen transit. n. 5. Peregrinatio ad ejus sepulchrum frequens. 160. n. 9. In omnibus Martyrologiis Sanctus appellatur primo Martii.

DAVID Abbas in Angliâ natus, in Sueciam profectus, ibi Christi Fidem prædicat. 1002 n. 19. Multa animarum messe collectâ, moritur sanctus. ibid A Suecis colitur, & in eorum breviario nomen ejus exprimitur. ibid In nostro Martyrologio Sanctis componitur 15 Julii.

DECUMANUS Martyr. ex illustri familiâ inter Silures nascitur. 706. n. 8. Relictâ paternâ domo, solitudinem petit. ibidem. In Somersetano agro Sedem elegit. 706 n. 9. Ibi Deum colens, à sicario transfossus, moritur. ibidem. Caput proprium truncus ad fontem portat. ibid Ejus sanctitatis argumentum est oppidum ab eo S Decombes appellatum in Somersetanâ provinciâ. ibid. In fastis nostris cum Sanctis legitur ad 27. Augusti.

DEIFER Eremita, fuit vir magnus coram Domino: an. 660. n. 30. S. Winefredam docuit: ibidem. Ubinam locorum vixerit? n 32. Clarus miraculis moritur. n. 32. Sanctorum Catalogo adscribitur 7 Martii.

DEODATA Virgo & Martyr è collegio Ursulanarum Virginum, in Belgio colitur apud Viconienses Norbertinos, ubi corpus ejus asservari dicitur. vide an. 453 n. 35.

DEUSDEDIT Dorovernensis Episcopus fuit de gente Occidentalium Saxonum. 653 n 1. Consecratur Episcopus: ibidem. Quamdiu rexit Dorobernensem Ecclesiam. ibid. Moritur sanctus. 664. n 33. Vitæ ejus compendium è Capgravio & ejusdem elogium ibid. Sanctis annumeratur in Martyrologio ad 30, Junii.

DOCUS Abbas fuit Magister S. Canici qui ad eum audiendum venit ex Hiberniâ. 540. n 5. Dicitur in Hibernorum Annalibus vir religiosus, & sciens: ibidem Habetur Doci Abbatis sancti mentio in Ecclesiastico officio S. Canici, impresso sub annum Domini 1620 Parisiis ibidem.

DOCCUS Episcopus: fuit primo Abbas in Britanniâ: deinde in Hiberniam profectus, consecratur Episcopus. Unde Ultonienses Annales eum vocant *Doccum Episcopum sanctum Britonum Abbatem*. vide an. 540 n 5.

DOGMAEL Eremita: A Britannis dicitur S. Tegwell. 500. n. 5. Sanctitate & miraculis claret. ibidem Sanctus moritur ibid. In Dimetarum regione, nobilis Abbatia à S. Dogmaele nuncupata visitur ibid. In nostro Martyrologio cum Sanctis colitur, 14 Junii.

DOMITIUS fuit natione Hibernus. an. 565. n 8 Cum S. Columba in Britanniam venit. ibidem. Pictos Septentrionales docuit. num. 9. Cum Sanctis nostris scribitur & colitur 3 Augusti.

DOMNENA. Vide Ermenburga.

DUBRICIUS Landavensis Episcopus: A S Germano consecratur. 436. n. 2 Quis fuerit, & unde domo? n. 3. Ejus vitæ genus, & incerta periodus. num 4. Docet plures ad Vagam fluvium 438 n 3. Fuit Apostolicæ Sedis Legatus. 438. n. 4

An adfuerit Dubricius Agathensi Concilio? 506 n 2. A Landavensi Sede transit ad Legionensem. 512. n. 8. Aetheriorum Regem coronat. 516 n 1. Episcopatum senex deponit. n 2 Sententiam dicit in Synodo Breviensi. 519 n. 1. Compendium vitæ ejus. 522. n. 2 Moritur sanctus n 1. Miraculis claret. n. 2. In Bardeseia Insula sepelitur num 1. Transfertur inde Landaviam. n. 1 2. Dies obitus in nostro Martyrologio scribitur ad 4. Novemb. Translationis autem ad 29 Maii.

DUNSTANUS Cantuariensis Archiepiscopus, nascitur 925. n. 1. Ejus vitæ exordia recensentur. n 2, &c. Restituit in Angliâ monachismum lapsum. n. 8. Ejus adolescentia ab Elphego Wintoniensi formatur 935. n. 1. 2. Morbo correptus, & monachum induit. nu. 2. An iverit Floriacum? n. 3. & an 944. n 2.

Dunstanus ab Edmundo Rege in Curiam invitatur 940. n 7. Inde aulicorum invidiâ pellitur. num. 8, Ejus ætas & Sacerdotium. n. 9 11. Ab Edmundo ad Curiam revocatur. num 10. Fuit Sacerdos, priusquam Glastoniensis Abbas 943. n. 5. Quando factus Abbas? 944. n. 2. Nasuto dæmoni nares emungit, ignito forcipe. 935. n. 4. 5

Glastoniense monasterium reparat 944. n. 8. Videt ridentem dæmonem in morte Edmundi Regis n. 6 Ab Elphego Wintoniensi consecratur Sacerdos 948 num. 11. Cridiensem & Wintoniensem Infulam non acceperat: 953. n. 2. & 6 Increpatur propterea à tribus Apostolis. n 3.

Fuit Edredi Regis Confessarius. 955 n. 8 E cœlo discit Edredum mortuum. n 8 Edwinum Regem ob libidinem corripit. n 10. Mittitur propterea in exilium. n 11. 12. Ab Arnulfo Flandriæ Comite, cum honore excipitur. 956. n 4. Absentiam Dunstani boni omnes lugent, soli dæmones exultant. n. 3. Cur Gandavum elegerit exilii sedem. n. 2. & 5. Dunstanus ab exilio revocatur, jussu Edgari Regis. 957. n. 5.

Dunstanus fit Wigorniensis Episcopus, sed consecratur ad titulum Archiepiscopi, & quare? 957. n. 10. 11 Eligitur etiam Londinensis Episcopus. 958. n. 2. Videt dæmonem tripudiantem in morte Edwii Regis. 959 n 8. Orat pro Edwio defuncto, & liberat ejus animam à potestate dæmonis. n. 9.

Virgo Deipara illi apparet n. 10. Egvvini scriptum de sun datione monasterii: n. 11. Moritur Sanctus: 716 num. 28. Colitur ad 30. Decembris.

ELERIUS Abbas. Docuit S. Virginem Winefredam 660. n. 21. Fuit Sanctitate illustris: n. 30. Winefridam ad pietatem acuit. n. 31. Monasterium construit ad vallem Clusinam. n. 33. Ivisse ad Monnos & inde rediisse putatur ibid. Scripsit vitam S. Winefridæ. ibid. Moritur sanctus. ibid. In Martyrologio inter alios Sanctos legitur, ad 13. Junii.

ELEUTHERIA Virgo & Martyr, è sodalitio S. Ursulæ: Fuit cæteris omnibus sub S. Ursulâ præfecta. an. 453. n. 25. Ejus nomen expressit Usuardus, ubi de Ursulanarum Virginum exercitu agit. ibid.

ELEUTHERIUS Papa creatur 179 n. 4. Audit Lucii Regis oratores. 183. n. 2. Mittit Fugatium & Damianum in Britanniam. n. 3. Ejus literæ ad Lucium Regem exscriptæ. n. 5 &c. Confirmat Britannorum sacra, quæ Fugatius & Damianus instituerant. 186. n. 3. An miserit Lucio coronam, & regni terminos præscripserit? num. 6. 7. 8. An Cantabrigiensem scholam confirmarit? n. 5. & an 183. n. 14. Jubet Pascha Dominico die celebrari. 187. num. 6. Moritur sanctus 194 n. 1. In Rom. Mart. notatur ad 26 Maii.

ELFLEDA Abbatissa: Oswio Regi filia nascitur. 655. n. 5. A parente Deo per votum recens nata dedicatur ibid. Monasterium ingreditur Heorthu dictum, nunc Hartlepoole. n. 7. In Hildæ Abbatissæ disciplinam traditur. ibid. Inde transit in Monasterium Streneshalch ibid. Monasterio illi præficitur post mortem Hildæ. 680. n. 32. S. Cuthbertum consulit de vitâ Egfridi fratris, ad ejus pedes provoluta. 684. n. 3. Eanfleda mater monasterium ingressa, ab Elfledâ filia religiosam vitam didicit. 690. n. 5. Elfledæ Epistola, qua peregrè pergentem religiosam fœminam commendat. 714. n. 7. Moritur sancta. n. 6. In Pharensi monasterio ubi diu religiosè vixit, sepelitur. ibid. In Sanctorum numero recensetur ad 8 Februarii.

ELFLEDA Vidua Ethelstani Regis neptis, Glastoniæ includitur. 9·9. n. 2. Ethelstanum Regem excipit, & pascit mirabiliter. ibid. Sanctissimè vixit in eo secessu. 936. n. 5. Dunstani consilio integrè paruit. 947. n. 17. Plures religiosos viros in unum collegit, illisque ministravit. ibidem. Ab Osberno aliisque interdum Alfgiva vocatur. ibidem. Dunstanus illam ad mortem animat. n. 18. Ab Angelo ad meliorem vitam invitata pientissimè moritur. ibid. De anno mortis ejus, 936 n. 5 & 947. n. 17 18. In nostro Martyrologio legitur ad 13 Aprilis.

ELFLEDA Edoardi senioris filia, 913. n. 3. Christus illam ab infantiâ sibi famulam elegit. 992. n. 8. Rumseiense monasterium ingreditur, sub disciplina S. Merwennæ 913. n. 3. & 992. n. 8. Fit monasterii Abbatissa. n. 8. De Elfledæ hujus parentibus variant authores. n. 7. Variant etiam de tempore mortis. 960. n. 5. & 992. num. 9. Martyrologio, Sanctorumque numero ascribitur 29. Octobris.

ELFREDA Virgo. Offæ Regis filia. Vocatur etiam Etheldrita in Regio diplomate 833 n. 5. Ethelbertus Orientalium Anglorum Rex illam petit in uxorem. 793. num. 3. Ejus luctus ob mortem sponsi, cui necdum conjuncta fuerat. n. 8. Croylandiam proficiscitur & ibi reclusa, sanctissimè vivit. n. 9. & an 796 n. 2. Witlafium Merciorum Regem profugum excipit, & abscondit 826. num. 2. Moritur sancta, 834. n. 4. Ubinam sepulta? ibid. Sanctis adscribitur ad 2. Decembris. n. 5. Corpus ejus à Danis effoditur & comburitur. 870. n. 7.

ELFGETUS, Croylandensis Monachus, & Martyr: In Danorum persecutione martyrio coronatur. 870. n. 6. 25.

ELFGIVA, sive Elswitha Edmundi Regis Uxor 962 num. 8. Transfert reliquias S. Davidis Menevensis Episcopi Glastoniam ibidem. Subscribit Regio diplomati pro Glastoniensi monasterio. 971 num. 10. Ab authoribus passim Sancta appellatur. num. 14. 15. Ejus Varia nomina n. 14. Monasterium Septoniense exstruit? n. 15. Dat prædia monasterio Glastoniensi. num. 24. Moritur, & quando? n. 15. Corpus ejus effertur, & fiunt miracula 974. n. 24. Honorem meruit Sanctis condignum ad 5. Maii.

ELPHEGUS Cantuariensis Archiepiscopus & Martyr: Fuit Abbas Bathoniensis, inde consecratus Wintoniensis Episcopus. 984 n. 5. Ejus exordia recensentur, num. 8. Subscribit chartæ Ethelredi Regis, pro Athelwoldo ministro Regio. 987. n. 7. Alteri etiam pro Ecclesiâ Cantuariensi 1003. num. 10. Transfertur Elphegus Cantuariam. 1006. n. 26. Romam pro Pallio profectus, à prædonibus vexatur. ibid. Subscribit Chartæ Regiæ pro Abbaensi monasterio. n. 31. Indici postulat Synodum Einhamensem. 1008. n. 2. Ejus industria pleraque in obsidione Cantuariensis urbis. 1011. n. 3. 4. A Danis capitur. n. 4. Sanat ægros plures. n. 5. Dæmon suadet egressum è carcere. 1012. n. 2. Impiè à Danis occiditur 1012 n. 2. & 5. Sanctus Dunstanus ei apparens, animat eum ad coronam Martyrii. num. 4. Corpus Londinum defertur in loco Martyrii n. 6. Num Martyr dicendus colendusque, aliquando dubitatum. ibid. & 1023. n. 4. Martyrii ejus causa latius expenditur 1012. num. 7. 8. Elphegi corpus Londino Cantuariam defertur. 1023. n. 1. &c. Incorruptum invenitur post annos centū. n. 3. Martyrii dies 19. Aprilis. Translationis festū 1023 Decemb.

ELPHEGUS Wintoniensis Episcopus, cognomento Calvus, consecratur. 935. n. 1. Dunstanum nepotem ad virtutemque animat. ibi &c. n. 2. Dunstanum & Ethelwoldum Sacerdotes consecrat. 948. n. 21. Ejus vaticinium de tribus à se consecratis Episcopis n. 22. Subscribit chartæ Regiæ, pro Elfetho ministro Edredi Regis. 951. n. 3. Moritur sanctus n. 1. Ejus testamentum n. 4. Ejus sanctitas. n. 5. De anno mortis. n. 6. Sanctorū syllabo inscribitur ad 1. Septem.

ELSTANUS Wilmonensis Episcopus. vide Alstanus.

ELVANUS Britannorum Episcopus: Eligitur à Lucio Rege Legatus ad Eleutherium Papam. 182: n. 8. Quis fuerit: n. 14. Romam vadit orator Regius. 183. &c. Consecratur Episcopus, n. 3. Dat Lucio Regi Confirmationis sacramentum n. 21. Jubet Pascha celebrari die Dominica. 187 n. 6. Aliquando nomen in Fastis positum ad 1. Januarii.

EMERITA Virgo Lucii Regis soror. an. 190 n. 6. &c. In Gallias cum fratre trajicit. n. 16. Ad Helvetios profecta, & ibi cum Lucio persecutionem passa, ad Virginitatis lauream Martyrii coronam accepit. 193 n. 2. Nomen ejus in Martyrologio legitur, ad 4. Decembris.

ENGELMUNDUS Willibrordi socius in Germanorum conversione, & Martyr: Apud Frisios prædicat, mandato Sergii Papæ. 787, n. 13. Fit Abbas multorum monachorum. ibid. Post multos labores Apostolicum officium Martyrio coronavit. ibid. Batavos & Kenemarios convertit. ibid. Veltæ, diœcesis Harlemicensis sepelitur ibid. Corpus postea per Baldricum Ultrajectensem Episcopū elevatur. ibid. In Gallicano Belgico, & nostro Martyr. colitur ad 21 Junii.

ENEDORUS ex Hiberniâ in Cornubiam profectus creditur. 460. n. 6. Ibi sanctè vivens moritur, & oppidum ab eo dictum, sanctitatis ejus monumentum est. ibidem.

EOBANUS Episcopus: In Urbem à Bonifacio mittitur. 744. n. 4. Fuit Bonifacii socius in ultima prædicatione apud Frisios. 755. n. 15. A Bonifacio ordinatur Episcopus Ultrajectensis. ibid. Martyrio coronatur, unà cum S. Bonifacio. n. 18. & 22. Nomen ejus in Belgicis, & Gallicanis, & aliquando in nostris fastis positum ad 5. Junii.

EORPENWALDUS Rex Orientalium Anglorum & Martyr: Ad Christianam Fidem convertitur. 632. num. 3. Fuit Redwaldi Regis filius. ibid. Ad quam Fidem conversus? 633. n. 4. Infidelium operâ occiditur. ibid. Meritò Martyribus annumerandus. 633. n. 4.

ERCONWALDUS, Londinensis Episcopus: Fuit Annæ Regis Orientalium Anglorū filius. 642. n. 9. & 664. n. 39. Duo cōstruxit monasteria. 664. n. 39. Unum ipse ingressus in Surriâ ad Thamesim fluvium. Certesiense dictum: aliud sorori Edilburgæ apud Berkingum. ibid.

Erconwaldus monasterio suo præest Abbatis titulo. 666. n. 6. Natales ejus excutiuntur. n. 7. Fuit sanctæ indolis puer. ab Augustino & Mellito doctus Fidem n. 8. Consecratur Londinensis Episcopus. 675 n. 17. Cum viginti annos, sedisset moritur Sanctus. 693. num. 2. Dies obitus consignatur in Martyrologus ad 30. Aprilis. Nos Translationis colimus 14. Novembris.

ERMENBURGA alio nomine Domnena, Ermenredi filia. 649. n. 2. Ercomberti Cantii Regis ex fratre neptis. ibid. Vocatur etiam Domnena ibid. Merwaldo Merciorum Principi nupsit. 668 n. 8. Habuit prolem sanctam Milburgam, Mildridam, Milgoham, filias: & filium Merefinum. 616. n. 4 & 675. n. 16. Fuit Menstreiensis monasterii, in Tanato insulâ prima fundatrix. 668 n. 8. Mildretham sive Mildredā filiam in Gallias misit ad Calense monasterii ibid. Menstreiense monasterium ingreditur, & cum 70 Virginibus Christo ibi servit. 668 n. 7 & 680. n. 33. Mildredam filiam è Gallia vocatam eidem loco præficit 668 n. 7. Moritur sancta 680. n. 33. Sanctorum Catalogo ejus nomen inscribitur ad 19 Novembris.

ERMENILDA, Merciorum Regina: Fuit Wolferi Regis uxor. 657. n. 1. Ercumberti Cantii Regis filia. n. 1. Fidē Christianam in Merciorum regno promovet. ibid. Maritum ad sua vota & pietatem inclinat. 659. n. 1. Eliense monasterium ingreditur. 673. n. 13. Eidem monasterio præficitur, 699. n. 25. Moritur sancta. ibid. Inter sanctos scribitur in nostro Martyrologio, 13 Februarii.

ERNUS Sanctus, nomen dedit oppido in Danmoniis & Cornubiæ provinciâ, non procul à mari Vergivio. Unde ex Hiberniâ profectus creditur. Vide an. 460. num. 6.

 oum 16.

Ecclesiæ statuta servari. 601. n. 47. Nomen ejus Fastis inscribitur 11 Februarii.

KEYNA Virgo: Ejus parentes. vide an. 490. n. 1 2. 3. Vovet Deo virginitatem. num 2. Solitudinem petit. ibid. Serpentes in lapides transformat. n. 3. Eam in solitudine visitant S. Cadocus & Angeli duo n. 4. Moritur sancta. ibid. A S. Cadoco sepelitur. ibid. Sanctorum collegio inscribitur ad 8. Octobris

KENULPHUS Merciorum Rex: S Kenelmi martyris filius, regnū auspicatur. 797. n 1. Ejus elogium. n 2 Scribit ad Leonem Papam pro Dorovernensi Ecclesiâ n. 4. Rescribit ad eum Leo Papa. num. 12. Ethelbertum Pren Cantii Regem captivum ducit. 798. 1. Num Ethelbertum excæcaverit? num 2 Libertate donat captivum Regem. ibid.

Ecclesiam in Winchelcombâ fundat & solenni apparatu consecrari facit. 798. n. 2. Ab Eardulfo Northumbriæ Rege, ad pacem cogitur 801 n 1. Kenulphus ad Croylandense monasterium profectus, invisit corpus S Guthlaci, unà cum Dorovernensi Episcopo. 806 num 1. Dat eidem cœnobio chartam Regiam. num. 2. &c.

Moritur Rex, & Sanctus appellatur. 819 n. 1 Ejus Fides, Romana & Orthodoxa. num. 2. Kenulphi laus. num. 4. Ejus proles. 819. n. 6. Conqueritur Wulfredus de ejus injustitiâ, sed ea crimina ficta probantur. 823. n. 4. 6.

KILIANUS Martyr, & Episcopus Herbipolensis, ex Hiberniâ profectus, evangelizandi gentibus facultatem petit à Conone Rom. Pontifice. vide an. 686 n. 1. Ab eodem Romæ consecratur Episcopus. ibid. Martyrio coronatur anno 689. vide an 754 n. 8. Martyrem colunt S Bonifacius, & corpus ejus elatum ad cultum exposuit. ibid. In Martyrum numerum legitur in Rom. Martyrologio aliisque ad 8. Julii.

KINEDUS Eremita, tempore S Davidis, sanctitatis opinione florebat. 516 n 10. Eum S David ad Synodum invitat. 529 n 3. Corpore curvus, à S Davidis precibus curatur; sed orante ipso Kinedo iterum incurvatur ibidem. Migrat in cœlum Kalendis Augusti, & eodem die in Martyrologio legitur. ibidem.

KINEBURGA, sive Kymburga Northumbriæ Regina: Fuit Pendæ Regis Merciorum filia, & uxor Alfridi Regis. vide an. 656. num 7. Northumbrios in Rom. Fide optimè sevit ibid. Monasterium ingreditur. 696. n. 23 Alfredi consensu arctiorem viam ingressa. num. 24. Quo in loco Christo serviens. num 25. Confluunt ad eam Ducum & Principum natæ. num 26. Ejus elogium & sanctitas. ibid. Fratres suos Ethelredum & Wolferum Merciorum Reges ad pietatem accendit 696. n. 26. Malè à Biographis Virgo dicitur; cum unum saltem si non duos filios legatur genuisse. num 27 Incertum quo anno mortua. num. 28. In cœlum ab Angelis invitata creditur. ibidem. In Dormuncastrensi cœnobio cui præerat sepelitur. ibid. Inde ab Ethelwoldo Wintoniensi Episcopo, PetroBurgum transfertur. 696 n. 28 & 970 n. 9. Danis in Insulâ sævientibus Kineburgæ corpus pedibus conculcatum. 870. n 9. Inde Thorneiam defertur 696. n. 28 1010. n 5. Celebratur in Martyrologio ad 6 Martii.

KINESWITHA Virgo Kineburgæ Reginæ soror. 696. num 26. Ab Offa Orientalium Saxonum Rege in uxorem petitur. 701 n. 5. Sedulia reluctatur. ibidem. In discrimine posita orat B. Virginem, & exorat. 701 n. 6, Kineburgam sororem in religiosâ vitâ sequitur 696. n. 26. Ejus exemplo Offa sponsus mundo renuntiat 701. n. 7 Moritur sancta, & in Dormuncaster cum honore sepelitur. ibid. Inde corpus ejus in alia loca transfertur; ut suprà de sorore dictum. ibidem.

L

LÆTA Virgo & Martyr, è Sodalibus S. Ursulæ: Nominatur ab Usuardo & dicitur mille Virginibus præfecta. an 453 n. 25.

LANFRANCUS Cantuariensis Archiepiscopus: Cadomensis Abbas in Berengarium pugnat. vide an. 1050. n. 6. Fit postea ob doctrinæ meritum Cantuariensis Episcopus. ibid. Falluntur egregiè qui putant, imò audacter pronunciant, ante Lanfranci Sedem Insulam hanc, in venerabili Sacramento, & reali Christi corporis præsentiâ claudicasse. vide an 1066 n 3.

LANGUIDA Virgo & Martyr, Ursolanarum Virginum una: Apud Crucigeros Tornacenses colitur. vide an 453. n 35.

LAURENTIUS Archiepiscopus Cantuariensis: Monachus in Britanniam venit cum S Augustino, 596. n. 24. Ab Augustino in Urbem remittitur. 599 n 6 Redit in Britanniam 601. n. 1. Consecratur ab Augustino Episcopus: & quando? 608. n. 3. Piè laborat pro Fide seminandâ 609 n 1. Scribit ad Scotos pro pace Ecclesiarum. num. 3 Item ad Britannos. n. 5. & habuit operæ pretium n. 6

Romam mittit Mellitum Londinensem Episcopum, ob Ecclesiæ negotia 610. n 5 Edbaldo Cantii Rege, ad idola deficiente, cogitat Insulâ excedere. 617 n. 3. 4. A S Petro propterea flagellatur n. 5. Edbaldum Regem baptizat. 618 n 2. Quantum Laurentius in causâ Fidei laborarit? num. 6. Adivent in Scotiam. num. 5. In Monâ Insulâ Episcoporum Synodum vocat. ibidem Moritur sanctus. 619 n. 1 Arguitur Parkerus qui negat Laurentium monachum fuisse. num 2. Quamdiu sederit? num 3. Martyrologiis inscribitur ad 2. Februarii.

LEOFRUNA Abbatissa; Præfuit monasterio S. Mildredæ in Thanato Insulâ 1011. n. 6. A Danis capitur ibid. Ab iisdem occiditur. num. 7. Fuit ultima Abbatissa illius monasterii. ibidem. In Martyrologio Sancta & Martyr nominatur ad 23. Septembris

LEBUINUS Daventriensium Apostolus: A S. Egberto in Germaniam mittitur, ad Fidem prædicandam. vide an 609 n 7. Daventriæ prædicat, & audit Daventricensium Apostolus. 760. 6 Alio nomine Liafwinus interdum appellatur ibidem. Mirabiliter ad gentium conversionem vocatur. ibidem. Daventriæ Ecclesiam construit. ibidem. Moritur sanctus. ibid. Colitur 12. Novembris.

LEVINUS Episcopus & Martyr. E Scotiâ sive Hiberniâ oriundus, ab Augustino nostro doctus creditur. 633 n. 18. Sacerdos inde factus & Episcopus in Belgium navigat ibid. Ob Fidem Christi Martyrio coronatur. ibid. De tempore passionis ejus. num. 19. Differt hic Levinus à Lebwino Willibrordi, sive Suiberti discipulo: qui etiam Martyr occubuit, propè Gandavum. 697. n. 12. In Martyrologio scribitur ad 12. Novembris

LEWINA Virgo & Martyr. Fuit genere Britanna 687. n. 21. Ob odium Fidei Martyrium passus apud Australes Saxones. vide an 687. n. 71. Sepelitur apud Seafordum in agro Sussexiensi. ibid. Cum Dani Calvinistarum more sævirent in sepulchra Sanctorum corpus ejus in Belgium transfertur. 687. n. 21. Ibi circumferuntur, miraculis illustrantur, 1058 n 8. In nostro Belgico & Gallicano Martyrologio translatæ Virginis festum colitur 22. Julii.

LETHARDUS Episcopus: Aldibergam in Britanniam comitatus. 570. num. 8. Qualis fuerit, & cujus Sedis Episcopus? n. 9. Fuit Augustini dignus præcursor. ibidem Aldibergam Reginam ad pietatem accendit, & vitæ innocentiâ pugnat in idola. ibidem. Eam Fidem docuit Aldibergam, quam postea docuit Augustinus. 670 num 9. 10 Ecclesiam S. Martini, apud Dorovernam, à Britannis olim structam, expiat & restituit. 570 n 9. Cum magnâ sanctitatis opinione mortuus, miraculis claret, & in eodem cum Ethelberto Rege sepulchro tumulatur. 616 num 3.

LIEPHARDUS (dictus Cantuariensis Episcopus) an Cedwallam Regem in Urbem comitatus sit? 688. n. 5 Quo tempore vixerit? n. 6 In Belgicis Fastis Archiepiscopus, in Gallicanis Cantuariensis scribitur ibidem Romam proficiscitur ad Leonem III. Romanum Pontificem. ibid. Ex Urbe rediens, in agro Atrebatensi, ab impiis occiditur ibidem. Num idem Liephardus, & Ethelardus? num 7 804 n. 1. In nostro Martyrologio Episcopus & Martyr scribitur tempore Britannorum ad diem 4. Februarii.

LIOBA Virgo & Abbatissa. E Britanniâ in Germaniam vocatur à S. Bonifacio 725. n. 9. Virginibus sacris apud Bischofemium præficitur ibidem. Eam Bonifacius moriturus adhortatur, ne deserat terram peregrinationis suæ 755 n. 14 Liobæ Bonifacius dat cucullam suam. ibidem & mortuus vult cum Liobâ sepeliri. ibidem.

Vocatur alio nomine Leobgitha & ad eam scribit Bonifacius. 757 n. 15. Lioba ad S. Bonifacium scribit. n. 17. Fuit sacræ Scripturæ studiosa, num. 12 13. moritur Sancta num. 10 Ejus vitæ compendium. n 11. Sepelitur Fuldæ n. 14. In Ro. Martyrologio scribitur Sancta ad 28 Septemb

LUCIA Virgo & Martyr è sodalibus S Ursulæ; mille Virginibus in illo Virginum exercitu præfecta scribitur. 453 num. 25. Ejus nomen in nostro Martyrologio exprimitur 23 Novembris. Canisius etiam in suo ad eundem diem.

LUCIUS Britannorum Rex. E Coello Rege nascitur cognomento Pius vide an 115. Regnum in Britannos auspicatur. 129. Ejus conversionis præambula. 170. num 1 Variæ authorum sententiæ de exordio regni & conversionis ejus. 180 num. 2. Lucius de Fide capessendâ deliberat an 182 n 8.

Ad Eleutherium Rom. Pontificem mittit Oratores 183 n. 1 &c. Lucius Rex baptizatur num. 16. Ab Episcopo accipit Confirmationis sacramentum. num. 21. Fit perfectè Christianus. num. 24. Quo ritu, & quibus ceremoniis

Martyrologiis

Martyrologus nominatur. Num distinguatur à Marcello Willibrordi discipulo 762 num 9

MARGARETA Regina Scotorum: Fuit Edoardi Exlegis filia vide an 1016 num. 16. Nubit Malcolmo Scotorum Regi. 1067 n 3. In Pannonia nata patre ibi exulante. ibid. E Malcolmo Rege genuit Mathildem; quæ Henrico primo nupta, Coronam regni ad exteros translatam Saxonibus restituit ibidem. In Martyrologio Romano, cæterisque omnibus Sancta prædicatur ad decimum Junii.

MARGARITA Virgo & Martyr, è Sodalibus S. Ursulæ: Plures videntur è sacro Virginum sodalitio, ita appellatæ. Nam Viconienses Norbertini duarum corpora eo nomine dictarum habere dicuntur: ut refert Arnoldus de Raisse in Auctario vide an 453 n. 35. Præmonstratenses etiam præter Margaritam infra nominandam, Margaritæ etiam corpus habere putantur. ibidem. Denique caput S. Margaritæ Virginis & Martyris, è collegio Virginum Ursulanarum, Lutetiæ Parisiorum asservari in monasterio Clarissarum de Ave Maria, affirmatur in Appendice Gallicani Martyrologii vide an 453 n 34.

MARGARIA Virgo & Martyr è Sodalibus etiam S. Ursulæ: Ejus corpus colitur apud Præmonstratenses Belgas in monasterio Bonæ-Spei. vide an 453 num. 35. Eò translatum est cum aliarum Virginum & Martyrum corporibus, sed. ute Rainaldo Archiepiscopo. ibidem.

MATHILDES Regina. Filia fuit S Margaritæ Scotorum Reginæ. vide an 1067 num. 3. Nupsit Henrico I Angliæ Regi, restituitque avitam Saxonum pietatem. ibid. Duo Xenodochia Londini extruxit, & Sancta prædicatur in nostro Martyrologio ad 3. Aprilis. ibidem.

MEDUINUS à Lucio Britannorum Rege Legatus eligitur ad Eleutherium Papam. vide an 182 num 8. Dictus cognomento Belga. num. 10. De tempore profectionis ejus in Urbem 183 num. 1 &c. Orat coram Eleutherio Papa num. 2. Eleutherius cum Doctorem Britanniæ nuncupat num 3. Glastoniam secedit. & ibi moritur Sanctus. 198. num 12. In nostro Martyrologio celebratur ad primum Januarii

MELANIUS Rhotomagensis Episcopus Romam proficiscitur, infidelis adhuc ut Britanniæ nomine Imperatori tributum solveret vide an. 257 num 3. Romæ Stephanum Papam audit de Fide disserentem, & ab eo baptizatur ibidem. Ad Sacerdotium à Stephano promovetur 258. num 2. Consecratur Episcopus, & ad Rhotomagum urbem mittitur. ibidem

Altissiodori vulneratum sanavit. 258 n. 2. Fuit Rhotomagensis Ecclesiæ secundus Episcopus. 280. num 1. Moritur sanctus, & Mello etiam appellatur. ibidem. In Gallicano Martyrologio ad 22. Octobris, Britannus homo cum Sanctis legitur, ubi habes ejus vitæ compendium. num. 1 2. Habes etiam Fidei ejus elegans argumentum. num 3. Cum Sanctis nostris nomina tur 22. Octobris ut etiam Rom Martyrologium.

MELIORUS Martyr. Ejus pater Melianus Cornubiæ Dux. vide an. 411. num 4. In piorum concilio mutilatur. num. 4. Patrui sui consensu occiditur num. 5. Miraculis coruscat. num. 5. Corpus terræ mandatum sepeliri non potest num 6. Cum Sanctis recensetur in nostro Martyrologio 1. Octobris

MELLITUS Dorovernensis Archiepiscopus: Quando in Britanniam missus est a M Gregorio. vide an 596. n. 24. 601 n. 1 & 34. Ad eum scribit M Gregorius. 601. n 44. Interfuit Synodo Britannorum cum S Augustino. 604. n 4. Consecratur Londinensis Episcopus. num. 55. Monachos colligit. 607 num 2. Romam proficiscitur pro negotiis Ecclesiæ 610 n 10. Romæ ad Synodum vocatus. n. 11. Quid in Synodo dixerit? num. 12 13

Redit in Britanniam & consulit quieti monachorum 612. num. 1 &c. E Sede Londinensi pellitur, & quare? 617. num. 2, &c. Redit in Cantium, inde in Gallias, num. 3. Redit in Britanniam, & constituitur Dorovernensis Archiepiscopus 619 num 4. Ejus sanctitas miraculo sopiti incendii probatur 623. n. 1. Moritur sanctus. 624 num. 1. In omnibus Martyrologiis nominatur ad 24 Aprilis.

MENIGOLDUS Martyr: Ejus parentes satis inconstanter ab auctoribus recensentur. vide an 900 num. 8. Sub Arnulfo Imperatore militavit ibidem. Posito militiæ cingulo, solitudinem petit ad Molani fluvium ibidem. Ibi dum Ecclesiam frequentat, occiditur. ibid. Apud Hoium oppidum sepelitur ibidem. In nostro, Belgico & Gallicano Sanctorum Catalogo memoratur ad 9 Februarii.

MEREWENA Abbatissa de Rumsey; Monasterio præficitur ab Edgaro Rege. vide an 966. n. 10. Subscribit Regio diplomati pro Croylandensi cœnobio. num 8. Iterum alteri privilegio eidem loco ab Episcopis concesso.

n 13. Cum piè monasterium rexisset, Moritur sancta. n 10. In tabulis nostris Ecclesiasticis locum cum Sanctis habet 13. Maii.

MEROLITANUS Scotus, cum Anglia Romam peregrino more profectus, in itinere occiditur. vide an. 921. n 2. Rhemis in Gallia à sociis sepelitur. ibidem. Incorrupti corporis miraculo Fides ejus & sanctitas asseritur. num. 2. 3. Nomen etiam mirabiliter innotescit. ibidem, & n. 4. In Gallicano Martyrologio nominatur 18. Maii.

MERVE Sancta: creditur ex Hibernia profecta, Cornubiæ agrum insedisse. Nam ibi oppidum ab eâ dictum vide an 460 n. 6.

MILBURGA, Virgo & Abbatissa: Filia fuit Merualdi Merciorum Principis. vide an. 675. num. 16. Ejus elogium ex Harpesfeldo. 676. num. 6. Monasterium construit apud Wenlocum; & ibi Virginibus præficitur. ibidem. A Theodoro Dorovernensi Archiepiscopo Abbatissa consecratur. ibidem. Moritur sancta. num. 8. Inventum est corpus ejus, Normannorum tempore incorruptum. n 8 9. Miraculis claret, num. 9. In Rom Martyrologio ad 23 Februarii. sancta scribitur: diciturque ibi, *Regis Merciorum filia*; nimirum Merualdi, cum Ethelredo fratre in Merciorum provincia regnantis ibidem. Nos præter diem obitus qui fuit 23. Februarii inventionem, & translationem corporis colimus ad 26 Maii.

MILDREDA Virgo & Abbatissa Milburgæ soror & Mervaldi Principis filia 566 num 4. 675. num 16. Ejus mater Domneva, sive Ermenburga. 656. n. 4. 668 n. 7. Mildreda in Gallias mittitur ad Calense monasterium. n 8. Inde in Cantium revocatur, & præficitur Menstreiensi cœnobio. ibidem. 676. n. 10. 11. Sancta moritur. n. 1. 12. Ejus corpus post annos ferè 400. incorruptum, Cantuariam transfertur. 1030. num 1. Cur & quomodo translatum num. 2. &c. Reliquiæ S Mildredæ Daventriam translatæ in Cathedrali Ecclesiâ asservantur 676 n. 12. In Gallico Belgicoque fastis Sanctorum cultu honoratur ad 13. Julii, nimirum eo die quo moritur. Nos etiam translationem ejus in urbem Dorovernensem colimus 20 Februarii. ibidem.

MILGITHA sive Milwida Virgo, prædictarum Sanctarum soror, & Merualdi filia. vide an. 675. n. 16. Estreiense monasterium ingreditur. ibid. Atque ibi sancta moritur ibidem. Nostro ejus Martyrologio inscribitur ad vigesimam sextam Februarii.

MODUENNA Abbatissa: Fuit miraculorum famâ illustris. vide an 871. num. 35. Ejus patria quænam fuerit num. 36. Distinguitur à Monenna Patricii sorore. n 36. an. 518. n. 4. & 653 n 8. An Alfredus Rex in Hiberniam iverit ad Moduennam Virginem. 871, num. 35 & 37. Moduenna ex Hiberniâ in Britanniam venit, & multa ibi reliquit sanctitatis argumenta. num. 36. 37. Ethelwolfus Rex sororem suam Editham Moduennæ consecrandam tradit num. 37. Moduenna duo construit monasteria: unum apud Polesworth in Ardenna: aliud apud Streneshalck. n. 37 38. Solitudinem elegit in Staffordiensi agro. num. 38.

Septennio vixit in structo oratorio juxta Trentam fluvium, 871 num 39. Ter Romam profecta est, devotionis causâ ibidem. In Hiberniam rediens, moritur Sancta num. 40. Moriens petit in Angliâ sepeliri. ibid. Corpus ejus in monasterio Burtonensi deponitur. 1004. num 6. Depositionis hujusce dies, in Martyrologio nostro notatur ad 5 Junii

MOTIFER socius S. Columbæ: cum eo in Britanniam venit. vide an. 565 n. 8. Septentrionalium Pictorum conversionem promovit. num 9. Moritur sanctus, an 580. In Martyrologio locum inter Sanctos habet 23. Novembris.

MOYSES Episcopus, Saracenorum Doctor: Ægypti solitudinem petit. 327 num. 1. In Episcopum petitur, à Saracenorum Reginâ. num 2. Consecrari renuit à Lucio in Alexandrinam Sedem intruso Episcopo, consecrari. n 3. Tandem ab Orthodoxo Episcopo consecratur. ibidem. Ubinam mortuus? num. 5. In Bedæ Martyrologio ad 7. Februarii Sanctus scribitur, & inde deducitur in Britanniâ natus, & denatus. ibid. In Cornubiensi provincia, oppidum S. Moze ab hoc sancto dictum videtur. an. 372. n. 5.

N

NECTANUS: Cujas fuerit, incertum: reliquiæ ejus jacent in oppido Neitland, ad Herculis promontorium in agro Devoniensi. vide an 1042. n. 5. Godwinus Comes, ejus meritis manu periculo defungitur. ibidem. Gnha Godwini uxor Ecclesiam & monasterium in honorem S Nectani, eodem in loco extruit. num 5. Ejusdem Sancti memoria in tabulis nostris Ecclesiasticis servatur ad 14. Februarii.

NEOTUS

O

Ejus

Q

R

S

SCANDALAUS Monachus Hyensis. Cum S. Columba venit in Britanniam 565. n. 8. Septentrionalium Pictorum conversionem promovit. n. 9. Moritur Sanctus 580. In Martyrologio legitur 5. Maii.

SEBBUS Orientalium Saxonum Rex. Cum Sighero fratre regnat. 664. n. 34. Fratre ad idola deficiente, ipse in Fide integer perseverat. ibid. Provinciam suam ab idolorum cultu liberam servat. n. 35. Ejus sanctitas in regendo populo n. 36. Conatur fratrem & regni socium ad Christianam fidem reducere. num 37.

Laborat Sebbus ut Londini ordinetur Episcopus. 664. n. 38. Winam accipit, sed virum sedem illam occupantem. ibid. Winâ mortuo, rursum Erconwaldum petit Londini Episcopum esse & impetrat. 675. num. 17.

Sebbus monasticæ vitæ quàm Coronæ appetentior. 675. num. 18. Sed Regina uxor obstat proposito. ibid. Vincit tandem & monachus efficitur. 693. n. 9. Sebbo animam agenti Angeli apparent. num. 10. & Angelorum Princeps Michael. num. 12. Moritur Sanctus. num. 10. Sepelitur Londini ad S. Pauli. num. 12. De anno mortis ejus. n 13. Cum Sanctis omni merito scribitur in Rom. Martyrologio ad 29. Augusti.

SENANUS Eremita, Sanctam Winefridam Virginem juvit in vitâ monasticâ. 660. n. 32. Moritur Sanctus, & juxta eum Winefrida sepelitur. n. 34. Mortuum Danmonii sive Cornubienses coluerunt. ubi portus & oppidum a S. Senano nuncupatum. n. 32. In Martyrologio nostro Sanctus audit 29 Aprilis

SECUNDA Virgo & Martyr, ex Ursulanis. Ejus corpus in sacrario S. Dionysii prope Parisios requiescit. 453. n. 5 4. memoratur in Gallicano Martyrol. ad 22. Octobris.

SEDRIDO Abbatissa. Fuit filia uxoris Annæ Orientalium Anglorum Regis. 660. num. 8. Vadit in Galliam & ingreditur monasterium S. Pharæ. ibid. Fit ibi Abbatissa. n. 9. Post Angelicæ vitæ cursum migrat in cœlum. n. 13. In nostro Martyrologio, & Gallicano supplemento Sedrido legitur inter Sanctos ad 10. Januarii.

SEXBURGA Regina Cantii. Fuit soror Sanctæ Ediltrudis, uxor Ercomberti Cantii Regis. 673. n. 13. Christo servit in Eliensi monasterio. ibid. Fit ejus loci Abbatissa. 679 n. 14. 699. n 22. Ejus vitæ compendium. 699. n. 19. 12. Fundat monasterium Shepeiæ num. 20. Sexburgæ lana num 21. Quando ingressa Eliense monasterium? num. 22. Moritur Sancta. n. 19. Colitur 6. Julii.

SEMIBARIA Virgo & Martyr ex Ursulanis. Requiescit & memoratur cum secundâ supra.

SEXWULPHUS Merciorum Episcopus. Fuit primus Petro-Burgensis Abbas. 669. n. 8. A Theodoro constituitur Merciorum Episcopus. 9c4. n. 3. Quando consecratus? & Ubinam sederit? ibid. & 678. n. 2. Interfuit & subscripsit Synodo Hedfeldensi. 680 n 16. Moritur Sanctus 692 n. 1. Locum habet in Martyrologio nostro ad 28 Janu.

SIDWELLA Virgo: Fuit soror S. Juthwaræ 740. num. 6. Habet sanctitatis suæ monumentum, ædem sacram in Devoniensi agro. n. 8 & nomen locumque in nostro Martyrologio ad 23 Decembris.

SIGEBERTUS Rex Orientalium Anglorum, & Martyr: Fuit Erpenwaldi Regis frater. 636. n 1. in Galliis exulat. ibidem. Ubi ibi, & cum quibus vixerit? num 2. 8. baptizatur in Gallia n. 3. Regressus in Britanniam regnat. num. 4. Evocat è Galliis Felicem Burgundum. ibid. Dat ei Sedem Dumvici, num. 8.

Scholam extruit, & ubi illa? 636. n. 10, 11. Meditatur vitam monasticam. 637. num. 3. Ingreditur monasterium Cnobberburgense, quod fundaverat 638. n 4. Trinâ votorum Sanctitate tres hostes superat. n. 5. 6. Educitur è monasterio ut pugnet in Pendam. 642 n. 1 Ejus ad oratores ad se missos oratio. num 2. Sigebertus in hostem procedit inermis. num. 3. Postrema ejus ad militum oratio. n. 4. A Pendâ Merciorum Rege occiditur. ibid. Colitur Martyr n. 6. Ejus elogium è Gallicano Martyrologio ad 7. August. ibidem. In nostro legitur ad 27. Decembris.

SIGEBERTUS cognomento Bonus, Orientalium Saxonum Rex. 653 n. 5. Christi Fidem in Oriente illo reducit. ibid. & an. 655. n. 11. Baptizatus à Finano Lindisfarnensi Episcopo. ibid. Communicat cum excommunicato, & à Ceddo Londinensi Episcopo reprehenditur 661. n. 5. Procidit ad Ceddi pedes, & erratu veniâ precatur. ibidem. Occiditur à propinquis, & quare? n 6 A Bedâ & Malmesburiensi gloriosâ morte occubuisse dicitur. Merito igitur inter Sanctos commendus. ibidem

SIGFRIDUS Episcopus Vexoviensis in Norwegiâ: Fuit Eboracensis Præsbyter, non Episcopus ibi, ut multi putaverunt. 1004. n. 8. In Norwegiam profectus, ibi Christi fidem seminat. n. 8. Ibidem constituitur Episcopus & plures ad Christum convertit. ibid. Ab Olao Rege in Suediam, & Gothiam, Fidei propagandæ causâ, mittitur. 1000. n 3. 1027. n 15. Quando mortuus? 1004. n. 8. Legitur cum Sanctis ad 15. Februarii.

SOLA Abbas: Fuit discipulus S. Bonifacii, & socius peregrinationis Sanctorum Willibaldi, & Winibaldi fratrū. 760 n 9. Ejus patria. ibidem. Constituitur primus Abbas monasterii à se dicti Solen-hoffen. ibid. Miraculis clarus moritur. ibidem. à Gregorio Papâ IV. Sanctorum numero adscribitur. ibidem. Colitur ad 2. Decembris: & ad eum diem inscribi debet nostro Martyrologio. ibidem. Ejus meminit Aubertus Miræus in Fastis ad 1. Maii Ubi de Bonifacii discipulis, & adjutoribus mentio.

SOPHIAS Episcopus. vide Cadocus.

STEPHANUS, Londinensis Archiepiscopus. Sanctitate claruisse dicitur, & mortuus circa an 300. vide an. illum. n. 1. Octavus creditur Londinensis Sedis Archiepiscopus. ibidem. Nomen ejus in Martyrologio legitur ad 12. Augusti.

STEPHANUS Martyr. Nobilis Britannus dicitur, & Sancti Amphibali discipulus 287. n. 30. Unâ cum Socrate Martyrio coronatur sub Diocletiano ibid. In Romano, Bedæ, aliisque Martyrologiis, Socrates & Stephanus leguntur ad 17. Septembris. ibidem. Templa in eorum honore posita apud Silures. ibidem

SOCRATES Martyr. vide Stephanus Martyr.

SUNAMANUS Martyr. Fuit nepos S. Sigfridi Vexoviensis Episcopi: & cum eo in Norwegiam profectus 1004 n. 8. In Gothiâ prædicans, occiditur. 1000. n 3. de ejus martyrio, & causâ mortis quid scripserint auctores. n 4. Cum Martyribus colitur in nostro Martyrologio ad 25 Jul.

SWIBERTUS Episcopus Werdensis: Westphaliæ Apostolus nascitur. 647. n. 1. Bardneium monasterium ingreditur, & fit Præsbyter. ibidem. Prodigium de Apostolatu ejus. n. 2. Ab Egberto mittitur in Germaniam. 690. num. 7. Inclusus carcere, ab Angelo liberatur. 695 n. 5. 6. Convertit plurimos infideles. 690 n. 7. A S. Wilfrido consecratur Episcopus. 695. n. 8. Ecclesias in Germaniâ construit. 696. n. 4. mortuum suscitat num 9.

Hollandiam & Frisiam, cum S. Willibrordo ad Fidem convertit. 697. n. 6. Boructuarios etiam. 705 num. 28. migrat Coloniam Agrippinam. 708 n. 15. Werdæ fundat Ecclesiam. num 16. Fit illius Ecclesiæ primus Episcopus. num. 17. Gerardum nobilem Palatinum sanat ab Anginæ peste. num. 16. Convertit Saxones. 711 n. 2. Mortuum resuscitat. num 3. Ejus vitæ compendium. 717 n. 2 & an. 804. n. 3. Agit cum Pipino de bærede instituendo 714 n. 3.

Suibertus moritur Sanctus. 717. n. 1. In suo Werdensi monasterio sepelitus. n. 2. Pipinus voto illi facto, Westphalos vincit. 749. n. 11. 12. De eo canonizando Pipinus agit cum Stephano Papâ 754. n. 4. Ejus Ecclesia ab impiis destruitur. 778. n. 6. Sacrilegi qui Ecclesiam destruxerant, puniuntur. n. 7. 8. 9. 10. S. Suibertus militi saucio apparens, eundem sanat. 783. n. 8. Carolus Magnus S. Suibertum impensè colit, Ecclesiamque ejus ornat. n. 5. Idem Carolus cum Leone III. Papâ, petit Suibertum Canonizari. 804. n. 3. Leo tertius cum solenni cæremoniâ in Sanctorum numerum refert. n. 4 Ingens miraculum Gozelini pueri submersi, & precibus S. Suiberti ad vitam revocati. n 8. 9. 10. 11. Præcipitur servari festum S. Suiberti. n 6. Donis à Leone Papâ & Carolo Magno S. Suibertus honoratur. n. 6. 7. Colitur 1 Martii,

SWITHUNUS Episcopus Wintoniensis. Ejus exordia. 833. n. 18. Ab Helmstano Wintoniensi Episcopo ordinatus Præsbyter. ibid. Subscribit Withlafii Regis Merciorum diplomati. n. 14. Ethelwolfum Principem docet. n 18. Consecratur Wintoniensis Episcopus 838. n. 1. Ejus Elogium. ibid. Juvit Ethelwolfum Regem in Rep. gubernandâ n. 2 Subscribit privilegio Croylandensis monasterii. 851. n. 18.

Moritur Sanctus. 862 n. 2. Ejus laus & miracula. ibid. Commendatur a clementiâ, humilitate, & eruditione. n 3. 4. Reliquiæ ejus mirabiliter inventæ, ab Ethelwolfo Episcopo efferuntur. 970. n. 11. 12. Swithuno Sancto supplex Emma Regina, an ignitos vomeres innoxiè calcaverit? 1052 num. 6. Mortis dies in nostro, & Romano Martyrologio consignatur ad 2. Julii. Translationis festum solennius ad 15 ejusdem mensis.

STURMIUS Abbas Fuldensis: Fuit Anglo-Saxo, & S. Bonifacii discipulus 780 n. 3. Mittitur a Bonifacio ad montem Cassinum, ut monasticam disciplinam ibi discat. 725. n. 10. Constituitur primus Abbas Fuldensis. 746 n 5. Præest quadringentis monachis. 780. n. 3. In Thuringiâ & Hassiâ cum S. Bonifacio Fidem prædicavit. ibid. Moritur Sanctus. ibidem. Martyrologio nostro inserendum ad 27. Augusti, censuit Henricus Fitzsimon. ibidem.

Index Sanctorum Angliæ

colitur.

colitur, num. 31. Britanni illam sociasque colunt. num. 23. Ursulæ corpus Coloniæ in honore, & alibi etiam ejus reliquiæ coluntur. n. 34. Ejus caput Parisios transfertur. ibid. Nomina Virginum Ursulanarum, quæ in Galliâ, Hispaniâ & utrâque Germaniâ coluntur. n. 34. 35. Ursula sociæque in Italia honorantur. n. 36. In omnibus Martyrologiis Ursulæ nomen consignatur ad 21. Octobris.

VULGANIUS nunc Episcopus, nunc Confessor: hic Hibernus, illic Anglus: ubique Sanctus dicitur. 704. n. 18. In Gallicano Martyrologio ad 2. Novemb. patriâ Anglus, illustri & piorissimâ stirpe genitus, dicitur: & mundi fucos aspernatus, in Gallias transmeasse, Atrebatum pervenisse, à Vedastino Abbate Cellulam impetrasse, ubi mundo Crucifixus, imò mortuus, seipsum gratum Deo holocaustum, per continuæ abstinentiæ, pietatis & sanctitatis officia immolavit. vide an. 704. num. 18. Colitur Leosii, estque ejus oppidi patronus. ibidem.

W

WACCARUS Monachus & Martyr: Bonifacium in ultimâ expeditione secutus, cum eodem Martyrio coronatur. Vide an. 755. n. 22. Nomen ejus in primâ Martyrologii editione, legitur ad 5. Junii.

WALBURGA Virgo & Abbatissa: Fuit S. Richardi Principis filia. Vide an. 750. n. 4. Soror sanctorum Willibaldi, & Winibaldi. 697. n. 12. E Britanniâ vocatur in Germaniam à S. Bonifacio. 725. n. 9. Per Belgium transiens, Antverpiæ cum honore excipitur. 776. n. 1. Heydenhaemensi cœnobio præficitur. ibidem. Moritur sancta, & habes ejus vitæ compendium. 776. num. 1. &c. Ejus vitam scripsit Wolfhardus Monachus. 725. num. 10. In Martyrologiis canitur ad 1 Maii. Reliquiæ S. Walburgæ è Germaniâ in Belgium translatæ, per Baldwinum ferreum Comitem Furnis deponuntur. 776. n. 2. 3. Sanctis adscribitur sub annum Domini 770. per Ludgerum Episcopum Eystetensem consensu Hadriani II. num. 2. Antverpiensis Ecclesia quater in anno festum celebrat, ut patronæ domesticæ. num. 3.

WALTERUS Presbyter, socius fuit & collega Martyrii S. Bonifacio, cum eo occisus an. 755. n. 22. Nomen ejus in Martyrologio nostro celebratur ad 5. Junii.

WERBURGA Virgo & Abbatissa Ermenildæ Reginæ filia. 673. n. 13. Eliense monasterium ingreditur. ibid. & 675. n. 7. Ejus sanctitas exponitur. num. 8. Virginibus præficitur in cœnobio Eliensi. num. 9. Tribus monasteriis præfuisse dicitur. num. 10. Miraculum de aucis Silvestribus, variè narratur. num. 11. 12. Moritur sancta. num. 13. Contenditur pro ejus corpore. ibidem. Corpus ejus post annos 9. incorruptum, Cestriam transfertur: ubi templum illi ponitur. 675. n. 14. Colitur ad 3. Februarii.

WERBURGA Vidua, Merciorum Regina: Fuit Ceolredi Regis conjux. vide an. 716. num. 1. Vidua monasterium ingreditur. 782. num. 2. Moritur Abbatissa, *cum Christo semper victura*, inquit Hovedenus. ibidem. Vidua facta, instar Annæ prophetissæ non discedebat à templo, jejuniis & obsecrationibus vacans, per annos plures. ibidem.

WERENFRIDUS Presbyter: In Germaniæ messem mittitur ab Egberto Monacho. an. 690. num. 7. Cum S. Swiberto venit in Duerstat. 695. num. 5. Medemblicæ, Durostadii, Elstæ, & alibi apud Batavos Fidem Christi prædicavit. 705 num. 27. Miraculis coruscat. 697. num. 22. Moritur sanctus, & ejus Elogium. 705. n. 2. In nostro, Gallico & Belgico Hagiologio cũ Sanctis ponitur, 14. Aug.

WIAMANNUS Martyr: Nepos S. Sigfridi, cum eo in Norwegiam Evangelii prædicandi causa profectus. vide an. 1000. num. 8. In Gothiâ Christi Fidem prædicans, cum Sunamano & Unamano fratribus suis, ab impiis occiditur. n. 3. Colitur ad 25 Julii. Vide alia in Unamano.

WIGBERTUS Martyr. Ab Egberto monacho mittitur cum aliis in Germaniam. 690. n. 7. Prædicat in Frisiâ. 695. n. 3. Jubet Idola destrui in Insulâ Fositlandiâ. ibidem. Radbodi jussu occiditur. ibid. De anno Martyrii ejus. ibid. Martyrologio nostro inscribitur ad 13. Augusti.

WIGBERTUS Abbas Frislariensis. Ab infantiâ pietati, & bonis operibus deditus fuit. 745. n. 46. Ejus secreta conversatio in vigiliis, orationibus, & jejuniis. ibid. E Glastoniensi monasterio à S. Bonifacio in Germaniam vocatur. 732. n. 6 Ecclesiæ præficitur, & rescribit in Britanniam. ibid. Fuit primus Abbas Frislariensis. num. 7.

Interfuit Synodo Moguntinæ. 745. n. 1. Moritur Sanctus num. 46. Ejus reliquias Lullus transtulit ad Hirsfeldense apud Hassos monasterium. 732. n. 7. & an. 745. num. 46. Mathildes Imperatrix Ecclesiam illi exstruxit. 732. num. 7. 745. n. 46. Ejus Elogium ex Homiliâ, quæ inter Bedæ opera legitur, ac inscribitur de S. Wigberto. 745 n. 46. Romano Martyrologio inscribitur 13. Augusti. Vide an. 732. num. 7. 745 num. 46.

WILFRIDUS I. Eboracensis Archiepiscopus: Ejus exordia. 653 n. 16. Monasterium ingreditur Lindisfarnense. num. 17. Inde vadit in Cantium. n. 18. Cum Benedicto Biscopo peregrè proficiscitur, & apud Dolfinum Lugdunensem Episcopum manet. ibidem. Romam ivit, & quando? n. 19. A Dalfino Wilfridus tonsus est, post reditum ea Urbe. 653. n. 19. & 662. n. 3.

Quomodo redit in patriam. 662. n. 1. Ab Agilberto Episcopo in Northumbriâ presbyter ordinatur. n. 3. Datur ei ab Alfrido Rege Ripponense monasterium. ibidem. Orat in Pharensi Synodo pro Romano Paschatis ritu. 664. n. 7 &c. Wilfridi tonsura qualis? num 15.

Consecratur Eboracensis Archiepiscopus in Galliis ab Agilberto Parisiensi. 664. n. 23. & 665. n. 4. E Galliis in Cantium venit. 668. n. 10. Ejus opera pietatis. 669. n. 15. Ripponensem Ecclesiam solenniter consecrat. 671. n. 1. Puerum mortuum ad vitam revocat. 671. n. 2. Sede suâ pellitur. 678. n. 2.

Wilfridus ad Mercios profectus, Fidem prædicat Frisiis. 678. n. 7. 8. Ad mortem quæritur. n. 9. Vadit ad Dagobertum Galliæ Regem. 679 n. 1. Inde Romam. num 2. Causam suam Romæ agit, & vincit. n. 3. &c. Reversus in Britanniam Australes Saxones convertit. an 681. num. 3 & Insulam Vectam. 686. n. 16

Reconciliatur Wilfridus Theodoro Dorovernensi. 687. n. 2. 3. Sedi restituitur. n. 5. Iterum Sede pellitur. 691. n. 1. In Merciorum provinciâ exulat. num. 4. Sedens Legecestriæ Episcopum ordinat. 692. n. 1. Ad Concilium vocatus Alfridum Regem inimicum sensit, & Romam appellat. 702. n. 2 3 4. 5. 6. Primus in Northumbriâ jubet servari Regulam S. Benedicti. num. 6.

Wilfridi ætas excutitur 702. n. 7. Romam profectus porrigit Papæ libellum supplicem. 704. n. 1. 2. Plura monasteria habet in Merciorum provinciâ. num. 3. Wilfridus Romæ absolvitur. num. 5. Rediens per Gallias æger decumbit. num. 8. A sancto Michaële mirabiliter curatur. n. 9. Ethelredo, olim Regi, nunc monacho, literas Romani Pontificis porrigit. 705 n. 2.

In Nidensi Synodo Wilfridus Sedi restituitur. 705. n. 1 Joanni (Beverlacensi) cedit Eboracensem Ecclesiam: ipse Hagustaldensi contentus. ibid. Wilfridus iterum morbo corripitur. 709 n. 19. Pergit ad Regem Merciorum. ibid. Visitat monasteria sua plurima. n. 20. Moritur sanctus. n. 21. Sepelitur in Ripponensi Ecclesiâ, cum Epitaphio. n. 22. 23. Colitur in omnibus Martyrologiis 12. Octobris. Ejus ossa à B. Odone Cantuariensi, Cantuariam transferuntur. vide an. 941. n. 3.

WILFRIDUS II. Eboracensis Archiepiscopus: Joanni Beverlacensi succedit. 721. n. 2. Episcopatu cessisse putatur. 735. n. 17. & 743. n. 12 Moritur sanctus. 743. n. 12. S. Oswaldus Eboracensis Episcopus, ejus ossa levavit. 972. n. 5. Fuit alter Wilfrido consanguineus. ibid. Sanctus scribitur in nostro Martyrologio ad 10 Februarii.

WILGISUS, Willibrordi parens: Fit Monachus inde Eremita. 658. n. 7. Ecclesiam construit. ibidem. Moritur Sanctus. 636. n. 1. Ejus vitam Elegiaco versu descripsit Alcuinus. num. 8. Solebat ejus festum solenniter celebrari quotannis, in monasterio S. Willibrordi. ibidem. Nomen ejus in Sanctorum numero legitur ad 31. Januarii.

WILGITHA Sancta: Fuit soror S. Juthvvaræ, eâdem cum ipsâ mentis probitate devota, & operibus pietatis dedita. 740. n 6. Britanna fuisse videtur. n 8. In Martyrologio aliquãdo nomen ejus cum duabus sororibus Juthvvarâ & Sidvvellâ legebatur ad 23. Decembris.

WILLEICUS Abbas. Fuit Suiberti discipulus, & in Evangelicâ prædicatione cooperator. 714. n 2. Defuncto Suiberto, Werdensi monasterio laudabiliter præfuit. 727 num. 13. moritur Sanctus. ibid. In Fastis Belgicis legitur ad 2. Martii. & aliquando etiam in nostris eodem die: nunc nescio cur excidit.

WILLEHADUS Bremensis Episcopus primus. In Synodo petit à Bruhrico Rege veniam eundi ad Frisios Evangelii causâ. 788. n. 5. In Frisiâ scholas aperit, & Magnatum Filios docet. ibidem. Cum S. Ludgero Romam proficiscitur. ibid. A Carolo Magno cum consilio Hadriani Pontificis, Bremensis Episcopus instituitur. ibid. Carolus scripto diplomate, Bremensem Ecclesiam ejusque dotem omnem Willehado consignat. n. 7. 8. 9. Moritur Sanctus. 791. n. 11. Quotidie missarum solennia celebravit. ibidem. Piscibus vesci æger jussus est ab Hadriano Pontifice ibidem. In Rom. Martyrologio colitur ad 8. Novembris. vide plura inter viros Apostolicos.

INDEX ALPHABETICUS
VIRORUM APOSTOLICORUM,
qui è Britanniâ egressi alias provincias doctrinâ & Fide orthodoxâ illustrarunt. Cum eorum elogiis.

A

ABEL Rhemeósis Archiepiscopus: Natus & nutritus in gente Anglorum: ut scribit Bonifacius Germanorum Apostolus, qui illi pallium à Zachariâ Papâ impetravit. Vide annum 745. num. 18. & 20 743. n. 5. Unde corrige Fulcuinum & alios, qui eum (ut etiam ipsum Bonifacium) Scotum putaverunt. Cæterùm quàm strenuè in messe animarum Abel laborarit; testatur ejus elogium, quod ita in Gallicano Martyrologio texitur ad quintam Augusti.

Gallic. Mart. 5. Augusti. *Laubiis in Belgio depositio S. Abel Rhemensis Archiepiscopi & Confessoris. Is natione Scotus, studio amplificandæ Fidei, in Galliam Belgicam, Spiritu sancto afflatu transmeavit. Abbasq; Laubiensis factus, irradiante doctrinâ ejus cælesti, & sanctitatis undique patentis gloriâ, suggerente B. Bonifacio Germaniæ Apostolo, Pipinoq; & Carolo-manno, Francorum Principibus, à Zachariâ Papâ, pallium accepit, cum Archiepiscopi titulo: ut ipse Archiepiscopi Rhemensis, in cujus provinciâ, negotium augendæ religionis procurabat majori authoritate partem officii exequeretur. Nec frustra, adeo enim graviter susceptum ministerium implevit, ut Apostolico planè spiritu præstans, innumeros infideles, ad suave Christi jugum perduxerit: præcipuéq; fuerit Leodiensium & Hannoniensium in Evangelio pædagogus. Quamobrem B. Rigoberto Metropolitâ Rhemensi cujus fuerat Corepiscopus, è carnis ergastulo, ad gloriam æternam evocato, non sine omnium applausu, in ejus locum suffectus est: Rhemensemq; Ecclesiam, annis ferme decem, magnâ cum virtutum Episcopalium laude gubernavit. E quâ tamen, in odium, solida pietatis & justitiæ expulsus, Laubiense repetiit, celebre quod prius rexerat cœnobium. Illicq; rursus, ad Belgicæ gentis illuminationem studium intendens: post multa animarum lucra, è studio mortalitatis exivit: proq; meritorum fœnore, æternam ad quam diu anhelaverat, adeptus est Beatitudinem. Mox verò sacros honores consecutus, eâ veneratione, quâ Cælites in Ecclesiâ coluntur cœpit celebrari, duplici festo condecoratus: nempe ordinationis quæ recolitur 9 Kalend. Octobris: & Depositionis, quæ hodie solemnis est, ut Ecclesiastica tabulæ testantur.*

ACCA Episcopus Haugustaldensis, in regno Northumbriæ. Frisones docuit, ad eos profectus cum S. Wilibrodo, sub annum Domini 690. De quo ita Fasti Belgici ad 30. Novembris.

Fasti Belgici 30. Novemb. *Acca nominatur sextus inter Apostolicos presbyteros, qui anno 690. ex Angliâ Ultrajectum appulerunt, ad Frisonum conversionem S. Willibrordo duce. Sed in Angliam reversus, ad Suiberti consecrationem Episcopalem ibidem retentus est, & ad Episcopatum Lindisfarnensem (corrige Hagulstadensem) assumptus. Ejus encomia Beda l. 5 c. 20 & sequentis fusè recitat.* Gallicanum etiam Martyrologium in supplemento, ita de S. Accâ ad eundem diem.

Gal. Mar. Supplem. 30. Novemb. *Ipso die S. Accæ Episcopi Lindisfarnensis* (lege iterum Hagulstadensis) *in Angliâ: Qui Dei spiritu plenus, Frisonibus Christum zelo Apostolico fructuq; copioso prædicavit.* Vide plura in Indice Sanctorum Angliæ.

ADELBERTUS Levita, filius Regis Deirorum, Willibrordum in Germanicâ missione secutus, Batavos & Frisios docuit. Egmondæ conditus, & olim ibi cultus. De eo legitur, in Gallicano Martyrologio, ad 25. Junii in hunc modum.

Gallic. Mart. 25. Junii. *Egmondæ in Hollandiâ S. Adelberti Confessoris & Levitæ: Qui Regia Deirorum genere in majori Britanniâ natus; postmodum Ultrajectinæ Ecclesiæ sub S. Willibrordo, Archidiaconus, in Batavis ac Frisiis, rem Christianam egregiè promovit. Ab ipso autem Beatissimo Præsule, selectus in præstantissimos discipulos, delegatus cum fuisset in terminos diœcesis, ut infideli populo doctrinam æternæ beatitudinis prædicaret; in Knemariâ multam divini seminis messem excitavit, & collegit: roboratúque in Fide novellâ plantatione; ovans, ad superatum muneroosum, laudabili consummatione beandus perrexit. Divinæ autem recepit post mortem, etiam apud homines, suæ beatitudinis testimonia. Nam Egmundæ sepultus suo in Oratorio, ita claruit virtutibus; quæ magnum & incolis præsidium, & frequentem etiam advenarum, excitarunt ad eum honorandum concursum.* Hæc ibi. Addunt Fasti Belgici ad prædictum diem. *In ejus* (S. Adelberti) *honorem, Theodoricus secundus Hollandiæ Comes, illustrem Benedictinorum Abbatiam fundavit, de quâ fusè Ioannes Becanus, Ioannes Leydanus, & alii rerum Britannicarum Scriptores.*

ADELHERUS, sive Adlarus, Episcopus Erphordiensis. Monachus aliquando in Northumbriæ regno, Bonifacii socius in Germanorum conversione, & coronâ Martyrii. De eo mortuo & Erphordiam translato, sic legitur, in Supplemento Gallicani Martyrologii ad 20. Aprilis. *In Frisiâ translatio S. Adelhari, Episcopi Erphordiensis à S. Bonifacio ordinati: quocum coronatus fuit illustri Martyrio.* Diu mansit Adelheri corpus incorruptum. Nam qui hodiéque vivit & scripsit Fastos Belgicos, ita loquitur ad 5. Junii. *Adelhari corpus (& quidem velut integrum) Erdfordiæ hodiéque adservatur, in collegiatâ Canonicorum Beatæ Mariæ Ecclesiâ, & anniversariam ejus memoriam celebrant duodecimo Kalend. Maii.* Ita Aubertus Miræus, qui Adelharium hunc vocat primum, & ultimum Erdfordiensem Episcopum.

ADOLFUS, Monachus, Presbyter, & cum S. Bonifacio, Martyr. Ejus nomen & memoriam recitant quotquot Bonifacii labores & Martyrii triumphum explicant. Unde Molanus ad 5. Junii, & Fasti Belgici eum cum aliis Germaniæ Apostolis succenturiant. Quod Anglo-Saxo fuerit, satis innuit Aubertus Miræus in suis Fastis illâ sententiâ. *Ex Anglo-Saxonibus oriundi fuere SS. Willibrordus Suibertus, Bonifacius, Eobanus, Adelharius, & alii plurimi Germanorum, Frisiorum, ac Batavorum apostoli.*

ADOLFUS Ultrajectensis Episcopus: Frater fuit S. Botulfi Abbatis in Angliâ: Ubi uterque natus, inde in Gallias uterque transivit, studio perfectioris vitæ: quam postea uterque docuit: Botulfus in Angliâ, Adulfus foris. Sic enim in Botulfi vitâ legitur apud Capgravium. *Prædicti Patres* (Botulfus & Adulfus) *mare transfretantes, sanctorum cœnobia requirunt, expetunt colloquia, percipiunt documenta. Ibi ergo monasterialibus imbuti regulis, & arctioris vitæ informati disciplinis, habitum induunt monachalem. Et non solum docere; sed ex gratiâ Dei, inter perfectiores potestatem adepti sunt docendi. Sanctum igitur Adulfum, auditâ ejus famâ ad Trajectensem Ecclesiam* (ita antiquorum dialectâ Ultrajectensis dicebatur) *Rex sublimavit. Vigilavit enim in præceptis Domini, assiduâ solitudine excubias celebrans ovilis sui; ne insidians Lupus, detrimento aliquo, commissi sibi gregi insultaret.* Ita Capgravius. Sed malo è Gallicano Martyrologio, laudis encomium texere: nam ibi inter Sanctos colitur, & nomen ejus ad 17. Junii legitur in hunc modum. *Ipso die S. Adulfi Ultrajectensis Episcopi, qui S. Botulfi Abbatis frater, ex Angliâ in Gallias trajiciens, ob sanctissimæ vitæ conspicuas dotes, in hanc sedem evectus, admirandis vitæ & doctrinæ actibus, gregi suo præluxit. Deinde in magna meritorum affluentia, vitam finivit: imò potiùs morte dissolutus ad vitam æternam profectus est.* Addunt Fasti Belgici, Adulfum hunc floruisse anno 650. Unde putant eum ante

S. Willibrordum, Ultrajectensi Ecclesiæ præfuisse.

ALBERICUS Ultrajectensis Episcopus: Nominatur in Gallicano Martyrologio cum hoc elogio ad 21 Augusti. *Eodem die in Trajecto inferiori depositio S. Alberici ejusdem civitatis Episcopi & Confessoris. Hic de partibus Eboracensis diœcesis in Angliâ ortus, cum ad Gallicas regiones transmeasset: ob claras vitæ* DOCTRINÆ, *& pietatis dotes, Ultrajectina Ecclesia Canonicus creatus. Postea Beato Gregorio sedis hujus præclaro Præsule, senio deficiente, totius Episcopatus dispensator deputatus, eundemque clerum rexit & populum. Hunc & idem Gregorius Spiritu sancto afflatus post se venturum Episcopum fuerat vaticinatus. Absolutis igitur mortis nexibus ipsomet Gregorio factus ex omnium desiderio Antistes Albericus, non solum quæ ad propriæ præsulatus commoda pertinebant, vigilem animum intendit: sed ad salutem vicinorum populorum, sollicitudinem extendens B. Ludgerum, exinde Monasteriensem Episcopum transmisit ad partes Frisiæ, ut abdendo evangelicam veritatem prædicando, idololatriæ vanitatem aboleret. Demum postquam aliquantis annis, magnâ cum virtutum luce, Episcopatum Trajectensem rexisset, vir totus cælestis, à terrâ cui nunquam corde hæserat, in perennem requiem pertransivit. Indeque pace sepultus, propè sanctissimum suum decessorem, quem ordine & merito secutus fuerat, etiam in tumulo & præmio comitatus est.* Hæc ibi.

Gallic. Mart. 21. Augusti.

Cæterum Gregorius, qui Albericum in Ultrajectensi sede præcessisse dicitur, nunquam majori sacerdotio initiatus est (ut dictum anno 784 n. 3.) Coadjutorem ergo habuit, sive Coepiscopum, Alberici avunculum *Alubertum* nomine. Quo fortè mortuo, tunc demum Albericus ad majus sacerdotium assumptus, claruit ut supra. Hoc colligi potest ex eo, quod de utroque, Aluberto inquam, & Alberico, scribunt fasti Belgici ad 14. Novembris. Ita *Porro, quia in Ecclesiâ Ultrajectinâ, tam Eobano Episcopo, quàm Bonifatio Archiepiscopo successerat: ordinatus sive designatus fuit ab ipso Sancto Bonifacio S. Gregorius. Sed quia is Episcopali ordine initiatus nunquam fuit, Chorepiscopum habuit Alubertum natione Anglum. successorem verò S. Albericum nepotem, quem Othelgrimus & Werdenenses monachi in vitâ S. Ludgeri, mirificè laudant. Quiescit autem S. Albricus in monasterio Susterensi, quod hodie est nobilium Virginum Canonicarum collegium in diœcesi Leodiensi, & Ducatu Iuliacensi, à Sancto Willebrordo fundatum.* V. an. 784 num. 3.

ALCUINUS Abbas & Levita. A Carolo Magno in Gallias vocatus, ipsum Carolum, pluresque alios, omnibus disciplinis liberalibus imbuit, (vide an. 778 n. 13.) Atque ibi Felicem Urgelitanum, & Elipandum Toletanum Episcopos in Hispania, nova Fidei dogmata cudentes doctissimis scriptis vel convertit, vel evertit. (vide an. 796. num. 14. 15.) Agnoscunt hæc, & prædicant externi scriptores. Unde Sangaltensis monachus lib. 1. de gestis Caroli Magni, ita olim scripsit. *Albinus de natione Anglorum, consciensâ navi venit ad Carolum. Qui erat in omni latitudine scripturarum supra cæteros modernorum temporum exercitatus. Quem Carolus usque ad finem vitæ, jugiter secum retinuit, nisi quando ad ingruentia bella processit. Adeò ut se discipulum ejus & ipsum magistrum suum appellari voluisset. Cujus in tantum doctrina fructificavit, ut moderni Galli, sive Franci, antiquis Romanis vel Athenienfibus æquarentur.*

Sangalt. Monach. l. 1 de Carol. Mag.

Hinc Galliarum omnes provinciæ, gratam Alcuini memoriam in suo Martyrologio servaverunt. Nam ad 19. Maii hæc ibi leguntur. *Turonis transitus Beati Alcuini Abbatis & Levitæ. Hic à Carolo M. in Galliam è Britanniâ majori evocatus, magna lumina sapientiæ & sanctitatis prodidit: miraculisque etiam & spiritu prophetico divinitùs ditatus, ac meritorum plenus, expiravit ipso die sacratissimo Pentecostes. Cujus anima carne soluta, ministerio Levitarum cælestium quorum duces erant Beatissimi Archidiacones, Stephanus & Laurentius, Angelorum cum exercitu, ad Christum quem amavit, quem quæsivit, feliciter adduci visa est.* Benè igitur, & breviter Germanus Poeta.

Gal Mar. 19. Maii.

Quid non Alcuino facunda Lutetia debes?
Instaurare bonas ibi qui feliciter artes
Barbariemque procul solus depellere cœpit.

ADAMANNUS Abbas Hyensis, natione Hibernus: in Britanniâ doctus legitimum Paschatis diem, eundem è Britanniâ in Hiberniam reversus docuit. & contribules suos à perverso ritu ad Romanum reduxit. De quo Beda sic loquitur lib. 5. Historiæ Anglorum c. 16. *Adamannus presbyter & Abbas monachorum qui erant in Insulâ Hy. cum legationis gratiâ, missus à suâ gente ad Alfridum Regem Anglorum: & aliquamdiu in eâ provinciâ moratus, videret ritus Ecclesiæ Canonicos: & à pluribus qui erant eruditiores, esset solerter admonitus: ne contra universalem Ecclesiæ morem, vel in observantiâ Paschali, vel in aliis quibusque decretis; cum suis paucissimis, & in extremo mundi angulo positis, vivere præsumeret: mutatus mente est; ita ut ea quæ viderat & audierat in Ecclesiis Anglorum; suæ, suorumque consuetudini libentissimè præferret. Erat enim vir bonus & sapiens, & scientiâ scripturarum nobilissimè instructus. Qui cum domum rediisset, curavit suos, qui erant in Hy, quive eidem erant subditi monasterio; ad eum quem cognoverat, quemque ipse toto corde susceperat, veritatis callem perducere. nec valuit. Navigavit itaque in Hiberniam: & prædicans eis, & modestâ exhortatione declarans legitimum Paschæ tempus, plurimos eorum, & penè omnes qui erant ab Hyensium dominio liberi, ab errore correctos ad unitatem reduxit Catholicam, ac legitimum Paschæ tempus observare perdocuit.*

Beda l. 5. c. 16.

B

BEATUS Helvetiorum Apostolus: E Britanniâ Romam missus, à S. Petro Apostolorum Principe instructus: cum in patriam rediisset, inde ad Helvetios profectus, Christi Evangelium prædicavit, dictusque est Helvetiorum Apostolus. Vide an. 49. num. 8. 9. In omnibus Martyrologiis Sanctus colitur ad 9. Maii. Ædem sacram erexit inter Helvetios, ad Lacum Thunum, propè oppidum Underfewen: ubi etiam extremum spiritum emisisse creditur. Ejus vitam scripsit Petrus Canisius Societatis Jesu. & Raderus ita de illo: *Beatus primus ad Helvetios legem Christianam attulit: quem præ cæteris veneratur Lucernensis Respublica.* Vide an. 110.

Rader. in vitâ Petri Canisii.

BARTHOLOMÆUS, in Presbyteris annumeratur quos teste Adamo Bremensi, Olaus Norwegiæ Rex, secum habuisse scribitur: *ut firmius in regno suo claresceret Christiana religio.* Ob eum finem Bartholomæus ad sacerdotium assumptus est: & Sighfridum in conversione infidelium videtur juvisse. De quo ita legitur in ejus vitâ. *Adolescens Bartholomæus, diversarum gentium naturas & mores inquirens, in Norwegiâ tandem cuidam presbytero adhæsit: & ab Episcopo loci sacerdotii gradum suscepit.* Vide an. 1004. num. 9. Ejus sanctitas illustrior fuit, cum Apostolicorum virorum more, post laborem in messe animarum, solitariam vitam elegit, è Norwegiâ in Angliam reversus & Cuthbertum S. Lindisfarnensem Episcopum imitatus, in Farnensi Insulâ consenuit. Vide an. 1004. num. 9.

Adam Bremen. l. 2 c. 40.

Apud Capgravium S. Bartholom.

BERNARDUS, Norwegos docuit Christianam Fidem, & inde jussu Olavi Regis in Suediam, Gothiam, & Boreales Insulas mittitur: ubi Evangelium infidelibus prædicavit, ut Adam Bremensis affirmat. Vide an. 1004. n. 8. Baptizavit inter alios ipsum Regem Olavum, ut vult Saxo grammaticus. Denique de illo ita scribunt Magdeburgici Centuriâ 10. Bernardi Angli prædicatione, Norwegia Fidem Christianam didicit. Ipse etiam Olaus ab eo baptismum accepit: & mutato priore nomine, Jacobus dici voluit. vide annum 1004. num. 9. & annum. 1027 num. 12.

BONIFACIUS Archiepiscopus Moguntinus. literas Apostolatus à Gregorio II. Romano Pontifice accepit: *& pervagatâ sanctitatis & eruditionis famâ* (ita loquitur Gallicanum Martyrologium ad 5 Junii) *Legatus ab eodem Papâ in Germaniam missus est, ut illius Regionis homines, magnâ ex parte adhuc superstitionibus Ethnicis obcæcatos, ad aspiciendam Evangelii lucem avocaret. Quod munus, & prædicatione, & doctrinâ, & vitæ præclaris exemplis exercuitus: gentes plurimas Christi religioni adjunxit. Ob quæ præcipuæ sanctimoniæ & Apostolicæ virtutis, & doctrinæ sanctionem: ab Zachariâ Pontifice Archiepiscopus Moguntiæ creatus, hæreses magno fervore insectatus est. A quarum sectatoribus dirè quidem exagitatus: nihilominus sic tetra eorum molimina superavit, ut Fides & disciplina plenas vindicias ederet. Celebratis variis Synodis, in quibus & pietatis sinceritatem, & primæ sedis dignitatem, ac decreta, vigore planè sacerdotali asseruit. Produnt Sedis Moguntinæ monumenta, illum diu laudabiliter præfuisse. inter quæ Carolum Magnum eâ in Ecclesiâ ab ipsomet Beatissimo Præsule, sacro fonte expiatum, & Patrem ejus Pipinum, in Regem Francorum inunctum.* Plura non addo: quia suo se nomine prodit Bonifacius. Plura qui cupit, videat ab anno quo nascitur in Britanniâ. 670. num. 7. usque ad annum 755. quo illustri Martyrio coronatur, cum aliis plurimis, quos ex Angliâ ad sementem Fidei messemque collegerat. Subjicio tamen Milredi Wigorniensis Episcopi sensum, cum nuntium de Bonifacii Martyrio accepisset. Sic enim ad Lullum Bonifacii successorem scribit inter cætera. *Quamvis præsentis vitæ amissum solatium, multis & amaris lacrymis luximus. Tamen ille, qui suo sanguine fuso, Christo consecratus est Martyr,* DECUS ET COLUMEN OMNIUM, *quos præsens protulit patria; suo Beatissimo agone optimo labore consummato,*

Gal. Mar. 5. Junii.

Milredi Epist. ad Lullum inter S. Bonifacii Epistolas 78.

gloriosis-

gloriosissimo fine peracto: nostra valdè mœsta, majore lætitia mitigat & demulcet pectora. Vide annum 736. numero decimo-tertio.

BOSO Bonifacii Diaconus, & in Evangelio prædicando socius, & collega Martyrii. Hunc aliqui Bocaso, alii Bosam vocant. Baronius cum eum Bosonem vocavisset, & alios Bonifacii collegas recensuisset; addit: Baron. an. 755. *Hi omnes unanimiter cum Bonifacio laborantes in prædicatione Evangelii, meruerunt etiam palmæ Martyrii esse consortes.* Quamobrem cultum etiam Martyribus congruum Boso & socii ejus meruerunt. Unde Gallicanum Martyrologium: Gallic. Mart. 13. Martii. *Bonifacii trophæum (inquit) ipso die quo agonem peregit, unà cum Eobano Episcopo, & aliis viginti servis Dei, ab Ecclesia Catholica anniversario cultu, celebratur Nonis Iunii.* Vide an. 755. num. 15 & 22.

BRIOCUS Episcopus, in Britanniâ majori natus; in minori consecratus Antistes, sedem habuit in oppido, quod ab ipso postmodum appellationem accepit: adeo locum illum pius pastor excoluit. De eo sic legitur in Gallicano Martyrologio ad 30. Aprilis. *Eodem die Iuliomagi Andegavorum, depositio S. Brioci Episcopi & confessoris. Qui patria Anglus (Britanniam intelligit: Angli needum insulam invaserant) è provincia Corticiana (Coritanos opinor intelligit) nobili editus stirpe, à S. Germano Altisiodorensi, Fidem ibi disseminante Orthodoxam, in Galliam abductus: ibiq; pietatis disciplinis feliciter institutus: postquam altè documenta salutis imbiberat, patrios ad lares rediit: parentes suos vera Fide informavit. Quam circumquaq; prædicans, plurimam propagavit. Hinc Dominici talenti amplius multiplicandi cupidus, concessit in Armoricam Conanum Tricorensem Comitem, affinem suum irradiando superno Evangelica veritatis lumine, divino lavacro abluit: adunatisq; religiosa vitæ cultoribus, cœnobium construxit: Sedisq; Pontificalis illic crepundia, conferente Conano fundamenta collocavit. Ubi à Metropolita Turonensi, suscepto Pontificalis ordinis honore, maximo virtutis splendore præfuit an. fermè triginta. Deinde Andegavum profectus, ob res sacra incrementa, ibidem param exhalavit animam. Unde sacrum ejus cadaver revectum, in Ecclesia quam construxerat conditum decenti honore, crebrescentibus ad lipsana ejus miraculis. & cœnobio, & oppido, matricíq; Episcopatus ade, ut nomen indidit, sic & opitulationem præstendit perpetuam.* Vide annum 437. numero quarto: ubi de S. Brioci patriâ disseritur.

BURCHARDUS Episcopus Herbipolensis. A Bonifacio è Britanniâ evocatus anno 725. cum insignem operam in animarum messe posuisset: ab eodem Sancto consecratus Herbipolensis Episcopus. Quo munere religiosè functus: cum Ducatum Orientalis Franciæ à Pipino impetratum Ecclesiæ suæ adjunxisset, sanctè mortuus. Laudatus ab omnibus, præterquam factiosis: quorum vituperia Sanctorum sunt encomia. Unde in Burchardi laudibus pono quod scribunt Magdeburgici Iol. 8. c. 5. *Burchardus Anglus (inquiunt) consanguineus Bonifacio, qui eum educavit & liberaliter institui curavit. Cum autem Bonifacius à Gregorio II. in Germaniam jussus esset ire: evocavit hunc ex Anglia: ut haberet Comitem & socium. Ille sine mora advolavit & in Turingia & Hassia, & aliis locis deformationem Ecclesiarum Dei, & Papatus institutionem adjuvit.* Ita ipsi. Baronius veritati multò conformiùs de S. Burchardo hæc habet. *Migravit ex hac vita ille Apostolicus, sanctitate illustris, Burchardus* Baron. an. 791. *Episcopus Herbipolensis, cum sedisset annos quadraginta &c. Porro relatus Sanctus inter Sanctos, ab Ecclesia Catholica, anniversaria commemoratione cœptus est celebrari. Ecclesia verò Herbipolensis Apostolicorum virorum plantata laboribus, hactenus Apostolico fulgore coruscat, Catholica ibi doctrina in tanto Germaniæ naufragio, conservata.* Hæc omnia Baronius. Vide annum 791. n. 9. 10.

C

CADOCUS, sive Sophias, Beneventanæ Ecclesiæ Episcopus & Martyr. Britannus homo, & Regis filius: magna suis pietatis Fideique argumenta dedit: cum ter Hierosolymam, septies Romam peregrino more, profectus dicatur. Hic tandem à Rom. Pontifice Beneventanæ Ecclesiæ præficitur: ubi postquam Orthodoxam Fidem verbis factisque docuisset; eandem fuso sanguine sigillavit: Ad altare stans inter Missarum solemnia, ab infidelibus interfectus. Differt hic Cadocus ab eo qui S. Richarium (cujus vitam Alcuinus scripsit) convertit. Natus ille Hibernus & Cadocus: iste Britannus & Cadocus, dicitur. Noster circa annum 460. Alter post annos centum floruit. Vide annum 490. num. 2. 500. num. 1.

CARANTOCUS, Keredici inter Britannos Regis filius: quem Hiberni Kernachum vocant. Relictâ Britanniâ & Principatu, quem illi cives obtulerant; in Hiberniam profectus est. De quo ita legimus in ejus vitâ apud Capgravium. Capg. in Caratoc. *Ab annis pueritia, puritatem & innocentiam amplectens, perrexit tandem in Hiberniam, amore Sancti Patricii allectus.* Et paulo infra de Apostolico ejus spiritu, hæc subduntur. *Quocunq; ibat, virtutes & prodigia faciebat: multa hominum millia, variis morbis afflicta, sanavit. Beati enim Cernachi, qui & Caratoci, opera mirandi minus, & commendanda leguntur in Hibernia. Et gratia quæ Apostolis data est, in illo etiam impleta fuit. Mirabilis enim miles Christi exstitit, & spiritalis Abbas: Longanimis præceptor justa omnibus nunciant. permultos annos vivens innumerorum peccatorum crimina dimisit. Preces per singulos dies ac noctes, innumeros fudit. Et postquam multos in Hibernia populos ad Fidem convertisset: & multa miracula per eum Deus ostendisset, venit ad regionem suam Ceretecam, &c.* Vide annum 480. numero septimo, vel an. 488. n. 5.

CLARUS Eremita & Martyr: Patriam amore Dei pertæsus, in Gallias perrexit: ubi cum se discipulum primò fecisset; monasticæ perfectionis deinde factus est magister, & Sancti Evangelii præco. Quo in munere, non minus Martyrii quàm nomine clarus, migravit ad Dominum. Dicant hoc Fasti Gallicani: ubi ad 4. Novembris hæc leguntur. Gal. Mar. 4. Nov. *Clarus Eremita & Martyr, natione Anglus, nobilissima ortus progenie, corporis pulchritudine spectabilis, dotibusq; animi præclarus; & maximè pietate singulari, & rara castimonia insignis, &c. Clam se paternis laribus surripuit: atq; Anglis in Neustriam transiens, Cæsaro-burgum appulit, &c. Ad Odobertum sancta vita Abbatem se contulit, à quo benignè exceptus, strictioris monastica disciplina theoriam didicit, & coluit, &c. Accepta ab Odoberto licentia abeundi in aliud cœnobium ad fluvium Ebtam secessit ubi ab omni alia curâ vocans, in oratione, PRÆDICATIONE (nam Odoberti impulsu, sacris se initiari permiserat) aliisq; piis exercitationibus intentus, prodidit sua sanctitatis lumina.* Sequitur quomodo castitatis tuendæ causâ à Sectatis impiè occisus sit. Vide annum 666. num. 12. & 13.

D

DAVID Abbas: Inter Sanctos colitur in nostro Martyrologio, ad 15. Junii. Ex Anglia in Sueciam profectus, Christi Fidem ibi propagavit, & multâ animarum messe collectâ, ibidem cum Sanctitatis opinione mortuus: anniversario ritu in Ecclesiâ colitur. ut patet è Suecorum Breviario. Vide an. 1002. n. 15.

E

EGBERTUS in Anglia natus: cum diu in Hiberniâ Dei amore exulasset, Apostolico plenus spiritu, vicinarum provinciarum salutem ambitiosissimè sitiens, cum aliquoties profectionem ad infidelium conversionem adornasset, & mirabiliter esset impeditus: collegit undique viros, doctrinâ & pietate eminentes, quos in Germaniæ messem misit, Willibrordum & socios suo loco nominandos. Unde dici meruit Apostolicæ illius missionis, Dux, coryphæus, & Princeps. Quod Beda sic expressit. lib. 5. Hist. cap. 10. *Venerabilis, & cum omni honorificentia nominandus famulus Christi & sacerdos Egbertus: quem in Hibernia Insula peregrinam ducere vitam, pro adipiscenda in cœlis patria, retulimus: proposuit animo pluribus prodesse.* Beda l. 5. c. 10. *Id est, inito opere Apostolico, verbum Dei aliquibus earum quæ nundum audierant, gentibus, Evangelizando committere. Quarum in Germania plurimas noverat esse nationes: à quibus Angli vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus & originem duxisse noscuntur. Sunt autem Fresones, Rugini, Dani, Hunni, antiqui Saxones, Boructuarii. Sunt adhuc perplures iisdem in partibus populi, paganis adhuc ritibus servientes: ad quos venire præfatus Christi miles, circumnavigata Britannia disposuit. Si quos fortè ex illis, ereptos Satanæ ad Christum transferre valeret. Sed ne aliquid horum perficeret, superna illi oracula simul & opera obstiterunt. Siquidem electis sociis strenuissimis, & ad prædicandum verbum Dei idoneis: utpote actione simul & eruditione præclaris, oraculo prohibitus est.*

Beda l. 5. c. 11.

Pergit Beda oraculum narrare (vide an. 690 n. 4. 5. 6.) Quo recensito Egberti zelum ita explicat. *Tentavit adhuc Egbertus, in opus verbi mittere viros Sanctos, & industrios. In quibus Willibrordus presbyter, gradu & merito præfulgebat,* &c. Vide duodecimos illos an. 690 num. 7. Hic Apostolici operis prærogativam habeat Egbertus. Qui licet in Germaniam ipse non iverit, cum illis tamen procul omni dubio, & laudis & gloriæ, & Apostolici nominis participium meruit. Adde, in Hiberniâ non otiosus vixit, aut ab Apostolici ordinis functione vacavit. Nam errantes Hibernos docuit Dominicum Pascha debito die celebrare: aliaque in Hibernorum Ecclesiis correxit, quæ vitio temporis inoleverant. Unde de illo conqueruntur Magdeburgici; & nævum causantur; quem orthodoxi omnes à nævo facilè distinguunt, & factiosi cerebri vitium. Sic ergo illi de Egberto pronuntiant parum benevolè.

Cent. 8. fol. 156.

Cent 8. *Egbertus Australium Anglorum proles, ex genere celebri in Lindisfarnensi monasterio literas didicit, & superstitiones monastices simul imbibit. Pestem fugiens, in Scotiam* (Hiberniam ita antiqui vocant) *venit anno Domini 716 ibiq; multas Ecclesias ad Romanam Paschatis observationem, & capitis radendi ritum, & alias Pontificias traditiones adduxit.* Vide an 716 n 25. Sed quicquid illi de superstitione somnient, Egbertus in Hyberniâ quam correxerat mortuus Sanctus, & ita audit in universo orbe. Nam Rom. Martyrologium ad 24. Aprilis, ita de illo pronuntiat.

Ro. Mart 24. April.

In Hibernia S. Egberti presbyteri, & monachi, admirandæ humilitatis & continentiæ viri. Vide an. 729. n. 3.

ENGELMUNDUS, Willibrordi Comes, in Evangelio prædicando, & demum Evangelicæ veritatis purpuratus testis, & Martyr. De quo sic loquitur Gallicanum Martyrologium in supplemento ad 21 Junii. *Velsæ in Hollandia, natalis S. Englemundi, Presbyteri & Martyris. Qui natione Anglus, S. Willibrordi Comes, ejusdem Apostolicum munus obeuntis, apud Frisiones, mandato Sergii Papæ, in sancta prædicatione, animarum conversione, miraculorum patratione suffragator: Abbasq; multorum quos aggregavit asceterum. Dominum cum feram Frisionum gentem, à nefanda superstitione & barbaris moribus instanter arceret, ad puriorem urgeret Dei cultum, & observationem Christianæ pietatis & castitatis, odio gratis habitus, persecutionéque oppressus, & fortiter occumbens, Apostolicum officium glorioso Martyrio coronavit.* Hunc Sanctum Batavi olim coluerunt, & Velsæ civis patronum. Unde addunt Fasti Belgici ad 21. Junii. *Engelmundus Velsæ patronus, Batavos & Kenemaros Evangelica doctrina imbuit. Animam Deo post multos labores reddidit: & Velsæ, Harlemiensis pago sepultus, per Baldricum Episcopum Ultrajectensem, anno 977. è terra elevatus.* Vide anno 727 n. 13.

EOBANUS Ultrajectensis Episcopus: A Bonifacio ex Angliâ vocatus ab eodem Romam missus ad Zachariam Papam. Denique ut Bonifacium senio fatiscentem sublevaret, Ultrajectensis consecratus Episcopus. Vide annum 744. n. 4. & 755. n. 15. Cum Fidem in Germaniarum provinciis per plures annos propagasset: & *multa virorum ac mulierum millia, unà cum Bonifacio baptizasset,* inquit

Baron. 755.

Baronius. Factus est postremò ejusdem Bonifacii collega Martyrii. Ejus meminit Gallicanum Martyrologium ad quintum Junii, hunc in modum.

Gal. Mar. 5. Junii.

Bonifacius à furentibus gentibus, gladio peremptus, Martyrii palmam pro laborum præmium cumulo, unà cum Eobano Episcopo aliisq; viginti Dei servis feliciter accepit. Eobani etiam sæpè meminit Bonifacius in Epistolis. Meminit & Othonus in vitâ S. Bonifacii l. 2. c. 23. ubi hæc habet.

Apud Muræum. 14. Nov.

Tantam gratiam Dominus famulo suo Bonifacio contulit: ut post paucos dies multa millia virorum ac mulierum, cum Commilitone suo Chorepiscopo Eobano baptizaret. Hunc namque ad sublevandam senectutem suam, injuncto sibi Episcopatu, in urbe quæ dicitur Trecht, subrogavit.

ESCHILLUS Episcopus & Martyr: Is cum Sigfrido Eboracensi, Apostolatum ad Suevos sortitus, cum incredulos ibi ad Christi fidem convertisset, ad majus sacerdotium assumptus, à barbaris demum occisus, Martyrii coronam adeptus est: ut Gallicarum rerum authores tradunt, & Breviarium Suecorum. Unde inter Sanctos Martyres in nostro Martyrologio refertur ad decimum Aprilis. Videtur igitur ex eorum numero fuisse, qui Olaum Regem comitari solebant, de quibus Adamus Bremensis.

Adam. l. 2. c. 40.

Habuit secum, inquit, *Olaus Rex Episcopos multos, & sacerdotes ab Anglia, quorum monitu & doctrina, ipse cor suum Deo præparavit, subjectumq; populum ad regendum commisit. Hi etiam jussu Regis ad ista iam, Gothiam, & omnes Insulas, quæ trans Northmanniam accesserunt, evangelizantes barbaris verbum Dei, & regnum IESU Christi.* Vide annum 1004. n. 8.

Est & alter Eschillus, Lundensis Archiepiscopus, totius Daciæ & Sueciæ Primas: quem Gallicanum Martyrologium refert etiam ad 10. Aprilis. Sed ab Eschillo nostro differre videtur. Nam Lundensis ille, abdicato Ecclesiastico sæcularique Principatu, contulit se ad S. Bernardum Claræ-vallensem Abbatem, ibique in pace quievit. differt ergo sæculo uno genere mortis, denique patriâ. Vide an. 1016 n 19.

EWALDUS, cognomento Niger, Martyr.

EWALDUS, cognomento Albus, Martyr.

Uterque germanus frater, & Willibrordi socius, in prædicatione Evangelii: Cum Felicem in Frisiâ (quò primùm ex Angliâ appulerunt) messem vidissent: eandem in antiquorum Saxonum conversione sperantes; eò profecti, sanguinem prius suum, quàm Fidei fermentum effudere. Quod ita à Bedâ narratur, l. 5. c. 11.

Beda l. 5. c. 11.

Duo quidam presbyteri, de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore, pro æterna patria exulaverant: venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum; si forte aliquos ibidem prædicando, Christo acquirere possent. Erant autem unius ambo, sicut devotionis, sic etiam vocabuli. Nam uterque eorum Hewaldus appellabatur: ea tamen distinctione, ut pro diversa capillorum specie, unus niger, alter albus Hewaldus diceretur. Quorum uterque pietate religionis imbutus: sed Niger Hewvaldus, magis sacrarum literarum scientia erat instructus. Qui venientes in provinciam, intraverunt hospitium cujusdam villici: petieruntq; ab eo, ut transmitterentur ad satrapam, &c.

Qui cum cogniti essent à barbaris, quod essent alterius religionis. Nam hymnis & psalmis semper, & orationibus vacabant: & quotidie victimam Deo, sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant; habentes secum vascula sacra, & tabulam, vice altaris dedicatam; suspecti sunt habiti: quasi si pervenirent ad Satrapam, & loquerentur cum illo, averterent illum à Diis suis, & ad novam Christianæ Fidei religionem transferrent: sicq; paulatim omnis eorum provincia, veterem cogeretur, in novam mutare culturam. Itaque rapuerunt eos subitò, & interemerunt. Album quidem Hewvaldum veloci occisione gladii: Nigellum autem longo tormentorum cruciatu, & horrenda membrorum omnium discerptione. Quos interemptos in Rhenum projecerunt. Quod cum Satrapa ille quem videre volebant, audisset, iratus est valde: quòd ad se venire volentes peregrini non permitterentur. Et mittens occidit vicanos illos omnes, vicumq; incendio consumpsit. Passi sunt autem præfati sacerdotes & famuli Christi quinto Nonarum Octobrium die. Hactenus Beda qui plura narrat de inventis mirabiliter eorum corporibus, cultuque Martyribus congruo, illis à fidelibus exhibito. Vide an. 693. n 19. &c.

F

FOILANUS ex Hiberniâ, unde natus, in Britanniam veniens; monasterio Cnoberburgensi, apud Icenos præficitur. Inde Romam profectus, à Martino Rom. Pontifice Apostolatum & benedictionem accepit ad infidelium conversionem. Vide an. 649. n. 1. De eo sic loquitur Gallicanum Martyrologium ad 30. Octobris. *Qua benedictione accepta, perrexit in Galliam ubi post nonnulla Apostolicæ prædicationis progressum; à Beatissima Gertrude cum magna reverentia susceptus est. Cujus ope Fossense monasterium fundavit. Non tamen huic hæsit loco, heros divinus, quasi reperta statione tranquilla à suscepta prædicationis munere, pedem referret. At gloria Christi stimulis perpetuis concussus, ad similitudinem fulguris coruscantis, circumquaque discurrit: semina, quæ superaverant idololatriæ, solicitè evellit, fidémque seminat ad lucem veritatis, ad Dei gratiam, & animarum vitam, ad cæli gloriam jacet adhuc plerosque incolas vetus, incitat, homines rebelles urget, arguit, atque ut salvi fiant, quà voce, quà opere, instanter rogat, & pio zelo compellit.*

Non tulit diutiùs salutis humanæ hostis, tam vigilem mysteriorum divinæ pietatis curatorem. Impios ceco livore armat in ejus necem. Qui Dei nuntium patria parentem, in silva intercepttum Carbonaria, apud Hannones, ferociter impotentes diris confossum gladiis, non repugnantem, sed benè precantem percussoribus, ipsa in oratione quam pro ipsis fundebat interfecerunt. Mirificavit ibidem Deus Sanctum suum, tum ex anteacta vitæ meritis, & subsequentibus prodigiis, quæ mox circa ejus venerabile corpus premicuere: eo accessit gloria, ut ibidem Martyr coleretur: extructo non diu post, ad ejus tumulum Mausoleo nobili. Quod in hunc diem præstat propè Rodium Hannoniæ oppidum ubi visitur Abbatia insignis Canonicorum regularium ordinis Præmonstratensis, titulo ipsius gloriosi cultui consecrata. V. an. 660 38.

FREDERICUS

FREDERICUS Ultrajectensis Episcopus & Martyr. In omnibus Martyrologiis celebratur ad 18. Julii. Fuit Sancti Bonifacii nepos, secundum carnem: & secundum spiritum discipulus. Nam in infidelium conversione strenuè laboravit, *& zelandos Christo adjunxit*, inquit Miræus in Fastis Belgicis. Hoc illi gradum fecit ad Ultrajectensem Sedem: quam Ludovicus Imperator Caroli Magni filius meritissimo contulit. De illo ita scribit Malmesburiensis noster. *Eobano*, inquit, *non adeò festinus successor, propter ferociam gentis apud Trajectum fuit Fredericus. Eum sanctimonia Bonifacii Nectar spirantem, ut pote nepotem & discipulum; Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, ita promovit: licet multis tum pro se, tum pro suis adnitentibus: Primâque ordinationis die, consessu dextra, in prandio novum præsidem dignatus est. Multa ergo edulis parte consumpta, ad eum purpuratis sermo dirigitur: ut recentis professionis memor, unius effectorumque constantia sequax, sine acceptione personarum, vera proponens, contemnentibus anathema indicens. At ille pudibundo lumine, & demisso capite: Rectè, inquit Domine Imperator agis: qui professionis meæ teneritudinem, sanctis animas hortatibus. Sed oro te, non graventur majestas tua solvere, quod animi mei recessus diu volutarunt. Et ne longè exempla petantur. Vivum piscem hunc mensâ appositum, honestius est à capite an à caudâ aggredi? Ille præpoperus, & quantum se involveret nescius: à capite, respondit. Nec moratus Fredericus capax verbum dicens: Sic erat, Domine Auguste, sic erat ut Fides & pietas Christiana de tuis erratis te securè compellat; nè Subjecti audeant spernere, quod te viderint tolerasse. Renuntia ergo incesto quod contraxisti matrimonio: quia ista Judith, quam tuo fœderasti lateri, proximo tibi affinis est sanguine. Nec decet ut thorus Regius infametur libidine.*

Fasti Bel. 18. Julii.

Malmesb. lib. 1 de gest. Pontif. fo 197

Narrat inde author, ut vexio animorum æstu excepta sit novi Præsulis libertas: quæ mortem ne, an potiùs meliorem illi vitam attulit. *Nam Judith fœmineum virus exhalans*, (inquit author supra) *Fredericum jussit occidi. Quod idcirco*, (pergit) *præter materiam exortus lecturis preferre duxi non inutile: ut Anglorum deputetur gloria, quod terras alienas illustrarint, peregrinante etiam sanctitate.* E quâ clausulâ, Fredericum in Britanniâ vernaculum; inter Batavos peregrinum fuisse arguitur. Quàm piè Ecclesiam sibi commissam rexerit, ita narrat Gallicanum Martyrologium. *Fredericus officio intentus pastorali, præcipuam in orationibus eleemosynis, jejuniis, prædicationibus, aliisque Pontificiis muneribus, operam collocavit. Audiens verò in Valachrensi diœcesis suæ regione contaminatos plebis mores, Synodum ibi habuit: cujus authoritate & providentiâ, corruptam vindicavit ab omni ferè ordine disciplinam. Postea suam diœcesim undecumque perlustrans, pervenit in Frisiam. In quâ Ariana perfidia virus hactenus serpeat, eum magno laboris studio prorsus extinxit.*

Idem supra fol. 198.

FURSÆUS Abbas, Sancti Foilani frater. Ex Hiberniâ in Britanniam descendit: ubi structo monasterio apud Orientales Anglos, inde in Gallias transiit, Christumque ibi prædicavit. *A Ludovico Dagoberti filio* (ita legitur in Gallicano Martyrologio ad 16. Januarii) *propter vim divinam, quæ ei inerat, Evangelicam doctrinam prædicandi, & maximam quæ in eo elucebat pietatem, benignè & honorificè susceptus, monasterium Latiniacum, regiâ illius subvectus munificentiâ in agro Parisiensi fundavit. Cui Abbas præfectus, splendidiore virtutum face, quàm unquam eluxit. Eximiâque sanctitate & prudentiâ alumnos susceptos direxit. Inde verò dum rebus benè constitutis, cum Rege & Erchenaldo majore domus ad aliud construendum cœnobium iter ageret; infirmitate correptus lectulo aliquot diebus affixus hæsit, cum morbo patientiâ insigni colluctans. Tandemque, horâ imminente quâ erat excessurus, astante Rege & aulicis, de vitâ æternâ verba egregia fecit. Ad quam ipse gloriosis laboribus, in Dei famulatu & animarum lucratione exanclatis, plenus meritis arando profectus est. Cujus corpus cum quarto ab obitu anno, in monasterium Peronæ fuisset illatum, à Sanctissimis Episcopis Eligio Noviomensi, & Auberto Atrebatensi, sine ullâ putredine repertum est illibatum. Sacque illic eximio honore reconditum, pro fœnore continua venerationis, perpetuam oppido & incolis impendit hactenus, suâ tutelâ præpotentis defensionem.* Vide hæc & plura an. 642. num. 8 &c.

Gal.Mar. 16. Janu.

G

GERMANUS natione Anglo-Saxo, dignitate Episcopus, in Belgium ivisse dicitur: ibique Brabantes & Frisios Christi Fidem prædicasse. Quod dum Apostolico more faceret; Apostolorum præmium, hoc est Martyrii coronam accepit. anno 750. Meminit hujus Sancti Rosweydus in Fastis, & nostrum Martyrologium ad 2. Maii. Nescio an Malmesburiensis eum intelligat, cum S. Edmundi monasterium & Ecclesiam describens de Sanctis ibi quiescentibus hæc habet. *Jacent in Ecclesiâ duo Sancti, Germanus & Botulfus. Quorum gesta, nec ibi, nec alibi haberi memini. Nisi quod primus frater Sanctæ Edeldrithæ, secundus Episcopus asseratur.* Sed quia constat Botulfum Abbatem tantummodò, non Episcopum fuisse: ex hisce tenebris parum lucis elicio. Vide an. 750.

Malmesb lib. 2. de gestis Pontif.

GILDAS Albanius, sive Senior, Abbas: illustri loco in majori Britanniâ natus. Galliâ piè lustratâ, Hiberniam Evangelicâ doctrinâ illustravit, sub sexti sæculi initium. Hic non alio eget encomio, quam quo ornatur in Gallicano Martyrologio ad 29. Januarii. ubi ita legitur: *In minori Britanniâ, territorio Venetensi, Sancti Gildæ, seu Gildasii, Abbatis & Confessoris. Qui regio Britannorum sanguine, in minore Britanniâ progenitus, à nobilissimis parentibus, Beato Illato Eremita S. Germani Parisiensis* (sed lege sine ullo dubio Altisiodorensis) *Episcopi alumno, pietate & literaturâ erudiendus imbuendus: jam à tenerâ ætate Fide magnus, & Religione præcellens emicuit: nec minus subinde scientiæ decore claruit. Sic orationi, & vitæ austeritati se dedit; ut religiosissimo magistro, ut condiscipulis magnam sui amorem ac admirationem incusserit.* Sequitur ut in Galliis sparserit pietatis suæ, Fideique radios: in Armoricâ præsertim, ubi monumenta sanctitatis ejus hodieque visuntur: tum additur.

Gal.Mar. 29. Jan.

Redux in majorem Britanniam; hæreses atque ethnicam superstitionem, quà verbo, quà sanctis actibus, & miraculis oppugnare aggressus; Hibernos maximè ab impietatis erroribusque, non modò liquens: sed & vitiorum illic turpiter grassantium, exitiosis moribus fortiter emancipatos; feliciter in virtutis & pietatis tramitem perduxit. Unde plura, quæ in Apostolici viri laudem sequuntur ad annum 512. quo mortuum ponimus; non in minori Britanniâ ut Gallicanum Martyrologium: sed in majori, ubi sepultum dico in Glastoniensi monasterio. E quo loco reliquias ejus in minorem Britanniam translatas esse; dum infidelis Saxo pro Insulæ imperio contenderet, non diffiteor. Plura de hoc Gildâ anno 462 n. 5. 508. n. 10 11 &c. 509 num. 1. 2. &c. 512 num. 4

GILDAS Badonicus, sive Junior. Fuit & ipse Sancti Iltuti discipulus. seniorem Gildam in Hiberniam secutus (anno 540.) *aliorum Doctorum sententias in philosophicis & divinis literis, investigator curiosus inquisivit.* Inquit author vitæ ejus in Floriacensi Bibliotheca. Cum inde Gildas in Britanniam redisset: post annos viginti solenni legatione à senioribus Hiberniæ, ad Fidei & pietatis semina spargenda, eodem invitatur. Vide an. 562. n. 1. 2. Cum ille in Hiberniam revenisset: *A quibusdam nobilibus viris* (ita legitur in Bibliothecâ, ut supra) *quondam sibi notis, Regi Ammerico est præsentatus. Quem cum vidisset, multis precibus eum rogabat, plurimaque afferens dona, postulabat ut apud se maneret. Et sicut ei prius mandaverat Ecclesiasticum restauraret ordinem in regione eâdem. Quia penitus Catholicam Fidem à maximo usque ad minimum omnes amiserant. Tunc Sanctus Gildas munitus clypeo fortitudinis, & galea salutis, omnes fines Hiberniensium circuivit, & Ecclesias restauravit: Clerum universum in Fide Catholica, ut Sanctam Trinitatem colerent, instruxit: populos gravatos morsibus hæreticorum sanavit, curavit: fraudes hæreticas cum authoritatibus suis, ab eis longè repulit. Jamjamque pullulante in gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ segete multitudinis credentium, & evulsis hæreticorum spinis, terra diu sterilis fœcundatur rore cœlestis gratiæ, gratioresque profert fructus. ad agnitionem supernæ vocationis. Fide namque crescente Catholica, regio gavisa est, tantum se promeruisse patronum; multa deinceps vir Beatus construxit monasteria in eadem Insula: non paucos in eis nobilium filios convertens, & normam regularis disciplinæ informans*, &c. quæ vide an. 562. n 3

Apud Usser fo. 956.

Nota. Badonicus hic Gildas. cum Albanio facili errore confunditur. Nam uterque Britannus; uterque doctus; uterque cognomento sapiens, uterque historicus, sive historiam scripsisse dicitur: uterque Hiberniam lustravit: denique uterque Sanctus. Sed revera distingui debent ut supra. quod ante me observavit Jacobus Usserius in primordiis. Vide annum 540. num. 3.

GREGORIUS Ultrajectensis vulgò Episcopus. Fuit Bonifacii discipulus, ab eo in Germaniæ messem è Britanniâ evocatus (anno 725.) & denique ad regendam Ultrajectinam Ecclesiam, communi suffragio electus: consecratus tamen non videtur. passim tamen audit scribiturque tertius ejus sedis Antistes. Hunc virum cum Apostolicis viris & nostratibus Sanctis merito numerandum, omisit Martyrologii nostri conditor. Quod advertens Hibernus, vir doctissimus Henricus Fitzsimon, hanc notam adjecit ad diem 25. Augusti. *S. Gregorii presbyteri, natione Angli, electi,*

Sed

Hene. Fitzsimo. M. S. ad 25. Aug.

sed non confirmati (restiterat enim vir Sanctus) Episcopi Trajectensis, discipuli Bonifacii Archiepiscopi Moguntini. Qui cum clarus esset natalibus, spretis mundi vanitatibus, sponte exul à patriâ factus, totum se tradidit conversioni infidelium: quorum innumeros in Germaniâ ad Christum traduxit: & septuagenarius meritis & miraculis coruscans, spiritum Deo reddidit. an. Christi 784. Sic scribit Surius in vita S. Bonifacii; & in vita S. Ludgeri. c. 6 & 7. Serrarius lib. 3. rerum Moguntinarum, notatione 24. Hæc ille.

Si authores hi Gregorium Anglo-Saxonem vocaverunt, quod plures conjecturæ probabile faciunt: corrigi possunt Belgici & Gallicani fasti, in quibus nobili Francorum genere natus dicitur. Placet tamen quod Andræas Saussayus habet in suo Martyrologio ad 25. Augusti. ubi Gregorius,

Gal. Mar. 25. Aug.

Bonifacii discipulus, & Apostolicæ prædicationis ac peregrinationis comes dicitur. Qui spiritum pietatis ejus, ex disciplina abunde delibavit. & denique. *Confessor eximius, imo vir totus Apostolicus, exactis in Christi jugo & arduosa nihilominus servitute, plurimis annis, fractus assiduis laboribus, ac senio, paralysiq́; etiam correptus, ad valvas Ecclesiæ Sancti Salvatoris voluit deferri: ibique divina Synaxi, mira devotione suscepta, Clero populoque valedicens: in Christi pace, cujus faciem ardenter desiderabat, obdormivit. Atque post gloriosum transitum, Ecclesiam, quam vita meritis decoraverat, præclaris lætificavit miraculis.* Vide an. 725. n. 9. Ubi Gregorius è Britanniâ evocatur. Et annum quo Sanctus moritur 784 num. 3.

GUNDERHARUS Monachus. Cum S. Bonifacio in Germaniarum conversione laboravit; & cum eodem post laborem, æternam requiem meruit, & coronam Martyrii. Recitat ejus nomen in Fastis Belgicis Aubertus Miræus, inter alios Bonifacii commartyres ad 5 Julii. Vide an. 755. n. 15

GOTEBALDUS Episcopus, & Septentrionalium populorum Doctor: In Britanniâ natus, Norwegos imprimis docuit, à Swano Rege, (qui postmodum invasit Angliam) ad Fidem Christi converso, in eam animarum procurationem vocatus. De quo hæc breviter Adam Bremensis lib. 2 cap 29. *Suen destructo ritu idololatriæ, Christianitatem in Norvvegiâ per edictum suscipi jussit. Tunc etiam*

Adam. l. 2. c. 29.

Gotabaldum quendam ab Anglia venientem, Episcopum in Scania posuit Doctorem. Qui aliquando in Suedia dicitur Evangelizasse, etiam in Norvvegia. De hoc viro Apostolico videtur intelligendum, quod Gothorum, & Sueonum narrat historia, & referunt Centuriatores in hunc modum.

Cent. 10. c. 7. fol. 305.

Missi à Bremensi Archiepiscopo Doctores in Gothiam & Sueciam, ibi prædicabant Christi Evangelium constanter & diligenter. Et crescebat quotidie cum magno fructu divini verbi plantatio. Baptizabatur magna populi multitudo, tantusq́; omnium ardor ad baptismum erat: ut exactis paucis diebus, nulli, aut paucissimi incolæ, in universa civitate Birconsi, quæ tunc frequentissima erat, invenirentur, qui Christianæ militia ascripti non essent. V. an. 1004 n. 7. Et Anglorum labores puta, vel tempus computa. Legitur Gothebaldi nomen in nostro Martyrologio ad 5. Aprilis.

GUNICHILDUS, inter eos laboravit, qui Norvvegiam & Septentrionis provincias ad Christi castra adduxerunt: de quibus supra dictum. Nominatur ab Adamo Bremensi, qui Olao Regi adfuerat; cum ille Fidem in provinciâ dilataret: & dicitur *doctrina & virtutibus clarus.*

Adam. l. 4. c. 40.

Sic enim scribit. *Habuit Olaus Rex secum Episcopos, & Presbyteros de Anglia: quorum monitu & doctrina, ipse cor suum Deo præparavit: subjectumq́; populum ad regendum commisit. Quorum clari doctrina & virtutibus erant Sigefred, Gunichild, &c. Hi etiam jussu Regis, ad Suediam, Gothiam, & omnes Insulas quæ trans Northmanniam accesserunt, Evangelizantes barbaris verbum Dei & regnum Jesu Christi.* Hæc ille, vide an. 1004. n. 8. 1027. num. 12.

H

HAMUNTUS Sancti Bonifacii Diaconus: Cum eo Evangelium Ethnicis prædicavit: & demum cum eo Martyrii coronam adeptus, colitur inter viros Apostolicos ad 5. Junii. Vide an. 755. num. 15. & 22.

HAYMO Halberstadensis Episcopus, potest superioribus annumerari, cum Germani scriptores quatuor Magdeburgi ita pronuntient. *Haymo ex Anglo-Saxonum genere & populo oriundus; non frater, sed consanguineus Bedæ, discipulus fuit in Anglia Albini, & condiscipulus Rhabani, ac contubernalis in cœnobio Fuldensi: Abbas Hersfeldensis, & postea Halberstadensis Episcopus, circiter an. Domini 840. designatus. Instructus autem ad istas functiones, accessit scientia sacrarum, & philosophicarum literarum, & facundia, authoritate, sanctitateq́; opinione, annis tredecim Episcopatum gessit: mortuus est anno 853.* His adde quæ habet Pitsius de illustribus Angliæ scriptoribus: & Haymo inter viros Apostolicos, suum quoque locum merebitur. Nam ita ille. *Haymo Anglo-Saxo, postquam in Anglia sub Alcuino Præceptore, optimam quasq́; disciplinam avidè hausisset, instructus jam multiplici scientia; Germaniam prædicandi divini verbi causa petiit: & aliis Anglis Doctoribus se in Germanorum infidelium conversione adjunxit cooperatorem. Pervexit autem usque ad monasterium Fuldense in diœcesi Moguntinensi, quod S. Bonifacius Doctor Anglus, & Germanorum Apostolus exstrui curaverat. Inde enim tanquam ex equo Trojano prodierunt in messem Germanicam Angli nostri, omni virtutis & eruditionis genere illustrissimi.* Vide annum 853. num. 22.

Pits. in Haymo.

I

IERO Presbyter & Martyr. Inter Batavos Fidei sementem liberaliter sparsit, & laboris fructum accepit, coronam Martyrii. De eo ita scribunt Magdeburgici. *Iero natione Anglus Presbyter in Hollandiam excurrit: & Evangelium apud Nordwick docuit: mercedemq́; Apostolicam accepit, à tyrannis occisus circa an. Domini 840.* Meminit ejus Gallicanum Martyrologium, & nescio cur Scotum vocet ad 17. Augusti. *Nordovici*, inquit ille, *in Hollandia natalis S. Ieronis Presbyteri & Martyris. Is genere Scotus, natiuo ex solo, Fide & gratia plenus, hinc ad plagas Christi lumine illustrandas transmeavit: multosq́; à diversis erroribus verbo salutari, & vitæ sanctissimæ exemplis liberavit. Cæterum cum Christi trophæa magis indies amplificaret, Danis ac Normannis sævientibus: ob pietatis studium, ab impiis capite plexus est. Corpus ejus inde Egmondam, ad S. Adelberti cœnobium translatum fuit per Theodoricum II. Comitem.* Vide an. Christi 849 num. 12.

Cent. 9. fol. 554.

Gal. Mar. 17. Aug.

JOANNES Monachus inter Australes Saxones. Bonifacium in Germaniam secutus, impiger illius agri cultor extitit. Qui cum strenuè in eo opere laborasset, a Bonifacio consecratus est Salisburgensis Antistes. De illo ex antiquioribus, hæc habet Baronius. *Bonifacius Boiariæ provinciam in IV. Parochias distribuit, eisq́; tres eximiæ virtutis viros præfecit, cum eos prius Episcopos ordinasset. Ex iis primus fuit Joannes, quem voluit Salisburgensis oppidi Cathedram obtinere.* Et meritò sanè prærogativam obtinuisse videtur. Nam ita Bonifacii, Joannis, & omnium bonorum hostes fatentur Megdeburgici. *Joannes* (inquiunt) *scientia literarum, & morum sanctitate celebris, à Bonifacio Pontificiæ reformatore, Salzburgæ habitare, & Ecclesiam illam regere jubetur.* Hanc ob causam Joannes iste, suo jure locum habet in nostro Martyrologio ad 18. Februarii. Vide an. 739. num. 2. & an. 757. num. 18.

Baron. an. 739.

K

KENTIGERNUS Glascuensis Episcopus. in Britanniâ natus, non sibi solum illustrissimè luxit: sed radios pietatis ac doctrinæ, longè latèque per se ad alios demisit. De illo sic breviter Joannes Pitsius. *Kentigernus Regio Pictorum sanguine oriundus, Patre Britanno, matre Thameto, Regis Pictorum Lothi filia, in Elgua civitate Cambriæ natus. Civitas Asaphi dictione, & est in Comitatu Flintensi: Vir planè Apostolicus, Confessor, Episcopus, & Doctor.* Labores ejus Apostolici in vitâ ejus apud Capgravium recensentur in hunc modum. *Kentigernus Pictorum patriam, quæ modo Galwedia dicitur, ab idololatria & hæreticorum pravitate, doctrina sua purgavit: Albaniam convertit, Ecclesias construxit, & monasteria multa fundavit. Misit ex discipulis suis ad Orcades, Norvvegiam & Islandiam, luce Fidei imbuendas. Ubicumque ferè pergebat vel prædicabat, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam, furiosis sensum reddebat: dæmonia ejiciebat, paralyticos erigebat, leprosos mundabat, & omnes languores curabat.*

Pitsius in Kentigerno.

Apud Capg. in Kentig.

Floruit Kentigernus sub finem sexti sæculi: & Magnum Gregorium in Rom. Cathedrâ sedentem, non semel veneratus est. Nam ita inter cætera narrat author supra. *Vir Dei septies Romam adiens, Sancto Gregorio speciali Anglorum Apostolo, totam vitam suam, electionem, consecrationem, & omnes casus, qui ei acciderant seriatim enodavit. Sanctus verò Papa, illum virum Dei, & Spiritus Sancti gratia plenum intelligens, consecrationem ejus quam à Deo noverat pervenisse, confirmavit.* Vide plura ad annum 514. n. 3. ubi nascitur Kentigernus: & anuum 539. n. 1. ubi Episcopus consecratus. Vide etiam an. 601. n. 46. ubi monens jubet Rom. Ecclesiæ statuta servari. & factiosorum Novatorum frontem admirare: qui Britannos ante adventum Augustini, nullum cum Rom. Ecclesiâ commercium habuisse, & nullos inde ritus aut sacra habuisse commenti sunt.

LEBUIANUS

L

LEBUINUS in Germaniam mirabili vocatione missus ad Gregorium Ultrajectinæ Ecclesiæ Præsulem; cum strenuam operam in animarum procuratione posuisset, meruit tandem Daventriensium Apostolus nominari, prout in Fastis Belgicis scribitur ad 12 Novembris. ubi ex Othelgrimo (scripsit vitam S. Ludgeri) hæc leguntur. *Temporibus Gregorii III. Ultrajectensis Episcopi, venit & alius homo Sanctus Liafwinus nomine* (ita Lebvinum vocat) *ex Anglorum gente, Domino vocante adductus. Etenim referebat trina Omnipotentis Dei admonitione terribiliter se esse jussum, ut illo in loco, & illis gentibus Misericordis nostri Evangelium prædicaret. Petiitq; à Gregorio demonstrari sibi locum locum divinitus commendatum. Gavisus ille de divinâ clementiâ; direxit eum in confinium Francorum & Saxonum, juxta fluvium Isala, ad locum qui dicitur Daventre, dans ei comitem & cooperatorem verbi Dei, servum Domini Marcellum: & ipsum ex Anglorum gente, à S. Willibrordo à pueritiâ enutritum. Ibi cum Ecclesiam construeret, & plurimos convertisset ad Dominum: sanctam animam reddens Domino, locum illum suo honorificavit corpore.* Habet hic Sanctus elogium & locum suum in Gallicano Martyrologio ad 12. Novembris. Vide illud, & plura de hoc viro ad annum 760. quo mortuus creditur.

Apud Miræum in Fastis ad 12. Octob.

LEVINUS Martyr. fuit unus è duodecim viris, quos Egbertus in Germaniam, unà cum S. Willibrordo misit, an. 690. De quo hæc tantum Marcellinus apud Baronium. *Lebvinus* (sive Levinus) *Pontificatum adeptus, Martyrio prope Gandavum coronatur.* Vide annum 697. num. 12. Differt hic Sanctus ab alio ejusdem nominis, sed non ejusdem Patriæ: qui Gandavi etiam ob impiis occisus est. V. an. 633. num 18. &c.

LUCIUS Britannorum Rex, & Christianorum in Europa Regum primus. Hic Romà docente, per lavachrum aquæ accepit spiritum Sanctum, & cum eo Apostolici Spiritus perunitus. Unde Fide fervens, è Britanniâ egressus, docuit Reges omnes Christi servitutem regno potiorem esse. Noricos imprimis Christiano dogmate beavit: quod ipsimet Bavari gratissimè agnoscunt. Unde Matthæus Raderus cum Lucium vocasset Norici Doctorem: hoc cum & Insulam nostram, ornat elogio.

Sanctus Lucius Britannorum Rex Christianus Norici Doctor.

Rader. in Bavariâ sanctâ

Multa Germania terra, Britannia, Scotia, Hibernia; Lumina Fidei misit: quæ offusas nobis ignorantiæ tenebras, cælestibus veritatis radiis, dispellerunt. Hoc primum fuit, eoq; illustrius, quod ex claro Regum solio, sol hic ortus, noctem in Norico, & Rhætiâ fugarit. Ut liberalem Dei beneficentiam agnoscas. Latuisset hoc sidus in vetustatis antiquitate, nisi è sublimi Regis fastus tribunali in humilium servorum, aut certè peregrinorum formam, cum Emeritâ germanâ suâ descendisset: clarior nunc ubiq; centum habetur; postquam claritudinem titulorum abjecit. Coillo Rege Marii F. Arviragi nepote natus Lucius, cum de Christo & Christianâ disciplinâ multa cognovisset, misit Legatos ad Eleutherium, Rerum Christianæ summam Romæ Antistitem. sanctioris religionis Magistros petitum. A quo Fugatius, & Damianus missi Lucium Christianis sacris initiarunt &c.

Institutus ergò religionis nostræ sacris, & cœlestis baptismatis fonte tinctus, fortunâ Regiâ cum Christi paupertate mutatâ: secutus primorum Doctorum vivendi rationem, relicto patrio solo, tituloq; regni abdicatus, ut hoc certius regni immortalis hæres scriberetur, quam ipse lucem à cælo hauserat, ut eandem aliis luceret, Noricum, Vindeliciam, & Rhætiam peragrans, multa indigna forti pectore perpessus, multa ad Christi castra perduxit. Augustæ Vindelicorum, Campestrium civem nobilem cum familiâ, aliosq; non paucos ad Christiana religionis professionem induxit. Ubi; nonnis ab impiis Dæmonum mancipiis malè exceptus, verberibusq; indignum in modum mulctatus, ac tandem in altum puteum præceps actus: ope tamen piorum, etsi pæne, mortem evasit. Inde Reginoburgum, hodie Ratisbonam profectus, ibi quoq; Romana Coloniæ Christi cultum fundere cœpit: ut & Iuvavia, & passim in Norico: donec in Alpinam Rhætiam progressus; Curiæ 3 Nonas Decembris beato fine conquievit. Vide plura de Lucio peregrino, ad an. 190. & de morte ejus an. 201.

LUDGERUS Monasteriensis Episcopus, extra Britanniam natus, successionem tamen debet iis, qui è Britâniâ progressi, vicinas provincias orthodoxà Fide illustrarunt. Nam & foris à Gregorio nostro, & in Britanniâ ab Alcuino doctus e Britanniâ exivit, & in messe animarum cum Britannis laboravit. Dicant hoc alii, & non os tuum. In Gallicano Martyrologio ad 26. Martii hæc habentur. *Eodem die Sancti Ludgeri Episcopi, & Confessoris: Qui ex Frisiâ oriundus, tum Francorum imperio subjectâ, in monasterio Ultrajectensi, Gregorio discipulo S. Bonifacii Martyris, à parentibus erudiendus traditus, multa futuræ sanctitatis illuc ad tyrunculus specimina edidit. Unde clericali ordini dignus cui asscriberetur censitus. crescente cum ætate virtutum gratiâ, ad Diaconi gradum evectus est. Hinc Eboraci in Angliâ docentem Alcuinum adiit, & audivit. Expletoq; triennio sacra philosophia, universam assequit & imbibit disciplinam. Mox patriæ opem laturus salutarem, suscepto sacerdotali ordine, in Frisiam rediit, Daventream pervenit: & circumquaq; discurrens, idololatrias quæ illic adhuc vigebant, germina extirpavit: fana subvertit, verboq; & opere potens, gentem illam penitus Christo subdidit. Cujus & Curam, Doctoris Apostolici officio fungens, per triennium gessit assiduam. Tum Romam, venerarturus Apostolorum limina, profectus: atq; à Leone Papa honorificè habitus; sacris ab eo muneribus, dignas admodum Sanctorum reliquias accepit. Atq; mox à Carolo Rege evocatus, ut collapsam per Saxonum incursum in Frisia pietatem resarciret, magno zelo suscepto muneri incumbens, omni ex parte expurgata ab impia superstitionis spurcitiis hac provinciâ; perfectè illic Christianam religionem stabilivit.* &c. V. etiam an. 778. n. 11. 804 n. 4.

Gal. Mar. 26. Mart.

LULLUS Moguntinus Episcopus. A S Bonifacio ex Angliâ vocatus anno 725. Ab eodem Romam missus ad Zachariam Papam anno 752. Quadriennio post consecratus Episcopus, & Bonifacii successor in Sede Moguntinâ. In nostris, & Belgicis Fastis, nomen ejus inter Sanctos scribitur ad 16 Octobris De quo sic in suis Fastis loquitur Aobertus Miræus. *Bonifacius antequam in Frisiam ultimò se conferret: Lullum jampridem ex Angliâ à se evocatum, sibi Episcopum, & in Moguntino Archiepiscopatu successorem consecravit, Romano Pontifice, & Pipino Rege consentientibus. Is Herosfeldæ in Hassia, haud procul à Fulda, monasterium à Sancto Bonifacio & Sturmione inchoatum, perfecit, & S. Wigberti corpus, ibidem collocavit. Alterum quoq; Bleydenstadii, duobus à Moguntia milliaribus ultra Rhenum excitavit: quod in Canonicorum postea collegium fuit versum. Eo translulit è Castello, quod ad alteram Rheni ripam, è Moguntia regione visitur, S. Ferrutii Martyris reliquias. Caput Lulli an. 1603 Moguntino Societatis Iesu collegio dedit Hermannus monasterii S. Godehardi, in urbe Hildesheimensi Abbas Benedictinus.* Quod ad Apostolicæ prædicationis munus spectat, de Lullo hæc addunt Magdeburgici. *Lullus fuit natione Anglus: & in Hassia, Thuringia, & Erferdiæ plantat Ecclesias.* Unde mortuo Bonifacio, videtur Lullus etiam in Apostolicæ Legationis munus successisse. Vide an. 791. num. 9. & an. mortis 788. num. 4.

Fasti Bel. ad 16. Octob.

Cent. 8. fol. 803.

M

MACLOVIUS, sive Machutus, Alethensis Episcopus: quod Apostolicorum virorum proprium, foris magis quàm domi illustris: magnis ornatur laudibus in Gallicano Martyrologio: quarum hic accipe compendium. ut ibi ad 15. Novembris legitur. *Eodem die in Aquitania S. Maclovii, aliàs Machutis, Alethensis primi Episcopi & Confessoris divinis operationibus clarissimi. Hic origine Insularis, natus in majori Britannia, ex matre supra Sexagenaria: quæ soror erat Hamonis patris Sancti Sampsonis: à Brandeno (Brendanum intellige) celebris sanctitatis Abbate baptizatus, adoptatus in filium, & regulariter educatus fuit. Cujus etiam jussu, miracula, licet invitus aggressus, defunctum, sub Sanctæ Trinitatis invocatione, à mortuis suscitavit, &c. Ac cum ex tam admirando opere, fama ipsius excresceret, aspernator propriæ gloriæ, clam se subduxit vir Sanctus: inq; Armorica Insula, sub Aarone Angelicæ puritatis æmulo vitam eremiticam aliquamdiu coluit.*

Gal. Mar. 15. Nov.

At latentem sub modio lucernam divinus prodidit splendor. Cum enim & eloquii divina gratia, & miraculorum gloria pollentem peregrinum virum incolæ hujus Insulæ audissent: ipsum abreptum à secessu, sibi pastorem elegerunt: votisq; Episcopis in Pontificali Cathedra apud Aletham civitatem collocari exigerunt. Sublimatus eo fastigio Machutus, gratia qua plenus erat, cœlestes fulgores exeruit. animas Dei cognitione illustrans, amore inflammans, omnisq; virtutis exempla quibusque præbens & monita. Vix post Apostolos de quopiam legitur, majora qua prodigia in Christi nomine patravit. Hæc ibi. Ubi plura narrantur argumenta sanctitatis ac patientiæ ejus. Ut expulsus è Sede, civium injuriâ: ut à Leontio Burdigalensi Antistite cum honore exceptus: ut denuò ad Sedem reversus, & demum extra diœcesim sanctissimè mortuus, quæ refero ad annum 549. n. 3. &c. *Tametsi vero* (ita concludit Martyrologium suprà)

pignoribus

Marty. ſup. 2.

pignoribus primæ ſuæ Antiſtitis, quem perſecuti fuere, privati fuerint Aleshenſes: manſit nihilominus apud ipſos ejuſdem Beati Maclovii nomen, nulla oblivione delendum: quod in hunc uſque diem, Civitatem ipſam glorioſo præſulatu, & divinè factis clarificat, munit, atq; decorat. Vide annum 549 num 6.

MAGLORIUS Dolenſis Epiſcopus, Machuto nihilò inferior: ſive vitæ innocentiam ſpectes, ſive mirabiliter ab eo geſta. Unde in eodem Gallicano Martyrologio ornatur hoc elogio ad 24. Octobris. *Ipſo die in Britannia minori, Sancti Maglorii Dolenſis Epiſcopi & Confeſſoris: Hic nobili genere natus, atq; egregiè inſtitutus, ex transmarina Britannia (quæ diù exagitabatur perpetuis Anglorum & Saxonum concertationibus) cum S. Sampſone aliiſq; pietate inſignibus viris, profugus in Armoricam venit: factuſque poſt ipſum Sampſonem Epiſcopus Eccleſiæ Dolenſis, præclaris exemplis, & DOCTRINÆ inſtitutionibus, ac virtutibus, ſuo gregi præluxit. Cum Epiſcopale onus depoſuiſſet, Budoco ſibi ſubſtituto, monachalem vitam complexus, tanta corpus inedia maceravit: ut quarta & ſexta feria, nihil prorſus cibi ſumeret, aliis diebus pane hordeaceo oleribuſq; leguminibus ac parco admodum veſceretur. In oratione frequenter pernoctabat, virginitatem verò cilicio egregiam perpetuo ciliciis uſu ſenſum titillantem compreſſit.* Narrantur inde miracula, quæ non exſcribo. Narratur felix ejus ad Deum tranſitus: & demum reliquiarum ejus Tranſlatio. Quæ habes ad annum 599. num 2. &c

Gal.Mar. 24. Octo.

MANSUETUS Tullenſis Epiſcopus, Magnum & antiquum Britanniæ noſtræ, Galliæque lumen. Hic in Septentrione noſtro natus; quem poſtea Scoti ſive Hiberni occuparunt, naſcitur. Inde Scotus aliquando à recentioribus, per Catachreſim dicitur Vide an. Chriſti 45. quo è Britanniâ emiſſus, ab Apoſtolorum Principe Petro Apoſtolatum accipere meruit ad Galliarum provincias, & Tullenſium Epiſcopus conſecratur. Ita enim ad 3. Septembris Gallicani Faſti profitentur. *Tulli Leucorum S. Manſueti Epiſcopi: qui vir nobilis, origine Scotus; atq; inter primos Petri Apoſtolorum Principis auditor. A quo & ſalutaribus undis tinctus, cum veteri homine exuto gentilitatis vocabulo, Manſueti, ob agni quam præferebat manſuetudinem, nomen conſecutus: ad hanc civitatem ſacribus Evangelica veritatis illuminandam miſſus eſt. Quam ingreſſus primùm, ita nefariis idolorum ritibus deditam reperit: ut parum prædicatione ſua perfeciſſet, ni divina virtus, verbum veritatis promoviſſet admirabili opere: quo prona ſalutis, filium Præſidis qui civitatem regebat, è ſpecula dum ludos ſpectaret delapſum diſcerptumque revocavit ad vitam. Hinc factum ut tota Præſidis familia, cum copioſa civium turma Chriſti ovibus adjungeretur, velocitérq; verbum Dei curreret. Atq; non modo cives; ſed accolas pleroſque tractus hujus, ſcientia ſalutis informaret. Alta igitur pace Manſuetus potitus, Deo uni & trino, ſub Sancti Stephani Proto-Martyris Clientelâ, Eccleſiam erexit & ſacravit: Clerum ordinavit, compoſitoq; ad omnem pietatem populo, ut Chriſto tandem quem unicè ſitiebat, frueretur; quadrageſimo, poſtquam Apoſtolicum munus inierat anno, placido mortis ſomno conſopitus, ad ſuperna præmia evolavit.* Vide annum 59. num. 2.

Gal.Mar. 3. Sept.

MARCELLINUS *Presbyter Sanctus, Tranſiſalanæ Provinciæ Apoſtolus.* Ita in Faſtis Belgicis ſcribitur, qui in Germaniam e Britanniâ, cum Sancto Willibrordo, & aliis decem miſſus eſt an 690. n. 7. *Fuit Sanctorum Willebrordi & Suiberti (ita narrant prædicti Faſti) Epiſcoporum æmulator in prædicatione Evangelicâ, Gregorii Ultrajectenſis hortatu, in Urenſâ, Twentâ, Oldenſalâ, Daventriâ, & reliquo tractu Tranſiſalano. cum S. Lebuino maximè laboravit. Domum obiit Oldenſaliæ, quæ veterum Saliorum ſedes eſt. Inde Daventriam tranſlatus ad Cathedralem Sancti Lebuini Baſilicam.* Scripſit vitam S. Suiberti. V. annum 697. n. 12. 760. n. 6. 762. n. 9. Colitur Sanctus ad 14. Julii Quo etiam die Gallicanum Martyrologium Marcellinum nominat *Tranſiſalanæ provinciæ in Galliâ Belgicâ Apoſtolum.*

Faſti Bel. ad 14. Julii.

MARCELLUS Treverenſis Epiſcopus & Martyr: Cum Fidem in Britanniâ Britannus homo prædicaſſet (*ut dictum* an. 160. num 2.) *in* Galliam progreſſus, eandem ibi promovit atque confirmavit, fuſo pro Chriſti Evangelio ſanguine. De quo Andræas Sauſſayus in ſuo Martyrologio ad quartum Septembris hæc habet. *Ipſo die Treviris Sancti Marcelli Epiſcopi hujus Metropolitica ſedis & Martyris. Qui S. Auſtoi ſuccedens, eo tempore quo perſecutionum procella, aſperis motibus, diriſq; fluctibus navem Eccleſiæ quatiebat: pro ea pervigil & ſtrenuus, adverſus tot atros turbines, in rapientiumq; tot ſævâ ſævitiâ, erexit animum, ſuperatiſque quibuſq; vorticibus in ſalutis portum, felici remigatione deduxit. Et evexit. Nam verbo & opere potens, ut tempus Fidei hoſtes ... expugnavit: ſic pios Chriſtiq; amantes, verò in religione ſoliditate animavit ſedulò, ad paſtum & vitam, quâ ad cœlum itur tranſitum beatum conſectando. Quibus & cruore ſuo præparatas adeptus, ad ſuperna felicitatis gaudium præmeruſſe avit.* Vide an Chriſti 179 n. 2. 3.

Gal Mar. ad 4. Septemb.

MARCELLUS Anglo-Saxo: Batavis Fidem Evangelicam, unà cum S. Lebuino prædicavit, S Willibrordi diſcipulus. De quo ex Othelgrimo hæc referunt Faſti Belgici ad 12. Novemb. *Gaviſus Gregorius de divinâ clementiâ, direxit Lebuinum in confinium Francorum & Saxonum juxta fluvium Iſala, ad locum qui dicitur Daventre: dans ei comitem & cooperatorem verbi Dei, ſervum Domini Marcellum & ipſum ex Anglorum genere à S. Willibrordo à pueritiâ enutritum.* Vide annum 760 num. 6.

Faſt. Bel. ad 12. Novem.

MELLO, ſive Melanius, Rhotomagenſis Epiſcopus, luculentum habet in Gallicano Martyrologio Apoſtolici ſpiritus argumentum ubi ad 22. Octobris. hæc habentur. *Ipſo die Rhotomagi ſecundæ Lugdunenſis Metropoli, S Mellonis Epiſcopi & Confeſſoris. Is ortu Britannus, cum Romam patriæ tributum ſoluturus veniſſet: Stephanum Pontificem, eundemq; Martyrem, de Redemptoris adventu & peractâ per eum in Cruce ſalute Fideq; & ſpe Chriſtiana diſſerentem audiens, divina illuſtratus gratia, baptiſmum ab ipſo popoſcit, & ſuſcepit Itaq; animatus ei adhæſit, perfectæ vitæ cupidine poſthabita ſæculi gloria, omnia quæ habebat, etiam arma quibus militare cœperat, vendiderit, pretiumq; Chriſti pauperibus erogarit. Sic igitur expeditus à nexibus ſæculi, totusque Chriſto deditus, in Cleri ordinem à Sanctiſſimo illo Pontifice aſcitus, etiam ad ſacerdotium gradatim promotus eſt.* Ita ibi. Tum pergit narrare ut divino oraculo, Rhotomagenſis Urbis electus & conſecratus ſit Præſul, miſſuſque Rhotomagum à Stephano Papâ *Ubi divinum opus aggreſſus* (pergit de Mellone dicere) *Chriſti nomen incolis prædicare cœpit tanta cum vi ſermonis, & ſignorum magnificentia, quam admirabilis augebat vita ſanctitas, ut brevi dierum decurſu, omnem penè Civitatem in Fidei obſequium traduxerit.*

Gal.Mar. 22. Octo.

Ingentiigitur civium multitudine, fidei dogmatibus imbuta, ſacroq; tincta lavacro, ibidem Chriſto Servatori Mello primum trophæum erexit, condita Eccleſia ſub ſuprema Trinitatis invocatione. In qua convocatam qualibet Dominica die fidelem populum, divino in cultu erudiebat, ſacrificium incruentum offerebat; ac ſalutis ſubſidia ſuis ovibus impartiebatur. At cum gregi Chriſti indies numeroſa fieret acceſſio: exteraq; negotiatores etiam divino verbo ſe auſcultantes præberent in eorum gratiam, aliam Sanctus Antiſtes ſacram ædem in Inſula (quo locus ſacro conventui opportunior eſſet) conſtruxit. Cui S. Clementis indidit nuncupationem. Tertiam etiam ſuperaddidit, quam Sanctæ Virgini Deiparæ venerationi conſecravit. In qua & presbyterio conſtituto, Epiſcopalis ſedis primordia initit. Denique cum annis pluriſque Apoſtolico inſtitiſſet, animarumq; myriades Chriſto, verbi ſalutaris ſemine peperiſſet: pius Dominica militia veteranus, æternam in requiem conceſſit. In ſuburbio tumulatus eſt, ac in crypta, cui deinde S Gervaſii Eccleſia ſuperpoſita fuit, digno ſcilicet Mauſoleo. E quo tamen, furente Danorum exitiali exercitu, interiorem in Galliam, delatum ſacrum ejus corpus, apud Pontiſium caſtrum reconditum eſt. ubi etiamnum magna cum nomine celebritate quieſcit in ſui nominis Baſilica. De Sancto Melanio vide an. 257. num. 3. 258. num. 2. 280. num. 1 2. 3.

MOYSES Saracenorum Epiſcopus: Inter Britanniæ viros Apoſtolicos, ob Fidei conſtantiam, ejuſque promotionem meritò enumeratur. Is patriâ relictâ, & Ægypti ſolitudinem petens, Magni Hilarionis famâ excitus, adeò ſanctitatis opinione claruit, ut à Saracenorum Reginâ Epiſcopus poſtulatus ſit Acquievit ille quidem, paratus oneri humeros ſubmittere: ut provinciæ pacem, quæ aliter conciliari non poterat, adferret. Sed à Lucio Alexandrino intruſo Epiſcopo. & Ariano homine, conſecrari conſtantiſſimè renuit Vide an. 372. per totum. Ubi dubium de ejus patriâ ſolvitur. Quam bene Epiſcopali & Apoſtolico munere functus ſit, ita paucis complectitur Theodoretus. *Poſtremò Moyſes, ubi cum Fide admirabili gratiam Epiſcopalem acceperat: ad illos qui eum requirebant profectus eſt. Et partim doctrina Apoſtolica, partim miraculis, eos ad veritatem traduxit.*

Theod. l. 4. c. 21.

Meminit hujus Sancti venerabilis Beda, qui in ſuo Martyrologio ad 7. Februarii ita ſcribit. *In Britanniis, Civitate Auguſta, Sancti Moyſetis venerabilis Epiſcopi. Qui primò quidem in Eremo ſoli ariam vitam ducens, meritis & virtutibus ac ſignis, quæ faciebat, per illum Deus magnificè innotuit. Qui poſtea petente Mauvia Saracenorum Regina, Epiſcopum gentis illius factus, Fidei Catholicæ cuſtodiviſit intemeratam conſervata. Et gentem cui datus fuerat Epiſcopus, ex grandi parte ad Chriſti fidem convertit. Sicq; in pace quievit.* Ita Beda, unde Moyſis patria deducitur. Vide an. 372.

Beda in Martyr. 7. Febr.

NINIANUS

L

Apud Capg. in Niniano.

NINIANUS Auſtralium Pictorum Apoſtolus: Britannus homo, Romam profectus, ibique doctus, (an. 370. n. 1.) A Rom. Pontifice conſecratur Epiſcopus. Auſtrales Pictos ad Chriſti Fidem convertit, inde meritus nomen Apoſtoli. De quo Joannes Tinmutenſis in ejus vitâ. *Audiens Pontifex Romanus, quoſdam in occiduis Britanniæ partibus, necdum Fidem Chriſti ſuſcepiſſe: ad Epiſcopatus gradum Ninianum conſecravit: & præmiſſo genti data benedictione, Apoſtolum deſtinavit.* vide an. 394. n. 1. Ex Vrbe rediens, ad Martinum Turonenſem (quem aliqui avunculum ejus arbitrantur) divertit. *Licentiatus demum ab eo* (pergit Tinmutenſis) *Ninianus; cum ad locum legationis veniſſet, magnus populorum fit concurſus; ingens cunctis lætitia, mira devotio, laus quoq; ubiq; reſonat Chriſti: quoniam ſicut Prophetam eum habebant. Capit mox malè plantata evellere, malè collecta diſpergere, malè ædificata deſtruere. Purgatis ab omni errore fidelium mentibus, omnia quæ fidelibus agenda, verbo docuit, operibus & exemplo monſtravit, & multis miraculis confirmavit.*

Elegit autem ſibi ſedem in loco, qui nunc Whiternus dicitur, in litore maris: ipſo pelago clauditur à parte tantum Aquilonari, via ingredi volentibus aperitur. Ita Joannes. Dicti ſunt deinde Niniani ſucceſſores, Candidæ Caſæ, vel quod vulgò redditur Witernenſes Epiſcopi. Meminit hujus Sancti Beda: & Niniam vocat eo loco. *Auſtrales Picti, relicto errore idololatriæ, fidem veritatis acceperunt prædicante eis verbum Nynia Epiſcopo reverendiſſimo viro, de natione Britonum: qui erat Romæ regulariter Fidem & myſteria veritatis edoctus.* Vide ſis plura an. 394 num. 4.

Beda l. 3. c. 4.

O

OTGERUS Levita, Anglo-Saxo, Pecthelmo & Wironi in Urbem pergentibus, & per Britanniam noſtram tranſeuntibus, ſe ſocium adjunxit in Romanâ peregrinatione, & munere Apoſtolico. De quo è Surio ſic ſcribunt Baronius, & Miræus in Faſtis. *Cum Pecthelmus & Wiro, per Angliam iter facerent; devinctus illis adjunctus eſt Otgerus Levita: qui præ fervente cœleſtis patriæ deſiderio, terrena contemnens, Beato Wironi adhæſit.* Hinc fortè ortum, ut Magdeburgici Otgerum dixerint Deirorum Regis filium. Cent. 8. fol 822. Sed Aldebertum eo loco, non Otgerum, nominare debuiſſent inaccurati homines. Alii porrò progreſſi, inde, opinor, Otgerum Scotum vocaverunt, errore facili, nam inſpectis authoribus, perpenſiſque rerum circumſtantiis, diluitur nullo negotio. Ita corrige Gallicanum Martyrologium ad 10. Septembris ubi legitur. *In agro Ruremondenſi S. Otgeri Diaconi, qui natione Scotus cum S. Wirone Epiſcopo, & Pecthelmo, eodem poſtea apice decorato, profectus Romam ad Apoſtolorum limina veneranda: ſolutis votis, poſtquam in patriam cum illis reverſus; iisdem in Galliam tranſmeantibus, latere di, ad Deo liberiùs vacandum, deſiderio adhæſit. Cum quibus à Pipino Duce Francorum benignè ſuſceptus: in monte Petri, qui nunc in Sanctâ Odiliâ nuncupatur: ab omni ſtrepitu jemoto (quem iis pius Princeps pietatis intuitu contulerat) vitam inſtituit Angelico æmulam. Inde ſibi nō ſolū gratia data ad ſalutem proficeret, ad proximorum commoda converſus: nec mali is verbo & exemplo ad rerum præſentium contemptum, & æternarum amorem inflammaſſet. talento Domini egregiè aucto, præmium ab eo, morte beatâ conſummatus, recepit.* Circa annum Domini 730. ut conjectat Martyrologium noſtrum, ad 10. Septembris. ubi dicitur Sacerdotio auctus. Nam inventus eſt in Angliâ Levitici ordinis, & ob munus prædicandi ad altiorem gradum aſcendiſſe credendus eſt. V. an. 735. n. 16.

Baro. 731. Miræ. in Faſt. Bel. 10. Sept.

Gal. Mar. 10. Sept.

Ma. Ang. ad 10. Septemb.

P

PATRICIUS Hibernorum Apoſtolus. In majori Britanniâ natus (an. 361 n. 11.) à Cœleſtino Papâ Apoſtolatum ad Hibernos accipit: tum demum rem Chriſtianam feliciſſimè geſſit: cum priùs multum, ſed fruſtra, laboraſſet. Ita enim Probus in ejus vitâ, & legitur apud Bedam. *Prædicantem Patricium,* inquit, *diebus & noctibus cum ſpernerent Inſulani (Hibernos nimirum) S. Patricius fudit ad Dominum hujuſmodi preces. Domine Ieſu Chriſte qui iter meum per Gallias, atq; per Italiam, ad has Inſulas direxiſti, perduc me obſecro ad Sedem Sanctæ Rom. Eccleſiæ: ut acceptâ inde authoritate prædicandi cum fiducia verbum tuum, fiant Chriſtiani per me populi Hibernorum. Nec multò poſt progreſſus ab Hibernia vir Domini Patricius: venit ad Caput ut poſtularet omnium Eccleſiarum Romam. Ibiq; benedictione Apoſtolicâ petita & accepta, reverſus eſt itinere quo venerat illuc.*

Probus in Patric. l. 1.

A Cœleſtino igitur Rom. Pontifice, Epiſcopus ſimul & Apoſtolus conſecratus. *Ejus prædicatione, Chriſtiano[rum] doctrina* (ita è Probo referunt alii) *brevi ingens hominum multitudo aſſenſum præbuit. Itaq; Patricius gregi ſuo, tanquam bonus paſtor acri inſpectione invigilat, frequenti & aſſidua admonitione Chriſtianos novitios ad omnem pietatem informat: infidelium errores convincit, reclamantes Mago[s] percellit.* &c. Cum ita plures annos Hiberniam fide Chriſti, ſanctitate ſuâ & miraculis impleviſſet: cœnobiticam vitam Glaſtonienſes monachos in patriâ docuit. Et ibi tandem ſanctiſſimè moritur, impensè ab Hibernis eo adventantibu[s] cultus. Sed magis in Hiberniâ, ubi ab univerſâ Inſulâ pro Apoſtolo habitus, ſolenniter celebratur 17. Martii. Unde in Rom. Martyrologio non malè canitur eo die. *In Hibernia natalis S. Patricii Epiſcopi & Confeſſoris. Qui primus ibidem Chriſtum Evangelizavit: & maximis miraculis, & virtutibus claruit.* Vide plura de Patricio ab anno 430. & deinceps.

PAULUS ſive Paullinus Leonenſis Epiſcopus: in majori Britanniâ natus, in minori denaſcitur, cum ſanctitatis opinione maximâ. De quo Gallicanum Martyrologium ad 12 Martii. *Eodem die Leonis in Armorica, S. Pauli Epiſcopi ejuſdem oppidi, & Confeſſoris: Cujus vita ſanctimonia, jejuniis, orationibus, humilitate, miraculis. clara refulſit, in Britannia Ciſmarina* (Tranſmarinam repono vide an. 600. n. 8.) *natus, à Patre Perſio. B. Iltuto erudiendus traditus, bonis moribus, & ingenii præſtantia, coætaneos ſuos longè ſuperavit: domiq; ſupernæ gratiæ proventus: jamque miraculis inſignis; timens ne vana gloria intumeſceret: annos duntaxat quindecim natus, in Eremum ſeceſſit, ibiq; ſibi oratorium & cellam conſtituens, Angelicam vitam inſtituit. Cumq; ſanctitatis meritis quotidie creſceret, ad ætatis & gratiæ plenitudinem perveniſſet: ſacerdotio invitus initiatus, ordinis dignitatem excellenti ſanctimoniæ ſplendore exornavit. Cujus fama cum ubiq; perſonaret, à Marco Rege accerſitus per legatos; ipſum, ſubjectumq; ei populum Chriſtianis ſacris nuper imbutum, adhucq; non ſatis eruditum, pleniùs in Chriſti fide, religionisq; ſacroſanctis myſteriis edocuit. Hinc Angelico monitu ad Oſſam Inſulam ſecedens, multos illic infideles ad vera pietatis lumen perduxit.*

Pergit author pluribus narrare, ut ad majus ſacerdotium, dolo Childeberti Regis pertractus, cum munus illud diu pientiſſimè adminiſtraſſet, Sanctiſque inſtitutis ſedem exornaſſet: feliciter tandem in Domino requievit. Vide an. 600. num. 8. &c. ubi patria ejus excutitur. Et ſanè ſi inter Iltuti diſcipulos numerandus eſt, debuit in majori Britanniâ Iltutum audiviſſe. Nec enim Britanniam noſtram egreſſus legitur. Quod igitur in vitâ ejus legitur apud Capgravium. Confluebant ad S. Iltutum diſcipuli plurimi. Inter quos fuerunt Sampſon, Paulinus, Gildas, David; hoc inquam de Paulo Leonenſi in majori Britanniâ docto intelligendum eſt. Vide an. 513. num. 3.

PECHELMUS Epiſcopus, Apoſtolicis viris qui è Britanniâ prodierunt, ſuccenturiari debet: ſive ille in Septentrione noſtro, ut volunt novi Scoti, ſive in vicinâ nobis Inſulâ, ut volunt Hiberni, natus ſit. Nam quicquid dixeris, conveniunt omnes. ipſum cum Wirone in Britanniam; quæ modò Anglia, veniſſe: & inde aſſumpto peregrinationis ſocio, Otgero Levitâ, porrò profectum. *Qui cum exſcindendæ ſuperſtitionis Ethnicæ, quæ adhuc in nonnullis Belgii partibus pullulabat, deſiderio, in Gallias* (ita legitur in Gallicano Martyrologio ad 15. Julii) *unà cum Sancto Otgero Diacono, & Wirone Epiſcopo, veniſſet: à Pipino Rege benignè exceptus: & ad ipſum opus incitatus; multos ad Evangelicæ veritatis lucem perduxit: & deletis inanium delubris numinum, ad honorem veri Dei plures Eccleſias conſtruxit. Plenus denique dierum ac meritorum placidâ morte quievit. Quem divina mirabilia circa ſepulchrum ejus micantia in cælis beatum prodiderunt: honoresque Sanctis glorioſis debito, conſecuti ſunt; elevatis ad altare majus Ruremondenſis Eccleſiæ Cathedralis ejus reliquiis, cum Sanctorum Wironis & Otgeri pignoribus, feſtoq; officio annuali, non modò in totâ Diœceſi, ejus cultui attributo. Verùm etiam Oldenſalæ in Daventrienſi Præſulatu; ubi venerandum ejus caput adſervatum, magnâ populi devotione honoratur.*

Habent hic ſimilia Faſti Belgici ad eundem diem. Ubi etiam dicitur Pecthelmus iſte. *ex Northumbriæ finibus clarus ortus natalibus, & Candidæ Caſæ Epiſcopus.* Sed non planè aſſentior. Nam Hiberni, nec ſine causâ repugnant. Et puto veriùs Plechelmum S. Wironis ſocium, qui foris claruit, ab eo diſtinctum eſſe, quem Candidæ Caſæ Epiſcopum nominamus. Vide an. 697. n. 10. 723. n. 19.

R

RICHARDUS Andriensis Episcopus; Italiam Fide orthodoxâ, & mirâ sanctitate illustravit, ut Andriensis Ecclesiæ monumenta testantur. In quibus ita legitur. *Richardus natione Anglicus, nobilissimis parentibus ortus: quo tempore præerat Ecclesiæ Leo primus, & Martianus Imperio Romano Attilâ Italiam vastante.* Vide an. 455. n. 4. &c. Quàm innocenter & sanctè pueritiam egerit, habes ibidem n. 6. Apostolatum ad Calabros, ab ipso Apostolorum Principe Petro, creditur accepisse. Nam ita in Ecclesiastico officio Andriensis Ecclesiæ legitur. *Cum beatus Richardus assiduis orationibus esset intentus, per quietem apparuit sibi sanctus IESV Apostolus Petrus: præcepitque sibi ex parte Dei Omnipotentis, ut in Apuliam pergeret, & Andriam verbum Dei nunciaret. Nec timeret viæ longitudinem, aut infidelium minas; quoniam Deus esset cum eo. Hæc dicta evenit.*

In Officio Ecclesiæ.

In 2. Noct. 14.

Beatus Richardus illicò ante figuram Crucifixi procidit, gratias agens Deo Omnipotenti, & beato Petro. Manèque consurgens, relictis fratribus sibi charissimis, itineri se accinxit. Quem circumfusa undique multitudo lachrymis deprecabatur, ad orbatam suo decessu patriam derelinqueret. At ille in proposito perseverans, postquam illos consolatus est, Romam petiit. Ibi adiens Gelasium Pontificem nunciavit: & quæ sibi ab Apostolo per quietem mandata fuerant, exposuit: petiitque ab eo ut suâ benedictione liceret Andriam pergere, & ministerium sibi commissum adimplere. Gelasius audiens hoc, admodum lætatus est: & videns venerabilem beati Richardi faciem, morumque gravitatem considerans, illum Ecclesiæ Andriensis Episcopum consecravit: præcepitque, ut quocumque pergeret, Evangelium IESV Christi enunciaret. Deinde deosculans hominem, eum benedixit. Quocumque incedebat Richardus, verbum Dei prædicabat: & in virtute miraculorum, & Dei potentiâ multos languentes sanabat: multosque ad cultum veri Dei & Fidem Christi convertebat. Vide plura Apostolicæ functionis ejus opera ad an. 492. num. 1.

RIOCHUS S. Patricii Hibernorum Apostoli, è Darercâ sorore nepos, Episcopus Inisbouiodensis. Rem Christianam in Hiberniâ impigrè promovit, avunculi secutus vestigia. De eo in opere Tripartito apud Usserum hæc habentur. *Darerca ex uno marito eminentem Conis, tres liberos suscepit, Mel, Riochum, & Munium. Qui in prædicatione atque itinere beatum Patricium comitabantur: & in locis diversis Pontificalem dignitatem sortiebantur.* Ad Riochum porrò quod attinet, hæc in Jocelino leguntur. *Erat ipse Riochus, natione Britannus, gradu tunc Diaconus (itinerum cum primò Patricium in Hiberniam comitatus) Sancti Præsulis consanguineus: speciosus forma præ filiis hominum in partibus illis degentium: erat nihilominus vita sanctissima: ut dicere posset, ex sententiâ illud Psalmistæ: Domine in voluntate tuâ præstitisti decori meo virtutem.* Patricius postea Riochum hunc Episcopum consecravit; Sedemque habuisse dicitur in Insulâ, quam Beda Inisbouinde appellavit. Vide an. 518. n. 5. & 664. n. 29.

Beda l. 4. c. 4.

Fuerunt & alii S. Patricii nepotes, qui ad Hiberniæ conversionem plurimùm fecerunt. Ex his aliquorum nomina Hiberni scriptores posterorum memoriæ commendarunt: & quidni locum suum inter viros Apostolicos, qui è Britanniâ prodierunt, merentur. E Patricii sororibus una Tigris, sive Tigridia vocabatur. De illâ refert Jocelinus, quod fælici ditata fœcunditate, fructus optimos protulit: quia septendecim filios, & quinque filias edidit. Omnes mares magni meriti Pontifices, sive Sacerdotes optimi, & monachi fuerunt: fœminæ verò sanctimoniales effectæ, in magnâ sanctitate dies consummarunt. Episcoporum nomina

Apud Usser. in Prenord. fol. 824.

BROCHADIUS,
BROCHANUS,
MEGENOCHUS, &
LUMANUS,

fuerunt: Qui cum Sancto Patricio avunculo suo de Britanniis in Hiberniam venientes, & in agro Dominico strenuè collaboratores, messem multam ad horrea cœlestia transmittendam collegerunt. Ita refert è Jocelino Usserus.

RODULPHUS Presbyter Anglus: cum aliis ejusdem nationis in Gothiâ, aliisque ad Septentrionem provinciis Evangelium prædicavit, Olai Regis tempore. De his viris Apostolicis ita Adam Bremensis. *Olaus Rex secum habuit Episcopos multos, & Presbyteros ab Angliâ: quorum monitu & doctrinâ, ipse cor suum Deo præparavit, subjectumque sibi populum ad regendum commisit. Qui cum clari doctrina & virtutibus erant Sigfrid, Gunnelild, RODULPH & Bernard. Hi etiam jussu Regis ad Suediam, Gothiam, & omnes Insulas, quæ trans Northmanniam accesserunt, Evangelizantes barbaris verbum Dei, & regnum IESV Christi.* Vide an. 1004. n. 8. & 1027. n. 12.

A n. l. 2. c. 40.

S

SAMPSON, in majori Britanniâ illustribus parentibus natus: Abbas primum, inde Menevensis Episcopus (vide an. 513. n. 3.) postremo Gallias implevit odore sanctitatis. De quo sic loquitur Gallicanum Martyrologium ad 28. Julii. *In Britanniâ minori Dolensi civitate, Sancti Sampsonis Episcopi, & Confessoris gloriosi. Qui Regio in Angliâ sanguine clarus, è matre sterili natus, divino cum prænuntio sanctitatis: S. Ildutο in disciplinam à puero traditus est &c: vitiorum severus castigator, virtutumque pietatis moerrimus. Inde variis persecutionibus exagitari cœpit: demumque Saxonum tyrannidem fugiens, versus minorem Britanniam, ut tutiùs Christo serviret, pedem retraxit. Ubi constituto monasterio, de Childeberti Regis licentiâ & munere, vitam ibi instituit totam divinis rebus deditam: discipulosque ascitos, in eundem tramitem sanctissimis monitis & exemplis deduxit: &c. His dotibus mirificus cum vir Dei profulgeret, dignus qui totius provinciæ gereret Præsulatum, divino judicio & indicio declaratus Antistes primus Dolensis: sed cum Metropolitanâ dignitate, à Comprovincialibus Armoricæ Episcopis consecratus est. Atque à Pelagio Pontifice, pro meritorum præstantiâ pallium recepit.*

Gal. Mar. 28. Julii.

Vide tractatam de hoc pallio Sampsonis quæstionem ad an. 559. n. 3. Ubi pallium è majori Britanniâ & Menevensi Ecclesiâ, in Armoricam à Sampsone translatum ostendo. Cujus usum in Dolensi Ecclesiâ, fortè Rom. Pontifex permiserit. Sequitur in Martyrologio supra. *Demum Pontificatu egregiis actibus decorato, vitam sanctitatis plenam, morte felicissimâ commutavit. Cujus corpus ob Danorum ferociam Aurelias deportatum, in reverentia exceptum est, ut propria Ecclesia ad ejus custodiam, & cultum, construeretur:* &c. Vide an. 599. n. 1. &c.

SERVANUS Britanniæ Doctor, & Orcadum primus Apostolus. Fuit discipulus Palladii, quem Cælestinus Papa ad novos Scotos in Fide confirmandos, & veteres ad Fidem convertendos, misit. Qui per Britanniam transiens, in partem laboris Servanum assumpsit: eumque ad majus sacerdotium efferens, ad Orcades misit. De quo hæc ex antiquioribus scribunt Magdeburgici. *Palladio in Scotiam misso, Servanus se conjunxit, ejusque vestigiis firmiter adhæsit, ac omissam Evangelii & propaganda doctrina, eum eodem promovit. A quo cum ejus ipsi doctrina, & sanctimonia innotuisset, tandem ad Orcades missus est Apostolus: ut Insulanos illos Christianæ religionis cultum doceret. Id quod studiosè fecit: & nomen etiam sibi inde comparavit, ut Orcadum primus dicatur Apostolus.* Vide an. 431. n. 5.

Cent. 5. fol. 1430.

SIGFRIDUS Vexovicensis Episcopus. Ab Alfredo Rege ex Eboracensi Clero assumptus, in Norwegiam mittitur: ut gentem illam in Idolorum tenebris, & superstitionum luto hærentem, ad Evangelii lucem, & Christianæ vitæ puritatem traheret. Ivit ille cum tribus nepotibus, quos statim Apostolicæ missionis socios nominabo, & ab Olao Rege qui operas petierat, benignè excipitur, mox ejus permissu imperioque, consecratur Sigfridus Uexovienfis Episcopus. Quam Sedem ubi piis institutis ornasset, eam tribus nepotibus regendam committens, ipse Apostolico more aliis provinciis Fidem magnâ cum industriâ prædicavit. Olao Rege ejus operam promovente. Unde primus nominatur inter eos Anglos, Olai Regis provinciam Christianis institutis imbuentes. de quibus Adam Bremensis ita scripsit lib. 2. cap. 40. *Habuit Olaus Rex secum Episcopos multos, & Presbyteros ab Anglia: quorum monitu & doctrina, ipse cor suum Deo præparavit, subjectumque sibi populum ad regendum commisit. Quorum clari doctrina & virtutibus erant Sigefrid, &c.* Vide an. 1004. n. 8. & 1027. n. 12.

Adam. l. 2. c. 40.

SUNAMANUS,
UNAMANUS,
WIAMANNUS,

Apostolici Martyres cum Sigfrido avunculo conjunguntur: nam in eodem cum ipso opere laborarunt; & in morte ab invicem non sunt separati. Do igitur quæ de illis ex Olao Magno referunt Magdeburgici, in hunc modum. *Dum apud Wistgothos, à Sigfrido Anglo instaurata religionis sic: tres ejus nepotes Sunamanus, Unamanus, & Wiamanus, quibus Ecclesia Vexoviensis curam commiserat: dum latiùs conantur diffundere Evangelium Christi, à proceribus quibusdam regni; partim odio veræ religionis, partim prædæ cupiditate, crudeliter occiduntur. Nam eos pretiosa essent Anglici Doctores secum attulerant, quæ illi latrones auferunt. Patrata igitur cæde, capita vase inclusa, appensoque lapide magni ponderis, in stagnum propinquum demergunt: truncos verò cadaverum, in paludem objiciunt, sperantes authores tanti homicidii in perpetuum latere posse.*

Cent. 10. fol. 26. fine.

Plura

Plura sequuntur in Olao Magno mirabiliter acta, ad Sanctorum fratrum innocentiam Fidemque asserendam. quæ non exscribo. Vide an. 1000. num. 3. 4.

STILCHARDUS S. Bonifacii Diaconus & Comes in Evangelio proferendo: cum ubique Episcopi sui vestigia, de more sequeretur. Unde meruit tandem cum eo, Apostolicorum virorum consortio sortiri, & debitam tanto muneri coronam Martyrii, quam cum S. Bonifacio accepit. anno 755 n. 22. Ubi cum aliis Martyribus nominatur.

STURMIUS Anglo-Saxo, S. Bonifacii discipulus, & fundati ab eo monasterii ad Fuldam primus Abbas Germaniæ conversionem & verbo juvit & exemplo. Nam ita scribunt Magdeburgi, Germani quamvis. *Sturmius, socius & Comes Bonifacii, in Thuringiâ & Hassiâ cum eo prædicavit: & conatus est Bonifacium nonnihil levare in certamine adversus Albertum: ac primùs Abbas Fuldensis, an. Domini 750. consecratus est: Et habuit quadragentos monachos, exceptis ministris, & præfuit iis annos viginti novem: & obiit an. 781.* Vide annum 725. num. 10. 746 num. 5. & 780. n. 3.

Cent. 8. fol. 242.

SUIBERTUS Episcopus Werdensis. An Britāniam ortu suo, an verò Germaniam, labore Apostolico, magis illustraverit, nescio: illud certum, & orthodoxæ Fidei, & utriusque provinciæ fuit ornamentum singulare. Nascitur in Northumbriæ regno (647 n. 1.) & à teneris annis in monasterio doctus, hausit spiritum illum, quem in plures provincias plenissimè effudit. Ab Egberto Eboracensi, unà cum Sancto Willibrordo, & aliis decem in opus Evangelii assumptus (690 n. 7.) agrum dominicum cœpit excolere. Quem fructum in eo opere fecerit, testantur plures provinciæ, ab eo, ad Christum, Fidemque ejus collectæ, quas Fasti Belgici enumerant ad 1. Martii. Ubi hæc habentur. *Sanctus Suibertus Episcopus: Testerbandiæ, Westphaliæ, Bataviæ, Frisiæ, Boructuariorum, Saxonum, aliorumque Germaniæ populorum Apostolus.* Tum addit author Aubertus Miræus hanc paranesim in dictas provincias: quæ æquè in Suiberti patriam cadere potest. *Hujus Sanctissimi Apostoli sui (inquit ille) doctrinam verò Christianam, tot illustrium prodigiis, ac miraculis confirmatam, utinam nationes istæ, quas in Christo genuit, æmularentur, ac prosequerentur. Nec impiis Lutheri, Calvini, Mennonis, aliorumque id genus monstrorum placitis, nullo unquam testimonio divinitùs accepto adhærerent.*

Fast. Bel. 1. Martii.

Illustria Suiberti miracula. Vide an. 696 n. 9. 711. n. 3. 749 n. 11 12. 778. n. 7 &c. 783 n. 3. 804. num. 3. &c. Quæ miracula, cum illustrissima fuerint, hoc est, in multâ luce Regum, Principum, populorum, provinciarum patrata; & ab iis scripta, asserta, promissaque ad posteros, qui doctrinâ & sanctitate clari, eodem tempore vixerunt: valde supini sunt Magdeburgici, cum ita scribunt *Suibertus Anglus. &c. miraculis claruit, sed quorum nullum indicatur.* De ejus obitu, ita paucis scribit Miræus in Fastis. *Anno Domini 717. Suibertus laboribus fractus, Werda Cæsaris profundè moritur: & in suo ibidem monasterio sepelitur, atque etiamnum colitur.* Relatus est inter numerum Sanctorum anno 803. à Leone Tertio. Vide an. 804. num. 3. &c.

Fasti Bel. 1. Martii.

T

TERVANUS Pictorum Episcop. Fuit Palladii discipulus ab eo cum Britanniam lustravit in Episcopum assumptus: & demum ad Pictos missus. Prius tamen cum Palladio, & Servano Fidei sementem sparserat. Unde de illo hæc habent Magdeburgici. *Tervanus cum Palladio & Servano, pro viribus, doctrinæ negotium provexit. Et demum à Palladio ad Pictos missus Apostolus: ut post Niniani Domini vineæ irrigaret plantationes. Unde Niniani istius successor videri potest, &c. Magnâ Fide & sedulitate officium suum peregit eo tempore; cum ipsi Picti, partim rudes, partim verò Pelagianâ peste infecti fuerunt.* Sunt qui volunt Tervanum à Palladio Archiepiscopum consecratum esse. Sed simplicior ætas illa; & doctorum virorum, adde & Episcoporum paucitas, simplicioribus etiam titulis gaudebat. Lesleus tamen lib. 4 de gestis Scotorum ita loquitur.

Cent. 5. fol. 143.

Palladius Servanum, Episcopatus authoritate cumulatum, ad Orcades Insulas, ut gentem illam rudem & barbaram, Fide Christianâ imbueret, allegavit: & Tervanum quoque Pictorum Archiepiscopum creavit. In quibus locis ii duo, tanto religionis pietatisque proferendæ studio, officii sui partes cumulatè expleverunt: partim hæresim Pelagianam, ex insulanorum animis evellendo: partim religionis puritatem illorum purgatis animis instillando: ut meritò hic Pictorum ille Orcadum Apostolus censeretur. Vide an. 431. n. 5.

V

VLFRIDUS Martyr: In Suediam è Britāniâ missus, ingenti animarum zelo Fidem prædicavit, idola destruxit, ab infidelibus demum, ob Fidem quam illis porrigebat, interfectus. Hunc malè ut solent Magdeburgici Wolfredum vocant, cum aiunt. *Wolfredus ex Angliâ oriundus, superstitionem Suevia, concione & manu sustulit. Si potens est, inquiens vester Deus Torstan, se vindicet: & simul arreptâ securi, simulachrum in frusta concidit.* Sed malo audire Adamum Bremensem, ejus nomen & Martyrium accuratiùs exponentem. Sic enim de Ulfrido Martyre scripsit. *Per idem tempus fertur est quendam ab Angliâ nomine Wlfridum, divini amoris instinctu, Suediam ingressum; paganis verbum Dei magnâ fiduciâ prædicasse. Qui dum sua prædicatione multos ad Christianam Fidem convertisset: idolum gentis Torstans, in consilio Paganorum cœpit anathematizare: simulque, acceptâ bipenne, simulachrum in frusta concidit. Et ille quidem pro talibus ausis, statim mille vulneribus confossus, animam laurea Martyrii dignam transmisit ad cœlum.* Corpus ejus Barbari laniatum post multa ludibria miserunt in paludem. Hæc veraciter comperta memoriæ tradidi. Quamvis sint alia quæ adhuc scribi digna sint, Vide an. 1028. num. 5.

Cent. 11. fol. 495.

Adam. l. 2. c. 44.

W

WACCARUS Monachus, Bonifacium Germaniæ Apostolum juvit in opere Evangelico: Eum per Germaniam comitatus est. & demum cum in Frisiâ, in animarum conversione laborans, à Barbaris occisus, Martyrii coronam assecutus est. Vide an. 755 n. 15. &c.

WALTERUS Presbyter: eodem modo Apostolico munere fungens, Bonifacium cum ultimo in Frisiam pergeret, secutus, similem cum eo Coronam assecutus est. Vide an. 755. num. 15.

WERENFRIDUS Presbyter: in Belgium profectus, Christi Fidem variis in locis prædicavit: ut Fasti Belgici testantur: qui ad 14. Augusti hæc habent. *Sanctus Werenfridus Presbyter, ex Angliâ Ultrajectum venit: & Medemblicæ, Durestadii, Elstæ, qui pagus est Bataviæ, in Collegiata Canonicorum sui nominis Basilica. & duplici festo colitur, juxta usum Ecclesiæ Ultrajectinæ. Sacra ejus ossa, à terra per Baldricum Episcopum Ultrajectensem levata fuisse lego.* Ita Miræus. Ad eundem diem Gallicanum Martyrologium hæc habet. *Elstæ in Geldriâ, S. Werenfridi Presbyteri, divinâ gratiâ cooperarii insignis. Qui S. Willibrordo associatus in negotio pietatis, animarum multarum lucra cumulavit. Sicque onustus prædâ pretiosâ, à Domino in gloriam susceptus est. Quiescit honorificè vir Sanctus in Collegiato sui nominis Templo, apud pagum prænominatum, qui ad Rhenum inter Noviomagum & Arenacum situs est.* Vide an. 690 n. 7. 695 n. 5. 697. n. 12. &c.

Fast. Bel. ad 14. Augusti.

Gal. Mar. 14. Aug.

WIBERTUS Anachoreta: Apostolicorum virorum consortio & præmio carere non debet; licet cum exiguo fructu laborarit. Laboravit enim, & primus agrum ingressus, spinas tribulosque inveniens, per duos annos conatus est parare Domino plebem perfectam. Enimverò Egbertus ille Apostolicorum virorum qui in Germaniam profecti sunt, parens, & primum mobile: cum ingenti siti lucrandarum animarum æstuaret; nec posset in messem ire, oraculo portentisque prohibitus (an. 690. num. 2. 3) Wibertum sibi substituit: qui libens volensque onori successit, humerosque supposuit. Nam ita de illo Beda in Historiâ.

At verò unus de sociis ejus (Egberti, vocabulo Wibertus) *cum esset & ipse, contemptu mundi, & doctrinæ scientia insignis (nam multos annos in Hibernia peregrinus, anachoreticam in magna perfectione vitam egerat) ascendit navem: & in Frisiam perveniens, duobus annis continuis, genti illi, ac Regi illius Radbodo, verbum salutis prædicabat. Nec aliquem tanti laboris fructum, apud Barbaros invenit auditores. Tunc reversus ad dilectæ locum peregrinationis, solito in silentio Domino vacare cœpit. Et quoniam externis prodesse ad Fidem non poterat, suis amplius ex virtutum exemplis prodesse curabat.* Ita Beda. Wiberti in Britāniam reversio, utrique Germaniæ saluti fuit. Egbertus enim compertâ Frisonum barbarie, cum unus ad colendum agrum illum non sufficeret, plures submisit illustrissimas operas Willibrordum Suibertum, & alios decem qui incultas Frisonum mentes, egregiè polierunt. Vide an. 690 n. 6. &c.

Beda l. 5. c. 10.

WIGBERTUS Martyr: Fuit eorum unus, quos Egbertus cum Willibrordo misit ad Frisios (an. 690. n. 7.) Hic Christi Fidem quam verbo docuit, fuso sanguine confirmavit. Cum enim gentis Idola destrui procurasset,

Baron. an. 695.

Radbodum Regem Idolorum servum excivit in suorum Deorum vindictam, qui Wigbertum interfici jussit. De quo apud Baronium Marcellinus. *Radbodus verò Rex strenuissimus Idololatra, audiens Idola sua destructa à Christianis: iratus valde: atque injuriam servorum suorum ulcisci disponens: S. VVigbertum quem dudum noverat Christianum, unum ex consortio Sanctorum, diro tormento jugulari jussit. Qui continua prece Deum exorare solebat, pro consequenda corona Martyrii.* Hanc ille consecutus, locum meruit in Gallicano Martyrologio ad decimum Augusti. ubi ita legitur. *In Frisia natalis S. VVigberti Presbyteri & Martyris: Qui S. VVillebrordi auxiliarius; Fossalandia eum apud Evangelista impleret, ab infidelibus caesus, glorioso Martyrio accubuit.* Vide an. 695 n. 3 Fasti Belgici Wigbertum Martyrem, cum Wiberto Anachoretà confundunt ad 13. Augusti. Cum constet esse diversos. Nam Beda clarè significat, Wigbertum in patriam rediisse.

Inter Bonifacianas Epist. 53.

WIGBERTUS Abbas & Confessor, Hunc Bonifacius è Britanniâ, & Glastoniensi opinor, monasterio vocatum Fritslariensi coenobio praefecit, cum priùs in animarum conversione strenuè laborasset. Ita enim rescripsit Wigbertus ipse ad Glastonicoses monachos inter caetera. *Vos autem volo scire charissimi, quod Archiepiscopus noster Bonifacius, cum adventum nostrum audisset, per semetipsum dignatus est longa via in obviam nobis venire, ac suscepit valde benignè. Nunc dilectissimi credite; quod labor noster nobis non sit inanis in Domino. Sed vestra sit mercedis: Deus enim Omnipotens, per misericordiam suam, ac merita vestra, sufficientiam operis nostri bonam perficit licet valde sit periculosum pene in omni re, in fame, & siti, in algore, & incursione Paganorum inter se degere.* Hic post operam bene impensam pientissimè moritur: & in Rom. Martyrologio locum meruit ad 13. Augusti. ubi dicitur: *In Germania S. VVigberti Presbyteri & Confessoris.* Ad quem locum ita scribit Aubertus Miraeus. *Designatur hoc ni fallor,* inquit, *S. VVigbertus Abbas Fritzlariensis à S. Bonifacio Germanorum Apostolo constitutus. Cujus reliquias inde postea ad Hirsfeldense apud Hassos monasterium, Lupus* (lege Lullus) *Bonifacii in Archiepiscopatu successor, transtulit, Cujus item honori ac nomini Ecclesiam in Hirsfeldia, an. Domini 850. Rabanus Maurus item Archiepiscopus dedicavit.*

Ro. Mart. 13. Aug.

Huic etiam Sancto Mechtildis Imperatrix, Othonis primi mater, sanctimonialium coenobium construxit. de quo Lupoldus Bebenbergius. *Eadem etiam,* inquit, *venerabilis Regina coenobium Sanctimonialium in honore SS. Dionysii & Servatii, in monte Quedelinburgensium: alterum in villâ in honore Sanctorum Iacobi Apostoli, & Wigberti Confessoris.* Exstat inter Bedae opera, *homilia quae dicenda est* (sic inscribitur inter sermones varios tomo 7.) *in solemnitate Sancti Wigberti* ubi in laudem Sancti ita dicitur; *Wigbertus tantis in hoc mundo beneficiis, omnibusque Christicolis clarens, ut meritò totus Christianus populus summâ veneratione de solemnitate illius gaudeat. Maximè namque nos, qui in suum apud Deum hic patrocinium, & in futuro confidimus. Credimus siquidem illum in praesentiâ Domini nostri IESV omnia posse impetrare, de quibus illum pius devotusque poscit precibus; dum tanta in praesenti populi miracula, sicut saepe audistis pro ejus laude nobilitavit.* Sequuntur plura Wigberti Encomia: & quia nulla Martyrii mentio, de Wigberto Confessore intelligi omnia necesse est. Unde Baronius in notis ad 13. Augusti, censuit Bedae sermonem de Wigberto Confessore, non de Martyre loqui. Cujus etiam mentio eodem die in Bedae Martyrologio. Sed adhuc restat difficultas quomodo haec omnia de Fritzlariensi Abbate intelligi possint. quam vide an. 737. n. 7.

Lupold. c. 13.

Beda: Tom. 7. inter sermones varios. hom. 2.

WILFRIDUS Eboracensis Archiepiscopus. Inter ejus illustrissima opera, quae plurima suis locis recensentur; Frisonum prima conversio numeratur. Unde in Fastis Belgicis ad 12. Octobris, FRISIORUM APOSTOLUS à Miraeo appellatur. Quod benè è Bedâ probari potest, sic scribente. *Wilfridus pulsus Episcopatu, Romamque iturus & coram Apostolico Papâ causam dicturus; ubi navim conscendit; flante Favonio pulsus est Frisiam, & honorificè susceptus à Barbaris, & Rege eorum Aldgisto: praedicabat eis Christum, & multa eorum millia verbo veritatis instituens, à peccatorum suorum sordibus, fonte Salvatoris abluit. Et quod postmodum Willibrordus Reverendissimus Christi Pontifex, in magnâ devotione implevit: ipse primus ibi opus Evangelicum coepit; hominem cum novâ Dei plebe feliciter exigens.* Vide an 678 num. 7 8.

Beda l. 5. c. 5.

WILLEICUS Presbyter, & Werdensis Abbas. Hunc Marcellinus Evangelicum Sacerdotem vocat, & Suiberti discipulum. Vide an. 714. n 4. Unde in Fastis Belgicis ad 2. Martii, de eo ita legitur. *Sanctus Willeicus Presbyter, & Confessor, fuit Sancti Suiberti Episcopi in Evangelicâ praedicatione cooperator: & Canonicus in Ecclesia Ultrajectina recens instituta. Defuncto Suiberto, annis decem Werdensi monasterio laudabiliter praefuit. & an. 727. vita excessit.* Vide an. 727. num. 13.

Fast. Bel. 2. Martii.

WILLEHADUS Bremensis Episcopus De illo sic scribunt Magdeburgici, Cent. 8. fol 824. *Willehadus genere Anglus, in Synodo petiit à Rege Bathrico* (Dei sibi tradam Saxonum) *& Episcopis, sibi dari licentiam in Frisiam proficiscendi; ad colligendam Ecclesiam, quae morte Bonifacii erat turbata & dissipata.* Vide an. 788. num. 5. Verùm Willehadus priùs etiam cum Bonifacio, in messe illâ laborasse dicitur. Unde in Fastis Belgicis ad 8 Novembris haec leguntur. *Willehadus sancti Bonifacii discipulus, unà cum magistro suo, in Frisiâ & Saxoniâ Evangelium propagavit. Widekindo Saxonum Duce, persecutionem movente, cum S. Ludgero primo Monasteriensi Episcopo, anno 782 Romam se contulit, ad Adrianum Papam. Qui perbenignè utrumque excepit. In Germaniam reversus, latuit deinde Willehadus Epternaci, in Dioecesi Trevirensi, apud sepulchrum S. Willebrordi.*

Post; anno 785. cum Widekindus baptismi gratiam, cum Saxonum Magnatibus adeptus esset; ab exilio revocatus, Caroli Magni Imperatoris nutu, per S. Lullum Archiepiscopum Moguntinum, Cathedrae Bremensi imponitur. Moritur apud Frisios loco Plecatza, nunc Plexen, sed Bremam deportatus, in Basilicâ Sancti Petri sepelitur, quam ipse aedificarat. Vitam ejus bonâ fide prosequitur vetustus scriptor Adamus in Bremensi historiâ, itemque Crantzius & Surius. Haec omnia Miraeus Willehadi nomen in Rom. Martyrologio legitur ad 8 Novembris. Ubi haec habentur: *Bremae Sancti Willehadi, primi ejus Civitatis Episcopi, qui unà cum Sancto Bonifacio, cujus discipulus fuit, in Frisiâ & Saxoniâ Evangelium propagavit.* Vide an. 791. num. 11.

WILLIBALDUS Primus Eystatensis Episcopus: Fuit Richardi Principis viri filius, & meritò inter primos Germaniae Apostolos numeratur. Qui an. 690. è Britanniâ solvens, & Orientalem Franciam (sive Franconiam) adiens, multos ibi Christo lucrifecit. In Britanniam repetens, rursus à Bonifacio evocatur anno 725. tunc scilicet, *cum vidisset Bonifacius, multam quidem exstare messem, sed operarios paucos & qui tantae credentium multitudini non sufficerent,* inquit Baronius ad eum annum. *Sed an venerit statim ad Bonifacium VVillibaldus; an verò priùs abierit Hierosolymam, & Romam lis pendet sub Iudice,* inquiunt Magdeburgici. Et pergunt Missionem ejus Apostolicam explicare. *Gregorius tertius,* inquiunt, *eum ad Bonifacium misit, eique commendavit. Ad Bonifacium cum venit in Thuringiam, Erdfordiae Christianam Religionem docuit, & in viciniâ Hassiae. In Bavariam progressus, anno. 740. coepit in vasta solitudine, succisis nemoribus ad Almonem fluvium urbem exstruere, à quercubus Eystched dictam.* &c.

Baron. an. 725.

Cent. 8. fol. 809.

Ibi Sedem Willibaldus fixit, dictusque est Eychstetensis Episcopus. Ecclesiam sanctè administravit: mortuusque sub an. Domini 781. & meritò inter viros Apostolicos locum habet in Rom. Martyrologio. Ubi ad 7. Julii ornatur hoc brevi Elogio. *In Saxonia Sancti VVillibaldi, primi Eystetensis Episcopi: qui unà cum Sancto Bonifacio laborans in Evangelio, multas gentes convertit ad Christum.* Vide an. 781. n. 3, Ejus scripta recensent Magdeburgici, & inter caetera aiunt: *Scripsit VVillibaldus non ineleganti stilo vitam Bonifacii, librum unum, quem ante editionem Lullus, & Megingardus inspexerunt & approbaverunt.*

Ro. Mart. 7. Julii.

WILLEBRORDUS Ultrajectensis Episcopus: inter viros Apostolicos principe loco nominandus. Nascitur in Britanniâ anno Domini 658. n. 7. In Hiberniâ Apostolatus sui tyrocinium posuit. Eò profectus, (cum priùs monachum induisset in Ripponensi coenobio) anno 678. n. 11. Unde in Britanniam reversus, Germanicae missioni ab Egberto destinatur. Dicat id Gallicanum Martyrologium, & plura: nova etiam Willibrordo Apostolatus praeludia forsan assignet. Ita ergò ibi ad 7. Novemb. *Epternaci in Trevirensi territorio Sancti VVillibrordi Ultrajectensis Episcopi, & Confessoris, FRISONUM APOSTOLI. Hic Anglo-Saxo natione, cum donis gratiae afflueret, à Sancto Egberto Northumbrorum Archiepiscopo Presbyter ordinatus, ab ipso* (corrigo: *non ab ipso, sed ab Egberto Abbate, qui nunquam fuit Episcopus*) *propagandae Fidei Evangelicae cupido, cum novem sociis* (lego undecim. & vide an. 690. n. 6.) *in inferiorem Germaniam directus est, ad populo infideli inferendam divinae veritatis facem. Igitur VVillibrordus, cum piis propositis provectionibus, ex Britannia in Frisiam trajecit: Apostolatusque praeludia, apud Ultrajectum aggressus, à Pepino rogatus est, ut cum discipulis in Frisiam proficisceretur. Regemque illum barbarum* (Radbodum intelligit) *& gentem sacris praedicationibus & monitis, ad baptismi gratiam evocaret.*

Gal. Mar. 7. Nove.

Convenit illum in Fostenlandiâ Insulâ degentem, verbinque salutis ad veri numinis cultum, ipsum adducere nisus est. A quo id solum fertur assecutus, ut Christi Fidem prædicare sibi liceret.

Erat ibi insigne delubrum Iovis, cujus cum sacra nefanda vir Apostolicus insectaretur, aram etiam & simulachrum destruxit: tresque homines ex tantâ multitudine divinâ luce Fidei illustratos salutari undâ expiavit. Quâ re-auditâ Tyrannus ille, tantâ irâ efferbuit, ut socium Willibrordi deprehensum, fecerit jugulari (Wigbertum Martyrem intelligit quem vide supra) *Non hac crudelitate avertit virum Dei à cœpto opere salutari. Sed quòd parùm se proficere cerneret apud tam feræ gentis Principem; decrevit Orientalis Franciæ adire partes: & novella conversionis Cathecumenos in Fide Catholicâ roborare. Stipatus ergò Sacerdotum Sanctissimorum agmine, ad castrum Trajectense tetendit. Ubi juxta dirutam Ecclesiam S. Thomæ oratorium exstruxit, in honorem Sanctæ Crucis: In quo conatus fontis primum consecravit baptisterium: cujus latícibus vitalibus accurrentes ad gratiam immergens, plurimos sanè à diaboli laqueis ereptos Christi suavi juge mancipavit. Veniebat ad Virum Apostolicum sæpè è Taxandriâ ad tractandum de propagandâ Fide sanctus Lambertus Episcopus. Sed & Pipinus Dux æquè religione præstans, ac armis strenuus; attendens in Beato Sacerdote indefessum Evangelizandi studium, assiduis precibus cum eo egit: quatenus ipse Romam progrediens, Episcopalem à summo Pontifice, cum Apostolici muneris authoritate, susciperet benedictionem. Sergius autem Papa nominis hujus primus, Angelicâ visione præmonitus, secundum petitionem Pipini Ducis, Dominicum Sacerdotem condignè suscepit: & eundem in Basilicâ S. Petri, cum pallio superhumerali solenniter Archiepiscopum ordinavit: Apostolicaque authoritate ad Fidem prædicandam & dilatandam munivit: quo felici omine prodiret in arenam; Clementis, qui nascentis religionis præcipuam post Apostolorum Principes curam gesserat, eidem addidit cognomen.* Hæc & plura dictum Martyrologium. ubi Ultrajectensi Sede à Willibrordo erectâ, & Radbodi Regis narratâ contumaciâ, hæc de Willibrordo subduntur.

Verùm post Radbodi interitum, vir Apostolicus Willibrordus, liberâ minam implere permissus; cœpit ubique, in Frisiâ patenter Evangelium Christi prædicare, Cathecumenos baptizare, neophytos confirmare, sacros celebrare ordines, ac in pagis singulis Ecclesias dedicare: Presbyteros constituere. Mira enim dictu ejus facta concurrebant quibus attonitas spectantium mentes in Fidei obsequium trahebat. Cum hic præclaris rebus incumberet, venit ad ipsum S. Bonifacius, ipsi in Episcopatu, & Frisionum Apostolatu successor supernè delectus: qui biennium illi hærens, strenuè graviterque in animarum procuranda salute cooperatus est. Porrò Willibrordus in cœptis tam faustè cum progrederetur, ob Christi nominis clarificationem, non semel in periculum incurrit diræ necis: maximè cum aliquando in Valachrâ delendis Idololatriæ spurcitiis insuderet. Accidit enim ut venerat ad locum ubi simulachrum Mercurii ab incolis magna in veneratione habebatur. Quam statuam, zelo Dei fervens pius Antistes confregit: atque ipsam stipitis fragmenta extra templum abjecit. Hac re exasperatus custos Idoli, Beatum Episcopum mucrone percussit in summitate capitis. At divino judicio mox abreptus à diabolo, miserabili morte post triduum à seculo decessit. Confessor autem Domini, hoc glorioso stigmate insignitus, & divina gratia servatus, cursum non demisit pietatis inceptum: at magis ac magis produxit: Etenim in pagis illius tractus singulis, Evangelium mirabili ardore prædicans, atque quævis aspera superans, ineluctabili constantia opus demum creditum consummavit. Sicque populorum Christo ingenti multitudine subjugata; post multos labores, pœnas, sudores, ac curas, quas tota vita in Ecclesia plantanda, & animarum salute procuranda, subiit; Æternaci Creatori felicem reddidit animam: postquam annos 40. Ecclesiam à se fundatam, mira cum virtutis Apostolica gloria gubernasset. Cujus sacrum corpus in cœnobio illius oppidi, quod ipse prius de patrimoniis discipulorum construxerat, sepultum est unde radiavit beata anima meritorum insignibus; ut mutata nuncupatione sacra ædis in qua quiescit, jam pridem illa Abbatia & Basilica, nobili ejus nomine glorietur. Vide an 736 num 4. 5.

WILLIHERUS Monachus: Fuit Bonifacii discipulus, & Comes in Germaniâ, dum Christi Evangelium ibi propagaret. Unde magistrum secutus in Frisiam: dum confirmandis Orthodoxis, & erudiendis Catechumenis, strenuam operam impendit, unà cum S. Bonifacio à Barbaris occisus in odium Fidei, meruit coronam gloriæ. Vide an. 755 num 15

WINIBALDUS Abbas Heildeshamensis. Fuit sancti Willibaldi Episcopi frater, & sancti Richardi Principi filius. *Laudatissimus Presbyter*, in Fastis Belgicis appellatur ad decimum octavum Decembris. Unus fuit è duodecim, qui an. 690 in Germaniæ conversionem conspirantes è Britanniâ cum Willibrordo & Suiberto solverunt. Qu demum finito opere, multâque animarum collectâ messe scribi cum Sanctis quibus cum laborarat, meruit De ill breviter narrat sanctus Ludgerus Monasteriensis Episcopus in vitâ sancti Gregorii Ultrajectensis Episcopi, in hunc mo dum. *Willibaldi germanus, nomine VVinebaldus Presbyter magistro meo Gregorio valde charus fuit Qui post obitum suum, quod vivens fecerat, magnis miraculis ostendit* A S Bonifacio Heildeshamensi monasterio præfectus, mortu anno Domini 760. Et in nostro Martyrologio legitur Sanctus ad 24. Septembris. Ejus sacræ reliquiæ, fratris etiam ac sororis, in Belgium delatæ, piè etiamnum ibi coluntur Unde in Gallicano Martyrologio ad primum Maii ita can tur. *Furnis in Flandria, translatio reliquiarum S VVille baldi Episcopi, & VVinibaldi Abbatis, necnon S. VValburg Abbatissæ eorum sororis* Vide an. 760. num. 8.

WINTRUGIUS Presbyter. post orthodoxæ Fide professionem, & ejusdem in Germaniarum provinciis pro pagationem, cum Bonifacio Germanorum Apostolo: eur eodem meruit martyrio coronari ad quintum Junii. an. 75 Vide annum illum num. 15.

WIRO vulgò dicitur Deirorum Episcopus. Sed qui Hiberni contendunt Dublinensem Episcopum fuisse. & vere quia inter Eboracenses (Hi Deiri erant) Antistites nusquam numeratus; suspicio est scriptum olim fuisse: *Wiro de Ire Episcopus.* quod Criticus quispiam legendum censuit: *VVir Deirorum Episcopus.* Nesciens Hiberniam olim Iren appe latam. Vide an. 723. num. 21. Quicquid sit, à Roman Pontifice consecratus, patriam repetiit. Inde Apostolico rum virorum, qui in Germaniâ clarebant, odore tractus in Britanniam ad Anglo-Saxones venit. ubi assumpto Otge ro Diacono, *ad prædicandum Gallis Belgicis Evangelium Christi amore incitatus, ad Pipinum Francorum Ducem pe venit,* (inquit Miræus in Fastis. & pergit) *Qui cognit B. VViironis sanctimonia, eum inter suos primum coluit: locum à mundi strepitu in silvis remotum, ad Rusam fluvium tribuit; ut cœlestium contemplationi liberiùs vacaret.* Cæterum quanto cum honore Pipinus coluerit, ita è Surio co ligit Baronius. *Dux autem Pipinus*, inquit, *tanta VVir nem veneratione habuit, ut tanquam Præsuli animæ suæ v toque patrono, propter eximiam sanctitatem, sua illi peccat confiteri solitus sit. Nec ei almoerit ad faciendam Confessio nem, detractis calceis, eum adire, ejusque eis imperio parer Tandem verò* (addunt Fasti Belgici) *multis fructus labor bus, à Domina moles emeritus, in regnum cœleste, modi febre correptus, evocatus. Cujus venerandum corpus Ecclesiam Ultrajectensem translatum. Danis & Normann eam vastantibus; Canonici illinc profligati, ad sancti Petr montem, favente Lothario Rege, revexerunt: ubi multis cœlestibus miraculis illustre fuit.* Vide an. 735. n. 13. 14. &c

WITTA, sive Witanus: quem aliqui etiam ab Albe dine Albuinum vocaverunt. Fuit Biburgensis Episcopus à S. Bonifacio ordinatus an. 741 n. 4. Quem prius è Britan niâ evocarat. nimirum anno 725 num 9. Exstat ad eum Zachariæ Rom Pontificis Epistola: in quâ ille & Burchar dus nuper consecrati Antistites ad opus Evangelii animantu in verbis. *Sanctissimi & dilectissimi nobis, toto conamine ela borate pro Fide Christi: & ad ministerium ejus perficiendum decertate, ut cum egregio Apostolo mereamini dicere: Bo num certamen certavi, cursum consummavi, Fidem servavi De reliquo reposita mihi est corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus Iudex.* Hanc Pauli sententiam usurpare potuerunt omnes viri Apostolici, quos hactenus recensui. Nam revera bonum certamen in Idola, in hæreses, in errores omnes certaverunt: cursum in eo certamine fæ liciter consummarunt. Fidem denique unam, eandem, & virginem, hoc est orthodoxam, Catholicam, & Romanam servaverunt. Unde coronam justitiæ reddidit illis Deus justus judex: redditurus sine dubio supplicia æterna his, qui Fidem hanc à tot viris Apostolicis assertam probatamque respuentes, ab Ecclesiæ, quam majores nostri coluerunt, gremio recesserunt. Nec enim habituri sunt Deum Patrem, qui Ecclesiam illam Matrem habere noluerunt.

Explicit Index Virorum Apostolicorum; qui è Britanniâ prodeuntes, alias Provincias Fide illustrarunt.

INDEX ALPHABETICVS VIRORUM APOSTOLICORUM QUI BRITANNIAM FIDE ILLUSTRARUNT.

DUABUS de causis hunc indicem subjicio: Prima, In argumentum grati animi iis provinciis, à quibus, vel primò Fidem accepimus, vel hæresi & erroribus vitiatam integrè recepimus. Secunda, Ut morbus ille detegatur, quo factiosi laborant, dum peregrè in Orientem profecti, ibi magistros Fidei quæsiverunt: ut novas merces, heteroclytum Paschatis diem, & Sacerdotum nuptias, & alia paradoxa, nundinarentur honestiùs: quem diem, quas nuptias, quæ paradoxa, nec Græcia, aut Oriens porrexit: nec Insula unquam admisit: ut constat è primo alteróque Annalium tomo. Et clarè patebit è sequenti Indice; si viri illi Apostolici excutiantur, qui nobis Fidem & sacra porrexerunt. Fuerunt autem, qui sequuntur, ordine Alphabetico.

A

AIDANUS Monachus Hyensis, deinde Episcopus Lindisfarnensis. Hic in Hiberniâ natus, divino plane consilio in Britanniam vocatur, ad Northumbriæ populum in Fide instituendum: quo scirent posteri eandem omnino Fidem à Patricio doctam in Hiberniâ, quam Augustinus Româ missus Cantio & Cishumbrianis provinciis porrexerat. Et si in ritibus differentia esset: illa singulariter notaretur. Hoc in Aidano planè constitit: cujus elogium sic texuit Beda. *Osvvaldus Northumbriæ Rex petiit ut sibi mitterent Antistitem, cujus doctrina ac ministerio gens quam regebat Anglorum, Dominicæ Fidei & dona disceret, & susciperet sacramenta. Neq; aliquando tardiùs, quod petiit impetravit. Accepit namq; Pontificem Aidanum, summæ mansuetudinis, & pietatis, ac moderaminis virum, habentem zelum Dei: quamvis non plenè secundùm scientiam. Namque diem Paschæ Dominicum, more suæ gentis à quartadecimâ lunâ usque ad vicesimam observare solebat.* Si aliquid in Fidem peccans, aut ab Augustini doctrinâ varium Aidanus docuisset. Beda, & omnia post Bedam sæcula id notassent: Cæterùm heteroclytus ille ritus observandi Paschatis, non è Græciâ aut Oriente, sed ex Ecclesiastici calculi ignorantiâ ortus est: ut centies Beda testatur. Vide an. 651. num. 17.

Beda l. 3. c. 3.

AGILBERTUS Occidentalium Saxonum Episcopus. Fuit natione Gallus in Hiberniâ doctus: in ritu tamen celebrandi Paschatis integer. Unde à Kenvvalchio Occidentalium Saxonum Rege, Ecclesiæ sui regni præficitur. Ejus elogium habet Gallicanum Martyrologium ad 11. Octobris. Sed succinctiùs, & ad rem nostram satis appositè venerabilis Beda, qui ita loquitur lib. 3. cap 7. *Cum restitutus esset ad regnum Kenvvalch, venit in provinciam de Hiberniâ Pontifex quidam nomine Agilbertus, natione quidem Gallus; sed tamen legendarum gratiâ scripturarum, in Hibernia non parvo tempore demoratus. Conjunxitque se Regi, sponte ministerium prædicandi assumens. Cujus eruditionem atque industriam videns Rex, rogavit eum acceptâ ibi Sede Episcopali, suæ gentis manere Pontificem. Qui precibus ejus annuens, multis annis eidem genti sacerdotali jure præfuit.* Vide an 650. num. 11. 12. Romanum Paschatis ritum cum Wilfrido defendit contra Scotos. Vide an. 664. n. 6. &c.

Beda l. 3. c. 7.

ARISTOBULUS à S. Petro Apostolorum Principe consecratus Episcopus: in Britanniam mittitur, *Evangelicæ prædicationis causa*; ut habet Græcorum Menologium, Dorotheus in synopsi, Baronius in notis ad 15. Martii. Vide an. 60 num. 8. & an. 99. num. 1.

AUGUSTINUS Dorovernensis Archiepiscopus. Hic Vir Apostolicus, suo se prodit nomine. Monachus fuit, ex Urbe missus à Magno Gregorio Apostolatū accepit: & Regibus provinciisque ad Fidem conversis, cum multa Anglo-Saxonum millia baptismi aquis expiasset, hoc mortuus elogium & Epitaphiū meruit, quod recitat Beda in hūc modum: *Hic requiescit Dominus Augustinus Dorobernensis Archiepiscopus primus. Qui olim huc à Beato Gregorio Romanæ urbis Pontifice directus: & à Deo operatione miraculorum suffultus: & Edelbertum Regem ac gentem illius ab idolorum cultu ad fidem Christi perduxit: & completis in pace diebus officii sui, defunctus est septimo Calend. Iunias, eodem Rege regnante.* Vide an. 608. num. 11.

B

BIRINUS Occidentalium Saxonum Episcopus. Ab Honorio Rom. Pontifice missionem accepit ad Anglo-Saxones: de quo Beda lib. 3. cap 7. *Eo tempore*, inquit, *gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitùs Gevvisse vocabantur, regnante Cynegilso, Fidem Christi susceperunt: prædicante illis verbum Birino Episcopo. Qui cum consilio Honorii Papæ venerat Britanniam: promittens quidem se, illo præsente, in intimis ultra Anglorum partibus, quò nullus Doctor præcessisset, sanctæ Fidei semina esse sparsurum. Unde & jussu ejusdem Pontificis, per Asterium Genuensem Episcopum, in Episcopatus consecratus est gradum.* Ita ille; venit usque in Britanniam Birinus, invenitque in Occidentali ore quo descenderat, tam amplam messem: *ut satius visum fuerit* (sic loquitur Malmesburiensis) *ulteriùs pertendere: & cum ibi nullum sanum reperiret, agros quibus mederetur, quærere.* Vide an. 635. n. 32. Quam Apostolicè gesserit, significavit Poeta satis antiquus his versibus:

Malmes. lib. 2. de gestis Pontif.

Dignior est ille quàm sit Tyrinthius Heros
Quàm sit Alexander Macedo: Tyrinthius hostes
Vicit, Alexander mundum. Birinus utrumq;
Nec tantum vicit mundum Birinus & hostem,
Sed se si bello vincens & victus eodem.

Apud Camd. in Dobunis & Dorcestrâ.

Baptizavit Birinus in Occidente Cynegilsum Regem, qui Sedem illi Dorcestriæ assignavit: ubi & sanctè moritur, coliturque Occidentis Apostolus. Vide an. 635. num. 35. &c. 650. num. 1.

BRENDANUS, ex Hiberniâ in Britanniam venit, invisitque Gildam Albanium, virum sapientissimum inquit Ussérius. Machutum puerum baptizavit, & monasterium construxit in valle Caruanâ; illique præfuit. Aliud quod Fidem aut sacra spectat non legitur docuisse. Quia Britanni tunc erant in Fide integri. Vide an. 540. n. 7. 549. n. 2.

C

COLUMBA Abbas; Septentrionales Pictos ad Fidem convertit. de quo Beda. lib. 3. cap. 4. *Anno Incarnationis Dominicæ 565. Venit de Hibernia Presbyter, & Abbas habitu, & vita monachi insignis, nomine Columba Britanniam, prædicaturus Verbum Dei provinciis Septentrionalium Pictorum: hoc est iis qui arduis, & horrentibus montium jugis, ab Australibus eorum sunt regionibus*

sequestrati,

sequestrati, &c. *Venit autem Britanniam Columba, regnante Pictis Bridio, filio Meilochon, Rege potentissimo, nono anno regni ejus, gentemque illam verbo & exemplo, ad Fidem Christi convertit. Unde & præfatam Insulam* (Hy Insulam intelligit) *in possessionem monasterii faciendi accepit*. Ita ille. Columba ergo non Britannos propriè dictos, sed Pictos, hoc est Britannorum hostes ad Fidem convertit: nec omnem Pictorum provinciam: sed eos tantum, qui extremum Insulæ, Septentrionem versus, habebant: ubi Hibernis mixti, qui Scotorum appellatione innotescere cœperant, in barbaros mores deflexerant. Vide an. 565. num 1 2. &c. Cum Columbâ venerunt alii, & in sancto opere laborarunt, in Fide quidem integri, sed in Ecclesiasticis ritibus paululum claudicantes. Qui quia à Bedâ singulariter notantur; constat in aliis omnibus orthodoxos, & cum Britannorum Ecclesia consentientes fuisse. Ita ergò de Columbâ, & ejus succes-
Beda l. 3. c. 4. soribus Beda. *Verùm*, inquit, *qualiscumque fuerit Columba, nos hoc de illo certum tenemus, quod reliquit successores, magna continentia, ac divino amore, regularique institutione insignes. In tempore quidem summæ festivitatis, dubios circulos sequentes; utpote quibus longè ultra orbem positis, nemo synodalia paschalis observantiæ decreta porrexerat: tantum ea quæ in Propheticis, Evangelicis, & Apostolicis literis discere poterant, pietatis & castitatis opera diligenter observantes.* Si hunc Bedæ locum Novatores excussissent, & ritum celebrandi Paschatis ab Hyensibus his monachis usurpatum: supersedissent labori, & itineri magno Græcos invocandi in erroris patrocinium. Nam Britannorum error ex Hyensi monasterio fluxit: & tam differens est à Græcorum aut Orientalium, quàm differunt Novatores à Majorum Fide. Vide an. 566. per totum.

D

DAMIANUS, ab Eleutherio Romano Pontifice in Britanniam mittitur ad Lucium Regem, quem Christianis sacris instructum, Romano more baptizari curavit, & unà Britanniæ populum: ubi eum Fidem docuisset, Ecclesiam & Clerum ordinavit authoritate Apostolicâ. Et demum Christianâ re compositâ, in Britanniâ moritur Sanctus. Vide an. 183. per totum. & an. 186. n. 2. 191. num. 1. &c.

E

ELEUTHERIUS Papa, non ille quidem in Britanniam venit: eo tamen Apostolicos Oratores misit, qui Lucium Regem & Britanniæ populum, ad Christi castra conducerent. Hoc enimverò ad Primatus ejus officium imprimis spectabat: & meritò ejus laudibus intexitur in Romano Martyrologio: ubi ad 26. Maii legitur in hunc
Ro. Mart. 26. Maii. modum. *Romæ S. Eleutherii Papæ & Martyris, qui multos Nobiles Romanorum ad Fidem Christi perduxit: & Sanctos Damianum & Fugatianum in Britanniam misit, qui Lucium Regem, unà cum uxore, ac toto ferè populo, baptizarunt.* Vide an. 183. n. 3. 186. n. 3. 187. n. 6. 194. n. 2.

F

FELIX Dumnicensis Episcopus. Sigebertum Orientalium Anglorum Regem baptizavit, & potestate accepta ab Honorio Dorovernensi Archiepiscopo, Magni Gregorii discipulo, Orientales Anglos Fidem docuit: meritus propterea in Gallicano Martyrologio hoc elogium.
Gal. Mar. 8. Martii. *Eodem die S. Felicis Episcopi & Confessoris, qui Gallus origine, è Burgundia in Britanniam majorem trajectus in Orientali Anglia, populum superstitionibus variis adhuc implicitum veræ religionis luce illustravit, salutisque in viam direxit. Cumque fructum multiplicem credentium populorum, pius ei spiritualis cultor excitasset: totamque illam provinciam, juxta sui nominis arcanum omen, à longa infelicitate, & iniquitate liberasset: accepto à beato Honorio Metropolita Cantuariensi, Sede Episcopatus in civitate Dummoc, septendecim annos ibi, maxima cum benedictionis copia præfuit. ibidemque in pace temporali vita consumpta, Felix feliciter ad cælestis & æternæ vitæ gaudia evolavit.* Vide an. 636. n. 3 4. 5. 8. 650 num. 14. 15

FUGATIUS Apostolicus nuncius ab Eleutherio Papâ ad Lucium Britannorum Regem, unà cum S. Damiano, Britanniæ Insulam Christianâ Fide illustravit adeo, ut illa Provinciarum omnium in Europâ prima fuerit, Christo, Christique Vicario subdita. Vide an. 183. n. 3. 186. n. 1. 2. 191. num. 3.

G

GREGORIUS Ostiensis Episcopus: à Romanâ Sede ad Anglo Saxones mittitur cum Theophylacto Tudertino Episcopo. Utrumque *Adrianus Papa misit legatos in Britanniam ad renovandam Fidem, quam prædicaverat Augustinus*, inquit Huntindonius. Vide an. 786 num. 3 4. &c. Uterque cum honore ab Anglo-Saxonum Regibus excipitur. Uterque prava, quæ moribus irrepserant, correxit: decreta sancivit: & in omnibus habuit parentem Insulam. Vide an. 787 per totum.

GERMANUS Altisiodorensis Episcopus. Hic ad Britannorum mores Fidemque inspiciendam (ut Gregorius Ostiensis supra ad Anglo-Saxones) à Cælestino Papâ in Britanniam mittitur, à Fidelibus ubique admittitur, & eo prædicante & mirabiliter operante, pelagiana pestis, quâ laborarunt aliqui, ex Insulâ fugatur. Unde non solùm à Bedâ dicitur *Apostolicus Sacerdos*: sed quod valde notandum est, à Novatoribus appellatur *Britannorum Apostolus* quod Orthodoxi lubentes admittunt; quia Cælestinus Papa, cum *Vice sua*, misit, inquit S. Prosper: & Romanæ Sedis Primatum Britannos dicto facto, constantiùs docuit, quàm eundem docuit Augustinus Saxones. Vide an 429 per totum. & an. 440 n. 6. Bis in Britanniam legatus, & socios habuit quos nominat Gallicanum Martyrologium ad 31. Julii. Ubi inter plurima laudis argumenta, ita de Germano legitur. *Doctrina, sanctitate, & miraculis cum in Gallia præfulgeret: ad hæresim Pelagii expugnandum: tum Cælestini mandato: tum deprecatione Gallicanorum Præsulum profectus est in Britanniam: semel cum beato Lupo Trecensi: iterumque cum S. Severino Trevirensi Episcopo. Vi verbo veritatis, & miraculorum virtute, impium errorem profligavit.* Vide an 435 num. 1 &c.

GREGORIUS Magnus. Veni tu, Pater Gregori, & accipe inter Viros Apostolicos Principem locum. qui Anglica mancipia, in Romano foro venalia contemplatus; in amorem Insulæ exarsisti: & ebantatis incendio viscera tua depascente, Missionem ab Apostolicâ Sede in Britaniam postulasti, impetrasti, suscepisti. (vide an 588. per totum) Cohibita est flamma nè prius erumperet quam in supremo orbe locaretur. Tum verò majori impetu, diviniore impetu, Anglo Saxones omnes complexus, monachos plures in Britanniæ alteram conversionem elegisti, destinasti, devovisti. (vide an. 592. per totum.) Tibi igitur omni merito cum Romano Martyrologio canimus, ad 12. Martii. *Romæ S. Gregorii Papæ, & Ecclesiæ Doctoris eximii; qui ob res præclarè gestas: atque Anglos ad Christi Fidem conversos, Magnus est dictus, & ANGLORUM APOSTOLUS appellatus* Ita est. Pater Sancte, nos orthodoxi, ita Anglorum Apostolum agnoscimus, colimus, veneramur, atque diligimus: & quicquid factiosi obganniant, cum Isidoro Hispalensi, & Ildefonso Toletano, sanctis Episcopis, antiquis testibus clamamus: *Gregorius Papa Romanæ Sedis & Apostolicæ Præsul, compunctione timoris Dei plenus, & humilitate summus: tantoque per gratiam Spiritus Sancti lumine præditus; ut non modo illi præsentium temporum quisquam, sed nec in præteritis quidem par fuerit unquam Ita enim cunctorum meritorum clarus perfectione sublimis: ut exclusis omnium illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstret antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum.* Vide an. 604. num. 1.

H

HONORIUS Dorovernensis Archiepiscopus. Fuit M. Gregorii discipulus, & in ejus schola benè doctus. Nam ita legitur in ejus vitâ apud Capgravium: *Ordinabat parochias & cætera clericorum officia, docens omnes, ut in omnibus se exhiberent, sicut Dei ministros: & plebem Dei, tam potentia & suavitate erudirent, quàm doctrina Tam pia conversationis exemplo illustrarent, quàm exhortatione paterna. Quatenus & Christiani adhuc rudes in Fide, & gentes adhuc incredula, tam divini amoris attraherentur dulcedine, quàm terroris austeritate. Sic enim Deus sanctum Honorium, FIDE PURISSIMA, conversatione amabili, signis & virtutibus multis in terris ditavit: ut tanquam lucerna ardens & lucens huic regno offulserit; ut errores multos hæreticorum evacuaverit.* ut innumerabiles paganorum ad Deum converterit, &c. Vide an. 633 num. 6.

I

IACOBUS Diaconus Vir industrius, cum Paulino Eboracensi laborat in Northumbrorum conversione. de quo Beda: *Habuit*, inquit Paulinus, *secum in ministerio Iacobum Diaconum, virum utique industrium ac nobilem in Christo & in Ecclesia: qui ad nostra usque tempora permansit.* Ita ille. Vide annum 628. num. 2. Discedente Paulino, aut pulso fonte è provinciâ: Iacobus hic Christianæ rei firmamentum fuit: nam labores ejus ita narrat idem author Beda: *Reliquerat Paulinus in Ecclesia sua Eboraci Iacobum Diaconum*

 virum

virum utique Ecclesiasticum & sanctum: qui multo ex hinc tempore in ecclesia manens; magnas antiquo hosti prædas docendo & baptizando eripuit. Cujus nomine vicus, in quo maximè solebat inhabitare juxta Cataractam usque hodie cognominatur. Qui quoniam cantandi in Ecclesia erat peritissimus, recuperata postmodum pace, in provincia crescente numero fidelium, etiam Magister Ecclesiasticæ Cantionis, juxta morem Romanorum, seu Cantuariorum, multis cœpit existere. Vide an. 634. n. 2.

JOANNES Abbas: a Magno Gregorio cum Augustino missus in Britanniam, (an. 596 num. 24.) præficitur monasterio sanctorum Apostolorum Petri & Pauli prope Dorovernam (607. num 5.) Et sine dubio ad infidelium Saxonum conversionem fecit plurima.

JOANNES Archicantor & Abbas. In Britanniam mittitur ab Agathone Papa (an. 679 n 2.) ad inspiciendam Anglorum Fidem. De quo Beda sic loquitur. *Voleas Agatho Papa, sicut in aliis provinciis, ita etiam in Britannia qualis esset status Ecclesiæ, quomodo ab hæreticorum contagione castus, ediscere: hoc negotium reverendissimo Abbati Joanni Britanniam destinato injunxit. Quamobrem collecta pro hoc in Britannia Synodo; inventa est in omnibus Fides Catholica inviolata.* Vide an 680. num. 12.

Beda l. 4. c. 18.

JOSEPHUS ab Arimathiâ: qui Christo sepulchrum suum accommodaverat quæsiturus sibi aliud, in Britanniam venit. (an. 63 num 2.) non à Philippo Apostolo, sed à Petro potius missus (si missus) ostenditur (n. 3. 4) Fidem Christi Josephus & socii, non solum confessi professique sunt, sed eam aliis persuadere conati: quamvis latendi potiùs quàm prædicandi causâ eo concesserint. Unde parum eos in Fide propagandâ profecisse, agnoscunt & fatentur Novatores. Eos inter Godwinus. *Quanquam dubitandum non est, inquit, Josephum sociosque ejus in propaganda Christiana religione operam sedulò navasse: videntur tamen non ita multùm profecisse; eosque monasticam tandem vitam amplexos, in insula Avallonia consenuisse.* Vide an. 64 num. 1 &c.

Godwin. in Catalogo de Convers. c. 3.

JVO Episcopus Asiaticus. Romani Pontificis consilio in Britanniam profectus est. (an 600. n 1.) Et quia de eo legitur *Doctor Apostolicus, & vere solis nuncius Ivo:* prædicasse Fidem Christi putandus est. Cæterum in ejus vitâ non aliud de factis ejus exprimitur, quàm quòd *Britanniam ingrediens, in villa quadam tribus milliaribus ab Huntindonia nomine Slepe, usque ad finem vitæ suæ, in vigiliis jejuniis, & orationibus, Deo jugiter serviens, plenus bonis operibus, vitam finivit.* Vide an 600. n 3. 4. &c.

Apud Capg. in Ivone.

Ibid.

JUSTUS Dorovernensis Episcopus. A Magno Gregorio mittitur in suppetias Augustino in Britanniâ laboranti. Vide an 601. num. 1. Quàm piè se Evangelio prædicando accinxerit testatur Bonifacius Papa ad eum scribens, & dicens: *Quàm devotè, quàmque etiam vigilanter pro Christi Evangelio elaboraverit vestra fraternitas: non solum Epistolæ à vobis directæ tenor: imò indulta desuper operi vestro perfectio indicavit. Nec enim Omnipotens Deus, aut sui nominis Sacramentum, aut vestri laboris fructum deseruit; dum ipse prædicatoribus Evangelii fideliter repromisit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem mundi. Quod specialiter injuncto vobis ministerio ejus Clementia demonstravit, aperiens corda gentium ad suscipiendum prædicationis vestræ singulare mysterium.* Vide an. 624. num. 3.

Apud Bedam. l. 2. c. 8.

L

LAURENTIUS Dorobernensis Archiepiscopus. à Magno Gregorio in Britanniam mittitur cum sancto Augustino (an 596 n. 24) & ei mortuo in Dorobernensi Sede successit. *Qui archiepiscopatus gradu potitus*, loquitur Beda, *strenuissimè fundamenta Ecclesiæ, quæ nobiliter jacta vidit augmentare, atque ad perfectum debiti culminis, & crebra voce sanctæ exhortationis, & continuis piæ operationis exemplis provehere curavit.* In Scotis Hibernisque ad canonicum Pascha reducendis, tum scriptis literis (vide an 609. n. 3) tum precibus imperioque usus pientissimè, & cum fructu laboravit. Unde in ejus vitâ sic legitur. *Sanctus Tenanus Hiberniæ Archiepiscopus ad eum venit. Vir tanto sanctitatis, ut tres mortuos suscitasse dicetur. Qui audiens beatum Laurentium de Paschæ observatione disputantem; dedit manus veritati, & suam gentem postea corrigere satagens* Vide an 618 num 6

Beda l. 2. c. 4.

Apud Capg. in Laurent.

LUPUS Tricassin Episcopus: à Romano Pontifice in Britanniam missus cum S Germano Altisiodorensi Episcopo, egregiè in Pelagianam hæresim cum eodem pugnavit. an 429 n 9 Meritò à Bedâ vocatus Apostolicus Sacerdos. Unde in Gallicano Martyrologio inter cætera hæc leguntur ad 29 Julii. *Lupus exacto biennii spatio in præsulatu, cum Sancto Germano, totius quoque perfectionis & gratiæ Spiritus Sancti pleno, contra hæresim Pelagianam, qua Britanniam terra tunc infestabat; à Cælestino Papa, & Gallicana Synodo, omnem Regionem missus est: Fidemque Catholicam plurimùm his in partibus labefactatam Apostolicis prædicationibus, virtutibus ac signis strenuè propugnans, instauravit.*

Beda l. 1. c. 17.

Gal. Mar. 29. Julii.

M

MELLITUS Dorovernensis Episcopus. Monachus ex Urbe à Magno Gregorio in Britanniam mittitur. (an. 601. n 1) Apostolicâ legatione benè functus, Orientales Saxones ad Christum convertit, consecratus ita Londinensis Episcopus: de quo Beda. *Augustinus Britanniarum archiepiscopus, ordinavit duos Episcopos, Mellitum videlicet & Justum. Mellitum quidem ad prædicandum provinciæ Orientalium Saxonum, qui Thamesi fluvio dirimuntur à Cantia; & ipsi Orientali mari contigui, quorum Metropolis Londinia, &c. Qui verò & hac provincia verbum veritatis, prædicante Mellito accepit: fecit Rex Edelbertus* &c. Factus est inde Mellitus Dorobernensis Archiepiscopus, ita sanctè mortuus. Vide an 619. n. 4. & 624. n. 1.

Beda l. 2. c. 3.

P

PALLADIUS Diaconus, à Cælestino Papâ in Britanniam mittitur: de quo Baronius *Cælestinus Romanus Pontifex, Britanniam Pelagiana hæresi infectam, legatione Palladii liberavit.* Vide an 429. num. 2. Hoc factum primâ legatione: nam alterâ Palladius Scoto-Britannis consecratur Episcopus de quo Prosper. *Nec verò segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias Cælestinus liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ, solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani: & ordinato Scotis Episcopo; dum Romanam insulam studet servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.* Vide an. 429 num. 5. 6.

Baron. an. 429.

Prosper. advers. Collatorem.

PAULINUS Eboracensis Archiepiscopus: à Magno Gregorio in Britanniam mittitur. (an. 601. n. 1) consecratur Eboracensis Archiepiscopus. (an 625. n. 3.) Edvinum Northumbriæ Regem ab Idolorum cultu, ad Christum mirabiliter convertit. (an. 626. n. 7.) eumque baptizat, & plures alios. (an 627. num. 1. 2) de quibus ita Beda lib 2. cap 14. *Tantus autem fertur tunc fuisse fervor Fidei, ac desiderium lavacri salutaris genti Nordanhumbrorum: ut quodam tempore Paulinus veniens cum Rege & Regina in villam Regiam, quæ vocatur* [a] *Adregin; triginta sex diebus, ibidem omnino catechizandi & baptizandi officio deditus, moraretur. Quibus diebus cunctis, à mane usque ad vesperam nihil aliud ageret, quàm confluentem eò de cunctis viculis, ac locis, plebem Christi, verbo salutis instruere: atque instructam in fluvio Glene, qui proximus erat lavacro remissionis abluere.* Vide an. 627. n. 3. Benè igitur Rom. Martyrologium canit ad 10. Octobris. *Eboraci in Angliâ, S Paulini Episcopi, discipuli beati Gregorii Papæ: qui cum aliis ad prædicandum Evangelium illuc ab eo missus, Edvinum Regem ejusque populum, ad Fidem Christi convertit.* Vide an. 644 num 2.

[a] Ad gebrin, nunc est Y. erin in Northumb.

Ro. Mart 10. Octo.

PAULUS Apostolus: Britanniam Evangelii luce illustrasse non solum piè creditur, & à pluribus asseritur. sed legationis ejus patentes literæ. *Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ* (Act. 13. v. 46) *probare videntur.* Vide an. 65 n. 1. 2. 3 4.

PETRUS Apostolorum Princeps: Illi omnium Christi ovium curâ commissâ, Britanniæ Ecclesiam, ut & totius Occidentis fundavit In Britanniam ipse venit (anno 60. num 1. &c.) multos ibi verbo gratiæ illuminavit; Ecclesias constituit, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ordinavit, inquit Metaphrastes. (Vide an. 58. n 2. & an 60 n 6.) Idola Britanniæ sub Petri adventum corruerunt, visaque portenta in fluvio Thamesi, fugandos inde dæmones significant. Vide illa an. 60. n. 10 11 12. Hinc sequitur benè ab Innocentio Papâ dictum: *Manifestum est in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam & Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum hominem instituisse Ecclesias; nisi eos quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes.* Addit quod notandum est, neminem Apostolorum in Occidente nostro prædicasse, docuisse: *Legant* inquit, *si in his provinciis, alius Apostolorum invenitur, & legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt; oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit: à qua eos principium accepisse NON EST DUBIUM: ne dum peregrinis assertionibus student, CAPUT INSTITUTIONUM videantur omittere.* Vide an 46 num. 7.

Innocent. Epist. 1. ad Decentium.

PETRUS

PETRUS Abbas: Monachus à Gregorio Papâ in Britanniam mittitur cum S. Augustino (an 596. n 24) præficitur novo monasterio sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, primus Abbas (an. 602. n. 14) & demum mare trajiciens, naufragio periit: sed mirabiliter claruit: De quo Gallicanum Martyrologium ad 30. Decembris. *Bononiæ in Picardiâ B. Petri Presbyteri Abbatis & Confessoris. Is monachus Romanus in monasterio S. Andreæ B. Gregorii Papæ discipulus fuit, socius verò S. Augustini Anglorum Apostoli: à quo Cantuariæ ob præstantis pietatis mores Abbas primus constitutus est sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, fundati ab Edelberto Rege, illius hortatu, non longè à mœnibus ipsius metropolitica civitatis. Deinde ab eodem, ob subsidium religionis legatus, cum navigaret in Galliam, tempestate obortâ demersus est, in sinu maris qui Amplastus dicebatur: & ab incolis ignobili sepulturæ traditus. Sed Deo fidelis famuli merita propalante singulis noctibus tam copiosa lux super ejus sepulchrum emicuit: ut hoc superno indicio edocti indigenæ, corpus ejus de vili situ sublatum in civitatem Bononiam detulerint, ibique in Ecclesia reposuerint, congruo sanctis viri meritis honore.* Vide an. 607. n. 6.

R

RUFFINIANUS Monachus: Cum Augustinus in animarum salute laborans operarios non haberet, qui messi sufficerent; Magnum Gregorium appellavit, missis in Urbem Oratoribus. (an. 599. n. 6) Nec defuit piis precibus Pater Gregorius, nam operarios misit in vineam suam, & inter eos Ruffinianum monachum.
Beda l. 1. c. 29. De quo ita scribit Beda: *Præterea idem Papa Gregorius Augustino Episcopo (quia ei suggesserat in multam quidem sibi esse messem, sed operarios paucos) misit plures cooperatores, ac verbi ministros: in quibus primi & præcipui erant Mellitus Justus, Paulinus, Ruffinianus, & per eos universa quæ ad cultum erant ac ministerium Ecclesiæ necessaria: vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium ornamenta quoque Ecclesiarum & sacerdotalia & clericalia indumenta sanctorum etiam Apostolorum, & Martyrum reliquias.* Vide an. 601. n. 1.

S

SEVERUS Trevirensis Episcopus: cum S. Germano in Britanniam profectus, in Arianam hæresim doctè
Beda l. 1. c. 21. pugnavit, eamque cum Germano ex Insulis profligavit. De quo e Constantio Beda sic refert. *Nec multo post interposito tempore, nunciatur ex eadem Insula* (Britannia) *Pelagianam perversitatem, iteratò paucis auctoribus dilatari: rursumq; ad Beatissimum Virum* (Germanum) *preces sacerdotum omnium deferuntur, ut causam Dei, quam prius obtinuerat, tueretur. Quorum petitioni festinus obtemperat. Nam adjuncto sibi SEVERO, totius sanctitatis viro, (qui erat discipulus Beatissimi Patris Lupi Trecassenorum Episcopi, & tunc Treveris ordinatus Episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum Dei prædicabat) mare conscendit, & consentientibus elementis, tranquillo navigio Britanniam petiit.* Et paulò inferius. *Veniunt Sacerdotes, occurrit insperata multitudo, confestim benedictio, & sermonis divini doctrina profunditur. Recognoscunt populum in eâ, qua illum reliquerant, credulitate durantem: intelligunt culpam esse paucorum, inquirunt auctores, inventosq; condemnant.* Vide an. 435. n. 2.

T

THEODORUS Dorovernensis Episcopus. In Oriente natus, Græcorum mores ritusque imbiberat: nihil tamen non Romanum in Britanniam intulit. Unde Beda hæc habet lib. 4. cap. 1. *Erat Romæ monachus Theodorus nomine, natus à Tarso Ciliciæ, vir & seculari, & divina literatura græcè & latinè instructus, probus moribus, & ætate venerandus; idest annos habens ætatis 66. Hunc offerens Adrianus Pontifici, ut Episcopus ordinaretur, obtinuit, his tamen conditionibus interpositis, ut ipse eum perduceret in Britanniam: eò quòd jam bis partes Galliarum, diversis ex causis adiisset: & ob id majorem hujus itineris peragendi notitiam haberet; sufficiensque erat in possessione hominum propriorum. Et ut ei doctrinæ cooperator existens diligenter attenderet; ne quid ille contrarium veritati Fidei Græcorum more, in Ecclesiam, cui præesset, introduceret. Qui subdiaconus ordinatus, quatuor exspectavit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset: habuerat enim tonsuram more Orientalium Sancti Pauli Apostoli. Qui ordinatus est à Vitaliano Papâ, anno Dominicæ Incarnationis 668. sub die 7. Kalendarum Aprilium Dominica: & ita unà cum Adriano 6. Kal. Junias, in Britanniam missus est.* Vide an. 667. num. 2. 668. num. 1.

THEOPHYLACTUS Tudertinus Episcopus. Ab Adriano Rom. Pontifice in Britanniam mittitur, ad inspiciendam Anglorum Fidem, unà cum Georgio Ostiensi Episcopo. Vide an. 786 n. 5. 787. n. 1. Quid porro ab utroque factum? Vide in Georgio Ostiensi suprà.

TIMOTHEUS Presbyter, Pudentis Senatoris filius Sanctarum Praxedis & Pudentianæ frater. Ab Apostolis Romæ doctus: à Pio Papâ in Britanniam mittitur. Vide an. 161 n. 3. à quo Lucius Britannorum Rex, prima Fidei rudimenta didicisse creditur. Ita Nauclerum intelligo sic scribentem. *Invenio, inquit, in legenda S. Timothei Apostoli quod venerit in Britanniam, & Lucium ejus gentis Regem cum tota Insula, ad Fidem Christi converterit.* Vide an. Naucler. gen. 7. vol. 2.
161. n. 1. Quòd Timotheus iste ab Apostolis eruditus sit, adeoque orthodoxam Fidem Lucio & Britanniæ porrexerit, ex eo probatur, quod in Rom. Martyrologio legitur ad 20. Junii. ubi dicitur: *Romæ depositio S. Novati, filii B. Pudentis Senatoris, & fratris S. Timothei Presbyteri, & Sanctarum Christi Virginum Pudentianæ & Praxedis, qui ab Apostolis eruditi sunt in Fide.* Vide an. 161. num. 2.

Explicit Index Virorum Apostolicorum, qui Britanniam docuerunt.

IN
TRES INDICES
SVPRASCRIPTOS.

Collectio prima.

EXHIBEO triplicem Indicem: primò, *Sanctorum Britanniæ.* Secundò: *Virorum Apostolicorum, quos Britannia emisit.* Tertiò, *Eorum denique, quos Britannia admisit Fidei Doctores & Magistros.* Ad Hebr. c. 13. v. 7. Exhibeo, inquam, memor Paulini oraculi. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini Fidem.* Sunt hi patres nostri, quos *honorare*; majores nostri, quos *interrogare*: Sacerdotes etiam Levitici generis, ad quos, *si difficile* & ambiguum judicium erit, inter causam, & causam; lepram, & Deutro. c. 17. v. 8. lepram: & judicum intra portas nostras viderimus verba variari, surgere ascendere, & venire jubemur: jubemur etiam ab eis quærere; qui indicabunt nobis judicii veritatem. Opportunè sanè Sanctorum exempla nunc proponimus: quia nunquam magis *difficile & ambiguum judicium inter lepram & lepram*, vidit hæc Insula: nunquam magis de Fide litigatum: nunquam intra portas nostras vidimus ita judicum verba variari. Periculosè ergo in Oceano Britannico navigamus: ubi tot sententiarum undæ, tot opinionum & sectarum euripi, tot hæresum monstra, naufragium certum minantur. nisi in tutâ statione anchoram fixeris, fundumque cui credas, inveneris. Nec tutiùs anchora figitur, quàm ubi figendam dictat, hortatur, jubet Spiritus sanctus. Spiritus, inquam, ille, qui docebit nos omnem veritatem. Ille jubet, & centies jubet, majores Jeremia c. 6. v. 16. interrogare, generationes antiquas, priora sæcula; *State super vias, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Illa sine dubio via bona; quam Via trita via tuta. Sancti triverunt; quam optimi ingressi sunt; quam cælo, & immortalitate donati, innocenter calcaverunt. Hos ergo in unum collectos exhibeo: ut eorum intuentes exitum conversationis, imitemur & fidem. Unum illud necessarium, quo immortalis vita, & beatitudo nostra, stat, caditve. Nam viva Fides, & virtutum omnium lectus, est vita justorum. Non facilè à viâ exorrabit, qui Ducem Sanctum sequitur: qui Præpositos audit, qui nobis locuti ad Ephes. c. 4. v. 12. sunt verbum Dei; qui Apostolorum, & Doctorum premit vestigia: *quos dedit Deus ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem Fidei.* Hæc est via, quam vidit, & prævidit Isaias Propheta cum de Christi adventu Isaias 35. v. 8. loquens, dixit: *Deus ipse veniet & salvabit nos.* subjungit enim: *Erit ibi semita & via. & via sancta vocabitur: hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.* Premenda sunt igitur Sanctorum vestigia, quæ primus Index aperit. Inquirenda Apostolicorum Virorum Fides; tam illa, quæ primis sæculis beavit hanc Insulam; quam illa, quam aliæ provinciæ à nobis acceperunt, hodieque illâ gloriantur. quæ altero, tertioque Indice demonstratur.

Collectio secunda.

SEMITA Sanctorum, quos his Tomis recensui, fuit ejusmodi; ut eâ incedentes, ad summum perfectionis culmen, & demum ad immortalis gloriæ coronam, ascenderint. Gradus fuerunt: in Petra fundari; Ecclesiam illam colere, quam Christus ibi posuit; & cui ligandi solvendique dedit potestatem: sacramenta suscipere; & illa gratiarum fluenta, quæ ad animæ salutem Christus instituit: Deum sacrificio, statisque ab Ecclesiâ precibus, jejuniis, festis propitium reddere: templa, monasteria, in honorem Dei Sanctorumq; honorem ponere; ornare altaria, quæ sacrificio deserviunt. Cæteros Sanctos, sanctorumque reliquias, quos Deus in cælo honorificat, venerari: vota tria, quæ corpus animumque componunt, & Deo intimiùs conjungunt; nuncupare: vel saltem ea nuncupantes amplecti: uno verbo, Ecclesiam, Christi sponsam, mala prohibentem, bona suadentem, mysteria Fidei explicantem; devotè audire, integerrimè sequi, captivare ubique intellectum in obsequium ejus. Hac viâ Regiâ, Lucius, Helena, Constantinus, in Britannorum Rep. Principes, incesserunt: eâdem Ethelbertus, Edwinus, Oswaldus Reges, inter Anglo-Saxones: denique Alfredus, Edgarus, & uterque Edoardus monarchæ, præcedentium se Principum vestigia secuti; assecuti sunt cælum; vel falsi sunt Annales omnes, antiqui, & moderni; orthodoxi & paradoxi, qui de illis hæc omnia testantur. Perge ad alios Episcopos, monachos, utrumque sexum, ætatem omnem; qui hac viâ Regiâ incedentes, immortale nomen in terris, & gloriam in cælo nunquam perituram adepti sunt. Scio factiosis gratum esse scissuram in Ecclesiâ facere; inconsutilem Christi tunicam scindere, sanctos sanctis committere. & alios Britannos, alios Anglo-Saxones, vixisse, credidisse, fecisse. Sed immane peccant: & nihil (fateor) me magis ad Annales scribendos acuit, quàm paradoxum illud: Alios Lucium, & Constantinum Britannos, alios Ethelbertum, & consequentes Reges doctos. Cusum est mendacium illud, in Rom. Ecclesiæ odium: quo ferulam, quam perduelles merentur, eludant. Verùm legenti facilè constabit, Rom. Ecclesiam à Lucio, Constantino, Ethelberto, & sequentibus Britanniæ Principibus, eadem Fide, pari religione, simili obsequio, cultam esse. Accedat horum testis, Albanus Protomartyr; quem ex Urbe missus Amphibalus sacerdos, tam docuit Crucem colere, quàm docet hodiéque Roma. Illum Britannorum antiquissimi coluerunt Martyrem, erecto templo, ornatis altaribus: nunquid non eundem, eodem modo, coluerunt Anglo-Saxones? Pudet in re testatissimâ, pluribus agere: licet factiosis non pudeat sæpius mentiri. Quod Anglo-Saxonum Ecclesiæ Britannos sanctos pientissimè coluerit; templa illis, & honores dederit; elegans argumentum est, omnes hujus Insulæ Sanctos, unâ eâdemque fide Beatos, in unum idemque cælum receptos esse. Stet ergo prophetici oraculi fixa sententia. Sanctorum hæc via *sancta est, directa est, ita ut stulti non errent per eam.*

Collectio tertia.

TRANSEO ad Viros Apostolicos: ad illa sidera; quæ vel in cælo nostro nata, vel in alio orbe, Britanniæ luxerunt illustrissimè. In utrisque observanda aliqua; quæ Fidei puritati, Ecclesiæ castitati, doctrinæ excellentiæ ancillantur plurimùm. Quærendum imprimis, quo motore cælestes illi orbes, è provinciâ in provinciam agebantur, cum lucem nobis, aliisque sedentibus in tenebris, & umbrâ mortis attulerunt. Enimvero, vel primum mobile fuerunt, vel si regulariter movebantur, à primo mobili illa agi, actaque esse, necessum est. Iterum utilitei, & cum jucunditate contemplamur, aut illorum ad nos accessum, aut excessum ad alios: illorum ortum, & occasum; introitum, & exitum: sunt enim verè, propriè, genuinè, *Præpositi nostri*, qui nobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitari fidem tutò, & sine pœnitentiâ, possumus, & debemus. Adde, beneficii magnitudo, quo Deo cæloque nascimur, exigit; ut sanctis Patribus & parentibus nostris aras, & altaria adornemus: & inde quæritur, num illa ad Orientem, an verò ad Occidentem, aut aliam mundi plagam, ponenda? Qui nubes in cælo, & in Sole maculas, sequuntur, quærunt, & adorant; ex Oriente Fidei suæ magistros evocant. quia ibi Quartadecimanorum hæresis, aliquando viguit: ibi plura sunt, clericis etiam, & sacerdotibus, fomenta libidinis: ibi denique à reliquo Christi corpore, capiteque ejus, divortium. Et quamvis horum nihil Britanniam, Britannicæque Fidei primitias infecerit; quia tamen, sub occasum Britannici regni, densissimæ infidelium tenebræ fuerunt: & quod inde sequitur Solis eclypsis aliqua, & soliti

influxus,

influxus, ob interpositas tenebras suspensio; facilè tenebriones aliqui, Andabatarum more, velitari possunt, & quidlibet ex quolibet eruendo, adversarium petere; nunc punctim, nunc cæsim. Verùm si ad priora sæcula conversus, historicâ face doctâque manu tenebras amoveris, lucémque rebus, personis, factis, attuleris, [illegible] illa, quæ in Oriente finguntur, phantasmata probabuntur, & umbratici pugiles, aerem ubique, non hostem terruisse. Hanc (fateor) ob causam, Apostolicorum virorum patentes libenter inspexi: ut inde, quo imperio, & quorsum venerint; quid in Britanniâ fecerint, cujus auspicio omnia gesserint, penitùs indagarem. Et quia nullus ab Oriente, Apostolatûs insignia præ se tulisse, nè à factiosis quidem nominatur, prodeant in medium Fugatius, & Damianus, qui Britannos Christianam Fidem docuerunt, prodeant Germanus, Lupus, Severus, qui eandem Fidem restaurarunt. Prodeant Augustinus, qui Anglo-Saxones in Cantio; Birinus, qui Occidentem; Paulinus, qui Septentrionem; Mellitus, qui Orientem; ad Christi castra conduxerunt. Quos omnes Romam missos, & è cœlo illo, imperia, ritus, sacra derivasse constat. Laus ergò, & gratiarum actio, Romanæ Sedi tribuenda: nam è Petrâ illâ, è montibus illis, Apostoli descenderunt ad extrema terræ, & Insulas maris. Unde Isaias Propheta Britanniam imprimis alloqui piennissimè creditur, eo capite, quo gentium, & Insularum conversionem significat. *Cantate*
Isai. 42. v. 10. *Domino Canticum novum, laus ejus ab extremis terræ: qui descenditis in mare, & plenitudo ejus, Insulæ & habitatores earum:* mox addit, quibus post Deum laus tribuenda, & Insularum conversio, cum ait: *Laudate habitatores Petra, de vertice montium clamabunt: ponent Domino gloriam, & laudem ejus in Insulis nunciabunt.*

Collectio quarta.

HInc nata in Britannorum, Saxonum, Anglorum, Ecclesiâ, Fidei unitas, sacrorum rituum constantia, animorum ipsarum sententiarum conspiratio: quia è cœlo uno lucem, è capite uno influxum, ex ore uno oracula; è fonte uno Sacramentorum, & gratiarum fluenta exceperunt. Ita Sancti evaserunt in hac Insulâ plurimi, Reges, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Virgines, Viduæ, & in omni ordine, ætate, sexu purpurati Martyres. De quibus ita Baronius: *Florebat his temporibus*, inquit, *Ec-*
Baron. an. 676. *clesia Anglicana, veluti paradysus Domini, abundans liliis Sanctarum Virginum, atque violis æternam Sanctorum Monachorum, humiliori loco latentium: Sed & Sanctissimis quoque abundavit Episcopis.* Cæterùm adeo abundavit, in Episcopos, Monachos, Virgines, provinciis aliis commodaverit. Hinc emissiones Paradisi fuerunt viri illi Apostolici, qui Pictos, Hibernos, Belgas, Germanos, Norwegos, Gothos, Gallos etiam, & loca remotiora; Fidei, doctrinæ, & sanctitatis odore, ad Christi cultum allexerunt. Quique Apostolatus insignia, ex eo cœlo, capite, fonte, derivarunt: unde eorum Doctores & Apostoli, prædicandi, docendique facultatem acceperant. Sic Beatus, ad Helvetios; Mansuetus, ad Gallos; à Petro Apostolorum Principe missi: sic Melanius, ad Celtas, à S Stephano: Ninianus, ad Australes Pictos, à Siricio: Patricius, ad Hibernos, à Cælestino: Richardus, ad Calabros, à Gelasio; Romanis Pontificibus; in primisque sæculis missionem impetrarunt, priusquam Augustinus ad Saxones legaretur. Ut miranda, & miseranda sit eorum hominum conditio; qui Orienti nimiùm adblandientes, volunt Britannos nullum cum Urbe commercium habuisse. Descende inferius, & in confesso est Willibrordum à Sergio: Bonifacium à Gregorio II. Apostolicæ prædicationis munus accepisse: & ea potestate munitos, superiorem, inferioremque Germaniam, ab Idolorum cultu, ad Evangelicæ veritatis lucem traxisse. Et; Deus bone, quot Apostolicæ functionis socios, Cardinales illi Apostoli habuerunt! Nihil ergò novi Gregorius XIII. fecisse dicendus est, dum, doctos Sacerdotes ex Urbe emisit; qui errantes in Angliâ oves, ad pastorem suum reducerent. Nam idem Gregorius primus; idem omnino Gregorius II; Idem omnes Rom Pontifices, à Petro, & deinceps, pro officii sui munere, & omnium Ecclesiarum præfectura, fecerant.

Collectio quinta.

DUm Apostolicorum virorum, quos jam recensui, vitam intueor, & exitum conversationis; ut monuit supeà, gentium Apostolus: Invenio omnes (de primis, præcipuis, & Cardinalibus loquor) invenio inquam, omnes, Evangelicæ perfectionis consilia sequentes, in monasticâ, vel regulari vitâ, cœlo donatos. De primis Christóque proximis sæculis, nullum est dubium. ex quo *quotquot possessores erant agrorum aut domorum; vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Iterum video provincias omnes, Regularium opere conversas, tamdiu in Christianâ Fide stetisse, viguisse, floruisse, quamdiu ibi in honore, & monasteria in cultu vigebant, florebantque. Ubi verò monachi viluerunt; ubi Regulares esse desierunt; ubi denique destructa monasteria: ibi sectarum, schismatum, hæresum, Oceanus: nec plura ibi monstra (in Oceano inquam) quàm hic opinionum, paradoxorum, & diversa sententiarum portenta. Nec opus peregre proficisci pro assertionis hujus argumento. In Angliâ libenter versor; ubi aliquando florentissimæ Ecclesiæ, cultissima monasteria, Regularium examina fuerunt. *Et tunc multitudinis credentium erat cor unum, & anima una:* quia Apostolicorum virorum, hoc est, præpositorum suorum memores, eorum intuentes exitum conversationis, imitabantur Fidem: ab uno capite animati, ab uno ore pendentes. Ubi novi Apostatæ, in antiquorum Apostolorum locum intrusi, in cathedrâ pestilentiæ sedent: ab uno capite divisi, in plura capita secesserunt, tunc tot capita, tot sententiæ. tunc scripturarum oracula pro arbitrio sonant: & pro cujusvis cerebri intemperie, cœlestia organa pulsantur. Unde pro Fide perfidia colitur. Observavit hoc in Angliâ Annalium conditor Baronius: qui de Benedicto Biscopo loquens, hæc habet: *Porrò ejusmodi fundatore propagatus est in Angliâ mirificè, monachismus: Ut planè Insula illa, ita divini spiritus imbribus irrigata, paradisus esset, apud quam, dum monastica viguit integra, in nullo læsa aliquando disciplina, nulla ad eam hæresis accessum habere poterat. Illâ verò laxatâ atque solutâ, redacta est terra fructifera in salsuginem à malitiâ inhabitantium in eâ.* Audi, Angliâ, quid de te Catholicus orbis sentiat, floruisti aliquando Sanctorum numero, monachorum gregibus, templorum ornatu, cœnobiorum pulchritudine: Tunc fuisti Dei paradisus: & de te dici poterat illud Canticorum *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: emissiones tuæ paradysus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.* Quando nimirum, non solùm domi lilia, violæque, & omnia florum genera germinarunt: sed foris etiam, in odorem Sanctarum tuorum provinciæ aliæ cucurrerunt. hoc olim fuisti, Ecclesia septa conclusa, Cruce signata, munita templorum muris, cœnobiorum antemurali; Regum, Episcoporum, Virginum, sanctitate; Nunc omnia pudicitiæ claustra, Luthero Duce, dirupisti: Crucem conculcasti: Sanctos è Kalendario erasisti: templa profanasti: *luxitq; antemurale, & murus pariter dissipatus est.* inde singularis ferus depastus est eam: & egressus est à filiâ Sion omnis decor ejus. Peccatum ergò peccavit Jerusalem; propterea instabilis facta est. Omnes qui glorificant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus: ipsa autem gemens conversa est retrorsum. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui, nec finis Præpositorum suorum, qui illi locuti sunt verbum Dei: quorum intuens exitum conversationis imitaretur Fidem. Retrorsum ergò abiit Anglia: majorum vestigia sequi noluit: noluit in semitis antiquis, in Sanctorum luce ambulare: nova fœdera cum hoste, cum tenebris, cum inferno fecit. Itaque terra *infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum: propter hoc maledictio vorabit terram, & peccatum habitatores ejus: ideoq; insanient cultores ejus: & relinquentur homines pauci.* Ita dixit, & prædixit Isaias Propheta. Ita factum hodie cernimus, & dolemus. Sed converte nos Deus Salutaris noster, & averte iram tuam à nobis. Recordare Domine quid acciderit nobis: intuere, & respice opprobrium nostrum.

INDE

INDEX RERUM.

Prior numerus annum Domini, alter §. vel numerum significat.

A

benignè

B

Index rerum.

INDEX RERUM.

Maxentio.

G

H

INDEX RERUM.

I

ISAIÆ.

INDEX RERUM.

K

L

M

MONA

N

O

P

INDEX RERUM

interpre-

FINIS



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA
JOANNIS MATHIÆ HOVII,
Ad insigne Paradisi Terrestris.

M. DC. LXII.

INDEX
RERUM QUÆ CONTINENTUR
IN
TOMO SECVNDO ET TERTIO
ab Anno Domini 500. ad 1066. inclusivè.

Primus numerus denotat Annum; *Secundus* §.

Quæ spectant ad Sanctos & Apostolicos Viros, non tanguntur in hoc Indice, quia pleniùs indigitantur in horum propriis Indicibus.

A

ministro

INDEX RERUM.

HASTIN-

INDEX RERUM.

I

K

L

T

FINIS INDICIS TOMI II. ET III.

ERRATA

Errata trium Tomorum.

Errata Tomi primi.

Pag.	Col.	num.	Errata.	Corrige.
12	2	XI.	Simeonem	Simonem
18	2	IX.	Hoc	Hæc
19	1	XI.	æstimabat	æstimabas
22	1	II.	desunt. Saturha	mo enim habitu Dominorum
23	2	IX.	Juvenatis	nalis
24	1	I.	Phymcum	Pyrricum
26	2	I	ἀλαγαιὼ	ἀλάχαιε.
26	2	II.	Gallicas	Gellias.
27	2	IV.	Natnx	Natrix.
28	2	V.	Caledonius	Caledonios.
29	1	VII.	tituinque	utuamque.
32	2	VIII.	Nac	nec.
36	1	I.	Atiam	Etiam.
	2	II.	Augustares	-stales
40	2	II.	ἔταχος	ἔτερος.
47	2	VI.	eum	eum
48	2	IX.	Ne	Nec.
61	2	XIV.	[illegible]	sed.
64	2	I.	Tesino	Telesino
7[illegible]	2	XIII	pellabantur	pellebantur
84	1	IX.	vetitus	ventus
[illegible]	2	II.	ut	ubi
9[illegible]	1	XI.	ob	os
[illegible]	2	II.	memine	nemine
124	2	I.	feminare	seminare
	2	II.	verum	verus
128	2	II.	gen	gentis
178	1	III.	manducent	[illegible] :ducent
230	2	II	Vete a	[illegible]
249	2	I	quarum	quarem
253	2	III	panebantur	potuebantur
255	1	XII.	αναχεῖν	ἀνα ρεῖν
Ibid.			aqua	aquæ
261	2	XXXII.	Tomcum	Toineum
		XXXIII.	Tomcum	Tomeum
268	2	LIV	Balx vult	B[illegible] vult
3[illegible]	2	XVI.	confiderent	confiderent
322	1	I.	falsi	passi
345	2	II.	dium	diuini
348	[illegible]	[illegible]	[illegible]	manibus
354	1	[illegible]	[illegible]	[illegible]
371	2	XV	numine	numina
411	2	II.	morte	morti
443	2	II.	obstetricá	obstetrice
451	2	XV.	perge	peregre
454	2	II.	hunc	hanc
458	2	XVIII.	filam	sitam
469	2	VII.	2	1
471	2	II.	Roma	Romæ
523	2	VIII.	millus	millia
570	2	XV.	fecura	fecuta
580	2	XXIII	Heu	Fletea
592	1	LVIII.	gestæ	gesta
618	2	III.	imprudentes	impudentes

Errata Tomi Secundi.

Pag. 8 *col.* 1. Nam V dicentur, dicuntur. 9. 2. 2. II. συχ?ονον συγχρον. 72. 2. IV fila, fila. 13 - VI Affertur afferunt. 1 1 III [illegible] V [illegible] 21. 2. I. Cimensbore, Crimensbore. [illegible] IX. Aquai[illegible], æquales 4[illegible] XII [illegible] executioni. 50. 1. [illegible] liben, liken 56. 1 I. Patius, Patsius. 62. III [illegible] collocari 71 1. X Censeatur censeatur 72. 2. XIV. Abbat[illegible] -batem. 80 I [illegible] deutius. 91. III. [illegible] 107. 2. XII. annuente, auente. 114. 1. XLI devota, devotam [illegible] 2. XX. [illegible] Ethelbertus, -berti [illegible] XXXII. nova, na 148. XLIII [illegible]tationem, salvationem 155. II At, atc. 16[illegible] 1. XXII. Chi[illegible], [illegible]anorum. 173. 1 I XIV fragrantia [illegible] 179 1 III. rem, repub 184. 1 I. amolire, amoliri. 191 2. XXXV. Sacerdotibus, ta 1. [illegible] XXXVI [illegible] imperent. 197 1 X V quæ, quæ. Ibid. 2 XVII. Alure[illegible] dum, Aluredum. 198. XIX. elevasse, eluisse. 209. 2. II utobique, uttobique 214. 2. IV. aver[illegible], aversi 219. 1. XI vinculum, vinculum 227 2. I. circa, circa. 243. 2 XXXI. præsent [illegible] 1 I. instituris. tutis. 25[illegible] I [illegible] endæ, Penda. 273. 1. VI. cnofitetur, confitetur. 5[illegible]6 III. Richmundum, Ri[illegible] n. Ibid. IV. Osvvinus, Osvvius. 279 1 XII. edmarg[illegible] bertus, Cuthbertu[illegible] 2. II. comi[illegible], comitibus. 300. XVII periclitan[illegible] p[illegible]us [illegible] X V judi[illegible], -dicis 301 1 XXVII. redivam, redivivam. Ibid. XXIX. primitiù, pri[illegible]ius 34. 1 1. parenas, parenæ. 315. 2. IX Hurumulda, Herm. [illegible] I perfunctum, functam. 349. 2. II. Edilbaldus, -baldus 355. 2. XIII. Hominis, homin[illegible] 36[illegible] 1 XI. derivari der[illegible]ari. 366. - XXIV c. &c. 382. 2. XXXIII. Angleus, Ange[illegible] 37[illegible] II Cant[illegible] 3[illegible] I I non, d[illegible] entur. Ibid 2 VI passet, posset. 404. 2. II. [illegible] 419. [illegible] II. Antistes. Rites 423 1 VII feliter [illegible]iter 427 2. II [illegible] 431 1 XVIII audientas, dacitas. 452 1. XXIII. culturum, cultuam 458. 2. II quam numque. numq; duxit. verbum duxit. alio loco positum. 474. 2. XVI. Edoari, [illegible]di. 482. 1. XI. co, in. 502. 2, XXIX. Fhuringiam, Thuringiam. 505. 2. XIII. vii, viii. 517 1. XX. cauæ, causa. 518 2. XXXVII. contiguus, contiguum. 569. 1 XI pugnantes, pungentes. Ibid XII cavebat, cadebat 576. 1 XLVI. eatruit, extruxit. 597 2. XIII. imperarat, impetrarat. 6[illegible] 1. IV singulorum, signorū. 625 2. I. quennium, quinquen. 639. 1 VII. pollicerer, pollic. 641 1 VII peccat, cato. 665 2 VII. catnicfiniam, -nificinam 666 1 X scillantibus, scintillan. 674 2 VII. urbum urbem. Ibid. aunum, annum. 682 1 II. bonis vobis. 692 2. XII. percipita, capiat.

Errata Tomi Tertii.

Pag. 4. *col.* [illegible] nosce, nosse. 42 2 I. [illegible] [illegible]u, impo[illegible]tio, [illegible]o it[illegible] 17 XIII ipse, esse. 104 II constitunt, constituant 10[illegible] IV [illegible] potius, potius. 143. [illegible] X Lerore [illegible] V sub[illegible] n [illegible] 156. 2. II defunctus, -ctis. 167 XV [illegible] mensis, -[illegible] VIII [illegible] um bi lium. 210. [illegible] merit m. tam [illegible] I. chamber [illegible] nbes VI I [illegible]pl[illegible] 249. VI [illegible] æstimand[illegible] mandus 2[illegible]4 [illegible] I I conside iant [illegible]erant [illegible] IX [illegible] istæ 2 X. nominatur, nantur. 294. XIII Sulitudine, solicitudine 3[illegible]9 [illegible] hominex. 330 [illegible] I conceptos, corruptos. [illegible] 2 XXXI An[illegible]orum, Angelorum Ibid [illegible] II. [illegible] dgarus 349 2 IV. interea, interea. 366 1 X odmonendo adm. Ib[illegible] I. si, sic. [illegible] 2. IV quicquis, quid 387 2 II Edords, Edoardi 409 2 VII [illegible] pum [illegible] opus. 410. 2. IV respendunt, resplendunt. Ibid extaret, expectaret. 42[illegible] 1 III [illegible] co[illegible] d. VI. docibum, domus um 4[illegible] 1 VI vitare, vitiare 4[illegible] II ter. [illegible] 4[illegible] solatione, -lutione. 465 1 XXII Indices. Indices. 479. 2. I de, se [illegible] VII Sallantis, tantis. 536 1. II ne, me. 537. 2. VIII. declines, decliv[illegible] 543 1 IV [illegible] [illegible] 5[illegible] 1 IV. præcedistur, procedatur Ib[illegible] impubens, impubis 561 1 VI. I[illegible] [illegible]um, scopus. 5[illegible] II humanm, humanum. 569 1 II. fugaverat, fugerat.

Chronologiæ.

Anno 60 Britannia nam. 70 n 7. n. deleatur. 109 Clocestria, Colcestria. 2[illegible] quidem, quidam. 2[illegible] Helena, -næ. [illegible] Monast[illegible], ster[illegible] [illegible] Sancti, ctus. 541 M[illegible] di Mona[illegible] 6[illegible] Osvvino, Osvvio 678 Ceolt[illegible]dus, -fridus. 686 Canon, Conon [illegible] 890 Lanterva, temx. 906 Ethelfledo, -dus 946 invenis, juvenis 9[illegible] 1. Wulranus Wulst Ibid. voc[illegible] [illegible] probari, batæ

Index Sanctorum.

Liter A *col.* 3 Mamestetia, Malmesberia. E 4 Dunstani, stani 1[illegible] migrat, migrant. F [illegible] egregium, egregiam. P 2. Edvvinus, deleatur S 2. Pipimo, Pipino.

Cætera Benevolus Lector facilè corriget.